
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





CLAUDII SALMASII

PLINIANÆ EXERCITATIONES

IN

CAJI JULII SOLINI POLYHISTORA.

ITEM

CAJI JULII SOLINI POLYHISTOR

ex Veteribus Libris emendatus.

Accesserunt huic editioni

DE HOMONYMIS HYLES IATRICÆ EXERCITATIONES

antehac ineditæ,

nec non

DE MANNA & SACCHARO.

TOMUS II.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud JOHANNEM vande WATER, JOHANNEM RIBBIUM, FRANCISCUM HALMA, & GUILIELMUM vande WATER, Bibliop.

M. D. C. LXXXIX.



CLAUDII SALMASII
PLINIANÆ EXERCITATIONES
IN
CAJI JULII SOLINI POLYHISTORA.

CAPUT XLV.

Cappadocia. In ea de equis.



PAg. 52. G. *Cappadocia gentium universarum, quæ Pontum accolunt, præcipue introrsus recedit.*] Hæc e Plinio lib. VI. cap. VIII. In quibus à Plinio discedit, notabimus. *Dextero plurimis Asiæ populis circumfusa,* Plinius: *dextero vero omnes in Asia dictas gentes, plurimis superfusa populis.* Dicit ille Cappadociam lævo latere Armeniam majorem, minoremque, & Commagenem transire, lęvo omnes Asiæ minoris gentes, & plurimis populis superfusam esse, id est, plurimis populis habitari qui eam superfundunt. Gentem Cappadocum ibidem vocat, quæ multos habeat populos. Nam gens in populos dividitur multos. Sic in Galatia tres erant gentes, populi vero secundum Plinium centum nonaginta quinque. Quot civitates in unaquaque gente, tot populi. Hunc locum Plinii non intellexit Solinus.

Vadit super tractum Syriæ Antiochiæ, parte regionis alterius in Scythiam pertendens.] Aut heic immane erravit Solinus, aut ejus librarii in culpa. Verba Plinii, quæ exprimere voluit, sic habent: *Vadit super Antiochiæ tractum & usque ad Cyrrhesticam ejus regionem parte sua, quæ vocatur Cataonia, contendit.* Ut idem quod Plinius diceret, scribendum illi fuit, *vadit super tractum Syriæ Antiochiæ parte regionis Cataoniæ in Cyrrhesticam pertendens.* An ita putabimus scripsisse? aliter omnes ejus habent libri. Nec credendum heîc peccatum à librariis tanta scripturæ diversitate ac differentia. Quid tamen velit Solinus, nescio. Nam Cappadociam usque in Scythiam pertendere nemo, ut opinor, dixit. Hujus tamen Solinianæ sententiæ vestigia impressa legere licet capite de Euphrate supra, ubi scripsit Euphratem ex Armenia majore fundi, ortum sub radicibus montis, quem accolæ Capotem nominant, Scythis proximum. Armenia major à Paryedris montibus auspicatur. Eam à Cappadocia Euphrates amnis dividit. Sic Cappadocia usque ad Scythiam ea parte pertendit, quæ Moschicos & Paryedros montes attingit. Scythiam tamen Cappadociæ vicinam nemo auctor scripsit. Sed hęc Solini sententia est. Vadit super tractum Antiochiæ Syriæ: parte alterius regionis, id est, ejus regionis, quę ad septentrionem huic opposita est, ad Scythiam pertendit. Verbis Plinianis longe aliam quàm Plinius effecit geographiam. Hic enim tradit Cappadociam super tractum Antiochiæ Syriæ vadere, & usque ad Cyrrhesticam ejus partem contendere. Martianus Capella, qui è Solino pleraque omnia sumpsit, quę de geographia scripsit, ita habet: *præterit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam, super tractum Syriæ means, Antiochiæ partem in Scythiam pertendens.* Quæ prodigialiter corrupta sunt. Scribe: *præterit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam, super tractum Syriæ means Antiochiæ, parte in Scythiam pertendens.* Liber optimus, quem vidi, heic scriptum pręferebat, *in Sistiam pertendens.* Quod si scriberetur, *in Cirrhestiam pertendens*, idem sensus efficeretur qui verbis Plinii continetur. Ἡ Κυῤῥεςία pro Κυῤῥεςική. Ptolemæo Κυῤῥιςικὴ, sed legendum Κυῤῥεςική. Nam à Κύῤῥος oppido Syriæ ἐθνικὸν Κυῤῥέςης. Sed *Scythia* vera lectio apud Martianum, quia Solinum sequitur. Τὴν Κολχίδα ille pro Scythia accepit, qua ad orientem simul & Armenia majore Cappadocia terminatur. Strabo lib. XII. Καππάδοκες ἀφοριζόμενοι πρὸς νότον μὲν τῷ λεγομένῳ Ταύρῳ, πρὸς ἕω δὲ τῇ Ἀρμενίᾳ, καὶ τῇ Κολχίδι. Hoc est quod heic expressit Solinus, quum dixit Cappadociam super tractum Antiochiæ Syriæ vadere, ad meridiem scilicet, & parte alterius regionis, nempe ad septentrionem, usque in *Scythiam* pertendere. Poëtæ quidem *Scythiæ* nomine etiam Colchos, & Albanos, & Iberos comprehendunt, sed non ita geographi.

Super tractum Syriæ Antiochiæ.] Plinius tantum dixerat, *super tractum Antiochiæ.* Sed provinciam eo nomine, non urbem designasse ostendit id quod sequitur, *& usque ad Cyrrhesticam ejus regionem.* Ergo Cyrrhestica regio erat illius Antiochiæ. Mela: *In eo prima est reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur.* Plinius ipse lib. V. cap. XX. *Promontorium, in quo Laodicea libera, Diospolis, Heraclea, Charadrus, Posidion: Deinde*

promontorium Syriæ Antiochiæ: intus ipsa Antiochia libera Epidaphnes cognominata. Perperam hæc divulsa sunt, & capitibus sectis diducta: præterea *Antiochenæ* habent editi, ubi recte in antiquis est *Antiochiæ*. *Antiochia* pro Antiochica, vel *Antiochena*, ut in aliis. Sic Καισάρεια Καππαδοκία, pro Καππαδοκική: Σελεύκεια Πιερία pro Pierica: *Antiochia Pisidia* pro Pisidica in Tabula Peutingeri. Gemma Constantii, quam penes Freherum τὸν μακαρίτην olim vidi, in qua ipse Constantius scalptus erat aprum Ξιφίαν venabulo excipiens, scriptum habebat infra, ΚΑΙϹΑΡΕΙΑ ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑ. Sic Ἀντιοχία Συρία de Syriaca potius Antiochia, quam de Syria Antiochena accipiendum, ut dicam infra.

Pag. 53. A. *Qua Armenia, unde Pariedri montes sunt, auspicatur.*] Scripti ferè omnes Solini *Panthydros*, aut *Panhydros* hos montes nominant: Martiani *Panedros*: apud Plinium hoc loco *Pariedri* vocantur: *Armenia major a Periedris montibus incipiens.* Idem lib. v. cap. XXVII. Inter Tauri montis nomina *Pharphariades* legitur in vulgatis, ubi scripti habent, *Paryades*, aut *Paryadis*. Rectum est *Paryadres*. Ita enim Straboni & Græcis ὁ Παρυάδρης. In Tabula Peutingeri *Paruerdes* dicitur pro *Paruedres*. Plinio *Paryedræ* montes, οἱ Παρυάδραι, non *Paryadri* dicendi.

Mazacham sub Argæo sitam.] Scripti: *Mazzagam*. Verum est *Mazacam*. Græce tamen τὰ Μάζακα. Stephanus: Μάζακα πόλις Καππαδοκίας, ἡ νῦν Καισάρεια. Idem alio loco: Καισάρεια, μητρόπολις τῆς Καππαδοκίας, ἡ πρὶν Εὐσέβεια, καὶ Μάζακα. Perperam legitur Μάζα. Nomen pristinum semper retinuit. Ptolemæo Μάζακα, ἡ καὶ Καισάρεια. In Tabula Peutingeri *Mazaca Cæsarea*. Dicta etiam est Καισάρεια Καππαδοκία ad distinctionem aliarum urbium, quæ hoc nomen tulerunt, ut Ἀντιοχία Πισιδία, Ἀντιοχία Συρία, Σελεύκεια Πιερία, & similia.

Cappadoces matrem urbium nominant.] Melius in optimis libris: *matrem urbium numerant*, id est, habent pro metropoli. In altera editione scripserat Solinus: *matrem habent urbium.* Μητρόπολις, mater urbium. Martianus: *matem ducunt urbium.* Sic lego, non *dicunt*.

Qui Argæus nivalibus jugis arduus] Et inde dictus Ἀργαῖος, id est, albus. Strabo de Mazaca: κεῖται δὲ ὑπὸ τῷ Ἀργαίῳ ὄρει πάντων ὑψηλοτάτῳ, καὶ ἀνέκλειπτον χιόνι τὴν ἀκρώρειαν ἔχοντι. Inde, ut videtur, & Ἀργαῖος mons in Creta, ubi Jovem educatum fuisse clam Saturno Hesiodus fabulatur:

Ἀργαίῳ ἐν ὄρει πεπυκασμένῳ ὑλήεντι.

Sanè & λευκὰ ὄρη in Creta fuisse certum est, ex eo dicta, quod nunquam deficerentur nivibus summa eorum juga. An igitur Ἀργαῖος mons olim in Creta, qui postea albi montes? Sed ὄρη λευκὰ ad occidentem Cretæ ponit Ptolemæus, mons Ἀργαῖος ad orientem insulæ. Nam ad Lyctum oppidum mons ille. Non igitur iidem montes. Sed verius est legendum esse apud Hesiodum:

Αἰγαίῳ ἐν ὄρει πεπυκασμένῳ ὑλήεντι.

A capris mons ille Αἰγαῖος dictus, qui πεπυκασμένος & ὑλήεις, quod multam silvam capris edulem haberet. Nam & αἰγίβατα ὄρη Græcis poëtis dicuntur, vel Αἰγαῖον ὄρος à capra illa nominatum, quæ Jovem suo lacte in eo monte aluit. Interpres Theonis Αἰγαίῳ ἐν ὄρει, non Ἀργαίῳ legit, atque ita etiam lectum quibusdam ostendit in illo versu Arati:

Δίκτῳ, ἐν εὐώδει, ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο.

Quidam ibi legebant Αἰγαίοιο. Scholiastes manuscriptus: τινὲς γράφουσι σχεδὸν Αἰγαίοιο, παρ' Ἡσιόδου λαβόντες, φάσκοντες τραφῆναι τὸν Δία ἐν αὐτῷ περὶ τὸ λέγειν τοῦ Ἡσιόδου, Αἰγαίῳ ἐν ὄρει. Veteres tamen vulgatam lectionem in Arato agnoverunt. Strabo: καὶ γὰρ Δίκτη πλησίον οὐχ' ὡς ὁ Ἄρατος, ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο. Aratum reprehendit quod Dicten prope Idam montem collocet, quum mille stadiorum spatio distet ab Ida Dicte. Quippe Dicte in orientali latere insulæ. Promontorium *Dictynnæum* aliud, ἐπὶ δυσμὰς φέρον, ut ait Dicæarchus. Ptolemæo Δίκταμον dicitur pro Δικτυναῖον, quod corruptum ab recentioribus Græcis opinor, qui hodie sic vocant, ut Tabulæ hodiernæ testantur. In medio utriusque Ida mons ad septentrionale insulæ latus. Arato Δίκτος pro Δίκτη sollemni poëtis enallage, ut ὁμόκλη & ὅμοκλος. Nihil igitur mutandum. Ut Ἀργαῖος mons nivibus candicans, sic Ἄργεννον promontorium ab eadem causa in Troade.

Ne æstivo quidem torrente pruinis caret.]. Notabis heic *æstivum* absolute dici pro æstate, quum subintelligatur tempus. Sic *vernum* pro vere apud Tertullianum, & *hibernum* pro hieme. Inde nostrum. Sic *diurnum* pro die dixit infima Latinitas, & *diurnale* mensuram agri, quæ uno die posset arari. Idem igitur est ac si dixisset, *ne æstate anni quidem torrente.* Martianus pro eo posuit, quum hunc locum transcriberet, *qui nives verticis albicantis ne æstivis quidem solibus superfundit.* Idem postea *vernum* pro vere dixit: *quamvis verno etiam serpentibus occludantur.* Apud Solinum, *verno die.*

Quemque indigenæ populi] In altera editione, *quemque indidem populi.* Οἱ ἐντεῦθεν. Sic alibi, *inde reges*, *illinc homines.*

Pag. 53. B. *Terra illa ante alios altrix equorum*] Quod equi in Cappadocia optimi gignerentur, inde occasionem sumpsit, naturam & ingenium equorum hoc loco persequendi, quasi non aliæ terræ præstantissimos equos tulerint. Ut alias omittam, de Thessalia Æthicus sophista: *Terra fructifera alendorum equorum reliquorumque animantium. Nam ibi eminentiores sunt & velociores quam in aliis provinciarum terris, quorum usus domandorum ibi cœptum adfirmant incolæ.* Poterat itaque & in Thessalia describenda equorum historiam adnectere.

Quorum in loco hoc ingenium reor prosequendum] Ita altera habuit editio. Altera: *quorum hoc in loco ingenium persequemur.*

Pag. 53. C. *Sive ab insigni quod taurinum caput armo inustum ferebat.*] Plinius: *Bucephalon eum vocarunt, sive ab adspectu torvo, sive ab insigni capitis taurini armo impressi.* Tralaticium apud veteres, ut hodie, signa equis inurere. Anacreon.

ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Græci duas præcipuè literas imprimebant equis, sigma & coppa, unde κοππατίαι & σαμφόραι equi dicti. Hesychius: Σαμφόρας, Σαμφόραι ἵπποι λέγονται, οἷς ἐπικεχάρακται τὸ Σ στοιχεῖον, τοῦτο γὰρ Σὰν ἔλεγον. Et rectè ille quidem, nam veteres Σὰν, vel Σὰμ pro sigma dixere: unde σαμφόραι equi, qui Σὰν armo inustum ferebant. Hæc eo dico, quia cæteri Græci interpretes heîc turbant, & perperam tam σαμφόρας istos, quam κοππατίας exponunt. Nec vir ætatis hujus doctissimus in his explicandis mihi satisfecit. Locus ex scholiaste Aristophanis, quem ille frustra constituere conatus est, sic legendus: Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ G σημεῖον, ὡς σαμφόρας τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ C. τὸ γὰρ C καὶ τὸ Π χαρασσόμενον Σὰν ἔλεγον. Αἱ δὲ χαράξεις αὗται καὶ μέχρι τοῦ νῦν σώζονται ἐπὶ τοῖς ἵπποις. Συνεζευγμένου γὰρ τοῦ Π καὶ C τὸ σχῆμα τοῦ ἐν ἀριθμοῦ δύναται νοεῖσθαι, οὗ προηγεῖται τὸ G καὶ παρὰ γραμματικοῖς οὕτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται κόππα ἐννενήκοντα. Illustrissimus locus. Apertè ille grammaticus τὸ Σὰν Græcorum pro illo episemo accepit, quod in numeris significat DCCCC. Atqui Græcis Æolicis τὸ Σὰν erat tantum sigma. Dicit igitur illud Σὰν compositum esse ex sigma & πῖ, quod verum est de illo episemo. Nam sigma inversum cum πῖ litera eam notam numeri concinnant. Hinc σαμφόρας dictos interpretatur. Οὗ προηγεῖται τὸ G καὶ παρὰ γραμματικοῖς οὕτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται κόππα. Ex his constat legendum τὸ G pro eo quod est in editis, τὸ κ'. In Alphabetis Græcorum post πῖ sequebatur ea nota G, quæ *coppa* vocabatur, & nonaginta significabat. Hesychius: Κοππατίας ἵππος κεκαυμένος, ἐντετυπωμένον ἔχων σημεῖον τὸ κόππα, ὅ ἐστιν ἀπεστραμμένοι Ρῶ καὶ Σ. Illud τὸ Σ vitiosum est. Videtur quippe confundere notam numeri DCCCC cum coppa, quæ nota est numeri XC. Nam character numeri DCCCC sigma erat inversum. Rectius idem Hesychius alio loco: Κάππα, τινὲς δὲ τὸ ἐλάχιστον οὐκ εὖ καὶ γὰρ παρὰ Καλλιμάχῳ γέγραπται κόππα τὸ ἀπεστραμμένον Ρῶ, ὡς ὁ μυκτηρισμός. Hæc insignia sunt. Callimachus κόππα posuerat de re nihili, & nos

& nos ponimus τὸ ϙ, quæ numeri nota eſt. Quidam κάππα literam eodem ſenſu exponebant, quos reprehendit Heſychius, nam τὸ κόππα ſcribitur apud Callimachum, non κάππα. Dicit igitur, τὸ κόππα eſſe Ρῶ inverſum. Hoc modo apud vetuſtiſſimos Græcos pingebatur q, quæ forma eſt Latini q: recentiores Græci paulo aliter eam pinxerunt non clauſam ad hunc nempe modum G. Et ſanè ex coppa Græcorum & formam & nomen literæ ſuæ q Latini ſumpſerunt, eumdemque ordinem in alphabeto eorum obtinuit, quem apud Græcos coppa. Nam poſt Πῖ ſtatim ponebatur, ut ex Ariſtophanis ſcholiaſte conſtat verbis illis, quæ ſuprà emendavimus, ubi τοῦ σημείου τοῦ προηγεῖσθαι τὸ κόππα ſcribit. Male igitur in Græcorum Alphabeto veteri vir magnus τὸ κόππα poſtponit τοῦ ϡ. Victorinus: *Sed ne G quidem, nec q Latinus ſermo introduxit: ex quibus & q fuiſſe apud Græcos, & quaſi deſierit fungi vice literæ cognoſcere poteſtis, ſi Pontificum libros legeritis. Nunc enim apud Græcos juxta* Πῖ *eſt poſita.* Τὸ κόππα apud Græcos olim vice literæ functum eſſe inter grammaticos convenit. Scaurus de orthographia: q *litera æquè retenta eſt propter notas, quod per ſe poſita ſignificaret quæſtorem, & quia cum illa V litera conſpirat, quoties conſonantis loco ponitur, id eſt, pro Vau litera, ut quis & qualis: unde & Græci* κόππα, *quod pro hac ponebant, omiſerunt, poſtquam uſu quoque quo auxilio ejus literæ non indigebant, ſupervacuum viſum eſt.* Malè ſcriptum eſt κάππα. Ergo κόππα vicem literæ olim apud Græcos fungebatur, poſtea ab uſu veluti ſupervacuum rejectum eſt. Hinc τὸ κόππα ἀντὶ τοῦ ἐλαχίστου, pro re nullius momenti uſurpavit Callimachus. Ut ex κάππα Græco fecerunt ſuum K, quod pronuntiabant Ka, veluti dimidiatum κάππα, ſic ex κόππα quod erat converſum Ρῶ, quodque hoc modo pingebatur q, Latini veteres figuram q mutuati ſunt, & extulerunt veluti dimidiatum κόππα *qu.* Etenim illud Q, quod eſt veluti circulus caudatus, non fuit in uſu apud antiquiſſimos Latinos, ſed *q* ſcribebant quod eſt ἀντεστραμμένον Ρῶ & κόππα Græcorum. Velius Longus tradit, ſi antiqua hujus literæ figura ſpectetur, eam oſtendere C eſſe & V pariter literas in ſe confuſas. Ergo ita eam ſcribebant ϙ ı. quæ figura C & V confuſum præfert. Latini quum omnium literarum nomina & formas è Græcis expreſſerint, dimidiatas eas tantum in pronuntiando efferebant. Auſonius:

Dividuum Betæ monoſyllabon Italicum Be.

Quod & in aliis non tantum literis, ſed etiam vocibus fecerunt. Ut ἀπὸ *ab*, ὑπὸ *ſub*. Quæ apocopæ ſollemnes Æolum fuerunt, qui Aborigines Latinorum extitere. Ut δῶ pro δῶμα, κρὶ pro κρίμνον, & ſimilia ſexcenta. Dores ſigma literam vocarunt σᾶμα, quæ vox notam, vel literam ſignificat. Heſychius: σᾶμα, μνῆμα, Δωριεῖς καὶ στοιχεῖον. Inde Æoles Σὰμ & Σὰν pro ſigmate dixerunt. Sed de his nos alibi. Κοππατίαι igitur equi dicti, qui coppa inuſtum armo, vel femori gerebant, hoc eſt Ρῶ converſum, vel figuram Latini *q.* ut σαμφόραι, qui Σὰν, id eſt, ſigma notati erant, quæ effigies eſt Romani C. At Græci grammatici recentiores adeo neſciverunt quid eſſet κόππα aut Σὰν Græcorum veterum, ut vulgo ἀνώνυμον σημεῖον appellarent, quod antiquis κόππα diceretur, qui character fuit numeri xc. Auctor incertus Græcus, qui περὶ ψηφοφορικῆς ἐπιστήμης ſcripſit, & rationem tradidit antiquam per digitorum geſticulos computandi, ita ſcribit, τὸ ς', hoc eſt, characterem numeri VI ἐπίσημον vocari, & G ἀνώνυμον σημεῖον ἐννενήκοντα, Καὶ ὁ λεγόμενος χαρακτὴρ τὰ ἐννεακόσια. Non mirum igitur ſi κοππατίας & σαμφόρας equos pravè interpretati ſunt. Videntur & Σὰν literam pro nota numeri DCCCC accepiſſe, quum ſigma ſignificarit. At character ille numeri ſigma fuit converſum cum Πῖ adfixo. Ceterum non ſolus Alexandri equus Bucephalus dictus ab inuſta nota capitis, ſed omnes equi ſic vocabantur, qui eadem inſignis origine notati fuerant. Scholiaſtes Ariſtophanis: οὐ γὰρ Βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχαράχθαι, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ὁ ἵππος ἦν. Heſychius: Βουκέφαλος ἵππος ἐγκεχαραγμένος ἔχων τοῖς ἰσχίοις βούκρανον, καὶ ὁ Ἀλεξάνδρου ἵππος, ἀφ' οὗ πόλιν ἐν Ἰνδοῖς λέγεται κτίσαι Βουκεφάλειαν. Quæ oſtendunt vulgo tunc equorum armis

A ac femoribus taurini capitis effigiem imprimi ſolitam.

Seu quod è fronte ejus quadam extantium corniculorum mina protuberabant] In quibuſdam libris vox *extantium* non habetur. In aliis legitur, ſed interpolata. Scimus id accidiſſe ex editionum diverſitate. In altera ſcripſerat: *Seu quod è fronte ejus quadam extantia cornicula protuberabant.* In altera poſuit: *Seu quod è fronte ejus quadam corniculorum protuberabant minæ.*

Accepto regio ſtratu neminem unquam alium præter dominum vehere dignatus eſt] Plinius, à quo hæc omnia: *neminem hic alium quam Alexandrum regio inſtratus ornatu recepit in ſedem, alios paſſim rejiciens.* In optimo Rigal-

B tiano ſcribitur: *alios paſſim recipiens.* Scribendum ajo: *alias paſſim recipiens.* Quum alias paſſim ſeſſores reciperet, quum regio inſtratus erat ornatu, neminem recipiebat in ſedem. Eam lectionem confirmat & heic Solinus: *Cum ab equario ſuo alias molliter ſederetur, accepto regio ſtratu neminem unquam alium præter dominum vehere dignatus eſt.* Non ab equario ſuo tantum ſederi patiebatur, ſed ab alio quolibet, ſi modo ſtratu regio ornatus non eſſet. Hic ſenſus Plinii.

Soſpitem ope ſua extulit] Sic libri noſtri. Nec rejiciendum quod erat in vulgatis: *opera ſua.* Plinius: *idem in præliis memoratæ cujuſdam perhibetur operæ.*

C *Et ſupremis ſepulcrum daret.*] *Suprema* ſunt reliquiæ corporis, τὰ λείψανα, ut alibi docuimus. In altera editione fuit: *& ſuprema ornaret ſepulcro,*

Quam in nominis memoriam Bucephalam nominavit.] Quidam *Bucephalam*, alii *Bucephaleam* hanc urbem nominarunt. Stephano & Heſychio Βουκεφάλεια. Straboni Βουκεφαλία lib. XV ſed mendoſe pro Βουκεφάλεια. Ubi & Bucephalan equum dictum cenſet ἀπὸ τοῦ πλάτους τοῦ μετώπου. Plinio *Bucephala*, quem heic noſter ſequitur. Βουκεφάλεια & Βουκεφάλη, ut Εὐρώπεια & Εὐρώπη, Κασσιόπεια & Κασσιόπη, Καλλιόπεια & Καλλιόπη. Agellius *Bu-*

D *cephalen* nominat, id eſt, Βουκεφάλην.

Pag. 53. D. *Sicut ante Veneris genitricis ſimulacrum eadem hac effigie locatus eſt.*] Varietas ſcripturæ ex gemina editione hanc lectionem peperit. In pleriſque enim codicibus ita lectum eſt: *Sicut ante Veneris genitricis ſimulacrum, ædem, hac effigie locatus eſt.* Alterutrum retinendum eſt. Plinius: *hac effigie locatus eſt ante Veneris genitricis ædem.* Atque ita in noſtris melioribus ex editione recognita. In altera, ut videtur, ſcripſerat: *ante Veneris genitricis ſimulacrum.* Quod non idem eſt.

Regem Scytharum cum ſingulari certamine interemptum] Apud Plinium hæc hiſtoria ita deſcribitur: *Scythæ qui-*

E *dem equitatus equorum gloria ſtrepunt. Occiſo denique ipſorum regulo ex provocatione dimicante, hoſtem quum victor ad ſpoliandum veniſſet, ab equo ejus ictibus morſuque confectum.* Non uno vulnere confectus eſt hic locus, ut oſtendunt libri. In his legitur, *Scythici equitatus*, non Scythæ. Iidem, *&*, particulam non habent. Deinde legunt ſtatim *crepetunt* pro *ſtrepunt.* Mox carent illis vocibus, *denique ipſorum.* Totum hunc locum ſic conſtituo ut ſanus ſit: *Scythici quidem equitatus equorum gloriam hac repetunt occiſo regulo ex provocatione dimicante, hoſtem cum victor ad ſpoliandum veniſſet, ab equo ejus icti-*

F *bus morſuque confectum: alium detracto oculorum operimento, & cognito cum matre coitu petiiſſe prærupta atque exanimatum.* Nihil verius hac emendatione. Hæc duo exempla de equis memorabilia ac miranda ad gloriam equorum Scythici equitatus ait pertinere. E quibus unus domini interemptorem morſu & calcibus confecit: alter quod matrem inire coactus fuiſſet oculis opertis, ubi detectis id cognovit, præcipitio ac ruina ſpontiva vitam finiit. Ultimam hiſtoriam apud Ariſtotelem legere eſt lib. IX. cap. XLVII. Hiſt. Anim. qui eum equum regis cujuſdam Scytharum fuiſſe dicit. Multi poſt Ariſtotelem eamdem repetierunt, ut Oppianus, & alii. Res quippe celebratiſſima. Sequitur

G apud Plinium: *Equæ eadem ex cauſa in Reatino agro laceratum prorigam accepimus.* Libri: *æqua ex cauſa.* Quod fortaſſe verum. Sed melius: *qua ex cauſa in agro Reatino laceratum prorigam accepimus.* Narrat id Varro lib. de R. R. II. Sed *perorigam* vocat qui Plinio *proriga.* Vera lectio in Varrone *preoriga*, id eſt, *præoriga.* Ab uro *urica* idem quod *urigo*, vel ὀχεία: ut à *pavio pavica, pavicula.* Juvenalis:

Tu tibi nunc urica places.

Hinc *praurica* qui præest urigini equorum, ὁ τῆς ὀχείας ἐπιμελητὴς, ἐπιβιβαστὴς. Pro quo corrupte *praoriga* & *proriga*: ut *prorogare*, & *prorogator* dispensator pro *praerogare*. Sic *origo* pro *urigo* apud Arnobium lib. v. *Semeleiæ subolis origo contorsit*, id est, urigo. Quod pro prurigine coitus posuit.

Agrigentina regio frequens est equorum sepulcris.] Ex Plinio: sed paulo aliter Plinius: *Agrigenti complurium equorum sepulcra pyramides habent.*

Quod supremorum munus meritis datum creditur.] Hæc librorum quorumdam lectio est. In aliis: *quod munus supremitatis meritis datum creditur.* Quæ γραφὴ est recognitæ editionis. Ammianus, qui multa ex nostro sumpsit, tam verba quam res, id imitatus est lib. XXXI. *Nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse.*

Voluptates his inesse circi spectacula prodiderunt.] Ut hoc verum probet, subjicit: *quidam enim equorum cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accensis facibus provocantur ad cursum.* Quæ perridicula sunt & absurda falsaque. Ubi cantus tibiarum, ubi saltationes in circo? Quis meminit unquam saltationibus equos ad cursum provocari? Quibus saltationibus? Utrum quas spectant, an quibus ipsi saltant? Equi saltantes non currunt. At saltationibus pantomimorum, aut choreas ducentium equos incitari ad cursum prorsus inauditum est. Hoc de saltatione equorum adumbratum ex Plinianis eo capite, quod totum fere huc transcripsit Solinus, ubi sic ait: *docilitas tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moveri solitus inveniatur.* Hinc tibiarum cantus & saltationes sumpsit Noster, quibus ad cursum equi provocantur. Et vide jocularem hallucinationem. Equos ad symphoniæ cantum saltatione moveri solitos interpretatus est eos, qui ad cursum provocari soliti erant tibiarum cantu & saltationibus. Et *moveri saltatione* sic accepit, quasi idem esset quod saltatione moveri & incitari ad cursum. Quod est prodigiose absurdum. Quis nescit *moveri* pro saltare Latinis tralaticium esse? Horatius:

Ut festis matrona moveri jussa diebus.

Persius:

Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli,

id est, saltes. Hinc *motus* pro saltationibus apud poëtam:

Dant motus incompositos.

Pleni exemplorum auctores Latini. Sic *moveri saltatione ad symphoniæ cantum* est ὀρχεῖσθαι πρὸς αὐλοῦ συμφωνίαν. Quod de equis Sybariticis dixit Plinius, qui saltare ad tibias condidicerant. Athenæus de Sybaritis: εἰς τηλικοῦτον ᾗ ἦσαν τῆς τρυφῆς ἐληλακότες, ὡς καὶ τοὺς ἵππους ἐθίσαι πρὸς αὐλὸν ὀρχεῖσθαι. At nihil ad circi spectacula & curricula istæ saltationes equorum attinent, ut neque quod heic addit, facibus accensis ad cursum provocari. Nec enim faces in circo accendebantur incitandis equis. Quis tam patiens qui hoc illi possit ignoscere? Etiam vide quemadmodum ratiocinetur. Voluptatem equis inesse circi spectacula prodiderunt. Cur hoc, aut unde? Quia equorum quidam cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli accensis facibus accenduntur. Ergo ex his quidam delectantur tibiis, alii saltatione, alii colorum varietate, alii accensis facibus. Atqui hæc omnia quorum voluptate capiuntur equi plerique, magis ad eos retardandos, quam accelerandos & ad cursum ciendos valere possunt. Cervi fistulis & tibiis, quas libenter audiunt, decipi solent & capi, quia his fuga eorum sistitur. Tigres objectu vitreæ pilæ tardantur. Atalantam poma jacta vincendam præbuere Hippomeni. Quarum rerum voluptate capimur, vel oculis vel auribus, in iis vel spectandis, vel audiendis defixi stupidique hæremus. Quanto melius Plinius de equis: *Nam in circo ad currus juncti non dubie intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* Hic diversa miscuit & ἀσύγκλωστα contexuit, dum videri vult non ab eo auctore accepisse quem compilavit. Nihil certe in his cohæret, nec αἴτιον τῷ αἰτίῳ respondet, & mirificè nugatus est.

Pag. 53. E. *Cum prælio Antiochus Galatas subegisset, Cintareti nomine ducis.*] Ex hoc loco constat legendum esse in Plinio: *Phylarchus refert Centareto è Galatis in prælio occiso, Antiochum potitum equo ejus conscendisse ovantem.* Et sane pro *Centaretum* Pliniani codices habent *Centaretro me Galatis*: ex quo fecerunt, *Centaretrum è Galatis.* An legendum, *Centareto duce è Galatis*? Ita sane videtur Solinus legisse. Hujus libri *Cintaretum* vocant hunc ducem Galatarum. Sic enim in omnibus, quos vidi, quosque alii viderunt, scriptum est, *Cintareti nomine ducis.* Æliano dicitur Κεντάρετος, *Centoratus.*

De industria cernuatus ruina pariter se & equitem adfligeret.] Ita reposuimus ex libris, quum extaret in editionibus; *quum de industria curvatus.* Cernuat, vel cernuatur equus, qui pedibus prioribus deficientibus in faciem ruit. Quod aliquando fit cum pernicie sessoris, sed sæpius sine periculo. Poëta:

Tollit se arrectum quadrupes & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse sequutus,
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.

Τὸν ὀρθοπλῆγα Græcorum expressit. Grammatici: ὀρθοπλὴξ ἵππος ἐπαιρόμενος, καὶ πλήσσων. Qui arrectum equus se tollit, est ὀρθοπλὴξ. Non tamen semper cernuant, qui in altum sese erigunt equi. Hæc quippe invicem contraria sunt ὀρθοπλὴξ & *cernuus.* Est ubi utrumque faciunt equi. Postquam in sublime sese erexere, mox cadunt cernui. Aristophanes de equo difficili ac moroso: ὁ δ' ὀρθοπλὴξ πέφυκε, καὶ δυσγάργαλις. Latini *sternaces* dixerunt. Glossæ: ὀρθοπλὴξ, *senax.* Lege: *sternax.* Ita dicitur equus qui sedentem sternit. Sed quomodocumque equitem effundat equus sive erigendo se, sive cernuando, *sternax* potest vocari. Poëtæ:

Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.

Intelligit *cernuum*, non ὀρθοπλῆγα. *Cernui* pueri in ludis dicebantur, qui capite in solo sistebant, pedibus in aërem erectis. Servius: *Unde & pueros, quos in ludis videmus, ea parte qua cernunt stantes, cernui vocantur, ut Varro docet in theatralibus.* Græci κυβιστητῆρας vocant: & *cernuare*, κυβιστᾶν. Idem Servius cernuum equum interpretatur qui in faciem cadit, quasi in eam partem ruens qua cernimus. *Ruina equi*, & *ruere equus* etiam dicitur qui sic cadit. At equus Centareti non simpliciter cernuatus est, & Antiochum domini interfectorem, à quo ovante insessus fuerat, solo effudit, sed ore contumaci abreptus domitis frænis per abrupta præcipitem traxit, seque una exanimavit. Clare Plinius: *at illum indignatione accensum domitis frænis ne regi posset, præcipitem per abrupta isse, exanimatumque una.* Est quod vulgo de equis dicimus, *prendre le frain aux dents*, quum regi non possunt, nec teneri, sed contra fræna tendunt, eaque pervincunt ac domant. Mentem auctoris sui non pervidit Solinus his verbis: *adeo sprevit lupatos, uti de industria cernuatus se & equitem pariter ruina affligeret.* Quamlibet frænis patientiam equu præstet, sæpe tamen cadit ac cespitat. An *cernuari* hoc loco Solinus posuit pro in præceps se dare & per abrupta ruere capite prono, ut faciunt petauristæ. Nam & glossæ *cernuum* interpretantur πεταυριστήν. Ita etiam videtur hoc verbum usurpasse suprà de tigribus, quæ si quando raptores catulorum suorum renavigantes vident, *in littore irrita rabie cernuantur, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina.* Quo loco etiam quid dicat nescit. Nam Plinius, *irrita rabie in littore sævire*, pro illis dixit. An ille voluit tigres è littore præcipites in mare sese dare, & sic extingui voluntaria ruina? Hoc verbum eo sensu usurparunt recentiores, *cernuari* pro in præcipitium se dare. Non hic Plinii tamen sensus: *cernuari* tamen simpliciter hoc non potest significare, nisi addatur, *per prærupta*, aut *in præceps.* At *ruina equi* Latine loquentibus etiam passim dicitur de simplici equi casu. Servius de equite qui equo cernuante lapsus fuerat: *& hoc dixit postquam respiravit & mentem recepit*, post turbationem *ex equi venientem ruina.* Glossæ Isidori: *cernulus, in caput ruens.* Glossarium Arabicolatinum: *cernuo, humiliter me inflecto.*

Cum effuso rectiore quadrigæ currus æmulos non minus astu quam velocitate præverterent.] Correximus *currus æmulos.* Nam editiones omnes perverse habent, *cursus æmulos.* Locus Plinii, unde hic factus est, miserrime in editis conta-

vulgo legitur: *Claudii Cæsaris sæcularium ludorum circensibus excusso in carceribus auriga albati equi palmam occupavere, primatum obtinuere, opposita effundentes, omnia quæ contra æmulos debuißent peritissimo auriga insistente facientes, quum puderet hominum artes ab equis vinci, peracto legitimo cursu ad metam stetere.* Quale est illud, quod palmam a principio eos occupasse dicit, cum ultimum id esset post peractum legitimum cursum? Libri ipsi veteres etiam hac in parte inquinatissimi sic hæc concipiunt: *Excusso in carceribus auriga alvat hic quo Corace occupavere primatum obtinuere, opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos quæ debuissent percussi modo auriga insistente facientes.* Totus locus ita mihi videtur constituendus: *excusso in carceribus auriga Albati equo Corace occupavere, primatum obtinuere, opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos quæ debuißent peritissimo auriga insistente facientes.* Hæc per partes explicanda. Nam multa circensium in his vocabula artis illius aurigatoriæ propria, quæ nondum quisquam exposuit. *Corax* equus dictus in illa quadriga præcipuus. In circensibus nomina equis indebantur vel à colore, ut *Corax*, *Maurus*, *Badius*: vel à celeritate, ut *Tigris*, *Incitatus*, *Volucris*, quæ nomina sunt equorum olim circi nobilitata palmis: vel à gente, ut *Cappadox*, *Parthus*: vel ab insigni aliquo sive genitivo, sive inusto, ut olim *Bucephali*, *Samphoræ*, *Coppatiæ*. Ab aliis etiam rebus nomina habuere. Nam multa in his lascivia, ac deliciæ veterum. Certè omnium equorum, qui circo committebantur, sua fuere nomina quibus appellabantur, ut ex auctoribus constat, & veterum inscriptionum monumentis, quæ indices continent equorum circensium cum suis nominibus. Apud Martialem nomina sunt equorum tum circo celebrium:

Utrumne currat Passarinus an Tigris.

Et alio loco:

Tigrim vince levemque Passarinum:
Nulla est gloria præterire asellos.

Ita hoc loco *Corax* equus à nigredine pili corvina sic fortasse dictus. Mentio est apud Pausaniam quadrigæ cujusdam olympiacæ, qua vicit Cleosthenes olympiadem sextam & sexagesimam, qui aurigæ & equorum imagines dedicavit adscriptis nominibus, eorum unus etiam vocabatur Κόραξ. Adponam hic ejus verba ex Eliacis: ἀνέθηκε δὲ ὁμοῦ τοῖς ἵπποις αὐτοῦ, καὶ εἰκόνα καὶ τὸν ἡνίοχον· ἐπιγέγραπται δὲ καὶ τῶν ἵππων τὰ ὀνόματα, Φοίνιξ καὶ Κόραξ, ἑκατέρωθεν δὲ οἱ παρὰ ζυγὸν, κατὰ μὲν δεξιὰ Κνακίας, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Σάμος. Ubi equus Φοίνιξ à colore sic dictus, quem Latini *badium*, vel *spadicem* appellant. Servius *phœniciatos* vulgo vocatos hujusmodi equos notat, à colore palmarum phœniceo. Κνακίας similiter à colore. Hesychius: Κνακὸς ψαρὸς ἵππος. Græci ψαρὸν χρῶμα dicunt τὸ ποικίλον ab ave sturno, qui albas maculas in nigro, vel rufo habet. Hesychius: ψαρὸν, ποικίλον, σποδοειδές. Idem ψαροὶ, ποικίλοι, εἶδος χρώματος. Straboni ἵπποι ὑπόψαροι. Hi sunt quos Latini *guttatos* dixere. Vide Isidorum. Ergo hic color etiam κνακὸς dicebatur teste Hesychio, & inde Κνακίας ἵππος. Hic grammaticus τὸν κνακὸν modo πυῤῥὸν, modo λευκὸν interpretatur. Κνακὸν, λευκὸν, πυῤῥόν. Sic legendum, non πυρὸν. Idem est & κνηκὸς, quod Dorice κνακὸς dicebatur: Κνηκὸς, λευκὸς, καὶ εἶδός τι σπέρματος καὶ πυῤῥός. Male heic etiam editur, πυρός. Mirum est tam diversos colores *album* & *rufum* hoc eodem nomine designari. Immo minime mirum. Κνηκὸν vel κνακὸν χρῶμα appellationem sumpsit à *cneco* herba. Ita Græci vocant κνῆκον, quem libri hodie nostri *cnicum* & κνῖκον appellant. Atqui κνῆκος scribendum & *cnecus* auctoribus vetustissimis libris, tam Græcis quam Latinis. *Cartamum* vocant officinæ. Hujus flos luteus, sive croceus. Hinc κνηκὸν pro luteo colore: semen autem habet candidum. Inde rursus κνηκὸν pro albo dixere quidam. Hesychius: Κνηκὸν τὸ κροκίζον χρῶμα ἐπὶ τοῦ ἄνθους, ὅτε δὲ ἐπὶ καρποῦ τὸ λευκὸν. Apud Theocritum κνάκων ὁ Λιβυκὸς hirci nomen non albi sed rufi. Atqui Dioscorides semen cneci non album tantum facit, sed etiam rufum: ἄνθος κρόκῳ ὅμοιον, σπέρμα λευκὸν καὶ πυῤῥὸν ἐπίμηκες. Quæ verba perperam de mendo suspecta habent doctissimi viri. Quibus verbis clarissimè innuit cneci semen albo & rufo mixtum esse. Nec enim dicere vult, hoc semen aliubi candidum, aliubi rufum reperiri. Ita quippe scripsisset, σπέρμα λευκὸν ἢ πυῤῥὸν, ut de leucoio & eryngio, & aliis scripsit. Vetustissimus Dioscoridis codex sic planè scriptum exhibet λευκὸν καὶ πυῤῥόν. Cujus codicis ope ita etiam legendus ille locus, qui in vulgatis non rectè habet: γίνεται δὲ καὶ κοπτάρια κοιλίας μαλακτικὰ δι' αὐτοῦ πιεσθέντος; καὶ μιχθέντος ἀμυγδάλοις, καὶ νίτρῳ καὶ ἀνήσῳ, καὶ μέλιτι ἑφθῷ. Dicit ex semine cneci contuso & mixto amygdalis nitro, aneso & melli cocto fieri placentas ad solvendam alvum. Vulgo legitur: μαλακτικὰ κοιλίας τοῦ ὀποῦ αὐτοῦ μιχθέντος. At notio placentarum ejusmodi, quæ κοπταὶ dicebantur, quod ex speciebus contusis fierent, ut sunt quos *macarones*, aut *massapanes* dicimus. Hæc obiter. Quod igitur semen cneci albo & rufo mixtum esset, ideo κνακὸν Hesychius ψαρὸν ἵππον interpretatur. Sic igitur equi albi vocabantur, rufis vel nigris maculis sparsi, qui Latinis *guttati*, id est, *albi nigris intervenientibus punctis*. Sic *guttatæ* Numidicæ. An Dioscorides λευκὸν καὶ πυῤῥὸν de pallido rufo dixit? Non putem. Sed hæc viderint Herbarii. Κνακὸν pro albo multi dixere. Hinc κνὰξ pro lacte in Symbolica veterum Theologia, his verbis quæ leguntur apud Clementem Stromate quinto: Βέδυ, Ζὰψ, χθὼν, πλῆκτρον, σφίγξ κνὰξ ζβὶχ, θύπτης, φλεγμὸς, δρώψ. Ubi κνὰξ quidam interpretabantur morbum ἀπὸ τοῦ κναίειν. Alii lac. Hesychius: κνὰξ, γάλα. Sic autem distinximus apud Clementem, ubi vulgo habetur, κνὰξ ζβὶ, χθύπτην. Ibi quippe κνὰξ ζβὶχ lac album significat juxta quosdam. Hesychius: ζβὶχ, λευκόν. Thespis tragicus ita accepit his versibus, qui extant apud eumdem Clementem, sic emendandi ac digerendi:

Ἴδε σοι σπένδω κνὰξ ζβὶχ λευκὸν
Ἀπὸ θηλαμόνων θλίψας κνακῶν,
Ἴδε σοι θύπτην τυρὸν μίξας
Ἐρυθρῷ μέλιτι, κατὰ τῶν σῶν Πὰν
Δίκερως τίθεμαι βωμῶν ἁγίων
Ἴδε σοι Βρομίου αἴθοπα φλεγμὸν
Λείβω.

Verba illa veteris ænigmaticæ Theologiæ ita Thespis interpretatus erat, κνὰξ ζβὶχ de lacte albo, *expresso ex matribus rufis*: ἀπὸ θηλαμόνων κνακῶν. Vaccas ita vocat quæ rufæ sunt. Hesychius: θηλαμῶν, τροφός. Albas etiam vaccas liceat exponere. Θύπτην idem Thespis caseum exponit. Hesychius: θύπτης, τύρος. At φλεγμὸς est sanguis. Idem: φλεγμὸς, αἷμα. Hinc αἴθοπα φλεγμὸν Βρομίου de vino accepit. Sed de his nos alibi. Κνακοὶ θηλαμόνες sunt vaccæ albæ vel rufæ. Hesychius κνῆκιν μελανίαν etiam exponit, à cneci agrestis semine, quod nigrum esse tradit Theophrastus his verbis: τῆς κνήκου δύο εἰσὶ γένη, ἡ μὲν γὰρ ἀγρία, ἡ δ' ἥμερος. Τῆς δ' ἀγρίας δύο εἴδη, τὸ μὲν περοστιμφερὲς σφόδρα τῷ ἡμέρῳ, πλὴν εὐθυκαυλότερον. Διὸ καὶ πηνίοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. Καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα, καὶ μέγαν, καὶ πικρόν. Quæ verba Plinius Latinè reddidit lib. XXII. cap. XV. Sed inter herbas Ægypti peculiares eam recenset, magno errore, κίκι confundens cum cneco: *Multas præterea ignobiles habent, sed maxime celebrant cnecon Italiæ ignotam, ipsis autem oleo non cibo gratam. Hoc faciunt è semine ejus.* Turnebus legebat *cici*: ex cujus semine oleum apud Ægyptios exprimebatur. Sed sequentia non possunt de cici accipi, quibus *cnecos* plane ex Theophrasto describitur: *differentia prima, silvestris & mitior. Silvestrium duæ species, una mitiori simili caule, tamen rigido. Itaque & colu antiquæ utebantur ex illis. Quare quidam atractylida vocant, semen candidum, grande & amarum.* Ita hæc legenda ex libris. Sed mirum semen candidum hujus silvestris cneci facere Plinium, quod disertè Theophrastus μέλαν esse dicit. Confundit sativum cnecon cum silvestri. Πήνια vertit *colum*; atqui πήνια sunt fusi. Epigramma antiquum:

--- καὶ τὰ τροχαῖα
Πάνια.

Catullus:

Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Theophrastus ἀτρακτυλίδα diversam facit ab eo cneco agresti, quo mulieres ἀντὶ πηνίων utebantur. Plinius ex alio

alio auctore, cujus ſententiam immiſcet verbis Theophraſti, ideo ἀτρακτυλίδα dictam autumat, quod πηνίοις ex ea factis uterentur mulieres. Certe ἀτρακτυλ@ idem quod πήνιον, parvus nempe ἄτρακτ@. Ut ut ſit, aperte Plinius cici cum cneco confudit. Κνακὸς igitur color à cneco, qui Dorice κνᾶκ@. Unde κνακίας ἵππ@ in quadriga Cleoſthenis: ut & κόραξ in eadem à coracino colore. Nunc illud diſquiſitione dignum, quum quatuor equi eſſent in illa quadriga, quæ ludis Circenſibus Claudii Cæſaris excuſſo in carceribus auriga, ſola per ſe vicit, cur unius tantum equi nominatim meminit Plinius, cui & titulum victoriæ ac palmæ adſcribit, quaſi hujus unius ope & opera reliqui vicerint. Equo ſingulari certaſſe non eſt dicendum. Nam quadrigam fuiſſe clarum eſt, & diſertè ita Solinus accepit. Ex more circi & inſtituto id feciſſe Plinium exiſtimandum eſt. Ex quatuor equis unum veluti palmæ auctorem præcipuum numerare ac nominare conſueverant agitatores, cum ſcilicet ex quo victoria potiſſimum pendebat, quique plurimum ad eam adipiſcendam faciebat. Hujus conſuetudinis planè pleneque expreſſa veſtigia apud Silium Italicum lib. XVI reperire eſt, quo loco ludos à Scipione celebratos in Africa memorat. In his ludis currili certamine quatuor agitatores certaverunt, *Cyrnus*, *Iberus*, *Durius* & *Atlas.* Totidem currus quadrijuges in ſingulis recenſendis quadrigis, non quatuor equos ſed unum duntaxat nominat. De quadriga Cyrni, quæ prima exiit, ſolum Lampona nomine nuncupavit.

Evolat ante omnes, rapidoque per aëra curſu
Callaicus Lampon fugit, atque ingentia tranat
Exultans ſpatia, & ventos poſt terga relinquit.

Solo Lampone equo nominato totam quadrigam deſignavit. Ita in aliis. Nam ſimiliter Iberi currum *Panchatis* equi nomine ſolo intellexit. Is proximus ſequebatur:

Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci diſtans, ſed proximus ibat
Aſtur Panchates, patrio frons alba nitebat
Inſigni, & patrio pes omnis concolor albo.

Sic legendum. Indicat Aſturicos equos vulgo macula alba frontem inſignitam habere, & pedes primores albos: mox addit:

Cinyphio rector cocco radiabat Iberus.

Atlantis quoque agitatoris currum, qui quarto loco exierat, ſolo Campaſo equo nominatim laudato expreſſit:

Campaſus antiquo fidebat Atlante magiſtro,
Ipſumque Ætolo Diomedi condita Tinde
Miſerat.

Campaſus unus equus, illi currus eſt. Sic ſcribendum, non *Camphaſus.* Καμπασὸς à καμπάζειν. Ut Κρυγασὸς à κρυγάζειν: Γογγυσὸς, à γογγύζειν. Ita vocatus eſt equus à molli membrorum flexu. Poëta:

---- *& mollia crura reponit.*

Vel à peritia metæ camplandæ. In toto illo denique certamine circenſi apud Silium ſolos eos equos alloquuntur aurigæ, eoſque maxime adhortantur, accendunt & concitant, veluti in quorum opera certam victoriæ ſpem ſitam ac conſtitutam haberent, ex aliis equis minime expetendæ, nec expectandæ. Ita accipiendum eſt in veteri inſcriptione: *Cum Fortunatus factionis Venetæ in victore Tuſco victor.* Et paulo poſt: *in Abigejo victor eminuit.* Item in eadem: *in Bubalo vicit.* Et ſtatim: *in Pompejano victor.* Quæ nomina ſunt equorum, quibus illi agitatores vicerunt. Apud Martialem Paſſerini & Tigridis nominibus, qui in illa ætate equi fuerunt celeberrimi, duas quadrigas intelligi debere certum eſt, in quibus equi illi funales ſiniſtri erant:

Adeoque mentes omnium tenes unus,
Ut turba magni ſæpe neſciat circi
Utrumne currat Paſſerinus an Tigris.

Non illi equi ſingulares currebant, ſed in curru juncti. Per Paſſerinum itaque intelligit currum, in quo Paſſerinus fuit præcipuus equus. Idem dici oportet & de Tigri. Quadriga erat, in qua Tigris equus primus. Ita heîc apud Plinium Albati equo Corace viciſſe dicuntur, quum Corax equus unus eſſet ex quatuor ad illum currum junctis. Nunc quærendum eſt, è quatuor equis quadrigæ quiſnam plurimum ad victoriam conferre crederetur, cui titulus palmæ adſcriberetur, & cujus nomine tota quadriga deſignaretur. Quadriga, ut notum eſt, quatuor equis junctis conſtabat, quorum duo *jugales* erant, dexter ac ſiniſter: duo *funales*, dexter & ſiniſter. *Jugales*, qui intra jugum juncti, Græci ζυγίους appellant. Ariſtophanis interpres: ζύγιοι ἵπποι καλοῦνται οἱ ὑποβαλλόμενοι τῷ τοῦ ἅρματ@ ζυγῷ, ὁ μέσ@ δεξιὸς, καὶ ὁ μέσ@ ἀριστερὸς. Ex his intelligere potes, quomodo in quadriga equi olim jungi ſolerent. In medio duo jugales fuere inter utrumque funalem, ſic ut omnes quatuor equi æquata fronte irent. Ad latera itaque jugalium utrinque funales adnexi loro, quos σειραφόρους & σειραίους Græci, ſed & παρηόρους, & παρασείρους idcirco vocant, quod funibus ſcilicet alligari forent ad latus jugalium. At hodie ad currum ſic quatuor equi junguntur, ut non omnes conquaternati æquata fronte procedant, ſed bini funales conjuncti præcedant, ſubſequentibus binis jugalibus. Non ita apud veteres, ut paſſim in antiquis monumentis, nummis, annulis videre eſt. Et prius quidem quatuor equos ſic jungebant, ut duplici temone equis interjecto, perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Tum nullus in curru funalis equus fuit, ſed omnes jugales, quorum duo ſiniſtros temo unus interjectus continebat, duo dextros alter temo. Primus Cliſthenes Sicyonius rationem hanc immutavit, & uno temone currum fecit, ac medios tantum duos jugo junxit, eiſque ſingulos adjunxit ex utraque parte loro vinctos. Verba Iſidori, quibus hoc tradit, ſic legenda ſunt: *quadrigarum vero currus duplici temone olim erant, perpetuoque, & quod omnibus equis injiceretur jugo. Primus Cliſthenes Sicyonius tantum medios jugavit, eiſque ſingulos ex utraque parte ſimplici vinculo applicuit, quos Græci* σειραφόρους, *Latini funarios vocant.* Verba illa de duplici temone peſſime accipit liber de circo. Hinc ergo intelligi datur, cur Græci grammatici in expoſitione τῶν ζυγίων interpretentur τὸν μέσον δεξιὸν, καὶ τὸν μέσον ἀριστερὸν. Equi nempe jugales dexter & ſiniſter medii erant inter utrumque funalem. Ex his dexter funalis ad dextram fuit dexteri jugalis, ſiniſter funalis ad lævam jugalis ſiniſtri. Iſidorus *funarios* appellat, ut Hyginus *jugarios*, qui aliis jugales. Sic enim de equis ſolis: *Eos, per hunc cœlum verti ſolet: Æthiops, quaſi flammeus eſt, concoquit fruges. Hi funales ſunt mares. Fœminæ jugariæ, Bronte, quæ nos tonitrua appellamus, Sterope, quæ fulgetra.* Sic legendum, ubi vulgo legitur: *fœminæ locariæ.* Et notabis tibi fœminas *jugarias* locari, mares *funales.* Quod ad rem attinet. At in curru ſolis apud Euripidem tragœdia Phaëthonte viri docti perperam σειραῖον, id eſt, funalem pro ſirio aſtro ſuppoſuerunt. Verſus citati extant apud Longinum περὶ ὕψους. Cum Sol currum filio Phaëthonti dedit, præcipiebat illi quomodo regendus eſſet, & quæ terenda in cœlo orbita, ut rectum curſum tenere poſſet:

Ἔλα δὲ μηδὲ Λιβυκὸν αἰθέρ' εἰσβαλών,
Κρᾶσιν γὰρ ὑγρὰν οὐκ ἔχων, ἀψῖδα σὴν
Κάτω διήσει.

Et paulo poſt:

Ἵει δ' ἐφ' ἑπτὰ πλειάδων ἔχων δρόμον.

Hæc cum præcepiſſet nato pater, currum ille conſcendit, habenas in manus ſumit, & ſtimulatis lateribus equorum eos ad curſum incitat:

Τοσαῦτ' ἀκούσας χερσ' ἔμαρψεν ἡνίας,
Κρούσας δὲ πλευρὰ πτεροφόρων ὀχημάτων
Μεθῆκεν, αἱ δ' ἐπτάν τ' ἐπ' αἰθέρ@ πτυχὰς.

Cum jam currus iret, nihilo ſecius Sol adequitans & à tergo inſiſtens, non ceſſabat monere natum, ut hac vel illac currum ageret, hanc vel illam viam vitaret.

Πατὴρ δ' ὄπισθε νῶτα σειρίου βεβὼς
Ἵππευε παῖδα νουθετῶν ἐκεῖσ' ἔλα
Τῇ ῥὰ στρέφ' ἅρμα, τῇ δ' ἄρ' οὔ.
Sed pone genitor terga Sirii premens
Equitabat, inſtabatque, Nate, illuc age,
Hac verte currus, at cave iſthac flexeris.

Sic legendi hi verſus, ac ſupplendi ex vetuſtiſſimo codice. Qui νῶτα σειραίου βεβὼς legunt pro σειρίου, magnopere errarunt, nec minus ſanè in re minima quam Phaëthon ipſe in agendo patris curru. Conſcenderat jam ille Solis currum, & primo in temone, qui locus

aurigæ, sedebat, ante se agens equos junctos: pater à tergo equitat, insidens sirio, ut præcepta regendi iterum ingerat nato. At si funalis equi fingas eum dorso insedisse, quomodo ὄπισθεν ἱππεύειν, aut νώτεσθαι dici poterit? Nec enim equi ponè currum. Sirius sidus est de amplissimis, & post solem maximi splendoris, & quem cum sole oriri plerisque veterum persuasum fuit. Finxit igitur poëta Solem filio præscribentem, qua arte currum ipsius regeret, & quam in partem ageret, proximum sidus quotidianæ sollemnis curriculi orbitæ insedisse. Nihil verius. Adde quod σειραῖον, aut ζύγιον Græci absolutè vix dicunt de funali, aut jugali equo, sed semper ζύγιον ἵππον aut σειραῖον. Sophocles:

---- δεξιόν τ' ἀνεὶς
Σειραῖον ἵππον εἶργε τὸν προσκείμενον.

Chrysostomus in oratione de circo funales equos vocat ἀορτῆρας: pro quo perperam ἀκροτῆρες vulgatum est: Ἐν ᾧ ἅρματι ἵπποι λευκοὶ κατὰ τὸν Ζαχαρίαν, ζυγαῖοι μὲν, φῶς καὶ ἀθανασία: ἀορτῆρες, δικαιοσύνη καὶ ἀλήθεια. Et paulo post: Ἐν ἅρματι αὐτοῦ μέλανες, ὑποζύγιοι μὲν, ὁ ᾅδης καὶ θάνατος, ἀορτῆρες δὲ, σκότος καὶ ἀπώλεια. Utrobique ἀκροτῆρες editum est. Ἀορτὴρ & ἀορτὴς lorum, aut balteum significat, vel funem, vel cingulum. Inde ἀορτῆρες ἵπποι, *lorarii* & *funarii*. Ab eadem origine παρήοροι dicti, & τετράορον ἅρμα. Præcipui autem in quadriga equi funales. Ideo in curru Solis mares sunt *funarii*, fœminæ *jugaria*. Hinc στροφόρον Græci ἀντὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ posuere. Hesychius: στροφόρος οἰωνὸς, ἡγεμονικός. Idem: σειραφόρον, ἡγεμονικὸν, μετῆκται δὲ ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων. Ergo funales dextri in curru potissimi, utpote qui ducatum ceteris præbeant. Hoc in bellicis & aliis si forte curribus locum habuerit, in agonisticis & circensibus secus obtinuisse videtur. Quia enim ad sinistram meta esset circumflectenda, in eoque posita victoria, minimè dubium est, quin maximum ad palmam apiscendam momentum attulerint sinisteriores funales. Idcirco præstantissimus quadrigæ equus, & adprimè flecti facilis frænoque docilis, ac ceteris doctior ad funem sinister locabatur. Et quum ita fieri ratio planè postulet, id etiam auctorum testimonia evincunt. Silius in ludis Scipionis, cùm ceterarum quadrigarum unum duntaxat equum nominet, eúmque, ut par est intelligi, funalem sinistrum, in quadriga Iberi agitatoris duos funales nominatim commendavit, *Caucasum* & *Pelorum*. Versus ipsi, quibus eos laudat, sic legendi sunt:

Tertius æquatâ currebat fronte Peloro
Caucasus: ipse asper, nec qui cervicis amaret
Adplausa blandos sonitus, clausumque cruento
Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.
At docilis fræni, & docilis parere Pelorus
Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam.

Pessime habent editiones:

Æquata currebat fronte Poleno.

Duos, ut dixi, nominat funales in illo curru, *Caucasum* & *Pelorum*, illum dexterum, hoc est, δεξιόσειρον, hunc sinistrum, nunquam demum a meta aberrantem, sed doctum interiore orbe metam stringere. Eos æquata fronte ambos currere dicit, quia funalis uterque. In certamine ipso obeundo, ubi spes victoriæ allubescit, cui incumbendum est, tum Pelorum solum alloquitur & animare conatur agitator, ut ex quo victoria potissimum penderet:

Attonitus tum spe tantâ, genitore Pelore
Te Zephyro eductum, nunc nunc ostendere tempus.

Ergo & in ceteris quadrigis, qui soli totius currus nomine laudantur equi, de funalibus sinistris accipiendi sunt, utpote quibus victoriam acceptam referrent victores, spem victi quantamcunque vincendi habuissent, deberent. Id diserte ex *Panchate* equo colligere licet. Hunc solum equum pro curru secundi agitatoris nomine laudavit. Funalem sinistrum fuisse ex istis patet.

---- usque ad colla repente
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens
Concitat ardentem, quod ferret lora secundus,
Panchatem, vocesque addit cum verbere mixtas.
Tene Astur certante ferat quisquam æquore palmam
Erepto, consurge, vola, perlabere campum.

A Ex omnibus unum Panchatem urget & excitat ad palmam, quia ferebat lora secundus, id est, quia funalis erat sinisterior. Primus itaque funalis δεξιόσειρος, secundus sinister: ut primus jugalis ὁ δεξιόζυγος, secundus ἀριστερόζυγος. Notanda heic obiter insignis hallucinatio Silii, qui Diomedem Thraciæ regem cum Ætolo Diomede confudit in genealogia equorum Atlantis aurigæ deducenda:

Campasus antiquo fidebat Atlante magistro,
Ipsumque Ætolo Diomedi condita Tinde
Miserat, exceptum Trojana ab origine equorum
B *Credebant, quos Æneæ Simoentis ad undas*
Victor Tydides magnis abduxerat ausis.

Perperam *Tyde* legitur in vulgatis pro *Tinde*. Nulla quippe urbs *Tyde*. Sed *Tinde* urbs Thraciæ, Diomedis equorum stabulis dirum, ut ait Plinius. Ille Diomedes Bistonum rex fuit, cujus equi vescebantur humanis carnes. Hippodamum in ludis Archemori equos illos habuisse, iisque certasse canit Statius lib. VI.

---- Getici pecus hic Diomedis, at ille
Pisæi juga patris habet.

Silius *Tinden* oppidum Diomedis Thracis Ætolo Diomedi conditum dicit, perperam. Campasus ille, ut
C & ceteri, qui in illis ludis Scipionis recensentur, funalis sinister fuit. Hi dabant toti quadrigæ nomen, & victoriæ titulum soli ferebant. Præcipui honoris ac meriti in quadrijugis curribus, & circo destinatis, fuisse funales sinistros equos etiam ex epigrammate Ausonii clarum est, quod in Phosphorum equum circo nobilem Augusto amatum composuit. Ei apud inferos, si quadriga jungatur ex equis heroum olim celeberrimis, honoratissimum locum deberi asserit, qui
D sinister est funi gerendo:

Pegasus hinc dexter currat, tibi lævus Arion,
Funis & ad quartum det tibi Castor equum.

Ita vulgo editur. Quidam ita distinguunt, leguntque.

Pegasus hinc dexter currat tibi: lævus Arion
Funis eat: quartum det tibi Castor equum.

Et sic interpretantur, in ea quadriga Phosphorum & Cillarum jugales esse: funales autem dexteriorem quidem Pegasum, sinisteriorem vero Arionem. Quod non potest obtineri. Jugales, ut dixi, minoris dignationis quam funarii. At palam est id velle Ausonium, primum in illo equorum quadriga locum deberi Pho-
E sphoro, & merito suo, & Augusti commendatione, à quo amatus est. Honoratissimus autem quadrigæ locus, ut docui, ex circi instituto sinisterior jugalis. Qua re epigrammatis illius versus sic sunt concipiendi & interpungendi.

Hunc titulum vani solatia sume sepulcri,
Et gradere Elysios præpes ad alipedes.
Pegasus hic dexter currant ibi, lævus Arion,
Funi sed quartum det tibi Castor equum.

Perge inquit ad Elysias sedes, & cum equis, qui ibi præstantissimi habentur, quadrigam componas. In ea
F quadriga, ibi currant dexter Pegasus, & lævus Arion, ad jugum scilicet. Sed funi, id est, ad funem Castor tibi det quartum equum suum. Vult igitur Castoris equum & Phosphorum funales esse, tanquam quadrigæ optimos. Quartus equus in quadriga vel est dexter funalis si à sinistra numerare incipias, vel sinister si à dextra primum computes. Sed ut dictum est, sinister funalis honoratior, ideo primus numerandus. Sic quartus erit funalis dexter. Itaque si Castor quartum equum ad funem dat Phosphoro, primus est quadrigæ Phosphorus idemque sinister funalis. Sic dexter in jugo Pegasus, sinister Arion. Hæc sunt indubitatissima. Scriptum
G erat, *Funis & quartum*, pro *Funi sed quartum*. Inde qui versui consulere voluere, de suo addiderunt, *funis & ad quartum*. Hinc certum est, Phosphorum & Cyllarum funales facere Ausonium. Ergo Pegasus, & Arion jugales. Quod ipsum expressisse poëtam putaret aliquis, legendo,

Pegasus hinc dexter, currant juga, lævus Arion.

Pegasus dexter & lævus Arion jugales currant. *Juga* pro jugalibus. Loquutio ipsa tralaticia. Quum verissima sit hæc notatio de sinistris equis funalibus, qui nomen quadrigæ dabant, dubitationem tamen movere

 posset

possent Statius. Is lib. VI. Thebaidis ludos describens curules, quos Archemoro celebrarunt Argivi, in Polynicis curru primas partes Arioni equo tribuit, quem & solum nominavit. Eum excusso Polynice nihilo secius vicisse, victoremque renuntiatum refert. Ex ratione circi, quæ tempore Statii obtinebat, Arion funalis sinisterior esse debuit. At Statius eum jugalem facit, ut ex istis planum fit:

---- nam flavus Arion
Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos
Stat, sociumque jugi, comitesque utrimque laboris,
Secum altè suspendit equos.

Socium jugi non potuit habere Arion, nisi ipse jugalis fuerit. Comites utrinque laboris sunt duo funales. Nemo aliter queat interpretari. Ergo & quadrijugis curribus eos certasse vult. Fefellit fortasse Statium antiqua ratio quadrigarum non eadem cum nova. In antiquis curribus quatuor equi sub jugo juncti habebantur, & duplex erat temo. Cum igitur ex antiqua aliqua Thebaïde, vel cyclica, vel Antimachi descriptionem eam ludorum sumeret Statius, Ἀρείονα, ζύγιον ἀριστερὸν in Polynicis curru vocatum, ex temporum suorum more id interpretatus est, quibus ζύγιος ἀριστερὸς in curru equus dicebatur, qui ad sinistram habebat funalem ἀριστερόν. At in curribus heroicis sinistimus equus etiam jugalis. Heroum ævo meta etiam sinistro gyro circumiri solebat, & in ea flectenda sinistri equi prima ac præcipua opera. Ideoque etiam tum equus inter ceteros optimus eligebatur, qui sinistrum in curru locum teneret. Homerus Iliad. ψ.

---- αὐτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαι δέ οἱ ἡνία χερσίν
Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

Eadem ars in circo invaluit sub postremis Græciæ & Romanorum temporibus. Sic in quadriga duo equi plus momenti ad victoriam conferebant, quàm reliqui dexter ac sinister, atque hi funales erant. Sed sinister maximè & bonitate & docilitate spectandus veniebat ob flexum metæ, qui ab illo solo pænè pendebat. Ideoque is dignatione eximius habebatur. Ceterum Arion apud Statium, quum præcipuus esset equus in curru Polynicis, nec dexter tamen, nec sinister est, sed interjunctus dextro ac sinistro. Socium jugi alterum illi equum facit. Ergo & ipse jugalis. Comites laboris utrimque eidem assignat, utcunque fuerit sinister jugalis, ad lævam tamen habuerit necesse est sinistrum funalem, ut à dextra tam jugalem alterum quam funalem dexteriores. Hoc igitur prorsum contra circi disciplinam ab eo poëta inducitur. Tam fuisse eum ignarum circensis artis non putem, ut adeo absurdè in eam peccarit, præsertim, quum quotidie id spectaculum in oculis esset. Mitto spectacula oculis usurpata. Poëtarum libri non aliud canunt. Apud Homerum bigæ sunt, non quadrigæ, quibus heroës certamen curule peragunt, ut ex istis liquet de Menelai curru.

--- ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους
Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην τὸν ἑόν τε Πόδαργον.

Sic duo tantum jugales in illis curribus. Poëta ibidem duûm tantum equorum ibi meminit, τοῦ δεξιοῦ καὶ τοῦ ἀριστεροῦ, qui sunt sinister & dexter jugales. Verisimile est & in Nemea ludos Archemoro ab Argivis heroibus primùm factos, bigis, non quadrigis fuisse celebratos. Arion igitur in curru Polynicis sinister jugalis ex duobus. Statius dum sua tempora respicit, quadrijugis ludos eos committi fecit, & Arionem equum, sicut in Græcis reperit, sinistrum jugalem reliquit, sed ei funalem ad lævam adjunxit, præter circensium institutum & normam, ubi sinister equus ceteris debet præstare velocitate, & arte. Heroës ut plurimum trigis tum usi leguntur in bello. Duobus subjugis equis adnexus erat vinculo alius equus extra currum, quem παρήορον dicebant. Hesychius: παρήορος ἵππος ὁ ἐκτὸς ἅρματος τρέχων. Ita scribo, non ἐκ τοῦ ἅρματος. Hoc Romæ etiam in circensibus ludis ab heroicis usque temporibus servatum tradit Dionysius ut trigæ committerentur, quum apud Græcos jam diu id desitum esset. Illustria ad hanc rem Dionysii verba lib. VII sub finem: ἐν δὲ ταῖς ἱππικαῖς ἁμίλλαις ἐπιτήδευμα δύο τῶν παλαιῶν πάνυ ὡς ἐξ

A ἀρχῆς ἐνομοθετήθη, φυλαττόμενα ὑπὸ Ῥωμαίων μέχρι τῶν κατ' ἐμὲ διαμένει χρόνων, τό τε περὶ τὰ τρίπωλα τῶν ἁρμάτων, ὃ παρ' Ἕλλησιν μὲν ἐκλέλοιπεν, ἀρχαῖον ἐπιτήδευμα, καὶ ἡρωϊκὸν, δυσὶ γὰρ ἵπποις ἐζευγμένοις ὃν τρόπον ζεύγνυται συνωρὶς, τρίτος παρείπετο σειραῖος ἵππος ῥυτῆρσι συνεχόμενος, ὃν ἀπὸ τοῦ παρηορεῖσθαι, καὶ συνεζεῦχθαι παρήορον ἐκάλουν οἱ παλαιοί. Trigarum in curuli certamine mentionem habet vetus inscriptio, qua Dioclis agitatoris palmæ enumerantur. An igitur trigis certasse Græcos heroas dicemus in exequiis Archemori? Certè tres tantum equos numerat Statius in curru Admeti, ubi omnes nominare videtur:

B *Nominibusque ciet Pholoen Admetus & Irim,*
Funalemque Thoen.

Pholoe & Iris jugales sunt; Thoe funalis. Ergo unum modo funalem duobus jugalibus adjungit. Atque hic est σειραῖος ἵππος in triga apud Dionysium, & παρήορος veterum. Hinc concludere est trigis, non quadrigis contendisse Argivos apud Statium. Mendosus itaque videri debet locus ille, quo quatuor equos Polynicis currui tribuere videtur, & jugalem facere Arionem. Ergo sic oportet emendare:

---- Nam flavus Arion
Stat, sociumque jugi comitemque utrique laboris
Secum altè suspendit equos.

C Sic omnia recta erunt. Arion sinister jugalis: socius illi jugi jugalis alter: comes laboris utrique, hoc est, Arioni & socio jugi funarius ad dextram. Hic est παρήορος antiquorum. Arion igitur dum rectus staret, & socium jugi, & comitem utrique laboris, hoc est, τὸν παρήορον alte suspendebat. Profecto in eo curru sinistrum & proximum metæ fuisse in ea circumeunda patet ex alio loco:

D *---- dum non cohibente magistro*
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

Qui interiore gyro & sinisteriore tramite metam pressius propiusque stringere debuerat, is spatioso & laxo circuitu dexter exerrans circumagebatur. Virgilius in re simili.

Quo tantum mihi dexter abis?

Sed statim ex sparsa illa gyratione propius ad metam rediisse ibidem dicitur Arion:

---- laxo quum tandem ex orbe reductus
Æquoreus sonipes, premit, evaditque parumper
Gavisos.

E Hæc non possunt convenire nisi in eum equum qui sinister est. Nam is equus, qui alium habet ad sinistram inter metam & ipsum, non potest dici ipse metam interiore rota stringere, καὶ ἐν νύσσῃ ἀριστερὸς ἐγχριμφθῆναι. At si superius citatos & correctos Statii versus eo modo legas, ut hodie vulgantur, vix est ut ex iis intelligas Arionem fuisse sinistrum, utpote qui & socium jugi, & comites utrique laboris habeat, nempe funales. Hæc extra dubitationem omnem omnino vera sunt. Atqui idem Statius certamen illud quadrijugum fuisse disertim dicit.

Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
F *Adspicit, atque illic ingens certaminis instar*
Quadrijugi.

Quod profecto mirum est, cum ex aliis, quæ apud eumdem leguntur, constet trijugum fuisse, & τριπώλῳ ἅρματι commissos eos ludos. Totum illum ludorum apparatum ac descriptionem ex Græca Thebaïde sumpsit Statius, & cetera quidem ad verbum transtulit, sed quadrigas in illis certasse ipse finxit ex consuetudine temporum suorum, quum certum sit belli Thebani ac Troici temporibus bigis & trigis, tam in bello quàm in ludicris certaminibus heroas usos esse. De G sinistris equis funalibus hæc ventilanda fuere subtilius, ut intelligerentur illa Plinii ex emendatione nostra, ubi dicit *albatos equo corace vicisse*. Qui Corax equus hoc nomine sinister in quadriga, funalisque, & præcipuæ in circumeunda meta operæ, unde & soli victoriæ titulus adscriptus est, & tota quadriga nomine ejus vocata. Auctor libri de circo verba Plinii sic legebat: *Circensibus albati equi Characem occupavere*, & *Characem* accipit pro oppido, vel carcere equorum. Quæ emendatio nec ratione ulla nititur, nec auctoritate librorum, & prorsus ineptissima est. Nunc reliqua Pliniani illius loci, ut à nobis emendatus est, persequamur,

&

& explicemus: *Excusso in carceribus auriga, Albati equo Corace, occupavere, primatum obtinuere, opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos, quæ debuissent peritissimo auriga insistente, facientes.* Hæc omnia circensis & equestris artis vocabula, quibus exprimuntur quæ ad victoriam obtinendam peritissimi aurigæ faciunt. *Occupavere, primatum obtinuere.* Addiderant *palmam*, qui nesciebant verbum *occupare* Latinè etiam sumi absolutè pro antevertere, vel prævertere, quod Græci dicunt προλαβεῖν. Hoc sensu sæpe ponitur apud auctores, & exempla non pauca refert Nonius. Varro apud eum: *Quod si Actæon occupasset, & ipse priùs suos canes comedisset*, id est, si prævenisset. Idem: *priusquam responderem foris nescio quis occupat res indicare.* In circo ita capiebatur, ut ex inscriptione veteri circensium clarum est: OCCUPAVIT ET VICIT, id est, προέλαβεν καὶ ἐνίκησεν. Silius *limitem præripere* hoc dixit in ludis circensibus Scipionis de Cyrni curru, qui primus exierat, & ceteros anteverterat:

Evolat ante omnes, rapidoque per aera cursu
Callaïcus Lampon fugit, atque ingentia tranat
Exultans spatia, & ventos post terga relinquit.
Conclamant, plausuque fremunt, votique peractam
Majorem credunt prærepto limite partem.

Quid sit *occupare* in quadrigarum certamine, hæc clarè adeò explicant ut nihil supra. Qui ante alios emittitur, ac curriculum præcipit, & ceteros anteit, is *occupare* dicitur. Sed restat exponendum quomodo occuparent agitatores, & quando id facere propriè dicerentur. In circo ostia, unde equi exibant ad spatia septem decurrenda, non omnia paris conditionis fuere, sed alia melioris, alia pejoris sortis habita. Ideo sortito legebantur. Singulis missibus quatuor quadrigæ emittebantur, quæ quatuor ostiis exibant. Quod proximum ostium primis metis fuit, mediæque circi areæ, id optimæ conditionis habebatur, & *primum ostium* dicebatur. Nam ab eo loco ad ultimas metas brevissimum iter quia rectissimum. Longius à secundo, deinde à tertio: longissimum à quarto, eoque id ostium pessimæ & ultimæ sortis, quia longius erat remotum à recto tramite, qui à metis prioribus ad metas ulteriores patebat. Ausonius:

Ostia quot pro parte aperit stridentia circus,
Excepto medium quod patet ad stadium.

Ostium illud, quod ad medium spatium dirigebatur, non solebat cum ceteris aperiri, vel si aperiebatur, nullæ ex eo certè mittebantur quadrigæ. Locus in eo Consulum, Prætorumque, ac denique Magistratus illius qui ludos edebat, signumque mittendis quadrigis dabat. Ostium, inquam, illud medium fuit inter alia duodena circi ostia, & sena utrimque habuit. Hoc ad medium stadium patuisse dicit Ausonius. Et sanè ex adverso metas respiciebat. In Constantinopolitano quoque circo *mapparius*, qui officium sustinebat mittendæ mappæ, quod signum erat mittendis quadrigis, in medio illo ostio, sive janua solebat consistere. Græci: δώδεκα δὲ ὕσπληγγες κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα ζωδίων, μαππάριος δὲ καλεῖται ὁ ἐν τῷ μέσῳ ἱστάμενος, καὶ τὸν δρόμον ἔχων τὸ σύνθημα. Sidonius Apollinaris:

Hæc est janua Consulumque sedes,
Ambit quam paries utrimque senis
Cryptis porticibusque fornicatus.

Ostium Ausonii, quod ad medium circi spatium patet, idem prorsus est cum hac janua, & Consulum sede Sidonii, quæ utrimque senos carceres fornicatos habebat, ea sunt ostia circi. Sena illa quæ ad dextram erant medii ostii, omnia æqualiter & uno eodemque tempore pandebantur, quamvis ex quatuor tantum prioribus quadrigæ mitti solerent, nisi si quando plures quam quatuor colorum factiones certarent. Nam pristinis quatuor gregum factionibus Domitianus duas fertur addidisse, *purpurei auratique panni.* Senis ostiis opus fuit apertis, quando hæ sex factiones simul committebant. Ceterum post mortem Domitiani non diu adriticiæ illæ duraverunt, sed pristinus numerus est retentus. Quæstionem heîc moverit aliquis, cur sex ostia semper solita sint aperiri, quum sollemne esset quatuor duntaxat quadrigas ex quatuor ostiis per singulos missus emitti. Et sanè cum cetera ostia, tum

A magis apertiones eorum supervacuæ. Atqui non sena tantum ostia, sed omnia duodena in circo Romano una simul machinatione pandi solita ostendit locus Cassiodori. *Bissena*, inquit, *ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur, docentibus totum illic, ut putatur, consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari.* Nec abnuit Ausonius si rectè capiatur. Non enim dicit sena tantum ostia circum aperire, sed pro parte sena. Ergo ab una parte sex, ab altera totidem aperiebantur, excepto medio ostio, in quo Consulum sedes, atque editoris. Clare etiam dicit Dionysius omnia simul ostia pandi solita, quæ unum B latus circi ex minoribus occupabant: ἡ δὲ λοιπὴ τῶν ἐλαττόνων πλευρῶν, ἄθετος ἀνειμένη ψαλιδωτὰς ἱππαφέσεις ἔχει ὑπὸ μιᾶς ὕσπληγγος πάσας ἀνοιγομένας. Cryptas & porticus fornicatas vocat Sidonius ejusmodi ἱππαφέσεις ψαλιδωτάς. Sciendum porro est præter illud ostium medium, duodenos in circo carceres equorum fuisse, utrinque senos, ut disertè testatur idem Sidonius. Sola sex ostia, quæ à latere dextro illius mediæ januæ erant, necessaria mittendis quadrigis fuere, quia à dextra ad sinistram curricula sua peragebant. An igitur ad ornatum atque ut æqualis esset architecturæ facies, C totidem ostia in alio latere facta, quæ ut ipsa eodem machinarum artificio, eodemque tempore pandebantur, quamvis nulli inde currus emitterentur? Ex illis porro senis ostiis quæ ad dextram fuere primarum metarum sola quatuor prima quadrigas emittebant quatuor certaturas singula singulas. Quod ab eo tempore obtinuit, quo in quatuor colores & greges tota circi factio divisa est. Hoc enim constituto quatuor aurigæ cum suis quisque coloribus per singulos missus certabant. Antea plures currus in hoc certamen ἱππικὸν descendebant. Apud Homerum quinque currus committunt in funere Patrocli. In Archemori apud Statium sex. D Apud Sophoclem in Electra decem. Apud Anonymum de vita Alexandri novem. Sic numerus certus certantium quadrigarum non fuit. An legitimum dicemus fuisse, ut sex una missione contenderent, ideoque Tarquinium Priscum, si modò in circo maximo primus carceres extruendos curavit, sex tantum ostia in eo fecisse, sex quadrigis omittendis? Atqui duodecim ostia, sive carceres in circo illo, sex in sinistra parte lateris ejusdem, totidemque in dextera. An supervacua & inutilia prorsus sinistræ partis ostia, atque ad ornamentum tantum architecturæ acta? Supervacanea certè illa, quo tempore quatuor tantum E quadrigæ quaternis ostiis emitti solitæ. Ad exemplum circi Olympiaci, & in eo carcerum, puto ædificatos fuisse Romani circi carceres. Bini ordines in eo circo fuere ostiorum, unus in sinistra parte ejusdem lateris, alter in dextera. Singula latera plus quàm quadringentos pedes longitudinis habuisse testatur Pausanias: quot carceres in utroque fuerint, non exprimit. Ἑκατέρα μὲν δὴ πλευρὰ τῆς ἀφέσεως πλέον ἢ τετρακοσίους πόδας παρέχεται τοῦ μήκους· ᾠκοδόμηνται δὲ ἐν αὐταῖς οἰκήματα. Ταῦτα τὰ οἰκήματα κληροῦνται λαγχάνουσιν οἱ εἰσιόντες ἐς τὸν ἀγῶνα τῶν ἵππων. Habes carceres Olympiaci circi, qui similiter sortitò capiebantur à certaturis. Auctor Anonymus in vita F Alexandri Magni de ludis Olympicis: ἐτέθη ἡ ὑδρία, καὶ ἐκληρώθησαν· Ἔλαχεν πρῶτος Νικόλαος. Duplex, ut dixi, carcerum ordo fuit, unus ad sinistram primæ metæ, alter ad dextram. In medio utriusque partis locus erat ejus, qui machinationem movebat, qua omnia ostia aperiebantur. Qualis fuerit ille locus, aut quomodo vocaretur, ibidem non tacuit. Altare fuisse dicit circa mediam proram circi, proræ quippe habuit figuram ἡ ἄφεσις, quæ satis lata erat, quæque discriminabat utrumque ordinem ostiorum. Januæ Consulum vel ostio quod ad medium circi spatium patebat Romæ, hic βωμὸς vel hæc prora media respondebat. Ceterum G omnes currus qui emittendi erant ad currendum, stare æquo limite debebant ad dextram partem illius aræ vel primarum metarum, quoniam recto cursu ad ultimam metam circumflectendam pertendebant. At si omnia ostia sinistri ac dextri lateris vel ordinis aperta simul fuissent, evenisset ut ex dextri lateris carceribus exeuntes, longo spatio præverterent eos qui emissi essent sinistræ partis carceribus. Nam lævorum ostiorum quadrigæ

A
quadrigæ è suis primum locis exire, deinde ad ea loca venire debebant, ubi dextri carceres erant; nam inde cursus incipiebat, qui longus erat circuitus. Sic nec ex æquo certamen his & illis fuisset, quum dextri lateris quadrigæ multo ante exiliissent. Ut ergo æqualitati æquitatique certaminis consuleretur, ita fiebat. Mota machinatione, quæ in medio consistebat aperiendis repagulis, dextri lateris, sive ordinis, ostia primo aperiebantur. Quadrigæ inde emissæ stabant ad eum locum, ubi carceres sortiti fuerant currus ordinis secundi ac dexteri. Ne ulterius progrederentur, fune omnibus ostiis prætento cavebatur. Ubi primi ac sinistri ordinis quadrigæ ad eum
B
locum constiterant, tum secundi ordinis ostia pandebantur, ac sic æquatis frontibus tam primi ac sinistri, quàm dexteri ac secundi ordinis currus in spatia sese addebant, & in cursum effundebant. Pausanias: πρῶτοι μὲν δὴ ἑκατέρωθεν οἱ πρὸς τῇ στοᾷ τῇ Ἀγνάμπτου χαλῶσιν οἱ ὕσπληγγες. Καὶ οἱ κατὰ τούτους ἑστηκότες ἐκθέουσιν ἵπποι πρῶτοι. Θέοντες δὲ δὴ γίνονται κατὰ τοὺς εἰληχότας ἑστάναι τὴν δευτέραν τάξιν. Καὶ τηνικαῦτα χαλῶσιν οἱ ὕσπληγγες οἱ ἐν τῇ δευτέρᾳ τάξει. Διὰ πάντων τε κατὰ τὸν αὐτὸν τὸν λόγον συμβαίνει τῶν ἵππων ἐς τ' αὖ ἐξισωθῶσιν ἀλλήλοις κατὰ τῆς πρώρας τὸ ἔμβολον. Ad hanc formam ædificati carceres in circo Roma-
C
no videntur, & plures etiam tum certasse, quum ædificari cœpti sunt. Nam eadem omnia Romæ observanda fuissent duodecim quadrigis certantibus, quæ observabantur in Olympiaco stadio circa missionem quadrigarum. Nam quatuor tantum aut sex committentibus, nihil opus fuit duplici vice apertionem ostiorum fieri, quemadmodum Olympiæ fiebat. Ex parte quippe dextera omnes emitti poterant æquo limite & æquata fronte. Nam ibi sex ostia eodem ordine directa. Cetero incertum est quando primum, & à quo quatuor illæ circi factiones & greges coloribus dispares constituti fuerint. Græ-
D
ci recentiores, nec qui à vetustioribus id fortasse habent, ad auctorem Romulum referunt. Joannes Antiochensis: Ῥωμόλος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ ἔκτισεν ἱππικὸν καὶ διεῖλε τὸν δῆμον εἰς μέρη τέσσαρα, εἰς τιμὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων, καὶ τὰς δώδεκα θύρας κατὰ τύπον τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἱστόρηκεν. Eadem legas apud Cedrenum, Chronicon Alexandrinum: & alios qui ab uno videntur sumpsisse. Tertullianus duo colores à principio certasse eo ludicro vult, qui & ex quorumdam sententia scribit Romulum primum Romæ quadrigam ostendisse. *Talibus*, inquit, *auctoribus quadrigæ productæ, merito & aurigis coloribus idololatriam vestierunt, & ab initio duo soli fuerunt, albus & russeus: albus hiemi ob nives candi-*
E
das, russeus æstati ob solis ruborem voti erant. Ita vulgati libri legunt. In vetustissimo codice, qui olim Agobardi fuit, legitur: *Merito & aurigas coloribus.* Et mox: *nam æqui ab initio.* Totus locus ita scribendus: *Talibus auctoribus quadrigæ productæ. Merito & aurigas coloribus, id est, idololatriam vestierunt. Namque ab initio duo soli fuerunt, albus & russeus.* Confirmat hanc lectionem Isidorus: *aurigæ autem duobus coloribus sunt, quibus speciem idololatriæ vestiunt.* Ex vestigiis scriptæ lectionis, quæ habuit, *nam qui* pro *namque*, corrigebat Wouveranus: *nam equi ab initio duo fuerunt.* Perperam.
F
Non enim equi russei, aut albi dicti à coloribus, quibus vestiebantur, sed aurigæ, unde & *versis pannis agitasse* iidem aurigæ dicebantur, quum ab unius factionis panno ad alterum transierant, ut putà si Veneti panni agitator cum coccino panno agitasset. *Albati* & *russati* equi dicti sunt, non à colore quo induti erant, sed equi albatæ & russatæ factionis. Notabis autem Tertullianum quidem dicere tradi à quibusdam primum Romulum Romæ quadrigarum certamen ostendisse. Non tamen prodit ab ipso Romulo colores, & factiones circensium institutas. Et
G
sanè non adeo antiqua res fuit hæc factionum in circo per greges & pannos discolores divisio. Et nugantur Græculi, qui hujus rei inventum Romulo adscribunt. Joannes Antiochensis περὶ ἀρχαιολογίας duos ab initio colores etiam fuisse scribit, sed Oenomaum primum eorum auctorem facit. Quod est falsum. Verba ejus hæc sunt, si quis requirit. Nam auctor ille nondum est editus: Οἰνόμαος πρῶτος ἐφεῦρε τὰ τοῦ ἱπποδρόμου χρώματα, καὶ ἐποίει τὸν ἀγῶνα Μαρτίου κατὰ γῆς καὶ θαλάσσης. Ἐβάλλοντο κλῆροι, καὶ ὃς ἔλαχεν ὑπὲρ τῆς γῆς ἀγωνίσασθαι ἐφόρει χλοανὸν, καὶ ὃς δὲ ὑπὲρ τῆς θαλάττης κυανὸν. ἐτίθει δὲ Οἰνόμαος ἔπαθλον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα. Hæc sunt ridicula. De coloribus non consentit cum Tertulliano, nam ille non venetum, & viridem, sed album, & russeum primos colores fuisse vult. At venetus & prasinus præcipui, ideo primi juxtà quorumdam sententiam. *Venetus* maris color, cui favebat nauticus populus. *Viridis* & *prasinus* terræ: cui terrestris & agricola plaudebat. Cassiodorus: *Transit prasinus, pars populi mœret.* Vincente prasino partem populi in mœrore fuisse dicit, nauticam scilicet, & maris commerciis deditam. *Præcedit venetus, & totius turba civitatis affligitur.* Sic lego ex veteri codice, qui habet *potius*: unde *potior* fecerunt. Universa civitas favebat prasino, vel pars maxima civitatis. Quod & confirmat Juvenalis:

---- eventum viridis quo colligo panni:
Nam si deficeret mœstam attonitamque videres
Hanc urbem.

Quibus comprobatur correctio nostra in Cassiodoro. Græcus auctor: ὁμοίως πράσινοι ἀνέκειντο γῇ διὰ τὰ ἄνθη. Κακοδαιμονίαν οὖν οἰωνίζοντο τὸν χείρονα ψῆφον τὸν ἀνθηρὸν ἀπενεγκάσθαι ὡς αὐτῆς Ῥώμης ἡττηθείσης: τοῦ γὰρ δυτικοῦ κέντρου εἰς τὸ τῆς γῆς στοιχεῖον ἀναφερομένου, εἰκὸς ἦν αὐτῆς μέλειν αὐτοῖς. ὅθεν καὶ τὴν Ἑστίαν περὶ πάντων φαίνονται τιμήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι, ὥσπερ τὸν Πετρογενῆ Μίθραν οἱ Πέρσαι διὰ τὸ τοῦ πυρὸς κέντρον καὶ τὴν ὑγρὰν οὐσίαν οἱ ὑπὸ τὴν ἄρκτον διὰ τὸ κέντρον τὸν ὕδατος, καὶ Ἶσιν Αἰγύπτιοι διὰ τὴν σελήνην τὴν τοῦ παντὸς ἀέρος ἔφορον. Futilis, & nugatoria ratio. Joannes Antiochensis: ἐβάλλοντο κλῆροι, καὶ ὃς ἔλαχεν ὑπὲρ τῆς γῆς ἀγωνίσασθαι ἐφόρει χλοανὸν, ὃς δὲ ὑπὲρ τῆς θαλάσσης κυανὸν, ἐτίθει δὲ Οἰνόμαος ἔπαθλον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα, καὶ ὁ νικηθεὶς ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν θεωμένων ἀνῃρεῖτο. Εἶχον οὖν σημεῖον οἱ τότε, καὶ εἰ μὲν τὸ χλοανὸν ἐνίκα τῆς γῆς εὐφορίαν ἤλπιζον, καὶ οὕτως ἐγίνετο: εἰ δὲ τὸ κυανὸν τῆς θαλάττης εὔπλοιαν, καὶ ηὔχοντο οἱ μὲν γεωργοὶ τὸ χλοανὸν νικᾶν, οἱ δὲ ναυτίλοι τὸ κυανόν. Hæc omnia nugacium hominum commenta sunt, ac recentiorum Græculorum, quæcumque philosophati sunt super circi partibus & coloribus. Nihil horum apud veteres. Favebant viridi qui colore illo capiebantur, sola oculorum voluptate illecti. Qui color plures olim amatores habuit, hodieque nunc habet. Ovidius de spectaculo circensium.

Plaudite Neptuno nimium qui fiditis undis.

Hoc non dicit de Veneti panni agitatoribus, sed de Neptuni simulacro, quod in pompa per circenses ludos cum aliis deorum simulacris circumferebatur. Et mox:

Plaude tuo Marti miles.

Item:

Ruricolæ Cereri, teneroque assurgite Baccho

In ea pompa simulacrorum, quæ per circum traducebatur, miles Marti plaudebat, Cereri agricola, Phœbo vates & augures, Veneri amatores, & sic de ceteris. Nondum igitur tunc hæ rationes cognitæ fuerant super studiis & favoribus, quos singuli colores factionum circi provocabant. Certum tamen est jam tum Ovidii ætate singulos agitatores diversi coloris pannis amictos fuisse, ut ex hoc ejus versiculo constat.

Et volat admissis discolor agmen equis.

Sed non tam vetusta est hæc colorum, & factionum in aurigis circensibus divisio, ut volunt. Illud etiam perridiculum de coloribus illis duobus ab Oenomao proditis. Certè eum quadrigarum certamen edidisse primum quidam auctores sunt. Cassiodorus: *primus hoc apud Elidem Asiæ civitatem Oenomaus fertur edidisse, quod postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificiis ruraliter ostentavit Italiæ.* Nam hercule nugantur, qui Romulo quatuor colorum divisionem attribuunt, quàm qui Oenomao duorum. Cum duo colores tantum committebantur, duæ, ut par est, quadrigæ emittebantur. Et propterea hoc commentum Oenomao vindicant de duobus coloribus inventis, quia ille cum singulis procis natæ suæ curuli certamine contendebat. Quoniam, inquam, duo tantum certabant in eo agone, quem filiæ suæ procis proponebat

bat Oenomaus, ideo & duo colores ab initio tantum fuiſſe prodiderunt, eorumque inſtitutum Oenomao tribuerunt. Argivi heroës Thebani belli temporibus, & Græci Troicis, hoc eodem ludicro ἱππικῶν certaviſſe conſtat pluribus curribus quàm duobus, & ſine coloribus. Eodem modo credendum eſt Romulum ludos equeſtres Italiæ oſtendiſſe, in campis patentibus, nondum ædificatis circis, quomodo & Græci antiquì factitarunt, ut ex Homero, & aliis diſcere eſt. Hoc eſt, quod ait Caſſiodorus, *Romulum ruraliter nondum fundatis ædificiis* eos ludos agitaſſe, id eſt, nondum circo ædificato. Nec ille igitur auctor colorum, & factionum in circo, & proinde quatuor quadrigarum ſingulis tantum commiſſionibus emittendarum. Quod ſi jam hoc obtinuiſſet apud Romanos ab ætate Romuli, non ſex oſtia, ſive carceres equis mittendis in circo ſuo ædificando poſuiſſet Tarquinius, ſed quatuor duntaxat ſuffeciſſent. Recentius igitur hoc inventum colorum, & factionum in circo, vel ipſius Tarquinii Priſci temporibus. Quin etiam Livius tradit carceres in circo demum ædificatos anno Urbis CCCCXXV. Quod verum eſt, & falſi qui Tarquinium primum eos volunt extruxiſſe. Delirant itaque Græculi Joannes Antiochenſis, Georgius Syncellus, Cedrenus, & alii, qui ſcribunt circum à Romulo extructum primo cum duodecim oſtiis. Nec enim aliter poſſis verba illorum exponere quam de circi, & carcerum conſtructione: Ῥώμυλος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ ἔκτισεν ἱππικὸν, καὶ τὰς δώδεκα θύρας. Georgius: ἔκτισε δὲ Ῥῶμος ἱππικόν. *Ædificavit Romulus circum*, de celebratione circenſium ſunt qui conantur accipere, & fruſtra ſunt. Nec minus inepti ex veteribus illi, qui *circi* appellationem à nomine Circes deduxerunt, quaſi prima ipſa circum condiderit in Italia, & circenſes ludos ediderit. Quid abſurdius? Locus Tertulliani ex libro antiquiſſimo Agobardi ſic legendus eſt: *Qui ſpectaculum primum à Circe habent, ſoli patri ſuo editum affirmant: ab ea & circi appellationem argumentantur, planè venefici. Eis utique negotium geſſit hoc nomine, quorum ſacerdotes, dæmoniis ſcilicet & angelis.* Rationem alibi reddimus. Auctor vetus Græcus ἀνώνυμος: ἡ γὰρ δὴ περιρρηθεῖσα Κίρκη πρώτη τελεῖν ἱππικοὺς ἀγῶνας ἐν Ἰταλίᾳ προκατάρξαμένη, καὶ ἱπποδρόμιον ἐκεῖσε κατεσκεύασε, τὸ μὲν μῆκος τεσσάρων σταδίων, τὸ δὲ πλάτος ἑνός. At quis neſcit *circum* non à Circe dictum eſſe, ſed Latinos locum, in quo ludi equeſtres ederentur, eadem ratione appellaſſe *circum*, ut Græcos κύκλον? Nam *circus* eſt κύκλος. Quod enim circa metas in eo currerent equi, inde *circus* appellatus. Gloſſæ, *circus*, & *circuitus*, κύκλος, ἐν ᾧ ἱπποδρομίαι γίνονται. Apollonius de loco certaminis curulis:

----- εἰς εὐρέα κύκλον ἀγῶνος.

Sed & ἀγῶνα inde dictum grammatici argutantur quaſi ἀγώνιον, quod rotundus, & ſine angulis eſſet: ὅτι ὁ ἀγὼν καὶ ἀγωνία ὁ τόπος λέγεται, διὰ τὸ κυκλοτερὲς, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν γωνίαν, ἧς εἰς τύπον, καὶ στέφανοι κυκλοτερεῖς τοῖς νικῶσιν ἐπετίθεντο. De circo loquitur ille: nam ſtatim ſubjicit: οἱ δὲ τρεῖς ὀβολοὶ τὴν τρίστοιχον φύσιν δηλοῦσιν. A circo *circenſis*: ut foro *forenſis*, ὁ ἀγοραῖος. Hinc ludi *circenſes*, qui in circo agitabantur. Quid apertius, aut verius? At inepta gens, & bruta grammaticorum blatterant *circenſes* appellatos, quaſi *circum enſes*, quod pro metis olim ſtatuerentur enſes. Falſiſſimum, & ineptiſſimum. Sic res verbis per vim accommodant, non verba rebus. Verùm à metis ad carceres, & oſtia redeamus. Ea forte quadrigis, ut diximus, dividebantur. Primum dicebatur, quod erat primis metis proximum: prima ſors hunc dabat, ut ſecunda ſecundum, tertia tertium, quarta quartum & ultimum. E primo exilientibus breviſſimum iter ad metas, ideo prior ejus, potiorque conditio. Varro hoc oſtium vocavit *intimum* his verſibus apud Nonium:

Nemini fortuna currum carcere emiſſum intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit.

Vitam Varro comparat circenſium curriculo. Feliciſſime id certamen auſpicabatur auriga, cui è primo, vel intimo oſtio exire ſortito obtigerat. Sed is plerumque non perferebat felicitatem ſuam uſque ad ultimas metas, & extremum curriculum. Ita in vita ſi quando fortuna à principio arriſit, tenorem non ſemper ſer-

A vat uſque ad calcem & exitum. *Intimum* ergo *oſtium*, vel *intimus carcer*, qui & primus, primiſque metis proximus. Quin & *circus primus* ab ea parte dicebatur. Varro lib. IV. de L. L. *In circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres.* Idem etiam *intimus* dictus. *Intimus circus ad Murciam vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceis, quod is locus eſſet inter figulos.* Sic ſcribendum ibi. Ab ea Murcia *murciæ metæ* appellatæ, quæ & primæ, ut paulo poſt dicam. Sic *primum oſtium*, primis illis metis proximum, idemque *intimum*. Cum omnia oſtia ſubita æqualitate panderentur, eodem tempore proſiliebant ex omnibus carceribus equi. At
B primo oſtio miſſus, ſortis ac loci beneficio, ceteros antevertebat. Atque is *occupare* dicebatur. Vetus epigramma de circo.

Aſt ubi panduntur, funduntque repagula currus,
Unus & ante omnes cogitur ire prior.

Is eſt qui occupabat, & pænè certa ſpe victoriam præſumebat. Silius:

----- *votique peractam*
Majorem credunt prærepto limite partem.

Et ſanè ſi nihil adverſi illi accideret, atque inoffenſum curſum teneret uſque ad finem, vireſque perferret equorum integras ad ultimum uſque ſpatium, flexum-
C que metæ ſeptimum, haud dubie vincebat. Sed plerumque eveniebat, ut præ ſtudio obtinendi, ac ſervandi primatus, quem ab initio ſortis munere adeptus erat, prælaſſatis & conſumptis viribus equorum ante ſeptimum curriculum deficeret, palmamque ſequentibus traderet, qui in ejus locum ſuccedebant, metamque ſeptimam, in quo fuit victoria, circumire anticipabant. Silius:

At queis interior cura & prudentia circi
Altior, effuſas primo certamine vires
Damnare.

Cauti igitur agitatores in primis ſpatiis ſuſtinebant
D equos, ſpiritumque, ac vires eorum diſpenſabant, priuſquam ad finem venirent, ut integri, & indefecti prægreſſos jam defeſſos opprimerent, & in flexu metæ ſeptimæ præverterent. Qui ſecundo oſtio mittebatur, ut primum proxime ſequebatur, ita ceteros præcedebat. Is plerumque ſi quid improſpere cecidiſſet primi oſtii agitatori, aut ſi qua ipſe arte poterat, ut de proximo ita facilè locum ejus capiebat. Atque ut de primo oſtio miſſis dicebatur, *occupavit, & vicit*: ita de iſto, *ſucceſſit & vicit*. Nam ſecundo oſtio miſſus planè ſuccedebat ei, qui primo oſtio exierat, & proximè eum ſequebatur. Silius:
E
Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci, tantum ſed proximus ibat
Aſtur Panchates.

Succedebat igitur ſecundus primo, quia proximus. Quod enim in veteri inſcriptione poſitum eſt, *ſucceſſit, & vicit*, ita accipiendum eſt, tanquam ſi dixiſſet, ſecundo oſtio miſſus eſt, & vicit. Nam de primo oſtio miſſis, ut docui, dicebatur, *occupavit & vicit*. Tertio oſtio miſſus, ut proximus ferebatur ſecundo, ita proximè ſequentem, & inſtantem tergo ſuſtinebat quartum. Tam ab eo itaque cavendum habebat, ne præverteretur, quam ſtudendum, ut ſecundo, &
F primo primatum eriperet. Hic non poterat ad palmam pervenire, niſi prægreſſis campum eriperet. Nec enim ſecundo tantum oſtio miſſum præcedere, ut palma potiretur, debebat, ſed etiam primo. Nihil erat ſucceſſiſſe ſecundo, quia magis obſtabat primus. Nam etiam ſi ſecundus primatum eriperet primo, non tamen fuit neceſſe, ut tertius in locum ſucceſſerit ſecundi. Quippe primus, qui in locum ſecundi reciderat, adhuc reſtabat ſuperandus iſti tertio. De eo igitur, qui tertio oſtio exibat, dicebatur artis circenſis vocabulo, *eripuit & vicit*. Præmium ſiquidem eripiendum veluti erat primo & ſecundo loco
G egreſſis, ſi quidem palmam conſequi vellet. Sed melius eſt, ut intelligamus *campum eripi*. Ita enim diſertè Silius expreſſit in circenſibus Scipionis, ubi omnia artis vocabula ſtudiosè poſuit. Ita loquitur de agitatore ſecundi loci equos ſuos adhortante:

Tene Aſtur certante feres quiſquam æquore palmam
Erepto?

Præci-

Præcipuum equum ſic alloquitur, an te certante, ô Aſtur, quiſquam palmam feret, campo erepto? in tabula agitatorum circenſium hoc ordine hæc ſic habentur expoſita: *occupavit & vicit: ſucceſſit & vicit: eripuit & vicit.* Quod interpretandum eſt de primo, ſecundo, tertio oſtio miſſis. Silius de primo dixit *præripere limitem*, quod eſt *occupare*: de ſecundo *proximum eſſe*, quod idem eſt ac primo ſuccedere: ſecundus apud eumdem metuere dicitur, ne à tertio ſibi campus eripiatur. Sic enim accipiendum. Quarto oſtio miſſus raro ad palmam perveniebat. Ideo pro magno ponitur in eadem inſcriptione circi, *quarto oſtio miſſum viciſſe.* AGITAVIT XXIIII. MISSUS OSTIO IIII. CCLVII. Haud dubium ſane eſt, quin *occupare* de primi oſtii, ſive primi loci agitatore dictum fuerit, quem locum ſors dabat. Ex merito loci *occupabat*, id eſt, ceteros antecedebat agitator ille, qui oſtium illud ſortitus erat. Quod etiam ex inſigni quodam loco Troadum Senecæ conſtare poteſt, qui male hactenus lectus ab omnibus, nec melius intellectus eſt. Hecuba mala multa ibi imprecatur Argivorum claſſi. Verſus hac ſerie dirigendi, legendique:

---- *quid precer vobis? precor*
His digna ſacris æquora. Hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum vehar, quidquid rati.
Me mea ſequantur fata. Non pelago quies
Tranquilla veniat, ſæviat ventis mare,
Et bella & ignis, & mea & Priami mala.
Dumque iſta venient, interim hæc pœna in loco eſt.
Sorte occupavi, præmium eripiant mihi.

Rectè viderat Scaliger verſus in editionibus tranſpoſitos ad hunc modum diſponendos eſſe, ſed in ultimi verſus vera lectione, ac ſententia eruenda planè cæcutivit. Vulgo ita ſcribitur:

Sortem occupavi, præmium eripuit mihi.

Pro quo ipſe emendabat, *præmium eripui mihi.* Quod caret ratione. Sed nec illud bene interpretatur, *ſortem occupavi.* Et ſane prius fuit emendandum quam explicandum. Nemo ſortem occupabat, ſed eam, quæ obtigerat, capiebat, ac per eam locum, vel præmium, quodcunque illa aſſignaret. Legendum itaque:

Sorte occupavi, præmium eripiant mihi,

τῷ κλήρῳ προέλαβον, αὐτοὶ ἢ τὸ βραβεῖον ἀφαιρῶσιν. Multa dira, & infauſta precatur Græcis rediturıs, & quæcunque ipſa pateretur, quæque jam paſſa eſſet mala. Dumque iſta, inquit, venient, quæ illis opto, hæc pœna interim qua afficior, in loco eſt, id eſt, locum ſuum obtinet. At quæ illis imprecor, locum quoque habebunt, ac tempore ſuo venient. *Sorte occupavi*, hoc eſt, in hoc ſtadio miſeriarum, ac ſuppliciorum decurrendo ſors mihi tribuit, ut prima eſſem, & primo loco exirem, ac proinde ceteros anteverterem: ſed ipſis opto ut præmium mihi eripiant, & licet tardius egreſſi, me tamen queant ſuperare, & longe miſeriores quàm ipſa ſum evadere, palmamque in hujus ſtadii decurſu obtinere. Metaphora ſumpta à ſtadii curſoribus, penes quos qui ſorte occupabat, id eſt, qui primo loco exibat è limine, licet plurima victoriæ præſumptione fretus, ſæpe tamen victoriam ſequentibus tradebat, qui præmium ipſi auferebant. Nam ut dixi, multa in primo loco victoriæ fiducia præſertim ſtadii decurſoribus & circi agitatoribus. Ideo quum vincebatur, qui ſorte occupaverat, veluti certa palma ei manibus eripi videbatur. Tanti erat ad victoriam τὸ ἀκλήρημα. Sæpe numero tamen aliter cadebat, nempe ut ἀκληρήσας premio potiretur. Idem igitur apud Plinium *occupare* abſolutè poſitum, ut apud Senecam *ſorte occupare.* Nam ſortis beneficio id obtinebat, quicunque occupabat. Hæc veriſſima. Apud Plinium ſequitur: *occupantes, primatum obtinentes.* Ex iis quæ attulimus, neceſſe eſt quadrigam illam primo oſtio miſſam fuiſſe. Sed ſi *occupare* idem eſt quod prægredi & prævertere, cur addit, *primatum obtinentes*? An non idem eſt *primatum obtinere*, & προλαβεῖν, ſive *occupare*? putare itaque aliquis poſſet ex gloſſamento hæc verba producta. Non ita eſt. Occupabat, qui ante alios curriculum præripiebat, utpote primo proximoque oſtio miſſus. Verum interdum accidebat, ut qui primus exierat, primatum ſuum ad finem non perferret, ſed in decurſu perderet ab aliis ſequentibus præreptum. Nec enim omnis qui occupabat, utique & vincebat. Ideo in antiqua inſcriptione ponitur, *occupavit & vicit.* Qui occupaverat, & vincebat, is primatum ſuum ad ultimum uſque ſpatium conſervabat & obtinebat. Idcirco additum Plinio, *occupantes, primatum obtinentes*, ut ſignificet, non tantum eos equos occupaſſe, ſed etiam primatum, quem beneficio ſortis & primi loci ab ipſis carceribus occupaverant, ad extremum obtinuiſſe. Inde ſanè & vicerunt. *Primatum habere & obtinere* familiaris Plinio, & bonis auctoribus loquutio, ne quis parum Latinam cenſeat. *Opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos, quæ poterant, peritiſſimo auriga inſiſtente facientes.* Et hæc duo verba ex eadem arte, *opponentes, effundentes.* Et propria quidem præcedentium aurigarum. Cum enim qui præverterat nimis premeretur à ſequentis curru, nec alia arte, aut vi vitare poſſet, ne præverteretur ipſe, currum obliquum de ſubito opponebat: quo facto inſtantis & incumbentis quadrigæ currus, dum nimio impetu ferretur, impactus ſæpè frangebatur, vel evertebatur, excutiebaturque auriga. Silius:

---- *& nitentem opponere lævos,*
Aut æquare gradus, Cyrnum poſt terga relinquit.

Cyrnus ille, qui nititur lævos gradus opponere ſequenti currui, primus agitator erat, & præcedebat. Lævos gradus opponebat agitator, qui currum è tranſverſo ſic obliquabat, ut lævum latus opponeret ſequenti, & inſtanti quadrigæ. Quod ipſe paulo poſt diſertius exponit:

Donec confiſus primævo flore juventæ,
Obliquum Durius converſis pronus habenis
Oppoſuit currum, atque everſum propulit axem
Atlantis ſenio invalidi.

Vide cetera. *Opponentes, effundentes*, nempe currum ſuum opponentes obliquum: ſequentem autem currum cum auriga effundentes, & evertentes. Ita planè interpretandum eſt. Silius de eodem agitatore, cujus currus everſus fuerat præcedentis oppoſitu:

Dumque ea proclamat perfracto volvitur axe
Cernuus, ac pariter fuſi, miſerabile, campo
Diſcordes ſternuntur equi.

Alias effuſæ carceribus quadrigæ apud poëtam dicuntur.

Aut quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia.

Sed hac notione non poteſt in hunc locum convenire. Plinius eodem cap: *effuſo* *atumena, qui ibi vicerat.* Et Solinus hoc loco: *effuſo in carceribus auriga.* Nunc de circo quædam obiter addenda, in quibus exponendis peccant homines noſtri. *Murciæ metæ* eædem & primæ, ut paulo ante attigi. Liber de circo ultimas eas perperam facit. Varroni intimus & primus circus *ad Murciam* dicitur, ubi carceres erant, & non longe inde *Murciæ metæ* ab æde *Murciæ* dictæ. Tertulliano quoque de ſpectaculis *metæ primæ*, & *Murciæ* eædem ſunt. Sic enim ait: *& nunc ara Conſo illi in circo defoſſa eſt ad primas metas ſub terra.* Paulo poſt eaſdem *Murcias* vocat: *Conſus, ut diximus, apud metas ſub terra delitеſcit Murcias. Has quoque idolum fecit. Murciam enim deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Sic enim locus ille legendus eſt, ut jam partim Scaliger, partim Turnebus viderant, quos non audierunt poſteriores interpretes, inepti homines. Noviſſimus horum inſigniter deceptum Turnebum autumat, qui legat, *Murciam enim deam marmoris.* At ſi primas editiones Tertulliani conſuluiſſet fatuus ille, non diceret falſum Turnebum, qui ſic legerit. Nam ita illæ exhibent, quæ ſcriptura eſt omnium antiquorum codicum. Nec aliter exhibet vetuſtiſſimus ille, qui olim Agobardi fuit. Pro *marmoris* correctores repoſuerunt *amoris.* Fatuorum hominum & ſibi ſimilium correctiones ſocius ille interpres in deliciis ubique habere ſe profitetur, & habeat ſanè. Pro *marmoris* omnino debuit emendari *marcoris*, quod leviter tantum ſuſpicabatur Turnebus. Profecto nuſquam veteres *Murciam* illam amoris deam eſſe prodiderunt, ſed marcoris & ignaviæ. Nam *murcus* veteribus idem quod ignavus. Hinc extremis Latinitatis temporibus *murcos* appellabant jlocalariter, qui ſibi pollices præcide-rant,

derant, ne militiæ nomen darent. Ammianus: *Nec eorum aliquando quisque ut in Italia, munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos jocaliter murcos appellant.* Desides, & ignavos, & imbelles ita vocarunt. *Murcus, murcidus*, ut *flaccus, flaccidus. Miccus, miccidus*, ὁ μικκὸς: unde *miccidiores termini*, id est, minores apud Innocentium. Quam vocem perperam ἀπὸ τοῦ ἥμισυ deducunt. Inde igitur *Murcia* murcorum & murcidorum, id est, ignavorum dea. Festus: *Murcidum, ignavum, stultum.* Plautus: *Murcide homo, ignave, iners.* Malè in editis *murricide*, quod Scaliger pejus exponebat, quasi μυοκτόνον. Hoc est & *muricida.* Nec enim *muricidus* magis dicatur, quam *parricidus.* Augustinus *Murciam* dictam asserit, *quod faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum & inactuosum.* Arnobio, *Murcia segnium dea.* Servius: *alii murciam a murco, quod est murcidum dictam volunt: pars a dea Murcia, quæ cum ibi bacchanalia essent; furore sacri ipsius murcidum facerent.* Sic legendus ille locus. *Murcia* unum ex Veneris cognomentis, ut *viscata, verticordia, calva* & similia. Ridiculum itaque esset eam *Murciam* dicere amoris Deam esse, quum nemo nesciat Venerem amoris matrem haberi. Sed quare Venus cognomento *Murcia* dicta sit, hoc est quod quærendum fuit. Tertullianus, & plerique *marcoris Deam* interpretantur, quod homines *murcos*, id est, murcidos, sive marcidos, id est, desides & ignavos redderet. Falsa ita lectio apud Tertullianum *amoris dea*, licet pro ea asserenda Lacerda laboret. Græcum est μαλκὸς pro imbelli, imbecilli, & ignavo. Inde antiquum Latinum *marcus*, & *marcidus.* Ab illo *marcus* etiam *marceo* & *marcesco*: ut à *flaccus, flaccesco.* Ab eodem verbum *marcero*, τὸ τήκω, pro quo loquendi corrupto usu *macero.* Nam primam in hac voce longam auctores faciunt, nec potest à nomine *macer* descendere. Significatio etiam repugnat. Quippe *marcerare*, sive *macerare* τήκειν significat. Unde *aqua maceratum*, τὸ τηκτόν. Glossæ: *marcidat*, & *marcerat*, τήκει, τήκεται, λεπτύνει. *Marcidus & marcer*, τετηκώς, νωθὴς ἀπὸ κραιπάλης. Eadem est *murci*, & *murcidi* notio ab eadem origine. Nam Æoles dicebant μολκὸς pro μαλκὸς: unde *murcus*, & *murcidus.* Sic *scalpo* & *sculpo* ejusdem significationis verba, unum à γλάφω, alterum à γλύφω, quæ idem utrumque sonant. De *marco* quidem verum est ex μαρκὸς factum esse. De *murco* dubito. Verius videatur ex Siculo μύρκος deduci debere, quo vocabulo loquendi prorsus impotem illi dixerunt. Hesychius: Μύρκος, ὁ καθόλου μὴ δυνάμενος λαλεῖν Συρακούσιοι, ἐνεὸς, ἄφωνος. Inde traductum ad actus cujuslibet impotentiam, & ignaviam, veternumque totius corporis. Sic ἐνεὸν, qui proprie mutum, & elinguem significat, etiam pro hebete, & ignavo usurparunt. Hesychius: ἐνεὸς, νωχελής, μετέωρος, κωφὸς, μωρὸς, ὃς οὔτε ἀκούει οὔτε λαλεῖ. Idem ergo & μύρκος Syracusiis. Inde *murcus* Latinis, & *murcidus. Murciam* igitur Venerem à *murco* quidam cognominatam voluere, quod *murcos*, hoc est, murcidos homines redderet. Scripsisse porro veteres *Murciam*, non Murtiam & testimonia auctorum indicio sunt, idque confirmatur scriptura omnium librorum. Procilius *Murciam* ab urceis vocitatam voluit Varrone teste. Ergo & *Murciam* legebat ille, & sic legendum apud Varronem: *Intimus circus ad Murciam vocatus.* Et paulo ante: *Oppidum, quod à Murciæ parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt.* Et sane falluntur, qui *Murtiam* scribunt, aut *Murtim*, & ita aliquando dictam putarunt. Varronis ætate *Murcia*, non *Murtia* dicebatur. Quidam ex iis, qui de ratione cognominis *Veneris Murciæ* disputarunt, *Murtiam* olim vocatam pro Murtea quasi verisimile ponunt, non ut certum sit ita nuncupatam, quia myrto Venus præest, vel quia murtetis locus ille consitus quondam. Plutarchus: Καὶ γὰρ ἣν νῦν Μυρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσιν, Μυρτίαν τὸ παλαιὸν ὡς ἔοικεν ὠνόμαζον. Sic etiam legendum apud Plinium: *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murciam vocant.* Inde igitur & *metæ murciæ* dicendæ, quæ & metæ primæ. Inepte itaque auctor libri de circo cap. IV notat fuisse tres circi maximi partes, *circum primum, ubi meta prima: medium, ubi medianæ: intimum, ubi metæ murtiæ.* Atqui alio loco metas murcias cum ultimis confundit. Sic intimum idem foret quod ultimum. Præterea nullæ metæ medianæ. Inter utrasque metas obeliscus fuit in medio circi centro positus. Præter alios veteres epigrammatis auctor id testatur de circensibus:

Et medius centri summus obliscus abit.

Sed ille obeliscus pro meta non fuit. Metæ tantum in principio & in fine curriculi. Sic in agris metandis signa, unde visus auspicabatur, & ubi desinebat, metæ. Hinc meta pro fine. Nam & principium finis est in circo à fine rursus auspicantibus. Perverso etiam judicio idem auctor adstruit primas metas non fuisse necessarias, sed positas ad ornatum. Quod falsum est. Circum utrasque pariter currebant. Et nisi primæ metæ fuissent, pro libito suo agitatores contrahere spatia potuissent, & brevioribus gyris cursus circumflectere. Præterea nondum ædificatis circis, quum in patentibus ad littora campis ludi equestres antiquitus celebrarentur, metæ semper duæ statuebantur; una, unde cursus auspicarentur: altera, quum ad finem circumagerent, circumflecterentque. Certè circa utramque currebant. Nam ex ultima reversi primam quoque circumibant. Statius de ludis equestribus Archemoro factis:

Metarum instar erant, hinc nudo robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo,
Arbiter agricolis.

In circo Constantinopolitano meta ultima dicebatur σφενδόνη. Joannes Antiochensis: τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτῆρα τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δύσιν ὥς φησι χάραξ. Vetus epigramma de circo:

Namque axes gemini ortum obitumque docent.

Cassiodorus: *Ipsæ vero metæ secundum zodiacos decanos ternas obtinent summitates, quas ad instar solis quadrigæ celeres pervagantur. Eæ orientis & occidentis terminos designant.* Ita legenda hæc verba. Vulgo est: *Rotæ orientis.* In scriptis erat, *Eoæ.* Sed illud quod posuimus verum est, *Eæ metæ.* Partem circi, in qua σφενδόνη, sive ultima meta, ita fortasse vocaverint, quod ea parte circus in angustias cogeretur ad instar fundæ, quæ in medio latior est, utrimque strictior. Sic terrarum orbem, qui ad ortum & occasum in arctum stringebatur, σφενδόνῃ ἐοικυῖαν Dionysius esse dixit, πρὸς ἠελίοιο κελεύθους, quod suprà explicavimus. Circum claudi utrinque in teretem orbem Corippus dixit. Ita pars prima circi, ubi primæ metæ, æquè σφενδόνη appellari mereatur atque ultima. An potius σφενδόνη meta illa appellata est à basis forma, quæ instar palæ annuli haberet? Græci σφενδόνην appellant annuli palam. Ovatæ formæ instar erat. Huic similis in veteribus nummis metarum basis conspicitur, quæ tres obeliscos sustinet. Græci mentionem non faciunt in circo suo describendo, nec primarum, nec ultimarum metarum, sed θύρας opponunt τῇ σφενδόνῃ, carceres & ostia circi fundæ ejusdem, ubi σφενδόνη pro ultima meta, vel parte circi, in qua ultimæ metæ. Chrysostomus: οὐκ ἀπὸ λαύκης ἐπὶ σφενδόνην μιλιοδρομῶν, *non à creta ad fundam spatia decurrens.* Creta autem ad primas metas. Metæ Cassiodoro tres obtinent summitates. Sanè in utraque meta tres veluti obelisci ab una basi surgebant, ut ex nummis etiam patet. Græci: οἱ δὲ τρεῖς ὀβελοὶ τὴν τελεστιχον φύσιν δηλοῦσι. Intelligit tres obeliscos, qui in singulis metis. Cassiodorus ad tres decanos refert, quos in singulis zodiaci signis fingunt mathematici, de quibus nos suprà. Male etiam veluti controversum faciunt, utrum eadem meta septies lustranda esset, an septem metæ lustrandæ. Huic dubitationi nullus locus. Poëtis *septima meta* sæpe dicitur pro septimo metæ flexu. Non inde colligi potest septem metas circumgyrandas fuisse. Eadem loquutione usus est Cassiodorus: *Septem metis certamen omne peragitur in similitudinem hebdomadis reciprocæ.* Septem metas dixit, quæ alii septem spatia, alii septem curricula, alii orbes, alii septem vias, alii κύκλους, alii διαύλους, alii στάδια. Antiochensis Joannes: τὰ ἑπτὰ σπάτια τὸν δρόμον ἑπτὰ πλανητῶν. Græculus auctor anonymus: ἑπτάκις δὲ ἐκύκλουν τὸν Εὔριπον οἱ ἀγωνιζόμενοι διὰ τὸ ἑπτὰ στάδια εἶναι τὸ μίλιον, καὶ διὰ τοὺς ἑπτὰ πλανήτας. Auctor incertus de vita & gestis Alexandri, qui Græce & Latine scriptus in bibliothecis servatur, καμπτῆρας usurpavit pro curriculis & spatiis. Codex recentior, qui nomen Callisthenis

sthenis auctori illi tribuit, ita habet; μετὰ δὲ δύο καμπτῆρας σκονδυλίζει ὁ δεξιὸς ἵππος τοῦ Νικολάου. At vetustior, qui in membranis antiquis descriptus est, nec auctoris nomen inscriptum habet, ab illo satis diversus est, quantum ad stilum attinet, in historia tamen non variat. Pro illis habet ista: μετὰ δὲ δύο ἢ τρία στάδια σκονδυλίζει ὁ ἵππος τὸν Νικόλαον, καὶ καταπίπτει ὅλως τὸ ἅρμα σὺν αὐτῷ τῷ ἡνιόχῳ. Ex aliquo simili auctore Cassiodorus sumpsisse videtur, qui *metas* dixit pro metæ flexibus. Nam καμπτὴρ optimis auctoribus meta dicta est. Id posteriores pro flexu metæ, vel recursu, qui fiebat post metæ flexum, posuerunt. Cedrenus: ὁ Ῥωμύλος τυποῖ τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτῆρα τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δύσιν. Ubi καμπτῆρα ἐπὶ τὰς θύρας à meta ultima ad carceres, & primam metam recursum appellat: & καμπτῆρα ἐπὶ τὴν σφενδόνην, qui à prima meta ad ultimas dirigitur: Καμπτὸν pro eodem dixit Antiochensis: τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτὸν τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δύσιν. Ubi καμπτὸς similiter est circumflexus, vel recursus, non meta. Glossæ tamen etiam *metam* exponunt. Καμπτὸς, *flexus, hæc meta.* Cassiodorus in auctore Græco, unde accepit, quum καμπτῆρας, vel καμπτοὺς flexus metæ, vel decursus circa metas vertere deberet, *metas* reddidit. Ne καμπτὸν quidem, aut καμπτῆρα pro flexu metæ Græci recentiores ponunt, sed pro toto circuitu & curriculo. Ἑπτὰ καμπτοῖς ὁ ἀγὼν συντελεῖται, id est, septem curriculis, vel spatiis certamen peragitur. Eudemus in Lexico: βαλβὶς, ἀφετηρία τοῦ καμπτοῦ. Ubi καμπτὸν vocat curriculum vel decursum stadii. Latini *spatia* propriè dixerunt, ut ex multis auctorum locis constat, & hoc præcipuè Tertulliani de spectaculis sub finem, qui ex libro Agobardi legendus est: *In hos tibi circenses ludos interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia spatia dinumera, metas, consummationes sperum exspecta, societates ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrum palmas gloriare.* En cursus, spatia, metæ, greges sive factiones, mappæ signum, tubam, palmas. Mirabitur & heîc Lacerda nobis displicuisse vulgatam scripturam. Antiochensi ἑπτὰ σπάτια. Cedrenus & alii στάδια interpretantur, nescio quare. Nam longe aliud *stadium.* Ἑπτὰ στάδια, inquit alter, τὸ μίλιον, de septem spatiis, sive curriculis circi. Fortè à decursione stadii totum decursum circi etiam στάδιον vocarunt, quod Latini *spatium.* Κύκλους Græci appellant, ut Cedrenus: οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων τοὺς σπάτια οἱονεὶ στάδια, καὶ μίσους ἀντὶ τοῦ ἄθλους περὶ τὴν πυραμίδα, ἣν νῦν ὀβελὸν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταὶ διὰ τὸ ποσοὺς εἶναι τοὺς τῶν πλανητῶν πόλους. Vides & septem *missus* appellari septem spatia, ineptè. Nam missus unius septem spatiis absolvebatur. Laurentius Lydus: οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων ἤτοι σταδίων περὶ τὴν πυραμίδα, ἣν νῦν ὀβελὸν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταί. Eadem sunt quæ habet Cedrenus. Alii καμπτοὺς & καμπτῆρας pro spatiis, vel circuitibus dixere. & καμπτῶν κύκλους. Chrysostomus τὸ τῆς ἐκκλησίας ἀπέλεργον ἱπποδρόμιον, ἔνθα Παῦλος ἀγωνίζεται οὐκ εὐρίπου καὶ καμπτῶν κύκλους τρέχων, *non euripi, non spatiorum orbes currens.* Sic enim apud eum scribendum, non κάμπτων. Res quidem eodem recidit. Nam septem spatia non prius absolvebantur, quam septem flexibus meta circumacta fuisset. Hinc καμπτὸς, qui propriè flexus est, pro toto decursu spatii. Vetus epigramma *gyros* vocat:

Septem etiam gyris claudunt certamina palmæ,
Quod cælum stringunt cingula sorte pari.

Græculi auctores, qui sub imperio Constantinopolitano vixere, in circo suo describendo metarum non meminere expresso nomine, quamvis tamen plus quam certum sit & metas in eo fuisse. Cassiodorus dixit geminas metas orientem & occidentem ostendere. Vetus Latinum epigramma *geminos axes*, quæ metæ sunt, ortum & obitum docere. Græci pro eo dicunt, circi circuitum à fine ad initium orientem significare, ab initio ad finem occasum denotare, τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτὸν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην. Circi principium θύρας vocant, finem & exitum σφενδόνην. Sed nec metas circuiri in decursione circi uspiam memorant. Circùm obeliscum currere agitatores passim produnt, qui obeliscus in medio circi meditullio erectus

A erat. Alia certè in multis, ut videtur, ratio circi Romani, alia Constantinopolitani & Græcorum. Notum est euripum in circo veteri Romano appellari aquam ingenti fossa per tria latera circi ducta admissam. Nam *euripos* ut *nilos*, aquæductus apertos & grandes appellaverunt, quos vulgo *canales aquæ* dicimus. Hesychius: Εὐρίπους, δοχὰς ὑδάτων. Quas & Latini dicunt *dogas*. Dionysius de circi maximi euripo: πέριξ δὲ αὐτοῦ, κατὰ δὲ μείζους πλευρὰς, καὶ μίαν τῶν ἐλαττόνων εὔριπος εἰς ὑποδοχὴν ὕδατος ὀρώρυκται, βάθος τε καὶ πλάτος δεκάπους. Si quis euripum in Græco circo Constantinopolitano eadem notione accipit, ut faciunt vulgo, toto

B cœlo errat. Non ad latera circi, sed in medio *euripum* collocant, nec ita dictum volunt, quod aqua in eum locum induceretur, nihil enim aquæ habebat, sed quod septies circum eum currerent, ut septies euripi marini unda reciprocatur. In circo Romano intra euripum, id est, aquæ fossam currebant equi. In Constantinopolitano circum euripum ligneum, quod in medio circo erat, spatia sua peragebant. Hinc εὐρίπου καὶ καμπτῶν κύκλους τρέχων apud Chrysostomum, quia circum euripum orbes illi ac curricula explicabantur. Joannes Lydus: ἡ εὔριπος ὠνομάσθη ἡ μέση τοῦ ἱπποδρόμου κρηπὶς ἐκ τοῦ θαλαττίου εὐρίπου, καὶ τῆς ἑπτάκις αὐτοῦ διαυλοδρομίας.

C Οὕτω γὰρ ἐπ' ἐκείνου φασὶ συμβαίνειν. Mediam circi crepidinem ita vocatam asserit, quod septies circumiretur. Quod longe distat à significatione euripi in circo Romano, qui lateribus circi circumfusus erat. E ligno factum esse euripum illum in medio circo alius auctor affirmat: ἡ γὰρ δὴ προρρηθεῖσα Κίρκη πρώτη πελεῖν ἱππικοὺς ἀγῶνας ἐν Ἰταλίᾳ προκαταρξαμένη, καὶ ἱπποδρόμιον ἐκεῖσε κατεσκεύασε, τὸ μὲν μῆκος τεσσάρων σταδίων, τὸ δὲ πλάτος ἑνός: τὸ δὲ μέσον αὐτοῦ ἐποίησε ξυλουργὲς ὀνομάσασα τοῦτο εὔριπον ἀπὸ τοῦ θαλασσίου εὐρίπου ἐπειδὴ κἀκεῖνος ἑπτάκις, τῆς ἡμέρας ἀντιστρέφει τὴν κίνησιν. Satis hæc clara sunt, medium circi è ligno constructum, & *euripum* appellatum, quod septies cir-

D cum eum equi currerent. Lydus κρηπῖδα vocat. Apparet igitur crepidinem, vel marginem, vel pulvinum, aut etiam septum è ligno factum per medium circi quam longum erat extensum, circa quod equi curricula sua peragebant. Auctor anonymus: ἑπτάκις δὲ ἐκύκλουν τὸν εὔριπον οἱ ἀγωνιζόμενοι διὰ τὸ ἑπτὰ στάδια εἶναι τὸ μίλιον, καὶ διὰ τοὺς ἑπτὰ πλανήτας. Euripum illum oportet aliquam ex ligno fabricam fuisse per longitudinem medii circi porrectam, circa quam currebant quadrigæ. Κρηπῖδα vocat Lydus. Non tantum longam, sed etiam latam aliquantum fuisse necesse est. Suspicor esse quam Latini *spinam* in suo

E circo dixerunt. Ut enim spina per medium dorsum animalium porrigitur eminetque, ita & *spina* per medium circum crepido extans inter utrasque metas. Quod spatium & *intermetium* vocarunt. *Spinæ circi* mentio apud Cassiodorum de circo, & apud scholiastem Juvenalis ad illum versum.

Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum.

Ibi adnotat, *in circo, in spina.* Aliquid eminens veluti dorsum in circo fuisse ostendit Cassiodorus. *Spina*, inquit, *infelicium captivorum sortem designat, uti duces Romanorum supra dorsa hostium ambulantes laborum suorum gaudia perceperunt.* Ea spina κρηπὶς est τοῦ ἱπποδρόμου μέση, quam

F Græci εὔριπον vocaverunt. Falluntur itaque qui totam circi aream ita vocitatam esse asserunt. Spatium circi, sive τὸ ἔμβαδον Græci recentiores πέλμα dixerunt, id est, solum. Joannes Antiochensis: τὸ δὲ πέλμα τῆς γῆς πάσης, καὶ τὸν εὔριπον τῆς θαλάσσης ὑπὸ γῆς βασταζομένης. Cedrenus: τὸ δὲ πέλμα τὴν γῆν πᾶσαν εἶναι, τὸν εὔριπον τὴν θάλασσαν ὑπὸ τῆς γῆς μεσαζομένην. Apud utrumque εὔριπος non debet accipi de fossa aquæ plena lateribus circi circumfusa, sed eo euripo, quem suprà ex sententia Græcorum explicavimus per medium circi extento, ajunt solum & aream circi terræ universæ speciem exhibere: Euripum vero maris instar habere, quod à terris cin-

G gitur, ac sustinetur: maris scilicet mediterranei. Ergo euripus ille circi Græcorum in medio circo. Propriè *euripus* dicitur strictum mare inter duas terras, ut Euboïcus ille euripus. Inde & fossæ, vel canales aquæ in terra facti *euripi*. Inde & *euripus* in circo Constantinopolitano per medium circum ducta fabrica. Hunc euripum maris instar, quod à terra sustinetur, ὑπὸ τῆς γῆς βασταζόμενον repræsentari dixit Lydus. Quod si de euripo, ut

ut erat in circo Romano intellexissent, spatium quidem circi terram omnem significare dixissent, euripum vero oceanum terras circumcingentem. E contra illi tradidere mare terris circumclusum per euripum denotari. Nihil tamen aquæ euripus ille continebat, ut jam docuimus. In medio illo euripo, sive spina circi obeliscus erectus stabat. Joannes Lydus: ἡ πυραμὶς δὲ ἐστὶν ἐν μέσῳ τῷ σταδίῳ. Ἡ δὲ πυραμὶς ἡλίου, ἐπεὶ ἄσκιος ὁ τοιοῦτος βωμὸς καὶ ἄνωθεν μὲν τῆς πυραμίδος ἐπὶ τοῦ εὐρίπου βωμοὶ τρεῖς Κρόνου, Διὸς, Ἄρεος: κάτωθεν δὲ Ἀφροδίτης, Ἑρμοῦ καὶ Σελήνης. Pars circi, ubi metæ ultimæ, *superior* illi dicitur: *inferior*, ad carceres. Ita & Nicetæ: κάτωθεν αἱ τῶν ἐπὶ σταδίου θεόντων ἀφετηρίαι εἰς ἀψῖδας παραλλήλους κεχηλώασι. Ergo aræ tres, Saturni, Jovis & Martis in superiore circi parte, ἄνωθεν τῆς πυραμίδος, supra obeliscum ad euripum: infra ad eumdem euripum versus carceres aræ quoque tres, Veneris, Mercurii & Lunæ. Obeliscus, vel pyramis in medio soli dicata. Ideo septem spatia conficiebant circa illas septem aras quadrigæ, διὰ τὸ τοσούτους εἶναι τοὺς τῶν πλανητῶν πόλους. Alius auctor anonymus dicit utrimque adfines euripi in superiori quidem parte tres aras statutas, Jovi, Saturno & Marti: in parte inferiorіori similiter tres, Veneri, Mercurio & Lunæ: ἐν δὲ τοῖς παρ' ἑκάτερα πέρμασι τοῦ Εὐρίπου τούτου, ἐν μὲν τῷ ἄνω βωμοὶ τρεῖς ἵδρυνται, Κρόνου, Διὸς, Ἄρεος: ἐν δὲ τῷ κάτω πάλιν βωμοὶ τρεῖς, Ἀφροδίτης, Ἑρμοῦ καὶ Σελήνης. Ergo euripus ille porrigebatur ab infimo circo usque ad ultimum, inter utrasque metas. Verum ut res est, non infimi tantum Græcorum imperii, & Constantinopolitani hic euripus fuit in medio circo dictus, sed etiam locum eumdem pari appellatione circus Romanus postremis habuit temporibus. Quod vetus epigramma Latinum clarè indicat his versibus:

Namque axes gemini ortum obitumque docent,
Atque his euripus quasi magnum interjacet æquor:
Et medius centri summus obliscus abit.

Axes gemini sunt geminæ metæ, quibus euripum quasi magnum æquor dicit interjacere. Ergo euripus ille inter metas jacebat, longe utique à lateribus, quibus olim circumdatus fuit fossa ducta. Nec aliter quam de hoc euripo circi medio interpretandus fortasse Cassiodorus, qui metis expositis statim subjicit: *Euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illuc delphini æquorei aquas interfluunt.* Quæ verba vitiosè concepta esse nemo dubitet. Euripus ille, qui inter metas, siccus erat & sine aqua: immo aliquid eminens magis habuit quam depressum. De illo autem euripo loqui Cassiodorum fidem facit quod adjicit de delphinis, euripum eos interfluere. Delphini in circo, sive delphinorum columnæ, non in fossa illa fuere, quæ lateribus circi circumducta continebat aquam sub euripi appellatione, sed in medio circo inter metas positi cum aliis ornamentis circi & columnis stabant. Nec porrò in spatio illo sitos fuisse credendum est per quod equi currebant: nam obstitissent cursibus quadrigarum. Ergo, ut dixi, inter metas & in euripo. Legendum itaque apud Cassiodorum censeo: *Euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illum delphini æquorei quasi interfluunt*, quæ verissima emendatio. Medium illud spatium circi inter metas, quando euripi nomen habere cœpit, maris imagine censeri non potuit nisi de solo nomine: nec enim ulla fossa, aut aqua ibi fuit. Quod id spatium septies circumiretur ad instar euripi, qui septies aquas reciprocat, rationem saltem nominis reddiderunt. Et sanè non videntur alia de causa spatium illud circi medium, circa quod equi currerent, euripum nominasse, appellatione & loco in tantum dissitis à prisco circi euripo. Quod ab eo tempore videtur præsertim obtinuisse, ex quo mos desiit aquam circo circumdare fossis ductis. Euripi itaque appellationem transtulerunt à lateribus ad medium spatium. Nisi si dicas eam appellationem manasse ex stulta grammaticorum argutatione, qui cum euripum in veterum circis memoratum, in suorum temporum circo quærerent, nec invenirent aliud, cui magis id nominis conveniret, mediæ circi aræ inter metas hoc attribuerunt, quod septies euripi more circumiretur. Quod ineptum est. Nec enim euripus circi proprius, aut peculiaris, sed omnes aquæ canales apertos vocaverunt euripos & nilos, nulla spectatione septeni recursus euripi Euboïci. Plinius scribit Julium Cæsarem elephantorum spectaculum editurum circi arenam euripis circumdedisse, quum antea clathris ferreis

A circumdaretur. Non igitur primus Tarquinius Priscus euripos circo maximo circumfuderit: nam & eumdem Cæsarem circum maximum ad eam formam, qua tunc erat, exstruxisse tradit idem Plinius. Adjicit tamen Neronem postea euripos de circo sustulisse, & loca equiti addidisse. Euripi nempe fossas complevit. Jam inde igitur à mediis imperii temporibus, immo ferè à primis, nulli in circo veri euripi. Nam, ut docuimus, euripus infimi imperii longè alius. Eum à spina diversum facit Cassiodorus. Fortè media pars euripi aliqua lignea fabrica eminentior facta ad instar spinæ dorsi hoc nomen meruerit. Hoc est, quod Græci ξυλουργὲς κατασκεύασμα,
B & μέσην κρηπῖδα τοῦ ἱπποδρόμου vocant, & εὔριπον. Græci nullam præter hanc circi spinam agnoscunt. Interpres Juvenalis *in circo* interpretatur *in spina*, quasi aggestus, vel suggestus aliquis fuerit pars illa circi media, quod & spinæ nomen indicat. Ut ut sit, euripus ille in circo posteriorum temporum medius fuit inter geminas metas. Nec dubium est, quin aræ illæ trinæ, quas infra & supra Græci collocant ad fines euripi, metæ fuerint cum triplici apice vel summitate. Nam, ut ait Cassiodorus, ternas summitates singulæ metæ sustinebant. Ὀβελοὺς vocant iidem Græci. Alii βωμούς. Sic medium etiam obeliscum interpretati sunt esse aram soli dicatam. Ly-
C dus: ἡ δὲ πυραμὶς ἡλίου, ἐπεὶ τοιοῦτος βωμὸς ἄσκιος ἐστί. Et paulo post eam pyramidem ὀβελὸν tunc vocari tradit: οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων ἤτοι σταδίων περὶ τὴν πυραμίδα, ἣν νῦν ὀβελὸν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταί. Metæ igitur illæ circi Constantinopolitani, quæ infra & supra euripum, cum tribus obeliscis singulæ ex una basi surgentibus, planè similes metis circi Romani. Euripus itaque totum intermetium, instar cujusdam crepidinis è ligno septum vel munitum. Ultima meta σφενδόνη dicta, quod ejus basis instar σφενδόνης annuli haberet, & ovalis figuræ esset. Viginti quatuor missibus unius diei circenses constabant. Græci *missus* βραβεῖα interpretantur, nescio
D quare. Aliud enim missus. Joannes Lydus: τέσσαρσι δὲ καὶ εἴκοσι βραβείοις τὸν ἅπαντα συνετέλουν ἀγῶνα διὰ τὸν ἐν πυραμίδι λόγον, δυοκαίδεκα γὰρ γωνίας ἡ πυραμὶς ἐπιδέχεται, τουτέστι στερεὰς τέσσαρας, ὧν ἑκάστη ἐκ τριῶν: δὶς δὲ τὸν δώδεκα ἀριθμὸν εἰς δύο τέμνοντες τὸν τῆς ἡμέρας καιρὸν ἔτι καὶ νῦν τελοῦσι. *Missus unus* nihil aliud quam una equorum missio. Singulis missibus quatuor mittebantur quadrigæ, quę septem spatiis circum metas evolutis, quę prior metam in septimo curriculo circumflexisset, ea palmam apiscebatur. Hujusmodi missus una die viginti quatuor exhiberi legitimum, ac sollemne fuit, quibus nonaginta sex quadrigæ
E currebant. Olim vigesimus quintus missus addebatur, qui & *ærarius* vocatus, quia decollatione populi exhibebatur. Viginti quinque missus centum curribus constabat, quia singuli quatuor. Hæc nota sunt, & jam aliis dicta. Sed quare *missus* τὰ βραβεῖα Græci exponunt? βραβεῖον quidem singulis missibus erat propositum, non tamen missus βραβεῖον. Cedrenus μίσσους ἄθλους interpretatur, ac de septem spatiis, quæ singulis missibus conficiebantur, accipit. Certè missus quadrigarum certamen erat, id est, ἆθλος. Alii etiam τὰ ἆθλα sic vocarunt, id est, certaminum præmia, quę vulgo ἔπαθλα. Infima Latinitas *missa* & *missaria* pro pręmiis certaminum usurpavit.
F Ut enim ὁ ἆθλος est certamen, τὸ ἆθλον præmium certaminis, & brabeum: sic ad hoc exemplum, quum missus equorum sit certamen, & *missum*, vel *missarium* de præmio missibus proposito dictum. Glossæ: ἆθλον, *missum*. Interpres Juvenalis *habeant insignia vocis*, exponit *vocis missa*, id est, vocis præmia. Ita Græculus ille *missus* equorum ineptè τὰ βραβεῖα exposuit, & cum missis, vel præmiis confudit. A præmiis *miliarii* dicti agitatores, ut & equi *ducenarii* & *centenarii*, qui ducenta & centum sestertia merebant, ut ille agitator, qui in veteri inscriptione gloriatur equos fecisse centenarios & ducenarium unum. Ab eadem ratione *ducenarii* procuratores à duce-
G nis sestertiis. Martialis:

Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet.

Sic non ducenta tantùm sestertia, sed quadringenta equis dabantur. Legitimum pręmium quinque aurei. Juvenalis: *Accipe victori populus quod postulat aurum.* Quinque aureos interpretatur scholiastes. Verùm de his alibi. Nec enim heic librum de circo scribimus,

sed

sed quæ alii peccata in ea re tractanda fecerunt, obiter castigamus, dum Plinium explicamus. Ova in circo quid essent, aut cui usui, quæsitum. Tertullianus: *Ova honori castrorum adscribunt, qui illos ovo editos credere, & deos de cygno Jove non erubescunt.* Sic ille locus scribendus ex vestigiis vetustissimi codicis. Usum eorum ostendit Dio, & auctorem his verbis de Agrippa: κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ σφαλλομένους τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρῶν, τούς τε δελφῖνας, καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται. *Cum videret in circo homines sæpius errare circa numerum spatiorum decurrendorum, delphinas & ovales fabricas constituit, quibus circuitus curriculorum notarentur, ac numerarentur.* Hic est sensus Dionis verborum. Auctor libri de circo illis innui putat, ova metis imposita ab Agrippa, ut cùm variæ in circo columnæ essent, ac ne erraretur in metis, sed ultima ovorum indicio monstraretur, quæ & circumflectenda fuit. Quæ prorsus absurda sunt & falsa. Nam etsi plures columnæ in circo, nullæ tamen metis similes, quæ geminæ tantùm fuere, primæ & ultimæ. Utraque ex una basi tres summitates, sive obeliscos surgentes habuit. Nihil simile in aliis columnis. Nemo igitur heic potuerit errare. Nec hoc dicit Dio, sed circa numerum spatiorum & curriculorum homines labi solitos. Exempli gratia, cùm quatuor essent curricula peracta, quidam quinque, aut sex spatia evoluta dicerent. Quod & Livius docet sub finem lib. XLI: ubi ait Censores locasse carceres in circo faciendos, *& ova ad notas curriculis numerandis.* Sic legi debet, non *numerandas.* Ergo ova illa veluti notæ fuerunt, quibus curricula numerabantur. Id factum anno Urbis DLXXXI. Quod si verum est, illud utique falsum erit, quod asserit Dio Agrippam primum invenisse, ut curriculorum in circo numerus ovorum notatione designaretur. Quin & Varro meminit illius ovi, *quod ludis circensibus novissimi curriculi finem faciebat quadrigis.* Ergo ante Agrippam reperta & usitata ova notandis in circo curriculorum numeris. Ova illa metarum summitati imposita non erant, ut adstruit liber de circo. Qui enim possent ova metarum apicibus addita, quot jam spatia peracta essent, indicare? præterea non ova sunt, quæ summis metis, & obelisco imposita visuntur, sed pilæ, vel sphæræ, sicut omnibus fere pyramidibus, & obeliscis eas addi moris fuit in summo apice. Alia porro est ovi forma, alia sphærica. Ova circi, quibus curricula notari, ac nominari solebant, fuere ᾠοειδῆ δημιουργήματα, ut ea vocat Dio, fabricæ quædam ex ligno ovali figura factæ cum basi, qua sisti possent, & erigi. Poterant etiam hinc inde transferri & portari. Quod & Varro innuit in hanc sententiam scribens: *Nam non modò ovum illud sublatum est, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis.* Ex his nec vanè auguror septem ova tot numero statuta fuisse, quot curricula erant peragenda. Primo curriculo peracto unum ovum è medio tollebatur: secundo curriculo facto alterum. Ita de reliquis. Sexto spatio confecto unum restabat ovum, quod novissimi curriculi indicium faceret: quo absoluto etiam illud ovum auferebatur. Ad eam sententiam manifestis & expressis vestigiis ducunt verba illa Varronis, quæ superius attulimus. Poterat & contraria ratione numerus curriculorum per ova oriri, ut singulis peractis spatiis unum subinde ovum produceretur in medium atque erigeretur, quibus omnibus productis, & statutis omnia curricula finita indicarentur. Huic rationi videtur adstipulari Cassiodorus, ut in vulgatis editionibus descriptus est. Sic enim ait: *Nec illud putatur irritum, quod metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur, quando actus ipse multis superstitionibus gravis, ovi exemplo geniturum se aliqua profitetur.* Ut hæc sunt, eum sensum efficiunt, quem proximè diximus. Sed eam lectionem falsi damnant veteres libri, qui pro *ovorum erectionibus* habent *exceptionibus.* Legerim: *exemptionibus.* Ovorum exemptionibus exprimebantur circuitus curriculorum, quia post singula spatia evoluta unum eximebatur ovum. Nihil verius. Idem sensus potest inesse & lectioni scriptæ *exceptionibus.* Nam *excipere* est ὑπεξαιρεῖν, & *exceptio*, ὑπεξαίρεσις. Excipere aliquem de grege, de numero, idem est quod eximere. Glossæ: *exceptis*, ὑπεξῃρημένων. Juvenalis ova illa circensia videtur *falas* vocare. Eas quippe cum delphinis conjungit, ut fecit Dio.

Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante falas, delphinorumque columnas.

Sic Dioni οἱ δελφῖνές τε καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα. *Falæ* turres sunt rotundæ, quarum fastigium ovi refert imaginem. Græci teste Vitruvio βάρεις appellant, *& ipsarum ædium species baricæ, ut baris seu falæ, humiles latæ.* Ita olim eum locum legi debere docuimus. Sane *fala*, sive baris ᾠοειδὲς δημιούργημα. Perperam metas vertunt apud Dionem. Metæ in acumen desinunt, instar turbinis, non ovalem in speciem factæ sunt. Servius in IX. Æneid. de phalarica: *unde & in circo falæ dicuntur divisiones inter euripum & metas, quod ibi constructis ad tempus turribus, his telis pugna edi solebat.* Subjicit ibidem versum Juvenalis supra citatum. Notandum, quod ait falas divisiones esse in circo, & turres ibi extrui solitas ad tempus. Plane sunt illa ᾠοειδῆ δημιουργήματα, quæ Agrippa primus fabricanda curasse dicitur ad ostendendum curriculorum numerum. Construebantur ad tempus, ludorum nempe die. Ad eumdem usum delphines etiam facti ab Agrippa. Illi in medio euripo, hoc est, in spatio, quod erat inter duas metas, ut constat ex Cassiodoro. Ibi etiam falæ. Ideo utrasque junxit Satyricus. Servius falas illas vocat *divisiones inter euripum & metas.* Ita accepit euripum, quomodo tum accipiebatur, de intermetii spatio, quod erat divisum turribus illis, sive falis ad hoc positis, ut numerum curriculorum indicarent. Prior versus apud Juvenalem, ut hoc obiter adjiciam, vulgo legitur mendosissime. In præcedentibus dixit mediocres, ac de plebe fœminas spatium utrimque metarum lustrare, atque astrologos è circo consulere, divitibus vero responsa dare conductos e Phrygia augures, insignes mathematicos & aruspices, qui publica condebant fulgura. Mox addit:

Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum,
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante falas, delphinorumque columnas.

Falæ & delphini in circo. Ibi viles & triviales astrologos consulunt mediocres & plebejæ fœminæ. An tales sunt, quæ nudis cervicibus longum aurum ostentant? Atqui hoc insigne nobilium fœminarum, aurum & purpura. Ipse Juvenalis alio loco segmenta & Tyrios habitus jungit in describendis nobilium insignibus. *Segmentum* de monili aureo quidam ex veteribus interpretati sunt: alii oram tunicæ circa collum limbo aureo ornatam. Placet itaque in illo versu scribi:

Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante falas, delphinorumque columnas,


id est, quæ nullum gestat cervicibus aurum, mulier nempe plebeja. Loquutio tralaticia, quæ nullis aurum gestat cervicibus, ut *nullus dixit, nullus venit*: & apud Ammianum, *nullas acies explicare permissi*, pro non permissi acies explicare. Quod indubitatum est. De delphinis in circo, quos cum ovis junctim recenset Juvenalis cum Dione, ita scribit Tertullianus libro de spectaculis: *Delphinas Neptuno vovent, columnas Sessias a sementationibus: Messias a messibus: Tutelinas a tutelis fructuum sustinent.* Quinam sunt, qui columnas illas Sessias, Messias & Tutelinas sustinent? An delphines? Hoc sit fortasse. Sed columnæ illæ, quas vocat, dearum simulacra sustinebant, quæ his nominibus appellabantur. Plinius lib. XVIII. cap. II simulacra in circo esse dicit Dearum Sejæ & Segetiæ, & tertiæ, quam nominare sub tecto nefas esset. Ea est *Tutelina.* *Sejam* à serendo dictam ait. Nec aliter legunt libri. Ea est, quam heic *Sessiam* vocat Tertullianus. *Segesta*, vel *Segetia*, eadem cum *Messia*, à segetibus appellata. Columnæ itaque illæ non erant ipsa simulacra, sed ea sustinebant, ut verisimile est. Plinius: *Sejamque à serendo, Segestam à segetibus appellabant, quarum simulacra in circo videmus.* Non carent igitur vitio vulgares Tertulliani libri loco, quem superius adduximus. In scriptis ita formatur: *Delphinos Neptuno vomunt columnæ. Sessias a sementationibus: Messias a messibus: Tutelinas a tutela fructuum sustinent.* Nec aliter habet præstantissimus codex Agobardi, nisi quod prima syllaba in verbo *vomunt*

munt desideratur, ubi membrana exesa est. Vera prorsus illa lectio est. Dicit columnas delphinos Neptuno vomere, quia sculpti in columnis illis delphini, vel certè pro basi sunt eisdem columnis. *Delphinorum columnas* eas vocat Juvenalis:

Consulit ante falas, delphinorumque columnas.

Eædem columnæ, quæ insculptos habuere delphinos, sustinebant Sessias, Messias & Tutelinas, id est, simulacra dearum Sessiæ, Messiæ & Tutelinæ. Numero multitudinis earum dearum nomina enuntiavit, veluti innuens tot deas esse Sessias quot sationes: tot Messias quot messes in diversis locis universi orbis fierent. Præterea hæc loquutio usitata idoneis auctoribus; & hujusmodi πληθυντικὰ, ut artis auctores docent, sunt μεγαλορρημονέστερα καὶ αὐτῷ δυξοκοποῦντα τῷ ἀριθμῷ. Ut apud Platonem: οὐ γὰρ Πέλοπες, οὐδὲ Κάδμοι, οὐδ' Αἰγύπτιοί τε καὶ Δαναοί. Sophocles: ἐξῆλθον Ἕκτορές τε καὶ Σαρπηδόνες. Ita hoc loco apud Tertullianum, *Sessia*, *Messia*, & *Tutelina*. Ex quibus Sessias columnas & Messias perperam fecerant. Eleganter autem columnæ delphinos vomere dicuntur, quæ circa capitula, vel basim sculptos eos præferunt. Sed magis est, ut circa capitella sculpti fuerint.

A Sic vetus poëta in Hippocentaurum, qui ex equo & homine compositus est, dixit equum hominem vomere, quia homo exibat ex equo, ἵππος ἐρεύγεται ἄνδρα, ἀνὴρ δ' ἀποπέρδεται ἵππον. Delphinos illos euripum quasi interfluere scripsit Cassiodorus, ut supra correximus. Et sane nihil verius, quam euripum apud illius ævi scriptores eam circi partem appellari, quæ inter utrasque metas interjacebat in modum aggeris satis alte è terra elati, ejusdem cum metis latitudinis, quibus conjuncta utrimque erat ab una ad alteram pertingens. Ea forma plane conspicitur in veteribus nummis, ut κρηπῖδα B Græcorum prorsus agnoscas. Ξυλοεργῆ vocant Græci, fortasse quod latera ligno munita haberet, farta intus aggesta humo, glarea & harena. Hanc eamdem *spinam* circi vocaverunt, quidquid Cassiodorus euripum à spina videatur distinguere. In ea spina columnæ illæ erant positæ delphinorum, & alia simulacra, quæ in circo stabant. Nam reliquum circi spatium cursibus quadrigarum vacabat. Formam spinæ, sive euripi posterioris heîc subjiciendam curavi ex veteri nummo Aureliani Alexandri, sicut jam à viris do- C ctis delineata est cum metis & obelisco.



Compara hæc cum Græcis & recentiorum Latinorum de circo scriptis, & videbis quid illi euripum in circo appellaverint: παρ' ἑκάτερα τοῦ εὐρίπου ἄνωθεν, καὶ κάτωθεν τρεῖς βωμοὶ, τουτέστι τρεῖς ὀβελοὶ, vel quod Latinus auctor in epigrammate dixit euripum metis interjacere, id plane in suprascripta imagine expressum conspicis. Utrimque in summo & imo metas vides, quæ singulæ tres habent summitates, sive ὀβελοὺς super unam basin erectas. Βωμοὺς illi appellant. Ideo *metas* Latini numero multitudinis dicunt non *metam*, quia in una meta tres veluti sunt metæ. *Metas primas*, *metas ultimas*, *metas murcias* passim vocant. Tres obeliscos superioris metæ vel ultimæ, Saturno, Jovi, & Marti dedicatos scribunt. Tres inferioris, sive primæ Mercurio, Veneri & Lunæ. Medius obeliscus, qui singularis est, & maximus, soli consecratus erat. Crepido illa, sive suggestus, sive agger qui ab una ad alteram pertinet, & utramque conjungit, hæc est κρηπὶς μέση τοῦ ἱπποδρόμου, quam & euripi nomine donavit infima imperii ætas. Numquid & media? Euripi in circo meminit Tertullianus, cui & præesse matrem magnam dicit: *Frigebat dæmonum concilium sine sua matre magna. Et itaque illic præsidet euripo.* Cur euripo, id est, aquis præsideret mater magna? Quid illi cum aqua quam eamdem cum tellure esse fabulæ finxere? Præterea *euripos*, non *euripum* in circo antiqui auctores dixerunt, tum quum moris erat aquam circo per tria latera circumductis fossis inducere. Non unus quippe euripus in circo tum fuit, sed tres euripi, totidem quot latera circi essent, quibus aqua admitteretur. Euripos illos è circo sustulisse Neronem tradit Plinius, locis equiti additis. Ab eo tempore nulli in circo euripi. Frontinus de aquæductibus: *Quantopere curæ esset, ne quis violaret ductus, aquamve non concessam derivare auderet: cum ex multis apparere potest, tum ex hoc quod circus maximus ne diebus quidem ludorum circensium, nisi Ædilium aut Censorum permissu irrigabatur.* Ex his apparet circum Fron-

D tini ævo non amplius irrigari solitum. Cave capias de alia irrigatione quam quę fossis circo circumdatis, id est, euripis aquam inducebat. Hoc enim proprie est *irrigare*, aquam inducere riguis, id est, rivis. Nam *rigua* rivi sunt, & *eriguare*, aquam rivis & fossis deducere, ut supra ostendimus. Viri magni perperam referunt ad nescio quam refrigerationem, qua in theatro aquarum per semitas decursu æstivus minuebatur fervor: cujus rei primus auctor Pompejus. Addit Frontinus: *quod durasse etiam postquam res ad* E *curatores transiit sub Augusto apud Attejum Capitonem legimus.* Sane mos hic circi per euripos irrigandi usque ad Neronem mansit, qui euripos sustullit, & eorum loco loca, unde eques spectaret, addidit. In figura supra posita bases metarum ad instar palæ annuli factas videre est, quam Græci σφενδόνην vocant. In quibusdam nummis quadratæ visuntur. In circo Constantinopolitano ultimam tantum hac forma fuisse verisimile est, quam propterea σφενδόνην proprie dixerunt. Hæc pluribus explicanda & inculcanda fuere F quia nova sunt, & nihil hodie satis est duris & imperitis ingeniis. Claudendæ huic exercitationi addam & unum Tertulliani locum, qui ad circum pertinet, quem obiter emendavero: *& nunc ara Conso illi in circo defossa est, ad primas metas sub terra cum inscriptione ejusmodi*, CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO LARES COMITIO POTENTES. Quis fando audivit, vel legendo reperit, Lares quatenus Lares ac proprie ita dictos, nec ullo cognomine distinctos, comitio præ- G fuisse? Domuum præsides ab omnibus feruntur, unde & *familiares* ac *domestici* cognominantur. Glossæ: *Lares*, θεοὶ κατοικίδιοι. Veteres libri vulgatam lectionem incomitiant & condemnant, leguntque, LARES COÏIO POTENTES. In exemplari pervetusto Agobardi, omniumque qui hodie extant Tertulliani librorum optimo scribitur, *Lares coillo potentes.* Omnino emen-

dandum: *Lares colio potentes*: Antiqui *colere* abſolute dixerunt pro habitare. Agellius: *Sauromatas qui ultra Boryſthenem fluvium longe colunt*. Varro: *ædes poſſideo & colo*. Unde *coligo* apud Arnobium pro domo. Ita enim correximus è lib. s lib. II. *In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos*. Inde & *colium* à colo, ut *excidium* ab excido, *diſcidium* à diſcindo, *obſequium* ab obſequo, & infinita talia. Sic *colium* idem quod *coligo*, domus & habitatio. *Lares colio potentes* ſunt Lares familiares ac domeſtici. Egregia emendatio, & pretii quantivis ac momenti.

Cum effuſo rectore quadrigæ currus æmulos non minus aſtu quam velocitate præverterent.] Ita correximus editionum lectionem quæ habuit, *curſus æmulos*. Velocitate præverterunt currus æmulos, occupando & primatum obtinendo: aſtu verò, dum opponunt ſuos, & effundunt æmulorum aurigas. Plinius utrumque expreſſit, velocitatem & aſtum, his quatuor verbis: *occupantes, primatum obtinentes, opponentes, effundentes*. Nam currus obliquos opponentes effuderunt ſolo ſequentium quadrigarum currus & aurigas. Ita hoc loco *effuſo rectore*. Eodem ſenſu accipiendum apud Plinium illud *effundentes*, ſicut ſuperiori exercitatione monſtravimus.

Et poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum palmæ ſponte conſiſterent.] Plinius, ut vulgo in excuſis habetur: *peracto legitimo curſu ad metam ſtetere*. At ibi legunt ſcripti: *ad cretam ſtetere*. Quod verum eſt. Propertius:

---- *Hæc ſpatiis ultima creta meis.*

Quo loco etiam correctores repoſuerant, *ultima meta*. Illam alteram è libris Scaliger rectè vindicavit. Lacerda, ut ſpero, ubi occaſio ſe dabit, vulgatæ veniet aſſertor. Ita enim ſolet, de creta circi jam dictum doctis, ſed ita ut neque quem ad uſum, nec quo in loco, nec quomodo cretâ illâ circus notatus fuerit, adnotaſſe curaverint. Nec ſanè miror, quum nec auctores veteres ſurda aure intelligentibus hoc ſatis diſertè & exertè indicarint. Plinius lib. XXXV in fine, *ad victoriæ notam circum cretâ præduci* ſolitum narrat. Spatia, id eſt, curricula albo deſignata fuiſſe magnus Criticus obſervat. Quod falſum eſt. Seneca: *hanc quam nunc in circo cretam vocamus antiqui calcem vocabant.* Certè *calcem* vocarunt veteres locum illum circi qui cretâ præductus fuit, non quia calce pro creta uterentur antiqui, ſed quia finis ibi ſtatutus quadrigarum curſibus, poſt ultimum metarum flexum. Nam *calx* τὸ τέρμα. Ita enim & Græci vocarunt, ubi conſiſtebant quadrigæ, curſu legitimo peracto, Latini *calcem*. Pollux: ϰ὚ ὅθεν μὲν ἀφίενται ἄφεσις, ϰ὚ ὕσπληγξ, ϰ὚ γραμμὴ, ϰ὚ βαλϐὶς. Περὶ δὲ ὃ κάμπτουσι νύσσα, ϰ὚ καμπτήρ. Ἵνα δὲ παύονται, τέλος ϰ὚ τέρμα, ϰ὚ βατήρ. Sic Latinis unde emittebantur quadrigæ, *carceres* dicti & *oſtia*: circa quas in curſu flectebant *metæ*: ubi ſtabant ad palmam accipiendam poſt ſpatia peracta, *calx* & *creta*. Et *cretam* quidem quod albo notatus eſſet ille locus, dixerunt: *Calcem* vero quod terminus eſſet currendi. Atque ut *cretam ultimam* poëtæ appellant, quia finis erat, ita alii *calcem candidum*, quia terminus ille cretâ, id eſt, albo notatus eſſet. Varro:

Nemini fortuna currum carcere emiſſum intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit.

Ubi *calcem candidum* dixit, τὸ τέρμα λευκὸν ἢ λελευκωμένον. Si *calx* ibi ſignificat τὴν ἄσϐεστον, non maſculino genere id nomen extuliſſet, quod ſemper eſt fœminei. At cum τὴν πτέρναν deſignat, utroque genere indifferenter auctoribus uſurpatur. Cato tamen de R. R. etiam calcem, quæ eſt τίτανος, genere maſculino excudit, & *calcem arenatum* dixit. Ut Græcis πτέρνα, τὸ ἔσχατον, ita *calx* Latinis. Quod ſi putavit Seneca *calcem* in circo ideo vocatam antiquioribus quam tum dicebant cretam, ex ea cauſa quod *calx* ἡ ἄσϐεστος eumdem olim præbuerit uſum, profecto falſus eſt. Et videtur grammaticorum qui tunc locorum docebant, ea fuiſſe opinio, ad quam eos induxit ille Varronis verſiculus ſuprà citatus, aut alius ſimilis. At contra ea Plinius teſtatur veteribus cretam ad circum prædúcendum uſurpatam eſſe ad victoriæ notam: de cretæ quodam genere ſic loquitur: *eſt & viliſſima qua circum præducere ad victoriæ notam, pedeſque venalium trans mare advectorum denotare inſtituerunt majores.* Sed cur ad victoriæ notam circus creta præductus? Aut cur creta victoriæ indicium? Auguror ſcribendum: *ad victoriæ metam*. Meta eſt finis. Creta in circo, meta victoriæ & terminus, in quo currendi finem faciebant quadrigæ, & palmam accipiebant. An victoriæ nota ideo dicitur, quod ſolæ victrices quadrigæ, quæ metam ſeptimo circumagere anticipaſſent, eo uſque decurrebant præmium accepturæ? Solinus *locum palmæ* appellat, quem Plinius *cretam*. Ex vulgata lectione Plinii librorum colligebat auctor circi, victores ad eamdem metam quam luſtraverant, renuntiatos. Circumflectenda erat ſeptimo meta, ut victor aliquis renuntiaretur. Utrum igitur ad metam eamdem retro recurrebant, ut coronarentur. An in ipſo metæ flexu repente conſiſtebant? alterutrum neceſſe eſt, ſiquidem ad eamdem quam luſtraverant metam victoriæ præmium recipiebant. At neutrum veriſimile, ſicut utrumque abſurdum eſt. Quanto probabilius eſt, ultimo curriculo circumacta meta quod ſuperfuit ſpatii uſque ad primas metas abſolviſſe? Quod ſanè factum eſt, ibique corona & palma donabantur in eo loco, qui creta præductus fuit. Hic locus non longè à carceribus. Ideo βαλϐῖδα Græci vocant tam finem quam initium curſus, quia ad carceres, unde exierant, revertebantur, & curſum ibidem terminabant, coronabanturque. Pollux: ἵνα δὲ παύονται, τέλος ϰ὚ τέρμα, ϰ὚ βατὴρ, ἔνιοι δὲ βαλϐίς. Cretam non longe à carceribus fuiſſe planum eſt ex Chryſoſtomi verbis, quæ peſſime acceperunt circi editores: ϰ὚ ἵππους αὐτοῦ οὐκ ἀπὸ λεύκης ἐπὶ σφενδόνην μιλιοδρομῶν, ἀλλ᾽ ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν πυρίνου ἅρματος καταπολμῶν. Poſuit λευκὴν, id eſt, cretam pro circi principio, quam partem in circo τὴν κάτω appellarunt: ut eam, quæ ad ultimas metas erat, τὴν ἄνω. Eadem & σφενδόνη dicebatur. Rationem dedimus ſuprà. Idcirco partem inferiorem circi, ubi creta, comparat terræ: ſuperiorem ad ultimas metas & σφενδόνην cœlo. At λευκὴν in eo loco Chryſoſtomi legunt, & interpretantur *albam lineam*, quaſi λευκὴν abſolutè Græci dixerint ἀντὶ τῆς λευκῆς στάθμης. Quis neſcit *cretam* Græce dici λεύκην? Gloſſæ: *Creta*, λεύκη. Igitur λεύκην appellat in circo Chryſoſtomus, quam Latini *cretam*. Quæ appellatio uſque ad infima tempora duravit. Iſidorus: *Septem ſpatia quadrigæ currunt, quibus peractis vitæ terminus conſummatur, quorum finis eſt creta, id eſt, judicium.* Sanè *creta* finis erat curriculorum circenſium, ad quam terminabatur ſeptimum, ac noviſſimum ſpatium. Sed inepte cretam judicium ἀλληγορίζει, quia κρίτης judex. Male etiam in ſupraſcriptis Chryſoſtomi verbis μιλιοδρομῶν ab aureo miliario deducunt, quod μίλιον χρυσοῦν Græci auctores vocant, ac Romæ fuiſſe certum eſt. Tale & in urbe Conſtantinopolitana extitiſſe ſibi perſuadent, & in eo loco circenſes agitatos. Sanè fuerit & ibi μίλιον: nam & locus quidam Conſtantinopoli ſic dictus eſt. Quis adeo rerum imperitus, ut ludos circenſes in eo milio, ac non in circo edi ſolitos putet? Miliarium illud aureum columna fuit in medio Romano foro erecta, unde omnes in Italia viæ auſpicabantur. Si tale fuit Conſtantinopolitanum μίλιον, ut fuiſſe volunt; quis credere queat in eo miliario circenſes agitatos? Nugæ hæ ſunt nugaciſſimæ. Circum tria ſtadia longum, alii tria cum dimidio, quidam quatuor faciunt. Ita Græci, qui τέτταρα στάδια in longitudine circum habuiſſe ſcribunt. Si quatuor ſtadiis longus fuit à metis primis ad ultimas, hoc ſpatium bis explicatum octo ſtadiûm fuerit oportet. Octo ſtadia miliare efficiunt. Ita ſingula circi curricula in curſu, ac recurſu octo ſtadiis conſtabant, id eſt, mille paſſibus. Ita ſingula ſpatia conficere idem quod μιλιοδρομεῖν, quod poſuit Chryſoſtomus pro decurſu circi à creta ad metas ultimas. Poſſumus & aliter interpretari. Græci ſpatia circi reddunt στάδια. Septem ſpatia, ſive ſtadia peragebantur lege circenſi, quæ miliare unum conſtituunt, dimidio minus. Septena igitur illa ſpatia decurrere eſt μιλιοδρομεῖν. Græci: ἑπτάκις δὲ ἐκύκλουν τὸν δίαυλον οἱ ἀγωνιζόμενοι, διὰ τὸ ἑπτὰ στάδια εἶναι τὸ μίλιον. Hinc μιλιοδρομεῖν, ſeptem illa ſtadia conficere. Sed prior expoſitio etiam potior. Μιλιοδρομεῖν Chryſoſtomus dixit pro decurſu, qui fit à carceribus ad metas, quum propriè μιλιοδρομία eſſet à principio ad idem principium revolutus decurſus, hoc

eſt,

eſt, à creta ad cretam recurſus circumactis metis. Hic curſus integro miliari peragebatur: nam longitudo circi dimidio miliari conſtabat. Ceterum quum Caſſiodorus omnia minima & maxima circi notet, ut iis allegorias futiles adaptet, mirum cur cretæ non meminerit. Ejus loco *albam lineam* memorat *non longe ab oſtiis in utrumque podium quaſi regulam directam produci ſolitam, uti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne dum ſe præpropere conantur elidere, ſpectandi voluptatem viderentur populis abrogare.* Non ad ipſa oſtia eam albam lineam ponit, ſed non longè ab oſtiis. Non video, cujus uſus potuerit eſſe linea illa in circo Romano. Equi, cum curribus intra carceres continebantur, repagulis vel cancellatis foribus oppoſitis coërciti priuſquam ſignum daretur emittendi. Signo miſſo uno eodemque tempore laxatis repagulis è carceribus effuſi ſeſe proripiebant, exiliebantque. Quid ibi faciebat linea illa alba, aut quem poſita ad uſum? Certè Olympiæ emittendi currus & equi ejuſmodi linea prætenta, ſive funiculo cohibebantur, ne ante ſignum datum exirent, utque in æquo limite continerentur omnes: eaque linea pro repagulis, vel foribus carceris fuit. Pauſanias: περὶ δὲ τῶν ἁρμάτων ἢ καὶ τῶν ἵππων τῶν κελήτων δίηκε περὶ αὐτῶν καλώδιον ἀντὶ ὑσπλήγγων. Ergo & ὕσπληγγες, id eſt, carcerum repagula & fores, ibi non opus prætenta linea, ſive funiculo ad coërcendos equos. Varro *carceres* circi dictos ait, quod coërcerent equos, ne inde exirent antequam magiſtratus miſiſſet. Non igitur prætento funiculo, ſed foribus carcerum oppoſitis vetabantur exire ante miſſum ſignum. Præterea alia ratio Olympiæ, alia Romæ circenſium fuit. In Olympiacis circenſibus non uno eodemque tempore aperiebantur omnes carceres, nec omnes ſimul currus mittebantur. Qui in ſiniſtro latere carceres ſortiti erant, priores exibant, tranſibantque in dexteram partem, ibique ſtabant, donec ſecundæ ac dexteræ partis equi remotis repagulis & ipſi proſilirent, ut ſic ex eodem loco, & æqua linea omnes curſum auſpicarentur. Ideo & præter carcerum repagula opus etiam fuit funiculum prætendere, ne qui è carceribus ſuis priores exiiſſent, ulterius progrederentur, & limitem præciperent, nondum miſſis ceteris. Ita videtur exponendus Pauſanias. Niſi quis putet illum dicere in circo Olympiaco nulla repagula carcerum oſtiis oppoſita fuiſſe, ſed eorum loco funiculum tantum prætenſum ἀντὶ ὕσπληγγος omnibus carceribus. Meminit tamen paulo poſt τῶν ὑσπλήγγων in dextri ac ſiniſtri lateris oſtiis aperiendis: πρώτοις μὲν δὴ ἑκατέρωθεν οἱ πρὸς τῇ στοᾷ τῇ Ἀγνάμπτου χαλῶσιν οἱ ὕσπληγγες *repagula laxantur.* Et ſtatim: καὶ τηνικαῦτα χαλῶσιν οἱ ὕσπληγγες ἐν τῇ δευτέρᾳ τάξει. Ubi ὕσπληγγες ſunt repagula. Veriſimile eſt & priuſquam ædificati eſſent in circo carceres, hujuſmodi funiculum prætendi ſolitum cohibendis equis, & in æquo limite continendis. Lycophron eo alluſit:

Ἐγὼ δ' ἄκραν βαλβῖδα μηρίνθου χαλάσας
Πρώτην ἀρέξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεὺς
Ἄνειμι λοξῶν εἰς διεξόδους ἐπῶν.

Ubi Tzetzes ex more ſæculi ſui τὴν ἀφετηρίαν & τὸ κάγκελλον interpretatur. At μήρινθος linea eſt, ſive funiculus, qui τῆς βαλβῖδος, vel ἀφετηρίας locum obtinebat. In ipſis carceribus prætendebatur hic funiculus, non nimiùm longè à carceribus. Nam vice τῆς ὕσπληγγος erat, & eumdem uſum præbebat. Gloſſæ: *Tranſenna*, βρόχος ἐν ἀφετηρίαις πεπλεγμένος. *Tranſenna* propriè non eſt funis, ſed *cancellum*, ut infra dicam, vel *foris cancellata.* At cum funis pro cancello eſt, vel repagulo in circenſibus, tum tranſenna ſic poteſt exponi. Aliæ gloſſæ *tranſennam* ὕσπληγγα interpretantur. Ergo & funis, vel linea aliquando ἀντὶ ὕσπληγγος. Ergo ipſis carceribus prætendebatur tum, vel loco carcerum fuit. Fortè & omnium carcerum repagula, quæ uno tempore decidebant, eodem fune omnia continebantur, quo laxato repente & ipſa labebantur. Idem Caſſiodorus: *Biſſena quippe oſtia ad duodecim ſigna poſuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demiſſis ſubita æqualitate panduntur.* Non alius funis prætendi ſolitus videtur carceribus circi. Aut ſi fuit, certè carceribus ipſis prætendebatur, ut vicem eſſet repaguli. At Caſſiodorus dicit albam illam lineam non longè a carceribus præductam: *Alba linea non longe ab oſtiis in utrumque podium quaſi regula directa præducitur.* Sic legendum, non *producitur.* Hic locus cretæ in circo fuit. Addit idem: *ut quadrigis progredientibus inde certamen oriretur.* Certè & à cretæ loco certamen auſpicabantur, utpote qui non longè abeſſet à carceribus. Hinc Chryſoſtomus λευκὴν poſuit pro circi principio, unde certamen quadrigis oriebatur, ἀπὸ τῆς λευκῆς εἰς τὴν σφενδόνην μιλιοδρομῶν. Quod ſi *albam lineam* Caſſiodorus pro funiculo poſuit, certè erravit, & λευκὴν, id eſt, *cretam* circi cum funiculo confudit: idque ab illo non alienum. Omnia illa, quæ de circo, & ejus partibus, atque actionibus philoſophatur, à Græcis ea mutuatus eſt, quorum quædam & male reddidit, ut *ſeptem metas* dixit pro ſeptem curriculis, vel ſpatiis circi, quia in Græco reperit, ἑπτὰ καμπτῆρας, vel καμπτῆρας. Qua voce *metas* quidem antiquior Græcia ſignificavit, ſed recentiores eo nomine appellarunt curriculorum circuitus, τοὺς περιδρόμους τῶν διαύλων. Sic *euripum* & *ſpinam* circi diſtinxit, quia euripus in vetere circo alius à ſpina. At in novo ſpina eadem cum euripo. *Hermulas funibus demiſſos* à ſtadio ad circum tranſtulit. Cum tamen rem ipſam & verba Caſſiodori attentius penſito, vix poteſt mihi extorqueri, quin *alba linea* apud eumdem ſit λευκὴ Græcorum, id eſt, *creta.* Si rem ipſam videas nullus albus funiculus in circo Romano, nec ejus auctores mentionem faciunt. Grammaticus vetus, qui omnia circi vocabula ſub titulo *de ſpectaculis* redegit, λευκῆς tantum meminit, & *cretam* expoſuit:

Ἱππόδρομος, *circenſes.*
Πομπή, *pompa.*
Ἱππαφέσεις, *carceres.*
Καμπτῆρες, *metæ.*
Λευκή, *creta.*
Εἴσοδοι, *aditus.*
Βαθμοί, *gradus.*
Ἡνίοχοι, *agitatores.*

Et ita reliqua. Eadem habentur in vulgatis Latino-Græca, ſed minus integra. Creta illa circi nihil aliud fuit, quam linea in ſolo ipſo ex creta, quaſi ad regulam ducta ac directa. Plinius *creta præductum circum* dicit, id eſt, linea præducta notatum. Caſſiodorus albam lineam dicit non longe ab oſtiis quaſi regula directam ac præductam. Quod non poteſt funiculo convenire, ſed lineæ in ſolo ipſo ex creta ductæ. *Albam* vocat, & *quaſi regula directam*, id eſt, canone, & *præductam*, id eſt, ante carceres ductam. Lineæ ducuntur, ac præducuntur in tabula, quæ penicillo notantur.

Nulla dies abeat quin linea ducta ſuperſit.

Ita & in ſolo notantur creta lineæ. Ut in urbibus metandis vicos & vias, & reliquorum ædificiorum veſtigia lineis creta ductis deſcribi ſolebant, de quibus ſuprà diximus. Curſores, ut ex æquo limite progrederentur, in linea præducta ſtabant. Græci βαλβῖδα, unde initium curſus auſpicabantur οἱ σταδιοδρόμοι, interpretantur γραμμὴν & βάσιν ἐγκεχαραγμένην. Tertullianus metaphora inde ducta lib. III adverſus Marcionem: *video aliquas etiam nunc lineas præducendas ad quas erit dimicandum.* Et in Scorpiace adverſus Gnoſticos: *nunc in unam ſpeciem congreſſionis certas præducimus lineas.* Hinc & ſimiles apud eum loquutiones, *lineis eiſdem dimicare, in lineas eaſdem gradum colligere, ad lineam ſtare,* & *lineæ inſiſtere,* & *ultra lineam vagari.* Quibus omnibus locis, ſi quis *lineam* pro funiculo acciperet, ſane erraret. Linea intendi, ac prætendi dicitur, quum pro funiculo ſumitur. At *præducitur linea*, quæ in ſolo ducitur, vel ſulco impreſſo, ut linea, vel limes, cui inſiſtebant curſores, vel aliquo colore inſperſo, ut *creta* in circo. Hæc aſt *alba linea* Caſſiodori, quæ haud longè à carceribus in utrumque podium quaſi ad regulam directa præducitur. In charta, vel membrana ad regulam lineæ præducebantur ab antiquariis, quibus ſcripturæ verſus dirigerent. Græci παραγραφον dixere plumbum, vel ſtilum, quo lineæ præducebantur in membrana ad ſcripturam dirigendam: Latini *præductal*, vel *præductale*, quidam etiam *præductile.* Gloſſæ: *præductal*, παράγραφος. Fallitur, ſi quis putat παράγραφον ibi ſumi eo ſenſu, quo apud veteres Græcos, de linea

nea criticis nota. Vetus grammaticus capite *de ferreis instrumentis.*

> Σκαλὶς, *sarculum.*
> Ὑπήλον, *subla.*
> Σμίλιον, *scalpellum.*
> Γραφεῖον, *graphium.*
> Μαχαίριον, *cultellum.*
> Παράγραφος, *præductile.*
> Ὠτογλύφος, *auriscalpium.*

Stilum igitur ferreum præacutum, vel plumbum sic vocarunt, quod eo lineas præducerent scripturam directuras. Colloquia puerilia antiqua: *Surge puer, quid sedes; tolle libros omnes Latinos, membranas, & pugillares, & locellum, & præductale.* In Græco est: τὰς διφθέρας, τὰς πινακίδας, τὸν γλωσσόκομον, καὶ τὸν παράγραφον. Græcum epigramma ἀναθηματικὸν à scriba vel antiquario:

> Καὶ σελίδων κανόνισμα φιλόρθιον, ἕρσμα τε λειάς,
> Σαμοθέτω.

Intelligit παράγραφον. Sed hoc vocabulum hac notione minimè antiquum, ut *præfluere amnis* dicitur Latinis, qui Græcis παραρρέειν: & *præfluus amnis*, ὁ παραρρέων. Sic παράγραφος, stilus: ὁ παραγράφων, qui præducit ac præscribit lineas. Ad regulam præducebantur, qui Græcis κανών. Epigrammata dedicatoria ἀπὸ ταχυγράφων:

> Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυπόρου ταμίην.

Plumbo etiam præducere lineas solebant & regula, non tantum stilo ferreo. Aliud epigramma:

> Τὸν τροχόεντα μόλιβδον ὃς ἀτραπὸν οἶδε χαράσσειν
> Ὀρθὰ παραξύων ἰθυτενῆ κάνονα.

In alio, κυκλοτερὴς μόλιβος σημάντωρ σελίδων παλουρῆς. In alio: γυρὸς κυανέης σημάντωρ γραμμῆς. Item aliud epigramma:

> Καὶ κανόνα τροχαλοῖο κυβερνητῆρα μολίβδου.

Idem aliud:

> Καὶ μολίβῳ χρωστῆρι κανὼν τύπον ὀρθὸν ὀπάζων.

Canon, sive regula apposita plumbum dirigebat, ad rectas lineas præducendas, quibus scriptura insisteret. Catullus: ---- *membrana*

> *Directa plumbo, & pumice omnia æquata,*

id est, plumbo directa ad regulam. Rotundum illud plumbum fuisse testantur veterum epigrammata, quibus τροχαλὸς, & γυρὸς, & κυκλοτερὴς appellatur. Tenuis è plumbo lamina fuit, & in rotundum formata. Latini *præductale* dixerunt à præducendis lineis: Græci recentiores παράγραφον. Alba itaque linea Cassiodori, quasi ad regulam directa & præducta, non est funiculus, sed linea in circo ante carceres è creta notata. Fortassean Cassiodorus lineam illam circi confudit cum linea stadii, unde auspicabantur cursores. Βαλβὶς & γραμμὴ in stadio, unde cursus auspicium sumebatur, quæ ἀφετηρία etiam dicta. At in circo certum est ab ipsis carceribus currendi, ac spatii corripiendi initium cepisse quadrigas, ut passim auctores testimonio suo asserunt. Innuit porro locus ille, equos carceribus missos non statim in certamen cursus sese effudisse, sed ad eam lineam primo constitisse omnes, ubi è carceribus exiissent, atque eidem lineæ, ac limiti insistentes exæquatis frontibus mox in spatia sese dedisse. Hoc est quod ait: *uti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne dum se præpropere conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare.* Chrysostomus quoque ἀπὸ τῆς λεύκης certamen quadrigarum initium cepisse dicit, quæ λεύκη creta est, vel alba linea creta præducta, non funiculus albus. Veteres tamen cretam illam non ideo in circo notatam fuisse volunt, ut certamen & cursus inde auspicaretur, sed ad victoriæ metam, ac finem designandum, ut eò usque decurrerent victrices quadrigæ post novissimum metæ circuitum, ibique palmam acciperent. Ideo *cretam* palmæ locum interpretatus est heic Solinus noster. Hinc colligas quantopere hallucinati sint homines eruditi, qui *albam lineam* apud Cassiodorum pro funiculo acceperunt. Quorum ἀβλεψία heic non stetit, sed ultra lineas evagata est. Scaliger ad Manilium lineam illam imaginariam à carceribus ad metas extendi solitam notat. *Quod*, inquit, *à carceribus ad metas extenderetur,* ὕσπληγξ *declarat.* Quid voluerit nescio. Demus lineam albam apud Cassiodorum significare funiculum: non tamen à carceribus ad me-

A tas extensus, sed carceribus prætentus fuit, in utrumque scilicet podium, ut disertè testatur Cassiodorus, hoc est, ab uno podio in alterum traversario ductus. Præterea ὕσπληγξ non extendebatur à carceribus ad metas, sed vel carcer est, vel machinatio, quâ aperiebantur omnes carceres. Podia circi utrimque fuere ad duo maxima ejus latera: carceres unum è minimis lateribus occupabant: metæ ultimæ quæ circumagebantur, ad alterum minimum latus erant. Sic podium utrimque per longitudinem circi à carceribus, vel primis metis ad ultimas porrigebatur. Linea verò alba haud longe ab ostiis in utrumque podium carceribus præducta fuit per transversum. Inter carceres igi-

B tur & primas metas dirigebatur. Præducta carceribus, vel ostiis hæc linea intelligitur, hoc est, παραγεγραμμένη, ut *præductum foribus claustrum* dicitur apud Germanicum versibus his, qui sic legendi sunt:

> *Qualis ferratos obices clavicula dente*
> *Succutit, & foribus præducti vincula claustri.*

De quibus infra. Non ergo à carceribus ad metas extendebatur hæc linea. Longe etiam absurdius falsiusque quod astruunt ibidem eam lineam, hoc est, imaginosum funiculum non tantum committendis quadrigis, sed etiam reliquis omnibus adhibitam, quæ ad

C ludos spectabant. *Quid,* inquiunt, *an sparsiones erant sine spectaculis? Ergo nec sine linea.* Argumentum hoc non capio. Nulla in circo linea talis, qualem imaginantur: multo minus in theatro. Sed lineam theatralem expiscati sunt ex quodam glossarum veterum loco corrupto, quem jampridem emendavimus. Sic in iis scribitur: *Spartum,* λευκαία ἐν θεάτροις. Dictum factum. Λευκαίαν illam pro linea alba acceperunt, quæ haud minus in theatris usum habuerit, quàm in circo. Nugæ. Λευκαία Græcè vocatur *spartum*, hoc est, genus junci terrestris Hispanici, ex quo spartei

D rudentes, & alia utensilia fierent. At per se *spartum* Latinis funem non significat, tantum abest ut lineam theatrorum, aut circensium albam, quæ nulla fuit, significarit. Sed voces illæ ἐν θεάτροις ex præcedentis vocabuli expositione perperam in sequentem traductæ sunt, ut olim docuimus.

> *Sparsio,* κρόκος ῥαινόμενος ἐν θεάτροις:
> *Spartum,* λευκαία.

Cùm spatium prioris versiculi non caperet totam expositionem, verba illa ultima ἐν θεάτροις rejecta sunt in sequentis locum, qui vacabat, cum circumductione, qua indicaretur ad præcedentem versiculum perti-

E nere. Omissa nota circumductionis remanserunt. Atque inde factum, *spartum* λευκαία ἐν θεάτροις. Inde illæ albæ lineæ theatrorum extricatæ. At quis nescit sparsionem croci in theatris olim frequentem & usitatam? Illa igitur sparsio, non spartum, nec λευκαία in theatris locum habuere, sed nec ullæ lineæ albæ. Æquè futile est quod ex illis verbis Cassiodori de linea alba intelligi posse ajunt, quid sit apud Ovidium:

> --- *cogit nos linea jungi.*

Nihil simile. Linea Cassiodori non est funiculus,

F ut nec Ovidiana. Utraque tamen diversa, utcunque finxeris utramque funiculum esse. Ovidius de circensibus:

> *Quid frustra refugis? Cogit nos linea jungi:*
> *Hæc ex lege loci commoda circus habet.*

Linea illa Ovidii spectatores cogit jungi. Ergo per longitudinem podii porrigitur. Linea alba Cassiodori in utrumque podium è traverso ducitur. Ovidiana illa spectatores coërcet, & unà esse cogit. Hæc Cassiodorana equis exeuntibus opposita est, ne præproperè se eliderent. Dicat aliquis, cum alba illa linea extendebatur, eo signo admonitos fuisse spectato-

G res, ut loca caperent, ac se in cuneis stiparent. Hoc non procedit. Hanc legem esse loci dicit Ovidius. Ergo lex erat loci, situsque, qui linea quadam cogebat spectatores jungi, ne possent refugere, ac ultra lineam illam vagari. Linea illa non funiculus erat τῷ σχοινίῳ μεμιλτωμένῳ Atheniensium similis. Quid igitur fuit? An podium ipsum? Tertullianus *limitem* in circo propriè vocavit, quam Ovidius *lineam*, in libro

bro de ſpectaculis: *Numquid ergo & extra limites circi furori ſtudemus, & extra cardines theatri impudicitiæ.* Sic proprios facit circo limites, ut cardines theatro. De cardinibus theatri nos alibi. De circi limitibus heic quærendum. *Limes* idem quod *linea.* Unde apud agrimenſores *menſuralis* & *finitima linea* eadem cum limite. Sed & minores limites, qui octo tantùm pedes aut decem latitudinis habebant, *lineas* propriè vocarunt, & *lineares limites.* Unde & *deliniatio* pro tota limitatione, & *deliniatum* pro limitato. Limites porro ipſi ductis foſſis, vel ſulcis agebantur. Nihil aliud itaque limes quàm foſſa vel ſulcus. Circus autem foſſis circumdatus fuit decem pedes latis altiſque, quibus aquâ immittebatur circenſium diebus. An igitur ejuſmodi foſſas, & euripos vocavit Tertullianus *limites*, & Ovidius *lineas*? Nam & ipſe Tertullianus *limitem liminis* dixit pro linea in principio ſtadii producta, unde curſores auſpicabantur curſum. Vix tamen hoc verum putarim. Primum Tertulliani ætate non amplius euripis circumdari circum moris erat, quos jampridem ſuſtulerat Nero. An igitur podium intelligit? Ne hoc quidem. Podium quoque in amphitheatro. Atqui eo loco ſcriptor Afer *limites* ſoli circo vindicat, quum tamen & amphitheatri ſubjunxerit mentionem: *Numquid ergo & extra limites circi furori ſtudemus, & extra cardines theatri impudicitiæ intendimus, & inſolentiæ extra ſtadium, & immiſericordiæ extra amphitheatrum.* Præterea cùm circus euripis, & foſſis circumcluſus erat, tamen etiam tum podio & cancellis cinctus fuit. Quod Ovidius innuit:

Si pendent tibi crura, potes, ſi forte juvabit,
Cancellis primos inſeruiſſe pedes.

Spectabat illa in ſubſelliis podio proximis, & poterat crura pendula ſuſtinere immiſſis in cancellos podii pedibus. Podium igitur potius quàm euripus lineæ nomine intelligeretur. Sed nec podium, nec euripus facere poterant ut invitus aliquis cum alio jungeretur. Poſtremo certum eſt Tertullianum per *limites circi* intelligere loca illa, in quibus populus ſedebat, ſpectabatque, ut *cardines* erant in theatro. Atqui non ad podium tantum ſpectatores erant, ſed per totum porticus ſpatium, quæ in circuitu circi ædificata fuit. Palam eſt igitur *limites circi* apud Tertullianum accipi debere pro rectis, ac perpetuis ſedilium ordinibus, qui per longitudinem porticus, quam longa fuit, diſpoſiti fuere. Viæ inter illos ſedilium ordines, inſtar limitum perpetuo rigore incedentium. Nam limes propriè via cava, hinc inde extantibus marginibus. Quin & ipſi ſubſelliorum ordines in longum directi *limites* dici poſſunt. Nam *limitem* dixere quidquid in longum porrigitur, ſive extet, ſive depreſſum ſit. Apud agrimenſores: *In modum currentis lineæ parietem ſtruximus.* Paries ille vicem limitis, vel lineæ menſuralis fuit. Tres porticus triſtegæ circum cingebant in ſpeciem amphitheatri. Solum latus, ubi carceres erant, abſque ædificiis & porticu fuit, & ſub divo expoſitum. In inferiore porticus parte ſedilia fuere lapidea, in ſuperioribus lignea. Ut minus ſpatii perderetur, perpetua rectura videntur diſpoſita, nullis interciſa viis tranſverſariis, ut in theatro. Ideo ordines longos illos ſubſelliorum in circo, *limites* Tertullianus, *lineas* Ovidius vocavit, quia limites perpetuo rigore incedunt. In theatro longè ſecus. *Cardines* & *cunei* dicebantur, quia per cuneos diviſa. In acie quoque *cunei* globi ſunt cuneatim ſtipati. Virgilius:

---- *cuneis ſe quiſque coactis*
Adglomerant.

Gloſſæ: *cuneus*, ϛρατιωτῶν λόχος. In theatro ſubſellia per cuneos diſtincta, & alternatim viis, per ambitum & in deſcenſu ſeparata. Tertullianus de ſpectaculis: *Quid quod & cetera congruunt. Nam & apud ſpecula & in via ſtatur. Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum, & diſcrimina populariurn per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipſe in anfractu ad conſeſſum ſitus.* Sic legendus ille locus. Ergo cunei ſpatia erant, in quibus ſubſellia componebantur. Viis per ambitum, & in deſcenſu invicem diſtinguebantur. Per ambitum viæ *cardines* dictæ. Quod inter eas vias & cardines comprehenſum eſſet, *cuneum* vocabant. *Baltea* vocat præcinctiones. Ut cardines in theatro qui ſeparabant præcinctiones, ita *limites* in circi porticibus, viæ inter ſedilium ordines. Sed viæ in theatro *cardines* dictæ, quia multis verſuris cuneos interſecarent: in circo *limites*, quia verſuras non facerent, ſed perpetui, ac recta ſerie currerent. Hæc indubitata. Gloſſæ *cuneum* vertunt τὴν κερκίδα θεάτρου. Sanè ut *cuneus* in acumen deſinit, ita & κερκίς. Nam & ſummum pini cacumen & populi ab eadem cauſa κερκὶς vocatur Græcis. Heſychius: Κερκὶς ἡ τῆς πίτυος κορυφὴ ἢ αἰγείρου. Pollux inter theatri partes nominat & κερκίδα ex hoc Alexidis verſu:

---- ἐνταῦθα δεῖ περὶ κερκίδα
Ὑμᾶς καθιζούσας θεωρεῖν ὡς ξένας.

Κερκὶς in theatro Attico idem quod in Latino *cuneus.* In cuneis ſubſellia compoſita. Circa cuneos viæ, vel cardines, quibus ſeparabantur cunei, & in ambitu, & in deſcenſu. Qui in cuneis locum, ac ſedem non habebant, in via ſtabant, hoc eſt, περὶ τὴν κερκίδα, circa cuneum. Diſerte Tertullianus: *apud ſpectacula & in via ſtatur.* Hi *excuneati* dicebantur, qui extra cuneos in via ſtantes ſpectabant. Apulejus: *Extimus quiſque excuneati queruntur.* Hoſpites Athenis qui ſedem intra cuneos non habebant, περὶ τὴν κερκίδα ſtabant, hoc eſt, excuneati. Vir magnus ad characteres Theophraſti putat gloſſarii veteris auctorem erraſſe, qui *cuneum* exponat τὴν θεάτρου κερκίδα. Ipſe vero exiſtimat κερκίδα in theatro Attico fuiſſe locum, qui alio nomine dicebatur αἰγείρου θέα. Nam κερκίς, inquit, in hiſtoria plantarum vel eſt αἴγειρος, vel alia populo ſimillima arbor. Hæc non ſunt nauci. Κερκὶς non eſt αἴγειρος, ne populus quidem alba eſt, quam Græci λεύκην abſolutè nominant. Hæc duo genera illi diſtinguunt, αἴγειρον & λεύκην. At juxta Theophraſtum: Κερκὶς παρόμοιον τῇ λεύκῃ, καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῷ τοὺς κλάδους ὑπολεύκους ἔχειν. Quod ad folium τῆς κερκίδος attinet, dicit ſimile eſſe hederæ foliis, ſed minimè anguloſum, τὴν δὲ μίαν περιμήκη καὶ εἰς ὀξὺ συνήκουσαν habere. Et fortaſſe ideo κερκὶς appellata, quod ejus folium in acumen exeat inſtar cunei, vel radii textorii. Heſychius cacumen pini, & arborum, quæ in conum deſinunt, ita appellari tradit à ſimilitudine τῆς κερκίδος ἱστουργικῆς. Plinius in recenſendis populi generibus non meminit κερκίδος. Ut ut ſit, κερκὶς non eſt αἴγειρος. Quis igitur ſanus cenſeat Alexidi κερκίδα in theatro appellari, quæ aliis dicatur αἰγείρου θέα, vel παρ' αἴγειρον θέα, id eſt, *ſpectaculum circa nigram populum*? ne αἴγειρον quidem rectè quis vocitaret illam θέαν παρ' αἴγειρον. Aliud enim αἴγειρος ipſa, aliud ſpectacula & tabulata juxta eam arborem ſpectandi gratia erecta. Præterea ἡ παρ' αἴγειρον θέα dicta eſt priuſquam Athenis theatrum ædificatum foret: quia circa populi arborem quamdam ſpectacula ſibi fortuita extruerent è tabulis & aſſeribus, ut Heſychius exponit. Idem gloſſarii compilator *cuneum* interpretatur φυλὴν θεάτρου. An quod κατὰ φυλὰς ſpectarent, & ſuus cuique tribui cuneus aſſignatus eſſet? Ita certè videtur. Cuneus, ut φυλή, certum τάγμα dicitur. Hinc viæ in theatro *diſcrimina popularium per proclivum* Tertulliano dicuntur, quia cunei popularium viis per deſcenſum diſcriminarentur. At cardines balteorum propriè viæ per ambitum. Profectò licuit in theatro ac facile fuit propter illam multifidam viarum ſectionem à cuneis elabi, ac refugere eum, cui junctus eſſe nolles. In circi ſedilibus non ita id proclive, quia longa ſerie porrecta nullis interverſuris, aut interciſuris viarum erant diſtincta. Completis itaque ſedilibus, cum & ipſe in loco tuo ſederes, ante & à tergo ſubſellia plena haberes, à lateribus utrimque adſeſſores junctos, longum fuiſſet, & multi circuitus opus, aliam ſedem quærere, ut vitares qui proximus tibi ſediſſet. Ideo Ovidius cum Corinnæ forte ſedem in ſubſelliis circi proximam occupaſſet, & ſermonibus ejus illa inquietata vellet diſcedere, *quid*, inquit, *fruſtra refugis, cogit nos linea jungi*, longus hic limes & ſedilium ordo ſpectatoribus totus occupatus cogit nos jungi, nec uſquam tibi patet effugium. *Linea* igitur in circo idem quod *limes*, nec pro funiculo debet accipi, ut perperam hactenus imbiberunt eruditiſſimi homines. Quod ſi *limites circi* apud Tertullianum pro funiculis

quæ trahebantur, & moram habebant. Donatus in Eunuchum: *an sic dixit extrema linea, quemadmodum dicitur longis lineis quid fieri, id est, de longinquo.* Locum illum Terentii ex Eunucho nemo veterum intellexit, nec recentiorum:

---- *Quid nihil? Si non tangendi copia est,*
Eo ne videndi quidem erit? Si illud non licet,
Saltem hoc licebit: certe extrema linea
Amare haud nihil est.

Quid esset *extrema linea amare* non hodie atque heri quæsitum est, nec dum tamen repertum. Nugæ sunt omnes, quæ hactenus prodiere interpretationes. Phædriæ carendum erat amica per biduum, ut de compacto convenerat. Illud biduum primo decreverat ruri transigere, & in villam perrexerat: mox mutata sententia in urbem redire statuit, ac sic secum hæc disputat: Hem, biduum heic manendum est soli sine illa? Quid tum postea? Si non tangendi copia est, an ideo nec videndi erit? Quia non possum eam per hoc biduum tangere, an ipse propterea me privabo ejus conspectu, heic ruri manendo? Hoc non faciam. *Si illud non licet*, nempe illam tangere, *saltem hoc licebit*, nimirum illam videre. In urbem igitur redibo.

Certe extrema linea amare haud nihil est.

Est aliquid amanti eam videre, quam non potest tangere. Hic sensus hujus loci. *Extrema linea amare* dicitur, qui de longinquo amat, hoc est, qui amicam tantum suam videt, cui non datur eam propius adire, tangere, ac potiri. Metaphora ducta ab extrema linea stadii, quæ longinqua est, ac longe remota. At prima propior & interior. Hinc *primas metas* etiam *intimas* dixere, & partem circi intimam, in qua primæ metæ. Contrario sensu *prima linea amare* recte, atque eleganter diceretur, cui propius & interius suos amores nosse, ac contingere daretur, iisque frui, ut cursores, qui primæ lineæ insistunt, dum ad cursum se parant, non longius ab ea absunt, sed eam premunt & calcant. At ultima longe abest. Ita ergo *extrema linea amat*, qui de longinquo tantum videt id quod amat, nec prope habet aut tangit. *Amare* hoc loco non est amore frui, ut explicat Donatus, sed simpliciter amare, ut in hoc versu:

Amare liceat, si potiri non licet.

Extrema linea in stadio est, quam Græci ἄκραν γραμμὴν vocant. Euripides: ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν, longinquas & ultimas lineas sibi admovebat, qui propiores eas faciebat currendo, ac contingebat. Grammatici βαλβῖδα γραμμὴν interpretantur, Mœris βάσιν ἐγκεχαραγμένην, Eudemus βάσιν ταπεινὴν, alii βατῆρα, hoc est, limen. Ergo ὕσπληγξ Græcis quoque linea est idem quod Atticis βαλβίς. Glossæ quædam βαλβῖδα apud Hippocratem exponunt κοιλότητα παραμήκη, hoc est, depressam & cavatam in longum lineam. Alii tamen contra exponunt, βαλβῖδας Hippocrati significare quidquid utrimque aliquid eminens habet. Hesychius: καὶ παρὰ Ἱπποκράτει βαλβῖδες, τὸ ἔχον ἑκατέρωθεν ἐπαναστάσεις. Quidam ὕσπληγγα & βαλβῖδα differre faciunt, quidam confundunt. Idem Hesychius: βαλβῖδες, ὕσπληγγες. Harpocration ita eas voces distinguit: ἡ ὑπὸ τὴν ὕσπληγγα γινομένη γραμμὴ διὰ τὸ ἐπὶ ταύτης βεβηκέναι τοὺς δρομέας, βαλβὶς καλεῖται. Hoc verissimum. Utraque ad stadii ingressum, unde cursores emittebantur, βαλβὶς, & ὕσπληγξ. Βαλβὶς propriè γραμμὴ, linea in solo depressa & modicè cavata, cui insistebant cursores. Ὕσπληγξ repagulum, vel regula paulo altius è solo elata, & opposita cursoribus. Ideo βαλβῖδα ponit Harpocration ὑπὸ τὴν ὕσπληγγα. Signo dato currendi ruebat repente regula illa, sive ὕσπληγξ, & in lineam cavatam incidebat, ad cujus cavi modulum ita adtemperatè facta erat, ut decidens lineæ cavitatem impleret & exæquaret. Quo facto, & limine complanato in cursum se dabant, ac pedum certamen auspicabantur οἱ σταδιεῖς. Quod disertè his versibus ostendit Statius lib. VI.

Ut ruit, atque æquum summisit regula limen,
Corripuere leves spatium.

De stadii cursoribus hæc dicuntur, quæ perperam ad circum, & currile certamen traduxerunt in libris suis de circo. *Regula, quæ ruit*, est ὕσπληγξ. *Æquum limen*

A *submittit*, quum in lineam decidens cavum ejus implet, & limen æquum facit. Inde apud Græcos sæpe legere est de signo cursoribus ad exeundum dato, ὕσπληγγα καταπεσοῦσαν. Lucianus in dialogo calumniæ: κακεῖ γὰρ ὁ μὲν ἀγαθὸς δρομεὺς τῆς ὕσπληγγος εὐθὺς καταπεσούσης μόνον τοῦ πρόσω ἐφιέμενος, καὶ διάνοιαν ἀποτείνας πρὸς τὸ τέρμα. Græcum epigramma εἰς σταδιοδρόμους:

Ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι.

Sonus cadentis regulæ sive repaguli. Ergo βαλβὶς linea erat, ad quam stabant cursores, ὕσπληγξ transversum repagulum. Aristophanes:

Πρόβαινε νῦν ὦ θυμὲ, γραμμὴ δ' αὐτῆς
B Ἕστηκας.

Ibi interpres: ἀρχὴ ἀφετηρία ἡ λεγομένη βαλβίς. Ceterum ut ὕσπληγγα ἀντὶ τῆς γραμμῆς quidam posuere, ita vicissim alii βαλβῖδα ἀντὶ τῆς ὕσπληγγος pro regula vel repagulo. Aristophanis scholiastes: βαλβὶς καλεῖται τὸ ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ δρόμου κείμενον ἐγκαρσίως ξύλον, ὃ καὶ ἀφετηρίαν καλοῦσιν, ὅπερ μετὰ τὸ ἑτοιμασθῆναι τοὺς δρομεῖς εἰς τὸ δραμεῖν ἀφαιρούμενον ἀφίεσαν τρέχειν. Laxabatur & ruebat ligneus ille canon, non aliter auferebatur. Alius ibidem βαλβῖδα esse ait τὴν ὑπὸ τὴν ὕσπληγγα γινομένην γραμμὴν, ut Harpocration. Lycophroni βαλβὶς est repagulum, non linea.

C Ἄκραν δ' ἐγὼ βαλβῖδα μηρίνθου σχάσας
Πρώτην ἀράξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεὺς
Ἄνειμι λοξοὺς εἰς διεξόδους ἐπῶν.
Summam ego soluto fune laxans regulam
Primo repulso limine ut cursor citus
In spatia carmen mitto curva ambagium.

A cursoribus stadii sumpta hæc metaphora. Nugatur itaque Tzetzes, qui *cancellos* heic imaginatur, qui circi, non stadii: & curruum, non cursorum. Nec melius Scaliger:

Ast ego solutis carcerum repagulis.

Nulli quippe carceres in stadio. Nam carceres sunt D οἰκήματα, quibus equi curribus juncti continebantur, ad cursum parati, statim atque repagula laxata essent. Non nescio tamen Ovidium *carcerem* usurpasse de cursoribus, ἀντὶ τῆς βαλβῖδος:

---- *cum carcere pronus uterque*
Emicat, & summam celeri pede libat arenam.

Ibi carcer est ἀφετηρία τῶν δρομέων, quia in circo etiam carceres sunt ἀφετηρίαι & ἱππαφέσεις, quibus equi dimittuntur ad cursum. Eudemus: ἀφετηρία, ἀρχέθυρα τοῦ ἱπποδρόμου. Sic reponendum apud Suidam, qui inde habet. Ἀρχέθυρα sunt limina, & primæ fores. In stadio quoque ἀφετηρία, unde cursores emittebantur, sed E ibi linea & desuper repagulum, nulli carceres aut ædificia. Hesychius quum βαλβῖδα Hippocrati significare notat, τὸ ἔχον ἑκατέρωθεν ἐπαναστάσεις, etiam βαλβῖδα pro regula vel repagulo accipit. *Barreriam* vulgo dicimus. Traversarium lignum inter duo alia arrectaria, & extantia positum, signo dato funibus laxabatur, & in lineam cavatam decidens, limini januæ complanato simile existebat. Duo hermulæ utrimque extabant, qui fune demisso repagulum solvebant. Inter eos hermulas traversum jacebat illud lignum, quod laxabatur. Hæ sunt ἐπαναστάσεις, quas ἑκατέρωθεν τῆς βαλβῖδος fuisse ait Hesychius. In ejusmodi machinis ἑρμαὶ F sunt τετράγωνοι κίονες. Hermularum ad laxandam ὕσπληγγα in stadio inventum Tlepolemo Myrensi tribuit Philoxenus hoc epigrammate:

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα
Ἱροδρόμοις θῆκεν παῖς ὁ Πολυκρείτου
Δὶς δέκ' ἀπὸ σταδίων ἐναγώνιον, ἀλλὰ πονεῖτε
Μάλθακον ἐκ γονάτων ὄκνον ἀπωσάμενοι.

Ἱρόδρομοι sunt σταδιόδρομοι, qui cursu certant in sacris agonibus. Ἀφετήριον ἕρμα est repagulum, vel ὕσπληγξ, vel βαλβίς. Nam ἕρμα est septum, & περίφραγμα. Ergo ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα repagulum quod ab hermulis laxatur. Haud scio utrum istos hermulas è stadio in G circum traduxerit Cassiodorus, an ipsi quoque eo traducti sint ad eumdem usum. *Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur, docentes totum illic ut putatur consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari.* Certe in stadio primulum visitati illi ἀφετήριοι ἑρμαῖ. Tlepolemus ille Μυρεὺς is est, quantum judico, qui Τληπόλεμος

μ@ Λύκι@ Pausaniæ dicitur equo singulari vicisse centesimam ac trigesimam primam olympiadem. Μύρα oppidum Lyciæ, ut notum est. Ceterum ὕσπληγξ & ἀφετηρία communis stadii & circi. Ut in stadio ὕσπληγξ repagulum erat, sive regula linea, quæ laxabatur & aperiebatur exituris in stadium cursoribus, ita ὕσπληγγες in circo carcerum repagula vocabantur, quibus laxatis & apertis ostiis emittebantur equi. Pausanias de Olympiæ circo, χαλῶσιν ὕσπληγγες. Latini *repagula* passim dixere, quæ Græcis ὕσπληγγες. Lucanus:

---- quamvis jam carcere clauso
Immineat foribus, primusque repagula laxet,

τὰς ὕσπληγγας χαλᾷ. Epigramma Græcum:

Ast ubi panduntur, funduntque repagula currus.

Manilius *claustra* vocat.

Ut cum laxato fugerunt cardine claustra.

Plura congerere supervacuum. Dionysius dicit circi omnes ἱπποαφέσεις, id est, carceres uno tempore reserari solitas διὰ μιᾶς ὕσπληγγος, quasi unum ac perpetuum repagulum omnibus ostiis circi præduceretur, quo laxato omnia simul puncto temporis panderentur. Sed melius, ut per ὕσπληγγα intelligat machinationem, qua circi duodecim ostia eodem tempore aperiebantur. Voci ὕσπληγγ@ non unam significationem tribuunt grammatici. Hesychius: ὕσπληγξ, βαλβὶς, μύωψ, ὁ κεντρῶν τοὺς βόας, καὶ παγὶς τῶν λύκων. Eudemus Rhetor in Lexico exponit φραγέλλιον, βούκεντρον ἢ μύωπα τὸν κεντοῦντα τοὺς βόας. Quod παγὶς λύκων exponitur, in decipula luporum lignum dicitur, quod repente laxatur, ac decidit ad instar ἀφετηρίας ὕσπληγγ@. Græci ῥόπτρον appellant. Idem Hesychius: ὕσπληγξ τὸ ῥόπτρον τῆς παγίδ@. Male editum est τῆς σφραγίδ@. Idem quippe alibi ῥόπτρον interpretatur τὸ ἀποκατάπτον τῆς παγίδ@. Quod autem & κρίκον κεράτινον etiam esse dicit, hoc nomine intelligebant circulum corneum, vel æneum, qui foribus adfigebatur ad eas adducendas. Eo solebant & fores percuti, ut hodieque moris est. Κόραξ quidam vocaverunt. Glossæ *repagulum* Latine vertunt. *Repagulum*, κόραξ. Alibi: *uncinus*, κόραξ. Aliis κορώνη ὁ ἐπὶ τῇ θύρῃ κρίκ@. Inter alias ὕσπληγγ@ significationes ab Hesychio πάσσαλ@ ponitur. Inde Latinum *pessulus*, quo obducto fores intus claudebantur. Unde illud apud Comicum *pessulum ostio obdo*. Sic ἴταλ@ *vitulus* & similia. Errant graviter, qui *pessulum* ἀπὸ τῶν πεσσῶν deducunt, quos novere medicorum filii. Sed nec ullus κακέμφατ@ sensus in illis Comici verbis, ubi adolescens, qui pro eunucho datus erat, thalami virginis, cui servandæ præfectus fuerat, ostium pessulo obdit, nec ulla ibi allusio ad πεσσούς. Revera ubi vidit virginem dormire, cum qua relictus solus fuerat, ne occasionem amitteret bene rei gerendæ, ostium intus claudit obducto pessulo, ne redeuntes ancillæ eum opprimere possent. Post ostium pessulo obditum ait sese occasionem tam bellam non amisisse rei gerendæ, cujus cupiens erat, hoc est, virginis illius deflorandæ. At πεσσοὶ muliebres nihil habent cum *pessulo* commune. Vox ea Græca est à similitudine πεσσῶν ficta. Πεσσοὶ saxeæ pilæ sunt partim rotundæ, partim quadratæ, sed ut plurimum rotundæ. Quæ quadratæ sunt, πεσσοὶ κυβοειδεῖς dicebantur, ut Straboni. Ab ea forma πεσσῶν architecturæ oblonga & rotunda, dicti sunt πεσσοὶ medicorum, qui etiam πεσσοί. Eadem ratio est appellationis τῶν κολλυρίων medicinalium, quæ figura non sunt dissimilia πεσσοῖς, licet usu & loco differant. Oblonga quippe medicamenta & rotunda sic vocarunt, fistulis, naribus, etiam anui immittenda, nomen habentia à columnis dimidiatis, vel rotundis pilastris, quæ Græci κολλύρια appellant. Vide Suidam in voce κολλύριον, & nos supra. Antyllus cap. περὶ κολλυρίων distinguere velle videtur τὰ κολλύρια ἀπὸ τῶν κολλυρίων. Ita enim scribit: Κολλύρια τὰ μὲν ἰδίως λεγόμενα, ὀφθαλμοῖς προσφέρεται λεανθέντα. Τὰ δὲ κοινῶς προσαγορευόμενα ὁλόκληρα. Καὶ τὰ μὲν προστίθεται, τὰ δὲ ἐντίθεται, προστίθεται μὲν ὑστέρα, ἐντίθεται δὲ σύριγξι καὶ κόλποις. Insignis locus. Κολλύρια sunt proprie, quæ oculis adhibentur. Τὰ κοινῶς προσαγορευόμενα ὁλόκληρα. Mendum est in his verbis. Legendum certa fides est: οὐχ ὁλόκληρα. Hæc significatio est τῶν κολλυρίων. Nam proprie κολλύριον significat οὐχ ὁλόκληρον, truncum mutilum. Κο-

A λύρια igitur aut matrici adponebantur, aut fistulis & sinibus immittebantur, & ea figura fuere, quam diximus. At medici omnes neoterici, & magna pars veterum medicamenta oculorum, quæ κολλύρια proprie dicuntur, longe alia significatione, & vocabuli ratione cum his κολλυρίοις confuderunt, & nomen ex utroque mixtum fecerunt, κολλούριον. Nunc absolvamus ὕσπληγγας, quæ pessulos & repagula denotant. Mœris Atticista in libro περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ Ἑλληνικῶν ita scribit præter illa, quæ superius ex eo adduximus: ὕσπληγξ, οὐχ ὁ τόπ@ μόνον λέγεται, ἀλλὰ καὶ σιδηροῦς ὀχεὺς,
B ὃ νῦν μάγγανον φασί. Ubi τόπον vocat circi carceres, vel stadii βαλβῖδα, ac primam lineam. Quid proprie μάγγανον tunc vocaverit Græcia, quærendum. Nec longe est Aristophanis interpres: βάλανον, τὸν μοχλὸν, κυρίως δὲ τὸ εἰς τὸν μοχλὸν σιδήρεον, ὃ καλοῦμεν μάγγανον: καὶ βάλανοι τὰ μάγγανα τῆς κλειδώσεως. Thucydidis scholiastes: βάλανός ἐστι τὸ βαλλόμενον εἰς τὸν μοχλὸν σιδήρεον, ὃ καλοῦμεν μάγγανον. Non infima tantum Græcia, sed etiam vetus quamcunque machinam μάγγανον appellavit, ut μάγγανα πολεμικά, machinas bellicas. Inde *manganellæ* genus machinæ bellicæ apud infimi ævi scriptores Latinos. Hinc μαγγάνεια & μαγγανεύειν veteribus. Ita μάγγανα τῆς κλειδώ-
C σεως, *instrumenta januarum claudendarum*. At μάγγανον absolute, ac proprie βάλαν@, vel ὀχεύς. Ita σιδηροῦς ὀχεὺς idem, quod tum vocarunt μάγγανον. Glossæ: *Verucuh*, βάλανοι ἐπὶ κλεῖθρα, ὀβελίσκοι. Ita olim legendum docuimus. Inde facta *verucla* hodieque dicimus ferreos obices, quibus januæ intus occluduntur. Latini *pessulos*. Inde *januæ oppessulatæ*, quas vulgo dicimus *veruclatas*. Glossæ: *pessulus*, μάνδαλ@, κλεῖθρον. In aliis: *mandalus*, κατοχεύς. Idem quod ὀχεύς. Ut καταχλεῖς & κλεῖς. Aristophanes: -- ἐπιμελοῦ τῆς κατακλεῖδ@ καὶ μοχλοῦ.
D Græci: ὀχεὺς, μοχλὸς, δεσμός. Ferreum vectem aut obicem liceat dicere. Glossæ: *vectis*, μοχλὸς σιδηροῦς. *Pessulus* itaque ex Græco πάσσαλ@, non diminutum à πεσσός. Grammatici ὕσπληγγα exponunt πάσσαλον & ὀχέα σιδηροῦν, vox ὕσπληγξ proprie repagulum, & claustrum, vel obicem significat. Οὐχ ὁ τόπ@ μόνον, inquit Mœris, ἀλλὰ καὶ ὀχεὺς σιδηροῦς. Non locus tantum, id est, ἱππάφεσις, undi equi mittuntur, sed etiam obex ferreus. Ex his posset colligi βάλανον & ὀχέα σιδηροῦν rem eamdem esse. Ita sane recentiores pro eodem sumpserunt. Uterque ferreus, & occludendis januis aptus. Ex ratione tamen aperiendi, claudendique diversos
E fuisse constat. Βάλαν@, ut nomen indicio est, ferrum fuit glandis facie & cavum, quod in foramen seræ, hoc est, lignei vectis, τοῦ μοχλοῦ, immittebatur, & sic seram committebat januæ, ut nisi extracto eo removeri, ac revelli non posset sera, nec janua aperiri. Ita autem in seræ foramen incidebat βάλαν@, ut totus lateret, nec erui inde posset, vel extrahi, nisi immisso alio ferro oblongo, quod in cavitatem βαλάνου ita inibat, ut eam evelleret, & sursum traheret. Ferrum illud βαλανάγρα vocabatur. Et hæc fuit clavis. Græci: βαλανάγρα, κλεὶς παρὰ τὸ ἀγρεύειν τὴν βάλανον. Hæc adeo clara sunt ex variis auctorum locis, quæ longum
F esset producere, ut dubitatione ulla sollicitari non queant. Foramen seræ, in quod descendebat βάλαν@, dicebatur βαλανοδόκη. Sed pro definito tenendum est, nec βάλανον, nec βαλανάγραν locum habuisse nisi in his foribus, quæ sera, vel vecte ligneo transverso firmabantur. Græci μοχλὸν vocant. Glossæ: *sera*, μοχλός. Inde *obserare* & *reserare*. Primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ ita solebant muniri. Ovidius:

Excute poste seram.

Τὸ πρόθυρον intelligit, & januam quæ publicum respi-
G cit. Verisimile non est eodem munimine interiorum conclavium, & œcorum fores firmatas fuisse. Comici hæc rite solent distinguere. Terentius de prima janua: *ostium obsera intus*, id est, obdita sera ostium intus occlude, μόχλωσον τὴν θύραν ἔνδοθεν. Ædes oppugnatum veniebat miles. At de conclavi, vel thalamo dicit, *pessulum ostio obdo*. Ferreo obice occlusisse intus significat. Ejusmodi obices ferreos *verucla* dicimus, quibus interiorum membrorum domus fores occluduntur, & duo ferme singulis foribus addebant, ut hodieque moris est, in superiore parte

unum, in inferiore alterum. Inde apud Plautum in Aulularia:

Ostium intus ambobus occlude pessulis,

de sera, vel vecte, sive repagulo ligneo non potest accipi. Nec enim duabus seris, vel μοχλοῖς januas muniri moris erat, licet apud Polybium legatur lib. xv de foribus quibusdam duplici claustro obseratis: συνέβαινε δὲ τὰς θύρας εἶναι δικτυωτὰς διαφανεῖς, ἀποκλειομένας δὲ διττοῖς μοχλοῖς. Sed hoc minime perpetuum ac sollemne, ideo notatum Polybio. Photis cum Apulejo in eodem conclavi noctem futura, ne quæ facerent, aut dicerent, arbitrorum superventui obnoxia essent, cubiculi fores intus occludit injectis pessulis, & unco firmiter immisso. Apulejus lib. III. *Et cum dicto pessulis injectis, & uncino firmiter immisso sit ad me reversa.* Libri quidam *unco.* Uncus, vel uncinus immittitur, injiciuntur pessuli, & sic intus fores oppessulantur. Vides duplici pessulo, & uncino firmari: & rationem hanc diversam esse à sera, βαλάνῳ & βαλανάγρᾳ. *Uncinum* glossæ exponunt κόρακα. Alibi κόρακα interpretantur *repagulum.* Quid esset supra diximus. Hesychius κανόνια vocat hujusmodi pessulos ferreos. Ἱμὰς ἐπὶ κανονίς τοῦ συνέχοντος τὴν θύραν. Glossæ: *veruclum*, κανόνιον. Duobus pessulis fores occludebantur ab his, qui intus erant, & securi volebant esse in eo conclavi, quod ad hunc modum tutum præstabatur. Nulla clave poterant removeri, aut succuti ejusmodi pessuli ab his, qui foris adstabant foribus. Præter hos pessulos, quibus interiorum conclavium fores intus claudebantur ab his, qui intus manebant, aliud quid oportuit esse, quo possent aperiri ostia intus occlusa. Ecce enim cellarium, vel apotheca, vel aliud membrum reponendis vestibus, & aliis domesticis rebus destinatum, in quo maneat nemo, qui possit intus occludere ac recludere, ab his qui foris veniunt utique reserari debet, & discedentibus inde iterum obserari. Heic clavis locum habebat, ut hodieque habet, qua immissa ab his, qui foris sunt, adducitur ac reducitur aliquod ferreum veruculum vel pessulum, quo ostium intus retinetur vinctum, & posti junctum. Hæc forma est hodie forium occludendarum & aperiendarum; in iis quas *seraturas* vocamus, quæ μάγγανα sunt τῆς κλειδώσεως. Quod perperam vir magnus ad veterum βαλανάγρας & claves transfert, ubi notat claves, quæ pessulum adducunt & reducunt, βαλανάγρας nominatas. Non adducendo, aut reducendo pessulum fores reserabant βαλανάγρᾳ, sed sursum trahendo. Cava erat βάλανος, quæ in foramen feræ descendebat, & intra id tota immersa latebat. In idem foramen demittebatur clavis, vel βαλανάγρα, quæ conveniebat in cavum βαλάνου, & eam attrahebat. Cochleatim itaque striata intus videtur fuisse βάλανος, & βαλανάγρα extra, quo striis clavis in strias ferreæ glandis ineuntibus facilius invicem possent copulari, & una extrahi. Cavam fuisse βάλανον ex loco Thucydidis constat, ubi ait cuspidem hastæ usum βαλάνου præbuisse in occludendis foribus. Pollux id etiam notavit: ὁ δὲ Θουκυδίδης στυρακίῳ ἀκοντίου ἀντὶ βαλάνου ἔφη χρήσασθαι τινὰ εἰς τὸν μοχλόν. Cuspis hastæ ferrum in ima parte acutum, cui hastile, vel hastæ lignum immissum erat. Quod utique concavum fuisse necesse est, ut hastili indueretur. Ita igitur & clavis demissa in βάλανον sese induebat, & eam trahebat, ut hastæ lignum immittitur τῷ στυρακίῳ. In hac igitur specie forium reserandarum, quæ seram habebant, non reducebatur βάλανος, sed ab imo sursum trahebatur, ac clavim immissam sequebatur, quocunque tandem modo eam exsculperet, & expiscaretur ἡ βαλανάγρα. Ceterum ut januæ hoc modo obseratæ possent etiam reserari ab his qui foris erant, satis grande foramen supra locum feræ τοῦ μοχλοῦ relinquebatur in ostio, per quod manus transmitti quiret & βάλανος in βαλανοδόκην demitti claudendæ januæ, & rursus eidem aperiendæ βαλανάγρα in βάλανον immitti. Apulejus lib. IV. *Tunc itaque sublimis ille vexillarius noster Lamachus spectata virtutis suæ fiducia, qua clavi immittendæ foramen sensim immissa manu claustrum evellere gestiebat.* Foramen illud clavi immitendæ non est τὸ τρύπημα τοῦ μοχλοῦ, quam alio nomine βαλανοδόκην dixere, sed foramen in ipso ostio factum, qua brachium transmittebatur ad immittendam clavim in claustrum ab his qui deforis aperire volebant ac reserare. *Clavis* est βαλανάγρα, *claustrum*, ὁ μοχλὸς, vel sera. Foramen immittendæ clavi ὀπὴ τῆς θύρας. Fraudes illæ omnes, quas narrat Æneas in Tacticis admissas ab externis circa βάλανον eruendam, ac dolo evellendam absque ope βαλανάγρας in plerisque urbium portis, non potuere admitti nisi per illud foramen, quod in ostio ac porta factum erat clavi immittendæ. Per illud quippe foramen foris etiam poterat reserari janua intus obserata. Si quis igitur modulum balani cepisset, ad eum modulum clavi facta, etiam urbe exclusus vel ædibus, falsa clave immissa per foramen fores facile reserabat. Urbem quandam in Achaïa ita captam memorat idem Æneas. Alia est ὀπὴ τῆς θύρας foramen immittendæ clavi, alia ὀπὴ τοῦ μοχλοῦ, in quam clavis immittitur ad eruendam βάλανον. Foramen illud erat in ostio ad transmittendum forinsecus brachium: istud in sera ipsa ad inserendam βάλανον & βαλανάγραν. Qui intus aperiebant, sed illi tantum qui forinsecus vellent reserare. Omnes fere olim fores intus claustro & sera munitæ habebantur, sed tam à foris quam ab intus patefieri poterant. Ideo foramen in ostio fiebat, ut qui foris erant, manu per illud immissa clavem in seram demitterent, & inde βάλανον extraherent. Quo facto per idem foramen facile claustrum removebatur, & janua patebat. Vetus scholiastes Arati notat suo tempore fores non intus, sed extra & forinsecus muniri firmarique solitas: Τὸ ἔνδοθεν ἡρμοσμένην εἶναι τὴν κλεῖν ἀρχαϊκόν ἐστιν. Οὐ γὰρ ὡς νῦν ἐκτὸς εἰσιν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ' Αἰγυπτίοις, καὶ Λάκωσιν. Καὶ Ὅμηρος οἶδε τοῦτον, ὅτι ἔσωθεν θυρώματα ἀνακρεόμενα, κληῖδι θύρης ἀνέκοπτεν ὀχῆα. Verum de alio genere loquitur, ut infra ostendam, nec Homeri locus ad rem facit, sed nec Aratum intellexit. Utcunque des etiam ab exteriori parte seram foribus tunc obdi solitam, foramen utique in ostio necessarium aperire intus volentibus. Sed de his foribus non loquitur, quæ sera vel vecte ligneo obducto clauderentur. Ex loco Apuleji, quem paulo ante produximus, patet claustrum ostii, hoc est, seram, vel μοχλὸν ab interiori ædium parte foribus præductum fuisse. Hoc instar servabatur in iis foribus, quæ vecte ac sera lignea, hoc est, μοχλῷ præducto muniebantur: cui seræ balanus immissa non sinebat eam ab ostio tolli: cui balano rursus inserta βαλανάγρα, id est, clavis, eam ex foramine extrahebat, & seram removeri ac tolli facilem præstabat. Ceterum non in omnibus foribus hæc ratio usitata, sed in iis ut plurimum quæ in publicum exibant. Conclavium, & interiorum domus membrorum fores alia methodo claudi firmarique consueverant. Præter pessulos quibus injectis occludebantur ab intus manentibus, alios etiam obices ferreos affixos habuere, qui immissa forinsecus clavi removerentur, ac succuterentur. Quod satis ostendit Homerus his versibus ex Odysseæ XXI de Penelope thalamum ædium intimum, ultimumque aperiente, in quo pretiosa quæque cimelia reposita illi jacebant:

Ἐν δὲ κληῖδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας
Ἄντα τιτυσκομένη.

Immissa, inquit, clave forium obices succussit ac repulit. Nullus hic μοχλὸς sive vectis ligneus, sed ὀχῆες. Ferreos obices sive pessulos, ac verucula liceat vertere. Κληῒς est *clavis*, qua fores aperiuntur, non *vectis*, ut perperam docti viri opinantur, qui κλεῖν apud Homerum vectem esse tradunt. Eam clavem sic describit initio libri:

Εἵλετο δὲ κληῗδ' εὐκαμπέα χειρὶ παχείῃ
Καλὴν χαλκείην· κώπη δ' ἐλέφαντος ἐπῆεν.

Eam clavem paulo post thalami foribus immittere dicitur, θυρέων δ' ἀνακόπτειν ὀχῆας. Nihil hæc clavis commune habet cum βαλανάγρᾳ, nec modus aperiendi similis. Βαλανάγρα quæ & ipsa clavis erat, in βάλανον immissa sursum trahendo eam eximebat, quod ἀνασπᾶν vocat Æneas. Heic clavis ἀνακόπτει τοὺς ὀχῆας, hoc est, sursum quatit, ac repellit. Et statim:

---- πὸ

--- πρὸς ἀνέβραχε καλὰ θύρετρα
Πληγεῖσα κληῗδι.

Eamdem prorsus rationem aperiendarum forium agnoscit Aratus loco vexatissimo, & quem nemo hactenus interpretum ab ultima usque vetustate intellexit.

Οἵην τ' ἢ κληῗδι θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν
Δικλίδα πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.

Ita vetustissimus codex legit. Nam vulgo est δικλίδ' ἐπιπλήσσοντες. Πεπλήγειν pro πλήσσειν Homero usitatum, ut & κεκλήγειν. Ratio heic ut dixi aperiendi eadem quæ apud Homerum supra citatis versibus. Ἀνακόπτειν idem quod ἀνακρούειν. In ceteris vocibus non convenit Aratus cum Homero, licet res eadem sit apud utrumque. Apud Aratum κληῒς non est clavis, sed claustrum:

---- κληῗδι θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν
Δικλίδα.


Quis non videt heic κληῗδα significare τὸ ἀσφάλισμα τῆς θύρας. Homero κληῒς est clavis. Nam κληῒς πλήττουσα ἀνακόπτει τοὺς ὀχῆας, *clavis succutit repagula.* Arato contra οἱ ὀχῆες πλήσσοντες ἀνακρούουσιν τὴν κληῗδα. Ex his planissime constat Homerum κληῗδα appellare, quos Aratus ὀχῆας vocat, & Arato κληῗδα dici qui Homero sunt ὀχῆες. Nihil apertius aut disertius. Nec mirum converti horum verborum significationes: nam κλεὶς Græcis modo *clavem* designat, modo *claustrum*. Ita etiam Latinis clavis. Tibullus:

---- *frustra clavis inest foribus.*

Et apud Plautum:

Ubi intro hanc novam deduxi, via recta clavem
Obduxi.

Obduci claustrum dicitur & sera. Clavis itaque ibi pro sera. Cum igitur ὀχεὺς idem significet quod κλεὶς eo sensu quo ponitur pro sera, potuit etiam usurpari ἀντὶ τῆς κλειδὸς quando designat clavem. Sed quare ὀχῆας dixit Aratus numero multitudinis pro clavi? An quia de bifore janua loquitur, cui duæ claves necessariæ? Nam δικλὶς θύρα quæ duplici sera occluditur, quæ διττὴν κλεῖδα habet. Opponere heic aliquis possit una sera in traversum ducta claudi posse januam biforem. Immo non potest. Pauci fortasse intelligunt quid sit δικλὶς θύρα. Non ea est quæ à summo ad imum dividitur, cujus duplices tabulæ concurrentes in medio junguntur, quasi binæ fores. Græci συνδρομάδας θύρας vocant ejusmodi fores. Pollux: ἐν δὲ τοῖς δημιοπράτοις πέπραται θύρα διάπειστος καὶ θύραι συνδρομάδες. Latini *valvas* fortasse dicunt. Varro dictas ait quod revolvantur ac sese velent. Isidorus *fores* & *valvas* distinguit, & *valvas* appellari tradit, quæ duplices complicabilesque sunt. Διαπείστους videtur designare potius quam διθύρους aut συνδρομάδας. Nam quæ duplices plicabilesque sunt, Græci διαπείστους vocant: Nos *brisatas*, id est, fractiles. Varronis notatio eodem ducit, valvas esse quæ revolvuntur, & se velant, duplicabiles complicabilesque intelligit. Inde *valvata fenestrarum lumina* Vitruvio lib. VI, id est, διάπειστα. Et *valvatæ fores* διάπειστοι θύραι lib. IV de foribus: *sin autem valvatæ erunt, altitudines ita manebunt, in latitudinem adjiciatur amplius foris latitudo: si quadriforis futura est, altitudo adjiciatur.* Per *quadriforem* intelligit τὸ δίθυρον, cujus singulæ tabulæ duplicantur, vel δικλίδα, quæ in singulis partibus ima & summa duplices habet tabulas. At valvata est quæ semel tantum plicatur, quæ & *biforis* dici potest, nam veluti fores duæ sunt, vel una plicabilis. Paulo post *bifora* & *valvata* separat: *ipsaque forium ornamenta non fiunt cestrota, neque bifora sed valvata.* Ad verbum *bifora* sunt δίθυρα, vel συνδρομάδες θύραι. Nam revera in διθύροις duæ sunt θύραι, in suis quæque cardinibus vertentes, & in medio convenientes conniventesque ubi junguntur. Διπτύχοι etiam dici queant. Nam πτύχες & θύραι & σανίδες idem, tabulæ scilicet quibus operitur τὸ χάσμα januæ. Sic pugillaria δίπτυχα quæ & δίθυρα, & bipatentia. Glossæ *valvas* exponunt θύρας ἱππικοῦ, & θύρας δικτυωτὰς, hoc est, reticulatim cancellatas. Sic enim in iis corrigendum: *Valuæ* per *u* vocalem si scribantur, significant θύρας ἱεροῦ, καὶ θύρας ἱππικοῦ, καὶ θύρας δικτυωτὰς. Male enim θύρας διπιώτας, pro quo emendant διπτύχους. Fores circi cancellatas fuisse supra docuimus, hoc est, δικτυωτὰς. Cum valvas sic exponeret glossarum auctor, τὰς βαλβίδας fortasse cogitabat, quæ sunt circi fores cancellatim factæ ac reticulato opere. Apud veteres solidis foribus præcipue in prima janua, præponebantur cancellatæ, ac reticulatæ. Vetus scholiastes Aristophanis ad illud, Κλεῖε πηκτὰ δωμάτων. Πρὸς τὰς ἔμπροσθεν τῶν θυρῶν ἱσταμένας κιγκλίδας, πηκτὰς τὰς θύρας εἶπε διὰ τὸ δι' ὅλου ἀσφαλίζειν καὶ ἀποκλείειν τὰς ὄψεις. Vides τὰς κιγκλίδας, id est, cancellos antepositos solidis foribus, ἔμπροσθεν τῶν θυρῶν ἱσταμένας. Junxit utrasque Tertullianus, *januarum cancellorumque potestates*, id est, οἱ ἐπὶ θυρῶν, καὶ ἐπὶ κιγκλίδων, janitores & cancellarii, id est, ostiarii. Ceterum fores omnes hujusmodi & bifores & valvatæ, & quadrifores possunt commode unica sera per transversum obducta cludi. Diversa ab his δικλὶς θύρα, quam occludere non est nisi duabus seris, ut duo sunt in illa ostia, unum superius, alterum inferius. Nec enim per longitudinem divisa est ac separata ut δίθυρα & valvæ, sed per latitudinem, & δικλὶς ideo appellata, quod διττῇ κλειδὶ obserari debeat. Sellularii opifices hodie ut plurimum pergularum & officinarum suarum fores δικλίδας habent, duplici hiatu patulas, ac duplici ostio velandas. Hinc apud Hippocratem & Apollonium Citiensem περὶ ἄρθρων humeri reponendi modus dicitur διὰ τῆς δικλίδος θύρας, quod in aliam foris speciem cadere non potest, nisi in hanc quam diximus. Forma hæc est quam subjecimus. Ex qua etiam quadriforem fieri posse palam est.



Hæc est δικλὶς θύρα veterum. Cui claudendæ duplici claustro opus & duplici clave aperiundæ. Clarissime hoc ostendit Galenus in Lexico Hippocratis his verbis: Δίκλειδος, διμεροῦς ὡς δύνασθαι τοῦ κάτω μέρους κεκλεισμένου, τὸ ὑπερκείμενον ἀνοῖξαι. Ideo ὀχῆας, id est, claves Aratus dixerit non ὀχῆα. Vel ὀχῆας propterea numero multitudinis posuit, quod ea clavis qua de loquitur, plures habeat dentes, qui totidem sunt ὀχεῖς. Communes claves, id est, βαλανάγραι unico tantum dente præditæ erant, qui in βάλανον insigebatur ad eam extrahendam. Tibullus:

Seu reserat fixo dente puella fores.

Claves Laconicæ cum tribus erant dentibus. Aristophanes Θεσμοφοριαζούσαις.

---- οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία
Φοροῦσι κρυπτὰ καὶ κακοηθέστατα
Λακωνίκ' ἄττα τρεῖς ἔχοντα γομφίους.

Quiritantur eo loco mulieres usum Laconicarum clavium quas viri tum gestarent, multum sibi & furtis suis incommodare. Cum enim antea solerent de facili cellaria & apothecas viris insciis aperire, & inde quæ vellent depromere, hoc sibi nunc non licere propter illas claves Laconicas quæ fraudibus minus obnoxiæ essent quam ceteræ communes βαλανάγραι. Hodie quoque claustra clavium quæ pluribus dentibus ac crucibus instructæ sunt difficiliora furibus ad aperiendum, & minus opportuna dolo & uncinis expilatorum. Locum Arati de clave Laconica omnes ferme veteres interpretes acceperunt, cujus dentibus similem esse stellarum dispositionem in asterismo Cassiepeæ volunt. Germanicus ita vertit:

Qualis ferratos obicit clavicula dentes,
Succutit & foribus preducti vincula claustri,
Talis disposita est stellis, ipsa horrida vultu.

Sic legendi hi versus ex scriptura vetustissimi codicis, in qua nihil mutavimus, præterquam quod *predu-*

A ɛti fecimus, ubi habet *prædicti.* Verissime. *Præductum claustrum foribus* est sera obducta foribus. Vim hujus verbi aperuimus supra. Ea est κλῃὶς quæ forem intus ἀεργυῖαν continet. *Ferrati dentes* quas objicit clavicula, sunt ὀχῆες Arati, qui θύρην κληῖδι ἀεργῆαν ἀνακρούουσιν, id est, succutiunt præductam foribus seram. Ex his patet legisse Germanicum in Græcis Arati:

> Οἷοι δὲ κληῖδι θύρην ἔντοσθ' ἀεργυῖαν,
> Δικλίδα πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.

Quales sunt ferrei dentes, & quali situ dispositi dentes in clavicula Laconica, tali modo positæ visuntur stellæ in asterismo Cassiepeæ. Ὀχεὺς σιδηροῦς Græ- B cis dicitur. Heic ὀχῆας posuit pro dentibus clavis. Addit Aratus:

> Τοῖόν τοι μουνὰξ ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται
> Ἀστέρες.

Οἷοί εἰσιν οἱ ὀχῆες ἀνακρούοντες θύρην κληῖδι ἔντοσθεν ἡρμοσμένην, τοῖοι ἀστέρες τὸ τῆς Κασσιεπείας σῶμα μορφοῦντες, εἷς καθ' ἕνα ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται. Non multas, nec in congerie acervatas & alternatim positas stellas innuit, quæ Cassiepeæ corpus effigiant, sed in lineæ seriem sitas dissitasque invicem, & alias aliis recto filo subjectas. C Quod & supra expressit:

> Οὐ γὰρ μὶν πολλοὶ καὶ ἐπημοιβοὶ γανόωσιν
> Ἀστέρες οἵ μιν πᾶσαν ἐπιρρήδην στιχόωσιν.

Indicat ἐν στίχῳ dispositas, & μουνὰξ ὑποκειμένας, id est, aliam post aliam veluti in linea subjectas. Idque verum esse vetus ejus asterismi μόρφωσις, qualis apud Hyginum descripta habetur, abundè fidem facit. In capite Cassiepeæ unam stellam ostendi dicit: in papilla dextera ponit claram unam: in lumbis magnam D unam: in genu unam: in pede dextero unam. Omnes hæ stellæ sic ordinatæ & alia post aliam digestæ rectam lineam efficiunt, & μουνὰξ ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται. Tali situ ac dispositione dentes in clavi Laconica locati erant, ut alius alii subjiceretur. Quod hodieque in nostris clavibus videre est: nec minus in antiquis quas vidi multas. Τρεῖς γομφίους Laconicis clavibus tribuit Aristophanes. Verba Avieni quibus Aratea Latine explicat, sic sunt legenda ac distinguenda:

> *Lux hebes est matri. Sic qualem Caria quondam*
> E *Noverat intrantem per claustra tenacia clavem*
> *Formatur stellis distantibus.*

Sic formatur stellis distantibus & στιχηδὸν dispositis, ut clavis est Carica, cujus dentes ita locati seorsim alius post alium extant. Ut videtur, Laconicæ claves etiam *Caricæ* dictæ sunt, quod his etiam Cares uterentur. Nunc scholiastem Græcum expendamus, & quomodo Arateos illos versus exposuerit, videamus. Hodie ita leguntur ejus verba: ἡ Κασσιέπεια ἀστέρας ἔχει ἐπὶ τοῦ σώματος ἐκ διαστήματος ἀλλήλων κατ' εὐθεῖαν ὡς ἔγγιστα κειμένους. Ὧν ὁ μὲν βορειότατος ἐπὶ τῆς καθέδρας ἐστίν. Ὁ δὲ νοτιώτατος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Οἱ δὲ τούτου μεταξὺ δύο τὸ τῆς Λακωνικῆς δικλίδος σχῆμα ποιοῦντες, ὧν τὸ F μὲν ἓν γραμμή ἐστι, τὸ δὲ πλάγιον τὰ γόνατα. Oedipo aliquo opus esset, qui Sphingi interpres fuit, ad hæc intelligenda. Postrema saltem verba non carent macula, quæ sic in vetustissimis membranis scripta inveni: οἱ δὲ τούτου μεταξὺ δύο τὸ τῆς Λακωνικῆς δικλίδος σχῆμα ποιοῦντες τοιοῦτον, ὧν ἡ μὲν πρώτη γραμμὴ τὸ σῶμά ἐστιν, ἡ δὲ πλαγία τὰ γόνατα. Unica voce correcta locum sanum præsto. Lege igitur: ὧν ἡ μὲν ὀρθὴ γραμμὴ τὸ σῶμά ἐστιν, ἡ δὲ πλαγία τὰ γόνατα. De clave Laconica Aratum agere vidit ille. Sed mirum est quo sensu id interpretatur. Ex claris stellis, quibus sidus G Cassiepeæ constare ait, quæque efficiunt figuram Laconicæ clavis, una, inquit, in capite maxime australis: alia in cathedra maxime borealis. Inter has aliæ duæ sunt: in utroque genu scilicet positæ. Hæ quatuor stellæ sic ordinatæ faciem Laconicæ clavis faciunt, *recta linea*, corpus est: *transversa*, genua. Ὀρθὴν γραμμὴν intelligit, quæ à stella capitis ducitur australi ad borealem cathedræ stellam. Τὴν πλαγίαν, id est, transversam quæ ab uno genuum ad alterum porrigitur. Non dicitur quatuor tantum stellis confici Cassiepeæ signum, sed ex his, quæ corpus ipsum in recta linea describunt maxime australem in capite conspici, maxime borealem in cathedra. Inter utramque aliæ sunt recto ordine collocatæ, ut in papilla dextra una, in lumbis una. Nam quæ in dextro pede ponitur ab Hygino ea est, quam in cathedra βορειοτάτην constituit Græcus scholiastes. Hoc σχῆμα efficitur.



Ὀρθὴ γραμμὴ, quæ corpus constituit, ἀστέρας ἔχει ἐκ διαστήματος ἀλλήλων κατ' εὐθεῖαν ὡς ἔγγιστα κειμένους, ὧν ὁ μὲν βορειότατος ἐπὶ τῆς καθέδρας, ὁ δὲ νοτιώτατος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Hæc recta linea est, quæ invicem distantes habet stellas, & utcunque recta serie dispositas. Obliqua vero linea ambo genua connectit, & stellas in his locatas. Figuram hanc fuisse vult Laconicæ clavis, quam δικλίδα vocat. Et ne quis putet ea voce θύρας δικλίδα significari, non κλεῖδα, in Græco epigrammate antiquo plane eadem notione usurpatur:

> Τοὺς σοῦ ἀνακροῦσαι δυνάμαι πυλεῶνος ὀχῆας
> Δικλίδος ἡμετέρης τὴν βάλανον χαλάσας.

Ita enim scriptum reperi in vetustissimo codice, non κληῖδος. Ubi δικλὶς est clavis, cujus dentem βάλανον appellat, quæ injicitur claustro ad succutienda repagula. Et vides idem verbum ἀνακροῦσαι in eadem re positum epigrammatario poëtæ & Arato. Sed Arato ἀνακρούουσιν οἱ ὀχῆες τὴν κληῖδα. In epigrammate ἡ δικλὶς, hoc est, clavis ἀνακρούει τοὺς ὀχῆας. Ceterum quam heic δικλίδα vocavit scholiastes, paulo infra κλεῖδα appellat his verbis, quæ ex vetusta membrana emendatiora heic producam, & aliter scripta quam sunt in editis: ἐστὶν οὖν ἡ Κασσιέπεια ἐν χορείᾳ οὐχὶ πλαγία, ὡς γέγραπται, ἀλλ' ὀρθὴ, κλειδὸς ἔχουσα ἀρχαίης σχῆμα. Καὶ ὀρθοὶ ἀστέρες τὸ σῶμα ἐπιτελοῦσιν, οἱ δὲ πλάγιοι τὰς χεῖρας ἐκτεταμένας. Ita membranæ scriptum mihi exhibuere, nisi quod, ἀλλ' οὕτω mendose habuerunt, & ἀθρόοι ἀστέρες: quomodo & in vulgatis excusum extat. Verum ad eum modum, quo posuimus, emendanda fuere. Eadem est interpretatio, quæ supra. Hoc tantum differt, quod manus expansas pro genibus statuit, quæ lineam obliquam clavis Laconicæ & antiquæ efficiant. Hæc erit forma secundum istam expositionem nihil à priore diversa, sed omnino eadem, si invertatur ad hunc modum.



Juxta illos interpretes hoc ἀρχαίης καὶ Λακωνικῆς κλειδὸς instar fuit. Τρεῖς γομφίους plane in hac clavi habes, tria crucis cornua. Et fortasse δικλὶς hoc genus clavis appellatum, quasi duplicem, vel geminam clavim dixeris. Claves communes, quæ βαλανάγραι vocabantur, unica modo virga ferrea constabant, quæ in balanum injiciebatur ad eam è claustro sursum trahendam. In Laconica veluti duæ claves sese invicem decussantes in formam crucis. Ideo δικλὶς hæc clavis dicta. Vulgata in Aratum scholia: ἐστὶν οὖν ἡ Κασσιέπεια οὐ πᾶσα φανερὰ, ἀλλ' ὡς κλειδὸς ἔχουσα σχῆμα, καὶ οἱ ἀστέρες δὲ οὐκ ἀθρόοι τὸ σῶμα ἀποτελοῦσιν, ἀλλ' οἱ μὲν πλάγιοι τὰς χεῖρας ἐκτεταμένας, οἱ δὲ κατωτέρω ἅμα καὶ πόδας, καὶ τὴν καθέδραν ὡς δικλίδα. Τὸ δικλίδα δὲ σημαίνοι ἂν καὶ τὸ δίθυρον.

Hæc

Hæc inquinatiſſima; quæ ſic emenda: καὶ οἱ ἀστέρες δ᾽ ὀρθοὶ τὸ σῶμα ἀποτελοῦσιν, ἀλλ᾽ οἱ μὲν ἄνω πλάγιοι τὰς χεῖρας ἐκπεταμένας, οἱ δὲ κατωτέρω ἅμα καὶ πόδας, καὶ τὴν καθέδραν ὡς δικλίδα. Notum eſt Græcè peritis τὸ ὀρθὸν opponi τῷ πλαγίῳ, ut τὸ εὐθὺ τῷ στρεβλῷ. Ammonius: εὐθὺ καὶ ὀρθὸν διαφέρει. Τὸ μὲν γὰρ εὐθὺ ἀντίκειται τῷ στρεβλῷ, τὸ ὀρθὸν πλαγίῳ. Scholiaſtes ille ὀρθοὺς ἀστέρας in ſidere Caſſiepeæ opponit τοῖς πλαγίοις: & ὀρθοὺς quidem vocat, quæ rectam lineam conſtituunt à capite ad infimum cathedræ, eas nempe quæ in ea recta linea ſtellæ conſtitutæ ſunt; πλαγίους vero quæ brachia faciunt in ſuperiori parte expanſa: infra vero pedes & cathedram. Quod ad δικλίδα attinet, manifeſto hanc vocem heîc ſumpſit pro clave. Idque ſatis indicant verba iſta: τὸ δικλίδα δ᾽ σημαίνοι ἂν καὶ τὸ δίθυρον. Poteſt, inquit, & δικλὶς ſignificare januam biforem. Ergo hoc loco apud Aratum clavem ea dictione ſignificari putavit. Proinde legiſſe in Arati verſu veriſimile eſt:

Δικλίδι πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.

Nam ſi δικλίδα legiſſet, cum θύρῃν utique jungendum eſſet, nec pro clave poſſet accipi. Non dubium eos Græculos enarratores ſæculi ſui uſum reſpexiſſe, quum δικλίδα apud Aratum de clave intellexerunt. Nemini ſane hactenus ſuboluerat, qua ſententia illorum fuiſſet in extricando loco illo Arateo intricatiſſimo. Multum ſanè diverſi videntur abire ab Arati mente. Quod enim lineam quamdam ſtellarum rectam ducunt, quæ corpus Caſſiepeæ conſtituat, & aliam ſupernè, quæ rectam illam ex traverſo ſecet, & brachiorum ſtellas ſignet, item aliam æque tranſverſariam infra decuſſantem, qua ſtellæ genuum & cathedræ notentur, non puto rectam eos viam, ſed obliquam inſtitiſſe. Alius lineam tantum unam πλαγίαν ponit, eamque ſupernè ad deſignandas brachiorum expanſorum ſtellas: alius ad inferiorem rectæ lineæ partem collocat obliquam illam lineam, qua recta decuſſatim ſecatur, eaque ſtellas genuum & cathedræ oſtendi dicit. Alius utramque agnoſcit. Aut tres igitur diverſi ſunt harum trium ſententiarum auctores, aut unus eſt trium diverſarum interpretationum auctor. Præterea quod δικλίδα pro clave accipiunt, plane indicant nihil prorſus in hoc Arati loco vidiſſe. Nihil de recta & obliqua linea clavis Laconicæ, & aſteriſmi Caſſiepeæ apud Aratum extat. Nec formam ille aſteriſmi illius clavi Laconicæ in plenum comparat, ſed ſimpliciter ſtellas in eo ſic diſpoſitas eſſe καὶ μουνὰξ ὑποκείμενος, id eſt, aliam ſub alia jacere, ut ſunt ὀχῆες, qui ſuccutiunt clauſtrum, quo janua δικλὶς firmatur. Ὀχῆας vocat dentes clavis antiquæ, qui alius ſub alium ordine collocantur, ut ſtellæ in Caſſiepeæ ſigno. Ita omnino conſtat legendum, ſicut ſuprà emendavimus, οἷον δ᾽, aut certè,

Οἷον δ᾽ κληῖδι θύρην ἔντοσθ᾽ ἀραρυῖαν
Δικλίδα πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.

Nam ſequitur in redditione comparationis.

Τοῖον τοι μουνὰξ ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται
Ἀστέρες.

Οἷον οἱ ὀχῆες πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν θύρην κληῖδι ἡρμοσμένην, τοῖον οἱ ἀστέρες Κασσιεπείας μουνὰξ ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται. Hæc indubitatè vera in Arato lectio. Nam ſi legas οἵην, ut vulgo habetur, januæ ſimilem faceret Caſſiepeæ μόρφωσιν. Si corrigas οἵη δ᾽ κληῖδι, ut viri eruditiſſimi ſententia eſt, clauſtro, vel feræ ipſi adſimilaret eam. Quippe cum κληῒς apud Aratum clavis non ſit, ſed clauſtrum, ut clariſſimè ex verborum ſenſu, ſituque eluceſcit, in comparatione illa Aratea non totius Caſſiepeæ ſideris forma cum tota Laconicæ clavis effigie componitur, ſed ſitus ſtellarum, quæ in eo ſunt, cum ſitu dentium claviculæ, quos ὀχῆας appellat. Avienus ſolam diſtantiam ſtellarum aſſimilari dicit clavi Caricæ. *Formatur*, inquit, *ſtellis diſtantibus, ſicut clavis Carica clauſtra tenacia intrans.* Nihil ferè ex clavi clauſtrum init præter dentes, præcipue in antiquis clavibus, quæ breviſſimæ ſunt, & nihil præter annulum, quo tenentur, habent, & dentes, qui clauſtrum ineunt. In hodiernis præter annulum longus eſt ſcapus. Quod ſequitur apud Aratum:

---- ἡ δ᾽ αὕτως ὀλίγων ἀποτείνεται ὤμων
Ὀργυιήν, φαίης κεν ἀνιάζειν ἐπὶ παιδί.

Hoc extra comparationem poſitum eſt, nec quicquam attinet ad ſimilitudinem, quæ præceſſit, τῶν μουνὰξ ὑποκειμένων ἀστέρων cum ὀχεῦσι ac dentibus clavis Laconicæ inſtitutum. Quod etiam expreſſit ſeorſim Germanicus in ſua paraphraſi:

Qualis ferratos obicit clavicula dentes,
Succutit & foribus præducti vincula clauſtri,
Talis diſpoſita eſt ſtellis. Ipſa horrida vultu
Sic tendit palmas, ſeu ſit planctura relictam
Andromedam meritam non juſta piacula matris.

Hæc poſtrema de figuratione Caſſiepeæ palmas tendentis, quaſi plangat Andromedam, extra comparationem clavis poſita ſunt, & nihil habent cum ea commune. Græci interpretes hæc ita acceperunt veluti partem facerent præcedentis ſimilitudinis. Proinde figuram hanc fuiſſe clavis Laconicæ priſcæ ſibi imaginati ſunt, cujus inſtar referret aſteriſmus Caſſiepeæ. Ut recta quidem linea, hoc eſt, clavis ſcapus Caſſiepeæ corpus repræſentaret, ſtellæ autem in eodem ſidere quæ manus expanſas ſignant, eſſe lineam, ſive virgulam tranſverſariam, quæ ſcapum rectum clavis decuſſatim ſecat. Ita Græci. Longe melius Latini, qui ſolum ſitum ſtellarum corporis Caſſiepeæ comparari interpretati ſunt cum diſpoſitione dentium in clavi, ut illi μουνάξ, id eſt, εἷς ὑφ᾽ ἕνα locati ſunt, ita ſtellæ in corpore Caſſiepeæ à capite ad pedes hac eadem ſerie ſiti ſunt, εἷς ὑφ᾽ ἕνα καὶ οὐκ ἐπημοιβοί, idque diſertim declaravit Germanicus prorſus ex mente Arati:

Qualis ferratos obicit clavicula dentes,
Succutit & foribus præducti vincula clauſtri.

Quod longè diſertius, ac planius eſſet, ſi legeretur.

Quales ferrato ſubicit clavicula dentes,
Succutit & foribus præducti vincula clauſtri.

Scriptum *qualis* pro *quales*. Repetendum ex ſequenti, ac ſubaudiendum *qualis ferrato clauſtro*. Quales dentes clavicula ferrato clauſtro ſubjicit, & ſuccutit. Et ſanè clavis, quæ clauſtrum januæ ſuccutit & ſurſum pellit ut aperiatur, clauſtro utique ſubjicienda eſt. *Quales ferrato*, repetendum ex ſequentibus *clauſtro*. Loquutio poëtis familiaris. *Ferrati dentes* clavis haud rectè dicantur qui αὐτόχρημα ferrei ſunt. Ut nec *auratus* pro aureo uſurpatur. Aliud τὸ σιδηροῦν quod ex ferro eſt: aliud τὸ σεσιδηρωμένον, quod ferro inductum eſt ac munitum. Unde *ferrati obices portarum* apud Ammianum lib. XXI. Et σεσιδηρωμένοι μοχλοὶ apud Græcos. Legi etiam poſſet:

Quales ferratis ſubicit clavicula dentes,
Succutit, & foribus præducti vincula clauſtri.

Idem ſenſus ex utraque lectione, quales dentes clavicula foribus ſubjicit, & ſuccutit clauſtra. οἷοι ὀχῆες ἀνακρούουσιν τὴν κληῖδα. Fuit & quum legendum putarem:

Qualis ferratos obices clavicula dente
Succutit, & foribus præducti vincula clauſtri.

Sed ideo minus arridet, quia *obices* & *præducta foribus clauſtra* idem ſunt. Κληῒς apud Aratum non clavis eſt, ſed clauſtrum quo obdito fores occluduntur. Heic diverſi generis fuere, prout & diverſæ aperiendarum forium rationes excogitatæ ſunt. Lignea clauſtra quædam extitere, quibus in tranſverſum obductis fores firmabantur: Latini *feram*, Græci μοχλὸν appellant, alii *vectes* & *clauſtra*, ut Græci κλεῖθρα. In his vectibus ac feris ligneis βάλανοι & βαλανάγραι locum habuere, quarum multus apud veteres uſus. Et hæc communis forma olim clavium fuit & clauſtrorum. Alia ſollertior methodus fuit per claves Laconicas, quæ & κρυπταὶ dicebantur, quod totæ intra clauſtrum immerſæ laterent, ut etiam indicat Avienus:

---- *ſic qualem Caria quondam*
Noverat intrantem per clauſtra tenacia clavem.

De his clavibus acceperunt veteres locum Arati quem ſupra excuſſimus. Tres dentes, τρεῖς γόμφους, quos iſtis clavibus tribuit Ariſtophanes hoc modo poſiti fuiſſe videntur.



An potius hoc modo ad tridentis instar?



Profecto claves ejusmodi, quarum Homerus & Aratus meminere, insertæ claustro & sursum cum impetu levatæ succutiebant repagula ac dejiciebant, quod ἀνακρούειν & ἀνακόπτειν Græci dicunt, id est, sursum quatere vel succutere. Qui modus aperiendi cum hac forma magis congruit, quam cum altera, quæ reducendo potius atque adducendo fores aperit clauditque dum vertitur, succutiendo, & recta plaga sursum quatiendo. Hoc prorsus modo fores aperiunt claves illæ, quibus hodie Chartusianorum familiæ in suis monasterii conclavibus utuntur, quas & *Chartusianas* propterea quidam appellant. Præterea hoc instar clavis, quod proximè posuimus, non multum abludit à forma antiquæ & Laconicæ clavis, quam Græci Arati interpretes nobis describunt, quæ scapum habeat rectum, & superne transversariam virgulam. Solum ordinem dentium in exemplum sumpsit non totum clavis modulum Aratus, cui adsimilaret stellarum in corpore Cassiepeæ dispositionem ac situm. Quantum ad figuram antiquæ Laconicæ clavis attinet, certè videntur eam novisse. His & aliis clavibus antiquis sua ac convenientia claustra attributa. Nec enim clavicula ferrea foribus immissa claustrum longum ligneum, & plerumque ferratum facile succutiendo dejecisset. Non tantum igitur seras illas & vectes ligneos occludendis intus foribus novere veteres, quos hodieque novimus januis præcipuè portisque obserandis, sed etiam ejusmodi claustra ferrea, quæ nobis usitata vulgo nunc sunt, in usu habuere. Ea claustra foribus obfiguntur quadrata ut plurimum figura, ex duplici ferro compacta, intra quæ parva repagula & ipsa ferrea adductionibus ac reductionibus moventur. Et adducta quidem in postem ineunt, & cum eo forem jungunt & connectunt, reducta laxant & aperiunt. Horum claustrorum notitiam habuisse veteres, ex clavibus antiquis colligas, quæ factura nostris planè similes sunt, quæ & annulum habent; ut digito teneri possent. Multas vidimus & ipsi è tellure effossas. Multæ servantur penes antiquarios, quas etiam conspeximus. Produxere quasdam in suis scriptis viri docti. Earum nos heic aliquot videri curavimus & subjecimus.



Lipsius commentariis ad II. Annalium duas ex his inseruit in Batavis erutas. Annulos signatorios esse putat cum adjuncta clavi. Ergo ex ejus sententia duplicem usum præbuerunt illæ claves annuli signatorii vel sigillatorii & clavis. Quod non potest. Nullum in his sigillum impressum ad signandum aptum. Meræ claves sunt cum annulo qualis & hodie fieri solet in nostris clavibus quæ sunt longiore scapo. Digito inserebantur ut annuli sigillatorii quo commodius verti

A possent intra claustrum. Scapum quippe non habent quo teneri queant, quique sit instar manubrii. Excepto annulo totæ intra claustrum absconsæ mergebantur. Ideo κρυπτὰς & καλυπτὰς appellavere. Ut factura est & forma clavium illarum, quas suprà posuimus, omnino vertebantur ad reducenda & adducenda quæ intus erant ferrea verucula vel repagula. At Laconicæ veteres alio modo aperiebant, succutiendo nempe ac dejiciendo quod in interiori parte forem cum poste detinebat vinctam ferreo pessulo. Adeo id manifesto colligitur ex Homeri & Arati versibus quos superius adduximus, & Græci epigrammatis disticho

B item supra citato, ut dubitationi non sit locus. Tales hodieque visuntur quamplurimæ, & similiter aperiunt claves Chartusianæ. Clavem antiquam ad hunc aperiundi modum methodumque factam invenimus in Cl. P. Petavii monumentis, quam heîc exhibere operæ pretium duximus.

C



Hæc clavis, quantum suspicor, atque instar ejus ostendit, sursum impulsa pessulum posti impactum amovebat, non circumacta intra claustrum. Tales antiquæ Laconicæ Homeri Aratique, ἀνακόψουσι καὶ ἀνακρούουσι τοὺς σιδηροῦς ὀχεῖς, fores pandi faciebant. Hæc quippe vis est verbi ἀνακρούειν. Hinc ἀνακρουστὰ ὑφάσματα Græci vocant, quæ sursum impulso pectine à stantibus percutiebantur ac texebantur. De quibus ad Historiam Augustam diximus. Ἄνωθεν ὑφαντὰ textile ejus-

D modi iidem Græci appellant. Sic sunt ἀνακρουστικαὶ claves quæ claustro immissæ succutiunt repagulum, donec ex uncino cui injectum est exeat. Duo genera clavium apud antiquissimos Græcos in usu fuisse reperio, βαλανάγρας & Λακωνικάς. Cum sera lignea, hoc est, μοχλῷ, βαλανάγραι, & longiores unico dente, quæ βάλανον ex sera trahebant, ut supra explicavimus. Hoc genere portæ urbium claudebantur, ut ex Æneæ Tacticis constat, & *januæ*, hoc est, primores & in publicum exeuntes ædium fores, ut ex multis Græcorum Latinorumque testimoniis colligitur. Fuere & Laco-

E nicæ breviores, multis dentibus, & artificii sollertioris, quæ claustro immissæ totæ latebant. Ideo κρυπταὶ & καλυπταὶ dicebantur. Mentio apud Stephanum κλειδὸς Λακωνικῆς. Succutiendo & sursum impellendo repagula decutiebant. Repagula ipsa non lignea, sed ferrea ac brevia. Μοχλία σιδηρᾶ Græci vocant, & ὀχῆας. Alii etiam βαλάνους. Conclavia & thalami œcique, & cetera interiora ædium membra hoc modo solebant & methodo occludi. Ab illis Laconicis clavibus reliqua omnia clavium genera, & artes, formæque diversæ productæ. Ab iisdem Laconibus etiam signacula prodita, & annulorum usus signatoriorum. Non con-

F tenti veteres clavibus & claustris in asservandis ac condendis rebus iis, quas cariores habuere, signacula etiam adhibebant, quibus nosci poterat, an fraus facta esset clavi claustroque. Lacones primum usi sunt lignis vermiculatis, hoc est, verme corrosis, quæ Græci θριπόβρωτα aut θριπήδεστα vocant. Iis signabant quæ clausa & tuta esse volebant. Aristophanes Θεσμοφοριαζούσαις:

> Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ' ὑποῖξαι τὴν θύραν
> Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου.
> Νῦν δ' οὗτος αὐτοὺς οἰκότριψ Εὐριπίδης
> Ἐδίδαξε θριπήδεστ' ἔχειν σφραγίδια
> Ἐξαψαμένους.

G Queruntur ibi mulieres non jam sicut antea faciebant se posse viros suos suppilare, & Euripidi id imputant, quo docente viri facti essent prudentiores in condendis ac sub clave continendis rebus suis. Et qua sub clave? non vulgari modò, inquiunt, ac simplici fabrefactas claves jam ipsi gestitant, sed Laconicas pessimi & vaferrimi inventi & artificii.

---- οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία
Φορῦσι κρυπτὰ ϰ̀ γε κακοηθέστατα
Λακωνικ᾽ ἄττα τρεῖς ἔχοντα γομφίους.

Et tamen addunt, nihilominus adhuc licebat dolo attentare quæ talibus occlusa essent clavibus,

Προτοῦ μὲν ὖν ἦν ἀλλ᾽ ὑποῖξαι τὴν θύραν
Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου.

Facto digitulo ferreo triobolari poterant subaperiri fores, & quæ vellemus cumque viris insciis suffurari. Hujusmodi digitulis ferreis & uncinis hodie etiam uti sciunt in aperiendis dolo foribus fures ac suppilatores. *Luscinioles* vocant. Nec sanè multum difficile erat etiam sine clavi reserare eas fores quæ clavibus Laconicis ἀνακρυστικαῖς aperiebantur. Longe subtilioris ac magis artificis sollertiæ claves postea inventæ sunt, quæ vix tamen τὸν δακτύλιον τῶν θυρεπανοικτῶν possunt evitare.

Νῦν δ᾽ οὗτος οἰκοτριψ Εὐριπίδης
Ἐδίδαξε θριπήδεστ᾽ ἔχειν σφραγίδια
Ἐξαψαμένους.

Hoc remedium auctore Euripide nunc viri nostri repererere, ne quid jam possemus ipsis insciis clepere, foribus per dolum apertis. Docuit eos appendere signacula foribus, ligni corrosi figura impressa. Hæc fuit antiqua signandi consuetudo, quæ & ipsa à Laconibus prodiit, ut & claves κρυπταί. Hesychius: θριπόβρωτον, οἱ Λάκωνες σφραγίσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ σητῶν βεβρωμένοις, καὶ ἐσημειώσαντο ὅτι βούλοιντο. Φιλοστέφανος δὲ φησὶ πρῶτον Ἡρακλέα χρήσασθαι. Notat etiam Theophrastus sua ætate multos signasse lignis, quæ vermiculi, vel teredines pertuderant lib. v. Hist. cap. 1. Πλὴν ὑπὸ τὸν φλοιὸν ὑποδυόμενοι σκώληκες ἐπιπολῆς ἐγγλύφουσι τὸ στέλεχος, οἷς καὶ σφραγῖσι χρῶνταί τινες. Quibus ad signandum quidam utuntur. Θριπόβρωτα plane intelligit, vel θριπηδέστατα σφραγίδια. In eorum locum successere annuli signatorii, qui eumdem usum antiquis præstiterunt ad signandum ea, quæ domi custodienda essent, & à fraudibus servorum & suppilatione vindicanda. Dolo, ut dixi, possunt claustra forium aperiri quantumvis rectè munitarum. Unus ferreus digitulus, vel uncinus hoc facit. Signaculis nulla fraus adhiberi potest: perfringenda sunt. Promptuaria, & cellæ, & armaria hoc modo signari solebant. Diogenes Laërtius in Lacyde: τοῦτόν φασι καὶ περὶ οἰκονομίαν γλυκύτατα ἐσχηκέναι. Ἐπειδὰν γὰρ τι προέλοι ἐκ τοῦ ταμιείου σφραγισάμενος πάλιν εἴσω τὸν δακτύλιον διὰ τῆς ὀπῆς ἐρρίπτει, ὡς μηδέποτε αὐτοῦ περιαιρεθείη, ἢ τι βασταχθείη τῶν ἀποκειμένων. Μαθόντα δὴ τοῦτο τὰ θεραπόντια ἀπεσφράγιζε, καὶ ὅσα ἐβούλετο ἐβάσταζεν, ἔπειτα τὸν δακτύλιον διὰ τῆς ὀπῆς ἐνίει εἰς τὴν στοάν. Ex versibus Aristophanis, quos supra attulimus, constat, etiam claustris ac feris occlusa, signaculis nihilosecius muniri solita fuisse. Lacydes, ubi quid ex penu prompsisset, signaculo rursus apposito, annulum quo id signaverat, solebat per foramen claustri intro jacere. Ὀπὴν τὴν στοᾶς intelligo foramen, quod in ostio patebat immittendæ clavi. Servi, qui id perspexerant, eo absente, per idem foramen manu immissa annulum retrahebant, & resignabant penum, rursumque signum imprimebant, & sic quæcunque vellent indeprehensi amovebant ex promptuario, quum semper signum integrum dominus inveniret. Adeo negligens œconomus & parum astutus fuit ille philosophus. Annulo tamen præcipuè obsignabant, quæ seras & claustra non patiebantur, ut armariola, lagenas vini, & cetera ejusmodi χυτρεία. Martialis:

Nunc signat meus annulus lagenam.

Longe igitur diversi signatorii annuli, & claves cum annulo, quas cum signatoriis confundit vir doctus. Nam foribus etiam obseratis signacula apponebantur. Plato comicus in μετοίκοις ita hæc jungit:

Σημεῖα, παρασημεῖα, κλεῖς, παρακλειδίον.

Falsam, & adulterinam clavim vocat παρακλειδίον, ut παρασημεῖα adulterata signacula. Sed de his alibi pluribus. Notat Arati scholiastes claves olim intus fuisse, suo tempore extra. Certè Aratus dicit:

---- κληῖδι θύρην ἔντοσθ᾽ ἀραρυῖαν
Δικλίδα.

Claustro forem intus munitam significat. Κληῖδος nomine non clavem intelligit Aratus, sed repagulum, vel pessulum ferreum, & quidquid intus forem occlu-

A dit. Homerus ὀχῆα vocat, id est, ferreum veruculum. Atqui nescio an κλειδὸς nomine vetus ille interpres claustrum, aut seram ferream intelligi velit. Certè duobus locis ibidem κλεῖδα pro clave posuit, cum dixit Cassiepeæ signum κλειδὸς ἀρχαίης, & κλειδὸς Λακωνικῆς ἔχειν σχῆμα. Eum igitur audiamus, & verba ejus perpendamus: τὸ ἔνδοθεν ἡρμοσμένην εἶναι τὴν κλεῖν ἀρχαϊκόν ἐστιν: οὐ γὰρ ὡς νῦν ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, ἀλλ᾽ ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ᾽ Αἰγυπτίοις καὶ Λάκωσιν. Καὶ Ὅμηρος οἶδε τοιοῦτον, ὅτι ἔσωθεν τὰ θυρώματα ἀνακρουόμενα κληῖδι θύρης ἀνέκοπτεν ὀχῆα, ὅτε δ᾽ ἔβαρχε δαίδαλα πάντα ἀσφαλίσματα. Ita leguntur hæc verba in scriptis codicibus paulo aliter quam in excusis. Si putavit ille grammaticus, ut videtur putasse,
B se, idem significare κληῖδα apud Homerum & Aratum, profectò falsus est. Κληῒς apud Homerum loco quem citat, clavis est, apud Aratum ferreum repagulum. Pessulis, seris & repagulis fores intus olim munitas fuisse plus quam certum est. In Laconica quoque aperiendi & claudendi ratione sera intus erat, id est, pessulus; clavis vero ab exteriori parte immissa pessulum, qui in interiori latere tenebatur, succutiebat. Si per κλεῖδας igitur claves accipit scholiastes ille, haud dubium est quin ἐκτὸς fuerint etiam apud antiquos, Homerum & Aratum. De clavibus loquor Laco-
C nicis. Etiam hodieque omnes claves ἐκτός εἰσιν, ab exteriori quippe forium parte immittuntur claustro. In ratione illa veteri, quæ per seras ligneas, & βαλάνους injectas forem claudebat, eamdemque per βαλανάγρας reserabat, secus fuit. Nam βαλανάγρα, id est, clavis in interiori parte, ubi & sera, vel μοχλός. Quippe in seram ipsam demittebatur ad extrahendam βάλανον. Ad hanc rem foramen in ostio relinquebant, per quod manus posset immitti à foris stantibus, inferendæ clavi in seram, & evellendæ βαλάνῳ. Hoc modo planè ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες. Quod si vero κλεῖδας posuit
D pro claustris, id est, μαγγάνοις τῆς κλειδώσεως, quas *seraturas* dicimus, hodie ut plurimum intus foribus obfixæ habentur, foramine in exteriori parte relicto, cui clavis forinsecus immittitur. Fides sit penes illum, an ejus ætate claustra foribus adfigerentur in exteriori forium latere. Ceterum quum dicat scholii auctor, τὸ ἔνδοθεν ἡρμοσμένην εἶναι τὴν κλεῖν, sine dubio non clavem, sed claustrum significavit; clavem enim vocavit δικλίδα. Quod autem ait Ægyptiis & Laconibus fores intus occludi solitas olim, hoc nihil facit ad eum morem, quo fores antiquorum grammatici notant foris & extra solitas aperiri. Hæc enim distinguenda sunt, quæ video confundi. Ad Aratum
E observant viri docti, Laconicas fores duplices fuisse, quæ vecti ita clauderentur, ut non extra sed intus aperirentur, qui mos & Romanis usitatus. Non ea mens est interpretis veteris, nec quicquam simile. Nihil quippe prohibet quin eadem janua & intus occludatur sera, & tamen aperturam in publicum projiciat. Nec enim necesse est, ut quæcunque fores intus claudantur, intus etiam aperiantur. Ambiguum in loquutione Latina verbum est *intus*, quod tam ἔσωθεν quam ἔσω significat, tam ἔνδον quam ἔνδοθεν. Exempli gratia *fores intus aperiri* Latini dicunt, quas ab interiore
F parte aperit aliquis qui intus est. Ut apud comicos, *aperite intus aliquis*, id est, ἔνδοθεν. Quum fores aperit qui intus est, sive ostii aperturam projiciat in exteriorem partem & in publicum, sive ad se trahat & interius reducat, æquè utroque modo *aperire intus* dicitur, id est, ἔνδοθεν. Similiter qui foris est, & januam aperit, sive ostium in interiorem partem ædium propellat, sive in exteriorem, eamque ad se trahat, æque *foris aperire* possit dici, quocunque modo aperiat. At idem si aperturam habet ostium in interiores partes, ἔσω ἀνοίγειν dicitur, si in exteriores partes, ἔξω ἀνοίγειν,
G sive intus, sive foris aperiat. Ἔξω ἀνοίγεσθαι fores dicuntur, quæ aperturas habent in exteriores partes. Ita loquitur Vitruvius: *Ipsaque forium ornamenta non fiunt cestrota, neque bifora, sed valvata, & aperturas habent in exteriores partes*, id est, ἔξω ἀνοίγονται, ἔξω ἀναπετάννυνται. Eo modo fores aperiebantur apud Atticos antiquos. Qui intus domo exibant, earum aperturam in exteriores partes, & publicum versus projiciebant. Inde apud comicos qui intus exeunt, prius ostium per-

 cutiunt,

cutiunt, & crepitum faciunt, ut qui extra sunt admoneantur recedere, ne apertura ostii læderet transeuntes. Ψοφεῖν θύραν dicebant de his, qui exibant domo, foribus prius percussis. Latinis comicis *crepare ostium*, ut apud Terentium: *crepuit à Glycerio ostium*, ἐψόφησεν ἡ ἀπὸ Γλυκερίου θύρα, aliquo scilicet egredi parante. At cum externus ostium pulsaret intraturus, κόπτειν θύραν dicebatur. Hæc nota sunt. Hoc modo & more Attico qui intus fores aperiebant, ἔσωθεν ἀνοίγειν τὴν θύραν ἔξω dicti. Nunc quæstionis est, utrum janua, cujus apertura in publicum & exteriorem partem ejiciebatur, ab exteriori quoque parte occludi & obserari necessario deberet. Nihil necesse est. Haud sane magis quam intus occludi solitam, in interiorem partem aperiri oportuit. Fores pleræque intus obserari consuetæ, foras versus pandebantur, & contra. Apud priscos Atticos ἔσωθεν κατεκλείοντο, ἔξω ἠνοίγοντο. Intus obserabantur, extra aperiebantur. Mediæ Græciæ temporibus, quæ sub imperio Romano fuit, fores ἔσω ἀνοίγοντο, in interiorem partem aperturam inclinabant, forinsecus tamen adfixas & aptatas habuere seras, quibus occludebantur. Interpres Arati Theon: νῦν δ' ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, id est, *ab exteriori parte foribus aptantur claustra*. Et tamen ejus ætate in terra Græcia fores versus interiora ædium pandebantur. Helladius apud Photium: οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ πύλαι, ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ, ἔξω γὰρ αὐτὰς ἀνατρέποντες ἔνδοθεν ἐξῄεσαν. Sic legendum, non, ut vulgo est, ἔξωθεν. Quod non potest stare salvo sensu. Qui intus exibant, forium aperturam impellebant extra, & in publicam viam. Quod ἔξω ἀνοίγειν, & ἔξω θύρας ὠθεῖν dixere. Igitur κλεῖδες interpreti Arati, ut Arato ipsi, sunt claustra, sive μάγγανα κλειδώσεων, quæ in Laconicis foribus, ut clavibus ejusdem generis aptæ essent, è ferro fuere. Inde ὀχῆες Homero dicuntur, & σιδηροῖ μοχλοὶ aliis. Pollux: ἐν δὲ τοῖς δημιοπράτοις καὶ μοχλία σιδηρᾶ. οἱ μὲν οὖν ἀκριβέστερον ἑρμηνεύειν πειρώμενοι τὰς κλεῖς οἴονται προσήκειν λέγειν. Mens ejus hæc est, qui accuratius loquuti sunt τὰς κλεῖς appellare, quæ alii μοχλία σιδηρᾶ appellent, à similitudine partis corporis, quæ sic appellatur. Notum è Rufo & Polluce quæ sint κλεῖδες in corpore humano. Mira sane harum vocum inter se variata significatio. Κλεὶς & claustrum significat & clavem. Ὀχῆες similiter & pro clavis dentibus Arato, ast aliis pro pessulis ferreis. Anacreonti: θυρέων ἔκοπτ' ὀχῆας. Sic appellavit τὸ ῥόπτρον januæ, quo foris percutitur. Ita βάλανον & pro sera, & pro clave, vel βαλανάγρα, & pro ferrea glande, quæ in seram incidit, posuerunt. Interpres Aristophanis βάλανον interpretatur μοχλόν. Pro clave usurpavit, vel dente clavis Græci epigrammatis auctor:

Δικλίδος ἡμετέρης τὴν βάλανον χαλάσας.

Haud mirum igitur, si ὀχῆες Arato sunt dentes clavis, & κληῒς apud eumdem pro claustro sumitur. Ut antiqui non dissimiles nostris claves habuere, ita & similia prorsus claustra è ferro duplici compacta & quadrata cum ferreis intus veruculis, vel pessulis, qui modo adducerentur, ac reducerentur, interdum etiam succuterentur, ut in Laconicis claustris. Ejusmodi claustra ferrea κλειδία etiam vocarunt & κλεῖθρα. Hero: ἐκ τῶν πλαγίων τρύπημα ἔχον στρογγύλον τὸ χ πλησίον τὸν πυθμένα, ᾧ προσκείσθω κλειδίον τὸ καλούμενον παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ἀσσάριον, οὗ τὴν κατασκευὴν ἑξῆς ἐροῦμεν. Hujus κλειδίου fabricam, sive assarii Romani ita describit paulo post: τὸ δὲ εἰρημένον ἀσσάριον κατασκευάζεται οὕτως. Δύο πλινθία κατασκευάζεται χάλκεα τετράγωνα ἔχοντα ἑκάστην πλευρὰν ὡς δακτύλου ἑνὸς τὸ μῆκος, τὸ πάχος ὡσπερεὶ σταθμης, ταῦτα δὴ ἐφαρμοσθέντα ἐπ' ἀλλήλοις καὶ τὸ πλάτος συμνεάζεται, τουτέστι λειοῦται, ὥστε εἰς τὸ μεταξὺ αὐτῶν μήτε ἀέρα, μήτε ὑγρὸν παρεμπίπτειν. Instrumentum hoc quadratum ex duobus laterculis æneis compactum κλειδίον appellatum, quod instar haberet claustri ferrei, non quod claviculæ simile esset. Romanos *assarium* vocare dicit. Quare sic appellarint nescio. Glossæ: *assarium*, ἀσσάριον μονομάχιον, δοκάριον, νεμμίον. Nihil horum convenit. Illud ἀσσάριον Græce pro asse est. Ergo *assarium* de asse etiam dixere Romani. Quod alibi adstruimus. *Assarius nummus*, ut *binarius*, *quinarius*, *denarius*, ὁ δεκάνουμμος. Sic *assarius*, ὁ μονόνουμμος. *As* enim ὁ εἷς,

A ἡ μονάς. Multum sane rationabilius ut κλεὶς significet *claustrum* & id quod januam claudit, quam *clavim*, cujus munus est aperire. Certe ἡ βαλανάγρα apud veteres, quam κλεῖδα interpretantur, aperiebat, non etiam claudebat. Nam βάλανος injecta in seram, sive vectem, januam obserabat. Ea extracta τῆς βαλανάγρας opera removebatur sera, & fores pandebantur. Hodiernæ claves quædam sunt, quæ & claudunt & aperiunt adducendo reducendoque claustri pessulo. Aliæ quamplurimæ tantummodo aperiunt. Laconicæ quoque aperiebant solum. Κληῒς, κλαῒς, & κλαβίς. Unde Romanum clavis. Inter synonyma forium

B claudendarum, quæ plura refert Pollux, & προσθεῖναι θύραν recenset: ἐφ' οὗ καὶ τὸ προσθεῖναι, συναγαγεῖν, ἐπισπάσασθαι. Apud Herodotum προσθεῖναι θύραν hoc sensu legitur, id est, *obdere forem*. Hinc explicandus in Phœdonis vita Diogenis Laërtii locus, in quo aqua hæsit doctis: καὶ ἠναγκάσθη στῆναι ἐπ' οἰκήματος, ἀλλὰ θύριον προσθεὶς μετεῖχε Σωκράτους. Qui prostabant in meritorio, foribus apertis mercem suam venditabant. Ad hoc coactus à lenone, cui venundatus fuerat Phædon, clausis & obditis meritorii foribus de die Socratem audiebat. Quæ de clavibus Laconicis hactenus scripsere viri præstantissimi, profecto ea valde κρυπτὰ

C sunt & abscondita, nec ullam harum cognitioni lucem intulerunt. Vide quæso, quæ vir magnus, ut alios omittam, ad hunc Moreti versum commentatus est:

Et reserat clausa qua pervidet ostia clavis.

Nihil illis miserius. *Clausa clavis ostia* interpretatur τὴν ὀπὴν τοῦ κεκλεισμένου κλεῖθρου. Absurde. Ὀπὴ θύρας, non ὀπὴ κλεῖθρου dicebatur. Quid esset, id supra explicavimus. *Foramen immittendæ clavi* vocat Apulejus. In ostio illud foramen, non in clavi, aut sera. Pollux de foribus: ἡ τε ὀπὴ εἴρηται ἐν Αἰολοσίκωνι Ἀριστοφάνους καὶ δι' ὀπῆς: id est, per foramen januæ. Κληΐθρην vocat Phe-

D recydes in epistola ad Thaletem: δεὶς δάκτυλον ἐκ τῆς κληΐθρης ἔδειξα ὡς ἔθνον τοῦ κακοῦ. Præterea *clausa clavis* non dicitur, utpote quæ forem claudat ipsa. Postremo, ostia non possunt significare τὴν ὀπὴν, quum fores ipsas, vel velamenta forium designant, ut *ostium pessulo obdo*, & *ostio clauso*. Glossæ nondum editæ: καλύπτρα, *ostium*. Legendum igitur in illo versu:

Et reserat casulæ, qua pervidet, ostia clavi.

Reserat clavi ostia casulæ, *qua pervidet*. Tenet ille lumen accensum, quod ab aura & vento quum manu defenderet, qua pervidere potuit, ostium casulæ reseravit. Melius tamen legeretur distinctis vocibus.

E --- *qua præ videt*,

id est, qua ante se videt. Ut apud comicum, *abi præ, sequar.*

Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat casulæ qua præ videt, ostia clavi.

Nihil verius. *Clausæ* substituerant ineptissimi librarii quod præcedat *reserat*. Deinde *clavis* reposuerunt iidem, ut congrueret cum *clausæ*. Bis infra meminit *casulæ*. Et sane ostia casulæ oportet fuisse, quæ reserata dicit. Hæc creta sit hujus exercitationis, in qua decurrenda ultra lineam limenque ita sumus evagati, ut tamen à foribus non discesserimus.

F *Ad locum palmæ constiterunt.*] Ad locum victoriæ, ad cretam. Donatis palma victoribus solvebatur agon. Totidem missus, totidem palmæ. Viginti quatuor missibus peragebantur legitimi circenses. Hinc βαΐον, quæ vox palmæ ramulum significat, positum pro missu ludicri circensis, quia ad singulos dabatur palma. Narrat Cedrenus Justinianum cognomento Rhinotmetum, quum ludi circenses agerentur ἱππικοῦ ἀγομένου, Apsimarii & Leontii antartarum colla pedibus calcasse, ἄχρις ἀπολύσεως τοῦ πρώτου βαΐου, id est, usque dum primus missus absolveretur, à principio primi missus us-

G que ad finem colla tyrannorum sub pedibus suis tenuit. Non bene vir doctus βαΐον eo loco interpretatur. Nec melius ille è ψευδωνύμων grege, qui reprehendere illum conatus est. Ut palma, hoc est, βαΐον pro missu, ita contraria vice *missus* pro palma, vel brabio usurpatus est: *missus*, ἆθλον. Et apud interpretem Juvenalis, *vocis missa*, pro vocis præmiis. Joannes Lydus βραβεῖα similiter pro missibus usurpavit, ut Cedrenus βαΐα. Vide supra.

Excusso

Excusso quoque auriga, quem Ratumenam nominabant] Libri Soliniani quidam hunc aurigam nominant *Rutimannam*: alii *Rutumannam*: nonnulli *Ratumannum*. Pliniani *Ratumennam* vocant cum duplici n. Atque ita in vetustissimo codice Epitomæ Festi reperi scriptum: *Ratumenna porta à nomine cujusdam aurigæ sic appellata est.*

Pag.53.F. *Relicto certamine ad Capitolium quadriga prosilivit.*] Omisit quod in hac historia scisse non parvi interfuit: unde venerit illa quadriga ad Capitolium, & cujus loci relicto certamine. Qui è Plinio reliqua sumpsit, nec debuit hoc, quod pæne præcipuum est ad miraculum, prætermisisse. Vejis illud certamen actum est: ibique effuso auriga non ante constiterunt equi, quàm in Capitolium pervenerint: *Majus augurium apud priscos plebis circensibus excusso auriga in Capitolium cucurrisse equos, ædemque ter lustrasse.* Addit Plinius: *maximum vero eodem pervenisse à Vejis cum palma & corona effuso Ratumenna, qui ibi vicerat.* Illud maximum hic præteriit. Vide & Festum.

Nec ante substitit quamlibet obviis occursibus impedita] Hæc postrema in quibusdam libris desiderantur. Ex quo apparet alteram Solini editionem ea non habuisse, in qua sic fuerit: *nec ante substitit quam Tarpejum Jovem trina dextratione lustraret.* Festus: *qui equi feruntur non ante constitisse quàm pervenirent in Capitolium conspectumque fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Jovis templi.* Vide cetera, hæ sunt quadrigæ fictiles, quarum Plinius meminit lib. XXVIII. cap. II.

Quàm Tarpejum Jovem trina dextratione lustraret] Nihil de dextratione Plinius, sed de hoc tantum, *ædemque ter lustrasse.* Quo genere lustrationis non addidit, ad dextram an ad sinistram. Hic de suo, ut videtur, hoc adjecit augendi miraculi gratia. Magnum quippe fuit equos assuetos lustrare metas sinistro gyro, ubi ad Capitolium venerunt contrario orbe ædem lustrasse, quasi scirent isto modo templa circumiri debere. *Dextratio* significat motum, vel conversionem, quæ à sinistra fit ad dextram. Quod adorantes faciebant. Plinius: *In adorando dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus. Quod in lævum fecisse Galliæ religiosius tradunt.* In dextrum igitur latus circumagebant corpus qui adorabant. Plautus:

---- quo me vertam nescio:
Si Deos salutas, dextrovorsum censeo.

Ἐπὶ δεξιά. Propertius:

Ante tuos quoties verti me perfida postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus.

In hac circumactione corporis quæ ad dextram fit, dextra pro centro est, & dexter gyrus interior, propiorque centro, sinister verò exterior. *Dextratione ædem lustrare* nihil aliud est quàm dextro interiore gyro eam circumire. Ita etiam aras circumibant. Aristophanes in Pace:

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
Περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Contrario gyro lustrabant rogos in decursionibus funebribus. Statius:

---- lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum.

Sinistro orbe interiore, hoc est, sinistratione. Hic tamen naturalior motus, ut docet philosophus, ἀπὸ δεξιῶν ἐπ' ἀριστερά. Equos naturaliter ad sinistram flectere tradunt equarii. Hæc ratio est cur in certamine curuli equi ad sinistram flecterent, ac sinistro gyro interiore metas lustrarent, quia hic motus & conversio equis familiarior & magis ex natura. Lucanus lib. VIII.

---- nec sic moderator equorum
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem.

Lævus orbis in metæ flexu interior, dexter exterior. Eunt quippe ἀπὸ δεξιῶν ἐπ' ἀριστερά. Hinc absolutè *interior* Latinis pro sinisterior, ut *interior comes*, *interior sponda*, *interior rota.* Etenim in hac circumactione quæ κατὰ φύσιν est, interior orbis & propior centro sinister habetur, ut pluribus nuper docebam in commentario de Musicis veterum instrumentis. Ex his colligi potest cur *dextratione Jovem Tarpejum lustratum* dixerit Solinus ab illa Vejente quadriga. *Dextrationem*

A in circensibus curriculis Scaliger exteriorem flexum esse autumat. Quid velit nescio. Nam sinistratione metæ circumibantur, non dextratione. Metam quidem ad sinistram habebant agitatores, quam cum spatioso nimis orbe circumflecterent, *per dextros orbes ire* dicebantur, & *dextros abire.* Virgilius:

Quo tantum mihi dexter abis?

Nam sinister orbis & interior ad metam, dexter exterior & longius à meta. Manilius:

---- in obliquum currus agitare malignos,
Obstantemque mora totum percludere circum,
Vel medium turbæ, nunc dextros ire per orbes,
Fidentem campo, nunc meta currere acuta.

B Ita hæc legenda ac distinguenda. Ars erat obliquos currus opponere sequentibus, & circum quasi percludere. Male igitur Scaliger correxit, *perludere circum.* Vide quæ supra notamus ad illa Plinii, *opponentes, effundentes.* Quæ ibi diximus hæc explicant. Qui exteriori orbe, ac longiore circuitu metam circumflectebant, dextri quidem abire, & per dextros orbes ire dicebantur, non tamen hæc *dextratio*, quæ tum fit quum dexter orbis interior agitur.

Legimus sanè equum ad annos septuaginta vixisse.] In
C altera editione lectum est: *Nam legimus equum.* Plinius septuaginta quinque annos ponit.

Utpote qui etiam post vicesimum mittantur ad subolem reficiendam.] Plinius: *utpote cùm à circo post vicesimum annum mittantur ad subolem.* Ita legendus Plinii locus. Illud de circo omittere non debuit noster. Quinquennes capiebantur ad circi certamina, & usque ad vicesimum annum ibi retinebantur. Post quod tempus mittebantur ad subolem. In Plinio vulgo legitur, *ad subolem reparandam*; quæ vox in scriptis deest, & loco ejus habetur, *pontem*, vel *opuntem*. Quod cum sequentibus adnectendum jam alii adverterunt: *Opunte & ad*
D *quadraginta annos durasse tradunt.*

Opuntem nomine equum ad gregariam venerem durasse in annos quadraginta] Ita habent quantum est Solini scriptorum manu codicum, quos vidimus, quos alii viderunt. Et sanè haud dubius hic Solini error, cui ceteri sexcenti similes & majores fidem debent adstruere. Idque ostendit & loquutio hæc illi familiaris: *Opuntem nomine equum.* Sic supra: *Centareti nomine ducis.* Et alibi: *alium puerum nomine Hermian.* Ita & Plinius loquitur. Legerat in eodem capite Plinii, *Coracem* circi equum nominatum. Putavit nimirum & heîc *Opuntem* equi nomen esse circo nobilitatum. Et
E profecto equis circensium nomina sæpè indebantur urbium, insularum, montium. Ut Σάμος equus in quadriga Cleosthenis apud Pausaniam. Et *Caucasus* & *Pelorus* equi in ludis Scipionis curulibus apud Silium. Ita *Opuntem* nomen equi esse sibi imaginatus est hic noster eo Plinii loco, ubi scribi debet: *Opunte & ad quadraginta durasse tradunt.* Legit inquam ibi Solinus, aut legendum judicavit: *Opuntem & ad quadraginta durasse tradunt.* Ut esset equi nomen, ut in superioribus: *Albati equo Corace occupavere.* Hinc colligas Græcos auctores non consuluisse nostrum, sed omnia è Plinio hausisse. Aristoteles: ἐν Ὀποῦντι ἢ ὁ Φορβίου ἵππος ὤχευεν
F ἐτῶν ὢν τεσσαράκοντα. *Equus Phorbiæ.* Melius legeres: ὁ Φορμίου ἵππος. Φορμίας nomen proprium domini, cujus equus ille fuit. Sed æquè nomen esse proprium possit illud alterum ὁ Φορβίας. Malè quidam legunt Φορβίου, & gregarium intepretantur.

Pag. 53. G. *Furvo colore caricis simile, hippomanes nominatum,*] Quidam codices iique meliores: *fulvo.* Sed Plinius habet, *nigro*; ut Aristoteles, μέλαν. Iidem libri legunt: *cicatricis simile.* Et supra correctum *caricis.* Quomodo habent alii, & Plinius confirmat: *Caricæ magnitudine, colore nigro.* Aristoteles: ἐστι δὲ τὸ μέγεθος ἔλαττον μικρὸν ἰσχάδος. Gaza vertit: *magnitudine*
G *minus caria parva.* Quasi legerit, μικρᾶς ἰσχάδος. Minus rectè. Plinius magnitudine caricæ dicit esse τὸ ἱππομανές; Aristoteles paulo minus quàm est ἰσχάς. Omnes sciunt quid sit ἰσχὰς Græcis, non idem Plinio *carica.* Græci vocant ἰσχάδα ficum siccatam cujuscunque generis ac loci. Athenæus lib. III. de ficis: Ἴστρος δ' ἐν τοῖς Ἀττικοῖς, οὐδ' ἐξάγεσθαί φησι τῆς Ἀττικῆς τὰς ἀπ' αὐτῶν γινομένας ἰσχάδας. Attici τὰ σῦκα vocant ficus recentes ac virides.

des. τὰς ἀπ' αὐτῶν γινομένας ἰσχάδας, *ficus ſiccatas* intelligi par eſt. Nec ſanè ex Attica terra in longinqua exportari niſi ſiccæ fici poterant. Ariſtophanis interpres: φιβάλις γένος συκῆς ἐπιτήδειον εἰς ξηρασίαν ἰσχάδων, ἐπεὶ ἀπὸ ξ ἰσχάδος ἰσχὰς καλεῖται. Sic ἰσχὰς pro ἰσχνάς. Ita ἴσχαλον & ἰσχαλέον ſignificat τὸ λεπτὸν ἢ ξηρόν. Igitur ἰσχὰς propriè ficus ſiccata. Latini dixere *caricam*. Gloſſæ: ἰσχάς, *carica*. Aliæ optimæ ac vetuſtiſſimæ: *ficus*, σῦκα: *carica*, ἰσχάδες. Capite de fructibus. Locus Ciceronis lib. II. de Divin. id evincit: *cùm M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat.* Ubi *caricæ Cauniæ* ſunt Καυνίαι ἰσχάδες. At Plinius *caricas* certum genus ficorum facit, ut *cottana* lib. XV capite de ficis: *ex hoc genere ſunt, ut diximus, cottana & caricæ, quæque conſcendenti navim adverſus Parthos omen fecere M. Craſſo, venales prædicanti voce Cauneæ.* Diſtinguit Cauneas à caricis veluti genere diverſas, cùm Cicero *caricas Cauneas* appellarit, quod *carica* generale nomen ſit de omnibus ficis ſiccatis. *Caricas* Plinius peculiares Syriæ facit. *Omnia hæc*, inquit, *in Albenſe rus è Syria intulit L. Vitellius.* Et lib. XIII. cap. V. *Syria præter hanc peculiares habet arbores: in nucum genere piſtacia nota: in ficorum autem caricas, & minoris generis quæ cottana vocant: item pruna in Damaſco monte nata.* Alibi etiam Ægypto vindicat: ut lib. XV. cap. XXIX de ſuccorum differentiis: *Quædam in Ægypto placent cute, ut caricæ: detrahitur hæc ficis virentibus ut putamen: eadem in ficcis maximè placet.* Ut carne palmæ placent, cruſta Thebaïcæ, ſucco uvæ & caryotæ, ita cute *caricas* in Ægypto placere ait. Hanc cutem ſolere detrahi ficis virentibus, in ſiccis maximè gratam haberi. *Siccas ficus* à *caricis* ſeparat, quum alii *caricas* τὰς ἰσχάδας appellent, id eſt, *ficus ſiccas.* Sic enim Plinius vocat τὰς ἰσχάδας: ut Græci ξηρὰ σῦκα: virides ac recentes, χλωρὰ σῦκα, καὶ νέα. Idem cap. XIX: *cum recenti fico ſalitis vice caſei veſci nuper excogitatum.* Recens ficus, νέον καὶ χλωρὸν σῦκον. Sed verba Plinii vitio non vacant. Optimi codices Thuanæus ac Rigaltianus habent: *Cum recenti fico ſaliis vice caſeo veſci nuper excogitatum.* Lege: *ſalis vice.* Caſeo veſci cum recenti fico ſalis vice dicit excogitatum, ut ſcilicet ficus recens vice ſalis eſſet cum caſeo comeſa. Et ſane aliquid ſalſi habere ficum, & ſalſum ſuccum facere tradunt veteres medici apud Athenæum: χυμὸν ἢ ἁλυκὸν ἀναδίδωσι, διὸ τὸ μὲν νιτρῶδες ἀπεδείχθη τὰ σῦκα ἔχοντα, ἁλυκώτερον ἢ ποιητὸν ἢ δριμὺν ἐκ τῶν ἐπιγινομένων. Hinc Martialis ficum ſecum ſalem portare dixit in xeniis:

Chia ſeni ſimilis Baccho, quem Setia miſit,
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

At quas alii *caricas* vocant, id eſt, ἰσχάδας, Plinius *ſiccas ficus*, & *ſiccatas* nominat, ut eodem capite: *Paniſque ſimul & opſonii vicem ſiccatæ implent: utpote cum Cato cibaria ruris operariis juſta ceu lege ſanciens minui jubeat per fici maturitatem.* Et paulo ante: *ſeneſcunt in arbore anuſque diſtillant gummi modo lacrimam, ſiccanturque. Honos laudatas ſervat in capſis.* Libri vetuſtiſſimi ibi ſcribunt: *amuſque diſtillant cummium lacrima ſiccat. Honus laudatas.* Rigaltianus ſimiliter niſi quod habet, *cumnimium lacrima.* Scribe: *anuſque diſtillant gummium lacrima. Siccas honos laudatas ſervat in capſis.* Plinio *hæc gummis, hujus gummis*, declinatur. Inde *gummium lacrima*, τὸ κομμῶδες δάκρυον, τὸ τοῖς κομμιδίοις ὅμοιον. Quæ ſiccæ laudantur, eæ honoris gratia ſervantur in capſis. *Siccæ fici*, ἰσχάδες laudatiſſimæ ſervabantur in capſis. Quid igitur Plinio faciemus, qui *caricas* ſpeciem facit ficorum in Syria & Ægypto naſcentium, quum ceteri omnes hoc nomen ficis cujuſcunque generis ſiccatis tribuant, quas Græci vocant ἰσχάδας? Hallucinatum profectò dicemus: ſed indicare nunc non poſſumus, quis illi auctor, aut quæ res anſam cauſamque præbuerit errandi. Utcunque *caricæ* ficus certum fuerint genus, certè à Caria denominatæ ſunt, αἱ καρικαὶ ἰσχάδες, quæ ex Caria advehebantur. Priſci Romani, ut in multis aliis rebus fecerunt, caricarum nomen de omnibus ficis ſiccatis, & tranſmarinis uſurparunt. Quæ ex Cauno advehebantur *Cauneæ*, etiam revera Cariæ. Nam Καῦνος urbs Cariæ. Certè inter genera ficorum apud

A Macrobium ex Cloatio etiam *Caricæ* recenſentur, ut & *Chiæ*. Sed illæ, ut dixi, *caricæ* ficus ſunt è Caria, ut *Chalcidicæ* è Chalcide: *Chiæ* è Chio: *bifera, Carica, Chalcidica alba nigra, Chia alba nigra.* Ita legendum, non ut vulgo eſt: *Caldica alba nigra.* Non igitur *caricæ* Syriæ, aut Ægypti peculiares. Statius:

Chartæ, Thebaïcæve, Caricæve.

Thebaïcæ ſunt palmæ ex Thebaïde. At *caricæ* ſunt ἰσχάδες. Quod autem ait Plinius *caricas* in Ægypto cute placere, non illæ caricæ peculiaris Ægypti fructus, cujus cutis tantum ad eſum commendetur, ut
B caro in palmis, cruſta in Thebaïcis, ſuccus in uvis, ſed caricæ revera ficus ſiccæ, quarum cutis maximè placet. Et ficut *caricis* accidit, hoc eſt, ficis è Caria, ut nomen fierent generale ac commune omnium ficorum ſiccatarum, hoc eſt, ἰσχάδων idem & Cauniis ex eadem Caria allatis poſtmodum uſu evenit. Nam *Caunas*, id eſt, Caunias Columella uſurpavit pro ficis quibuſlibet ſiccis.

Livia Chalcidicis & Caunis æmula Chiis,
Purpureæque Chelidoniæ, pingueſque Mariſcæ.

Caunas Chias & Chalcidicas vocat, quas alii *caricas Chias & Chalcidicas* vocarent, hoc eſt, caricas è Chio &
C Chalcide. Et ſanè *Cauneæ*, vel *Caunæ*, & *Caricæ* eædem, fici nempe ex oppido Cariæ Cauno. Statius quoque *Caunas Ebuſi* dixit pro caricis, ſive ficis ſiccis, quæ ex Ebuſo inſula adferebantur. Locus eſt in Saturnalibus, qui hujus ætatis viros doctiſſimos magnopere exercitatos habuit, ſic demum emendandus:

Quidquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcundis cadit, aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damaſcus,
Et quas percoquit Eboſea Caunas.

Ebuſitanas intelligit caricas, id eſt, ἰσχάδας. Vulgo
D legitur:

Et quas præcoquit Eboſia cannas.

Statio *Eboſea* inſula, quæ aliis *Ebuſus*: Græcis Βῦσος & Ἔβυσος. Quibuſdam etiam Ἤβυσος. Ipſe *Eboſeam* dixit, quaſi Ἠβόσεια νῆσος diceretur. Ita ſanè Latini *Coam inſulam*, quæ Græcis Κῶς dicitur, appellant. Et *Ceam*, hoc eſt, τὴν Κείαν, quæ Κέως. Virgilius:

---- *cui pinguia Ceæ*
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

τῆς Κείας νήσου. Sic *Rhodia inſula* Plinio ἡ Ῥόδος. Ita igitur *Eboſea* Statio *Eboſus* vel *Ebuſus*. Nec de quantitate laborandum, quam ut in nomine barbaricæ in-
E ſulæ pro libito obſervare non putavit illicitum poëta. Secundam in Ebuſo correptam memini & apud alium legere. Cum Damaſcenis prunis & palmulis rectè jungi caricas, ſive ficus aridas nemo non videt. Eæ ex Ebuſo inſula præſtantiſſimæ & ampliſſimæ Romam adportabantur. Plinius: *ſiccas honos laudatas ſervat in capſis, Ebuſo inſula præſtantiſſimas ampliſſimaſque, mox in Marrucinis.* Caunæ, *quas Eboſea inſula percoquit*, ſunt caricæ Ebuſitanæ, quas inſula illa ad maturitatem perducit, & bene coctas facit. Sic
F enim legendum, non *præcoquit*. Idem Plinius: *ficis mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus: ſuccus matureſcentibus lactis, percoctis mellis.* Ubi matureſcunt, ſuccum lactis habent: *percoctæ*, id eſt, perfectè maturæ ſuccum mellis præferunt. *Coctæ fici* Hygino ſunt maturæ de corvi ſigno: *vidit arbores complures ficorum immaturas: eas expectans dum matureſcerent in arbore quadam earum conſedit. Itaque poſt aliquot dies coctis ficis, & à corvo compluribus earum comeſis.* Et paulo poſt: *ut quamdiu fici coquerentur, corvus non biberet*, id eſt, quamdiu matureſcerent. Sic *uva cocta*, & *cocta vinde-*
G *mia* de matura. Quod alibi notavimus. Polluci ἰσχὰς νέα χλωρὰ & ξηρὰ dicitur, quaſi & ἰσχὰς ficum ſimpliciter ſignificet. Atqui propriè ſiccatam deſignat. Plinius, qui in hoc Ariſtotelis loco ἰσχάδα caricam vertit, ſi de ea carica, quæ ipſi peculiaris eſt, intellexit, pro genere minoris ficus poſuerit. Nam cum dixerit, ἔλαττον μικρὸν ἰσχάδος, ipſe reddidit, *magnitudine caricæ*, tanquam ſi carica paulo minor ſit vulgari fico. Solinus *ſimile caricis* hippomanes dixit. Malè. Nec enim ſimile caricæ niſi de magnitudine. Ideo τὴν ἰδέαν ſeorſim deſcripſit Ariſtoteles. Nam ille hoc modo:

modo: ἔςι ἡ τὸ μέγεθος ἔλαττον μικρὸν ἰσχάδος. τὴν ἡ ἰδέαν πλατὺ περιφερὲς μέλαν. Plinius simpliciter: *caricæ magnitudine, colore nigro.* Ceterum non magis mirum videri debet *Caunas* pro Cauneis, vel Cauniis ficis dixisse Romanos, quàm quod idem *cyprum*, vel *cuprum* dixere pro ære Cyprio. Eadem ratio est ac forma. Sic *cadurcum* pro quolibet stramento Latini dixerunt, quum tamen cadurcicam culcitam ex lino apud Cadurcos nato factam propriè significaret. Plinius lib. XIX. cap. I. *Sicut in culcitis præcipuam gloriam cadurci obtinent. Galliarum hoc & tomenta pariter inventum. Italiæ quidem vox etiam nunc durat in appellatione stramenti.* Ita scribendum. Dicit in Italia adhuc vocem eam manere in appellatione stramenti. Quænam ea vox? *Cadurcum.* Stramentum sic vocarunt. Juvenalis:

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus,
Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Quorum versuum quæ sententia sit, nemo adhuc intellexit, nemo certè explicavit. Matronæ, quæ in casto Isidis, aut Cereris erant, concubitu abstinebant: & per eos dies, quibus castum observabatur, secubabant à lectis suis ac toris genialibus, & stramentis incubabant in templo ipso, in quo & pervigilia celebrari mos fuit. Sic mulieres θεσμοφοριάζουσαι apud Athenienses per totos sacrorum dies stramenta habebant in templo quibus incubarent. Ea stramenta ut plurimum iis herbis ac foliis farta fuere, quæ castitati conducere existimantur. Dioscorides de vitice, quæ Græcis ἄγνος dicitur: ὠνόμασται ἡ ἄγνος διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς θεσμοφορίοις ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ. Vitice stramenti vicem utebantur. Ad hunc quoque usum illis adhibita thymelæa, cujus folium κνέωρον dicebatur. Hesychius: κνέωρον, φυτὸν ᾧ αἱ τοῖς θεσμοφορίοις ὑποστρώννυνται. Stramentum est ὑπόστρωμα. Glossæ: *stramentum*, στιβάς, χορτόστρωμα. *Cadurcum* Latini dixere pro stramento. Vides morem. Maritus ejus mulieris, quæ sacris observandisque diebus non abstinuerat concubitu, cogebatur pro ea veniam petere, & magna mercede ac pœna violatum cadurcum redimere. Violatum autem cadurcum, sive stramentum intellige ab illa muliere, quæ in casto non fuerat, nec stramento incubuerat cum reliquis ἁγνευούσαις. Glossæ Isidori: *Cadurca, labra pudendi muliebris, vel sponda lecti.* Ita legendum, non *cadurdum.* Sed nugatur. Nec melius vetus scholiastes Juvenalis. De his nos alibi. Sic igitur *cadurcum* pro stramento omni, quum propriè culcita sit ex lino Cadurcensi. Et *cadurcum* pro cadurcicum. Sic *bigerra* quælibet crassior vestis, à Bigerricis, quæ tales erant. Amorginum linum ex insula Amorgo veteribus laudatum. Cratinus ἀμοργὸν pro quolibet lino vel bysso usurpavit, & ἀμοργὸν βρυτίνην dixit. De quo infra. *Pergamenum* Latini membranam appellarunt, quod primum Pergami repertæ fuerint membranæ. Apulejus *pergamum* pro quolibet pergameno, sive membrana, etiam quæ Pergami curata non esset, sic usurpavit, ut alii *cyprum* pro Cyprio & omni ære, & *Caunas* pro Cauniis caricis, immo pro omnibus. Locus est in Apologia, quem alibi emendavimus, frustra tot viris magnis tentatum: *festucas, resticulas, & frustra Pergami vermiculata*, id est, ἢ τρύφη ἢ Περγαμηνῆς σκωληκόβρωτα. Joannes Lydus de Cratete grammatico, Attalo Pergami regi suggerente membranarum inventionem: δέρματα γὰρ τὰ ἐκ προβάτων ἀποξέσας εἰς λεπτὸν ἔστελλε τοῖς Ῥωμαίοις, τὰ λεγόμενα παρ' αὐτοῖς μέμβρανα. Εἰς μνήμην ἡ ἀποστείλαντος ἔτι ἢ νῦν οἱ Ῥωμαῖοι τὰ μέμβρανα Περγαμηνὰ καλοῦσι. In aliis excerptis ita reperi: Κράτης ὁ γραμματικὸς ὑπάρχων μετ' Ἀττάλου Περγαμηνοῦ ἐκ δερμάτων ἔκαμε μεμβράνας, ἢ ἐποίησε τὸν Ἄτταλον ἀποστεῖλαι αὐτὰς εἰς Ῥώμην, ὅθεν εἰς μνήμην τοῦ ἀποστείλαντος μέχρι τοῦ νῦν Περγαμηνὰ τὰς μεμβράνας καλοῦσι. Plinius testimonio Varronis refert membranas sub Eumene Pergami primum repertas, sed *Pergami* non meminit. Apulejus autem *pergamum* dixit pro pergameno, sive membrana. Quod notandum est. Inde nostrum *parchemin* pro membrana.

Hippomanes nominatum] Hippomanes etiam vocarunt virus, quod effluit ab inguine equarum, quando in venerem incitantur, non tantum id tuberculum, quod innatum fronti pulli equini de ventre afferunt, & à matribus statim præroditur. Utrumque ad veneficia & amatoria facere existimarunt. Quod ex Aristotele notum est. Sed præcipuè πρὸς φίλτρα quærebatur caruncula illa in fronte equinorum pullorum reperta nascentium. Satyricus:

Et totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.

B Interpres vetus pileum interpretatur, & pelliculæ instar esse ait: *mox scilicet nati equini pulli, cui in fronte pileum ut pellicula ereptum præstat amorem.* Quod nescio quomodo convenire possit cum Aristotele & Plinio, qui tuberculum esse produnt caricæ simile. Nec enim *pileum* dici potest hujusmodi parva caruncula fronti innata. Sed τὸ χόριον confudit ille scholiastes, hoc est, membranam, sive pelliculam, quo involvitur fœtus, quamque adeo equa ante partum projicit, hanc, inquam, membranam cum ea caruncula confundit. Et πίλιον quidem vocabatur illa membrana. Aristoteles de utraque junctim sic agit lib. VIII. Hist. Anim. cap. XXIV. Τὸ ἡ ἱππομανὲς καλούμενον, ἐπιφύεται μὲν ὥσπερ λέγεται τοῖς πώλοις, αἱ ἡ ἵπποι περιλείχουσαι, ἢ καθαίρουσαι περιτρώγουσιν αὐτό. Ὁμολογουμένως ἡ ἢ τὸ καλούμενον πίλιον αἱ ἵπποι περιεκβάλλουσι περὶ τοῦ πώλου. Sic prorsus eo loco rescribendum. Nam vulgo legitur, ἢ τὸ καλούμενον πωλίον. Quod nihil est, nec pluris vendi potest *pulium* Gazæ. Græci πῖλον & πίλιον vocant omne involucrum & operimentum. Hinc πῖλοι in pedibus *pedulia* quibus involvuntur pedes. Latini *pileum* de solo capitis indumento dixere, voce tamen inde facta. Ideo interpres vetus Satyrici τὸ πίλιον apud Aristotelem, & τὸ ἐπιφυόμενον τοῖς πώλοις pro eodem accepit. Possis hoc illi ignoscere, quum vir eruditissimus ad historiam Augustam notaverit carnem illam, quæ in fronte equini pulli recens nati invenitur, χόριον ab Aristotele appellari. Quod falsum est. Χόριον & πίλιον quod ab equa pariente projicitur idem est. Utrumque diversum à tuberculo, quod in fronte pulli nascitur. Græci χόριον interpretantur τὸ κάλυμμα τὸ συγγενόμενον ἐκ τῆς κοιλίας. Quæ notio convenit cum voce πίλιον, non cum illo tuberculo, quod innatum est equuleorum fronti ex utero prodeuntium. Latini *pileum* etiam appellarunt pelliculam illam, qua quidam infantium caput velatum habentes in lucem veniunt. Nec enim omnes cum pileo, vel capitis indumento nascuntur. Balsamoni ἔνδυμα νεογνοῦς παιδὸς vocatur, nisi χόριον ipsum sic appellet. De quo alibi. At *pileum* solum caput tegit. Inter ἐπιδεσμοὺς ἰατρικοὺς apud Soranum vinculi genus πίλιον dicitur, quo totum caput veluti pileo operiebatur. Eo utebantur, ἐφ' οἷς ὅλην τὴν κεφαλὴν ἐπιδῆσαι necesse fuit. Præter has hippomanis significationes etiam herba hoc nomine apud Theocritum indigetatur in Arcadia nascens:

Ἱππομανὲς φυτόν ἐςι παρ' Ἀρκάσιν, ᾧ ἔπι πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα ἢ θοαὶ ἵπποι.

F Propterea dixisse Virgilium, quum de altero hippomane loqueretur, quod est virus defluens equarum genitalibus, notarunt grammatici.

---- vero quod nomine dicunt
Hippomanes.

Vero, inquiunt, *nomine*, *quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equæ in libidinem ardescunt.* Ita Philargyrus. Servius vero sic: *scit lectum esse apud Hesiodum herbam esse quandam, quæ hippomanes vocetur, quasi ἵππου μανία. Si enim eam comederint equi, furorem patiuntur. Unde nunc adjecit, vero quod nomine dicunt. Nam vult illam herbam abusivè hippomanes dictam.* Quæ ridicula sunt,

G & grammaticis tanti nominis indigna. Quasi non possit & illa herba Theocriti tam *vero nomine* ἱππομανὲς dicta videri, quàm illud ἱππομανὲς Virgilii, si utrumque eadem virtute præditum concedamus insaniæ equis faciendæ. *Vero nomine* ait poëta hippomanes illud dictum, quia equas ad furorem incitat. Æquè *vero nomine* ἱππομανὲς φυτὸν Arcadiæ ᾧ ἔπι πᾶσαι πῶλοι ἢ ἵπποι μαίνονται. Lapsus est etiam memoria Servius, qui Hesiodum pro Theocrito appellavit. Pessimè vero uterque grammaticus mentem Theocriti percepit, qui

qui ἱπποµανὲς illud φυτὸν ideo dictum produnt, quod eo guſtato equi in libidinem & furorem incitati ardeſcerent. Hic non eſt verborum Theocriti ſenſus. Μαίνεσθαι ἐπὶ τινὶ non dicitur, qui alicujus rei guſtu, vel hauſtu ad inſaniam adigitur, ſed qui rei ejus, cujus cupiens eſt, quocunque modo potiundæ ardore inſanit. Igitur μαίνονται ἵπποι ἐπὶ φυτῷ ἱππομανεῖ, non qui herba ea guſtata furorem patiuntur, ſed qui guſtandæ inſano ardore perciti feruntur, ideoque veluti furentes ad eam herbam toto impetu decurrunt. Idque ſequentia oſtendunt:

Ὣς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι, καὶ ἐς τόδε δῶμα περῆσαι
Μαινομένῳ ἴκελον λιπαρᾶς ἔκτοθε παλαίστρας.

Quemadmodum, inquit, & equulei & equi omnes deſertis ſuis ſtabulis & paſcuis, ſimiles furentibus per montes concitati feruntur, dum quærunt herbam illam quam perditè cupiunt, & cujus inſano deſiderio tenentur: ita ego videam meum Delphidem ſimili mei deſiderio teneri, & relicto gymnaſio ad meas ædes concitum, & furentis more accurrere. Sed quis veterum meminit illius herbæ præter Theocritum? Nec ſanè ſine controverſia fuit illius verſiculi ſenſus apud veteres criticos. Quidam extitere, qui φυτὸν non de herba vellent accipi, ſed illo ipſo tuberculo, quod innatum fronti præferunt equini pulli modò nati. Nam & φυτὸν Græci ἀντὶ τοῦ φύματος, quod tuberculum ſignificat, poſuere. Heſychius: φυτοῦ, φύματος. At φῦμα, ut notum eſt, vomica, tuber, verruca. Verum huic expoſitioni adverſatur non minimum, quod adjecit Theocritus παρ᾽ Ἀρκάσι. Nec enim apud Arcadas ſolos equini pulli cum tuberculo illo amatoriis veneficiis expetito naſcebantur. De herba hippomane nugæ quæ veteribus omnibus indicta & inaudita. Nec eſt quod aliquis argutetur, ut facere poſſet quidam Cercoëtius, ἀπόκυνον herbam, quæ & κυνοκράμβη, Dioſcoridi dici ἱππομανὲς. Spuria ſunt, nec genuina auctoris additamenta illa, quæ Dioſcoridis ſcriptis inſerta habentur. Nunc vide an meum ſomnium verum ſit. Legebam, vel legi poſſe hariolabar:

Ἱππομανὲς χυτόν ἐστι παρ᾽ Ἀρκάσιν.

Non neſciunt eruditi quam veteres mendæ libris inoleverint. Quis non miraretur Theonis & Avieni temporibus in Arati codicibus φαεινοῦ ἠελίοιο ſcriptum fuiſſe pro φαεινοῦ ἠλείοιο? Ne quis jam miretur Servii, vel Philargyri, aut græculi alicujus ſcholiaſtis ætate lectum eſſe in Theocriti Bucolicis ἱππομανὲς φυτὸν pro ἱππομανὲς χυτὸν? quod ab illis mutatum eſt priſci ævi correctoribus librorum, ſeu verius corruptoribus, qui χυτὸν illud ἱππομανὲς ignorabant quid eſſet. Intelligit Theocritus equam ære fuſam Olympiæ dedicatam à Phormide Arcade, cui equæ hippomanes inerat, quo equi incitabantur ad rabiem, haud ſecus ac ſi viva ſpiranſque eſſet, atque Veneris odorem cupitum illis de longinquo afflaret. Pauſanias de hac equa. Οὗτός ἐστιν ὁ ἵππος, ὅτῳ, καὶ ἱππομανὲς λόγῳ τῷ Ἠλείων ἔγκειται. Inſcriptio ipſa ſic habuit: Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακούσιος. Ex Arcadia in Siciliam migravit hic Phormis tempore Gelonis, Dinomenis filii, Hieronis fratris, qui obiit olympiade LXXVI relicto fratri regno, ſub quo etiam vixit in Sicilia, longe ante Theocriti ætatem, qui poſt vigeſimam ac centeſimam olympiadem fuit ſub Hierone juniore, ne quis hinc dubitandi occaſionem arripiat, quaſi hujus ἱππομανοῦς meminiſſe non potuerit Theocritus, utpote ævo ſuo poſterioris. Effectum hujus χυτοῦ ἱππομανοῦς ita deſcribit Pauſanias eo loco: οἱ δὲ ἵπποι οἱ ἄρρενες οὐκ ἐν τοῦ ἔτους ὥρᾳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἐπ᾽ αὐτὴν ὀργῶσιν ἡμέραν. Καὶ γὰρ ἐσθέουσιν ἐς τὴν Ἄλτιν ἀπορρηγνύοντες δεσμὰ ἢ καὶ ἐκφεύγοντες τοὺς ἄγοντας καὶ ἐπιπηδῶσιν αὐτῷ, πολλῷ δή τι ἐμμανέστερον, ἢ ἐπὶ τὴν καλλίστην ἵππον ζῶσάν τε καὶ ἤθάδα ἀναβαίνεσθαι. Meminit & Plinius lib. XXVIII. cap. XI. *Hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut affuſum æris mixturæ in effigie equæ Olympicæ mares admotos ad rabiem coitus agat.* In effigie illa fundenda affuſum hippomanes dicit æris mixturæ, hoc eſt, virus defluens equæ in venerem commotæ inguinibus. Pauſanias magica arte hanc ei vim additam tradit: δῆλα δὲ καὶ ἄλλα ἐς τὴν ἀνδρὸς μάγου σοφίᾳ γενέσθαι συμβαίνοντα τῷ ἵππῳ. Minime dubium eſſe debet quin Theocritus de hoc hippomane intellexerit. Eleganter eam equæ effigiem æneam, cui poteſtas indita erat mares equos ad rabiem coitus incendendi, χυτὸν ἱππομανὲς vocavit, quia ex ære fuſa. Apulejus: *ſi quid ex ære fuſum, aut ceris inuſtum.* Gloſſæ: χυτὸν *fuſile.* Quod cum interpretari nequirent veteres grammatici, ut proclive fuit, mutarunt in ἱππομανὲς φυτὸν. Corruptelam hanc illius loci poſteriorem eſſe Plinii temporibus ex eo liquet, quod cùm ille accuratiſſime omnia herbarum genera collegerit ac recenſuerit, etiam aliquas nomine tantum tenus notas, non prætermiſſurus fuiſſe videtur iſtam tanta facultate pollentem, & celeberrimo poëtæ laudatam. Nec movere quemquam debet, quod πάσας πώλους & θοὰς ἵππους ab illo hippomane in furorem accendi dicat Theocritus, quum de maribus equis id tantum proditum ſit. Dores τὴν ἵππον & τὴν πῶλον dicunt de maſculo equorum genere, ut τὴν ἔλαφον. Contra communis Græcia τὸν ἵππον appellat etiam equum fœminam: ut hoc loco Pauſanias. Sed nec obſtaculo eſt, quod παρ᾽ Ἀρκάσι ponit illud χυτὸν ἱππομανὲς, quum apud Eleos fuerit. Eleis Arcades vicini. Præterea Arcas fuit, à quo dedicata illa equæ effigies, cui affuſum hippomanes. Poſtremo ſi res mei ſit arbitrii, vellem reponi ἐν ὥρᾳ, ubi legitur ἀν᾽ ὥρεα:

---- ᾧ ἔπι πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἐν ὥρᾳ καὶ θοαὶ ἵπποι.

Ἐν ὥρᾳ, id eſt, vere, quo tempore maximè libidine efferantur equi. Virgilius: *Vere magis.* Pauſanias de hoc ipſo hippomane: οἱ δὲ ἵπποι οἱ ἄρσενες οὐκ ἐν τοῦ ἦρος μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἐπ᾽ αὐτὴν ὀργῶσιν ἡμέραν. Ergo magis vere id illis accidit. Poteſt tamen & vulgata defendi. Per montes accurrunt ad illud ἱππομανὲς equi perfecti & pulli nondum maturæ ætatis, id eſt, ſuperatis montibus. Virgilius:

---- *ſuperant montes & flumina tranant.*

Poëticè rem exaggeravit Theocritus. Quemadmodum equi furore perciti per montes decurrunt ad hippomanes χυτὸν, quod eſt apud Arcades: ita Delphis amore perditus relicta palæſtra huc ſtatim accurrat. An non hæc veriſſima ſunt? Theophraſtus lib. IX. Hiſt. cap. XV meminit cujuſdam ἱππομανοῦς, quod ex tithymallo herba fiebat, laudatiſſimum in Tegea Arcadiæ urbe: καὶ σίκυος ὁ ἄγριος, ἐξ οὗ τὸ ἐλατήριον συντίθεται, καὶ τὸ τιθύμαλλον, ἐξ οὗ τὸ ἱππομανὲς, ἄριστον δὲ τὸ περὶ Τεγέαν, καὶ ἐκεῖ μάλιστα σπουδάζεται. Sed quis veterum meminit hujus hippomanis? aut quis tithymallum, ſive lactariam herbam hac virtute præditam dixit, equos vel equas ad rabiem coitus agendi? cauſticam ineſſe vim tithymallo ſcribunt omnes. Verum hoc nihil ad ἱππομανὲς. Interpretes reddiderunt, *ex qua Hippothaes.* Quid ſit neſcio. Si vera illa in Theophraſto lectio eſſet, neutiquam dubitandum videretur, quin ἱππομανὲς φυτὸν de hoc hippomane apud Theocritum intelligi deberet. Sed de mendo ſuſpecta Theophraſti ſcriptura, immo mendoſam eſſe conſtat. Ut ex ſilveſtri cucumere elaterium præparabatur, ita ex tithymallo ſuccus colligebatur. Idem Theophraſtus eodem libro cap. XII de tithymallo ita ſcribit: τοῦτον ὀπίζουσιν ἅμα τρυγητῷ καὶ θεραπεύσαντες οὕτω χρῶνται, καθαίρει δὲ κάτω μᾶλλον. Merus ſuccus è tithymallo capiebatur. At elaterium facticium erat, & componebatur è cucumere agreſti. Ideo dicit Theophraſtus, ἐξ οὗ τὸ ἐλατήριον συντίθεται, καὶ τὸ τιθύμαλλον, ἐξ οὗ ὁ ὀπὸς μόνος. Hæc veriſſima in Theophraſto lectio. Malè ſit malis illis librorum peſtibus, qui pro eo repoſuerant, ἱππομανὲς. Theocriti ergo vera emendatio noſtra. Aliud ἱππομανὲς præter jam dicta memoratur Ariſtoteli lib. VI. Hiſt. Animal. cap. XVIII de equabus libidinis ardore inflammatis: τότε δὲ ἐκβάλλουσί τι, καλοῦσι δὲ καὶ τοῦτο ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τικτομένου ἱππομανές. Ἔστι δὲ οἷον ἡ καπρία: καὶ ζητοῦσι τοῦτο μάλιστα πάντων οἱ περὶ φαρμακείας. Hoc hippomanes non idem eſt cum caruncula fronti pullorum innata. Nec vero idem cum altero hippomane, quod diſtillat ab inguine ἱππομανούσης equæ. Nam in continenti meminit etiam hujus, tribus aut quatuor poſt lineis in hæc verba: ἐκρεῖ δὲ αὐταῖς ἐκ τοῦ αἰδοίου ὅμοιον γονῇ, λεπτότερον δὲ πολὺ ἢ τὸ τοῦ ἄρρενος, καὶ καλοῦσι τοῦτο τινὲς ἱππομανὲς: ἀλλ᾽ οὐ τὸ ἐπὶ τοῖς πώλοις ἐπιφυόμενον. Quod ex inguine equæ defluit ſimile ſemini, hippoma-

hippomanes etiam dictum; cujus apud Virgilium, Tibullum, Plinium & alios mentio. *Virus* appellat poëta, quo nomine etiam τὴν γονὴν animalium Latini vocitarunt. Glossæ: *virus*, ἰὸς ἐχίδνης καὶ γονὴ ἀλόγου. Sed illius tertii ἱππομανοῦς nemo veterum meminit. Mirumque, cum id præcipue venenariis & φαρμακεῦσιν expetitum tradat Aristoteles. Τότε δ' ἐκβάλλουσί τι, καὶ ἔστιν οἷον ἡ καπρία. *Tum aliquid ejiciunt, & hoc est simile capriæ.* Καπρίαν vocat Aristoteles quod ejiciunt sues fœminæ post initum, de suibus: κυΐσκονται δὲ ἐκ μιᾶς ὀχείας, ἀλλὰ πολλάκις ἐπιβάλλουσι, διὰ τὸ ἐκβάλλειν μετὰ τὴν ὀχείαν τὴν καλουμένην ὑπὸ τινῶν καπρίαν. Ergo post coitum equæ illud τι ἐκβάλλουσι, quod est ut καπρία. Et sane loco illo Aristoteles loquitur de equabus, quæ initæ jam fuerint, sed non ad satietatem. Λέγονται δὲ καὶ ἐξανεμοῦσθαι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον, διὸ ἐν Κρήτῃ οὐκ ἐξαιροῦσι τὰ ὀχεῖα ἐκ τῶν θηλειῶν. Ideo non removebant Cretes ab equabus admissarios, ne inciderent in hoc πάθος, quod vocabant ἐξανεμοῦσθαι. Quod illis ex ea causa solet accidere, quum nimio ardore commotæ, nec usque ad fastidium initæ, ora patefaciunt adversum ventos frigidiores ad sedandum calorem. Differentiam itaque constituit Aristoteles inter hoc ἱππομανὲς. quod equæ tum ejiciunt, ubi semel salitæ fuerint, estque simile καπρίᾳ, & illud ἱππομανὲς, quod illis defluit ab inguine eo tempore, quo maris cupiditate ardescunt, nec dum admiserunt. Idque simile γονῇ descendit. Καπρίαν ideo male & infeliciter *apriam* reddere conatus est Gaza, quod καπρία illa de suibus dicitur, non de apris. Aristoteles de suibus, ἡμέρους ὗας appellat, καπρίαν hanc nomnat. *Suriam* melius vertisset, vel *suritum*. Nam & καπρίζειν & καπρᾶν Græci de suibus dicunt fœminis, quod Latini *surire*. Aristoteles: ἔστι δὲ πάθος ὅπερ ἐπὶ ὑῶν λέγεται καπρίζειν: de fœminis suibus. Idem & καπρᾶν. Glossæ: *surit*, καπρᾷ. Ergo & *surire* de fœminis: nam καπρᾶν idem quod καπρίζειν. Festus: *Ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare & surire dicuntur.* Male Scaliger apud Varronem hæc ita distinguit, ut θυᾶν sit fœminarum, καπρᾶν marium. Quod falsum est. Κάπρος est verres. Sus itaque, quæ verrem appetit, dicitur καπρᾶν & καπρίζειν, ut vacca ταυρᾶν. Glossæ: *verris*, κάπρος. Aliæ glossæ: Κάπρος, *verres*: καπρῶ, *surio*. Nostra nondum edita capite περὶ ζώων: χόμφαινα, *scrofa*: κάπρος, *verres*. Arnobius tamen & Apulejus *surire* de maribus usurpant. *Subare* de fœminis ceteri auctores. Ex Græco συᾶν, quod & συβᾶν: ut σύβαξ pro σύαξ ὁ συώδης. Hesychius: σύβακα, ὑώδη: item σύβας, λάγνος. Sic ὠβὸν pro ᾠόν. Aristoteles θυᾶν quoque de fœminis dicit, quum maris desiderio incitari incipiunt, quia veteribus θῦς idem quod ὗς. Sed ubi marem admittere occœperunt, ac subinde repetunt, tum καπρίζειν & καπρᾶν dicuntur eidem Philosopho, & καπρία vocatur quod tum ejiciunt. Inde καπρᾶν ἀκολασταίνειν. Hesychius: καπρᾷς, ἀκολασταῖς. Male, κάπρας, ἀκολασίας. Et κάπραινα mulier impotentis libidinis apud comicos, ὦ σαπρὰ πόρνη καὶ κάπραινα! Et apud alium: ὦ κάπραινα καὶ περίπολε καὶ δρομάς.

Quod si præreptum statim fuerit, nequaquam mater pullo ubera præbet felitanda.] Apparet Solinum legisse apud Plinium, sicut hodie distinctum legimus: *Quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat. Olfactu in rabiem id genus agitur.* Quo loco tamen viris doctis placuit interpungere ex Aristotele: *quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur.* Et diserte Aristoteles: ὅπου ἐάν τις φθῇ λαβών, καὶ ὀσφρῆται, ἡ ἵππος ἐξίσταται, καὶ μαίνεται πρὸς τὴν ὀσμήν. Legunt in Plinio: *olfactu in rabiem agit.* Nihil necesse. Libri omnes habent: *agitur.* Quidam etiam, *olfactum.* Tum legi deberet: *si quis præreptum habeat, olfactum id genus in rabiem agit.* Posset & scribi: *si quis præreptum habeat, olfacto in rabiem id genus agitur.* Quomodo sæpe loquitur Plinius. Sed quid opus? Sexcentis porro in locis ex male interpunctis auctoris sui verbis erravit noster. Verum est tamen quod hic ait, si quis præreptum habeat illud σαρκίον ex fronte pulli revulsum, ubera ei matrem denegare. Unde *præreptum matri amorem* vocat poëta:

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus
Et matri præreptus amor.

Lælius in Apologia Apuleji versibus illis, quibus pleraque philtra descripsit, *hinnientium dulcedinem* appellat. Qui versus quoniam & transpositi & pessime depravati leguntur, sic emendandos censeo ex veteribus libris:

Antipathes illud quærito,
Philtra omnia undique irruunt,
Trochus, pili, ungues, tæniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi,
Sauri, illices bicodulæ, hinnientium dulcedines.

Lælium vocant omnes Apuleji libri. Is est qui *Lævius* dicitur Agellio, quique Ἐρωτοπαιγνίων libros scripsit. In optimo tamen Agellii libro, ex cujus auctoritate infinitas sustulimus mendas ex ejus Noctibus, plane scriptum habetur *Lælius.* Ex Erotopægniis ejus hæc desumpta suspicor, nec frustra. Quippe quæ eodem metri genere composita fuisse constet. Agellius citat ex Erotopægniis Lævii poëtæ:

Lex Licinia introducitur,
Lux liquida hœdo redditur.

Priscianus ex libro sexto Erotopægnion Livii hæc adfert:

Andromacha per ludum manu
Lascivula ac tenellula
Capiti meo trepidans libens,
Insolita plexit munera.

Qui sic legendi sunt. Puto itaque verum hujus poëtæ nomen fuisse *Lælium.* Pro quo *Lævius* & *Livius* adulteratum in libris. Nunc rationes emendationum edamus. Vulgo duo priores versus sic leguntur?

Philtra omnia undique eruunt
Antipathes illud quæritur.

Quod ideo transposuere correctores, quia constructio non procederet in istis hoc ordine locatis:

Philtra omnia undique eruunt,
Trochisci, junges, tæniæ.

Atqui longe majus hoc modo peccatum admiserunt; nam *antipathes* inter philtra & res eas, quibus amor conciliatur, posuerunt, quum significet plane contrarium. Nam ἀντιπαθὲς Græci vocant, quidquid adversus effascinationes, incantationes, & amoris faciendi artes magicas potenter est efficax. Idem ἀντιπαθὲς quod ἀλεξιφάρμακον. At φίλτρα sunt φαρμακεῖαι. Hesychius: ἀντίτομον, φάρμακον ἀντιπαθὲς ὅπερ ὁ ποιῶν οὐ βλάπτεται ὑπό τινος, ἀλεξιφάρμακον. Hinc *antipathes* gemma Plinio, quæ contra effascinationes auxiliari putabatur. Et ἀντιπαθὲς corallii genus ab eodem effectu dictum. Hebenum quoque ἀντιπαθῆ quidam appellarunt. Moly illud nominatissimum, quo Mercurius Ulyssem munivit adversus Circes effascinationes, ἀντιπαθὲς proprie vocatum est. Suidas ἀντιπάθιον vocat. Quomodo igitur ἀντιπαθὲς inter philtra locum habere posset, quod adprime facit contra philtra? Scribendum igitur:

Antipathes illud quærito,
Philtra omnia undique irruunt.

Quærito, inquit, ac parato tibi antipathes illud celebratum, nam omnia philtra in te comparantur, & admoventur omnes amatoriæ machinæ, à quibus ut tutus ac tectus esse possis, antipathes illud quærendum est. Intelligit τὸ μῶλυ, quod inter omnia ἀντιπαθῆ φάρμακα præstantissimum. Sequuntur deinde omnimoda φίλτρα, quæ in illum inruere & ingruere dicit.

Trochus, pili, ungues, tæniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi.

Ita reposuimus ex veteribus membranis Florentinis, quæ habent, *Trochissili ungues.* Omnes libri *ungues* præferunt. *Trochiscili*, quod reponunt docti, caret analogia: & Græcum non est, nec Latinum. *Trochus* est τροχὸς, rota φαρμακίδων, alio nomine ῥόμβος dicebatur. Interpreti Pindari τροχὸς, scholiasti Apollonii τροχισκίον. Sic in genere ludi Græco τροχὸν appellatum, Latini *trochum* dixere. *Græcus trochus* pilorum & unguium ustrinam ad φίλτρον usurpasse veneficas stri-

ges plusquam notum. De capillis habes apud eumdem Apulejum III. Milesia. Unguium resegmina ad eumdem usum adhibita compertum est. Quare *junges* heic non possint legi, infra dicam. Præterea prima in hac voce longa est, quæ heic brevis esse debet. Sequitur ex emendatione mea:

Sauri, illices bicodulæ.

Eam emendationem suggesserunt libri. In Florentinis membranis diserte scriptum notant, sicut ego in Fuxiensi reperi: *surculis, auri inlices bicodulæ.* In Fuxiensi, cujus copiam ut haberem curavit eruditissimus & clarissimus vir Philippus Maussacus, *aure.* Omnino corrigendum fuit, *surculi, sauri*, aut *sauræ*. Ita vocat lacertas, Σαῦρυς Græca voce retenta. Isidorus: *Saura, lacertus, qui, cum senescit, cæcantur oculi ejus.* Sauræ in veneficiis amatoriis multus usus, ut ostendit Theocriti Φαρμακευτρία. Tritæ in potu dabantur:

Σαύραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.

Valeant igitur illæ *auriplices*, vel *altriplices bitortilæ*, & *bicoloreæ* eruditorum. Iidem libri exhibent scriptum, *inlices bicodulæ*. Ita omnes nulla varietate. Inde in quibusdam editionibus *bicordilæ*. At *bitortilæ* eruditorum non est Latini κόμματος. Græci ἴυγγα vocant omne, in quo est aliquid ἑλκυστικὸν, ab avicula illa τῶν Φαρμακίδων. Theocritus: Ἴυγξ ἕλκε τυ τῆνον. Sophocles: ὀφθαλμῶν ἴυγγα θηρατηρίαν, de ea, quam dicit Phædrus, *oculis venantem viros.* Sic ἴυγξ, *illex.* At *inlices bicodulæ* ipsæ sunt ἴυγγες aviculæ, quas *bicodulas* ideo dixit elegantissime, quod caudæ assidua vibratione quadamtenus duplicem eam faciunt, & sic duas videntur caudas habere. Non alia ratione *bilingues serpentes* appellatæ, nec enim duas habent linguas, sed quod tam tremulo motu linguam crispant, ut non una, sed gemina videatur esse. Ita *sarißam duplicare* dicebantur, qui vibrabant eam & crispabant, quasi duplicem quatiendo facerent. Hesychius: πάσσει, κραδαίνει, τὸ δόρυ διπλοῖ, id est, vibrat hastas, ac duplicat. Aviculam veneficarum, quam Græci poëtæ vocant ἴυγγα, grammatici σεισοπυγίδα interpretantur, & κιναίδιον, quæ Latinorum est *motacilla*, quasi *muttocilla*, quod *muttum cilleat*, id est, τὸ αἰδοῖον. Nam *cillere* est movere. *Mutus*, aut *muttus*, τὸ αἰδοῖον, quod & *mutto*. Græce μυττός. In glossis Servii *bibrissa* exponitur σεισοπυγὶς, pro *vibrissa* à vibrancauda. At ἴυγξ Aristotelis alia est avis à motacilla. Ea est quam *torcellium* Galli mei vocant, quod assidue collum torqueat. Motacillam Burgundiones rustici *batticaudam* vocant, quod assidue caudam battuat & quatiat. Duo sunt genera, aliam πιμψίδα vocant Francoceltæ, aliam πλωτρίαν. Sed hæc alibi. *Inlices bicodulæ* sunt ἴυγγες, id est, σεισοπυγίδες, quod caudam vibrando duplicent. Vana igitur conjectura, quæ *junges* supra substituebat pro unguibus. *Hinnientium dulcedines* de hippomane dixit, quod ab equa statim ac natus est pullus rapiatur ac devoretur. In recensendis philtrorum generibus ordine processit Lævius. Primo τὰ ἄψυχα posuit, quæ ad amorem illiciendum conducunt: ut sunt trochi, pili, ungues & tæniæ. Deinde τὰ φυτὰ memoravit: radiculas, herbas, surculos: Postremo τὰ ζῶα: sauras, motacillas, & pullos equinos. Atque hæc hactenus.

Ubera præbet felitanda.] Sic reposuimus ex optimis codicibus, nisi quod habuerunt *fellitanda*. Nam & *fellare* scribebant, quum *felare* deberent. Delrius probabat ex suo libro *vellicanda*. Nolo illum vellicare, sed nugatur. Ita sane & quidam è nostris, sed illi pessimæ notæ. Nata ea lectio ex altera vetusta, quæ habuit *fellicanda* pro *fellitanda*. Θηλᾶν est mammam sugere, Æolicum φῆλαν, inde *felare* Latinum. Varroni, *lac humanum felare.* Et alibi: *lupam alumni felarunt olim.* Inde κακεμφάτως positum, ut *irrumare*. Quod & *sugere* dicebant. Sic legendus, & explicandus ille versus Mart. lib. II. epigr. LXXXII.

Abscissa servum quid fugis Pontice lingua?
Nescis tu populum quod tacet ille loqui?

Optimus codex legit *fugis*. Qui aliter legunt, aut explicant, falluntur. A *felo* porro frequentativæ formæ *felito*, ut cænare, *cænitare*: balare, *balitare* apud Plautum: ita *felare*, *felitare*.

Edunt equæ ex ventis conceptos.] Perperam vir magnus ἐξανεμοῦσθαι apud Aristotelem, ex vento concipere interpretatus est, ubi de equabus loquitur. Quid esset, nos ante exposuimus. Ἐξανεμοῦσθαι est eventilari, & vento excepto hiante ore refrigerari. Quod equæ faciunt ubi ad satietatem initæ non fuerint. Ex eo quidem interdum & concipere auctores tradidere, idque in Hispania tantum. Non tamen ἐξανεμοῦσθαι significat ex vento concipere. Loquitur Aristoteles de iis equabus quæ admiserint, sed non satis: nec meminit eo loco conceptionis ullius, quæ ex vento fiat. At equæ in Hispania sine ullo coitu concipiunt ex vento solo. Ita veteres. Hesychius ἐξανεμοῦσθαι exponit ἐπαίρεσθαι, ξηραίνεσθαι, μετεωρίζεσθαι. Significat ad verbum eventilari, & ventulo excepto refrigerari. Quod de equis fœminis dictum est, quæ ad sedandum nimium ardorem coitus auras exceptant ore converso ad frigidiores ventos.

CAPUT XLVI.

Aßyria. In ea de unguentorum origine, de arbore Medica.



Ag. 54. A. *Aßyriorum initium Adiabene facit.*] Nostri optimi: *initium Aßyriarum.* Ἀρχαϊκῶς. Sic *Illyriæ* Propertio:

Atque alias iterum naviget Illyrias.

Et apud Catullum:

Mavolt quam Syrias, Britanniasque.

De Adiabene, & Adiabenis populis unde appellati sint, non convenit inter veteres. Quidam Ἀδιαβηνὴν dictam asserunt, quod inter fluvios sita sit, qui vado transiri non possunt, ideo esse difficilioris aditus. Hanc veterum sententiam fuisse tradit Marcellinus, ipse vult ab amnibus *Diava* & *Adiava* nomen nactam esse. Eum vide lib. XXIII. Sane ridicula illa ratio appellationis τῆς Ἀδιαβηνῆς, quod non possit διαβαίνεσθαι, vel quod fluviis cincta sit minime διαβατοῖς. Analogia prorsus caret nomen Ἀδιαβηνῆς hoc sensu. Strabo Σακκόποδας scribit appellatos τοὺς Ἀδιαβηνοὺς lib. XVI: καλοῦνται δ' οἱ Ἀδιαβηνοὶ, καὶ Σακκόποδες. Haud scio quare sic dicti, nisi sit quod suspicor. Græci Ἀδιαβηνοὺς putarunt nominatos, quasi τοῦ διαβαίνειν impotes, qui minime possent crura divaricare ad ambulandum, haud secus ac si pedes ambo intra saccum conditos haberent, καὶ συμβεβηκότας. Talia olim ante Dædalum simulacra fiebant indiscretis cruribus ac pedibus. Primus ea Dædalus fecisse proditur διαβεβηκότα, id est, disjunctis ac distinctis cruribus pedibusque. *Compernes* Latini vocarunt, qui junctis erant genibus, οἱ συμβεβηκόσι. Festus: *compernes nominantur homines genibus plus justo conjunctis.* Male Nonius interpretatur eos, qui sunt longis pedibus, ita dici. Tales, ut videtur, fuisse volunt Ἀδιαβηνοὺς ex nominis ipsius sono, quod non possent διαβαίνειν, id est, crura aperire & varicare dum incederent. Ideo & σακκόποδες etiam appellarunt. Compernibus contrarii *vari*, qui crura multum aperta, & in diversum expansa habent, quos Græci διαβεβηκότα nuncupant. Lucillius:

Compernem, aut varam ivisse Amphitryonis acœtin.

Sic legendum, ut versus constet. Nam ferri non potest *fuisse*. Obiter etiam in illis versibus Lucillii aqud Nonium corrigendum est.

Verrucam, nævum, rictum, dentem eminulum unum.

Non *dictum*, ex quo *digitum* faciebat Scaliger. Non bene. Hic *compernis* & *vara* separantur. Multi tamen vari sunt, qui junctis genibus & compernes incedunt. Sed ut plurimum vari diversa habent genua, non conjuncta.

juncta. Varus it qui grandes gradus: contra compernis junctis genibus incedens non poteſt *grandire gradus*, ut Plautus diceret. Ovidius:

Illa velut conjux umbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

Fruſtra heic quærunt viri doctiſſimi, quomodo varica mulier ingentes gradus facere queat, id enim contra rerum naturam eſſe: & ingentes gradus accipiunt gradus quidem parvos & lentos, ſed quos efficiant multum hiantia crura. Hæc abſurda ſunt. *Varica* non hoc loco accipitur de pedum vitio, ſed varicam ingentes gradus ferre dicit quæ grandia incedit, & ingentes paſſus metitur, quod fieri non poteſt niſi multum apertis & varicatis cruribus. Duplici modo varicantur crura ac diſparantur. Qui hinc inde diſpeſſis ſtant cruribus, ut ſolent mulieres veſicam exoneraturæ, *varicare crura* dicuntur, & *varitus ſtare*: ut eſt apud Apulejum lib. I. Mileſiarum. Sic enim ibi legendum: *his editis ab imo remoto grabatulo varitus ſuper faciem meam reſidentes, veſicam exonerant.* Male *varicus* legunt. Quod caret ratione. A *varus* varitus: ut à primus *primitus*: ab imus *imitus*. Hoc modo qui ſtant, non tantum ſuras apertas habent, ut ait Varro, ſed etiam nates pæne apertas. Ariſtophanes in equitibus:

---- ἔχει γὰρ τὸ σκέλος
Τὸ μὲν ἐν Πύλῳ, τὸ δ' ἕτερον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ,
Τοσόνδε δ' αὐτοῦ βῆμα διαβεβηκότος
Ὁ πρωκτός ἐστιν αὐτόχρημ' ἐν χάοσιν.

Qui crura in tantum diſſita ac diſpanſa haberet, natibus apertis & hiantibus eſſe dicit: & διαβεβηκότος σχῆμα hoc etiam appellat. Ita & ſimulacra Dædali διαβεβηκότα, quæ diſtinctis ac disjunctis fuere cruribus, quum ante illum conjunctis & indiſcretis fierent. *Varus* proprie palus in ſummo furcillatus. Lucanus:

---- *diſpoſitis attollant retia varis.*

Στάλικας Græci vocant. Inde diminutivum *vallus*: ut *rarus rallus*: *rurus rullus*: *purus pullus*. Tales valli, hoc eſt, χάρακες caſtrorum, in ſummo furcillati, & figuram referentes literæ V. Boves, qui cornua ad hunc modum expanſa haberent, *vari* dicti ſunt, & *vara cornua* ſic patula. Latini *patales boves* appellarunt, & *patulos*, quod eorum cornua in diverſum paterent. Vide Feſtum in *patales* & *propatulum*. His contrarii, qui cornua introrſum converſa haberent. Philargyrus: *Camuri boves ſunt, qui converſa introrſus cornua habent, quibus contrarii patuli, qui cornua diverſa habent.* Græcis πέταλοι & πέτηλοι, quod κέρατα habeant ἐκπέταλα, id eſt, expanſa & patula, ſimiliter vocati ſunt, ut ex Heſychio conſtat. Similiter & *vari*, vel *varis* cruribus homines, qui pedes extra verſos & apertos habent, ſuras & calces introrſum actas, genua in diverſum patentia. Male Nonius *varos* interpretatur eos eſſe, qui obtortis ſunt plantis. *Unde, inquit, & varices dicuntur venæ in ſuris inflexæ & obtortæ.* Diverſæ originis hæc duo eſſe vocabula, atque adeo ſignificationis prodit ſyllabarum in utroque quantitas diverſa. Nam in *varis* prima longa eſt, in *varicibus* brevis.

---- *varicoſus fiet aruſpex.*

Haud recte etiam Feſtus *varos* exponit, qui incurva crura habent, niſi ſi quis interius flexa intelligit. Sane eos diſtinguit à valgis qui diverſas habent ſuras. Quibus diverſæ, vel in diverſum apertæ ſuræ, iis pedes introrſum flexi, & genua quoque introrſum converſa. Eodem quippe modo crura habent inflexa, ut in camuris cornibus videre eſt, quæ introrſum converſa, & exterius curva ſunt. Qui pedes non ponunt in rectis, ac parallelis lineis, aut in exteriorem partem eos flectunt, iique *vari* dicuntur, aut introrſum eos convertunt, & *valgi* appellantur. His curvantur in exteriorem partem crura. Hinc tam *varum* quam *valgum* de obtorta & obliqua re ſumitur, & quidquid recto contrarium eſt, ita appellatur. *Valgi* Græce βλαισοί. Aliter *vatiæ* dicti. Varro de canibus: *cruribus rectis & potius varis quam vatiis.* Vari ſunt ῥαιβοί. Qui varis ſunt cruribus homines longe ad incedendum firmiores currendumque, quam qui vatiis, aut valgis. Ergo & canes varis cruribus ad currendum aptiores, & melius pedati. Archilochus στρατηλάτην ſuum vult eſſe ῥαιβόν, id eſt, *varum*. Naturalius eſt homini varica habere crura,

A quam vatiam eſſe. Ideo nec inter eos, qui pedibus ſunt vitioſis, varos recenſet Varro, cujus verba hæc ſunt lib. VIII. de L. L. *quum idem faciat, ac ſi quis puerorum per delicias pedes male ponere atque imitari vatias cœperit, hos corrigi oportere concedant. Contra ſi quis in conſuetudine ambulandi jam factus ſit vatia, aut compernis, ſi eum corrigi non concedant.* Vatiæ ut plurimum ſunt & compernes. Nam ut extrorſum iis incurvantur crura, & ſuræ in diverſum patent: ita genua propius ſeſe contingunt & conjunguntur. Quod eſt contrarium in varis. Pueri qui pedes male ponunt per laſciviam
B & vatias imitantur, calces multum invicem diſtantes collocant, & digitos pedum totos introrſum flectunt, ut pæne ſeſe tangant. At in varis propiores ſunt ſibi utrimque calces pedum quam digiti. Fac eos junctis calcibus eſſe, literæ V figuram pedibus efficient. Vatiæ inverſam eam literam omnino reddent, converſis introrſum pedum pollicibus, & diverſis calcibus. *Vatias* igitur aut compernes in pueris corrigi vult Varro, non *varos*. De vatia loqui videtur Martialis hoc epigrammate:

Cum ſint crura tibi ſimulant quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Marce, lavare pedes.

C Ῥυτὸν aut ῥύτιον vaſis genus cornui ſimile, unde & κέρας Græcis appellatum, cujus hanc formam in veterum monumentis reperi.



D

Ex hac figura conſpici datur atque intelligi, quare in rhytio vel rhyto pedes lavare poſſe dicantur, qui crura exterius inflexa habent, & cornibus ſimilia. *Scambos* etiam Latini dixere ex Græco σκαμβός. Suetonius: *male*
E *pedatus, ſcambuſque.* Non varum intelligit, ſed vatiam & valgum à *varo*, qui quocumque modo crura diſpanderet aperiretque in diverſum, *varicare* dicebatur & *varare*. Qui vineam confodiunt, varicatis cruribus ſtant, ſed & qui ſentinam in navi exhauriunt. Aliter crura varicant, qui pedem alterum in anteriorem partem protendunt, ut faciunt qui foſſam aliquam tranſeunt, ejus duntaxat latitudinis quam neceſſe non ſit ſaltu tranſilire; ſed & qui grandi paſſu incedunt. Item qui gradum componit ad pugnandum & excipiendum adverſarii
F impetum pede altero protenſo, is διαβαίνειν dicitur, & varicare crura. Tyrtæus; εὖ διαβὰς μαχέσθω. De his omnibus qui qualibet ratione crura diſpandunt, διαβαίνειν Græci dicunt, & διάγειν σκέλη. Nam qui vult διαβαίνειν is utique crura varicat, unde & qui naturaliter cruribus varis ambulant, διαβεβηκότες iiſdem Græcis dicuntur. Et qui crura ad ambulandum pleno gradu grandique extendit, is etiam διαβαίνει, quod & Græci διάγεσθαι vocant. Unde qui θᾶττον ἢ βάδην fugiunt, διαγόμενοι φεύγουσι. Theophraſtus in characteribus: ἀνασείσαντα δὲ χρὴ τῶν τοιούτων τῶν ἀνθρώπων, καὶ διαράμενοι ἀπαλλάτ-
G τεσθαι. Id eſt, *contentiſſimo curſu ab hujuſmodi hominibus fugere oportet.* Hinc διάβημα idem quod διάβασις & tranſitus. Διάγεσθαι σκέλη eſt varicare crura. Inde & Latini *varare* & *varicare* pro tranſire uſurparunt. Varro lib. IV. de L. L. *Vallum vel quod ea varicare nemo poſſet*, id eſt, tranſire, tranſcendere. Nec alia opus emendatione. Gloſſæ: *varicat*, ὑπερβαίνει. Eædem: *tranſvaricat*, ὑπερβαίνει. Lexicon Danielis: *varicat, divertit, ambulat.* Hinc *prævaricari* non recta incedere, ſed oblique. Plinius: *arator niſi incurvus prævaricatur.* Quod eſt, non rectum ſulcum agit: ut rectum ſulcum dirigat, debet

arator incurvus eſſe. Gloſſæ: *prævaricat*, διασκελίζει. Immo, διασκελίζει, id eſt, à recta via deducit. Nam σκελλὸς eſt ſcambus, & tortus. Gloſſæ: *grappus*, σκελλὸς, & verbum σκελλίζειν, obliquare, deflectere, & σκέλλισμα, pro quo in multis auctorum locis σκελίζειν & σκέλισμα prave poſitum legimus. Feſtus: *prævaricatores à prætergradiendo ſunt vocati.* Ergo *varicare* ſimplex idem eſt quod ingredi & ambulare. Sed forte διασκελίζειν retinendum in veteri gloſſario, quod eſt crura in diverſum pandere, & idem cum *varicare.* Sed ut *prævarus* eſt, qui valde eſt varus, & *prægrandis*, valde grandis, ita *prævaricat* qui ultra modum varicat. Certe varus ille eſt varicatque, qui pedes non recte ponit, ſed ad exteriorem partem eos detorquet. Ergo *prævaricat*, qui præter modum id facit. Inde *prævaricare* in officio ſuo dicuntur, qui non recte ambulant, ut ſunt illi patroni qui clientum ſuorum cauſam adverſariis tradunt. Gloſſæ: σκελίζειν, *varicare.* Hinc compoſitum διασκελίζειν. Verumtamen ut in verbo διασκελίζειν poſſum approbare ſignificationem varicandi aut prævaricandi, non idem poſſum in ſimplici fateri rectum eſſe. Ut enim διαμηρίζειν dicitur qui femora expandit, unde illi διαμηρισμοὶ in re venerea veteribus uſurpati: ita διασκελίζειν crura aperire & vara facere. Sed in ſimplici σκελίζειν id non videtur ferendum. An igitur σκελλίζειν dicitur qui varicat, & varos, id eſt, in exteriorem partem detortos collocat pedes dum ambulat? Certe & σκελλὸς idem ſignificat quod varus & detortus. Heſychius: σκελλὸς, ſτρεβλός. Gloſſæ aliæ: σκελλὸς, *pandus.* Atqui legitur apud Heſychium σκέλισμα, δρόμημα, quaſi σκελίζειν etiam currere ſignificet. Sed & σκελίζειν ſic potuit uſurpari pro ire vel ambulare ut Latinis *pedare* id ſignificet. Unde *pedatum* τὸ βῆμα quod idem eſt ac σκέλισμα. Unde proverbium, *tertio pedato*, quod eſt τρίτῳ βήματι. Alii exponunt τρίτῳ πηδήματι. Gloſſæ alio ſenſu, τρίτῃ περιόδῳ, id eſt, *tertia vice*, ἐκ τρίτου. Certe σκέλισμα, vel *pedatum*, eſt pedum vel crurum apertio, atque inde pro paſſu vel curſu poſitum. Nemo quippe poteſt paſſum facere, aut greſſum ullo modo promovere, quin crura diducat, & aperiat, quod eſt proprie *varicare.* Inde & *paſſus* τὸ βῆμα, quod paſſis cruribus, id eſt, expanſis explicetur. Inde & verbum *paſſare* infimæ Latinitatis pro ambulare & tranſire, ita & *varicare* eodem ſenſu, ac *varare* quoque vetus Latinitas uſurpavit. Græci πληχάδας appellant totum id quod inter ſcrotum & collum veſicæ patet, quæ ſumma pars eſt aperturæ femorum crurumque. Pollux: τὰ μέντοι μεταξὺ ποσθήματος καὶ ὄρχεως, καὶ μηροῦ πληχάδες καλοῦνται. Sic legendum ex Rufo, & Ariſtophanis ſcholiaſte. Pro ποσθήματος habet Rufus ὑποστήματος. Legebam: μεταξὺ προσθέματος καὶ ὄρχεως, *inter pygam & ſcrotum.* Τὸ πρόσθεμα, podex. Heſychius: προσθέματα τὰ πυγαῖα. Alii hoc nomine etiam inguina vocitarunt. Sed verum eſt ὑποστήματος. Πληχάδες à verbo πλίσσειν, quod eſt crura aperire & divaricare. Inde πλὶξ τὸ βῆμα. Heſychius πλίξαντα, διαβάντα exponit. Lexicon ineditum: πληχὰς μηρῶν διάβασις. Stractis apud Pollucem:

---- τὰ θυγάτρια

Περὶ τὴν λεκάνην ἅπαντα περιπεπλιγμένα.

Sic legendum, non περιπεπληγμένα. Ipſe explicat διεσχόντα τὰ σκέλη, id eſt, *varitus circumſtabant pelvim.* Inde ἀμφιπλὶξ *varitus*, apud Sophoclem de draconibus,

---- θαιρὸν ἀμφιπλὶξ εἰληφότε.

οἱονεὶ περιβεβηκότες. Sic corrigo apud Pollucem. Πλίσσειν Græcè idem prorſus eſt quod varicare, vel crura pandere, quod & pro διαβαίνειν poſuerunt. Vitioſi ſunt Græci codices omnes, qui πλήσσειν præferunt. Homerus:

---- εὖ δ' ἐπλίσσοντο πόδεσσι.

Inde ἀποπλίξασθαι Ariſtophani fugere, concitato curſu vel ingenti gradu, quod Theophraſtus dixit, διαβεβηκὼς φεύγειν, hoc eſt, διασχόντα τὰ σκέλη, διαπλέξαντα, varicatis cruribus aufugere. Ut ille apud Ovidium:

---- *ingentes varica fertque gradus.*

Inde *paſſus* τὸ βῆμα, ἢ πλίξ. Inde *paſſaticum* infima Latinitas dixit τὴν διάβασιν. Vetuſtioribus *varatio* pro eodem. Unde *varatio fluminis* apud auctores de limitibus ἡ διάβασις, ſicut olim emendandum vidimus: *ſi in agri quadratura tibi dictanti occurrerit flumen, quod neceſſe ſit varari.* Ita ſcribi debet, non *variari.* Et in fragmento ex libris Magonis & Bygoræ: *Nam ſunt & alii pontes in vicinalibus,*

A *& privatis viis, quorum alvei varantur.* Ita etiam heîc ſcribendum. *Varare* in his locis eſt tranſire & trajicere, διαβαίνειν. Alveos pontium vocat, rivorum alveos qui pontibus impoſitis trajiciuntur, ac tranſmittuntur. Inde & *varas* appellarunt ponticulos ex tabulis factos, quibus fluminum alvei varantur, id eſt, trajiciuntur. Quamlibet tabulam in traverſum jugis & arrectariis impoſitam hoc nomine appellarunt. Vitruvius: *Geras autem Carchedonius de materia primum baſim ſubjectis rotis fecit, ſuperque compegit arrectariis & jugis varas, & in his ſuſpendit arietem.* In Græcis: ὑπότροχον ποιήσας σχεδίαν ἐπέθηκε πλάγιον τὸν κριόν. B Græci σχεδίαν vocant ligna invicem juncta, ut pontiles ſtatus in proverbio, *ſequitur vara vibiam.* Vara eſt tabula traverſaria impoſita arrectariis, vibiis, furcilliſque ſuſtentata. Ita & quæ in utramque ripam per tranſverſum alveo imponuntur ligna vel tabulæ, *varæ* appellatæ. Nam & *traverſare* pro trajicere, & varare flumen dixere infimi ævi Latini. Ut *variari* pro *varari*, perperam ſcriptum in auctoribus limitum, ita & *varius* pro *varus* pervorſe legit in iis codicibus, quibus uſus eſt auctor vetus gloſſarii dum hæc vocabula confundit: Varius, ἴονθος, σκαμβὸς, ποικίλος. *Varus* eſt ἴονθος, eſt etiam σκαμβὸς, ſed varius ποικίλος. Ab eo verbo C *varare* nos fecimus *guarare*, hoc eſt fugere, & ἀπαλλάττεσθαι, & fugiendo ſibi cavere. Sic ex vaſtare *guaſtare*, ex veſpa *gueſpam.* Inde *evarati* vel *exguarati* nobis dicuntur, qui à recta via deerrarunt. Inde etiam lupi *guaratores*, vel *gueroſi*, qui ceterorum luporum fugiunt conſortium, & ſoli incedunt, quo nomine & homines μονοτρόπους, ſocietatem, & cœtum vitantes, ſibique viventes ſolemus indigetare. Græci μοναπείρους vocarunt hujuſmodi lupos. Ariſtoteles lib. VIII. cap. V. de Hiſt. Animal. Ἀνθρωποφαγοῦσι δ' οἱ μονοπεῖραι τῶν λύκων μᾶλλον ἢ τὰ κυνηγέσια. Quæ ſic vulgo vertuntur: *Lupi hominem illi potius petunt qui inertes, & unipetæ quidem ſunt, quam qui* D *venatores.* Nihil tam diſſitum ab Ariſtotelis ſententia. Dicit ex luporum genere eos lupos, qui ſunt μονοπεῖραι humanis carnibus libentius, ac frequentius veſci quàm ferinis: ideoque homines magis impetere, quam feras & reliqua animalia. Κυνηγέσιον propriè eſt caro animalis, vel animal quod homo, vel alia fera venando cepit. Ita ſumitur Latinis *venatio.* Celſus: *Venatio durique piſces, & ex domeſticis animalibus aſſa caro maxime juvant.* Τὸ κυνηγέσιον, ferina caro ex venatu. Gloſſæ: κυνηγέσιον, *venatio.* At κυνηγεσία venatus, ipſe venandi actus. Inde noſtrum, *venaiſon*, τὸ ἀγρίμαιον. Fefellit interpretes loquutio Ariſtoteli, & antiquis Græcis fami- E liaris: ἀνθρωποφαγοῦσι μᾶλλον ἢ τὰ κυνηγέσια, pro ἀνθρώπους φαγοῦσι μᾶλλον ἢ τὰ κυνηγέσια, id eſt, homines magis comedunt, quàm ferinam venando captam. Et hoc proprium eorum luporum quos *guaratores* dicimus, quia cœtus fugitant, nec gregatim incedunt, ſed ſoli. Heſychius: μονοπεῖραι οἱ κατὰ μόνας περιπατοῦντες. Hi & μονιοὶ λύκοι Græcis dicti ſunt, ut habetur in epigrammate, & unica voce μονόλυκοι. Aratus in Prognoſticis:

Καὶ λύκος ὁππότε μακρὰ μονόλυκος ὠρύηται.

Eſt μονοπείρης λύκος Ariſtotelis. Quem locum non vi- F dentur cepiſſe interpretes. Theophraſtus tamen à quo τὰ Διοσημεῖα ad verbum ſumpſit Aratus, λύκον ſimpliciter nominat in libello de ſignis tempeſtatis. Sed locus ille quem expreſſit Aratus, peſſime in editis conceptus, ita ex Arato ipſo conſtituendus eſt: λύκος ὠρυόμενος χειμῶνα σημαίνει. Μονόλυκος ὅταν πρὸς τὰ ἔργα ὁρμᾷ, τριῶν ἡμερῶν χειμῶνα σημαίνει. Εἰ εἴσω ὁρμᾷ χειμῶνα σημαίνει εὐθύς. Quæ ſic reddenda ſunt: *Lupus quando ululat, tempeſtatem ſignificat. Singularis lupus ſi ad culta accedat, intra tres dies futuram tempeſtatem denuntiat. Si propius villam ſubeat,* G *ſtatim ingruet tempeſtas.* Aratus:

Ἠ ὅτ' ἀροτρήων ὀλίγον πεφυλαγμένος ἀνδρῶν,
Ἔργα κατέρχηται σκέπαος χατέοντι ἐοικώς,
Ἐγγύθεν ἀνθρώπων, ἵνα οἱ λέχος αὐτόθεν εἴη,
Τρὶς περιτελλομένης ἠοῦς χειμῶνα δοκεύειν.

Quæ Theophraſtum prorſus explanant. Apparet porro Theophraſtum λύκον & μονόλυκον diſtinxiſſe. Quare haud bene apud eum legitur: λύκος ὠρυόμενος χειμῶνα σημαίνει. Λύκος τριῶν ἡμερῶν, ὅταν πρὸς ἔργα ὁρμᾷ. Quæ profligatiſſima ſunt. Non repetiſſet vocem λύκος, ſi de eodem genere intellexiſſet. Præterea planè ex Arato conſtat

conſtat μονόλυκος pro λύκ☉ reponendum eſſe. Affinitas vocis pręcedentis illud μόνο abſorbuit. Nec porro mirum, quum lupus communis ad culta & villas propius accedit. Hoc quotidie faciunt, quum ovilibus inſidiantur & ſtabulis. At μονόλυκοι raro admodum cultis & habitatis locis, hominumque frequentia plenis ſeſe inſinuant, & quum hoc faciunt, tum tempeſtatis indicium eſt certum.

Pag. 54. B. *Unde primum Romana luxuria fecit ingreſſum ad odores peregrinos.*] In quibuſdam codicibus reperiri teſtatur Camers: *Unde latius luxuria ſe protulit.* Quod & in noſtris quoque invenimus. Ea ſanè fuit lectio vel prioris, vel poſterioris editionis. Utramque antiquarius vetuſtiſſimi regii codicis in contextu retinuit. In aliis ad oram appoſita eſt illa altera. Fortean ſcripſerit in priore: *Unde latius luxuria ſe protulit Romana, & primum ingreſſum fecit ad odores peregrinos.* Jam quid voluerit Solinus videamus. Dicit fuſis Darii copiis, & expugnatis caſtris ejuſdem, Alexandrum Magnum in reliquo apparatu regis ſcrinium unguentis refertum reperiſſe. Atque *inde primum*, ut heic ait noſter, *Romana luxuria fecit ingreſſum ad odores peregrinos.* Quid? an ab illo ſcrinio unguentis referto, ac reperto inter reliquam Darii ſupellectilem, Romani unguenta & odores peregrinos primum noſſe cœperunt? Hoc profecto mirum ſimul & ridiculum. Sed de Solino minus mirandum. Hęc habet ex præfatione, quam Plinius prætexuit libro decimo tertio magni operis. Ibi diſquirit, quis primus unguenta invenerit, & unde primum ad Romanos tranſierint. Non fuiſſe Iliacis temporibus apud Græcos aſſerit, ideo Perſis accepta referri debere. Nam primam eorum in Græca hiſtoria mentionem fieri, quum Alexander caſtris Darii expugnatis ſcrinium unguentorum cepiſſe traditur, quod in reliquo ejus apparatu erat. Verba ejus hæc ſunt: *Primum, quod equidem inveniam, caſtris Darii regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ſcrinium unguentorum. Poſtea voluptas ejus a noſtris quoque inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſsima vitæ bona admiſſa eſt, honoſque & ad defunctos pertinere cœpit.* Ita legendus ac diſtinguendus hic locus. *Poſtea voluptas ejus.* Ita loquitur, quaſi proximè præceſſiſſet, *unguenti*, non *unguentorum.* Debuit enim dicere, *voluptas eorum.* Sed perſiſtit in hoc numero: *quapropter de eo dicemus*, id eſt, unguento. Sed eſt σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον. Illud *poſtea* ita accepit Solinus, quaſi ſtatim poſt captum illud ſcrinium unguentorum è ſupellectile Darii unguenta Romam influxerint, & odoribus peregrinis uti cœperint Romani. Quod eſt ineptiſſimum, ſed inter ſollemnia Solini. Non agit eo loco Plinius, quando primum odores & unguenta in Romanam rempublicam invecta fuerint, qua de re tractat capite tertio ejuſdem libri. Poſt Alexandri tempora unguenti voluptatem inter honeſta ac laudata vitæ bona à Romanis admiſſam tantum dicit. Poſtea ergo non ſtatim, ſed longo poſt Alexandri ætatem intervallo ad Romanos unguenta penetravere. Nec enim ante Aſiam domitam veriſimile eſt unguentorum illecebram, & ceterarum Aſię deliciarum in Romanum ſolum fluxiſſe. Idque diſertis verbis teſtatur idem Plinius libro eodem cap. III. Hoc demum victo Antiocho Magno contigit annis plus minus centum triginta quatuor ab Alexandri morte. Hinc collige quàm vera ſint hæc Solini verba: *Expugnatiſque Darii caſtris Alexander in reliquo apparatu ejus reperit ſcrinium unguentis refertum, unde primum Romana luxuria ingreſſum fecit ad odores peregrinos.* Plinius de unguentorum uſu: *Quando id primum ad Romanos penetraverit haud facile dixerim. Certum eſt Antiocho Rege Aſiaque devictis, Urbis anno quingenteſimo ſexageſimo quinto, P. Licinium Craſſum, L. Julium Cæſarem cenſores edixiſſe, ne quis venderet unguenta exotica.* De quo loco nos infrà. Ergo non niſi poſt devictam cum Rege Antiocho Aſiam unguenta exotica Romæ fuere cognita. Nunc expendamus Plinii verba de unguentorum inventione: *Perſarum eſſe debet gentis unguentum.* In optimo libro ſcriptum eſt: *Unguentum Perſarum gentis ſedebat.* An ſcribendum: *unguentum Perſarum genti ſe debet.* Unguentum hoc ipſum, quod ſit in rerum natura & uſu, debet ſe Perſarum genti. Sequitur: *Illi madent eo accerſita commendatione ingluvie natum virus extinguunt.* Iidem libri præferunt ſcriptum, *inluvie*, hoc eſt, ἀλουσίᾳ. Gloſſæ: *inluvies*, ἀλουσία. Virgilius: *tatra illuvies.* Vide Nonium. Sobrietatem in Perſis, ac victus frugalitatem mul-

A ti veterum commendant: & in his Xenophon, qui σίτων μετριότητα vocat, qua Perſas laudat. At idem Plinius alio loco animam Parthis fœtidam eſſe dicit propter indiſcretos cibos: *Denique hac trahebatur è cœlo. Hujus quoque tamen reperta pœna eſt, ut neque id ipſum quo viveret, in vita juvaret. Parthorum hoc populis præcipuè, & à juventa propter indiſcretos cibos: namque & vino fœtent ora nimio, ſed ſibi proceres medentur.* Sic legimus. Vulgo eſt: *id ipſum quo vivitur.* In Rigaltiano: *qua vivere.* Fortè: *id ipſum a quo vivere*, id eſt, anima: τὸ *vivere* abſolutè. Ita loquutus alibi Plinius. Ita & Græci, τὸ ζῆν. Diodorus: τοῖς μέρεσι τὸ ζῆν συνέχουσι, *quæ vitam continent.* Non dicit autem Parthis ora vino nimio

B fœtere, ſed animam illis male olere ob indiſcretos cibos, quemadmodum & quibuſdam fœtet nimio vino. Falluntur itaque qui duo illa Plinii loca de Parthorum halitu fœtido, & Perſarum ingluvie veluti ſimilia, ac ſeſe invicem explicantia pariant inter ſe. Alii Parthi, alii Perſę ac diſparibus ambo moribus agunt victuque. Aliud eſt ingluvies, aliud indiſcretis cibis veſci, nec ſtatim qui indiſcretim cibis utitur, ingluvioſus idem. Præterea aliud virus corporis, quod unguentis perfuſis expugnatur, atque extinguitur, aliud oris & animæ virus, cui medicatur Aſſyriorum malum cibis additum. Animæ fœtorem & halitum male olentem tollit id omne quod per os ſumitur,

C & ſuavitatem ori conciliat, ut ea ſunt quæ Græci εὔστομα vocant. In his eſt & Aſſyrium, ſive Perſicum malum, quod πρὸς στόματος εὐωδίαν conducere ait Theophraſtus. Virgilius: ---- *animas & olentia Medi*

Ora fovent illo.

Ut enim fœtorem ſudoris & alarum, totiuſque corporis malum odorem non tolleret malum Aſſyrium ore ſumptum ac commanſum, ita nec animæ δυσωδίαν caſtigaret inditum inlitumque reliquo corpori quamvis ſuaviſſimum & odoratiſſimum unguentum. Hæc igitur diverſa ſunt. Et probo magis heic legi: *Illi madent eo & arceſſita commendatione inluvie natum virus extinguunt*: non, *in-*

D *gluvie*, quæ animæ ingratum potius halitum adderet, quàm corpori viroſum odorem. Atqui huic oris putori non medetur corpus unguentis oblitum ac perfuſum. Perſæ exercitiis ac ſudoribus aſſueverant. Nec enim homo Perſa temere cibum ſumebat priuſquam ab exercitio ſudaſſet, ut ex Xenophonte conſtat. Poſt ſudorem lavabant reliquæ gentes, Græci & Romani, ſed hi præcipuè ac frequentiſſimè. Perſæ in ſudata veſte durabant. Ex illa inluvie atque *imbalnitie*, ut loquitur Lucillius, ſordes & immunditia, & totius corporis fœtor. Quod virus unguentorum uſu, quibus toti madebant, expellere conſueverant. Hæc mens Plinii. Ergo à Perſis un-

E guenta prodita juxta ejus ſententiam. Subjicit: *Primum, quod equidem inveniam, caſtris Darii Regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ſcrinium unguentorum:* Clarè ſignificat unguenti primam notitiam habuiſſe Græcos, & primum ſcrinium unguenti vidiſſe illud, quod habuit Alexander ex direpta Darii ſupellectile, caſtris ejus expugnatis. Mira res vero dicere hoc Plinium, quum μύρου, hoc eſt, unguenti mentio extet in ſcriptoribus Gręcis longè Alexandro antiquioribus. Vetus comœdia paſſim μύρον nominat, & μυρίζεσθαι, & μυραλοιφεῖν. Lyrici poetæ Alcæus, Sappho, Anacreon, aliique ſimili-

F ter. Sophocles inducebat in quadam fabula Venerem μύρῳ ἀλειφομένην, Minervam autem ἐλαίῳ χριομένην. Solon ſuis lege ſanxerat ne viro liceret μυροπωλεῖν. Grammatici notant μύρου nomine primum fuiſſe uſum Archilochum hoc verſu: Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφετο.

Rem ipſam longè antiquiorem volunt, & Homero ipſo notum ejus uſum. Nam ἔλαια apud eum cum epitheto dici unguenta, ut ῥοδόεν ἔλαιον. Ex aromatis condita etiam noviſſe, quæ veteribus θυώματα dicebantur. Unde veſtes τεθυωμέναι apud eumdem unguentis perfuſæ:

--- ἀλείψατο ᾗ χρόα λευκὸν,

Ἀμβροσίῳ ἑανῷ τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.

G Grammatici veteres, θύωμα τὸ μύρον, τὸ ἄρωμα exponunt. At Plinius & θυώδες, & τεθυωμένον in Homero ἀπὸ τοῦ θύου deducit, quod *citrum* ſignificare dicit. De quo infrà. Cùm hæc ita ſint, an Plinius, non primum unguentum, ſed primum unguentorum ſcrinium viſum eſſe vult in Gręcia, & ab hominibus Græci generis ex Darii caſtris expugnatis? Sed hoc nihil eſt. De unguentorum inventione agit eo loco, quomodo reperta ſint, & quis primus invenerit, & quando Gręcis in uſu eſſe cœperint, & unde.

unde. Si unguenta tanto ante Alexandri ætatem fuere, quis dubitet & alabastros, & scrinia unguentis reponendis jam tum fuisse? Et hoc igitur inter Plinii hallucinationes & ἀβλεψίας reponatur.

Aliquantisper ab hac vitiorum illecebra virtute veterum defensi sumus.] In altera editione scripserat auctor: *Nos tamen longo tempore virtute veterum ab hac vitiorum illecebra defensi sumus.* Quę lectio contrarium continet sensum isti quæ vulgata est. Haud scio an illa altera scriptura emendatæ, ac recognitæ ab ipso editionis fuerit. Sequebatur in optimo regio: *atque adeo Crassi & Julii Cæsaris qui edixerunt anno Urbis.* Nec agnoscebat, *in censuram.* Repetendum est *virtute.* Nos inquit, longo tempore defensi sumus ab unguentorum illecebra virtute veterum, atque adeo Crassi & Julii Cæsaris, qui edixerunt ne quis inveheret unguenta peregrina. In eodem codice additum inter lineas erat *in censuram*, & in margine adscriptum, *in tempus censurum*, pro censorum. Ita solet ejus codicis antiquarius variantes ex altera Solini editione lectiones adnotare. In aliis vetustissimis exemplaribus in textu invenio: *in tempus censorum.* Recentiores quidam: *in tempore censorum.* Varia igitur lectio ex duplici editione, *in censuram*, & *in tempus censorum.* Utriusque idem sensus, ac talis est: virtute veterum diu defensos Romanos ab unguentorum delicia, atque adeo id obtinuisse in censuram, hoc est, in tempus censuræ P. Crassi, & L. Cæsaris, qui edixerunt, ne quis inveheret unguenta. Eo tempore igitur quidam usurpare delicias illas exoticas cœperant. Ideo prohibendus eorum usus fuit prohibita invectione. Antiqui verò ante illud tempus solo amore virtutis rem virtuti contrariam aspernabantur ac repudiabant.

In censuram P. Crassi & Julii Cæsaris.] Quidam codices, & in his regius: *Crassi & Julii Cæsaris.* In aliis etiam *Publii Crassi, & C. Julii Cæsaris.* Nulli libri habent prænomen Lucii. Quod tamen necessariò addendum fuit. Et fortasse Solini error putandus. Certè male fecit quod prænomen illud omiserit. Sic infrà: *in principatum Claudii.*

Anno Urbis quingentesimo sexagesimo quinto] Ita omnes habent Soliniani libri omnibus expressis litteris, sine ullo compendio numeralium notarum. Nec aliter legitur in Plinii, unde hic sumptus: *Quando id primum ad Romanos penetraverit, non facile dixerim. Certum est Antiocho rege Asiaque devictis Urbis anno quingentesimo sexagesimo quinto P. Licinium Crassum, L. Julium Cæsarem censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica.* Non aliter legisse oportet Solinum in libris Plinii, qui tum extabant. Si rem attendimus, non aliter videtur scribere debuisse. Antiocho inquit rege devicto Urbis anno quingentesimo sexagesimo quinto hoc edixerunt censores, Licinius Crassus, & Lucius Cæsar. Ergo censores illi fuere paulo post quam devictus est Antiochus. Ita sanè necesse est, & ratio loquendi sic exigit. Devictus est Antiochus anno Urbis quingentesimo sexagesimo quarto. Igitur anno post censuram illi gessere, qui fuit quingentesimus sexagesimus quintus Urbis. Atqui certum est P. Crassum, & L. Julium Cæsarem censores fuisse ab Urbe condita DCLXV anno, ut ipse Plinius diserte testatur lib. XIV. cap. XIV his verbis: *P. Licinius Crassus, & L. Julius Cæsar censores, anno Urbis conditæ* DCLXV *edixerunt, ne quis vinum Græcum Amminiumque octonis æris singula quadrantalia venderet.* Ita enim ex vetustissimo codice Thuanæo, & aliis scribendum est, non ut habetur in vulgatis, DCLXXV. At ridiculum esset, quod centum annis acciderit post devictum Antiochum, dicere id contigisse devicto Antiocho Asiaque. Re adhuc recenti & victoria illa tum nuper parta censuram gessisse eos censores & illud edixisse, lex & ratio loquendi, qua ibi Plinius usus est, prorsus postulant. Quid igitur? an dicemus hallucinatum Plinium eo loco, & aliud cogitantem scripsisse anno Urbis quingentesimo pro sexcentesimo? Ne in Plinium culpam conferre habeamus necesse, ad conjecturam decurrebam, ac sic legebam distinguebamque: *Quando id primum ad Romanos penetraverit, non facile dixerim. Certum est Antiocho Rege Asiaque devictis. Urbis anno* DCLXV. *P. Licinius Crassus, L. Julius Cæsar censores edixere, ne quis venderet unguenta exotica.* Quam

A emendationem & interpunctionem prorsus certam & indubitatam censeo, etsi censuram non geram. Quando ad Romanos penetraverint unguenta, non facile dici posse ait: utique certum esse Antiocho Rege Asiaque devictis, scilicet ea primum pervenisse ad Romanos, sed quo tempore vel anno incertum haberi. Anno Urbis DCLXV edixisse censores, ne quis inveheret unguenta exotica, quod edictum est centum annis post debellatum Antiochum. Ergo ante illud censuræ tempus jam tum invehi solebant unguenta peregrina, & passivus usus eorum introductus. Quod ne fieret edixere illius anni censores ne amplius importarentur. Locum Plinii corruptum fuisse apparet ab antiquo ali- B quo critico, qui legerit Antiochum victum esse anno urbis DLXIV: proinde censores illos id edixisse anno Urbis DLXV, non DCLXV. Prava interpunctio eum correctorem fefellerat. *Unguenta exotica* sunt peregrina. Solinus dixit, *peregrinos odores.* Plinius: *ne quis inveheret unguenta exotica. Ita appellavere.* Plautus: *olet unguenta exotica.* Non ante devictum Antiochum inlata Romam unguenta exotica Plinii sententia est. *Calami aromatici* apud Plautum in palliata mentio est. *Murrinæ* veteres comici passim meminere, qui fuit μυρίνης οἶνος Græcorum, vinum scilicet unguentis conditum. Sed C de his alibi.

Ut ea etiam in pœnalibus tenebris uteretur] Sic reposuimus auctoribus libris, quum in editionibus omnibus haberetur *in penetralibus tenebris.* Sic *pœnalia claustra* Ammiano Marcellino: & Plinio *pœnales aquæ*, lib. IV. cap. VIII: *pœnales aquas, dirisque genitas, argenteis suis misceri recusans.*

Fratrem L. Planci bis consulis.] Ita repositum ex libris & Plinio. Vulgò editi habebant: *fratrem L. Plotii.*

Media, cujus arbor inclaruit etiam carminibus Mantuanis.] Medica malus, quæ & Assyria, & Persica. Locus poëtæ notus. Theophrastus lib. IV. Οἷον ἡ Μηδία χώρα καὶ D Περσὶς, ἄλλα τε ἔχει πλείω, καὶ τὸ μῆλον τὸ Μηδικὸν, καὶ τὸ Περσικὸν καλούμενον. Legendum: τὸ καὶ Περσικόν. *Malum Medicum, quod & Persicum.* Apud Athenæum hæc verba Theophrasti citantem legitur: καὶ τὸ μῆλον τὸ Περσικὸν, ἢ Μηδικὸν καλούμενον. Ergo *Medicum* & *Persicum* idem. Itaque Theophrasti temporibus Persici mali nomine non aliud intelligebatur præter Assyrium & Medicum. Proinde Persicæ arborem tum non Περσικὴν μηλέαν, sed Περσίον, vel Πέρσειαν, & Περσίαν vocabant. Quod & ipsum nomen à Persis deductum est. Hujus Perseæ duo genera, commune & Ægyptium. Hanc Περσίαν Αἰγυπτίαν ideo dixere. Diodorus de arboribus Ægypti peculiaribus: E καὶ τούτων αἱ μὲν ὀνομαζόμεναι Περσίαι καρπὸν διάφορον ἔχουσι τῇ γλυκύτητι μετενεχθέντος ἐξ Αἰθιοπίας τοῦ φυτοῦ ὑπὸ Περσῶν καθ᾽ ὃν καιρὸν Καμβύσης ἐκείνων τῶν τόπων. Perseam Ægyptiam à Persis ex Æthiopia translatam dicit. Hoc idem de Persica arbore quidam prodidere, quæ & ipsa proinde dicta Περσία veteribus Græcis, qui Περσικῆς μηλέας appellatione longe aliam arborem censebant, eam nempe, quæ & *Assyria* & *Medica* vocitata est. Nicandro Περσία, vel Πέρσεα, Persica est communis Græca, non *Persea Ægyptia.* Posteriora sæcula hæc nomina separarunt, & Perseam communem dixere proprie *Persi-* F *cam*: *Perseæ* vero appellatio in Ægyptio significando genere remansit propria. Inde nata confusio recentiorum scriptorum, qui hæc distinguere nesciverunt. Mediæ Græciæ ævum, ubi Περσικὴ malus vocari cœpta est, quæ antea Περσία vocabatur, hoc nomen Περσικῆς μηλέας Medicæ atque Assyriæ arbori ademerunt, eamque *Medicam* tantum & *citream* nuncupavere. Inde apud Medicos sequentis ævi, μηλέα Περσικὴ ἢ ῥοδακινὸν, μηλέα Περσικὴ ἢ κιτρίον, seorsim traditæ, quum tamen vetustioribus Græcis eadem foret Περσικὴ & Μηδική. Hæc pluribus supra expoluisse meminimus. Hesy- G chius: κιτρίον, τὸ Μηδικὸν μῆλον. Ita lege, non Ἰνδικόν. Plerisque igitur veterum placuit Assyriam sive Medicam arborem eamdem esse cum citrea. Latinum nomen est *citrum*, quod Græci mediæ ætatis dixere κιτρίον. Et frustra quærunt docti illi convivæ apud Athenæum, an scriptores antiqui τοῦ κιτρίου meminerint. Antiquiorem Juba non nominant, qui vocem Latinam usurpavit, & κίτριον dixit, quod erat Latinum *citrum.* Quod nomen si Romani auctores à Græcis sumpsissent, id lectum fuisset

fuisset in Græcorum antiquorum scriptis. Nam valde vetusti auctores Romani, ac sæculis aliquot Juba anteriores *citri* mentionem habent. Si quidem de hac citri arbore capiendus est Nævii versiculus:

---- Pulcram ex auro vestemque citrosam.

Qui ex Homerico expressus est.

Εἵματα δ' ἀμφιέσασα θυώδεα, σιγαλόεντα.

Ubi σιγαλόεντα pulcra & auro sparsa, θυώδεα *citrosa*: θυῶδες ἱμάτιον ab odore sic appellatum Homero. Ergo & *citrosa vestis* Nævio non à crispitudine citri, ex quo mensæ citreæ fiebant, sed ab odore citrei mali, quod in arculis vestimentorum condebatur, ut à tineis ea defenderet, & odore bono impleret. Theophrastus: κἂν εἰς ἱμάτια τεθῇ τὸ μῆλον ἄκοπα διατηρεῖ. Quæ sic vertit Oppius: *Est autem odoratissimum, unde interjectum vesti tineas necat.* Melius quam Gaza, *inoffensas servat.* Proprium est tinearum κόπτειν. Unde σητόκοπτα ἱμάτια, *vestes tineis pertusæ.* Unde ἄκοπα, quæ à tineis illæsæ sunt. Odorem etiam vestibus conciliabat una conditum. Athenæus de citreo malo: καὶ ὥς τι μέγα κειμήλιον ἀπετίθεντο ἐν τοῖς κιβωτοῖς μετὰ τῶν ἱματίων. Non tantum ut à tineis vestes tutas præstaret, sed etiam ut odore præstanti perfunderet. Plinius de Assyrio malo: *Pomum ipsum non manditur, odore præcellit, foliorum quoque qui transit in vestes una conditus, arcetque animalium noxia.* Inde igitur *citrosa vestis* Nævio, ἡ θυώδης, cui citrum flagrantiam odoris quæsivit. Ceterum Latini veteres duas diversissimi generis arbores uno eodemque citri nomine appellavere, τὴν θύαν scilicet, καὶ τὴν Μηδικὴν μηλέαν. Quod & Plinius indicat de citro mensarum sic loquens: *Alia est arbor eodem nomine malum ferens execratum aliquibus odore & amaritudine.* Assyriam malum intelligit. De citro, quæ nomen dedit citreis mensis, prius videndum. Hæc Græcis θύα vel θύον. In Theophrasto scribitur θύϊον & θυΐα. Sed in Plinii libris θύον & θύα scribitur, & θύϊνον inde factum κτητικόν. Præterea θύον Homeri eamdem vult esse arborem, quod per ὑψιλὸν scriptum est, non per diphthongum. Glossæ: *citreum*, θύϊνον. Et apud Athenæum: θύϊναι σανίδες, *citreæ tabulæ*, lib. v: αἱ δὲ τῆς παρασκευῆς θύραι τὸν ἀριθμὸν εἴκοσι οὖσαι θυΐναις κατακεκόλλητο σανίσι. Malè vertunt, *ex assamentis thyiæ.* Immo ex *tabulis citreis compactæ fuerant.* Diodorus Siculus lib. v. Bibliothecæ: τὰ δὲ θυρώματα τοῦ ναοῦ θαυμαστὰς ἔχει τὰς κατασκευὰς ἐξ ἀργύρου, καὶ χρυσοῦ, καὶ ἐλέφαντος, ἔτι δὲ θύους δεδημιουργημένας. Corrige: ἔτι δὲ θύου, ac verte: *Argentoque & auro, nec non ebore & citro concinnatæ.* Doctissimus interpres ridicule reddidit, *ebore & thure*: quasi θύος ibi esset thus, aut quasi thuris ligno fores compingerentur. Inepte. Varro:

En quibus Libyssa citrus fasciis cingit fores!

Sic lege. Apud Strabonem lignorum θυΐνων, hoc est, citreorum fit mentio lib. IV ad mensas faciendas, ubi de arboribus loquitur, quæ in Liguria reperiuntur: πολλὰ δὲ καὶ τῇ ποικιλίᾳ τῶν θυΐνων οὐκ ἐστὶ χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιΐας. Nescio cur ibi vertant doctissimi interpretes: *Sunt & aliæ arbores ob varietatem ad mensas conficiendas thya nihilo deteriores.* Cur inquam *thya* reddunt Latine quæ citrus est? Hoc idem profecto est, ac si σφένδαμνος verteretur Latine *sphendamnus*, qui acer est. Mentio extat apud Plutarchum τῶν θυΐνων τραπεζῶν, quas Latini *citreas* vocant. Dioscorides agallochum simile esse dicit θυΐνῳ ξύλῳ, hoc est, citreo ligno: ἐοικὸς θυΐνῳ ξύλῳ ἐστιγμένον. Paulus Æginecta scribit ἀγάλλοχον θύᾳ παραπλήσιον esse, id est, citro simile. Ligni citrei etiam mentio in Apocalypsi cap. XVIII: καὶ πᾶν ξύλον θύϊνον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον, id est, *& omne lignum citreum.* Sic potius vertendum quam *thyïnum.* Hieronymus tamen *ligna thyïna* vertit I Regum cap. X. XI: ubi in Hebræo est אלמוגים *Almughghim.* Quod etiam dicebant *Alghummim.* Cedrum quidam interpretantur, alii abietem. Nonnulli de rarioris ligni genere accipiunt, quod rubro colore tingit, ut est brasilium, sive versinum. *Corallia* quidam reddiderunt. Arabes *albakam* vocant brasilium. In antiqua Arabicorum nominum expositione apud Avisenam *albachal* exponitur brasilium. Bellunensis habet *albacham*, & *verzinum* esse dicit, quo tinctores utuntur ad colorem rubrum conficiendum. אלבקם. Sic idem esset genus ligni apud Hebræos *almughghim* &

A *albakam.* Quod de citro quidam interpretati sunt. Notum vero est Hebræos & Arabes indifferenter multa nomina exoticorum & aromaticorum lignorum pro uno usurpare. Mentio etiam θύου ex quodam auctore apud Suidam, quod de hoc citro accipiendum: ἐφορολόγουν οἱ Ῥόδιοι τοὺς βασιλεῖς. Μασσάνας μὲν γὰρ ἀπέστελλεν αὐτοῖς ἐλέφαντος τεσσαράκοντα τάλαντα, θύου δὲ πεντήκοντα πρὸς κατασκευὴν ἀγαλμάτων, ὧν ἦσαν ἐψηφισμένοι κατασκευάζειν. Ex thyo autem, sive citro statuas olim fieri solitas ostendit Pausanias, qui nominatim θύον recenset inter ea lignorum genera, ex quibus olim statuæ fierent. Nigricans esse agalochum cinereis B discurrentibus venis tradunt hodie Hispani in aromatum historiis. Apud Dioscoridem etiam interpretes, *thyiæ ligno simile* reddunt. Quod ego profecto mirandum duco, quum tam manifeste Plinius citrum esse Græcorum θύαν vel θύον tradiderit. Et omnino *citrum* Latinorum est, quæ θύα Græcorum. Frustra itaque doctissimi herbarii de thya disputant, & inquirunt ecquod arboris genus huic hodie respondeat, nonnullis *arborem vitæ* esse, aliis *Sabinam vulgarem* existimantibus, quibusdam *arborem brutam* Plinii, quæ βράθυς est, ut alibi diximus, eademque cum Sabina herba. Non *thya*, sed *citrus* Latine appellanda. C Videntur itaque plerique putasse citrum & thyan diversas esse arbores, quia diversis capitibus utramque seorsim exposuerit Plinius. Hoc illis scilicet imposuit, vulgaris nempe capitum sectio, qua totum opus Plinii divisum est, quæ in veteribus libris nulla est, nec habet auctorem Plinium, sicut multis locis ostendimus, & ex hoc uno clarissimè patebit. Castigata citrearum mensarum insania, in quibus describendis plusculum immoratus est, tandem ita subjicit de citri ipsa arbore, unde illæ mensæ fiebant: *Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta hac arbor est, quapropter insistendum ei quoque videtur. Nota* D *etiam Homero fuit: thyon Græcè vocatur, ab aliis thya.* Ita hæc legenda ac continuanda, quæ perperam in vulgatis diducta ac divulsa sectione capitis habentur, quod sic incipit. *Nota etiam Homero fuit,* θεῖον *Græcè vocatur.* Cui capiti titulum imposuerunt: *thya arbor quæ.* In indice manuscripto libri primi nihil tale, sed hæc tantum: *Atlantica arbor. De citri arbore. De citreis mensis. Quæ probentur aut vituperentur in his. Malum citreum.* Quibus verbis tituli vide omnia complexus est, quæ duobus illis capitibus vulgarium librorum XV & XVI tractantur, & sub nomine *citri*, etiam *thyon*, vel *thyam* comprehendit. Ætate patrum nostrorum legebatur E in Plinii libris: *Nota etiam Homero fuit, trogetis vocatur.* Quæ lectio propagata est ex scriptis exemplaribus, in quibus omnibus reperitur ita exaratum; *trogethe* pro *thyou Græcè.* Inde quidam *trogeten* hanc arborem vocatam asserunt, & τρωγήτην per antiphrasin, quia mandi non posset. Unde hodieque Mauri pomum ejus vocant *atrogi.* Hoc modo confundunt citriam malum, hoc est, τὴν Μηδικὴν, cum citro arbore, quæ est θύα. Sed hoc jam alii viderunt. Plinius passim θύον Homeri citrum esse arborem, è qua mensæ citreæ fierent, eamdémque cum Theophrasti θύᾳ testatur, atque ita ubique interpretatur, reprehenditque contra sentien- F tes: *Hanc itaque inter odores uri tradit in deliciis Circes, quam deam volebat intelligi magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cum præsertim eodem versu cedrum laricemque una tradat: in quo manifestum est de arboribus tantum loquutum.* In libris scriptum est *una tradatur.* Omnino legi debet: *Cum præsertim eodem versu cedrum laricemque una tradat uri.* Corrupta etiam illa sunt: *Uri tradit in deliciis Circes.* Nihil tamen mutant libri. Sensus postulat, *in ædibus Circes.* Et fortean scripserit: *in ædibus illius Circes.* Quam ἔμφασιν habeat *illius*, satis norunt Latinè eruditi. Emendabam aliquando: *Uri tradit in ædiciliis Circæ.* Cujus conjectu- G ræ neque nunc me pœnitet. *Ædicilium*, ut *domicilium.* Cum hoc dicatur, quidni & illud possit dici, non video. Composita vox ex domo & colo *domicolium*, pro quo *domicilium* sermo corruptus induxit. Ita & *ædicilium.* Facile fuit ex ignorato vocabulo *in ædiciliis* notius ac tritius fecisse in deliciis. Versus Homeri, quem designat Plinius, legitur Odyss. E.

Πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ

Κέδρου δ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

De Calypso hæc dicuntur, non de Circe, & memoria imposuit Plinio, sicut jam annotatum est. Potuit pari lapsu falli, ac perperam meminisse, veluti scriptum esset:

Κέδρου δὲ πεύκης τε, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Eo igitur argumento statuit θύον apud Homerum esse *citrum*, non odoramentum. Cum cedro & larice tradit poëta θύον uri. Ergo & θύον ibi genus ligni. Nullum hoc nomine Græce appellatur præter *citrum*. Itaque citrum est. Laricis in Homerico versu nulla mentio, sed cedri tantum. Certe θύον duas res Græcis significat, odoramentum, & genus arboris quod Latini *citrum* vocaverunt. Hesychius: θύον, εἶδος δένδρου. Theophrastus: οἱ μὲν θύαν, οἱ δὲ θύον καλοῦσιν. Athenæus in descriptione navigii Hieronis: τὰς δὲ θύρας ἐλέφαντος καὶ θύου: *fores ex ebore & citro*. Non *thyia*, ut vulgo vertunt. Significat & ἄρωμα, vel odoramentum. Hesychius: θύα τὰ ἀρώματα, Κύπριοι. Inde θυῶδες odoratum, & θύοεν, & θυώματα. Indé verbum θύειν, quod est odores incendere. Olim solis odoribus accensis dii propitiabantur. Quod θύειν proprie dicebatur. Postea ubi victimæ mactari cœperunt, id nomen abusive de victimis cæsis usurpatum est. Quærendum igitur, utrum melius sit θύον de arbore citro, an de aromate, vel odoramento in Homeri versu accepisse. Hoc sic considerandum. Cedrus in foco Calypsus uritur tanquam odoramentum, ac θυμίαμα. Bene quippe olet dum accenditur. Virgilius:

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum.

Et de Circe:

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

An θύον, vel citrus arbor vice θυμιάματος incendi solita fuerit, & ulla odoris gratia commendata sit, nescio. Nec sane auctores id prodidere. Non taciturus id videtur Theophrastus si scivisset. Nihil de odore dixit, quum cupresso similem memoraret, foliatura, ramis, caudice & fructu. Præterea passivam in Græcia tempore Homeri hanc arborem fuisse non fit verisimile. Apud Hammonis fanum, & in Cyrenensi agro tantum nasci tradit idem Theophrastus: τὸ δὲ θύον, οἱ δὲ θύαν καλοῦσι παρ' Ἄμμωνί τε γίνεται, καὶ ἐν τῇ Κυρηναίᾳ. Plinius, cui persuasum fuit passim eam in Græcia provenisse, præcipuam eam circa Hammonis fanum, & in Cyrenaïcæ interiore parte, quasi ex Theophrasto scriptum reliquit: *Præcipuam autem esse circa Hammonis delubrum: nasci & in interiore Cyrenaïcæ parte.* Nihil tale Theophrastus, sed simpliciter in illis locis nasci eam arborem dicit. Pari fide ex eodem Theophrasto refert Plinius, templorum veterum contignationes ex ea arbore factas. Non de aliis contignationibus hoc memoratum ait Theophrastus, quam quæ in urbe Cyrenarum fuere, ut diserte hæc ejus verba indicant: πολὺ καὶ ὅπου νῦν ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ ἔτι διαμνημονεύουσιν ὀροφάς τινας τῶν ἀρχαίων ἐκ θύας οὔσας. De incolis Cyrenarum hæc sunt accipienda: καὶ ἔτι διαμνημονεύουσιν. Qui enim alii hæc poterant memorare? Plurima, inquit, hæc arbor in illis locis, ubi nunc oppidum situm est. Cyrenarum oppidum intelligit. Hoc dicit, quia Theræi coloni alium locum incoluerant & condiderant, quum primum in Libyam venere, priusquam Cyrenas conderent. Καὶ ἔτι διαμνημονεύουσιν ὀροφάς τινας τῶν ἀρχαίων ἐκ θύας οὔσας. Cyrenæi scilicet memorant extare adhuc, & conservari contignationes è citro factas à primo urbis suæ conditu durantes, vel à prima urbe, quam in Libya condidere. Ita sane accipiendum. Conditæ autem Cyrenæ trecentis circiter annis, antequam hæc scriberet Theophrastus, ut ipse auctor est. Ergo per tot annos incorruptæ manserunt illæ citreæ contignationes à Cyrenarum conditu usque in ætatem Theophrasti. Plinius vero hæc sic accepit, quasi non de Cyrenarum oppidi contignationibus loqueretur auctor Græcus, sed de his quæ in aliquo Græciæ oppido extarent: *Theophrastus, inquit, qui primus ab Alexandri Magni ætate scribit, quæ circa Urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum, magnum jam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quamdamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ.* Adjicere debuit ubinam locorum extarent illæ contignationes veterum templorum è citro factæ. Atqui promptum est ex Theophrasto scire in Cyrenaïca civitate fuisse, circa quam & plurima citrus nascebatur. Hoc

A dissimulavit Plinius, quia vult nativam & indigenam Greciæ extitisse citrum arborem, ut paulo post ostendam. Meminit porro & alio loco Theophrastum circa annum Urbis quadringentesimum quadragesimum scripsisse: *Oleam Theophrastus è celeberrimis Græcorum auctoribus Urbis Romæ anno circiter* CCCCXL *negavit nisi intra* XXXX. *P. ab mari nasci.* Scribebat hæc Plinius anno Urbis DCCCXXX. Ergo ab illo Urbis anno, quo Theophrastus vivebat, ad hunc quo Plinius opus suum componebat, anni sunt CCCXC: sicut recte à nobis supra emendatum est lib. XIX. cap. II: ubi male hodie legitur de Theophrasto: *Neque omnino ullam mentionem habet sparti, cuncta cura magna persequutus* CCCCXC *ante nos.* Tradit idem cap. III ejusdem
B libri, Cyrenas conditas anno Urbis CXLIII. At juxta eumdem scribebat Theophrastus anno Urbis CCCCXL. Ergo à Cyrenis conditis ad tempus illud, quo hæc tradebat Theophrastus, anni sunt trecenti tribus minus. Ipse Theophrastus περὶ τριακόσια ἔτη numerat. Sed in Simonidæ Prætoris annum tot annos computat à Cyrenarum κτίσει. Simonidis autem magistratus incidit in annum Urbis CCCCXLIII. Sic rotunde fiunt anni trecenti. Scribebat igitur illa Theophrastus de Cyrenarum conditu sub Prætore Simonide, non sub Nicodoro, cujus prætura congruit in annum Urbis CCCCXL: quo anno histo-
C riam suam Theophrastum condidisse vult Plinius. *Citrus* igitur, hoc est, θύα, vel θύον peculiaris Cyrenaïcæ & Hammoniacæ Libyes arbor juxta Theophrastum, in Græcia nusquam visa nisi invecta ex Africa. Ideo Romani majorem hujus notitiam habuere, quam Græci, quia viciniores Africæ. Romanis non ex Cyrenaïca Provincia, sed ex Mauritania adferebantur mensæ citreæ, ubi & citrum nascebatur. Confines Atlanti Mauros arborem citri ferre ipse Plinius fatetur. Unde *Atlantica munera* vocantur citreæ mensæ Martiali. Et alibi *Mauræ silvæ filiam* ex eodem ligno mensam appellat. Sed nec vanè suspicatus sum incognitum illud genus arborum, & Atlantis mon-
D tis peculiare, cujus Plinius meminit lib. V ex relatione Suetonii Paulini, qui primus Romanorum Atlantem montem transgressus est, tradentis arbores esse in eo Atlante spectabilis proceritatis, enodi nitore, & frondes habere cupressi similes, citri arbores videri. Certe omnia conveniunt, præcipue foliatura cupressina: quam cum tribuat & cedro Vitruvius, prorsus videtur *cedrum* & *citrum* confundere. Sic enim de cedro tradit: *arboris autem ejus similes cupresseæ foliaturæ, materies vena directa.* Nemo est herbariorum, qui non fateatur cedrum & juniperum adeo indiscreta esse facie, ut pæne internosci non queant nisi fructus differentia. Cedrus igitur similem
E habet junipero foliaturam, non cupresso. At citrus cupresso gerit folia similia. Ait paulo post cedri arbores nasci maxime in Creta, Africa, & nonnullis Syriæ regionibus. Sanè & citrum in Africa nascitur, sed non in Creta, nec in Syria, ubi cedri proveniunt. Idem Vitruvius *citrum* vertit, ubi cedrus poni debuit. Aristoteles in Admirandis: πρὸς δὴ τοῦτον τὸν τόπον κρήνην ἐλαίου φασὶν εἶναι. Τὴν δὲ ὀσμὴν ἔχειν τοῦ κέδρου τοῖς ἀποπρίσμασιν ὁμοίαν. Vitruvius de hoc fonte: *item Carthagini fons est, in quo natat insuper oleum odore ut è scobe citreo.* Ita scribendum. Nam male est vulgo, *uti scobe citreo.* Sic *citrum* heic appellat,
F qui κέδρος Aristoteli. Nec enim putandum est scripsisse Aristotelem τοῦ κίτρου. Liber autem vetustissimus Vitruvii *citreo* planè profert. Nugatur etiam Athenæus, qui dubitat num κιτρίον, quod est malum Medicum, à cedro denominatum sit, quia Phanias Eresius tradiderit cedrum spinas habere circa folia. Sic legenda ejus verba: καί τοι καὶ Φαινίου τοῦ Ἐρεσίου ἔννοιαν ἡμῖν διδόντος μήποτε ἀπὸ τῆς κέδρου τὸ κιτρίον ὠνόμασται· καὶ γὰρ τὴν κέδρον φησὶν ἐν πέμπτῳ περὶ φυτῶν ἀκάνθας ἔχειν περὶ τὰ φύλλα. Nihil ineptius. Citrea malus habet spinas æquè ac cedrus, ergo τὸ κιτρίον à cedro nomen habuit. Malè & κεδρόμηλα quidam vocarunt, quæ κιτρόμηλα dicenda sunt. Dioscorides: τὰ δὲ Μηδικὰ λε-
G γόμενα ἢ Περσικὰ, ἢ κιτρόμηλα, Ῥωμαϊστὶ δὲ κίτρια. Editur vulgo κεδρόμηλα. Et alibi apud eumdem Dioscoridem, φύλλον ὅμοιον κεδρομήλοις, ubi scribendum re ipsa ac vetustissimo libro auctoribus κιτρομήλοις. Recentiores tamen κεδρόμηλα pronuntiarunt, ut ex Isidoro patet, qui notat Medicam arborem Græcis κεδρόμηλον, Latinè *citriam* vocari, quod pomum ejus ac folia cedri odorem referant. Haud vidi magis. Græci quoque recentiores in eodem errore. Neophytus monachus in Herbario Lexico: Μηδικὸν μῆλον

μῆλον ἢ κεδρόμηλον, τὸ κίτρον. Certè hodieque Itali *cedro* appellant citreum pomum, quod veteres *citrum* dixere. Sed longè ineptiſſimi, qui omnibus locis apud Plinium pro citro cedrum reponendam contendunt. In Dionis epitoma Neronis vita male κεδρίναι menſæ pro κιτρίναι leguntur, niſi error ſit abbreviatoris. Hinc apparet multos etiam veterum ex nominum ſimilitudine citrum & cedrum confudiſſe. Eudemus in Lexico Rhetorico: κιτρίον, κέδρος. Citrus arbor Africæ peculiaris, nec alibi naſcens. Petronius:

---- ecce Afris eruta terris
Citrea menſa.

Varroni *Libyſſa citrus.* Alii poetæ *Libycum* lignum de citro. Plinius ipſe: *Anchorarius mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatiſſimam dedit citrum jam exhauſtus.* In montibus θύαν naſci tradit Theophraſtus, quæ *citrus* eſt Plinii. Si hic in Græcia tunc locorum citrum natam ſciſſet, aut inde allatam ad menſas, non præteriturus id fuit. Hæc cum ita ſe habeant, nonne monſtri ſimile eſt, atque omnem admirationem excedit, quod idem Plinius θύον apud Homerum de citro illa Libyca potuit accipere, & arborem illam Græciæ peculiarem facere. Quid enim hæc aliud ſibi volunt quæ de unguentis ſcribit? *Quis primus invenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur. Cedri tantum & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem, jam roſæ ſucco reperto.* Homerum iſta ſpectant. *Suos frutices*, id eſt, Græciæ peculiares vocat *cedrum* & *citrum*, κέδρον ἢ θύον. Utriuſque ligni accenſi nidorem in ſacris tum Græcos tantum noviſſe ait, non alterius aromatis ac thymiamatis odorem. Ergo non ſolùm θύον in Homeri poeſi de citro Africano interpretatur, ſed etiam omnia quæ ab eo nomine deducta ſunt, θυόεν, θυώδες & τεθυωμένον, quaſi *citreum*, *citroſum*, & *citratum* reddi debeant. Quod abſurditatis ὑπερβολὴν nullam facit reliquam. Nec moror Græcorum interpretes, ſi qui in eadem ſententia fuere. Citrum Libycam Homeri temporibus cognitam Græcis fuiſſe veriſimile non eſt, quo tempore nondum erant notæ Mauritaniæ, nec fere pars ulla Africæ. Citrus nullibi præterquam in Africa naſcebatur, nec uſpiam in Græcia reperiebatur. Romanis etiam ſerò admodum citrus nota fuit, quos tamen ex vicinitate Africæ eam arborem, & prius & magis noſſe oportuit quàm Græcos. Menſæ citreæ ante Ciceronianam nullam extitiſſe memoriam Plinius confitetur. Quæ de thyo, hoc eſt, citro, memoravit Theophraſtus, habuiſſe ea videtur, & auditu accepiſſe ab his, qui cum Alexandro Cyrenaïcam & Hammoniacam Libyam luſtravere, vel ab his Græcis, ſi qui res Cyrenaïcas compoſuerant, vel qui commercia in illis locis exercebant. Citri in Mauritania naſcentis non meminit, quia neſcivit. Romanorum tempore non amplius id genus arboris reperiebatur in Cyrenaïca regione utpote jam exhauſta. Poſtremo θύον, vel citri arbor non fuit odorifera, nec quiſquam prodidit veterum ea incenſa odores factos. Θύον igitur apud Homerum non eſt citrus Libyca, ſed odoramentum. Inde θυῶδες odoratum. *Citroſum* vertit Nævius, quia citrum θύον, ſed de citrea malo & Aſſyrio accepit, quod præſtantiſſimi eſſe atque acerrimi odoris omnis antiquitas tradidit. Nugas igitur blatterant, qui Helenæ θάλαμον θυώδη ex citri lignis compactum, ac ſtructum exponunt. Quod caret ratione. Θυΐνον dixiſſet, non θυώδη. Theophraſtus tamen, quod miramur, θυώδη ξύλα dixit ligna citrea ἀντὶ τῶν θυΐνων lib. v. Hiſt. cap. v: τῶν δ' ἄλλων ἀσαπέστατον μετὰ τὰ κυπαρίττινα, καὶ τὰ θυώδη τὴν συκάμινον εἶναι φασί. Poſt cypreſſea & citrea ligna mori maximè æternam eſſe materiam. Hac ratione & θυώδης θάλαμος dici poſſet citreus. Aliud tamen θυῶδες lignum, aliud opus θυῶδες. Quod non puto dici. Nec enim πυξῶδες ἔργον Græci dicunt, quod ex buxo factum eſt, ſed πύξινον, id eſt, *buxeum*, non *buxoſum.* Nam *buxoſus* eſt πυξώδης. Igitur θάλαμος θυώδης eſt odoratus & bonis odoribus repletus: & ἑανὸν τεθυωμένον non *citratum*, quod eſſet abſurdum, ſed ungentis & odoribus perfuſum. Et ſanè nihil aliud hæc vox θύον apud Homerum poteſt ſignificare, quam odoramentum. Unde omnis poſterior Græcia θυῶδες & θυόεν pro odorato uſurpavit.

A Templa, aras, loca ſacra, θυώδη & θυόεντα, & θυόδοκα paſſim appellant ab odoribus & aromatibus, quæ in ſacris incendebantur, non à citri nidore & fumo, ut perperam ſibi perſuaſit Plinius. Ab illa voce θύον Romani veteres ſuum *thus* fecerunt, ut à πύον *pus.* Dionyſius Periegetes θύον de certo quodam odoramenti genere poſuit, quod in Arabia Felice naſceretur:

Αἰεὶ κηώεσσα θύοις ὕπο λαρὸν ὀδώδει
Ἢ θύον, ἢ σμύρνης εὐώδεος, ἢ καλάμοιο,
Ἢ καὶ θεσπεσίοιο πεπαινομένου λιβάνοιο,
Ἢ κασίης.

B Primo verſu θύα dixit generali appellatione de quibuſlibet odoribus. In ſequenti θύον de certa ac peculiari ſpecie aromatis κατ' ἐξοχὴν ſic appellati. Euſtathius θύον, ὅπερ φασὶν εἶδος δένδρου εὐώδους. De citro Africana non poteſt accipi, nec enim arbor eſt odorata, nec inter aromata numeratur. Præterea in Arabia naſci nemo eam dixit. Priſcianus Græcum retinuit:

Namque thyo myrrhaque viget.

Avienus de ladano accepit illud θύον. Sic enim reddidit illos verſus:

---- tellus hic ſemper flagrat odoro
Ceſpite: prorumpit lacrimoſo ſtipite myrrha,
C *Myrrha furor quondam Cinyreius: heic ladani vim*
Vellera defundunt: calami coma pullulat almi.
Gignit humus caſiam, concreſcunt thura per agros.

Nihil in his, quod τῷ θύῳ reſpondeat, præter *ladani vim*, & ſanè θύον ita vertit. Sed quare θύον ladanum? Legerat Avienus Arabes ladano præcipuè ad ſuffitus uti. Hinc τὸ θύον abſolute poſitum heîc pro ladano Arabico interpretatus videtur. Herodotus de ladano Arabiæ: χρήσιμον δ' ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί. Θυμιῶσι δὲ μάλιστα τοῦτο Ἀράβιοι. Græcis τὸ θύον propriè idem quod θυμίαμα. Quod igitur Arabes ladano ad odorem faciendum maximè uterentur, θύον κατ' ἐξοχὴν ita di-
D ctum accepit. Certè Uranius in Arabicis inter odores, quos apud Abaſenos Arabiæ gentem inveniri dixit, etiam θυμίαμα velut peculiare quoddam aromatis genus recenſuit. Verba ejus leguntur apud Stephanum in voce Ἀβασηνοὶ hoc modo: ἡ χώρη τῶν Ἀβασηνῶν σμύρνην φέρει, καὶ ὄσσον, καὶ θυμίαμα, καὶ κέρπαθον. Non dubium eſt quin apud Uranium, aut alium auctorem, qui Arabica ſcripſerat, τὸ θυμίαμα de certa odoramenti ſpecie legerit Dionyſius, quod ipſe θύον in carmine ſuo vocavit. Nam θύον eſt θυμίαμα. Placuit nobis aliquando in eo Uranii loco θυμίαμα de thure exponere.
E Nam θυμίαμα recentiores abſolutè de thure dixerunt, ut Latini *incenſum.* Et vox Latina *thus* ex Græco θύον, vel θύος. Sed Dionyſius diſertè λίβανον, hoc eſt, thus ἀπὸ τοῦ θύου ſeparat. Certè θυμίαμα apud Uranium, & θύον apud Dionyſium de genere odoramenti in Arabia naſcentis idem eſt. Ὄσσον & κέρπαθον in Uranii verbis incognita, & aliis innominata odorum genera. Fuit cùm legerem: σμύρνην φέρει καὶ κισσοῦ θυμίαμα. Ut ſuprà docuimus κισσὸς eſt κισθός. Quare κισσοῦ θυμίαμα pro ladano dixerit; nam ladanum ex ciſtho. Sed hæc incerta. Videndum etiam an Græci veteres ante thuris notitiam, & uſum *herbam Sabi-*
F *nam*, quam unam præ omnibus ad ſuffitus adolere ſoliti erant, θύον κατ' ἐξοχὴν vocaverint. Virgilius in Culice:

Herbaque thuris opes priſcis imitata Sabina.

Plinius de illa arbore, quam Sabinam herbam Latini dixere: *A multis in ſuffitus pro thure aſſumitur.* Et mirum, quum herba non ſit, ſed arbor pumila, vocatam eſſe herbam, hoc eſt, πόαν Latinis. Plinius idem lib. XVI. cap. XIX inter arbores perpetua coma virentes eam recenſet his verbis ex codice antiquo ſic legendis: *Harum generi non decidunt oleæ, lauro, myrto, cupreſſo, pinis, hederæ, rhododendro, &, quamvis herba dicatur,*
G *Sabinæ.* Hæc innuunt Sabinam herbam arborem eſſe, quamvis dicatur herba. Græcis βράθυ, vel βράθυς proprio ac ſuo nomine dicta eſt, uſumque illis præbuit thuris. Heſychius: βράθυ, πόα ἧς θεοῖς θυομένη. In ſacris ad ſuffitus accendebatur. Dioſcorides de brathy, ſive herba Sabina: χρῶνται δὲ τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος. Arabes eam in Elymæos petebant Plinio teſte ad fumum odoratum ex ea accenſa faciendum. *Brathyn arborem,*

A *borem* pro *bruta* scribendum esse apud eum suprà ostendimus. Nam ita etiam ibi legebat codex Palatinus. Si ulla arbor apud antiquos Græcos θύε nomen, hoc est, θυμιάματος proprium sibi habere meruit, hæc præcipuè sic vocari debuit. Odorem ejus incensæ proximum esse cedro tradit Plinius. Eam Homerus cum cedro una uri tradit in specu & foco Calypsus:

Κέδρου δ' εὐκεάτοιο, θύου δ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Profectò si θύον de certo aliquo genere arboris odoratæ apud Homerum debet accipi, de alia non merito queat nisi de hac. Sed quæcunque tandem vel arbor, vel herba fuerit hoc nomine appellata, ab usu præcipuo suffi- B tus, & odoramenti id invenisse oportet, ac proinde communem omnium suffituum appellationem sibi propriam velut vindicasse. Et Dioscorides cum cupresso, junipero & cedro eam describit, similemque foliis cupressi facit: Plinius cupresso fusæ similem. Unde & *Creticam cupressum* quidam appellarunt. In Arabia quoque nasci ait Diodorus, cum Plinius dicat Arabas eam petere in Elymæos: ἐν δὲ τοῖς ὄρεσιν οὐ μόνον ἐλάτη καὶ πεύκη δαψιλὴς, ἀλλὰ καὶ κέδρος, καὶ ἄρκευθος ἄπλεθος, καὶ τὸ καλούμενον βόραθον. Sic legendum ex libris. Herbam Sabinam, hoc est, βραθὺ vocatam etiam βόραθον tradit Dioscorides. Cum cedro & junipero eam recenset, & cum aliis Arabiæ ar- C boribus odoratis. Forte & Græci scriptores, qui θύον in Arabia nasci produnt, dum speciale aromatis genus intelligunt, de hac ipsa arbore sunt explicandi, quam Græciæ vetustissimi auctores θύον appellarunt ἀπὸ τοῦ θύειν. Homerus quoque eam cum cedro jungit. Glossæ Nicomedis Iatrosophistæ βόραθον à brathy distinguunt, in quibus ita legitur: Βραθὺ κυπάρισσος Κρητικός. Βόρατος κέδρος μεγάλη, ἢ ἀγριοκυπάρισσος. Neophyto βραθὺ μυρσίχια. Apulejo *brathy* & *baryton*. Græci Theræi, qui coloniam in Africam deduxerunt, & Cyrenas condiderunt, genus arboris ibi repertæ, quæ & cupresso ferè similis in omni- D bus esset, videntur noto sibi nomine θύον nuncupasse, quod haberet folia similia θύῳ, hoc est, brathy, vel herbæ Sabinæ. Longa tamen differentia fuit inter herbam Sabinam, & θύον Cyrenaïcum, vel Libycum, hoc est, citrum. Procera & grandis hæc arbor, è cujus radicibus mensæ solidæ fierent, & contignationes ex reliqua materia. Βραθὺς, pumila arbos, & κολοβὸν τὸ δένδρον, adeò ut herbam etiam quidam indigetaverint. Certè θύον apud Homerum non est citrus, sed vel odoramentum quodlibet, vel si certum genus arboris ibi significat uri solitum ad suffitus, non aliud potest intelligi præter illud quod diximus. Hoc tamen ut verum non assero, sed per- E quam verisimile esse contendo. Certum est non ex alio magis frutice, quàm ex hoc vetustissimos Græcos in sacris convolutum nidorem odoremve novisse, & propterea θύον appellasse κατ' ἐξοχήν. Plinius de Græcis antiquis antequam thuris usum accepissent: *Cedri tantum & citri suorum fruticum in sacris convolutum nidorem noverant.* Θύον vertit *citrum.* Melius potuisset *brathyn* arborem, aut *herbam Sabinam*, quæ & frutex est & Græciæ familiaris, & in sacris adoleri consuetus. At *citrus* arbor magna Africæ propria, & inodora, quam Græci coloni θύον dixerunt, à similitudine foliorum herbæ Sabinæ, quam ipsi θύον à suffimentorum usu in patria ap- F pellabant. Nam θύον κατ' ἐξοχήν, id est, θυμίαμα eam vocarunt Græci. Sic Hammoniacum, quod eo Libyes ad suffitus uterentur, dictum est Λιβυκὸν θυμίαμα, & simpliciter θυμίαμα. Nicomedes in glossario jatrico: θυμίαμα λιβυκὸν, γομφίτης. Hammoniacum intelligit. Vox ea γομφίτης multis locis legitur apud Myrepsum, docto interpreti nusquam intellecta. In aliis glossis: λιβυκὸν θυμίαμα, ἀμμωνιακόν. Recentiores Græci γομφίτην dixere, quod antiqui φύραμα de hoc ipso hammoniaco. Sed de his alibi. Jam superest ut examinemus aliam arborem diversi generis, quam huic citro Libycæ cognominem fecere Latini veteres, & quare fecerint ex- G quiramus. *Citrum* de Assyrio pomo nomen, ut dixi, Latinum. Unde mediæ ætatis auctores Græci κιτρίον fecerunt, & κιτριόμηλον. Notum est quam rudes fuerint prisci Romani in plerisque nominibus è Græco deducendis, vel uno exemplo id patebit. Ὑάδες sunt parvæ ὕες, ut & συάδες parvæ σύες. Hesychius: συάδες αἱ ὕες ἐσχηματισμένως. Τὸ σχῆμα, quod intelligit, Doricum est & poeticum, ut κρηνάδες pro κρῆναι, & similia. Sidus in fronte Tauri, cujus occasu pluviæ significantur, ὑάδας idem dixerunt ἀπὸ τοῦ ὕειν. Latini *suculas* easdem nominavere, quasi parvas sues. Nam sucula, ut porcula. Hoc in aliis multis observavimus. Θύον omne odoramentum Græcis dicitur. Θύον etiam arboris Libycæ genus, quod ipsi *citrum* vocarunt, fortasse sic appellatum à populis, ubi gignitur. Inde & *Medicam malum*, quæ odorata est arbor, *citrum* appellarunt, quia θύον, quæ *citrum* significat, etiam odorem quemlibet & aromaticum denotat. Certè Nævius *citrosam vestem* à citrei mali odore appellavit, quod Homero θυώδεα εἵματα, quasi θύον, non tantum citrum Africanam significaret, sed etiam Assyriam malum, cujus poma vestibus interjiciebantur ad odorem illis conciliandum. Aliud etiam est, quare videri possint nominibus confudisse tam alienigeni εἴδους arbores. Citrus arbor mensarum apud Mauros Atlanti confines nascebatur haud longè ab Hesperidibus. Arbor citrea mala ferens, quam eamdem cum Assyria plerique veterum volunt, in iisdem regionibus crescebat plurima, & inde primum ex ea fructus allatos viderunt Romani. Ἑσπερικὸν μῆλον, & Ἑσπερίδων, sed & Ἑσπερίδα absolutè vocarunt Græci. Quod igitur ab iisdem locis alterius arboris fructus, alterius lignum ad mensas Romanis veniret, rudi illo sæculo videntur existimasse arboris illius, ex cujus materie mensæ & alia opera fierent, fructum esse, poma illa quæ indidem afferebantur, & *citrea* appellasse, ac *citra* quasi citri mala. Nam *citrus* arbor, *citrum* fructus. Postea comperto diversas esse arbores, idem tamen nomen utrique adhæsit. Citrus, quæ citrea mala fert, Ἑσπερίδων μηλέα, & Ἑσπερική, & Ἑσπερὶς dicebatur. Athenæus: Αἰμιλιανὸς δὲ ἔλεγεν Ἰόβαν τὸν Μαυρουσίων βασιλέα ἄνδρα πολυμαθέστατον ἐν τοῖς περὶ Λιβύης συγγράμμασι μνημονεύοντα τοῦ κίτρου, καλεῖσθαι φησὶν αὐτὸ παρὰ τοῖς Λίβυσι μῆλον Ἑσπερικὸν, ἀφ' ὧν καὶ Ἡρακλέα κομίσαι εἰς τὴν Ἑλλάδα τὰ χρυσέα διὰ τὴν ἰδέαν λεγόμενα μῆλα. *Citrum* Juba malum Hespericum apud Libyas vocatum dicit, quod apud Hesperidas nasceretur, & inde in Græciam ab Hercule invecta aurea mala ab Hesperidibus, de quibus fabulæ. Pausanias in Eliacis: ἔχει δὲ Ἡρακλέα καὶ δένδρον τὸ παρ' Ἑσπερίσι τὴν μηλέαν καὶ περιειλιμμένον τῇ μηλέᾳ τὸν δράκοντα. *Malum Hespericam* designat. Servius: *Propter ruborem autem lanæ, quæ similis est auro, existimasse eos, qui audierant mala aurea in Africa nasci.* A colore dicta *aurea*, quia τὴν ἰδέαν χρυσᾶ essent. A loco Africæ, ubi nascebantur, Ἑσπερικὰ, vel etiam Ἑσπερίδες, sic enim passim vocantur veteribus, non tantùm Ἑσπερίδων μῆλα. Hoc nos nunc primi docebimus. Theophrastus lib. VI. de causis, cap. XXV. Πλὴν εἰ τινῶν ὀσμαὶ καὶ πεπάνσεις τοῦ ἀέρος σύμμετροι πρὸς τὰς ὥρας, ὥσπερ καὶ ἐστὶν ἐπὶ τῆς Ἑσπερίδος καλουμένης· αὕτη γὰρ τῆς νυκτὸς ὄζει μᾶλλον, ἢ καθ' ἡμέραν. Vertunt docti interpretes: *Sicut in herba, cui nomen Hesperidi, patet.* Quærant Herbarii quænam illa herba sit, quam veteres Græci nominarunt *Hesperida.* Sed ignoscas interpretibus, qui Plinium sequuti sunt. Nam & ipse eo Theophrasti loco Ἑσπερίδα pro herba videtur sumpsisse, eamque inter odoriferas herbas recenset lib. XX. cap. VII. *Hesperis* inquit, *noctu magis olet, inde nomine invento.* Ridiculè istud. Nec enim Ἑσπερίδα dictam meminit Theophrastus, quod noctu magis oleret: nec ἑσπέρα nox est, sed ingressus noctis. Νυκτερὶς potius, vel νυκταλὶς dicenda fuisset. Ἑσπερὶς apud Theophrastum non herba est, sed malum citreum, sive Hespericum quod odore commendatum veteribus fuisse nemo ignorat. Et mirum nescire potuisse Plinium, Ἑσπερίδα Græcis vocatam, quod alii μῆλον Ἑσπερικὸν, vel μῆλον Ἑσπερίδων appellarunt. Atqui ne id quidem recentioribus ignoratum fuit. Glossæ veteres capite de arboribus: *Malum Persicum*, Περσικὸν, *Citreum*, Ἑσπερὶς: *Cotoneum*, κυδώνιον. Glossæ nostræ nondum editæ capite de arboribus, μηλέα, *melum*: ἑσπερὶς, *citrum*: ἀναδενδρὰς, *arbustum.* Aliæ glossæ: Ἑσπερὶς, *citrium.* Athenæus lib. III. Ἀριστοκράτης γοῦν ἐν τετάρτῳ Λακωνικῶν· Ἔτι δὲ μῆλα καὶ τὰς λεγομένας Ἑσπερίδας. Intelligit aurea mala, quæ & Hesperidum dicta sunt. Apud Lacedæmones ea diis apponi solita scribit ibidem Timachidas, & Ἑσπερίδων μῆλα vocat. Περὶ Ἑσπερίδων δὲ μήλων, οὕτως καλεῖσθαί τινά φησι Τιμαχίδας ἐν τῷ τετάρτῳ, εἰπὼν καὶ ἐν Λακεδαίμονι παρατίθεσθαι τοῖς θεοῖς. Φησὶ Πάμφιλος ταῦτα, εὔοσμα δὲ εἶναι καὶ ἄβρωτα, καλεῖσθαι δὲ Ἑσπερίδων μῆλα. Sic ille locus constituendus, ac interpungendus. Tradit ibi de

A de Hesperidibus sic vocatis malis: περὶ Ἑσπερίδων ἢ μήλων. Ex Pamphylo notat dicta etiam *Hesperidum mala.* Subjicit deinde verba ex Aristocratis Laconicis, quæ superius adduximus, ubi Ἑσπερίδας vocat id genus pomi, quod Diis anteponebant Lacones. Hesychius: Ἑσπερίδων μῆλον ἐν Λακεδαιμονίᾳ βρωτά τινα μῆλα. Lege: Ἑσπερίδων μῆλα ἐν Λακεδαίμονι ἄβρωτά τινα μῆλα. Ex his constat Ἑσπερίδα, & Ἑσπερίδων μῆλον, vel Ἑσπερικὸν, idem esse. Item Ἑσπερίδα καλουμένην apud Theophrastum, quæ noctu melius olet quàm interdiu, non herbam esse, sed aureum malum ab Hesperidibus. Cùm hæc vera sint, miror Athenæum seorsim B de illis Hesperidibus, vel Hesperidum malis, ac de citreis tradidisse, veluti diversa forent. Atqui de citreo malo paulo post tractans, Ἑσπερικὸν malum esse, & χρυσοῦν μῆλον, & ab Hesperidibus per Herculem in Græciam importatum dicit. Theophrastus quoque τὴν Ἑσπερίδα καλουμένην, cujus semel & in transitu meminit, diversam facere videtur à malo Medico, sive Persico, cujus historiam alio loco plenius exequutus est. Quo loco Περσικὸν & Μηδικὸν vocatum memorat, nec Ἑσπερίδος nominis ullam ibi mentionem habet. Mos hic tamen Theophrasti est easdem plantas aliubi aliis nominibus appellare. Διὸς βαλάνε sæpe meminit, C hoc est, castaneæ: alibi eam Εὐβοϊκὸν κάρυον vocat. Ὀξυάκανθον quodam loco nominat, quam alio πυράκανθον nuncupavit. Ita Persicum, sive Medicum malum cùm in historia fusè descripsisset, in libris de causis in transcursu mentione ejus inlata Ἑσπερίδα maluit appellare. Ergo Ἑσπερὶς, sive Ἑσπερίδων μῆλον, & Μηδικὸν idem, quod Latinis *citrum*. Utcunque eadem arbor fuerit Medica malus & Hesperica, certè toto orbe divisis regionibus natales habuere, hæc in extremis occidentis partibus, illa in oriente primo. Hujus mali multa hodie genera sunt, sed duo præcipuè diversa in plures species sese spargentia, *citrones* & *aurantia*, vel *aurantia mala.* Non dubium est, quin *citrones* ex *citro* fa- D cti sint. Ut enim *cardonem* dicimus, qui veteribus *cardus*, vel *carduus*: & *mallonem*, qui *mallus*, ita *citronem* vocamus, quod erat *citrum* veteribus. Idem vocabulum Hispani, Itali, Germani, hodieque retinent, ut prorsus necesse sit eamdem arborem esse, quæ hoc nomen nunc habet, & quæ olim habuit. Hoc si in citro verum est, quidni sit & in *aurantiis*? Veteres Hesperidum mala, vel Hesperidas vocarunt *aurea mala*, χρυσᾶ μῆλα, quod aureo colore essent: τὴν ἰδέαν χρυσᾶ vocat Juba. Ergo sic potius, aurata quàm aurea. Hinc infima Latinitas *aurantia* dixit pro auratis. *Aurans* pro E aurato. Sic in lege Salica *loca cognominantia*, pro cognominata, & in veteribus formulis, *jactante denario*, pro jactato, apud Marculfum, *faciente contorno*, pro facto. Et inde hodieque *argentum computans*, pro computato, quæ pecunia est numerata veteribus. Tales multas loquutiones alibi observavimus etiam sæculo vetustiore usurpatas. Ita igitur *aurans malum* pro aurato, & *aurantia* pro auratis. Inde *aurantium* & *arantium* idem malum, qui fœdius loquuti sunt, recentissimi auctores appellarunt. Ridiculi sunt qui ab *arantia* urbe id nomen deducunt, quæ urbs est Peloponnesi, in quam primum volunt mala aurea ab Hercule inlata quum ab F Hesperidibus rediret. Ἀραντία urbs antiqua Peloponnesi, quæ postea Φλιοῦς dicta est. At nomen *aurantium* malorum, vel *arantiorum*, sub extremis Latinitatis demum temporibus auditum est, quibus nulla jam Ἀραντία fuit, nec Φλιοῦς. Præterea si ab illo oppido id nomen invenissent, Græcis usitatius quàm Latinis fuisset, immo Latini à Græcis hoc sumpsissent. Digni non sunt, qui pluribus refellantur, tam absurdæ sententiæ auctores. *Arantia* pro *aurantiis* corruptè dixere, ut *Agustam* pro *Augusta.* Quomodo in multis libris ante sexcentos annos scriptis passim reperire est. Unde oppidum *Famagosta* G Hispaniæ, quæ olim *Fama Augusta.* Sic *arantia* poma pro *aurantiis*, & *inarantia* pro inaurantibus, vel inauratis. Unde Italicum *nerancio*, & Hispanicum *naranias* pro *inarantias*, vel *inaurantias*. Græci recentiores inde suum νεράντζιον fecerunt. Scholiastes Nicandri Μηδικὸν μῆλον interpretatur νεράντζιον. Et apud Nicolaum Myrepsum νεραντζία est arbor, quæ mala fert aurea. Igitur *aurantia mala* recentiorum sunt *mala aurea* veterum, & Hesperidum mala. *Aurantia* nostra verè sunt aurei coloris, at *citrea* vel *citrones* flavi dilutioris. Quare si sequimur differentiam, quæ vulgari & hodierna horum vocabulorum notione signatur, *aurantia* nostra fuerit veterum Ἑσπερὶς, *citrum* verò vel *citro* noster Medicum malum antiquorum. Certè τὴν Ἑσπερίδα λεγομένην, quod est malum aureum Hesperidum à Medico malo distinguit Theophrastus. Sed & Hesperidum mala prius novisse Græci videntur quàm Medica vel citrea. Inter symbola & initia Dionysii mysteriorum Orpheus recenset poma Hesperidum aurea, cujus hi versus citantur apud Clementem:

> Κῶνος καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
> Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Jam tum igitur Hesperidum mala Græcis nota fuisse oportet. Τῶν Ὀρφικῶν auctorem quidam fuisse volunt Onomacritum, quem circa quinquagesimam olympiadem vixisse tradit idem Clemens. Ἑσπερίδας, hoc est, Hesperidum mala apud Laconas diis apponi olim solita Timachidas, & Aristocrates in Laconicis scripserunt. Et Ἑσπερίδες quidem ab Africa, ubi Hesperidum horti. At Medicum malum è Perside, vel Media in Græciam sero admodum allatum est, nec nisi mediæ comœdiæ poetarum ævo. Antiphanes in fabulà Bœotia primus meminerat mali Medici, idque tum recens è Perside invehi cœptum Athenas memorabit. Hæc ejus verba sunt de malo Medico:

> ---- A. ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε
> Παρθένε τὰ μῆλα. B. καλά γε. A. καλὰ δῆθ' ὦ θεοί.
> Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
> Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.
> B. Παρ' Ἑσπερίδων ᾤμην γε νὴ τὴν φωσφόρον.
> A. Φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία
> Μόν'. B. ἐστὶν ὀλίγον τὸ καλὸν, ἐστὶ πανταχοῦ
> Καὶ τίμιον.

Fabulas in scena dictavit Antiphanes post olympiadem nonagesimam octavam. Ex his tamen constat Medica mala malis Hesperidum fuisse similia. Immo nihil prohibet eadem fuisse, quæ patria tantùm ac natali solo differrent. Præterea verisimile est citreum malum, quod primum videre Romani, ab Africa potius ipsis venisse quam à Media vel Perside. Hæc est Ἑσπερὶς vel Ἑσπερίδων μῆλον. Sic *Punicum malum* appellavere τὴν ῥοιὰν, quod ab Africa & Pœnis hoc genus primum acceperint, non à Græcis. Huic malo Hesperico vel Hesperidum *citri* nomen imposuere Romani, non Græci. Cujus rei fidem præstat, quod vetusti Græciæ auctores, qui Medici mali meminere, nullam citri mentionem faciunt. Ergo genus hoc mali, ut ab Africa accepere Romani, ita & nomen simul inde oportet sumpsisse, vel ipsis fecisse. Qua de re supra. *Hespericum* itaque *malum* & *citrum* idem. Nam ita vocavere Romani. At rursus *citrum* & *malum Medicum* prorsus idem. Idque ex descriptione utriusque omnino patet. Quas in Medico spinas acutas Græci produnt, & folia nuci vel Andrachnæ, vel lauro similia, eadem omnia in citro reperiri certum est, ut alia omittam quæ utrique conveniunt. Denique in hac sententia fere omnes antiqui, τὸ κίτρον, & malum Medicum esse idem. Galenus, Aetius & alii: μηλέα Μηδικὴ ἢ τὸ κίτριον. Vetus epigramma nondum editum, cui titulus *de citrio*:

> *Septa micant spinis felicis munera mali,*
> *Quæ tulit ut circi aureus ora tumor.*
> *Hippomenes vicit tali certamina malo:*
> *Talia poma nemus protulit Hesperidum.*

De citrone loqui, non de aurantio, figura, quam illi tribuit, ostendit. Ut circi ora, vel ambitus est, ita tumor aureus in citro. Circi ambitum ovata, non orbiculata facie fuisse, qualis & citrei forma est, norunt eruditi. Martialis de citreis:

> *Aut hæc Massyli poma draconis erant.*

Citreis auri colorem passim vetustas omnis attribuit, Epigramma vetus ἀνέκδοτον.

> *Stat similis auro citri mirabilis arbor,*
> *Omnibus autumni anteferenda bonis.*
> *Hæc ornant mensas, hæc præstant poma medelam,*
> *Quum quatit incurvos tussis anhela senes.*

Hoc est, quod de Medicæ arboris pomis cecinit poëta:

---- Et

.... & senibus medicantur anhelis.

Ita ergo & χρυσᾶ μῆλα, & Ἑσπερίδες, & citrea & Medica mala idem genus pomi fuerunt. Quid igitur faciemus aurantiis nostris? numquid dicemus incognita veteribus fuisse? Hoc jam affirmarunt doctissimi hujus ætatis Medici, quibus placet aurantia mala per insitionem producta esse, non ita venisse suapte natura. Sic factitiam arte, non nativam volunt hanc speciem: à quibus ego magnopere dissentio. Dicerent saltem cujus, aut in quam arborem insitione de citreis aurantia putarint processisse. Quod enim semel olim factum est, etiam nunc fieri posse concedent. Experimentum itaque etiam hodie capere liceret, ac de citrone aurantium facere. Sed nec puto id unquam factum, nec posse fieri. Si citrum inseras in aurantium, non poma aurantia, sed citrea inde nascentur. Major tantum arbos evadet, quia malus aurea grandior est, quàm citrifera. Si in citream malum aliud genus inseras, ejus generis quod insitum habueris, poma nascentur, non citrea. Nimis magnum est discrimen aurantii & citrei mali, quam ut illud ex isto insitione manasse credi queat. Arbores utriusque magnitudine valdè inter se differunt: nam citri parva est, aurantii magna & cuilibet alii malo non cedens. Figura & color pomi diversa in utroque. In citro longa facies & ovata, color ex flavo pallidus: in aurantio cum auri obryzi colore forma orbicularis. Spinæ multæ & acutæ & robustæ in citrea malo, quæ breves admodum in aurantia, & paucæ tenuesque. Folia ipsa dissimilia: serrata per ambitum in citro, nec sunt in aurantia. Sapor ipse ac gustus succi non idem in citro ac aurantia. Alia pleraque omitto. Cum in aliis malorum generibus natura plures species sub uno genere incluserit suopte ingenio ita natas, non insitione productas, quæque minori inter se differentia censeantur, quam citreum malum & aurantium, cur non & has species putabimus esse diversas eodem genere comprehensas, nec ulli arti insitivæ obnoxias? Certè & altera hæc species, quam *aurantiam* vocamus, in alias porro quamplures species dividitur, quæ succo acido præditæ sint, quæ dulci, quæ formæ majusculæ pomum habeant, quæ coloris dilutioris, aut χρυσοτέρᾳ. In ipsa citreorum specie multæ aliæ species deprehenduntur, ut quas *limas* appellant, & *limones*, & *poncira*, quasi poma cerea. In Ponticis nucibus quis rotundas & calvas ex longis avellanis insitione factas dixerit? Species sunt diversæ generis unius. Idem est profectò, si quis affirmet aurantias ex citronibus per inserendi methodum processisse. Sed antiquitas id genus mali per species non distinxit, atque unius tantùm generis meminit citreorum. Non inde necessario consequitur unicam tantùm citreæ mali speciem in rerum natura tum fuisse. Parvam admodum, ac seram citreorum habuere notitiam Europæi. In Africa nascebantur: aut in Perside, vel Media. Utrobique genera illa omnia gigni solita verisimile est quæ nunc videmus. E Perside poma citrea in Græciam adferebantur, ex Africa in Italiam. Nec ut esui essent, aut mensarum usui, sed ut odoris gratia inter pretiosa κειμήλια reconderentur, aut vestibus interjicerentur. Plinii ætate nondum mandebantur, nec gignebantur in Italia, traditque nisi apud Medos & in Perside tum nasci noluisse. Plutarchus refert avorum duntaxat memoria manducari cœpisse. Non mirum igitur si peregrinæ arboris, parumque sibi cognitæ species, ac differentias non tradidere veteres illi, quorum scripta de arboribus ad nos pervenerunt. Quod enim in ficubus, malis, pyris, pomis, nucibus, castaneis, aliisque apud se nascentibus diligentissimè fecerunt, quis hoc idem ab illis exigeret in ea arbore, quæ in Perside tantùm & ultima Africa nasceretur? Oppius apud Macrobium: *Citrea item malus & Persica: altera generatur in Italia, in Media altera.* Persicam ait, hoc est, τὴν Περσικὴν μηλέαν in Italia nasci: in Media citream. Ergo in Italia citrea malus per illud tempus non generabatur. Virgilius Mediæ tantum peculiarem facit. Cum Medica & citrea eadem sit cum malo Hesperidum, mirum est veteres Romanos in Media citream nasci tantùm meminisse, quam in Africa etiam provenisse certum est. Atqui Africa propior Italiæ quàm Media. Et

A propterea eam arborem etiam in Africa generari ut ex vicino non minus scire poterant. Juba μῆλον Ἑσπερικὸν παρὰ τοῖς Λίβυσιν appellari id genus pomi tradidit. Ergo in Africa etiam apud Hesperidas gignebatur. Quid igitur Oppius & Virgilius in Media tantùm nasci voluerunt? Quid eos sequutus Plinius his verbis? *Sed nisi apud Medos, & in Perside nasci noluit.* Ergo nec in Africa nascebatur. Ex his posset aliquis argutari præter illa, quæ jam adduximus, aliam esse Ἑσπερίδα, & citream, vel Assyriam malum. Ἑσπερὶς & ἑσπερικὸν μῆλον, idem & χρυσοῦν, aurantia utique nostra. Citrea malus & Assyria eadem. Palladius, cujus tempore ci-

B trea jam in Italia nascebatur, Martialem citat, qui scribit hanc arborem apud Assyrios pomis nunquam carere. Omni tempore anni in Assyria fructum ferre significat, ut Theophrastus & alii asserunt. Ergo Assyria natale solum huic pomo, & inde in Italiam traductum est, ubi mutato solo non omni tempore ferebat. Plinius, qui Assyriam malum nisi in Assyria ac Perside nasci negavit lib. XII. cap. III, tamen lib. XIII. cap. XVI de citrea ita scribit: *Alia est arbor eodem nomine malum ferens execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis expetitum, domos etiam decorans, nec dicenda verbosius.* Sic loquitur veluti de arbore, quæ passim

C in Italia tum haberetur domibus adsita ad umbram & ornamentum. Nec enim hæc verba possunt de pomo accipi, *domos etiam decorans.* Pomum in arcis condebatur, & vestibus interjiciebatur, ut odorem inde caperent: ornamentum domibus præstitisse quis imaginari possit? Eo sensu igitur domos decorare heîc citri arborem dixit, quo alibi loton, sive fabam Græcam domibus expeti propter ramorum petulantiam: *Præcipuè domibus expetitur ramorum petulantia, brevi codice, lætissima exspatiantium umbra, & in vicinas domos sæpe transilientium.* Idem de zizyphis & tuberibus alibi tradit: *Sed aggeribus præcipuè decora, quoniam in tecta jam silvæ*

D *scandunt.* Ita domos decorabat citri arbor. Non ambiguum duxerim quin hoc loco Plinius τὴν ἑσπερίδα intellexerit, ac *citrum* vocaverit, quæ & magna arbos, & in Italia jam tum Plinii ætate plantari consueverat intra domos umbræ & ornamenti gratia. *Citrum* itaque Plinius diversam prorsus statuit ab Assyria malo. *Domos*, inquit, *decorans, nec dicenda verbosius.* Quia nota erat omnibus, & passim in domibus visebatur, ideo *non dicendam verbosius* ait. Atqui satis verbosè de Assyria malo jam dixerat in superioribus lib. XII. cap. III. Quod si eamdem arborem putasset citrum & Assyriam, cer-

E tè heîc meminisset se antea jam de illa pertractasse. Apulejus Plinium sequutus est, & citrum ab Assyria, vel Medica malo diversam statuebat in iis libris, quos de arboribus composuerat. Servius ad II Georg. de Mediæ arbore: *Hanc plerique citrum volunt, quod negat Apulejus in libris, quos de arboribus scripsit, & docet longe aliud genus arboris esse.* Apuleji libri de herbis & arboribus toti Plinianis verbis contexti fuere, ut ex fragmento non parvo colligi potest, quod apud me est. Epitome Pliniani operis opus illud fuit, quam à libro XIX exorsus erat, quo Plinius de herbis & hortensibus tractare incipit. Merito ergo ille Assyriam & Medicam

F malum aliud genus arboris à citro censuit, quæ Plinii sententia est, quem libris illis abbreviavit, & in compendium redegit. *Citrum* Plinio est Ἑσπερὶς, vel Ἑσπερικὸν μῆλον, idemque aureum, sive aurantium nostrum, quod Italiæ cognitum eo tempore fuit, domibus decorandis, pomumque ipsum odore expetitum quibusdam, aliis execratum. Certè & in Græcia pridem τὴν Ἑσπερίδα vulgarem fuisse supra ostendimus, & multo quidem ante visitatum quam mala Medica, non tamen esitatum. Nam & Ἑσπερίδας Græci ἄβρωτα μῆλα καὶ εὔοσμα interpretantur. Postea quam vero Medica mala in Græciam importata è Perside fuere, & è Græcia

G in Italiam invecta, ob similitudinem quam habere visa sunt cum aureis malis & Hespericis, citrea etiam mala vocitare ea cœperunt. Inde postmodum discordiæ auctorum natæ, aliis asserentibus citrea eadem cum Medicis malis, aliis diversa facientibus. Usu demum invalescente factum est, ut citreorum nomen Medicis & Assyriis pomis veluti proprium maneret, Hesperidum autem mala proprie dicerentur *aurea*, *aurantia*, & inan-

inaurantia, quod usque ad hanc nostram ætatem obtinuit, qua idem hoc nominum discrimen inter *citrea* & *aurantia* servatur. Nec vero mirandum venit si ex veteribus plerique, quando hondum bene notæ hæ arbores erant, hæc nomina ac genera confudere, quum videamus recentiores jam constituta horum vocabulorum ac specierum differentia, alteram pro altera passim ponere. Myrepsus νεραντζέαν appellat τὴν Μηδικὴν μηλέαν veterum, quæ citrea est, ut posterioris ævi usus dicere occupavit. Nam apud seculum prius *citrum* si forte ἑσπερὶς dicebatur, id est, malum aureum. Interpres vetus Nicandri νεραντζιον exponit τὸ Μηδικὸν μῆλον. At *nerantium* pro inaurantio, vel inaurante pomo est *aurantia* nostra, non *citrum*. Virgilius in describenda malo Assyria ingentem arborem eam nobis tradit, quod aurantiæ potius convenit quam citro. Nam citrum non alte attollitur:

Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro.

Ad quem locum Servius: *Sane etiam hæc probant citrum non esse. Nam citri arbor multum non potest crescere.* Utramque igitur confudit. Et apparet ex hoc loco fuisse tum temporis in rerum natura auream malum nostram. Et quum *citrum* Plinius domos decorare dicat, nec dicendam esse verbosius, de aurea malo nostra videtur intellexisse. Postea ut docui *citri* nomen de Assyria arbore usurpatum, propriumque illi arbori factum. Quod enim ibidem negat Assyriam malum nasci nisi in Perside, etiam hodie multis in locis gignitur & habetur, ubi citrea non potest generari. Martialis apud Palladium negat citream omni tempore fructu onustam esse, sicut in Assyria natura ejus est. An semel igitur jam constitutum hoc esse debet, Ἑσπερίδα Theophrasti, & Μηδικὸν μῆλον esse diversa poma? Veteres Romanos *citrum* vocasse τὴν Ἑσπερίδα, sive Ἑσπερικὸν μῆλον, quod idem est atque aureum. At recentiores citrei mali nomen Medico pomo attribuisse proprium, atque exinde *aureum malum* de Hesperide proprie sumptum fuisse, quod est *aurantium* nostrum. Illud saltem minimè ambiguum est confudisse has species veterum plerosque, tam Græcos quàm Latinos, & alterius appellationem pro alterius sæpenumero usurpasse, sicut in sexcentis aliis fecere. Infima ætas *citranguli* nominatim mentionem facit. Avisena & Mesues citranguli meminere. Docti dubitant, an aurantiæ sint. Certè *citrangulus* est κιτράγγουρος. Quod quidam interpretantur citreum malum majusculum cucumeris facie. Id contra rationem compositionis est, quæ potius postulat, ut ἄγγουρος sic appelletur citri colore. Græci recentiores ἄγγουρον vocant cucumerem. Inde κιτράγγουρος, citrinus cucumis. Nam alii sunt viridiores, alii pallidiores, & citrei coloris, alii nigri. Sic χρυσόμηλον est aureum malum. In hujusmodi quippe compositionibus adjectiva præponuntur, substantiæ sequuntur. *Citrinos cucumeres* vocat Plinius, qui sunt κιτράγγουροι, vel *citranguli*. Certe κιτραγγούρων in ea significatione meminit Charito pro citrinis cucumeribus, quæ κίτρινα sunt ἄγγουρα. In compositione trochisci πρὸς πτύσιν αἵματος ita scribit: σπέρμα κιτραγγούρου κεκαθαρισμένου, καὶ ἀνδράχνης. Item in compositione trochiscorum è tribus sandalis: χυλὸν γλυκυῤῥίζης ἀνὰ β. σπέρμα ἀγγούρου, καὶ κιτραγγούρου. Infimæ tamen Latinitatis auctores *citrangulum* posuerunt pro genere citrei mali, & narantiam interpretantur. Ceterum ex eo quod vetustissimi Græci citri tantum mentionem habent, non id sequitur aurantiæ nullam eos habuisse notitiam. Cum tot sint citri mali, & aurantiarum species, mali Assyrii & Hesperidum mali, sive citri nominibus universas eas comprehenderunt. Exemplum hujus rei patet significum, & illustre in cerasis. Hodie multæ sunt cerasorum differentiæ, arbore, folio, fructu, facultate, prorsus dispares. Quantum enim distat quem *bigarellum* nominant Francocelтæ, ab eo quod *cerasum* propriè iidem vocant. Cetera genera prætereo, quæ sunt quam plurima. Dioscorides tamen unius tantum generis meminit, & discrimen facultatis non aliud agnoscit, quam quod ex recentibus & siccatis percipitur: τὰ κεράσια, inquit, χλωρὰ λαμβανόμενα εὔκοιλια, ξηρὰ δὲ ἵστησι κοιλίαν. Aëtius ex recentioribus maturi & immaturi fructus solam differentiam tetigit, non plures memorat species cerasorum. Atqui

A Dioscoridis ætate, qui paulo ante Plinii tempora scribebat, certum est plura cerasorum genera jam tum fuisse cognita. Plinius octo numerat nominibus pleraque Romanis. *Cæciliana*, inquit, *rotunda sunt*. Ea sunt quæ proprie Galli vocant cerasa. Principatum dat duracinis. *Principatus duracinis, quæ Pliniana Campania appellat.* In Belgica & ripis Rheni vocabantur Lusitana. *Bigarella* appellant Francoceltæ. Burgundi nostri *graphiones*. Nominis utriusque eadem significatio. Quod vario colore sint, ita appellarunt. Γραπτὰ Περσικὰ sunt varia. Inde *graphiones*, τὰ γραπτὰ vel κατάγραφα κεράσια. *Bigarratum* Galli vocant, quod est variegatum. Plinius de iisdem:

B *Tertius his color e nigro, ac rubenti, viridique similes maturescentibus semper.* Latini dixere *duracina* à carne duriore. Sic *duracina uva*, & duracina persica. Ita ergo & *duracina cerasa*. Græci principatum iis dedere haud secus ac Romani, quod patet ex nomine quo ea insignierunt. Διὸς πυρὸν appellantes, hoc est, *Jovis frugem*. Ita Διὸς ἐγκέφαλον ἐπὶ θείων ἀγαθῶν, castaneas ab eadem ratione, Διὸς βαλάνους, vocitarunt Jovis glandes, ut in glandium genere excellentissimas. Διὸς γάλα Euripidi lac præstantissimum:

Καὶ πυρὸς σπίας ἐςὶ, καὶ Διὸς γάλα.

C Ita citatur Athenæo. Nam in vulgatis Euripidis codicibus legitur, καὶ βοὸς γάλα. Theophrastus de ceraso: ὁ δὲ καρπὸς ἐρυθρὸς ὅμοιος Διοσπύρῳ τὸ σχῆμα, τὸ δὲ μέγεθος ἡλίκος κύαμος. Πλὴν τοῦ Διοσπύρου μὲν ὁ πυρὴν σκληρὸς, τοῦ δὲ κεράσου μαλακός. Cerasi nucleus mollis ex toto non est, sed longe mollior quam duracini cerasi, quæ ut carnem habet duriorem ceteris cerasorum generibus, ita & nucleum. Διὸς πυρὸς est *Jovis frumentum*. Male vertunt Latinè *Jovis flammam*. Quod verum esset si legeretur, Διὸς πῦρ. Ab excellenti & eximia fructus suavitate ita vocant id genus cerasi, quod Latinis dictum est *duracinum*. Nigræ cerasi meminit Myrepsus. Plinio *nigerrima Actia*

D *cerasa*. Sed de his alibi. Melones nostros veteribus incognitos fuisse nemini non hodie video esse persuasum. Quid ita? Quia sub cucumerum genere μηλοπέπονας antiqui comprehenderunt. Non igitur verisimile putant, tam nectaream suavitatem appellatione tam insipidi fructus veteribus fuisse complexam. Atqui ita est. Antiquissimi Græci σικυὸν σπερματίαν vocitarunt, quem hodie *melonem* nuncupamus. Comparet aliquis interiora veri cucumeris cum interaneis melonis, & sentiet cur σπερματίαν hunc dixerint Græci à numeroso, quod intus cohibet, semine. Μηλοπέπονα à facie rotunda instar mali nominarunt. Nullus hac forma cucumis

E reperitur. *Melonem* ab eadem ratione vocitavit infima Latinitas an Græcia? Μῆλον idem quod μηλοπέπων. Hesychius: σικυὸς σπερματίας, ὃν ἡμεῖς μηλοπέπονα. De his ita Plinius lib. XIX: cap. V de cucumeribus: *Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum: mox semine ex illo genus factum. Melopeponas vocant.* Ridiculè quasi ex vulgaris cucumeris, qui forma est oblonga, semine nasci potuerit rotundus alius cucumis mali instar. In totum differunt isti melopepones, vel cucumeres seminosi, ut Græcia vocabat à vulgariis cucumeribus, nec alter ex alterius seminio possunt proveni-

F re. Allatum id semen è Græcia in Campaniam primum eo tempore quo Plinius scribit, & inde propagatum genus. Quibus consentaneum est quod tradit Plutarchus paulo ante ætatem suam *sicyopeponem* in cibos receptum. Ita vocat qui aliis μηλοπέπων dicitur. Πολλὰ, inquit, τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον ἡδίστα νῦν γέγονεν. Inter ea nominat τὸν σικυοπέπονα. Qui gustum hodie suum ac palatum tantum consulunt, credere nequeunt veteribus in deliciis & amoribus non fuisse melonem. Et ex eo quod inter delicias ciborum non legunt recenseri τὰ μηλοπέπονα, persuadent sibi μηλοπέπονα non esse melonem. Quid de citreo malo dicent

G isti? Hodie habetur in manibus, in mensis, manditur, commendatur non odore tantum, sed etiam cibo. Antiquis execratum odore plerisque fuit, apud omnes fere cibis abdicatum. *Citrum* de pomo ipso Latinis dicebatur. Athenæus lib. III de citreo malo, Πάμφιλος δ' ἐν ταῖς Γλώσσαις Ῥωμαίους φησὶ αὐτὸ κίτρον καλεῖν. Græci inde κιτρίον. Sic *cerasum* Latinis, Græcis vero τὸ κιτρέσιον, arborem ipsam sic etiam vocarunt. Aëtius:

μηλέα Μηδικὴ ἢ κίτϱιον. Apud Achmetem, κίτϱον ὕψιστον de arbore. Græci veteres sollicitius & exquisitius quàm Latini fructum & arborem genere distinxerunt, ἡ μέσπιλος arbor, τὸ μέσπιλον fructus: ἡ συκῆ ficus arbor, τὸ σῦκον fructus: ἡ μυρτὸς vel μυρσίνη, myrtus arbor, τὸ μυρτὸν fructus: ἡ μηλέα, τὸ μῆλον. Latini veteres in multis hoc observarunt, in aliis neglexerunt. Hæc *malus*, hæc *pyrus*, de arbore: hoc *pyrum* & *malum* de fructu. Sic *pomus*, *pomum*: *cerasus*, *cerasum*: atque ita in plerisque. Hæc *ficus* tamen, tam de arbore, quam de fructu:

Suamque pulla ficus ornat arborem.

τὸ μέλαν σῦκον, quod jam maturum est. Hæc *myrtus* vel *murta* arbor: hoc *murtum*, fructus:

--- *cruentaque myrta.*

Hæc distinctio parum animadversa in non parvum errorem impulit virum magnum, dum sollicitat hos versus Horatii, quos perperam contra omnium librorum lectionem corrigere satagit. Sic leguntur:

Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

Legi ipse vellet atque interpungi:

---- *hedera virenti*
Gaudeat pulla magis, atque myrti
Aridas frondes.

Quibus & hunc sensum affingit: juventus, inquit, magis viridi quàm pulla myrto delectatur, hoc est, juvencula magis quàm anu. Ita *pullam hederam* accipit pro arida, ut & *pullam myrtum*. Sic *ficus pulla* apud eumdem ἡ ὑπομελανίζουσα, quod in ficu maturescente, & arescentibus herbis fieri solet. Hæc sunt nihili, vel buttubata Nævii. Juvenculas comparat Horatius hederæ & myrto, fruticibus perpetua coma virentibus: Anus extincti floris mulieres aridis frondibus ac caducis, quas ex arboribus ripæ suæ adsitis decidentes hieme ingruente volvit Hebrus. Virens hedera & pulla myrtus similiter viridis. Nec enim *myrtus pulla* eodem sensu dicitur, ac *pulla ficus* apud hunc ipsum vatem. *Pulla ficus* τὸ σῦκον, fici scilicet arboris pomum quod maturitate fit pulli coloris. At *pulla myrtus*, ἡ μέλαινα μυρσίνη, de arbore, cujus folia etiam tum quum maximè virent, nigra sunt, colore nempe obscuro ac nigro viridantia. Sic *ilex nigra* poetæ:

Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Non *ilicem nigram* ibi dixit arescentem, sed revera pullam, quia talia ejus folia sunt. Servius: *vel umbrosa, vel revera nigra, quia talis est.* Profecto talis est & myrtus virens, quam ideo *pullam* dixit poeta. Distinctionem illam & emendationem nihil omnino juvat, nec adstruit epigrammatis Græci hoc distichon, quemadmodum credidit vir ille doctissimus:

Εἰ δ᾽ ἕτερον στέρξειε παρεὶς ἐμὲ μυρτὸν ἕωλον
Ἐῤῥιφ᾽ ἐπὶ ξηροῖς φυόμενον σκυβάλοις.

Ita ultimum versum citarunt, quum legendus sit hoc modo:

---- μυρτὸν ἕωλον
Ἐῤῥίφθω ξηροῖς φυρόμενον σκυβάλοις.

Membranæ planè habebant, ἐῤῥίφθω ξηροῖς, non ἐῤῥιφ᾽ ἐπὶ ξηροῖς. Nos φυρόμενον pro φυόμενον ex conjectura legendum vidimus, quæ est certissima. Vide nunc quam nihil loci Horatiani emendationi suffragentur hæc Græca. *Myrtus* Horatio est ἡ μυρσίνη, frutex ipse. Heîc apud poetam Græcum μύρτον est fructus, vel bacca myrti. Aristophanes:

Οἱ δ᾽ ἐσθίουσι μύρτα, καὶ στρφοὺς τινας.

Et apud alium:

---- μύρτα καὶ σισύμβρια.

Apud Horatium juventus hedera virenti, ac pulla myrto magis delectatur, quàm aridis frondibus. Hic totum aliud est. Imprecatio quippe est. Si alium amare occœperit me contempto, tum ejiciatur ut myrta jam marcentia, & pridem lecta, merdis inquinata. Ἕωλοι cibi dicuntur hesterni, ac frigidi, qui non adeo expetuntur gulæ proceribus ac recens cocti. Ita & ἕωλοι fructus, qui non recens ex arbore lecti sunt, eoque minus grati ac jucundi solent esse, ex eo præcipuè genere quod vetustatem non potest ferre, nec conditur, sed

A statim mandi vult. Talia sunt myrta, pruna præcoqua, & alia id genus. Sequebatur in membanis Dionysii epigramma eodem planè sensu, sed aliis verbis quod ex priore imitatum esse prorsus liquet:

Εἰ δ᾽ ἕτερον κρίνας ἐμέθεν πλέον, ἀμφί σε βαίη
Κώνωψ ὀξηρῷ τυφόμενος κεράμῳ.

Sed hæc alibi.

Pag. 54.C. *Ingens ipsa & cui tale fermè quale unedonibus folium.*] Illud *ingens ipsa* ex Virgilio, cetera è Plinio. Nam Virgilius non unedoni, sed lauro comparat folia Medicæ mali. Theophrastus apud Athenæum de Medica: ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον καὶ σχεδὸν ἴσον τῷ B τῆς δάφνης, ἀνδράχνης, καὶ καρύας. In vulgatis codicibus, ubi hic locus habetur, scriptum est tantum, καὶ σχεδὸν ἴσον τῷ τῆς ἀνδράχνης, omissis reliquis. Pro *andrachne* Plinius substituit *unedonem*, quia *andrachne* minus nota erat suis, nec nomen in Latio habebat. Idque non semel fecit. Nam de myrrhæ arbore similiter, ubi Theophrastus dixit, φλοιὸν δὲ ἔχει λεῖον ὅμοιον τῇ ἀνδράχνῃ. Plinius in eo loco vertendo posuit: *Corticem levem similemque unedoni.* Nec prorsus male. Nam tradit ipse alibi andrachnem similem esse unedoni, folio tantùm minore: *Ceterum andrachle est silvestris arbor, neque in planis nascens, similis unedoni, folio tantum mino-* C *re, & nunquam decidente.* Hæc habet à Theophrasto, qui tamen hoc dicit: παρόμοιον δὲ τὸ φύλλον καὶ ἡ ἀνδράχνη ἔχει τῷ κομάρῳ: μέγεθος δὲ οὐκ ἄγαν μέγα. Hæc ultima ad folium retulit Plinius, & simile unedoni folium andrachnes esse interpretatus est, excepto quod minus sit. At Theophrastus de tota arbore andrachnes hoc intellexit: ἡ ἀνδράχνη, μέγεθος οὐκ ἄγαν μέγα, subaudi δένδρον. Ita loquutus est paulò ante & de arbuto: ἡ δὲ κόμαρος ἡ τὸ μιμαίκυλον φέρουσα τὸ ἐδώδιμον, ἐστὶ μὲν οὐκ ἄγαν μέγα. Non est admodum magna arbos, ἐστὶν οὐκ ἄγαν μέγα δένδρον. Quod Plinium fefellit. *Andra-* D *chlen* hic vocat, quæ Theophrasto est ἀνδράχνη, & sic unius literæ diversitate distinguit eam ἀπὸ τῆς ἀνδράχνης, quæ herba est, *portulaca* nomine. Hodie quoque in tota Græcia *adracla* vocatur hæc arbor. Docuimus supra garrire eos, qui *adrachnen* pro arbore scribendum docent, *andrachnen* de herba. Folia andrachnes arboris adeo laurinis similia esse neoterici herbarii tradunt, ut solo odore dignosci queant. Quare non caret ratione, quod Theophrastus folia mali Assyriæ dixit esse similia τοῖς δάφνης ἢ ἀνδράχνης. Arbutus autem, vel unedo non prorsus habet folium simile lauro, vel andrachnæ. Nec enim ὅμοιον τὸ φύλλον andrachnen ar- E buto habere dicit Theophrastus, sed παρόμοιον, id est, quadamtenus simile. Serrata quippe per ambitum folia sunt arbuti, cui proptérea idem Theophrastus folium tribuit μεταξὺ πεύκης καὶ δάφνης. At serrata non sunt andrachnes. Non magnitudo igitur, τὸ μέγεθος, differentiam facit inter arbuti & andrachnes folia, ut ex verbis Theophrasti male intellectis adstruxit Plinius, sed aliud. Dioscorides scribit κόμαρον, id est, arbutum παρόμοιον κυδωνίᾳ λεπτόφυλλον. Inde doctissimi quidam herbarii arbutum Theophrasti à Dioscoridea differre arripuerunt, sed vix persuadent. Unum tantum genus arboris Græcis, quam κόμαρον vocant, fructum au- F tem μιμαίκυλον: Latini verò *arbutum*, aut *unedonem*. Notandum Dioscoridem παρόμοιον dicere τῇ κυδωνίᾳ, non ὅμοιον: aliquatenus simile, non simile. Præterea scribendum fortasse in Dioscoride: παρόμοιον κυδωνίᾳ λεπτοφύλλῳ, ut id genus cotonei mali intelligat, quæ minora & angustiora habet folia. Idem tamen sensus è vulgata elicitur: pæne similem esse cydoniæ malo, nisi quod non tam lata habeat folia. Et sanè non multum dissimilia sunt cydoniæ mali folia foliis arbuti, nisi quod illa incisuras per ambitum non habent. Et fortassean Dioscorides andrachnem pro arbuto descripserit, quæ & flore, & fructu, & foliis, totaque facie arboris adeo G cum arbuto convenit, ut vix altera possit ab altera internosci. Andrachne tantum folia serrata non habet ut arbutus, & cortice est quam hæc leviore. Andrachnes non meminit Dioscorides, quasi illam arbuti nomine comprehenderit. Ideo fortasse & ἀνδράχνην apud Theophrastum duobus in locis *unedonem* vertit Plinius, id est, κόμαρον. De fructu Dioscorides ita tradit: μιμαίκυλον καλούμενον, πεπανθὲν δὲ ὑπόκιῤῥον ἢ ἐρυθρόν.

A ϑρὸν, ἰσθιόμϑυον, καχρυώδες. Ita ſcribendum, non ἀχυρώδες. Pomum arbuti non levem habet exteriorem cutem, ut ceraſum, aut prunum, ſed multis minutis corpuſculis extantibus aſperum, ut fraga. Hoc Græci καχρυώδες vocant. Cujus dictionis vim pluribus ſupra aperuimus. Sed hæc alibi.

Tantum eo differt, quod aculeatum ſpinoſis faſtigiis hiſpidatur. Geſtat malum inimicum venenis] Ita editio Vineti & aliæ. Delrius in ſua illud *geſtat* uncinis incluſit, veluti minimè neceſſarium. Reperi ſcriptum in quibuſdam libris: *quod aculeatum ſpinulentis faſtigiis hiſpida turgeſcat. Malum inimicum venenis.* Quæ ſcriptura ex duabus lectionibus diverſis conflata eſt. B In altera editione ſcripſerat auctor: *Tantum eo differt, quod aculeatum ſpinulentis faſtigiis turgeſcat.* In altera poſuit: *quod ſpinoſis faſtigiis hiſpida turgeſcat.* Quomodo planè offendi ſcriptum in optimo codice regio, qui ad oram adſcriptam habuit illam alteram veluti ex priore editione petitam, ut alias mos fuit antiquarii illius, qui codicem illum ſcripſit. Profectò veriſimile eſt, quum in priore perperam dixiſſet auctor Medicæ malo folium tale ferme eſſe quale unedonibus, tantum eo differre, quod aculeatum ſpinulentis faſtigiis turgeſceret, id mutavit in recognita, & ad ipſam arborem C tranſtulit. Vera igitur lectio hujus loci: *Tantum eo differt, quod ſpinoſis faſtigiis hiſpida turgeſcat.* Nec enim folium Medicæ mali aculeatum eſt, ſed arbor ipſa. Nam inter folia ſpinæ. Falſam illam ſententiam prioris editionis hauſerat Solinus ex verbis Plinii perverſè ſumptis: *Folium ei unedonis intercurrentibus ſpinis.* In folio ipſo ſpinas intercurrere accepit, quæ ramis intercurrunt circa folia. Theophraſtus: ἀκάνθας δ' ἔχει οἵας ἄπιος ἢ ὀξυάκανθος, λείας δὲ καὶ ὀξείας σφόδρα καὶ ἰσχυράς. In Aſſyria malo ſpinæ ita diſpoſitæ, & tales ſunt, quales in oxyacantho & pyro: ἀπίῳ nomine intelligit pyrum ſilvaticum ac ſpinoſum, per ὀξυάκανθον *albam ſpinam* noD ſtram. Dubitavi in ſuperioribus exercitationibus, an ὀξυάκανθος Theophraſti eadem eſſet cum Dioſcoridea. Sed nullo modo dubitari debet, quin eadem ſit utriuſque ὀξυάκανθος. Omnia conveniunt excepto uno, quod Theophraſtus ὀξυάκανθον recenſet inter arbores eas, quæ coma perpetua virent, quod falſum eſt de alba ſpina noſtra. Sed in eo ſenſu enumerat auctor ille & alias arbores tanquam æternum decus comarum poſſidentes, quæ tamen folia amittunt, ut tamaricem, terebinthum, tiliam: ἀειφύλλα μὲν ἐν ἐστὶ τῶν ἀγρίων ἃ καὶ πρότερον ἐλέχθη. Deinde ſubjicit inter alias, & illas quas diE ximus. At ſupra eo loco, ad quem heic nos remittit, quo fatetur ſeſe arbores ſilveſtres enumeraſſe, quibus non decidunt folia, non meminit ὀξυακάνθου, nec μυρίκης, nec φιλύρας. Quare veriſimile eſt infulta heic eſſe hæc genera arborum. At pro φελλὸς δρῦς legendum unica voce φελλόδρυς. Nam quercus perpetuam non obtinet frondem, ut φελλόδρυς. Dici etiam poteſt quod ante diximus, quaſdam arborum pro regionum ſitu aliubi ἀειφύλλες eſſe, alubi φυλλοῤῥοεῖν. Dioſcorides ὀξυάκανθον ſcribit eſſe παραπλήσιον ἀχράδι, id eſt, pyF raſtro. Et ſanè alba ſpina noſtra planè ſimilis eſt, quantum ad formam attinet & ligni ſpinas, pyro ſilveſtri. Hinc ὀξυάκανθον & ἄπιον heic jungit Theophraſtus: ἀκάνθας ἔχει οἵας ἄπιος ἢ ὀξυάκανθος. Ergo ἄπιος etiam habet ſpinas. Atqui Græci ceteri ἄπιον vocant urbanam pyrum, quæ ſpinis caret, coque nomine ἀπὸ τῆς ἀχράδος diſtinguunt, quæ ſpinis hiſpidatur, idque etiam facit ipſe Theophraſtus. Legebam ideo ſuprà: οἵας ἔχει ἄπιος ὀξυάκανθος, id eſt, *ſpinoſa pyrus*, nempe ſilvatica. Nam ὀξυάκανθος epithetum eſt omnium arborum, quæ ſpinulentis faſtigiis inhorreſcunt. Unde G & παλίουρος Dioſcoridi ὀξυάκανθος. Alio tamen loco Theophraſtus etiam ἄπιον junxit cum ὀξυακάνθῳ in comparatione caulis ſpinoſi lib. IX. Hiſt. cap. XIX de orchi: ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον· τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιότατον ἀπίῳ ἀπύρῳ ἤτοι ἀκάνθῃ. Hæc ſunt prævara ac diſtorta. Scribe: ἀπίῳ ἢ πυρακάνθῃ. Correximus etiam σκιλλῶδες pro σιλφῶδες. Plinius ſimpliciter dixit, cum hunc locum redderet, *caule ſpinoſo.* Ut heic ἄπιον ἢ ὀξυάκανθον poſuit Theophraſtus, ita ibi ἀπίῳ ἢ πυρακάνθῃ. Nam πυράκανθα idem quod ὀξυάκανθος, ut ex Dioſcoride conſtat, ſicut ſupra oſtendimus. Igitur πυράκανθα verum hujus nomen eſt, non πυῤῥάκανθα. Nicander:

Λάζεο καὶ πυράκανθαν, ἰδὲ φλόμου ἀργέννοιο ἄνθην.

Oſtendimus quoque ſupra Plinium pro oxyacantho Theophraſti *aquifolium* reddidiſſe. Atque ita ſanè eſt. Sed *aquifolium* non eſt ὀξυάκανθος. Hæc enim dicta ab acutis ſpinis, quibus armatur caudex ejus cum ramis: at *aquifolium* ab aculeatis foliis nomen invenit, ut *aquifolia ilex* apud eumdem, quæ folia habet ἀκανθίζοντα. Idem: *Folia aculeata aquifolio & ilicum generi.* Sanè, ilicum generi aquifolio: nam & ilices ſunt quædam, quarum folia ſpinis carent, quibus opponuntur *aquifoliæ.* Ceterùm *aquifolium* abſolutè, & *aquifolia ſpina* diverſa ab ilice aquifolia. De *aquifolio* vel *acuifolio*, ut potius ſcribi debet, multa diximus ſupra: nondum tamen docuimus, quod genus arboris eſſet, & quod hodie nomen haberet. Nunc vix dubito quin *acuifolium* veteres Latini vocarint, quod Itali hodie vocant *agrifolium.* Corruptè ſiquidem pro *acuifolium* dixere *acrifolium*, deinde *agrifolium.* Et certe apud Catonem in libris de Re Ruſtica *acrifolios vectes* pro *aquifolios* librarii ſcripſerant, ut & apud Macrobium *acrifolium* pro *acuifolium.* Quomodo & auctor veterum gloſſarum poſuit, quia fortaſſe ita ſcriptum in libris ſui temporis reperit. Ut hinc ſcias non hodie atque heri Italos *acrifolium* dixiſſe pro *acuifolium.* Aquifolium porro veterum Latinorum & hodiernorum *agrifolium* eſt frutex, vel arbuſcula quæ Gallis dicitur *houx*, & in juſtam arborem aliquando ſurgit, foliis aculeatis & ſemper comantibus, quæ pro fructu baccas habet rubentes & tranſlucidas. Haud multum hæc arbor ilici aquifoliæ diſſimilis, ideo ſemper eas jungit Plinius idem. Utraque certe folia aculeata præfert, & ſemper viridia. Hinc quidam ex noſtris herbariæ rei peritis *houx* interpretantur ilicem. Nec diffiteor hanc vocem Gallicam ex ilice factam eſſe quæ Italis *elce.* Unde illud *houx.* Hoc enim noſtris perpetuum eſt, ut quæ penes Latinos veteres, aut Italos adſpirantur vocabula, ſine flatu pronuntiare ſoleant, & contra quæ apud illos carent ſpiritu, ipſi adſpirent. Quod verum eſſe deprehendent, qui vel parum attenderint. *Ilex* tamen *aquifolia*, & *aquifolium* differunt. Ilicem Galli vocant *eouſe*: aquifolium *houx.* Plinius itaque nugatur quum alio loco dicit *aquifoliam* Italis vocari, quam Theophraſtus κεραμυγόνα appellat. Κεραμυγὼν Theophraſto meſpilo ſimilis eſt arbor, quæ folia non habet aculeata, nec in cenſu numeratur ſemper comantium arborum, & multis aliis notis ab aquifolio diſtinguitur. Quod ſi Itali *aquifoliam* vocarunt Theophraſti κεραμυγόνα, certè diverſa fuerit ab acuifolio illo Pliniano, cui aculeis armata folia tribuuntur, ac perpetuo virentia, quorum neutrum ineſt τῇ κεραμυγῶνι Theophraſteæ. Tradit idem Plinius lib. XV. cap. XXIV. *Aquifolio ac ſpinæ baccas eſſe ſine ſucco.* De quo aquifolio intelligit, incertum habeo. Theophraſtus ait fructum cratægi, quum maturus eſt, areſcere, & ſaporem, guſtumque meſpili referre: πεπαινόμενος δὲ ξηρὸς γίνεται, καὶ ἐπιμελαίνεται, κατὰ δὲ τὴν γεῦσιν, καὶ τὸν χυλὸν μεσπιλῶδες. An ideo dixit baccas aquifolii ſine ſucco eſſe, quia aquifolium eſt κραταίγος? An oſtentarium arborarium Tarquitii aquifolium inter infelices arbores, & quæ fructum nigrum ferunt, ideo recenſuit, quia fructus cratægi maturus nigreſcit, & cratægus eſt aquifolium? *Quæque baccam nigram, nigroſque fructus ferunt, itemque aquifolium, pirum ſilvaticum.* Immo heic plane aquifolium & pirum ſilvaticum ſeparat ab iis arboribus, quæ idcirco infelicibus adſcribuntur, quod nigros fructus ferant. Quædam arbores in albo infelicium relatæ fuere quod nigrum fructum geſtarent, aliæ propter ſpinas, quibus infeſta gerunt folia, vel ramos. In his pirum ſilvaticum ponit, qui totus ſpinulentis faſtigiis eſt armatus, & *aquifolium*, quod foliis eſt aculeatis. Ilex inter felices recenſebatur, non aquifolia, ſed alterum genus cui nullis aculeis horret folium. Scribit Theophraſtus cratægi lignum eſſe πυκνόν, ἰσχυρόν, ξανθόν. Propterea videtur etiam Plinius *aquifolium* inter pretioſa ligna ponere, quæ in laminas ſecabantur, & quorum operimento veſtiebatur alia materies lib. XVI. cap. XLIII.

Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma, aquifolium, ilex, sambuci radix, populus. Idem ex Catone notat ibidem vectes aquifolios, laureos, ulmeos fieri debere. In vulgatis olim Catonis, atque etiam scriptis manu legitur *acrifoliis*, pro *acuifoliis*. Apparet nescisse Plinium, quid esset *aquifolium*, aut duas arbores hoc eodem nomine nuncupatas pro una obtrusisse. Nec enim potest eadem esse aquifolia, quæ est Theophrasti cratægus cum eo aquifolio, cui folia aculeata, & æternum virentia. Theophrastus de cratægo: ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον μεσπίλῃ πεταλὸν, πλὴν μεῖζον ἐκείνου καὶ πλατύτερον, καὶ προμηκέστερον, τὸν δὲ χαραγμὸν οὐκ ἔχον ὥσπερ κἀκεῖνο. Hæc supra explicavimus. Plinius de foliis arborum: *Aculeata aquifolio & ilicum generi.* Hoc aquifolium non est cratægus. Et statim: *Pungentia folia pino, piceæ, abieti, larici, cedro, aquifoliis*, id est, aquifolio, & ilici aquifoliæ. At cratægus folia pungentia non habet. Alibi idem Plinius, ut ante observavimus, ὀξυάκανθον Theophrasti reddidit *aquifolium*, quæ ὀξυάκανθος in totum diversa est à cratægo, & ab agrifolio Italorum. Spinis quidem tota hispida est,. sed nullos exhibet in foliis aculeos. Hæ sunt Plinii exerrationes in herbis & arboribus describendis. Et mirabilis ubique in his deprehenditur veterum negligentia. Ilex coccifera de genere est ilicum aquifoliarum, sed frutex est parvus, qui nunquam instar arboris surgendo assumit. Ilex arbor præter glandem etiam coccum gignit ex puniceo nigricantem. Theophrastus κόκκον φοινικοῦν. Hic coccus longè alius est à tinctorio cocco ilicis cocciferæ, ut ipsa arbor alia est. Granum ilicis cocciferæ cinerei coloris est, non punicei. Utrumque tamen κόκκον veteres confuderunt, ut supra notavimus. Meminit Strabo lib. III cujusdam χαμαιζήλου δρυὸς, id est, parvæ & humilis quercus multis in Hispania, & plurimam ferentis glandem, quæ non potest esse alia præter illum quercini generis fruticem, qui & κόκκον βαφικὸν Hispanis dabat. Verba ejus hæc sunt: τρέφεται δὲ βαλάνῳ δρυΐνῃ, φυομένῃ κατὰ τῆς θαλάττης χαμαιζήλῳ τινὶ παντάπασι δρυῒ, πολὺν δ' ἐκφερούσῃ καρπόν. Ἥπερ καὶ ἐν τῇ γῇ πολλὴ φύεται κατὰ τὴν Ἰβηρίαν, ῥίζας μὲν ἔχουσα μεγάλας ὡς ἂν τελείας δρυὸς, ἐξαιρομένη δὲ, θαμνοῦ ταπεινῆς ἧττον. Sic scribendum. Vulgo est: ἐξαιρουμένη δὲ ἐκ θαμνοῦ ταπεινῆς ἧττον. Minus alte è terra attolli dicit quam humilem fruticem quemlibet. Non dicit Strabo eam quercum fruticem cocci tinctorii quoque feracem esse, qui tamen eodem libro meminit κόκκου βαφικῆς, qua Hispania maximè gloriabatur. Non ubique tamen coccum gerere id genus quercus ajunt neoterici, sed in calidioribus tantum locis. Præterea eamdem arborem, quæ coccum novella tulerit, ubi in tantùm adolevit, ut glandem generare possit, non amplius coccum tingendo generare. Majusculum fruticem, qui glandem fert, ab Hispanis *carasca* vocari tradunt, minorem, qui cocco fœcundus est, *coscoja*. Quæ vox sine dubio venit ex antiqua dictione *cusculium*, qua id granum vocarunt olim: *Granum hoc primoque ceu scabies fruticis parvi aquifoliæ ilicis, cusculium vocant.* Ita enim rectè hunc locum supra emendavimus, id ex Græco est κοσκύλιον. Certè primo granum illud ceu scabies est, cortici adhærens mox in granum rotundius extumescit è cinereo colore albicans. At granum ilicis arboris quod inter fructus hujus arboris recenset Theophrastus, est κόκκος φοινικοῦς. Arabes *chermes* vocant granum illud tingendis aptum lanis. Id ex Latino *vermis* detortum esse apparet, pro quo ætas barbara dixit *guermis*, ut *vespa*, *guespa*: inde *chermis*. Latini *vermiculum* appellarunt à vermiculis, quibus prægnans est illud granum, quorum sanie punicea præclarus ille color gignitur. Pausanias sub ὕσγης nomine hunc fruticem βαφικῆς κόκκου voluit describere, quamvis ceteri Græci ὕσγινον & κόκκινον diversos faciant colores. Ὕσγην Galatas ait vocare hunc fruticem, quem cetera Græcia appellaret κόκκον. Folia habere dicit μελάντερα μὲν καὶ μαλακώτερα ἢ ἡ πρῖνος, τὰ μέντοι ἄλλα ἐοικότα τῇ πρίνῳ. Ita ibi legendum, non γείνῳ, sic enim habent veteres codices. Ex genere ilicum ille frutex aquifoliarum χαμαίζηλον δρῦν vocat Strabo. Nam & ilex inter glandiferas, *quercum viridem* vulgò appellamus. Hesperium coccum vocat Petronius, id est, Hispanicum his versibus, qui nondum correctorem invenerunt, quum sint corruptissimi. Sic autem lgendi:

> *Hesperium coccum laudabat miles: eadem*
> *Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.*

Coccum Hispanicum laudabat miles, eoque vestiri expetebat. Eadem tellure quæsitus nitor ostro certabat, id est, minium. Hæc addenda fuere exercitationi de cocco, quam in superioribus exhibuimus, quæ occasione data noluimus prætermittere.

Quod spinulentis fastigiis hispida turgescat] Ita plerique veterum librorum, quos excussimus. In aliis, ut supra jam notavimus: *quod aculeatum spinulentis fastigiis turgescat.* Unde vulgata lectio ex duabus illis concinnata. Nos edendam eam curavimus, quam in plurimis codicibus, atque optimis invenimus. Non diffitebor tamen haud satis mihi placere verbum hoc *turgescere*, ubi de spinis & aculeis agitur. Fortè melius scriberetur: *quod spinulentis fastigiis hispidatur. Gestat malum inimicum venenis.* In altera editione fortasse etiam scripserat: *quod aculeatur spinosis fastigiis.* Verbum *turgescere* minimè convenit spinis aut aculeis. *Gestare fructum* dicuntur arbores, ut & *ferre*. Quæ loquutio huic nostro tralaticia. Suprà: *Præcipua est ficus Ægyptia foliis moro comparanda, poma non ramis tantum gestitans, sed & caudice.* Sic legendo Solinum erroris absolvemus. At si vulgatam retinemus, ut etiam ferri potest, non erit ferendus error Solini, aculeatum facientis Assyriæ mali folium.

Sapore aspero, & amaritudinis meræ] Sic reposuimus, addicentibus omnibus libris, quum esset in editis: *amaritudinis miræ.* Sic alibi *rubor merus* de intenso rubore, cui dilutior contrarius: *Fucant vellera, ut ad ruborem merum epotent cocci venenum.* Ubi similiter *mirum* pro mero substituerant. Ita *amaritudo mera*, quæ nulla dulcedine diluitur.

Flagrantia plusquam jucundum, longeque sensibile] Quod longè sentiri potest, quod propriè de odoribus etiam dixerunt. Plinius: *Etenim odorem qui gerit ipse non sentit.* Et ita alibi. Minutius Felix: *Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis aut sentienti facem, aut non sentienti coronam.* Sic legendus ille locus. Si sentit mortuus, cur illi facem subjicitis? Si non sentit, cur coronam illi tribuitis, cujus odorem non potest percipere? Hic sensus ad nares pertinet. Inde in idiotismo nostro *bene sentire* dicimus, quæ bene olent, ac cum bono odore sentiuntur.

Protinus atque poma ejus deciderint maturitate, alia protuberant.] Plinius, *Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis vero subnascentibus.* Κατὰ πᾶσαν ὥραν non est *omnibus horis*, ut vertit Plinius, sed omni anni tempore. Τὰ μὲν ἀφήρηται, τὰ δὲ ἀνθεῖ, τὰ δ' ἐκπέπτει. *Alia præcerpuntur, alia florescunt, alia coquuntur*, id est, maturescunt. Hoc enim ἐκπέπτειν significat. Malè apud Athenæum τὰ δ' ἐκπίπτει. Quod fefellit interpretem. Plinius, τὰ μὲν ἀφήρηται vertit, *aliis cadentibus.* Solinus id sequutus est, atque interpretatus: *statim atque poma deciderint maturitate.* Non expectabatur, ut deciderent, sed decerpi solebant. Oppius: *Generantur autem in Perside omni tempore mala citrea: alia enim præcarpuntur, alia maturescunt:* τὰ μὲν ἀφήρηται, τὰ δὲ ἐκπέπτει.

Usurpare & nemora ista optaverunt & aliæ nationes.] Elegantia Soliniana: *nemora* pro arboribus. Sic alibi, *laureos, ulmeos & balsami lucos* dixit. Poëticum est. Sic *Palladia silva* Virgilio pro oleis.

Per industriam translati germinis] Ita vetus regius, qui ad oram adscriptum habet; *Per industriam germinis transferendi.* In editis fuit: *Transvecti germinis & inserti.* Sed verba hæc, *& inserti*, in nullo codicum nostrorum inveni. Et sanè Plinii locus, unde hic sumptus est, nec insitionis, nec inserendi germinis quod translatum fuerit, meminit, sed arboris ipsius cum sua radice transferendæ & plantandæ. Hæc verba ejus sunt: *Tentavere gentes transferre ad sese propter remedii præstantiam fictilibus in vasis, dato per cavernas radicibus spiramento: qualiter omnia transitura longius seri arctissimè, transferrique meminisse conveniet, ut semel quæque*

dicantur. Novellas plantas seri vult in vasis fictilibus probe obturatis, dato tantum radicibus spiramento, & sic tranferri. *Germen* dixit Solinus, quod est φυτὸν. Unde *congerminascere* Varroni apud Nonium συμφύεσθαι, ita enim supra correximus pro *congermanascere*. Item *congermini* οἱ συμφυεῖς. *Rempublicam conjuncti & congermini tenuere*, σύζυγες καὶ συμφυεῖς. Corrigendus & insignis ejusdem Varronis locus de R.R: ubi loquitur quando tempus est eximendorum favorum. Ex vestigiis veteris scripturæ, quam assequi non potuerunt viri docti, planum est ita legi debere: *Eximendorum favorum signum sumunt ex ipsis: si pluris alius habeat, vel congerminarint conjecturam capiunt*. Si favi congerminarint, id est, si conjuncti ac συμπεφυκότες extiterint, non rari ac dissipati. Hæc verissima lectio, de qua nos alibi. Theophrastus granum Assyrii mali seri solitum dicit: σπείρεται δὲ τοῦ ἦρος εἰς πρασιὰς ἐξαιρεθὲν τὸ σπέρμα διειργασμένον ἐπιμελῶς. Ita fortassis intellexit Plinius translatum à quibusdam fuisse Assyriæ mali germen, granis, hoc est, seminibus in vase fictili arctissime satis, & *dato spiramento radicitus*. Ita enim veteres libri scribunt, non, ut habent editi, *radicibus*. Satum semen in fictilibus vasis, dum affertur ex longinquo, potest interim radices agere, ideo dicit dandum esse radicitus spiramentum vasis fictilibus, ea scilicet parte, qua radices sese mittunt. Potest pari sensu vulgata etiam retineri. Haud scio an ita acceperit Solinus: sic certè capiendum fuit. *Germen*, ut dixi, τὸ φυτὸν est, quod jam è semine in altum prodiit. Unde *germinare*, τὸ βλαστάνειν. Etiam pro semine accipitur. Glossæ: *germen*, σπορά. In seminibus omnigenis *germen* hodieque dicimus partem illam genitalem, unde surgere & pullulare incipiunt. Rectè Isidorus *germen* interpretatur prægnantem surculum. Antiphanes scripserat in quadam comœdia semen Assyriæ mali suo tempore è Perside translatum:

Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.

Qui locus indicat non poma tantum è Perside in Græciam tum allata primum fuisse, sed etiam ferendæ arboris, & habendæ rationem traductam. Ex tunc igitur in Græcia cœpere nasci Assyriæ mali. Plinius negat, & hoc loco Solinus simia ejus, alibi nasci voluisse præterquam in Media: *Sed veneficium soli Mediæ datum natura resistente terra alia non potuit mutuari*. Sed veluti sui oblitus idem Plinius alio loco asserit Assyriam malum alibi quidem, quam in Assyria crescere posse, sed fructum non ferre, lib. XVI. cap. XXXII. *Fastidit balsamum alibi nasci. Asyria malus alibi ferre*. In Rigaltiano scriptum est: *Natura nisi in Syria ferre*. Sed optimus Thuanæus legit: *Natura Syria malus alibi ferre*. Scribe: *Nata Assyria malus alibi ferre*. Feracem alibi esse negat nisi in Assyria, quamvis alibi natam. Nihilominus ille citrum prorsus ab Assyrio malo diversum facit, quum ceteri omnes auctores idem velint esse. Hinc non mirum est, si Assyriam malum alibi quam in Media venire inficietur, quum scripserit citream in Italia passim surgere, ac domos decorare. Hæ sunt auctorum veterum ἀβλεψίαι, Plinio cum primis familiares. Quam incertum est, quod de perseæ & persicæ differentiis ab iis traditur? Hoc enim exemplo juvat eoque valde simili ambiguam citreæ mali historiam illustrare. Persea ἡ Περσία Theophrasto negatur alibi, quam in Ægypto, fructum ferre, quum tamen alibi cresceret. Ὡσαύτως δὲ καὶ ὅσα τὰ κάρπιμα ἄκαρπα γίνεται, καθάπερ καὶ τὸ Περσίον τὸ ἐξ Αἰγύπτου, καὶ ὁ φοίνιξ ἐν τῇ Ἑλλάδι. Ergo palma & persea in Græcia nascebantur, non tamen erant frugiferæ. Plinius: *Nec non & palma nasci ubique aut nata parere*. Persea illa ex Ægypto. Idem Theophrastus alibi: ὥσπερ ἐπί τε τῆς περσίας ἔχει, καὶ τῶν φοινίκων, ἡ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ καρποφορεῖ, καὶ εἴ που τῶν πλησίων τόπων. Ἐν Ῥόδῳ δὲ μέχρι τοῦ ἀνθεῖν μόνον ἀφικνεῖται. Hæc est persea Ægypti peculiaris arbor, quam plenius descripsit inter arbores soli Ægypto familiares. Plinius nunc *persicam* reddit, nunc *perseam*. Ut cum dicit lib. XVI. cap. XXVII. *Persicæ arbores in Rhodo florent tantum*. Sic enim omnes libri. Ea περσία est Theophrasti. Atqui Plinius *perseam* & *persicam* separat. Nicander περσείας nomine intellexit persicam vulgarem, ut omnes ejus

A interpetes exposuere, & in primis Dioscorides, qui περσείης κάρυα apud eum accepit ἀντὶ τῶν περσικῆς μηλέας ὀστῶν. Eam perseam Nicander ex Æthiopia in Græciam canit translatam fuisse à Perseo. Diodorus περσίαν arborem scribit ex Æthiopia in Ægyptum traductam. Antiquiores Græciæ auctores Περσικῆς μηλέας non meminere eo sensu, quo posteriores, sed Medicam arborem, vel Assyriam sic vocarunt. Περσίαν igitur, vel περσείην nominarunt, quæ sequenti ævo dicta fuit *persica*. Ideo Plinius περσίαν aliquando vertit *persicam*. Quum hodie tam multa cognoscantur Persicæ arboris genera, fructu ac specie differentia, quis B non merito mirari queat Græcos auctores unius tantum generis mentionem fecisse? Dioscorides περσικὰ μῆλα descripsit, eodem prorsus modo, quo & citrea, nullis specierum memoratis differentiis. Species illas omnes persicorum, quæ nunc cognitæ sunt per insitionem, exiisse haud magis, vel minus dici potest, quam de citreis. Perseam Ægyptiam persicæ quamdam speciem fuisse omnino certum habeo. Folia non amittit in Ægypto, ut pleræque ibi locorum arbores semper comant, quæ in aliis regionibus decus foliorum perdunt. Fructus ejus oblongus amygdalæ instar, & coloris herbacei. Nonne hodie persica C mala quædam extant hac forma & colore? Intus habet nucleum similem pruno, sed molliorem. Persicorum etiam genera sunt, quæ nucleum adeo mollem habent, ut frangatur simul cum carne, & sponte aperiatur. Plutarchus ait perseam Ægypti habere folium linguæ simile. Nec multum absimilis est figuræ persicæ arboris folium. Carnem pomi ex persea arbore γλυκεῖαν esse, & ἡδεῖαν, & εὔπεπτον tradit Theophrastus. Persicum malum Dioscorides εὐστόμαχον testatur esse cum plerisque veterum. Nam quin dulce sit, & esui jucundum nemo ambigit. Περσία igitur & περσεία Græcis ea arbor est, quam posteriores Græci περσικὴν D μηλέαν vocitarunt. Hujus quædam species in Ægypto peculiaris nascebatur, fructu & forma ab aliis differens. Unde veteres Græci περσείαν vocant τὴν περσικήν. In Ægygto primum nasci tantum posse dicta est, ut de Assyria malo, quam non posse crescere nisi in Assyria, assertum est. Postea tandem per universam Asiam, & Europam plura tam persicæ arboris, quàm citreæ genera prodita sunt ac disseminata. Idem plane est quod de nuce juglande tradidit antiquitas. Species ejus fuit præstantissima & maxima quæ ex Perside in Græciam allata est, unde Græcis περσικὸν & βασιλικὸν appellatum est. Hujus speciei nomine totum postea genus ap- E pellari cœptum. Inde Dioscoridi περσικὰ τὰ καὶ βασιλικὰ sunt nuces juglandes. At Suevius apud Macrobium hanc speciem Græciæ primum cognitam scribit Alexandri Magni temporibus à comitibus ejus, qui eam Græciæ intulerunt. Atqui certum est multo ante Alexandri ætatem nuces juglandes in Europa notas fuisse. Hæc exercitandi ingenii causa dicta sunto, non ut asseram perseam Ægyptiam, & persicam hodiernam veteribus quoque cognitam easdem esse, sed ut ostendam quid moverit veteres, ut uno eodemque nomine arbores diversas insignirent. Unde & plerique postea con- F fuderunt. Ut ut sit, certum est perseam veterum Ægyptiacam non eam esse arborem, quam pro persea illa producunt viri herbariæ rei peritissimi ex America allatam, quæ fructum habet pyro similem & nigrum, quam *mamay* vel *aguacate* dicunt ab incolis vocari. Profecto omnis infima Græcorum ætas περσέαν exponunt ῥοδακινέαν. Ita enim vocarunt, quæ Δωράκινα antiquioribus ex Latino *Duracina*. Persicorum genus quoddam duriore carne sic vocarunt. Græci κατὰ μετάθεσιν appellarunt Ῥοδάκινα, quasi à colore roseo hoc nomen habuerint. Etenim proprium hoc nomen videntur hujus generis Persicorum fecisse, quæ carnem habent rubram. Alias G omne Persicum etiam dixerunt Ῥοδακίνον κατ' ἐξοχὴν, quia ex omni specie hæc præstantissima, unde & generis nomen fecit. Videntur sane omnes ignorasse perseam illam Ægyptiam. Avisena quoque perseam Dioscoridis Arabice reddidit *Allebach*, vel *Allebengi*, vel *Albegi*. Inde nostrum *Alberges*. Quod de quodam genere persicorum, quæ carne rubra sunt, dicimus. *Alberica* quidam ex Latinis dixere ex illo Arabico *Albegi*: ut *Bellirica* myrobalana,

lana, quæ Arabibus ſunt *Belilegi*. Callimachus ex antiquis Perſeam illam Ægyptiam inter genera Perſicorum recenſuit, quorum tres faciebat ſpecies, Perſica ſic proprie dicta, Armeniaca ſive præcocia, & Perſeam. Ita enim de Perſea ſcripſerat:

Καὶ τριτάτη Περσεῖ@ ἐπώνυμ@ ἣν κατέπηξεν
Αἰγύπτῳ.

Vides plane tertiam ſpeciem ab eo memorari Perſeam illam, quam ex Æthiopia in Ægyptum tranſtulerat Perſeus. Præter hanc vetuſtiſſimi duo tantum genera proprie Perſicorum fecerunt, *Perſica* & *præcoqua*. Tertiam his ſpeciem addidit Perſeam Ægyptiam Callimachus veluti congenerem. Lubet & alio illuſtri exemplo patefacere tam veterum negligentiam in tradenda plantarum hiſtoria, quàm neotericorum ſupinitatem in iiſdem agnoſcendis, prout ab antiquitate traditæ ſunt. Nemo eſt eorum, qui Ægyptum patrum noſtrorum ævo perluſtrarunt, quin de familiariſſima ac frequentiſſima nunc in Ægypto planta tradiderit, quam *culcas*, vel *colcas* ajunt vocari ab antiquo nomine *colocaſia*, ut quidem & certè haud abs re ſibi perſuadent. Hinc ex differentia, quam hodie habere noſcitur illa planta *culcas* nominata cum colocaſia antiqua, parum eam cognitam habuiſſe veteres hariolantur hodierni herbarii. *Culcas* Ægyptiacum deſcribunt iſti radicem in Ægypto edulem, ſine flore, ſine caule, ſine fructu. Quæ omnia in colocaſia ſua veteres eſſe ſcripſerunt. Alia omittam diſcrimina, quæ paulò poſt dicentur. Primus Bellonius erroris hanc originem ſibi deprehendiſſe viſus eſt. Herodotus, inquit, vetuſtiſſimus ſcriptor de duabus ſtirpibus in Nilo naſcentibus verba fecit, quarum altera orbicularem habet radicem quæ eſt colocaſia, altera vero quidpiam olivarum nucleis ſimile in capite profert. Illum porro ſubſequuti auctores, alii aliorum veſtigia prementes, ad libitum ſuum de his loquuti ſunt. Ita Bellonius. Videamus Herodoti verba, quæ originis anſam ſequentibus præbuiſſe vult, dum alii alios tranſcribunt. Lotum & fabam Ægyptiam deſcribit Herodotus, & de loto primum ſic ait: ἐστὶ δὲ καὶ ἡ ῥίζα τοῦ λωτοῦ τούτου ἐδωδίμη καὶ ἐγγλύσσει ἐπιεικέως ἐὸν στρογγύλον μέγεθος κατὰ μῆλον. Hæc eſt radix orbicularis, quam Bellonius apud Herodotum pro colocaſia intelligi voluit. In quo manifeſtè falſus eſt. De loti radice ille loquutus eſt, quem lotum omnis antiquitas ſcriptorum à faba Ægyptia diſtinxit, cujus radicem *colocaſium* vocarunt. Lotum ipſum ita deſcribit: φύεται ἐν τῷ ὕδατι κρίνεα πολλὰ τὰ Αἰγύπτιοι καλέουσι λωτόν. Ταῦτα ἐπεὰν δρέψωνται, ξηραίνουσι πρὸς ἥλιον, καὶ ἔπειτα τὸ ἐκ τοῦ μέσου τοῦ λωτοῦ τῇ μήκωνι ἐὸν ἐμφερὲς ὀπτήσαντες ποιεῦνται ἐξ αὐτοῦ ἄρτους ὀπτοὺς πυρί. Paria his de loto ſcribunt Theophraſtus & Dioſcorides. Ille flores ejus lilio ſimiles facit. Unde Herodotus κρίνον vocat. Apud Dioſcoridem corrigendum, ἔχων ἄνθος μακρὸν, λευκὸν, ἐοικὸς κρίνῳ. De radice pariter uterque, rotundam & malo cydonio ſimilem narrant. Theophraſtus: ἡ δὲ ῥίζα τοῦ λωτοῦ καλεῖται μὲν κόρσιον, ἐστὶ δὲ στρογγύλη τὸ μέγεθος ἡλίκον μῆλον κυδώνιον. Emendandum porro apud Herodotum: ἐστὶ δὲ καὶ ἡ ῥίζα τοῦ λωτοῦ τούτου ἐδωδίμη καὶ ἐγγλύσσει, id eſt, *edulis eſt*, & *dulcem habet ſaporem*. Ἐγγλύσσει idem quod γλυκάζει, a verbo ἐγγλύσσω. Heſychius: ἐγγλύσσει, ἐγγλυκάζει. Herodotum ſequutus Theophraſtus in deſcriptione loti non poteſt videri, cum apud hunc ejus hiſtoria longe fuſius ac plenius tractata reperiatur, quam ille in tranſcurſu tantum attigit. Radix illa igitur orbicularis apud Herodotum non eſt colocaſia, ut perperam aſſerit Bellonius, ſed loti radix, ut quidem volunt veteres, longe à colocaſia diverſa. Sequitur altera planta Ægyptiaca apud Herodotum his verbis memorata: ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλα κρίνεα ῥόδοισιν ἐμφερέα, ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα: ἐξ ὧν ὁ καρπὸς ἐν ἄλλῃ κάλυκι παραφυομένῃ ἐκ τῆς ῥίζης γίνεται κηρίῳ σφηκῶν ἰδέην ὁμοιότατον. Hæc eſt colocaſia veterum, non ille lotus, cujus deſcriptio apud eumdem auctorem præceſſit. Hanc plantam lilii nomine etiam donat, ſed rubentis & roſis de colore par. At flores loti ſunt candidi inſtar veri lilii. Theophraſtus de fabæ Ægyptiæ flore, cujus radix *colocaſia* dicebatur: τὸ δὲ ἄνθ@ διπλάσιον ἢ μήκων@, χρῶμα δὲ ὅμοιον ῥόδῳ, κατακορές. Dioſcorides de faba Ægyptia eadem: ἄνθ@ δὲ ῥοδόχρουν, διπλάσιον μήκων@. Herodotus fructum calice dicit contineri è radice adnaſcente ac ſpecie ſimil-

A limo veſparum favis. Theophraſtus: ἐπὶ τούτῳ δὲ ἡ κωδία παρομοία σφηκίῳ περιφερεῖ. Καὶ ἐν ἑκάστῳ τῶν κυττάρων κύαμ@ μικρὸν ὑπεραίρων αὐτοῦ, πλῆθ@ δὲ οἱ πλεῖστοι τριάκοντα. Dioſcorides tradit ubi defloruit faba, tum eam ferre φυσκία παραπλησία θυλακίσκοις, ἐν οἷς ὁ κύαμ@ μικρὸν ὑπεραίρων τὸ πῶμα ὡς πομφόλυξ. Herodotus fabam non nominat ipſum fructum, ſed ita deſcribit: ἐν τούτῳ τρωκτὰ ὅσον τε πυρὴν ἐλαίης γίνεται συχνά: τρώγεται δὲ καὶ ἁπαλὰ ταῦτα, καὶ αὖα. Tempore Herodoti nondum videntur Græci hujus Ægyptiacæ plantæ fructum fabæ nomine donaſſe. Græci Alexandrini, ut apparet, ita vocarunt à ſimilitudine fabæ, idque poſt Alexandri B Magni ætatem. Ut λωτὸν nominat Herodotus alteram ſtirpem, ita hanc etiam ſuo nomine impertiſſet, ſi ullum ſciſſet. Semen hujus plantæ eſui tantum Ægyptiis fuiſſe ait, nihil de radice loquitur. At Theophraſtus etiam radicem ab his eſitari ſolitam tradit, crudam, decoctam atque toſtam. Hanc radicem fabæ Ægyptiæ *colocaſiam* vocatam paſſim memorant Græci, ſed quod notandum eſt, Theophraſto omnes recentiores. Dioſcorides: ῥίζα δὲ ὑπεστι παχυτέρα καλάμου, βιβρωσκομένη ἑφθή τε καὶ ὠμή, κολοκασία καλουμένη. Nicander Dioſcoride antiquior ejus meminerat. Athenæus de faba Ægyptia allatis Nicandri verſibus: ῥίζας λέγει Νίκαν-C δρ@ τὰ ὑπ' Ἀλεξανδρέων κολοκάσια καλούμενα. Verſus ibidem ſubjicitur ex eodem auctore: καὶ κυάμου λέψας κολοκάσιον ἐντμήξας τε. Poſterior igitur hæc appellatio ætate Theophraſti, & à Græcis videtur Alexandrinis manaſſe. Nam ut idem Theophraſtus meminit loti radicem κορσίον vocari, ita etiam radicis fabæ Ægyptiæ nomen minime tacuiſſet. Ergo vocabulum hoc Græcum, & à Græcis, qui in Alexandria habitabant poſt Alexandri tempora, procuſum. Κολοκασίαν non radicem tantum, ſed totam plantam vocarunt. Plinius: *Colocaſia nobiliſſima in Ægypto.* Eleganter facta hæc dictio propter magna & lata folia hujus plantæ. Græ-D cis κασῆς eſt tapes vel amphitapes. Heſychius: κασᾶς, ἀμφιτάπης καὶ πιλωτά. Arcadius grammaticus: κασῆς τὸ πιλωτὸν ἱμάτιον περισπᾶται. Ergo legendum κασῆς, aut κασᾶς apud Heſychium. Pro chlamyde equeſtri etiam legitur apud Xenophontem Παιδ. VIII: χιτῶνας μὲν τούτοις τοῖς τῶν δορυφόρων ἡγεμόσι, κασᾶς δὲ τοὺς ἐφιππείους τοῖς τῶν ἱππέων ἡγεμόσι δός. Sic corrigi ibi debet pro καλέσας. Nam paulo poſt ſequitur: νῦν γοῦν φέρω τώδε δύω κασᾶ, τὸ μὲν σοι, τὸ δὲ ἄλλῳ. Et ſtatim: ἐκ τούτου δὴ ὁ μὲν λαμβάνων τὸν κασᾶν. Ubique ſic ſcribendum auctore Arcadio. Pollux κασᾶς interpretatur ἐ-E σθῆτας εἰλητάς. An πιλητὰς apud eum ſcribi debet? Κασαῖ δὲ εἰσὶ ἐσθῆτες εἰληταί. Ita vulgo edunt. Emendo πιληταί. Nam πιλητὸν & πιλωτὸν Græcis idem. Vetuſtiores magis dixere πιλητὸν à πιλεῖν, quod eſt condenſare & cogere, *coactilia* ſic vocarunt, ſive ex coacta lana veſtes. Πῖλ@ quoque Græcis, id eſt, pileus ex lana coactili denſatus. Unde πῖλ@ Græce dictus ἀπὸ τοῦ πιλεῖν. Ergo & κασᾶς ſimiliter lacerna equeſtris ex lanis coactis facta. Fabæ Ægyptiæ folia Theophraſtus vocavit πίλους, non tantum ab amplitudine, etſi hoc etiam, ſed & à qualitate foliorum, quæ carnoſa ſunt & ſpiſſa. Inde & κολοκάσια quoque poſterioribus ap-F pellata ab eadem ratione. Nam κασᾶς veſtis coactilis. Ab illo κασῆς Latinum hæc *caſa* de parvo tugurio. Ὁ κασῆς, hæc *caſa*: ut ὁ χάρτης, hæc charta. Ita *togam* tam pro tecto, quam pro veſte, qua corpus tegitur, dixere. Sed & *caſula* diminutivum veſtis cucullatæ apud Latinitatis infimæ auctores, ut Iſidorum & alios. Ut inde liqueat τὸ πρωτότυπον ſignificare veſtem, ab illo ſcilicet Græco κασῆς. Apud eoſdem κάσ@ etiam dicebatur pro veſte. Arcadius: τόδε κάσ@ ἀπὸ τοῦ κάσ@ γίνεται κατὰ πλεονασμὸν τοῦ σ. Ἐστὶ δὲ εἶδ@ τινὸς ἱματίου οὕτω καλούμενον. Heſychius: κάσ@ ἱμάτιον παχὺ καὶ τετράχυ περιβόλαιον. Inde compoſitum κολοκάσιον, quod ſi-G gnificat parvum κασῆν, vel parvum κάσον, quaſi κολὸν κάσιον. Nam κάσιον etiam diminutivum à κασῆς. Sic κολόκυμα, μικρὸν κῦμα, quaſi κολοβὸν κῦμα. Ita & κολόσταθμ@, parvus σταθμός. Heſychius exponit ἔπαυλιν ἔχουσαν καταβατὴν τὸν πυλῶνα. Hinc elegantiſſime Alexandrini fabam Ægyptiam nuncuparunt κολοκασίαν, quod ejus folia inſtar eſſent τῶν κολοκασίων, id eſt, parvorum tapetium, vel curtarum lacernarum, ab amplitudine ſcilicet.

ſcilicet. Theophraſtus folia fabæ Ægyptiæ πίλους vocat, & pileis Theſſalicis comparat: περιφύεται δὲ φύλλα μεγάλα παρ' ἕκαστον τῶν κυάμων, ὧν καὶ τὰ μεγέθη πίλῳ Θετταλικῷ ἔοικε. Et paulo poſt: συντείνει δὲ ἕκαστον τῶν κυάμων, φανερὸν ἐστὶ τὸ συνεστραμμένον, ἐξ οὗ γίνεται ὁ πίλος. Eadem prorſus de cauſa Latini perſonatam vocavere *mantifelium*, ab amplitudine foliorum, quæ cucurbitæ foliis ſimilia ſunt. Apulejus in herbario: *Itali perſonaciam, alii dardanam, alii mantifolium.* Ita legendum, non, ſicut habent vulgati, *manifolium.* Sic Hiſpani hodie colocaſium vocant *mantum noſtra domina*, propter amplitudinem foliorum ejus. *Mantifolium* idem prorſus quod κολοκάσιον. Nihil verius igitur quam κολοκάσια dicta eſſe folia fabæ Ægyptiæ, quod exiguas lacernas amplitudine ſua imitarentur. Inde & κολοκάσια ſtirps tota appellata eſt. Alii radicem ita nuncuparunt, quaſi præcipuam partem plantæ. Ut σίλφιον Græci radicem laſerpicii propriè dixerunt, quum tota planta ſic vocaretur. Athenæus templum Minervæ cognomine κολοκασίας Sicyone fuiſſe teſtatur. Quam vehementer errat, ſi quis putat ab Ægyptia colocaſia hoc cognomentum inveniſſe. A curta ac ſuccincta veſte, qua amictum fuit ejus ſimulacrum, ita nominatam eſſe palam eſt. *Colocaſia* etiam flores ſunt apud Virgilium:

Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.

Ubi notat Servius herbam eſſe colocaſiam, quæ poſt devictam ab Auguſto Ægyptum innotuerit, & poëtam dicendo *fundet*, abundantiam floris oſtendiſſe. Hinc apud Plinium lib. XI capite quo veſtium æmulationem cum floribus componit, coloris meminit colocaſii, quaſi à flore nomen ſumpſerit. De amarantho ita ſcribit, unde color amaranthinus: *Summa ejus natura in nomine eſt appellato, quoniam non marceſcat.* Scribe ex veſtigiis veteris ſcripturæ: *Summa naturæ ejus in nomine eſt: appellatio quoniam non marceſcat.* Nam veteres habent: *ſumma natura ejus.* Ita dixit, *ſumma naturæ*, ut *ſumma voti*, alio loco, *ſumma curæ*. At eo loco *in nomine eſt* idem ſignificat quod in fama eſt. Quare omnino legendum fuit ac diſtinguendum ut poſuimus. Subjicit ſtatim: *In nomine & cyani colos, item holochryſi. Omnes autem hi flores non fuere in uſu Alexandri Magni ætate, quoniam proximi à morte ejus auctores de his ſiluere.* Pro *holochryſi* antea corrigere memini, *helichryſi.* Sed falſum eſt eum florem non fuiſſe in uſu Alexandri ætate, quia proximi ab ejus morte auctores de eo ſiluere. Theophraſtus quippe mentionem ejus habet, qui paulo poſt mortem Alexandri ſcripſit. Quid Theophraſtum dico? Alcman, Ibycus, Cratinus hujus floris, ut jam tum coronis celeberrimi, meminere in ſcriptis ſuis, ut teſtimonia ab Athenæo producta ex illis auctoribus fidem faciant. Eum vide lib. XVI. Antiquiſſimus Thuanæus codex hoc loco pro titulo habet: *de quiano & colocaſio.* In ipſo textu ſcriptum exhibet, *holocryſi.* In Rigaltiano: *holocroſi.* An legendum? *in nomine & cyani colos & colocaſii.* Titulus ita ſcribendum ſubmonet. *Holochryſi* tamen eodem libro meminit idem Plinius, cujus medicinas ſeorſim exponit ab elichryſo, quaſi diverſi eſſent flores. Vix tamen aliter poſſum mihi perſuadere, quin ὁλόχρυσος & ἑλίχρυσος idem ſint, diverſis nominibus ſic appellati, quibus floris ejus color ſignatur. Sed hæc alii viderint. Ceterum flores colocaſii non fuerunt in uſu corollarum Alexandri Magni ætate. Nam nullam eorum facit mentionem Theophraſtus. Sed nec ille uſpiam κολοκάσιον nominavit. Ergo, ut ex his conſtat, nomen id poſterius natum eſt Theophraſti ævo, ideo nec illi notum fuit. *Colocaſia*, ut res eſt, vocarunt fabæ Ægyptiæ flores, cujus radicem κολοκασίαν propriè appellatam volunt. Eos flores ad coronas viendas commendat Nicander:

Σπείρειας κύαμον δ' Αἰγύπτιον ὄφρα θερείης,
Ἄνθεα μὲν στεφάνους ἀνύῃς.

Athenæus florem fabæ Ægyptiæ στεφανωτικὸν fuiſſe etiam indicat, ut hæc ejus verba declarant ex epitome: γίνεται δὲ οὕτως ἐκ τῶν κιβωρίων καὶ ἄνθος στεφανωτικόν. Καλοῦσι δ' Αἰγύπτιοι μὲν αὐτὸ λωτόν. Ναυκρατῖται δὲ οἱ ἐμοὶ λέγουσιν οὗτος Ἀθηναῖος μελίλωτον, ἀφ' οὗ καὶ μελιλώτινοι στέφανοι. Hæc profecto mira ſunt, ſiquidem ita ſcripſit Athenæus,

A qui Naucratites & Ægyptius fuit oriundo. Confundit loton cum faba Ægyptia, & utriuſque flores eoſdem facit, quum ex iis, quæ ſuprà diximus, certum ſit veteres λωτὸν & κύαμον, utcumque inter ſe ſpecie in multis conveniant, plantas facere diverſas. Sed illud magis mirum λωτίνους στεφάνους è faba Ægyptia, quæ lotos illi dicitur, eoſdem cenſeri cum μελιλωτίνοις ex herba coronaria meliloto factis, quaſi lotos Ægyptius & melilotos idem fuerit. Et certè nos infrà docebimus loton Ægyptium etiam quibuſdam vocatum fuiſſe μελίλωτον, eumdemque Athenæum fabam Ægyptiam cum loto Ægyptio ſtatuere eumdem ſolo floris colore diſcrepantem. Plinius Ægyptiacum lotum deſcribit
B lib. XIII. cap. XVII Theophraſti verbis, & caulem paluſtrem eſſe dicit, de quo etiam nos infrà. Diodorus ex recentioribus loton & fabam Ægyptiam apertè ſeparat duobus locis, lib. I. τὴν μὲν γὰρ τοῦ καλάμου ῥίζαν καὶ τὸν λωτὸν, ἔτι δὲ τὸν Αἰγύπτιον κύαμον καὶ τὸ καλούμενον κόρσεον. De herbis Ægypti edulibus loquitur. Secernit *corſeon* à loto, quum Theophraſtus loti radicem ſic vocatam ſcripſerit. Strabo quoque κόρσιον aliud ſtatuere videtur à radice loti, qui τράγημα eſſe dicit, ὅμοιον πέπερι μικρῷ αὐτοῦ μεῖζον. Heſychius: κορσεῖον ῥίζα τις καὶ νόμισμα κερσαῖον παρ' Αἰγυπτίοις καλούμενον. Cum Theophraſto ſen-
C tit de radice corſio. Alibi apud eumdem κέρσα, Ἀσιανὸν νόμισμα exponitur. De quo in libris de re nummaria. Ceterum ut κολοκάσιον in faba Ægyptia recens appellatio, ita & κιβώριον. Pleriſque fabam ipſam, hoc eſt, fabæ granum ſic vocari placuit. Strabo lib. XVII: καὶ ὁ Αἰγύπτιος κύαμος ἐξ οὗ τὸ κιβώριον. Et alio loco: οἷον ὁ Αἰγύπτιος λεγόμενος, ἐξ οὗ τὸ κιβώριον, καὶ ἡ βίβλος. Vocat ille κύαμον plantam ipſam, τὸ κιβώριον granum fabæ. Ut paulo poſt: ὁ δὲ κύαμος κατὰ πολλὰ μέρη φύλλα καὶ ἄνθη ἐκφέρει. Unde κυαμῶνες loca hujuſmodi fabis conſita. Dioſcorides & rationem addit, quare ſic vocetur, de grano ipſo ſic loquens: καλεῖται δὲ κιβώριον ἢ κιβώτιον
D διὰ τὸ τὴν φυτείαν τοῦ κυάμου γίνεσθαι αὐτοῦ ἐντιθεμένου ἐν ἐνίκμῳ βώλῳ, οὕτω δὲ εἰς ὕδωρ ἀφιέμενον. Ita fieri ſationem hujus fabæ tradit Theophraſtus, ſed κιβωρίου non meminit: οὐ μὴν ἀλλὰ καταβάλλουσιν ἐν πηλῷ φυράσαντες εὖ μάλα, πρὸς τὸ κατενεχθῆναί γε καὶ μεῖναι, καὶ διαφθαρῆναι, καὶ οὕτω κατασκευάζουσι τοὺς κυαμῶνας. Sic legendus ille locus. Perperam editur ἀχυρώσαντες. In luto humecto & bene ſubacto fabæ granum operiebant, & in flumen dejiciebant. Sic faba naſcebatur, unde κιβώριον fabam ipſam veluti κιβώτιον dictam argutatur, quod luto velut arcula condita ſeri ſoleret. At idem alio loco κιβώριον pro ipſa planta accepit, ubi nymphæam di-
E cit folia & caulem habere ſimilia τῷ κιβωρίῳ. Ita ſumpſit & Diodorus Siculus lib. I. Τό τε καλούμενον κιβώριον δαψιλέστατον ὑπάρχον, φέρει τὸν καλούμενον Αἰγύπτιον κύαμον. Hinc τὸ κιβώριον, hoc eſt, planta dicitur ferre Ægyptiam fabam, id eſt, ſemen ipſum, ſive granum. Straboni è contra ὁ Αἰγύπτιος κύαμος planta eſt, quæ fert κιβώριον, ſive granum. Claudius Julus in Phœnicicis κιβώριον ſtirpem ipſam radice excepta vocatam ſcripſerat, quæ radix *colocaſium* dicebatur. Verba ejus apud Stephanum hæc ſunt: κολοκάσιον μέντοι καλοῦσι τὴν ῥίζαν. Τὸ δ' ὑπερπεφυκὸς κι-
F βώριον ὄψιν ἰδίαν, ἐδωδίμους τε φλεβὰς παρέχων Αἰγυπτίοις. Περὶ δὲ τὸν Νεῖλον φύεται πολλή. Quidquid è radice in altum erigitur, caulem nempe cum foliis & capitibus, κιβώριον ait appellatum. Inde totam plantam κιβώριον vocitant Dioſcorides & Diodorus. Medici recentioris Græciæ κιβώριον granum fabæ cum Strabone nominant. Aëtius: τὸν καρπὸν τῶν Αἰγυπτίων καλάμων καλοῦσι κιβώριον. At vetuſtiores proprie hoc nomine appellarunt vaſcula, quibus incluſum eſt ſemen, ut Nicander his verſibus apud Athenæum:

Ἐσπειρείας κύαμον δ' Αἰγύπτιον ὄφρα θερείης,
Ἄνθεα μὲν στεφάνους ἀνύῃς τάδε πεπτηῶτος,
G Ἀκμαίου καρποῖο κιβώρια δαινυμένοισι,
Εἰς χέρας ἠϊθέοισι πάλαι ποθέουσιν ὀρέξῃς.
Ῥίζας δ' ἐν θοίνῃσιν ἀφεψήσας προτίθημι.

Flores ad corollas expeti dicit, τὰ κιβώρια in manus tradi juvenum, ut pocula inde faciant, ubi fructus maturus inde extractus fuerit, aut deciderit. Radicem autem in menſa coctam adponi. Legendum in illis verbis, ut poſuimus, πεπτηῶτος Ἀκμαίου καρποῖο.

A
Ubi per κιβώρια prorsum intellexit vascula illa similia vesparum favis, quibus inclusum continetur semen fabę Ægyptiæ. Diphilus apud eumdem Athenæum: οἱ δὲ γινόμενοι κύαμοι ἐκ τῶν κιβωρίων, χλωροὶ μὲν εἰσὶ δύσπεπτοι. Nisi per κιβώρια caules potius intelligat. Ergo κιβώρια non sunt fabæ, sed loculi fabarum. Ab eorum similitudine κιβώριον Græcis poculi genus, scypho simile, quod ab inferiore parte in angustum contrahatur, ut ciborium fabę Ægyptiæ. Athenæus de ciborio poculo: Δίδυμος δὲ φησὶ ποτηρίου εἶδος εἶναι, καὶ τάχα ἂν εἴη τὰ λεγόμενα σκυφία διὰ τὸ κάτωθεν εἰς στενὸν συνῆχθαι ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια. Non fabas significat, sed fabarum calices. Vox κιβώριον Græcæ originis. Nam κίβα apud Ætolos pera, vel sacculus.
B
Unde & κιβήσις pro eodem ceteris Græcis. Inde κιβωτὸς arca, quo aliquid includitur, sed & κιβώριον. Alexandrini Græci calices fabarum Ægyptiarum sic vocarunt. Dioscorides φύσκια vocat, & θυλακίσκους ab eorum similitudine, & pocula κιβώρια. Nisi potius è contra calices illi fabales ita vocati sunt, quod essent similes κιβωρίοις, generi poculorum ab Alexandrinis sic vocatorum. Quinimmo Nicander vascula illa fabarum demptis fabis usum poculorum præbuisse clare indicat. At Plinius ex foliis colocasiæ implexis Ægyptios vasa factitasse ad potandum dicit: *Adaque Nili sui dotibus gaudent, ut implexis colocasiæ foliis in variam speciem vasorum potare gratissimum habeant.*
C
Strabo tradit folia fabæ Ægyptiæ sponte sua, ac natura cavitatem exhibere quamdam poculis ac vasis idoneam: ἐστὶ γὰρ σφόδρα μεγάλα φύλλα ὥστε καὶ ἀντὶ ποτηρίων, καὶ τρυβλίων χρῆσθαι: ἔχει γάρ τινα καὶ κοιλότητα πρὸς τοῦτο ἐπιτηδείαν. Non igitur iis implexis opus quæ naturaliter sunt concava, ita ut catini scyphique instar usumque præbere possint. Non tamen in his major κοιλότης, quam in foliis nymphææ, cui similia esse produntur. Ea plerumque oris per ambitum replicatis inveniuntur, ut non male catinorum & scyphorum ideam referant. An & κιβώρια Nicander de foliis ipsis ad hunc modum concavis, & catinorum, sive poculorum vicem præbenti-
D
bus usurpavit?

---- τὰ δὲ πεπτηῶτα,
Ἀκμαίου καρποῖο κιβώρια δαινυμένοισι.

Addit Strabo de foliis: καὶ ἡ Ἀλεξάνδρεια μεστὴ τούτων ἐστὶν κατὰ τὰ ἐργαστήρια ὡς σκεύεσι χρωμένων. *Plena his foliis Alexandria per tabernas & officinas, quæ his utuntur pro vasculis.* Quia replicatas oras in circuitu habebant, usum catinorum & vasculorum facile exhibere poterant. Nec aliter accipiendus fuit auctor ille, unde Plinius accepit, quum dicit Ægyptios implexis colocasiæ foliis in variam speciem vasorum libentissime potare. Implexa illa folia colocasiæ intellexit auctor ille quisquis est, quæ per ambitum naturaliter replicata sunt, qualia & nymphææ
E
sæpe visuntur. His ad hunc modum replicatis & implexis utebantur ad varia vasa. Nam & catini, & patinæ, & scyphi inde fiebant. Plinius tamen videtur aliter intellexisse, non naturaliter sed arte implexa in variam speciem vasorum. Legitur in Thuanæo: *Ut implexis colocasiæ foliis in variat specie vasorum potare gratissimum habeant.* Scribendum: *in varias species vasorum.* Hæc sine dubio confudit Plinius. Variæ species vasorum fiebant ex implexis ac replicatis per ambitum colocasiæ foliis,
F
ut pateræ, catini, & scyphi. Quod Strabo diserte testatur. Ut enim sunt natura implexa, & κοιλότητα habent vasculis cujuslibet generis idoneam. Unde non tantum ad potandum quasi scyphis iis utebantur, sed etiam catinis: ἐστὶ γὰρ μεγάλα, ὥστε καὶ ἀντὶ ποτηρίων καὶ τρυβλίων χρῆσθαι. Ἔχει γάρ τινα καὶ κοιλότητα ἐπιτηδείαν πρὸς τοῦτο. Quænam esset illa κοιλότης explicavimus. Hæc cum ita sint, Nicandri tamen κιβώρια de calice potius, quo tenetur inclusum semen, videntur interpretanda: & legendum πεπληῶτος: ---- τάδε πεπτηῶτος,

Ἀκμαίου καρποῖο κιβώρια δαινυμένοισι.

Ubi semen maturum decidit, tum calices præbent usum scyphorum.
G
Præterea κιβώρια Athenæus sic vocata tradit, διὰ τὸ κάτωθεν συνῆχθαι, ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια. Quod de calice seminis plane est intelligendum, nec enim folia, quæ in catinorum usum implexa suapte natura, vel arte formantur, sunt κάτωθεν συνηγμένα, nec ab inferiore parte in acumen desinunt, sed planum habent situm. Postremo calices ipsos, sive capita colocasiæ, quæ semen continent, κιβώρια proprie appellata plerisque constat, quo nomine & fabas ipsas quidam nuncuparunt. Strabo ibidem narrat magnum reditum ex his foliis ad hunc usum comparatis per totam Ægyptum fieri, adeo ut agri etiam hoc potissimum reditu censeantur: καὶ οἱ ἀγροὶ μίαν τινὰ τῶν προσόδων, καὶ ταύτην ἔχουσι τὴν ἀπὸ τῶν φύλλων. Mirum est nihil eum de radice tradere, nec in descriptione fabæ Ægyptiæ κολοκάσιον nominare, quum radix ejus sic vocaretur. Atqui sciens de illis loquitur, quæ ipse vidit, utpote qui Ægyptum se peragrasse totam fateatur. Plinius seorsim *fabæ Ægyptiæ* historiam, & *colocasiæ* descriptionem posuit, veluti diversæ stirpes forent. Fabam Ægyptiam Theophrasti verbis exequutus est lib. XVIII. cap. XII: qui Theophrastus colocasii, vel colocasiæ in ea describenda non meminit. At lib. XXI. cap. XV colocasiam tanquam ab illa Ægyptia faba in totum aliam ponit exponitque: nec enim meminit sese antea ejus mentionem fecisse sub nomine fabæ Ægyptiæ, sicut alias semper solet. Quod signi est, non easdem putasse. Atque ita mos ejus est perpetuus, ut res à diversis auctoribus paulo diversius expositas, vel aliis nominibus, & ipse diversis in locis ponat quasi alias. *In Ægypto*, inquit, *nobilissima est colocasia, quam cyamon aliqui vocant.* Cur Græcam vocem retinuit, & non potius fabam dixit? Nam *fabam Ægyptiam* Latini vocarunt, ut Græci Αἰγύπτιον κύαμον. Præterea cur dixit aliquos ita vocare, quum omnes auctores radicem Ægyptiæ fabæ κολοκάσιον vocari unanimiter consentiant? Sed ex Græco aliquo auctore fortasse hæc vertit, qui ita scripserat: κολοκάσια τινὲς δὲ κύαμον καλοῦσι. Ita enim Græci nominant. Strabo: καὶ ὁ κύαμος πιστός, de faba Ægyptia. At hic noster idem supra loton dixit esse *similem fabæ*, quum de Ægyptia intelligat. Poterat hoc loco & sic vertere: *Hanc è Nilo metunt, caule cum coctus est araneoso in mandendo.* Notabis heic non radicem mandi, sed caulem. Radix ipsa in fundo Nili. Caulis demetitur è Nilo ac cæditur, manditurque, non autem radix evellitur. Caulem quoque esitari solitum tradebat Claudius Julus in Phœnicicis: κολοκάσιον μέντοι καλοῦσι τὴν ῥίζαν, τοῦ δ᾽ ὑπερεπεφυκὸς κιβώριον ὄψιν ἰδίαν ἐδωδίμους τε τὰς φλέβας παρέχων Αἰγυπτίοις. Non dicit radicem, quæ *colocasium* vocabatur, in cibos admissam ab Ægyptiis, sed ciborium edules venas ac fila præbuisse. Κιβώριον vocat caulem ipsum, & quidquid ex radice surgit, ac supereminet aquis. Martialis sub lemmate *colocasia* idem prorsus innuit:

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Olus vocat Niliacum, quia caules ejus manderentur. Græci vocant λάχανα omnes herbas, quarum caules, aut folia esui sunt: & λαχανεύεσθαι dicunt quæ sic parantur ut edi possint. Radices ab hoc censu separantur, nec sub olerum nomina veniunt. Diphilus tamen apud Athenæum fabæ Ægyptiæ radicem, quam κολοκάσιον vocant, in cibis usurpatam ostendit, & maxime probatum ait κολοκάσιον, τὸ ἧττον ἐριῶδες. Sane & Theophrastus edulem omni genere radicem fabæ Ægyptiæ fuisse pronuntiat, crudam, tostam, & elixam. Ut ut sit, caulis etiam mandebatur. Araneosus & lanosus in mandendo erat, quia multis fibris intus distinguitur veluti dissepimentis. Theophrastus de caule fabæ Ægyptiæ: ὅμοιος δὲ καλάμῳ μαλακῷ ἀγονάτῳ, διαφύσεις δὲ ἔνδοθεν ἔχει διόλου διειλημμένας ὁμοίως τοῖς κηρίοις. Propter illas διαφύσεις, quæ veluti fibræ ac fila totam ejus medullam occupabant, in mandendo lanæ sequacis instar morsu trahendus fuit. Nec secius radix, quæ hac in parte cauli similis: ἡ δὲ ῥίζα παχυτέρα καλάμου τοῦ παχυτάτου καὶ διαφύσεις ὁμοίως ἔχουσα τῷ καυλῷ. Ideo maxime commendatam in cibis radicem ejusmodi testatur Diphilus, quæ minus lanosa esset, & minores haberet διαφύσεις. Superiora Theophrasti verba sic Plinius vertit, ut legendum est ex veteri libro: *Longitudo scapo quatuor cubitorum est, amplissima crassitudo digiti; ni genicula abessent, molli calamo similis, caput papaveri, colore roseo: in eo fabæ non supra triginta.* Vulgo est, *supra tricenas.* Libri *tricena.* Scriptum olim fuit *trecenta*, pro triginta Theophrastus τριάκοντα. Paulo post: *sed radix perquam lauta incolarum cibis, cruda & omnino decocta, harundinum radicibus similis.* Non scribendum est *lata*, ut volebat Turnebus. Ibi radicem tantum edulem dicit ex Theophrasto. Hic ex alio auctore solum colocasiæ caulem manducari

cari tradit. Scapus ille, ſive caulis longitudine quatuor cubitorum ad ſummum fuit. Strabo, qui vidit illos κυαμῶνας Ægyptios, caules eorum decem pedum longos tradit, pariſque omnes altitudinis: καὶ ὁ Αἰγύπτιος κύαμος, ἐξ οὗ τὸ κιβώριον σχέδόν τι ἰσοϋψεῖς ῥάβδοι ὅσαν δέκα πόδες. Longiores facit quam Theophraſtus. Caulem etiam habuiſſe hanc plantam memorat Claudius Julus apud Stephanum in voce Ἄκη. Sic enim è ſcriptis libris verba ejus emendanda ſunt: μέχρις ἂν τύχῃ ποταμῷ φύουσι πόαν τῇ ὕδρᾳ παραπλησίαν. Et paulo poſt: φέρει δὲ τὸν ποταμὸν, καὶ τὴν πυθόχρηστον πόαν, ἧς ὁ καυλὸς ἥ τε ῥίζα πάντως ἐστὶν ὀφιώδης καὶ ποικίλω, καὶ ταῖς κεφαλαῖς, ὁπόσας γὰρ ἄν τις ἀποκείρῃ, φύονται αὖθις ἑτέραι. Sic habent libri: non, ἧς ὁ καρπὸς, ἥ τε ῥίζα. Subjicit: Κολοκάσιον μέντοι καλοῦσι τὴν ῥίζαν, τὸ δ' ὑπερπεφυκὸς κιβώριον. Hic vocat κιβώριον, quem ſupra καυλὸν dixit. Addit: ὄψιν ἰδίαν, ἐδωδίμους τε τὰς φλέβας παρέχον Αἰγυπτίοις. Lege: ὄψιν ἡδεῖαν, id eſt, *jucundum ſpectaculum.* Quod explicat Strabo lib. XVII de hac faba Ægyptia loquens: οἱ οὖν κυαμῶνες ἡδεῖαν ὄψιν παρέχουσι τοῖς ἐνευωχεῖσθαι βουλομένοις: εὐωχοῦνται δ' ἐν σκάφαις θαλαμηγοῖς, ἐνδυόνται δ' εἰς τὸ πύκνωμα τῶν κυάμων, καὶ συσκιάζονται τοῖς φύλλοις. Per Nilum navigantes in thalamegis & in denſiſſima fabeta inſinuati, foliiſque eorum inumbrati jucundiſſime epulabantur. Fabeta illa in Nilo eodem creſcebant modo quo harundineta: & fabarum caules ſimiles prorſus harundinibus niſi quod geniculis carerent. Habes mox apud Plinium: *Thyrſo autem qui inter folia emicat, ſpectabili foliis latiſſimis, etiam ſi arboreis comparentur.* Vocat heic *thyrſum*, quem *ſcapum* dixit in faba Ægyptia, quæ eadem eſt cum colocaſia. Theophraſtus, & Claudius Julus καυλὸν appellant. Strabo ῥάβδον. Hic thyrſus inter folia emicat, quia hinc inde folia emittit. Strabo: ὁ δὲ κύαμος κατὰ πολλὰ μέρη ἄνθη καὶ φύλλα ἐκφέρει. Vocat κύαμον ſcapum ipſum fabæ, non granum. Theophraſtus: παραφύεται δὲ φύλλα μεγάλα παρ' ἕκαστον τῶν κυάμων. Et heic κύαμοι ſunt caules fabarum. Theophraſti verba peſſime verterunt interpretes, qui & κυάμους eo loco *grana fabæ* acceperunt, & πῖλον *pilulam*, quum *pileum* ſignificet. Ita enim vocat folia fabæ: συντρίψαντι δ' ἕκαστον τῶν κυάμων, φανερόν ἐστι τὸ συνεστραμμένον, ἐξ οὗ ὁ πῖλος: *& quum ſingulos fabarum caules contriveris. apparet illud neſcio quid contortum intus, unde fit pileus, ſive petaſus, hoc eſt, folium fabæ.* Folia fabæ dicit eumdem habere caulem cum fabæ ipſius thyrſo, quia ſcilicet non prodeunt è caule cum longis pediculis, ut in aliis herbis ſolent, ſed preſſius adhærent, & nullo pediculo enaſcuntur. Ὁ πῖλος igitur eſt folium fabæ, pilei vel petaſi inſtar. Nemo unquam novit πῖλον eſſe pilulam. Dioſcorides de colocaſia: ἔχει δὲ φύλλον μέγα ὡς πέτασον. Sic πετασίτης herba dicta eſt, quod latum & πετασῶδες folium haberet. Dioſcorides: Πετασίτης, μίσχος ἐστὶ μείζων πήχεως, δακτύλου μεγάλου πάχος, ἐφ' οὗ φύλλον πετασῶδες μέγα. De qua nos infra pluribus. Plinius: *foliis latiſſimis, etiam ſi arboreis comparentur.* Atqui non latiſſima arborea folia. Multæ quippe herbæ ſuperant omnes arbores foliorum latitudine. Scribe igitur: *foliis latiſſimis, ſed jam ſi arboreis comparentur.* Latiſſima eſſe dicit folia colocaſiæ, ſed ſi arboreis comparentur. Quamplurimæ enim ſunt herbæ, quarum foliis ſi conferantur folia colocaſiæ, non poſſit dici ea habere latiſſima. Subjungit: *ad ſimilitudinem eorum quæ perſonata in noſtris amnibus vocamus.* Hæc corruptiſſima eſſe nemo negaverit. *Perſonatum* de herba non dicunt Latini, ſed *perſonatam.* Præterea de foliis tantum loquitur, quæ *perſonata* non dicuntur. Deinde perſonatæ foliis ſimilia non ſunt colocaſiæ folia, ſed nymphææ. Dioſcorides de nymphæa prima: φύλλα δὲ ἔχει ὅμοια κιβωρίῳ. Theophraſtus de loto Ægyptio, qui prorſus idem cum nymphæa: τούτου δὲ ἡ μὲν τοῦ καυλοῦ φύσις ὁμοία τῇ τοῦ κυάμου, καὶ οἱ πέτασοι δὲ ὡσαύτως. Poſtremo perſonata non naſcitur in amnibus. Veriſſima conjectura lego: *foliis latiſſimis, ſed jam ſi arboreis comparentur, ad eorum ſimilitudinem quæ per ſe nata in noſtris amnibus notamus.* Dicit folia colocaſiæ ad eorum ſimilitudinem eſſe, quæ per ſe nata ſpectantur in amnibus. Ea ſunt folia nymphææ.

A Hæc Plinius de colocaſia: quæ ſine dubio alicui auctori debet, cujus hodie ſcripta non extant. Mirum vero in hac deſcriptione colocaſiæ Ægyptiacæ nullam fieri mentionem fabarum ejus, ſed nec florum, nec capitum, ſive calicum, quibus fructus continebatur incluſus, aliquantum ſupereminens, operculi inſtar. Dignum etiam animadverſione & admiratione, diligentiſſimum ſcriptorem idoneumque harum rerum auctorem Strabonem, qui Ægyptum vidit, quum Ægyptiam fabam deſcriberet & κιβωρίου nominatim faceret mentionem, nullam feciſſe κολοκασίου.
B Hæc movere ſuſpicionem poſſunt etiam cuilibet non multum perſpicaci diverſam fuiſſe fabam Ægyptiam & colocaſiam. Immanem in modum hanc ſuſpicionem valet exaugere, quod ea radix, quæ hodie in Ægypto nobiliſſima eſt ac frequentiſſima in uſu menſarum, quæque *colcas* vocatur ab antiquo nomine *colocaſium*, toto genere ac facie divertit ab Ægyptiæ fabæ hiſtoria. Ut ex his, quæ poſuimus, liquet, faba Ægyptia nobis deſcribitur ab antiquis, caulis harundini ſed minime geniculatæ ſimilis, in Nilo & paludibus naſcens, digitalis craſſitudinis, quatuor cubita vel etiam decem pedes alta, foliis latiſſimis hinc inde & floribus prodeuntibus multis, capitibus, ubi decidere flores,
C emergentibus, papaverum κωδίαις haud abſimilibus, niſi majora eſſent, in quibus fabæ reperiuntur diverſis incluſæ loculis, Græciæ quidem fabis ſimiles ſed majores. Hæc omnia neutiquam convenire poſſunt cum hodierna Ægyptiorum colocaſia, quæ radix bulborum generis paſſim in agris etiam longè à flumine proveniens, foliis quidem nymphææ, verum longioribus & ari proximis, quæ fructu pariter & flore ſemper caret, nec ullo caule aſſurgit. Ut referunt qui Ægyptum luſtrarunt ac per multos annos medicinam ibi exercuerunt, omnes agros ea planta conſitos ubique
D in Ægypto videre eſt, nec ulla radix, aut herba gentibus illis notior, nec ad eſum communior. Faba Ægyptia in flumine tantum Nilo naſcebatur, aut paludibus, quibus Nilus reſtagnabat. Ideo ſoli ea victitabant, qui circa paludes colebant, οἱ ἐν τοῖς ἕλεσιν κατοικημένοι, ut diſerte teſtatur Herodotus, cui Theophraſtus ſuccinit: καὶ οἱ περὶ τὰ ἕλη τούτῳ σίτῳ χρῶνται. Idem ſcribit crocodilos à radice fabæ Ægyptiæ refugere, dum oculis ſuis cavent, quia aculeis hiſpida eſt. Ergo faba illa Ægyptia in ipſo Nilo naſcitur, & ſpinulenta eſt, eodemque inſuper teſte harundinum radicibus ſimilis, quorum nihil cum radice colocaſiæ poteſt quadrare, quæ rotunda eſt lagenæ ſpecie, ſpinis caret, &
E in continente terra provenit. Certum eſt igitur veteres pleroſque fabæ Ægyptiacæ radicem cum colocaſiæ confudiſſe, & utramque eodem nomine appellaſſe, quod utraque in Ægypto naſceretur, & edulis haberetur. Rationem, qua id facere potuerint, ut tam diverſa genera miſcerent, quum diu inveſtigaſſem, reperi tandem ex plantæ utriuſque foliorum inter ſe aliqua ſimilitudine, quæ propterea nomen idem invenerint, ex eaque nominum ταυτότητα eum veteribus errorem objectum fuiſſe, ut diverſiſſimas plantas pro iiſ-
F dem habuerint. Hoc nomen κολοκάσιον potuit diverſis herbis attribui, quæ latiſſima habent folia: nam parvum mantum, vel lacernam ſignificat. Hinc arum quidam ex veteribus etiam κολοκάσιον appellarunt ab amplitudine foliorum. Hæc eadem foliorum latitudo fecit ut recentiores Græci, & præcipue Alexandrini fabæ Ægyptiæ nomen indiderint colocaſiæ. Ut autem hodierna Ægyptiorum colocaſia in totum alia eſſe deprehenditur à faba ipſa Ægyptia, ita apud veteres quædam de colocaſia, id eſt, faba Ægyptia dicta reperiun-
G tur in eorum ſcriptis, quæ non conveniunt cum deſcriptione fabæ Ægyptiæ. Palladius in Februario monet ponendos eſſe colocaſiæ bulbos, eoſque *amare humidum locum, pinguem, & maxime irriguum, circa fontes lætari ac rivos.* Primum nulli bulbi ſunt in radice Ægyptiæ fabæ, quæ harundinum radicibus ſimilis eſt. Deinde ad ſationem fabæ Ægyptiæ non bulbi radicis in terra ponebantur, ſed fabæ grana luto ſubacto involuta in flumen demittebantur. Denique non circa rivos, aut fontes proveniebat Ægyptium κιβώριον, ſed in ipſis amnibus & paludibus, quibus ſi aqua deficeret,

etiam

etiam emoriebatur stirpitus, ut ex Athenæo constat lib. III. Palladii itaque colocasia non eadem est cum Ægyptia faba, sed cum hodierno Ægyptiorum *colcas*. Aëtius κιβώελον, hoc est, fabam Ægyptiam, & ejus virtutes seorsim explicat. At ubi de *colocasia* tractat, non meminit eam radicem esse κιβωρίε, vel fabæ Ægyptiæ. Κολοκάσιον, παραπλησία ταύτης τῆς ῥίζας ἡ δύναμις ἐςὶ ταῖς γογγυλίσι καὶ κρομμύοις, γλίσχρον δὲ αὐτῆς τὸ σῶμα ἐςὶ. Hoc colocasium Aëtii idem prorsus videri par est cum vulgari Ægyptiaco, quod hodie edunt raporum, vel naporum vicem, & sapore subamaro esse ajunt cum acri viscositate, sed ubi coctum est, satis dulce existere. Gongylides, id est, sativa rapa ad libidinem incendunt teste Dioscoride, ut & cæpe. Ægyptii quoque ferunt colocasiam suam multum seminis facere, veneri idoneos maritos reddere. Nullam talem facultatem agnoscit Diphilus Siphnius in colocasia, quæ radix est fabæ Ægyptiæ, quem vide apud Athenæum. Fabam Ægyptiam inter legumina recensent medici veteres & facultate eadem præditam affirmant cum faba Græca, Dioscorides, Galenus, Aëtius, aliique. Ea nascebatur in eo frutice aquatico ac fluviatili qualis ab illis depictus est, & nobis supra eorum verbis expositus. Sed ea omnino diversa fuit à colocasia, & ipsa Ægypti herba, quæ prope rivos nasci locis irriguis gaudet, non in ipsis fluminibus & stagnis, ut faba Ægyptia. Mira igitur harum stirpium indiscretio & intricatio nominum in veterum scriptis deprehenditur. Cujus nullam aliam causam afferri video posse præter jam dictam, eamque nisi me opinio decipit, verissimam. Faba Ægyptia latissima habuit folia & petasis sive pileis Thessalicis similia, unde & πῖλοι sive πέτασοι folia ejus Theophrasto nominantur. Hæc eadem κολοκάσια etiam quibusdam appellata videntur, quasi parvæ & curtæ lacernæ. Sic personata *mantifolium* Apulejo dicitur, quia folia æque lata habeat, ut *mantum*, id est, parva lacerna. Quod est κολοκάσιον. Nam κασῆς est lacerna equestris brevis. Altera herba Ægypti, cujus radix in cibis lautissima habebatur, folia similiter lata habuit, quam propterea κολοκασίαν etiam appellarunt. Hodierna quippe colocasia latissima folia præfert & pæne similia fabæ Ægyptiæ. Proxima enim sunt nymphææ foliis, nisi longiora essent. At folio nymphææ specie simillimum tradunt veteres omnes Ægyptiæ fabæ folium. Eam *colocasiam* hodicque à Bæticis *mantum nostræ Dominæ* vocari ajunt, quod est ad verbum κολοκάσιον. Hispani ipsi vocant *alcoleas* nomine, ut res est, deducto à voce *colocasium*. Cum igitur duæ stirpes Ægyptiaci soli peculiares idem nomen haberent, & folia pæne gemina ederent, locis irriguis una, stagnis & fluminibus altera gauderet, inde factum ut colocasiæ radici imposuerint Ægyptiæ fabæ caulem, quia colocasia etiam à quibusdam vocaretur, & sic ex geminis plantis unam composuerint. Ex eo fonte & capite error procedit, quo alii radicem Ægyptiæ fabæ κολοκασίαν appellari volunt, alii totam plantam sic appellant. Inde etiam est quod nonnulli radicem Ægyptiæ fabæ edulem Ægyptiis fuisse asserunt, alii caulem tantum mandi solitum meminere. Inde quoque quod colocasiæ fructum & flores quidam tribuunt, quidam eam describunt sine fructu & floribus. Herodotus scriptor antiquissimus nihil ex faba Ægyptia ad esum sumi testatur præter grana vel nucleos quæ fabæ sunt. Strabo idoneus in primis auctor & qui fabeta Ægypti in Nilo vidit, nusquam vel verbo meminit radicem ex iis edulem fuisse, quum tamen in ea planta describenda plusculum moretur, & foliorum usum ad pocula & vasa facienda per omnem Ægyptum frequentissimum deprædicet. Claudius Iolaus diserte testatur κιβώελον, hoc est, caulem Ægyptiacæ fabæ fibras quasdam & fila venosa vesca Ægyptiis suis præbere. Et sane verum est. Nam è Nilo demetebatur hæc planta more harundinum, & cæsa renascebatur, sicque per annos multos durabat. Quod si radices evulsissent ipsas, quotannis de novo serenda fuissent, ac reficienda fabeta. Ideo hydræ eam comparabat oraculum. Iolaus: ἧς ἡ καυλὸς ἥ τε ῥίζα πάντως ἐςὶν ὀφιώδης τῷ ποικίλῳ, καὶ ταῖς κεφαλαῖς. Ὁπόσας γὰρ ἄν τις ἀποκείρῃ, φύονται αὖθις ἕτεραι.

Plinius quoque disertim colocasiæ thyrsum mandi solitum asseverat, araneosumque esse in mandendo, nihil de radice dicit. Sed nec Martialis, qui colocasiam *Niliacum olus* vocat. Qui radicem fabæ illius comedi prodidere, & κολοκασίαν appellatam dixere, sine dubio radicem illam hodie notissimam, quia eodem nomine nuncupatur, cum radice fabæ Ægyptiæ confudere. Nihil tamen etiam prohibet quin utraque cibis recepta fuerit apud Ægyptios. Plinius in descriptione colocasiæ quædam habet quæ referri debent ad Ægyptiam fabam, nonnulla etiam quæ colocasiæ hodiernæ & vulgari conveniunt. Quod enim κύαμον à quibusdam appellari dicit, fabæ Ægyptiæ congruit: item quod ejus thyrsum mandi solitum ait, araneosumque esse in mandendo. At enim vero quod nec fructum, nec flores illi attribuit, & seri jam in Italia affirmat, id pertinet ad alteram colocasiam quæ radix est bulbacea latissimis & ipsa foliis, sine fructu, sine flore, sine caule. Columella tradit in piscinis medium terrenum relinquendum esse ubi conseratur colocasia ut inumbrari ejus foliis possint anatum cubilia. Hæc cubilia in sicco ponebantur: ergo & colocasia illa in sicco serenda licet riguis & fontibus adseri amet. Ægyptia autem faba in amnibus ipsis ac stagnis mediis crescit, non in terreno: nec potest vivere, aut nasci nisi sit in aqua. Ex his omnibus liquet duas fuisse plantas in Ægypto idem nomen ferentes fabam Ægyptiam, & aliam radicem cibo expetitam, quæ nec florem, nec fructum edit, caule assurgit. Ea est quam hodie Ægyptii *colcas* vel *culcas* vocant, id est colocasium. Nomen quippe antiquum mansit ut in sexcentis aliis: ita & in casyta veterum, quam hodie *cuscutam* vocant vel *cassutham*. Inter eas herbas numeratur quæ in terra sedem suam non habet, sed in aliena nascitur ac vivit, in aliis nempe herbis aut arboribus quibus sustinetur. De ea Plinius lib. XVI. cap, ult. *Est & in Syria herba quæ vocatur casytas, non tantum arboribus, sed etiam spinis circumvolvens se.* Male in editis *cadytas*. Libri habent *castas*, pro *casitas* vel *casytas*. In indice, *cassitas*. Græci κασύζας. Hesychius: κασύτας, βοτάνιόν τι ἐν Συρίᾳ. Hodie *cassutha* dicitur. Et falluntur qui non putant idem esse, & negant Græcos veteres ejus meminisse. Theophrasto vocatur καδύτας lib. II. Caus. cap. XXIII. Ἔτι δὲ τὸ Συριακὸν βοτάνιον, ὁ καλούμενος καδύτας, καὶ δένδροις καὶ ἀκάνθαις ἐμφύεται καὶ ἄλλοις τισί. Corrigendum ex Hesychio κασύζας. Perperam Plinium emendaverant ex corrupta illa Theophrasti lectione. Sed ad rem. Colocasium, sive *colcas* hodiernum fertur folia habere aro simillima. At colocasia faba nymphææ perquam simile folium habet. Quidquid contra pertendant quidam, suspicor colocasium illud vulgare & hodie notum ari speciem quamdam esse Ægypti peculiarem. Præter folia ari foliis proxima bulbacea etiam radice nititur, ut arum. Radix ari veteribus cocta mandebatur, raporum more. Præter arum vulgare tradit Galenus lib. II de Alim. Facul. ari genus in Cyrenaïca nasci, radice admodum dulci, & quæ nullum in medicina locum ex virtute aliqua propria obineat: jucundius edi ab illinc hominibus quam rapa. Radices inde in Italiam usque deferri. Etenim diu servari posse. Illud arum Cyrenaïcum prorsus idem cum colocasia Ægyptia vulgari fuisse mihi persuadeo. Hæc opinio stabilitur non minimum ea re, quod asserunt *colocasiam* multis in locis Lusitaniæ circa rivos nasci ex Africa, ut ferunt incolæ, allatam. Sed præcipue id eam suspicionem mihi confirmat, quod arum κολοκάσιον à Cypriis vocatum notat vetus auctor auctuarii ad Dioscoridem his verbis: Ἄρον τὸ καλούμενον. παρὰ Σύροις λοῦφα, οἱ μὲν ἄλιμον, οἱ δὲ θύμον, οἱ δὲ δρακοντίαν, ὃ οἱ Κυπρίοι, καὶ κολοκάσιον λέγουσι. Et sane cum vox κολοκάσιον Græca sit, idque significet quod diximus, omnibus plantis, quæ latissima habent folia ut arum, & nymphæa, & faba Ægyptia, potest impertiri. Arum vulgare floret. Ægyptiacum vel etiam Cyrenaïcum, quod est verum colocasium, nullo pubescit flore. Cum Palladius colocasiæ bulbos nominat, & circa rivos & rigua serendos monet, de alia

colocasia

colocasia non debet accipi. Nam ut dixi faba Ægyptia, quæ etiam colocasia dicta est à foliorum pari latitudine, nec bulbos habet, nec bulbis seritur, sed fabis ipsis. Suspicor etiam, ut hanc tandem exercitationem absolvam, τὴν πετασίτην Dioscoridis non male accipi posse pro hac κολοκασίᾳ. Idem certe nomen est πετασίτης & κολοκασία, ut πέτασος folium colocasiæ dictum est à similitudine & amplitudine. Ita & κολοκάσιον quasi κολὸν κάσιον, id est, mantum breve, vel curta lacerna. Et videntur quidam appellasse πετασίτην eamdem herbam, quam alii κολοκασίαν dixere. Quod fefellit Dioscoridem qui tanquam diversas recenset. Præterea nullam ille colocasiam in censum herbarum retulit præter Ægyptiam fabam, quæ ut dixi alia est ab hac colocasia. Pediculum petasiti longum & crassum tribuit. Μίσχος enim, non μόσχος apud eum legi debere puto. Ἐφ' ὃ φύλλον πετασῶδες μεγάλον περικείμενον ὥσπερ μύκης. *In cujus summitate folium petasi instar magnum impositum est fungi modo.* Cum colocasiæ vulgaris icone hæc adeo bene congruunt ut nihil supra. Longis & crassis pediculis surgit, quibus folium latum & πετασῶδες superponitur prorsus eodem modo quo caput funginum scapo suo infixum hæret superne. Nec prohibet quod plures pediculos colocasiæ tribuant neoterici herbarii, quum Dioscorides unum tantum videatur agnoscere: πετασίτης, μίσχος ἐστὶ μείζων πήχεως, δακτύλε μεγάλε πάχος, ἐφ' ὃ φύλλον πετασῶδες μέγα, περικείμενον ὥσπερ μύκης. Aliquando plures, aliquando unum tantum emittit pediculum, præcipue cum novella est. Colocasiæ iconem heic subjiciendam curavi ex recentiorum herbariorum scriptis prolatam, quæ ita consonat descriptioni petasitis Dioscorideæ, ut nihil magis concinens fieri possit.



Quaterna aut quina ad hunc modum folia habere traditur, pediculis crassis firmisque superposita plane fungino more. *Petasitin* herbarii hodie apud Dioscoridem interpretantur de altera specie bardanæ. *Bardana* est quam Latini *personatam* vel *persolatam* appellant: quidam etiam *personaciam*. Apulejo in herbario dicitur *dardana*. At petasitis nec in Gallia, nec in Italia fortasse nunc nascitur, estque vera colocasia, sed alio nomine sic appellata, quod imposuit Dioscoridi. An non similiter omnino loton Ægyptium, qui idem est cum nymphæa alba, diversis locis recensuit veluti plantas diversas? Quem errorem participat cum Theophrasto, & quibusdam aliis veterum. Lotus inquam Ægyptius gemina germana nymphæa est, & tamen seorsim

A utramque descripsit Dioscorides, quia nymphæa vocitata sit quæ in Græcia nascitur, *lotus* vero ea, quæ in Ægypto crescit, ab aliis sit appellata, quia dulcis ad cibum esset ejus radix, & semine uterentur Ægyptii ad panem conficiendum. Theophrasto quoque νυμφαία inter radices dulces numeratur, & semen ejus esitasse Bœotos tradit. Καλοῦσι δὲ, inquit, αὐτὴν οἱ Βοιωτοὶ μαδωνίαν, καὶ τὸν καρπὸν ἐσθίουσι. Plinius de nymphæa: *laudatissima in Orchomeno, & Marathone. Bœoti madon vocant & semen edunt.* An igitur legit in Theophrasto: οἱ Βοιωτοὶ μάδον καλοῦσι. Sed in scriptis Plinianis habetur *mallon.* In indice quoque manuscripto ita legitur:
B *Nymphæa, sive heraclion, sive rhopalon, sive mallos.* Quæ nymphææ cognomina sunt, quorum tamen in textu nulla mentio. Sed tam in Plinio quam in Theophrasto legendum μαδὸν. Hesychius: μαδὸν ποία καὶ λεῖον. Quare ῥόπαλον etiam dicatur nymphæa docet Dioscorides: ῥίζα, inquit, μέλαινα, τραχεῖα ῥοπαλοειδής. Hæc habet teste Plinio & Dioscoride florem lilio similem, qui, ubi defloruit, caput effert papaveri simile. Hæc omnia in loto Ægyptio, quem & κρίνον vocat Herodotus. Græci omne fere genus florum hoc nomine appellavere. Hinc tam multis herbarum, arborum, florumque generibus hoc inditum nomen. Hesy-
C chius: λωτὰ, ἄνθη, λωτεῦντα, ἀνθοῦντα. Unde λωτίζειν, ἀπανθίζεσθαι: & λώτισμα, flos delibatus. Idem: λώτισμα πρῶτοι καὶ ἐπίλεκτοι: ut λώτισμα τῆς νεολαίας, *flos juventutis.* Idem: λωτὸν, πᾶν ἄνθος. Hinc etiam nymphæam Ægypti λωτὸν Αἰγύπτιον appellarunt, cujus flos pulcerrimus & coronis expetitus. Hujus etiam semine, caule, ac radice vescebantur Ægyptii, haud secus ac lotophagi suo loto. Ex quo λωτοβοσκὸν φῦλον apud veterem poëtam quidam etiam de Ægypto interpretati sunt. Hesychius: λωτόβοσκον φῦλον, οἱ μὲν τὴν Θρᾴκην, οἱ δὲ τὴν Αἴγυπτον, ἄλλοι Σκυθίαν. Herodotus de loto Ægyptio: ἡ δὲ ῥίζα ἐγγλύσσει. *Hujus radix dul-*
D *cis est.* Hoc tamen differt à nymphæa aliorum locorum. Lotus, qui nymphæa est Ægypti, quod hujus radix, si Herodoto & aliis credimus, rotunda est atque instar mali cotonei, at nymphæa communis radicem habet longam & ῥοπαλοειδῆ. Verum hoc nihil est, & falli quoque istic potuere veteres, dum colocasiæ radicem, quæ talis est, loto affingunt. Nam iidem colocasiam loti speciem fecere, lotumque vocavere ipsam colocasiam, ut pluribus infra dicturi sumus. Certe qui Ægyptum hac ætate viderunt, negant ullam aliam in Nilo, vel paludibus Ægypti plantam reperiri, quæ notas loti referat præ-
E ter nymphæam. Recte itaque observatum est eamdem esse plantam λωτὸν Αἰγύπτιον & νυμφαίαν, quamvis veteres distinctis capitibus historiam utriusque tractarint. Sic κύπρος orientis, ex quo cyprinum unguentum, ligustrum est Latinorum; similes certe plantæ, vel potius eædem Græcorum κύπρος, & Latinorum ligustrum. Quidquid differunt, nam differre in quibusdam certum est, ex soli, cælique diversitate id venit, ut alibi dicemus. Plinius alicubi φιλόκυπρον vocat, quod est commune ligustrum. At κύπρος verum orientis ligustrum. Atque hæc pluribus infra. Non minus eorum mirandus error in colocasia.
F Ut scias porro πετασίτην esse colocasiam vulgarem, de medela quam præstat ita scribit Dioscorides: ποιεῖ πρὸς τὰ κακοήθη καὶ φαγεδαινικὰ ἕλκη λεῖον καταπλασσόμενον. Hac eadem facultate ac virtute pollere colocasiam prædicat Iolaus apud Stephanum: περὶ δὲ τὸν Νεῖλον φύεται πολλή. Ἡ δὲ περὶ τὸν Βῆλον ἕλκη θεραπεύει δυσίατα, τεμνομένη δὲ μετὰ τῆς ῥίζης λευκὸν ἀναδίδωσιν ὀπόν. Hic auctor ἐν Φοινικικοῖς sæpe laudatur apud Stephanum, & alibi Κλαύδιος Ἰόλαος, alibi Ἴουλος, alibi Ἰούλιος cognominatur. Frustra est vir magnus qui Καρχηδονιακὰ Claudii Cæsaris eadem vult esse cum his Φοινικικοῖς
G Claudii Julii vel Jolaï. Nicandri scholiastes citat Jolaum in rebus Peloponnesi. Ceterum hic Jolaus, quod mireris, confundit etiam, ut alii, colocasiam, quæ faba est Ægyptia, cum altera colocasia radice aro simillima. Dicit eam περὶ Νεῖλον, & περὶ Βῆλον amnes crescere. Quod proprium est illius colocasiæ quam docuimus ari Ægyptii genus esse vel αὐτόχρημα arum Ægyptium. De quo dubitare nos non sinit, quod

ὀφιοειδῆ

ὀφιοειδῆ vocat eam herbam, & Herculi ab oraculo monstratam tradit ad ulcera persananda, quæ ex venenatis hydræ morsibus acceperat. His ulceribus medelam ab Apolline cum posceret, responsum tulit ad orientem ipsi pergendum esse tamdiu donec inveniret amnem, in quo herba nasceretur hydræ similis, cujus succum si ulceribus imponeret, futurum ut iis liberaretur. Subjicit deinde auctor: εὗρε δὲ τὸν ποταμὸν καὶ τὴν πυθόχρηστον πόαν, ἧς ὁ καυλὸς ἥ τε ῥίζα πάντως ἐστὶν ὀφιώδης τῷ ποικίλῳ, καὶ ταῖς κεφαλαῖς. His verbis graphice nobis depinxit *dracunculum* herbam, quam multi cum aro eamdem fecerunt. Certe congeneres sunt aros & dracunculus. Græci vocant δρακόντιον. Theophrastus δρακόντειον ἄρον, id est, *serpentinum arum.* Phanias: δρακόντειον, ὃ ἔνιοι ἄρον. Sic enim multa nomina herbarum ab antiquis enuntiata παραγωγικῶς recentiores ὑποκοριστικῶς extulerunt. Σμύρνειον veteribus, σμύρνιον posterioribus Græcis. Κενταύρειον priscis κενταύριον. Ita δρακόντειον ἄρον olim appellatum, id est, *draconinum arum* & absolute δρακόντειον, sequens ævum δρακόντιον dixit, unde Latinis *dracunculus.* Ita Plinio vocatur. Nescio quare melius dixisset *draconteum.* Nec enim κενταύρειον centauriscus est, aut *parvus centaurus*, sed *centaureum.* Græci recentiores δρακοντίαν πόαν eam herbam dixere, unde infima Latinitas *draconteam herbam* etiam appellavit. Theophrastus lib. VII. Hist. Ἡ δὲ τοῦ δρακοντείου, καλοῦσι γάρ τι δρακόντειον ἄρον, διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν τινὰ ποικιλίαν, ἄβρωτος καὶ φαρμακώδης. Sic est legendum. Ari illud genus δρακόντειον innuit cognominatum, quod caulis ejus varietate insignitus esset serpentium maculis simili. Idem libro ultimo de eodem draconteo: καυλὸν δὲ ἔχει ποικίλον ὀφιώδη. Dioscorides de dracontio, sive dracunculo: sic enim nominant eum recentiores: καυλὸν δὲ ὀρθὸν δίπηχυν ποικίλον, ὀφιώδη, διαπόρφυρον τοῖς σπίλοις. Jam tenemus herbam, quæ καυλὸν habet ὀφιώδη. De radice quid dicemus? Ait enim, ἧς ὁ καυλὸς ἥ τε ῥίζα πάντως ἐστὶν ὀφιώδης τῷ ποικίλῳ. Plinius dracunculi radicem convolutam esse scribit draconis modo: *dracunculus subrutilam & draconis convoluti modo, unde & nomen.* Cuinam igitur ambiguum nunc esse possit, quin herba hæc, cujus ὁ καυλὸς καὶ ἡ ῥίζα πάντως ὀφιώδης τῷ ποικίλῳ dicitur, pro dracunculo accipienda sit? Nihil est tam extra omnem dubitationis aleam positum. Ostensam ait Herculi ab oraculo, ut ulceribus suis diu insanabilibus ea tandem medicaretur. Dracunculo hanc inesse virtutem omnes veteres prodiderunt, medendis ulceribus malignis, & inveteratis, & comedentibus efficacissimam. Dioscorides, Galenus, Aëtius, alii. Καὶ τῶν κακοήθων ἑλκῶν ἄριστόν ἐστι φάρμακον. Addit Dioscorides & φαγεδαινικῶν. Talia erant Herculis ulcera. Eum dracunculum Claudius Jolaus cum colocasia, quæ κιβώριον fert & fabam Ægyptiam, plane confundit: insigni sane errore, sed cum veteribus plerisque communi. Diximus colocasiam vulgarem Ægypti radicem esse ari speciem, vel arum Ægyptiacum. Multi porro arum cum dracunculo eumdem fecere, adeo quidem, ut nonnulli existimarint *arum* radicem dici, caulem vero draconiton ejusdem stirpis. Hinc apud Hesychium: Ἄρον τεύτλιον μέγα καὶ βοτάνης ῥίζα. Plinius lib. XXIIII. cap. XVI quod perperam à superiore divulsum est, sic continuandum: *Ægyptus hanc maxime gignit, quæ & arum, de qua inter bulbos diximus, magnæ cum dracontio litis. Quidam enim eamdem esse dixerunt. Glaucias satu discrevit, dracontium silvestrem esse pronuntiando. Aliqui radicem arum appellaverunt, caulem vero dracontium.* Unde igitur putet aliquis auctorem illum potuisse dracunculum cum faba Ægyptia confundere, nisi ex ea causa quam supra indicavimus? *Dracunculus* & *arum* idem, atque iisdem omnibus facultatibus utrumque præditum vel Dioscoride teste. Arum illud etiam κολοκάσιον dicebatur à foliorum latitudine. Ab eadem ratione faba Ægyptia dicta quoque est κολοκασία. Ea propter utrumque colocasium pro uno accepit. Nonne hoc idem in sexcentis Plinius fecit? *Apiastrum* silvestre apium, & *apiastrum* τὸ μελισσόφυλλον, quod ab apibus nominatum est, pro eadem herba posuit. Κολοκάσιον Aëtii radicem ari esse ex facultate, quam illi adscribit, ostenditur. Ejusdem δυνάμεως eam radicem facit & gongylida. Auctore Dioscoride gongylis podagricis doloribus optimum malagma est: urinam ciet ac venerem excitat. Hæc omnia facit arum. Ægyptii quoque hodie jactant suum colocasium ad venerem tardos expergefacere. Bulbacea est radix ari. Ideo inter bulbos arum Plinio censetur. Bulbos pariter pro radice habet colocasia, quorum serendorum rationem docet Palladius. Græci recentiores κολοκάσιον quoque de bulbo interpretantur. Sic enim in eorum Lexicis Jatricis invenio scriptum. Κολοκάσιον, βολβὸς ἢ σκιλλοκρόμμυον. In aliis: λωτὸς ἄγριος, κολοκάσιον. Ut hinc constet ex genere bulbaceo esse colocasium. Huic vulgari colocasio, quod in Ægypto hodie sic vocatur, crassam & rotundam esse radicem, & quæ aliis ad latera adnatis se propagat, tradunt herbarii neoterici, & ii quidem qui plantam ipsam videre. Hæ sunt κεφαλαὶ, quas dracunculo suo, sive aro tribuit Claudius Jolaus, easque ad instar hydræ capitum, ubi cæsæ fuerint, renasci dicit: ἧς ὁ καυλὸς, ἥ τε ῥίζα πάντως ἐστὶν ὀφιώδης τῷ ποικίλῳ καὶ ταῖς κεφαλαῖς. Caulis dracunculi, sive ari varietate macularum serpentes imitatur: radix capitibus, hoc est, nucleis, sive bulbis, quos habet plures, & qui effossi renascuntur, ὁ καυλὸς τῷ ποικίλῳ ὀφιώδης est, ἡ ῥίζα ταῖς κεφαλαῖς. Capita in bulbis dici notius est quam ut debeat doceri, *capita allii, capita ulpici* passim leguntur, apud Græcos κεφαλαὶ σκορόδων, & σκόροδον μονοκέφαλον, quem *unionem* vulgo vocitarunt veteres Latini. Apulejus de dracontea: *Ima radix caput draconis habet.* Κεφαλαὶ igitur apud Jolaum sunt bulbi dracontii, sive ari, quod κολοκάσιον vocavit. Confudit cum colocasia altera, quæ faba est Ægyptia. Ideo περὶ Νεῖλον & περὶ Βῆλον φύεσθαι tradit circa Nilum & Belum amnes: quod ari colocasii proprium est, quum colocasia faba in ipsis amnibus ac paludibus nascatur. Legendum igitur apud eum in sequentibus, κολοκάσιον μέντοι καλοῦσι τὴν ῥίζαν, τὸ δ' ὑποπεφυκὸς κιβώριον. Hic manifesto idem facit colocasium arum cum faba colocasia. Ἡ δὲ περὶ τὸν Βῆλον ἕλκη θεραπεύει δυσίατα. Hoc colocasiæ fabæ, quæ κιβώριον fert, neutiquam congruit, sed aro colocasio prorsus competit, cui hanc δύναμιν omnes vindicant. Dioscorides, qui πετασίτην eadem virtute donat sanandorum ulcerum alias invincibilium, plane evincit eam πετασίτην esse eamdem cum colocasia ista, quæ aro similis est, pictura præterea & figura plantæ omnino pariat. Plinius inter herbas in Ægypto nascentes & illius soli peculiares arum ponit. Atqui certum est ubique arum nasci in Italia, in Galliis, & aliis locis. Sic *cnecum* ubique locorum nascentem Ægypti proprium dicit. Verum ut ex notis ari, quæ apud illum habentur, apparet, non arum passivum & commune describit, sed Ægyptiacum: *Est inter genera bulborum & quod in Ægypto aron vocant, scillæ proximum amplitudine, foliis lapati, caule recto duûm cubitorum baculi crassitudine, radice mollioris naturæ quæ edatur & cruda.* Aro vulgari Dioscorides caulem σπιθαμιαῖον, duodecim digitos altum. Hoc arum Ægypti ternos pedes alto caule surgit. Arum commune radicem habet amaram, adeo ut nisi cocta mandi non possit. Arum Ægyptium mollioris esse naturæ Plinius ait, quæ edatur & cruda. Sic ejusdem omnino naturæ arum illud Ægyptium cum Cyrenaïco, quod Galenus tradit molli admodum esse ac dulci gustu, non amaro & acri, ut est vulgare: ideo illinc homines lubentius eo vesci quam rapis. Ad hoc arum Ægyptium fortasse respiciebat Apulejus vulgaris in herbario suo, ubi docet herbam draconteam tactu molli, gustu dulci esse tanquam castaneæ viridis: qui sapor neutiquam dracontii, sive ari communis est. In montibus summis nasci ait, ubi sunt laci. Sed auctor ille passim nugas agit. Plinius in describendo aro Ægyptio nec fructus nec floris meminit. Sane nec colocasium, quod est arum Ægyptium, ullum fructum gignit. In vulgaris ari caule summo semen editur colore croceo. Res unica obstat, ne colocasium hodiernum possit esse arum Ægyptium. Tradunt, qui de colocasio Ægyptiis hodie familiari scripsere, nullum id habere caulem. At Plinius aro caulem tribuit duûm cubitorum. Caulis ille in Ægyptio aro pediculus est, quo singula folia sustinentur, qui longus, firmus & crassus est, adeo

ut

ut caulis instar sit. Μίσχον vocat Dioscorides in petasiti, quæ eadem est cum colocasia: Πετάσιτης, μίσχος ἐστὶ μείζων πηχέως, δακτύλου μεγάλου πάχος, ἐφ' οὗ φύλλον πετασῶδες. Plinius nomine colocasiæ non aliam plantam intellexit quam fabam Ægyptiam. Ari Ægyptii appellatione colocasiam alteram designavit, quæ in Ægypto nascitur, aro simillima, radice dulci & eduli, quam plerique veterum cum colocasia ciborii ferace confudere. Nullo certe validiori argumento præter alia, quæ attulimus, evinci potest arum Ægyptium colocasium esse hodiernum, atque ita veteribus quoque appellatum fuisse, quam quod Claudius Iolaus dracunculum, sive arum cum colocasio fabæ Ægyptiæ idem esse statuit. Similem aro plantam in Ægypto nasci, quæ *aris* dicitur, idem Plinius scribit eodem capite. *Aris* illa est, quod vulgo *arisarum* vocant, atque ita etiam Græcis appellatur in vulgatis exemplaribus, apud Dioscoridem & Paulum Æginetam ἀρίσαρον. Atqui verum nomen ejus ἀρὶς per diminutionem factum, quod omnia minora habeat quam ἄρον folia, caulem, radicem. Hesychius: Ἀρὶς βοτάνης εἶδος. Hippocrati sic vocatur. Cur igitur alii ἀρίσαρον dixere? Ἀρὶς Græcis etiam aliud significat quam herbam, & inter alia instrumentum fabrile: ut igitur ea herba distingueretur ab illo ἀρὶς, videtur quibusdam dicta ἀρὶς ἄρου, vel ἀρὶς ἄρου, ut intelligatur ea ἀρὶς quæ ab ἄρον deducitur. Inde factum postea ἀρίσαρον unica voce. Nunc de colocasia, sive faba Ægyptia quid dicemus? An non mirum est inter opera naturæ caulem palustrem toto genere ac facie à faba communi diversam, nihilominus semen ferre eadem forma ac facultate? Ita enim prædicant summa concordia veteres omnes, qui & fabam illam Ægyptiam in leguminum censum propterea retulerunt, & cum faba vulgari historiam ejus explicarunt. Sed hoc nihil est præut illud mirandum videtur, hanc fabam tantopere antiquis omnibus celebratam inter plantas Ægypto familiares, hodie in Ægypto nullam reperiri, nec uspiam ab iis visam, qui nostra ætate regionem illam peragrarunt, quique in ea totum ferme tempus vitæ suæ contriverunt. Quam vereor ne & heic veterum fides claudicet. Certe & turbasse in his aliquid videntur, & quemadmodum arum colocasium confudere cum faba illa colocasia, sic è contra, propter hoc ipsum colocasiam, sive fabam Ægyptiam à loto Ægyptio separarunt, quum tamen eadem sit, sola specie, aut floris colore dispar. Cum enim diversa sit radix colocasia à loto, quia eandem fecere fabam Ægyptiam cum illa colocasia, ideo diversa statuenda fuit Ægyptia faba à loto Ægyptio. Plerique, ut dixi, veterum fabam Ægyptiam & loton Ægyptium distinxere, ita tamen ut consimiles esse in multis plantas consentiant. Folium utrique simile, caulis, nascendi locus, & alia quædam, sicut supra exposuimus. Solus Athenæus ex recentioribus, qui Ægyptius fuit Naucratites, loton & fabam Ægyptiam facit eandem. Profecto disertis verbis tradit Ægyptiæ fabæ florem & Ægyptiis λωτὸν vocari: γίνεται δὲ οὕτως ἐκ τῶν κιβωρίων καὶ ἄνθος στεφανωτικόν. Καλοῦσι δ' Αἰγύπτιοι μὲν αὐτὸ λωτὸν, Ναυκρατῖται δὲ οἱ ἐμοὶ λέγει οὗτος ὁ Ἀθήναιος μελίλωτον, ἀφ' οὗ καὶ μελιλώτινοι στέφανοι πάνυ εὐώδεις καὶ καύσωνος ὥρᾳ ψυχικώτατοι. Hæc ex epitome lib. III, quibus testatur Athenæum dicere loton à Naucratitis suis appellari *melilotum*, fabæque Ægyptiæ florem coronarium hoc nomine nuncupari. Athenæus ipse id plane confirmat lib. XV his verbis de Alexandria: οἶδα τινὰ ἐν τῇ καλῇ ταύτῃ πόλει καλούμενον στέφανον Ἀντινόειον γενόμενον ἐκ τοῦ αὐτόθι καλουμένου λωτοῦ. Φύεται δὲ οὗτος ἐν λίμναις θέρους ὥρᾳ, καὶ εἰσὶν αὐτοῦ χροιαὶ δύο, ἡ μὲν τῷ ῥόδῳ ἐοικυῖα: ἐκ τούτου δὲ ὁ πλεκόμενος στέφανος κυρίως Ἀντινόειος καλεῖται, ὁ δὲ ἕτερος λώτινος ὀνομάζεται, κυανέαν ἔχων τὴν χροιάν. Græci, ut supra exposuimus, omnem fere florem λωτὸν appellavere. Hoc nomine flos in Ægypto notissimus erat in paludibus nascens, cujus duo genera constituit Athenæus, coloribus inter se discreta, roseum unum, cæruleum alterum. Quis dubium fecerit, quin ille λωτὸς, qui rosæ similis est de colore, colocasia sit, sive faba Ægyptia vel κιβώριον? Herodotus postquam de loto dixit, cui florem tribuit candidum, subjungit: ἔστι καὶ ἄλλα

A κρίνεα ῥόδοισιν ἐμφερέα ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα, ut ex descriptione apparet, & iis quæ sequuntur, κύαμον Αἰγύπτιον expressit flore rubro & rosæ, quem sub alterius loti appellatione Athenæus heic descripsit. Theophrastus de flore fabæ Ægyptiæ: χρῶμα δὲ ὅμοιον ῥόδῳ κατακορές. Dioscorides: ἄνθος δὲ ῥοδόχρουν. Hic est igitur ῥοδίζων λωτὸς Athenæi, ex cujus floribus coronas plexas Alexandrini vulgo vocabant *antinoeas* ab Antinoo Adriani puero delicato. Quomodo hoc nomen invenerint ibidem narrat Athenæus, cum in Ægypto esset Adrianus Imperator, & in urbe Alexandriæ versaretur, Pancrates poëta quidam indigena obtulit ei τὸν ῥο- B δίζοντα λωτὸν, quem florem poëtica adulatione dixit tellurem tum nuper submisisse ex sanguine Maurusii leonis natum, quem in Libya Ægypto contermina ipse occiderat Adrianus. Debere itaque eum florem Ἀντινόειον appellari. Delectatus Imperator ingenio poëtæ & novitate inventionis, jussit eum adscribi illorum numero, qui τὴν ἐν Μουσείῳ σίτησιν participabant: ἡσθεὶς οὖν ἐπὶ τῇ τῆς ἐννοίας εὑρέσει καὶ νεότητι. Male hæc explicant viri docti. Νεότης hic non est *juventus*, nec eo dictum est, quod juvenis esset ille poëta, sed ea significatione νεότητα posuit, qua Latini *novitatem*. Ille ῥοδίζων λωτὸς faba est Ægyptia, cujus flos coloris est rosei, ut atte- C stantur omnes antiqui: alterum loti genus cærulei coloris esse ait Athenæus, de loto sic proprie appellato hoc accipiendum, cui tamen florem candidum esse omnes veteres scribunt. Nihil prohibet diversi coloris lotos in Ægypto repertos, qui ejusdem tamen generis essent, ut lilia, tulipæ, rosæ, diversorum reperiuntur colorum, & alii flores congeneres. Docuimus supra lotum Ægyptium nymphæam esse veram, qualis in Ægypto nascebatur, qualemque hodie nasci tradunt qui loca illa lustrarunt. Hujus nymphææ duæ species ponuntur ab auctoribus, quarum altera florem habet candidum lilio similem, folium ciborio, D hoc est, fabæ Ægyptiæ simile, caulem adæque ut faba Ægyptia, caput quod papaveris κωδίαν plane referat, sed duplo majus. Hæc nymphæa flore alba eadem prorsus est cum loto Ægyptiaco veterum, qui nihil aliud fuit quam nymphæa soli Ægyptii. Florem illi loto candidum & similem lilio attribuunt auctores. Dioscorides de loto Ægyptio: ἔχων ἄνθος λευκὸν, ὅμοιον κρίνῳ, ὅ φασι κατὰ τὰς ἀνατολὰς ἡλίου ἀπλοῦσθαι, δύνοντος δὲ μύειν. Ita hæc scribuntur in vetustissimo codice. Nam vulgo additur: ἔχων ἄνθος μικρόν. Theophrastus de loto Ægyptio ita proprie dicto: τὸ ἄνθος αὐτοῦ λευκὸν ἐμφερὲς τῇ στενότητι τῶν φύλλων τοῖς τῶν κρίνων. Dioscorides E de nymphæa alba: ἄνθος δὲ λευκὸν, ὅμοιον κρίνῳ. Nymphææ flos, ut hujus loti sole occidente pariter comprimitur & occultatur, oriente vero aperitur. Ex flore utriusque caput papaveri simillimum, sed majus producitur. Plusquam igitur certum esse debet lotum Ægyptium nymphæam esse albam in Ægypto nascentem. Altera est nymphæa priori quidem consimilis folio: sed quæ florem luteum præferat, forma rosæ parem. Dioscorides: ἔχει ἄνθος μήλινον, στιλβὸν, ὅμοιον ῥόδῳ. De ea Plinius lib. XXV. cap. VII. *Est & nymphæa in Thessalia, amne Peneo, radice alba, capite luteo, rosæ magnitudine.* Nunc vide suspicionem meam, an veritati possit con- F sentanea haberi: ut lotum Ægyptium non alium esse à nymphæa alba volui, sic Ægyptia faba, quæ altera species est loti Ægyptii apud Athenæum, eadem prorsus videri debet cum altera nymphæa, quæ caput habet luteum & rosæ simile. Herodotus ῥόδοισιν ἐμφερῆ florem Ægyptiæ fabæ esse dicit. Hoc de colore fortasse alii acceperint, quod ille de forma dixit. Nihil tamen impedit quominus & colore similem rosis fuisse accipiamus, ut illa nymphææ species florem rubrum in Ægypto ferat, quem in aliis locis luteum edit. Prior nymphæa flore candido & liliis simili plurima in Elide na- G scebatur in amne Anigro, & Bœotiæ flumine Haliarto. Veteres in locis memorandis, quibus nymphæa provenit, nusquam meminere Ægypti. Constat hodie nymphæam in Nilo plurimam crescere, & multi usus esse apud Ægyptios. Hinc liquet loton Ægyptiam veterum planissime nymphæam esse, quæ hodie in amne Nilo plurima visitur. Altera species nymphææ flore luteo ac rosæ proximo in amne Peneo Thessaliæ nasce-

naſcebatur. Utrumque genus, ut apparet, in Ægypto creſcebat in Nilo amne. Sed alteram ſpeciem λωτοῦ nomine proprie vocarunt Ægyptii, nempe illam, quæ florem album habet: alteram *fabæ Ægyptiæ* appellatione auctores Græci Alexandro poſteriores, vel etiam *colocaſiæ* nuncuparunt. Herodotus antiquus ſcriptor hujus appellationis non meminit, quum herbam illam deſcriberet, ſed ſimpliciter κρίνον, hoc eſt, lilium appellavit, ut & λωτὸν ipſum. Athenæus, qui Ægyptius oriundo fuit ex urbe Naucrati, utramque ſpeciem loti nomine appellat, ſed & alterum quidem coloris roſei dicit eſſe, alterum cærulei. Per lotum coloris roſei non eſt dubium quin *fabam Ægyptiam* intelligat. Sed quod alteri loto colorem dat cæruleum, in hoc à ceteris diſſentit qui niveum faciunt, & forte ſcripſerat, ὁ δὲ ἕτερος λώτινος ὀνομάζεται, χιονέαν ἔχων τὴν χροιὰν, id eſt, *niveum colorem*, non κυανέαν, quod veriſſimum arbitror. Nam ſpecies illa nymphææ Ægyptiæ, quæ *lotos* appellabatur, florem habuit niveum, non cæruleum, ut inter omnes conſtat. Atque hæc eſt nymphæa alba. Mutarunt χιονέαν in κυανέαν, qui eam vocem non intellexerunt. Heſychius: χιονέαν, λευκὴν, φωτώδη. Nihil eſt indubitatius. Altera ſpecies loti κύαμος Αἰγύπτιος Græcis dicebatur & κολοκασία. Hæc rubro flore in Ægypto micat, in aliis locis luteo. Non major ſane differentia eſt inter lotum & Ægyptiam fabam, quam inter ſpeciem utramque nymphææ. Nymphæa alba radicem habet nigram. Lotus quoque Ægyptius, Plinio teſte, radicem habet mali cotonei magnitudine, opertam nigro cortice: forma aliquatenus differt. Nam in loto mali cotonei ſimilitudo eſt: in nymphæa baculi craſſi, vel clavæ inſtar, τραχεῖα, μέλαινα, ῥοπαλοειδής. Sed hæc radicum ſi qua fuit differentia è ſolo natali venerit. Alteri nymphææ radix eſt aſpera & alba, τραχεῖα καὶ λευκή. Fabæ Ægyptiæ radix harundinum radici ſimilis & ſpinis etiam aſpera, ut Theophraſtus aſſerit. Hæc eſt lutea, vel rubra nymphæa. Faba Ægyptia, ut teſtatur Dioſcorides, folium gerit ὅμοιον τῇ νυμφαίᾳ. Nymphæa quoque apud eumdem folium habere dicitur ὅμοιον κιβωρίῳ, id eſt, fabæ Ægyptiæ. Caulis quoque ſimilis, caput papaveris, & cetera omnia ad unguem conveniunt. Ut nihil certius ſit, aut exploratius quam fabam Ægyptiam nymphææ ſecundam eſſe ſpeciem: lotum Ægyptium alteram. Unde etiam utraque λωτοῦ nomine cenſetur Athenæo. Græci pleraſque plantas in Ægypto naſcentes, licet in Græcia naſcentibus congeneres propter quamdam virtutem cœli ſolique Ægyptii propriam, & quod aliis nominibus apud Ægyptios vocarentur, diverſi etiam generis eas conſtituerunt, & ſeorſim de his tractarunt. Sicut manifeſto in hoc loto Ægyptio & faba Ægyptia oſtenditur, quæ cum ſint plantæ ὁμόφυλοι duabus nymphææ ſpeciebus in Græcia creſcentibus, in alium tamen cenſum eas retulerunt. Quod idem eos feciſſe in aliis multis poteſt deprehendi, ut in aro Ægyptio, aride, cichorio & cici. Has omnes herbas Ægypti peculiares facit Plinius, quum & in aliis naſcerentur locis. Ultimo loco memoratum *cici* peculiare Ægyptii ſoli conſtituit Plinius cum aliis pleriſque auctoribus. Ex eo faciebant oleum ad lucernas. In aliis tamen locis ſponte proveniebat: in Ægypto etiam ſerebatur. Σίλι Κύπριον antiquiſſimi Græci vocabant, hoc eſt, *ſeſeli Cyprium*. Nam *ſili* veteribus idem quod recentioribus Græcis σέσελι. Herodotus unica voce σιλλικύπρια vocat lib. II. Sic enim legendum: ἀλείφατι δὲ χρέωνται Αἰγυπτίων οἱ περὶ τὰ ἕλεα οἰκέοντες ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ, τὸ καλεῦσι μὲν Αἰγύπτιοι κίκι. Hippocrates σέλι, vel σίλι appellat, Galeno teſte, quod recentiores vocarunt σέσελι. Hinc σίλι Κύπριον idem quod σέσελι Κύπριον. Dioſcorides: Κίκι ἢ κρότων, οἱ δὲ σήσαμον ἄγριον, οἱ δὲ σέσελι Κύπριον, οἱ δὲ κρότωνα. Ubi tamen vetuſtatis venerandæ liber habet: οἱ δὲ σέσελι, Κύπριοι δὲ κρότωνα. Plinius certe inter nomina cici Ægyptii etiam *ſili* abſolute nuncupatum meminit lib. XV capite de oleo factitio, his verbis, quæ vulgo ſunt corruptiſſima: *proximum fit & è cici arbore in Ægypto copioſa: alii crotonem, alii trixim, alii ſeſamum ſilveſtrè appellant: ibique non pridem, & in Hiſpania repente provenit.* Nihil in his ſani. Vetuſtiſſimi libri Rigaltianus & Thuanæus ſic habent: *aliis crotonem; aliis ſibi, aliis ſeſamum ſilveſtre appellant ibique.* Omnino emendandum: *fit & è cici arbore in Ægypto copioſa, aliis crotonem, aliis ſili, aliis ſeſamum agreſte appellantibus: Quæ non pridem & in Hiſpania repente provenit.* In libris *ſibi* perperam ſcriptum pro *ſili*. Index manuſcriptus, titulo qui ad hunc locum reſpondet: *Cici arborum, ſive cruto, ſive ſibi, ſive ſeſamon.* Lege: *Cici arbor, ſive croto, ſive ſili.* Ita plane vocavit lib. XX. cap. VI. *Contexemus & de ſili.* Ubi vocat *ſili* quod aliis eſt *ſeſeli*. Nec quicquam mutandum, ut aliquando putavimus. In indice hujus loci ſcripto: *Siſere* XI. *Sile* XX. In aliis locis ſponte proveniebat: in Ægypto & ſerebatur. Herodotus: παρὰ δὲ χείλεα τῶν ποταμῶν καὶ τῶν λιμνέων σπείρουσι τὰ σιλλικύπρια ταῦτα: τὰ γὰρ ἐν Ἕλλησι ἄγρια φύεται. Paulo poſt: τοῦτον ἐπεὰν συλλέξωνται, οἱ μὲν κόψαντες ἀπιποῦσι, οἱ δὲ φρύξαντες ἀπέψουσι. Verte: *alii contuſum exprimunt, alii frictum excoquunt.* Ἀπιπεῖν eſt exprimere: nam ἰπεῖν, vel εἰπεῖν premere ſignificat: unde ἰπωτήριον, prælum. Plinius: *in Ægypto ubi abundat ſine igne & aqua ſale aſperſum exprimunt*, ἀπιποῦσι. Ita nymphæa in aliis regionibus ſponte proveniebat ac per ſe, in Ægypto etiam ſerebatur. Sane ſi quid diſpar ac differens invenitur in lotis Ægyptiis & nymphæis Græcanicis, ex ſoli proprietate, non ex generis diverſitate hoc illis accidere diſſimile, credendum eſt. Nilotica nymphæa hodie Ægyptiis caules, capita, radicem, ſemen eodem modo præbet edulia, quo lotus Ægyptius, vel faba Ægyptia antiquis præbuit. Eumdemque uſum in medelis exhibet, quem nymphæa vulgaris. Nam floribus & foliis tritis utuntur ad omnes inflammationes: ſucco ad paregorizandos dolores quoſcunque ex calida cauſa ortos: eoque cum aceto & oleo frontem ac tempora illinunt febricitantibus, qui inſomnio laborant & capitis doloribus: ſyropumque ex eo propinant ægris conciliando ſomno. Ad omnia denique uſurpatur quæcunque refrigerium aliquod poſtulant. Hinc Athenæus flores meliloti æſtatis tempore flagrantiſſimo ψυχικωτάτους eſſe tradit. De flore fabæ Ægyptiæ: καλοῦσι δὲ Αἰγύπτιοι αὐτὸ λωτόν. Ναυκρατῖται δὲ οἱ ἐμοὶ, λέγει οὗτος ὁ Ἀθηναῖος, μελίλωτον ἀφ᾽ οὗ καὶ μελιλώτινοι στέφανοι πάνυ εὐώδεις, καὶ καύσωνος ὥρᾳ ψυκτικώτατοι. Naucratitæ videntur μελίλωτον appellaſſe, quem alii Ægyptii λωτὸν propter melleum ſaporem, qui ex caule ejus ac radice deprehenditur, dum manduntur. Herodotus de loto: ἡ δὲ ῥίζα ἐγγλύσσει. Nymphææ quoque Niloticæ caules hodie crudos ab Ægyptiis mandi tradunt neoterici, & dulces admodum eſſe atque humidos, valdeque refrigerare atque humectare. Multum igitur diverſum illud μελίλωτον Ægyptium à meliloto Græcanico, quem *ſertæ campanulæ* nomine vocarunt Latini. Tam æque quam lotus Ægyptius à loto ſativa & hortenſi diverſus eſt. Nugatur itaque Hieronymus Mercurialis, qui μελιλωτίνους στεφάνους Athenæi, quos ex meliloto, vel loto Ægyptio, hoc eſt, nymphæa Nilotica factitatos conſtat, pro melilotinis accipit ex meliloto Græco plexis, quæ ſertula eſt Campanica. Quod enim μελιλωτίνους στεφάνους Athenæus ψυχικωτάτους & refrigerandis æſtatis caloribus idoneos dicit, ex eo interpretatur μελίλωτον in verſu Cratini poëtæ ἀείφρουρον dici, quia herbæ ejus poteſtate adverſus ebrietatem ſeſe munirent veteres. Quæ abſurdiſſima ſunt. Μελίλωτος Athenæi eſt lotus Ægyptius, ſive nymphæa. Μελίλωτον Cratini eſt ſertula Campana. Τῷ τ᾽ ἀειφρούρῳ μελιλώτῳ κάρα πυκάζομαι. Alexis quoque comicus apud eumdem Athenæum meminit μελιλωτίνων coronarum ex meliloto utique Attico, non ex Ægyptio plexarum.

Στεφάνους τε πολλοὺς κρεμαμένους μελιλωτίνους.

In Attica melilotus ille plurimus naſcebatur, & præſtantiſſimus. Dioſcorides: μελίλωτος κρατιστος ὁ ἐν Ἀττικῇ, καὶ Κυζίκῳ, καὶ Καλχηδόνι γεννώμενος, κροκίζων καὶ εὐώδης. Optimus liber ac vetuſtiſſimus habet Χαλκίδονι pro Χαλκίδι. *Calcidica melilotos* inter laudatas Plinio. Sequitur apud eumdem: φύεται δὲ καὶ ἐν Καμπανίᾳ περὶ Νῶλαν μηλίζων ἐστὶ ἄτονος κατὰ τὴν εὐωδίαν. Idem liber antiquiſſimus legit: τηλίζων καὶ ἄτονος, quaſi qui τήλεως, hoc eſt, fœni Græci odorem referat vel colorem. Τῆλιν etiam quidam λωτὸν appellavere. Melius tamen μηλίζων, atque

ita

ita legit Plinius, lib. XXI. cap. X. *Melilotos ubique naſcitur, laudatiſſima tamen in Attica, ubicunque vero recens, nec candicans, & croco quam ſimillima, quamquam in Italia odoratior & candida.* Rectius ſcripſeris ex Rigaltiano: *quamquam in Italia odoratior eſt candida.* In Thuanæo etiam legitur: *odoratior candida.* Dicit odoratiſſimam & optimam haberi meliloton, quæ croco de colore ſimillima ſit, ἡ κροκίζουσα: in Italia tamen odoratiorem eſſe candidam, hoc eſt, τὴν μηλίζουσαν. Ita certe Dioſcoridis illud accepit ὁ μηλίζων de meliloto candido. Quod eſt abſurdiſſimum. Nec enim hujus generis meliloti meminere veteres, qui florem habeat candidum. Κροκίζων optimus, crocei coloris qualis in Attica naſcitur, idemque fragrantiſſimus. Eſt etiam μηλίζων, luteus, qualis qui naſcitur in Campania circa Nolam, croceo dilutior. Nam luteus color, ὁ μήλινος à malorum colore, rufus nempe dilutior. At croceus magis rutilat & acutior eſt. Plinius μηλίζοντα vertit candidum à melino pigmento, quod ex terra melia fit, quæ candida eſt. Dicit odoratiorem eſſe Italicum melilotum & candidum, quaſi legerit in Græcis, καὶ εὔπονος κατὰ τὴν εὐωδίαν. Vel certe ita diſtinxit apud Dioſcoridem, dum aliud agit: καὶ εὐώδης, φύεται δὲ καὶ ἐν Καμπανίᾳ περὶ Νῶλαν, μηλίζων. Infinita talia peccavit, dum analectis & excerptis amanuenſium credit, vel nimis properanter ipſe legit, vel anagnoſtas contra legentes aliud agens audit. Capite IX ejuſdem libri meminit etiam *meliloti*, quem neutro genere extulit, non ut heic fœminino. Ita enim veteres ſcribunt: *Melilotum quod ſertulam Campanam vocamus. Eſt enim in Italiæ Campania laudatiſſimum.* Deinde tranſit ad alterum genus. Ipſe omnibus præfert Campanum, quod Græci ceteris poſtponunt. Μελίλωτος & λωτὸς idem fere nomen. Diverſæ tamen *lotus ſativa* & *melilotus*: quamvis *lotum ſativam* hodierni herbarii plerique pro *meliloto* accipiant. Heſychius: Μελίλωτος, πόα τις καὶ λωτοῦ εἶδος. Ergo & μελίλωτον quidam etiam λωτὸν appellavere, vel contra. Hic eſt μελίλωτος in Attica laudatiſſimus, ubique vero naſcens in aſperis & ſilveſtribus, cujus plurimus ad coronas uſus apud veteres, quibus expetebatur non flore tantum, ſed etiam foliis breviſſimis & pinguiſſimis. Unde & *ſertulæ Campanæ* nomen apud Latinos occupavit. *Sertula* eſt στεφάνωμα. Ita & Græcis λωτὸν pro quolibet flore & coronamento uſurparunt. Quod nomen veluti proprium manſit meliloto, quod etiam loton quibuſdam appellatum eſt, ut paulo ante dixi. Græcos igitur ſequuti ſunt Latini, dum μελίλωτον, vel λωτὸν verterunt *ſertam*, vel *ſertulam*, cui cognomentum addidere Campanæ, quod ibi laudatiſſima Italiæ naſceretur. Hunc μελίλωτον Cratinus ἀείφρουρον ἐπιθετικῶς dixit, non quod ab ebrietate caput cuſtodiret, ut perperam argutatur Mercurialis, qui cum meliloto Ægyptio confundit, ſed quod ſemper viridis maneat. Heſychius: ἀείφρουρος, ἀεὶ διαμένων. Sic ἔμφρουρος Xenophonti non qui alium ſervat & cuſtodit, ſed qui munitus ac tectus manet. Ita eleganter vocavit hominem nondum ebrium, ſed adhuc mente ac pedibus compotem. Ab hoc meliloto longe diverſus *Ægyptius lotus*, qui etiam dictus eſt *melilotus*, nymphæa nempe Nilotica. Inter merces quas Ægyptii mercatores in Indiam vehebant, ut Indicas reveherent, peripli auctor recenſet μελίλωτον. De emporio quodam Indico: προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον οἶνος προηγούμενος Ἰταλικὸς, καὶ Λαοδικηνὸς, καὶ Ἀραβικὸς. Et paulo poſt: πολύμιτοι ζῶναι πηχυαῖαι, στύραξ, μελίλωτον, ὕελος, σίμμι, σανδαράκη, δηνάριον χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν ἔχον ἀλλαγὴν καὶ ἐπικέρδειαν πρὸς τὸ ἐντόπιον νόμισμα. Hæc omnia ab Ægypto in portum illum Indicum invehebantur. Doctiſſimi interpretes, qui *melilotum* ibi pro ſertula Campana accipiunt, quam ſtrenue nugantur. Intelligit auctor *lotum Ægyptium*, cujus caules & radices Ægyptiis ſuis edules ac dulces, etiam in longinqua, ut apparet, ferebantur. Certe & *colocaſiam*, quæ ſpecies erat loti Ægyptii altera, Romam uſque ab Ægypto perferri moris fuit, ut ex Martialis epigrammate conſtat:

Niliacum ridebis olus.

Romæ utique hujuſmodi caulis etiam mandebatur ab Ægypto allatus. Ari quoque Cyrenaïci radices, quod idem cum Ægyptio, culinis Romanis ab Cyrenaïca & Ægypto uſque inferebantur. Plinius porro videtur

A etiam loton Ægyptium eundem facere cum loto communi & ſativa. Ita enim ſcribit lib. XXII. cap. XXI. *Eſt & lotometra quæ fit ex loto ſata, ex cujus ſemine ſimili milio fiunt panes, in Ægypto à paſtoribus maxime aqua vel lacte ſubacto.* Lotus eſt Ægyptius, ex cujus ſemine ſimili milio fiebant panes ab Ægyptiis paſtoribus. Herodoti verba de eo loto ſic ſunt emendanda: καὶ ἔπειτα τὸ ἐκ τοῦ μέσου τοῦ λωτοῦ τῇ μήκωνι ἐὸν ἐμφερὲς πτίσαντες, ποιεῦνται ἐξ αὐτοῦ ἄρτους ὀπτοὺς πυρί. Male hodie editum eſt: ὀπτήσαντες ποιεῦνται ἐξ αὐτοῦ ἄρτους ὀπτοὺς πυρί. Quod vertunt: *poſtquam coxerunt faciunt ex eo panes aſſos igne.* Id abſurdum. Prius eſt enim facere quam coquere. Nec locum heic habet mos torrendi farris priuſquam ex eo

B panis fieret. Verte igitur: *Quod in medio loto eſt papaveri ſimile, ubi pinſerunt, panes ex eo faciunt, & coquunt.* Conjecturam noſtram confirmat etiam Dioſcorides, & ipſe tamen ſimiliter corrigendus, de loto hoc eodem Ægyptio: ἔοικε δὲ ἡ κωδία μήκωνι μεγίστῃ, ἐν ᾗ καρπὸς ὡς κέγχρος, ὃν ξηράναντες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ ἀλοῦσιν εἰς ἀρτοποιΐαν. Ita enim ſcribendum ex antiquiſſimo codice. Nam vulgo editur: βάλλουσιν εἰς ἀρτοποιΐαν. *Cujus ſemen milio ſimile ſiccatum Ægyptii pinſunt ad panem faciendum.* Idem mendum hæſit in Theophraſti verbis rem eamdem narrantis: ἐξαιροῦσι τὸν καρπὸν, ξηράναντές τε καὶ ὀπτήσαντες ἄρτους ποιοῦσι, καὶ τούτῳ χρῶνται σιτίῳ. Immo: ξηράναντές

C τε καὶ πτίσαντες. Ita Plinius legit, qui ſic reddidit: *mox ſeparant lavando & ſiccata tundunt, eoque pane utuntur.* Hunc lotum Ægyptium, quod inter ceteras herbas hoc nomine præcipuæ eſſet magnitudinis & in uſu dignitatis, videntur quidam appellaſſe λωτομήτραν, hoc eſt, præcipuam lotum vel lotorum omnium matrem. Sic ὀρτυγομήτρα Heſychio ὄρτυξ ὑπερμεγέθης exponitur. Ita & *echinometræ* majores ſunt echini. Et ſane nulla eſt herba loto nomine appellata, quæ loto huic Ægyptio magnitudine ſit conferenda. Nullum igitur dubium eſt quin *lotometra* illa Pliniana, ex cujus ſemine milio

D ſimili panes factitabant Ægyptii, eadem ſit cum loto Ægyptio. At Plinius eam dicit ex loto ſata fieri. Quod prodigii ſimile videtur, adeo abſurdum eſt. *Lotos ſata* eſt λωτὸς ἥμερος Dioſcoridis, ex qua quomodo fieri poſſit lotus Ægyptius, nemo videt. Proxime præcedit apud Plinium mentio loti herbæ: *Loton*, inquit, *qui arborem putant tantum eſſe vel Homero auctore coargui poſſunt. Is enim inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati loton primam nominavit.* Hæc eſt lotos, quæ ſponte provenit & agreſtis. Subjungit ſtatim: *Eſt & lotometra, quæ fit ex loto ſata, ex cujus ſemine ſimili milio fiunt panes in Ægypto.* Ergo hic per *loton ſatam* intellexit λωτὸν ἥμερον

E Dioſcoridis. Sic apertiſſime confudit loton vulgarem hortenſem cum loto Ægyptio, nec percepit auctoris ſui mentem, ex quo habet iſta de *lotometra*. Loquebatur ille de loto Ægyptio, qui per ſe paſſim naſcitur in amne Nilo & paludibus Ægypti. Ex eodem ſato fiebat *lotometra*, quam κατ᾽ ἐξοχὴν ſic vocarunt, quaſi præcipuam & maximam loton, omnia enim ſativa ampliora & meliora evadunt. Hæc igitur differentia inter *lotometram* & *loton Ægyptiam*, quod hæc ſponte naſcatur, illa ex loto ſata proveniat, utraque autem Ægyptia, & multum à loto communi diſpar, ſive agre-

F ſti, ſive ſativa. Λωτομήτρα, ἐκ τοῦ λωτοῦ σπαρέντος γίνεται. Intellexerat auctor loton Ægyptiam, de plantis enim Ægypti peculiaribus ſi forte ibi tractabat. Sic apud Theophraſtum: ἐπιφύεται δὲ ὁμοίως ὁ λωτὸς τῷ τοῦ κυάμου. Non vulgarem fabam intelligit, ſed Ægyptiam, cujus deſcriptio præceſſit. Herbarium vetus, quod ſub Apuleji nomine vulgatur, nymphæam à quibuſdam *lotometram* vocari adnotat: *Nymphæa Græce, cacabon, lotometram, rhopalon.* Ita prorſus ſcribendum ex antiquiſſimo codice, qui habet *lothonietram.* Non omnis nymphæa dicta lotometra, ſed ea tantum quæ in Ægypto naſcitur. Hinc etiam luce clarius con-

G ſtat, loton Ægyptium nymphæam eſſe veram Ægyptii amnis, quam ſativam quidam vocarunt *lotometram.* Plinius de eodem loto: *eſt autem eodem nomine & herba & in Ægypto caulis in paluſtrium genere: recedentibus enim aquis Nili riguis provenit ſimilis fabæ.* Cave accipias de faba vulgari. Nam de Ægyptia exponendum: quod expreſſiſſe debuit Plinius. Auctor, unde accepit, de plantis Ægypti agebat, ideo ὅμοιος κυάμῳ ſimpliciter

dixe-

dixerat, quum Ægyptiam designaret. Male etiam illud, quod ait Plinius, *recedentibus Nili aquis provenire.* Cur recedentibus? Theophrastus, unde habet: φύεται μὲν πλεῖστος ἐν τοῖς πεδίοις, ὅταν ἡ χώρα κατακλυσθῇ: *nascitur plurimus in agris, ubi Nilo inundante cooperti fuerint.* In aqua quippe ipsa provenit. Herodotus: ἐπεὰν πλήρης γένηται ὁ ποταμὸς καὶ τὰ πεδία πελαγίσῃ, φύεται. Diserte quoque Dioscorides lotum nasci ait ἐν τῷ ὕδατι τῶν ἐπικλυσθέντων πεδίων, id est, *in aquis inundatorum a Nilo agrorum.* Nisi Plinius erravit, peccaverunt ejus librarii, qui scribere debuerunt, ut voluit auctor: *Residentibus enim aquis Nili riguis provenit.* Quod est verissimum, ut illud *recedentibus* mendosum. Scriptum fuit *residentibus*, unde illud vulgatum. Et sane si lotus ille nymphæa est Ægyptia, ut est revera, in paludibus tantum nascitur & residentibus aquis, quæ nunquam deficiunt. Athenæus ἐν ταῖς λίμναις eum provenire dicit. Lotus altera, sive faba Ægyptia similiter ἐν τοῖς ἕλεσι καὶ στασίμοις ὕδασι nascitur. Longo tempore Nilus inundans campos Ægypti detinet, adeo ut per illam moram lotus in campis aqua submersis nasci facile potuerit ac colligi. Fructus, vel semen loti milio simile quotquot sunt vetustatis auctores faciunt. At colocasiæ semen, quæ altera loti species ponitur ab Athenæo, lotusque etiam vocatur, ut iidem auctores unanimiter consentiunt, fabæ communi simillimum fuit, paulo tantum majus, adeo ut etiam hoc nomine nuncupaverint. Hinc tota planta non alia communiori appellatione Græcis omnibus noscitatur quam *fabæ Ægyptiæ.* Sic enim vocatur κύαμος Αἰγύπτιος. Fructum ejus inter legumina recensent, ejusdemque prorsus facultatis in cibis, & effectus in medicina esse prædicant ac vulgarem fabam. Quod tamen extra controversiam non est, nec pro vero indubitanter recipiendum. Diximus supra hanc alteram loti speciem respondere alteri nymphææ, quæ florem habet rosæ similem. Quod & verum est. Atqui illa lutea nymphæa semen ab altera adeo diversum habere non proditur, ut quum alba semine sit tenuissimo ac milio simili, hæc vel faba communi majus exhibeat. Sed inquiet heic aliquis, an verisimile est ab omni vetustate Græcos huic cauli fabæ nomen imposuisse qui nullam fabam ferat? Immo nihil esse verius apparebit. An non eodem modo veteres *fabæ Græcæ* nomen indidere loto arbori, cujus fructus nihil habet fabæ simile? Plinius lib. XVI. cap. XXX. *Faba Græca, quam Romæ à suavitate fructus silvestris quidem sed cerasorum pæne natura loton appellant.* Fructus cerasi natura & quidem arboreus, quid habet cum faba commune? Cur iidem Græci συκῆν Αἰγυπτίαν vocarunt siliquæ arborem, cujus fructus à ficus similitudine longissime distat, quum sit in siliquis? Atqui hæc arbor ne in Ægypto quidem nascebatur Theophrasto teste, sed in Syria. Iones κερωνίαν dixere, alii κερατωνίαν, & κερατίαν. Diversissimi generis arborem in Ægypto nascentem iidem Græci συκῆν Αἰγυπτίαν nominavere, quæ aliis dicitur sycomorus. Æque igitur incertum, qua ex causa fabæ Ægyptiæ nomine vocaverint eam stirpem, quæ fabam nullam ederet, & à leguminum genere tantopere discreparet, utpote quæ caulis esset palustris, & nymphæis ὁμόφυλος. Dicere heic aliquid tamen conabimur, & causam, si qua probabilis videbitur, exponere. Liquida luce clarius supra monstravimus antiquos bulbosam radicem ari Ægyptii propter similitudinem foliorum eodem nomine vocitasse cum hac ipsa, qua de nunc agimus, *faba Ægyptia* nominata. Ex hac confusione ac mixtione plantarum, quæ fecit ut radici colocasii ari superimponerent caulem loti Ægyptii, hic etiam error emanavit. Radici illi colocasiæ bulbaceæ plures ad latera nucleos adnasci tradunt herbarii hodierni, quibus propagatur. Eos avellanæ, vel nucis juglandis magnitudine luto, vel argilla involutos in flumen secundum ripam demitti, sic crescere deinde, ac novam segetem producere. Eadem prorsus ratione fabam Ægyptiam seri solitam ac propagari narrant veteres, nucleis nempe, sive granis fabæ luto macerato contectis, & in flumen dejectis. Atqui hæc est Ægyptia faba, sive lotos, quam cum colocasio aro confudere antiqui. Nucleos illos radicis colocasiæ, sive bulbos videntur si forte & κυά-

A μους appellitasse Græci in Ægypto ἀπὸ τοῦ κύειν, quod his planta seri ac propagari soleret. Ita etiam iidem Græci testiculos κυάμους ab eadem ratione indigetarunt. Hinc totam stirpem κύαμον etiam fortasse appellaverint. Quod nomen postea & huic loti generi dederunt, ut & colocasiæ. Cum enim utraque planta vocitata sit *colocasia* à foliorum similitudine & amplitudine, eoque nominum errore eamdem fecerint utramque, nomen κυάμους quod radici colocasiæ ob bulbos ejus conveniebat, etiam alteri colocasiæ ob appellationis confusionem attribuerunt. Hoc vero, inquies, hariolari est. Attende paulisper, verisimilem faxo dicas hariolationem. Nucleos bulborum Græci κεφαλὰς
B vocant, ut supra ostendimus, Latini *capita*: ut allii & ulpici capita αἱ κεφαλαί. Lotus Ægyptius, sive nymphæa Nilotica capita etiam habet papaveri similia. Græci κωδίας appellant. Utrique loti generi Theophrastus & Dioscorides τὰς κωδίας tribuunt papaverinis simillimas sed majores. Eas κεφαλὰς Græci proprie nominant. Hesychius: Κωδία ἡ τῆς μήκωνος κεφαλή. Nihil notius. Cum igitur eam colocasiam quæ bulbos habet, id est, plura capita radici nata, confuderint cum altera colocasia, quibus plura in summitate caulis capita, ex eo nucleos radicis ad caulem & ejus capita videntur transtulisse. Quod etiam manifestius
C apparebit ex Herodoti verbis. Is auctor antiquissimus omnium est, qui colocasiæ, sive fabæ Ægyptiæ meminerint. Neutro nomine eam nominat, sed ita describit, ut non aliam intellexisse certum sit: ἔστι καὶ ἄλλα κρίνεα ῥόδοισιν ἐμφερέα ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα. Hic est λωτὸς ῥοδίζων Athenæi, & aliorum κύαμος ac colocasia, ἐξ ὧν ὁ καρπὸς ἐν ἄλλῃ κάλυκι παραφυομένῃ ἐκ τῆς ῥίζης γίνεται κηρίῳ σφηκῶν ἰδέην ὁμοιότατῃ, ἐν τούτῳ τρωκτὰ ὅσον τε πυρῆν ἐλαίης ἐγγίνεται συχνά. Nota eum dicere eam κάλυκα ἐκ τῆς ῥίζης παραφύεσθαι, è radice adnasci. Atqui fabæ Ægyptiæ caulis quatuor cubito-
D rum, vel decem pedum altitudine surgit, ex quo caput enascitur illud, in quo semen inclusum habetur. At heic è radice ait adnasci. Quod prorsus convenit nucleis ad latera radicis colocasiæ adnatis. Forma quoque nucleorum similiter quadrat. Ἐν τούτῳ τρωκτὰ ὅσον τε πυρῆν ἐλαίης ἐγγίνεται συχνά. Eos edules nucleos fabas non nominavit Herodotus, sed nucleis olivarum similes dicit. Tradunt recentiores bulbos, sive nucleos, qui adnascuntur ad latera radicis colocasiæ avellanæ magnitudine esse. Nihil æque respondet. Τρώγεται δὲ καὶ ἁπαλὰ ταῦτα καὶ αὖα. Hoc ad veras fabas ex leguminis genere natas pertinet, quæ ἁπαλαί, id est, vi-
E rides ac recentes comeduntur, item siccæ, id est, αὖαι. Alii Græci χλωροὺς & ξηροὺς κυάμους ἐσθίεσθαι dicunt. Apparet igitur Herodotum juxta cum aliis Græcis è nucleis bulbi colocasiæ fecisse nucleos calicis in loto Ægyptio, & eos nucleos cum leguminis Ægyptiaci fabis confudisse. Non minimum huic errori creando fovendoque momentum attulit, quod radix colocasiæ rotunda est pæne ad instar calicis loti, quo semen ejus continetur. Bulborum nuclei, ut in multis bulborum generibus, paulum extra terram eminent. Hinc & fabæ nucleos in loti capitibus pau-
F lum supra loculos & opercula ipsa calicis extare dixerunt. Ex eodem denique errore & illud descendit, quod loti radicem rotundam fecere instar mali cotonei, qua effigie colocasiæ radicem esse constat. At nymphææ utriusque radix longa & aspera & clavæ sive baculi instar. Theophrastus fabæ Ægyptiæ, quæ species altera loti Ægyptii, sive nymphææ fuit, etiam ἐξακανθίζουσαν & spinis hispidam radicem esse scribit. Quæcunque ratio his plantis miscendis originem præbuerit, certe illud in comperto est eas confusas ab his fuisse ac nominibus indiscretas. Forte κύαμον Ægyptii loti caput Alexandrini vocaverint,
G ἀπὸ τοῦ κύειν, quod granis intus prægnans esset, vel quod facie prætumida viseretur. Hoc idem & κιβώριον dixere à poculi effigie. Hesychius: κύαμος, τὸ λεγόμενον Αἰγύπτιον κιβώριον. Ut supra exposuimus, κιβώριον proprie peram, vel sacculum significat. Κίβος & κίβισις Græcis idem quod πήρα, vel θύλακος. Inde κιβώρια appellarunt capita nymphææ Ægyptiæ, quibus semen continetur, quod sacculis similia sint. Dioscorides

scorides φυσκία vocat & θυλακίσκους, de faba Ægyptia: ὅπερ ἀπανθῆσαν φέρει φυσκία παραπλήσια θυλακίσκοις. Videntur & κύαμον ex eadem causa appellasse. Quod verbum ἀπὸ κύω, unde & κύτος & κύστις quoque factum est, sed & κύτταρος, quæ omnes voces alveum significant, aut quodcunque alicujus rei tenendæ est capax. Theophrastus quoque κυττάρους vocat in faba Ægyptia loculos capitis, κύστις idem quod φυσκίον. Ut illud à κύω, ita istud à φύω. Ejusdem quoque originis & κύαθος. Nam à κύω verbum antiquum κυάθω. Inde igitur & κύαμος, τὸ κιβώριον loti Ægyptiaci. Vasculum nempe prætumidum, quod semina ejus continebat. Ab hujus capitis lotini similitudine κιβώρια vasa dicta sunt. Nicander in describendis partibus colocasiæ, vel loti Ægyptii, quem usum singulæ haberent, diligenter notavit. Flores ad coronas expeti dixit. κιβώρια, hoc est, capita, ubi semen maturum ex his decidit, calicum usum præbere ait, radicem vero in mensa apponi ad esum. Fabarum edulium non meminit. Plinius quoque in describenda colocasia thyrsum ejus mandi memoravit, nihil de fabis, vel semine dixit. Atqui locum illum de colocasia ex aliquo auctore habet Theophrasti temporibus posteriore. Cum igitur κύαμος vocaretur hæc colocasia, quacunque tandem de causa sic vocata sit, ex nominum errore veram fabam Ægyptiam, hoc est, legumen merum cum hac confudere. Quod idem est, ac si quis fructum sycomori *siliquam* appellaret, quia Græci συκῆς Αἰγυπτίης nomine tam sycomorum quam siliquæ arborem nuncuparunt. Hæc nunc malo quam de nucleis colocasii ari κυάμοις appellatis. Illud utique pro definito tenendum est aliquam fuisse in rerum natura Ægyptiacam fabam. Græci quoque in ponderibus locum dedere fabæ Ægyptiæ, quæ duplum pondus haberet ad fabam Græcam. Ceterum si quis censet eam fabam Ægyptiam ex colocasia, vel loto Ægyptio, qui caulis fuit palustris, non leguminum generis, ullo tempore usquam provenisse, næ is magnopere falsus est. Ægyptus hodieque, ut olim, omnigenis leguminibus abundat, quæ bonitate soli ac fluminis benignitate, ut alia ibi omnia, longe ampliora proveniunt quam in Græcia & aliis Europæ locis. In Ægypto igitur & faba nascitur, majore semine quam in Græcia. Quod autem & colocasia, sive lotus Ægyptius etiam κύαμος diceretur qua de causa incertum, hinc junctis aliis, quæ errorem facere potuerunt, fabam illam Ægyptiam ex palustri planta cognomine procreatam interpretati sunt. Quod si quis mirabitur, is etiam miretur licebit, radicem bulbosam cum loto eodem confudisse, impulsos hac ipsa nominum æquivoca notatione. Faba Ægyptia, quæ in ponderibus altero tanto pendebat quam Græca, verum fuit legumen Ægyptii soli. Ita & *Alexandrina faba* in iisdem ponderibus locum habuit, quæ minus quidem pondus habebat quam Ægyptia, sed majus quam Græca, quatuor quippe obolos pensabat Ægyptia faba, tres Alexandrina, duos Græca. Africanus, Oribasius, Adamantius de ponderibus: ὁ κύαμος ὁ Αἰγύπτιος ἔχει ὀβολοὺς τέσσαρας, ὁ Ἀλεξανδρινὸς ὀβολοὺς τρεῖς, ὁ δὲ Ἑλληνικὸς ὀβολοὺς δύο. Neophytus Monachus in Lexico Herbario: Αἰγύπτιος κύαμος, ὁ μέγας κύαμος, quemadmodum erraret si quis Alexandrinam & Græcanicam fabam secus acciperet quam de noto legumine, ita

A non minus deciperetur qui Ægyptiam fabam aliter exponeret. Sed Alexandrina faba, inquies, nonne eadem cum Ægyptia? Peculiare fabæ genus intelligendum, in Alexandrinæ urbis territorio nascens, quod Græca faba majus esset, sed minus quam quod in reliqua Ægypto proveniret. Sic *Ægyptiam palmam a Thebaica* vulgo veteres distinguunt, cum tamen Thebæ Ægypti essent haud minus quam Alexandria. Arabes ita etiam acceperunt fabam Ægyptiam veram esse fabam, ut notat Bellunensis ex Ebenbi-
B tur. Avisena fabam Ægyptiam de lupino interpretabatur. Lupinus etiam in ponderibus medicis locum habuit, ὁ θέρμος. Cujus pondus longo minus, quam fabæ Ægyptiæ. Ὁ θέρμος κεράτια δύο. At faba Ægyptia duodecim siliquas pendebat. Ex his sane constat Arabes etiam ignorasse fabam illam Ægyptiam, qualem eam describunt Græci veteres. Hanc tamen de faba Ægyptia opinionem non nimium asserimus, ac eam infra convellimus multis argumentis. In Nilo ad eamdem Alexandriam haud secus
C quam in reliqua Ægypto nascebatur lotus, sive colocasia. Unde Pancrates poeta Adriano Alexandriæ agenti obtulit τὸν ῥοδίζοντα λωτὸν, quem veteres omnes & *colocasiæ* & *fabæ Ægyptiæ* nominibus appellaverunt. Duo omnino loti genera in Ægypto statuit Athenæus, qui fuit Ægyptius, unum flore candido instar lilii: alterum rubro rosæ simili. Totidem esse nymphææ Ægyptiæ species putandum est. A foliorum amplitudine κολοκάσιον eamdem plantam appellarunt. Eodem nomine nuncuparunt & radicem bul-
D bosam, aro similem, vel generis ejusdem quod & folia nymphææ similia haberet, & adæque ampla. Hinc ex utraque unam fecerunt. Quod ita clare supra ostendimus, ut nulli jam sit locus dubitationi. Proinde non mirum est, si viri docti, qui nostra ætate Ægyptum peragrarunt, & in ea aliquantisper morati sunt, sed & per multos annos ibi vixere & medicinam exercuere, nullam in Nilo sibi visam fatentur plantam, quæ colocasiæ veterum, prout ab illis descripta est, examussim responderet. Nymphæam in
E illo amne se vidisse tantum testantur, qui lotus est Ægyptius, & in agris colocasiæ bulbos, quæ radix tota Ægypto frequentissima hodie. Ex his duabus herbis unam composuerunt, immo ex tribus. Nam & fabam Ægyptiam veram cum hac colocasia eamdem quoque concinnarunt sola nominis ratione inducti. Nonne hac eadem ratione *rha Ponticum* & *rha Barbarum* omnis fere antiquitas easdem putavit esse radices, quæ solo toto, cœloque divisæ sunt, ac genere facultateque diversæ, propter idem scilicet nomen.
F Atqui *rha Barbaricum* in Sinarum regione tantum nascitur. In Indiam ex ea deferebatur, ac deinde per Barbaricum sinum in Arabiam & Ægyptum importabatur. Græci ῥᾶ Βαρβαρικὸν propterea appellaverunt, non quod in Barbaria ipsa nasceretur. Multæ merces ab emporiis nomen traxerunt, potius quam à locis ubi provenirent. Quod in sexcentis colligere est. *Rha Ponticum* in Ponto crescebat. Vide quæ supra diximus. Hodie Persæ & Arabes *rha Barbaricum* vocant *reiwand Sini*. At *rha Ponticum* à flumine rha Ponti, ju-
G xta quod provenit. Inde ex nominum mixtura mixtæ species. Hæc omnia fidem facere possunt, non fidem in omnibus cæcam adhibendam esse antiquitati, quamvis plurimis iisque ac receptissimæ ab omni ævo auctoritatis nitatur testibus.

CAPUT XLVII.

Portæ Caſpiæ.



PAg. 54. D. *In his anguſtiis etiam illud inter alia difficile.*] Hæc lectio ad oram ſcripti codicis regii adpoſita fuit, quæ in aliis etiam reperitur. Ipſe in textu habuit: *In his anguſtiis etiam illud aſperum.* Diverſæ ſunt lectiones geminæ editionis. Hæc omnia à Plinio, quem vide.

Pag. 54. E. *Exudant humorem affluentiſſimum.*] In aliis *exundant.* Paulo poſt legitur in editis: *qui mox vi caloris conſtructus velut in glaciem coit.* Pro quibus habetur in regio & aliis nonnullis: *qui conſtrictus vi caloris velut in glaciem æſtivam corporatur.* Ad oram notata alia lectio: *qui mox ſole conſtrictus in glaciem coit,* quæ prioris editionis lectio eſt, quam nobis etiam A quidam libri exhibuerunt. Eleganter porro ſalem vocat *æſtivam glaciem*, quia calore ſolis inareſcit ac denſatur. *Mare ſole concretum* alius αἰνιγματικῶς appellavit. Alius, *humorem ex arido vel ardido congelatum.* Vide quæ ſupra notavimus.

Ita labes invia acceſſum negat.] In optimo codice pro varia lectione ſupra adſcriptum, *luvies.* Compoſita inde *eluvies, diluvies, proluvies.* Sed neſcio an *luviem* dixerint. Forte *luvies* pro *eluvies* ſcripſerat antiquarius.

Tractus omnis, nullis fontibus, vel puteis.] Et heic duplex occurrit lectio ex duplici editione. Utramque notant ac miſcent libri. In altera fuit: *tractus omnis quoquo inde pergitur, nullis puteis, vel fontibus ſine præſidio ſitit.* Altera habuit: *tractus omnis, humo arida ſine præſidio ſitit.*

CAPUT XLVIII.

Direum locus, Margiane regio.



PAg. 54. F. *A Caſpiis orientem verſus eſt locus, quod Direum appellatur.*] Ita ſcribunt omnes libri Solini, etiam in indice: *Direum locus*, apud Plinium eſt *Darieum* in editis, ubi ſcripti legunt, *Dareium.* Eſſet Græcum Δαρεῖον, à Dario ſic nominatum. Δαρεῖον Phrygiæ urbs Stephano. Plinii verba: *A Caſpiis ad orientem verſus regio eſt Zapavortene dicta, & in ea fertilitatis inclutæ locus Dareium.* Libri regionem eam nuncupant *Aparvortenem.* Ea eſt, quæ in Iſidori Characeni σταθμοῖς dicitur Ἀπαυαρκτικὴ, vel Ἀπαυαρκτικήνη ab urbe Apauarctice. Ἐντεῦθεν Ἀπαυαρκτικήνη, σχοῖνοι κζ. Ἐν ᾗ πόλις Ἀπαυαρκτική. *Locus* heic apud Plinium & Solinum non ſignificat oppidum aut vicum, ut ſæpe alias, ſed regionem. Sic Ἀρέα & Μαργιανὴ χώρα dicuntur Straboni. *Situm* pro eodem paulo ante dixit idem Plinius: *Mox ejuſdem Parthiæ amœniſſimus ſitus, qui vocatur Choara.* Perperam corrigunt *ſinus*, ut Græcis θέσις & θέμα regionem & tractum deſignat. Ab illa *Choara* regio Χοαρήνη Iſidoro: Κασπίαι πύλαι, ἐντεῦθεν ὑπερβάντων τὰς Κασπίας πύλας ἐστὶν αὐλὼν καὶ ἡ Χοαρηνή, ἐν ᾗ Ἀπάμεια πόλις. Male interſerunt editiones, Χοαρηνὴ σταθμὸς, quum ſatrapiæ nomen ſit ſub ditione Parthorum. Straboni lib. XI Χωρηνὴ dicitur pro Χοαρηνή, & inter Parthiæ numeratur regiones: μέρη δ' ἐστὶ Παρθυηνῆς ἥ τε Καμισηνὴ καὶ ἡ Χοαρηνή. Sic legendum. Ptolemæo in Parthia recenſentur Παρθυηνὴ, εἶτα ἡ Χοαρήνη, καὶ ὑπὸ ταύτην Ἀπαυαρκτικήνη. Sic iſta corrigenda ſunt regionum nomina vulgo corrupta. Juſtinus tamen, quem *Dareium* locum heic vocavit Plinius, ipſe *Daran* appellat, & urbem eſſe ait in monte Zapaortenon lib. XLI de Arſace: *urbem quoque nomine Daram in monte Zapaortenon condit: cujus loci ea conditio eſt, ut neque munitius quicquam eſſe, neque amœnius poſſit.* Eadem omnino nomina ſunt. *In monte Zapaortenon*, τῶν Ζαπαορτηνῶν. Ea eſt regio, quæ Plinio in libris vulgatis dicitur *Zapavortene.* Juſtini *Daras* eſt Plinii *Dareum.* Sed in Plinio ſtatim ſcribitur *fertilitatis inclutæ locus Dareium mons, gentes Tapyri, Anariaci.* Ubi eſt in vulgatis: *Locus Dareium. Mox gentes Tapyri.* Omnino ſcribendum ac diſtinguendum in Plinio: *& in ea fertilitatis inclytæ locus, Daræon mons: Gentes Tapyri, Anariaci, Hyrcani.* Id eſt, τῶν Δαραίων ὄρος. In monte condita *Dara*, ut ex illo Plinii loco liquet, unde ἐθνικὸν Δαραῖος. Stephanus: Δάρας ὁ καὶ Δάρας φασὶ φρούριον Ἀναστασίου πόλεως λεγόμενον ὀχυρώτατον. Ὁ πολίτης Δαρηνὸς ὡς Σοῦρα Σουρηνὸς, δύναται καὶ Δαραῖος. Meminit multis locis Procopius hu-C jus Daræi caſtelli, & urbem ibi ab Anaſtaſio conditam munitiſſimam aſſerit. Locum ipſum collocat viginti & octo ſtadiis à finibus imperii Romani & Perſici, & centum plus minus ſtadiis diſtare dicit Niſibi. Δάρας vocat, & ab eo Δαρηνοὺς & Δαραίους. Certe eadem eſt *Daras* Procopii & Stephani cum *Dara* Juſtini & Plinii *Daræon monte.* Procopius in Perſicis lib. I. Ἀναστάσιος δὲ βασιλεὺς πόλιν ἐδείματο ἐν χωρίῳ Δάρας, ἰσχυράν τε ὑπερφυῶς λόγου ἀξίαν, αὐτοῦ βασιλέως ἐπώνυμον. Ptolemæo Δαρεῖτις regio vocatur ab hac Dara, quam in Media collocat, ubi & Tapyros & Anariacas recenſet. An Plinio *Daritis* eadem eſt? Lib. VI. cap. XXIII. D *Arianæ partem aliqui Daritin eſſe volunt.* Sed Daritis in ea Ariana non erat, quam Plinius eo capite deſcripſit. Ariorum nomen modo latius, modo ſtrictius ſumebatur. Latiori appellatione plurimas gentes comprehendebat, Arachoſiam, Carmaniam, Gedroſiam, etiam Bactrianam & alias multas. Ἀριανὴν hoc generaliori complexu dicebant potius quam Ἀρίαν. Medi quoque ſub hac appellatione Ariorum olim comprehenſi. Herodotus Muſa ſeptima de Medis: ἐκαλέοντο δὲ πάλαι πρὸς πάντων Ἄριοι. A Medea nomen mutaſſe in Medos ibidem tradit. Si qui Daritin regionem Arianæ contribuerunt, E Medos Arios olim nominatos cogitabant. Videtur tamen illa *Daritis* Plinii diverſa à regione Darenorum & Daræorum. Fortaſſean & Ptolemæi Δαρεῖτις. Situs non uſquequaque convenit. In Plinio *Daritin* fatetur repoſuiſſe Gelenius pro *Dararin.* Stephanus: Δαρειτάνη πόλις Περσική. Ἔστι δὲ καὶ ἔθνος Δαρῖται. Hinc Δαρῖτις Ptolemæi. Sic enim legendum pro Δαρεῖτις. Hæc alii ſubtilius examinent. Quod ad Solinum attinet, certe heic nugatur.

Hunc circumſident Tapyri, Anariaci, Hyrcani.] Corrupti hoc in loco omnes libri Solini, qui partim, *Capyri, Naricli* habent: partim, *Lapidis, Naricli.* F Delrius inſeruit *Stauros* ex Plinio, quos nullus Solini liber agnoſcit. Tapyri & Hyrcani vicini ſunt, & ab omnibus ita juncti locantur. Dionyſius: Ὑρκανοὶ, Τάπυροί τε; ubi perperam quidam ex veteribus legerunt, Ὑρκανοί τ' Ἄπυροί τε. Diodorus lib. II. Ταπύρων ἔτι δ' Ὑρκανίων, καὶ Δερβίκων, πρὸς δὲ τούτοις καὶ Δερβικῶν. Strabo Tapyros ponit inter Hyrcanos & Derbicas. Ptolemæus in ſitu Mediæ: καὶ Καδούσιοι καὶ Δέρβικες, μεθ' οὓς διατείνοντες μέχρι τῆς μεσογαίας Ἀναριάκαι καὶ Μάρδοι. Male Δερίβυκες apud eum legitur & Ἀμαριάκαι. G Tapyros ibi etiam recenſet, quos Ταπούρους vocat, ex Latina ſcilicet appellatione, quæ *Tapuros* nominat, quos Græci Ταπύρους. Idem tamen Δερβίκκας alio loco recenſet in Margiane, quaſi diverſos ab illis qui in

Media

Media vocantur Δέρβικες, atqui diverſæ ſunt appellationes ejuſdem populi, qui aliis Δερβίκκαι, aliis Δέρβικες dicti ſunt, aliis etiam Δερβίοι, & Δερβίκιοι. Dionyſius:

---- Δερβίκιοί τε καὶ ἀφνειῶν κλίμα Βάκτρων.

Ita legendum, non Δερκέβιοι. Vide Stephanum in Δελβίκκαι. Sic enim perperam legitur pro Δερβίκκαι. Sic Ταπύρους alios facit idem Ptolemæus ab iis, quos Ταπύρους in Media recenſuit: & nugatur more ſuo. Latini auctores *Tapuros* dixere, Græci Ταπύρους. Solet ille plerumque appellationes gentium & oppidorum à Latinis mutuari. Inde Ταπύρους & Ταπύρους cenſuit diverſos. Hos in Margiana, illos in Media poſuit. Ubique talis eſt. *Anariaci* aliis dicuntur *Nariaci*. Stephano Ἀναριάκαι: Ptolemæo Ἀμαριάκαι perperam. *Anartacæ* veteri geographo noſtro pro *Anariacæ*.

Proximat ei Margiana regio.] Libri Soliniani meliores: *Margine*, & in indice: *locus Direum. Margine regio.* Scribe: *Margiane*, ἡ Μαργιανή. Corrige & Martianum ex hoc loco: *Mox regio Margiane ſola in eo tractu vitifera.* Vulgo eſt: *regio Mattianæ.* Plinius: *ſequitur regio Margiane apricitatis inclytæ.*

Pag. 54. G. *Et de nuncupatione domus ſuæ dixit Seleuciam.*] Mirum eſt in libris Plinii pro Seleuciam hodie legi *Syrianam*, his verbis: *qua diruta à barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco reſtituit Syrianam interfluente Margo, qui corrivatur in Zotale. Is maluerat illam Antiochiam appellari.* Libri nihil variant, niſi quod habent, *reſtituit Syriam nam interfluente Margo.* Ex eo loco Solinus adſtruit heic Seleuciam in Margiane pro Alexandria reſtitutam ab Antiocho Seleuci filio. Atqui urbs illa Antiochia, non Seleucia nuncupatur ab auctoribus. Stephanus Ἀντιόχεια ἐν τῇ Μαργιανῇ Παρθυαίων duodecimo loco recenſet. Iſidorus Characenus: ἐντεῦθεν Μαργιανή, σχοῖνοι λ. ἐν ᾗ Ἀντιόχεια ἡ καλουμένη ἄνυδρος. Strabo lib. XI. Antiochiam in Margiane conditam ſcribit ab Antiocho Sotere. Antotus ille locus ita reſtituendus apud Plinium: in qua Alexander Alexandriam condiderat: *quam dirutam à barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco reſtituit. Syri, amne eam interfluente Margo, qui corrivatur in Zothalacis, maluerunt illam Antiochiam appellari.* Antiochus Alexandriam Margianæ dirutam à barbaris eodem loco & nomine reſtituerat. Syri, quos incolas dedit urbi, maluerunt eam *Antiochiam* appellari de nomine conditoris, ſive reſtitutoris. Nihil occurrit melius divinandum preſſius inſiſtenti veſtigiis ſcriptæ lectionis. Libri veteres etiam legunt, *qui corrivatur in Zothalacis.* Sed unde putamus nomen *Seleuciæ* expiſcatum eſſe Solinum, niſi ex Plinii loco hauſerit? monſtrum igitur corruptionis in libris, *Syriam nam*, pro *Seleuciam.* Nec minori prodigio ſcriptum in iiſdem, *in Zothalacis* pro *incolis.* Totum itaque locum ſic repurgandum cenſeo: *qua diruta à barbaris, Antiochus Seleuci filius eodem loco reſtituit Seleuciam, interfluente Margo qui corrivatur ab incolis: maluere & illam Antiochiam appellari.* Seleuciam in loco Alexandriæ reſtituit Antiochus Seleuci filius, indito patris nomine. Eam interfluit Margus, qui corrivatur ab incolis, hoc eſt, in rivos deducitur ad irrigandam regionem, εἰς τοὺς ὀχετείας ἀναλίσκεται, ut de Chryſorrhoa Damaſcenæ regionis dixit Strabo. *Eriguare* id vocavit alio loco Plinius. Et fortean hic melius ſit ita ſcribi. Iidem incolæ maluere urbem ſuam Antiochiam appellari de nomine ſui conditoris. Quod nomen obtinuit, peſſimè Solinus *Seleuciæ* meminit tantum, quæ appellatio non permanſit. Ammianus in Margiana etiam *Antiochiam* collocat inter præcipuas urbes. Ptolemæo dicitur Ἀντιόχεια Μαργιανή, ut Ἀντιόχεια Πισιδίας, Σελεύκεια Πιερίας. Forte ſub illis verbis *corrivatur in Zothalacis* latet nomen alterius amnis, in quem corrivatur Margus. Ptolemæus alium amnem conjungi Margo dicit. Forte & Plinius ſcripſerit *Seleuciam* hanc urbem appellatam, cum Antiochus Antiochiam maluerit appellari. Quod contra eſt.

A *Circuitus diffunditur in ſtadia ſeptuaginta quinque*] In Plinio ſcribunt libri: *Urbis amplitudo circumitur ſtadiis* LXX. Legit Solinus: LXXV. Ita etiam eſt apud Martianum. Strabo tradit Antiochum regionis illius amœnitatem & ubertatem demiratum muro univerſam circumdediſſe, qui in circuitu mille & quingenta ſtadia obtineret, & in ea Antiochiam condidiſſe: de magno circuitu diffundi dixit. Etenim *diffundi* proprie dicitur, quod in plures partes funditur ac dilatatur, ac ſic multum ſpatii occupat. Ita *diffundi vinum* dicebant antiqui, quod ex uno majore vaſe ut puta dolio in plura minora fundebatur, ut cados & amphoras, in quibus ſervaretur & inveteraſceret. Hæc vini diffuſi

B ſignificatio ac notio. Græci διαχεῖσθαι eodem ſenſu uſurpant de vino. Strabo lib. XVII de Alexandriæ agro: εὐοινία δ' ἐστὶ περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεώτην οἶνον. At quod ex majore vaſe in minus funditur ad bibendum, *defundi* dicitur, hoc eſt, καταχεῖσθαι. Vide ſupra quæ notavimus.

Oppidum excitarat.] Oppida, muri *excitari* dicuntur, & quidquid ſolo in altum ædificatur atque attollitur. Glebæ etiam aratro *excitantur*, quæ proſciſſæ levantur. Sed *excitari puteos* qua ratione dici queat, quod hic ſuprà uſurpavit, ibi quæſivimus. Nunc in ea adhuc opinione ſum, debere ſcribi: *cum puteos exci-*

C *ſaſſent.* Ita Græci ἐκκόπτειν φρέαρ & ἐκκόπτειν τάφρον, & φρέατος ἐκκοπή, putei cavatio. *Exciſare*, ut *convectare*, *conſeptare*, *retentare*, qua forma plurimum gaudet Noſter. Ita & *lapides è cautibus exciſari* dixerit, ubi idem mendum. *Exciſatis auribus* Plauto. *Excitare lapides* è metallo ac lapidicina majori cum ratione diceretur quam *excitare puteum.* Nam *excitare* idem quod ex ſede ſua citare ac movere. Martialis:

Bis excitatus terve tranſtulit caſtra,

id eſt, ab equeſtribus ſurgere juſſus. Sic *excitare leporem* canes dicuntur, quem de cubili ſuo ac fruticeto exire faciunt. Hoc idem & *ſuſcitare.* Martialis:

Dum ſuſcitanti lectio reluctatur.

D Inde explicandus ac legendus Catulli verſus, in quo Cimmeriæ tenebræ Joſepho Scaligero:

Impia deriſi gentilis gaudia tollens
Suſcitat a cano vulturium capite.

Sic corrigendum ex veteri codice, quem etiam vidit idem Scaliger. De parvo nepote loquitur, qui avo natus in extremo ſenio, poſt ſignatas tabulas, & inſtitutum hæredem aliquem ex gentilibus, qui proximus erat, teſtamentum rumpit, & fruſtratur gaudium

E gentilis, qui ſpe jam devoraverat hæreditatem, & imminebat quaſi vulturius capiti ſenis, mortemque ejus expectabat expetebatque, ut frueretur bonis. At natus nepos ubi tabulis avi nomen intulit, expuncto gentili, ſuſcitat vulturium, & amolitur à capite ſenili. Martialis:

Quod ſedeo qua te ſuſcitat Oceanus.

Ab Antiocho reſtitutum, Achaïs poſtmodum nominatum eſt.] Sequitur Plinium: *Heraclea* prius vocabatur ab Alexandro condita. Stephanus *Heracleam* recenſet inter ceteras hoc nomine μεταξὺ Σκυθίας καὶ Ἰνδικῆς. Stra-

F boni Ἀχαΐα urbs in Aria ponitur, quæ Margianæ vicina eſt, & à nomine conditoris appellatam ait: ἐν τῇ Ἀρίᾳ, πόλεις δ' Ἀρτακάνα, καὶ Ἀλεξάνδρεια, καὶ Ἀχαΐα ἐπώνυμοι τῶν κτισάντων. Ea eſt quam heic Plinius *Achaïda* vocat. Ergo ab Achæo aliquo condita, non ab Alexandro, nec ab Antiocho poſtmodum reſtituta ſub *Achaïdis* appellatione. De alio Achæo non poſſumus intelligere, quam de illo, qui Antiochum Seleuci regis filium cognatione contingebat, & Aſiam cis Taurum dynaſtæ nomine, mox regis aliquamdiu tenuit. Andromachus Achæi pater fuit, frater Laodices, Se-

G leuci regis uxoris, matris Antiochi. Ab illo igitur Ἀχαΐα, vel Ἀχαῒς urbs nominata. De eo Achæo vide Polybium lib. IIII. Ἀρτακάνα dicitur Straboni Ariæ oppidum, Iſidoro Characeno Ἀρτακαύαν. Ptolemæo Ἀρτικαύνα. Supra memini aliquid notaſſe.

CAPUT

CAPUT XLIX.

Gentes circum Oxum amnem. Terminus itinerum Liberi patris, & Herculis. Item regiones cum gentibus. Simul de camelorum natura.



A Ag. 55. A. *Oxus amnis oritur de lacu Oxo.*] In Plinii codicibus antiquis scribitur: *Oxus amnis ortus in lacu Oaxo.* In quibusdam libris Solini legitur *Oazo*, apud Martianum Capellam vulgo editur, inde *Oaxus amnis.* Sed veteres legunt *Oxis.* *Oxiæ paludis* mentio apud Ammianum. An & heîc atque apud Plinium scribendum *de lacu Oxio.* Alias *Oaxus* idem quod *Oxus.* B Græcis Ὄαξος & Ὦξος ut Ὀαρίων & Ὠρίων. An *Oaxes* Virgilianus idem erit cum hoc *Oaxo* vel *Oxo*?

Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Oaxus quidem urbs Cretæ, non fluvius: unde Ὀαξὶς γῆ & Poëtice Ὀιαξὶς Apollonio:

-------- Οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
Δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησε.

Poetica parenthesi dixit Ὀιαξίδα pro Ὀαξίδα: quod C etiam Varro Atacinus sequutus est dum illos versus redderet hoc modo:

Quos magno Anchiale partus adducta dolore,
Et geminis capiens tellurem Oeaxida palmis
Edidit in Dicta.

Male apud Servium scribitur *Oaxida.* Quod versus non patitur, licet locus ita appellatus sit. Stephano, Ὄαξος πόλις Κρήτης. Verum de hac Cretæ insulæ Oaxo non potest exponi Virgilianus versus, nisi admodum ridiculus ipse reddatur. Præterea *Oaxus*, vel *Oaxes* D in Creta nomen est oppidi, vel loci prærupti, non fluminis. Stephanus: τινὲς δὲ διὰ τὸ κατακρημνον εἶναι τόπον, καλοῦσι γὰρ τοὺς τοιούτους τόπους ἄξους, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ἀγμούς. Utrumque ab eadem origine, ἀπὸ τοῦ ἄγνυσθαι. Unde ἄξαι est rumpere, inde ἄξος Cretensibus *præruptus locus.* Latini quoque *rupem* inde dixere à *rumpo*; nam veteribus erat *rupo*, unde & *prærupta*, ἀπόκρημνα, ἀπερρωγότα. Eædem glossæ: *prærupta loca*, ἀπόκρημνοι τόποι. Præcisorum ac præfractorum laterum saxa sic proprie appellata. Ceteri Græci ἀπορρῶγας etiam vocant: sed & ἀγμοὺς, id est, rupturas vel fracturas. Hesychius: ἀγμοὶ, E ῥαγαὶ, παραθραύσεις ἀπορρῶγες. *Oaxes* igitur apud poetam fluvius est Scythiæ orientalis, qui *Oaxus* aliis dicitur & Oxus. Nam & Ὤξης & Ὦξος appellatus. Sensus ita plane accipi postulat. Et *rapidum cretæ* vocat, quia creta, id est, albo limo turbidus fluat. Mesopotamiæ fluvium Oaxem dicit esse Servius, sed nugatur. Nullus in Mesopotamia fluvius hoc nomine.

Cujus oras Heniochi, Bateni, Oxii, Tagæ accolunt.] Hæc lectio est editionum vulgarium, quam è Plinio procuderunt. Omnia Solini exemplaria scribunt: *Cujus ora hinc inde Bateni & Oxistacæ accolunt.* In Plinio legitur: *Derbices, quorum medios fines secat Oxus* F *amnis: Syrmatæ, Oxii, Tagæ, Heniochi, Bateni, Saraparæ.* De solis Derbicibus dixit Plinius medios eorum fines Oxo secari. Quod Solinus transtulit ad Batenos, & Oxydracas. Sic enim apud eum reponi debet: *cujus oram hinc inde Bateni & Oxydracæ accolunt.* Idem est ac si dixisset, quorum fines medios secat Oxus. Apud Plinium quoque pro *Oxii*, *Tagæ* rescribendum. *Oxydracæ* Ptolemæo dicuntur Ὀξυδράγκαι, aliis Ὀξυδερκαι. Vide Stephanum, & Alexandri vitæ scriptores. *Heniochi* heîc locum habere non possunt circa Oxum, G qui Colchis vicini sunt, & Caucasum accolunt. In scriptis codicibus Plinii vocantur *Inochi.* Plinii *Saraparæ* sunt Ptolemæi Σαλατάραι, Oxi amnis accolæ.

Pag. 55. B. *Bactris præterea proprius Bactros amnis, unde oppidum*] Altum apud veteres de Bactro amne silentium. Inter flumina, quæ Bactrianam intersecant, vel adluunt, nullum hoc nomine recensetur Ptolemæo. Fefellit Solinum Plinius haud rectè interpunctus. Sic enim vulgo verba ejus distinguunt: *Bactri quorum oppidum Zariaspe, quod postea Bactrum à flumine appellatum est.* Ita igitur intellexit, *Zariaspa* oppidum Bactrorum postea appellatum esse *Bactrum*, à Bactro flumine. Atqui sic interpungendum fuit: *quorum oppidum Zariaspa, quod postea Bactrum, a flumine appellatum est.* Zariaspe oppidum à flumine Zariaspe appellatum est, quod postea dictum est *Bactrum.* Ζαρίασπις hic fluvius Ptolemæo dicitur, aliis Ζαριάσπης. Hic idem seorsim recenset in Bactriana Ζαριάσπα & Βάκτρα, quasi diversa oppida, quum eadem sint Strabone ac Plinio teste. Hoc sollemne est Ptolemæo, cujus non paucos errores & ἀβλεψίας in geographia deprehendimus. Legendum apud eum Ζαρίασπα pro Χαρίασπα. Stephanus: Ζαρίασπα ἢ καὶ Ζαριάσπη πόλις Βακτριανή, ἣ καλεῖται καὶ Βάκτρα. Martianus Solinum sequitur, cujus verba sic corrigenda sunt: *Inde Oxus amnis, qui circa Bactra cum ejusdem nominis oppido fluvioque.*

Unde oppidum quod incolunt Bactrum.] Plinio quoque *Bactrum oppidum.* Græcis τὰ Βάκτρα. Sed quum Βάκτριοι populi dicantur, æque dici potuit & *Bactrum* oppidum τὸ Βάκτριον, pro Βακτριανόν. Stephano τὸ Βάκτριον. Nam & Βάκτροι & Βάκτριοι & Βακτριανοί.

Gentis hujus quæ pone sunt, Parapamisi jugis ambiuntur.] Nec mentem Plinii heîc percepit Solinus. Ait, quæ pone sunt Bactrianorum gentis, ea Paropamisi jugis ambiri: quæ adversa, Indi fontibus terminari. Ita enim ex libris emendavimus, ubi vulgo excuditur, *quæ adversæ.* Haud possum colligere quænam aversa, quæ contra adversa in hac gente intelligenda sint. Plinius longe alio sensu: *Gens hæc obtinet montis aversa Paropamisi, ex adverso fontis Indi.* In scriptis est: *ex adversus fontes Indi*, quod rectum. *Exadversus* & *exadversum* adverbialiter. Sic infra: *Exadversum Bactrianos hoc oppidum.* Latus Paropamisi septentrionale incolunt Bactri. *Aversa Paropamisi.* latera illa, quæ ad septentrionem sunt, heic vocat Plinius, ut alibi *aversa Caucasi*, quæ in eamdem partem spectant. Et sunt exadversum fontes Indi fluminis, qui in altero latere Paropamisi oritur ad meridiem versi. I nunc & nega heîc nugatum Solinum, quod insolens non facit.

Reliqua includit Oxus flumen.] In altero regio: *Occhus.* Lege: *Ochus.* Atque ita Plinius: *includitur flumine Ocho.* Hic amnis in Oxum influit. Græcis Ὦχος. Vide Ptolemæum.

Hic enim locus est, in quo primum à Libero patre.] Corrige Martianum ex hoc loco & libris: *quippe ibi a Libero, dehinc ab Hercule aræ sunt constitutæ.* Male editur: *quippe emensi.*

Jaxartes secat fines.] Libri omnes Solini legunt *Jaxantes*, vel *Laxantes*: corrupte. Quod monuimus ea re ut intelligant tyrones critici, quatenus fides habenda sit veteribus libris. De Sili & Tanaï dictum supra.

Pag. 55. C. *Demodamas dux Seleuci & Antiochi.*] Male in Delriana *Dæmodamas.* In Plinianis editionibus heic nominatur *Demonax.* Libri scribunt *Demonas* pro *Demodamas*: quæ vera est lectio. In libro indicis inter externos auctores, quibus usus est hoc sexto libro, *Demodamantem* recenset: *ex Timosthene, Patrocle, Demodamante.* Hic Milesius fuit. Stephanus in voce Ἀνθισα. Καὶ τρίτη Ἰνδικῆς, ἣν ἀναγράφει Φίλων καὶ Δημοδάμας Μιλήσιος.

Hoc est colliminium, in quo limes Persicus Scythis jungitur.] Immo *collimitium.* Sic dicitur locus, ubi duo limites junguntur, τὸ σύνορον. Unde *collimitari*, & *collimitaneum*: at *limen* nihil heic facit, nec *colliminium.*

Scythæ Persas Chorsacos vocant.] Ita libri. In regio supra adscriptum *Scortacos.* Apud Plinium *Chorsaros*, ut antehac Solini editiones. Iidem libri mox *Croucasim*: Pliniani *Grocasum.* Ex nominis sono *Caucasum* esse sibi persuaserunt Macedones, atque ita deinceps appellarunt. Quæ appellatio inter Græcos postmodum obtinuit.

Pag.

Pag. 55. D. *Essedones, Ariacæ, Sacæ, Dahæ, & Assai*] Pro his omnibus, qui huc intrusi fuere ex Plinio, Solini libri plerique habent: *Essedones, Satarchæi, & Apamei*. In aliis *Satarchæ & Apalegi*. Plinius hoc loco inter Scythas orientales *Apellæos* fuisse meminit, quos alibi *Apalæos* vocatos legi: *ibi Napæi interiisse dicuntur & Apellæi*. Hi sunt, quos heic recenset Solinus. *Satarchæos* cum his perperam jungit *qui ex Scythis fuere circa* Mæotim degentibus. Plinius VI. VII de gentibus circa Mæotim: *Mandareos, Satorchæos, Spalæos*. Solinus more suo vicinitate nominum adductus credidit *Spalæos* illos eosdem esse cum his Apellæis. Ideo *Satorchæos* junctim cum his locavit traductos à Mæotide in hæc usque loca Paropamiso & Indiæ vicina. Σατορχαῖοι Græcis. Stephanus Taphræ regionis circa Mæotim meminit, quam incoluisse dicit Σατορχαίους. Locum vide, & scies cur hoc nomen invenerit, simulque nosces magno errore *Satorchæos* illinc migrare jussos in orientis extrema auctore hoc Solino. Hi sunt iidem cum Satarchis, quos in Scythia Europæa ponit Mela, de quibus nos supra, οἱ Σατάρχαι, καὶ Σατορχαῖοι.

Bactri fortissimos camelos mittunt.] Inde arripuit occasionem de camelis tractandi, ex mentione Bactrorum. Quidquid de his dicit, habet è Plinio, qui genere fœmineo camelos ubique vocavit, ut testantur libri veteres, in quibus legitur: *Camelos inter armenta pascit oriens, quarum duo genera, Bactrianæ & Arabicæ*: Et mox: *illæ bina habent tubera in dorso, hæ singula*. Item paulo post: *utcunque rabiem & ipsæ sentiunt*. Ita Græci τὰς καμήλους dicunt. *Tubera* in camelis Græci κυρτώματα & τύλας vocant, unde δίτυλοι dictæ quæ bina habent tubera. Aristoteles ὕβους: unde vox Latina *gibbus*, Æolica γύβος. *Petumen* antiquis Romanis. Servius in tauris Cypriis gibberibus ὕβον interpretatur *petimen*, alii ulcus in humeris jumentorum exponunt. An inde appellati *petiminarii*, qui saltu periculoso corpus vibrantes, totos plerumque se contrahunt, & gibbos faciunt, ut *petauristæ* & alii hujusmodi paraboli saltatores. Male apud Salvianum *petaminarii* vocantur, quos Scaliger quasi πεταμένους dictos volebat, voce ex Græco detorta. Nugæ. Verba Salviani: *Et quidem quia nunc longum est dicere de omnibus amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterisque portentis*. Omnino emendari debere pronuntio: *athletis, pyctis, mimariis, pantomimis*. Certe vera ibi lectio *mimariis*, qui iidem sunt cum *mimis*. Vetus auctor in descriptione orbis terrarum: *Sed Ladicia mittit aliis civitatibus agitatores optimos: Tyros & Berytus mimarios: Cæsarea pantomimos*. Atqui petaminariorum etiam meminit Maternus Firmicus, & eo quidem loco, in quo nec pyctæ, nec mimarii sedem habere possunt. Lib. VIII. cap. XV de delphino oriente in octava parte capricorni: *Sed Saturni testimonio urinator erit, cum Marte vero & Mercurio petaminarius, ephalmator, petauristarius, orciscopalarius, aut certe innata cursus agilitate perspicuus*. Periculosarum, sed ludicrarum simul artium hæc nomina, quales ostendunt ac profitentur, qui θαυματοποιοὶ dicuntur. Pro *petaminarius* legendum *petamenarius*. Firmicus hoc nomine expressit eos homines, de quibus Manilius lib. V, hoc versu.

Et viduata volant pennis, & in aere ludunt.

Quod genus erat θαυματοποιητικῆς τέχνης. *Petamenarios* autem dixit Firmicus pro *petamenis*, id est, πεταμένοις, volantibus. Sic *petauristarios* appellat, qui sunt petauristæ, οἱ πεταυρισταὶ, & *orchestopolarios* pro *orchestopolis*. Ita Græce ὀρχηστόπολοι. Sic enim ea vox emendanda apud Firmicum. Qui vertiginosa & concita saltatione in orbem moventur, hoc nomine indigetarunt Græci, nam πόλος est circulus, & πολεῖσθαι in circulum moveri & circumagi. Hesychius: πολεῖνται, περὶ τὸ αὐτὸ ἀναστρέφονται. In veteri libro notarum *orchistopolis* dicitur, ὁ ὀρχηστόπολος, ut *enchoris*, ὁ ἔγχωρος: *aprocopis* eidem Firmico ὁ ἀπρόκοπος, & *neocores*, οἱ νεώκοροι.

A Vidi sæpe hujusmodi orchestopoles, qui concitatissimo motu, ac diu in orbem ac circulum volventes se atque saltantes mera miracula faciebant, ut citius ipse vertigine corriperer spectando, quàm illi saltando. Male Scaliger *orciscopularios* legebat apud Firmicum, ut de urinatoribus intelligeretur. Quod nemini scio placiturum. Ut Græci δυομένους vocant urinatores & qui in profundum sese demergunt, ita πεταμένους, qui in aëre volant, quos *petamenarios* vocavit Firmicus, ut *petauristarios* dixit pro petauristis. Pollux lib. VII. cap. XXXI: ὑδροκολυμβῆται, ὕφυδροι, κολυμβηταὶ, δυόμενοι.

B Ita distinguendum. Magis probat δυομένους dici urinatores, quàm quomodo quidam dicebant δύτας. Æliano ὑποδυόμενοι dicuntur. Ita ergo & πετάμενοι. De quibus Claudianus:

Et qui more avium sese ejaculantur in auras.

At pyctæ & mimarii bene habent in loco Salviani, cui & conveniunt. Nec invideam *petaminarios* ibi manere.

Quibusdam pulmunculis vestigia carnulenta.] Plinius lib. XI. cap. XLV de camelo: *Est enim bisulcum discrimine exiguo: pes imus vestigio carnoso ut urso: qua de causa in longiore itinere sine calciatu fatiscunt*. Ita scribendum ac

C distinguendum. In veteri libro planè scriptum: *est enim bisulcum*, id est, camelus bisulcum est animal. Ita Aristoteles hoc eodem loco: ἐστὶ δὲ δίχηλον ἡ κάμηλος. Hæc sunt Græca, quæ vertit Plinius: ὁ δὲ πούς ἐστι κάτωθεν σαρκώδης, ὥσπερ καὶ οἱ τῶν ἄρκτων: διὸ καὶ τὰς εἰς πόλεμον ἴσως ὑποδέουσι καρβατίναις, ὅταν ἀλγήσωσιν: id est, *soleis calciant, ubi fatiscere incipiunt*. Solinus *pulmunculos* vocat offas carnulentas, molles ac tumidas instar pulmonis, σαρκίον πλευμονῶδες. *Pulmonei pedes* notum qui dicantur Plauto. Inde grammaticus *pulmunculos* sub pedibus camelorum videtur finxisse.

D *Sunt alii oneri ferundo accommodati.*] Duplex hic invenitur in libris lectio ex duplici editione manans. Regius in textu habet: *sunt alii oneri ferundo accommodati, alii perniciores*. Ad marginem altera adscripta est: *sunt alii ad pernicitatem leves*. Puto permixtas fuisse invicem has lectiones, & in priore editione auctorem scripsisse: *Sunt alii onerarii, alii perniciores*, in recognita ac perpolita posuisse: *sunt alii oneri ferundo accommodati, alii leves ad pernicitatem*, ex Diodoro: αἱ δὲ πρὸς νωτοφορίαν ἡσκημέναι, αἱ δὲ ἀνάκωλοι καὶ λαγαραὶ ταῖς συστάσεσι, δρομάδες εἰσί. Vocat ἀνακώλους, quibus longa crura, ac

E substricta corpora. Sic ἀνάκωλοι tunicæ breves, quæ crura non tegunt, sed crurum tenus demissæ ea relinquunt aperta, ita ut iis induti videantur ἀνάκωλοι. Plinius de utroque genere: *omnes autem jumentorum in iis terris dorso funguntur, atque etiam equitantur in præliis velocitas inter equos*. Hæc corruptissima tum lectione, tum interpunctione. Libri habent: *equitatu* vel *equitatus* pro *equitantur*: & *in equis* pro *inter equos*. Scribe totum locum: *omnes aut jumentorum ministeriis dorso funguntur, aut vicem equitatus in præliis. His velocitas ut equis, sed sua cuique mensura, sicut vires*. Egregia emen-

F datione & verissima. *Ministeriis* pro *in his terris*. Ita legisse apparet Solinum: *habentur*, inquit, *in duplex ministerium*. Alias ineptum esset dicere, quod habet vulgata lectio, camelos dorso jumentorum fungi. Ministeriis jumentorum funguntur dorso suo. Correximus etiam: *aut vicem equitatus* pro *atque etiam*. Sed poterat tamen legi: *aut etiam equitatus*, dummodo subintelligatur, *ministeriis*. Illud puto verius: *his velocitas ut equis, sed sua cuique mensura*. Habent velocitatem ut equi, sed illam suæ mensuræ singuli, sicut & vires. Qui ad cursum & pernicitatem leves habebantur, δρο-

G μάδες peculiari ac proprio nomine sunt appellati, quo hodie appellantur.

Pag. 55. E. *Assidua proculcatione limum excitant*] Ita libri & Plinius: *obturbata proculcatione prius aqua*. Et mox iidem: *ut turbidetur*, non *turbetur*.

CAPUT

mentus est Solinus, qui nusquam fuere in rerum natura. Arriano Ἀστακηνοὶ & Ἀσσακηνοὶ populi Indiæ memorantur ad Cophetem fluvium. Sed illi longe à Seribus. Ammianus in scripto codice *Asspatharas* numerat & alios Sericæ populos, qui Ptolemæo dicuntur Ἀσπακάραι. Addit: *Betæ vero australi celsitudini montium acclinati.* Libri: *Beatæ.* Rectius *Batæ*, Ptolemæo Βάται. Plinius Athagoris vicinos facit *Thuros* & *Tocharos.* Hi sunt qui Φροῦροι Dionysio appellantur:

Καὶ Τόχαροι Φροῦροί τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.

Pro *Tocharis* Rigaltianus codex *Phocaros* scribit. Ita nominantur & alio loco apud eumdem Plinium, quem supra corrigere memini, & pro *Phicaris Tocharos* restituere.

Quibus temperies prærogativa miram aëris clementiam subministrat.] Non temperies subministrat aëris clementiam, sed aëris clementia locis temperiem suppeditat. Scribe igitur: *quibus temperies prærogativam mira aëris clementia subministrat.* Tam antiquariolum non puto fuisse nostrum, etsi id affectet, ut *temperies* usurparit pro *temperiei.* Exempla tamen hujus ἀρχαϊσμοῦ plura habes apud Agellium notata.

Qui salubri apricitate undique secus objecti.] Plinius, *ab omni noxio afflatu seclusa collibus eadem, qua Hyperborei, degunt temperie.* Aprica loca dicuntur quæ opportunè solem accipiunt, quasi *aperica*, quod soli aperta sint. Nam *apericum* veteres dixere. Id tamen cum modo fieri debet, nec omnis locus soli expositus, *apricus* dicitur ex Latinè loquentium usu. Quid enim si adeo soli patens sit & apertus, ut immodicis caloribus torreatur? Hunc Latini *apricum* non dicerent. *Aprici colles* hic cum mira temperie aëris prædicantur. Solinus: *arcent sanè afflatum noxium colles, qui salubri apricitate undique secus objecti prohibent auras pestilentes.* Sed hujus vocis vim disertè aperit locus Justini, quem viri docti malo consilio corruperunt, dum conantur emendare. Sic igitur habet, ut in veteribus omnibus libris conceptus est: *sed non minor loci ejus apricitatis quam ubertatis admiratio est: quippe cum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aeris naturalis quædam ac perpetua apricitas inest.* Utrobique *opacitas* & *opacitatis* substituerunt. Quod minime debuit. De valle Hierichuntis loquitur. Vides *apricitatem* vocari, ubi sol non est ferventissimus, sed tepidus ac temperatus. Plinius: *Sequitur Margiane regio apricitatis inclytæ, sola in eo tractu vitifera.* Non omni igitur soli obvius & patens, *apricus* propriè dicebatur, sed tepido ac leni non torrentissimo. Præcipuè temperatus est, quum commodum oritur, isque coquendis uvis, & perficiendis succis maximè accommodatus est. Hinc *aprici colles*, qui orienti soli obversi sunt. Qui sol quoniam non est intemperate calidus *apricitatem* pro temperie optimi au-

A ctores posuerunt. *Apricas terras* poëta simpliciter opposuit frigidioribus. Inde inepti grammatici *apricum* quasi ἄνευ φρίκης dictum interpretantur, atque inde etiam appellatam *Africam.* Ab ea voce *apricum* locum idiotismo suo Galli vocant, qui à vento, pluvia, & reliquis cœli injuriis seclusus est ac tectus, *abry*, hoc est, *apricum.* Glossæ: *apricus*, τόπος εὐήλιος. Recte εὐήλιος, qui solem adtemperatum recipit, non plus æquo calidum, nec nimis hebetem & invalidum. Græci veteres εὔειλα & πρόσειλα vocarunt ejusmod loca modico calore tepentia & soli opportune aperta. Theophrastus: ἡ εὔειλος καὶ ἁπλῶς εὐδεινή. Ubi perperam scri-

B bitur εὔηλος. Quod ratione caret. Nec enim formari potest ἀπὸ τοῦ ἡλίου. Item lib. III de causis: τὰ ξηρὰ καὶ τὰ πρόσειλα· πέττει γὰρ ὁ ἥλιος μᾶλλον. *Sicca & aprica: sol enim magis percoquit.* Simili mendo editum est προσήλα. Eodem libro: ὅτε γὰρ τὰ ἐκ τῶν εὐείλων καὶ πρωΐων, εἰς τὰς ὀψίας, καὶ δυσχειμέρους. Opponit δυσχειμέρους τοῖς εὐείλοις. Heic etiam male εὐήλων. Semper corrigenda hæc vox, ubicunque ita scripta reperitur. Ἕλη & εἵλη est calor solis modicus, ac tepidior. Unde εἰληθερεῖν, τὸ ἐν ἡλίῳ θερμαίνεσθαι, *apricari, insoliculari.* Εἵλη, ἡ θερμασία.

Pag. 56. C. *Inter hos & Indiam gnarissimi Ciconas loca-*

C *verunt.*] Qui sunt isti gnarissimi, qui Ciconas locaverunt inter Athacoras & Indiam? Plinium consulamus an hoc dicat. Nec enim alium habuit auctorem: *Ab Athacoris gentes Thuri & Tochari, & jam Indorum Casiri. Introrsus ad Scythas versi humanis corporibus vescuntur. Nomades quoque Indiæ vagantur. Sunt qui ab aquilone contingi ab ipsis & Cyconas dixere & Brysanos.* Non jam heic loquitur de Athacoris Plinius, sed de Nomadibus Indiæ, quibus ex quorumdam sententia refert ab aquilone contiguos esse Cyconas & Brysaros. Non igitur inter Indiam & Athagoras isti Cycones, sed à septentrione contingi eos dicit à Nomadibus Indiæ. Nihil hoc auctore futilius. Ut ineptus fuit & exsensæ men-

D tis, hoc est, grammaticalis, putavit si forte Ciconas istos esse Thraciæ decantatos illos à poëtis populos. Cur enim tot aliis gentium nominibus omissis, quas ibi Plinius memorat, istos potissimum delegisset, quos hic insereret & tam male collocaret. Et tanto quidem ineptior, quod gnarissimos ita prodere ait. Sed fortasse scripsit: *Inter hos & Indiam ignarissimi Ciconas locaverunt.* Sic legisse videtur in Solino Martianus. *Nam Ciconas in medio error adstruxit.* Inde certo certius hunc Solinum Ciconas de Thraciæ populis accepisse. Quo nihil portentosius. Ait simpliciter Plinius Nomadibus Indiæ à

E quibusdam vicinos censeri ad septentrionem Cyconas & Brysaros, qui populi sunt septentrionalis Scythiæ, his nominibus longe à Ciconibus Thracia divisi diversique. Libri scripti apud Plinium *Conas* hos populos vocant, non *Cyconas.*

CAPUT LII.

India. In ea de ritu hominum, & qualitate, de cœli clementia, de natura soli, de serpentibus Indicis, de leocrotta bestia, de eale bestia, de tauris Indicis, de mantichora bestia, de bubalis Indicis, de monocerote bestia, de anguillis Gangeticis, de Gangeticis vermibus, de balæna Indica, de physetere, de ave psittaco, de Indicis lucis, de ficu Indica, de Indis harundinibus, de arboribus in insula Indiæ, de piperis arbore, de ebeno, de calamo odorato, de adamante, de magnete lapide, de lychnite lapide, de beryllo lapide, de chrysoberyllo lapide, de chrysopraso lapide, de hyacinthizonte lapide.



Ag. 56. D. *Ab Emodis montibus auspicatur India*] Quantum est librorum Solini & veterum editionum, heic legunt, *à Medis montibus.* Tantus consensus inducit me, ut facinus esse Solini velim putari, qui pro *Emodis* supposuerit Medos montes, ut supra pro *Attiano* sinu *Attacenum*, pro *Attacoris* gentibus *Attacos*, atque etiam si forte *Ciconas* pro *Conis.* Martianus, qui verbatim eum descripsit, non aliter habet: *à Medis mon-*

F *tibus inchoat India.* Tam certus sum quam me vivere hoc illi potius peccatum imputandum quàm librariis ejus. Non cogitabat, aut non meminerat, quæ dicerentur τὰ Ἠμωδὰ ὄρη. Ideo *Medos montes* substituit. Plinius: *sed inde ut plane consentiunt omnes, Emodi montes assurgunt, Indorumque gens incipit.* Ita rectè sibi visi sunt emendasse viri docti depravatam in omnibus libris & antiquis lectionem: *sed unde plane con-*

G *stent gentes omnes.* Ego propius ad vestigia, eodemque sensu, *sed inde ut plane constat inter omnes.*

A Meridiano mari porrecta ad Eoum, & à Septentrione ad montem Caucasum.] Expunximus hoc loco hæc verba,

ba, *& à septentrione ad montem Caucasum.* Idque fecimus auctoribus libris. Ea nec Plinius habet, nec ad rem pertinent, nec à Martiano agnoscuntur hunc locum exscribente: *a Medis montibus inchoat India, in Eoum mare a Meridiano porrecta.* Iidem libri habebant: *porrecta ad Eo*, id est, ad auroram. Quod retinuimus. Si quis *Eoum* malit, habeat. Plinius: *non Eoo tantum mari adjacens, sed & Meridiano.*

Favonii spiritu celeberrima.] Plinius: *Posidonius ab æstivo solis ortu ad hibernum exortum metatus est eam, adversam Galliæ statuens, quam ab occidente æstivo ad occidentem æstivum metabatur totam a favonio. Itaque obversam ejus venti afflatu.* Hæc prava interpunctione male digesta sunt. Distingue igitur: *quam ab occidente æstivo ad occidentem hibernum metabatur totam. Favonio itaque obversam, ejus venti afflatu juvari Indiam, salubremque fieri ea ratione docuit.*

In anno bis æstatem habet, bis legit frugem.] Martianus: *secunda æstate annis singulis vegetatur, bisque frugem metit.* Melius: *secundo*, id est, bis: ut *tertio*, ter. Libri Solini etiam hic legunt *frugem* cum Martiano, non *fruges.*

Vice hiemis etesiis potitur.] In libris melioribus: *etesias potitur auras.* Ita veteres loquuti. *Patria potitur commoda.* Ceterum *etesiæ auræ*, ut *etesia flabra*, *etesii venti.* Rectius tamen fortasse legatur: *etesias patitur auras.* Ita legit Martianus: *pro hieme etesias perfert.* Et sane nos etiam in optimo libro ita scriptum invenimus. Plinius: *binæ æstates in anno, binæ messes, media inter illas hieme etesiarum flatu, nostra vero bruma.* Sic reponendum pro *brumali.* India δίκαρπος, δίφορος.

Penitus cognitioni nostræ addicta est.] Sic libri nostri. Nec male. Editi: *addita est.* Sed illud melius. Plinius: *lenes ibi auræ, mare navigabile, gentes & urbes innumerabiles, si quis velit omnes persequi.* At si sunt innumerabiles, quis eas velit persequi, aut numero comprehendere postulet? Libri habent Chiffletianus & Rigaltianus: *gentes & urbesque numerare.* Omnino scribendum: *gentes est, urbesque numerare, si quis omnes velit persequi: Etenim patefacta est non modo Alexandri Magni armis, regumque qui ei successere*, &c. Adeo patefactam esse Indiam & cognitioni jam addictam, ut urbes gentesque possint numerari, si quis omnes velit persequi. Et vero numerari in ea posse gentes urbesque eo ipso ostendit, quod statim numerat. Megasthenes in India gentes esse centum ac duodeviginti scripsit.

Pag. 56. E. *Apud Indicos reges aliquantisper moratus.*] Optimus regius: *conversatus inter Indicos reges, aliquantisper moratus.* Illud *conversatus* vel ex glossa, vel, quod verius, ex alterius editionis lectione. Plinius: *verum & aliis auctoribus Græcis, qui cum Indicis regibus morati, sicut Megasthenes & Dionysius a Philadelpho missus ex ea causa vires quoque gentium prodidere. Nec tamen deest diligentiæ locus, adeo diversa & incredibilia traduntur.* Immo scribendum: *Nec tamen est diligentiæ locus.* Ut etiam habent omnes libri. Non esse diligentiæ locum dicit, ubi tam diversa & tam incredibilia narrantur. Sensus apertus.

Quinque milia oppidorum præcipua capacitate.] Plinius: *Alexandri Magni comites in eo tractu Indiæ quem subegerat, scripserunt quinque milia oppidorum fuisse, nullum Cominus.* Non uno loco affectus hic locus. Pro *quem subegerat* legitur in optimo Rigaltiano: *quevemis subegerint.* Pronum est emendare: *in eo tractu Indiæ quem is subegerit.* Sed gravius in illis vitium, *nullum Cominus.* Libri scribunt: *nullum cogi minus.* Tralaticia, *nullum Coi minus*, pro *nullum Coo minus.* Spartianus: *patris superbior fuit.* Tertullianus: *partem urbis Africæ & Asiæ majorem.* Apulejus: *nec provocaverat sui molliorem.* Quod ad rem attinet, ita extat apud Strabonem de numero oppidorum ejus Indiæ, quam Alexander subegit: λέγεται ἐννέα ἔχειν ἔθνη, πόλεις δὲ εἰς πεντακισχιλίας, οὐκ ἐλάττους Κῶ τῆς Μεροπίδος. Quia Κῶ etiam per contractionem dicitur de Ceo Atticæ vicina insula, ideo de Co altera Asiatica, quæ est Coos, ad distinctionem additur τῆς Μεροπίδος.

Diu etiam credita est tertia pars esse terrarum.] Hæc Onesicriti sententia, τὴν Ἰνδικὴν τὸ τρίτον εἶναι μέρος τῆς οἰκουμένης.

Populorum novem milia.] Non populorum, sed gentium tot milia ponit Plinius, qui inter gentes & populos latam distinctionem constituit. Et sane multi populi in una gente. In Galatia sex gentes numerat, populos vero CXCV. Idem ibidem de India, gentium in ea novem milia fuisse dicit, populorum autem innumeram multitudinem. At mirum quod heic ait è Plinio Solinus in ea parte Indiæ, quam Alexander subegit, novem milia esse gentium: *Alexandri Magni comites in eo tractu Indiæ, quem is subegerit, scripserunt quinque milia oppidorum fuisse, nullum Coo minus, gentium* IX. Mirum inquam plures gentes in eo tractu fuisse quam oppida. Quod quis credat? ut singula oppida plus quam unam gentem habuerint. Strabo in numero oppidorum consentit, sed pro novem milibus gentium novem tantum gentes ponit: ἡ μὲν οὖν μεταξὺ τοῦ Ὑπάνιος καὶ Ὑδάσπου λέγεται ἐννέα ἔχειν ἔθνη, πόλεις δὲ εἰς πεντακισχιλίας, οὐκ ἐλάττους Κῶ τῆς Μεροπίδος. Quod omnino verum est. An igitur error Plinii est, qui aliud cogitans *gentium novem* scripserit pro *gentes novem*? Certe *gentium novem* apud eum videtur legisse Solinus. Ut ut est, vel ipse, vel librarii ejus immaniter erraverunt, & cum his Solinus. Totus Indiæ illius tractus, quam subegit Alexander, intra Hydaspem & Hypanim amnes continebatur. Nec enim Hypanim transgressus est Alexander. Quis igitur putet in eo tractu novem milia gentium fuisse? Atqui in tota India Seneca eodem Plinio referente non plus quam centum ac duodeviginti gentes numerari prodiderat: *Seneca etiam apud nos tentata Indiæ commentatione sexaginta amnes ejus prodidit, gentes duodeviginti centumque.* Ex Megasthene id habuit Seneca. Arrianus in Indicis hunc auctorem laudat, & eumdem numerum ponit: ἔθνεα δὲ Ἰνδικὰ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τὰ ἅπαντα λέγει Μεγασθένης, δυοῖν δέοντα. Non igitur credibile est, quum ex Senecæ auctoritate Plinius referat centum ac duodeviginti gentes in tota India fuisse, eumdem in eo tractu solo, quem peragravit Alexander, novem milia gentium recensuisse. Puto itaque in libris Plinii olim hoc modo scriptum ac lectum esse: *scripserunt quinque milia oppidorum fuisse, nullum Coo minus, gent.* IX, hoc est, *gentes novem.* Quod Solinus accepit, pro *gentium novem*, ut subintelligatur *milia* ex superiore repetendum. Ita etiam locum corruperunt posteriores librarii, dum *gentium* plane scripserunt.

Pag. 56. F. *Annorum sex milia quadringenti quinquaginta unus.*] Reponendus hic numerus apud Plinium: *colliguntur a Libero patre ad Alexandrum Magnum reges eorum* CLIII *annis sex milibus* CCCCLI. *Adjiciunt & menses tres.*

Et Nili modo exundare perhibent.] Hæc prioris, ut videtur, editionis lectio, quam ad oram regii codicis, & in aliis reperi codicibus. Ipse in textu præfert: *Et Nili modo exultare contendunt.* Ita alibi de Nilo: *undis exultantibus molem colligi, qua excessus facit.* Et paulo post: *primamque exultantiam tumoris concipi cum per cancrum sol vehatur.* Plinius: *finisque ejus tractus est Ganges. Hunc alii incertis fontibus ut Nilum, rigantemque vicina eodem modo, alii in Scythicis montibus nasci dixerunt.* Quæ verba sic connectenda serie diducta novi capitis sectione diviserunt editiones.

Hypasis etiam nobilissimus ibi fluvius.] Plinio etiam dicitur *Hypasis.* Arriano & quibusdam aliis Ὕφασις. Straboni Ὕπανις. Ita hoc loco libri quidam Solini. Excerpta, *Hyrpanes.* Martiano *Hypanis.*

Minima Gangis latitudo per octo milia passuum, maxima per viginti patet.] Plinius: *Inde lenem fluere, ubi minimum* VIII. *mil. latitudine, ubi modicam, stadiorum centum.* Nihil de maxima latitudine dicit Plinius, quam ex hoc Solini loco illi restituit Pincianus, ut sit stadiûm CLX. Haud scio quam bene. De suo eam adjecit Solinus. Ganges, ubi restagnat, adeo late patet, ut ripa ulterior conspici non queat. Arrianus, qui minimam ejus latitudinem centum stadiis cum Plinio metitur, maximam indefinitam reliquit. In Indicis: ἀν τῷ δὲ ὁ ὥρῳ τῷ Γάγγῃ ἐκδιδῶπερ αὐτὸς ἑωυτοῦ στεινότατος εἰς ἑκατὸν σταδίους, πολλαχῇ δὲ καὶ λιμνάζειν ὡς μὴ ἄποπτον εἶναι τὴν πέρην χώρην. Megasthenes quoque apud Strabonem minimam & modicam Gangis latitudinem ponit, de maxima silet. Τὰ καθ᾽ ἕκαστα δ᾽ ἄλλοι ἄλλως περὶ αὐτῶν λέγουσι: οἱ μὲν τριά-

τελάκοντα ςαδίων τὸ ἐλάχιςον πλάτ☉, οἱ δὲ καὶ τελῶν. Μεγαϑένης δὲ ὅταν ᾖ μέτελ☉, καὶ εἰς ἑκατὸν ςαδίους εὐρύνεϑς, βάϑ☉ δὲ εἴκοσι ὀργυιῶν τὸ ἐλάχιςον. Quibus consentiunt Pliniana. Constat igitur Solinum maximam latitudinem hariolatum esse.

Pag.56.G. *Altitudo, ubi vadosissimus est, mensuram centum pedum devorat.*] Plinius: *altitudine nusquam minore passuum viginti.* Græca: βάϑ☉ δὲ εἴκοσι ὀργυιῶν τὸ ἐλάχιςον, hoc est, centum viginti pedum. Nam ὀργυιὰ sex pedes continet. Sic viginti orgyjæ non passus viginti faciunt, sed viginti quatuor. Ut rotundus esset numerus, illa quatuor insuper habuit, vel calculo lapsus est. Ἁπλοῦν βῆμα duos pedes ac semipedem habere, διπλοῦν βῆμα quinque pedes notissimum est etiam Cercoëtiis.

Gangarides extimus est Indiæ populus.] Plinius: *novissima gente Gangaridum Calingarum regio Partalis.* Scribe: *Regia Proclais.* Plinius *Gangaridûm* dixit τῶν Γαγγαριδῶν: ut *Athagorum gentes*, τῶν Ἀϑαγορῶν. Nam sunt Γαγγαρίδαι & Ἀϑαγόραι. Solino male *Gangarides.* Quod ratione caret. Ita nomen eorum extulit, quia *Gangaridûm* Plinius formavit pro *Gangaridarum.* Sic etiam Virgilius: *Gangaridûm faciam.* Omnino similiter quod in Plinio legerat gentem *Athagorum* τῶν Ἀϑαγορῶν, inde fecit populos *Athagos*, vel *Athacos.* Sed ne hunc auctorem ex omni occasione premamus, fortasse hoc loco *Gangarides populus* est, ὁ Γαγγαρίδης. Ut *populus Romanus, Tarentinus.* Notandum porro Latinis *Gangaridas* appellari, quos Græci omnes Γανδαρίδας vocant unius elementi mutatione. Nunquam sane aliter apud veteres scriptores, qui vitam Alexandri scripsere, inveniuntur appellati, aut apud illos, qui ex his sumpsere, Strabonem, Diodorum & alios. Γάνδαρα urbs eorum, unde & Γάνδαροι dicti sunt, ut Βάκτρα Βάκτριοι, Παλίβοϑρα Παλίβοϑροι. Appellati sunt & Γανδάραι. Male Stephanus distinguit Γανδάρας & Γανδάρας, quum iidem sint. Γανδάραι, inquit, Ἰνδῶν ἔϑν☉. Ἑκαταῖ☉ Ἀσίᾳ: λέγονται καὶ Γανδάριοι παρ' αὐτῷ καὶ Γανδαρικὴ ἡ χώρα. Herodoto Γανδάριοι dicuntur & cum Sogdiis, Parthis, Chorasmiis, & Dadicis junguntur sub imperio Persico. Straboni Γανδαρικὴ dicitur eorum regio, sed & Γανδαρῖτις. Diodorus Γανδαρίδας eos appellat, ut Μαρμαρίδας, sed & Γανδαρικοὺς eosdem vocant libri Diodori. Sequuntur apud Stephanum seorsim positi: Γάνδαροι, ἔϑν☉ Ἰνδῶν ἀντιταχϑὲν Διονύσῳ, ὡς Διονύσι☉ Βασσαρικῶν τετάρτῳ. Ἑκαταῖ☉ δὲ Γανδάρας αὐτοὺς καλεῖ. Ergo iidem sunt hi Γάνδαροι cum illis qui Hecatæo dicti Γανδάραι, iidemque & Γανδαρίδαι & Γανδαρικοί. Hesychius: Γάνδαρ☉, παρ' Ἰνδοῖς Ταυροκράτης. An Ταυροκέρατ☉? Latini nescio quare mutata litera *Gangaridas* eos appellaverunt, quasi scilicet a Gange hoc nomen invenerint, quod ejus amnis essent accolæ. Profecto inde eos dictos argutantur Latini grammatici. Servius duobus locis *Gangaridas* apud Virgilium notavit populos esse, qui circa Gangem habitant. Ptolemæus, qui Romanos scriptores in multis sequitur, Γαγγαρίδας eos juxta Latinorum vocamen appellat. Nec hoc tantum, sed etiam Γάγγην eorum metropolim confingit. Circa Gangem eos collocat ad ipsius amnis ostia. Curtius quoque in vita Alexandri *Gangaridas* nominat, & ulteriorem Gangis ripam eos incolere dicit. Nulli sunt *Gangaridæ* in auctoribus Græcis, qui vitam Alexandri scripsere. Diodorus de situ eorum cum Curtio & Ptolemæo convenit, sed Γανδαρίδας appellat. Ita enim de Gange scribit lib. 11: ἐξερεύγεται δὲ εἰς τὸν Ὠκεανὸν εἰς τὸ πρὸς ἕω μέρ☉ τὸ ἔϑν☉ τὸ τῶν Γανδαριδῶν. Ulterior Gangis ripa orientalis est. Hinc & Plinius novissimam gentem Gangaridûm ad Gangem esse scribit. Ex eo Solinus noster hoc loco extimum Indiæ populum Gangaridas facit, & nugatur. Indiæ quippe extra Gangem primi sunt. Indiæ vero intra Gangem novissimi & extimi. Circa ostia Gangis eos ponit Ptolemæus. Plutarchus idem sentire videtur, qui Γανδαρίδας & Πρασίους simul nominat. Nam Prasi ad Gangem. Male apud eum legitur: Γανδαριδῶν καὶ Παισίων. At *Gandaritæ* etiam dicti. Ut Ὧροι & Ὠρῖται iidem, sic Γάνδαροι & Γανδαρῖται. Multum ab his dissentit Strabo super situ Gandaridûm. Regionem Γανδαρίδα ex quorumdam sententia trans Acesinem & Hyarotim statuit, inter Hypanim scilicet & Hyarotim. Nam Hypanis ultimus ejus Indiæ fluvius, quam accessit & domuit Alexander. Ita enim ille loquitur de Cathea regione, ἄλλοι δὲ καὶ τὸ Ἀκεσίνου πέραν, καὶ τοῦ Ὑαρώτιδ☉, ὅμορον τῇ τοῦ Πώρου ὅς ἦν ἀνεψιὸς τοῦ ὑπ' Ἀλεξάνδρου ἁλόντ☉. Καλοῦσι δὲ Γανδαρίδα τὴν ὑπὸ τούτῳ χώραν. Trans Hyarotim hæc regio. At post Hyarotim ad orientem sequebatur Hypanis. Ergo inter Hyarotin & Hypanim Gandaridæ. Ibi eos prorsus collocat Dionysius:

> ---- ἔϑι δ' ἕσπεται ἄγρια φῦλα
> Πευκαλέων, μετὰ τοὺς δὲ Διωνύσου ϑεράποντες
> Γανδαρίδαι ναίουσιν, ὅϑι χρυσοῖο γενέϑλην
> Δαιδαλέην Ὕπανίς τε φέρει, ϑεῖ☉ τε Μέγαρσ☉.

Ibi vulgo libri editi habent Γαργαρίδαι pro Γαγγαρίδαι. At in scriptis codicibus Πανδαρίδαι pro Γανδαρίδαι. Ad Hypanim igitur Γανδαρίδαι, citeriorem ejus ripam accolentes, immane quam longo terrarum spatio ab ostiis Gangis dissiti, ubi Γαγγαρίδας suos ponit Ptolemæus. Idem Γανδάρας locat inter Suastum fluvium & Indum: μεταξὺ δὲ τοῦ Σουάςου καὶ τοῦ Ἰνδοῦ Γανδάραι, καὶ πόλεις αἱ δὲ Προκλαΐς, Ναυλίβη. Ptolemæo Σουάς☉, ut videtur, amnis Indiæ dicitur qui veteribus *Cophes*, vel *Cophen.* Hoc enim ordine numerantur: post Suastum Indus: post Indum Βιδάσπης. Straboni: μετὰ τὸν Κώφην ὁ Ἰνδὸς, εἶϑ' ὁ Ὑδάσπης. Is est Ptolemæi Βιδάσπης. Atqui hi sunt *Gandaræ*, quos alii eosdem faciunt cum Gandaridis & Gandaricis. Certe Προκλαΐς oppidum apud Gandaridas Plinio vocatur. Sic enim scribendum: *Gandaridarum Culingarum regia Proclais.* Ubi veteres quidam legunt *Portalis.* Atqui illi Gandaridæ Pliniani longissime dissiti à Gandaris Ptolemæi. *In Proclaidis* regione, quam Gandararum vult esse Ptolemæus sitam inter Suastum & Indum, Bucephalos Alexandria recensetur ab Arriano, vel quisquis alius est periplí maris Erythræi auctor: ἔϑνη τότε τῶν Ἀρατριῶν καὶ Ῥαχούσων, καὶ Τανϑαράων, καὶ τῆς Προκλαΐδος ἐν οἷς ἡ Βουκέφαλος Ἀλεξάνδρεια. Et forte ibi legendum Γανδαριδῶν pro Ταυϑαράων. Ea Bucephalia, vel Bucephalos Alexandria condita ad Hydaspem amnem Straboni proditur, satis longe à Gandaris Ptolemæi, qui sunt inter Suastum & Indum. Pori regnum inter Acesinem & Hydaspem constituit Strabo. Alterius Pori hujus cognati, quem devicit Alexander, regionem Γανδαρίδα idem appellat, & positam docet inter Hyarotim & Hypanim. Idem Strabo Γανδαρῖτιν aliam videtur regionem ab hac Gandaride facere. Nam per Gandaritin Choaspem amnem fluere dicit, qui in Cophen exonerat: καὶ τὸν Χοάσπην, ὃς εἰς τὸν Κώφην ἐμβάλλει ποταμὸν, καὶ τὸ Πληγήριον πόλιν ῥυεὶς παρὰ Γωρυδάλην πόλιν, καὶ διεξιὼν τήν τε Βανδοβηνὴν καὶ τὴν Γανδαρῖτιν. Hæc *Gandaritis*, quam secat Choaspes, non potest eadem esse cum illa *Gandaride*, quæ ad Hypanim. Ergo juxta Strabonem ἡ Γανδαρῖτις est regio τῶν Γανδαρῶν, quam & ibi collocat, ubi τοὺς Γανδάρας Ptolemæus locat. Ἡ Γανδαρὶς regio τῶν Γανδαριδῶν ad Hypanim, quæ alteri Poro parebat. Videntur tamen iidem esse populi, ut nomen est idem, sed diversum iis situm varios auctores assignare palam est. Dionysius *Gandaridas* vicinos facit Peucelaïtis, quos Πευκαλέας vocat. Straboni ἡ Πευκολαῖτις ad Indum ponitur. Arriano *Cophes* fluvius in Peucelaïtide oriri dicitur, qui Malamantum & Soastum amnes ducens in Indum emittit. Hic est Soastus, qui Ptolemæo Σουάςος, quo loco inter Suastum & Indum Γανδάρας metatur, quos proinde Peucelaïtis vicinos esse constat, & eosdem cum Dionysii Gandaridis, & tamen hos ipsos Gandaridas, qui vicini sunt Peucelaïtis, Dionysius ad Hypanim ponit. Eosdem alii ultra Gangem relegant ad ipsum Oceanum. Unde hæc tanta discordia auctorum? Inter omnes fere convenit Gandaridas ultimam fuisse gentem, quam in India devicerit Alexander. Quidam tentatam tantum Alexandro volunt, non etiam subactam. Eum Alexandrum plures Hypanim negant transiisse, nonnulli usque ad Gangem penetrasse prodiderunt. Cujus opinionis auctorem Craterum tradit Strabo in epistola ad matrem Aristopatram, qua & multa alia fabulosa eum retulisse affirmat, καὶ δὴ καὶ μέχρι τοῦ Γάγγου παρελϑεῖν Ἀλέξανδρον. Auctor periplí maris Erythræi id sequitur: καὶ Ἀλέξανδρ☉ ὁρμηϑεὶς ἀπὸ τῶν μερῶν τούτων ἄχρι τοῦ Γάγγου διῆλϑε. Inde Gandaridas ad Gangem posuerunt, qui usque eo Alexandrum pervenisse volunt. Alii ad Hypanim eos metantur, quæ plurium est sententia, itinerum & expeditionis

peditionis Alexandri terminum amnem illum constituentium. At Ptolemæus nullo auctore insigniter peccavit, qui circa ostia Gangis juxta ipsum Oceanum eos incolere dixit. Solo nominis sono, quo Latini eos vocarunt, adductus ita censuisse videtur. *Gangaridas* à Gange dictos sibi persuasit; non à flumine Gange, nam id nomen competeret omnibus illius amnis ripas hinc inde accolentibus, sed ab oppido, vel emporio Gange, quod ad ostium ipsum Gangis positum est. Auctor peripli: καθ' ὃν καὶ ἐμπόριον ἐστὶν ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ ὁ Γάγγης, δι' οὗ φέρεται τό τε μαλάβαθρον, καὶ ἡ Γαγγητικὴ νάρδος. Nullos ibi *Gangaridas* populos agnoscit. Et certe nulla ratione Γαγγαρίδαι ἀπὸ τοῦ Γάγγης fieri possunt. Præterea nomen hoc Latinum κατὰ παραφθορὰν ex Græco Γανδαρίδης, quod est παράγωγον ἀπὸ τῶν Γανδάρων. Cum *Gangaridas* Latini ultra Gangem ponant, Diodorus Γανδαρίδας ibidem quoque recenset. Ceterum quamvis detur ulteriorem ripam Gangis eos incoluisse, non tamen necesse est ad ostia eos Gangis prope Oceanum ipsum collocare. Quod fecit Ptolemæus sola ratione nominis impulsus: τὴν δὲ περὶ τὰ στόματα τοῦ Γάγγου πᾶσαν κατέχουσι Γαγγαρίδαι, ἐν οἷς πόλις ἥδε Γάγγη βασίλειον. Hæc Gange eadem est cum emporio Gange, cujus apud auctorem peripli mentio est. Eum porro esse Ptolemæum memini, qui Ἀσπίδα & Κλυπέαν veluti diversas urbes in Africa recenset, quum Latini *Clupeam* dixerint quam Græci Ἀσπίδα vocant. Quod peccatum multis in locis commisit. *Gandari* sunt apud Plinium diversi ab illis Gandaris Indiæ & Gandaridis, quos cum Chorasmiis nominavit cap. XVI.

Pag. 78. E. *Peditum sexaginta milia.*] Plinius: *Regi sexaginta milia peditum, equites mille, elephanti* DCC *in procinctu bellorum excubant.* Sic ibi legendum ex veteri codice & hoc Solini loco.

Optimi ditissimique rempublicam curant.] Apud Plinium *respublicas.* Quo loco ita veteres habent libri: *merces alii suas evehunt, respublicas optimi ditissimique curant*: οἱ ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευόμενοι ἅμα τῷ βασιλεῖ.

Pag. 57. A. *Et silvestrem agunt vitam.*] In aliis codicibus hæc habentur, in aliis desunt. Inde est quod ea scilicet altera editio habuerit, altera caruerit.

In Gange insula est populosissimam & amplissimam continens gentem.] Excerpta Solini: *insula est populosissima amplissimam continens gentem.* Plinii verba in scriptis codicibus sic habent: *Insula in Gange est magnæ amplitudinis, gentem continens unam nomine Modogalingam.* Ultra hanc insulam varios Indiæ populos enumerat Plinius, quorum ultimi *Thaluctæ. Rex horum peditum quinquaginta* M. *equitum* IIII. M. *elephantos* CCCC. *in armis habet.* Quæ verba Solinus, quum ad Thaluctas pertineant, ad illam insulam Gangem transtulit, & pro quinquaginta milibus quingenta milia posuit: pro quatuor equitum milibus quinquaginta quatuor milia. Talis est in omnibus.

Prasia gens validissima Palibothram urbem incolunt.] Ita scripsimus ex veteribus. Nam & Græci Παλίβοθρα vocant. Sic quoque ex libris apud Plinium reponendum. Quibusdam Græcis Παλίμβοθρα, ut Arriano, ac Stephano. Curtio *Parrhasii* dicuntur manifesto mendo pro *Prasiis* lib. IX. *Ulteriorem ripam Gangis colere Gangaridas & Parrhasios.* Lege: *Prasios.* Palibothra ad Gangem.

Pag. 57. B. *Quorum rex sexcentena milia peditum, equitum triginta milia.*] Quidam libri: *peditum sexaginta milia.* Sed apud Plinium est: *Regi eorum peditum sexcenta* M. *equitum* XXX. M. Curtius ducenta milia peditum iis numerat, equitum viginti.

Sicuti auctor est Beton.] Male editi hactenus hic legebant; *Bethon.* Quod non est Græcum. Verius etiam *Baton*, ὁ Βαίτων. Sic vocatur aliquoties in indice manuscripto. Βαίτων nomen proprium in epigrammate Juliani ἀνεκδότῳ.

Ἑρμείῃ Βαίτων ἁλινηχέος ὄργανα τέχνας
Ἄνθετο, δειμαίνων γήραος ἀδρανίην.

Indo fluvium proximantes versa ad meridiem plaga ultra alios torrentur calore.] Plinius: *à Gange versa ad meridiem plaga tinguntur sole populi, jam quidem infecti, nondum tamen Æthiopum modo: quantum ad Indum accedunt,*

A *tantum colore præferunt sidus.* Miram hæc verba sententiam continent. Videtur quippe Indum amnem ad meridiem Gangis ponere. Clare hoc tinniunt ista. A Gange versa ad meridiem regione populos sole tingi, & quantum ad Indum, hoc est, ad meridiem accesserint, tantum fieri coloratiores. Quod est profecto admiratione dignum. Nam quis nescit Indiam illam, quæ intra Gangem est, ab oriente Gange terminari, ab occidente flumine Indo, cujus Indi ostia, quibus in Oceanum evolvitur, non sunt meridiei propiora quam Gangis. Immo Gangis ora aliquantum sunt μεσημβρινώτερα, quam Indi. Cum illam oram maris Indici relegat, quæ à Gange ad Indum porrigitur, non meridiem versus pergit, sed ab oriente ad occidentem plane regreditur. Missi Theodosii: *India interior finitur ab oriente flumine Gange & Oceano Indico: ab occidente flumine Indo: à septentrione monte Tauro: à meridie Oceano Indico. Longitudo decies centum milia, latitudo tricies* XXX. Sed nec satis scio quomodo possit procedere, quod ibidem adjicitur: *Indus statim à Prasiorum gente, quorum in montanis Pygmæi traduntur.* Prasii sunt trans Gangem, ut ex Curtio notavimus supra. Arrianus Παλίμβοθρα urbem Prasiorum præcipuam ad Gangem collocat: καὶ ἵνα τοῦ Γάγγεω ἐκβολαὶ καὶ πόλις Παλίμβοθρα μεγίστη Ἰνδῶν, πρὸς τῷ Γάγγῃ. Idem in Indicis: μεγίστην δὲ πόλιν Ἰνδοῖσιν εἶναι Παλίμβοθρα καλεομένην ἐν τῇ Γαδρωσίων γῇ, ἵνα αἱ συμβολαί εἰσι τοῦ τε Ἐραννοβόα ποταμοῦ καὶ τοῦ Γάγγεω. Manifestum in his verbis mendum. Nam Gedrosii, quos Γαδρωσίους vocat Arrianus, longe à Gange, & cis Indum sunt. Lege itaque: ἐν τῇ Πρασίων γῇ. Strabo quoque Palibothra ad Gangem sita esse docet. Ptolemæus Palimbothros trans Gangem statuit ad orientem. Mela fortasse eum in errorem induxit, qui dicit Palibothros oram incolere ab Indo ad Gangem. Quod non intelligo qua ratione possit verum videri. Sed nec video quomodo à Prasiis Gangis accolis statim Indus occurrat, quod Plinius asserit. Cum tricies centena milia ac triginta à Gange ad Indum intercedant, ut testantur illi Missi Theodosii. Idem Plinius *Prasianen* insulam nomine inter ostia Indi collocat. Prasia gens ad Gangem. In confluentibus Gangis & Erannoboæ. Atque inde fortasse Prasiam gentem ab Indo ad Gangem pertinere dixit. Quod falsum est ac nemini veterum proditum. Falsum etiam, vel mendosum quod ibi dicitur: *Artemidorus inter duos amnes* XXI. M. *passuum interesse tradit.* Forte legendum XXI deletis illis, M. *passuum.* Significat unum & vigesies, quod est unum & vicesies centena milia. Eam latitudinem dicit Marcianus Heracleota à quinto Gangis ostio ad Naustathmum portum, qui est in Cantho sinu, in quem exit Indus. Numeri stadiorum apud eum corrupti sunt, qui vel ex Artemidori, vel ex Missorum computatione restituendi sunt. Sequitur apud Plinium, quod superiori capiti una serie connectendum est: *Indus Sandus ab incolis appellatus.* Libri habent: *ab incolis Sindus.* Scribe: *ab incolis Sinthus appellatus.* Auctor peripli: ἐξ οὗ ποταμὸς Σίνθος μέγιστος τῶν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ποταμῶν. Indum intelligit. Hodieque sic nominari audio. Unum ex ostiis Indi Σίνθον Ptolemæo dicitur.

F *Montana Pygmæi tenent. At hi, quibus est vicinus Oceanus, sine regibus degunt.*] Dum Plinium hinc inde excerpit & compilat, descriptiones populorum longo terrarum intervallo dissitorum simul miscet ac jungit. Hic distinguit Pygmæos, qui montana tenent Indiæ, ab his populis qui Oceanum accolunt. Atqui isti populi Oceani accolæ etiam montana incolunt. Plinius de Pygmæis tradit, in montanis Prasiorum eos degere. Mox capite sequenti, ubi agit de his populis, qui latus Indiæ interioris meridionale & oram maritimam habitant, ita scribit: *Jam hi montium qui perpetuo tractu Oceani oram tenent incolæ liberi & regum expertes, multis urbibus montanos obtinent colles.* Qui locus etiam inemendatissimus. Sic scribitur totus in libris: *Infra deserta hæc Maltecoræ, Singæ, Maroæ, Rarungæ, Moruni. Hi montium qui perpetuo tractu Oceani ora pertinent, incolæ liberi & regum expertes multis urbibus montanos obtinent colles.* Scribendum: *Hi montium qui perpetuo tractu Oceani ora prætenti, incolæ, liberi & regum expertes.* Hi populi, quos ibi enumeravit, montium sunt

Οἱ δ' ἰσὺς ὑφόωσι λινεργέας, οἱ δ' ἐλεφάντων
Ἀργυφέας πελάθεντας ἀποξύουσιν ὀδόντας.

Lintea illa texta ex arborum lana Indicarum. Nec aliud apud Indos linum. Falsus igitur Mela, cum scripsit Indorum alios lino vestiri, alios lana, quam silvæ ferunt. Nam lana illa etiam linum dicta est. Decepit eum fortasse Græcus auctor, unde accepit, qui scripserat: Ἰνδοὶ ἐρίῳ χρῶνται ἢ λίνῳ. Volebat ille dicere lanam illam, qua Indi vestiuntur, linum esse ex arboribus, non vellus ex pecoribus. Quod iste aliorsum accepit quasi alii lino uterentur, alii lanis ad vestitum. *Linigeros* Ægyptiorum sacerdotes fuisse, atque ita passim appellari, nemo paulo humanior ignorat. Atqui non tantum è lino Ægyptio vestes illi habebant, sed etiam è lana arboris, vel fruticis, quod *gossypium* dicebatur. Plinius: *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina.* Lanam alii *xylinam* dixerunt, & fruticem ipsum ἐριόξυλον. Sic eadem res lana & linum. Addit Plinius: *vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Sic *linigeri* illi sacerdotes, etiamsi ex ea lana vestes gererent, utpote quæ lini etiam nomine censeretur, fuere tamen in Ægypto veri lini sativi genera plura. Vix linum illud Ægyptium vestiendis sacerdotibus sufficere canit Gratius in Cynegetico his versibus, quos vulgo corruptissimos sic emendo:

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes festivi turba Canopi.

Sonipes turba festivi Canopi, ἡ ποδόκτυπος, ἡ τοῖς ποδοκτυπίαις ἀεὶ χαίρουσα, & scabillorum crepitu. Diximus alibi de his ποδοψόφοις, & scabillis. Interpres vetus Statii: *scabillum, quod in sacris pede sonare consueverunt.* Inde *sonipedes*, qui pede scabillum sonabant, οἱ ποδόψοφοι. Augustinus: *veluti quum symphoniaci scabilla aut cymbala pedibus feriuntur.* Latini *pedicularios* & *pedarios* hujusmodi ποδοκτύπους vocarunt, ut alibi observavimus. In choro etiam fuere, qui pede percusso ἐνδόσιμον canentibus dabant, & saltantibus εὐρυθμίαν moderabantur. Non simplicis pedis percussione id faciebant, sed solea lignea, cui suppacta fuit è ferro regula ad majorem edendum sonum. Lucianus σιδηροῦν ὑπόδημα vocat. Libanius in apologia pro saltatoribus: κτύπου δεῖ τοῖς ὀρχησταῖς, ὦ δαιμόνιε, μείζονος, ὃς τά τε τοῦ χοροῦ διοικήσεται πρὸς τὴν χρείαν, καὶ συμβαλεῖ τοῖς ὀρχησταῖς εἰς εὐρυθμίαν, οὗτος δ' οὐκ ἀπὸ ψιλοῦ τοῦ ποδός, οὐκ ἂν ἀποχρῶν εἴη: δεῖ δὴ τινα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὁρμώμενον ἀρκοῦσαν ἠχὴν ἐργάσασθαι. Atque hæc obiter.

Pars obscœna tantum amiculati.] Hac voce usus Apulejus. Observavi nostrum multis in locis loquutiones & voces usurpasse Apulejo familiares.

Plurimi etiam flexibilibus libris circumdati.] Nescio unde hæc habeat. Nec enim legere memini arborum cortices, vel libros flexibiles Indicis ullis populis pro veste fuisse. Dejerare ausim & hunc deceptum fuisse ab auctore suo Græco male accepto. In hæc Herodoti verba si forte incidit, vel citata apud aliquem grammaticum, legit quæ sic habent: ἕτεροι μὲν τῶν Ἰνδῶν φορέουσιν, ἐσθῆτα δὲ φλοΐνην. Non dubium est quin ἐσθῆτα φλοΐνην noster eam interpretatus sit, quæ ex cortice, vel libro arborum texitur. Nam φλοῦς idem quod φλοιός. Hesychius: φλοῦς, φλοιός, λεπύχανον, λεπυρόν. Idem φλοιὸς λέπος τοῦ δένδρου. Æoles dicebant λέπος, unde Latinum *liber*: unde *delibrare*, ἀπολεπίζειν δένδρον. Nicander φλοῦν pro pelle posuit:

---- ἀπὸ δὲ φλόα δύσατο γυίων.

De Apolline, qui pellem Marsyæ Satyro detraxit. Φλοΐνη vestis Herodoto ex phleo herba palustri & fluviatili plexa, quæ texendis sportis erat idonea. Eam Attici φλέω vocabant, Iones φλοῦν. Pollux: ἡ δὲ ὕλη ὅθεν ἐπλέκετο, φλοῦς μὲν κατὰ τοὺς Ἴωνας, φλέως δὲ κατὰ τοὺς Ἀττικούς. Id clarissime ostendunt ipsius Herodoti verba: ἐσθῆτά τε φλοΐνην, τὴν ἐπεὰν ἐκ τοῦ ποταμοῦ φλοῦν ἀμήσωσι, καὶ κόψωσι τὸ ἐνθεῦτεν φορμοῦ τρόπον καταπλέξαντες, ὡς θώρηκα ἐνδυνέουσι. Quæ sic erant vertenda: *Isti Indorum vestem gerunt ex phleo, quem ubi è flumine demesserunt & contuderunt, in modum sportæ texunt, & velut thoracem induunt.* Male vertunt: *vestem è tegete.* Tegetes etiam ex phleo fient, non tamen *phleos* idem quod

A teges. Pollux: φλοΐνην δὲ ἐσθῆτα Ἡροδότου εἰπόντος σοι ἔστιν ὑπάρχει λέγειν καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων πλεγμάτων, οἷον φλοΐνην σπυρίδα, ἢ ψίαθον ἢ ὅ τι δήποτε. Ergo & φλοΐνη ψίαθος, teges ex phleo, ut vestis & alia vitilia. Nihil igitur verius quam φλοΐνην ἐσθῆτα Indorum sumpsisse Solinum ex libris arborum plexilibus factam. Et sic apud eum legendum videtur hoc loco: *plurimi etiam plexilibus libris circumdati*, pro flexibilibus. Herodotus: φορμοῦ τρόπον καταπλέξαντες ὡς θώρηκα ἐνδυνέουσι. Phleos ad vitilia & plexilia utilis, πρὸς τὰ πλόκιμα. Theophrastus inter eas herbas phleon recenset quæ in aquis & in terreno pariter provenirent, ut & cyperum & buto-
B mon. Φύεται δὲ ἐν ἀμφοῖν καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν τῷ ὕδατι, ἴτεα κάλαμος ὁ αὐλητικός, κύπειρον, τύφη, φλέως. Et paulo post: Φύεται δὲ ἔνια τούτων καὶ ἐπὶ τῶν πλοάδων, οἷον τὸ κύπειρον, καὶ τὸ βούτομον, καὶ τὸ φλέως. Aliud est φέως, quod nos primi omnium docuimus herbarios nostros, qui φέως & φλέως confundunt. Immo multis locis apud Plinium & Theophrastum φλέως scribitur, ubi φέως locum habere debet. Φέως herba spinosa, quam alii στοιβὴν dixere. Φλέως aquosis gaudet & in palustribus nascitur, quam fere semper cum cypero jungit Theophrastus: & inter palustres frutices & herbas recenset quæ nascebantur in Orchomenio lacu: κύπει-
C ρος, φλέως, τύφη. Certe *cyperus* etiam in vitilibus locum habuit. Hesychius: Κύπερος, τὰ σχοινία ἐκ κυπείρου πεπλεγμένα. Quidam ex antiquis grammaticis *siler* esse interpretati sunt. *Siler* etiam aquosis gaudet Plinio teste. Molle quoque & flexibile ad vitilia opera.

---- *molle siler, lentaque genistæ.*

Charisius Sosipater: *Siler*, τὸ κύπειρον. Quod & in aliis glossis veterum inveni. Fortasse falluntur. Siler frutex est, ex quo bacula fieri solita dicit Plinius quæ gestabantur adversus serpentes. Cyperus junci species odorati. Vetustissimi Græci κύπειρον semper dicunt, Theophrastus, Theocritus, aliique. Hesychius: Πτω-
D κὰς κύπειρος παρὰ τῷ Σιμμίᾳ, ἢ πόα διὰ τὸ χθαμαλὴ εἶναι. Græci posteriores κύπερον maluerunt scribere. Sic semper apud Dioscoridem scribitur in vetustissimis libris. Plinius κύπερον vertit *cyperum*: κύπειρον autem *cypirum*. Ex hac scripturæ diversitate, diversas etiam putavit herbas, in quo mirificè falsus est, ut in aliis sexcentis, lib. XXI. cap. XVII. Ex Magone meminit alterius gladioli, quem cypiron ait vocari. *Idem*, inquit, *Mago & gladiolum alterum, quem cypiron vocant & ipsum palustrem Julio mense toto secari jubet usque ad radicem.* Cypiri nomen eo loco non legebatur apud Magonem, sed de altero gladiolo ille loquebatur, quem Plinus *cypiron*,
E hoc est, κύπειρον Græcis vocari vult. Duo certè gladioli genera, quæ hoc nomen tulere apud Græcos, invenio, unum ξίφιον propriè Græcis ipsis appellatum, quod & φασγάνιον & μαχαιρώνα dictum adnotat Dioscorides, ab acumine scilicet foliorum. Ξίφιον, οἱ δὲ φασγάνιον, οἱ δὲ μαχαιρώνα καλοῦσι, διὰ τὸ τοῦ φύλλου σχῆμα. Ita vetustissimus liber. Si Latine reddas ad verbum erit, *gladiolus*. Non tamen hanc speciem sic vocarunt Latini, si Dioscoridi credimus, sed alteram, quam Græci ξυρίδα dixere, & ἶριν ἀγρίαν. Idem Dioscorides: Ξυρίς, οἱ δὲ ξυρίδα, οἱ δὲ ἶριν ἀγρίαν, Ῥωμαῖοι δὲ γλαδίολον. Hoc igitur genus Romani appellarunt propriè *gladiolum*. Ergo altera spe-
F cies quæ Græcis ξίφιον & φασγάνιον dicitur, eam *alterius gladioli* nomine Plinius ex Magone censet, eamque vocari *cypirum*, hoc est, κύπειρον. *Quidam etiamnum unum genus faciunt junci trianguli, cyperon vocant. Multi vero non discernunt a cypiro vicinitate nominis. Nos distinguemus utrumque. Cypirus est gladiolus, ut diximus, radice bulbosa, laudatissimus in Creta, dein Naxo, & postea Phœnice.* Ergo *cypirus* Plinio est alter gladiolus, qui radicem habet bulbosam. Ita sane eam habet τὸ ξίφιον Dioscoridis, qui alter est gladiolus Magonis. Dioscorides: ῥίζας δύο τὴν μίαν τῆς ἑτέρας ἐπικαθημένην ὥσπερ βολβία μι-
G κρά, τούτων ἡ μὲν κάτω ἰσχνή ἐστιν, ἡ δὲ ἄνωθεν ἀδροτέρα. Sic legendus ille locus. Hic est cypirus Plinii bulbosa radice, quem à cypero discernit eo nomine, & vult cyperon esse juncum angulosum. Atqui cyperon illud etiam radice est bulbosa, ut ex ipso Dioscoride constat, qui κύπερον vocat, non κύπειρον. Verba ejus hæc sunt: ῥίζαι δὲ ὕπεισιν, ὧν καὶ ἡ χρῆσις ὥσπερ ἐπιμήκεις, ὡς ἐλαΐαι συναφεῖς ἑαυταῖς, στρογγύλαι, μέλαιναι. Radices oblongæ

oblongæ & invicem sibi connexæ instar olivarum rotundæ, bulborum plane similitudinem præferunt. Ita quippe radicem testiculi βολβοειδῆ descripsit, ἐπιμήκη στενὴν διπλῆν ὡς ἐλαία, τὴν μὲν ἄνω, τὴν δὲ κατωτέρω. Sed & Theophrastus radicem cypiri τοῦ κυπείρου eadem prorsus forma describit, quo Dioscorides cyperi, ut hinc constet idem prorsus esse τὸ κύπειρον Theophrasti, id est, *cypirum*: & τὸ κύπερον Dioscoridis, id est, *cyperum*. Ἡ δὲ ῥίζα, inquit, τοῦ κυπείρου πολὺ τι τῶν ἄλλων παραλλάττει τῇ ἀνωμαλίᾳ, τῷ τὸ μὲν εἶναι παχύ τι καὶ σαρκῶδες αὐτῆς, τὸ δὲ λεπτὸν καὶ ξυλῶδες, καὶ τῇ βλαστήσει καὶ τῇ φύσει. Φύεται γὰρ ἀπὸ τοῦ πρεμνώδους ἑτέρα λεπτὴ κατὰ τὸ πλάγιον, εἶτ' ἐν ταύτῃ συνίσταται πάλιν τὸ σαρκῶδες, ἀφ' οὗ ὁ βλαστός. Duplex σαρκῶδες in radice cypiri constituit invicem sibi connexum, hoc est, quod ait Dioscorides ὥσπερ ἐλαίας συναφεῖς στρογγύλας, mutuo contactu sibi cohærentes. At Plinius simpliciter radicem cyperi olivæ nigræ similem esse, quæ, cum oblonga est, *cyperis* vocatur magni in medicina usus. Propter solam radicis bulbosæ similitudinem τὸ κύπειρον idem facit cum altero gladiolo, quod Græci ξίφιον vocabant. Nam gladiolus Latinorum, ἡ ξιρὶς radicem tantum habuit πολυγόνατον, μακρὰν, πυῤῥάν, ut idem Dioscorides testatur. Huic tamen sententiæ refragatur, quod gladiolum hunc Magonis, quem cypirum esse vult, palustrem quoque facit. Atqui uterque gladiolus xiphion & xiris non sunt palustres. Ad hoc Scribonius etiam Largus cypirum à Latinis *gladiolum* vocatum indicat cap. XX. *Cypiri radicis, quem nos gladiolum vocamus.* Aut igitur uno eodemque nomine κυπείρου duæ diversæ plantæ vocatæ sunt, quod non mirum est, aut certe κύπειρον illum eundem Græcorum, Latini *gladiolum* vocitarint, quod folia gladiolo similia haberet. Longa sane & acuta habet folia, ut non male parvi gladii imaginem referant. Quod ad nomen ipsum attinet, nulla est differentia inter κύπειρον & κύπερον. Plures cyperi species ponunt neoterici herbarii. At in cypero Dioscoridis radix plane similis cypiri Theophrasteæ radici. Quod ad remedia utriusque attinet, prorsus eadem sunt. Ex Apollodoro tradit Plinius cypiron adversus calculos efficacissimum esse. Nimirum κύπειρον vocavit Apollodorus. Dioscorides eamdem efficaciam tribuit cypero: διαρητική, λιθιῶσι καὶ ὑδρωπικοῖς πινομένη βοηθεῖ. *Quod ad cypiron attinet, Apollodorum quidem sequar, qui negabat bibendum quamvis professus efficacissimum esse adversus calculosos eo fovet.* Emenda: *quamvis professus efficacissimum esse adversus calculos. Os eo fovet.* Dioscorides de cypero: ποιεῖ δὲ καὶ τοῖς ἐν στόματι ἕλκεσι καὶ νεμομένοις, ξηρὰ λεία. Ideo os eo fovebat Apollodorus. Alia omitto. De cypero Plinius: *laus prima Hammoniaco, secunda Rhodio, tertia Thracio.* Nullum quod censeam cyperum in Thracia veteribus laudatum. Veteres libri hoc loco legunt *Thercon.* Ita Thuanæus omnium optimus. In Rigaltiano: *Thecreon*, lege: *Therao*, à Thera insula Cycladum una, vel, ut alii, Sporadum. Dioscorides de cypero radice: τοιαύτη δέ ἐστιν ἡ Κιλικὶς, καὶ ἡ Συριακὴ, καὶ ἡ ἀπὸ τῶν Κυκλάδων νήσων. *Theraum* crocum etiam veteribus laudatum meminit Plinius ex nostra emendatione. Addit Plinius: *Est & per se Indica herba, quæ cyperis vocatur, zingiberis effigie.* In optimis codicibus: *quæ cypira vocatur.* Index, sive liber primus in veteri codice: *cyperus med.* XIV. *cyperis, cypira.* Dioscorides: ἱστορεῖται δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κυπέρου ἐν Ἰνδίᾳ γινόμενον. Plinius *cypiram* herbam vocavit. Ceterum idem auctor hallucinatur, dum voluit *cypirum* & *cyperum* distinguere, quia Græci κύπειρον & κύπερον appellant. Atqui κύπειρον Latini etiam *cyperum* æquè bene possunt enuntiare, immo etiam melius, ut κωνώπειον, *conopeum*: κενταύρειον, *centaureum*: & in aliis sexcentis. Marcellus *cyperum* secunda brevi extulit, τὸ κύπερον. Sic enim legendi sunt illius hi versus:

Cyprum, ladanum, sagapenumque & tragachantum,
Scammoniam, cyperon, malabathron & ammoniacum.

Apud poëtam longa est:

---- *& molle cyperum.*

τὸ κύπειρον. Ceterum quo magis credas τὸ κύπειρον antiquorum, & τὸ κύπερον recentiorum idem esse, dabo aliud argumentum. Auctor eclogarum Geoponicarum lib. II. cap. VI κύπειρον vocat ex Democrito, atque ita describit: κύπειρον, ἣν τινες ζέρναν καλοῦσι, φύλλα

A ἔχει ὅμοια καρτῷ ἀρτιφυεῖ. Dioscorides, qui κύπερον nominat, pro his habet: φύλλα δὲ ἔχει ὅμοια πράσῳ, μακρότερα δὲ καὶ ἰσχνότερα. Democritus, vel auctor ille Græcus quisquis est, idem plane dicit quod Dioscorides. Καρτὸν est *porrum sectivum.* Aliis dicitur *sectile.* Juvenalis:

---- *quis sectile porrum,*
Quis tecum elixi vervecis labra comedit.

Isidorus: *duo genera porri, capitatum & sectile.* Et Martialis:

Et utrumque porrum, sectilesque lactucas.

Auctor Moreti *sectum porrum* vocavit:

---- *sectique famem domat area porri.*

B Et sectum, id est, καρτὸν distinguit ab eo, quod capiti nomen debere dixit. *Sectum* quoque porrum pro sectivo, vel sectili apud Columellam in horto. Idem est & *tonsile* apud Martialem lib. X. Sic enim legendum ibi ex vetustissimo codice, quem vidi:

In quibus est lactuca sedens, & tonsile porrum.

Quo loco vir eruditissimus & bene de poëta illo meritus negat se scire quid sit *porrum tonsile.* Hinc discat. Est enim quod Græci καρτὸν vocant, Latini *sectile* & *sectivum*, distinguuntque à capitato. *Tonsilia* quoque *serta* idem se ignorare fatetur, quæ ex eodem illo optimo codice asseri debent hoc versu lib. VI. epigr. LXXX.

C *Tonsilibus sertis omne rubebat iter.*

Ubi vulgo *textilibus* reposuere correctores. Sane tonsilium coronarum meminit Servius ad hunc versum summi poëtæ:

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ.

Quem de corona tonsili interpretatur, & recte. *Tonsæ*, inquit, *olivæ, minutis foliis compositæ. Habiturum se autem coronam tonsilem dixit.* Poëta ipse *tonsam coronam* pro tonsili appellavit:

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

Nam tonsa corona & tonsilis idem, ut porrum sectum & sectile. Coronas interdum ex integris frondibus & intonsis nectebant veteres, ut ex lauro, oliva & aliis.
D Interdum ex mero folio funiculis eas suebant. Hæ *tonsiles* vocatæ, illæ nexiles vel plexiles. Tonsæ autem vel tonsiles, ideo quod ex foliis detonsis textæ essent, vel quod folia in his parum eminerent, tanquam si tonsa essent. Hinc tonsiles tapetes brevibus ac tonsis villis.

Nec tonsiles tapetes ebrii fuco.

Virgilius:

---- *tonsisque ferunt mantilia villis.*

Græci vocant ἀκρομάλλες. *Tonsilia serta* Martiali ex mero folio rosæ facta sunt, tonso & minuto. Ceterum porro similia habere folia cyperum ait Dioscorides, sed
E exiliora. Ideo ille alter καρτῷ ἀρτιφυεῖ ea adsimilat, hoc est, porro recens nato, cujus folia graciliora esse constat. Καρτὸν igitur eo loco porrum est sectivum. Sic cæparum quoddam genus καρτὸν dictum fuisse notat Galenus lib. XII. Methodi: κρόμμυα τὰ καρτὰ καλούμενα μεθ᾽ ἄρτου ἐδίδουν ἐσθίειν. Cæpe *tonsilia*, vel *sectiva* vocabant, id est, καρτὰ, quæ transferuntur. Nam, ut magis grandescerent, summitates earum & caudas solebant detondere. Eclogæ Geoponicæ lib. XII. κρόμμυα μεταφυτεύων τὰς κόμας αὐτῶν καὶ τὰ ἄκρα ἀφαιρεῖ, καὶ ἔσται μεγάλα. Legendum tamen apud Galenum eo loci puF
tarim: κρόμμυα, ἢ τὰ καρτὰ καλούμενα ἐδίδουν ἐσθίειν. Nam propriè καρτὰ de porris sectivis. Duo enim porri genera *capitatum*, & *sectivum.* Græci κεφαλωτὸν & καρτόν. Virgilius in Moreto:

Hic siser & nomen capiti debentia porra.

τὰ κεφαλωτὰ πράσα intelligit. Neophytus in herbario: Πράσον κηπαῖον, οἱ δὲ κεφαλωτὸν, Ῥωμαῖοι πόῤῥουμ. Ita vocarunt id genus, quod in caput nutriebatur. Athenæus lib. IX. κεφαλωτόν. Τοῦτο καὶ πράσιον καλεῖσθαι φησιν ὁ αὐτὸς Δίφιλος, καὶ εὐχυλότερον εἶναι τοῦ καρτοῦ: *& melioris esse succi sectivo.* Utriusque meminit Plinius, sed verba ejus adeo prava interpunctione laborant, ut quid
G velit, nemo hodie intelligat. Sic autem distinguenda ac legenda sunt lib. XIX. cap. VI. *Seritur semine ab æquinoctio autumno, si sectivum facere libuit, densius. In eadem area secatur, donec deficiat, stercoraturque semper. Si nutritur in capita, antequam secetur, cum increvit, in aliam aream transfertur, summis foliis leviter recisis*

ante medullam, & capitibus retractis tunicisque extremis. Quem sectivum, inquit, facere volueris, in eadem area, qua satus à primo fuerit, secandus est donec deficiat. At si nutritur in capita, id est, si capitatum voles facere, ubi increvit, antequam secetur, in aliam aream transferri debet, summis foliis leviter recisis. De capitato postrema illa verba capienda esse palam est, & ex iis quæ sequuntur: *Antiqui silice, vel testa subjecta capita dilatabant, hoc item in bulbis.* Ita lego ex veteri scriptura, quæ habet: *tecta subjecta.* Vide Columellam capite de hortensibus, à quo hæc omnia Plinius mutuatus est. Mox emendandum: *laudatissimus in Ægypto, mox Ostiæ atque Ariciæ.* Et paulo post: *alterum genus pallidioris folii, rotundiorisque, lenioribus incisuris.* Legitur vulgo ineptissime: *suavioris folii.* In libris partim est *suavidioris*, partim *Favidioris.* Legebat vir doctus *flavidioris.* Quod ineptum. Pro *favidioris* scripsi *pallidioris.* P in F sæpe mutatur: deinde ex duobus labdis abbreviatis factum U. Duo genera sectivi porro facit, quorum alterum *folio herbaceum*, id est, viriditatis meræ: alterum folii pallidioris, dilutioris nempe viriditatis. Aliud est καρωτὸν eodem libro & loco apud Athenæum de pastinaca: τὸ δὲ καρωτὸν καλούμενον, μέγας δὲ ἐστὶ καὶ εὐαύξης σταφυλῖνος, εὐχυλότερόν ἐστι τοῦ σταφυλίνου. Nam ibi scribendum esse constat ex libris: τὸ δὲ καρωτὸν καλούμενον. Genus pastinacæ agrestris vocaverunt *carotam* Romani: hodieque sic vocatur. Neophytus: Σταφυλῖνος ἄγριος, οἱ δὲ κέρας κόμην καλοῦσι, Ῥωμαῖοι καρωτόν. Perperam in Auctuario Dioscoridis, οἱ δὲ κερασοκόμην unica voce legitur. Additum illud à Græculo, οἱ δὲ κέρας κόμην καλοῦσι. Græci poëtæ vocant κέρας τὴν κόμην. Grammatici: κέρας, θρὶξ, κόμη. Quidam pastinacam agrestem appellarunt κέρας. Ille glossæ vice adjecit, οἱ δὲ κέρας κόμην καλοῦσι. Sed de his supra. Καροῦς rapas quasdam fuisse dictas olim ex Galeno observat libro de bonis & malis succis in his verbis: μέσαι ῥίζαι εὐχύμων καὶ κακοχύμων, αἵ τε τῶν ἄρων εἰσὶ καὶ τῶν γογγυλίδων, ἃς καὶ βουνιάδας καλοῦσι καὶ τῆς καλουμένης καροῦς. Frustra est. Τῆς καροῦς genitivum est à recto ἡ καρώ. Herba est hoc nomine, cujus semen vocarunt καρῶον, subaudi σπέρμα. Ut à Δηὼ, Δηῷος: ita à καρὼ καρῷος, & καρῷον σπέρμα. Latine *careum.* Radix hujus herbæ edulis erat, ut pastinacæ. Κάρος vocatur Dioscoridi. Ἡ δὲ ῥίζα, inquit, ἐδώδιμος ὥσπερ σταφυλῖνος. Scriptum exemplar habet καρώς. Hæc est herba, quam hodie vocant *carui* voce inde facta. Arabibus quoque *carvi.* In Viatico Constantini libri veteres semper scribunt *carvia.* Ex καρῷον. Apud Hesychium, κάρρος φυτόν. Aëtio: Καρῶς σπέρμα. At Galeno: ἡ καρώ, τῆς καροῦς de radice: semen ipsum καρῷον. Pergamus κυπείρου & κυπέρου comparationem exequi. Democritus καροῦ folia κύπειρον suum habere dicit: Dioscorides τῷ κυπέρῳ suo folium πράσου tribuit. Idem ergo καρωτὸν quod πράσον, sectivum nempe porrum. Addit Democritus de cypiro: καὶ καυλίον ὥσπερ σχοίνου, ἰσχνότερον. Dioscorides de cypero: καυλὸν δὲ ὅμοιον σχοίνῳ. Democritus: ἐπ' ἄκρου δὲ σπέρμα. Dioscorides: ἐπ' ἄκρου κορυφὴν φυλλαρίων ἐστὶν ἔκφυσις μικρῶν, καὶ σπέρματος. Democritus de radice cypiri: ῥίζαν ὡς ὀστᾶ ἐλαίας μέλανα, ἀρωματίζοντα τὴν γεῦσιν. Dioscorides de cyperi radice: ῥίζαι δ' ὕπεισιν ὡς ἐλαῖαι συναφεῖς ἑαυταῖς, στρογγύλαι, μέλαιναι, εὐώδεις. Idem igitur *cypirum* & *cyperum*, κύπειρον & κύπερον. *Cyperam*, quæ ex India adfertur, officinæ hodie cum Arabibus *curcumam* appellant. *Curcuma* mediæ & infimæ Latinitati lorum vel funem significat. Lexicon Arabico Latinum: *Curcuba lorum.* Isidoro *curcubæ* sunt spiræ funium. Κύπερα quoque σχοινία, id est, funes Hesychio ex cypero torti. Plinius vincula & funes ex cypero in Græcia fieri dicit. An vulgus ideo κύπερον ipsum *curcubam*, vel *curcumam* appellavit, quod ex eo funes fierent? vix hoc admiserim. Putem verius ita vocitatam vulgo radicem cyperi ab inæqualitate ejus, qualis in lupatis equorum cerneretur. Nam lupata multis nodis ferreis olivarum instar ac sibi cohærentibus fiebant, hodieque etiam fiunt. Pollux: τοῦ χαλινοῦ τὰ σιδήρεα προσφερῆ καὶ πλειονωτὰ τροχοί. Tales cyperi radices, ὥσπερ ἐπιμήκεις ὡς ἐλαῖαι, ἑαυταῖς συναφεῖς ἢ στρογγύλαι. Inde *curcumam* nuncupavere hanc radicem, quæ vox frænum, vel lupatum proprie significat.

A Hesychius: ἐν κημῷ, ἐν κουρκούμῳ. Vegetius de arte veterinaria: *curcumam constrictam oportet imponi, ne depravet dentes & labia.* Achmes: δεσμῶν σιδηρῶν ἤτοι κουρκούμων. Hoc verissimum. Apud Græcos recentiores tamen, ut eorum scripta ostendunt, *curcuma* pro chelidonio ponitur. Myrepsus in antidotis cap. XLIII tres antidotos ordine recenset dictas διὰ κούρκουμα. Quod ipse interpretatur χελιδόνιον in tertia antidoto. Ex his quæ hoc nomen habent: κούρκουμα, ἤτοι χελιδόνιον, κρόκον, σύραγκα. Glossa vetus ad Paulum Æginetam τὸ χελιδόνιον exponit κούκουμα. Lexicon Græco Arabicum: χελιδόνιον τὸ κούρκουμα. In alio Saracenico: Κουρκούμ, τὸ χελιδόνιον.
B Græci recentiores chelidonium minus ita præcipuè videntur vocasse, quod radix ejus frequentibus nodis rotundis congesta sit, ut sunt lupata equorum, quæ κούρκουμα iidem Græci appellant. Non alia de causa & *mamiran* Arabes pro chelidonio minore acceperunt, cujus & radix talis est. Paulus Ægineta: Μαμιρᾶς οἷον ῥίζιόν τι παχὺ ἐστιν, ἔχον ὥσπερ κονδύλους πυκνούς, ὅπερ ὑλᾶς τε καὶ λευκώματα λεπτύνειν πεπίστευται. Disertè autem Avisena cap. CXCIX scribit ex quorumdam sententia chelidonium minus esse mamiram. Lexicon Græco Arabicum: Μεμηρὶν τὸ χελιδόνιον, τὸ μικρόν. Item alio loco:
C χελιδόνιον μικρὸν, τὸ μαμιρέν. Diversa tamen μαμιρᾶς & χελιδόνιον minus. Sed utrumque κονδύλους, sive nodos in radice habet congestos plures. Lupata quoque equorum eo modo κονδυλωτά. Hinc etiam *curcuma* dixerunt de radice cyperi. Sed Indicum sic fermè officinæ appellarunt, quod gingiberi simile esse scribit Dioscorides. Id esse, quod *crocum Indicum* hodie nominant in confesso est. Et frustra sunt qui negant. *Curcum* ab Arabibus appellari notat Christophorus à Costa. Haud scio an verum dicat. Certè si verum est, inde nata appellatio officinarum quæ *curcuma* vocant. Corruptum id vocabulum esset ex *crocum.* Sane & *churchum* esse zapharam,
D id est, crocum secundum aliquos expositores Arabas notavit Bellunensis: alios vero exponere radices citrini coloris. *Korkumhama* vel *korkuma* apud Avisenam cap. CCLV pro Græcorum κροκόμαγμα describitur voce inde deflexa. An & chelidonium similiter, quod etiam colore croceo inficit, dixere *curcuma*, vel *curcum*? ut de cypero Indico id verisimile possit videri, ita de chelidonio verum non puto. An cyperum funibus torquendis idoneum sit, & hunc usum veteribus præbuerit, nescio. Poëta fortasse, nescio quis, κύπερα σχοινία dixerat funes è junco tortos, & κύπειρον pro quolibet junco, speciem pro genere usurpaverat. Inde κύπερα
E σχοινία Hesychius exposuit ἐκ κυπείρου πεπλεγμένα. Certe cyperum junci species, *juncus quadratus* dicitur Celso. Recentiores βρουλλοκύπερον appellant, id est, *juncum cyperum.* Nam βροῦλλον vel βρύλλον recentioribus Græcis est juncus, ὁ σχοῖνος. Ut ut sit, κύπειρον non est *siler*, quemadmodum veteres grammatici nobis persuadere conantur. Glossæ: κύπαιρον ἡ βοτάνη, *siler.* Hoc frutex est, quem Plinius cum ligustro aliquot locis junctim memoravit. Lib. XXIIII medicinas ex virga sanguinea, silere, ligustro & alno eodem capite refert. *Ligustrum si hic eadem arbor est quæ in oriente cypros, suos in Europa usus habet.* Ita legendus ille locus.
F De hac cypro intelligendum, non de cypero quod habetur lib. XVII. cap. XIII: ubi narrat quæ arbores tarde crescant, quæ celerrime: *Ocissima omnium cyprus, & pseudocyprus frutex, protinus enim floret, semenque perfert.* Pessimè hodie legitur: *Cypirus* & *pseudocypirus.* Sed nec probo nostros herbarios, qui siler latifoliam esse salicem existimant. Plinius, qui diligentissime salicum omnium genera ex Latinis auctoribus & Græcis persequutus est, *siler* in eum censum non retulit. Sed & alibi *salices* omne genus à silere distinxit: *nonnisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, siler, ligustra tesseris utilissima.* Præterea salix latifolia non habet semen, quod habet siler. Am-
G plius igitur quærendum. Putavi aliquando ratione nominis inductus, ut omnes Latinæ arborum herbarumque appellationes à Græcis, Latinos *siler* vocavisse id genus fruticis, quod quidem Græcorum dixere σίλι vel σίλι. Alii κρότωνα appellant. Aquosis gaudet, nec provenit nisi in præripiis fluminum & paludum. Herodotus scribit Ægyptios id serere παρὰ τὰ χείλεα τῶν ποταμῶν, τῶν τε λιμνῶν. Ipse vocat σιλλικύπρια unica

ea voce. Caudicem & ramos habet instar calami cavos. Sileris folia illitæ fronti capitis dolores sedant, ut tradit Plinius. Cici, vel crotonis folia oculorum tumores & inflammationes sedant. Sileris semen contritum Plinio teste phthiriases coercet. Semina crotonis contusa varos & ἐφήλεις emendant. Nec moror quod Plinius cici, sive crotonem, quem & ricinum vertit, à silere separavit. Ita solet in omnibus, quæ diversis censentur nominibus. Σίλι veterum Græcorum idem est quod σέσελι posteriorum. Pharmacopolæ hodieque *siler montanum* vocant quod est seseli, quasi distinctionis gratia, ut discriminetur à silere aquatico, quod est frutectosi generis, idemque cum crotone, quem Græci veteres etiam vocaverunt σίλι. Herodotus σιλικύπριον vocat unica voce, haud scio an à Cypro insula. Nam quod habetur apud Dioscoridem in editis vocari σέσελι κύπερον aliter est in libris, οἱ ἢ σέσελι, κύπριοι δὲ κρότωνα. Et Plinius absolutè *sili* vocatum tradit. Cum Charisius *siler* κύπειρον interpretatus est, fortasse illud σιλικύπριον cogitabat, quod est siler. Forte κύπριον hoc sili quidam vocaverint quasi parvam cypron, hoc est, parvum ligustrum. Unde & Herodoto σιλικύπριον appellitatum sit. Plinius certe siler cum ligustro, quod est κύπρος, aliquot locis jungit, & utrumque non nisi in aquosis provenire testatur. Hæc exercitationis gratia dicta sint, quæ in medio relinquo. Non hodie sane atque illud *siler montanum* pro seseli apud Latinos inductum. Nam & vetus versio Alexandri Tralliani hoc nomine utitur. Græcum vetus nomen ζίλι. Latinum *sile*. Unde *silatum* pro jentaculo, quod biberent vinum sili conditum, sic σίναπι, *sinape*. Pro *sile* dixerunt *siler* recentiores. Aliud vero *siler* de genere junci, sive flexibilis virgulti, quod in aquosis nascitur. Proinde ut illud alterum *siler*, quod est seseli, ab hoc distinguerent, vocarunt *montanum siler*. Nam istud aquaticum. Non propterea tamen cum crotone, sive ricino idem esse possit accipi. Certe siler non est κύπειρον. Græci fere semper cyperum cum phleo jungunt, ut supra docuimus. Aristophanes in Ranis:

Ἠλάμεσθα διὰ κυπείρου
Καὶ τοῦ φλέω χαίροντες ᾠδῆς
Πολυκολύμβοις μέλεσι.

De ranis loquitur, quæ paludem persultant. Scylax Caryandæus: περὶ δὲ τὴν λίμνην πέφυκε κάλαμος, καὶ κύπερος, καὶ φλινιὸν, καὶ ὄρυον. Lege: καὶ κύπειρος, καὶ φλεὼς, καὶ θρύον. Plinius non meminit *phlei*. Nam ubicunque hoc nomen apud eum legitur, mutandum in *pheos*, quæ herba est spinosi generis ac mere terrestris. Sed mentionem habet *scirpi* in palustribus, qui est Græcorum φλεὼς vel φλοῦς. lib. XVII. cap. XXXVII. *Nec in fruticum, nec in veprium cauliumve, nec in herbarum, aut ullo alio quam suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresque ad tegulum tegetesque.* Heic legendum: *ad tegillum tegetesque.* Tegilla cuculli, vel petasi ex scirpo facti. Festus: *Tegillum, cuculliunculus ex scirpo factus.* Plautus:

Tegillum mihi aret, id si vis dabo.

Ubi *cuculliunculus* est parvus cucullus. Nam *cucullio* etiam dicebatur, unde illud diminutivum. Glossæ: *cucullio* σκεπαστὸν. Varro apud Nonium: *ingens & volitans milvus aquam è nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat.* Ita ille locus concipiendus. *Tegillum* igitur è scirpo, ut & tegetes. Græcis ψίαθοι φλοΐναι tegetes scirpeæ. *Scirpum* grammatici interpretantur *id quod in palustribus locis nascitur leve ac procerum, unde tegetes fiunt.* Hoc est φλοῦς Græcorum. Et recte vetus auctor glossarum: *scirpus*, φλοῦς πάπυρος. Sequitur apud Plinium: *è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus serviunt.* Scirpus, ut papyrus, candelis ad lumina usum præbuit. Quod ait *& funeribus*, vulgo male accipiunt docti de luminibus, quæ accendebantur juxta mortui cadaver, quamdiu supra terram esset. Papyro & scirpo, qui naturam habet papyraceam, farciebant lectos mortuorum, cum quibus rogo inferebantur ac comburebantur. Martialis:

Fartus papyro dum tibi torus crescit.

Alimenta igitur ignibus ex papyro illo & scirpo quæ-

A rebant ad cremanda cadavera. Candelæ quoque è papyro cera circumdato, quibus prælucentibus mortui noctu efferebantur. Persius:

Hinc tuba, candelæ.

Sequitur de eodem scirpo longe corruptissimus in Plinio locus, *& mapalia sua Mauri tegunt, proximeque æstimanti hoc videantur esse quo inferiore Nili parte papyri sunt usu. Sed fruticosi generis sunt inter aquaticas & rubi.* In optimo ac vetustissimo Thuanæo hæc concipiuntur ad hunc modum: *proximaque æstimati hoc videatur esse quod in interiore parte mundum papyrum usui sed frutectosi generis.* Ita plane & Rigaltianus, nisi quod habet *mundi* pro

B *mundum*: sed ille ut vetustate inferior sic & bonitate. Totum locum ita lubet emendare ac distinguere: *pro maximoque æstimanti hoc videatur esse quod in interiore parte mundum papyrum usui det. Frutectosi generis sunt inter aquaticas & rubi atque sabuci.* Æstimanti inquit virtutes papyri hoc pro maximo videatur esse, quod interior ejus pars mundum papyrum usui det, hoc est, mundi papyri usum præstet. Hinc glossæ *scirpum* etiam πάπυρον exponunt. Quamvis enim papyrus sit Nilotica proprie planta, à similitudine tamen & usu *scirpum* hoc est, φλοῦν hoc quoque nomine impertierunt. Strabo lib. V. Τύφη τε καὶ πάπυρος ἀνθήλη τε πολλὴ καταχομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν

C Ῥώμην. Ubi πάπυρος id est, quod antiqui Attici φλεὼ dixere, Jonici φλοῦν, qui ἀνθήλην etiam habet, id est, panniculam & lanuginem. Vide Theophrastum & nos supra. Ea pannicula etiam utebantur stipæ vice ad componenda vasa fictilia, ne invicem collisa frangerentur. Interposita enim papyrus ista id prohibebat. Græci στοιβὴν vocant. Apollonius Dyscolus de conjunctionibus, quas Græci παραπληρωματικὰς vocant: ὁ γοῦν τρύφων ἐν τῷ ὄρῳ βουλόμενος καὶ αὐτοὺς ἐμπεριλαβεῖν φησὶν καὶ τὸ κεχηνὸς τῆς ἑρμηνείας ἐστὶν ὅπως παραπληρῶν, ἀπείκασεν δὲ τινὰς αὐτῶν τῆς καλουμένης στοιβῆς: ὃν γὰρ φησὶ τρόπον εἰς τὰς συνθέσεις τῶν ἀμφορέων ἡ χρηστὴ ἡ τῶν στοιβῶν παρένθεσις, ὑπὲρ τοῦ μὴ κατα-

D θραύεσθαι τοὺς ἀμφορεῖς: τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ὑπὲρ τοῦ τὰ τῆς φράσεως μὴ τραχύνεσθαι: ἡ δὲ ἡ σύνταξις τῶν μορίων παραλαμβάνεται. Græce στοιβὴ idem quod Latinum *stipa*. Servius *metaphora à navibus, in quibus stupa interponitur vasis, quam stipam dicunt.* Quod stupa ad hanc rem uterentur, ideo *stipam* dictam videtur velle. Sed *stipa* est στοιβή. Papyrum, vel φλεὼν hunc usum veteribus præstitisse, ad componendas amphoras certum est: circumponi solitum vasis oleariis Galenus scribit. Ergo φλεὼς majori ratione ac meliori jure στοιβὴ cognominaretur quam φεὼς, quæ spina est, vel spinosa herba. At-

E qui ex his, quæ in superioribus adnotamus, φεὼς apud Theophrastum στοιβὴ appellatur: nam inter spinulentas plantas recenset, in quibus locum non potest habere φλεὼς. Plinius quoque *stoeben*, quam & *pheon* à quibusdam dictam asserit, inter aculeatas herbas numerat. At Dioscorides στοιβὴν cum spinosis non describit. Videtur ergo etiam veteribus imposuisse nominum similium error φεὼς & φλεὼς. Nam longe verisimilius est φλεὼν cognominatum esse στοιβὴν, quia στοιβῆς usum præbebat. Ceterum φεὼς ut & ἱππόφεως spinæ fullonibus utiles, quorum proprium est στοιβεῖν. Nam

F & στοιβεῖς dicebantur fullones. Hinc Galenus ἱπποφαὲς κνάφον & στοιβὴν appellatum notat. Hoc fortasse secuti sunt, qui φεὼς cognomento στοιβῆς fuisse scripserunt. Vide quæ supra observamus. Φεὼς igitur στοιβὴ quibusdam appellata quasi fullonia spina, quia στοιβεῖς fullones, & στοιβὴ eorum propria, aliis rursus φλεὼς στοιβὴ, quia vasis fictilibus & amphoris interponeretur ad eas stipandas & componendas. Δίψακον Græci recentiores pro spina fullonia usurparunt. Nicomedes: Δίψακος ἀκανθωτήνιον, ὥσπερ ἔξαινον τὰ καμελαύκια. Ad phleon revertamur, id est, papyrum. Multi auctorum loci de hoc vulgari papyro, qui scirpus est & φλεὼς, acci-

G piendi sunt, quos perperam de Ægyptio capiunt docti. Ubicunque *papyrus* pro charta sumitur apud auctores, ibi de Ægyptia papyro intelligi par est, ast ubi papyrus in candelis ad lumina & funera usui esse memoratur, de communi papyro, hoc est, scirpo sumere debemus, ut in illo versu Martialis superius allato. Nec enim papyrus ad hos usus ex Ægypto afferebatur, sed ex indigena papyro, sive scirpo candelæ fiebant. Clare Plinius de scirpis: *à quibus detracto*

cortice

cortice candela luminibus & funeribus serviunt. Epigramma Antipatri:

Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνε τυφήρεα λύχνον
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Scirpum intelligit πάπυρε nomine, id est, τὸν φλοῦν. Paulinus:

Lumina ceratis adolentur odora papyris,

id est, candelæ è scirpis factæ? E papyro Ægyptia tegetes, vela & vestes texebantur. Haud secus & è vulgari quem φλεὼ Attici dicebant. Plinius: *ex ipso quidem papyro navigia texunt, & è libro vela tegetesque nec non vestem, etiam stragulam & funes.* Theophrasti hæc verba sunt Latine sic reddita à Plinio: αὐτὸς δὲ ὁ πάπυρος πρὸς πλεῖστα χρήσιμος· καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς βίβλου, ἱστία τε πλέκουσι καὶ ψιάθους, καὶ ἐσθῆτάς τινας, καὶ στρωμνὰς, καὶ σχοινία τε καὶ ἕτερα πλείω, ἐμφανέστατα δὲ τοῖς ἔξω τὰ βιβλία. Exceptis chartis, hoc est, τοῖς βιβλίοις cetera omnia æquè fiebant è scirpo vel φλεὼ, vela, tegetes, vestes, funes & alia. De velis scirpeis Plinius: *namque his velificant non in Pado tantum nautici, verum & in mari piscator Africus.* Vestes φλοΐναι Indorum ex Herodoto notæ, quæ *scirpeæ* vertendæ sunt Latine: ut *scirpea ratis* Plauto ἡ φλοΐνη. Funes quoque ex eo fieri solebant. Mentio apud Euripidem φλοΐνων ἱμάντων in Autolyco Satyrico, φλοΐνας ἱμᾶντας πλέκει *scirpeas habenas plectit.* Ex toto ac solido papyro navigia texebant Ægyptii: unde *papyraceæ Nili naves* Plinio & huic nostro. At ex cortice interiore, sive libro funes, vestes, vela & cetera texebantur. Recte itaque Plinius apud Theophrastum vertit, ἐκ τῆς βίβλου, *ex libro.* Nam & βιβλία inde dicta, id est, chartæ, vel libri, quod ex interioris corticis philyris conficerentur. Ex scirpi cortice tegetes quoque & alia vitilia texebantur. Detracto cortice medulla interior candelis faciendis serviebat cera circumdata. Pannicula ejus concisa farciendis toris, ut & typhæ & aliorum palustrium. Hoc *tomentum circense* dicebatur, quod in circo veniret, non quod in circensibus sibi substernerent, ut censebat Turnebus. Idem Plinius capite de papyro Ægyptio: *post hanc papyrum est extremumque ejus scirpo simile, ac ne funibus quidem, nisi in humore utile.* Bonitas chartæ spectabatur ex ordine philyrarum è quibus fiebat: principatus in medio atque inde scissuræ ordine. Ergo omnium deterrima, quæ ex proxima cortici exteriori philyra texebatur. Talis *emporeutica*, quæ scribendo inutilis involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbebat. *Post hanc*, inquit, *papyrum extremumque ejus scirpo simile.* Extimum corticem papyri sic vocat, quem scirpo similem esse dicit. At alio loco de scirpo dixit in interiore parte mundum papyrum usui dare, idque pro maximo videri debere. Interiorem partem scirpi non vocat, quæ medulla est, sed interiorem corticis partem, quæ mundi papyri usum præbet. Nihil sane dubium est quin papyrus indigena Græciæ Italiæque sit φλεὼς, id est, *scirpus.* In omnibus paludibus & amnibus nasci id genus testatur Theophrastus: λοχμώδη δὲ κάλαμον, κύπειρον, φλεὼ, σχοῖνον, βούτομον, ἅπερ σχεδὸν κοινὰ πάντων τῶν ποταμῶν καὶ τῶν τοιούτων τόπων ἐστί. Scaliger non bene papyrum Martialis & Strabonis, quo toros ac stramina farciebant pauperes, affirmat esse verum *sari.* Nihil falsius. *Sari* frutex quidem palustris sed Ægypti peculiaris, ut ex ipso Theophrasto constat & Plinio. Hesychius: Σάριον, σάρι φυτὸν τι γινόμενον ἐν τοῖς περὶ Αἴγυπτον ἕλεσι. Plinius: *fructosi est generis & sari circa Nilum nascens.* Ita legendum ex libris, non *fruticosi.* Sic supra loquutus est: *fructosi generis inter aquaticas & rubi.* Nam dicebant *fructum* τὸν θάμνον, vel θάμνους, ut *virgultum,* ut *carectum* à **carice.** Inde *fructosus,* θαμνώδης. Sic *papyrum* Latini vocarunt, quem Græci φλοῦν, eumdem nempe cum scirpo. Glossæ veteres: πάπυρον, *papyrum, scirpus.* Nec semper pro planta Ægypto peculiari sumebatur hoc nomen. Eo farciebant toros pauperes ac stramenta, haud secus atque Ægyptii suo. Pelagius de vitis Sanctorum: *vides autem Ægyptium vestitum mollibus rebus, & budam de papyro & pellem stratam sub ipso.* Ubi *buda* est stramentum, vel storea. Glossæ Isidori: *Buda, storea.* Male *historia* legitur. Idem alibi *budas* stramenta camelorum, id est, σάγματα, vel στρώματα exponit. Sic enim vocan-

A dæ, non *bullæ*, ut editum est. Idem Pelagius paulo post: *& pro his dedit mihi Deus stramentum hoc de papyro, & hanc pellem.* Heic vocat *stramentum de papyro*, quam paulo ante *budam de papyro.* Ex Græco βυδὴ, quod à verbo βύω factum est, significatque farcio & impleo. *Rachanas* etiam de papyro, hoc est, fasciculos, qui cervicalium vicem præstarent, habuere. De *rachanis* alibi diximus. Anastasius in vita Joannis Eleemosynarii: *illic enim eos fecerunt, quasi tholos quosdam prolixos ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos, & simul cum storeis & rachanis per totam hiemem.* Quod igitur Indos amiculari libris arborum heic dicit Solinus, vereor ne φλοῦν,

B hoc est, scirpum pro φλοιῷ acceperit. Nam Herodotus scirpeas vestes, hoc est, φλοΐνας Indis quibusdam usitatas tradit. Strabo tamen lib. XI scribit Massagetas insulenses vestiri solitos libris arborum, quia lana careant: ἐσθῆτι δὲ ἀμπέχονται τοῖς τῶν δένδρων φλοιοῖς.

Plurimis placet neque animal occidere, neque vesci carnibus.] Citat Archelaum & Jubam auctores, quum tamen Melæ ipsa ferè verba usurpet: *quidam nullum animal occidere, nulla carne vesci optimum existimant*: quæ ille habet ex Herodoto: ἑτέρων δὲ ἐστὶν Ἰνδῶν ὅδε ἄλλος τρόπος, οὔτε κτείνουσι οὐδὲν ἔμψυχον.

Plerique tantum piscibus aluntur, & è mari vivunt.] Ita

C omnes fere nostri. Pessimi Delriani: *plerique tantum piscibus & mari vivunt.* Saltem legisset: *piscibus è mari vivunt.* Hæc fuit alterius editionis lectio. Mela: *quosdam tantum pisces alunt.* Ille ex Herodoto: καὶ ἰχθύας σιτέονται ὠμοὺς τοὺς αἱρέουσι ἐκ πλοίων καλαμίνων ὁρμεόμενοι.

Priusquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hostias cadunt.] Jam hæc ipsissima verba Pomponii sunt, nulla mutatione: *quidam proximos parentesque, priusquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hostias cædunt, cæsorumque visceribus epulari fas & maxime pium est.* Non igitur hæc ex libris Archelaï aut Jubæ hausit. At Mela ex Herodoto sumpsit, quem vide. Elegans porro lo-

D quutio, *priusquam in maciem eant annis aut ægritudine,* πρὸ τοῦ τήκεσθαι τῇ νόσῳ, καὶ γήρᾳ. *In maciem ire*, pro emaciari. Sic Apulejus de Deo Socratis, *in senectutem ire*, pro senescere: *validus est? ægritudine fatigabitur. Pernix est? ibit in senectutem.* Vulgo edebant: *abibit in senectutem.* Sed omnes libri legunt, *abit*, pro *ibit.*

Sunt etiam qui cum incubuere morbi, procul à ceteris in secreta abeunt.] Et heic Pomponium pæne ab verbum transcripsit, Pomponius Herodotum reddidit. Mela: *alii ubi senectus aut morbus incessit, procul à ceteris abeunt, mortemque in solitudine nihil anxii expectant.* Legendum & hoc loco apud Solinum, *nihil anxii mortem expectantes.*

E Male apud Melam vulgo, *at ubi senectus*, pro *alii, ubi senectus.* Herodotus: ὃς δ' ἂν ἐς νοῦσον αὐτέων πέσῃ, ἐλθὼν ἐς τὴν ἔρημον κέεται, φροντίζει δὲ οὐδεὶς οὔτε ἀποθανόντος οὔτε κάμνοντος. *Ubi quis ex illis in morbum inciderit, procul à ceteris in solitudinem secedens decumbit: ibique mortui nemo curam agit, nec ægrotantis.* Ita reddenda erant Herodoti verba, ut sensus auctoris exprimeretur.

Pag. 57. E. *Astacanorum gens laureis viret silvis.*] Ita rescripsimus auctoribus libris. Vulgo erat, *Aspagonum.* Ita etiam gentis hujus Indicæ nomen in Plinio reformandum, ubi hodie legitur: *item Aspagonas gen-*

F *tem vitis & lauri & buxi pomorumque omnium in Græcia nascentium fertilem.* Libri habent: *Item Aspaganos gentem.* Repone: *Astacanos.* Nam P pro T in libris perpetuum fere. Sic *pala* arbor Indiæ Plinio, quæ τάλα Arriano: *pinus* pro *tinus*, quæ lauri species est, sexcentis apud auctores locis. *Astacani* Indiæ populi, quorum nomen etiam in Græcis auctoribus corruptum invenio. Ἀστάκανοι dicti ab urbe Ἀστάκανα. Hic enim typus est Persicarum & Indicarum urbium. Ut Παλίβοθροι populi, quorum urbs Παλίβοθρα. Βάκτριοι, quorum urbs Βάκτρα, & sic in aliis pluribus. Παραίκανοι Persica gens &

G oppidum Παραικάνη. Ptolemæus Ἀστάκανα urbem recenset in Bactriana regione. Ideo ait Plinius *Astacanos* Indiæ adscribi à quibusdam. Idem Ἀστάκανα in Armenia ponit, à quibus Ἀστάκανοι. Atqui tam Ἀσακάνους quam Ἀστακάνους Indiæ adscribunt omnes fere auctores. Strabo Ἀσακάνους collocat inter Cophetem & Indum: μετὰ δὲ τὸν Κώφην ὁ Ἰνδός ἐστι· τὰ δὲ μεταξὺ τούτων δυοῖν ποταμοῖν ἔχουσιν Ἀσάκανοί τε καὶ Μασιανοὶ καὶ Νυσαῖοι καὶ Πάσιοι.

Male

A Male scribitur apud Strabonem Ἀστάκοινοί τε. De Astacanis illis intelligere palam est, quos ita Plinius nominat. Nam & cum Nysæis eos jungit: *Nec non & Nysam urbem plerique Indiæ adscribunt, item Astacanos gentem.* Hi Astacani & Nysæi regionem inter Cophen & Indum tenebant. Ideo multi ab India eos excludebant, qua Indiam ab Indo auspicari voluere. Aliis placuit Indiam ab occidente non Indo amne determinare, sed Cophete, & adjiciebant quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios & Paropamisadas. Hi sunt qui & Nysam & Attacana urbes Indiæ attribuerunt, quæ sitæ fuere inter Cophetem & Indum. Arrianus in Indicis: τὰ ἔξω Ἰνδοῦ ποταμοῦ τὰ πρὸς ἑσπέρην ἔστε ἐπὶ
B τὸν ποταμὸν Κωφῆνα Ἀστάκανοι καὶ Ἀσσάκανοι ἔθνεα Ἰνδικὰ ἐποικέουσιν. Vulgo habetur apud Arrianum Ἀστακηνοὶ καὶ Ἀσσακηνοί. Quod non potest verum esse. Nam hic typus Arabicus, non Indicus. Sic enim formatum hoc ἐθνικὸν urbium prototypon haberet Ἄστακα & Ἄττακα. Atqui urbes ipsæ Ἀστάκανα & Ἀττάκανα vocabantur, & inde populi Ἀστάκανοι καὶ Ἀσσάκανοι gentilium Indicorum more. Idem lib. IIII historiæ Alexandri Ἀσσακάνους populos vocat: ἄρας δὲ ἐκ τῆς πέτρας ἐς τὴν τῶν Ἀσσακανῶν χώραν ἐμβάλλει. Lege: Ἀστακάνων, vel Ἀσσακάνων. Nam Ἀστάκανοι ut Παλίβοθροι. At lib. V ejusdem ἀναβάσεως perperam Ἀσσακηνοὶ vocantur pro Ἀστάκανοι, & Ἀσσακίνην
C γῆν pro Ἀσσακάνην. Nisi forte error sit ipsius Arriani, qui Græcanico more ita pronuntiare maluerit: ut ab Astaco Pontica urbe Ἀστακηνὸς κόλπος. Ita certe Stephanus apud eum legit Ἀσσακηνοὶ ἔθνος Ἰνδικόν. Ἀρριανὸς τετάρτῃ τῆς ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου, ἤδη εἰς τοὺς Ἀσσακηνούς. Sed fortasse & heic mendum. Nihil certè ambigui est quin Ἀσσάκανα & Ἀστάκανα urbes Indiæ fuerint, unde populi Ἀσσάκανοι & Ἀστάκανοι appellati sunt. Ptolemæus Ἀστάκανα Bactrianæ facit, quæ eædem sunt. Multa Indiæ oppida ultra & cis Indum hac gaudent termi-
D natione. Ἄρσανα, Σίγανα, Ῥίζανα, Δάμμανα, Ῥίξανα, Ὄσκανα, Καίσανα, Πασίκανα, Σινδόμανα & alia infinita. Nec certe dubitari debet quin *Astacani* Plinii iidem sint cum Ἀστακάνοις Arriani, qui male apud eum dicuntur Ἀστακηνοί.

Arborum universarum quibus gratia dulcis est.] Omnes antiquæ editiones ante Delrianam habent: *quibus Græcia dulcis est.* Quæ vera omnino est lectio, libris omnibus confirmata & Plinii auctoritate, quem heic exscripsit noster: *pomorumque omnium in Græcia nascentium fertilem.* Hoc iste dixit: *arborum universarum quibus Græcia dulcis est.*

In globo igneo rimantes secreta quædam] Nihil de istis
E secretis Plinius, quæ iste secretarius de suo addidit & commentus est. Ἀσκήσεως χάριν hoc faciebant, ut & quod arenis ferventibus diem perpetem alterno pede insistebant. Plinii locus, quem hic imitatus est, habetur lib. VII. c. II. *Philosophos eorum, quos gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare immobilibus oculis: ferventibus arenis alternis pedibus insistere.* Nihil ille de secretis, quæ rimantur in globo solis. Ad hoc genus ἀσκήσεως referenda sunt, quæ Diogenem fecisse ait Diogenes alter statuas nive perfusas hieme media nudum amplectentem & tempore anni flagrantissimo in
F ferventibus arenis corpore nudo volutantem: καὶ θέρους μὲν ἐπὶ ψάμμου ζεσῆς ἐκυλινδεῖτο, χειμῶνος δὲ ἀνδριάντας κεχιονισμένους περιελάμβανε πανταχόθεν ἑαυτὸν συνασκῶν. Socrates toto die perstabat immobilis. Epictetus hæc genera ἀσκήσεων in sapiente improbabat: κἂν ἀσκῆσαι ποτὲ πρὸς πόνον θέλης, ἄσκει σεαυτῷ, καὶ μὴ τοῖς ἔξω, μὴ τοὺς ἀνδριάντας περιλάμβανε. Quidam ἀσκηταὶ & compedes sibi induebant & totum diem sic ambulabant ἀσκήσεως gratia, quod χοίνικα ἱστάναι dixit Arrianus. Ita enim scribimus & explicamus pro φοίνικα ἱστάναι. De generibus ἀσκήσεων: χοίνικας ἱστάναι, ἢ ἀνδριάντας περιλαμβάνειν. De quibus in libro de instrumentis Musicis plura diximus.
G Veteres monachi talia multa faciebant, qui & ἀσκηταὶ proprie vocabantur. De his nos alibi.

Ad montem qui Nulo dicitur.] Ita Solini libri hoc loco. Sic etiam Pliniani lib. VII. cap. II. *In monte cui nomen est Nulo.*

Capitibus caninis, armatas unguibus.] Κυνοκέφαλοι Græcis & ἡμίκυνες Apollonio apud Stephanum his versibus, qui sic emendandi sunt:

> Ἡμικύνων δ' ἐνόησα γένος περιώσιον ἀνδρῶν
> Τοῖς ὤμων καθύπερθεν εὐστρεφέων κυνὸς κρατὸς
> Τέτραφε γαμφηλῇσι περικρατέεσσιν ἐρυμνός
> Τῶν μὲν θ' ὥστε κυνῶν ὑλακὴ πέλει, οὐδέ τι τοίγε
> Ἄλλων ἀγνώσσουσι βροτῶν ὀνομάκλυτον αὐδήν.

Nihil istis versibus corruptius, ut apud Stephanum leguntur. Cum hi homines latratum pro voce edunt, aliorum tamen & humana voce loquentium dialectum intelligunt. Hoc est, quod heic Apollonius ait, οὐκ ἀγνώσσειν αὐτοὺς τὴν ἄλλων ἀνθρώπων αὐδήν. Ctesias in Indicis de his Cynocephalis: καὶ συνιᾶσι μὲν τὰ παρ' ἐκείνων λεγόμενα, αὐτοὶ δὲ οὐ δύνανται διαλέγεσθαι. Loqui ipsi non possunt, sed quæ alii loquuntur, intelligunt. Ἀγνώσσειν idem quod minime cognoscere. Vide Ctesiam in Indicis apud Photium, cujus locum Plinius expressit. Nam quæ de his scribit, ab illo habet auctore. Tertullianus in Apologetico eos vocat *Cynopenas, vel Cynopennas*, ut in aliis scribitur: *plane tertium genus dicimur. Cynopenæ aliqui, vel Sciapodes, vel aliqui de subterranea Antipodes.* Ita scribendum cap. VIII in libro ad Nationes, qui nuper est editus. *Cynopenæ* sunt κυνοπεῖναι. Quasi qui canina fame laborent, eaque edant quæ canes, utpote capitibus ac dentibus caninis præditi. Ita compositum hoc nomen, ut γεωπεῖναι, qui iidem sunt ac γήφαγοι. Hesychius: γήφαγοι πένητες, ἄποροι. Idem γεωπεῖναι, οἱ γῆς πεινῶντες καὶ ἀπορούμενοι. At Κυνοπεῖναι sunt, qui talia edunt qualia canes. Latine extulit, *Cynopenæ*, ut κύπειρον, *cyperum.* Sic *empeneticam facere* apud Cælium in Epistolis, τὴν ἐμπεινητικήν, de eo qui strenue esurit & veluti esuritionis artem exercet: *Ego qui scirem C. Pompejum Baulis empeneticam facere, & usque eo ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus.* Hæc enim vera lectio est illius loci, quam & Turnebus olim adstruxit, quum libri omnes haberent *embeneticum.*

Amictas vestitu tergorum.] Ineptè sic exprimere voluit, quod simplicissime ac recte Plinius dixerat: *ferarum pellibus velari.* Cur non dixit, amictas aut vestitas tergoribus? Forte & scriptum fuit *amictas, vestitas tergore*, duplici lectione in textum à librariis recepta, ut in sexcentis aliis, unde correctores fecerunt: *amictas vestitu tergorum.* Sed nec *tergus* proprie pellis ferarum. Nam & *tergora boum* dicuntur & aliorum animantium quæ feræ non sunt. Hanc vocem etiam pro tergo usurparunt veteres ut *tergus* ἡμίχοιρον. *Glandia detruncabo tergoribus.* Glossæ: *tergus*, νῶτος, δορά, ut contra *tergum* pro tergore dixere, uti *taurino tergo*, τῇ βύρσῃ apud poëtam. Inde *terginum* τὸ ὠμοβύρσινον, ut glossæ exponunt, lorum nempe ex tergo, id est, crudo corio factum. Plautus:

> *Nunquam ædipol vestrum tergum durum erit quam hoc terginum meum.*

Et apud Lucillium:

> *Solvi dum salvo tergo & tergino licet.*

Nam dum aliquis loris cæditur, tam lorum quàm tergum cædendo deperit. Ceterum Mela *ferarum pelles* potius dixit quam tergora, ut Plinius: *alii ferarum oviumque pellibus, pars nudi agunt.* Ita legendum, non, ut habetur vulgo, *aviumque pellibus.* Oves quoque in India teste Ctesia, earum pellibus multi velabantur, alii ferarum. Cynocephali pellibus ferarum vestiebantur. Ctesias: ἐσθῆτας δὲ φοροῦσιν ἐκ τῶν ἀγρίων θηρίων. Minus proprie itaque noster *tergora* heic absolute posuerit pro ferarum pellibus. Ctesias alio loco non ipsis pellibus ferarum villosis amiciri Cynocephalos tradit, sed aluta vel pelle tenuissima confecta, cui pili dempti sunt: τὴν δὲ ἐσθῆτα ἔχουσιν οὐ δασεῖαν, ἀλλὰ ψιλῶν τῶν μαλθημάτων ὡς λεπτοτάτων. Ubi μαλθήματα sunt alutæ, vel pelles confectæ subactæque. At *tergus* proprie corium ἀδέψητον ὠμοὶ βύρσαι. Inde *terginum* ὠμοβύρσινον, Ex Græco στέρφος & Æolice τέρφος, *tergus.* Verum de his alibi. Ichthyophagos θήρεια δέρματα pro vestibus habere scribit Arrianus in Indicis, hoc est, *tergora ferina.*

Pag. 57. F. *Latratibus tantum sonantes, asperis rictibus.*] Ita omnes libri. Nihil de rictibus Plinius. Et sane cum capita canina habuisse prodantur, etiam rictus caninos habuere. Plinius: *pro voce latratum edere, unguibus armatum, venatu & aucupio vesci.* Reliqua Plinii expressit Solinus, exceptis istis, *venatu & aucupio vesci.* Scripserit igitur noster, ut omnia cum Plinianis respondeant:

ſpondeant: *aſperis ritibus.* Aſperos ritus ejus gentis dicit, quod aucupio & venatu tantum veſcantur. Hoc indubitatum. Sic ſupra de venatoribus apud Indos: *qui vero ferociori ſectæ ſe dediderunt, & ſilveſtrem agunt vitam, elephantos venantur.*

Legimus Monocolos quoque ibi naſci.] Diu eſt quum hujus populi nomen non ſolum heic reſtituimus, ſed etiam apud Plinium & Agellium, quos eorum auctorum editiones *Monoſcelos* hactenus nominarunt. Quod Græcum non eſt. Nam Μονοσκελεῖς dici oportuit. Libri omnes Soliniani heic habent *Monoculos* aut *Monocolos.* Item Pliniani. Κῶλον idem eſt quod crus. Hinc μονόκωλα δένδρα quæ unico tantum ſtipite ac trunco à terra attolluntur. Et μονόκωλα ædificia Herodoto, quæ plura membra adjuncta non habent, ſed ſingulari ſtructura ſurgunt. His contraria ædificia quæ pluribus cænaculorum contignationibus coaxata ſunt. De quibus Vitruvius inſigni loco emendandus. lib. II. c. VIII. *Itaque pilis lapideis, ſtructuris teſtaciis, parietibus cæmenticiis, altitudines extructæ, contignationibus crebris coaxatæ cænaculorum, ad ſummas utilitates proficiunt diſparatione.* De ædificiis Romanis loquitur. Ita illa verba ex optimo codice legenda ſunt, quæ in editis inquinatiſſima habentur, hoc modo: *& cænaculorum ſummas utilitates perficiunt, & deſpectationes.*

Qui ubi defendi ſe velint a calore.] Plinius: *eoſdemque Sciopodas vocari, quod in majori æſtu humi jacentes ſupini umbra ſe pedum protegant.* Vetus liber ibi legit: *eoſdem Sciapodas vocari quod in calore æſtu.* Scribo: *eoſdem Sciapodes vocari quod in calore æſtus.* Græci Σκιάποδας dicunt non Σκιόποδας. Heſychius: Σκιάποδες οἱ ἐν Λιβύῃ πλατεῖς ἔχοντες τοὺς πόδας, καὶ ποιοῦσι σκιὰν αὐτοῖς ἐν τῷ καύματι. Ad verbum Plinius: *In calore æſtus umbra ſe pedum protegunt.* Sed verba Cteſiæ, quæ apud Harpocrationem extant, ad verbum Plinius reddidit ex periplo Aſiæ ſumpta: ὑπὲρ δὲ τούτων Σκιάποδες ὄνομα, τοὺς τε πόδας ὥσπερ οἱ χῆνες ἔχουσι κάρτα πλατέας· καὶ ὅταν θέρμη ᾖ ὕπτιοι ἀναπεσόντες ἄραντες τὰ σκέλη σκιάζονται τοῖς ποσί. Tertullianus: *Sciapodes & Cynopenæ aliqui.* Sic σκιαγραφίαν dixere non σκιογραφίαν. Ceterum hi populi in Libya ponuntur ab auctoribus: Æthiopiæ vicini non Indiæ adſcribuntur, ut heic eos recenſet Solinus inter Indiæ populos. Plinius eo capite non tantum Indiæ monſtruoſas gentes deſcribit, ſed etiam Scythiæ, Arabiæ, Æthiopiæ & aliarum terrarum. Cujus capitis titulus in indice libri primi ſic habet: *Gentium mirabiles figuræ.* Perperam adtexunt vulgati alterum caput cum hoc titulo: *De Scythis & aliarum diverſitate gentium.* Quæ verba manu exaratus index non agnoſcit. Diſerte ibidem Plinius tradit iſtos Sciapodes non longe abeſſe à Troglodytis. Non igitur in India, ſed in Libya, vel Æthiopia. Heſychius: Σκιάπους, ἔθνος περὶ τὴν Αἰθιοπίαν πλατυπόδων. Strabo inter gentes Indiæ, quæ monſtruoſæ ſunt figuræ, neutiquam eos recenſet, quum Ἐνωτοκοιτῶν, Ἀστόμων, Ὠκυπόδων, Μονομμάτων & Ἀμυκτήρων. aliorumque meminerit. Nugatur igitur more ſuo noſter, qui ab Æthiopia in Indiam eos tranſcripſit colonos.

Pag. 57. G. *Odore vivunt pomorum ſilveſtrium*] Addit Plinius, & radicum florumque omnium. Strabo etiam ὀπτῶν κρεῶν. Dicebantur Ἄστομοι.

Perhibent & gentem eſſe fœminarum, quæ quinquennes concipiant.] Ita loquitur quaſi gens ea fœminas tantum habuerit, ut Amazonum. Non hæc mens Plinii. De fœminis Calingarum, qui ſunt Indiæ populi, hoc ille narrat: *In Calingis ejuſdem Indiæ quinquennes concipere fœminas, octavum annum vitæ non excedere.*

Apud eos vero quibus ad vivendi rationem propenſior cura eſt.] Sic quidam libri. *Propenſior cura* idem quod major cura. Propenſus in hanc vocem noſter hoc ſenſu uſurpandam. *Propenſiores notæ* pro majoribus. *Propenſius irrigat*, id eſt, largius. Ita alibi paſſim. In aliis codicibus habetur: *exactior cura eſt*, quod ex altera eſt editione. *Propenſum* autem pro majore aut graviore aliqua re ponitur, metaphora ſumpta à ponderibus, aut rebus quæ penduntur. Nam ſi quæ graviora ſunt aut majora, ut in lance poſita præponderant, ita etiam propendent. Cicero in Parodoxis tit. III. *Cauſa igitur hæc, non natura diſtinguit: quæ quando alteri acceſſit,*

A *id fit propenſius: ſi utrique adjuncta ſit, paria fiant neceſſe eſt.* Hinc *propenſius* pro eo, quod eſt gravius ac majus. At cum pondera pariant in libra, & invicem ſibi oppoſita æquantur velut in parallelo ſitu, *interpendium* dicitur. Gloſſæ: *Interpendium*, παράλληλον. Græci παράλληλον interpretantur, ἴσον ὅμοιον τῷ μεταξὺ ὄν. Eædem gloſſæ *interpretium* παράλληλον exponunt, ut idem ſit *interpretium* & *interpendium*, juxta illius gloſſarii auctorem. Ea voce uſus eſt Ammianus lib. XXVIII. Hymettius Africam proconſule regens in magna annonæ caritate publica horrea aperuit, & frumentum populo Romano deſtinatum Carthaginenſibus indigentibus divendidit: ex quo certam ſummam confecit. Poſtea viliore an-
B nona quum eumdem frumenti modum horreis populi Romani reſtituere vellet, denorum modiorum quos venumdederat pretio, tricenos ipſe modios emit. Sic pretii quod ex venditione publici frumenti collegerat, duo trientes apud eum remanſerunt, poſt reſtitutum omne frumentum horreis Populi Romani. Quod ſuperfuit ex ea ſumma, id totum tranſmiſit ad ærarium Principis. *Interpretium* hoc vocat Ammianus: *verum quoniam denis modiis ſingulis ſolidis indigentibus venumdatis, emerat ipſe tricenos, interpretii compendium ad principis ærarium miſit. Interpendium* plane idem quod *compendium*, quum utrinque in lance æqualia ſunt pondera. Tum
C enim fit *compenſatio*, id eſt, συσταθμία. Nam *penſare* eſt σταθμίζειν. Hinc quod ſummæ deeſt vel ponderi, quum in ſummam redit, & ponderi adjicitur, fit συσταθμία, vel æqualitas ponderum. Dioſcorides: πλήθει καὶ συσταθμίᾳ τῇ αὐτῇ. Græci ἀντίστρεφον hoc vocant, ut notavimus ad Pallium. Quod idem eſt ac παράλληλον. Gloſſæ: *compenſatio*, συσταθμία, ἀντιλογισμός. Nam ἐκλογεῖν eſt rationes putare, calculare. In verſibus Phœnicis de Nino rege apud Athenæum:

Οὐκ ἐκλογεῖν ἐμανθαν' οὐκ ἀριθμέειν.

Non rationes ducere, nec numerare notat. Perperam legitur apud Athenæum, οὐ λεωλογεῖν. Nec melius eſt quod ſubſtituunt. Cum expenſi & accepti pa-
D gina pariat, tum fit ἀντιλογισμός id eſt, compenſatio. Quod dictum à ponderibus, quum in utraque lance paria ſunt, nec in alteram partem propendent. Idque *interpendium* & *compendium* dicitur. Inde utraque vox & pro lucro accipitur. *Compendium*, ὠφέλεια. Ammiano *interpretii compendium.* Nam *interpretium* idem quod interpendium. Utrumque enim παράλληλον veteri gloſſarum auctori exponitur. Sic quod Latini vocant *interlunium*, Græci dicunt συμμηνίαν, quod ad verbum eſt *conlunium.* Auctor peripli rubri maris: τοσαύτη γὰρ περὶ τὸν εἰσβολὴν τῆς θαλάττης γίνονται βίαι μετὰ τὰς συμμηνίας
E ἀπὸ τῶν νυκτερινῶν μάλιστα πλημμῶν. Doctus interpres *conſtitutiones lunæ* reddit τὰς συμμηνίας. Immo ſunt *interlunia.* Et notum eſt eo tempore majores maris æſtus fieri. Plinius lib. II. cap. XCVII æſtus plena luna maximè fervere dicit, & interluniis, quum luna eſt in coitu: *In coitu ſolis pares & plena. Eadem aquilonia & a terris longius recedente, mitiores.* Ita legenda hæc verba ac diſtinguenda. Ita ergo συσταθμία *interpendium* ac *compendium* ſignificat. Interpendio vel interpretio contrarium eſt *intertrimentum.* Id nempe quod de pondere detrahitur, unde minus fiat. At interpendium, vel compendium, quod additur ad pondus, & ſuppletur,
F ut fit integrum & æquale. Græci *intertrimentum* vocant ἀπουσίαν. *Apuſia* vocatur in Querulo non Plautino. Gloſſæ: *Intertrimentum*, ἀπουσία. *Detrimentum* aliæ exponunt. Agatharchides: αὐτὸ δὲ τὸ δὲ χρυσίον χῶμα βραχεῖαν εἰληφὸς ἀπουσίαν ἀπὸ τοῦ ψήγματος. Diodorus in eadem hiſtoria: καθαρὸν δὲ τὸν χρυσὸν λαμβάνουσιν ὀλίγης ἀπουσίας γεγενημένης. Interpres primigenia ſignificatione is proprie dictus eſt, qui inter venditorem & emptorem pararius ac proxeneta difficultates inter utrumque ob pretium oriri ſolitas explicabat. Inde ad alia tranſlatum hoc nomen. Is efficiebat ac conten-
G debat ut rei, quam deferebat venditor, exæquaretur pretium quod offerebat emptor, & ſic juſta permutatio procederet. Quod eo nomine accipiebat ab utroque, *interpretium* proprie dicebatur: Græcis προπράτωρ & προπώλης is appellabatur, qui venditori emptorem conciliabat. At Latini *propolam* pro ipſo venditore uſurparunt. Quod inter ea vocabula referas licet, quæ

Latini

Latini de Græco mutuati in alia significatione sumpserunt. Sed de interpretio nos alibi. Ut *propensum* pro magno, ita etiam *impensum*, fortassean ab eadem metaphora. Nam quod propendet etiam impendet. Glossæ: *impense*, ὑπερέπως. Sed magis est, ut ab *impensa* & eo quod impenditur, deducta sit tralatio. Hoc est τὸ ἀνάλωμα. Sic δαψιλὲς Græcis τὸ πολὺ, τὸ μέγα. Inde & *impendio* adverbialiter pro magnopere, à nomine *impendium*, quod est ἀνάλωμα. Hinc *impensa opera*, *impensum studium* pro magno, & quod multum ac largiter impenditur. Glossæ: *Impensus*, δαψιλής. Eædem: *Impense*, δαψιλῶς, ὑπερέπως. Nam & δαψιλεύειν Græcis est largiri liberaliter. Apulejus in Apologia: *etiam gulones omnes, qui impenso pisces pretio à piscatoribus mercantur.* Scio *impensum* pretium de magno ac δαψιλεῖ Latine dici, sed mirum ex tot viris doctis qui opusculum illud notis illustrarunt & cum scriptis codicibus contulerunt, neminem unum observasse lectionem elegantem ac veram, quam omnes veteres libri eo loco suggerunt: *gulones omnes qui impendio à piscatoribus merguntur*, id est, οἱ βαπτιζόμενοι τῷ ἀναλώματι ὑπὸ τῶν ἁλιέων, qui sumptibus affliguntur ac pessumdantur. Ita loquutus est Plinius de coquis: *nullusque prope jam pluris æstimatur mortalis, quam qui peritissime domini censum mergit.* Juvenalis Sat. XII.

---- sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Fortunæ te mergat onus.

Ex eo *mergus ærarius* Lucillio, qui ære alieno mergeret possessores, ut olim recte emendavimus & explicavimus. Plutarchus in Galba: πεντακισχιλίων μυριάδων ὀφλήμασι βεβαπτισμένον. Eodem sensu usurpavit & verbum βαπτίζειν Diodorus, ut Latini *mergere* lib. I: τοὺς ἰδιώτας οὐ βαπτίζουσι ταῖς εἰσφοραῖς: *tributis mergunt.*

Et cum maritus homine decesserit] Ita scripsimus ex libris, & explicavimus supra. *Homine decedere* dicitur, qui exit de homine, hoc est, de corpore humano. Sic *decedere magistratu, imperio, & potestate.* Solinus *hominem exire* supra pro eodem dixit. Nam *exire hominem* posuit pro exire homine, ut *exire portam*, *exire urbem.* Apulejus, cujus loquutiones sæpe imitatur noster, *exire asinum* similiter dixit in tertia Milesia: *nam rosis tantum demorsicatis exibis asinum, statimque in meum Lucium postliminio redibis.* Ita *à corpore recedere* dicuntur in scriptis patrum & conciliis qui moriuntur, & hominem exeunt, & *de sæculo recedere.* Fortassean & supra noster hic *hominem vivere* dixerit, pro humanam vitam agitare, & in homine manere: *cum desisset hominem vivere*, pro quo tamen libri omnes habent, *quum dedisset hominem vivere.* Quod & nos explicandum duximus.

Pag. 58. A. *Ceteræ notatæ vivunt.*] Hanc lectionem procudit Delrius ex veteri omnium librorum, & editionum antiquarum, *cetera nota vivunt.* Vinetus edidit: *cum nota vivunt.* Ego propius ad verum fecerim: *ceteræ in nota vivunt.* Ut *in fama esse* dicitur, *in nomine*, cujus nomen & fama celebratur. Ita sæpe apud Plinium & *in gloria*, & *in æstimatu* eo loco, qui sic legendus atque interpungendus est lib. XI. c. XV. *In omni melle, quod per se fluxit ut mustum oleumque, appellatur acetum. Maxime laudabile est æstivum omne rutilum, ut ulceribus aptissimum. In æstimatu est è thymo coloris aurei, saporis gratissimi.* Sic *in nota vivunt*, qui in ignominia vitam agunt. Græci quoque ἐν ὀνόματι dicunt, ἐν ὀνείδει. Strabo de his ipsis mulieribus Indicis: τὰς δὲ μὴ ὑπομενούσας, ἀδοξεῖν, id est, quæ cum viris mori non sustinent, in nota vivere.

Insulasque magno spatio à continenti separatas.] In aliis legitur: *& silvas longissimo spatio à continenti separatas.* Sequitur & deinde διπλογραφηθεὶς locus ex utraque editione. In altera fuit: *idque ipsum palam est non qualibet magnitudine venire.* Scribe: *non qualibet magnitudine evenire.* Loquutio nostro familiaris: *non qualibet amplitudo*, οὐ τυχοῦσα. Id suprà observavimus. Altera editio habuit, eaque prior: *quod coram est potentia amplissimæ magnitudinis fieri.* Nec enim glossa est, ut putat Camers, sed diversa lectio ex altera editione. Loquutio ipsa etiam è Plinio, quam in alia re usurpavit: *Insula in Gange est amplissimæ magnitudinis.* Notandum porro, *coram est* ἀντὶ τοῦ *palam est* positum, πρόδηλόν ἐστι, φανερόν ἐστι.

Quarum è multitudine & copia vel particulam persequemur.] Hæc lectio est hactenus editorum, quam & in
A margine regii codicis adpositam reperi. Ipse in textu habuit: *quarum partem persequemur.* Utraque scriptura codicis habet assertores, ut hinc liqueat alteram alterius editionis fuisse.

Leucocrotta velocitate præcedit feras universas.] Ita omnes libri scribunt, & in indice: *de leucrocotta bestia*, apud Plinium quoque *leucrocotta*: sed verum hujus bestiæ nomen *leocrocotta.* Quod ipsum tamen Græcum non est, nec mentio hujus fit apud Græcos, haud magis quam *leopardi*, cujus compositio nominis etiam Latina est. Nam leopardus dicitur quem lea ex pardo generavit. Ita & leocrocotta ex lea, hoc est, leæna, & crocotta genita videtur. Plinius c. XXXI tradit hyænæ coitu leænam
B Æthiopicam parere crocottam. Ergo crocotta & leocrocotta eadem. Quidam eo loco leocrocottam legunt pro crocotta, sed Solinus vulgatam lectionem agnoscit supra de hyæna: *In Æthiopiæ parte coit cum leæna, unde nascitur monstrum, qui crocottæ nomen est.* Atqui idem Plinius alio loco *crocottam* velut ex cane & lupo conceptam facit, & separat à leocrocotta. Unde & Græci κυνόλυκον vocabant. Excerpta Ctesiæ: ἐστὶ δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ ζῶον λεγόμενον κροκόττας, κοινῶς δὲ κυνόλυκος. Quod mixtam scilicet ex lupo & cane formam haberet. Certe hyæna lupo similis, leo cani. Eadem igitur crocotta quæ ex leæna & hyæna concipitur, recte à mixtura formæ dicatur κυνό-
C λυκος. Plinius leocrocottam dicit, collo, cauda & pectore leonis esse. Non propterea tamen dictam putarim *leocrocottam*, quod tamen antea volui. Λεοντοκροκόττας Græce potius vocaretur ut λεοντομύρμηξ, λεοντόκρανον, λεοντόφονον. Nec enim λεοκροκόττας Græcum est. Ctesias de crocotta: ἔχει δὲ τὸ σθένος ἀλκὴν λέοντος, ταχύτητα ἵππου, ῥώμην ταύρου, σιδήρῳ φέρειν οὐχ ὑπεῖκον. Plinius leocrocottam pernicissimam feram esse ait, & voces humanas imitari, quod etiam facit crocotta: dentium locis os perpetuum habere leocrocottam tradit. Idem & de crocotta: *nullis gingivis, dente continuo.* Mirum est, ut dixi, Græcos nusquam hujus leocrocottæ facere mentionem, quum tamen certum sit Latinos à Græcis habere quæcunque de
D his exoticis & monstruosis animalibus scripsere. Certe nec leopardi Græci meminere, quod purum putum est Romanum nomen. An igitur leocrocottas ex lea & crocotta, ut leopardus ex lea & pardo? Certe ita postulat ratio nominis. Nam Latinis *lea* est leæna. Crocottas ipse ex hyæna & leæna. At leocrocottas ex lea & crocotta. Verum, ut dixi, nulla mentio hujus leocrocottæ in Græcorum libris. Nec Latini aliunde habere potuerunt quam ex Græcis. At id nomen Græca moneta percussum non est. Puto itaque Plinium hoc nomen ex errore confinxisse. Cum enim legisset in aliquo Latino scriptore, *ut leo crocottas est*, ὡς λέων ὁ κροκόττας ἐστί. Quibus
E verbis leonis formam habere auctor ille tradebat. Inde leocrocotttam in scripta sua traduxit, dum legit conjunctim, ut *leocrocottas est.* Nisi talia pæne infinita peccasse Plinium scirem, hoc illi non imputarem. Crocottas autem leonis formam habet, utpote ex leæna genita. Certe quæcunque de crocotta leguntur apud veteres, leocrocottæ etiam conveniunt, paucis exceptis, quæ ex diversitate scribentium diversa videri possunt. Crocottam omnes Æthiopiæ adscribunt. Ergo & leocrocottas, quam feram tamen heic inter Indicas describit Solinus. Plinius lib. VIII. cap. XXI non solum crocottam
F sed etiam leocrocottam inter animalia recenset quæ gignit Æthiopia: Lyncas inquit, & sphingas Æthiopia generat, multaque alia monstra similia, pennatos equos, crocottas, cercopithecos, *Indicos boves, unicornes, tricornesque, leocrocottam pernicissimam feram.* Hæc non possis aliter interpretari. Boves igitur Indicis similes Æthiopiam dicit generare. Confirmat & id quod sequitur. *Sed atrocissimos habet tauros silvestres.* Æthiopia tauros illos silvestres habet, quales ibi describit, ut paulo post ostendam, non India. De Indis tamen loqui ostendunt, quæ statim subjicit: *apud eosdem nasci Ctesias scribit, quam manticboram appellat.* Manticho-
G ra in India nascitur, non in Æthiopia, ut constat ex Ctesiæ excerptis, quæ hodieque extant, ut omittam auctorum testimonia, qui ex Ctesia referunt mantichoram apud Indos nasci. Aristoteles, Ælianus, Pausanias, alii. At rursus de Æthiopia accipienda esse omnia quæ præcedunt, fidem facere queant, quod protinus subdi-

dit;

dit: *In India & boves solidis ungulis unicornes.* Ab hoc loco feras Indiæ enumerare incipit, axin, simias, monocerotem. Ergo Æthiopia boves Indicos unicornes haud secus atque India generat. Viri docti corrigunt eo loco. *Indi equos unicornes*, pro *Indicos boves unicornes.* Ex Strabone, ut ajunt. Certe Strabo lib. xv meminit equorum unicornium in India nascentium ex Onesicrito: ἵππους τε λέγει μονοκέρωτας, ἐλαφοκράνους. Ceterum equi illi unicornes Indici non possunt ibi locum habere apud Plinium, qui eodem capite eos descripsit inter Indiæ feras: *asperrimam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cervo.* Quis negaverit aut dubitarit hunc esse Strabonis ἵππον μονοκέρωτα ἐλαφόκρανον? De eo & Solinus infra ex Plinio inter Indiæ feras eam numerans: *Sed atrocissimum est monoceros monstrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda suilla, capite cervino.* Putabam itaque apud Plinium boves illos unicornes tricornesque Indicos ex adnotatione marginali cujusdam studiosi irrepsisse in contextum, sed video Solinum hæc eadem verba invenisse in suis codicibus. Sic enim paulo post hæc ipsa animalia recenset inter feras Indicas: *Sunt præterea boves unicornes & tricornes.* Sensum Plinii hunc puto fuisse, Æthiopiam boves etiam generare, quales Indici, unicornes nempe tricornesque. Nam & paulo post sic refert: *In India & boves solidis ungulis unicornes.* At Solinus perversitate mentis ac stili solita sibi Æthiopica illa omnia animalia in Indiam transtulit.

Capite melium.] Ita & Plinius: *capite melium.* Variæ editionis illa, quæ heic leguntur, *capite camelino.* Quærendum ecquod animal fuerit *melis*, vel, ut in omnibus fere vetustis codicibus scriptum reperitur, *malis.* Inter omnes pæne doctos hodie convenit *malem* veterum esse, quem vulgo *taxum*, aut *taxonem* vocamus. Sed illis assensum meum commodare non possum. Varro in R. R. præcipit septa leporarii ex maceriis tectorio esse inducenda, *ne males aut feles aliave quæ bestia intrare possit.* Ex genere felium videtur fuisse meles. Et sane quum admonet septa leporarii tectorio esse inducenda, ne meles irrepere possit aut feles, ostendit illud genus animalis per muros, qui tectorio inducti non sunt, posse erepere & escendere, quod felium & id generis animalium proprium est, non taxonis, cui naturale non est in muros rependo scandere. Meles igitur, aut is est, quem vulgo *catum putosum*, id est, putentem nuncupamus, aut ea quæ hodie *fuscina* dicitur, à fusco pilo. Vulgo *fovinam* vocamus, id est, *fuscinam.* Nam & *fuscinam* tridentem piscatorium instrumentum in plerisque Galliæ locis *fovinam* appellant. Et sic veteres nostri vocabant. Sonus utriusque nominis idem, sed origo diversa. *Fuscinum* pro fusco infima Latinitas dixit, ut *aurinum* pro aureo, *marmorinum* pro marmoreo, *aurochalcinum* & similia. Sic *fuscinæ* dictæ, quia fuscum habent pilum, felium agrestium de genere sunt, in domibus tamen frequens præcipue villaticis, gallinarum, leporum, pipionum & ovorum maxime appetens, & noctu fere tantum grassari solitum. Unde *lucifugam melem* vocat Gratius, qui & galeros ex ea fieri venatoribus tradit:

---- *lucifugaque ex male galeros.*

Ita legendum pro *macle.* Idem alibi: *lucifugæ malis.* Sic κτιδέη galea, vel galerus ex pelle hujus animalis factus, qui Græcis κτίς. Viverræ, vel mustellæ rusticæ simile esse ajunt. Hesychius: κτιδέα κυνῆ περικεφαλαίας, καὶ κτὶς ἡ ἐστὶ ζῶον ὅμοιον γαλῇ, οὗ τὸ δέρμα εὔθετον εἰς περικεφαλαίας. Ita & galeri ex lucifuga mele Gratio. Κτίδας, vel ἰκτίδας Strabo interpretatur γαλᾶς ἀγρίας, quibus venantur in Hispania cuniculos, *furettos* appellamus & *furones*: apud Isidorum *furo* dicitur. Pæne puer apud Martialem ex scripto codice legendum videram epigr. XXXVII. lib. X.

Venator capta male superbus adest.

Ubi vulgo est *marte.* Libri veteres habent *male*, pro *mæle.* Sed mæles ibi non est taxus, sed fælem sive cattum silvestrem si forte intelligit. Hos studiosè etiam venabantur veteres. Nemesianus in Cynegetico:

---- *falemque minacem*
Arboris in trunco longis præfigere telis
Implicitumque sinu spinosi corporis erem.

A Isidoro dicitur *melo.* Quem inepte sic dictum interpretatur, quod mella captet, vel quod sit rotundissimo membro. *Melonem* dixisse quosdam pro mæle testis est Caper, qui præcipit *males* potius vocandas quam *malones* hujusmodi bestias, de dubio sermone. Quæ est *melo*, quem inepte sic dictum interpretatur quod mella captet, vel quod sit rotundissimo membro. Quæ fæles veteribus, recentioribus dictus *cattus.* Isidoro ita appellatur quod *cattat*, id est, videt. *Gattare* etiam in Gallia dicimus observare & speculari. Arabicolatinum lexicon: *Musium cattum quod cattat, id est, videt.* Sed illud *cattare* pro videre & speculari factum est ex *captare.* Martiali *Pannonicæ cattæ* sunt, quas vulgo *martas* vocitamus. Quæ de genere felium sunt silve-

B strium. Vetus itaque hoc verbum. Græcis αἴλουρος, quod caudâ aduletur & ambiat, nam αἰλεῖν est θωπεύειν. Sed & αἰλὸς antiquioribus dictus, id est, adulans, vel adulator, cum Æolico digammate Fαιλός: inde *felis.* Nam sic scribitur in veteribus codicibus. At quem *taxonem* vocamus quomodo vocitarint antiqui, quærendum censeo. Marcellus Empiricus *taxoninæ adipis* meminit cap. XXXVI. Antiquiorem non scio, qui *taxonis* meminerit. Sic tamen liquet admodum vetus illud nomen esse, ac Latinum. Certe non est *meles.* Quidam putarunt esse antiquorum glirem. Nam & *blerellos*

C quasi *glerellos* vel *glirellos* appellamus. Sed falluntur. *Glis* est qui Græcis ἐλειὸς μῦς. Addito gamma pro digammate γλειὸς: unde *glis*, ut γάλανος pro βάλανος Æolice, *glans.* Græci ἐλειὸν μῦν appellarunt, quasi *arboreum murem.* Nam in silvis degit, & inter arbores semper oberrat, & in iisdem sedes & cubilia habet hiemis tempore quum perpetuo dormit. Ἕλη Hesychio σύνδενδροι τόποι. Varro apud Sosipatrum: *in mea silva glis est nullus.* Apud Martialem lib. III. epig. LVIII. sic est interpungendum:

D *Fert ille ceris cana cum suis mella,*
Metamque lactis: Sassinate de silva
Somniculosos ille porrigit glires.

Quidam Græcorum ἐλειὸν de sciuro interpretati sunt, qui & ipse inter arbores & in silvis semper versatur. Sed ἐλειὸς μῦς apud Aristotelem, qui hieme per somnum pinguescit, de glire accipiendus, non de sciuro. Hunc glirem μυοξὸν etiam Græci vocarunt. Oppianus:

---- ἀπαλάς τ' ὀλιγοδρανέας τε μυοξοὺς
Οἱ μέν τοι σύμπασαν ἐπημύουσι μένοντες
Ὥρην χειμερίην, δέμας ὕπνοισιν μεθύοντες.

Glires intelligit. Qui ἐλειοὺς & μυοξοὺς è Græcis distinguunt, hi sine dubio ἐλειὸν pro sciuro capiunt. Quod &

E nonnulli ex Latinis fecere de glire. Glossæ: *glis*, ἵππουρος. Nam ἵππουρος & σκίουρος idem. Glossæ aliæ: μῦς ὁ ἐπὶ τὰ δένδρα, *glis.* Hic & μῦς δενδρίτης, & δενδροβάτης appellatus. Aliæ glossæ: μυοξὸς, *glis.* Hodie *voxum*, vel *voxosum* appellitant, voce ex *muoxus* detorta. Atque hæc obiter. Vide supra plura.

Pag. 58. B. *Nam voce loquentium hominum sonos æmulatur.*] In quibusdam libris: *voce autem.* In aliis: *nam vocem loquentium hominum sonus æmulatur.* Quæ lectio ex priore, vel posteriore editione est.

F *Est & Eale, alias ut equus.*] Meliores libri: *ut equus cetera.* Non equo eam comparat Plinius, sed equo fluviatili: *Apud eosdem & quæ vocatur eale magnitudine equi fluviatilis, cauda elephanti.* De Æthiopibus porro intellexit Plinius, apud quos nasci dixit hanc ealen, de Indis vero iste accepit.

Quorum alterum quo cum pugnat, protendit, alterum replicat.] Ita libri, quum vulgo sit: *quorum alterum cum pugnat.* Nec hic mentem Plinii assequitur, moremque sequitur suum. Dicit noster ealen, cum pugnat, alterum cornu infestum protendere, alterum replicare. Rationem addit, ut si aliquo ictu acies alterius obtusa

G fuerit, alterius acumen in tuto sit, ac priori succedat. Nihil istorum Plinius, cujus hæc verba sunt: *majora cubitalibus cornua habens, mobilia quæ in pugna alterna sistit, variatque infesta aut obliqua, utcunque ratio monstravit.* Sensus horum verborum est, ealen mobilia habere cornua, eaque alternatim in pugnando versare, & modo infesta protendere, modo obliquare, prout ratio certaminis exigit. Si à fronte pugna est, tum infesta dirigit cornua: si à latere adgreditur hostis, tum ea obliquat.

liquat. De replicatione cornus alterius, alteriusque protensione nullum in Plinio verbum, nec vestigium. Cornua ealæ ab radice mobilia sunt, ita ut alterna sisti queant, & variari infesta aut obliqua utcunque usus poposcerit. *Replicare* aliud est. Sed talis ubique & passim Solinus.

Ut si ictu aliquo alterius acumen offenderit, acies succedat alterius.] Varia lectio est, ex priore an posteriore editione, incertum. Certe eam in textu optimi quique codices præferunt, hac vulgari ad marginem adposita. Altera sic habet: *ut si nisu aliquo fuerit alterius acumen obtusum.*

Indicis tauris color fulvus est.] Non Indici isti tauri, sed Æthiopici. Nec Plinius Indicos facit, sed Æthiopiæ assignat: *atrocissimos habet tauros silvestres, majores agrestibus, velocitate ante omnes, colore fulvos.* Sed Plinius Solinum decepit, ipse utique quoque à semetipso deceptus. Nam sequitur statim apud eumdem Plinium: *apud eosdem nasci Ctesias scribit, quam manticoram appellat.* Atqui apud Indos mantichoram nasci Ctesias scribebat. Extat hodieque ejus fragmentum apud Photium: καὶ περὶ τοῦ μαντιχόρα τοῦ ἐν Ἰνδοῖς ὄντος θηρίου, ὡς τὸ πρόσωπον ἐοικὸς ἀνθρώπῳ, μέγεθος μὲν ἐστιν ὥσπερ λέων. Ælianus ex Ctesia Ἰνδικὸν θηρίον vocat hanc beluam. Idem legas apud alios auctores quamplurimos. At tauros silvestres, qualis heic & apud Plinium describuntur, Æthiopiæ peculiares facit Agatharchides, & cum Æthiopicis feris recenset, sphingibus, cynocephalis & cepis. Καὶ τὸ μὲν θηρίον, inquit, εἰκότως κρίνεται παρὰ τοῖς Τρωγλοδύταις, ἀλκὴν μὲν ἔχειν λέοντος, τάχος δὲ ἵππου, ῥώμην δὲ ταύρου. De his tauris loquitur, quos apud Troglodytas Æthiopas reperiri ait. Peccatum igitur hærebit in ipso Plinio, qui apud eosdem populos gigni tradat tauros hos silvestres & mantichoram. Nec sane mirum. Habuit illa ex variis auctoribus loca excerpta & in adversariis suis adnotata de monstrosis beluis, quæ cum in opus suum referret, patrias earum confudit oblitus scilicet quibus regionibus apud auctores ipsos unaquæque illarum tribueretur. Hoc est indubitatum. Impulit igitur in errorem Plinius Solinum.

Indicis tauris color fulvus est.] Immo, ut dixi, Æthiopicis. Agatharchides: πάντων δὲ τῶν εἰρημένων ἀγριώτατον καὶ δυσκαταγωνιστότερον τὸ τῶν ταύρων σαρκοφάγων γένος, ὃ τῷ μεγέθει μὲν ὑπάρχει τῶν ἡμέρων ἀδρότερον, τάχει δὲ ὑπεράλλον, πυῤῥὸν δὲ ἐξαισίως. Quæ verba Plinius ad verbum ita reddidit: *sed atrocissimos habet tauros silvestres majores agrestibus, velocitate ante omnes, colore fulvos.* Sed mirum cur Plinius agrestes tauros distinguat à silvestribus, & *agrestes* vertat, quos Græcus auctor vocat ἡμέρους. Nam *agrestis* & *silvestris* idem, qui Græcis ἄγριος. Etenim tam agrestis quam silvestris miti & cicuri opponitur. An igitur legendum apud Plinium, *majores cicuribus.* Sed aliter omnes libri. Præterea non omnino cicures haberi debent tauri sicut boves, quippe qui multum feritatis habent, ac ferocitatis. Ergo videatur Plinius *agrestes* à *silvestribus* secernere, quatenus agrestis non ἄγριον significet, sed ἄγροικον & χωρικόν: taurum scilicet in agris & rure versantem. Sic glossæ: *agrestis*, ἄγροικος, χωρικός. *Agricolam* quoque sic exponunt ἄγροικον & χωρικόν, at *silvestris* proprie est ὑλικὸς & ἄγριος, qui præ feritate in silvis & nemoribus degit, longe ab agris cultis & villis, ita exponi debet ille Plinii locus, siquidem mutari non debet. Strabo ἀγρίους vocat hos tauros Æthiopicos lib. XVI, quibus opponit τοὺς παρ' ἡμῖν. Nam majores esse & velociores.

Pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput.] Plinius: *oculis cæruleis, pilo in contrarium verso, rictu ad aures dehiscente.* Agatharchides: καὶ τὸ μὲν στόμα μέχρι τῶν ὤτων αὐτοῦ διέστηκεν, ὄμμα δὲ ὑποφαίνει γλαυκότερον λέοντος, τὴν δὲ ἐπιγουνίδα τῆς τριχὸς ἐναντίαν ἔχει τοῖς ἄλλοις.

Pag. 58. C. *Hi quoque circumferunt cornua flexibilitate qua volunt.*] Ita libri. Vulgo: *qua malint.* Plinius: *rictu ad aures dehiscente juxta cornua mobilia.* Agatharchides: τὰ δὲ κέρατα τὸν μὲν ἄλλον χρόνον τοῖς ὠσὶ παραπλησίως κινεῖ, μάχη δὲ χρώμενον ἵστησιν ἀσαλεύτως. Agatharchidis mens est, istiusmodi taurum alio omni tempore cornua mobilia habere sicut aures, cum vero pugnandum habet, tum ea sistere, ita ut adæque firmiter hæreant, atque iis animalibus quibus à natura fixa sunt & immobilia. Nam mobilium cornuum in pugna nullus usus.

A Hoc idem narrat de eale Plinius, quæ similiter cornua flexibilia circumfert: *cornua mobilia qua alterna in pugna sistit, variatque infesta aut obliqua, utcumque ratio monstravit.* In scripto codice legitur: *variaque infestat aut obliqui.* An scribendum: *varaque infestat aut obliqua.* Notum quænam *vara* dicantur cornua. Melior tamen vulgata. Ut ut sit, nulla replicatio cornuum in his locum habere potest, quæ Solini imaginatio est. Sed nec Plinius satis assequutus videtur mentem Græci auctoris. Nam, ut notavi, omni alio tempore cornua flectunt ac movent hæc animalia, ubi vero pugna ingruit, tum ea sistunt, ac fixa immobiliaque reddunt. Qui sensus est Græci scriptoris.

B *Tergi duritia omne telum respuunt.*] Tergum hic pro tergore posuit, ut alibi etiam notavimus. Plinius: *tergori duritia silicis, omne respuens vulnus.* Græcus auctor, unde ista Plinius accepit: καὶ μόνον ἐστὶν ἄτρωτον λόγχῃ καὶ τόξῳ. Sequitur apud Plinium: *feras omnes venantur.* Agatharchides: τοῦτο δὲ τοῖς ἀλκιμωτάτοις ἐπιτίθεται, καὶ κυνηγεῖ τὰ λοιπὰ τῶν ζώων. Plinius: *ipsi non aliter quam foveis capti, feritate semper intereunt.* Græcus: διὸ καὶ ποιήσαι μὲν ὑποχείριον οὐδεὶς πλὴν ἐπιβεβλημένων κατήχυσε, τὸ δ' εἰς ὄρυγμα ἐμπεσόν, ἤ τινα δόλον τούτῳ παραπλήσιον ὑπὸ τοῦ θυμοῦ σωπτόμως γίνεται περιπνιγές. De foveis omisit hic noster:

C *& tam immiti ferocitate, ut capti animas projiciant furore.* Ita vetus liber. Nam in vulgatis erat: *telum omne respuentes, tam immiti ferocitate.*

Mantichora quoque nomine inter hæc nascitur.] Perperam Delrius in editione sua illud *nomine* incluserat, veluti minime necessarium. Omnes libri nostri id retinent, & sic loquitur noster. Supra *centaretius nomine.* Et ita alibi passim. Sic & Plinius. Variant Græcorum auctorum exemplaria in hujus beluæ appellatione: nam aliis μαντιχόρα dicitur, aliis μαρτιχόρα. Apud Pausaniam μαρτιόρα. In excerptis Ctesiæ, quæ hodie extant, vocatur μαρτιχόρας.

D Ab illo ceteri scriptores habent. Æliano quoque & Philostrato sic dicitur. Latini auctores *manticoram* appellant. Et sic Aristoteli vocatur ex eodem Ctesia.

Triplici dentium ordine coeunte vicibus alternis.] In optimo codice: *triplici dentium versu coeunte ordinibus alternis.* Et pro *ordinibus* ad oram habet ex varia lectione *vicibus.* Plinius: *triplici dentium ordine pectinatim coeuntium.* Triplex dentium versus, vel ordo. Τριστοίχους ὀδόντας exprimit. Ἐπ' ἀμφότερα τριστοίχους ὀδόντας habere hanc feram tradit ex Ctesia Aristoteles, hoc est, tam in superiore quam inferiore maxilla triplicem illi inesse dentium ordinem: καθ' ἑκατέραν τὴν γένυν, ut habet

E Pausanias. Quod cum ita sit, pectinatim eos coire dicit, hoc est, ut Solinus interpretatur, *vicibus alternis,* vel ordinibus alternis. Quæ varia lectio ex duplici editione manavit. De crocodili dentibus etiam tradunt coire eos pectinatim, licet triplicem dentium versum non habeat. Solinus supra: *morsus ejus horribili tenacitate conveniunt, stipante se pectinatim serie dentium.*

Facie hominis.] Addit Plinius: *facie & auriculis hominis.* Et sic apud Aristotelem: πρόσωπον δὲ καὶ ὦτα ἀνθρωποειδές. Apud Ctesiam tamen in excerptis legitur tantum: ὡς τὸ πρόσωπον ἐοικὸς ἀνθρώπῳ. Sed paulo post

F addit: ὦτα δὲ ὥσπερ ἀνθρώπου, καὶ ὀφθαλμοὺς γλαυκοὺς ὁμοίους ἀνθρώπῳ.

Voce tam sibila ut imitetur modulos fistularum, tubarumque concentum.] Aristoteles ex Ctesia: φθέγγεται δὲ ὅμοιον φωνῇ σύριγγος καὶ σάλπιγγος. Quod de fistulæ & tubæ mixto concentu Plinius interpretatur: *vocis ut si misceatur fistulæ & tubæ concentus.* Ælianus ita videtur accepisse, quasi dixerit tubæ aut fistulæ vocem imitari. Nam alterum tantum posuit: φωνὴν δὲ σάλπιγγος ὡς ὅτι ἐγγυτάτω προΐεται. Melius autem scripseris in hoc Solini loco: *voce tam sibila, ut imitetur modulos fistularum tubarumque concinentium,* sicut habent quidam codices.

G *Pedibus sic viget, saltu sic potest.*] ῥητορικεύεται hic noster. Plinius simpliciter: *velocitatis magnæ.* Aristoteles: Ταχὺ δὲ θεῖν οὐχ ἧττον τῶν ἐλάφων.

Sunt præter boves unicornes & tricornes solidis ungulis.] Plinius: *In India & boves solidis ungulis unicornes.* Atqui eodem capite paucis ante lineis scripserat: *Indicos boves unicornes tricornesque.* Quod vel ex margine infultum

fultum est, vel de Æthiopia accipiendum est, quam pariter atque Indiam boves unicornes & tricornes habere dixit Plinius.

Pag. 58. D. *Caudâ suillâ, capite cervino.*] In excerptis antiquis Solini scriptum est, *caudis villosis.* Eorum auctor hanc lectionem commentus est ex depravata exemplarium lectione, *caudas villa.* Quod putavit corrigendum, *caudis villosis.* Non suillam habere caudam, sed apro similem dixit Plinius: *reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro.*

Ad longitudinem pedum quatuor.] Plinio: *uno cornu nigro, mediâ fronte cubitorum duûm eminente.* Solino duo cubita sunt quatuor pedes: ὁ πῆχυς ἔχει πόδας δύο. Hero. Aliis duo cubita tres tantum sunt pedes, sed hujusmodi cubitus, qui pedem & semissem habet, vocatur λιθικὸς & ξυλοπριστικός. Idem Hero: ὁ πῆχυς ὁ λιθικὸς ἔχει σπιθαμὰς β´ ἢ πόδα α´ πρὸς τῷ ἡμίσει, ἢ παλαιστὰς ς´, ἢ δακτύλους. Ὡσαύτως καὶ ὁ πρισικὸς ξύλου. Alter Hero in Isagoge πῆχυν ξυλοπριστικὸν appellat, qui pede & semipede constat. Ὁ πῆχυς ἔχει παλαιστὰς ς´, δακτύλους κδ´: καλεῖται δὲ ξυλοπριστικὸς πῆχυς. Eo ligna quæ serrâ secantur, & lapides mensuram accipiebant. Πρίων, ξυλοπρίστης, serra qua ligna secantur: λιθοπρίστης, qua lapides: Glossæ veteres λιθοπρίστην exponunt *serrarium lapidarium.*

Ait vermibus abundare caeruleis nomine & colore.] Plinius lib. IX. cap. XV. *In eodem Gange esse Statius Sebosus haud modico miraculo adfert, vermes branchiis binis, LX cubitorum, caeruleos, qui nomen à facie traxerunt.* Quæ Solinus ita accepit quasi *caerulei* dicti sint illi vermes, quod cærulei essent coloris. Et sane *faciem* ipse fere semper pro colore usurpat. Sed immaniter erravit. Nam *facies* ibi tota figura est. Significat igitur vermes illos Gangeticos, sic vocatos esse à figura vermium quam habent. Vermes aquatici non sunt, isti sunt. Vermes branchias non habent, isti habent. Nulli vermes tantæ sunt magnitudinis. De reliquo quod figuram & faciem habeant vermium, vermes sunt appellati. Ctesias in excerptis σκώληκας eosdem vocitat: ὅτι ἐν τῷ ποταμῷ τῶν Ἰνδῶν σκώληξ γίνεται, τὸ μὲν εἶδος οἷόνπερ ἐν τοῖς συκαῖς εἴωθε γίνεσθαι, τὸ δὲ μῆκος πήχεων ἑπτά. De hisdem vermibus intelligit. Nec heic tantum peccavit Solinus, sed longe etiam gravius lapsus est in his quæ sequuntur: *hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus senûm.* Vel ut in optimis codicibus legitur, *non minus cubita sena.* Sine dubio legit apud Plinium noster: *vermes branchiis binis senûm cubitorum*, vel, *sex cubitorum.* Et sane nimis enormis est illa longitudo sexaginta cubitorum. Eam porro longitudinem non ad vermes ipsos retulit Solinus, sed ad branchias. At enimvero quia verisimile ipsi non visum est, branchias tam vastæ magnitudinis in illis vermibus esse, *brachia* pro *branchiis* supposuit, vel certe ita legit. Quod est maxime ridiculum. Vermes brachiis carent. Illa Gangetica animalia in ceteris vermium figuram præferebant, atque ideo vermes appellati. Sic igitur capienda Plinii verba, *vermes branchiis binis, senûm cubitorum, caeruleos*, ipsi inquam vermes longi sunt cubita sena, non ipsorum branchiæ, multo minus verum de brachiis quibus carebant. Ctesias μῆκος illorum definit cubitis septenis: τὸ δὲ μῆκος πήχεων ἑπτά, καὶ μείζους δὲ καὶ ἐλάττους. Ergo & quidam sena cubita non superabant, alii excedebant. In paucis verbis plura eaque gravissima Solini σφάλματα deprehendere est.

Pag. 58. E. *Ut elephantos ad potum ventitantes mordicus comprehensa eorum manu rapiant in profundum.*] In quibusdam codicibus: *mordicus comprehensos eorum manu.* Ita etiam legit auctor excerptorum vetus. Plinius tamen vulgatam tuetur: *His tantas esse vires, ut elephantos ad potum venientes mordicus comprehensa manu eorum abstrahant.* Quare frustra & Pincianus cum sua emendatione hujus Pliniani loci: *comprehensos manu deorsum abstrahant.* Quam nihil adjuvant Solini verba. Ctesias de his vermibus: καὶ τὴν μὲν ἡμέραν ἐν τῇ ἰλυῒ ποταμοῦ διαιτῶνται, τῇ δὲ νυκτὶ ἐξέρχονται, καὶ τοῦτον ὃς ἂν ἐντύχῃ τινὶ ἐν τῇ γῇ βοῒ ἢ καμήλῳ, καὶ δάκῃ ἕλκει εἰς τὸν ποταμόν, καὶ πάντα κατεσθίει πλὴν κοιλίας. Non igitur brachiis, quæ nulla habent, comprehendunt feras, quas in flumen abstrahunt, sed ore ac dentibus.

Indica maria balænas habent ultra spatia quatuor jugerum.] Ita omnes libri. Additur in excerptis: *in longitudine.* Quod necessario subintelligendum. Hic locus de balænis & physeteribus expressus è Plinio lib. IX. cap. IIII. Sed ibi *physeteras* Oceano Gallico vindicat Plinius, non Indico: qui Indici Oceani proprias facit pristes & balænas: *Maximum animal in Indico mari pristis & balæna est: in Gallico Oceano physeter.* Physeteres tamen etiam in Indico mari reperiri testes Strabo & Arrianus ex Nearchi relatione. Iste in Indicis: ὅτι τὰ κήτεα ταῦτα φερόμενα κατὰ τὸν πόντον ἀναφυσᾷ εἰς τὸ ἄνω τὸ ὕδωρ. Hoc proprium physeterum. Strabo φυσητῆρας plane nominat Indica illa cete lib. XV.

B Balænas Indicas quatuor jugerum inveniri, pristes ducentorum cubitorum refert ibidem Plinius. Jugerum habet in longitudine cubita centum ac triginta tria cum semipede, hoc est, pedes regios ducentos, quia cubitum multi duobus definiunt pedibus, sic centum cubita tantum longitudinis in jugero essent. Arrianus ex Nearcho tradit cete Indica magnitudinem plerumque habere usque ad viginti quinque orgyjas extentam: καὶ τὰς σάρκας αὐτοῖσι περιέλκοντας ὑπολείπειν τὰ ὀστέα: χρέεσθαι δὲ τοῖσιν ἀνθρώποισιν ἐς τὰ οἰκία εἶναι. Ὧν τὰ μὲν ἐν τῇσι πλευρῇσιν αὐτῶν ὀστέα, δοκοὺς τοῖσιν οἰκήμασιν ὅσα μεγάλα: τὰ δὲ μικρότερα σφωτῆρας: τὰ δὲ ἐν τῇσι

C σιαγόσι, ταῦτα δὲ εἶναι τὰ θύρετρα: οἷα δὴ πολλῶν καὶ εἰς εἴκοσι καὶ πέντε ὀργυιὰς ἀνηκόντων τὸ μέγεθος. Plinius hunc locum in memoria vel ante oculos habuit, quum ita scripsit: *Gedrosos qui amnem Arbim accolunt Alexandri Magni classium præfecti prodidere in domibus fores maxillis beluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadrigenûm cubitorum longitudinis reperta.* Eosdem utique auctores habent Plinius & Arrianus præfectos nempe classium Alexandri Magni. Strabo eumdem Nearchum præfectum classis Alexandri auctorem allegat de magnitudine Indicarum beluarum, quibus longitudinem tribuit, non viginti quinque ὀργυιῶν, ut Arrianus, sed viginti trium. Atque, ut

D scias eamdem rem narrare eodemque auctore, sic ille scribit de his beluis: Φασὶ δὲ αὐτὰ μὴ ἐκπλησιάζειν τῇ γῇ, τὰ δ᾽ ὀστᾶ διαλυθέντων φιλωθέντα ἐκκυμαίνεσθαι ῥᾳδίως, καὶ χορηγεῖν τὴν λεχθεῖσαν ὕλην τοῖς ἰχθυοφάγοις περὶ τὰς καλυβοποιΐας. Μέγεθος δὲ τῶν κητῶν φησὶν ὁ Νέαρχος τελῶν καὶ εἴκοσιν ὀργυιῶν. Plinius ea sic intellexit, quasi ossa illa balænarum eam magnitudinem haberent: *ossibus tecta contignare ex quibus multa quadrigenûm cubitorum longitudinis reperta.* Atqui de beluis ipsis id scripserat Nearchus: οἷα δὴ πολλῶν εἰς εἴκοσι καὶ πέντε ὀργυιὰς ἀνηκόντων τὸ μέγεθος. Dignum etiam quæsitione cur

E idem Plinius viginti & quinque ὀργυιὰς *quadrigena cubita* verterit. Orgyja quatuor facit cubita. Sic viginti quinque orgyjæ centum cubita reddunt. Viginti tres nonaginta duo. Unde igitur illa quadrigena cubita expiscatus sit nescio. Hero jugerum ait habere in longitudine tria σχοινία cum triente. Σχοινίον autem δεκαόργυιον fuit, quo agros cultos metiebantur. Sic longitudo jugeri centum ac triginta trium fuerit cubitûm, quod initio posuimus. In aliis codicibus legitur apud Plinium: *quadragenum cubitorum.* Quod etiam minime congruit. Non heic modo circa orgyjarum modum peccavit Plinius, sed etiam aliis multis lo-

F cis. In historia Bonaci τρεῖς ὀργυιὰς Aristoteles *tria jugera* vertit. Nos de his alibi.

Sunt & quos physeteras nuncupant.] Excerpta: *sed & quos physeteras nuncupant.* In optimis quibusdam libris: *sunt & quos physetas nominant.* Certe φυσητὴς & φυσητὴρ idem, ut καταπειρατὴς & καταπειρατὴρ, quo maris altitudo tentatur. Lucilius:

> *An catapirateris eodem deferet uncum*
> *Plumbi pauxillum raudus, linique metaxam?*

Catapirater plumbus, ὁ καταπειρατὴρ μόλιβδος. Sic enim legendi illi versus vulgo corruptissimi. *Mo-*

G *lybdum* Græca voce hunc ipsum plumbum Statius.

> *Sunt quibus exploret rupes gravitate molybdus.*

Veteres codices hic habent *molucrus* pro *molubdus.* Qui locus etiam hodie depravatissimus, nec doctis intellectus. Hesychius: καταπειρητηρία, τόπος βαθὺς πειράζονθ, καὶ ἡ λεγομένη βολίς. Dicebatur & καταπειρατής, καταπειρητὴρ apud Herodotum. Sic φυσητὴς & φυσητὴρ, πρηστὴρ &

& πρηςῆρ. Lectio autem, quæ heic *physetas* habet, prioris est editionis. *Physeteras* porro istos Plinius Oceano Gallico vindicat, ut *pristes* & *balanas* Indico. Sed supra notavimus etiam physeteras in Indico mari reperiri. Et sane *pristes* & *physeteres*, quod ad nomen attinet, idem significant. Nam Græce est πρῆσις ἀπὸ τῦ πρήθω, quod significat φυσῆσαι. Unde δάκρυ ἀναπρήσας, quod grammatici exponunt ἀναφυσήσας. Hinc πρηςὴρ vehemens ventus, & turbo, sive procella. Arrianus in Indicis de hujusmodi physeteribus: καὶ λέγει Νέαρχος, ὅπως ἀπὸ Κυΐζων παρέπλεον ὑπὸ τὴν ἕω ὀφθῆναι ὕδωρ ἄνω ἀναφυσώμενον τῆς θαλάσσης, οἷα περ ἐκ πρηςήρων βίᾳ ἀναφερόμενον. Inde igitur πρήςιες appellatæ, quæ eædem cum φυσητῆρσι. Nec quemquam movere debet, quod πρίςιες etiam inveniuntur dictæ. Non enim ἀπὸ τῦ πρίζειν, à scindendis fluctibus appellatæ sunt; sed est vitium scripturæ pro πρήςιες, ut πρίων pro πρηὼν mons excelsus: & πλίξαι pro πλῆξαι, unde πλιχάδες. De quo nos supra. Oppiano πρήςιες recte scribuntur. Et πρῆσις nomen navigii, quod aliis πρίσις. Strabo de occiduo Oceano: ὡς δ᾽ αὔτως ἔχει περὶ τῶν κητέων ἁπάντων, ὀρύγων τε καὶ φαλαινῶν καὶ φυσητήρων. Ergo si pristis in Indico mari, etiam ibi physeter, nam idem sunt, è converso si φυσητὴρ: in Gallico Oceano & Hispanico etiam pristes ibi versari credendum est. Ὄρυγες Straboni sunt quæ Latinis *orcæ*. Et inde nomen Latinos ex accusativis Græcorum suos facere nominativos certum est. Τὴν φορβάδα, *forda*: τὴν σπυρίδα, *sporta*: τὴν σπήλυγα, *spelunca*. Sic τὴν ὄρυγα, *orca*.

Qui enormes ultra molem ingentium columnarum super antemnas se navium extollunt.] In quibusdam libris: *qui enormes supra molem ingentium columnarum, ultra antemnas se navium extollunt.* Non satis expressit Plinianum: *in Gallico Oceano physeter, ingentis columnæ modo se attollens, altiorque navium velis diluviem quamdam eructans.* Non dicit Plinius physeterem ultra molem ingentium columnarum se attollere, sed instar ingentium columnarum: quum sese attollit, instar ingentis columnæ facere. Sed nec Plinius ipse Græca, quæ vertere voluit, satis fideliter reddidit. Ita leguntur apud Strabonem: καὶ φυσητήρων, ὧν ἀναφυσησάντων φαίνεταί τις νεφώδης ὄψις κίονος τοῖς πόρρωθεν ἀφορῶσι. Nimbosam illam alluviem, quam in altum sufflando eructant physeteres, similem videri ait à longe adspicientibus columnæ cuidam nebulosæ. Non ipsi itaque physeteres modo ingentis columnæ se attollunt supra vela & antemnas navium, sed aqua maris, quam in altum ejaculantur, altior abit navium velis, ac ingentis columnæ instar reddit. Hic sensus est Græcorum verborum, quem Plinius non expressit.

Ut nimbosa alluvie.] Ita quidam libri. In aliis: *diluvie*, quod habet Plinius. In priore ἐκδόσει ita scripserat Solinus.

Sola India mittit avem psittacum.] Hunc de psittaco locum partim è Plinio, partim ex Apuleji verbis concinnavit noster. Qui Apulejus descriptionem psittaci in Floridis totam è Plinio transtulit, & insigniter hallucinatus est, dum Plinii verba nimis properanter legit, quam hallucinationem etiam sequutus est heic Solinus. Libros Plinii de herbis ac remediis herbarum, item de arboribus in compendium redegit idem Apulejus, servatis pæne omnibus auctoris verbis: cujus epitomes fragmentum bene longum penes me habeo antiquissima manu descriptum. Plinius lib. x. cap. XLII. *Super omnia humanas voces reddunt psittaci: quidam etiam sermocinantes. India hanc avem mittit, sittacen vocat.* Ita legendus ille locus, quod jam alii viderunt. In libro Rigaltiano scribitur: *siptacen vocat*: in aliis: *septagen.* Verum est *sittacem*, vel *sittan*. Hesychius: Σίττας, ὄρνις ποιὸς οἱ δὲ τὸν ψίττακον λέγουσι. Idem: Σίττη, ὄρνις ποιὸς οἱ δὲ δρυοκολάπτης. Item: σίττος, οἱ μὲν γλαῦκα, ἢ κίτταν, ἢ ἱέρακα. Ctesias in excerptis Indicorum βίττακον vocat, & instar ἱέρακος habere scribit. Σιττάκην etiam alibi legi. Et sane σίττακος & ψίττακος idem. Sic σαγδᾶς & ψαγδᾶς genus unguenti, de quo nos supra. Σίττακος, vel σιττάκη παρὰ τὸ σίττον est τῦ σίττος. Arriano in Indicis dicitur σίττακος. Non Indi ipsi sic videntur vocasse, sed Græci, qui avem illam Indicam sermonis humani imitatricem, nomine hujus avis ap-

A pellaverunt, quæ maxima est æmulatrix vocis hominum. Hæc est pica. Sic Nili beluam, quam Ægyptii sui vocarunt χέμψαν, ipsi κροκόδειλον vocarunt, quod similis esset lacertis maceriarum dictis κροκοδείλοις apud se. Apulejus in Floridis: *Psittacus avis, Indiæ avis est: instar illi minimo minus quam columbarum: sed nec color illi columbarum: non enim lacteus ille, vel lividus, vel utroque sublitus, aut sparsus est: sed color psittaco viridis & intimis plumulis, & extimis pinnulis.* Ita scribenda illa verba, quæ vulgo inquinatissima. Sic enim legitur ibi hodie: *non enim lacteus ille, vel lividus, vel utrumque subluteus.* Cor-
B rexerunt *utrinque*. Nihil explicarunt. Atqui nullæ columbæ sunt luteæ, vel subluteæ. Quædam ex iis sunt totæ candidæ ac lacteæ, plures vero lividæ: nonnullæ autem sunt albo & livido mixtæ. Hoc est quod ait, *vel utroque sublitus, aut sparsus est*: livido nempe sublitus, aut albo sparsus. Hæc emendatio indubitata est. Extimæ porro in avibus pinnæ sunt; intimæ plumæ. Vulgo editur: *intimis plumulis & extimis palmulis.* Emendabat Lipsius *parmulis.* Nihil necesse: immo nec recte. *Palmulas* magis tolerarem. Extimas pinnas sic vocaverit à similitudine palmularum, quibus naves incitantur. Nam palmulas, id
C est, remos, etiam πτερὰ Græci poëtæ vocarunt. Sed certior est emendatio nostra.

Ut cum se è sublimi præcipitat in saxum.] Ita reposuit Delrius, cum antea esset, *cum è sublimi præcipitatur.* Melius fecisset legendo: *cum è sublimi præcipitat*, loquutione tralaticia & bonis auctoribus trita. Sed & Apulejum imitatur noster de psittaco: *Nostri prima duritia quum in petram quampiam concitus altissimo volatu præcipitat, rostro se velut anchora excipit.* Plinius: *cum devolat rostro se excipit, illi innititur, levioremque ita se pedum infirmitate facit.* Ergo Apulejus ex Plinio habet,
D Solinus ex Apulejo. Sequitur apud nostrum: *& quodam quasi fundamento utatur extraordinariæ firmitatis.* Ita libri. Nam vulgo est: *quodam quasi præsidio.* At noster *fundamentum* dixit, quæ Apulejo *anchora*: *rostro se velut anchora excipit.* Nam anchora proprie navium fundamentum est, & *naves fundare* dicitur. Virgilius:

Anchora fundabat naves.

Idem hic noster paulo post capite sequenti *fundamentum* de anchora usurpavit: *Certis autem canalibus depressum adeo, ut nulla unquam anchora ad profundum illius fundamenti potuerint pervenire.* Sic legendum eum locum ibi docemus.

E *Nam studet, ut homines alloquatur.*] Veteres optimi: *nam studet ut quod homines adloquatur.* Omnino scribendum: *nam studet ut quod homines, id loquatur*: ut id loquatur quod loquuntur homines. Sic alibi: *Ægipanes sunt hoc quod pingi videmus.* Apulejus de psittaco: *id vero quod didicit, ita similiter nobis canit, vel potius eloquitur, ut vocem si audias, hominem putes: nam quidem si videas, idem conari non eloqui.* Hæc corruptissima sunt, quæ voluere videri esse correctissima. Nam ita emendarunt omnium fere librorum lectionem qui habent: *Nam quidem si audias idem conate eloqui.* Faci-
F lis & certior inde correctio: *ut vocem si audias hominem putes: non quidem si audias idem coram te eloqui.* Vocem si tantum audias, hominem putes, non quidem id putes, si audias coram te idem eloqui. Tunc enim tibi patebit, avem esse non hominem, quæ id loquitur. Nihil verius. *Coram te* tantum scripsimus pro eo quod est in libris, *conate*: unde fecerant *conari*. Forte etiam emendandum: *ut longe si audias, hominem putes: non quidem si audias idem coram te eloqui.* Quod valde arridet.

Pag. 58. F. *Ferrea clavicula sit verberandus.*] Verbum hoc ex Apulejo: *cum sermonem nostrum cogitur æmu-*
G *lari, ferrea clavicula caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat.* Plinius *radium* dixit pro clavicula: *capiti ejus eadem duritia quæ rostro: hoc cum loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus.* Apulejus ex Plinio sumpsit, Solinus ex Apulejo.

Dum pullus est, atque adeo intra alterum ætatis suæ annum.] Eleganter optimus liber: *dum in pullo est*, id est, dum in ætate pulli est. Sic Ciceroni Lælio, *in pueris esse, in viro esse: memineram Paulum, videram Gallum. Sed hi in pueris:*

A *pueris: Cato in perfecto & spectato viro.* Ita enim scribendum è libris, ubi vulgo legitur: *Sed hi nec comparantur Catoni maximo & spectato viro.* Apulejus: *Discit autem statim pullus usque ad duos ætatis suæ annos, dum facile os, uti conformetur: dum tenera lingua, uti convibretur.* Sic legendum ac distinguendum: uti os conformetur dum facile est: uti lingua convibretur, dum tenera est. Hic porro Apulejus hallucinatus est, & secum Solinum traxit in eumdem errorem. Quod enim heic de psittaco dixit, hoc idem Plinius de certo genere picarum posuit. Post psittacum statim agit de illis picis: *Minor nobilitas quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi picarum est.* B Illæ porro picæ sunt, quas ait Plinius non facile perdiscere sermonem humanum, nisi primis duobus ætatis suæ annis. Quod Apulejus psittaco tribuit, dum præfestinata lectione parum advertit, non de psittaco, sed de picis verba illa fieri apud Plinium. Id ut fiat planius, de iisdem picis ita loquitur Plinius: *verum addiscere alias negant posse, quam quæ ex genere earum quæ glande vescuntur, & inter eas facilius, quibus quini sunt digiti in pedibus, ac ne eas quidem ipsas, nisi primis duobus ætatis suæ annis.* Quæ omnia Apulejus in picis ad psittacos transcripsit: *Verum ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus glande qui vescitur, & cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur.* C *Non enim omnibus psittacis id insigne.* At illud ridiculum & falsum de psittacis glande vescentibus. Nullæ siquidem glandes, vel glandiferæ arbores in India, ubi nascitur, & unde venit psittacus. Sed nec heîc apud nos glande vescuntur. Præterea nulli psittaci cum quinis in pede digitis visuntur. Ergo ex Apulejo sumpsit hic noster cum scribit de psittacis: *Inter nobiles & plebejos discretionem digitorum facit numerus. Qui præstant, quinos in pede habent digitos, ceteri ternos. Lingua lata multoque latior quam ceteris avibus, unde perficitur, ut articulata verba penitus eloquatur.* D Hæc postrema de lingua lata psittacorum ex eodem Apulejo hausit: *Sed illud omnibus proprium, quod eis lingua latior quàm ceteris avibus, eo facilius verba hominis articulant patentiore plectro & palato.* Plinius, unde hæc mutuatus est Apulejus, non de psittacis hæc dicit, sed de certo illo genere picarum quæ glande vescuntur: *Latior iis lingua, omnibusque in suo cuique genere quæ sermonem imitantur humanum: quamquam id pæne omnibus contingit.*

Paullo senior & indocilis est, & obliviosus.] In multis exemplaribus legitur: *major paulo segnior est, & obliviosus, & indocilis.* E Sic habuere Vineti codices, qui etiam sic edidit. Ita quoque quos vidit ὁ μακαρίτης Mercerus. Sed ea lectio ex duabus composita est, & præterea mendosa. In priore editione fuit: *Major pullo & indocilis est & obliviosus.* In altera: *pullo senior & indocilis, & obliviosus.* Unde illa prodiit complurium librorum γραφὴ vitiosa, *major paullo segnior est*: eleganter autem *pullo seniorem* aut *majorem* vocavit, qui excessit pulli ætatem. Sic *bimo aut trimo majorem* Latini dicunt qui bimatum aut trimatum excessit. Hæc ad verbum Solinus ex Apulejo. Nihil enim tale Plinius: *senex autem captus & indocilis est & obliviosus*, βραδὺς καὶ ἐπιλήσμων. F Aristophanes, γέρων ἐπιλήσμων καὶ βραδὺς, *obliviosus & tardus ad discendum*, hoc est, indocilis. Ex his constat Solinum Apulejo recentiorem esse, quem plerique boni viri & docti Plinio antiquiorem imaginati sunt.

Pag. 58. G. *Ut ne transjici sagittis quidem possint.*] In optimis libris: *transjaci*. Ita supra *superjaci*, ὑπερβάλλεσθαι. Apud Senecam in libris de beneficiis, *superjacere* pro superare & vincere olim observavimus, quod Græci ὑπερβάλλειν. Ita quoque apud Plinium scribitur in antiquis exemplaribus, loco quem Solinus heîc transcripsit de proceritate Indicarum arborum: *arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superjaci nequeant.* G Correxere in editis: *superari nequeant.* Solinus dixit *transjaci*.

Pomaria ficus habent.] De his Plinius lib. XII. cap. V. *Ficus ibi exilia poma habet, ipsa se semper serens.* In veteri codice deest verbum *habet*: & *ferens* legitur pro *secus*. Item *seipsa*. Lego: *Ficus ibi exilia poma sed ipsa semper ferens, vastis diffunditur ramis.* Hic Soliniani libri habent, *pomarias ficus habent.* An ideo *pomarias ficus* appellavit, quia dixit Plinius ficus illas exilia poma ferre? alias *pomarium* idem quod hortus, vel locus conseptus, & arboribus consitus. Glossæ: *pomarium*, παράδεισος: *pomarium*, ὀπωρέελον: *pometum*, παράδεισος. Profecto ficus illæ Indicæ non proveniunt in pomariis. Magno quippe ambitu pomaria illa oporteret fuisse, quæ plures hujusmodi arbores habuerint, quarum singularum codices sexaginta passus in urbem consumerent, umbra verò arboris duo stadia operiret. Nugatur igitur more suo Solinus.

Quarum caudices in orbem spatio sexaginta passuum extuberantur] Scripserat auctor in priore editione: *quarum caudices in spatium enorme crassescunt.* Ubi spatium pro crassitudine, vel magnitudine posuit. Quod frequens est Latinis auctoribus. Hinc apud Juvenalem:

---- *spatium admirabile rhombi.*

Cujus loquutionis nomine tam graves pœnas viro docto dare non debuit Satyricus. Nulla enim in illa phrasi κακοζηλία notanda est, vel improprietas, utpote quam vetustissimi, nec poëtæ tantum sed etiam πεζολόγοι usurparunt hoc sensu. Sic *spatium serpentis* apud Ovidium in Metamorphosi de serpente Thebano quem Cadmus occidit. Idem de Remedio amorum *spatiosum taurum* dixit pro magno:

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum.

Virgilius in Moreto *spatiosam plantam* pro magna.

---- *spatiosa prodigia planta.*

Ovidius de Re Amatoria *spatiosam Andromachen.*

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo,
Unus, qui modicam diceret, Hector erat.

Lucanus *spatium elephantis* de magnitudine ac mole illius beluæ:

Nec tutus spatio est elephas.

Agellius lib. I. cap. I. *Facile intellexit, modum spatiumque plantæ Herculis ratione proportionis habita, tanto fuisse quam aliorum procerius, quanto Olympicum stadium longius esset quam cetera.* Si spatium de re minima: cur non magis de maxima? *lateris spatium* apud eumdem Juvenalem, lateris est modulus, quo minus mirum *spatium rhombi* dixisse de amplissimo rhombo. Ita hoc loco *spatium enorme caudicis*. In posteriori editione sic reposuit: *quarum caudices in orbem spacio sexaginta passuum extuberantur.* Quod ex Plinio imitatus est. Sed mirum est tantam esse caudicis illius ficus crassitiem, ut sexaginta passus in orbem colligat. Nec vero hoc dixisse videtur Plinius, cujus hæc verba sunt: *superiores ejusdem rami in excelsam emicant, silvosa multitudine, vasto matris corpore, ut LX passus pleraque colligant, umbra vero bina stadia operiant.* Numquid non de solo & unico hujus arboris caudice hæc accipienda, ut fecit Solinus, sed de toto arboris corpore, quod multis constat caudicibus? Nam rami in terram curvati infiguntur & adolescunt, & novam subinde silvam progenerant. Hæc silvosa caudicum multitudo circa parentem in orbem propagata sexaginta passuum spatium plerumque occupabat. At matris ipsius corpus, id est, truncus magistræ arboris, unde ceteræ propagabantur, vix est ac ne vix quidem, ut tantum spatium consumpserit. Legitur in veteri ac bono exemplari Rigaltiano: *ut sexaginta passus plerique colligant, umbra vero bina stadia operiant.* Profecto de ramis arboris, non de trunco majore hæc si ita legimus, intelligi debent. Iidem quippe rami, qui sexaginta passus orbe colligunt, umbra quique bina stadia operiunt. Quod de matris, vel parentis caudice neutiquam potest capi. His adde quod Strabo eosdem sequutus auctores, scribit harum Indicarum arborum tam amplam esse magnitudinem, ὥστε πέντε ἀνθρώποις δυσπερίληπτα εἶναι τὰ στελέχη. Atqui sexaginta passuum spatium vix quinquaginta quidem homines comprehenderint. Si qua tamen heic culpa est, non penes Plinium hæret, sed nec penes Solinum qui eum sequutus est. Nam Plinius fideliter Theophrastum expressit in his verbis: καὶ τῷ μεγέθει μέγα σφόδρα· καὶ γὰρ ἐπὶ δύο στάδια φασὶ ποιεῖν τὴν σκιάν, καὶ τὸ πάχος τοῦ στελέχους ἔνια πλειόνων ἢ ἑξήκοντα βημάτων, τὰ δὲ πολλὰ τετταράκοντα. Melius tamen hæc Theophrastus quam Plinius. Totam arborem cum propaginibus, quæ matrem ambiunt, umbram jacere dicit ille usque ad bina stadia, truncum vero, vel caudicem

cem ipsum sexaginta passuum spatium occupare. At Plinius ait tam vastum esse matris corpus, id est, caudicem, ut sexaginta passus orbe colligant, umbra vero bina stadia operiant. Confundit & in unum miscet quæ Græcus auctor separavit. Præterea non dicit Theophrastus plerasque ficus Indicas ea caudicis crassitie extuberari, sed quasdam tantum plus quam sexaginta passus colligere, plerasque autem quadraginta: καὶ τὸ πάχος δὲ τοῦ στελέχους ἔνια πλειόνων ἢ ἑξήκοντα βημάτων. Aliud agens Plinius illud πλειόνων ad arbores retulit, non ad passus. Diodorus maximas illas Indiæ arbores vix tribus hominibus complexibiles esse tradit. Strabo vix quinque. Quomodo igitur stare poterit, quod habet Theophrastus, qui sexaginta passus in orbem eas dicit colligere. Atqui sexaginta hominibus opus fuerit ad comprehendendum arboris truncum, quæ sexaginta passus in ambitum caudicis detineat. Quod sic collige. Quinque pedes legitima hominis statura. Tot pedes passum faciunt. Idem porro spatium modusque manibus expansis inter longissimos digitos, quantus est à calcibus ad verticem. Juxta hanc rationem, non plus homo unus manibus suis comprehendere possit, quam quinque pedes, aut quod idem est, passum unum in ambitu longitudinis. Sic necesse est arborem, quæ quinque passus ambitu occupet, non nisi ab hominibus quinque comprehendi posse. Perge porro & computa, oportet eas arbores, quæ sexaginta passus orbe trunci colligant, à paucioribus ambiri complexu non posse quam sexaginta. Hæc ἐναργέστατα sunt & oculatissima. Quare vetus mendum in illis Theophrasteis hæsisse suspicor, & numerum fallacem esse, sic restituendum: καὶ τὸ πάχος δὲ τοῦ στελέχους ἔνια πλειόνων ἢ ἓξ βημάτων, τὰ δὲ πολλὰ τεττάρων. Reponendum inquam ἓξ pro ἑξήκοντα, & τεττάρων pro τεσσαράκοντα. Caudex sex passuum in orbe à sex aut etiam quinque longioris staturæ hominibus comprehendi potest. Ut contra qui quatuor passuum spatio crassius est, quatuor aut tres homines eum circumplecti queant. Ita Theophrastus cum Strabone & Diodoro aliisque scriptoribus paria dixerit. Nec sanè alia aut diversa scripsisse putandus sit, quum eosdem habuerit auctores, Alexandri scilicet Magni comites, præfectosque classium ejus. Quibus relationibus consonant, quæ Hispani Hollandique nautæ hodie suis navigationibus compererunt. Videtur etiam in eo Plinius idem hallucinatus, quod tradit superiores ficus Indicæ ramos in excelsum emicare, imos vero in terram curvari, & spatio annuo infigi, novamque propaginem facere. Nihil simile apud Theophrastum, cujus locum ad verbum vertit. Sed nec apud alios auctores. Scripsere illi ramos Indicæ ficus in excelsum primo emicare, sed ad duodenûm cubitorum altitudinem, tum deinde curvari, ac reliquum incrementum deorsum capere, donec terram contigerint, cui infixi radices agunt, & stipites faciunt, novasque subinde propagines mittunt, quæ similiter in terram curvantur, & tabernaculi instar reddunt multis columnis fulti. Strabo ex Onesicrito: διηγεῖται μεγάλα δένδρα εἶναι τινὰ, ὧν τοὺς κλάδους αὐξηθέντας, εἶτα ἀναδοθέντας ἐπὶ πήχεις δώδεκα, ἔπειτα τὴν λοιπὴν αὔξησιν κατωφερῆ λαμβάνειν ἕως ἂν ἅψωνται τῆς γῆς. Eam historiam Plinius non ex aliis potuit haurire auctoribus quam qui expeditionem Alexandri Magni Indicam descripsere. Theophrastus ita habet: ἡ δὲ Ἰνδικὴ χώρα τήν τε καλουμένην ἔχει συκῆν, ἣ καθίησιν ἐκ τῶν κλάδων τὰς ῥίζας ὥσπερ εἴρηται πρότερον. *Quæ è ramis radices demittit singulis annis.* Plinius vertit: *ramorum imi in terram adeo curvantur, ut annuo spatio infigantur.* Non de imis tantum ramis, sed de omnibus hæc auctor dicit. Sequitur apud eumdem Plinium: *foliorum latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet.* Theophrastus πέλτην simpliciter posuit, nec addit Ἀμαζονικήν. Τὸ δὲ καὶ φύλλον οὐκ ἔλαττον ἔχει πέλτης. Atqui πέλται non propria Amazonum, sed Thracum. Amazonicæ vero peltæ peculiarem formam habebant. Strabo de hac eadem ficu Indica ἀσπίδα simpliciter nominat, cui folium ejus simile esse memorat: πολλὰ γὰρ δὴ καὶ δένδρα παράδοξα ἡ Ἰνδικὴ τρέφει, ὧν ἐστὶ καὶ τὸ κάτω νεύοντας ἔχον τοὺς κλάδους, τὰ δὲ φύλλα ἀσπίδος οὐκ ἐλάττω. Sic legendus ille locus, & de hac Indica ficu exponendus.

Arundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis vectitet navigantes.] A An legendum *navitas tres*? Ita Mela, à quo locus hic expressus: *Arundinum fissa internodia velut lembi navitas binos, & quædam etiam ternos vehant.* Ita etiam corrigimus Melæ verba. Nam vulgo editum est: *veluti navitas binos.* Atqui certum est legisse Solinum, *velut lembi.* Sic enim scripsit: *ut fissis internodiis vice lembi vectitet navitas tres.* Potest etiam legi apud Melam: *Arundinum fissa internodia velut navicla binos, & quædam etiam ternos vehant.* Certe in veteri codice Palatino legebatur: *velut navita*, pro *navicla*, hoc est, navicula, vel lembus. Plinius lib. VII. cap. II. *Arundines vero tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili* B *ternos interdum homines ferant.* Græci: ἐν γόνυ καλάμου πλοῖον ἀπαρτίζει. Immo μεσογονάτιον, quod inter duo genua, vel nodos arundinis intercedit. Plinius lib. XVI. cap. XXXVI, quo de harundinibus tractat: *Harundini quidem Indicæ arborea amplitudo: quales vulgo in templis videmus. Differre mares ac fœminas in his quoque Indi tradunt. Spissius mari corpus, fœminæ capacius. Navigiorumque etiam vicem præstant, si credimus, singula internodia. Circa Acesinem amnem maxime nascitur.* Totum hunc locum de harundine Indica, quæ circa Acesinem amnem nascitur, transcripsit ex Theophrasto, C cujus verbis quædam de suo interseruit, quibus ostendit diversa harundinum genera confudisse. Arundinem illam Acesinis amnis navigiorum capacem esse neutiquam dicit Theophrastus. Immo contrarium ex eo colligas: τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ δίπαχεῖς, ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι. Φύονται δὲ οὗτοι περὶ τὸν Ἀκεσίνην ποταμόν. Quæ verba similiter sic Plinius reddidit capite, quo supra de calamis: *Quippe non eadem gratia Belgicis. Hac & Creticis commendatioribus; quamquam præferuntur Indici, quorum alia quibusdam videtur natura; quando & hastarum vicem præbent, additis cuspidibus.* Sic legendus ille locus. Tradit Theophrastus harundinem illam Indicam D Acesinis crassam esse & proceram, adeo ut jacula ex ea fiant: ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι. Non major igitur ejus crassitudo, quam quæ jaculis competat. Plinius ἀκόντια vertit *hastas*, quum sint *jacula.* Majores porro hastæ sunt jaculis. Hasta δόρυ Græcis. Διαδορατίζεσθαι, hastis velitari. Nunc vide quam verisimile sit eam harundinem ea crassitie, quæ faciendis jaculis apta sit, navigiis esse idoneam, ita ut singula ejus internodia ternos homines possint vehere? Nec sane hoc dicit Theophrastus de illo arundinis genere. De ea sic idem: ἐστὶ δὲ ὁ μὲν ἄρρην στερεὸς, ὁ δὲ θῆλυς κοῖλος. Διαιροῦσι γὰρ καὶ τοῦτον τῷ ἄρρενι καὶ θήλει. Plinius ita vertit: *Differre* E *mares ac fœminas in his Indi quoque tradunt: spissius mari corpus, fœminæ capacius: navigiorumque etiam vicem præstant, si credimus, singula internodia.* Ea scilicet harundo, ex qua jacula faciunt, navigiorum vicem præstat? Hoc vero prorsus admirabile. Non dicit Theophrastus illius arundinis in mare spissius esse corpus, in fœmina capacius: sed simpliciter fœminam concavam esse, marem solidum. Addit Plinius eo loci: *Indicæ quidem harundini arborea amplitudo.* Immo illi harundini, quam ibi ex Theophrasto describit, quamque circa amnem Acesinem nasci scribit, neutiquam arborea amplitudo. E contrario non in rectum eam surgere, sed per hu- F mum graminis instar serpere narrat ibidem Theophrastus: γένος δέ τι καλάμου φύεται, καὶ ἐπίγειον, ὃ οὐκ εἰς ὀρθὸν, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἀφίησι τὸν καυλὸν, ὥσπερ ἡ ἄγρωστις, καὶ οὕτω ποιεῖται τὴν αὔξησιν. Harum harundinum meminit quoque Strabo, & χαμαικλινεῖς vocat: sed de earum proceritate & crassitudine ea prædicat, quæ non habentur apud Theophrastum: καλάμους δὲ μῆκος μὲν τριάκοντα ὀργυιῶν τοὺς ὀρθίους, τοὺς δὲ χαμαικλινεῖς πεντήκοντα, πάχος δὲ ὥστε τὴν διάμετρον τοῖς μὲν εἶναι τρίπηχυν, τοῖς δὲ διπλάσιον. Prorsus χαμαικλινεῖς appellat, quæ Theophrasto dicuntur ἐπίγειοι, quæ non in excelsum recte attolluntur, sed per terram sparguntur. Eas opponit G τοῖς ὀρθίοις. Ceterum quod de earum crassitudine adjicit Strabo, non convenit cum Theophrasto. Nam ille tria cubita in diametro habere, & novem in orbe cubita, quasdam etiam duplo crassiores esse, utpote quæ habeant sena in diametro cubita, decem & octo in circuitu. Hæc si vera sunt, non video quomodo vicem hastarum præbere potuerint. Ut ut sit, certè eadem harundo navigii usum singulis internodiis, & hastæ,

vel jaculi non potuit præstare. Nisi constaret Plinium legisse in Theophrasti verbis, ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι, omnino apud eum legendum contenderem, τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ ἐπιπαχεῖς, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι. Et profecto eam lectionem verissimam ausim præstare. Ut enim probaret proceras & crassas illas esse harundines, non fuit necesse adferre, quod usum jaculorum præberent. Quippe cum certum sit multo minores ad hunc usum expetitas, ut Belgicas, Creticas & Italicas. Ceterum adeo crassæ & magnæ illæ harundines Indicæ circa Acesinem nascentes, ut vulgo lemborum vicem præstarent, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι. Quod unice convenit cum iis, quæ de earumdem harundinum longitudine & crassitudine refert ex Onesicrito Strabo. Circa Gangem quoque hodie scribunt harundines adeo crassas & proceras gigni, ut vix sit homini uni eas brachiis complecti, ex quibus exiguas scaphas conficiunt, quibus in navigando Gange utuntur indigenæ. Hæc sunt ἀκάτια Theophrasti. Καλαμίναι σχεδίαι Isidoro apud Athenæum naviculæ, quæ ex hujusmodi harundinibus apud Indos fiebant. Apparet igitur vel tempore Plinii corrupta fuisse Theophrasti exemplaria, quæ ἀκοντίοις pro ἀκατίοις præferebant. Quod ex sciolorum emendatione manasse puto quipaucis ante lineis mentionem ab eo fieri videbant. Τοῦ τοξικοῦ καλάμου, ὃν ἢ κρητικὸν καλοῦσι. Vel certè ita audivit legente anagnoste. Ἀκοντίοις pro ἀκατίοις.

E radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem. Ἧς ἐκ τῶν ῥιζῶν χυλὸς ἐκπιέζεται γλυκὺς πρὸς τὴν τοῦ μέλιτος ἡδύτητα. Sed quærendum an ex radicibus hujus harundinis, cujus singula internodia navigiorum erant capacia, dulcis ille liquor exprimeretur. Nusquam hoc Plinius, quod sciam. Nec si diceret, temere crederem, quando contra stent aliorum auctorum testimonia. Harundinem illam Indicam, quæ dulcem & melleum liquorem radicibus præfert, non valdè magnam esse canebat Varro his versibus, qui apud Isidorum citantur.

Indica non magna nimis arbore crescit harundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Vides non nimium magnam esse harundinem Indicam, è cujus radicibus exprimitur melleus ille succus. At rursus Strabo ex Eratosthene clare affirmat magnas esse harundines, quæ dulcem illum liquorem reddunt: τοὺς δὲ ξυλικοὺς καρποὺς συνάγεσθαι πολλοὺς, καὶ τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν, καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων γλυκείας καὶ φύσει καὶ ἑψήσει. An ergo reponendum in illis versibus?

Indica nam magna nimis arbore crescit harundo:
Illius è lentis premitur radicibus humor.

Nihil muto. Fortassean harundines istas, ex quarum radicibus exprimitur dulcis humor, confudere cum illis harundinibus, quæ saccharum ferunt. Dico saccharum illud, quod veteribus notum fuit. Atqui illud omnino diversum ab illo humore melleo, qui exprimitur è cannis Indicis, earumque radicibus. *Saccharum* veteres in harundinibus colligi tradunt, instar gummis concretum & candidum. Dioscorides, Plinius & si qui alii ex antiquis *sacchari* meminerunt, non aliter tradunt, & in hoc omnes consentiunt. Hoc tamen saccharum longe aliud ab eo, quod hodie in usu est, & diversum utique ab illo humore dulci, quem ex harundinibus Indicis exprimi solitum scribunt plerique veterum auctorum. Cannæ porro illæ Indicæ, quæ ipsæ, vel quarum radices expressæ humorem illum melleum reddebant, eædem plane sunt cum illis cannis, quæ nobis hodie *saccharum* sic vulgo nominatum generant. Nam expressione ex harundinibus succus ille elicitur, deinde coctione densatur, quem hodie *sacchari* nomine novimus. In cannis ipsis neutiquam sua sponte concrescit, profecto tale hoc tempore ad nos ex India non adfertur. Aliud igitur antiquorum *saccharum*; aliud nostrum, quamvis nomen *sacchari*, quo utimur, ex antiquo factum sit. Nec mirum videri hoc debet. Sic *tamalabatra* Indi vocant hac ætate folium Indicum. Græci ex eo fecerunt suum *malabathrum*. Aliud tamen Græcorum hoc *malabathrum* ab Indo folio. Idem quippe cum folio *betre*, ut infra dicturi sumus. Cannam sacchari hodierni versibus, quos supra attulimus, expressit Varro. De eodem genere cannæ intellexit Lucanus:

Quique bibunt tenera dulces ab harundine succos.

De Indis loquitur. Ergo Indi succos inde expressos potui habebant. De hoc calamo, cujus succum potui jucundum & dulcem sumebant Indi, capiendus est Dionysius Afer in his versibus:

Ἄλλοθι μὲν γὰρ κέγχρος ἀέξεται, ἄλλοθι δ' αὖτε
Γλαγ τηλεθόωσιν Ἐρυθραίης καλάμοιο.

Duas res simul conjunxit in India nascentes, quibus ad cibum & ad potum utebantur Indi: milium, quo vescebantur, & calamos, quorum succum expressum bibebant. Ἐρυθραῖος κάλαμος idem & κάλαμος Ἰνδικός. Nam poëta ille passim Ἐρυθραῖον pro Indico usurpat. Ut Ἐρυθραῖον πόντον, Ἐρυθραίην θαλάσσην, Ἐρυθραίης Ἀελήνης. De quibus nos supra. *Indicos calamos* genere certo harundinis dixere veteres, quæ intus inanis & vacua non esset, sed plena ac solida. Democritus subditivus in Geoponicis: καλάμους τε τοὺς καλουμένους Ἰνδικοὺς, ὑπὸ τινῶν δὲ μεσοκαλάμους, ὑπ' ἐνίων δὲ βελίτας καὶ συελγγίας δασεῖς καὶ ἁπαλούς. Lucanus *teneram harundinem* vocat Indicam, id est, ἁπαλήν. Cannæ quoque, quæ *saccharum* hodiernum gignunt, plenæ sunt, non inanes & cavæ vulgarium cannarum modo. Strabo in quodam Æthiopiæ loco καλάμους Ἰνδικοὺς plures nasci prodit. Unde fides fit certo generi harundinum huic nomen inditum etiam si apud Indos non nasceretur. Certe κάλαμος Ἐρυθραῖος Dionysio est calamus Indicus, & is quidem calamus, ex quo Indi dulcem liquorem & potui accommodatum exprimebant, quæ nostra canna saccharina est. Narrat Plinius post Jubam in quadam ex insulis Fortunatis ferulas surgere ad arboris magnitudinem, candidas, quæ expressæ liquorem reddunt potui jucundum. Cannas sacchari esse nemo dubitet, quas hodieque in illis insulis nasci certum est. Ex his constare puto cannas Indicas veteribus fuisse cognitas, & succum ex his exprimi solitum ab Indis suis, sed potui tantum accommodatum. Artem vero excoquendi hujusmodi succi mellei, qui ex cannis eliciebatur, & coagulandi, & mox in panes cogendi prorsus incompertam veteribus audacter possumus affirmare. In Hispaniola tradunt cannas gigni, ex quibus melleus & saccharinus succus educitur, sed coagulari non posse. Succum ex cannis ejusmodi expressum & igne spissatum atque concretum vocamus *saccharum*. Longe aliud erat quod veteres hac appellatione signaverunt. Qui ex veteribus cannarum Indicarum mentionem faciunt, & succi ex eis exprimendi, *saccharum* nusquam nominant. E contra, qui *saccharum* nominatim commemorarunt, de succi expressione nullum verbum mutiunt. An non manifestum hoc indicium ac certum diversam rem esse σάκχαρον veterum & succum Indicæ harundinis, quem nunc censemus *sacchari* nomine? Scribit Plinius *saccharum* ad medicinæ tantum usum haberi. Medicamentum esse & medica tantum virtute censeri indicat. At cannæ Indicæ succus Indis suis suavissimus fuit potus. Lucanus:

Quique bibunt tenera dulces ab harundine succos.

Hodie quoque sacchari vulgaris diluti succo multi pocula sua condiunt & edulcant. Antiqui sacchari virtutes ad medicinam utiles recenset Dioscorides: quod sit εὐκοίλιον, hoc est, ventris morantis incitamentum: quod oculorum obscuritatem abstergeat: quod renes, & vesicam juvet exulceratam. Horum nihil in saccharum hodiernum potest cadere, quoniam has virtutes non habet. Hesychius: Σάκταρον, τοῦτο ἐμφερές ἐστι κόμμι, συνάγομενον ἐν τῇ Ἰνδικῇ, κοιλίας λυτικόν. Ita legenda hæc Hesychii verba. Si saccharum, quo nunc utimur, alvum solvit, haud abnuo quin veterum *saccharum* idem sit cum eo quod hoc nomen apud nos habet. *Saccharum* nostrum sitim facere omnes fatentur. Veteres saccharum suum siticulosum non esse asserunt. Galenus de saccharo quod *mel Indicum* vocabat: ὅτι κακοστόμαχον ἐστὶν ὡς τὸ παρ' ἡμῖν, ὅτι διψῶδες. Nulla in his verbis comparatio, ut censet Scaliger,

Scaliger, nec ita exponendum, quasi voluerit, saccharum non perinde siticulosum esse ut vulgare mel, sitim tamen quadamtenus facere. Immo absoluta in oratione sententia est. Mel commune κακοσόμαχον; contra saccharum, quod erat mellis Indici genus, εὐσόμαχον, ut etiam affirmat Dioscorides. Mel item commune sitim generat, at saccharum nullo modo διψῶδες. Sic omnino capiendus Galenus. Alias dicendum esset, saccharum veterum ex Galeni sententia non æque κακοσόμαχον esse ac vulgare mel, aliquatenus tamen stomacho contrarium haberi. Quod falsum est. Nam εὐσόμαχον esse planè dicit Dioscorides. Ergo & siti potius sedandæ, quam faciendæ aptum. Contraria in sacharo hodierno virtus deprehenditur. Quod sacharo vulgari medici nostri ad serapia & zulapia sua conficienda utuntur, non propter ullam medicam facultatem, quæ in eo sit, id faciunt, sed aliarum facultatum amara eo condiunt, & jucundiora ad potum efficiunt. Tum etiam faciunt, ut possint durare, atque inveterascere, quæ alias servari non valerent. Omnino ad delicatioris vitæ voluptatem potius quam ad ullam medelarem utilitatem comparatum videtur. Pertendit tamen Scaliger Julius hanc solam esse differentiam sacchari veterum & hodierni, quod illud ex harundine sponte manabat, nostrum hoc exprimitur & coquitur ad candorem & spissitudinem. Concedamus hoc illi, quid deinde fiet? An non eadem natura & facultas illius esse debuit, quod sponte sua in harundine concrescebat, & hujus facticii quod hodie premi solet & excoqui? hoc si est, tum illud erit. Non esse jam docuimus. Quid igitur? diversa nolumus esse quæ frontibus adversis inter se opposita sunt. Non circumagendus est lector, sed deducendus recta. Quæ de suo saccharo prædicant veteres, longe aptius quadrant in nostram mannam quam in saccharum. Certe pleræque conveniunt ejus notæ in descriptionem & facultates mannæ. Manna tamen non est, licet quidam ex neotericis hoc voluerint, sed saccharum, quod tunc solum ex India habebant, mannæ Indicæ genus esse putarunt. Sic in aliis multis errarunt, ut quum sericum ex lanugine arborum depexa fieri, piper longum & nigrum in eadem arbore nasci; gingiber radicem esse arboris piper ferentis crediderunt, & talia ὅσα κόνις. Dioscorides, qui sacchari meminit, nullam habet mannæ mentionem, ut nec Plinius. Non dubium tamen quin illi mannam cognitam habere potuerint, quæ vetustioribus non fuit ignorata. Athenæus Amyntæ veteris auctoris locum citat ex libro περὶ Ἀσίας σταθμῶν, in quo manna, qualis hodie nobis in usu est, planissime describitur. Ea verba heic apponam ex lib. XI. Ἀμύντας ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῶν Ἀσίας σταθμῶν περὶ τοῦ ἀερομέλιτος καλουμένου διαλεγόμενος γράφει οὕτως. Σὺν τοῖς φύλλοις δρέποντες συντιθέασιν εἰς παλάθης Συριακῆς τρόπον πλάττοντες, οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες, καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι προσφέρεσθαι ἀποκλάσαντες ἀπ' αὐτῶν ἐκ τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, ἃς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι, καὶ διηθήσαντες πίνουσι, καὶ ἐστὶν ὅμοιον ὡς ἄν τις μέλι πίνοι διεὶς, τοῦτο δὲ καὶ πολὺ ἥδιον. Non potuit γραφικώτερον manna nostra depingi, & ea quidem quæ dura est, atque concreta. Per Indiam hodieque venalem ex provincia *Usbeque* circumferri asserunt in magnis glebis admixtis foliis. In massis quoque adfertur huc ad nos ex Calabria. Per παλάθην Συριακὴν intelligit auctor massam caricarum aut cottanorum, quæ ex Syria in alias regiones ferebantur. Possumus & caryotarum παλάθην accipere. Nam & *palathion caryotarum* in lemmate apud Martialem. Pruna quoque Damascena in offas & παλάθας condita inde veniebant. Sed de caricis hoc nomen proprie obtinuit, σύκων ἐπάλληλον θέσιν & μάζαν Græci interpretantur. Ταβαίτης poculi genus lignei, in quo mannam suam dissolvebant illi populi. Scaliger Julius pro populis eos accepit, & quidem interioris Libyæ, non pro poculis, insigni hallucinatione. Putavit nimirum ei auctori populos Ταβαίτας vocari, qui Ptolemæo dicuntur Ταπανῖται infra Nasamones siti in Libya interiore. Quod est maximè ridiculum. Nec enim verisimile est tractasse Amyntam de Africæ populis inter Asiæ mansiones. Diserte notat Athenæus ex eo loco Amyntæ Ταβαίτας esse poculi genus, quod & ipse Amyntas clare testatur. Vir alius summus Ταβαίτας ab Hebræo deducebat תבה, quod *arcam* significat. Sed nulla similitudo arcæ cum poculo. Præterea cum afflatu scribitur *Theba* pro arca. Quod & apud Græcos in glossa fuit. Hesychius: Θήβα, πόλις Βοιωτίας καὶ κιβώτιον. Idem: Θίβη πλεκτὸν ἢ κιβωτοειδὲς ὡς γλωσσοκομον. Varro scribit Æoles Bœotios *tebas* vocare colles. Et in Sabinis ita tum quoque vocatas, quo è Græcia Pelasgi migraverant. Item in agro Sabino clivum appellari *thebas*. Certè videntur Æoles etiam θήβην vel τήβην absque aspiratione vocasse cumulum terræ, vel colliculum ad instar arcæ eminentem. At ταβαίτας puto scyphos ligneos appellatos apud eos populos, quod essent instar ταβάλων. *Tabala* Parthi olim vocabant tympana ænea ad formam clibani facta, quibus in bellis utebantur. Hodie quoque *atabala* dicuntur, & Mauris usitatum cum re vocabulum. Hesychius: τάβαλα ὑπὸ Πάρθων οὕτω καλεῖται ὄργανον κλιβάνῳ ἐμφερὲς, ᾧ χρῶνται ἐν τοῖς πολέμοις ἀντὶ σάλπιγγος. Pocula lignea qualia etiam hodie tornantur, si inversa statuantur, clibani formam referunt. Sed de his constituat quisque sicut voluerit. Satis est mihi demonstrare id non esse quod alii voluerunt. Mannam igitur etiam antiquiores Dioscoride auctores novisse ex illo Amyntæ loco constat. Hæc δροσόμελι & ἀερόμελι dicebatur Græcis. De ea tractabat Amyntas eo loci, ut ex verbis Athenæi liquet: περὶ τοῦ ἀερομέλιτος διαλεγόμενος. Temere autem asserit Scaliger cognitam etiam Aristoteli *mannam*. Mel illud aërium, cujus apud Aristotelem fit mentio, non est ἀερόμελι recentiorum Græcorum, nec manna nostra, qualis hodie colligitur & circumfertur ad medicinæ usum, sed rorem eo nomine intelligit pinguem & melleum, qui de cœlo matutinis temporibus, sed ubique, cadit, quem rorem apes colligere creduntur & ex eo mel suum conficere. Immo ne mellis quidem aërii uspiam meminit Aristoteles, cujus verba pravè distincta in hunc detorsit sensum Julius. Perperam. Verba sic habent è lib. v. Hist. cap. XXII de apibus: κηρωσιν δὲ φέρουσιν ἀπὸ τοῦ δακρύου τῶν δένδρων, μέλι δὲ τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος, καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν κατασκήψῃ ἡ Ἶρις. Ait ceras fieri ex floribus: τὸ κήρειον μὲν ἐξ ἀνθῶν: ex arborum lacryma, κήρωσιν lib. IX vocat κώνησιν. Atque ita hic reponendum, aut certè utrobique κόμμωσιν ex Plinio. Idem tamen κώνησις, nempe ἡ διάχρισις. Alii κόμμωσιν vocarunt quod fieret ἐκ τοῦ κόμμεως, & ex arborum lacryma. Μέλι δὲ, inquit, τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος, repetendum ex superioribus, ac subaudiendum φέρουσι. Mel ferunt, id quod ex cœlo cadit. Hoc ros est. Ex eo rore mella stipant apes. Ros ille pinguior qui de cœlo cadit certo tempore, horis matutinis qualis cecidit, excipitur ab apibus & in favos refusus absque ullo alio artificio, mel purum putum est. Sequitur statim: τὸν μὲν οὖν κηρὸν ποιεῖ ὥσπερ εἴρηται, ἐκ τῶν ἀνθέων, τὸ μέλι ὅτι οὐ ποιεῖ, ἀλλὰ φέρει πιστὸν μόνον, σημεῖον. Ita legendus ille locus. Ceram, inquit, ex floribus faciunt. Mel non faciunt, sed adferunt tantum purum putum sicut è cœlo defluxit. Male legitur πλεῖστον μόνον. Αι πιστὸν est germanum ac merum, minimeque adulteratum. Comicus: Θεοκλέους πιστὸν τέκνον. Unde & πιστικὴ νάρδος in Euangelio incorrupta ac sincera. Scaliger verba illa Aristotelis supra citata producit exercit. LXXX ad hunc modum: μέλι δὲ τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος, καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν κατασκήψῃ ἡ Ἶρις. Deinde subjicit ista: *Ergo Iris confert ad id quod recentiores manna vocant, veteres mel roris, Aristoteles heic mel aëris.* Nugæ. Ros ille Aristotelis ubique locorum de cœlo cadit, certis temporibus, quem ubi apes ore excepere, & cellis ingessere, mel est. Verba illa Aristotelis ita Plinius reddidit lib. XI. cap. XI sic continuanda: *At melle uno alterove die cellas replent. Venit hoc aëre, & maxime siderum exortu, præcipueque ipso sirio explendescente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu, sublucanis temporibus.* Nulla sirii mentio apud Aristotelem, qui satis comprehenditur, τοῖς ἄστρων ἐπιτολαῖς, *siderum exortu.* Libri Plinii pro *rio* habent *irio*: & *explende sit*. In quibusdam: *explendescit.* Totum locum sic lege: *præcipueque ipsa iri impendente. Nec fit omnino prius vergiliarum exortu. Sublucanis temporibus itaque, cum prima aurora folia arborum melle roscida*

ſcida inveniuntur. Ὅταν κατασκήψῃ ἡ Ἶρις, *ipſa iri impendente.* Græci ἰρισκηπτὰ vocant frutices, quibus iris incubuerit, ſuper quos iris ſeſe curvaverit, & innixa ſit. Ita loquitur alibi Plinius. Sequenti capite locus ad eamdem rem pertinens ita emendandus: *Namque ab exortu ſideris cujuſcunque, ſed nobilium maxime, aut cæleſti arcu ſi non ſequantur imbres, ſed ros tepeſcat ſolis radiis, medicamenta non mella gignuntur oculis ulceribus*, &c. Ita etiam diſtinguendum. Malè autem legitur: *aut cæleſtis arcus.* Atqui *exortus* de ſideribus, non de cœleſti arcu dicitur. At *cœleſti arcu* ſignificat, quum cœleſtis arcus apparet. Inter omnes porro ferme convenit mel apum ex illo roſcido humore, qui venit ex aëre, confici. Seneca epiſt. LXXXV. *Quibuſdam placet non faciendi mellis ſcientiam apibus eſſe, ſed colligendi.* Hoc eſt quod ait Ariſtoteles, οὐ ποιοῦσι μέλι, ἀλλὰ φέρουσι πεσὸν μόνον. Hinc *mel aerium* Virgilio quod ex aëris rore factum eſt. Antiphilus epigrammate:

Ἁ καλὸν αὐτοπόνητον ἐν αἰθέρι ἔδωμα μελισσῶν.

Idem in fine epigrammatis apes vocat αἰθερίου νέκταρος ἐργατίδας. Cornelius Celſus apud Philargyrum: *apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.* Ros ille matutinus, ex quo apes mel ſuum conficiunt, & qui ubique locorum cadit, in quibuſdam locis in grumulos coit ac denſatur, & pro manna colligitur. Sed hujus mannæ nec Ariſtoteles, nec quiſquam ex illo ævo meminit. Seneca epiſtola qua ſupra: *Ajunt inveniri apud Indos mel in harundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipſius harundinis humor dulcis, aut pinguior gignat. In noſtris quoque herbis vim eamdem, ſed minus manifeſtam, & notabilem poni, quem perſequatur & contrahat animal huic rei genitum.* Habemus heic quod quærimus. Ros ille matutinus in foliis ubique naſcentium arborum & herbarum invenitur, quem apes legunt & contrahunt ad mel faciendum. At apud Indos idem ros notabilis ac manifeſtus deprehenditur in harundinum foliis. Hæc eſt veterum *manna*, hoc *mel calaminum*, hoc denique *ſaccharum* Dioſcoridis & Plinii. Nullam aliam ſciſſe tum videntur præter Indicam, & quæ in foliis harundinum Indicarum inveniretur. An hoc verum ſit non diſputo, immo non eſſe confirmo, ita eos ſenſiſſe audacter dici poteſt. Mel harundineum illud Senecæ, μέλι καλάμινον vocatur auctori peripli, quem Plinio coævum fuiſſe, aut paulo etiam vetuſtiorem alibi docuimus: καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάχαρι. In foliis harundinum Indicarum reperiri illud mel teſtatur Seneca, ſed dubitari ait utrum ros illius cœli, an ipſius harundinis humor pinguis hoc gignat. Aphrodiſæus Alexander in Problematis rorem eſſe aëris calore ſolis coactum affirmat: *Quod ſacchari Indi appellant, mellis in harundinibus coagulum eſt, ſole cogente rores ad mellis dulcedinem, quod idem in monte Libano fieri certum eſt.* Ex his nihil jam dubii reliquum eſt, quin ſaccharum ſuum veteres Indicæ mannæ crediderint ſpeciem omnino diverſam à noſtro ſaccharo. Nam ſive ex harundine ipſa prodiret humor ille pinguior, quem *ſacchari* nomine vocarunt, ſive de cœlo foliis illaberetur, non idem poteſt eſſe cum hodierno ſaccharo, cujus harundo ſecatur, tunditur, molitur, & premitur ad ſuccum eliciendum, qui deinde excoquitur ad eam ſpiſſitudinem & candorem quem videmus. Mel illud καλάμινον rorem non eſſe cœlo deciduum, ſed humorem ex ipſa arbore pinguiorem & coagulatum innuit Nearchus apud Strabonem lib. XV: εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων ὅτι ποιοῦσι μέλι μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Hoc verbum ποιεῖν aperte oſtendit mel illud gigni ex ipſa harundine, non de cœlo rorem mutuari. Perſicæ mannæ genus hodie memoratur, quod *xirqueſt*, aut *xircaſt* nominant, de quo dubitare fatentur, utrum ros ſit in eas arbores decidens, an gummi ex iis ſponte manans. Cujus mannæ deſcriptio adjuncta ea dubitatione ſatis belle convenit cum ſaccharo veterum & illo melle harundineo Senecæ. Sed ne quis fallatur, non eſt. Harundines autem illæ Nearchi Indicæ, quæ mel generant abſque apum opera, diverſæ ſunt ab aliis æque Indicis harundinibus, quarum radices dulci humore turgeſcere tra-
A dit idem Strabo, ex auctoritate Eratoſthenis. Humor ille exprimebatur ad potum. Atque hæ ſunt harundines, ſive cannæ, ex quibus preſſis hodie ſaccharum noſtrum educitur. Varro:

Illius è lentis premitur radicibus humor.

Saccharinæ vero veterum harundines illæ ſunt, in quarum foliis inveniebatur genus illud mellis concreti, quod *ſaccharum* priſca ætas appellabat. Iſidorus non malus ſæpè auctor, dum vetuſtiores ſequitur, *ſaccharum* pro manna nobis plane exhibet his verbis ex Originum lib. XX. *Antea autem mella de rore erant, inveniebanturque in harundinum foliis: unde Virgilius:*

B *Hactenus aërii mellis cœleſtia dona.*

Siquidem hucuſque in India & Arabia reperitur coagulatum ramis inhærens in ſimilitudinem ſalis. Saccharum priſcorum intelligit, idemque facit cum aërio melle, quæ manna eſt noſtra. Alio loco commemorat Indicam harundinem in ſtagnis naſcentem, ex qua ſuccus ad potum dulcis exprimebatur: *In Indicis ſtagnis naſci harundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expreſſum ſuaviſſimum ſuccum bibunt.* Subjicit ibidem verſus Varronis ſupra nobis adductos, quibus deſcribitur ſaccharina hodierna canna:

C *Indica non magna nimis arbore creſcit harundo.*

Jam omni luce clarius liquet *ſaccharum* veterum eſſe aliud ab hodierno, & magno errore confundi cum *ſaccharo* recentiorum Græcorum & Arabum. Hoc facticium cujus nulla antiquis notitia, illud nativum. Cannas tamen Indicas, unde ſuccus exprimitur, qui cogitur in ſaccharum, notas fuiſſe veteribus certum eſt. Sed hactenus tantum norant, ut ſuccum ex iis ad potum exprimerent. Poſtea inventa ratio eſt ſucci hujus excoquendi & coctionibus cogendi in lapideam pæne duritiem. Quod Arabes monſtraſſe opinor. Fortaſſe & ab ipſis Indis id primum, ſed longo
D poſt tempore proditum. Succum ſic coctum & coactum *ſachar* vocarunt veteri nomine, quo mellis aliud genus in harundinibus collecti veteres appellarunt. Hoc ſane nomen & multis aliis ſuccis tribuerunt, ſed non niſi congelatis, ita dixerim, & coagulatis. Ut *ſacar mambu*, & *ſacar tengæ.* Hoc facticium ex liquore quodam palmeo. Illud ſponte naſcens in harundinibus dictis *mambu*, & amyli modo craſſum & fragile. Tam magnas eſſe illas harundines tradit Chriſtophorus à Coſta, ut cymbas inde faciant illinc homines, quæ binos ac ternos etiam vehant. Perſæ & Arabes ſaccharum illud ex harundinibus mambu collectum vocant *tabaxir.*
E Quod eſſe veterum Græcorum σάκχαρον extra omnem controverſiam eſt. Hoc μέλι καλάμινον, & ἅλα Ἰνδικὸν dixere, quia σύστασιν ſimilem ſali habeat. Plinius: *Saccharon & Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in harundinibus collectum gummium modo, candidum, dentibus fragile, ampliſſimum nucis avellanæ magnitudine ad medicinæ tantum uſum.* Ita hæc diſtinguenda; *collectum gummium modo*, non, ut eſt vulgo, *gummium modo candidum.* Hæc omnia prorſum quadrant in tabaxir, vel ſaccharum mambu. Candidum eſt, fragile eſt dentibus, in harundinibus colligitur, dulce eſt, ad medicinæ tantum uſum ſumitur. Modo in parvis, modo in majuſculis
F grumis concretum reperitur. Falſum igitur quod vult Julius Scaliger eaſdem cannas ſaccharum apud priſcos natura ſuapte concretum tuliſſe, & ſuccum hodie dare, ex quo fit arte ſaccharum noſtrum. Diverſa omnino hæc genera cannarum. Hæ modicæ ſunt, & papyro ſimiles, ex quibus hodiernum ſaccharum coctione conficitur, ſucco prius expreſſo. Ampliſſimæ illæ, in quibus naſcitur *ſaccharum mambu*, quod verum ac legitimum eſt ſaccharum priſcorum. Falſi etiam illi, qui ſaccharum vulgo dictum *candum* contendunt eſſe veterum ſaccharum. Hoc arte tantum paratur. Pri-
G ſcum illud, quod eſt *tabaxir*, nihil arti debet. Non alii auctores ſacchari candi meminere, quam qui & ſaccharum hodiernum facticium noverunt, ut Myrepſus. Saccharum candum, non à candore dictum, nec à canna: ſed χάντι, vel χαντὸν, & χάντιον Græci recentiores vocarunt, quod anguloſum ſit, & quum frangitur, in partes ſemper diſſiliat angulatas. Id Græci vulgares χαντὸν appellant. Græci veteres non minus hal-

lucinati

lucinati sunt, qui pro manna acceperunt. In his est Aphrodisæus, qui id affirmat & simile facit ei mannæ, quæ colligitur in Libano monte. Quædam similia. Manna est mel concretum, μέλι πεπηγός. Saccharum mambu etiam, μέλι πεπηγός, sed alio genere. Illud dissimile: Manna lentescit ac liquescit sub dentibus. Saccharum id genus fragile est, θραύεται τοῖς ὀδοῦσι. Sic ex hammoniaco, aliud θραῦσμα, aliud φύραμα. Illud fragile & siccum: hoc pingue & resinosum ac lentescens. Manna quoque φυρατὴ potius quam θραυστή. Ergo non potest esse σάκχαρον Dioscoridis & Plinii. Dubitavit Seneca an manna esset, aut dubitatum olim fuisse indicat: *Ajunt inveniri apud Indos mel in harundinum foliis, quod aut res illius cœli, aut ipsius harundinis humor dulcis & pinguior gignat.* At decidit Nearchus apud Strabonem ex ipsa harundine generari: περὶ τῶν καλάμων Ἰνδικῶν ὅτι ποιοῦσι μέλι. Faciunt mel ex se illæ harundines, non accipiunt è cœlo. Manna ventrem solvit: æque saccharum illud, κοιλίας λυτικόν, ut affirmant veteres, qui videntur illi easdem virtutes tribuere, quas & mannæ, quod pro manna haberent. Duplex hujus generis genus, liquidum & concretum. Liquidi mentio apud Dioscoridem. Vocat ἐλαιόμελι. Ex eo Plinius vel alio auctore qui similia proderet. Ἐλαιόμελι est oleum mellis instar crassum. Plinius aliter accepit, quasi ἐλαίης μέλι: & ex oleæ arbore id genus mel profluere dixit. In hoc falsus. Exemplo tamen non caruit, ut δροσόμελι est roris mel, ἀερόμελι, aëris mel, ita ἐλαιόμελι dictum putavit, *oleæ mel.* Alia major ejus hallucinatio heic notanda. Dioscorides τῆς Παλμύρας Syriæ mel illud oleo simile manare prodit ex arborum truncis. Plinius anagnoste suo legente audivit, τῆς ἁλμυρᾶς, & ἁλμυρᾶς accepit pro maritimis. Hinc *elæomeli in maritimis Syriæ sponte nasci scribit.* Dioscorides ἐκ τινὸς στελέχους ῥεῖν dicit. Ignorasse videtur quid esset proprie ἐλαιόμελι, & unde nasceretur. Ita dictum innuit quasi oleum esset mellis crassitudine. Mallem interpretari esse mel instar olei liquidius. Mel dictum, quia saporem mellis haberet. Liquida fuit manna. Huic facultatem inter alias tribuit ventris solvendi, & abstergendi oculis obstantia. Utramque facultatem etiam vindicat sacchara suo, ut hinc appareat pro mannæ Indicæ, vel Arabicæ genere id putasse. Perparvam sane habuere tunc, cùm mannæ, tum sacchari mambu notitiam, ideo nec magnam intelligentiam. Liquidam mannam vocant hodie *tereniabin.* Mannæ nomen convenit duriori, & quæ in grumulos coit. Idque ab Hebræo. Ab eodem nomine & *mannam thuris* vocarunt parvas micas concussu elisas, & quæ sunt ut grana mannæ parvula. Jam semel igitur constitutum esto, ac pro definito teneatur saccharum veterum esse *sacar mambu* hodiernum Indorum, & *tabaxir* Persarum vel Arabum. Avisena hoc saccharum ex cineribus earum harundinum ustarum fieri existimavit, errore jam exploso. *Thabasir*, pro *tabaxir* legit apud Avisenam Bellunensis. Radices *alcanna* adustas esse in ipso contextu Avisenæ habetur. De cannis ipsis id accepit Garcias, in quibus concrescit saccharum mambu. Idem tamen Bellunensis *alcanna*, seu *alcona* interpretatur arbores graciles, & proceras, nodis geniculatas, sicut cannas, quæ tamen solidæ intus sint, non inanes, aut concavæ, quibus ad hastas utuntur Arabes. Ex earum radicibus ustis fieri præstantissimum spodium. De eo igitur spodio intellexit Avisena, quod vocavit *tabasir.* Alii pro saccharo hanc vocem apud Persas, & Arabes usitatam dicunt quod in harundinis mambu foliis concrescit. Quidam etiam *alcanna* de cypro accipiunt, sive ligustro orientali, ex cujus radicibus crematis fiat illud spodium, de quo est apud Avisenam. Certe *alcanna* pro ligustro, vel cyprio legitur apud eumdem Avisenam cap. LI, quo loco Bellunensis scribit *hana.* In Lexico Græco Arabico ἀλχαννα, & χαλχάνα exponuntur τὰ φύλλα τῆς κύπρου. Apud Constantinum in Viatico vocatur alcana etiam in libris veteribus. Græci recentiores χηνναίαν vocarunt ligustri arboris flores, alii χήνην. Neophytus: Κύπρος εἶδός ἐστι δένδρου ἐν Κύπρῳ, καὶ ἄνθος αὐτοῦ ἐστι τὸ λεγόμενον χηναία. Ἕτεροι δὲ φασὶ τὴν ζιζυφαίαν. Ita vocat arborem zizyphorum. Plinius sane cypros folia ha-

A bere similia zizypho dicit. Dioscorides oleæ similia tradit. Inde est, quod hanc arborem Itali *olivettam* & *olivellam* nuncupant. Zizyphus quoque folia non dissimilia habet oleæ. Unde & χρυσοελαίαν Græci recentiores eam nominant. Idem Neophytus: χρυσοελαία, ἡ ζιζυφαία. In Cypro insula nasci cyprum arborem hic prodit. Nomen hinc nactam esse eam insulam veteres volunt ἀπὸ τῆς κύπρου ἄνθους. Vide Stephanum. Haud scio, utrum ex illo Græco vulgari χηναίη & χήνη factum sit Mauritanicum *Aenna*, an contra Græcum ex Mauritanico. Officinæ *alcanna* vocant. Græcos hodieque *schenna* dicere ajunt. Alia sunt *alcanna* Avisenæ, ex quibus fit spodium *tabasir.* De cypro nos alibi. Ea

B causa est quare Gerardus *tabaxir* verterit *spodium.* Quem sequuti sunt ceteri Arabum interpretes, certa pernicie ægrotantium, si quis verba ad rem conferat. Dicere non est quam multa talia in versione Myrepsi peccaverit Fuchsius: pæne infinita sunt. Σπόδιον propriè est everrimentum caminorum metallicorum cum scintillis & carbonibus cineribusque mixtis. Dioscorides σύρμα vocat & ἀπόψημα τοῦ ἐδάφους τῶν καμίνων. Male legitur ἀπόψηγμα. Male etiam Garcias ab Horto σποδὸν & *tutiam* eamdem facit. Quod est verum, si cadmia eadem cum spodio. Nam *tutia* est cadmia. Neophytus: Καδμία ἡ Κυπρία, ἡ καὶ βοτρυΐτις, καὶ τουτία λέγεται· ἔστι γὰρ καὶ ἑτέρα λιθώδης, σπογγώδης, μαύρη, καὶ συριγγώδης. Nicomedes: Καδμία, τουτία. Sed hæc alibi.

C *Xir* lingua Persica lac significare ajunt: unde *tabaxir* factum. Sed nihil lacteum habet illud saccharum præter colorem, cetera sali vel cineri in se coacto similior. Unde & ἅλα Ἰνδικὸν Græci dixere. Et Avisena cinerem esse putavit harundinum exustarum, quæ vi venti seipsas compulsantes flictu ignem concipiunt. Videant an *xir* vel *xer* etiam Persæ dixerint Græcorum ξηρόν, ut multa vocabula ex ea lingua mutuati sunt: ut *band*, *xatrec*, *firusa*, *yacuth*, & alia infinita. Græci ξηρὸν vel ξηρίον proprie vocant medicamentum aridum, & quod in pulverem redigi potest, vel vicem pulveris

D inspergi. Tale est *saccharum mambu.* Sic Suidas durum bitumen vocat ξηρίον his verbis: ἄσφαλτος δὲ ξηρίον ἐστὶ πίττῃ ὅμοιον. Sane saccharum etiam ξηρίον. Si lac appellatum est, eodem sensu videtur hanc appellationem meruisse, ut hammoniacum quod etiam ξηρίον est. Græci recentiores *lac leonis* id vocarunt, λεοντόγαλα. Glossæ medicorum recentiorum: Ἀμμωνιακὸν λεοντόγαλα. In aliis laserpicium ita dictum reperio: λεοντόγαλα, ὀπὸς Κυρηναϊκός. Sic etiam genus mannæ est apud Persas, quam vocant *xirquest*: lac arboris quest. Inde & *siremblez*, vel *xiremblez* apud Avisenam cap. CCXXVIII. Emblici myrobalani in lacte infusi. Sic

E lac quidlibet Persis *sir*, vel *xir.* At Græci ξηρίον etiam de pulvere dicunt. Liquida hæc omnia primo ex arbore manant, deinde siccantur & durescunt, ut gummium cetera genera. Sed viderint linguæ illius periti. Quod ad sacchari nomen attinet, Dioscorides σάκχαρον appellat. Hesychius σάκχαρον. Ita etiam apud Plinium legitur in indice manu exarato, *macir*, *sactarum.* Auctori peripli σάκχαρι. Recentiores Græci ζάχαρ & ζάχαρι ut μέλι, quod declinarunt ζαχάρεως ut μέλιτος. Myrepsus in Drosato δι' Ἰρέως, ἀντὶ ζαχάρεως, γάρος. Apud Achmetem: εἴ τις ἴδῃ ὅτι οἶνον ἔπιεν

F ἐκ τοῦ ζαχάρεως. Male editum est: ἐκ τῆς ζαχαρίδος. Achmes idem mentionem facit γλυκύσματος ζαχαρικοῦ. Ita enim scribendum, γλύκυσμα ζαχαρικὸν vel ζαχαριτικόν. Placentam, vel dulcium ex sacchara factum significat. Nec dubium est veteres placentas suas ac dulcia ex sacchara potius facturos fuisse quam ex melle, si usum ejus habuissent. Æque autem ejus notitiam habere potuerunt quam sacchari mambu, vel tabaxir quod proprie vocarunt σάκχαρον. Sed nondum, ut dixi, tum inventum fuit succum illarum harundinum coquere & cogere in panes solidos, ut hodie fit. Can-

G nas ipsas noverant. Eustathius in citandis Strabonis verbis de melle isto harundinaceo ita ea retulit: κάλαμοι ποιοῦσι μέλι μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Τοὺς δὲ φαγόντας ὠμοὺς τούτους μεθύειν. Hæc postrema in hodiernis editionibus Strabonis non comparent, sed horum loco legitur: οὐ γὰρ δένδρον εἶναι καρποφόρον, ἐκ δὲ τοῦ καρποῦ μεθύειν. Quæ ad mel harundinum neutiquam pertinent. Sed latere existimo

A mo sub illis ὑπὸ nomen Indicæ arboris fructiferæ, cujus fructus inebriat. Aut sane legendum: ὑπὸ ϰ δένδρον εἶναι καρποφόρον. *Ibi & arborem esse cujus fructu inebriantur.* Atque hæc hactenus.

Tylos Indiæ insula est.] Immo Arabiæ: atque ita Plinius censet, auctore Theophrasto, qui in Arabico sinu esse tradit: ἐν Τύλῳ ἢ τῇ νήσῳ, κεῖται ἢ αὐτὴ ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ. Cur igitur hic noster eam Indiæ vindicavit? Ut ne scilicet à more suo discederet. Ptolemæus in descriptione Arabiæ Felicis eam recenset, sed in sinu Persico ponit, non in Arabico, æque & Plinius lib. VI. cap. XXVIII. Sinus autem ille Arabiam cingit, haud secus atque Arabicus. At nullo modo Indiæ po-B test adscribi, ut heic facit Solinus. Vetustissimi Græciæ auctores insulam Τύλον appellarunt, ut Theophrastus, & Aristoteles: recentiores Τύρον, eodem quo Phœnices urbem nomine. Strabo lib. XVI. de sinu Persico: πλεύσαντι ἢ ἐπὶ πλέον ἄλλαι νῆσοι Τύρος ϰ Ἄραδος εἰσὶν ἱερὰ ἔχουσαι τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια. Tradit ab incolis jactari colonos se esse Tyri & Aradi Phœniciarum urbium. Nam Aradus quoque insula Syriæ Phœnices. Atqui *Tylus*, non *Tyrus* insula illa Persici sinus vocabatur. Ptolemæo nominatur Τύρος, non Τύλος in antiquis codicibus. In Persico sinu recensentur ab eo insulæ, Ἴχαρα, Θαρώ, Τύρος, Ἄραδος. Stephano Δώρα dicitur quæ C Ptolemæo Θαρώ, & Ἴναρος quæ Ἴχαρα. Dionysio quoque Ἴκαρος. Stephanus: Τύρος νῆσος περὶ τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, ἣν Ἀρτεμίδωρος Τύλον διὰ τοῦ λ καλεῖ. Urbem Indiæ hoc etiam nomine fuisse docet. Quod in errorem fortasse trusit hunc Solinum.

Quod quacumque arbor in ea nascitur, nunquam caret folio.] Ex Plinio: Plinius ex Theophrasto, cujus verba non recte cepit. Græca sic habent de Tylo insula: γίνεσθαι ἢ ϰ τὰς φοίνικας ἐν τῇ νήσῳ ϰ ἀμπέλους, καὶ τἆλλα ἀκρόδρυα ϰ συκᾶς, αἳ μὴ φυλλορροῦσι. Sic legendum. Nam vulgo est: αἱ φυλλορροῦσι. Ficus tantum in ea insula folia D non dimittere dixit. Plinius ita accepit quasi de omni pomorum genere dixisset: *fert eadem insula & palmas, oleasque & vites, & cum reliquo pomorum genere ficus. Nulli arborum ibi folia decidunt.* Ἀκρόδρυα vertit *poma.* Vide quæ supra notamus de hac voce. Magis autem mirum de ficu, quæ folia ibi non amittit, quia tenerrima est arbor, & foliis adprime caducis. De arbore quadam Tyli insulæ habet ibidem Plinius: *est & alia similis, foliosior tamen, roseique floris.* Non hoc dicit Theophrastus his verbis, quæ reddere iste voluit: καὶ ἕτερον ἤ δένδρον πολύφυλλον, ὥσπερ τὸ ῥόδον. Non rosei floris esse vult, sed simile esse arbori quæ rosam fert, fo-E lio scilicet & frutice, non flore. Τὸ ῥόδον ibi est arbor, vel frutex, non flos.

Ibi mons Caucasus inde incipit.] Lectio hæc ex duabus concreta. In altera editione fuit: *ibi mons Caucasus.* In altera: *Mons Caucasus inde incipit.*

Pag. 59. A. *Qui maximam orbis partem perpetuis jugis penetrat.*] Hoc de Caucaso quidam, de Tauro alii dixere. Ea propter Caucasum Tauri partem esse, alii Taurum Caucasi fragmentum voluere.

Idem fronte qua soli est obversus, arbores piperis ostentat.] Plinius lib. XII. *Oliva Indiæ sterilis, præterquam oleastri* F *fructu. Passim vero quæ piper gignunt, juniperis nostris similes: quamquam in fronte solibus opposita gigni tantum eas aliqui tradidere.* Hæc sic legenda sunt serie continua, quæ vulgo divisis capitibus separantur. Eorum porro opinio, qui tradidere piper in ea parte Caucasi, quæ solibus opposita est, tantum gigni, prorsus hodie falsa deprehenditur. Compertum quippe est in desertis & mediterraneis non nasci, atque in eis regionibus provenire quæ à Caucaso longissime sunt dissitæ, ut in *Malavar*, in *Malacæ* maritimo, & insulis *Javæ* vicinis. In Caucaso monte nihil nasci præter laserpicii plantam G & terebinthos Alexandri Magni comites, quum eum montem superarent, deprehenderunt. Arrianus lib. IIII. Ἀλλ᾽ ἐν γε τούτῳ τῷ Καυκάσῳ οὐδὲν ἄλλο ὅτι μὴ τέρμινθοι πεφύκασι καὶ σίλφιον, ὡς λέγει Ἀριστόβουλος. Nulla igitur piperis arbor in Caucaso monte. Quod ad silphium attinet, duas de natura ejus Theophrastus & ex eo Plinius opiniones referunt, quarum altera fert prorsus agreste esse, & culturæ inimicum: altera circumfodi solitum, & curæ patiens. Priorem sententiam Persico laserpicio convenire affirmat Plinius, posteriorem Cyrenaïco. Certe Persicum in monte & plurimum nascitur, sponte proveniens. Hinc Theophrastus alicubi scripsit, ἐν ὄρει σίλφιον gigni. Quod de Persico intelligi par est. At Cyrenaïcum in culto crescebat. Falsi itaque illi ex veteribus qui σιλφιοφόρον Cyrenaïcæ desertam faciunt & θηριώδη. Arrianus in Indicis: ἀλλ᾽ ἡ Κυρήνη τῆς Λιβύης ἐν τοῖς ἐρημοτέροις πεπολισμένη, ποώδης ἢ ἐστὶ ϰ μαλθακή, ϰ εὔυδρος, ϰ ἀλσέων, ϰ λειμώνων, ϰ καρπῶν παντοίων ϰ κτηνέων πάμφορος, ἐς τε ἐπὶ τοῦ σιλφίου τὰς ἐκφύσιας, ὑπὲρ ἢ τὸ σίλφιον τὰ ἄνω αὐτῆς ἔρημα ϰ ψαμμώδεα. Ultra silphii feracem regionem cetera esse vasta & arenis oppleta. In Cyrenaïca nulli montes. Concinit vero cum Plinio, qui partem agri Cyrenaïci interiorem frugibus bonam esse tradit: in ora arboribus fertilem: mox triginta milium passuum latitudine, & CCL longitudine laseris modo feracem. Memorat idem Arrianus Cyrenenses quam longissime à laserpicifera regione pecus abigere, quia ejus plantæ valde appetens est, eamque depascitur, quæ impenso pretio apud illos venire solet: καὶ εἰ ἐκ πολλοῦ πρόβατον σιλφίου αἴσθοιτο, ϰ θεῖ ἐπ᾽ αὐτὸ, ϰ τό τε ἄνθος ἐπινέμεται, ϰ τὴν ῥίζαν ἀνορύττον ϰ ταύτην ἀνεσθίει. Plerosque ait circumsepire locum, ubi laserpicium nascitur, ne pecus intrare possit: οἱ ἢ ϰ περιφράσσουσι τὸν χῶρον, ὡς μηδ᾽ εἰ πελάσειεν αὐτῷ πρόβατα, δύναται εἰργέσθαι εἴσω παρελθεῖν. Hæc cum Plinio non conveniunt, qui prodit sua ætate multis jam annis Cyrenaïcum non inveniri, unumque omnino caulem sua memoria repertum, Neroni principi missum fuisse. Atqui recentior admodum Plinio Arrianus, qui sub Adriano vixit. Publicanos ait ille, qui pascua conducebant, pecorum pabulo omne laserpicium depopulatos esse, & spem nascentis funditus sustulisse. Scribit Theophrastus hieme & vere pecus in montem inigi solitum, ut laserpicium depasceretur, quo saginabatur. Hoc non de Cyrenaïco, sed de Medico intelligendum. Et hæc est prior ejus de silphio sententia, quam Persico congruere narrat Plinius. Quod etiam confirmat Arrianus, qui Caucasum montem ovium gregibus opertum fuisse testatur, qui laserpicium, quo mons ille abundat, depascebantur: ϰ πρόβατα πολλὰ ϰ κτήνη ἐνέμοντο, ὅτι ϰ χαίρουσι τῷ σιλφίῳ τὰ πρόβατα. Multæ aliæ differentiæ possunt adstrui ex veterum scriptis inter Cyrenaïcum silphium, & Medicum, sive Armeniacum. Inter omnes ferme constat Cyrenaïcum jucundi odoris fuisse, & gustu suave. Theophrastus: ἰδιώτατον ἢ πάντων τὸ σίλφιον, ἐπεὶ ϰ ὀπὸν πολλὴν ἡ χώρα φέρει καὶ εὔοσμον. Interpres Aristophanis in Aves: Σίλφιον ἢ ῥίζα ἡδύοσμος, περίάρτυμα. Item in Equites: Σίλφιον ἢ ῥίζα τῆς ἡδύοσμος ἐν Λιβύῃ γινομένη ἀρτυτικὴ ϰ θεραπευτική. Hoc cum ita sit, non video qua ratione possit esse *asa* officinarum, qua nihil fœtidius, aut virosius. Non nimium tamen pugnarem quin officinæ *asæ* vocabulum procuderint ex antiquo *lasar.* Sic enim scribebant pro *laser.* Nam Græci recentiores ex eo fecere λάσαρον. Lexicon Neophyti: Λάσαρον ϰ λάσαρ ὁ ὀπὸς τοῦ σιλφίου. Ita in antiquissimo libro excerptorum Apicii, qui penes me est, scribitur: *Crocum, piper, zingiber, lasar, folium,* de pigmentis quæ condimentis serviunt. Idem: *Lasaris radices, mentha, nepeta, salvia:* & *lasaratus hœdus* apud eumdem. *Lasar, asa,* ut *naphta, aptha,* & similia. Nunc quærendum an *asa* hodierna fuerit *lasar* Medicum, vel Persicum veterum. Nam de Cyrenaïco non posse esse rebus necessariis ostendimus. Præterea in rerum natura non amplius erat ætate Plinii. De Medico etiam negavimus superiori exercitatione, quia Medicum Strabo non multum infra Cyrenaïcum esse, interdum vero præstare testatur. At non videbam quomodo fœtidissimum gummi suaveolenti ac jucundo succo laserpicii melius ac præstantius posset videri. His licet invictis argumentis, & aliis compluribus quæ ante posuimus, opponi tamen potest quod de *asa* refert Garcias ab Horto in libris de aromatis, nempe tradit Indiæ populos, & præcipue Cambajæ provinciæ indigenas eam *asam* in condimentis ciborum usurpare, sicut *lasar* fecerunt veteres. Eum vide lib. I aromatum Historiæ. Præterea convenit modus eam præparandi, ut inveterascere possit, & diu servari. In bubula coria illam

illam conjiciunt sanguine bubulo prius illita, & cum tritici farina permixto, eam esse causam, ut in lasere veluti surfures conspiciantur. Ita sane veteres succum laseris præparabant, admixtis surfuribus. Plinius: *Ad merces ad ultera succum ipsum in vasa conjectum admixto furfure subinde concutiendo ad maturitatem perducebant, ni ita fecissent putrescentem.* Recte ita correximus supra. *Merces ad ultera* sunt merces, quæ in ulteras regiones exportantur, εἰς τὰ πέραν, ut in Græcis Theophrasti est. Apulejus summus Plinianarum loquutionum ac vocum usurpator ea lectione usus est in libro de Mundo: *Sed cum credamus Deum omnia permeare, & ad nos, & ad ultera potestatem sui numinis extendere.* Sic ibi legendum ex veteribus codicibus. Nam vulgo edunt: *ad nos & ultra.* Ubi libri habent: *ad nos & ad ultra.* Ut necessario sit emendandum: *& ad ultera*, πρὸς τὰ ἔξω. Ceterum male idem Plinius κατεργάζεσθαι Theophrasti vertit *ad maturitatem perducere.* Parabatur hoc modo laser, ut πῆξιν acciperet, & redderetur crassius. Idque in caulia tantum faciebant quia humidior esset. Idem Theophrastus: καὶ ἔστι βελτίων ὁ ἐκ ῥίζας: καθαρὸς γὰρ καὶ διαφανὴς καὶ ξηρότερος: ὁ δὲ καυλίας ὑγρότερος, καὶ διὰ τοῦτο ἄλευρον παραπλάττουσι πρὸς τὴν πῆξιν. Succus, qui ex radice laserpicii educebatur, purior sicciorque & translucidus erat, eoque melior. Qui ex caule manabat, humidior: ideo farinam ei admiscebant, ut coagulari posset & concrescere. Ea gratia turbidiorem, & magis impurum fuisse oportet. De lasare quoque vel *asa*, quæ ab Indis adfertur, duo genera ejus esse tradunt, qui ibi fuerunt: alteram sinceram & translucentem: alteram turbidam & impuram, graveolentiorem tamen iidem affirmant esse quæ sincerior est. Certe Dioscorides Medicum & Syriacum laser βρομωδέστερον esse asserit, id est, virosioris ac tetri odoris. Idemque probari ait, τὸν μὴ πρασίζοντα τῇ ὀσμῇ, qui odore porrum non referat. Unus ex veteribus Aristophanis scholiastis, σίλφιον φυτὸν λάσερ κάκοσμον vocat. Quod ille de Cyrenaïco dicit, quum verius fortassean accipi debeat de Medico. Nam de illo altero non potest, qui jucundi odoris fuit. Hinc in recentiorum Medicorum scriptis & lexicis, σκορδολάσαρον exponitur, ὀπὸς Κυρηναϊκός, quasi dicas, *allii laser.* Neophytus: Σκορδολάσαρον, ὁ Κυρηναϊκὸς ὀπός. Nicomedes jatrosophista: Ὀπὸς Κυρηναϊκός, ὁ σκορδολάσαρον. Dicebant & σκορδοφέσαρον corrupte pro σκορδολάσαρον. Vetus lexicon iatricum: ὀπὸς Κυρηναϊκός, ἤτοι σκορδοφέσαρον. Ita appellatur Myrepso in compositione ἀφεσοῦ antidoti: ἔχει σκορδοφέσαρον, ἀμμωνιακὸν σμύρνην, δεργάκανθον, σποπένακα. Fuchsius vertit *scordium.* Aliud est σκόρδιον, aliud σκορδοφέσαρον; vel ut etiam dixere, σκορδολάσαρον. Quod Græci omnes recentiores ὀπὸν Κυρηναϊκὸν interpretantur. Vetus aliud glossarium Græcum: Σίλφιον, ἤτοι σιλφίου ὀπός, τὸ σκορδολάσαρον. Avicena divisit *asam* in maleolentem & odoratam. Sed nulla hodie est odorata. Talis fuit olim Cyrenaïca adtestantibus omnibus auctoribus. Nec multo inferior Medica iisdem testibus. Quod si verum est, longe aliam oportet esse asam à lasare antiquorum. Profecto σιλφίου appellationem non uni plantæ dederunt. Tzetzes in Chiliadibus duas stirpes hoc nomine agnoscit Chil. VI. cap. XLVIII.

Δύο δ' εἰσὶ τὰ σίλφια, τὸ μέν ἐκ τῶν Ἰνδῶν,
Τὸ δὲ πολυτιμότατον.

Per pretiosum intellexit *Cyrenaïcum.* Ast alio loco tria facit silphii genera:

Τρισσὰ δ' εἰσὶ τὰ σίλφια, σίσγυδον τε, καὶ τίλις,
Καὶ τὸ κλεινόν, τὸ σεβαστόν, τὸ θρυλλητὸν τοῖς πᾶσι.

Quod σίσγυδον Tzetzæ, aliis scribitur σισγοδδον & exponunt νάρδον Κελτικόν. Nicomedes: Νάρδος Κελτικός, τὸ σιγγοδδον. Neophytus monachus: Νάρδος Κελτική, τὸ σίσδυδον. In aliis scribitur σίσγουδον. Avicena silphium vocat *aniuden*, quomodo & ab Indis hodie vocari scribunt. Alii *angiodhan* appellant. Magna affinitas vocis *singudum* cum *aniuden* ut alterutrum ex altero factum videatur. *Aniuden* tamen non est nardus Celtica. At τίλις recentiori Græciæ est, ὁ τῆλις veteris, fænum Græcum scilicet. Sic φίνιν dixerunt quæ antiquis φήνη, ossifraga. Tribus his plantis silphii nomen inditum penes infimam Græciam, quæ omnes odoratæ sunt ac bene olent. Garcias ab Horto refert accepisse se à quodam in India asæ succum ex quadam planta inciso caule fluere, quæ folia corylo similia habeat. Quæ figura non respondet veterum de silphio traditioni, siquidem omnes uno ore prædicant folium silphii apio esse simile. Quod in effigie silphii, quam supra ex nummis Antonii Pisonis medici produximus, non plane expressum apparet, sed quod in aliis nummis conspicitur satis scite & graphice ad hanc formam respondere videtur. Horum alterum Jovis Ammonis Barbati faciem, alterum Alexandri Magni Cornuti referri volunt. Certe Jovem Ammonem cum barba pingi solitum constat ex veteri scriptore qui vitam Alexandri fabulose composuit. Is πολιὸν θεὸν & κελοκέρατον Ammonem vocat. Nos aversam tantum eorum faciem quæ silphii figuram exhibet, heic apponendam curare satis duximus.





Habes heic & agnoscis folium silphii folio apii pæne compar & simile. Meminit Isidorus lasaris Indici, cujus herbam in monte Oscobagi prope origines Gangis nasci ait. Arabes hodie vocant *haltith.* Officinæ *asam.* Sed nihil prohibet *asam* pro *lasar* corruptam, & tamen de alio genere gummis usurpatam, ignorato veterum lasare. Sic usu acaciæ deperdito, & succo prunorum in locum ejus succedente omnes Medici infimæ Græciæ acaciam interpretantur succum prunorum. Nicomedes & Neophytus, aliique Ἰατρικῶν & Βοτανικῶν lexicorum consarcinatores: Ἀκακία, ὁ χυλὸς τῶν προύμνων. Atqui ἀκακία proprie est ἐγχύλισμα spinæ Ægyptiæ eodem nomine, quod recentioribus prorsus ignotum fuit. Quis non hodie medicinam faciens confidenter asserat liquidum styracem esse stacten veterum? Et tamen non est, alia quippe στακτὴ στύραξ, alia στακτὴ σμύρνης quæ est veterum stacte, κατ' ἐξοχὴν sic appellata. At στακτὴ στύραξ est liquor melleus, quem emittit flavus styrax, si manu promatur. Quem & λιπαρὸν στύρακα dixere. Hinc apud Aëtium & alios λιπαρὸς στύραξ & στύραξ καλαμίτης distinguuntur. Hic gummis instar habet, albidus & perlucens, qui calamis concretus adhærescit: ille pinguis ac resinosus lentum humorem emittens, colore flavo. Quod discrimen habetur inter στύρακα καλαμίτην & λιπαρὸν στύρακα. Idem est apud alios auctores inter ἄσπρον στύρακα & χυματίαν. Aëtius in confectione muscati qualis parabatur à quodam Orientis comite: ἄσπρου στύρακος οὐγκίας β. χυματίου πεντοῦ οὐγκίας ε. Idem in compositione μοσχάτου τοῦ ἐν Ἐκκλησίᾳ καπνιζομένου sic habet: στύρακος χυματίου λίτρας ις. ἄσπρου λίτρας γ. Styrax ἄσπρος albus dicitur, idemque est siccus, gummium modo. Χυματίας

τίας liquidior, & flavus. Quare diceretur χυματίας, supra docuimus. Calamites rarior & præstantior. De eo loquor, quam tradit Dioscorides esse κόμμει ἐοικότα, διαυγῆ, σμυρνίζοντα, & rarum inventu. Hic proprie καλαμίτης, & fictionem edidimus supra, quemlibet styracem sicciorem hodie sic vocant vulgo. Hinc in illis compositionibus bis aut ter alterum tantum de χυματίᾳ storace quam de ἄσπρῳ sive albo inditur. Neophytus: Καλαμίτης, ὁ ὠχρὸς σύραξ. Pallidum ac subalbidum intelligit, qui aliis ἄσπρος. At ξάνθος de chymatia, quod & ξάνθιον dixere. Vetus Lexicon: ξάνθιον, ἤτοι σύραξ μελιτώδης ὑγρίας. Dioscorides de chymatia capiendus quum dicit, ξάνθος καὶ λιπαρὸς καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη. Isidorus notas utriusque confudit καλαμίτου & λιπαροῦ. Vide supra. Ceterum quæ de asa & lasere heic & in superioribus exercitationibus ventilavimus, ea in medio relinquimus doctis harum rerum medicis & herbariis discutienda subtilius. Quidquid sit, in propria manemus sententia, laserpitium veterum hodie ignorari, aut valde veteribus ipsis fuisse ignoratum. Non esse idem, maximo etiam, & validissimo argumento hoc vinci potest. Cyrenaïcum lasar, quod erat odoratum, ac suavis fragrantiæ, antiqui omnes longe validius faciunt, quam Syriacum, & Medicum, adeo ut pro vice Cyrenaïci simplici duplex Syriacum substitui solere prodiderint. De Cyrenaïco certum est non posse esse asam nostram, quæ fœtida est. Quod si dicatur Syriacum, aut Medicum esse asam, consequi inde pæne necesse esset fortius fuisse, & majorum virium Syriacum lasar, quam Cyrenaïcum. Etenim, quæ exuperantiam illam mali odoris habent, qualis in asa cernitur, longe acrioris censenda potestatis, quam quæ sunt suavioris odoris. Præterea diserte scribit Avisena fœtidam asam longe viribus antecellere eam, quæ suavius olet. Postremo non simpliciter memorant veteres lasar Medicum, aut Syriacum male olere, & βρομῶδες esse, sed βρομωδέστερον halare, quam Cyrenaïcum. Multa autem aromata jucundi spiritus odore grata, quæ etiam βρομώδη dicuntur veteribus, ab odoris potius virosi acrimonia, quam ab illo improbo fœtore, qui in asa sentitur.

Pag. 59. A. *Quas ad juniperi similitudinem diversos fructus edere asseverant.*] Peream si sciebat quid diceret. Quid enim? An arbores piperis juniperis similes vult? Non opinor ut ista sonant. Ait igitur piperis arbores edere fructus diversos ad juniperi similitudinem. Atqui juniperi arbor diversos fructus non edit. Et clare Plinius semina piperis à junipero distare testatur. Sane juniperis similes idem asseverat arbores quæ piper gignunt. Quod est falsissimum. Nihil enim tam dispar ac differum. Nec Theophrastus, nec Dioscorides, nec quisquam alius veterum quos Plinius compilavit, id scripsisse comperitur. Æque falsum est, quod notat Isidorus, arborem piperis *ad juniperi similitudinem folia habere*: quod hinc habet. Quid enim quæso te dissimilius quam folia piperis & juniperi. Non tantopere distant pomum & spica ut ait ille. Haud minus fabulosum & commenticium quod subjicit, qua methodo nigrum piper fiat. Talia sunt pleraque veterum. Quod sæpe miror & indignor.

Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbrias.] Belle & graphice heic Solinus piper longum comparat fimbriis corylorum. Nihil tam simile, præcipue priusquam fimbriæ illæ dehiscant & aperiantur. Plinius *siliquas* vocat, minus proprie, licet Dioscoridem sequi videatur: *Semina a junipero distant parvulis siliquis, quales in faseolis videmus.* Dioscorides: καρπὸν μὲν ἀνίησι κατ' ἀρχὰς μὲν προμήκη καθάπερ λοβοὺς, ὅπερ ἐστὶ μακρὸν πέπερι. Non bene assequutus est Dioscoridem Plinius. Non ille dicit semina piperis in parvulis siliquis haberi. Nec enim siliquæ αὐτόχρημα sunt, sed ait fructum piperis primo longum existere ad instar siliquarum quæ intus habeant parvula grana milio similia quæ in piper nigrum & perfectum mox evadunt, ubi maturitatem adepta sunt. Hæc priusquam matura sint, nondum sole incocta, candidum piper haberi. Hic fuit veterum error circa piperis arbores, qui tria hæc genera, τὸ μέλαν, τὸ μακρὸν, καὶ τὸ λευκὸν in una eademque arbore nasci credidere. Ortus ex eo error, quod non admodum dissimiles sint plantæ quæ piper longum & quæ nigrum producunt, licet quidam tradant, hanc cum illa non plus similitudinis habere, quam fabam cum ovo. Candida autem piperis arbor tam parvo discrimine distat ab ea quæ nigrum fert piper, ut à solis indigenis internosci queat. Ut proinde non mirum sit veteribus indiscretas haberi. Piper igitur longum quod fimbriis corylorum nondum apertis simile est, nunquam dehiscit, sed in eodem semper statu manet. Solus quod sciam ex veteribus Theophrastus aperte illa genera distinxit, & nigrum piper à longo discrevit his verbis: τὸ δὲ πέπερι καρπὸς μέν ἐστι· διττὸν δὲ αὐτοῦ τὸ γένος· τὸ μὲν γὰρ στρογγύλον ὥσπερ ὄροβος, κέλυφος ἔχον καὶ σάρκα καθάπερ αἱ δαφνίδες, ὑπέρυθρον· τὸ δὲ ἐπιμήκες, μέλαν σπερμάδια μηκωνικὰ ἔχον. Ἰσχυρὸν δὲ πολὺ ἔτι μᾶλλον θατέρου, θερμαντικὰ δὲ ἄμφω. Palam ac planum est hæc genera eum diversa facere. At Dioscorides & alii ex longo pipere rotundum piper candidum nigrumque fieri tempore & maturitate. Quod si verum esset, pipere longo nigrum, utpote perfectum maturumque, validius esset censendum ac potentius. Atqui Theophrastus longum nigro tradit ἰσχυρότερον. Mira res igitur tanto posteriores auctores id de hac planta, ac semine ignorasse, quod non nesciverunt antiquiores. Hodie scribunt in Bengala longum piper quod ibi tantum gignitur, vocari *pimpilim*, alii tradunt à barbaris vocari *pepeli*, ex hac voce Græcorum πέπερι manasse certum est. Galenus ad illa Hippocratis στρογγύλον ἢ Μυρτιδάνη notat: καὶ τὸ Ἰνδικὸν ὃ καλοῦσι Πέρσαι πέπερι. Persæ ab Indis hoc nomen sumpsere.

Velut corylorum fimbria.] Addere debuit: *nondum dehiscens.* Nam ubi hiulcari & expandi incipit, similis piperi longo esse desinit. Intelligit autem ἰούλους, vel βρύα ἰουλώδη coryli. Plinius *julos* vocavit in corylo Græca voce retenta lib. XVI. cap. XXIX. *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles.* Tale est piper longum compactili callo. Sed *juli* illi avellanæ tum compactili callo sunt, quando nondum in flosculos tenues dehiscere cœperunt. Nec flores sunt tales juli, nec pro floribus in avellana. Nam præter has fimbrias flos parvulus in summitate nucis invenitur, crocei coloris acutioris, & tripertiti. Sic & in juglandibus & castaneis, quæ hujusmodi βρυώδεις ἰούλους ferunt, flos præterea suus ostenditur ea parte, qua fructus erumpit, in ipsius fructus apice. Frustra igitur multi olim disputarunt an flos esset, vel aliquid instar floris. Neutrum sane sunt, προανθήσεις verius quam ἀνθήσεις vel ἄνθη appellandæ. De his nos supra pluribus. Populus hæc βρυώδη fert, sive βρύα. Plinius *uvas* vertit. Κίρκος Hesychio, αἰγείρου βλάστησις. Κίρκασμα idem exponit βότρυας. In quæstionem venire potest an βρύον ἀρωματικὸν, quod ex populis arboribus & quercubus sumebatur, ex hoc genere fuerit, an potius muscus arboribus illis innascens. Plinius qui βρύον illud aromaticum *uvam albæ populi* vertit, satis ostendit de musco arboreo communi id accipiendum non esse. Sed Plinio parva apud me fides. Quia βρύον in multis arboribus uvam ἰουλώδη significat, & floris quamdam speciem. Ita solet etiam in illis id nomen usurpare, quibus in totum disconvenit. Βρύον in lauro uva est, in populo alba, in plerisque aliis. Βρύον flos est oleæ ab eadem ratione & forma. Hinc Plinius in arsenogoni & thelygoni herbarum remediis describendis, βρύον qui muscus est saxis innascens *uvam* reddidit flori oleæ similem, lib. XXVI. cap. ult: *arsenogonon & thelygonon herbæ sunt, habentes uvas floribus oleæ similes, pallidiores tamen.* Habet à Dioscoride, qui, ut habetur in codice vetustissimo, ita scripsit: φύλλον φύεται ἐν πέτραις, τὸ μὲν θηλύγονον λεγόμενον ὥσπερ βρύον, ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον, καυλὸν δὲ λεπτὸν βραχὺν, ῥίζαν λεπτὴν, ἄνθος λευκόν. Quæ verba haud aliter interpretari & vertere possis, quam hoc modo: *Phyllon nascitur in petris, & thelygonon quidem quod dicitur, instar musci, cui folium olea pallidius, &c.* Plinius vero ita vertit, quasi legisset in Græcis: τὸ μὲν θηλύγονον λεγόμενον ὥσπερ βρύον ἔχον, χλωρότερον ἐλαίας, id est, *uvas habens oleæ flori similes sed pallidiores.* Nec de mendo potest suspicio cuiquam incidere in illis Dioscoridis Græcis. Quænam porro illæ uvæ sunt in thelygono oleæ floribus similes divinare non possum. An de flore accipiendæ? atqui paulo post

post Dioscorides de flore dixit: ἄνθος λευκόν. Addit Neophytus λεπτὸν ϛαχοειδές. De semine vero nihilo magis potest accipi. Nam & sequitur apud eumdem de semine: καρπὸν μείζονα ὥσπερ μήκων⊕. Ita vulgati. Sed legendum ex optimo codice: καρπὸν μικρὸν ὥσπερ μήκων⊕. Plinius: *semen album, papaveres modo.* An scribendum: *semen parvum, papaveris modo.* Nihil tamen muto. Nam scribit Theophrastus: ὁ δὲ καρπὸς τοῦ μὲν θηλυγόνου, καθάπερ ἐλαίας βρύον, ὠχρότερός τε τοῦ ἀρρενογόνου. Pallidum igitur, sive album semen thelygoni, sed pallidius arsenogoni. Semen thelygoni cinerei coloris ab initio esse, quod postea in cæruleum mutet, tradunt hodierni herbarii. Sic non album fuerit, & vera erit correctio nostra. Addit Theophrastus de arsenogoni semine: οἷόνπερ ἐλαία, ὅταν ἄρτι φύηται ἐκ τοῦ βρύου. Docti hodie herbarii putant Dioscoridem à Theophrasto in descriptione φύλλου dissentire. Nam quod isti est *fœminificum*, illi esse *marificum*, & contra. Non ita est: & vero verba Dioscoridis videamus de arsenogono: τὸ δὲ ἀρρενόγονον τὰ μὲν ἄλλα ὅμοιον τῷ προειρημένῳ, καρπῷ δὲ διαφέρει· ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄνθει ἐξηνθηκυίας ἐλαίας, βοτρυῶδες. Sic vulgo legitur, sed recte optimus liber: ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄρτι ἐξηνθηκυίᾳ ἐλαίᾳ, βοτρυῶδες. Clare dicit arsenogoni semen simile esse olivæ quæ defloruit, & in fructum formari incipit. Hoc idem narrat Theophrastus: simile quidem esse olivæ deflorescentis fructui, sed geminum cohærere sicut testiculos hominis. Et sane in phyllo arsenogoni bini globuli eidem pediculo inhærentes pro fructu inter folia enascuntur. Hoc igitur differt semen thelygoni à semine arsenogoni, quod istud tale est quale olivæ commodum de flore exeuntis fructus. Hæc Plinius ita reddidit: *Arsenogonon a thelygono semine oleæ, nec alio distare.* Ex Dioscoride, nimis breviter & obscure, &, si verum dicendum est, minus recte. Semen arsenogoni geminum semper nascitur, instar testiculorum, & simile est olivæ, ubi primum ex flore exiit. Hic sensus Theophrasti: οἷόνπερ ἐλαία, ὅταν ἄρτι φύηται ἐκ τοῦ βρύου, δίκρουν δὲ ὥσπερ ὄρχεις ἀνθρώπου. Simile quidem baccæ oleæ, sed geminum semper, uni pediculo inhærens. At thelygoni semen, eodem Theophrasto teste, καθάπερ ἐλαίας βρύον, *instar oleæ floris est.* Hoc est, ita confertum nascitur ut solet oleæ flos, quum arsenogoni semen geminum tantum proveniat. Profecto thelygoni semen globulis nunc binis, nunc pluribus eodem pediculo nitentibus continetur, ut asserunt hodierni herbarii. Hoc est quod ait Theophrastus, καθάπερ ἐλαίας βρύον. Quid igitur sibi vult Dioscorides, quum scribit de arsenogoni semine: ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄρτι ἐξηνθηκυίᾳ ἐλαίᾳ βοτρυῶδες. Si semen arsenogoni ex sententia Theophrasti geminum provenit, non est βοτρυῶδες, hoc est, pluribus globulis racematim constipatum: nam geminos tantum globulos præfert uni pediculo inhærentes. At bini globuli τὸ βοτρυῶδες non reddunt. Hæc facies magis convenit thelygoni semini. Melius itaque apud Dioscoridem legeris ex vetustissimi codicis auctoritate: ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄρτι ἐξηνθηκυίᾳ ἐλαίᾳ βοτρυῶδει. Olea βοτρυώδης est dum floret. Quippe flos ejus instar habet βότρυ⊕: & βρύον in hoc florum genere idem quod βότρυς: ut αἰγείρου βότρυς & βρύον idem: δάφνης βοτρύδιον & βρύον. Simile igitur arsenogoni semen ἐλαίᾳ βοτρυώδει quum defloruit, hoc est, ἐλαίας βότρυι, ubi in fructum formari incipit. Alias ex veteri illa lectione corrigendum esset: ἔχει γὰρ καρπὸν ὅμοιον ἄρτι ἐξηνθηκυίᾳ ἐλαίᾳ, βοτρυώδη. Sed falsum est semen arsenogoni phylli βοτρυῶδες esse. Nec hoc dicit Theophrastus. Thelegoni ne semen quidem simile oleæ bryo, sive flori: sed solus ejus flos florem oleæ refert, raro semen perfert. Quod utique semen globulis continetur æque similibus olivæ fructui ex flore tantum non exeunti. Arsenogonum autem florem nullum proferre ajunt, sed statim fructum ex alarum cavis producere. Non igitur exacte satis harum plantarum historiam tradidere veteres. Quod enim Theophrastus semen thelygoni καθάπερ ἐλαίας βρύον esse scribit, hoc de flore, non de semine verum est. At rursus quod Dioscorides semen arsenogoni βοτρυῶδες facere videtur, confundit cum thelygono, cujus flos est βοτρυώδης & βρυώδης. Ceterum nulla inter Dioscoridem & Theophrastum pugna est, nec marificum

A hic facit, quod ille fœminificum. Uterque quippe semen arsenogoni similitudinem habere memorant ἐλαίας ἄρτι ἐξηνθηκυίας. Apud Theophrastum, ut diximus, ἐλαίας βρύον est flos oleæ, qui sic dictus est quod sit βρυώδης. At in ejusdem plantæ historia βρύον apud Dioscoridem aliud est: φύλλον φύεται ἐν πέτραις, τὸ μὲν θηλύγονον λεγόμενον ὥσπερ βρύον, ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον. Sic enim legendum & distinguendum initio hujus exercitationis docuimus. Τὸ βρύον absolute non est flos oleæ, sed muscus saxis vel arboribus innascens. Non vult Dioscorides φύλλον esse simile musco. Ita tamen intellexit Antiquarius Dioscoridis, qui herbarum effigies in vetustissimo codice pingendas curavit.

B Nam alteram phylli speciem depinxit cum foliis musci similibus, quasi ita legisset: τὸ μὲν θηλύγονον λεγόμενον ὥσπερεὶ βρύον, ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον. Quod est falsissimum. Natale solum commune esse thelygono & musco voluit dicere Dioscorides, utcumque enim in petris nasci: φύεται ἐν πέτραις τὸ θηλύγονον ὥσπερ βρύον: *nascitur in saxis ut muscus.* Plinius videtur βρύον eo loco accepisse pro oleæ flore: *Arsenogonon*, inquit, *& thelygonon herbæ sunt habentes uvas floribus oleæ similes.* Profecto thelygonon habet uvas floribus oleæ similes. Nam flores ejus βρυώδη sunt. At in arsenogono nullum florem observatum testantur neoterici, fructu sta-

C tim emergente. Puto etiam falsum Dioscoridem, qui tradidit θηλύγονον ἐν πέτραις φύεσθαι ὥσπερ βρύον. Verba illa ὥσπερ βρύον sumpsit ex historia thelygoni, sed parum memor de loco nascendi illa posuit, quæ de flore ejusdem dicta fuerant. Τὸ θηλύγονον ἄνθ⊕ ὥσπερ ἐλαίας βρύον. Hoc Theophrastus de semine dixit, quod de flore verum est. Sane multa turbant veteres herbarii, nec semper sibi constant, nec paria scribunt. Quorum negligentiam heic & in aliis rebus sæpe sum miratus. De bryo aromatico nunc inquiramus, de quo genere sit, & sub quam appellationem cadat.

D Hodierni herbarii omnes volunt muscum esse communem arboribus innascentem, eum in quercu, & populo, & picea, & larice multis locis inveniri odoratum. Plinius contra stare videtur. Nam *bryon* vocat retenta Græca voce. Atqui *muscum* dixisset, si de communi arboreo musco intellexisset. Præterea bryon ex populo aromaticum *uvam populi* appellat. *Uva populi* non est muscus ei arbori innascens, sed flos ejus, vel aliquid flori ἀνάλογον. Hoc & in certo quodam genere glandiferarum arborum provenit, quod βρύον δρύϊνον dicitur Theophrasto. Hoc idem βρύον habent, & piceæ, quæ περιάνθησις quædam est

E βρυώδης, qualis in plerisque arboribus pro flore est, vel instar floris obtinet. Denique βρύον hoc ἀρωματικὸν Græci etiam φασκὸν & σφακὸν & σφάγνον appellant. Hic φασκὸς est βρύον quercinum quod in ægilope tantum provenire tradit Theophrastus. At muscus in omnibus arboribus, nedum glandiferis solis, aut in certo earum genere proveniat. Huic sententiæ repugnat, quod Galenus bryon odoratum è cedro commendat, & Dioscorides. At cedrus nullum ejusmodi βρυώδη florem emittit, ut populus, picea & certa glandifera species. Ergo de musco, qui cedri arboribus innascitur, capiendum venit. Hoc si con-

F cedimus, idem in ceteris faciemus, ut bryon aromaticum quercinum & populeum nihil aliud putemus esse, quam muscum qui corticem earum arborum vestit. Quod tamen vix mihi persuaserim. Sed hæc viderint ἰατροβοτανικῶν παῖδες. Non mirum hæc hodie ignorari, ubi nullus est usus hujusmodi βρύου aromatici. In unguento populeo conficiendo Myrepsus ingredi facit, *oculorum in summo arboris populi, quando floret, apparentium libram unam semis.* Ita Fuchsius. Græca, quæ mihi videre contigit, habent: δένδρου τοῦ ὀνομαζομένου Ποπίλου τὴν ἄνηξιν, ὁπόταν ἄρξηται βλαστάνειν. Ubi

G ἄνηξις more illo Græciæ Barbaræ perperam scriptum est, pro ἄνοιξις. Nam indifferenter in scribendo has literas & diphthongos Græcobarbari usurpant: η, ι, υ, ει, & οι. Dubium porro est utrum summitatem foliorum populi intelligat Myrepsus, quando aperiri & germinare incipiunt, an uvarum populi, ubi primulum procedunt, summos flosculos. De floribus maluit Fuchsius. Sane & βλάστησις plerumque de hujusmodi florum

fatuorum pullulatione dicitur. Hesychius: κίρκος τῆς αἰγείρε ἡ βλάςησις. Putes eum loqui de populi uvis; nam habetur apud eumdem: κίρκας τὰς βότρυας. Sed hæc alibi pluribus. Profectò videntur & veteres circa hoc βρύον ἀρωματικὸν sententiis variasse, & propter ἀμφίβολον vocabuli modo hoc, modo illud eodem nomine censuisse. Plinius, qui βρύον odoriferum uvam populi albæ esse testatur, in cedro quoque nasci asserit. In cedro nihil innascitur βρύε nomine censendum præter musci genus quoddam. Hoc & in certo genere quercuum odoratum crescit. Theophrastus φασκὸν appellat. Non omnis itaque muscus, quo glandiferæ arbores operiuntur, odoratus est, nec ex quolibet genere musci quercini βρύον illud fuit, quo ad unguenta utebantur. Tria omnino sunt in quercu, quæ βρύε nomen tulerunt. Vulgare βρύον, qui est muscus, quæ villosa est lanugo, qua & aliæ arbores passim amictæ sunt. *Mousse* vulgo appellamus. Aliud genus erat musci, quod in certo tantum genere quercuum nasci tradidit Theophrastus, qui αἰγίλωπος tantum proprium facit, ac peculiare. In haliphloco etiam crescere, sed breve, & nigrum. Ex hoc genere bryon aromaticum exstitit, quod non solum e quercu commendant veteres, sed etiam e cedro, pinu, & populo. Inde & φασκὸν dixere. Præter hæc duo genera βρύε in quercu, aliud βρύον ferunt id genus arbores, quod instar floris est, & una cum folio exit, ex ipsis oculis foliorum, aliquando etiam ex separatis. Hoc βρύον in quercu est, ut in nuce juglande, ut in nuce avellana, quæ βοτρύδια & ἴελοι nominantur.

Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper longum: quod incorruptum est, piper album: quorum cutem rugosam & torridam calor fecerit, piper nigrum: qui demum caducus torretur fervido sole, nomen trahit de colore. At qui ex ipsa arbore stringitur, ut est, album piper dicitur.] Ita anteriores omnes editiones, etiam Delriana, quam habent pro optima. Sed quis non videt in his verbis duarum editionum lectiones in unam coaluisse? *Quod incorruptum est, vocatur piper longum.* Hæc verba sunt alterius editionis, pro quibus habuit altera: *quod ex ipsa arbore stringitur, ut est, album piper dicitur.* Deinde pro istis: *quorum cutem rugosam & torridam calor fecerit, piper nigrum*: quis dubitet in altera editione scriptum ab auctore fuisse, *qui demum caducus torretur fervido sole, nomen trahit de colore.* Hoc est, nigrum piper vocatur. In optimo regio codice ita concipitur in ipso textu: *Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper longum: qui deinde caducus torretur fervido sole, vocamen trahit de colore: at qui ex ipsa arbore stringitur, ut est, album piper dicitur.* Hæc unius è duabus editionis lectio, prioris an posterioris nescio. Ad oram verò idem ille codex alteram hanc scripturam adpositam exhibet in hunc modum: *Qui pæne immaturi exeunt, dicuntur piper longum, qui incorrupti piper album: quorum cutem rugosam ac torridam calor fecerit, nomen trahunt de colore.* Ex his duabus diversarum editionum scripturis composita fuit vulgarium librorum lectio. Omitto aliorum codicum varietates, ex utroque cinno mixtas & nihili faciendas, quia recentiores sunt. Quid optimi præferrent, obtulimus. Plinii verba de pipere, quæ Solinus aliter, sed in eamdem sententiam adumbravit, hæc sunt: *semine à junipero distant parvulis siliquis, quales in fasiolis videmus. Hæ priusquam dehiscant, decerptæ, tostæque sole faciunt quod vocatur piper longum: paulatim vero dehiscentes maturitate ostendunt candidum piper, quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur.* Hæc Pliniana è Dioscoride expressa. Sed mirum qualem similitudinem invenerit ille siliquas inter phasiolorum, & piper longum. Nihil sane simile. Saltem si auctor Græcus hoc dixisset, haberet quo culpam tueretur. Scribit Dioscorides de pipere: καρπὸν δὲ ἀνίησι κατ' ἀρχὰς μὲν προμήκη, καθάπερ λοβὲς: *fructum a primo producit oblongum instar siliquarum.* Addit: ὅπερ ἐςὶ μακρὸν πέπερι, ἔχον τὸ ἐντὸς λεπτῇ κέγχρῳ παραπλήσιον. Comparat siliquis longum piper, quia oblongum est siquæ modo, & grana intus habet. Non dicit quibus siliquis. Phasiolorum longè ab hac forma absunt.

A Quid igitur movit Plinium, ut de siliquis fasiolorum acciperet? pisorum magis similes sunt, quas & cylindratas esse alibi scribit: *siliquæ rotundæ ciceri: ceteris leguminum longæ, & ad figuram seminis latæ: piso cylindratæ: passiolorum cum ipsis manduntur granis.* Ita legendus ille locus ex optimo codice Thuani. Λοβὸς generale nomen de quacunque siliqua. Et sic accipiendum apud Dioscoridem. Ætas Plinii λοβὸν si forte de fasiolis usurpaverit. Hinc ille λοβὸν vertit siliquas fasiolorum. Quæ tamen minime conveniunt cum forma piperis longi. Glossæ: *fasioli*, λοβοί. Græco Latinæ nostræ capite *de oleribus*: B λόβια, *fasioli*. Aëtius δολιχὲς à veteribus vocatos notat: Δολιχοὶ, ἤτοι λοβοί. Idem λοβὲς ἐξαιρέτως nominatos ait, quod ex omnibus frugibus quæ folliculo integuntur, cum siliqua simul mandi soleant: λοβοὶ δὲ ἐξαιρέτως ὀνομάζονται, ἐπειδὴ τέτων μόνων ἐν τοῖς ἔχεσιν ἀμφίεσμα λοβὸν, ὅλος ὁ καρπὸς ἐσθίεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Pisorum etiam genus hodie notum est, quorum siliquæ cum ipsis manduntur granis. At Dioscorides φασιόλες vocat non λοβὲς, ubi speciatim de his tractat. Ergo λοβοὶ apud eum non sunt siliquæ fasiolorum, sed siliquæ simpliciter. Vox *fasioli*, qua & Græci auctores recentiores passim usi sunt, ab C antiquo Græco detorta est, φάσηλοι. Sic vocarunt hoc genus leguminis. Vide Athenæum lib. 11. φάσηλος, *faseolus* vel *fasiolus*: ut φασκώλος, *fasceolum*. Scripserunt etiam *passiolos*. Atque ita reperi scriptum omnibus fermè locis, in antiquissimis Plinii codicibus. Quam scripturam auctor glossarum conservavit, his verbis: *pasiolus*, λοβὸς: *pasim*, πανταχῦ: *pasio*, πάθος. Ex serie literarum & vocum palam est ita scripsisse. Nec aliter habent veteres membranæ. Correxere vulgo editiones: *phasiolus*. Hæc obiter. Sequitur apud Plinium in historia piperis: *verum & iis sua injuria est, atque cœli intemperie carbun-* D *culantur, fiuntque semina cassa & inania, vocantque brechmasin, sic Indorum lingua significante abortum.* In optimis libris legitur, *significante mortuum.* Utra sit vera lectio, incertum. Utrumvis certe de lingua Indorum Plinii additamentum esse liquet. Pro *brechmasin* liber Rigaltii habet *brioma*: in aliis *brisma*. Omnino scribendum *brasma*. Ex Dioscoride sumpsit: εὑρίσκεται δέ τι ἐν τῷ μέλανι ἄτροφον, κενὸν καὶ κοῦφον, ὃ καλεῖται βράσμα. Non meminit Dioscorides ita vocari ab Indis ipsis, & eorum lingua id significare abortum. Hoc igitur somniavit, vel hariolatus est ex verbis Dioscoridis. Et sanè puto legendum in Pli- E nio: *Indorum lingua id significante atrophum.* Pro quo correxere, alii *abortum*, alii *mortuum*. Hoc verissimum. Voce Græca *atrophos* etiam Latini usi sunt, & in his Firmicus sæpe. Ita vocarunt propriè pueros macie confectos. Plinius quoque eam vocem Latinam usu fecit lib. XXXI. cap. X. *Prosunt atrophis, opisthotonis, tetanis.* Quod igitur Dioscorides ἄτροφον piper reperiri dixerat, idque vocari βράσμα, putavit Plinius Indos ipsos, apud quos piper colligebatur, sua lingua sic vocitare piper illud ἄτροφον, quod intus inane & cassum esset. Quod est falsissimum. Βράσμα pura puta vox Græca. Bullas & ampullas F aquarum scaturientium, vel etiam aquæ ferventis & bullientis ita appellarunt. Etiam pustulas ab igne in pane torrido factas hoc nomine dixerunt. Hinc βράσμα piper atrophum & inane, quia nihil plus intus haberet solidi, quam illæ bullæ & ampullæ. Græci: βράσσειν, ζεῖν, ἀναβάλλειν. Hinc ἐκβράσματα, ebullitiones. Dioscorides de Indico atramento: οἱονεὶ ἔκβρασμα ὂν τῶν Ἰνδικῶν καλάμων. Quod Hesychius βράσσειν etiam ἀναβάλλειν exponit, hoc verbum proprium fontium e terra scaturientium, qui dum in altum assurgunt, bullas faciunt. Hinc ἀναβολὴ pro fonte, quem *surgionem aquæ* vulgo dicimus. Optimum Lexi- G con Græcum ἀνέκδοτον: Πολυπίδακα, πολλὰς ἀναβολὰς ἔχοντα, ἤγεν πηγάς. Vetus epigramma apud Vitruvium sic legendum:

Ἡδέα τοι ψυχρῆς πόματος λιβὰς ἣν ἀναβάλλει
Πηγὴ, ἀλλὰ νόῳ πέτρος ὁ τῆσδε πιών.

Strabo:

Πηγὴν πολὺ ὕδωρ ἀναβάλλεσαν.

Inde

A Inde ἀναβάλλουσα γῆ in gloſſis, quæ fontibus & aquis ſcaturit. Gloſſæ: *bibula*, ποτὰς, ἡ ἀναβάλλουσα. Ita nunc malo, quam quomodo olim explicabamus. Diximus quid eſſet βράσμα. Riſi nuper dum legerem apud virum doctum, qui ait ſe quæſiviſſe apud Indos veſtigium hujus vocis *braſma*. Fruſtra quæſiviſſe non miror. Citius in Græcia id inveniſſet. Græci inſtitores hæc nomina mercibus exoticis imponebant, vel etiam Alexandrini Ἑλλωνισταί. In ammoniaca lacrima unum genus dicebatur θραῦσμα, alterum φύραμα. Quis hæc nomina Libyca eſſe diceret? Eodem jure poſſes quo Plinius Indicum nomen de pipe-B re hariolatus eſt, βράσμα. In thuris hiſtoria ac differentiis σταγονίας, ἄτμητος & reliqua cognomina Arabica non ſunt, ſed mere Græca. Ita in aliis. Gloſſæ: *ſcatebra*, βράσμα ὕδατος ἀπὸ γῆς. De aqua fervente, ac bulliente etiam hoc dixerunt. Democritus ψευδώνυμος de ratione tingendæ purpuræ: ἐπίθες ἐπὶ πυρὰς, ὥστε λαβεῖν βράσματα, id eſt, *donec bulliat*. Et apud Stephanum: ἕως ἂν λάβῃ βράσμα ἕν. Quod dicimus, *un bouillon*.

Sed ut piper ſola India, ita ebenum ſola mittit.] Ex Virgilio:

---- *ſola India nigrum*
Fert ebenum.

C Nam Plinius etiam in Æthiopia Herodoto teſte probat. Verba Herodoti Muſa tertia de Æthiopia: αὕτη δὲ χρυσόν φέρει πολλὸν, καὶ δένδρεα ἄγρια πολλὰ, καὶ ἔβενον. Optimam facit & nigerrimam ebenum Æthiopicam Dioſcorides. Hæc *Meroetica ebenus* Lucano dicitur, ut ſupra notavimus à Meroe Æthiopiæ urbe principali. Vulgo *Mareotica* perperam legitur. Quæ adeo vetuſta eſt menda, ut eam agnoſcat Iſidorus, qui neſcio quam *Mareoticam* paludem Indiæ eſſe, unde ebenus venit, hariolatur: *Eſt autem Mareotica palus in India, unde ebenus venit. Lucanus: ebenus Mareotica.* Immo *Meroitica*, Μεροϊτικὴ ἔβενος. Nam à Me-D ρόη gentile Μεροΐτης. Unde Μεροϊτικός. De Iſidoro minus fortaſſe mirum. Sed in Servio quis non jure id miretur? Is ex eo Lucani corrupto verſu, quo *Mareotica ebenus* indigetatur, ebenum in Ægypto etiam naſci argumentatur, quia ſcilicet *Mareotis* palus in Ægypto Alexandriæ vicina celebratur. Eam paludem intellexit Iſidorus, quam perperam in India locat. Non hodie atque heri *Mareotica* ebenus pro *Meroitica* in Lucani verſu irrepſit, ut hinc colligas vetuſtatem mendæ, quæ Servii ætate jam locum illum occuparat. Theophraſtus Indiæ peculiarem hanc arborem tradit: ἴδιον δὲ καὶ ἡ ἔβενη τῆς χώρας ταύτης. De India E loquitur. Duo genera ibidem ebeni ſtatuit, τὸ μὲν εὔξυλον καὶ καλὸν, τὸ δὲ φαῦλον: σπάνιον δὲ τὸ καλὸν, θάτερον δὲ πολὺ, τὴν δὲ χρόαν οὐ θησαυριζομένη λαμβάνει τὴν εὔχροιαν, ἀλλ' εὐθὺς τῇ φύσει. Ἐστι δὲ τὸ δένδρον θαμνῶδες ὥσπερ ὁ κύτισος. Quem locum Plinius perturbate reddidit, & prorſus contra mentem auctoris lib. XII. cap. IV his verbis de ebeno: *duo genera ejus: rarum id quod melius, arboreum trunco enodi, materie nigri ſplendoris, ac vel ſine arte protinus jucundi: alterum fruticoſum cytiſi modo, & tota India diſperſum.* Theophraſtus in univerſum pronuntiavit de omni ebeno, θαμνώδη arborem eſſe. Plinius de altera tantum ſpecie ſequiori id dictum F interpretatus eſt. Quo argumento? Nec enim ulla via eo nos ducunt Theophraſti verba. Id ex prava expoſitione vocis illius εὔξυλον conſequutus videtur. Alterum genus ebeni præſtantius εὔξυλον eſſe dicit & καλὸν. Plinius εὔξυλον accepit pro eo, quod eſſet arboreum & enodi trunco. Si hac ſola diſcretione genera illa diſtinxit auctor: ergo illud ſequius genus minime arboreum cenſendum, ſed in fruticum cenſu reponendum, ut θαμνῶδες. Hunc ſenſum ſpernit ac refutat ordo verborum Theophraſti, & vocis εὔξυλον notio. In arborum natura & facie deſcribenda τὸ ξύλον G ille ſemper pro qualitate materiæ & ligni ſolet ponere, non pro craſſitudine aut proceritate arboris. Arborem ipſam εὐαυξῆ, εὐμεγέθη, τὸ μέγεθος μεγάλην, vel μικρὰν & ſimilia. De ligno vel materie qualis ſit, ſubjungit, ξύλον ἰσχυρὸν, στερεὸν, πυκνὸν, μαλακὸν, κοῦφον, & cetera quæ materiei qualitatem deſignant. Exempli gratia de ulmo: μέγα δὲ δένδρον καὶ τῷ ὕψει καὶ τῷ μεγέθει. Τὸ ξύλον ξανθὸν, καὶ ἰσχυρὸν εὔινον καὶ γλισχρὸν. Ita legendum, non αἰσχρόν. Et male vertunt: *materies nervata deformis.* Idem de ſubere: τόδε δένδρον ἐστὶ στελεχῶδες μὲν καὶ ὀλιγόκλαδον, εὐμήκες δ' ἐπιεικῶς καὶ εὐαυξὲς, ξύλον ἰσχυρόν. Plura parcam adſcribere, quæ paſſim legentibus occurrunt lib. III. de Hiſt. Plant. Quum igitur Theophraſtus optimam illam ebeni ſpeciem εὔξυλον appellavit, non arboris proceritatem, aut trunci craſſitiem ſignificare voluit, ſed ligni bonitatem & præſtantiam. Utrumque ebeni genus θαμνῶδες, ſed alterum longe præſtat ſoliditate materiei & bonitate ac pulcritudine: τὸ μὲν εὔξυλον καὶ καλὸν, τὸ δὲ φαῦλον. Sola igitur pulcritudine ac præſtantia ligni ſpecies illas diſcrevit, non magnitudine arborea aut fruticea. Præterea male vertit idem Plinius hoc loco, θαμνῶδες, *fruticoſum.* Ἐστι δὲ τὸ δένδρον θαμνῶδες ὥσπερ κύτισος. Hæc ebeni arbor minuſcula eſt & ex fruticum potius genere, ut cytiſus. Cytiſi quoque mediale æque nigrum eſſe atque ebeni alibi tradit. Plinius: *huic nigricans color, magiſque etiam cytiſo, quæ proxime accedere ebenum videtur.* Idem alio loco: *tota oſſea, ilex, ornus, robur, cytiſus, morus, ebenus, lotos.* Sic legendum. Vulgo: *tota oſſa.* Ebenus igitur ut & cytiſus, cui ſimilis eſt, in fruticum potius quam in arborum numero reponenda. Hoc eſt, quod ait Græcus, δένδρον θαμνῶδες eſſe ὥσπερ κύτισον, hoc eſt, brevem arborem eſſe inſtar cytiſi. Alio loco τὴν κύτισον παρομοίαν τῇ ἐβένῳ eſſe dicit. Plinius reddit: *alterum genus fruticoſum.* Aliud θαμνῶδες apud Theophraſtum: aliud *fruticoſum.* Θαμνῶδες illi auctori, ut δένδρον θαμνῶδες nihil aliud ſignificet quam minuſculam arborem, & θάμνε, hoc eſt, fruticis inſtar habentem. Sic βρυῶδες ἄνθος, quod eſt, βρύῳ ſimile: δρυῶδες φύλλον ilicis, folium ſimile quercino. Sic τὰ θαμνώδη opponit τοῖς δένδροις, frutices nempe arboribus: ut lib. I. cap. IX. Ἐν μὲν τοῖς δένδροις οὐκ εἰσὶν ἡ σπάνιοι, ἐν δὲ τοῖς θαμνώδεσι καὶ ὅλως τοῖς ὑλήμασι. Et lib. III θαμνῶδες δένδρον appellat, quæ brevis eſt arbor, ut frutex, nec in altum attollitur: διαφέρει δὲ τῷ θαμνωδέστερον εἶναι τὴν πτελέαν, εὐαυξέστερον δὲ τὴν ὀρειπτελέαν: *Quod ulmus humilior ſit, ac frutici propior, montana autem ulmus procerior.* Male vertunt interpretes θαμνωδέστερον *fruticoſiorem.* Hæc terminata in ώδης apud Græcos aliquando copiam ſignificant, ut ἀκανθώδης τόπος & δρυμώδης: aliquando ſimilitudinem tantum, ut δρυῶδες, θαμνῶδες & ſimilia. At *fruticoſum* Latine id eſt, quod multo frutice abundat, ut arbores *fruticoſæ*, quæ ab radice multo frutice pullulant, & multa virga fruticant. Solinus *fruticoſum* Plinii hoc loco interpretatur, *vimine frequentiori.* De ebeno: *hæc plerumque tenuis, & vimine frequentior.* Expreſſit *fruticoſum* Plinii. Hoc θαμνῶδες ſimpliciter vocare non conſuevit Theophraſtus, ſed θαμνῶδες τοῖς ῥάβδοις, hoc eſt, virgis ac vimine multo fruticans. Cui opponit τὸ στελεχῶδες. Nam quæ arborum recto & enodi trunco ſurgunt, nihil impedit quo minus etiam ſint humiles & θαμνώδεις. At illæ, quæ plures virgas & frutices ab radice emittunt, nec magnum truncum faciunt, θαμνώδεις τοῖς ῥάβδοις ei auctori dicuntur, & opponuntur τοῖς στελεχώδεσι. Idem lib. III. cap. XV. Ἔτι δὲ τῷ μηδὲ στελεχῶδες, ἀλλὰ θαμνῶδες εἶναι τοῖς ῥάβδοις. Et cap. XII de corno: τὸ δὲ στέλεχος οὐ παχὺ λίαν, ἀλλὰ παραφύει ῥάβδους, ὡς ἄγνος. Et cap. XVII: τὸ δὲ δένδρον ἐστὶ στελεχῶδες μὲν καὶ ὀλιγόκλαδον, εὐμήκες δὲ ἐπιεικῶς. Hæ ſunt, quæ in caudicem extuberantur τὰ στελεχώδη: quæ vero vimine frequentiores ſunt & virgis fruticoſiores, eæ θαμνώδεις τοῖς ῥάβδοις. At θαμνῶδες δένδρον ſimpliciter arbor eſt fruticis inſtar habens, & humilis, non fruticoſa. Plinius *frutectoſum* alibi ſolet appellare, quod Theophraſto dicitur θαμνῶδες, & ex θαμνῶν genere. Quæ vox apud eumdem ſæpe vitio mutata eſt in fruticoſum, ut ante monuimus. At *fruticoſum* eidem proprie eſt, quidquid multis virgis ſtatim ab radice pullulat ac fruticat, quod opponitur unicauli, & tales plerique frutices. Hinc θάμνον Græci exponunt πυθμένα δένδρε ἡ ῥίζαν πολλὰς κλάδας ἐκπέμπουσαν. Lib. XX. cap. XXIII. *Silveſtrium genera ſunt duo: unum fruticoſius à terra ſtatim, alterum unicaule craſſius.* Hoc μονοστελεχὲς & μονόκαυλον Theophraſto, illud θαμνῶδες τοῖς ῥάβδοις. Immemor

valvæ ex inteſtino opere. Et ſane ſciendum eſt *inteſtinum opus* proprie dici quod ex ligno fit, ſed elegantiore fabrica, & ea arte quam *minutiariam* nunc appellamus. Veteres quoque λεπτουργίαν dixere. Unde & λεπτουργοὶ τεχνῖται apud Theophanem. Gloſſæ: λεπτουργὸς, *faber lignarius*. Ita lege, non *tignarius*. Plurimi artificii hæc inteſtina opera. Ideo addit: *ſive Græco, ſive Campano, ſive Siculo fabricæ artis genere ſpectabilis*. Euſebius lib. x. τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις. Inteſtina autem dicta opera illa, quod intra domum tantum locum habeant, & in ædium interiori parte ſita ſint, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων. Theophraſtus: ἀρκοῦσα δὲ εἰς τεκτονίας, καὶ εἰς τὰ ὑπαίθρια, καὶ εἰς τὰ κατορυττόμενα κατὰ γῆς διὰ τὸ ἄσαπες. Ad hæc inteſtina opera, & minutiaria facienda, mediale tantum ligni ſumebatur. Ideo dicit Vitruvius: *ejecto torulo ex eadem arbore ad inteſtina opera comparatur*. Ubi *torulum* vocat circulum corticeum, vel ligni alburnum, quod ambit medullam. Ex ſola quippe medulla abietis inteſtinum opus fabricabatur. Idem ibidem: *cædi autem ita oportet, ut incidatur arboris craſſitudo ad mediam medullam & relinquatur, ut per eam exſiccescat ſtillando ſuccus. Ita qui ineſt in his inutilis liquor, effluens per torulum non patietur emori in eo ſaniem, nec corrumpi materiei ſanitatem*. Qui Vitruvio *torulus*, Theophraſto φλοιώδης κύκλος dicitur de abiete: μήτραν μὲν πάντα μὲν ἔχει, ἥ φασιν οἱ τέκτονες, φανερὰν δ' εἶναι μάλιστα ἐν τῇ ἐλάτῃ: φαίνεσθαι γὰρ οἷον φλοιώδη τινὰ τὴν σύνθεσιν τῶν αὐτῆς κύκλων. Κύκλοι illi φλοιώδεις circa medullam *toruli* ſunt. Idem: διὸ καὶ οἱ ἀρχιτέκτονες συγγράφονται περιαιρεῖν τὰ περὶ μήτραν, ὅπως λάβωσι τὸ ξύλου τὸ πυκνότατον καὶ μαλακώτατον. Quod Vitruvio eſt *ejicere torulum ex arbore*, hoc Theophraſto περιαιρεῖν τὰ περὶ μήτραν. Lege apud eumdem Plinium de abiete loco ſupra citato: *ſive Græco, ſive Campano, ſive Siculo fabricæ artis genere, ſpectabilis ramentorum crinibus, pampinato ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos runcinarum actus*. Male editum eſt: *runcinarum raptus*. In ſcriptis codicibus, *runcinam raptus*, pro runcinarum actus. In inteſtinis operibus locum habent aſciæ, runcinæ, & planæ: in aliis dolabræ. Sequitur apud eumdem: *eadem & curribus maximè ſociabilis glutino*. Liber Thuanæus: *eadem eturris*. Lege: *eadem & fabris maxime ſociabilis glutino*: περὸς δὲ τὰς τῶν τεκτόνων χρείας εὐχεκολλον μάλιστα. Ita corrigendum apud Theophraſtum lib. v. cap. VII. Ubi vulgo corruptiſſime εὐχέκαλλον. De abiete tamen hoc non dicit Theophraſtus: ſed de picea. Apparet igitur legiſſe Plinium: ἡ δὲ ἐλάτη μάλιστα, ὡς εἰπεῖν ἰσχυρόν. Πρὸς δὲ τὰς τῶν τεκτόνων χρείας εὐκολλον μάλιστα. Omiſſis illis, ἡ πεύκη. Nam de abiete locum illum ex eodem ſcriptore tranſtulit Plinius. Ut ad κτηδόνας & venas redeamus, in arbore *currere* eæ ſic dicuntur, ut purpura Melibœa in veſtis extrema ora currit apud poëtam: & apud Homerum χαλκὸς θέει circa clypei ambitum. Hinc *curſivenium* genus aceris apud eumdem, quod Theophraſto ἰνότροχον. Utrumque ex correctione noſtra. Nam in Plinio legitur, *craſſivenium*. In Theophraſto κλινότροχον, pro καὶ ἰνότροχον. *Fluere* etiam ut *currere* tritum in eadem loquutione. Hinc περίῤῥοη χρώματος de limbo picto, qui circa extremitatem veſtis currit apud Pollucem. Dicebatur & περίκλυσις pro limbo. Unde *peryclyſis de chryſoclavo* multis locis apud Anaſtaſium. Hinc igitur μονόῤῥοοι, δίῤῥοοι & τετράῤῥοοι arbores, quæ quadruplicem, duplicem & ſimplicem venarum habent curſum. Gaza legebat τετράζωοι & vertebat *quadrivivas*. Quod non poteſt obtineri. Si vera eſſet hæc ſcriptura, mallem interpretari, *quæ quadrifidas venarum habent præcinctiones*. Nam antiquum verbum ζώω idem quod cingo, unde ζώννυμι, & ζώσασθαι, & ζῶμα pro cingulo. Hinc λευκόζωστος & μελάνζωστος γῆ, quæ nigris & albis venis diſtinguitur apud Heſychium. Sed & Dioſcorides de hæmatite lapide loquens, κτηδόνας, & διαφύσεις, & διαζώματα videtur tanquam ſynonyma uſurpaſſe. Illud alterum malo.

Nec tamen univerſa, verum exigua ſui parte ſilvas hoc genus edit.] Ita legendum, non ut vulgo: *ſilvis hoc genus edit*. Sic *balſami lucos* dixit alibi, & *buxeos lucos*. Ita hoc loco *ſilvas* pro arboribus ebeni. Per totam Indiam plurimum eſſe genus ebeni commune, quod φαῦλον appellat, Theophraſtus ait; at eximium illud, quod εὔξυλον & καλὸν vocat, etiam rarum eſſe teſtatur.

Arbor plerumque tenuis.] Plinius buxum & ebenum natura graciles eſſe dicit. Diſtinguendum fuit hoc loco: *frequentior vimine, raro in craſſitudinem caudicis extuberatur*. Male hactenus in editionibus vulgariis etiam Vineti & Delrii lectum eſt: *frequentior vimine raro in craſſitudinem caudicis extuberata*. Theophraſtus ebenum θαμνῶδες δένδρον vocat, id eſt, minorem arbuſculam, quæ haud ultra fruticis menſuram aſſurgat. Sic enim hæc quatuor diſparat genera: τὰ ποώδη, τὰ φρυγανικὰ, τὰ θαμνώδη, & τὰ δένδρα. Non igitur fruticoſam, nec vimine frequentiorem ebenum eſt accipiendum quod θαμνώδη eam vocet, ſed è cenſu ac numero τῶν θαμνωδῶν haberi. Plinius, ut ſupra notabamus, verbis Theophraſti male acceptis inductus alterum genus ebeni, trunco eſſe enodi & arboreum dixit: *rarum id quod melius, arboreum, trunco enodi*. In optimo Rigaltiano codice ſcribitur: *arboreum jure enodi*. Unde certa ſatis conjectura legendum elicio: *rarum id quod melius, arbore mire enodi*. Idem lib. XVI. cap. XL materiem à ligno diſtinguit, quod materies non niſi de magnis arboribus ſoleat uſurpari. *Ab his*, inquit, *proxima eſt cornus: quamquam non poteſt videri materies propter exilitatem, ſed lignum non alio pæne quam ad radios rotarum utile, aut ſi quid cuneandum ſit in ligno, clavisve figendum ceu ferreis*. Hinc ſequior Latinitas *materiem* pro trabe uſurpavit. Et *materiæ quinquagenariæ* pro trabibus quinquaginta pedes longis in hiſtoria Auguſta nobis obſervatæ. Notanda & illa in Plinio loquutio, *non alio quam ad radios rotarum utile*. Non alio utile, pro non ad aliam rem utile. Sic *quo* pro ad quam rem.

Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti.

De qua loquutione nos alibi. De exilitate porro ac tenuitate ebeni ejuſdem Plinii hæc verba ſunt: *ſpiſſiſſima ex omni materie, ideo & graviſſima judicatur ebenus & buxus, graciles natura: neutra in aquis fluvitat*. Hæc ad verbum ex Theophraſto: πυκνότατα μὲν οὖν δοκεῖ καὶ βαρύτατα πύξος εἶναι καὶ ἔβενος: οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ἐπὶ τοῦ ὕδατος ταῦτ' ἐπινεῖ. Mox ſubjicit Plinius: *Ex reliquis ſicciſſima lotos, quæ Romæ ita appellatur: deinde robur exalburnatum*. Et hæc verbis ipſis ex eodem loco Theophraſti expreſſa: τῶν δ' ἄλλων ὁ λωτός: πυκνὸν δὲ καὶ ἡ τῆς δρυὸς μήτρα, ἣν καλοῦσι μελάνδρυον. Ex omnibus arboribus ſpiſſiſſimam & graviſſimam eſſe refert ebenum & buxum. Ex reliquis loton, & medullam roboris. Hic ſenſus Theophraſti. Legendum igitur apud Plinium: *ex reliquis ſpiſſiſſima lotos, quæ Romæ ita appellatur*, non *ſicciſſima*: ut habetur in vulgatis. Libri veteres etiam hoc loco corrupti, qui præferunt: *Ex reliquis ſciſſima lotos*. Omnino pro *ſpiſſiſſima*, πυκνότατη. Haud ſcio an ex hac corruptela vocabuli nomen arboris apud Latinos finxerit Gaza, quam *ſciſſimam* nuncupat. Ita ubique vertit τὴν ὀξύην Græcorum. Atqui ὀξύη eſt *cerrus*, ut in ſuperioribus docuimus exercitationibus. Sed quid eſt quod ait Plinius, *lotos, quæ Romæ ita appellatur*? An non *lotos* nomen hujus arboris Græcum eſt? Certè eſt. Sed ita Romæ quoque appellari ſignificat, cum in Africa ubi naſcitur, ab indigenis nominetur *celtis* lib. XIII. cap. XVII. *Eadem Africa, qua vergit ad nos, inſignem arborem loton gignit, quam vocant celtin, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam*. Clarius alio loco lib. XVI. cap. XXXI. *Lotos, ſive faba Græca: quam Romæ à ſuavitate fructus ſilveſtris quidem, ſed ceraſorum pæne natura, loton appellant*. Plane innuit Romæ *loton* appellari à ſuavitate fructus, quæ aliis *faba Græca* dicitur. Hic ſenſus ejus eſſe videtur, eam arborem quæ Italiæ tum erat familiaris, quæque *faba Græca* vulgo dicebatur, vocatam eſſe Romanis *loton* à ſuavitate fructus ſilveſtris arboris, quæ naſcebatur in Africa hoc nomine. Profecto non aliter poſſis hæc interpretari. At ſupra dixit eam ipſam loton Africanam Italiæ eſſe familiarem, ſed ſolo mutatam. Deinde ſcribit hoc loco fructum illum ſilveſtrem, à cujus ſimili

simili suavitate faba Græca loti nomen accepit, cerasorum naturam pæne habere. Idem tamen lib. XII loton Africanam fructum ferre tradit myrti modo, non cerasi, ut fert Romana. Sic certe parum sibi ipsi constat auctor. Quod ubique facit. De loti arboris differentiis ac notis magna est inter nostros Ἰατροβοτανιστὰς dividia, certatim quærentes, quomodo antiqua cum hodiernis pariare queant. Sunt ex illis, qui quatuor loti genera statuant, quia apud auctores antiquos, paulo diversius naturam ejus arboris describi reperiunt. Sed falluntur. Theophrastus ex antiquioribus peculiare quoddam genus esse loti asserit, cujus species plures esse, fructu discretas. Id genus ita describit, arborem esse magnam instar pyri, folium incisuras habere, ut ilicis videatur, fructum ferre magnitudine fabæ, uvarum modo colores subinde mutare, dum maturescat. φύεται δὲ, inquit, καθάπερ αἱ μύρται παράλληλα πυκνὸς ἐπὶ τῶν βλαστῶν. Hanc loton, qualis ibi describitur, lotophagorum peculiarem affirmat. Cujus duo genera facit, alterum nucleis carens, alterum cum interiore ossiculo. Plinius hanc descriptionem loti lotophagicæ in quibusdam corrigit ex opinione Nepotis. *Magnitudo*, inquit, *quæ pyro, quamquam Nepos Cornelius brevem tradit.* Nepotis sententia eadem cum Polybiana de loto: ἐστὶ δὲ τὸ δένδρον ὁ λωτὸς οὐ μέγα. Quod de vino loti baccis expresso refert ibidem ex Nepote Plinius, ex Polybianis ab eo sumptum videtur: *vinum quoque exprimitur illi simili mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos: baccasque contusas cum alica ad cibos doliis condi.* Hæc ad verbum Nepos ex his Polybii, quæ apud Athenæum leguntur: γίνεται δὲ οἶνος ἐξ αὐτοῦ βρεχομένου καὶ τριβομένου δι' ὕδατος κατὰ τὴν γεῦσιν ἡδὺς, καὶ ἀπολαυστικὸς οἰνομέλιτι χρηστῷ παραπλήσιος, οὐ δύναται δὲ πλέον δέκα μένειν ἡμερῶν. Quæ verba confirmant vulgarem in Plinio lectionem, *quod ultra dies denos durare negat idem Nepos.* Nam quidam legunt, *ultra dies duos.* Addebat Nepos: *baccasque contusas cum alica ad cibos doliis condi.* Quæ plane efficta sunt ex Polybianis istis: ἐπὰν δὲ πεπανθῇ, συνάγουσι καὶ τὸν τοῖς μὲν οἰκέταις μετὰ χόνδρου κόψαντες, σάττουσιν εἰς ἀγγεῖα. Quæ compendiose quidem, sed haud satis fideliter à Nepote reddita sunt. Nec enim totum expressit. Lotus illa, cujus descriptio priore loco apud Theophrastum posita est, & quam supra exposuimus, lotophagorum eodem Theophrasto asserente propria fuit. Ab ea diversum genus, lotus Cyrenaïca, ut hæc verba ostendunt apud eumdem: πλεῖστον γὰρ ὅλως ἐν τῇ Λιβύῃ, καθάπερ εἴρηται λωτὸς, καὶ ὁ παλίουρός ἐστιν. Ἐν γὰρ Ἑσπερίσι τούτοις εἰς καῦσιν χρῶνται. Διαφέρει δὲ οὗτος ὁ λωτὸς τοῦ παρὰ τοῖς λωτοφάγοις. Loton Cyrenaïcam intelligit, cujus tantam copiam in Libya provenire memorat, ut ea materie vulgo ad focum utantur. Ἑσπερίδες urbs Cyrenaïcæ. Non dicit autem quo genere, aut qua in re distet Cyrenaïca lotos à lotophagica. Sed, quantum apparet, descriptio, quam statim ibidem subjicit alterius loti ex quorumdam sententia, ad Cyrenaïcam pertinet lotum. De qua nos paulo post. Herodotus ex antiquissimis Cyrenaïcam loton à lotophagica etiam separat. De lotophagis, & eorum arbore scribit lib. IV: fructum habere magnitudine lentisci, suavitate palmularum, quo vulgo vescuntur illi populi. At lib. II Cyrenaïcam loton nominat veluti disparem illi lotophagicæ. De Ægyptiis sic loquitur: τὰ δὲ πλοῖά σφισι τοῖσι φορτηγέουσι, ἐστὶ ἐκ τῆς ἀκάνθης ποιεύμενα, τῆς ἡ μορφὴ μὲν ἐστὶ ὁμοιοτάτη τῷ Κυρηναίῳ λωτῷ, τὸ δὲ δάκρυ κόμμι ἐστί. Spina illa Ægyptia, cui simillimam facit Cyrenensium loton, altera est. De duplici genere ἀκάνθου Ægyptiæ, cujus apud Theophrastum mentio lib. IV. cap. III, & quantum auguror, de nigra accipiendum. Candida magnitudine præstat, ex qua materiem cædebant duodenûm pedûm tectis sustinendis idoneam. At nigra in eadem gente maxime celebrata longe brevior, incorrupta in aquis durans, ob id costas navigiorum ex ea texebant, ut ex Herodoto ac Theophrasto constat. Τὸ δὲ δένδρον, inquit iste, οὐκ ἄγαν ὀρθοφυές. Ex ea gummi etiam colligebatur, quod ἀκάνθινον dictum. Huic spinæ simillima lotos Cyrenaïca, ut testatur Herodotus. Ergo lotos illa spinis aculeata, & brevis arbor. Quamobrem certo certius est loton eam, quam Polybii verbis describit Athenæus lib. XIV, esse Cyrenaïcam, quæ in tota Africa plurima nascitur. Ἐστὶ δὲ τὸ δένδρον ὁ λωτὸς οὐ μέγα, τραχὺ δὲ ἀκανθῶδες. At lotophagica Theophrasti lotos, δένδρον εὐμέγεθες. De eodem genere loti capiendus Dioscorides: λωτὸς τὸ δένδρον φυτόν ἐστιν εὐμέγεθες. Cyrenaïcum igitur brevius & spinis hispidum. Quam secundo loco posuit Theophrastus Cyrenaicæ hujus loti descriptionem esse oppido per quam verisimile est. Immo verissimum. Ἔνιοι δὲ τὸ τοῦ λωτοῦ δένδρον θαμνῶδες εἶναι καὶ πολύκλαδον: τῷ στελέχει δὲ εὐπαχές. Brevem esse arborem, & è fruticum potius genere his verbis adstruit. Hoc est quod dicit Polybius, δένδρον οὐ μέγα. De vino, quod ex ejus fructu conficiebatur, paria produnt Theophrastus & Polybius. Hic ultra decem dies durare negat, quin acescat: ille vix duos aut tres dies incorruptum manere: καὶ τὸν οἶνον, ὃν ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσιν, οὐ διαμένειν πλέον ἢ δύο ἢ τρεῖς ἡμέρας, εἶτα ὀξύνειν. Quin de Cyrenæa loto loqui se palam hæc posteriori descriptione fatetur his verbis quæ statim subnectit: ἡδίω μὲν οὖν τὸν καρπὸν ἐν τοῖς λωτοφάγοις ξύλον δὲ κάλλιστον τὸ ἐν Κυρηναίᾳ. Pulcrior Cyrenaïcæ loti materies, utpote nigrior. Nam similis erat ligno nigræ spinæ Ægyptiæ, quod erat firmissimum & nigerrimum. De fructu videamus. Polybius tradit rotundis & majoribus olivis similem esse: τῷ μὲν χρώματι γίνεται φοινικοῦς, τῷ δὲ μεγέθει ταῖς στρογγύλαις ἐλαίαις παραπλήσιος. Rotundæ olivæ majores tales erant, quæ φαυλίαι Græcis dicebantur. Theophrastus posteriorem suam & Cyrenaïcam loton dicit καρπὸν κατὰ τὸν κάρυον ἔχειν, id est, fructum habere magnitudine & forma nucis juglandis. Sic omnino eo loco legendum judico. In vulgatis editum est: τὸν δὲ καρπὸν μετὰ τὸ κάρυον ἔχειν. Cui perridiculam & falsam interpretationem affingunt: *fructu nuce obducto.* Unde alii hariolando exsculpserunt hanc speciem loti fructum habere nuce inclusum. Qui tamen volunt laurocerasum esse. Quod quomodo procedere possit non video. Nam laurocerasus illa, quam intelligunt, pulpam habet extra, nucleum intra, nec nuce includitur. Juglandis porro nucis atque olivæ rotundæ majusculæ eadem forma. De hoc eodem fructu Polybius: ἐστὶ δὲ τὸ βρῶμα παραπλήσιον σύκῳ καὶ φοινικοβαλάνῳ, τῇ δὲ εὐωδίᾳ βέλτιον. Parem odoris suavitatem in bacca Cyrenensis loti dum manditur, commendat Theophrastus: ἐσθιόμενον δὲ οὐχ οὕτω γλυκὺ ὡς εὔστομον. Græcis εὔστομα proprie dicuntur, quæ odoris jucunditatem ori conciliant, quæ nos *bonum os facere* dicimus. Ex his omnibus prorsum debet esse exploratum Theophrasti Cyrenæam loton eamdem omnino censendam cum Polybiana, & diversam à lotophagica, quæ sui quodammodo generis est, ἴδιον γένος. Hæc Cyrenensis per totam Africam dispersa & Ægypto quoque Cyrenensis agri conterminæ familiaris. Alexandrini κόνναρον eam vocabant, apud quos in secundis mensis plurimum celebrabatur. Historia connari, prout apud Athenæum Agathoclis Cyziceni verbis depingitur, paria penitus facit cum Polybiana loto, quæ Cyrenaïca est Theophrasti. Athenæus: ἐρῶ δὲ πρότερον περὶ τῶν παρ' Ἀλεξανδρεῦσι καλουμένων κοννάρων καὶ παλιούρων. Jungit connaros & paliuros tanquam similes & congeneres fructus. Ita Theophrastus λωτὸν Libycam, sive Cyrenaïcam simul cum paliuro commemorat. De paliuro porro loquitur non vulgari Græciæ, sed Africæ peculiari: ὁ δὲ παλίουρος θαμνωδέστερος τοῦ λωτοῦ, φύλλον δὲ παρόμοιον ἔχει τῷ ἐνταῦθα, τὸν δὲ καρπὸν διάφορον. Hactenus Plinius in suis adversariis hunc locum retulit, quem sic reddidit: *Cyrenaïca regio loton suæ postponit paliuro: fruticosior hæc, fructuque magis rubens.* Διάφορος multis locis apud Theophrastum & alios vetustos auctores pro excellenti & eximio ponitur. Ita hoc loco id verbi accepit, atque hinc concepit Cyrenenses loton postponere paliuro, quasi paliuri fructus διάφορος esset, & longe melior fructu loti. Hallucinatus est non descriptis totis Theophrasti verbis. Quod alibi sæpe fecit. Paliuri Cyrenaïci, sive Libyci folium simile esse Græco paliuro significat, sed fructu differre, quem rubentem & rotundum gignit Africanus, quum in Græco planus sit, & latus. Male etiam vertit, *fruticosior hæc.* Quod in Græcis est, παλίουρος θαμνωδέστερος. Immo brevior & pumilior,

lior, & fruticum generi propior. Sed & quæ sequuntur non recte cepit: πυρῆνα δ' ἔχει οὐ συνεσθιόμενον καθάπερ τῆς ῥοιᾶς, ἡδὺν δὲ τὸν καρπόν. Legisse videtur Plinius: & in adversaria sua tantum retulisse, οὐ συνεσθιόμενον, ἡδὺν δέ. Sic enim vertit: *nucleus non simul manditur, jucundus per se, atque suavior e vino.* Atqui de toto fructu, non de solo nucleo hæc prodidit Theophrastus. Κόνναρος igitur & παλίουρος similes arbores. Hesychius: Κόνναρον καρπὸς δένδρου ὁμοίου παλιούρῳ. At connarus Alexandrina eadem cum Libyca, vel Cyrenaïca loto. Agathocles δενδρεῖον vocat, & tamen quod mirere, haud inferiorem esse prodit ulmo & picea. Ramos spinulentos habet κόνδρος, æque lotos Polybiana, sive Cyrenaïca: ἀκρεμόνας δ' ἔχει θαμέας καὶ δολιχοὺς, καὶ ὑπ' ὀλίγον ἀκανθώδεας. Ita loquitur de connaro Agathocles. De fructu ejus sic habet: γλυκὺς δὲ πάνυ ὁ καρπὸς μέγεθος κατὰ φαυλίην ἐλάαν. Prorsus idem instar in loti Polybianæ fructu, quem similem ille dicit στρογγύλαις ἐλάαις. Oliva φαυλία Græcis majuscula est, ac rotundior. Nam φαυλίον vocant τὸ ἁδρόν. Unde φαύλια μῆλα Hesychius exponit τὰ μεγάλα. Alii tamen φαυλίας exiguas interpretantur. Quod heic non convenit. Vide apud Athenæum. Theophrastus magnitudinem loti fructus ait esse κατὰ κάρυον. Agathocles κοννάρου κατὰ φαυλίην ἐλάαν. Quod idem est. Fructus connari pari modo curabatur, & ad cibos condebatur doliis, contusus prius & in massas redactus, ut & loti. Agathocles: τρώγεται ἔτι χλωρὸς ὁ καρπὸς, καὶ ἐπὴν αὐανθῇ, ποιεῦσι· ἐξ αὐτοῦ ἄλδιμα, ἢ πατέουσι ταῦτα οὐ μάξαντες, οὐδ' ὕδατι δεύοντες, ἀλλὰ φαύλως ὁκοῖάπερ πέφυκεν. Quæ verba sic vulgo accipiunt, & exponunt, quasi ex siccis hujusmodi fructibus farina fieret apud Ægyptios. Quod ineptum. Qui enim quæso ex siccatis ejusmodi fructibus, & pedibus tantum contusis farina posset fieri? In massas pedibus calcantes hunc fructum redigebant & doliis condebant, ut servaretur. Ἄλδιμα vocat massas, quales fiunt ex farina conspersa. Idem plane dicit de hac connaro Alexandrina, quod Polybius de sua loto Libyca: μετὰ χόνδρου κόψαντες σάττουσιν εἰς ἀγγεῖα. Idem de prunis suis exsiccatis faciebant iidem Ægyptii referente Theophrasto: διὰ τὴν ἀφθονίαν τοῦ δένδρου ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιροῦντες κόπτουσι, καὶ ποιοῦσι παλάθας. *Siccatum tundunt, & massas faciunt.* Nunc aliud docebimus. Hanc connarum Alexandrinam, sive loton Cyrenaïcam eam esse, quæ hodie *nabca* in Ægyptiis suis dicitur. Eam *nabcam*, sive *oenopliam* depingunt loti magnitudine, spinosam instar acaciæ, latioribus foliis quam zizyphi, fructu rotundo juglandis nucis magnitudine, dulci odorato. Hæc omnia examussim conveniunt cum Agathoclis connaro, Polybii Libyca loto, ac Theophrasti Cyrenaïca. Prosper Alpinus, qui de plantis Ægyptiis scripsit, prohiberi se testatur huic sententiæ accedere, quod fructus & ossa *nabcæ* non videantur respondere fructui & ossibus connari, quia inquit, fructus nabcæ pomo similis est, & ossiculum habet rotundum, non oblongum instar olivæ. Immo vel propter hoc eædem videri maxime debent, quia connari fructus non oblongus est instar olivæ, sed rotundus, & olivæ rotundæ similis, vel juglandi. Addit præterea nusquam in Ægypto ex siccatis nabcæ baccis fieri farinam animadvertisse, quod de connaro tradit Agathocles. Non hoc dicere Agathoclem supra docuimus. Quare nihil jam prohibet quin *oenoplia*, seu *nabca* hodierna Ægyptia eadem sit cum veterum connaro, sive loto Cyrenaïca, cum omnes tam belle quadrent, & concurrant notæ. Perperam idem Alpinus connarum cum paliuro Africana eamdem facit. Quod fecisse plerosque etiam veterum suspicor, ut paulo post indicabo. Sic Servius spinam Ægyptiam nigram cum loto confudit, cui simillima est. *Acanthon* ille apud Virgilium pro spina Ægyptia nigra accepit. *Acanthos*, inquit, *arbor est in Ægypto semper frondens, ut oliva & laurus. Acanthos dicta quia spinis plena est. Abundat hac etiam Cercina insula.* Non Ægyptia spina abundat Cercinna, sed loto arbore. Nam Cercinna prætenta est initio Syrtis majoris, in qua lotos multa. Quid si & poëta ipse *acanthon* eo loco pro spinoso loti genere, vel paliuro Africana sumpsit? Nam inter arbores peregrinas recenset,

A *baccas semper frondentis acanthi.* Atqui in acantho, sive spina Ægyptia nullæ proprie baccæ, sed siliquæ grandes, quæ *baccæ* appellari non possunt. Hoc mihi verisimile fit, immo verum arbitror. Jam tenemus duas loti species, Lotophagicam & communem toti Africæ & Ægypto. Quod ad Lotophagicam attinet, nulli arbori melius respondet ejus descriptio, quam rutilæ zizypho. Arbor, folia, fructus, paria in utraque. Folia incisuris crebra, ut ilicis videantur. φύλλον ἐντομὰς ἔχον καὶ πρινῶδες. Plinius: *incisuræ folio crebriores, alioquin ilicis viderentur.* Scribitur in optimo codice: *qui ilicis.* Scribe: *folio incisuræ crebriores, quæ ilicis videntur.* At folium loti Africanæ communis, sive *nabcæ* incisuris caret, & latius est rotundiusque.

B Agathocles de connaro, quæ eadem est cum Cyrenaïca loto: τὸ δὲ φύλλον χλωρὸν καὶ τέρεν, τῇ φυῇ παραφερές. Fructus ipse longe grandior in loto Cyrenaïca, quam in Lotophagica. Cyrenaïcæ loti, sive nabcæ nucis juglandis magnitudinem plerumque æquant vel olivæ majoris: in Lotophagica instar fabæ non superat. Theophrastus: καρπὸς δὲ ἡλίκον κύαμος. Herodotus minorem facit, qui lentiscino similem ait. Minorem porro & Dioscorides qui piperis granis paulo majorem esse vult. Avisena ex illo Dioscoridis loco fructum hunc loti inter semina recenset, cap. cccv. Et *hab almenem*, vel *almisen* vocat, & baccam ferre dicit pipere majorem. Alibi tamen idem

C ut cap. DXX eandem Dioscoridis loton *nabac* appellat, quæ est *nabca* Alpini & *oenoplia* Bellonii, eademque cum Cyrenaïca loto. Sed falsum puto Dioscoridem, qui baccis piperis haud multo majorem esse tradit hujus loti baccam. Sed falsum puto, per initia myrti baccas non excedit magnitudine: mox grandior evadit, incrementum simul cum maturitate capiens. Hoc certe de communi loto prodidit Polybius: quam confudit cum Lotophagica Dioscorides.

D Quippe unicam loti speciem tantum memorat, ut & reliqui sequentes medici, quæ lotos communis debet esse, quoniam Lotophagica Theophrasti sui generis est. Quæ & zizyphos rutila videtur, cujus nominatim meminere recentiores, non etiam Theophrastus, qui ζίζυφου nomen ignoravit, ut & reliqui vetustiores Græci, apud quos sub λωτοῦ appellatione latuit. Et sane multas arbores & herbas hoc nomine donaverunt, quæ dulces ad edendum essent, licet toto genere ut cœlo soloque inter se distarent. Non igitur mirum veteres Græcos zizyphum etiam loton appellasse. Plinius de fructu loti, quam Lotophagicam facit Theophrastus: *nascitur densus in ramis myr-*

E *ti modo, non ut in Italia cerasi.* Græca sic habent: φύεται δὲ καθάπερ τὰ μύρτα παράλληλα πυκνὸς ἐπὶ τῶν βλαστῶν, id est, *nascitur myrtorum modo densus in ramis alterna serie positus.* Hoc modo plane nascuntur & in zizypho rutila fructus. Rutilæ autem zizyphi tria genera faciunt recentiores, sativam majorem ac minorem silvestremque. Majori sativæ rectius comparetur lotus Lotophagica. Zizyphus vero vulgaris veterum & Pliniana longe diversa à rutila zizypho, quæ tamen hodie vulgaris est zizyphus herbariorum. Unius modo zizyphi meminit Plinius multis in locis, quod de al-

F ba intelligendum est. Ut quum dicit cypri folia similia esse foliis zizyphi. Hoc neutiquam potest sumi de zizypho vulgari, hoc est, rutila, quæ folia habet incisuris striata ut ilex. Ergo de alba id intelligendum, quæ est alba zizyphus Clusii, quam multi habent pro elæagno Theophrasti. Græci quoque recentiores cyprum, hoc est, ligustrum habere folia zizyphi produnt. Quæ designatio ad rutilam zizyphum non pertinet. Eam albam zizyphum *olivastellum* à quibusdam ajunt nominari. Græci recentiores etiam χρυσελαίαν vocant. Ligustrum quoque, quæ est Cyprus, *olivetta* nonnullis

G dicitur. Sic zizyphus alba est cui similis traditur cyprus. Hinc quidam ex Græcis infimi ævi cyprum cum zizyphæa confuderunt: Κυπρὴ Ζιζυφαία. Diximus supra. At in loto Italica baccæ ab arboris dependent ramis sicut cerasa, non παράλληλα ut myrta. Habemus igitur ex istis, quænam differentia sit inter Italicam loton & Africanam. Sed videndum utri loto magis conveniat, Italica lotos, &

& ex cujus potius genere sit, utrum Africanæ communis, an Lotophagicæ. Nullo certe pacto convenit cum Lotophagica, his signis & argumentis, quæ supra exposuimus. Plinius: *eadem Africa qua vergit ad nos insignem arborem loton gignit, quam vocant celtin, & ipsam Italiæ familiarem, sed terra mutatam.* Ergo quam terra mutatam dicit, non parum diversam esse oportet hanc Italicam ab illa Africana. Sed Africanam Plinius verbis Theophrasti descripsit, quibus ille Lotophagicam exposuit. Et unicum tantum loti genus præter Italicam agnoscit, ut & reliqui recentiores. Qui omnes de communi loto loqui voluisse censendi sunt, quia zizyphum rutilam cognoverunt, quæ Lotophagica est Theophrasti lotos. Notas tamen utriusque plerumque confuderunt, & Italicam eamdem fecere cum Africana. Quum igitur Italica lotos non possit eadem esse cum Lotophagica, id est, zizypho rutila, expendendum restat, an eadem sit aut ejusdem generis cum loto vulgari Africana, quam *oenopliam* vulgo vocant, aut *nabcam*. Italicæ loti historiam graphicè depictam exhibet Plinius lib. XVI. cap. XXX sub nomine fabæ Græcæ: *alia*, inquit, *in cacumine ramosa, ut pinus, lotos, sive faba Græca, quam Romæ, a suavitate fructus silvestris quidem, sed cerasorum pæne natura loton appellant.* Hæc conveniunt de suavitate fructus, & cerasorum natura cum oenoplia, sive loto communi Africana. Multo magis quæ sequuntur: *præcipue domibus expetitur, ramorum petulantia, brevi caudice, latissima exspatiantium umbra.* Agathocles in connaro Alexandrina, quæ est Cyrenaïca lotos, & vulgaris, eamdem ramorum frequentiam & petulantiam agnoscit: ἀκρεμόνας δὲ ἔχει θαμέας καὶ δολιχοὺς, καὶ ἐπ' ὀλίγον ἀκανθώδεας: *ramos habet frequentes ac densos, & aliquantulum spinosos.* Spinarum non meminit Plinius. Nec mirum: nam duo genera hujus loti: alterum spinosum, alterum spinis carens. Addit Plinius: *nullis rami longiores, validioresque, aut plures.* Diceres de connaro verba ipsa Agathoclis usurpasse, ἀκρεμόνας ἔχει θαμέας καὶ δολοχοὺς. Præterea brevi caudice esse hanc loton scribit. Brevis sane caudex, sed crassus loti secundæ Theophrasti, quæ est Africana communis, sive Cyrenaïca veterum, & *connarus* Alexandrinorum, & Polybii *lotos*, & *nabca* recentiorum, & *oenoplia* Bellonii. Dalecampius hanc Italicam Plinii loton volebat esse laurocerasum. Sed multis fallitur modis. Laurocerasо folia perpetuo virentia. Huic loto decidua, vel testante Plinio, qui Romæ sæpe vidit: *Nulli opacitas brevior, nec aufert solem decidentibus foliis.* Loton illam Italiæ familiarem *fabam Græcam* & *Syriacam* appellavere Romani, quod ex Syria venisset. Nam in Ægypto & Syria plurima nascitur, ubi *neb*, vel *nab* hodie dicitur. Ajunt etiam in Creta nasci. Et clarissime idem Plinius hanc loton, quæ fabæ Græcæ nomine nota fuit Romanis, distinguit à Syrtica, sive Lotophagica. Ita enim scribit lib. XXIV. cap. II. *Loton herbam, itemque Ægyptiam, eodem nomine alias, & Syrticam arborem diximus suis locis. Hac lotos, quæ faba Græca appellata a nostris, alvum baccis sistit.* Reliqua deinde remedia subjicit ex hac loto, quæ Dioscorides suæ loto tribuit, ut dubium non sit, Dioscoridem, Galenum, Aëtium, & reliquos medicos, qui unius tantum loti meminere, de ista loqui voluisse. Nec prohibet quod Dioscorides εὐμέγεθες δένδρον esse tradit, quam alii non adeo magnam arborem volunt. Vel propter ramorum petulantiam, qui longissimi ac validissimi ex brevi caudice assurgunt, id scripsit, vel certè confudit cum Syrtica, vel Lotophagica loto, quæ grandior est. Loti Italicæ *cortice pelles tingi, radice lanas* tradit idem Plinius. Dioscorides loto comas tingi ait flavo colore: ξανθίζει δὲ τρίχας, καὶ ἐπέχει γαστέρα ῥέουσαν. Delenda illa verba, γαστέρα ῥέουσαν. Nam jam suprà dixit loti fructum κοιλίας στεγνωτικὸν esse. Lege igitur: ξανθίζει δὲ τρίχας καὶ ἐπέχει. *Capillum ruffat & cohibet.* Ita Plinius legit: *cohibent & capillum.* De ramentis ligni lotini decoctis loquitur, ut & Dioscorides. Nec aliter Aëtius: καὶ μὴν καὶ ῥεούσας τρίχας ἐπέχει. Legi etiam posset in Dioscoride, ξανθίζει δὲ τρίχας καὶ ἐπέχει ῥεούσας. Nec illud etiam obstat, quod idem Dioscorides fructum loti suæ μείζονα πεπέρεως dicit, quem in Cyrenaïca loto, vel connaro Alexandrina constat magnitudinem majoris olivæ, vel nucis æquare. Etenim myrti tantum magnitudine esse, quum crescere incipit, Polybio traditum est. Quod fefellit Dioscoridem. Syriaca etiam faba dicebatur Romanis. Isidorus: *Mella, quam Græci loton appellant, quæ vulgo propter formam & colorem faba Syriaca dicitur. Arbor enim est magna fructum ferens commestibilem, majorem pipere, gustu suavem, unde & mella vocata est.* Servius: *Lotos nympha quædam fuit, quam cum amatam Priapus persequeretur, illa deorum miseratione in arborem conversa est, quæ vulgo faba Syriaca dicitur.* De hac loto Italiæ familiari intellexit poëta his versibus:

Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, nec Idæis cyparissis.

Fuit porro, quando existimabam, loton Italicam eam esse, quæ vulgo ab herbariis vocatur *azadarac*, quam inter loti species quidam reposuerunt, & *loton albam* vocarunt. Ea etiam hodie tota Italia frequentissima. Nec sponte provenit, sed seritur. Expetitur autem umbræ gratia. Quippe in urbe Tripoli eam vulgo plantari ajunt, ad umbram præbendam, in plateis & locis publicis. Itali hodie vocant *perlaro*. In eam sententiam me inducebat, quod *napcam* hodie negent in Græcia nasci, qui & totam Europam ea carere affirmant, tantum abest, ut in Italia abundet. Et mirum profecto loton illam, quam Italiæ suæ familiarem & frequentem prædicarunt auctores Romani, nusquam hodie in illa regione comparere. Præterea si de vera ac germana loto intelligendi essent, quam vocarunt *fabæ Græcæ* nomine, Libycam aut Africanam fabam potius eam videntur appellare debuisse, utpote Africæ quàm Græciæ magis peculiarem. Quædam alia possem adducere, quæ sententiam eam confirmarent. Sed rursus non pauciora opponi possunt, quæ faciunt ad illam, quam prius exposui, opinionem asserendam. Primum Plinius scribit fabam illam Græcam Romæ loton appellatam à suavitate fructus. At fructus arboris *azadarac* dictæ fœtidus est, & ingrati saporis. Præterea idem Plinius λωτὸν Theophrasti, quam ex reliquis omnibus lignis post ebenum & buxum, gravissima & spississima esse materie tradit, eamdem fecit cum ea loto, quæ sic Romæ nominabatur: *Ex reliquis*, inquit, *spississima lotos, quæ Romæ ita appellatur.* Theophrastus, τῶν δ' ἄλλων ὁ λωτὸς. Idem Plinius alio loco: *Lotos, sive faba Græca, quam Romæ à suavitate fructus loton appellant.* Ea denique est λωτὸς, quam ubique sic nominat Theophrastus inter pretiosa ligna, nitore nigroreque ac firmitate commendanda. Nec enim Lotophagicam intelligit quum absolute λωτὸν appellat, sed communem, quam & Cyrenaïcam à loco, ubi plurima ac pulcerrima nascebatur, indigetat. Hæc postrema lotos est arbor, quam unicam hoc nomine norunt Græci medici, quum medicinas ex ea referunt. Quod si nulla alia est lotos Italica præter *azadarac*, profecto majorem in modum peccavit Plinius, qui eam loton confundit cum loto Græcorum, à qua plurimum differt. Quod in Plinio non miror, quia non rarum est, sed frequens. Verius tamen immo certissimum azadarach non esse lotum Plinianam. Vix tamen dubium, quin azadarach vulgaris eadem sit quæ Avisenæ dicitur *azedarahet*. Notam esse arborem ait, & fructum ferre similem *nabac*. Sic vocat loton Cyrenaïcam, quæ est, oenoplia aliorum. Bellunensis azadarachi arborem notissimam esse apud Damascenos notat, & vocari ab indigenis *zaizalacht*. Quidam tradunt à Tripolitanis dici *zenselacht*. Quod idem est nomen. Fructus ejus alba habet ossicula, ex quibus fiunt globuli preculares. Ea omnino est, quam *sycomorum* hodie multi falso appellant. *Perlaro* ab Italis appellari sunt qui putent. Alii *perlaro* & *bagolaro* eandem esse arborem asserunt. Atqui certum *bagolaro* Italorum aliam esse ab azadarachi arbore. Sic diversa quoque erit, quam *perlaro* Itali nuncupant ab azadarach. Et sane, ut ex descriptione *bagolari*, quam Itali generis homines proponunt, facile colligitur eam esse Plinianam loton. Quæ quidem ad loton Lotophagicam propius accedit, quam quævis alia lotos, non tamen eadem est arbor. Et fallitur Plinius, qui putat

putat translatu degenerasse, & cum terra cæloque mutatam videri. De qua nos alibi. Absolvamus igitur hanc de loti differentiis exercitationem. Syrtica & Lotophagica lotos peculiaris ac sui generis arbor censetur. Hujus duas species statuit, alteram nucleis carentem, alteram cum interiore officulo. Ex his ea quæ nucleum habet, non alia potest esse præter illam, quam *zizyphum rutilam* posteriores Theophrasto auctores appellarunt. Altera quæ nucleo caret, lotus est Africana Mathioli. Quæ altera est ex duobus generibus Lotophagicæ, sive Syrticæ Theophrasti. At secunda lotos Theophrasti, Cyrenaïca est ipsius & Herodoti, *connaros* Alexandrinorum Agathoclis, Libyca lotos Polybii apud Athenæum. Recentiorum *nabca*, vel *oenoplia*. Hujus porro duo genera Agathocles Cyzicenus & Polybius apud Athenæum agunt. Cyrenaïca Herodoti spinis etiam aspera, utpote quam spinæ Ægyptiæ nigræ perquam similem esse tradat. De minime spinulento genere fuisse videtur, quæ Romæ lotos & faba Græca, sive Syria vocabatur. Qui exactiore judicii trutina hæc perpendent, verissima esse deprehendent. Male igitur & parum pensiculate Dalecampius, qui Dioscoridis loton & Theophrasti priorem putat esse quam Itali vocant *perlaro:* posteriorem Theophrasti vocari vulgo *laurocerasum*. At fabam Græcam Romanorum *diospyron* dici Theophrasto, & cerasum esse Constantinopolitanam. Diospyron Theophrasti genus esse cerasi, quod *bigarellum* hodie vocamus, Romani *duracinum cerasum* dixere supra docuimus. Quartam his speciem adcudit Polybianam Athenæi, quasi ab aliis diversam. Quæ omnia sunt falsissima, & carent ratione, pugnantque cum veterum auctoritate, ac recentiorum experientia & αὐτοψίᾳ. Nam levius peccant alii nostrates herbarii, quibus hactenus persuasum est, loton esse veterum, quam vulgo idiomate nostro vocitamus *alisiariam*. Quæ ex genere sorborum est, vel pyrorum silvestrium. Legitur in glossis Hesychii: Ἁλικάκκαβα, ὁ τῆς λωτοῦ καρπὸς, καὶ πόας εἶδος. Fructum loti sic vocarunt Græci à similitudine acinorum rubentium, quæ in herba *vesicaria* appellata nascuntur. Græci ἁλικάκκαβιν dixere, & est genus strychni. Hi acini cerasa colore & forma referunt. Hinc loton arborem recentiores Græci ἁλικακκαβέαν, vel corruptius ἀνακακκαβέαν nuncuparunt. Inde in eorum lexicis hæc mihi lecta: λωτὸς ἡ τῆλις, λωτὸς, ἡ ἀνακακκαβέα. Hæc ultima de arbore sunt accipienda, quæ fructum habet similem halicaccabi seu vesicariæ acinis coccineis. Talis fructus Cyrenaïcæ loti, rubens, rotundus instar majusculorum cerasorum. Hæc de loti generibus ac differentiis obiter explicata sunto, occasione sumpta ex ebeni commemoratione, & loco Pliniano, qui ebeni & loti simul meminit.

Pag. 59. B. *Hiulco cortice & admodum reticulato.*] Aliunde hæc corrasit noster, quam ex scriptis Plinii. Nihil enim simile ille de ebeno prodit.

Lignum omne atque mediale eadem ferme facie] Atqui dixit hiulco esse cortice & reticulato ebeni arborem, & adeo venis dehiscere, ut per ipsos sinus vix pars intima tenui libro contegatur. Pars illa intima mediale est arboris. Græci μήτραν, καρδίαν & μυελὸν vocant. Theophrastus μήτραν arboris definit, τὸ μεταξὺ τῶν ξύλων, τρίτον ἀπὸ τοῦ φλοιοῦ. Primus igitur in arbore cortex occurrit, deinde lignum, sive materies, intima pars, mediale, sive medulla ligno undique cincta, ut lignum ipsum cortice ambitur. At in ebeno juxta Solini sententiam nihil ligni est, sed cortex tantum & mediale. Ait enim hiulco cortice esse, cujus venæ dehiscant, usque ad intimam partem, id est, medullam, quæ vix tenui libro tegitur. Ergo ut in papyri frutice, sic in ebeno plures tunicæ. Cortex exterior hiulcus, & reticulatus, & interior liber qui partem ambit intimam. Hic rursus dicit lignum omne atque mediale eadem esse facie ac nitore. Ergo lignum etiam habet præter mediale. Falsum est præterea quod heîc asserit, ebeni reliquum lignum ejusdem esse & nigroris cum mediali. Nam μελανίαν ebeni in medulla Theophrastus ait consistere, quæ sola in aqua non fluitat, cum totum buxum pessum eat: καὶ ἡ μὲν πύξος ὅλη οὐκ ἐπινεῖ, τῆς δὲ ἐβένου ἡ μήτρα, ἐν ᾗ τοῦ χρώματος μελανία. Idem scribit cor-

A ticem ebeni similem esse buxi cortici. At ebenus ex earum genere est arborum, quibus cortice detracto nihil nisi mediale occurrit, quæ lignum aliud non habent præter medullam. Inter eas buxus, & taxus & aliæ. De taxo Theophrastus: πᾶν γὰρ εἶναι καρδίαν, ὅταν ὁ φλοιὸς περιαιρεθῇ. Ebenus quoque tota medulla vel mediale est, cortice dempto. Hinc patet prorsus falsa esse ac ἀνιστόρητα, quæcunque hic de ebeno tradidit noster. Servius alicubi notat ebeni materiem cæsam durescere in lapidem. Corallium ille somniabat, sed somnium illi pro corallio ebenum repente substituit. Cæsum & è mari extractum corallium in lapidem durescit, non ebenus.

B *Eadem ferme facie & nitore, qui est in lapide gagate.*] Nitorem in ebeno Theophrastus vocat χρόαν τὴν εὔχρουν lib. IV. cap. VI: τὴν δὲ χρόαν οὐ θησαυριζομένη λαμβάνει τὴν εὔχρουν, ἀλλ᾽ εὐθὺς τῇ φύσει. Nitor igitur ille colorque in ebeno nativus non vetustate, aut alia arte adscitus. Plinius locum illum sic reddidit: *materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus jucundi.* Nulla ars in verbis Theophrasti. Multarum arborum materies ætate colorem nitoremque adquirit, quem recens cæsa non habuit. De moro id narrat Theophrastus: καὶ ἰσχυρὸν ἅμα καὶ εὔεργον τὸ ξύλον, καὶ παλαιούμενον, μέλαν ὥσπερ λωτός. Idem porro θησαυριζόμενον & παλαιούμενον. Innuit igitur ebe-

C num servandam non esse, ut ætate nigrum splendorem contrahat, sed eum protinus à natura habere recens cæsam. Θησαυρίζονται ac reconduntur, quæ vetustatem ferre volumus. Ergo θησαυριζομένη ἔβενος est inveterata, παλαιουμένη, & in vetustatem recondita. Theophrastus alio loco de cacti caulibus: καὶ θησαυρίζουσιν αὐτοὺς ἐν ἅλμῃ. Plinius vertit: *nec fastidiunt in cibis inveteratos.* Opponit caules, qui inveterati eduntur, iis qui recentes esui sunt. Ceterum alia ligna sunt, quæ non ætate, ut morus, sed arte splendorem & colorem capiunt, ut nucina. Nam hodieque mensæ & alia in-

D testina opera ex nuce facta oleo unguntur, & linteis cera inductis fricantur ut splendeant. Mensæ ex nucis ligno etiam olim in pretio, præcipue ex nuce montana. Strabo lib. XII: ἡ δὲ σινωπῖτις καὶ σφένδαμνον φύει, καὶ ὀρεοκάρυον, ἐξ ὧν τὰς τραπέζας τέμνουσι. Etiam apud Romanos in honore nucinæ mensæ, sed priusquam citreæ, hoc est, θυῖναι in notitiam luxuriæ venissent. Vide Satyricum in illis:

---- *si forte nucem dejecerat eurus.*

Ubi *nucinas mensas* vetus scholiastes vocat, quæ ex nuce fierent. Idem Theophrastus terebinthum lignum oleo ungi solitum scribit, & sic pulcrius nitidiusque fie-

E ri. Λαμβάνειν δὲ τὸ ἐγκάρδιον δεῖ, καὶ ἀλείφειν τὸ ξύλον, οὕτω γὰρ γίνεσθαι κάλλιον καὶ μελάντερον. Plinius de terebintho: *omnium sola hæc materies ungi vult, meliorque oleo fit.* Immo non sola, nec hoc dixit Theophrastus. Citreæ mensæ manu sicca fricabantur ut splendescerent. Idem: *nutriuntur optime splendescuntque manu sicca fricatæ.* Τὸ εὔχρουν in ebeno Plinius vertit *nigrum splendorem.* Alio loco στιλβηδὼν Theophrasto dicitur de cyparissinis lignis: μόνα δὲ καὶ στιλβηδόνα δέχεται. Plinius heîc *nitorem* reddidit: *Cypressus in eas electa, quoniam præter cetera uno in*

F *genere materiei nitor maxime valeat æternus.* Immo: *quoniam unum hoc genus splendorem recipit, in splendorem dari potest.* Sic in vultu & corpore *nitor* τὸ εὔχρουν. *Quæ habitudo, qui nitor.* Et in palæstra bonus color. Cicero: *fine nitore & palæstra.* Quod inde ad orationem translatum est. Quæ virtus Græcis εὐαφία ab eadem palæstræ metaphora. Petronius *nitorem* absolute de minio dixit, quia inter colores pretiosos & floridos, quos Græci ἀνθηροὺς vocant.

Hesperium coccum miles laudabat, eadem
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.

Coccum Hesperium, quia in Hispania plurimum. Eadem tellure quæsitum minium ostro certabat. *Nitor*

G pro minio. Solinus supra de Hispanis: *depurgant in minium nitelas pulveris,* ἄμμον λαμπυρίζουσαν. Infra: *Insertis aureis umbilicis incendunt in nitelam pinguiorem.* Nitela, στιλβηδών. Manilio *lapidum nitor* de margaritis, ut infra dicam. *Nitor auri* Virgilio.

Et quascunque deorum imagines non nisi ex ebeno habent.] Pausanias in Arcadicis materias enumerat ex quibus fieri vulgo solerent deorum simulacra ab antiquis, & ebenum

ebenum primo loco recenset: τοῖς δὲ ἀνθρώποις τὸ ἀρχαῖον, ὁπόσα καὶ ἡμεῖς καταμαθεῖν ἐδυνήθημεν, τόσα δὲ ἦν ἀφ' ὧν τὰ ξόανα ἐποιοῦντο, ἔβενος, κυπάρισσος, αἱ κέδροι, τὰ δρύϊνα, ἡ σμίλαξ, ὁ λωτός. His addit & θύον, id est, citrum, cujus materies jam tum Græcis ab antiquo nota. Theophrastus: τῶν δὲ ἄλλων ἀσαπέστατον μετὰ τὰ κυπαρίττινα, καὶ τὴν θυώδη τὴν συκάμινον εἶναι φασὶ, id est, post cypressea & citrea ligna. Vir doctissimus in illo Pausaniæ loco σμίλακα, *hederam Ciliciam* exponit. Haud perspicio quomodo ex parvo frutice, qualis est smilax, hederæ simili, simulacra possint fabricari. Σμίλαξ Pausaniæ taxus est, ut & Dioscoridi. Theophrastus μίλον vocat. Taxi materies durissima, in Arcadia nigra & punicea: in Ida monte flava, & similis cedrinæ, usque adeo ut pro cedro nescientibus venderetur. Testis Theophrastus. Eidem auctori σμίλαξ est genus ilicis apud Arcades: οἱ δὲ περὶ Ἀρκαδίαν δένδρον τι σμίλακα καλοῦσιν, ὃ ἐστὶν ὅμοιον τῷ πρίνῳ. Alii σμίλον dixerunt. Hesychius: σμίλος δένδρον, οἱ δὲ πρῖνος, ἄλλοι σμίλακα, ἡ στεφανοῦνται. Eadem vox σμίλος & μίλος, ut μάραγδος & σμάραγδος: καμωνία & σκαμωνία. Nam δάκρυ κάμωνος vocat Nicander scammoniam. Sic στρύχνον, τρύχνον. Dioscorides distinguere videtur inter μίλακα & σμίλακα. Taxum vocat σμίλακα, herbam sive fruticem μίλακα, cujus duo genera proponit μίλακα τραχεῖαν & μίλακα λείαν. Sic enim vetustissimus codex regius scribit, μίλαξ τραχεῖα, μίλαξ λεία. Ita etiam Galenus nominat & Aëtius. Μίλαξ τραχεῖα Dioscoridis, σμίλαξ est Theophrasti, quæ folio hederaceo caules habet spinosos, quam Plinius lib. XVI. cap. XXXI inter hederas recenset. Eam σμίλακα rursus alii σμίλον, alii μίλον vocaverunt. Scribit ibidem Plinius eam smilacem infaustam esse omnibus sacris & coronis, *quoniam sit lugubris virgine ejus nominis propter amorem juvenis croci mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans, plerumque festa sua polluit, hederam existimando: sicut in poëtis, aut Libero patre, aut Sileno quis omnino nescit, quibus coronentur.* Nescio quare hæc dicat Plinius. Poëtæ sane hedera coronabantur: sed & Liber pater, & Silenus eodem coronamento in Græcia vulgo redimiti. Nusquam vero puto factum ut vulgus præ ignorantia smilacem pro hedera in coronis usurparit. Sed nec infaustam coronis smilacem fuisse crediderim. Rationem Plinius addit frivolam. Coronamentum è smilace passim veteribus frequentatum observavi etiam in sacris & orgiis Bacchi. Athenæus lib. V. Βασσάραι καὶ Λυδαὶ κατακεχυμέναι τὰς τρίχας, καὶ ἐστεφανωμέναι, τινὲς μὲν ὄφεσιν, αἱ δὲ σμίλακι, καὶ ἀμπέλῳ, καὶ κισσῷ. Non errore, aut ignorantia heic factum, ut smilacem pro hedera sumpserint, sed smilacis corona in sacris Bacchicis æque usitata ac frequens, ut vitis & hederæ. Hesychius: σμίλος, δένδρον, οἱ δὲ πρῖνος, ἄλλοι σμίλακα, ἡ στεφανοῦνται. Hæc smilax, qua coronabantur, ea est ipsa, quam coronis infaustam prædicat Plinius. Quin immo ipse sui oblitus videtur, & eorum quæ dicturus erat lib. XXI. cap. IX: quo loco principatum in coronamentis folio smilacis & hederæ asserit: *Folio in coronamentis smilaces & hederæ obtinent principatum, de quibus in fruticum loco abunde diximus.* Ita hæc legenda. Parum heic tamen memor est, quid de smilace dixerit, in illo fruticum loco, ubi infaustam coronis esse ait. Et profecto si hæc ratio faceret, ut infausta coronis esse deberet smilax, quod virgo cognominis in hunc florem versa sit, propter amorem juvenis croci, nulli flores in coronamenta admittendi forent, quia omnes ferme lugubres habent fabulas. Hedera ipsa, κιττὸν Græci vocant, ex lugubri historia fingitur nata. Ut omittam *pinum*, *myrtum*, *narcissum*, *cyparissum*, certe hyacinthus omnium infaustissimus censeri deberet, qui lugubres etiam notas foliis præfert, & ex duplici fabula funus ostentat. De eo hæc Plinii verba sunt lib. XXI. cap. XI. *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura αι. legatur inscripta.* Corruptissima esse nemo negaverit. Nihil enim cohæret. Nec mutant libri, nisi quod in vetustissimo & optimo Thuanæo *editis* habetur pro *editi*. Scriptum olim fuit *edins* pro *edens*. Unde fa-

A ctum est à librario *editi*. Totum locum sic lege: *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum proferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore edens, ita discurrentibus venis ut Græcarum literarum figura αἶ αἶ legatur inscriptum.* Ita etiam hæc postrema correximus ex eodem codice, qui habet: *Græcarum literarum figura a legatur inscriptum.* Quod in foliis hyacinthi ductu Græcarum literarum αἶ αἶ visitur inscriptum, duplex celebratur fabula. Altera quæ narrat notas esse luctus ob mortem pueri, quem Apollo dilexerat, in hunc florem versi. Nam vox lugubris αἶ αἶ in luctibus ac lamentationibus usitata. Phalæcus in epigrammate

B nondum edito:

> Αἰ αἶ κωκύει τὸν ἑὸν γόνον ἤματα πάντα,
> Λέγουσα τὸν τρέφαρον ὡς ἀπέφθιτο.

Altera fabula est, quæ ex cruore Ajacis hunc ipsum florem editum vult, unde & nomen ipsius foliis inscriptum exhibet. Nam Αἴας Græce *Aiax*, cujus & nomen à luctu derivatum Græci tradunt ἀπὸ τοῦ αἰάζειν. Euphorionis de hyacintho ita sunt legendi versus, quos depravatos habent grammaticorum scholia:

> Πορφυρέη ὑάκινθε, σὺ τοὔνομα φασὶν ἀοιδοὶ
> Ῥοιτείης ψαμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο,
> Εἴαρος ἀγγέλλειν, τὰ γεγραμμένα κωκύουσαν.

C Posset etiam legi in supra citatis Plinii verbis: *luctum referens ejus.* Quum de gemina origine luctuosus esset hyacinthus, in coronis tamen primas ferebat. Theocritus:

> Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,
> Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται.

Nugatorium igitur quod ait Plinius de smilace coronis infausta, ob eamdem luctus causam. Sed & ipse sibi contradixit, nisi dicamus *smilacem* & *milacem* eum distinguere. Sane eo loco, ubi narrat smilacem in coronamentis principatum obtinere, libri veteres *milacem*

D scribunt. Sed & quam lib. XXIV. cap. X smilacem describit, libri vocant *milacem*, & diversam facit à smilace, de qua tractavit lib. XVI. cap. XXXV: & ubique hunc morem servat Plinius. Σμίλακα apud Theophrastum reperit, apud Nigrum, aut alios μίλακα. Inde putavit diversas. Dioscoridi μίλαξ quoque dicitur. Corrigendus obiter Plinius de illa *milace*, quam aliam statuit à smilace: *Smilax quoque, qui & nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet, tenuioribus foliis.* Libri omnes ibi scribunt, *milax quoque.* Atque ita in indice manu exarato: *Chamæcisso*, II. *Milace*, III. *Clematide*, III. Mox iidem legunt *athoforos* vel *aithoforos*. Omnino scribendum, *anthoforos*. Cur ita vocetur,

E Dioscorides explicabit his verbis de levi milace: καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ θερμὸν, μέλανα, μικρὸν, ἐπάνω ἔχοντα ἄνθη πολλὰ λευκά, μετὰ πᾶσαν τὴν μίλακα, περιφερῆ. Ita legendus ille locus quem & male exponunt. Verum de his alibi. Hesychius σμίλακα, ex qua fiebant coronæ, de taxo arbore videtur accepisse, quæ σμίλαξ etiam dicebatur, aliis σμίλος & μίλος. Certe coronas taxeas funestas esse, & in luctu usurpari solitas ostendit Statius in epicedio Vernæ:

> ---- en taxea marcet
> *Silva comis, hilaresque hederas plorata cupressus*

F

> *Excludit ramis.*

Hesychius: μίλιον δένδρον ὅμοιον ἐλάτῃ, ᾧ τοὺς νέους στεφανοῦσιν ἐν ταῖς πομπαῖς. Arbor illa abieti similis, taxus est. Theophrastus de taxo, quam vocat μίλον: μονοφυὴς δὲ καὶ ἡ μίλος, ὀρθοφυὴς δὲ καὶ εὐαξής, καὶ ὁμοία τῇ ἐλάτῃ. Sed fallitur Hesychius. Nam smilax coronaria frutex fuit hederæ similis, non taxus. Quæ longe infaustior coronamentis merito suo habita veteribus existimari debeat, quam frutex smilax, arbor puta minime virens gracilisque & tristis ac dira, baccisque & umbra letalis. Adde quod omnes antiqui coronas

G è smilace, non de taxi foliis, aut baccis, sed de smilacis hederacei fruticis flore interpretantur. Pollux inter flores coronarios etiam μίλου ex Cratino meminit, quem florem esse τῆς μίλακος vult: μέμνηται δὲ τῶν πλείστων Κρατῖνος ἐν Μαλθακοῖς, ὥσπερ καὶ κοσμοσανδάλου καὶ μίλου, ὅσπερ ἦν τῆς μίλακος ἄνθος. Vocatur illi μίλαξ, ut Dioscoridi, quæ Theophrasto σμίλαξ. Locus Cratini, quem ex ejus comœdia Μαλθακοὶ citatione tangit

A git Pollux, quo plurium coronis olim celebratorum nomina florum enumerabantur, hodie extat apud Athenæum, sed μίλου mentio in eo pessima menda obliterata est, quam nos egregia emendatione restituimus in hunc modum.

Παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι,
Λειρίοις, ῥόδοις, κρίνοις, κοσμοσανδάλοις, ἴοις,
Καὶ σισυμβρίοις, ἀνεμωνῶν κάλυξι τ' ἠριναῖς,
Ἑρπύλλῳ, κροκοῖς, ὑακίνθῳ, ἑλιχρύσου κλάδοις,
Οἰνάνθης ἡμεροκαλλεῖ, τῇ μίλῳ, ἀνθρίσκου φόβῃ.
Τῷ τ' ἀειφρούρῳ μελιλώτῳ κάρα πυκάζομαι,
Καὶ κύτισος αὐτόματος παρὰ μέδοντος ἔρχεται.

B Quinto versu pro τῷ φιλουμένῳ reposuimus τῷ μίλῳ. Nam illud contra metrum & auctoritatem Pollucis, qui in illis versibus mentionem à Cratino fieri τῆς μίλου, & κοσμοσανδάλου notabat. Legi etiam poterat, τῇ μίλου κ' ἀνθρίσκου φόβῃ. Pherecrates quoque apud eumdem Athenæum inter flores oculis & naribus jucundos μίλακα nominavit his versibus:

Ὑπ' ἀναδενδράδων ἁπαλὰς ἀσπαλάθους πατοῦντες,
Ἐν λειμῶνι λωτοφόρῳ, κύπειρόν τε δροσώδη,
Κ' ἄνθρισκον, μαλακόν τ' ἴον, μίλακα, καὶ τρίφυλλον.

Perperam hodie legitur in Athenæo lib. xv: κ' ἀνθρίσκου, μαλακῶν τ' ἴων λίμακα καὶ τριφύλλου. Nec audio viros doctos emendantes λείμακα. Scio λείμακα Græcis etiam
C de prato poni, sed huic loco minime convenit. *Smilax* igitur, vel *milax*, cujus flores in coronis antiquitus usurpati, non arbor taxus, sed frutex hederæ similis, cujus flos candidus & odoratus. Theophrastus: ἄνθος δὲ λευκὸν καὶ εὐῶδες, ἠρινόν. Vertit Plinius: *flore candido, olente lilium.* Nimirum legit λειρινὸν pro ἠρινόν. Non tamen corrigendus ex Plinio Theophrastus. Non ita legit Plinius, sed anagnoste legente sic audivit, & in adversaria sua transtulit. Λειρινόν, inquam pro ἠρινόν. Sed vera lectio vulgata. Intelligit vernum esse florem, & smilacem vere florere. Sic
D Cratinus: ἀνεμωνῶν τ' ἠριναὶ κάλυκες. Sunt enim alii flores verni, alii æstivi, alii autumnales. At si scripsisset Theophrastus, εὐῶδες λειρινὸν non id significaret quod vult Plinius, *olens lilium*, sed lilii effigie: frustra sunt è veteribus, si qui ullam inter σμίλαξ & μίλαξ, σμίλος & μῖλος quæsivere differentiam, quantum ad nomen pertinet. Una hac eademque appellatione σμίλου & σμίλακος arbores & frutices longe diversi generis nuncupaverunt. Theophrasto μίλος est arbor taxus. Dioscoridi σμίλαξ. Sextio apud Plinium *milax*. De taxo: *hanc Sextius milacem à Græcis vocari dicit, & esse in Arcadia tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea cibumve capiant, moriantur.* Ille Sex-
E tius est Niger, quem multa in herbis tradendis peccasse notat Dioscorides. Atqui smilax, sive milax Arcadia non est taxus, sed arbor ex ilicum genere, quæ Theophrasto σμίλαξ. At rursus σμίλος Hesychio pro ea arbore, quæ Theophrasto σμίλαξ. Cratino μίλος non pro arbore, sed pro flore ejus fruticis, qui Dioscoridi μίλαξ, Theophrasto σμίλαξ dicitur. Sic multa ex nominis æquivoci errore orta confusio. Σμίλαξ porro ex qua imagines deorum olim factitatæ apud Pausaniam, taxus est arbor, quæ Theophrasto μίλος. Dioscorides: Σμίλαξ, οἱ δὲ θύμαλον, Ῥωμαῖοι τάξον καλοῦσι. In optimo codice scribitur: οἱ
F δὲ πθύμιλον, οἱ δὲ θύμιλον καλοῦσι. Quæ corruptissima sunt. Legendum omnino est, οἱ δὲ μῖλον, vel σμίλον καλοῦσι. Illud πθύμαλλον natum est ex correctione antiquarii alicujus, qui corruptam dictionem θύμιλον voluit emendare, & mutandam judicavit in πθύμαλλον. Vetus igitur menda in Dioscoride θύμιλον, pro μίλον vel σμίλον de taxo. Sic enim alii vocarunt, qui Dioscoridi σμίλαξ. Adeo vetus hæc menda, ut etiam ab Aëtio agnoscatur, in cujus libris ita hodie legitur, θύμιλος. In antiquissimo codice Pauli Æginetæ, & aliis omnibus ejus scriptis exemplaribus ita scriptum reperi: ἡ δὲ καλουμένη σμίλαξ, ὑπ' ἐνίων δὲ
G θύμιον, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ταξός. Qua sane scripturæ constantia moveor, ut nihil censeam mutandum. Sed quare taxus θύμιον, aut θύμιλος? Bauhinus ad Dioscoridem genus taxi glandiferæ describit, quæ nucamenta habet, prorsus simile capitibus thymi cephaloti. An ea est taxi species, quam θύμιον, aut θύμιλον Græci vocarunt. Hoc alii quærant. Si verisimile id esse mihi dixero, satis dixero. Ceterum ut taxi ligna ob similitudinem, multi fucum faciendo pro cedrinis vendebant, sic pro ebenenis veris sæpe alia ligna nigritie commendata venum exponebantur. Hinc hodie tam multa opera fiunt τῇ λεπτουργίᾳ, quæ majora sunt quam ut ex vera ebeno, quæ exilis ac tenuis plerumque est, facta videri possint. Sed lotos nigra est morus inveterata, cytisus, spina Ægyptia, spina Indica, quarum omnium materies ebenum imitatur & proxime accedit. Dioscorides: ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα ἢ ἀκάνθινα ξύλα ἐμφερῆ ὄντα ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι. De spina Indica, quæ similis ebeno erat, accipi posse ex Plinio supra adnotabamus. Sed quum ἀκάνθινα ξύλα simpliciter dicat, de Ægyptia etiam nigra spina potest capi, immo debet, quam ἄκανθον absolute dixerunt. Hinc *acanthinum gummi* ex illa spina Ægyptia. Auctor anonymus Græcus de vita & gestis Alexandri Magni de Æthiopia loquens: ἐκεῖ πολὺ τὸ Περσίον καὶ τὸ ἀκάνθινον λεγόμενον. Intelligit τὴν ἄκανθον, sive spinam Ægyptiam, quæ *acanthos* κατ' ἐξοχὴν dicta est. Inde quæ supra notamus.

Hac gratia pocula ex ea habent.] Nemo, quod sciam, veterum prodidit ebenum potestate adversus venena pollere, ac noxium liquorem ea materie contineri non posse, & propterea pocula ex ea habere Indos. De nativo electro hoc Plinius prodidit, venena eo deprehendi. De ebeno altum silentium, quum tamen omnes ebeni virtutes diligenter recenseat Theophrastus eo loco, quo de ebeni materia tractat, & aliarum arborum, quibus nigricans color, adjicit & terebinthi Syriacæ lignum spississimum esse ac nigrum, adeo ut vel ebenum ipsam nigredine superet. Ex eo cultellis manubria fieri, & pocula thericlea tornari, quæ à fictilibus dignosci non queant: τορνεύεσθαι δὲ ἐξ αὐτοῦ, καὶ κύλικας Θηρικλείους, ὥστε μηδ' ἂν ἕνα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας. Plinius ex hoc loco, dum eum Latine redderet, male intellecto, Thericlem calicibus ex terebintho faciendis torno inclaruisse tradit: *quamquam non desint, qui Syriacas terebinthos nigriores affirment. Celebratur & Thericles nomine calices ex terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies. Omnium hæc sola ungi vult.* In optimo codice Thuanæo scriptum est, *per quam probatur.* Omnino emendandum, ac interpungendum: *calices ex terebintho solitus facere torno, per quam probatos. Materies omnium hæc sola ungi vult.* Valde probatos calices ex terebintho tornare solitum dicit hunc Thericlem, quæ ab eo *thericlei* sunt nominati. Vel legendum: *per quam probatur*, ut de ipso artifice intelligatur. Plinius lib. XXXIV. cap. VIII de artificibus æris: *fuere longe quidem infra prædictos, probati tamen, Antæus Callistratus, Polyclis, &c.* Sed falsum quod ait istum Thericlem poculis è ligno per tornum faciendis famam invenisse, quem figulum fuisse constat. Quod vel ex illis Theophrasti verbis potest constare. Thericles ille antiquior paulo Theophrasto ætate, utpote qui temporibus Aristophanis vixerit. Cum igitur dicat Theophrastus sua ætate τορνεύεσθαι Θηρικλείους κύλικας ex ligno terebinthino, non potest intelligi ab ipso Thericle tornari solitas. Sed & omnium comicorum testimonia, quicunque Thericlis, aut Thericleorum poculorum mentionem fecere, figulum illum fuisse, & hæc fictilia prorsus evincunt. Multa protulit Athenæus lib. XI. Idque etiam extra dubium ponitur verbis ipsis Theophrasti: τορνεύεσθαι καὶ ἐξ αὐτῆς κύλικας Θηρικλείους, ὥστε μηδένα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας. Ergo veri Thericlei calices fuere fictiles: ad quorum instar & imitationem è terebintho fieri tum solebant adeo similes, ut vix à fictilibus dignoscerentur. Hinc apparet è terra nigra & summi nitoris calices suos fecisse Thericlem, quorum instar æmulabantur è terebintho Thericlei, cujus materies admodum nigra, ac nitens. Hesychius: Θηρίκλειος, κύλικος εἶδος ἀπὸ Θηρικλέος κεραμέως. Mœris Atticista: Θηρίκλειον ἀπὸ τοῦ τεχνίτου προσηγορεύθη, ὡς Εὔβουλος.

Καθαρώτερον γὰρ κεράμιον εἰργαζόμην,
Ἡ Θηρικλῆς τὸ σήπωμα. ----

Non

Non tamen ne erres, primus Thericles fictilium calicum auctor non fuit, aut primus figlinam in hoc opere exercuit, ſed primus ea forma calices è terra facere inſtituit, qui ab ipſo nomen invenerunt. Thericleorum formam deſcribit Athenæus his verbis, Θηρίκλειος ἡ κύλιξ αὕτη ἐγκάθηται περὶ τὰς λαγόνας, ἱκανῶς βαθυνομένη, ὦτα δ' ἔχει βραχέα, ὡς ἂν κύλιξ οὖσα. Fictiles autem primum facti. Poſtea hac eadem forma è ligno tornatiles, & ex argento cælatiles fieri cœperunt à cælatoribus, & tornatoribus, quibus Thericleorum nomen nihilo ſecius inditum, quia ad eorum inſtar facti eſſent. De ligneis Thericleis habemus apud Theophraſtum: de argenteis in verſu Apollodori apud Athenæum: Ἀργυρώματα Θηρίκλεια τορευτά. Meminit *Thericleorum* ex argento cælato Cicero Act. VI in Verrem: *de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in his pocula duo quædam, quæ Heraclea nominantur, Mentoris manu ſummo artificio facta.* Ita vulgo legitur. Sed vix mihi dubium eſt quin legendum ſit: *quæ Thericlea nominantur.* τόρευμα Græcis proprie *argentum cælatum*: τορευταὶ cælatores. Hinc τορευτὰ vaſa, cælata. Alia ſunt τορνευτὰ, torno facta. Artes quippe diverſæ τορευτικὴ & τορνευτική. Vocabula tamen ipſa adeo ſimilia, ut multa etiam ex veteribus, ut omittam neotericos, artes eas & opera confuderint. Gloſſæ: τορεύω, *cælo*, *torno*. Immo, *torno* eſt τορνεύω: *cælo*, τορεύω. Heſychius: τορνεύει, γλύφει: τορνευταὶ, γλυπταί. Immo τορευταὶ, γλυπταὶ ſunt proprie, non τορνευταί. Sculpunt enim τορευταὶ, vel cælatores: torno terunt οἱ τορνευταί. Et lata inter utrumque artificium differentia. Ἡ τορνεία in ligno præcipue operatur: cælatura, vel τορευτικὴ in argento & aliis metallis. Inde, ut dixi, *toreuma* vox Latinis uſitata de vaſculo argenteo cælato proprie ſumitur. Plinius de vitreo hæc ſcite diſtinxit: *aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur*, hoc eſt, ἄλλο τορεύεται. Cælata proprie dicuntur vaſa aurea, vel argentea, in quibus ſigna, vel ſigilla intus, aut extra eminentia expreſſa ſunt, quæ ſola cælo fieri, non torno poſſunt exigi. Quo magis miror Virgilium ita canere tertio Bucolico: ---- *pocula ponam*

Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.

Profecto vix ac ne vix quidem fieri poteſt: hoc enim τῶν ἀδυνάτων, ut vitis & hederæ corymbi in poculo per tornum exprimi queant, vel imprimi. Atqui dicit torno facili vitem ſuperadditam poculis. Imitatus eſt Theocritum poëta, qui poculum in certamine ruſtico depoſitum ita deſcribit:

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἀδεῖ κηρῷ
Ἀμφῶες νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον
Τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός.

Torno factum illud κισσύβιον non dicit Græca Muſa, ſed γλυφάνῳ, id eſt, cælo. Et ſane figuræ illæ omnes, quæ in eo poculo expreſſæ memorantur, minime torno fieri potuerunt. Sequitur:

Πάντα δ' ἀμφὶ δέπας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.

Quod ſic Virgilius reddidit:

Et circum molli eſt anſas amplexus acantho.

Hæc cælo facta, non torno. An γλύφανον Virgilius *tornum* Latine vertit, quia grammatici τορνεύειν etiam γλύφειν exponunt, & τορνευτὰς γλυπτάς. Certe, qui torno operantur, etiam lignum ſculpunt, & cavant, raduntque ac terunt, haud ſecus ac ſculptores, ſed alia arte, ac diverſo inſtrumento id faciunt. Γλύφανον apud Theocritum non pro cælo, ſed pro cælatura accipi placet viro doctiſſimo. Neſcio quare. Quod recens à cælo eſt, cælum adhuc olere eleganter & recte dici poſſe video, νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον. Sane γλύφανον eſt cælum. Latinè *ſcalprum* ad verbum. Nam γλύφειν eſt ſcalpere. *Scalprum* tamen de cælo, quo operantur argentarii, vix Latini dicunt, ac ne vix quidem. *Scalpra* ſutorum propria facit Horatius, quæ Græci σμίλας vocant ac σμίλια. Iidem Græci γλύφανον etiam vocant ſcalpellum, quo calami ad ſcribendum olim aptabantur ac temperabantur. Vetus epigramma de ſuppellectile Notarii:

Καὶ γλύφανον καλάμων πλατὺ, καὶ γλωχῖνα σιδήρου.

A Eumdem σμίλην & γλυφίδα, & γλυπτῆρα, & γλυφεῖα vocitarunt. Nam γλύφειν κάλαμον dicebant, qui acuebatur & efficiebatur aptus ad ſcribendum. Gloſſæ, *temperat*, γλύφει κάλαμον. *Temperati calami* apud Plinium pro acutis, ut obſervamus ad Hiſtoriam Auguſtam. Græci quoque ὀξύνειν κάλαμον dicunt. Unde & ὀξυντῆρα καλάμων in Græco epigrammate legere eſt pro ſcalpello, quo temperantur & acuuntur calami. Statius *temperare ungues* pro acuere de tigride ad pugnam ſe parante:

---- *laxatque genas & temperat ungues.*

B Ita *temperare ferrum* eſt στομῶσαι, quod Græci exponunt ὀξύνειν. Suidas: στομώσεις, παροξύνεις: & στόμωσον, ὄξυνον. Inde στόμωμα acies ferri. Vetus epigramma nondum editum σμίλαν δονακόγλυφον ponit inter inſtrumenta librarii:

Σμίλαν Ἀκεσώνδας δονακόγλυφον, ὅν τ' ἐπὶ μισθῷ
Σπόγγον ἔχεν καλάμων ψαίστορ' ἀπὸ Κνιδίων.

Inde σμιλευτὸν γράμμα in altero epigrammate pro eleganti ſcripto, quod exaratum nempe eſt calamo bene temperato, de tragœdia, quam invenit Theſpis, ſed ex humili in ſublime evexit Æſchylus, amplificavitque grandiloquentia ſua:

Αἰσχύλος ἐξύψωσεν ὁ μὴ σμιλευτὰ χαράξας
C Γράμματα χειμάρρῳ δ' οἷα καταρδόμενα.

Ita ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ legendum collegimus. Nam male editum eſt à viro docto:

---- ὀνήσιμα δ' ἔτα χαράξας.

Quod nihil ſignificat. Æſchylum in componendis tragœdiis majeſtatem & pondus verborum ſententiarumque conſectatum eſſe potius, quàm elegantiam & nitorem veteres critici obſervant. Τὰ μεγέθη καὶ τὰ ὕψη vocant magiſtri. Contra ea Euripidi vitio datum eſt nimis accuratum, & ornatum dicendi genus, & nimius nitor in tragico argumento. Ariſtophanes in Ranis de Euripide σκινδαλάμων παραξόνια, σμιλεύματα τ' ἔργων
D vocat quibus in comparationem opponit Æſchili ἱπποβάμονα ῥήματα, ὑψιλόφων τε λόγων κορυθαίολα μήκη. Scholiaſtes σμιλεύματα interpretatur διαγλύμματα. Quod ad calamos ſcriptorios ſcalpello temperatos referendum eſt. Crinagoras in epigrammate ἀνεκδότῳ.

Καὶ καλάμους διασοῖσι διαγλυπτοὺς κεραίαις.

In medio fiſſi erant calami, quibus ſcribebant, & duos apices oſtendebant, ut pennæ quibus ſcribimus: unde κάλαμοι μεσσοσχιδεῖς in epigrammate. Σμιλευτὸν igitur γράμμα à calamo σμιλευτῷ dictum. Sic *ſtilum* pro dicendi genere uſurparunt à ſtilo ferreo quo exarabatur cera in ſcribendo. Hodie eodem modo *pennam bene*
E *taliatam* dicimus de polita & ornata oratione. Nam *taliare pennam* nobis eſt, quod Græci κάλαμον γλύφειν vocant. Perperam etiam vir undequaque doctiſſimus ad Theocritum ſuum γλύφανον, vel γλυφεῖον, hoc eſt, librariorum ſcalprum idem cum graphio eſſe notavit.* Graphium ſtilus erat ferreus, ab una parte acutus, qua exarabantur in cera literæ, ab altera parte planus, qua inducebatur quod perperam erat exaratum, & rurſus complanabatur cera. Inde *ſtilum vertere* apud Horatium. Sympoſius in ænigmate, cujus lemma *Graphius*:

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo.

F Vide cetera. At ſcalprum, vel γλυφεῖον, quo calami temperabantur, quibus in charta & membrana ſcribebant. *Cannivum* hodie ſcalprum appellamus ſcribæ, à canna vel calamo. Nam harundine ſcribebant veteres, non, ut nos, penna. *Cilium* & *cilionem* nuncupavere Latini recentiores, quod veteribus erat *celum*. Immo etiam *ſicilum* quod eſt σμίλιον. Nam & *ſicilatos* lapides vulgo dicimus, qui ſculpti ſunt: & *ſicilare* pro ſculpere, vel cælare. Idiotiſmus noſter id vocat *cizeler*. Paulus Silentiarius γλύφανον etiam appellat inſtrumentum quo lapides ſculpebantur in ambonis deſcriptione:

G ---- αὐχένα δ' αὐτοῖς
κυκλοτερῆ γλυφάνοισι χάλυψ ἔσφιγξε τορείης.

Sed & λαοτόρους appellat lapidum cælatores & ſculptores. *Burinum* autem vulgo vocamus τὸ γλύφανον, quo utuntur cavatores gemmarum, vel argenti. *Terere* omnium commune eſt, tornatorum, ſculptorum, cælatorum & raſorum. Hinc in veteribus gloſſis *tritores* τορευταί. Et *tritum argentum* Phædro cælatum:

Trito Myronem argento Praxitelem suo.

Radunt utrique tam tornatores, quam cælatores. Poëta:

---- & torno rasile buxum.

Græci γλύφαι, ξύσαι. Aliud tamen proprie ξύσαι vel ξέσαι, aliud γλύφαι, aliud τορνεῦσαι. Et *rasores* vel *interrasores* diversi à cælatoribus & tornatoribus. Theophrastus ita hæc distinguit: δ' πελεκητότερα ἢ καὶ δ' τορνότερα, καὶ δ' ξεσώτερα τὰ χλωρὰ προσκαθῆσθαι γὰρ τὸ τορνευτήριον μᾶλλον καὶ οὐκ ἀποπηδᾷ. Ubi τορνευτήριον est instrumentum ferreum, quo teruntur ligna in torno. Ut verum sit τορνευτὰς etiam dici posse γλυπτὰς, non tamen è contra γλυπταὶ dici possunt τορνευταί. Tornatores exsculpunt & insculpunt ligna, non vice versa tornant sculptores, præterea strias & sulcos in ligno tornatili facere possunt οἱ τορνευταί, figuras & sigilla torno exprimere nullo modo queunt. Male igitur & improprie summus poëta τὸ γλύφανον reddidit *tornum*. Glossæ: *celo*, τορεύω: *celator*, τορευτής: & *celatura*, τόρευσις. Quæ & τορεία dicitur ut τορνεία. Plutarchus fibulam auream cælatam ἐντέχνου τορείας παίγνιον appellat: at non recte in iisdem: *tornatum*, τετορευμένον. Lege: τετορνευμένον. In aliis glossis, capite de argenteis: *pocula tornata*, ποτήρια τορευτά. Immo τορνευτά. Sequitur: *cælata*, ἀνάγλυφα. Sic enim legendum. Recte in nostris necdum editis:

Σκεύη τορνευτά, *tornata vasa.*
Ξυστρωτά, *striglata.*
Γεγλυμμένα, cælata.

Auctor peripli maris rubri: τὰ πλείονα ἢ ἀργυρώματα τετορευμένα καὶ χρήματα τῷ βασιλεῖ. Hæc eadem ἀνάγλυφα, id est, eminentibus sigillis expressa: κατάγλυφα vero quæ depressis sulcis, & imaginum cavatis lacunis sculpta sunt. At γλυπτὰ de utrisque, Latini quoque *sculpta* & *sculptilia*. Quinctilianus sculpturam à cælatura materie tantum distinguit lib. III. cap. XXI his verbis: *Et cælatura, quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit: nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ supra dixi, etiam complectitur.* Sane sculptor marmoris dicitur, non cælator. Ut contra cælatura auri & argenti, non sculptura. Et sculptura quidem æque ac cælatura figuras extantes facit, sed in ligno, marmore, ebore & gemmis operatur: cælatura in auro & argento & ære. Virgilius tamen lignum dixit cælatum pro sculpto improprie, sed poëtice. Alii tamen *cælata tecta* de laquearibus dixere. *Gemmas cælatas* non legimus apud auctores, sed *sculptas*, aut *scalptas*: Rursus hic distinguunt scalpturam à sculptura. Quas gemmas sculpi notat Quinctilianus, figuras in his extantes fieri & ectypas intelligit, ut in ebore, ligno & marmore quod sculpitur. At de his, quæ ad signandum cavantur, *scalptura* proprie ut diceretur usus loquendi obtinuit, licet origine ac significatione idem sit quod *sculptura*. Loquendi consuetudine ac usu quo nihil est τεχνικώτερον, res in totum diversa. *Scalptas gemmas* & *scalpturam* gemmarum in antiquis libris fere semper legere est, non *sculptas*. Hæc sculptura deprimit figuras, & cavando artem suam exercet: unde & *cavatores* proprie appellati, & *cavitarii*, & recentioribus Græcis καβιδάριοι. Quod alibi notavimus. *Gravatores* hodie appellamus, voce à *cavatores* detorta, vel à *graphatores*. Græci quoque γλάφειν, à quo *scalpo*, κοιλᾶναι exponunt & βαθῦναι. Omnes gemmæ, quæ σφραγίδων usum præbebant, hoc modo scalptæ. Hinc σφραγῖδες pro gemmis annulorum apud Græcos κατ' ἐξοχὴν dictæ. *Ectypa gemma* Senecæ non quæ scalpta erat & incisa depressis figuris, sed quæ eminentem & expressam haberet imaginem. Hæc ac signandum non erat idonea. Ars hæc *cælatura* dicebatur, quæ extantes figuras ostendebat, & extra corpus materiei prominentes, interdum totas, interdum dimidiatas. In argenteis & aureis vasis apud veteres locum ac auctoritatem suam maxime tenuit, sed præcipue in argenteis. Græci τορευτικὴν appellant, & τόρευμα opus eo modo cælatum. Hodie fere tantum scalpitur & cavatur argentum, ex quo pocula fiunt. Ceterum vasa etiam *argentea scalpta* in Historia Augusta legimus. Apud veteres tamen frequentius cælabatur argentum figuris extantibus, aut totis, ut dixi, aut

A dimidiatis. Πρόσωπα vocabantur, cum velut adfixæ imagines unum tantum latus ostenderent: περιφανῆ & ἐκφανῆ, quum totæ & apparentes ex omni parte eminerent. Illud vocamus *en bosse*: istud *en relief*. Athenæus lib. V: ἔτοι δ' εἶχον ἄνωθεν καθήμενα περιφανῆ πεπορευμένα ζῷα, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ, καὶ ἐν ταῖς γάστραις πρόσωπα ἐπιμελῶς πεποιημένα. Male hodie legitur πεπορευμένα ζῷα, & pessime vertunt, *tornatis*. In superiori parte cælata animalia sic erant, ut tota conspicua apparerent. In collo & ventre craterum *prostypa* adhærebant, dimidia tantum sui parte expressa. Corrigendus in hac voce Plinius lib. XXXV. cap. XII. *Primasque per-*
B *sonas tegularum extremis imbricibus, quæ inter initia prostypa vocavit; postea idem ectypa fecit.* Sic inquam eo loco legendum, *prostypa*, non *protypa*. Simulacra, quæ exerta non sunt, nec tota extra prominent, πρόσωπα vocavit. Dioscorides testiculos castoris, qui non prominent, nec sese exerunt, sed pressius adhærent corpori, appellavit προσώπους, ἀδύνατον γὰρ ἐστὶν ἅψασθαι αὐτῶν προσώπων ὄντων, ὥσπερ ὑός. Non pendent testiculi castori ut arieti, sed sunt πρόσωποι ut sui: adhærent & adpliciti sunt corpori. Ita simulacra, quæ non tota extarent, eminerentque, dixerunt πρόσωπα. Ab iis diversa ἔκτυπα, prominentia nempe, & extra conspicua, quæ περιφανῆ & ἐκφανῆ
C etiam dicta. Vel certe πρόσωπα vocavit quæ vulgo vocamus, *en demie bosse*, ἔκτυπα, *en bosse*. Quod verius: typis nempe ac figuris extantia. Cui contraria sunt τὰ ἔντυπα, quæ intus depressa sunt & incisa: unde ἐντύπωμα de gemmis signatoriis dixit Clemens, quæ cavatæ sunt. Nam ἐκτύπωμα de his, quæ *ectypam* præferunt *imaginem*, ut loquitur in libro de beneficiis Seneca. Athenæus: τὸ ἐπισύλιον ἐκ χρυσοῦ τὸ ὅλον, ἐφ' οὗ διάζωσμα ἐφήρμοσο, περιφανῆ ζῴδια ἔχον ἐλεφάντινα μείζω πηχυαίων. Opponit τὰ περιφανῆ τοῖς προσώποις. Talis erat caper in vase illo nobilitato veterum carminibus:

Stat caper in phiala docti Myos anne Myronis.

D In phiala caper expressus erat pro emblemate, sed ita ut integer, & περιφανὴς appareret, non πρόσωπος. Eo allusit Satyricus Sat. I.

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Περιφανῆ, ἔκτυπον. *Signa* & *sigilla* Cicero vocat cælaturas, quæ pateris, & patellis, aliisque vasis includebantur, & incrustabantur. Græci ζῴδια, quorum, ut dixi, alia ἔκτυπα, sive περιφανῆ, alia πρόσωπα fingebantur. Actione VI in Verrem: *patella grandis, cum sigillis & simulacris deorum.* Idem alibi *crustas* & *emblemata* appellat, quæ de poculis, ac vasis revelli poterant, &
E aliis rursus illigari: *Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia.* Et paulo post: *sigillis avulsis reliquum argentum sine avaritia reddidit.* Signa hæc & sigilla ἔκτυπα & περιφανῆ ut plerumque poculis immittebantur, & inligabantur: at crustæ de prostypis, quibus operiebantur, quæ & ipsæ exemptiles erant. Ibidem: *Quæ probarant, iis crustæ, aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini excussis deliciis cum argento puro domum revertuntur.* Emblemata videtur dixisse de signis ac sigillis extantibus: *crustas* de prostypis. *Argentum purum* dicebatur, quod sine ullis crustis, & emblematis erat, quæ cælatura constabant.

---- argenti vascula puri.

F Cicero eadem oratione qua supra: *cænabat apud eum: argentum ille ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis.* Vascula igitur pura sigillis, vel emblematis aliunde revulsis plerumque decorabantur. Et quemadmodum aureæ cælaturæ in vasis argenteis sæpe collocabantur, sic argentea emblemata & sigilla aureis scyphis includi solebant. Quod factitasse Verrem dicit Cicero. De aureis cælaturis in argentum descendentibus habes Senecæ locum. Hinc videtur idem Cicero *vascularios* & *cælatores* quasi diversa artificia distinxisse in ea-
G dem oratione: *Instituit officinam Syracusis: in Regiam maximam palam artifices omnes, cælatores & vascularios convocari jubet.* Ubi *vascularii* sunt, qui vascula ex puro argento faciebant: *cælatores*, qui signa ac sigilla vasculis aureis aut argenteis includenda cælabant. Magni sane illi artifices, quorum artem in argento cælando tanto opere celebrat antiquitas, signis minoribus faciendis inclaruere, non vascularii fuere, ut Phidias

dias & Polycletus: quorum illum toreuticen ostendisse scribit Plinius, hunc vero consummasse. De Phidia: *primusque artem toreuticen aperuisse, ac demonstrasse fertur.* Ars toreutice est, quæ toreumata, id est, vasa cælata ex argento facit. Non dicit Plinius Phidiam vascularium fuisse, aut toreumata fecisse, sed quod sigilla & minora simulacra ex ære optime faceret, hoc modo aperuisse toreuticen, & viam ostendisse illi arti, quæ minora signa & sigilla in scyphis & poculis argenteis cælaret, quæ ars Græcis proprie τορευτική. Certe idem Plinius lib. XXXIII cap. XII ubi nobiles artifices enumerat, qui argento cælando inclaruere, hoc est, qui clari τορευταὶ fuere, nusquam Phidiam nominat. Et tamen apud Martialem legitur:

Nullum Phidiaci toreuma cæli.

Sed Phidiacum cælum appellat, quia toreuticen ille primus aperuit, ac demonstravit. Inter nobiles toreutas nominat præcipuè Mentorem, Acraganta, Bœthum, Myn, & post hos Antipatrum & Stratonicum. *Mox*, inquit, *Cyzicenus Tauriscus: item Ariston & Eunicus Mitylenai laudantur.* In quibusdam libris legitur: *mox Cratenus Tauricus.* Forte: *mox Crates & Myrmecides.* Tauriscum tamen sede sua nolim excitari. De Cratete certum est eum inter nobiles toreutas locum habuisse. Athenæus lib XI: ἔνδοξοι ἢ τορευταὶ, Ἀθηνοκλῆς, Κράτης, Στρατόνικος, Μυρμηκίδης ὁ Μιλήσιος. Apud Plinium statim legerem: *item Athenocles Mitylenæus laudatur* pro *Ariston & Onicus.* Nisi quis malit, *Aristonicus.* Sed Athenæo nullus hoc nomine est ex claris cælatoribus. Idem Plinius Aristonem memorat inter celebres argenti cælatores lib. XXXIV. cap. VIII. *Ariston, qui & argentum celare solitus est.* Non igitur ejus nomen hinc expungendum. Memorantur deinde Plinio Hecatæus, & Praxiteles, qui circa Pompeji ætatem vixit, Posidonius Ephesius, *Lædus Stratiates.* In libris scribitur: *Ledischracides.* Forte unica voce scribendum, *Leocratides* vel *Leostratides*, vel etiam *Callicratides*, ut idem sit qui Καλλικράτης Athenæo in album refertur illustrium τορευτῶν: Καλλικράτης ὁ Λάκων, καὶ Μῦς. Et fortean Plinius scripserit, *Laco Callicrates.* Sequitur apud Athenæum de Mye cælatore: οὗ εἴδομεν σκύφον Ἡρακλεωτικὸν τεχνικῶς ἔχοντα Ἰλίου ἐντετορευμένην πόρθησιν. Perperam editur, ἐντετορνευμένην. Et sane multis auctorum locis τορνεύειν & ἐντορνεύειν subrepsit pro τορεύειν propter nimiam nimirum vocabulorum inter se affinitatem ac similitudinem. Corrigendum similiter in eodem illo fragmento: Μένανδρος ἢ που φησὶ καὶ ποτήριον τορευτὸν καὶ Ἀντιφάνης τορευτά. Non, ut excusum habetur, τορνευτόν. Hesychius: Κερχνωτὰ τὰ τετορευμένα, ἀπὸ τοῦ χείλους τῶν ποτηρίων, ὥσπερ κερχνοειδῆ ποικίλα. Et heic non recte oggerunt scriptum editiones τετορνευμένα. Eorum ars fuit sigilla in scyphis & poculis exsculpere. Sic iidem vascularii & cælatores fuere. Plinius de Mentore: *Mirum in auro cælando inclaruisse neminem, argento multos. Maxime tamen laudatus est Mentor, de quo supra diximus. Quatuor paria denique ab eo omnino facta ac jam nullum extare dicitur.* Intelligit paria scyphorum. Nam capite præcedenti meminit duûm scyphorum Mentoris manu cælatorum. *Paria* autem dicit, quia semper in delphica, sive abaco pares ponebantur, hoc est, σύνδυο. Agrœcius: *Quia vasa in delphica paria semper sunt, unde ipse Cicero dicebat, scyphorum paria complura.* Ita legendus ille locus vulgo non satis sanus. Delphica est abacus, in quo vasa & pocula ponebantur. Horatius:

---- & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet.

Intelligit delphicam, sive abacum. Non tamen paria tantum vasa in abaco ponebantur, sed etiam disparia. Varro de L. L. VIII: *Itaque sicut abacum argento ornari videmus, ut alia paria sint, alia disparia, sic in oratione.* Ut in Horatii illo abaco cyathus est impar, pocula paria. Verum de his nos alibi pluribus. Profecto videntur hujus artis toreuticæ duo modi methodique fuisse, una, quæ argentum in ipso corpore scyphi excideret, & sigillis eminentibus exsculperet, altera quæ sigilla seorsim facta argento, vel auro includeret, atque illigaret per illam artem, quam ἐμπαιστικὴν vocarunt. *Anaglypta* illa, vel *anaglypha* proprie dice-

A bantur. Idem Plinius: *Nunc anaglypta, in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus.* Vas ipsum argenteum in asperitatem excisum, ac sigillatum cælabatur, figuris extantibus, unde *anaglyphon* dicebatur. Vasa lignea eo modo sculpebantur. De hoc modo cælandi capienda hæc verba Plinii: *Acragantis in templo Liberi patris, in ipsa Rhodo Bacchæ Centaurique cælati in scyphis.* Item quæ sequuntur: *post hoc celebratus est Calamis, & Antipater, quique Satyrum in phiala gravatum somnio collocavisse verius quam cælasse dictus est, Stratonicus.* In corpore phialæ ex eodem argento cælatus fuit ille Satyrus. Ad hoc artificium referendæ *corymbiatæ* pati-

B næ, & *hederaciæ*, & *filicatæ* à genere cælaturæ sic dictæ, quæ hederas, & corymbos, filicemque herbam in scypho exprimeret exsculptis figuris. Alterum genus fuit, quo sigilla ipsa illigabantur vasis, aliquando aurea argenteis, & argentea aureis. *Emblema* in hoc genere nomen locumque habuit. Ars ipsa proprie dicta ἐμπαιστική, ἀπὸ τοῦ ἐμπαίειν καὶ ἐμβάλλειν, quod immitteret & includeret, illigaretque sigilla vasis & scyphis. De hac methodo intelligendus in his verbis Plinius de nobilibus τορευταῖς: *fuit deinde Pytheas, cujus binæ unciæ viginti venierunt. Ulixes & Diomedes erant in phialæ emblemate Palladium surripientes.* An binas uncias viginti

C unciis veniisse intelligit? Hoc non magnum esset pretium. Immo viginti libris venierunt binæ unciæ argenti ab illo Pythea cælati. Nam præcessit: *Zopyrus, qui Areopagitas & judicium Orestis in duobus scyphis sestertiis quinque, hoc est, pondo XII æstimatis.* Ita legendus ille locus ex vestigiis veteris scripturæ. Quinque sestertia efficiunt pondo argenti duodecim cum dimidio. Sed illud dimidium insuper habuit Plinius. Ergo quod sequitur binas uncias à Pythea cælatas viginti veniisse, aut de pondo, aut de sestertiis accipiendum, quæ sestertia libras duas cum semisse faciunt argenti. Liber

D vetus X habet, non XX. Hæc ars ἐμπαιστικὴ potius quam τορευτική. In hac arte separari possunt vascularii & cælatores, ut fecit Cicero. In illa altera iidem omnino vascularii qui & cælatores. Iis tertium genus accedat *crustariorum* artificum. Hi crustas ex argento cælatas argenteis scyphis inducebant. De quibus supra diximus ex eodem Cicerone. Crustæ & emblemata detrahi ex aliis vasculis poterant, & aliis immitti: anaglypha non poterant. Cicero loco supra citato: *Crustæ, aut emblemata detrahuntur.* De crustariis Plinius: *habuit & Teucer crustarius famam: subitoque ars hæc ita exolevit, ut sola jam vetustate censeatur, usque adeo at-*

E *tritis cælaturis, ne figura discerni possit, auctoritas constet.* Crustis illis cælatis operiebantur scyphi, calices, & alia vasa. Qui ex ære statuas & signa faciebant, *statuarii* fusores. Qui ex argilla, *fictores*, Græce πλάσται. Qui ex marmore *sculptores*, γλυφεῖς. Qui sigilla ex argento in vasis exprimebant, *cælatores*, Græce τορευταί. Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. *Ariston, qui & argentum cælare solitus est*, id est, qui scyphos sigillatos ex argento facere, τὰ τορεύματα. Et paulo post: *item ex cælatoribus Stratonicus Scymmus.* Hunc Stratonicum alio loco inter τορευτὰς recensuit. Toreuticæ initium dedisse, ac viam aperuisse Phidiam parvis signis ex ære faciendis

F idem Plinius alibi docuit. Eum Phidiam floruisse ait olympiade LXXXIII, circiter CCC Urbis conditæ anno. Quod qui verum esse queat, non video. Nam Anacreon, qui olympiade sexagesima secunda floruit, τορευτικῆς meminit, & poculum sibi à Vulcano fieri petit, in quo nec arma, nec astra cælata sint, sed vites uvis refertæ, & Bacchus cum Amore & Bathyllo uvas calcans.

Τὸν ἄργυρον τορεύσας
Ἥφαιστέ μοι ποίησον
Πανοπλίαν μὲν οὐχί.

Vide reliqua apud Agellium, ne dubites de auctore.

G Nam ᾠδάριον illud etiam inter ea Anacreontis, quæ hodie extant, reperitur. Idem in alio carmine ad artificem, ut sibi poculum fabricet ac cælet:

Καλλιτέχνα τόρευσον.

Ita legendum, non καλὴ τέχνα. Καλλιτέχνης est artifex. Longe igitur antiquior ætate Phidiæ & Polycleti ars toreutice. Improprie Clemens Alexandrinus τορευτικὸν dixit de eo, qui gemmas in annulis scalpit. Is Latine

cavator, & *ſcalptor*, non *cælator* appellabatur. In primo Stromate: ὄψεως ὁ τῶν ἐν ταῖς σφραγῖσιν ἐντυπωμάτων τορευτικός. Immo non τὰ ἐντυπώματα cavat in gemma toreuticus, ſed ἐκτυπώματα excitat, materiam circum excidendo. Longe majori ἀκυρολογίᾳ mediæ Latinitatis auctores *toreuma* uſurparunt de quovis poculo, vel ſcypho. De argenteo Martialis:

Nullum Phidiaci toreuma cæli.

Hic proprie *toreuma* de argento cælato ſigillis exſculptis & expreſſis. At alio loco vitreos calices *toreumata* appellat:

Nos ſumus audaces, plebeja toreumata vitri.

Dixerit heic aliquis etiam vitrum argenti modo cælatum veteribus Plinio teſte. Sed & *vitri ſigillati* mentio apud Apulejum. Verum audaces illi calices è vitro ſimplice, ac puro facti erant ad uſum plebejum, & nullum in his toreuticon opus. Clarius alibi oſtendit *toreuma* uſurpaſſe de quolibet poculo, ubi fictiles calices ſic appellavit:

Accipe non de vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Nihil tam contrarium τοῦ τορεύματος ſignificationi, quam quod leve eſt, ac ſine ulla inæqualitate, quam τορευτικὴ præſtat. Fictilia quidem vaſa etiam τορεύματα dicta, ſed ea tantum quæ ſignis cælatis erant aſpera. Strabo lib. VIII de Corinthi direptione: καὶ τοὺς τάφους συνανασκάπτοντες εὕρισκον ὀστρακίνων τορευμάτων πλήθη, πολλὰ δὲ καὶ χαλκώματα. Ubi τορεύματα ὀστράκινα ſunt cælata fictilia. Scribit Plinius faſtigia templorum fictilia miris cælaturis fieri ſolita. Urcei fictiles & alia vaſa cum figuris extantibus & expreſſis fiebant, quæ τορεύματα etiam appellata ſunt, ut & vitrea cælatis imaginibus aſpera. At levia & pura nullo modo τορεύματα dici poſſunt: ut argentum cælatum dicitur τόρευμα. Leve & purum, quod non cælatum, eſt ἀτόρευτον. Juvenalis:

---- *leve argentum, venæque ſecundæ.*

Optimum vero ac præſtantiſſimum argentum ad cælaturas eligebatur: unde *puſtulatum* de primæ notæ argento dicebant. Nam opus τορευτικὸν vulgo etiam dicimus *en boſſe*, id eſt, *in puſtula*, ſive *puſtulatum*. Longius autem à proprietate hujus vocis abiere Latinitatis infimæ ſcriptores, qui *toreuma* pro toro, vel torali, ut Sidonius Apollinaris, aliique illius ævi. Salvianus lib. IIII ad Eccleſiam Catholicam: *natant tricliniorum redundantium pavimenta: vino Falerno nobili lutum faciunt: menſæ eorum ac toreumata mero jugiter madent.* Largius etiam, aut æque largiter errant, cum veteres, tum recentiores pleriqueomnes, qui τόρευμα & τόρνευμα propter dictionum vicinitatem confuderunt, artemque τορνευτικὴν cum τορευτικῇ eamdem fecerunt. In quibus & Turnebum eſſe miror. Idem error & priſcorum. Veteres gloſſæ: *toreumata quæ in torno raſa ſunt.* Immo τορνεύματα illa dicuntur, non τορεύματα. Ciacconius de Triclinio *toreumata* interpretatur torno elaborata vaſa. Prorſus male. Ab ea culpa non poteſt abeſſe ſummus poeta, qui *torno facili* vitem poculis ſuperadditam cecinit, & *tornum* pro cælo poſuit. Hodie paſſim docti homines in veterum ſcriptis τὰ τετορευμένα vaſa *tornata*, aut *torno facta* reddunt, magno errore. Athenæus lib. V. Εἴδομεν δὲ αὐτὸ καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Δελφοῖς ὡς ἀληθῶς θέας ἄξιον διὰ τὰ ἐν αὐτῷ ἐντετορευμένα ζῳδάρια, καὶ ἄλλα τινὰ ζωΰφια. Vertunt: *propter animalcula quædam & plantas torno cælatas.* Inepte: quaſi tornum cælare poſſit, aut quaſi τορεύειν ac τορνεύειν idem ſit. Verte, *propter ſigilla quæ in eo cælata ſunt, & animalcula quædam.* Τορεῖν eſt cædere, τέμνειν. Ita exponit Heſychius. Inde τορεὺς *cælum*. Et τορεύειν cælare. Nam & *cælum* quoque à cædo. Ut *telum* à tego, τὸ ἀμπωτήριον: *prelum*, à premo, & ſimilia. Ab inſtrumento *torno*, quia circumagendo in eo teruntur ligna, *tornare* fecit infima Latinitas pro gyrare ac vertere: & *tornum* pro gyro: & *contornum* pro circulo. Heſychius: τορνῶσαι, περιγράψαι, κυκλῶσαι. Idem τόρνον exponit ἐργαλεῖον τεκτονικὸν, ᾧ τὰ στρογγύλα σχήματα περιγράφεται, *quo ligna in teretem formam raduntur.* Nihil verius. Hinc cognoſcis, quam late diſtent τορεία & τόρνεία, cælatura, & tornatura. Abuſive etiam verbo *tornandi* uſus eſt Feſtus Avienus in Paraphraſi Dionyſii.

---- *his glauca dehinc tornatur jaſpis.*

A In Græco eſt:

---- ἡ χλωρὴ διαυγάζουσιν ἴασπιν.

Quod à præcedentibus pendet. At videtur legiſſe Avienus:

Ἡ χλωρὴ διαυγάζεσιν ἴασπιν.

Et διαυγάζειν ἴασπιν interpretatus eſt *tornare*, pro terere ſcilicet, & polire. Teruntur enim lapides, ut niteant. Σιλεωτὰς lapidum Græci vocant, & σιλεῶσαι λίθους polire & atterere. Quod tornare improprie dixit, quia quæ torno fiunt, etiam teruntur & levigantur. Unde *torno terere* Plinio. Virgilius:

Et radios trivere rotis,

B id eſt, tornavere. At torno gemmæ non poliuntur. Vidi in Germania rotis quibuſdam aquariis verſatilibus poliri ac teri achates & calchedonios, ſed hoc tornus non eſt. *Toreuticen* oſtendiſſe Phidiam tradit Plinius. Idem vero torneutices inventorem facit Theodorum Samium lib. VII. *Normam autem, & libellam, & tornum, & clavem Theodorus Samius.* Theophraſtus ex lapidibus alios cælo ſculpi dicit, alios torno teri, alios ſerra ſecari: γλυπτοὶ γὰρ ἔνιοι, καὶ τορνευτοί, καὶ πριστοί, *ſculptiles, tornatiles*, & *ſerratiles*. Ergo aliud γλυπτὸν, aliud τορνευτὸν, cælatura & tornatura. Idem paulo poſt: C ἄλλοι πριστοὶ γὰρ, οἱ δὲ γλυπτοὶ καθάπερ ἐλέχθη, καὶ τορνευτοὶ τυγχάνουσι. Et ſtatim: πλείους δὲ εἰσὶν οἱ δεχόμενοι πάσας τὰς ἐργασίας, id eſt, qui ſculpi, ſerra ſecari, & tornari poſſunt. Et deinde de lapide ſiphnio: καὶ γλύφεται, καὶ τορνεύεται διὰ τὸ μαλακόν. Aliud igitur γλύφεσθαι, aliud τορνεύεσθαι. Cum hæc ita ſint, vix mihi poſſum perſuadere in tanta luce literarum & artium, ſæculo tam erudito, poëtam omniſcium tornum & cælum potuiſſe confundere. Quare aliter exponenda ejus verba hæc ac vulgo ſolent:

Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

D Non dicit torno, vel torni arte ſuperadditam vitem illis poculis, ut tornus vitem illam & corymbos hederæ in poculo effigiarit, ſed præter tornum, quo facta erant illa pocula, inſuper additam artificio cælaturæ vitem. Pocula ipſa torno facta: addita deinde ars cælaturæ. Sic in poculis argenteis ex puro argento factis emblemata cælata addebantur & incruſtabantur. Vitis itaque heic addita per cælaturam vel ex ipſo ligno exſculpta, vel glutino adplicata & adnexa. Ait *torno facili*, nihil enim facilius tornatura. Parum itaque commendaſſet pocula ſua, ſi torno tantum facta promiſiſſet. Sed ad torni facilitatem cæli labor additus. Proprie enim de cælatura *labor*. Martialis:

E *Quis labor in Phiala?*

Hinc *laborioſi* cælatores vulgo dicti. Olim notavimus. Niſi ita interpreteris, vix culpa liberabis ſummum poëtam, quin diverſa artificia cæli ac torni confuderit.

Quo etiam ipſi quibus provenit honorantur.] Recte in antiquioribus libris, *quod*. Ita loquitur noſter, *honorari* pro honorare. Quod etiam ebenum ipſi honorantur, apud quos provenit, id eſt, honorant, in honore habent. Sic ſupra: *ipſe cum albis quadrigis egredientem in littore occurrens honoratus eſt.* Et paulo poſt: F *cujus devotionis myſterium ſenatus munificentia honorata eſt*, pro honoravit.

Mittit India & calamos odoratos, potentes.] Hic locus ἀντιγραφεῖται. In quibuſdam codicibus legitur: *Mittit India, & calamos odoratos potentes adverſum inteſtinæ ægritudinis incommoda. Dat & multa alia flagrantia mirifici ſpiritus ſuavitate.* In aliis ſcribitur: *Mittit India calamos odoratos, & multa alia mirifici ſpiritus ſuavitate grata.* Horum altera ſcriptura primæ editionis lectio fuit, altera poſterioris. De calamo odorato non convenit inter noſtros. Sed eorum ſententiæ accedo, qui contendunt officinarum calamum non eſſe legitimum antiG quorum κάλαμον ἀρωματικὸν, ſed acorum. Hinc Græci recentiores paſſim in ſuis gloſſis iatricis κάλαμον ἀρωματικὸν de acoro interpretantur: Κάλαμος ἀρωματικὸς τὸ ἄκορον. Garcias *aromaticum* vocare ſe dicit potius quam odoratum, *quandoquidem*, inquit, *aroma non ſignificat odorem, ſed quod vulgo droguam dicimus.* Calamum autem non eſſe odoratum, ſed juncum duntaxat. Profecto aut ille calamum ἀρωματικὸν veterum non novit, aut fatendum eſt eſſe odoratum. Præterea falſum eſt

est ἄρωμα Græcis odorem non significare, quum nihil aliud ea voce Græci loquantur, nisi speciem boni odoris spiritu flagrantem. Hinc, qui Græcis κάλαμος ἀρωματικὸς dicitur, Latini dixere *calamum odoratum.* Adde quod non solum ἀρωματικὸς Græcis nuncupatur, sed etiam εὐώδης. Dionysius:

Ἢ θύε, ἢ σμύρνης, εὐώδεος ἢ καλάμοιο.

Theophrastus: γίνεται δὲ ἐν Συρίᾳ περὶ τὴν λίμνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ κάλαμος εὐώδης. Idem lib. IX. cap. VII calamum & juncum inter res odoratas, quæ in Syria nascuntur, recenset, & hæc tantum. Nam galbanum, inquit, βαρύτερον καὶ φαρμακῶδες. Hoc etiam in Syria provenit, sed minime odoratum. Frustra veteres calamum illum, quem noverant, ἀρωματικὸν vocassent, nisi talem sensissent. Etenim, ut diximus, nihil aliud hæc vox denotat, nisi odoris suavitatem & flagrantiam. Hesychius: θύα ἀρώματα. Inde ἀρωματίζειν τῇ ὀσμῇ dicunt, quod suaviter flagrat. Firmicus lib. V: *aut colorum infectores erant, aut per ipsos aromatum odor suavis afferetur, aut pretiosarum gemmarum merces.* Non igitur *aroma* idem quod *drogua.* Ἄρωμα facticium & compositum quid significat ex bonis odoribus ac speciebus odoratis. Theophrastus lib. IX. cap. VII. Τὰ δ' ἄλλα πάντα τὰ εὔοσμα, οἷς πρὸς τὰ ἀρώματα χρῶνται, τὰ μὲν ἐξ Ἰνδῶν κομίζεται. Et paulo post: οἷς μὲν οὖν εἰς τὰ ἀρώματα σχεδὸν, τάδε ἐστὶ κασία, κινάμωμον, καρδάμωμον, &c. Species ibi omnes aromaticas recenset, quibus ad suffitus, & ξηρόμυρα & διαπάσματα uterentur, quæ proprie ἀρώματα vocavit. In libro de odoribus: ὡς οἱ μὲν τὰ ἀρώματα καὶ τὰ διαπάσματα συντιθέντες, ξηροῖς πρὸς ξηρά: ὡς δ' οἱ τὰ μύρα κεράννυντες, ἢ τῷ οἴνῳ ἐπιχέοντες ὑγροῖς πρὸς ὑγρά: τὸ δὲ τρίτον, ὃ καὶ πλεῖστόν ἐστιν ὡς οἱ μυρεψοὶ ξηροῖς πρὸς ὑγρά. Alibi tamen passim ἀρώματα vocat species ipsas peregrinas, & herbas omnes in Græcia nascentes odoriferas. At *droguam* vocant speciem omnem cujuscunque tandem sit odoris, jucundi vel ingrati, modo aliquid habeat φαρμακῶδες. Inferior Latinitas *speciem* simpliciter dixit, ut & Græci εἶδος. Silphium, Λιβυκὸν εἶδος. Myrrha, Ἀραβικὸν εἶδος, & similia. At *species aromaticæ*, τὰ εἴδη ἀρωματίζοντα. Hodie *speciem* strictius sumimus de acribus tantum & morsicantibus, ut sunt piper, canella, & similia. *Speciarium* tamen dicimus, qui omne genus species vendit. Latini *seplasiarium* dicebant. *Seplasiarius*, παντοπώλης. Marcellus:

Quodque ab Idumæis vectum seplasia vendunt,
Et quidquid confert medicis Lagæa cataplo.

Græci ῥωποπώλην vocarunt, qui omnia id genus promercalia haberet, quæ medicis, tinctoribus, pictoribus, & myrepsis conducerent. Nam ῥῶπον ejusmodi merces omnes mixtas ac minutas appellabant. Hesychius: ῥῶπος, ὁ λεπτὸς φόρτος, ὅσα ζωγράφοις, βαφεῦσι, μυρεψοῖς, χρήσιμα εἰσι. Pleraque horum & fere omnia, quæ pictoribus, tinctoribus, & myrepsis usui sunt, etiam medicis utilitatem præstant, ac medicinæ inserviunt. Hodie *pharmacopolæ* dicuntur, qui non tantum simplicium medicaminum instituram exercent, sed etiam ex præscripto medicorum antidotos miscent ac remedia conficiunt. Nulli olim extitere earum tantum mercium institores, quæ ad medicinam facerent. Nam quos *pharmacopolas* vocavit antiquitas, non erant similes nostris. Sed nec simplicium medicamentorum videntur propolæ fuisse. Miscebant & ipsi remedia, ac venditabant. Contra venena præcipue ac δηλητήρια opem atque operam suam pollicebantur. Martianus Capella: *Hæc autem ex arenis anhelantis Libyæ adducitur, quod & capillicium implexum docet, & amicitia venenorum, aut fidendum pharmacopolam esse Marsicæ nationis.* Sic legendus ille locus lib. IIII. Cato apud Agellium: *itaque auditis, non auscultatis tanquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si æger est.* Maximus Tyrius Oratione X. Μιμεῖται πως καὶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης ῥήτορα, καὶ σοφιστὴς φιλόσοφον. His simile fuit medicorum circulatorum genus, quos Græci περιοδευτὰς appellabant, nunc *charlattanos* & *saltimbancos* dicimus. In veteri inscriptione:

---- *Medicus fora multa sequutus.*

Circumforaneum medicum & circulatorem intelligit, hoc est, περιοδευτήν. Hinc περιοδεύειν infima Græcia pro sanare vel curare dixit, eo modo scilicet quo curat περιοδευτής. Epiphanius de ponderibus & mensuris: ῥαφέντες δὲ καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὐτὴν αὖθις ἀποτελοῦσι, id est, *colleticis, sive glutinatoriis medicamentis curati.* Bonus interpres juxta ac criticus primum περιοδευθέντες mutavit in περιδεθέντες summa imperitia. Quid enim hoc significaret, *medicamentis glutinatoriis ligati vel constricti?* Deinde sic lepide vertit: *ac glutino circum adstringunt.* Quid sibi voluerit, nescio. Eat ac neget sese mortalium ineptissimum ac imperitissimum interpretem esse. Κολλητικὸν non est glutinum, sed medicamentum, quod conglutinandi potestatem habet. Aliud κόλλα, aliud κολλητικόν. Colla, sive gluten, ut lignum ligno adhæreat, efficit, nihil ad vulnera conglutinanda facit. At κολλητικὸν φάρμακον vulnera conglutinat, ad ligna compingenda nihil valet. Ad præputia circumcisa reglutinanda aloen efficacem esse scribit Dioscorides, quæ κολλητική est, non κόλλα. Verba ejus hæc sunt: ἐπαγώγια παίδων ἐγχθέντα προσκολλᾷ. Hæc nihil sunt. Scribitur in optimo ac vetustissimo codice: ἐπαγώγια τὰ χειρωθέντα προσκολλᾷ, id est, *præputia circumcisa adglutinat.* Χείρωξις Hippocrati idem quod χειρουργία, omnis curatio, quæ manu fit, & proprie ea quam exercet chirurgus. Inter operationes chirurgi, quia præcipua sectio, hinc & χειρουργία pro sectione apud eumdem Hippocratem. Sed & χειρουργηθεὶς dicitur in Concilio Nicæno qui exsectus est, & cui virilia dempta sunt. Canone I: εἴ τις ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἐχειρουργήθη. Idem prorsus significat & χειρωθείς. Hinc ἐπαγώγια χειρωθέντα quæ circumcisa sunt. Quod de illis dicitur, qui ἐκ περιτομῆς sunt λιπόδερμοι. Nam quidam natura recutiti, ad quorum præputia reficienda θαψίαν valere tradit idem Dioscorides. Ita plane & χειρωθῆναι accipiendum apud Apsyrtum de re Veterinaria cap. CCCXLVIII de dysenteria: ἣν δεῖ θεραπεύειν περιτέμνοντα. Et paulo post: μετὰ δὲ τὸ χειρωθῆναι ἰσχναίνειν δεῖ. Ubi idem χειρωθῆναι quod περιτέμνεσθαι. Ἐπαγώγιον proprie pellis, quæ supra glandem adducitur, quod Latinis *præputium* est. Perperam doctus medicus præputium male affectum ea voce tantum significari notavit. At bonus interpres Epiphanii mirifica curatione præputia perdita glutino recuperari ait: *glandis cuticulam attrahentes consuunt & glutino circum adstringunt, atque ita præputium recuperant.* Simili modo posset etiam virginitates imminutas glutino reficere, ac dissutas recuperare. Nisi περιοδευθεὶς id significet quod posuimus, pronum est corrigere, καὶ κολλητικοῖς περιδευθέντες. Δεύεσθαι est βρέχεσθαι. Hinc περιδευθεὶς κολλητικοῖς, *medicamentis conglutinatoriis circumaspersus: cujus vulneri medicamenta glutinantia inspersa & imposita sunt.* Sed omnino retinendum περιοδευθέντες. Quod significat curati, à verbo περιοδεύειν, quod proprie Græcis est *circulo curare.* Cælius Aurelianus & Vegetius *cyclo curare* dixerunt, quod Græci unica voce περιοδεύειν. Hoc significat certa methodo curare, quum imperata dierum aliquot abstinentia, aut præscripto corporis exercitio, non primo impetu, aut saltu proceditur, sed ordine servato, per augendi ac minuendi statas vices. Exempli gratia, si cui ob aliquem morbum præscripta sit inedia, ita ea adtemperatur, ut primo die non ab omni cibo abstineatur æger, sed certa tantum portione ejus cibi quem quotidiano sumere solitus sit. Peracta ea jejunii observantia per eosdem gradus & numeros ad solitam cibationem redit. Hoc idem & in exercitiis præscriptivis, & aliis observabatur, & hoc erat quod proprie dicebant περιοδεύειν. Methodus ipsa ratioque curandi περιοδεία. Cælius Aurelianus lib. I. Tardarum passionum cap. I. *Quæ singula artis moderatione adhibita cyclorum ductu augeri atque minui debent, prædato præscripta cui perfectio consummata respondeat. Est autem resumptivi cycli ordinatio formanda hoc modo. Primo die parvo cibo atque aqua nutritus ægrotans, vel, si ferre valuerit, ab omni nutrimento abstentus, alia die levi motu erit exercendus.* Item paulo post: *Simili modo etiam gestatio atque exercitium sive motus erit augendus aut minuendus ad comparationem quantitatis ciborum. Perfecto resumptivo cyclo, erit metasyncriticus adhibendus, primo ex parte, dehinc perfectus* Et paulo post: *Tunc isto cyclo perfecto erit alius adhibendus solo ex vomitu detracta drimyphagia, in qua oportet primo die*

die in primo cibo aquâ potu ægrotantem servare, tum alia die levi motu deambulatione motum vomitum exagitare. Ex his planum est, quid sit *cyclo curari.* Vir maximus κύκλῳ θεραπεύειν interpretatur *à minimis remediis ad maxima progredi.* Hoc non est, sed illud quod diximus. Ut in cycli curatione ad maxima progressus erat à minimis, ita ad minima regressus à maximis. Vegetius lib. II. cap. VII de re Veterinaria: *Meminerit autem omnes valetudines præcipue veteres periculosas cyclo oportere curari, cui hæc observantia & ordo est adhibendus. Triduo ab hordeo abstinebitur animal, temperabitur etiam nobilibus cibis. Post diem tertium de dextra aut sinistra, prout ætas, aut vires, vel valitudo promiserint, de matrice sanguis auferetur.* Et sub finem capitis: *insanabiles valitudines cyclo affirmantur posse curari.* Græci hoc genus curationes περιοδίαν vocant. Auctor Hippiatricus cap. LVI: καὶ πάλιν ἀφαιμάξας αὐτὸν ἐκ τῶν ἄρθρων ὁμοίως, καὶ μετὰ ταύτην περιοδίαν περιπλήσσων. Unde verbum περιοδεύειν, cyclo curare. Pelagonius cap. CLXXXVII: τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ πάλιν ἐκ τῶν αὐτῶν τόπων, ἐπιπόλυε τὸ αἷμα καὶ τῷ αὐτῷ τρόπῳ περιοδευθῇ, ἀπεχέσθω δὲ τὸ ζῶον κριθῆς. Item idem Pelagonius cap. CCCCXXXIII: τοὺς δὲ λεπτοὺς δίχα τῆς ἀφαιμάξεως περιόδευε, οὐ γὰρ συμβάλλεται αὐτοῖς ἡ τοῦ αἵματος ἀφαίρεσις. Et simpliciter περιοδία pro qualibet medendi methodo. Eumelius cap. DXXXV: καὶ τοῦτο καυτήρια προσάγω μέχρις οὗ πυοφορήσῃ. Ταύτῃ δὲ τῇ ὁμοίᾳ περιοδίᾳ θεραπεύεται. Sed & περιοδεύειν quolibet modo ac methodo curare. Iidem auctores cap DCLIII: εἰ δὲ πάσχει τὸν ἐγκέφαλον τὸ ζῶον χρὴ τοῦτο μετ᾽ ἐπιμελείας περιοδευθῆναι, μήπως κινδυνεύσῃ. Et sequenti capite: ὀφείλεις δὲ φροντίσαι ἵνα τὸ λοιπὸν σῶμα ἄλλοις προποτίσμασι περιοδευθῇ. Atque ita alibi passim. Sic ergo accipiendum apud Epiphanium, κοθηλικοῖς περιοδευθέντες. Hos circumforaneos & circulatores qui medicos imitantur, theriacorum propolas, vel, ut vulgus loquitur, *theriaclatores* nuncupamus, hoc est, ut veteres loquuti sunt, φαρμακοπώλας. Nam φάρμακα Græci veteres appellarunt herbas omnes ac species virtute aliqua aut potentia præditas, sive illa juvaret, seu noceret ac necaret. Et qui illa venalia habebant, proprie dicti pharmacopolæ. Scholiastes Aristophanis in Nubibus: φαρμακοπῶλαι κυρίως οἱ τὰ φάρμακα πιπράσκοντες, τά γε λυσιτελοῦντα καὶ τὰ θανάσιμα. Hinc ille versus poëtæ:

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Et φαρμακώδεις τόποι Theophrasto loca, in quibus plantæ aliqua facultate medica pollentes nascerentur. Sed & plantas ipsas φαρμακώδεις appellat, quæ medicinæ conducerent: ut φαρμακῶδες ἄνθος spinæ Ægyptiæ. Δυνάμεις alibi vocat τὰ φάρμακα: καὶ γὰρ οἱ πρὸς ἄρκτον καὶ μεσημβρίαν, καὶ οἱ πρὸς ἀνατολὰς ἔχουσι θαυμαστὰς δυνάμεις. Hoc sensu & δύναμις apud Dicæarchum sumitur in nobili fragmento ἀνεκδότῳ βίου τῆς Ἑλλάδος de Pelio monte: τὸ δὲ ὄρος πολυφάρμακόν τε ἐστὶ πολλάς ἔχον καὶ παντοδαπὰς δυνάμεις. Hinc recentiorum τὰ δυναμερὰ droguas dicimus. Poeta:

Scire potestates herbarum.

At pharmaca, composita etiam remedia. Hinc *pharmacopolæ* Græcis, qui simplicia ac composita populo vendebant. Hi in foro totos dies desidebant cum suis vasculis, pyxidibus & cistis, & sero domum revertebantur. Apollonius de pharmacopola: ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενος, καὶ οὐκ ἐξανέστη ἀπὸ τῶν σκευῶν. Hinc ἐπιδίφριοι ἰατροί, quasi sellularii medici hi dicti sunt. Troilus de Experientia: παράδειγμα δὲ τῆς ἐμπειρίας ὁ ἐπιδίφριος ἰατρός, θεασάμενος γὰρ λογικὸν ἰατρὸν νέῳ παρέχοντα ὕδωρ ψυχρὸν πυρέττοντι ἐπὶ κεκαυμένῃ χολῇ ἐν θέρει καὶ ὑγείαν ποιήσαντι κατὰ τὸν ἰατρικὸν λόγον τὸν λέγοντα, ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα παρέχειν ἀπαραφυλάκτως μὴ σκοπήσας τὴν αἰτίαν, καὶ πολλοὺς μὲν ἀναιρεῖ, ἵνα δὲ σώσῃ ἐκ τοῦ παραδόξου. Omnes autem ejusmodi sellularii medici & pharmacopolæ, & circumforanei, Empirici non Logici. Hi & φαρμακοτρίβαι, quia miscebant, ac terebant antidotos. Hinc τρίβειν ἀντίδοτον in epigrammate Stratonis:

Ἰητροὺς εὗρον ποτ᾽ ἐγὼ λείους δυσέρωτας
Τρίβοντας φυσικῆς φάρμακον ἀντίδοτε.

Plinius *coticularum* meminit, quibus collyria terebantur. Sed vox illa ibi cubat in mendo. Scriptum fuit *tuticularum*, pro *tudicularum.* Unde vitium ortum. Verba Plinii ex lib. XXXVI. cap. VIII. *Thebaïcus interstinctus aureis guttis invenitur in Africæ parte Ægypto adscriptæ, tudiculis ad terenda collyria quadam utilitate naturali conveniens.* Male legitur *coticulis.* Apud Isidorum, ubi hunc locum citat, in vetustissimo codice scriptum reperi *tuticulis*, pro *tudiculis.* Glossæ nostræ: *tuticula*, τορύνη, pro *tudicula.* Aliud *coticula*, ἡ ἀκόνη: aliud *tudicula*, ἡ τορύνη. Tudicula tamen & τορύνη alia est, nec apta videtur fuisse terendis collyriis. Rectius est fortasse dicere legisse Plinium in Græco scriptore, unde hoc sumpsit, ἀκόνια, quod ille vertit *coticulas* terendis collyriis. Certe ἀκόνη Græcis etiam mortarium significat ex cote lapide factum, quod alibi observavit Galenus, qui tamen ipse quodam loco ἀκόνας & θυΐας distinguit. Et sane θυΐα proprie mortarium est ex lapide cavato: ἀκόνη lapis est planus sive mortarium non cavatum, terendis collyriis. Talia sunt & marmora, in quibus colores suos terunt pictorum pueri. Græce ἀκόνας liceat dicere. Arabes vocant *almesen.* Quod exponunt esse rem duram & planam, sicut cotem lapidem, super quam teruntur medicinæ oculorum & alia. Plane designant ἀκόνην Græcorum. Plinius igitur in Græco legerat ex Thebaïco lapide fieri ἀκόνια, ἐν οἷς τρίβονται τὰ κολλύρια. Quod ille vertit *coticulas terendis collyriis.* Hoc verum. Aliud *tudicula* est, ἡ τορύνη. Sed de his alibi. Ceterum ῥιζότομοι dicebantur, qui simplicia tantum medicamina vendebant herbarum ac radicum, quas ipsi conquirebant ac colligebant. Utrosque junxit Theophrastus lib. IX: ὡς οἱ φαρμακοπῶλαι καὶ οἱ ῥιζοτόμοι. Qui simplicium herbarum potestates tantum olim descripserunt, libros suos τῶν ῥιζομενῶν inscripserunt, ut Micion apud Plinium. Firmicus *herbarios* vocat τοὺς ῥιζοτόμους Græcorum, vel βοτανολόγους: *Herbarios faciet, qui scilicet herbas sollerti arte collectas ad medelam laborantium servent.* Plinius quoque herbarios vocat, qui medicas herbas legebant, ac vendebant. Ceterum apud seplasiarios omnis ὕλη ἰατρικὴ prostabat. Inde emebant medici, quorum munus olim fuit, non solum præscribere remedia, sed etiam manu facere. Emplastra tamen & collyria jam facta plerique mercabantur à pharmacopolis. Quod conqueritur Plinius lib. XXXIV. cap. XI. *Atque hæc omnia medici, quod pace eorum dixisse liceat, ignorant, pars major & nominibus: in tantum à conficiendis medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinæ solebat. Nunc quotiens incidere in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc est, impendio miserorum experiri commentaria, credunt seplasiæ, omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidam facta emplastra ac collyria mercantur. Tabesque mercium, aut fraus seplasiæ sic quæritur eis.* Ita legendus locus vulgo depravatissimus. Tabes mercium quærebatur medicis, qui emplastra & collyria facta mercabantur jam tabida, & fraus seplasiæ ab aliis qui species adulteratas & falsas emebant è seplasia, omnia corrumpente fraudibus. Veras & sinceras emere poterant è stolo Alexandrino. Marcellus:

Et quidquid confert medicis Lagæa cataplo.

Non igitur hodie atque heri cœpere medici à conficiendis medicaminibus abstinere, quod antiquissimis tamen temporibus medicinæ munus fuit. Quod nunc pharmacopœis reliquere, præscribere ipsi contenti. Plinius *medicamentarios* appellat, qui medicamenta componebant, à quibus ea emebant medici. Extremis Græciæ temporibus hoc obtinuit passim, quod hodie videmus. Olympiodorus in Gorgiam Platonis: ὁ μὲν ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ πημεντάριος διακονεῖ τὰ πρὸς τὴν χρείαν εὐτρεπίζων. Vocat πημεντάριον, quem nos hodie *pharmacopolam*, vel *apothecarium.* Πήμεντον infimæ Græciæ, vel πίμεντον, idem quod *pigmentum.* Sed Latini quoque *pimentum* dixere pro *pigmentum.* Ut *aumentum* pro augmento: *sementum* pro segmento. Unde etiam Græcis σήμεντον idem quod fascia. Vetus liber Excerptorum Apicii: *Brevis pimentorum, quæ in domo esse debent, ut condimentis nihil desit.* Non solum aromaticas & exoticas omnes species, quæ condimentis serviunt, hoc nomine designavit, sed etiam omne genus herbarum ac seminum condimentariorum. Sic *pigmentarius* dictus & Græcis πημεντάριος, qui omnia vendebat quæ medi-

medicinæ conducerent, quod inter ea etiam *pigmenta*, id est, χρώματα locum haberent. Ab una igitur hac merce pigmentorum appellatus est quasi nobiliori & magis pretiosa. Genus etiam herbæ condimentariæ *pimentum* hodie vocamus. Ita & Græci recentiores petroselinum quasi præcipui usus in condimentis, appellavere κοδίμεντον, id est, condimentum. Plinii ætas *pigmenta* tantum de coloribus posuit. Lib. XXXVI. cap. XXII. *Auctoribus curæ fuere lapides quoque mortariorum medicinalium tantum, & ad pigmenta pertinentium.* Ita hæc legenda docemus alibi. Hic mortaria ad pigmenta pertinentia sunt ζωγράφων θυίαι. At sequens ætas passim *pigmenta* pro herbis, ac speciebus quibuscunque medicinalibus usurpavit. Maternus Firmicus lib. VIII. cap. XVII. *Marsi erunt vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.* Ubi venena ex herbarum pigmentis confecta vocat σύνθετα φάρμακα. Reperi in veteri Lexico nondum edito: Πημεντάριοι, βοτανόλογοι. Hinc *pigmentarius* idem cum pharmacopola apud eumdem Firmicum: *Turarios faciet, vel pigmentarios, seu pharmacopolas.* Alias *pigmentarios* etiam dixere τοὺς μυρεψοὺς. Glossæ: *pigmentarius*, μυροπώλης, φαρμακοπώλης, μυρεψός. Notabis & pharmacopolam ita appellatum. Glossæ Persii: *per scombros significat salsamentarios: per thus, pigmentarios.* Pigmentum igitur hoc sensu proprie *drogua* est: pigmentarius *droguista*, vel pharmacopola. *Aroma* de odore tantum. Nunc ad calamum revertamur aromaticum, quem Latini *odoratum* dixere, quia revera esset grati odoris & flagrantis. Dioscorides ait miscere solere θυμιάμασι τοῖς πρὸς εὐωδίαν. Et de Indico ille loquitur. Theophrastus ex veteribus solus, quod meminerim, in Syria nasci prodidit. Plinius tamen in Syria & Judæa nasci aromaticam harundinem scribit lib. XXIV. cap. XI. Ita enim ibi scribitur in libris, ubi vulgati habent *India.* Dionysius Arabiæ vindicat. Plutarchus Ἀραβικὸν vocat. Alii fere omnes Indicum prædicant. Sed potest videri Syriacus idem & Arabicus. Nam Arabia longissima amplitudine extendebatur. Ab Amano monte è regione Ciliciæ & Commagenes eam descendere facit Plinius, & in media Syriæ ad Libanum montem penetrare. Vide quæ supra notamus. Calamus aromaticus Theophrasto teste inter Libanum & alium ignobilem montem proveniebat in convalle quadam modica, ubi lacus erat, qui æstate siccabatur. In eo juncus & calamus odorati proveniebant. Locus Plinii, quem ex Theophrasto reddidit, vulgo mendosissimus, sic emendandus: *in convalle modica juxta lacum, cujus palustria æstate siccantur tricenis spatio stadiis, calamus & juncus odorati nascuntur.* In editis habetur: *tricenis ab eo stadiis.* Inepte prorsum. Theophrastus: τόπον δ' ἔχουσι πλείω ἢ τριάκοντα σταδίων. Idem Plinius ibidem hunc calamum in Arabia nascentem communem Indis & Syriæ esse dicit. Quo nomine reprehenditur à Guillandino, quasi duo calami genera inscite confuderit. Duo quippe genera esse calami aromatici, Syriacum alterum, alterum Indicum. Profecto hic si error est, communem esse oportet omnibus antiquis, non Plinio peculiarem: nemo enim veterum duas calami species agnovit. Quod enim Vegetii locum citant, ubi ex Absyrto in pulveris quadrigarii confectione meminit *calami Syriaci & aromatici*, non ea gratia censendum est duo calami genera statui, Syriacum & aromaticum. Nam inde sequeretur Syriacum calamum non esse odoratum, nec aromaticum, sed solum Indicum. Atqui Theophrastus calamum in Syria nascentem odoratissimum esse vult, & εὐώδη vocat. Syriacum igitur calamum vocavit Absyrtus & ex eo Vegetius, eumdem & aromaticum. Præterea quod Syriacum ajunt ad ripas maris Tiberiadis in Judæa nasci, id repugnat Theophrasti traditioni, qui calamum Syriæ in modica tantum convalle nasci memorat, qui inter Libanum patet, & alium monticulum. Deinde asserunt Syriacum illum calamum post quadragesimum diem siccatum nonnihil flagrare. Contra ea Theophrastus significat calamum & juncum recentes optime flagrare, sed cito odorem eorum expirare & evanescere, quum alia pleraque aromata inveterata ac servata flagrantius ac suavius oleant: χυῖνος δ'

A καὶ κάλαμος ἀπακμάζει ταχύ. Postremo contendunt Indicum calamum descriptum olim à Dioscoride eumdem esse cum eo, cujus nuper historiam exposuit Garcias ab Horto. Atqui Garcias ille negat odoratum esse calamum Indicum, quem Dioscorides & omnes veteres suavissimo esse odore tradunt. Denique ipsi sibimet contradicunt, pugnantque secum. Quippe volunt Syriacum nonnihil flagrare. Indicum vero prorsus esse inodorum. Iidem tamen Vegetii verba sic accipienda censent, quasi Syriacus calamus & aromaticus duo genera sint. Sic solus erit aromaticus & odoratus Indicus, sine odore Syriacus. At Syria-
B cum post quadragesimum demum diem, ubi exaruit, nonnihil flagrare asserunt. Indicus teste Garcia non est odoratus, nisi è terra evulsus, & quo recentior, eo odoratior. Quod convenit cum Theophrasto, qui de calamo in Syria nascente, cito ἀπακμάζειν. Ergo Syriacus & Indicus idem. Et sanè, si verum fatendum est, nullum puto fuisse calamum Syriacum. Ab India in Arabiam deferebatur, unde Ἀραβικὸν κάλαμον quidam appellavere, qui & nasci in Arabia credidere. Ex Arabia porro in Syriam advehebatur. Ea propter & *Syriacum* nuncupavere quidam, ut Absyrtus apud Vegetium, cui Syriacus & aromaticus cala-
C mus res eadem est. *Alexandrinum* vocat Celsus, quia ab Alexandria Romam adferebatur cum ceteris orientis aromatibus. Eadem ratione Συρίην νάρδον vocavere quæ Indica est. Nec enim nardus in Syria nascebatur. Et tamen Meleager vetustissimus poëta ita cecinit:

Καὶ μύρῳ ἢ Συρίην σταχυότριχα θήκατο νάρδον.

Ea in Syria emebatur, vel è Syria Græcis Romanisque veniebat. Graviora peccant, dum calamum istum aromaticum ἐρυθραῖον κάλαμον à Dionysio indigetari credunt in rebus Indiæ: & ἐρυθραῖον dici rentur *rubrum*, quia optimum κιῤῥὸν esse debere tradat Dioscorides, id
D est, rufum. Nihil falsius. Dionysius in descriptione Arabiæ κάλαμον εὐώδη in ea regione nasci memorat. Idem in rebus Indicis meminit ἐρυθραίου καλάμου, id est, calami erythræi, sive Indici, qui longe alius est ab odorato. Verba videamus:

Ἄλλοθι μὲν γὰρ κέγχρος ἀέξεται, ἄλλοθι δ' αὖτε
Ὗλαι τηλεθάουσιν ἐρυθραίου καλάμοιο.

Inter res edules nominat. Alibi in India milium provenit, alibi silvæ surgunt calami erythræi. Non igitur aromatica species ille calamus erythræus. Præterea ἐρυθραῖος non est ruber, sed *erythræus.* Græci nusquam ἐρυθραῖον pro rubro posuere. Ἐθνικὸν est ab ἐρυθρῇ
E θαλάσσῃ. Sic alio loco idem poëta ἐρυθραίους Ἀριηνοὺς, quos usque ad mare rubrum pertingere vult. Erythrum mare pars Indici Oceani. Inde Ἐρυθραῖον pro Indico posuit. Amicus noster, juvenis eruditissimus volebat ἐρυθραίους Ἀριηνοὺς dici, quod corallii commercio ac negotiatione victitarent. Ita enim de iisdem Arienis canit idem poëta:

Ἄλλον γὰρ σφὶν ὄλβον ἀκήρατον αἶα κομίζει,
Πάντη γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρυθροῦ κουραλίοιο.

Igitur ab ἐρυθρῷ coralio ἐρυθραίους Ἀριηνοὺς dictos autumabat. Vix persuaserit. Coralium non in terra, sed in mari provenit. At nullum mare propinquius habent
F Arieni, unde corallium colligere possint, quam mare Erythræum, sive Indicum. Ergo ab illo mari ἐρυθραῖοι potius nominati. Inde vel maxime conjicere datur vicinos eos rubro mari facere, quod corallium apud eos plurimum crescere significet. Sed de his infra plura. Ita heic plane ἐρυθραῖον κάλαμον appellat Indicum calamum, quasi ad ripas Indici, vel rubri maris nascentem. De illo porro calami Indici genere loquitur, qui in proceritatem non modicam surgebat, & cujus radices edules erant suis Indis propter eximiam ac melleam suavitatem. Ideo dicit ὕλαι τηλεθόωσιν. Quod
G non convenit cum odorato calamo, qui minutus est, & parvæ harundini similis. Ita enim reperio scriptum in Lexicis medicorum veterum: κάλαμος ἀρωματικὸς, λεπτῷ δόνακι ἐοικώς. Et propterea λεπτὸν ἀρωματικὸν vocatum videtur auctori anonymo de vita Alexandri. Sic enim de Taprobane loquitur: φέρει τὸ κάρδιον μέγιστον τῶν Ἰνδικῶν, καὶ τὸ λεπτὸν ἀρωματικόν. Auctor ille κάρδιον vocat, quod alii Græci ἀνακάρδιον, cujus fortasse duo genera

nera facit. Nullum tamen quod sciam anacardium aromaticum. Quidam ex Græcis recentioribus τὸ ἀνακάρδιον confudere cum zedoaria. Quæ tamen lato discrimine distant. Quod in eorum scriptis reperi, non alienum fuerit heic apponere, quia nondum in vulgus data sunt: Ζαδὼαρ, τὸ ἀνακάρδιον, ἔοικε δὲ ξηρῷ καὶ μέλανι μικρῷ κάστανῳ, ὡς δὲ τινὲς φασίν. Ἐλαῖαι, εἰσὶν ἐλεφάντων περὶ τὰ ἀπογάγελα γινόμενα. Ἕτεροι δὲ κρότωνας ἐλεφάντων αὐτὰ φασι. Manifesto confundit βελέδορ cum zadoar. Nam Arabes anacardium vocant *beledor*. Lexicon Saracenicum Græce scriptum: Βελέδορ τὸ ἀνακάρδιον. Sed de his alibi. Priscianus in versu Dionysii ἐρυθραῖον κάλαμον pro calamo odorato plane accepit, & simul erravit. Sic enim vertit:

Et pretio rubra perfloret harundinis illa.

Quod dixit *pretio*, ostendit de odorato calamo intellexisse, & quod ἐρυθραῖον vertit *rubram harundinem*. Talis enim odoratus. Plinius: *reliqua probatio ut ne niger sit.* Κιῤῥὸν esse vult Dioscorides. Isidorus reddidit, *fulvum.* Festus Avienus ὕλας apud Dionysium pro silvis & lucis accepit, quasi simpliciter ὕλας posuisset poëta non ὕλας καλάμοιο. Sic enim reddidit:

Extendunt celsi vaga late brachia luci
Et vernat semper nemorum coma. ----

Nonnus in Paraphrasi Euangelica Joannis ad hunc Dionysii locum allusit his versibus:

Σμύρναν ἄγων θυόεσσαν, ἐρυθραίοιο τε κήπου
Ἰνδώης ἀλόην δονακοτρεφὲς ἔρνος ἀρούρης.

Omnino apparet exprimere voluisse ἐρυθραῖον κάλαμον Dionysii, eumque pro calamo aromatico accepisse. Quin & aloen Indicam aromaticam eamdem cum calamo aromatico Indico facere videtur. Nam δονακοτρεφὲς ἔρνος est δόναξ, vel κάλαμος. Nec aliter potest accipi. Ergo ἀλόην aromaticam vocat κάλαμον Ἰνδικόν, & ἐρυθραῖον. Dionysio quippe κάλαμος ἐρυθραῖος est calamus Indicus, licet pro odorato non posuerit. Ut ἐρυθραίη θάλασσα eidem semper pro Oceano Indico sumitur. Aromaticus autem calamus tota India seritur, & in hortis etiam sativus provenit. Unde ἐρυθραίου κήπου δονακοτρεφὲς ἔρνος eum Nonnus indigetat, in hortis scilicet Indicis provenientem harundinem. Locus Johannis, quem παραφράζει Nonnus, sic habet: ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. In quibus verbis poëta ille Ægyptius ἀλόην pro aromatica specie sumpsit, eamque Indicum calamum odoratum putavit. De utroque an recte videbimus paulo post. Nunc prius id agamus, quod præstruendum est. Nec enim levis quæstio, nec momenti parvi. Constare illud ante omnia debet, quod utique certum est duas diversissimi generis plantas uno eodemque nomine ἀλόης veteribus notatas, notasque fuisse: alteram arborem aromaticam ad thymiamata vulgo usurpatam: alteram herbam, ex qua succus catharticus amarissimus eliciebatur, qui etiam ἀλόης nomine censebatur. Hesychius: Ἀλόη, πᾶς εἶδος καὶ ὁ χυλὸς αὐτῆς. Isidorus in multis non inutilis auctor utramque notavit. Capite de arboribus aromaticis sic habet: *Aloa in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suavissimi ac summi. Deinque lignum ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen traxisse videtur.* Inepte aloan ab altari nomen duxisse putat. At capite sequenti de herbis ita scribit: *Aloë, herba amarissimi succi.* Non in hac tantum specie, sed in aliis permultis usu venit, ut una appellatione signarentur diversa genera. *Lotos* herba est, & arbor non unius generis, & præterea palustris frutex Ægypti. *Colocasium* arum Ægyptium appellatum est, & nymphæa ejusdem Ægypti à foliorum amplitudine. Πολιὸν & πόλιον diversæ sunt herbæ mutato tantum accentu. *Casia* Latinis herba est, quam Græci κνέωρον appellant. *Casia* est frutex aromaticus, sed & ultimis Græciæ temporibus siliqua arboris Ægyptiæ, cathartica *casia* dicta est. *Apium* Palladio est τὸ μελισσόφυλλον ab apibus appellatum, quod & *apiastrum* dixere. At *apium* est σέλινον, cujus species agrestis *apiastri* etiam nomine notata. *Cicuta* herba est venenata notissima. *Cicutam* etiam appellarunt vulgo herbam catharticam, de qua Horatius:

Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ?

Et ex eo Persius:

A ---- *calido sub pectore mascula bilis*
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.

Si quis heic *cicutam* intelligit, quæ κώνειον Græce dicitur, næ is magnopere errat. *Cicutam* Latini vocant quamlibet cannam intus cavam & inanem. Unde apud poëtas *cicuta* pro calamis, vel cannis, quibus fistulant pastores. Græcis quoque κώνειον exponitur νάρθηξ, ut sic quælibet ferula, vel ferulaceus caulis appelletur. Per *cicutam* igitur poëtæ illi non κώνειον intelligunt, sed lathyridem, quæ caulem habet ferulaceum, & concavum, inanemque. Unde & *cicutæ* nomen meruit. Dioscorides: ἀνίησι δὲ καυλὸν, πήχεος τὸ ὕψος, κενόν, πάχος δακτύλου.
B Ea propter & *cicutam* & *cicutacium* hanc herbam vulgus appellavit. Sed idem vulgus transpositis syllabis *citocacium* dixit pro *cicotacium*, quod facillime purgaret, ac quasi cito cacare faceret. Herbarium Apuleji: *A Græcis dicitur lathyris, coccos cnidios, alii chamæleam, alii eupolim, alii epanthemon, Itali citocacium, alii lathyridem nuncuparunt.* Confundit lathyridem cum cocco cnidio & chamælea, quia eadem virtute erant præditæ phlegmatis & bilis purgandæ. Vide Dioscoridem & Plinium. Græci recentiores grana ejus & semina χολόκοκκα appellarunt à virtute purgandæ bilis. Nicomedis Lexicon: λαθυρίδες, χολόκοκκα. *Ca-*
C *taputiam minorem* vocant officinæ ab eadem ratione. Galli dicunt *expurgam* à purgandi facultate. Χολόκοκκα quoque appellarunt iidem Græci ricini grana, quæ eadem potestate pollent. Neophytus: Κίκιες καὶ κρότωνες, τὰ χολόκοκκα, ἐξ ὧν ἔλαιον τὸ κίκινον. *Cataputiam majorem* vulgo nuncupant, quod ἐν καταποτίοις sumantur ad ventrem solvendum. Eodem porro nomine *citocacii* donaverunt & chamæleam Græci neoterici, quia similiter purgat, ut lathyris, bilem & pituitam. Neophytus: Χαμέλαια Ῥωμαῖοι κιτοκάκιον καλοῦσι. Isidorus: *Citocacia dicta, quod ventrem facillime depurget, quam vulgus corrupte citocociam appellat.* Immo trajectione sylla-
D barum *citocacia* pro *cicutacia*. Sic *portulacam* vulgus indigetat, quæ *porculata* esse debuit, à porcis nomine imposito. Nam *porcelliam* & *porcaciam* alii vocarunt. Græci recentiores χοιροβότανον. Nicomedes Jatrosophista: χοιροβότανον, ἀνδράχνη. Plura commemorare non est necesse, quæ idem nomen tulerunt, licet diversi essent generis. Duo igitur ἀλόης genera, unum aromaticum, alterum καθαρτικόν. Arbor illud, hoc herba. Ἀλόης arboris aromaticæ mentio apud Septuaginta in Cantico Canticorum cap. IV. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum universis lignis Libani: myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.* Σμύρνα καὶ ἀλόη.
E In aliis: καὶ ἀλώθ. Quod est contractum pro *ahaloth*. Quod ἀλόην alibi vertunt interpretes, alibi στακτήν, ut in Psalmo XLV. *Myrrha, & aloë, & casia.* In Græco: Σμύρνα καὶ στακτή. In his omnibus locis si quis aloën pro communi herbæ succo, qui vim habet purgandi, accipit, longe fallitur. Item in Proverbiis cap. VII. *Aspersi cubile meum myrrha, aloë & cinnamomo.* Ubi semper vides *aloën* cum myrrha jungi. Quod notandum est; nam ad rem pertinet. In Numeris mentio habetur *arborum aloës, quas plantavit Deus.* Frustra sunt qui his verbis juvari credunt sententiam existimantium agallochum, quod idem est cum aloë aromatica, in paradi-
F so tantum nasci. *Arborem paradisi* eam arborem videtur vulgus appellasse ab excellenti odore. Sic folium, sive malabathrum, *herbam paradisi* vulgus vocitavit teste Isidoro, de folio: *fertur autem paradisi esse herba, gustu nardum referens.* Et poma quædam sunt prædulcia, quæ hodie *paradisi* appellamus: vel etiam ita vocarunt, quod ex longinquis & incognitis locis venirent, ut *aves paradisi* quas nominant. Sic Castellani alba zizyphi arborem, de qua supra diximus, *arborem paradisi* indigetant. Non dubium est ex illa voce Hebraïca *ahaloth* Græcos suum ἀγάλλοχον fecis-
G se, quod est ἀλόη aromatica. Nicomedes Jatrosophista in Lexico: Ἀγάλλοχον, ἀλόη. Isidorus de aloë arbore hoc idem tradit quod Dioscorides de agallacho vice nempe thymiamatum adoleri. At vox ἀλόη ex contracto ἀλώθ, vel ex אָהָל, quod in eadem significatione reperitur. Taprobanes incolæ hoc est Zeilan vocant *aquilam.* Apud alios reperio *alzilam.* Ἀλόης pro ligno aromatico frequens mentio occurrit apud

apud recentiores Græciæ medicos, præcipue in unguentorum ac thymiamatum compoſitionibus. Apud Aëtium lib. XVI in compoſitione muſcati: ἀλόης οὐγγίαν α, καλάμου Ἰνδικοῦ οὐγγίας ϛ, κάρυα Ἰνδικὰ τρία, σανδάνων γράμματα ις, ἄμβαρος. Item in regii thymiamatis confectione: στύραξ καλαμίτου λίτραν α, ἀλόης οὐγγίας ϛ, ἄμβαρος οὐγγίαν α, μόσχου. In compoſitione unguenti liquidi, quod ὑγρόμυρον appellat: Ἀρναβὼ, ἀμώμου, ἀλόης ἀνὰ οὐγγίας β, ἀμβαρίου οὐγγίαν α. In his omnibus locis, & aliis quæ plura poteram afferre, ἀλόη aromatica eſt arbor, non herbæ ſuccus catharticus. Suidas: ἀλόη, μυρεψικὸν εἶδος. *Tarum* eſſe Plinianum quibuſdam placuit, ſed falſi ſunt. Et falſo Hermolaus Barbarus aſſerit Aëtium in thymiamate Myrepſico putare agallochum tarum eſſe. Nuſquam hoc ſcripſit Aëtius. Sed in σκευασίᾳ Myrepſici thymiamatis τάρον interpretatur ξυλοχίαν his verbis: Τάρου, ὅ ἐστι ξυλοχίας, λαδάνου, ξυλοκαρεοφύλλου. Tarum igitur Aëtio eſt *xylochia*, non *agallochum*, eamque plane ſejungit ab aloë, quæ eadem eſt cum agallocho. Nomen *xylochiæ* in mendo jacet apud Juriſconſultum D. *de publicanis & vectigalibus*, ubi inter ſpecies exoticas pertinentes ad vectigal numeratur *chalbana*, *laſer*, *agallochus*, *ſarcocolla*. At pro agallocho Pandectæ Florentinæ legunt *alchelucia*. Quo loci reſcribendum, *xeluchia*, id eſt, ξυλοχία. Nam E pro Y ſæpe mutant Latini. Alibi ξύλοχον hoc idem aroma appellatum reperi. Quæ vox lignoſum ſignificat, ut ξύλοχος τόπος. Et fortaſſe id erit ligni odorati genus quod Arabes *haud* abſolute nuncupant, id eſt, lignum. Quod diverſum ab agallocho ponit Aviſena. Nam duobus ille capitibus *agalugin* meminit, quod eſt agallochum, alio capite ſub litera aïn, ut vir illuſtris notavit, deſcripſit *haud* veluti diverſum ab *agalugin*. Interpres illud *haud* ſub nomine xylaloes recenſuit. Perperam. Nam agallochum, quod Aviſena dixit *agalugin*, eſt Græcorum ἀλόη, vel ξυλαλόη. Aliud ab illo *haud*, quod puto eſſe ξύλοχον, vel ξυλοχίαν Græcorum. Quaſi ξύλοχον idem ſit quod ξύλον, quod Arabes videntur exiſtimaſſe, qui ita interpretati ſunt. Ceterum quod in diverſis ſpeciebus accidit eadem appellatione ſignatis, ut ex nominum errore confunderentur, hoc idem & in utraque aloë contigit, ut plerique auctores alteram pro altera ſumpſerint. Sic enim *colocaſium* arum cum *colocaſia* nymphæa idem fecerunt. Dioſcorides inter notas optimæ aloës catharticæ eligi vult, ἡπατίζουσαν, ῥᾳδίως ὑγραινομένην, ἐπιτεταμένην τῇ πικρίᾳ. Oribaſius apud Aëtium in probatione optimarum ſpecierum in unoquoque genere, quum omnia ſumpſerit à Dioſcoride, de aloë nominatim præcipit eligendam: ἡπατίζουσαν, ῥᾳδίως ὑγραινομένην, εὐώδη, ἐπιτεταμένην τῇ πικρίᾳ. Illud εὐώδη de ſuo inſeruit, quod non extat apud Dioſcoridem, nec convenit illi aloës generi, quæ tota eſt βαρύοσμος & viroſi odoris, ut idem Dioſcorides teſtatur. Sed manifeſtum eſt Oribaſium confundere τὴν εὐώδη ἀλόην cum amara purgante. Video etiam Myrepſum in aliquot compoſitionibus, quæ aloën odoraratam deſiderant, pro optima aloë poſuiſſe ἀλόην ἡπατίτην, quæ nota eſt aloës amaræ, non odoratæ. Ut in nardini unguenti tertia embole: *Zingiberis*, *bdellii*, *thuris*, *aloës flavæ*, *croci*, *ſtactes*, *opobalſami*. In Græcis ἀλόης ἡπατίτιδος. Stultus eſt ſi quis in nardino conficiendo putat locum habuiſſe aloën hepatida, quæ nihil habet aromaticum. *Sycotinum* hodie vocamus, hoc eſt, ad verbum ἡπατίδα, vel ἡπατίζουσαν. Nam Græcia infima συκωτὸν pro jecore dixit, quum antiqua jecur anſeris, aut porculi ficis paſti in deliciis haberet, & ſic vocaret. Ἡπάτια σεσυκασμένα dicuntur Polluci, quæ aliis συκωτά. Inde recentiores συκωτὸν quodlibet jecur appellarunt, & eos imitati Latini *ficatum*. Quo nomine hodieque jecur in noſtro idiotiſmo nuncupamus. Lexicon vetus: συκωτὸν, ἡπάτιον. Cyrilli Lexicon: λοβὸς ἥπατος, ἄκρον συκωτοῦ. Ex eo *ſycotina aloë* quæ veteribus ἡπατίς. Errant igitur, qui à Socotora inſula Indiæ deducunt, ex qua optima aloë adfertur. Et quo magis pro certo habeas utramque aloën veteres confudiſſe, ecce tibi Aëtium lib. XVI: qui in compoſitione antidoti muſcatæ vel διὰ μόσχου, inter alias ſpecies aromaticas quibus illa conſtat antidotus, ξυλαλόην ἡπατίτιν vocat, optimæ aloës medicamentariæ notam transferens ad aromaticam: Ἀκόρου, νάρδου κελτικῆς, σαμψύχου, κινναμώμου, στάχυος, καρυοφύλλου, καρύων ἀρωματιζόντων, ξυλαλόης ἡπατιζούσης, κασίας, κόστου, ῥόδων ἄνθους, θύμου κορύμβων. Hæc mira prorſus ſunt. Ξυλαλόη non niſi de odorato aloës ligno dicitur. At ἡπατίζουσα de aloë medicamentaria, quæ optima prædicatur tantum. Suidas manifeſto utramque aloën confundit aromaticam & catharticam his verbis: Ἀλόη εἶδος μυρεψικόν: θερμαίνει μὲν κατὰ τὴν πρώτην ἀπόστασιν, ξηραίνει δὲ κατὰ τὴν τρίτην: ἐστὶ δὲ καὶ δύστομαχος, καὶ ῥυπτική, καὶ διαφορητική, καὶ γαστρὸς ἐκκοπρωτική. Illud εἶδος μυρεψικὸν ad ſpeciem aromaticam pertinet. Quæ ſequuntur, propria ſunt medicamentariæ. Geographus quoque Arabs utramque ſpeciem pro una habuit, qui in parte ſexta climatis primi *arborem aloës* appellat, ex qua ſuccus educitur καθαρτικός: *ut Græcos pro his ſubſtitueret, iiſque curam committeret arboris aloës tuendæ fovendæque, cum propter plurimas & præſtantiſſimas utilitates, tum quia non ſunt perfecta medicamina abſque ipſa.* Atqui arbor aloes eſt ξυλαλόη. Quæ vero ſuccum amarum fundit, herba eſt, non arbor. Quin & ipſi Græci, qui ξυλαλόης nomen compoſuerunt, videntur omnino credidiſſe eamdem arborem lignum illud odoratum habere, & ſuccum medicis expetitum facere, præſertim quum utraque ex India mitterentur. Nam ſuccum & lignum veluti ejuſdem arboris his nominibus diſcreverunt, alterum ἀλόην appellantes, alterum ξυλαλόην; quaſi non ſucco tantum hæc arbor utilitatem præſtaret, ſed etiam ligno. Græci recentiores vocant ξυλαλάν. Johannes Archiater cap. CCXLVIII. μόσχον, καὶ ξυλαλάν, καὶ λίβανον. Alia eſt arbuſcula, quam hodieque Rhodii *xylalan* vocant, ex qua ſphærulas faciunt. Indigena Rhodi inſulæ arbor illa, quam quidam agallochum legitimum, alii aſpalathum putarunt. Certe incolæ ipſi pro agallocho habent, qui *xylalan* nominant. Nam ξυλάλα Græcis recentioribus eſt ξυλαλόη, ſive agallochum. Sed illis accedo, qui cytiſum Theophraſti eſſe exiſtimant. De quo nos alibi. Sic *balſamum* & *xylobalſamum* diſtinxere, qui non tantum balſami ſuccus, ſed etiam lignum ad odores expetebatur. Ita φύλλον & ξυλόφυλλον dixere quia malabathrum ligno utile quoque eſſet, non tantum folio. Aëtius in ſecunda coctione olei ſalca: ξυλοφύλλου ἢ φύλλου, καρποβαλσάμου ἀνὰ λίτραν μίαν, ξυλοκασίας οὐγγ. ε. Lignum caryophylli ad odores faciebat, non ſolus fructus: unde & ξυλοκαρυόφυλλον in compoſitionibus odorum & unguentorum ſæpe reperire eſt, ut in Myrepſico thymiamate, & aliis apud Aëtium. In *xylocaſia* alia ratio eſt. Sic appellarunt proprie caſiam craſſiorem, ut diſtingueretur ab ea, quæ fiſtularis eſt, & ſolo cortice conſtat, quam & Græci κασίαν σύριγγα vocant. Ita diſtinctæ nominibus reperiuntur hæ ſpecies leg. XVI. D. de publicanis & vectigalib. *Nardoſtachys*, *caſia ſurinx*, *xylocaſia*, *ſmyrna*. Ita enim legendum, pro quo corruptiſſime etiam in Florentinis habetur, *caſia turiana*. In ſcriptis recentiorum Græciæ medicorum Myrepſorumque κασία σύριγξ ſæpe legitur, quæ de hac caſia intelligenda eſt, non de *ſolutiva*, ut vocant. In parvo Dynamero, compoſitione, ἡ Παλλὰς, κασίας σύριγγος, φύλλου Ἰνδικοῦ στάχυος. Et ita in aliis: parcam enim plura teſtimonia congerere. In veteri verſione Bibliorum *fiſtulam* legere eſt pro caſia ſyringe, in Canticis: *Nardus & crocus*, *fiſtula & cinamomum*. Unde *canellam* hodie dicimus. Mirum eſt igitur, quare neoterici *caſiam ſyringa* de caſia medicamentaria interpretati ſint, quam *ſiliquam* melius dixiſſent. Nam in Saracenico lexico ita vocatam invenio: Σέλιχα, κασία. Sed σέλιχαν ponit pro Saracenico vocabulo, quum plane Latinum ſit *ſiliqua*. Vocem tamen illam σελίχαν Arabicam eſſe ex Græco ξυλίκη deflexam, quæ ξυλοκασίαν, ſive caſiam ligneam appellarunt, infra oſtendam. Fallitur autem Fuchſius, qui γλυκοκάλαμον apud Myrepſum de caſia purgatrice interpretatur. Græci λωτὸν exponunt. Sed de eo nos infrà. Eam caſiam vocant ſimpliciter κασίαν, aut κασίαν καθαρισμένην, & σιλίχαν. Alia eſt apud eoſdem recentioris Græciæ medicos ſiliqua ſpinæ Ægyptiæ, quam inter adſtringentia numerant. Alii καρπὸν ἀκάνθης Αἰγυπτίας vocant. Gloſſæ medicæ: κεράτια, καρπὸς ἀκάνθης Αἰγυπτίας. Acaciam

ciam multi cum ſpina Ægyptia confundunt, & ἀκάνθλω Αἰγυπτίαν eam appellant. Certe *caſia* nomen pro ea ſpecie, quæ ſolvit alvum, ex ἀκακίᾳ factum, quamvis diverſum ſit genus. Sed tam ἀκακίαν, quam arborem, quæ caſiam vulgarem fert, ἀκάνθης Αἰγυπτίας nomine comprehenderunt, ut ſupra oſtendimus, & verum eſt. Ceterum Græci, ut dixi, κασίας σύριγγ☉ nomine nunquam aliud intelligunt quam caſiam aromaticam. Ut mirum ſit ante hos trecentos & amplius annos caſiam fiſtulam Latinis dictam eam, quæ purgandi vim habet. Non ſolum autem ξυλοκασίαν, ſed etiam ξυλοκινάμωμον dixere cinamomi lignum, quod erat vile, quia ſolus cortex in pretio. Vide Plinium. Qui tamen errat, cum xylocinamomum pro ligno cinamomi accepit, quum ſit ſpecies cinamomi craſſioris. Ξυλολίβανον quique appellarunt virgas & ſarmenta thuris arboris ad differentiam ſucci. At in Bibliis ξύλα λιβάνȣ dicuntur cedri arbores, quæ in Libano monte proveniunt. Inde Græculi montem Λίβανον cum thuris arbore confundunt, quia Græcis Λίβαν☉ etiam dicitur, & ξύλα λιβάνȣ pro thuris arboribus acceperunt, & in Libano monte naſci tradiderunt. Eorum iſta ſunt: ὁ Λίβαν☉ τὸ ὄρ☉ ἔχει τρία εἴδη δένδρων, ἃ λέγονται καὶ Λίβανοι, καὶ ξύλα τȣ̃ Λιβάνȣ: διαφέρȣσι δὲ ἀλλήλων τῷ σχήματι; ἔστι γὰρ τὸ μὲν ἄῤῥην, τὸ δὲ θῆλυ, τὸ δὲ ȣ̓δέτερον, καὶ ὁ μὲν ἄῤῥην ὀνομάζεται χαληολίβαν☉, ἡλιοειδὴς καὶ πυῤῥὸς, εἴτȣν ξανθός: τὸ δὲ θῆλυ καλεῖται λδυκολίβαν☉, καὶ ἀργυρολίβαν☉: τὸ δὲ ȣ̓δέτερον ἁπλῶς λίβαν☉. Λιβανωτὸς δὲ καλεῖται ὁ καταστάζων ἐξ αὐτȣ̃ καρπὸς, ὃς καὶ ὁμώνυμ☉ τῷ δένδρῳ λίβαν☉ καλεῖται. Hæc nugacia ſunt, ad aliquid tamen utilia. Ex eodem errore eſt, quod Servius Sabæos, apud quos thus naſcitur, inter Libanum & Antilibanum montes collocat. Igitur ξυλαλόην vocarunt lignum aloës, ad diſtinctionem ſucci, quaſi ex eadem arbore ſuccus amarus, & lignum odoratum veniret. Tradit Plutarchus Sympoſiacῶn lib. VI. cap. VII, quoſdam vinum colorare ſolitos aloë: ἐοίκȣν καὶ τὸν οἶνον οἱ μὲν ἀλόαις χρωτίζοντες, ἢ κιναμώμοις, καὶ ἐφηδύνοντες, ὥσπερ γυναῖκα καλλωπίζȣσιν εἰς τὰ συμπόσια, καὶ προαγωγεύȣσιν. Aloas iſtas, quas cum cinamomis jungit ad colorem vini adulterandum, quis de amara hoc aloë putaret exponendas, & non potius de aromatico ligno? Quis inter delicias locus vino tanto amarore condito? Demus aloën inficere poſſe vinum. Atqui id non poteſt, quin & ſaporem ejus corrumpat plus quam deſpuenda amaritie. Plinius non ſolum vini colorem, ſed etiam ſaporem aloë adulterari à Narbonenſibus tradit lib. XIV. cap. VI. *De reliquis in Narbonenſi genitis aſſeverare non eſt: quoniam officinam ejus rei fecere tingentes fumo, ac utinamque non & herbis ac medicaminibus noxiis. Quippe etiam aloën mercantur, qua ſaporem coloremque adulterant.* Non dubium eſt quin Plinius de aloës medicamine intellexerit, nec enim aliam novit aloën. Sed non dubito eum falſum eſſe. Plutarchus dicit tantum οἶνον χρωτίζεσθαι ἀλόαις, ἢ κινάμώμοις, & aloas intelligit odoratas, & de vino accipi debet, quod ad potus delicias paratur, non ad uſum medicinæ, ut perperam apud Plinium interpretantur. Sed inquies, ſi aloë agallochum eſt, quomodo vini colorem mutare eo ligno poterant, quod certum eſt fucandi vim non habere, nec tingendo aptum eſſe? Veteres ἀλοῶν appellatione non unum genus ligni videntur comprehendiſſe. Quidam Judæorum magiſtri τὴν ἀλόλω Bibliorum de ſandalo interpretati ſunt. Sandalum veteribus fuiſſe notum ſupra oſtendimus ex auctore peripli rubri maris, qui antiquior Plutarcho, & σανδαλίνων ξύλων meminit. Sandalum porro rubrum, quod ad nos ex India fertur, colore inficit, & guſtu dulce eſt. Braſilium quoque lignum tingit. Tale aliquod lignum ἀλόης nomine intellexiſſe Plutarchum palam eſt, quo vina quidam tingebant. Nam de ſucco aloës medicamentariæ vix ac ne vix quidem capi poteſt. Dubitarunt porro veteres, quale ligni genus illud eſſet, quod vocaretur ἀλόη. Plerique & maxime Græci ἀγάλλοχον eſſe voluerunt. Judæi magiſtri σάνδαλον exponunt. Quidam ex illis deblatterant aloën inveniri cum piſcibus maris. *Ambar* deſignant, quod Græci medici ſtercus piſcium tradunt. Ita enim in eorum lexicis iatricis reperio ſcriptum. Ἄμπαρ μυρεψικὸν, κόπρος ἰχθύ☉. Alii tertium ac viliſſimum genus hoc faciunt ambaris, quod à piſcibus devoratur ac redditur. Sed de his alibi. Sic alcyonium vituli marini ſtercus eſſe iidem Græci tradunt, in quorum Lexicis invenio, ἀλκυόνιον, φώκης κόπρος. In Lexico Latino Arabico veteri *darſini* exponitur aloë. Perſæ ſic vocant caſiam, vel genus cinamomi. Arabes etiam ſic vocant. Alii ψευδοκινάμωμον ea voce indigetant. Ita aloë eſſet pſeudocinamomum. Reperio etiam quoſdam Græcorum agallochum pro citro arbore Atlantica accepiſſe, ex quo fiebant menſæ citreæ. Auctor Anonymus περὶ ὀρίων τῆς γῆς in Atlantis montis pede naſci tradit. De monte Atlante: ὃ ἐστιν ὥσπερ κεφαλὴ τῆς γῆς, ἐκ δὲ τῶν περιπόδων αὐτȣ̃ ἐξέρχεται ἀγάλλοχον. Forte quod agallochum maculas ſimiles habet ligno citri pro citro accepere. Dioſcorides θυίνως ἐστιγμένον eſſe dicit. Nihil certi ab illis auctoribus expectandum. In hac opinionum varietate ſuam & ſibi ut haberet licere nimirum putavit Nonnus, & aloën calamum aromaticum interpretatus eſt.

Ἰνδώης ἀλόλω δονακοτρεφὲς ἔρν☉ ἀρȣ́ρης.

Nihil clarius. Qua in re fortaſſe & vocabulum, quo hodie optimam aloën vocant Indi, ſuffragari illi videtur. *Calambac* illis dicitur. Quibuſdam *calambus* ſcribitur. Quid ſi & Nonni ætate ſic vocaverunt? Indicæ fere omnes ſpecies, cum lingua ſua ad nos pervenerunt, & parum ab antiquo demutarunt. Græci quoque Indicorum aromatum nomina, & aliarum inde mercium non magnopere immutata retinuerunt. Ubi de re conſtat, non multum de ratione in his laborandum. Certum eſt inquam Nonnum in illa paraphraſi aloën aromaticam pro calamo odorato accepiſſe. Nunc illud ſupereſt examinandum, an bene aloën Euangelii de aromate expoſuerit, quam alii omnes antiqui, neotericique de medicamine cenſuerunt exponendam. Priuſquam hoc agamus, illud tenendum. Etiamſi de aloë communi, & medica intellexiſſet, recte Indicam vocaturum fuiſſe. Nec locum heic habet reprehenſio viri docti Nonnum hoc nomine caſtigantis, quod Ἰνδώλω voluit eam aloën, ſive ex India allatam, quum in Palæſtina quoque naſceretur. Quid in Palæſtina, ὦ πάνυ? Certe & in Aſia paſſim omni naſcebatur, & in Græciæ maritimis locis, & pleriſque inſulis, ſed ſuccum ea de ſe non dabat: οὐκ οὖν χρησίμω εἰς ὀπισμόν. Succus igitur ille aloës, quo in medicaminibus utebantur, ex India veniebat. Nullus quippe capiebatur ex foliis aloës Græciæ, aut Palæſtinæ familiaris. Ea propter quum Indica aloë deſit, quæ ſuccus eſt ex India allatus, indigenæ aloës folia viridia ſumenda eſſe Galenus præcipit: ἀντὶ ἀλόης Ἰνδικῆς, ἀλόης χλωρᾶς δὲ φύλλα. Non igitur ſucco proderat vulgaris aloë, ſed foliis tantum viridibus. Gloſſæ medicorum ἀλόλω χλωρὰν exponunt ἀλυπίαν. Diverſa tamen alypia ab aloë viridi. At condiendis mortuis non alia utilis aloë quam Indica, ſi modo & hæc ad hunc uſum ſumpta. Aloën in Palæſtina naſci nominatim non dixit Dioſcorides. Plinius ſane ita perhibuit, qui ſupra Hieroſolymam quoque ipſam inveniri tradit. Et recte quidem, inquiunt, ſi de hac, qua in corporibus tum condiendis utebantur, hoc intelligatur. Hæc ſententia incomparabili Scaligero adſcribitur, & probatur. Quid tum? Nihil moror auctorem, ſed magis miror ſententiam. Primum illud conſtat, aut conſtare debet, Judæos non condidiſſe corpora mortuorum, qui mos Ægyptiorum fuit peculiaris. At Judæi cum plurimis unguentis & aromatibus defunctos ſuos ſepeliebant eodem prorſus more, qui apud Græcos & Romanos viguit: lavabant cadavera, ungebant pretioſis unguentis, & faſciis involuta condebant monumento. Ægyptii exenterabant, & condiebant, ut ſervari poſſent, & in ſæcula durare. Hinc hodieque *mumiæ* ſepulcrorum in Ægypto reperiuntur, & eruuntur, quæ in Judæa nullæ ſunt. Concedamus porro & condituras mortuorum æque Judæis uſitatas fuiſſe atque Ægyptiis, cui deinde veriſimile fiet illo tempore jam tum ſepulcra perfodi & everti ſolita, ut inde mumiæ eruerentur. Quis credat hoc permiſſuros fuiſſe Judæos, aut ſuis ipſos manibus feciſſe? Si hoc in Judæa fiebat, multo magis in Ægypto. Quis autem veterum meminit illo ævo aloës in Ægypto effoſſæ, & cum cadaveribus

cadaveribus erutæ? Rem tantam ſilentio non prætermiſiſſent. Hæc multis modis abſurda ſunt, & à veritate ſegregantia. Et quo fortius ea defrico, eo apparent magis magiſque indigna tantis viris. Scripſit quidem Plinius, fuiſſe qui traderent in Judæa naſci aloën foſſilem ſupra Hieroſolyma. Hæc ejus verba ſunt: *fuere qui traderent in Judæa ſuper Hieroſolyma metallicam ejus naturam, ſed nulla magis improba eſt, neque alia nigrior eſt, aut humidior.* Hoc tradiderat Niger, è quo Plinius iſta hauſit, qui & auctorem Sextium Nigrum hoc ipſo libro citat. Sed eam Nigri ſententiam de metallica & foſſili aloës natura refutavit & exploſit Dioſcorides in præfatione, & eum multis aliis mendaciis referſiſſe libros ſuos teſtatur. Verba ejus, quia ad rem faciunt, heic ſubjecta legi merentur: ὁ γοῦν διαπρεπὴς δοκῶν εἶναι ἐν αὐτοῖς Νίγερ τὸ εὐφόρβιον φησὶν ὀπὸν εἶναι χαμελαίας γινομένης ἐν Ἰταλίᾳ· καὶ τὸ ἀνδρόσαιμον ταὐτὸν ὑπάρχειν τῷ ὑπερικῷ, ἀλόην δὲ ὀρυκτὴν ἐν Ἰουδαίᾳ γεννᾶσθαι, καὶ ἄλλα τούτοις ὅμοια πλεῖστα παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἐκτίθεται ψευδῶς. Niger ille Romanus auctor fuit, & Græce ſcripſerat. Cujus teſtimonio Plinius paſſim utitur, ejuſque omnes opiniones ſine examine recipit, ut hanc de aloë foſſili, & illam de euphorbio. Ita enim tradit lib. xxv. cap. vii, de euphorbio tractans: *multum infra hunc ſuccum eſt qui in Gallia fit, ex herba chamælea granum cocci ferente.* Plane innuit etiam euphorbium ex chamælea fieri in Gallia naſcente, ſed multum eſſe infra Libycum. Ex eo loco Plinii corrigendus & Dioſcorides in verbis ſupra citatis: τὸ εὐφόρβιον φησὶν ὀπὸν εἶναι χαμελαίας ἐν Γαλλίᾳ γινομένης. Auctorem Nigrum etiam in eo libro allegat Plinius, ut liquet ex indice. Ἀλόη ὀρυκτὴ illius Nigri de aloë conditorum cadaverum nullo modo poteſt accipi: nam & eam noviſſet Dioſcorides. Præterea ait eam γεννᾶσθαι in Judæa. Quo verbo metallicam ejus naturam oſtendit, ut recte Plinius accepit. Nam ibi metalla naſcuntur. Quod dici non poteſt de aloë cadaverum, & *mumia* ſepulcrorum. Jam alia heic difficultas oritur, an aloë illa Euangelii medicamen vulgo notum fuerit. Eam nos heic decidemus in favorem Nonni, qui de aromatica accepit contra omnium interpretum ſententiam. Dicitur Nicodemus attuliſſe μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. Ad quid illam myrrham & aloën? Ad ungendum & pollingendum Chriſti corpus. Sequitur enim protinus: ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν. Ergo myrrha & aloë, de quibus præceſſit, ἀρώματα ſunt. At quis unquam aloën vulgarem inter aromata & odores recenſuit? Aut quid illa habet odorificum? Apud Marcum & Lucam mulieres dicuntur emiſſe ac præparaſſe ἀρώματα καὶ μύρα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. Inter illa unguenta & aromata etiam aloë fuit. Et cur non, cum ad eumdem uſum Nicodemus attulerit σμύρναν καὶ ἀλόην, ad corpus Chriſti ſcilicet curandum, & pollingendum. Apud Matthæum quum mulier quædam in Chriſti caput pretioſiſſimi unguenti alabaſtrum effudiſſet, & ringerentur diſcipuli, ipſe eos ſic repercuſſit, βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν. Sola itaque unguenta & aromata ad unctionem & pollicturam cadaverum adhibita, nec ullus inter illa locus fuit medicamini, qualis aloë vulgaris & medica. Romani quoque & Græci defunctorum corpora, licet arſura, multis unguentis ungebant. Perſius:

> ---- craſſiſque lutatus amomis
> In portam rigidos calces extendit.

Cineres etiam & oſſa unguentis & odoribus differta condebant. Ovidius:

> Oſſaque cum foliis, & amomi pulvere conde.

Idem Perſius:

> ---- urnæ
> Oſſa inodora dabit ſeu ſpirent cinnama ſurdum.

Metrodori epigramma nondum editum de funeris impenſa ac ſumptibus.

> Ἐκ δὲ τελευτηκόντων κοσμήσατε σῶμα ταλάντων,
> Ῥέζετε δ' ὑδαίῳ ζανὶ θυηπολίην.
> Διοσσῶν ἐς δὲ πυρὴν καὶ ἄλφιτα καὶ τελαμῶνας
> Εἰκαίην δοιῶν σῶμα χάρειν λαβέτω.

Unguenta, quibus corpus ungendum erat, vocat εἰκαίην χάρειν. At τελαμῶνες ſunt faſciæ, quibus corpus pollingitur. Latini grammatici *pollingere* exponunt στροφολογεῖν. *Pollictores* ſcribuntur in antiquis codicibus, & ſunt perlictores, vel perligatores, οἱ ἐνταφιασταί. De quo ritu alii, & nos alibi. Poſtremo quum Euangeliſta junxerit σμύρναν & ἀλόην, non de alia aloe videtur exponendum, quam de illa, quæ tribus aut quatuor locis Bibliorum juncta invenitur cum myrrha. Atqui illa omnino aromatica aloe, cujus mentio in proverbiis, in Pſalmis, Canticis, & alibi. Non igitur diverſa aloë Euangelica ab aloë Bibliorum. Inferet heic aliquis, aloën medicam virtute quadam ſua & amarore inſigni putredini repugnare, ideo cum unguentis aliis adhibitam condiendis mortuis. Quid tum? Non hoc quæſivere Judæi in ſepeliendis cadaveribus, ut quam diutiſſime perdurarent, æternitatemque medicaminibus obtinerent. Quid ſi doceo, ne Ægyptios quidem, quorum proprius hic mos fuit condiendorum ac medicandorum cadaverum, nullam aloën uſurpaſſe, aut quam uſurparunt in ea conditura, eam fuiſſe aromaticam? Herodotus, qui hanc ταρίχευσιν Ægyptiam accurate perſequitur, treſque modos ejus recenſet, nuſquam ἀλόην adhibitam commemorat. In eo conditurae genere, quæ præ cæteris impendioſa fuit, & quam ſoli divites uſurparunt, præter nitrum & gummi ſolis odoribus & aromatis pretioſis eam procuratam dicit, myrrha, caſia, & aliis multis excepto thure: αὖθις δηθέεσι θυμιήμασι πεπλησμένοισι. Ἔπειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης, καὶ κασίης καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων, πλὴν λιβανωτοῦ πλήσαντες συῤῥάπτουσι ὀπίσω. Quis dubitet quin & aloë aromatica in ea conditura locum etiam habuerit inter alia θυώματα, ſiquidem damus tunc locorum cognitam fuiſſe? Certe poſteriores Ægyptii etiam ἀλόην adhibuerunt cum myrrha in condiendis cadaveribus, ut diſerte teſtatur Aëtius, qui eam conditūram σμύρνισιν vocat, & ſpecies quibus conſtaret, has recenſet lib. xvi ſub finem: Νεκροῦ σμύρνισις. Ἀλόης, σμύρνης, κόμμεως ἀνὰ λίτραν α, σαρκοκόλλης λίτρας β, ἀκακίας, ὀποβαλσάμου. Hæc aloë aromatica eſt, nec de alia capiendum. Σμύρνισιν illam ſtatim ſubjecit poſt tractatum thymiamatum muſcatorum & unguentorum. Non alia igitur ibi aloë intelligenda quam quæ in confectionem olei ſalca, & muſcati, & thymiamatis regii ingreditur cum aliis aromaticis ſpeciebus. Agallochi ligno, quod eſt aloë, veteres pro diapaſmate uſos eſſe tradit Dioſcorides: ὅλου δὲ τοῦ σώματος διάπασμα ἐστίν. Tundebatur igitur, & in pulverem redigebatur. Sic enim diapaſmata fiebant. Pulvere ejus cum myrrha mixto, ut apparet, corpora etiam mortuorum perungebant. Hoc enim proprie μυρεψοὶ faciebant, ξηροῖς ὑγρὰ miſcebant. Παντὸς γὰρ μύρου καὶ χρίσματος ἡ σύνθεσις αὕτη, ut tradit Theophraſtus in commentario de odoribus. Tale fuit μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, quod attuliſſe Nicodemus dicitur ad perungendum corpus Domini. Atque ita quidem fuerit, ſi σμύρναν de myrrhæ liquore ac ſtacte accipiamus. Sic enim Latini loquuntur, *myrrha madentes crines*, de liquida apud poetam: & *crines perfundere myrrha* apud Propertium: item apud Philodemum de ea myrrha, qua caput perfundebant:

> ---- καὶ πάλι δὴ σμύρναν ἰδεῖν Συρίην.

Syrium rorem vocat idem Propertius. Græci tamen inter σμύρναν, & στακτὴν σμύρνης diſtinguunt. Præterea notandum non dici Nicodemum illis aromatis unxiſſe corpus Domini, ſed pollinxiſſe, hoc eſt, faſciis involviſſe cum aromatis. At mulieres dicuntur emiſſe τὰ ἀρώματα καὶ μύρα ὅπως ἀλείψωσιν. Poſtremo pondus aromatum, quæ Nicodemus attuliſſe fertur, nimis magnum eſt, quam ut unctioni paratum exiſtimari queat, ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. Centum libræ non paucis ungendis cadaveribus ſufficiunt. Certe tres aut quatuor ad ſummum libras aromatum condiendo uni funeri impenſas legimus apud Aëtium, ubi alvus exenterata odoribus farcienda erat. Sed de his alibi. Quodcunque ſit, ἀλόη aroma eſt, non medicamen. Quum enim σμύρναν & ἀλόην tantum nominarit, ἀρώματα ea vocitat: atqui ἀλόη vulgaris non poteſt aroma dici. Ex his omnibus conſtat Nonnum recte ἀλόην apud Euangeliſtam pro aromate accepiſſe, non æque recte de

calamo odorato eam interpretatum esse. Hierophilus philosophus in libro πῶς ὀφείλει διαιτᾶσθαι ἄνθρωπος ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, inter ἐμβάμματα recenset ἀλόην, quæ aromatica est, non medica: ἐμβάμματα, σίνηπι, ἀλόη, κύμινον καὶ οἰνόγαρον. Quis credat veteres aloës medicæ succo, qui amarissimus est, pro intinctu usos esse, & in deliciis habuisse? Tradit Dioscorides ad suavitatem ori conciliandam agallochi lignum veteres mandere solitos, & decocto ejusdem os colluere ad eumdem usum: ποιεῖ δὲ διαμασώμενον, καὶ διακλυζόμενον ἀφέψημα πρὸς εὐωδίαν στόματος. Agallochum est aloë. Ergo in iis embammatis locum habebat, quæ ad εὐστομίαν parabantur, ut & cuminum, quod etiam inter εὐστομα numeratur & ea quæ os suave faciunt. Sic hodie ligno casiæ utimur ad embammata. Idem Hierophilus tradit ἀλόην cum myrrha χρίσμα componere, quo ungebantur à balneo: χρίσμα δὲ ποιεῖν ἐσκευασμένον, τοῦτ' ἐστι ψήνιθρον, βάλλειν δὲ ἀλόην σταθμὸν λίτρας τρεῖς, καὶ σμύρνην λίτραν, καὶ κρόκου ὠῶν β': ταῦτα πάντα ἑνώσας ἐν τῷ χρίσματι σμῆχε, ἁρμόζει δὲ πρὶν χρίσασθαι, ἵνα εἰσέλθῃς εἰς λουτρὸν καὶ περιχύσασθαι σίτλας τρεῖς. In his verbis ψήνιθρον est decoctum. Nam ψήνειν pro coquere dicunt Græci recentiores. De aloë autem aromatica hæc capienda esse nemo non videt. Ut ad calamum redeamus, addit Plinius ad probationem optimi: *inest fistulæ araneum quod vocant florem, præstantior est cui numerosior.* Hæc verba è Græcis Dioscoridis versa sunt, de optimo calamo: εἰς πολλοὺς σκινδαλμοὺς θραυόμενος, γέμων ἀραχνίων τὴν σύριγγα. Probari ait, qui in multas assulas frangatur, quique intus fistulam habeat veluti araneorum telis refertam. Hæc mens Dioscoridis, quam haud scio an satis recte cœperit Plinius. Τὸ ἀράχνιον est tela araneæ. Calamus aromaticus concavus est, & fistulam habet tenuibus membranulis intus conseptam sicut reliquæ arundines. Eas membranas ἀράχνια vocat Dioscorides ob similitudinem. Præstantissimum ergo calamum videri ait, qui non prorsus intus inanis sit, sed membranulas habeat ἀραχνιώδεις. Quæ ἀράχνια vocavit. Plinius ita sumpsisse videtur ac si tela aranei involuta esset fistula calami. Et falsus est. *Araneum* Latinis dicitur araneæ textum, ut Græcis ἀράχνιον. Sic inter morbos oleæ ἀράχνιον nominatur Theophrasto lib. IV. cap. XVII. Γίνεται δὲ καὶ ἄλλο νόσημα περὶ τὰς ἐλαίας ἀράχνιον καλούμενον. Ἐμφύεται γὰρ τοῦτο, καὶ διαφθείρει τὸν καρπόν. Male editum est ἀραχίνιον, & pessime vertunt: *qui arachinium vocatur.* Debuere: *quod araneum vocatur.* Et libro de causis V. cap. XIII. Τῇ δ' οὖν ἐλαίᾳ καὶ τὸ ἀράχνιον ἐμφύεται, id est, *tela aranea, vel araneum innascitur*, non *arachnium.* Plinius ita reddidit & exposuit lib. XVII. cap. XXIV. *Est etiamnum peculiare olivis ac vitibus, araneum vocant, cum veluti telæ involvunt fructum & absumunt. Araneum*, textum est: *Aranea*, quæ texit. Ita Græci τὸ ἀράχνιον & τὴν ἀράχνην distinguunt. Plinius aranea illa, quibus scatet intus calamus, circa exteriorem fistulæ faciem involuta videtur agnoscere, quasi χνοῦν quemdam. Sic enim explicat: *araneum quod florem vocant.*

Pag. 59. C. *Dat & multa alia flagrantia mirifici spiritus suavitate grata.*] Alterutrum expungendum, aut *grata*, aut *flagrantia*. Nisi si quis legendum contendat: *& alia multa flagranti mirifici spiritus suavitate grata.* Inter alia illa mirifica suavitate olentia, quæ mittunt Indi, præcipuam ac primam auctoritatem obtinent nardi spica, & folium sive malabathrum. De quibus quoniam veterum inter se discrepant sententiæ, nec conveniunt neotericorum, quæ ad eorum historiam illustrandam spectare visa sunt, hac exercitatione exponam. Nardus Indica eadem & Syriaca dicebatur veteribus. Glossæ medicæ nondum editæ: Νάρδος Συριακὴ, ναρδόσταχυς. In aliis: Νάρδιον Συριακὸν, τὸ στάχος. De Indica nardo spicæ nomen proprie usurpatum est. Idem Lexicon Iatricon: νάρδος Ἰνδικὴ, τὸ στάχος. Hoc cognomen Syriaca minime nacta est quod in Syria nasceretur. Auctor locupletissimus Theophrastus nihil odorum in Syria nasci testatur præter calamum & juncum: reliqua aromata ex India adferri, ut κασίαν, κιννάμωμον, καρδάμωμον, νάρδον & alia. Nulla igitur Syriaca nardus, quæ Syriam habeat solum natale. Dioscorides quum sciret Syriacam nardum appellari, & adæque sciret in Syria non inveniri, perridiculam rationem excogitavit, vel ab aliis proditam probavit, quare Συριακὴ νάρδος nomen habuerit, quam tamen India mitteret. Νάρδου, inquit, ἐστὶ δύο γένη: ἡ μὲν γάρ τις καλεῖται Ἰνδικὴ, ἡ δὲ Συριακὴ, οὐχ ὅτι ἐν Συρίᾳ εὑρίσκεται, ἀλλ' ὅτι τοῦ ὄρους, ἐν ᾧ γεννᾶται, τὸ μὲν πρὸς Συρίαν τέτραπται, τὸ δὲ πρὸς Ἰνδούς. Syriaca nardus, non quod in Syria nascatur, sed quod mons, in quo invenitur, alio latere Indiam spectat, alio Syriam. Ergo nardus, quæ in latere Syriam spectante nascitur, ea Syriaca dicitur: quæ in parte montis Indiæ obversa, ea est Indica. Quid pote magis ridiculum, aut ineptius fingi? Non dicit qua in regione mons ille nardi ferax attollatur. Certe aut in ipsa India est, aut in collimitio Indiæ. Si totus est Indiæ, omnibus lateribus Indos respicit. Si in confinio Indiæ surgit, ab oriente Indiam fortean habeat, ab occidente Syriam. Sed an Syriam tantum? Quis nescit quam multæ provinciæ Indiam inter & Syriam jaceant? Persida & Assyriam, ut alias omittam, propioribus jugis mons ille respectat quam Syriam. Cur non igitur Persica nardus hæc, vel Assyria nuncupatur potius quam Syriaca? Certe debuit. Aut si longinquiora petenda sunt, æque Hispanica dici potuit. Nam & Hispaniam ab eo latere, quo Syriam, prospectat mons ille Indicus. Doctus enarrator Dioscoridis pro Συριακὴ legere malebat Συραστρηνὴ à regione Indiæ. Sed pro Syriaca veteres omnes testimonium dicunt. Isidorus sic legit, quum hunc locum Dioscoridis verteret. Meleager antiquissimus poëta epigrammatarius Συρίην νάρδον indigetat:

Ναὶ μὴν καὶ Συρίην σταχυότριχα θήκατο νάρδον
Ὑμνοθέταν Ἑρμοῦ δῶρον ἀειδόμενον.

Perpetua hæc nota Indicæ nardi, σταχυόθριξ, quæ & sola spicam habet. In Cilicia Syriæ vicina nascebatur nardus, quæ & montana dicta est. Immo & in Syria quoque. Dioscorides: γεννᾶται ἐν Κιλικίᾳ καὶ Συρίᾳ. Sed illa minime σταχυόθριξ aut spicata, utpote quæ nec caulem haberet, nec semen ferret, nec florem. Idem Dioscorides: οὔτε δὲ καυλὸν, οὔτε καρπὸν, οὔτε ἄνθος φέρει. Secundum hæc, duplicem fuisse oportet Syriacam nardum: alteram in monte Indiæ nascentem, qua parte Syriam spectat, alteram in Syria ipsa. Pelagonius apud Hieroclem de re Veterinaria lib. II in quadrigarii pulveris compositione, *nardi Syriacæ, vel Indicæ* duplex genus intelligit: nec Syriacam eamdem cum Indica facit. Plinius post Indicam proxime laudari Syriacam asserit: *in nostro orbe*, inquit, *proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, post Creticum.* Cilicii non meminit, sed Syriaci nomine comprehendere videtur. Sane nec alii recentiores Ciliciæ aut montanæ nardi mentionem habent, sed pro ea Syriacam nominant, quæ teste Plinio post Indicam præstantissima habita est, non tamen, ut res est, in monte Indiæ nascebatur, sed in Cilicia Syriæ vicina. Neophytus Monachus in herbario genera nardi omnia ita recenset: Νάρδος Κελτικὴ, τὸ Σίσγουδον. Νάρδος ἀγρία, τὸ ἄσαρον. Ναρδόσταχυς, τὸ αὐτὸ καὶ νάρδος Ἰνδικὴ. Νάρδος Συριακὴ, τὸ στάχος. Νάρδος λέγεται, καὶ τὸ ἐκ τῶν ταριχηρῶν κρεῶν, καὶ ἰχθύων γάρος. Mirum profecto quum ναρδόσταχυν proprie nardum Indicam appellatam dixerit, idem de Syriaca pronuntiare, nempe στάχος appellari. Nam ναρδόσταχυς absolute etiam dicta est στάχος recentioribus Græcis, quod est spica. Idem Neophytus in collectione ἀντεμβαλλομένων, quam ex multis auctoribus concinnasse profitetur, στάχος absolute dictum distinguit ab ea quæ ναρδόσταχυς vocatur his verbis: ἀντὶ ναρδοστάχυος, στάχος. Quasi diversa fuerit *spica* proprie nuncupata, à *nardi spica.* Atqui Syriacam nardum ita vocatam asserit, στάχος. Jam docuimus nardum Syriacam, sive Cilissam carere spica. At Syriaca quædam nardus vocitata, quæ in Indiæ monte nascebatur, ut asserit Dioscorides. Hæc habuit spicam. Eam distinguit ab Indica. Quod miror. Nam & Indicam ipsam esse vult. Ἀντὶ νάρδου Συριακῆς juncum aromaticum adhiberi posse docet Galenus in ἀντεμβαλ.

A πηρυματοῖς. Hæc Syriaca nardus, sive Cilissa omnino alia ab Indica: nec spicam habet, sed radice tantum bona est. Radicem ejus commendat solam Nicander, quam vocat θυλακόεσσαν, non quod in sacculis afferretur, ut persuasum hodie habent eruditissimi medici, sed quod sacculi instar haberet. Unde & θυλακῖτις Dioscoridi vocatur, & Galeno πηρῖτις ab effigie peræ, quam præfert. Iconographia ejus, qualem posuit Clusius, id manifesto ostendit. Idem confirmat & scholiastes Nicandri vetus: ἢ θυλακόεσσαν καλεῖ τὴν ἐμφερῆ θυλάκῳ σχήματι, ἴσως δ' εἶπεν ἀπὸ τῆς ῥίζης. Τοιαύτη γὰρ ταύτης ἡ τῆς νάρδου ῥίζα, θυλακώδης τῷ εἴδει. Hoc verissimum. Σταδίῳ quoque vocat ab eadem ratione Nicander, quod similis sit σταδίῳ χι- B τῶνι. Ita dicitur tunica, quæ non cingitur, & sacco proinde similis est. Nam quæ cingitur, in medio ubi cincturæ locus est, ad corpus premitur, & figuram sacci perdit, quæ recta est, & æqualis, parque sibi in imo, & summo, & medio sui. Inde & εὐσταθέα νάρδον eamdem vocavit alio loco, non à pondere, ut vulgo nugantur interpretes. Sed hæc alibi. Sic papaveris species quædam appellata est θυλακῖτις, quæ sacculo simile caput haberet, non quod in sacculis deferretur, ut inepte doctus medicus autumat: καλεῖται δ' θυλακῖτις ἐπιμηκὲς ἔχουσα κεφάλιον. Altera dicebatur πιθῖτις à dolii forma. Idem Dioscorides: C ἡ δὲ τῆς ἀγρία ἐγκατημμένην ἔχουσα τὴν κωδύαν, σπέρμα μέλαν ἡ δὴ ἡ πιθῖτις ὀνομάζεται. Apparet ergo Dioscoridem in versibus Nicandri, quem plurimum sequitur, legisse:

---- περιβρίθουσα δ' μήκων
Θυλακὶς, ἠὲ πιθῖτις ----

Ubi vulgo legitur, ἡ ἐπίτηλις. Quod si ἐπίτηλις retinemus, de cornuto papavere accipiendum est, cui semen τήλει simile, hoc est, fœno Græco dicit Dioscorides. Sed illud indubitanter verum est. Θυλακῖτις igitur nardi radix à forma sacculi, ut κωδύα papaveris ab eadem ratione sic dicta est. Nulla certe Syriaca nardus præter Ciliciam. Negat etiam Theophrastus ullum odorem D aut aroma in Syria nasci præter calamum & juncum. Syriaca nardus pro Cilicia obrepsit ex eo quod Indica etiam Syriaca dicta est. Cilicia autem Syriæ vicina. Hinc error. Ceterum quis non videt Indicam eam nardum, quæ teste Dioscoride Syriaca etiam vocabatur, hanc appellationem invenisse, quod in Syriæ emporia deferretur ab Indis advecta? Hoc minime novum: sed hodie est, atque semper tralaticium fuit, ut merces ab emporiis æque ac solo natali denominationes sumerent. Ab eadem ratione Cappadocium minium vocatum est Sinopicum. Strabo: lib. XII de Cappadocia: ὠνομάσθη δ' Σινωπικὴ, διότι κατάγειν ἐκεῖσε E εἰώθασιν οἱ ἔμποροι πρὶν ἢ τὸ τῶν Ἐφεσίων ἐμπόριον μέχρι τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων διῆχθαι. Non longe arcessenda ratio. Myrrha Syria appellata est, quam omnes sciunt in Syria nusquam inveniri nisi advecticiam. Propertius:

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

Tibullus:

Stillabat Syrio myrtea rore coma.

Syrium rorem vocat *stacten*, quod erat liquidissimum ac pinguissimum è myrrha expressum, & per se unguentum faciebat, quod *myrrhæ* nomine Latinis censetur. Στακτὴ συκῆς est lac fici apud auctorem anonymum de vita Alexandri. *Ros* igitur *Syrius* est stacte F myrrhæ Syriæ. Sic λιπαρὸν σύριγκα liquidum styracem vocarunt, diversum utique à stacte myrrhæ. Nam & στακτὴ, τὸ λιπαρὸν τῆς σμύρνης. De his alibi. *Myrrha Syria* poëtis, ut & Syria nardus de Indica. Philodemus:

---- καὶ πάλι δὴ σμύρναν ἰδεῖν Συρίην.

Horatius *malabathrum Syrium* appellat. Quod non magis natalibus Syriacum, quam nardus, aut myrrha. Ex eo tamen quidam videntur sibi persuasisse malabathrum Syriæ indigenam esse arborem. *Dat & malabathrum Syria*, inquit Plinius, *arborem folio convoluto.* G Hoc tamen falsissimum. Nam sola India hoc mittit. Sic calamus aromaticus Græcis Συριακὸς κάλαμος dictus est, quod à Syria ipsis veniret ab India in Syriam missus. Romani *Alexandrinum* dixere, quia ex Ægypto habebant per Alexandrinum cataplum. Eadem prorsus ratione ῥέον βαρβαρικὸν appellatum, quod à Sinensibus in Indiam, deinde ex India per sinum Bar-

A baricum in Arabiam, & Syriam, atque alias deinde Asiæ & Europæ regiones invehebatur. Non expeditior quæstio est, cur *spicam* veteres Latini hanc nardum Indicam vocaverint, aut cur Græci ναρδόσταχυν. Romani hanc appellationem mutuati sunt. Infima Græcia στάχυς absolute nominavit, id est, spicam. Radicem esse plerisque veterum placuit. Arrianus idoneus auctor de expeditione Alexandri ῥίζαν νάρδου appellat de Gedrosia loquens: ἔχειν δ' τὴν ἔρημον ταύτην καὶ νάρδου ῥίζαν, πολλὴν τε καὶ εὔοσμον, καὶ ταύτην συλλέγειν τοὺς Φοίνικας. Galenus multis locis radicem esse confirmat. Philo apud eumdem in descriptione me- B dicamenti sui anodyni, quod ab ipso φιλώνειον dictum est, ῥίζαν ψευδώνυμον vocat nardum Indicam:

Δραχμὴν δ' ῥίζης ψευδωνύμου, ἣν ἀνέθρεψε
Χῶρος, ὁ τὸν Πίσης Ζῆνα λοχευσάμενος.

Sic legendus ille versus. Galenus hæc explicans de Cretica nardo accipi videtur velle, quia Creta Jovem occuluit. Sed omnino de India intelligendum. Jupiter Pisæus, ὁ Ζεὺς Πίσης, ex ebore factus à Phidia ab omnibus decantatus. Ebur mittit India, ex quo factum Jovis Pisæi simulacrum. Locus igitur, vel regio, quæ fabricavit, vel formavit Pisæum Jovem, hoc est, Pisæi Jovis simulacrum, eadem quo- C que educavit ῥίζαν ψευδώνυμον, hoc est, nardum, quæ cum revera sit radix, falso tamen nomine νάρδου στάχυς Græcis nuncupatur. Hic sensus est Philonis, cui placet nardum Indicam radicem esse, non spicam. In Lexicis Jatricis reperio: ῥίζα ψευδώνυμος, νάρδιον Ἰνδικόν. Quod ex hoc loco habent. Si radix est, cur στάχυς à Græcis pariter Romanisque appellitata est. Arabes ipsi *cembul Indi* nominant, quod sonat *spicam Indicam.* Scaliger hanc litem componere voluit, ac auctorum dividiam conciliare novo conatu. Spicam nardi bulbum esse nardi Indicæ. Latinum videri potius quam Græcum, bulbos radicum spicam D vocare. *Spicam allii* & *spicam ulpici* apud Catonem reperiri pro bulbis earum herbarum. Græcos postea sequutos esse Latinorum idioma, & στάχυν appellasse, quod radix est verius quam spica. Ita & *spicam Cilissam* poëtas Latinos vocasse bulbum croci. *Nam in croco*, inquit, *spica vocatur id quod in allio.* Nos singula expendamus. Etenim qui hactenus eam Scaligeri expositionem & notationem reprehendere instituerunt, meros triones ostenderunt, nihilque extricarunt. Primo neutiquam verisimile est Latinorum idioma in eo sequutos Græcos esse, quum è contrario Latini potius Græcos imitati sint, & *spicam nardi* E post Græcos vocaverint, quam illi νάρδου στάχυν. Antiquissimi Græci sic eam nuncuparunt, ut Meleager, Philo & alii. Præterea nunquam Græci στάχυν pro bulbo, vel radice posuerunt. Nec enim σκορόδου, aut κρομμύου στάχυν dixere, ut Latini ulpici spicam & allii spicam. Proinde cum νάρδου στάχυν vocarunt, non eo sensu accepisse putandi sunt, quo Latini *spicam allii* posuerunt, pro radice scilicet, vel bulbo nardi Indicæ. Dioscorides, in descriptione nardi Indicæ, ubi στάχυν nominat, non radicem ea voce significat, sed veram spicam, vel potius germen spicaceum, cui sua radix subest, ab ipsa spica, vel spicato caule diver- F sa. Ita enim loquitur de quodam Indicæ nardi genere: πλείονας δὲ ἔχουσα τοὺς στάχυς, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥίζης, καὶ πολυκόμους καὶ περιπεπλεγμένους. Mox addit de montana, quam κολοβόσταχυν esse scribit, hoc est, brevi spica. Quæ de radice neutiquam sumi datur, nisi si forte hominibus totius Hellenismi imperitis & harum rerum parum intelligentibus. De Græcis certum & compertum esse debet, nunquam eos στάχυν pro radice, aut bulbo usurpasse. An Latini *spicam* ea notione usitatam habuerint, investigandum. Nomen ipsum è Græco Æolico sumpsere. Στάχυς, Æolicum σπάχυς. Unde Latinum *spicus.* Ita enim G veteres primo enuntiarunt, quæ postea *spica* dicta est Servius: *Dicimus autem & hic spicus & hoc spicum.* Si spicus, vel spica idem quod στάχυς, & nomen ex nomine effictum, an cuiquam verisimile sit alio significatu Latinos *spicam* quam Græcos στάχυν in sua lingua habuisse? Sed verba Catonis in promptu sunt, ubi *allii spicas* & *ulpici spicas.* In quadam medicamenti

camenti compoſitione, quæ bubus paratur, ita loquitur: *Si morbum metues, ſanis dato ſalis micas* III, *folia laurea* III, *porri fibras* III, *ulpici ſpicas* III, *allii ſpicas* III. En ulpici & allii ſpicas de nucleis, quos Græci ἄγλιθας vocant, & γέλγιθας in allio, ulpico, ac ſimilibus. Plinius *nucleos* vocat. Interpres Nicandri κόκκυς his verbis: ἄγλιθες, οἱ κόκκοι, ἐξ ὧν αἱ κεφαλαὶ τῶν σκορόδων σύγκειντιμ, ἅπερ σκελίδας ἡ συνήθεια φησί. Dioſcorides appellat ῥᾶγας lib. II. cap. CLXXXII: σκόροδον τὸ μὲν ἐςὶ ἥμερον ἢ κηπευτὸν, ἢ ἔςι ἐν Αἰγύπτῳ μονοκέφαλον ἐςίν: καλϐσι ἢ τὰς ἐν αὐτῷ ῥᾶγας ἄγλιθας. Latini *unionem* dixere quod Græcis μονοκέφαλον σκόροδον. Quod etiam liceat dixiſſe μονόκοκκον. Sic enim & margaritarum *unionem* appellavere. Nam & κόκκος pro nucleo allii, vel ulpici. Hos nucleos igitur in allio & ulpico *ſpicas* à Catone vocatas vulgo creditum eſt. Qua ratione ita vocaverit, fateor me non videre. Immo maxime mirum id mihi videtur. Nam quæ poteſt fingi ſimilitudo ſpicæ, & nuclei bulbacei? Quia in mucronem deſinunt, inquiebat Scaliger Julius. At quidquid in mucronem deſinit, non ſtatim eſt ſpica. Ariſta pars eſt ſpicæ, quæ in mucronem deſinit, non tamen ſpica eſt. Alioquin nucleos alliorum & ulpicorum etiam ariſtas & ſpicula, & mucrones, & cuſpides, & haſtas quoque vocare poſſemus, quia in acumen deſinunt. Ergo κόκκος & *ſpica* idem eſt: ῥάξ & *ſpica*: nucleus & *ſpica*. Quæ tamen omnes rotunditatis & pilæ ſignificationem potius habent quam mucronis. Partes quædam in nucleis allii in acumen quoddam deſinunt ſed nihil illæ ſimile gerunt, aut præferunt cum ſpica. Hæc corpus integrum eſt ex granis ordine diſpoſitis & ariſtis conſtans. Totum itaque allii caput majori jure diceretur ſpica, quam particula ejus, vel nucleus. Vereor profecto ne fraudi hactenus fuerit corrupta librorum Catonis ſcriptura, quæ viris doctis *ſpicas* pro nucleis alliorum male credulis obtruſit. Non in his ego, qui ſemper de vitio ſuſpectas illas ſpicas habui. Nunc videor eas falſi poſſe condemnare legitima voce interdicto unde vi in poſſeſſionem ſuam reſtituta. Legendum igitur ajo: *porri fibras tres: ulpici ſticas tres: alli ſticas tres.* Nihil opinor reperiri verius poſſe. *Stica* eſt tunica. Ita enim in omnibus antiquis gloſſariis invenio. *Stica, tunica.* Στίχος, vel στοῖχος ſeries dicitur rerum inter ſe junctarum, & continenter invicem cohærentium. Hinc verbum στοιχεῖν adhærere alicui & conjungi. Ut στοιχεῖν τοῖς ἴχνεσι, veſtigiis inſiſtere apud Paulum, & στοιχεῖν τῇ τῆς συγκλήτϐ προθέσει apud Polybium, *ſtare Senatus decreto.* Unde στοίχημα pactum conventum cui neceſſario ſtandum eſt & acquieſcendum. Inde & στοιχὴ pro tunica, quæ corpori adhæret. Tales enim tunicæ veterum strictæ ac preſſule ad corpus hærentes. Ex eo Latinum *ſtica*, ut στοιβὴ *ſtipa.* Heſychio στοιχίον eſt tunica. Ἀβολος ὄνομα στοιχίϐ. Alii στίχον dixere, ut στιχῆσαι etiam pro στοιχῆσαι. Græci recentiores στίχον & στιχάριον paſſim pro tunica uſurparunt. Gloſſæ: *tunica*, στιχάριον. Alias στίχος & στοῖχος idem. Diximus alibi. Ceterum *ſpicam* pro *ſtica* in omnibus libris ſurrepſiſſe non mirabitur qui ſcierit *pinum* pro *tinu* apud Virgilium, Ovidium, Columellam hactenus lectum fuiſſe. T & P in libris ſæpe permutantur. Sed ſæpius P pro T ſolet obrepere, ut alibi pluribus oſtendimus. *Sticas* igitur allii & ulpici vocat tunicas, ſive membranas, quibus allium velatur in univerſum: tum quibus ſeparatim nuclei ejus veſtiti ſunt ſinguli. Perſius *tunicatum cape* dixit, πολύλοπον, ab illis ſcilicet tunicis & membranis.

---- *tunicatum cum ſale mordens*
Cape.

Plinius *tunicas* in frumento appellat lib. XVIII: in tilia, *tunicas & membranas*: in allio *membranas*. Sed inquiet aliquis, cur tunicas tantum allii & ulpici in illo medicamento dari præcipit Cato, & non potius nucleos ipſos & capita? Quæram ab eo viciſſim, cur idem Cato ſolas porri fibras tres, & non potius ipſa porri capita danda præſcripſerit. Sane non multo valentiores ſunt, & ad medelam efficaciores porri fibræ, quam allii aut ulpici tunicæ. Nihil etiam vetat exiſtimare *ſticas*, hoc eſt, tunicas allii pro ipſis nu-

A cleis poſitas eſſe. Theophraſtus radices allii, & ulpici, & cæpæ λεπυρώδεις eſſe dicit, utpote quæ multiplici tunica conſtent. Ea propter tunicas, ſive membranas in his nominare, idem eſt ac ſi nucleos ipſos, qui tunicis involvuntur, dicas. Noſtrates hodie ruſtici eo nomine caput allii, ſive nucleum appellant, quod involucrum, vel folliculum ſignificat. Theophraſtus de radicum differentiis: ἢ αἱ μὲν λεπυρώδεις, ὥσπερ ἡ ἢ βολϐς, ἢ τῆς σκίλλης, ἢ ὅσαι βολϐώδεις, ἢ κρομμύϐ γε, ἢ σκορόδϐ, ἢ ὅσα τούτοις ὅμοια. Eadem omnino loquutione, ac ratione Nicander βολβῶν σπεῖρεα dixit, id eſt, bulborum tunicas pro bulboſum Theriacis:

B Σὺν ἢ πϐ νιφόεν σκίλλης κάρη ἄνα τε βολβῶν
Σπείρεα.

Ubi σπείρεα περιβολὰς ὑμένων interpretatur ſcholiaſtes. Heſychio σπεῖρος τὸ καλὸν ἱμάτιον τὸ ῥακῶδες. Hæc etiam infra confirmabimus. De ſpica Ciliſſa jam in ſuperioribus docuimus virum magnum magnopere falli, qui Cilicii croci bulbum ea voce ſignificari putaverit. Spica quidem Ciliſſa crocus eſt Cilicius, ſed non propter bulbum, vel radicem ſic appellatur. In croco fila lutea de medio ſurgunt quaſi quidam mucrones, vel cuſpides, quæ tanquam in ſpica ariſtæ, ita & ipſa faciunt, ut crocus *ſpica* vocetur. Græci

C γλωχῖνας appellant. Florentinus in Geoponicis de croco: ἀνθολογεῖται ἢ ὅταν εὐχροήσῃ, ἐκ μέσϐ ἢ ἄνθϐς ἐλκομένων τῶν γλωχίνων, ἢ διαψυχομένων ἡμέρας τρεῖς, ἡ πόσας. Alii τρίχας appellant. Unde ξανθότριχα κρόκον poëtæ paſſim vocant. Gloſſæ medicæ: ξανθότριχα τὸν κρόκον. Philo in compoſitione philonii:

Ξανθὴν μὲν τρίχα βάλλε μυελαπνόϐ ἠϊθέοιο,
Οὗ λύθρος Ἑρμείαις λάμπεται ἐν βοτάναις.

Crocum intelligit. Alii παχυότριχα dixere, & ſane ariſtæ in ſpica veluti capilli ſunt. Græci ἀθέρας & τρίχας appellant. Sic in epithymo cuſpides & mucrones ἀθέραχοι, vel ἀθέλαχοι, capillorum inſtar. Veram enim

D illam in Dioſcoride lectionem de epithymo confirmavimus ſupra: ἔχει ἢ κεφάλια λεπτὰ, κϐφα, ἀθελάχϐς ἔχοντα ὡς τρίχας. Addit Neophytus: ὡς τρίχας προφυεῖς. Nec recta igitur emendatio Scaligeri, ὡς στοιχάς. Sic *ſpicatæ faces*, quæ lignum minutatim conciſum habent in tenues aſtulas veluti ariſtas, quæ ſpicæ formam reddunt:

Spicataſque faces ferre ad nemora alta Dianæ,

apud Gratium. Apud quem ut & Virgilium *inſpicare faces* non eſt acuere, ſed in multas ariſtas concidere ad inſtar ſpicæ. *Spica* igitur *Ciliſſa*, crocus apud Ovidium:

E *Et ſonet accenſis ſpica Cilißa focis.*

Κρόκος παχυότριξ. Ergo & apud Propertium:

Et lavet accenſas ſpica Ciliſſa comas.

Nam de nardo Ciliſſa nugæ. Inter pretioſiſſima unguenta nardinum fuit & ſpicatum. Sane verum eſt. Sed illud ex Cilicia nardo non conficiebatur. *Crocinum*, inquiunt, *minus ſuave & medicinæ magis utile.* Quis hoc illis dixit? Cur igitur de crocino idem poëta ſic loquutus eſt lib. III. Eleg. VIII.

Sit menſæ ratio, moxque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus ungat onyx.

F Onyx proprie vas unguentarium ex onyce lapide. Sed & abſolute pro quolibet alabaſtro. *Murreus onyx* heic è murra factus, vel murrinus. Sic *murrea pocula* apud eumdem. Vides igitur crocinum unguentum inter luxuriæ delicias, nec medelis aptum modo, ſed etiam naribus gratum. Tradit Plinius acutiora unguenta fieri coſto & amomo, quia maxime nares feriunt: craſſiora gratioraque myrrha: utiliora medicinæ, croco. Non dicit utile tantum medicinæ haberi crocinum, ſed ea unguenta ad medelas utiliora eſſe, quibus adderetur crocum. Multis autem unguentis indebatur. Cetera porro unguenta omne genus etiam in medicina uſum habuere. Nec

G enim voluptatis tantum, ſed etiam valetudinis cauſa ungebantur veteres. Nardinum inter cetera unguenta, quæ valetudini conducerent, etiam nominat Juriſconſultus. Sed nec crocinum ſolo croco conſtabat: ex multis aliis ſpeciebus componebatur, in quibus & myrrha. Dioſcorides de crocino: ἐςὶ ἢ αὐτϐ κρατίςον, τὸ καθαρῶς κρόκϐ πνέον, ὅπερ εἰς τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἐκλέγειν.

ζει: δεύτερον δὲ τὸ τῇ σμύρνῃ παρεμφέρον. Adeo autem odor croci veteribus gratus fuit, ut tota theatra croco fluerent, quæ *ſparſio* dicebatur, & κροκόβραντος. Crocum itaque inter odorum delicias, ut patet ex Ciceronis dicto, quod refertur à Plinio his verbis: *In M. Ciceronis monumentis invenitur unguenta gratiora eſſe quæ terram, quam quæ crocum ſapiunt: quando etiam corruptiſſimo in genere magis tamen juvat quædam ipſius vitii ſeveritas.* Unguenta quæ terram ſapiunt, quænam illa ſunt? Numquid terra unguentis addi ſolebat? Res è terra ſi forte intelligat, & ſimplices herbas, non ſpecies peregrinas & exoticas pretii ingentis. Atqui crocum etiam tum ſatis vulgare, nec minus terram ſapere dici queat, quam quævis alia herba unguentis idonea. Omnino ſcribendum puto: *gratiora eſſe, quæ ceram quam quæ crocum ſapiunt.* T & C. ſæpe invicem mutantur. Sic apud Ciceronem eumdem in omnibus editis, *ſi puer terram non tenuerit*, pro *acerram*. Idem mendum apud Arnobium. Ita hoc loco *cerram* ſcriptum fuit, pro quo *terram* alii ſcripſere. Cera in multa unguenta intrabat, ut & crocum. In foliati compoſitione ingreditur apud Aëtium, κηρῦ λίτραν μίαν. Et in confectione œnanthii. Item in ſpicati: κηρῦ λευκῦ τὸ ἀρκῦν, ὥστε σύστασιν ὑγροτέραν ἔχειν: *Cera quantum ſufficit, ut ne ſpiſſius ſit juſto unguentum: quantum non prohibeat, liquidius eſſe.* Atqui multos ſpiſſitudo delectabat, ut ſtatim addit eodem loco Plinius. Hæc duo genera unguenti *ſpicatum* & *foliatum* multo in uſu fuere Romanis. Unde & nomina Latina retinuere Græci. Φυλλίατον εἶδος μύρυ ἐστὶν, ὅτω παρὰ Ῥωμαίοις καλύμενον: χρῶνται δὲ τύτῳ παρ' αὐτοῖς αἱ πλυσίαι τῶν γυναικῶν. Ἐστὶ καὶ ἕτερον μύρον παρ' αὐτοῖς ὃ καλῦσι σπικάτον. Apud Aëtium in antiquiſſimis libris ſcribitur σπέκατον. Nam & ruſtici *ſpecam* pro *ſpica* dicebant. In paratura foliati apud eumdem Aëtium non ſolum cera, ſed etiam crocum inditur. In compoſitione œnanthii vel œnanthrii etiam cera locum habet, κηρῦ τὸ ἀρκῦν. Quid igitur ſibi voluit hoc dicto Cicero, magis placere unguenta, quæ ceram potius olerent quam crocum? An ſpiſſiora magis probabat? Certe unguenta ſpiſſat cera. Sed hoc veluti magis luxurioſum denotat ibidem Plinius: *quoſdam craſſitudo maxime delectat, ſtypſin appellantes, linique jam non ſolum perfundi unguentis gaudent.* At in Ciceronis ſententia vitii ſeveritatem in corruptiſſimo genere aſſerit juvare. Minus igitur luxurioſa minuſque delicata unguenta viſa Ciceroni, in quibus plus ceræ quam croci eſſet, eaque ſibi gratiora eſſe affirmabat. Et fortaſſean non de unguentis in univerſum hoc pronuntiavit, ſed de crocino, cujus multus fuit uſus apud Romanos, item apud Græcos, non ſolum ad medelarum uſum, ſed etiam ad luxum ac delicias. Philodemus in epigrammate συμποτικῷ nondum edito:

---- ἢ κροκίνοις χρείσατε γυῖα μύροις.

Athenæus, ubi de Ptolemæi Philadelphi pompa loquitur: πέντε μὲν τὰς πρώτας ἡμέρας ἐν τῷ γυμνασίῳ πάντες ἐκ χρυσῶν ὁλκείων ἠλείφοντο κροκίνῳ μύρῳ. Et lib. I, ubi de Antiocho narrat: ἐκ χρυσέων ὁλκείων ἤλειφε κροκίνῳ μύρῳ, καὶ κινναμωμίνῳ, καὶ ναρδίνῳ, καὶ κρινίνῳ. Inter pretioſa ac delicioſa unguenta nominat & crocinum. Nugantur igitur qui medicinæ tantum utile fuiſſe prædicant. Hujus unguenti non una fuit, nec ſimplex σκευασία. Præſtantiſſimum id crocini genus ait Dioſcorides, quod maxime crocum ſaperet: ἐστὶ δὲ αὐτῦ τὸ κράτιστον τὸ κατακόρως κρόκυ πνέον. Hoc medicinæ utilius cenſebatur. Secundæ notæ fuiſſe aſſerit τὸ τῇ σμύρνῃ παρεμφέρον. *Quod ſimile eſt myrrhæ: quod myrrham refert.* Sed Græca corrupta cenſeo, & emendo: τὸ τῆς σμύρνης παρεμφαῖνον: *Quod myrrham olet.* Sic alibi loquitur ut in cinnamomino: μαλακὸν δὲ τῇ ὀσμῇ καὶ παρεμφαῖνον σμύρνης: *& myrrham olens, myrrhæ odorem referens.* Idem de metopio: δόκιμον δὲ ἐστὶ τὸ βαρύοσμον, καὶ λιπαρὸν, ἐμφαῖνον μᾶλλον τῦ καρδαμώμυ καὶ τῆς σμύρνης ἤπερ τῆς χαλβάνης: *Quod cardamomum, & myrrham potius ſpirat, quam galbanum.* Integrum eſt παρεμφαίνειν, & ἐμφαίνειν ὀσμήν τινός. De telino: καὶ μὴ λίαν παρεμφαῖνον τὴν τῆς τήλεως ὀσμὴν, *& quod non magnopere præferat odorem fœni Græci.* Inde παρεμφαίνειν σμύρνης, dictum ἐλλιπῶς. Sic in ea loqutione, προσβάλλειν ἰχθύων, *olere piſces*, ſubaudiendum

A

eſt ὀσμήν. Strabo: καὶ τὰ κρέα δὲ τῶν θρεμμάτων, ἰχθύων προσβάλλει: *piſces olent.* Sic enim legendum, non περιβάλλει. Et apud Athenæum, τὺς μύρυ προσβάλλοντας, qui unguenta olent. Philoſtratus in vita Herodis: ὐ καθαρὸν ἔφη τὸ γάλα; προσβάλλει γάρ με γυναικός: *olet mihi mulierem.* Ita ibi legendum ac ſubaudiendum, ὀσμήν. Perperam edidere: προσβάλλει γάρ με χεὶρ γυναικός. Quod à mala manu eſt, & quæ mihi correctorem olet. Sic παρεμφαίνειν μύρυ, quæ unguenti odorem referunt, dicuntur. In quibus loquutionibus ſubintelligenda, ut dixi, vox πνοή, aut ὀσμή. Optimum igitur unguentum crocinum, quod

B

crocum meracius olebat: ſecundum, quod myrrham ſaperet: tertium genus fieri ſolitum ibidem oſtendit Dioſcorides, σὺν κηρῷ, ἢ κρόκῳ, ἢ μυέλῳ, καὶ ἐλαίῳ διπλασίονι. Quodcunque ſit, gratius exiſtimabat Cicero quod ceram magis ſaperet quam crocum, non ulla ſeveritate, aut luxuriæ odio, ſed ſolis ſenſibus magiſtris. Gratiora quippe ſenſui haberi prædicabat, quæ moderatæ eſſent ſuavitatis, quam quæ acerrimæ ac meracæ. Minus acria autem, & magis temperata unguenta, quibus multum ceræ admixtum eſt, quam quæ ex mero croco, aut alio aromate flagrantiſſimo compoſita ſunt. Hanc mentem fuiſſe Ciceronis ipſe

C

Cicero fatebitur lib. III de Oratore, ubi hoc ejus dictum reperitur, quod Plinius retulit: *Licet hoc videre in reliquis ſenſibus, unguentis minus diu nos delectari, ſumma & acerrima ſuavitate conditis quam his moderatis & magis laudari quod ceram quam quod crocum olere videatur.* Ita ſane eo loco legunt veteres libri Ciceronis. De crocino unguento intellexit, cui cera admixta. Nam aliud parabatur abſque cera κατακόρως κρόκυ πνέον. Spica igitur Ciliſſa crocum, vel crocinum unguentum. Et croco quidem ſpicæ nomen inditum à capillis luteis, ſive apicibus mucronatis, ut ſunt ariſtæ in ſpica. Eadem prorſum ratio effecit, ut in Indica nardo ſpica di-

D

ceretur caulis ejus multis capillaceis foliis obſitus ad inſtar ariſtarum. Nec de nihilo, aut immerito ſuo Græci veteres, Romani, & poſtremo Arabes nardo illi *ſpicæ* nomen fecerunt. Radix quidem eſt, ſed quæ caulem è ſolo erigat, aliquando plures ex una radice, ariſtatis foliis ac denſis veſtitos. Idque à veteribus quibuſdam proditum hiſtoria recens comprobavit. Vide Garciam lib. I de aromatis. Plinius lib. XII. cap. XII. *De folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Frutex eſt gravi ac craſſa radice, ſed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui, ſitum redolente ut cyperi, aſpero ſa-*

E

pore, folio parvo denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrant. Scribitur in optimo libro: *Cacumina ariſte ſaſpergunt.* Lege: *cacumine ariſtæ ſe ſpargunt.* Quod verum. In cacumine ariſtæ, ſive folia ariſtata ſeſe ſpargunt ac dividunt. Auctor carminis de phœnice:

His addit teneras nardi pubentis ariſtas.

Hæ ariſtæ in nardo folia ipſa ſunt, quæ tenuia admodum ſunt & in acumen deſinunt, qualia Græci vocant τριχόφυλλα, propter quæ nardi caules ſpicæ nomen invenerunt. Inde σταχυότριχα νάρδον dixit Meleager. At Plinius nardum gemina dote voluiſſe ſcribit, ſpica

F

& folio. Atqui folium eſt quod ſpicam facit. Sed hic error Plinii cum pleriſque veterum communis, qui aroma illud, quod abſolute *folium* dicebatur Romanis, nardi folium eſſe imbiberant. Quæ erronea opinio uſque ad infima Græciæ tempora pervaſit. Sic enim reperio in Lexicis medicorum Græcis: Ναρδόσταχυς ὁ καὶ φύλλον λέγεται. In gloſſario Neophyti: τὸ στάχυς λέγεται καὶ φύλλον. *Folium* abſolute Plinio pro folio nardi accipitur. Idem: *Vicina his Arabia flagitat quamdam generum diſtinctionem, quoniam fructus is conſtat radice, frutice, cortice, ſucco, lacrima, ligno, ſurculo, flore, folio, pomo.* Hæc caput undecimum claudunt. Sequitur deinde

G

initium duodecimi: *Radix & folium Indis eſt maximo pretio.* Corrigunt viri docti: *Nardus, coſti radix & folium ſunt in maximo pretio.* Id contra omnium librorum fidem ac rei veritatem. *Folium* κατ' ἐξοχὴν de tota nardi planta poſuit, veluti à principali parte. Nam & nardinum unguentum, foliatum alibi interpretatur: *Nardinum, ſive foliatum conſtat omphacino, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.* Hoc eodem

eodem capite, folium nardi principale esse in unguentis ait. Sed mendum hæret gravissimum in superioribus Plinii verbis, quibus ita scribitur: *quoniam fructus is constat, radice, frutice, cortice.* Quis enim ille fructus constans tot modis? An odores intelligit? Certe sic est. Sed parum placet fructum appellari, qui tot sunt fructus. Parva mutatione grande momentum correctionis feceris legendo: *Vicina his Arabia flagitat quamdam generum distinctionem, quoniam fructus iis constant, radice, frutice, cortice,* &c. Vicina, inquit, Indis Arabia postulat, ut genera hæc distinguamus, quæ in Arabia nascuntur, quandoquidem fructus his constant, radice, frutice, &c. Apud nos fructus tantum constat pomis, & baccis, & frugibus: Arabibus constat etiam radice, surculo, frutice, lacrima, ligno, flore, & folio, ex arboribus scilicet, & plantis odoriferis. Egregie confirmat nostram hanc emendationem titulus huic loco respondens, qui habetur libro primo in indice: *Quibus modis constant arborum fructus. De costo, de nardo, differentiæ ejus.* Sed hæc etiam mendosa sunt, sic utique corrigenda: *Quibus modis constant Arabum fructus.* Recte itaque hic emendavimus: *Quoniam fructus his constant, radice, frutice, cortice,* id est, Arabibus. Vel: *fructus ei constant.* Arabiæ scilicet. Eamdem generum distinctionem instituit Marcellus de his aromaticis speciebus, in quibus Arabiæ fructus constant:

Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu
Decerptum foliis, ramo, cute, cortice, virga.

Connectenda porro sequentis capitis verba cum superiore, quæ perperam lectione diducta sunt: *Vicina his Arabia postulat quamdam generum distinctionem, quoniam fructus his constant, radice, frutice, cortice, succo, lacrima, ligno, surculo, flore, folio, pomo. Radix & folium Indis, & maximo pretio.* Fructus Arabibus constant, radice, frutice, folio, & ceteris quæ enumerata sunt. Sed radix & folium etiam Indis, & maximo quidem pretio. Radix illa costi est: folium nardi. Quæ ambæ species in India nascuntur. Costum in Arabia quoque. Sic explicandus & corrigendus eo loco Plinius. Nardum gemina dote pollere dicit, folio & spica. Sed folium principale in unguentis esse. Hinc *foliatum* unguentum & *nardinum* pro eodem sumit. A spica nardi aliud unguentum *spicatum*: φυλλίατον ἢ σπίκατον Græcis. At enimvero si foliatum idem cum nardino, quemadmodum credidit Plinius, quod ex folio nardi factum est, idem esse oporteat *foliatum* cum *spicato.* Immo etiam eadem spica nardi cum folio. Nam folium nardi parvum & aristaceum spicæ denominationem nardo dedit. Et spica illa foliis illis constat. Sed, ut dixi, Pliniana est hallucinatio, qui aroma illud, quod *folium* κατ᾽ ἐξοχὴν appellabatur Romanis, nardi folium esse interpretatus est. At *folium* ἰδίως sic appellatum Latinis est malabathrum, sive malabathri folium, species in totum à nardo diversa. Inde *foliatum* unguentum malabathrinum. Græci: φύλλινον μύρον, ἤτοι μαλαβάθρινον. *Spicatum* vero ex spica nardi, & foliis ejusdem quibus constat spica compositum. Vetus interpres Matthæi νάρδον πιστικὴν reddidit *nardum spicatam*, ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Non unguentum ipsum vocat πιστικὸν, sed nardum, ex qua unguentum. Sic interpres unguentum ipsum non vocat *spicatum*, sed nardum ipsam de qua unguentum. Quod ad πιστικῆς vocem attinet certum est veram ac germanam nardum significare, τὴν ἀληθῆ. Theopompus apud Athenæum:

Χώρει σὺ δεῦρο Θηρικλέους πιστὸν τέκνον.

Thericlis vera proles. Πιστικὸν etiam παραγωγικῶς dixere ἀντὶ πιστοῦ non infima tantum Græcia, sed etiam melior, πιστικὴ γυνὴ ἢ οἰκουρὸς Artemidoro. Vetus auctor, qui geographiam versibus composuit, ac Nicomedi Regi dedicavit, πιστικῶς posuit pro fideliter:

Οὕτω λελυμένην λέξιν ἀναλαβεῖν ταχὺ
Οὐκ ἔστι, τῷ μέτρῳ δὲ περιειλημμένην
Ἐστὶν κατασχεῖν εὐκόπως ἢ πιστικῶς.

Facilius addisci dicit & fidelius retineri, quæ metro comprehensa sunt, quam quæ soluta oratione conscripta. Veteres glossæ Latinæ Eucherio tribuunt hanc *pistici* interpretationem: *Nardum pisticum, chrisma sine*

A *impostura.* Et ibi quidem *nardum* pro ipso unguento ponitur: ut *crocum* pro crocino. Vide quæ notamus ad Historiam Augustam. Apud Damasum in vita Sylvestri mentio fit *olei nardi pistici.* In Euangelio Matthæi & Joannis μύρον νάρδου πιστικῆς unguentum est ex vera nardo. Talis utique est Indica, ex qua unguentum maximi pretii fiebat. Indica autem sola ex reliquis eo nomine herbis spicata est. Unde interpres Bibliorum πιστικὴν νάρδον vertit *spicatum nardum.* Sic νάρδον σπίκατον Græcus auctor Hippiatricus dixit de nardo quæ spicam habet, non de unguento. Cap. CCCCLIII. Σμύρνης γο´ β´, κρόκου γο´ β´, νάρδου σπικάτου γο´ α´, Καδμίας

B γο´ β´ πομφόλυγος. Πιστικὴ autem nardus opponitur pseudonardo herbæ utique nascenti, qua & adulterari solebat, Plinio teste: *item*, inquit, *sua radice permixta ponderis causa, & gummi, spumaque argenti, aut stibio cyperive cortice.* Optimus codex Rigaltianus legit: *aut stibi ac cypiro, cyperive cortice.* Cujus lectionis vestigia in aliis libris etiam apparent, qui habent: *ac cypero cyperive radice.* Sed verum est *cyperi cypirive radice.* Plinius ubique distinguit *cypirum* & *cyperum*, quasi illud κύπειρον Græcis, hoc κύπερον dicatur. Cum igitur apud alios invenerit nardum adulterari κυπείρου ῥίζᾳ, apud alios κυπέρου. Ita dubitabundus scripsit *cypiri cyperive ra-*

C *dice.* Atqui κύπειρον & κύπερον idem. Illud vetustiorum Græcorum, hoc recentiorum. Totus ille locus Plinii ita legendus ac interpungendus: *Item sua radice, permixta ponderis causa & gummi, spumaque argenti ac stibio, ac cypiri cyperive radice.* Item nardus adulteratur sua radice, ac cypiri, vel cyperi, permixta & gummi ponderis causa & spuma argenti ac stibio. Plinio semper declinatur, *hac gummis.* In glossis Arabicolatinis legitur: *Pistis, genus aromatis.* Ad hanc *pisticam* nardum respexit. Sed legendum *pistice.* Nomen proprium putavit esse cujusdam aromatis, quum ἐπιθετικῶς

D attribui possit omnibus quæ adulterata non sunt. In eodem errore fuit & Nonnus in paraphrasi Joannis, πιστικῆς φαιζομένης νάρδου. Isidorus *pistacia* dicta refert, *quod cortex ejus pomi odorem pistici nardi referat.* Nugæ. Quum *spica Indica* dicta sit hæc nardus ex India, & absolute etiam *spica* & Græcis στάχυς, ut apud Antyllum στάχυϊ, κόστῳ, ἴριδι, maxime mirum mihi videtur *spicam nardi*, & *spicam Indicam* veluti diversas recenseri ab Apicio in Brevi pimentorum. Excerpta ejus auctoris habeo per Vinidarium virum illustrem in antiquis membranis charactere vetustissimo descripta. In iis ita legas. *Brevis pimentorum quæ in domo esse de-*

E *bent, ut condimentis nihil desit.* Hic titulus. Sequuntur pimenta exotica: *Crocum, piper, zingiber, lasarfolium, bacca murrhæ, costum, cariofylum, spica Indica, addena, cardamomum, spica nardi.* Magnopere, inquam, mihi mirandum videtur spicam nardi, & spicam Indicam tanquam diversas censeri. Arabes nardum Indicam, vel spicam nardi Indicæ vocant, *cembul Indi*, quod est *spicam Indicam.* Nullam certe spicam Indicam ex auctoribus aliam novi præter Indicam nardum. Nec puto alios hac quidem in re esse gnariores, quam ego sum. Non minorem mihi incussit admirationem, quod supra notabam, Græcos recentiores inter

F στάχυς & ναρδόσταχυν discrimen facere, hoc est, inter spicam absolute dictam, & nardi Indicæ spicam. Hos nardum Syriacam *spicæ* nomine sic proprie appellatæ video donasse. Cur istud? Suspicor id quod verum est. Inter varias nardi species præter Indicam una etiam fuit, cui *spicæ* nomen proprium factum est à flore spicato, quem præfert. *Spicam* eam hodieque nuncupamus, & *lavendulam.* Ea est *pseudonardus* Plinii, qua & nardum Indicam adulterari solitam testatur. Ubique nasci ait. Profecto hæc nostra spica ubique nascitur. Sunt qui veram esse nardum Celticam opinentur. Quod refellit apud Dioscoridem nardi Celticæ

G descriptio. Nam Celtica nardus Dioscoridis flores profert luteos: spica nostra cærulo & purpura temperatos. Præterea hæc spica, sive lavendula, sive pseudonardus ubique nascitur. Celticam nardum in Istria, & Liguria Alpibus gigni Dioscorides asserit, non ubique. Postremo radicis & cauliculi in Celtica nardo usum tantum esse idem scribit propter odorem. At spicæ nostræ flos & folium præcipue ad odorem expetitur.

titur. Arabes Celticam nardum *tembul Rumi* dicunt, id est, *spicam Romanam*, & *cembul Elkelti* spicam Celticam. Fortassean pseudonardum, sive spicam nostram sic appellaverint. Illud vero non dubii juris est Græcos infimæ ætatis στάχος vocasse eamdem herbam, quam vulgo *spicam* indigetamus, quæ nardi species est, vel potius pseudonardus. Eam pro nardo Indica subjici in compositionibus medicamentorum scribunt: ἀντὶ ναρδοστάχυος στάχος. Certe & nardo Indicæ adulterandæ usum præbuit, teste Plinio. Iidem Græci nardum Syriacam pro hac spica nobis exhibuere. Neophytus: νάρδος Συριακὴ, τὸ στάχος. Hæc est spica, quam à nardi spica discrevit. At nardus Syriaca re vera nulla est. Aut enim Indica ipsa nomen hoc meruit in Syriæ emporia ab Indis delata: aut hoc eodem nomine notata est montana nardus, quæ in vicinia Syriæ Ciliciæ nascebatur, vel etiam in Syria ipsa, si Dioscoridi credimus. Atqui spicam non habet ista, nec spica potest vocari. Non alia igitur Syriaca nardus spicæ nomen sibi vindicare queat præter Indicam, aut pseudonardum hanc, quæ *spica* vulgo dicitur. Nam Celtica alia est, atque eam aperte distinguunt a Syriaca iidem Græci neoterici. Meleager ex antiquis Συρίαν νάρδον σταχυότριχα appellat. Quod aut de Indica intelligendum, aut de hac pseudonardo. Eo poëmate omnes enumerat flores, qui in coronas adderentur. Cilissa nardus adeo brevi folio est, ut vix necti queat. Indicam autem nardum luxus etiam coronis adhibuit, ut Plinius auctor est: *mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur è nardi folio eas dari, aut veste serica versicolori unguentis madida.* Lucanus quoque testatur è nardo corollas plecti solitas, quo nomine luxuriem temporum suorum redarguit:

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

Martialis:

Texta aliis fortasse rosa, vel divite nardo.

Hæc erit igitur Syriaca nardus σταχυόθριξ, hoc est, Indica, quam suæ pancarpiæ corollæ intexuit Meleager. Syriæ tamen indigenam nardum videtur intelligere, utpote qui poëtam oriundo Syrum huic generi nardi comparet. An ergo & pseudonardum sub hoc nomine Syriacæ nardi spicatæ ostendit? Nulla sane potest alia nardus spicata in Syria nasci nisi hæc. Atque hæc plane est quam recentiores Græci στάχος, id est, spicam ἀντωνομαστικῶς dictam perhibent. Dioscorides de Gallica nardo: δύναται δὲ ὅσα καὶ ἡ Συριακὴ, διουρητικωτέρα τε καὶ εὐστομαχωτέρα. Hinc Plinius Gallicum nardum non multum ab Indico differre fatetur, Syriaco tamen levius esse. At Συριακὴ νάρδος Dioscoridi duplex est. Capite quod præcessit Συριακὴν νάρδον pro Indica, & inter genera Indicæ recensuit. Ergo de hac Indica intellexit, quum Celticam nardum nihilo inferiorem esse Syriaca testatur. Inde Plinius habet nardum Gallicum non multum differre ab Indico. At idem Dioscorides capite sequenti nardum montanam in Cilicia & Syria nasci signanter asserit. Hæc est quam θυλακίτιν, & πυρῖτιν, & νῆριν cognominatam supra ostendimus ab effigie sacculi, vel peræ, quam radix ejus repræsentat. Scribonius Largus passim spicam nardo Syriacæ tribuit, ut & Marcellus Empiricus. Multis sane locis apud utrumque *nardi Syriacæ spicæ* fit mentio & *spicæ nardi Indicæ*. Atqui, ut dixi, nulla est spica in Syriaca nardo sic proprie vocata, quæ eadem est cum montana, & Cilissa. Quæ in Syriam ex India deferebatur, spicam habebat, & Syriaca quoque cognominata. Inde utramque confuderunt. Et Syriacæ montanæ spicam dederunt, qua caret, ex Syriaca Indica, quæ eam habet. Nunc aliud docebimus, eam ipsam esse, quam Latinorum vulgus *orci tunicam* ab eadem ratione olim nuncupavit. Tunica qualem gessere Romani sine manicis, ejusdem ferme cum sacco figuræ. *Colobium* appellarunt. Ruffinus colobia, sive tunicas monachorum, quasi saccos lineos esse dicit. Hieronymus tunicas saccineas, & saccos vocat, quibus operiebantur monachi in Ægypto. Ejusmodi itaque radix, quæ sacci habet instar, vel tunicæ, ac sub terra est, eleganter *orci tunica* vulgo est appellitata. Saliuncam hoc nomine vocatam notat Servius ad illa:

Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.

A *Saliunca*, inquit, *herbæ genus, quam orci tunicam vulgo vocant.* Jam igitur ex eo nulla dubitandi occasio potest intercedere, quin *saliunca* veterum Latinorum ipsissima sit montana Græcorum nardus, quæ θυλακίτις ac πηρίτης ab ipsis cognominata est, à Latinorum autem vulgo *orci tunica*. Plinius *nardi montanæ* nusquam meminit, sed eam, ut par est, sub appellatione saliuncæ descripsit. Ex qua descriptione rebus necessariis advincitur saliuncam esse nardum θυλακίτιν: *Atque è septentrionalibus saliunca folio quidem subbrevi, & quod necti non possit radici numerosæ cohæret, herba verius quam flos, densa, veluti manu pressa, breviterque cespes sui ge-*
B *neris. Pannonia hanc gignit & Norici Alpiumque aprica, urbium Eporedia.* Ita legenda ac distinguenda hæc ejus verba è lib. XXI. cap. VII. Comparet hæc aliquis cum descriptione & icone nardi montanæ quæ apud Clusium habetur, & nisi per omnia convenire deprehendat, tum merito ac suo jure neget eamdem esse saliuncam & nardum montanam. Sed non faciet. Nihil enim tam simile, nec quod examussim magis quadret. Dioscorides non in genere erravit, sed in specie, quum Celticam nardum ab Alpinis populis, apud quos nascitur, *saliuncam* vocari dixit. Nec enim nardus Celtica dicta est saliunca, sed montana. Utraque in nar-
C di generibus, utraque in Alpibus nascebatur, & Pannonia. Inde alteram pro altera accepit, quantum ad nomen saliuncæ. Ἡ δὲ Κελτικὴ νάρδος γεννᾶται μὲν ἐν τοῖς κατὰ Λιγυρίαν Ἄλπεσιν ἐπιχωρίως ὠνομασμένη σαλιοῦγκα, γεννᾶται δὲ καὶ ἐν τῇ Ἰστρίᾳ. Non solus tamen Dioscorides hunc errorem erravit, sed omnes etiam vetustiores, ut Scribonius Largus, qui ubique Celticam nardum interpretatur saliuncam, ut cap. CIIII. *Spicæ nardi p.* ж. *Celticæ, id est, saliuncæ* * P. x. Ex quibus etiam apparet veram in Dioscoride lectionem esse σαλιοῦγκαν. Quod autem vetus auctor glossarii *saliuncam* exponit κυνόροδον
D & ἀγριόροδον, atque etiam λευκόροδον, prorsus fallitur. Ex versu Virgilii id hariolatus est, quo puniceis rosis humilem saliuncam in comparatione multum cedere dixit. Hinc *saliuncam* pro rosa agresti, quæ florem album sustinet, accepere, quæ dignitate multum infra rosam puniceam est. Saliuncam vestibus interponi solitam odoris gratia prodit ibidem Plinius verbis, quæ sic corrigenda sunt: *Tanta suavitatis, ut metallum esse cœperit vestibus interponi eam gratissimum, sicut apud Græcos polion herbam, inclutam Musæi & Hesiodi laudibus ad omnia utilem prædicantium.* Polium vestibus inserebatur ut & saliunca. Theophrastus auctor est po-
E lium vestibus interjici ad tineas enecandas. Quæ sequuntur apud Plinium in descriptione polii, tripolio prorsus conveniunt, ut necesse sit Plinium πόλιον & τριπόλιον ex nominum errore confudisse. Id jam alii adnotarunt. Sed non viderunt herbam illam Musæi atque Hesiodi carminibus inclutam τριπόλιον esse, non πόλιον. Et sic fortè corrigendum in Theophrasto lib. IX. Hist. plant. cap. XXI: ἀλλὰ τὰ εὐηθέστερα καὶ ἀπιθανώτερα, τά τε τῶν περιάπτων, καὶ ὅλως τῶν ἀλεξιφαρμάκων λεγομένων τοῖς τε σώμασι, καὶ ταῖς οἰκίαις, καὶ ὥς δή φασι τριπόλιον καθ' Ἡσίοδον, καὶ Μουσαῖον εἰς πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι· διὸ καὶ ὀρύττουσιν αὐτὸ νύκτωρ σκηνὴν πηξάμενοι. Male hactenus
F lectum est in Theophrasti libris: τὸ πολιόν. Certe de polio non potest intelligi. Inter herbas magica potestate præditas, quæ corporibus & domibus amuleta præstant adversus fascinum, Dioscorides τριπόλιον numerat, non πολιόν. Quod & ipsum quidem contra venena & serpentes ingenita vi valet & odoris gravitate, sed magica nulla virtute pollet. Dioscorides, τριπόλιον εἰς τὰ ἀλεξιφάρμακα τέμνεσθαι dicit, & cum catanance & antirrhino, aliisque magicis herbis recenset. At τριπόλιον est, non πολιόν, quod ter in die colores floris sui mutat. Utrumque igitur confudit Pli-
G nius. Quod autem ait idem hanc herbam ab Hesiodo & Musæo ad omnia utilem prædicari, *superque cetera ad famam ac dignitates*, hoc ex Theophrasti verbis aliovorsum acceptis concepit. Dicit ille loco eo quem vertit Plinius, stultum esse credere herbis quibusdam quasi amuletis tum loca tum homines à fascino defendi, quod de tripolio Musæus & Hesiodus tradidere. Parem vero, aut majorem etiam videri simplicitatem, si quis habeat persuasum herbas esse, quæ ad famam ac digni-

A tatem comparandam faciant aliquid, ut de antirrhino à nonnullis proditum est. Καὶ τὰ περὶ τῆς εὐκλείας ἢ καὶ εὐδοξίας ὁμοίως καὶ μᾶλλον. Hoc ad præcedentia de tripolio retulit Plinius, quum ad sequentia pertineat de antirrhizo vel antirrhino: εὔκλειαν γὰρ φασὶν ἀεὶ ποιεῖν τὸ ἀντίῤῥιζον καλούμενον. Dioscoridi dicitur ἀντίῤῥινον, qui & gratiosos evadere dicit, si qui eo unguntur. Τοῦτο ἀντιπαθὲς εἶναι φαρμάκοις περιαπτόμενον, ἐπίχαρίν τε ποιεῖν ἀλειφόμενον σὺν ἐλαίῳ κρινίνῳ. Theophrastus eo unctos claritatem nominis consequi scribit: ὁ δὲ καρπὸς ὥσπερ μόσχου ῥῖνας ἔχει, τοῦτο δ' ἀπὸ τούτου ἀλειφόμενον εὐδοξεῖν. Inde nomen habuit ἀντίῤῥις, vel ἀντίῤῥινον. Hesychius: ἀντίῤῥινον, ἀντίῤῥις, οἱ δὲ βοτάνης εἶδος. Male apud eum

B legitur, ἀντίῤῥινον, ἀντιῤῥίζιον. At ἀντίῤῥις sic dicitur ἀπὸ τῆς ῥινὸς, ut εὔελις. Quod vituli nares adsimilet, ita vocata est. Plinius etiam alio loco hanc antirrhini virtutem polio vindicat, quod pro tripolio accepit, & Musæum iterum Hesiodumque hujus sententiæ auctores facit lib. XXI. cap. XX. *Polio Musæus & Hesiodus perungi jubent dignationis gloriæque avidos.* Non polio perungi jubent illi gloriæ & famæ avidos, sed antirrhino quidam juxta Theophrastum. Fontem erroris ostendimus. Sequentia apud Plinium de veri polii remediis ex Dioscoride sumpta sunt, & sic le-

C genda: *polium tractari coli: polium contra serpentes substerni, suffiri, potari in vino, decoqui recens vel aridum, inlinique. Vel spleniticis propinant in aceto.* Hæc vulgo male sana habentur, quæ pro remediis ponuntur. Scriptum est in optimo Thuanæo: *substernit turi, portari in vino.* Unde nos fecimus: *substerni, suffiri, potari in vino.* Dioscorides de polio: ὑποστρωννύμενον καὶ θυμιώμενον θηρία διώκει. Per hæc omnia manifestum est Plinio τριπόλιον & πολιὸν eamdem herbam esse, magno errore. Sed in loco Theophrasti πολιὸν videtur ille legisse, quod esse debet τριπόλιον, suspicor & verum est diversas herbas eodem nomine vocitatas esse, mutato tan-

D tum accentu. Πολιὸν cum accentu in ultima idem quod incanum, & nomen est herbæ sic appellatæ quod canitiei similem habeat capillaturam. At πόλιον, quando prima acuitur, herbam significat, quæ vocata est ἀπὸ τοῦ πολεῖν, à versando, quod scilicet floris colorem in die sæpius mutet: nam πόλος est orbis, & πολεῖν versare. Aliqui eam τριπόλιον etiam dixere, quod ter colorem mutet. Sic τρίπολος γῆ tertio arata. Hæc nominum similitudo, vel ὠὐτότης potius Plinium fefellit. Ast polium, quod vestimentis interjicitur sicut saliunca est πολιὸν, non τριπόλιον, nec colores mutat. *Bac-*

E *car* etiam quod nardi silvestris nomine quidam donavere, vestibus inserebatur ad odorem conciliandum. Plinius lib. XXI. cap. XIX. *Conditur cum diapasmate. Vestibus odoris gratia inseritur.* Hæc de baccare dicuntur, quæ tamen mihi male olent propter vitii virus. Portentum est in scriptis codicibus qui legunt: *tunditur cum diligentia paemata.* Ita Thuanæus omnium vetustissimus. In Rigaltiano: *tunditur cum diaprasmata.* Verum est quod elicio ex antiquiore scriptura: *tunditur utiliter ad diapasmata.* Dioscorides de baccare: καὶ εἰς διαπάσματα χρήσιμος ἱκανὴν ἔχουσα τὴν εὐωδίαν. Tusis autem & in pulverem redactis

F siccis aromatibus fiebant diapasmata. Quoniam nardi genera ac differentias heîc tractamus, quid melius quam per saturam hæc persequi, & Plinium emendare, propter quem sumptus hic omnis exercitationum labor. Lib. XXI. cap. VI reprehendit illos, qui baccar rusticum nardum appellavere. Esse enim aliam herbam sic cognominatam, quam Græci vocant ἄσαρον. At Græci recentiores ἄσαρον & βάκκαρ confundunt. Neophytus & auctuarium Dioscoridis: Ἄσαρον, οἱ δὲ νάρδος ἀγρία, Ῥωμαῖοι περίτεοσαν, οἱ δὲ βάκκαρ. Ita libri veteres. Sed legi debet Ῥωμαῖοι περπερέσαν. Quidam ex Romanis ita baccar appellarunt.

G Plinius cap. XIX libro quo supra: *Baccar in medicinæ usu aliqui ex nostris perpressam vocant.* Sic libri meliores, non, ut vulgo est, *perpensam.* Atqui *perpressa* videtur potius cognomen fuisse nardi montanæ, sive saliuncæ, quam Plinius idem folio densam esse ait tanquam si manu pressa esset. Hoc significat *perpressa.* Hinc apparet nardum montanam & silvestrem eamdem fecisse quosdam, qui proinde baccari, quod habuere pro silvestri nardo, montanæ nardi cognomen attribuerunt. Plinius de baccare: *Baccar quoque radicis tantum odorata est, à quibusdam nardum rusticum appellatum. Unguenta ex ea radice fieri solita apud antiquos, Aristophanes priscæ comœdiæ poëta testis est. Unde quidam errore falso barbaricam eam appellabant.* Hæc plus quam barbarica, nec enim ea intelligo. Quis enim meminit baccaris radicem appellatam barbaricam? Nec video rationem hujus appellationis. Omnino legendum autumo: *unde quidam errore falso baccarida ea appellabant.* Unguenta ex baccaris radice fiebant apud Græcos antiquos, ut Aristophanes testis est. Inde quidam ex Græcis unguenta appellarunt βακκάριδας, errore falso. Certè βάκκαριν pro unguento multi usurparunt. Magnes in Lydis comœdia:

> Λούσαντα χρὴ καὶ βακκάριδι κεχρημένον.

Scholiastes Æschyli in Persis: καὶ τὴν βακκάριδα ἔνιοι μύρον Λυδῶν ἔφασαν. Hesychius: βάκκαρις, μύρον Λύδιον. Apparet quosdam βάκκαριν pro omni unguento usurpasse. Quos errare dicit Plinius. Athenæus quoque aliquot prolatis testibus ostendit aliud esse μύρον, aliud βάκκαριν. Nam auctores esse, qui distinguant. Καὶ μήποτε, inquit, οὐκ ἔστι μύρον ἡ βάκκαρις. Et numquid baccar unguentum non est? Æschylus ea sic sejungit:

> Κἀγώγε τὰς σὰς βακκάρεις τε καὶ μύρα.

Item Simonides:

> Κηλειφόμην μύροισι, καὶ θυώμασι,
> Καὶ βακκάρει.

Aristophanem quoque citat ex Θεσμοφοριαζούσαις, qui ea discriminat:

> Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ' οἷον ἐπνευσεν ὁ μιαρὸς
> Φασκώλιος εὐθὺς λυόμενός μοι τοῦ μύρου,
> Καὶ βακκάριδος.

Hæc sunt Aristophanis, quæ Plinius designavit, dum eum testem advocat. Athenæus βάκκαριν non esse unguentum, quia auctores ab unguento separant, videtur existimasse. At Plinius non omne unguentum sic appellari debere, ut quidam fecerunt, asserit, sed certum genus, quod ex baccaris radice fieret. Hesychius: Βάκκαρις, μύρον ποιὸν ἀπὸ βοτάνης ὁμωνύμου. Ceterum βάκκαριν pro unguento, quod ex herbæ cognominis radice fieret, usurpari non magis mirum quam νάρδον vocari unguentum nardinum, κύπρον cyprinum, *crinum* pro crinino & similia. Sequitur apud Plinium: *simillimum ei combretum appellatur foliorum exilitate usque in folia adtenuata & procerius quam baccar. Nec hæc sunt tantum, sed eorum quoque corrigendus est error, qui baccar rusticum nardum appellavere.* In optimis exemplaribus hæc ita concipiuntur: *& procerius quam baccar. Hæc sunt tantum. Eorum quoque error regendus.* Legas licet, & corrigas meo periculo: *& procerius quam baccar, nexui tantum.* Dicit combretum nexui tantum esse, id est, ad corollas necti. Sic *vestis amictui, indutui, linteum extersui,* & similia. De saliunca dixit: *folio subbrevi, & quod necti non queat.* Coronarum aliæ nectuntur, aliæ suuntur. Quæ folia vel flores proceriore surculo sunt, ea nectuntur invicem: quæ vero nimis brevem habent, funiculis inter se juncta suuntur. Unde *sutilium corollarum* nomen. At combretum propter exilitatem folii in fila pæne attenuati sui non potest: ideo tantum nectebatur. Idem Plinius libro eodem cap. I de floribus: *sive alterni atque multiplices inter se nectantur: sive pro brevitate generis funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum quadam corona per coronas currunt.* Male vulgo edunt: *sive privatis generum.* At in vetustissimo exaratum est codice Thuanæo: *sive privati generis.* Quod corruptum fuit, pro *brevitate generis.* Combretum autem, quod est simillimum baccari, libri aliquando *cobretum* vocant. Inde Galli suum fecerunt *cabaretum*, quod esse asarum volunt quidam herbarii. Sic ex *caltula* Latinorum suam depravarunt *calentulam* officinæ. Asaron Plinius, quod est nardi silvestris genus, ita vocitatum quibusdam placere ait, quod in coronas non adderetur. Nimirum, quasi ἀσειρον, vel ἄσερον dictum illi putarunt, quod vinctum in sertis & corollis non haberetur. Sic ἄσπειρος ἵππος, solutus. Ineptiunt qui ἀπὸ τοῦ σαίρω, quod est scopa, interpretantur etymi, quod illis placuit

placuit, rationem deductam. De asaro insignite depravata in eodem Plinio verba heic lubet emendare lib. XII. cap. XIII. *Est autem hederæ foliis rotundioribus tantum mollioribusque, flore purpureo, radice Gallici nardi, semen acinosum.* Hæc è Dioscoride sumpta. Sed nusquam ille meminit radicem asari similem esse radici Gallici nardi. Nihil tamen mutant libri, in hoc tantum varii, quod *simile* legunt pro *semen*. Rescribo ego verissima conjectura: *flore purpureo radici alligato, alterci simili, acinoso.* Dioscorides: ἄνθη μεταξὺ τῶν φύλλων πρὸς τῇ ῥίζῃ, πορφυρᾶ, ὀδώδη ὑοσκυάμῳ ἐμφερῆ, ἐφ' ᾧ τὸ σπέρμα ἐοικὸς γιγάρτῳ. *Altercus* Latinis ὑοσκύαμος, quasi *altericus*, quod mentem alteret, & alienet, μανιοποιός. De saliunca minime dubium potest esse, quin Latini nardum montanum ita appellarint. Signa omnia conveniunt: præcipue radix sacculo, vel tunicæ similis, tuberosa numerosaque, utpote quæ quotannis se propaget aliis adnatis. Præterea saliunca vomitiones sistit, stomachum corroborat, omnibus iisdem virtutibus in nardo montana existentibus, quæ δύσομαχος est, & cohibet stomachi πνευματώσεις teste Dioscoride. Plinius de Gallico nardo scribit: *siccatur in umbra, alligatur fasciculis in charta.* Non perpendit mentem verborum Dioscoridis, nec eam recte expressit. Charta quidem mercibus plerisque involucrum præstabat præcipue emporeutica dicta, sed non hic sensus Dioscoridis in his verbis: ὅθεν δεῖ πρὸ μιᾶς ἡμέρας καταβρέχοντας ὕδατι τὰς δεσμὰς· καὶ χωρίζοντας τὸ γεῶδες τιθέναι ἐπ' ἐδάφους, νοτεραῖς πεπτωκείμενον χάρτης. Non in charta alligantur nardi fasciculi, sed aqua inspersi, ut si quid terrenum inhæserit decutiatur: in solo ponuntur, substrata humidis adhuc charta. Idem etiam perperam divinavit hirculum herbam semper cum nardo Gallico nasci, quia dixit Dioscorides id nardi genus adulterari, συναπτιλλομένης αὐτῇ πόας ἐμφερῆς, ἣν διὰ τὸ περὶ τὴν ὀσμὴν βρωμῶδες τράγον καλοῦσι. Qui nardum adulterabant, una cum eo evellebant, miscebantque simul aliam herbam similem, quæ dicebatur hirculus ab odoris gravitate. Quod eodem tempore evelleretur, non id significat semper eam cum nardo nasci, ut Plinius hariolatus est. Ex his omnibus nardi generibus nulla alia spicata Syriæ natali solo convenire potest præter pseudonardum, quam & *spicam* κατ' ἀντονομασίαν appellamus, infima quoque Græcia στάχυς. In verbis Apicii, quæ spicam Indicam à nardi spica distinguunt, forte corrigi deberet, *spica nardica* pro Indica, ὁ ναρδοειδὴς στάχυς, ut de hac eadem pseudonardo intelligatur. Aut certe reponendum: *spica Celtica*, ut de nardo audiatur. Alterutrum necessarium est, nisi alia via adgrediamur. Forte *spicam Indicam* dixit de nardo Indica, quæ absolute στάχυς, id est, spica dicta est quibusdam, aliis στάχυς Ἰνδικός. At *nardi spicam* de Celtica usurparit, quæ & ipsa quoque absolute vocata est στάχυς, quam hodieque spicam plerique nuncupant. Certe in ea sententia quidam Græcorum recentiorum fuere, in quorum Lexicis Iatricis invenio: νάρδου στάχυν ἤτοι νάρδον Κελτικήν. Iidem Νάρδον Ἰνδικὴν interpretantur τὸ μαλάβαθρον. Alias spica nardi, hoc est, ναρδόσταχυς quin eadem sit cum spica Indica, nemo mihi possit eripere. Illud etiam me commovit in plerisque compositionibus apud parvi Dynameri auctorem, ναρδόσταχυν, & νάρδον poni tanquam species diversas. Ut in compositione simplici ὀδώδους, φύλλου Ἰνδικοῦ γο β', ναρδοστάχυος γο δ', νάρδου γο δ'. Item in compositione ὀδώδους τοῦ μεγάλου ναρδοστάχυος λίτρας δ', νάρδου λίτρας ε'. An per νάρδον intellexere radicem ipsam, per ναρδόσταχυν spicam nardi? Vix putem id verum. Certe aliæ nardi sine adjuncto loci ubi nascuntur non solent nominari. Nam Celtica nardus aut Syriaca, aut Cretica dicitur. Sola Indica κατ' ἐξοχὴν meruit appellari nardus ob excellentiam. Nicolaus Myrepsus in compositione ἐρυθρᾶς & in aliis σκευασίαις νάρδου στάχυν & νάρδον seorsim memorat, quæ tamen in eamdem ingrediantur compositionem. Sed νάρδου nomine intelligit nardinum oleum. Quod alibi passim observare licet. Sic in Græco epigrammate vetustissimi auctoris.

Νάρδον ὑπὸ γλαυκῆς κλειομένην ὑέλου.

Nardinum unguentum intelligit. Ut *nardus* pro nardino unguento, sic *crocum* pro crocino: *crinon* pro unguento ex lilio œnanthe, vel οἰνανθάριον pro œnanthino.

A *Folium* autem quando absolute sic appellatur, licet plerique veterum de nardi folio acceperint, malabathrum est. Similitudo odoris in utroque fecit ut non secernerentur. Dioscorides: Μαλάβαθρον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τῆς Ἰνδικῆς νάρδου φύλλον, παραλογιζόμενοι ὑπὸ τῆς κατὰ τὴν ὀσμὴν ἐμφερείας. Hinc pro nardo folium substitutivum ponitur in ἀντιμβαλλομένοις medicorum, ἀντὶ φύλλων στάχυς. Et alio loco: ἀντὶ μαλαβάθρου κασίαν ἢ νάρδον Ἰνδικήν. Hinc illa in compositionibus Myrepsicis parvi Dynameri: φύλλων ἢ ἀντὶ τοῦ στάχυος λίτρας δ'. In compositione nardini. Item & in compositione cyphei: ναρδοστάχυος γο α' ἀντὶ φύλλων στάχυς γο γ'. In composi-
B tione rubri xerii: φύλλου ἢ στάχυς γο β' στάχυς γο α'. Garcias ab Horto negat malabathrum *folium* per excellentiam veteribus appellatum fuisse, sed Avisenam solum ita vocare. Oportet parum versatum esse in scriptis qua Græcorum qua Latinorum, qui sic pronuntiet. Mitto recentium Myrepsorum ac medicorum scripta, qui φύλλον passim nominant κατ' ἐξοχήν, veteres in ea loquutione frequentiores: Nec enim aliter vocant. Plutarchus in tractatu, *an bruta ratione utantur*: τἆλλα οὐκ ἐνοχλεῖ καθάπερ ὑμῖν, τὰ θυμιάματα, καὶ κιννάμωνα, καὶ νάρδους, καὶ φύλλα, καὶ καλάμους Ἀραβικούς. Ubi φύλλων nomine intelligit malabathrum. Ovidius
C de Tristibus:

Ossaque cum foliis & amomi pulvere conde.

Folia ibi τὰ τοῦ μαλαβάθρου φύλλα. *Amomi pulverem* ibi vocat, quod Plinio dicitur *amomum friatum.* Cui aliud pretium poni significat, aliud uvæ amomi, quæ amomum est integrum, non dissolutum, nec friatum in pulverem: *pretium uvæ in libras denarii sexaginta: friato vero amomo denarii XLIIX*, id est, quadraginta octo. Idem Ovidius de phœnice:

Et thuris lacrimis & succo vivit amomi.

Atqui nullus est amomi succus. Nisi quis dicat poëtam eorum opinioni accedere, qui amomum putarunt esse
D uvam labruscæ Indicæ. Sed legendum: *& sicco vivit amomo.* Uva amomi nihil aliud est, quam fruticis ipsius surculi inter se implexi in figuram uvæ. Hæc sicca friabilis & protinus fragilis. Non solutum amomum & in uvæ figura remanens carius vendebatur. Etenim dissolutum & friatum magis erat fraudi obnoxium. Ἄμωμος βοτρυΐτης dicitur Nicolao Myrepso in confectione hedychri: κινναμώμου, ἀμώμου βοτρυΐτιδος. Male Fuchsius disparavit ac reddidit: *amomi, botryos.* Item in theriaces Andromachi compositione: σύρακος, μέου, ἀμώμου βοτρυΐτιδος, νάρδου Κελτικῆς. Idem etiam interpres vertit: *amomi, botryos.* Apud Aëtium legitur
E ἀμώμου βότρυος, id est, *uvæ amomi.* Atque hæc hactenus. Vide supra de amomo. In Brevi condimentorum in Apicii excerptis: *Crocum, piper, zingiber, folium.* Ubi *folium* est malabathrum. Auctor carminis de phœnice:

Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
Congerit, & mixto balsama cum folio.

Lege:

---- *uvamque procul spirantis amomi.*

Quomodo enim *auram amomi* congereret ad bustum suum faciendum phœnix? Ita corruperunt, qui *uvam amomi* nesciebant. Marcellus in aromaticorum specie-
F rum enumeratione:

Thus, costum, folium, myrrham, styracem, crocomagma.

Idem tamen paulo post *malabathrum* recenset, tanquam aliud:

Scammoniam, cyperon, malabathron, ammoniacum.

Hoc profecto mirandum, cum ceteri omnes Græci Latinique folium & malabathrum idem censeant. Alii cum adjecto φύλλον μαλαβάθρου nominant, ut Didymus in Geoponicis: φύλλου μαλαβάθρου σφαιρία πέντε. Item lib. XX: μαλαβάθρου φύλλου σφαιρίον α'. Aëtius: Μαλα-
G βάθρου φύλλον παραπλήσιον ἐστὶ τὴν δύναμιν ναρδοστάχυϊ. Oribasius apud eumdem: Μαλαβάθρου φύλλον κάλλιστον ἐστὶ τὸ περίσφατον. Recentioris Græciæ Medici ac Myrepsi interdum φύλλον appellant absolute, interdum φύλλον Ἰνδικόν. Glossæ Iatricæ nondum editæ: Μαλάβαθρον φύλλον Ἰνδικόν. Et passim φύλλων Ἰνδικῶν & φύλλου Ἰνδικοῦ mentio occurrit apud auctores parvi ac magni Dynameri. Hinc Arabes *sadegi Indi* vocant τὸ μαλάβαθρον, quod

quod ſonat, *folium Indicum*. Verum heîc rurſus dubitandi materia ſuppeditat ab auctore parvi Dynameſi, qui in compoſitione hedychroi clare φύλλα Ἰνδικὰ diſtinguit à foliis malabathri. Verba ejus hæc ſunt: φύλλων Ἰνδικῶν Γο γ', φύλλων μαλαβάθρου γο ς', ναρδοστάχυος γο ς'. Putaret aliquis vitio locum non vacare, & ſic corrigendum eſſe: φύλλων Ἰνδικῶν, ἤτοι φύλλων μαλαβάθρου γο ς'. Nihil tamen temere mutandum. Indi hodieque hoc folium nuncupant *tamalapatra*. Unde Græcis μαλάβαθρον. Nec enim credendum quod vir doctus rebatur accepiſſe à Græcis Indos vocem illam τὰ μαλάβαθρα. Sic ex Indica voce *pimpilim* Græci πέπερι fecerunt, non contra. Ex *zengebil* zingiber & ſimilia. Duo genera foliorum aromaticorum apud Indos hodie in uſu ſunt promiſcuo, facie pæne ſimili, ac pari facultate prædita. Folium *betre*, quod & *tembul* dicitur. Et folium malabathri, quod & *folium Indum* appellatur. Medici Arabes de his duobus foliis ſeorſim tractavere. Garcias betre folium ſimile fere mali medicæ folio eſſe tradit, idemque de folio Indo, ſive malabathro narrat. Eædem etiam fermè ſunt utriuſque facultates. Omnino tamen diverſæ plantæ, quæ utrumque folium ferunt. Notandum eſt in primis, quod nemini adhuc obſervatum memini, quæcunque veteres de malabathro ſcripſere, *betre* folio potius convenire quam *Indo folio*. Malabathri folia olim in pilulas convoluta venum ibant, & hac forma in Europam adferebantur. Inde apud Didymum: φύλλου μαλαβάθρου σφαιρία πέντε. Et alibi: φύλλου μαλαβάθρου σφαιρίον ἕν. Marcellus Empiricus cap. XXVI *folii ſertulam* vocat ſive *ſphæram* & de hoc folio intelligit: *Folii ſertulam, id eſt coronam, ſive ſphæram unam.* In Græcis fuit, φύλλου σφαίριον ἕν. Quod ipſe perperam coronam interpretatur vel ſertulam, quum ſit ſphæra. Plinius, qui folium nardi putavit eſſe, cum ſit malabathri: *Folii diviſere annonam: ab amplitudine hadroſphærum vocatur, majoribus pilulis.* Sic legendus ille locus. Nam male in editis habetur: *folia diviſere annonam.* Et mox: *majoribus foliis.* Reperi ſcriptum in Rigaltiano: *majoribus populis.* Vitioſa ſcriptura *populis* pro *pipulis.* Atque ita plane in veteri codice Palatino reperi ſcriptum. Ea rurſus pro *pirulis*, vel *pilulis.* Hi enim gradus ſunt corruptelæ. Gloſſæ: *pipula*, κηκὶς pro *pilula.* Nec aliter tamen ſcripſiſſe eum auctorem series literarum probat. *Folium hadroſphærum*, quod majoribus eſt pilulis. *Folii annonam diviſere*, mercatores ſcilicet, dum aliud pretium faciunt folio hadroſphæro, aliud meſoſphæro, aliud microſphæro. Perperam igitur in vulgatis editum: *folia annonam diviſere.* Non plura folia in unam pilulam ſolebant conglobari, ſed ex ſingulis foliis complicatis ſingulæ ſphæræ fiebant. Sequitur: *quod minore folio eſt, meſoſphærum appellatur.* Ex majore folio major pilula fiebat, idque folium ἁδρόσφαιρον vocabatur: ex minore τὸ μεσόσφαιρον. Auctor peripli maris erythræi de malabathro: γίνεται δὲ γένη τρία, ἐκ μὲν τοῦ μείζονος φύλλου, τὸ ἁδρόσφαιρον μαλάβαθρον λεγόμενον, ἐκ δὲ τοῦ ὑποδεεστέρου τὸ μεσόσφαιρον, ἐκ δὲ τοῦ μικροτέρου τὸ μικρόσφαιρον. Eadem habet Plinius de folio nardi, quod confundit cum malabathro. Addit peripli auctor: ἔνθεν τὰ τρία μέρη τοῦ μαλαβάθρου γίνεται, καὶ τότε φέρεται εἰς τὴν Ἰνδικὴν ὑπὸ τῶν κατεργαζομένων αὐτά. *Sic tria fiunt genera malabathri, ac tum deferuntur in Indiam ab illis, qui ea præparant & conficiunt.* Nota, κατεργάζεσθαι, eo verbo uſus & Theophraſtus in laſerpitio, quod præparabatur, ut ad extera poſſet exportari: κατεργάζονται δὲ ἄγοντες εἰς τὰ πειραιᾶ, τὸν δὲ τὸν τρόπον: *hoc modo præparant & conficiunt.* Plinius *ad maturitatem perducere* illud κατεργάζεσθαι reddidit. Prorſum ridicule. Sed de his ſupra. Folium betre hodie eodem pæne modo præparatur ab Indis. Quia id folium venas habet & fibras per longitudinem excurrentes, eas ungue acuto præſecant & eximunt, deinde admixto calcis modico quam è teſtis oſtreorum crematis confectam habent, & areca confracta permixta folium betre complicant & involvunt, atque ita in os miſſum mandunt. Eadem methodo præparata folia abeuntibus amicis ſolent dare, nec quemquam facile dimittere à ſe dicuntur, niſi hoc munere honoris gratia donatum. Malabathri folia ſimiliter complicata demptis prius nervis ac fibris ex India ſolebant olim advehi. Auctor peripli: οἱ δὲ καρφοδοκοῦντες τότε παραγίνονται εἰς τοὺς τόπους, καὶ συλλέξουσι τὰ ἐκείνων ὑποστρώματα, καὶ ἐξινιάσαντες καλάμους τοὺς λεγομένους πέτρους ἐπὶ λεπτὸν ἐπιδιπλώσαντες τὰ φύλλα καὶ σφαιροειδῆ ποιοῦντες, διείρουσι ταῖς ἀπὸ τῶν καλάμων ἶναις. Ita ſcribenda illa verba, quæ interpres vir alias doctus male intellexit, ut perverſe legit. Editum eſt vulgo: διαίρουσι ταῖς ἀπὸ τῶν καλάμων ἶναις. Immo διείρουσι. Ubi folia illa in pilulam voluta complicarunt, fibris calamorum trajiciunt, ut ſic in pilula hæreant. Hoc ſignificat διείρειν. Sic in veteribus excerptis: Σαπέρδαι ἢ αἱ ἀφύαι καλάμοις διειρμέναι: *transfixæ.* Apud Zoſimum, μαργαρίτην τελείως διείρας. Ubi male ſcriptum in libris διαίρας. Et in proverbio veteri apud Zenobium, τραχῆλον λίνῳ διείρειν. Male eſt διείργειν. Hinc διερσις, *transfixio.* Et μάχη ἐκ διέρσεως apud Polybium, quæ punctim ferit. Perperam editur διαιρέσεως lib. XVII de Romanis: τῇ μαχαίρᾳ δ' ἐκ καταφορᾶς καὶ διέρσεως ποιεῖσθαι τὴν μάχην. Punctim & cæſim. Alias ἡ ἐκ διάρσεως μάχη eadem cum ἐκ καταφορᾶς. Nam διάρσις dicitur, quum brachium in diverſum panditur & attollitur ad ictum cæſim inferendum: καταφορὰ vero quum ex alto defertur enſis. At διέρσις eſt transfixio. Vegetius *punctam* vocat, id eſt, punctionem. Διάληψιν etiam Polybius appellat, quam alibi opponit τῇ καταφορᾷ. Legendum igitur apud Dioſcoridem, ubi de malabathro loquitur: ὅπερ συλλέγοντες διείρουσι λίνῳ, pro διαπείρουσι. Sic idem alibi de radicibus iridis: ἃς χρὴ μετὰ τὴν τομὴν ξηραίνοντα ἐν σκιᾷ, καὶ διείραντα λίνῳ, ἀποτίθεσθαι. Iſidorus de eodem malabathro: *Folium dictum quod ſine ulla radice innatans in India littoribus colligitur, quod lino perforatum ſiccant Indi atque reponunt.* Legiſſe videtur apud Dioſcoridem, ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς τέρμασι. Ubi ſcribitur vulgo, ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς τέλμασι. Nam vertit, *in India littoribus.* Sed verum, τέλμασι. *Folium* vocat Romanorum more, quod Græcis μαλάβαθρον. Auctor peripli non lino perforari ac trajici pilulas illas, quæ ex malabathri foliis concinnabantur, ſed ipſis nervis, ſive fibris calamorum, ſive virgarum malabathri. Καλάμους enim vocat virgas ipſas ac ſurculos, quibus hærebant folia. Atqui ex ipſis foliis fibras illas, ſive nervos deſciant. Hoc ille vocat ἐξινιάζειν, hoc eſt, ἶνας extrahere. Quod verbum eodem ſenſu apud Athenæum occurrit lib. IX: ἐγκέφαλοι ὀρνίθων τε καὶ χοίρων σφόδρα ἐξινιασθέντες: *cerebella avium ac porculorum lactentia probe ab inis, ac fibris ſuis repurgata.* Nam Latini etiam *inas* dixere. Calamos, ſive virgulas malabathri πέτρους vocari ait auctor: καλάμους τοὺς λεγομένους πέτρους. Hodie quoque appellant *betre.* Hinc luce clarius conſtat malabathrum veterum eſſe folium *betre.* Præter plures alias notas etiam nomen convenit. Perperam etiam in verbis ſupra citatis editiones legunt: οἱ δὲ ταῦτα δοκοῦντες. Recte nobis emendatum: οἱ δὲ καρφοδοκοῦντες. Narrat quomodo malabathrum in Indiam veniat, & ex India deinde in alia loca deferatur. Ex interiori regione populos quoſdam refert quotannis ad confinia Sinarum venire cum liberis & uxoribus, tegetibus vel ſirpeis onuſtos, quæ foliis refertæ ſunt vitium folia referentibus. Eas ſirpeas ſibi ſubſternere, dum in illis locis agunt. Ibi enim pluſculos dies morari, ut ex vicinia rapiant, quodcunque poſſunt, deinde ad ſuas ſedes reverti: tum eorum diſceſſu obſervato Sinenſes ad ea loca accedere, & ſtrata quæ reliquerunt illi, colligere, & malabathri folia in iiſdem reperta eo modo, quo diximus, præparare. Hic ſenſus illius auctoris. Nunc verba excutienda, quæ non perinde recte ſe habent in editionibus: κατ' ἔτος δὲ παραγίνεται ἐπὶ τὴν συνορίαν τῆς Θίνας ἔθνος τι. Ita ſcribendum, non Θινός. Θίνα eſt *Sina.* Alii Σίνας vocant. Sequitur: τοῖς μὲν σώμασι κολοβοὶ καὶ σφόδρα πλατυπρόσωποι, σιμοί, εἰς τέλος τε αὐτοὺς λέγεσθαι Σησάτας. Lege: καὶ σφόδρα πλατυπρόσωποι, σιμοὶ εἰς τέλος, αὐτοὺς λέγεσθαι Σησάτας. Eleganter σιμοὺς εἰς τέλος vocat, *ad perfectum, ad plenum naribus depreſſis*, τελείως σιμούς. Habes deinde: αὐτοὺς λέγεσθαι Σησάτας παρομοίους ἡμέροις, παραγίνονται σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις. Diſtinguendum ac legendum: λέγεσθαι Σησάτας, παρομοίους ἀνημέροις: παραγίνονται σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις: *feris & agreſtibus ſimiles.* Hi ſunt omnino qui Βησάδαι dicuntur Ptolemæo in India extra Gangem:

Gangem: μεθ' ἃς ὑπὲρ τὸ Μαιάνδρον Πλάδαι, καλοῦσι δὲ οὕτως τοὺς Βησάδας: εἰσὶ γὰρ κολοβοὶ, καὶ πλατεῖς, καὶ δασεῖς, καὶ πλατυπρόσωποι: λευκοὶ μέντοι τὰς χροὰς, ὑπὲρ δὲ τὴν Κιῤῥαδίαν ἐν ᾗ φασὶ γίνεσθαι τὸ κάλλιστον μαλάβαθρον. Aut Ptolemæus igitur ex peripli auctore, aut hic ex illo corrigendus in nomine hujus gentis. Sequitur in periplo: παραγίνονται σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, βαστάζοντες φορτία μεγάλα περπόνας ὡμαμπελίνων παραπλήσια. Hæc corruptissima sic fortassean restituenda: βαστάζοντες φορτία μεγάλα ἐν ταρπόναις, ὠμαμπελίνων παραπλήσια. Nihil verius. ταρπόναι sunt quæ aliis τάρπαι, sirpeæ, vel tegetes. Hesychius σαργάνας interpretatur & κοφίνους. Τάρπη, inquit, Συρακούσιοι κόφινον, τινὲς δὲ σορόν. Sic legendum in Hesychio. Alii δάρπην vocabant quod idem exponit σαργάνην. Δάρπη, σαργάνη, κόφινος. At σαργάναι apud eumdem sunt δεσμοὶ, πλέγματα ψιαθώδη, φορμία ἀχυραγωγά. Ea voce usus Procopius, ne quis nimis antiquam aut γλωσσηματώδη existimet. Auctor peripli ταρπόνας dixit quæ aliis τάρπαι. Sirpeis illis foliorum malabathri plenis utebantur stratorum vice Sesatæ populi. Ὠμαμπελίνων παραπλήσια facit. Ὠμαμπέλινα folia sunt vitium adhuc viridia. Ξηραμπέλινα sicca jam & arida, unde *xerampelinus color*. Folia betre convolvuli foliis haud dissimilia esse neoterici scribunt, quæ non multum vitigineis differunt. Ceterum fabulosa sunt ac falsa quæ de ratione colligendi malabathri tradit auctor peripli. Longe magis fabulis proxima ejus folii historia, qualis à Dioscoride narratur & à Plinio. Non magis videntur veram hujus folii notitiam accepisse veteres quam piperis, qui tria ejus genera in eadem arbore nasci credidere: quam zingiberis, qui radicem esse arboris piper ferentis persuasum habuere: quam denique serici, quod arborum esse lanuginem tradiderunt. Illud tamen certissimum, malabathri folia, quæ veteribus cognita sunt, non alia fuisse, quam *betre* folia. In omnibus Indiæ regionibus maritimis nasciur betre, nec facile in remotis à mari locis provenit. Ea re caro venit in continenti ac interioribus Indiæ. Originem inde sumpsit illa opinio, quæ tradit malabathrum in palustribus Indiæ crescere. Isidorus *in littoribus Indiæ* nasci scribit. *Betre* non suismet ipsius viribus nititur ac surgit, sed adsitis arboribus sese adplicat, & circumvolvit, à quibus sustentatur. Quæ res materiam videtur præbuisse veteribus tradendi folium malabathri aquis innatare sine ulla radice. Ex eo sane fonte fluxit hæc fabula. Indi hodie betre folium assidue mandunt ad oris suavitatem & bonum halitus odorem. Dioscorides de malabathro linguæ subjectum ait odorem commendare oris: ὑποτίθεται δὲ τῇ γλώσσῃ πρὸς εὐωδίαν στόματος. Betre folio stomachum corroborari convenit inter Indos suos, Arabibus medicis concinentibus. Dioscorides malabathro inesse δύναμιν εὐστομαχωτέραν prodit, id est, stomachi vim corroboratricem. Folium betre similiter hoc tempore apud Indos complicatur & in pilulam convolvitur, ut malabathrum olim complicatum, convolutumque ex iisdem locis adferebatur. At *folium Indicum* in fasciculos collectum colligatumque advehitur. Nec putandum est Arabum medicorum ævo, & Græcorum recentiorum, quibus cognitum fuit, alio quam hoc modo solitum importari. *Folium* vero quod ita ἀντονομαστικῶς Latinis præcipue dicebatur, Græcis autem vetustioribus μαλάβαθρον, aut μαλαβάθρου φύλλον, plane est, ut dixi, *betre folium*. Nam *folium Indicum*, licet multis similibus notis cum folio betre censeatur, in totum tamen diversum. Nulla φύλλου Ἰνδικοῦ, vel folii Indici apud antiquiores Græcos auctores mentio. Græci recentiores ex Arabum scriptis eam hauserunt, & cum folio veterum & malabathro confuderunt. Sic plerique ex hodiernis scriptoribus, inter quos est Amatus Lusitanus, betre folium & folium Indum idem faciunt, ac proinde minus mirum Græcos recentiores Ἰνδικὸν φύλλον cum veterum malabathro confudisse. Alii peritiores distinxere, ut parvi Dynameri auctor, qui aperte φύλλον Ἰνδικὸν, & φύλλον μαλαβάθρου discrevit. Ergo φύλλον μαλαβάθρου Græcorum, & *folium* Romanorum, *betre* est hodiernum. Nec impedimento est quod folium Indicum hodie *tamalabathra* dicitur Indis ipsis, unde μαλάβαθρον suum Græci videntur formasse,

A qua tamen voce contendimus significari folium betre. Potest enim fieri ut nomine tenus notitiam habuerint Indici folii quod ab Indis dicebatur *tamalabathra* idque nomen attribuerint alteri generi folii, quod ipsis notius erat. Sic *pimpilim* Indi hac ætate solum piper longum vocant. Ex quo tamen vocabulo πέπερι suum de omni pipere Græci videntur fecisse. Quot modis piper appelletur à diversis Indorum populis vide apud Garciam. Profecto φύλλα μαλαβάθρου σφαίρια Græciæ antiquioris non alia possunt esse præter betre folia, quæ hodieque sic complicantur. Quod betre cum in omnibus Indiæ maritimis regionibus proveniat, ideo facilius B ad Græcos pervenerit ejus notitia quam Indici folii, quod in continenti & longe à mari nascitur. Sed & postquam Indicum folium iis notum cœpit esse, plerique eorum id confudere cum veterum malabathro, sive folio. Quid si & veteres ostendo clare distinxisse folium Indicum ab illo folio, quod convolvebatur? Ita sane est. Jurisconsultus ea plane distinxit leg. XVI. D. de Public. & vectig. *Species pertinentes ad vectigal, puta cinamomum, piper longum, piper album, folium pentasphærum, folium Barbaricum, costum.* De folio pentasphæro nugæ sunt. Mendum est in voce, quod egregia conjectura tollo ac certa, legendo: *folium catasphærum.* C Puto fuisse scriptum in verbis Jurisconsulti, *patasphærum* pro *catasphærum*, ut mos fuit perpetuus librariorum C in P mutandi. Sic *pithepus*, & *cercopithepus* in antiquo libro notarum Tironis ac Senecæ scriptum est. Et *populorum* pro *poculorum* in loco Varronis apud Nonium. Hinc *pentasphærum* pro *patasphærum* Tribonianus vel alius correxit. *Catasphærum* debuit, quisquis fuit. Κατάσφαιρον idem Græce quod σφαιροειδές. Intelligit prorsus malabathri folium, quod Græci in pilulas convolutum afferri ex India scribunt. Auctor peripli de hoc folio: ἀποδιπλώσαντες τὰ φύλλα καὶ σφαιροειδῆ ποιοῦντες. Inde σφαίρια μαλαβάθρου passim apud Græcos. At D *folium Barbaricum* id omnino est, quod Indicum Græci recentiores nominarunt, quod ex India deferebatur in Ægyptum per Barbaricum sinum. Ab eadem ratione & *rha Barbaricum* dictum est, quod apud Sinas tantum nascebatur, atque à Sinis in Indiam, deinde ex India per Barbaricum sinum Alexandriam advehebatur. Idem tamen Jurisconsultus paulo post malabathrum recensuit veluti diversum ab illis duobus folii generibus: *Malabathrum, aroma Indicum.* Quod ego adtextum esse à Triboniano certus sum. Hoc nisi mihi des, dandum erit ipsum Jurisconsultum errasse. Nam malabathrum veterum idem cum folio catasphæro. Il- E lud autem aroma Indicum è glossamento est. De aliis aromatis Indicis nos alibi. Hæc sufficiant huic exercitationi.

Indiæ lapidum in adamantibus dignitas prima.] Semper adamanti inter lapides auctoritas fuit prima, nec aliter hoc sæculum judicat. Rationem addit Solinus: *quod lymphationes abigant, venenis resistant, mentium vanos metus pellant.* Non propter has dotes nobis in pretio est, sed nec apud veteres eo nomine tam carum fuisse dicit Plinius, à quo tamen omnia cum pulvisculo, quæ de adamante hic habet, corrasit noster. Ex aliis multis gemmis non pauciora, nec minora remedia prodita sunt, quæ tamen nunquam adamantem F pretio ac dignitate æquavere. Plinius: *Maximum in rebus humanis pretium non solum inter gemmas habet adamas, diu nonnisi regibus & iis admodum paucis cognitus, unus modo in metallis repertus perquam raro comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur.* Hæc verba corruptissima esse eo ipso, quia correctores passa sunt, vetus scriptura ostendit, aliter in libris concepta: *diu non nisi regibus & iis admodum paucis cognitus ita appellatus auri modo in metallis repertus perquam raro comes auro, & nec nisi in auro nasci videtur.* Omnino scribendum atque interpungendum: *ita appellatus auri modo in metallis repertus, perquam raro comes auro, sed nec nisi in auro nasci videtur.* G Verum adamantem & hoc nomine maxime dignum eum tantum habitum vult Plinius, qui in auro nasceretur. *Ita appellatus*, id est, adamas, auri modo in metallis repertus, hoc est, in auri tantum metallis repertus. Sed aliter legi ajunt in codice Chiffletiano optimæ notæ. Nam quæ vidimus exemplaria posteriorum Plinii librorum

brorum recentiora fuere. Sic igitur in Chiffletiano: *ita appellatur auri nodus, in metallis repertus.* Quam veram esse lectionem infra asserimus. *Perquam raro comes auro.* Hunc adamantem non nisi rarissimo auro comitem esse dicit, & ipsum adæque rarum. Suspicor tamen scriptum fuisse: *perquam raro comes auro*, scribendi vitio tralaticio. Nam R & P sæpe commutantur invicem in antiquis libris. Erit igitur legendum: *perquam puro comes auro.* Hanc sibi fuisse mentem Plinius ipse clare fatetur: nam postquam descripsit Indicos & Arabicos adamantas, qui in auro non nascebantur, sed quadam crystalli cognatione, ita insistit: *ceteris pallor ingens & in auro non nisi excellentissimo natalis. Incudibus hi deprehenduntur ita respuentes ictus, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque ipsæ etiam dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens. Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit.* Clare his verbis memorat, solos adamantes, qui in auro reperiuntur, indomitos ferro & igni, nomen hoc meruisse ἀδαμάντων. Nam Indici & Arabici, qui more crystalli nascuntur, frangi etiam possunt. Cyprii & Sideritæ fragiles quoque: solos eos, qui in auro reperiuntur, indomitam vim habere, ac propterea ἀδάμαντας à Græcis appellatos. Nam ἀδάμας idem quod ἀδάμαστος. Postea id nomen etiam ceteris tributum, quamquam immerito. Hodie nullus est adamas ἀδάμαστος. Nullus ictum respuit; sed malleolo facile vel in pulverem rediguntur. Verba Plinii superius allata, quia correctorum manus experta sunt, in corruptela cubant. Primum genus Indici adamantis facit non in auro nascentis, sed quadam crystalli cognatione. *Similis*, inquit, *huic Arabicus, minor tantum, similiter & nascens: ceteris pallor ingens, & in auro nonnisi excellentissimo natalis.* Falsa hæc lectio: cum enim in sequentibus narret genera esse adamantum, quæ alibi quam in auri metallis reperiuntur, quomodo verum esse queat quod heîc ait ceteros nonnisi in excellentissimo auro natales habere. Qui ceteros dicit, omnes, quorum descriptio sequitur, necesse est intelligat. At Sideritæ & Cyprii qui post memorantur, in auro non nascuntur. Præterea vetus scriptura hanc lectionem falsi arguit, quæ ita concipitur: *ceteris pallidior argento & auro.* Aut omnia incerta sunt, aut certum est ita legi ac distingui debere: *Similis huic Arabicus, minor tantum, similiter nascens, ceteris pallidior ut argentum. At in auro nonnisi excellentissimo natales. Incudibus is deprehenditur ita respuens ictus, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia ejus inenarrabilis est.* Ita totus locus constituendus est ex veterum librorum auctoritate. Idem hic adstruit, quod initio capitis asseruit: excellentissimum adamantem & hoc nomine vere dignum in auro tantum nasci. In auro nonnisi excellentissimo adamanti natales esse. Hic enim sensus horum verborum: *at in auro nonnisi excellentissimo natales.* Hic demum proprie adamas Plinio, respuens ictus, in igne nunquam incalescens, & plane indomitus. Hic inter adamantes primus, ut adamas inter ceteras gemmas. At Solinus more suo Plinii mentem non est assequutus, qui adamantem in auro repertum proximum facit ac secundum Indico, qui cognatione crystalli nascitur. Quia enim post Indici & Arabici mentionem Plinius meminit ejus generis quod in auro nascitur, ea re existimavit, ut ordine ac loco descriptionis, ita dignitate secundos ac sequiores esse. Nec animadvertit Plinium in principio statim capitis de illo adamante mentionem injecisse, qui in auri metallis invenitur, & maximum in rebus humanis, non solum in gemmis pretium habet. Præterea verba Plinii sic accepit quasi hic secundus adamas in auro tantum excellentissimo deprehenderetur. Plinii vero sensus est nonnisi excellentissimo adamanti in auro natales esse, hoc est, nonnisi excellentissimum adamantem in auro nasci. Apparet prorsus Solinum eodem modo verba Plinii legisse, quomodo ea superius emendata protulimus, sed male intellexisse. Sex autem adamantis genera Plinio ponuntur: duo genera in auro nascentis: *unum ex iis cenchron appellatum, milii magnitudine: alterum Philippicum in Philippico auro repertum.* Indicum deinde & Arabicum: tum Cyprium & Sideriten. Hæc sunt genera sex. Solinus quatuor tantum posuit, quia Arabicum confudit cum eo, quem in auro excellentissimo nasci ait, ex Plinii verbis perverse acceptis, ut paulo post ostendam. Mirum vero quod apud Plinium habetur de illo genere adamantis, quem *cenchron* refert appellatum, quod esset milii magnitudine. Eum inter præstantissimos numerat. Atqui non video quid pretii potuerit mereri adamas grani miliacei magnitudine. Apud nos tantuli adamantis parvitas prorsum despectui esset, etiam si ex rupe veteri veniret. Vix quippe plus quam granum unum aut duo grana penderet. Non parvam nec nihili faciendam heîc deprehendisse videor magni auctoris hallucinationem. Per caliginem tamen, aut nebulam tantum id perspicere licet, cum auctores non habeamus, unde hæc hausit, quique errorem ejus detegere possent. Præstantissimum adamanta in auri tantum metallis ait reperiri. Nemo veterum ex iis quidem qui nobis noti sunt, meminit adamantis in auri fodinis reperti. Diodorus lib. III multis exponit rationem fodiendi auri & lavandi, molendi, coquendique quæ in χρυσωρυχείοις Ægypti frequentabatur, ad confinia Arabiæ & Æthiopiæ. Adamantem in illis auri metallis inveniri nullo verbo prodidit. Idem Plinius tamen tradit veteres existimasse hoc genus adamantis in Æthiopiæ tantum metallis inveniri inter delubrum Mercurii & insulam Meroen. Hoc falsum esse hodie deprehensum est. Nullus quippe hoc tempore adamas in tota Ægypto, Arabia & Æthiopia effoditur, aut eruitur. Addit idem Plinius: *dixeruntque non ampliorem cucumeris semine, aut colore dissimilem inveniri.* Admodum parvum hunc adamantem fuisse oportet, qui magnitudinem seminis cucumeris non excederet: deinde non magnopere liquidum aut splendidum, qui colore similis esset cucumeris semini. Alterum genus quod in auri metallis reperiebatur, milii magnitudine esse scribit, & *cencrum* appellatum. Hæc duo genera adamantis excellentissima fuisse prodit, & in auro tantum nasci solita, quæ ictum respuerent, quæ nec ferro nec igne domari possent, quorum alterum milii grani instar haberet, alterum seminis cucumeris. Tam exigua corpuscula licet rara, aliquam in gemmis auctoritatem aut dignationem pretiumve habuisse miror. Particula adamantis non major milii grano nihili nunc penderetur, ut nullius est ponderis, nec sane ullius usus. Vereor ut hic Plinium aures suæ deceperint, vel oculi, vel libri mendæ. Ne inquam legerit ipse, aut legente anagnoste acceperit *cencrum* pro *centrum*. Ut cognatio est inter has litteras C & T: ita sæpe invicem permutantur. Libri Pliniani hoc loco legunt, *cencron*: *unum ex his vocant cencron.* Immo *centron.* An quæso te hic adamas milii magnitudine malleolos rumpet, aut incudes faciet ut dissiliant dum tunditur? Græci κέντρον vocant in omni materie nodosam duritiem, quæ ictus respuit, ac ferro findi frangique negat. In lapidibus, in lignis, in ferro hæc κέντρα reperiri auctores confirmant. Plinius ipse lib. XVI. cap. XXXIX. *Publicum omnium vitium vocant spiras, ubi convolvere se vena atque nodi. Inveniuntur in quibusdam, sicut in marmore centra, id est, duritia clavo similis, inimica ferris.* Sane & κέντρον Græce clavus est. Hesychius: ἧλος, καρφία, κέντρα. Alibi legi κέντρα ἐλεφάντινα de clavis eboreis. Theophrastus de spiris & venarum convolutione, quæ in ligno deprehenditur: χαλεπώτερον ἢ τοῦτο πολὺ καὶ δυσεργότερον, τῶν ὄζων. Ἔοικε ἢ παραπλησίως καὶ ὡς ἐν λίθοις ἐγγίνεσθαι τὰ καλούμενα κέντρα. Plinius ἐν λίθοις vertit in marmore. Atqui in gemmis etiam ac lapidibus pretiosis ea centra reperiuntur. Plinius de sapphiris medicis: *præterea inutiles scalpturæ intervenientibus crystallinis centris.* Ergo illa centra in gemmis ferro scalpi negant, & scalpturæ resistunt. Alibi multis locis inter vitia gemmarum *centra* ista nominat, quasi duriora quædam atque opaciora corpuscula in pellucido lapillo. Marmor etiam hæc habet *centra.* In crystallo quoque sunt. Plinius de crystallinis: *Infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, præduro fragilique centro, item sale appellato.* Sic legendus ille locus. In ferro τὸ κέντρον agnovere Græci partem

tem ejus durissimam. Hesychius: κέντρον τὸ ἐν σιδήρῳ ἀδαμάντινον. Nullus in ferro adamas lapis. Sed durissimum in ferro sic vocat τὸ στερρότατον. Idem: ἀδαμάντινον, στερρόν. Genus quoque ferri στερεωτάτου hoc nomine appellatum. Idem: ἀδάμας, γένος σιδήρου. In auri metallis lapis qui auri vena micabat, hujusmodi habuit κέντρα. Hunc lapidem λίθον χρυσῖτιν vocant Agatharchides, & Diodorus de metallis Æthiopicis loquentes. *Aurosum lapidem* Latine liceat dixisse, ut *aurosa arena* Spartiano, χρυσῖτις ἄμμος. In metallis, unde aurum effodiebatur, quod in glarea ac reliquo lapide marmoris instar nitebat, hoc erat auri vena. Μαρμαρίζουσαν πέτραν vocat Diodorus, & πέτραν ἀποστίλβουσαν, sed & μάρμαρον post Agatharchidem. Plinius de aurifodinis Hispaniæ: *Quod puteis foditur canalicium vocant alii canaliense, marmoris glareæ inhærens, non illo modo quo in oriente Sapphiro, atque Thebaïco, aliisque gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris.* Locus hic depravatissimus, nec enim aurum in metallis adhæret marmoris glareæ, nec micas marmoris amplectitur, sed quod in glarea micat instar marmoris, id auri vena est. Totum igitur sic lege: *Quod puteis foditur canalicium vocant, alii canaliense. Marmor id glareæ inhærens, non illo modo quo in oriente Sapphiro, atque Thebaïco, aliisque gemmis scintillat, sed micans amplexu marmoris.* In Sapphiro & Thebaïco lapide & multis aliis gemmis auri guttæ scintillant. Non eo modo in glarea aurosa, vel lapide auri venis divite, aurum micat, sed in modum marmoris nitidi fulget. Hujusmodi lapis, sive marmor auri venis nitens cædebatur. Cæmenta in mortariis lapideis pilo ferreo pinsebantur, donec in frusta comminuerentur, magnitudinem ervi æquantia. Ea deinde frustra in molam mittebantur, ibique molebantur, adeo ut farina videretur. Agatharchides: ἀλήθουσι δὲ ἕως ὑπὸ τὸν τῆς σεμιδάλεως τρόπον ἀχθῇ τὸ παραδοθὲν μέτρον. Diodorus: ἀλήθουσιν εἰς σεμιδάλεως τρόπον τὸ δοθὲν μέτρον κατεργαζόμενοι. Plinius: *Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur ut farina.* Quomodo deinde aurum secerneretur, lavaretur, coqueretur, auctores illos consule, quos laudavimus. Lapis, vel marmor aurosum redigebatur in farinam. In eo lapide sæpe κέντρα occurrebant, vel micæ auri purissimi quæ comminui frangique non poterant. Eæ seligebantur, nec cum reliquo pulvere coquebantur. Ex his aurum exibat præstantissimum. In auri metallis Æthiopicis hæc κέντρα majora non reperiebantur cucumeris semine, sed & colore dissimilia non erant. Ἀδάμαντα in auro hoc Græci dixere, quod cum reliquo auroso lapide in farinam moli non posset, nec pilis ferreis comminui. Pollux: γῆ σιδηρῖτις, ταύτης δὲ τὸ κάθαρμα σκωρίαν ὠνόμαζον, ὥσπερ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἄνθος, ἀδάμαντα· καὶ τὸν τῶν ἀργυρείων κονιορτὸν κέρχνον. *Florem auri* hunc ἀδάμαντα etiam vocarunt, quod optimum aurum ex eo fieret ac purissimum. Hesychius, Ἀνθέμιον, τὸ ἐκλεκτὸν χρυσίον. Jam satis perspicis Plinium ex isto auri adamante adamantem gemmam fecisse, & excellentissimum quidem hujus gemmæ genus. Quo magis scias ita esse, Plinium ipsum contra se testem dabimus: *Adamas diu non nisi regibus & iis admodum paucis cognitus. Ita appellatus auri nodus in metallis repertus, perquam raro comes auro, sed nec nisi in auro nasci videtur.* Ita in Chiffletiano optimo exemplari scribi notant. Quod si verum est, ea quoque vera scriptura. *Auri nodus*, τὸ κέντρον, nodosa illa durities in marmore auroso, quæ purum putum aurum exhibet. Alias dicerem legendum, *auri aotus*, id est, χρυσοῦ ἄωτος: vel *auri anthus*, id est, ἄνθος. Nam ἄνθος χρυσοῦ teste Polluce vocabatur ἀδάμας Græcis. Idque hausisse videtur ille ex libro Aristotelis περὶ μετάλλων quem ibidem citat. Eum Theophrasto alii tribuebant. Ergo grana illa auri pura quæ in metallico lapide inveniebantur, quæque cum cetero lapide μαρμαρίζοντα nec in pila tundi poterant, nec in farinam moli, Græcis ἀδάμαντος nomine veniebant, & κέντρου. Sic omnem duritiem nodi instar, vel clavi in ligno & in lapidibus appellarunt. In Æthiopicis metallis non ampliora cucumeris semine reperiri solita tradit. Agatharchides in Arabia apud Alilæos effosum scribit, mi-

A nima magnitudine nuclei, media mespili, maxima juglandis nucis, quod nulla purgatione & coctione indigeret. Græcis ἄπυρον ideo vocatur & ἄπεφθον. Hæc verba ejus sunt: τὸν μέντοι χρυσὸν ὀρύσσοντες ἐν τοῖς σπηλαιώδεσι τῆς χώρας ὑπονόμοις εὑρίσκουσι πολὺν οὐ τὸν συντηκόμενον μετ' ἐπιστήμης καὶ τέχνης ἐκ τοῦ ψήγματος, ἀλλὰ τὸν αὐτόματον, καλούμενον δὲ διὰ τὸ συμβαῖνον παρ' ἕλλησιν ἄπυρον, οὗ τὸ μὲν ἐλάχιστον ἔχει μέγεθος πυρῆνος, τὸ δὲ μέσον μεσπίλου, τὸ δὲ μέγιστον ὥστε βασιλικοῖς παραβάλλεσθαι καρύοις. Strabo de iisdem, quos tamen non nominat: χρυσὸς δὲ ὀρυκτὸς γίνεται παρ' αὐτοῖς, οὐ ψήγματος ἀλλὰ βωλαρίων χρυσοῦ καθάρσεως οὐ πολλῆς δεομένων, μέγεθος δ' B ἐχόντων ἐλάχιστον μὲν πυρῆνος, μέσον δὲ μεσπίλου, μέγιστον δὲ καρύου. Diodorus Siculus lib. III. Eadem prorsus de illis dicit: τὸν δὲ χρυσὸν εὑρίσκοντες ἐν τοῖς φυσικοῖς ὑπονόμοις τῆς γῆς συνάγουσι πολὺν οὐ τὸν ἐκ ψήγματος συντηκόμενον, ἀλλὰ τὸν αὐτοφυῆ καὶ καλούμενον ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἄπυρον. Κατὰ δὲ τὸ μέγεθος ἐλάχιστος μὲν εὑρίσκεται παραπλήσιος πυρῆσι, μέγιστος δὲ οὐ πολὺ λειπόμενος βασιλικοῦ καρύου. Quæ ille sumpsit pæne totidem verbis ab Agatharchide, à quo & Strabo. Idem hic auctor in Hispania massas auri puri refert inveniri selibres, sed in ramentis. Plinius in eadem Hispania in puteis massas inveniri prodit denas excedentes libras. *Palacras*, inquit, *Hispani, alii palacranas vocant.* Scribitur in li- C bris: *Palacas Hispani, alii palaceornas vocant.* Strabo πάλας dicit vocari. Nomina illa omnia fere ex Græco. Quod enim addit: *quod minutum est ballucem vocant.* Ballux, ex Græco βάλλεξ, quæ ψῆφον significat, vel calculum. Πάλαι sunt globi, vel glebæ rotundæ. Πάλα, vel πάλλα Græce est sphæra. *Palacas* in Plinio scribi puto pro *palatas*, ut C & T cognata sunt. Græcum est παλάθας. Sic massæ Græcis vocantur. Plinius ibidem: *aurum arugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est.* Hoc Græcorum est ἄπυρος χρυσός. Vox illa *arugia* Græcismum quoque sapit. In libris est *auriga* pro D *origa*, hoc est ὀρυγῇ. Fossione quæsitum aurum sic appellarunt, quod distinguitur à ramentitio, quod συρτὸν dicebant, & ἐκ ψήγματος. Plinius ibidem: *Tertia ratio opera vicerit gigantum, cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies, arrugias id genus vocant.* In aliis: *aurugias.* Hoc est ὀρυγίας. Strabo ὀρυκτὸν vocat aurum quod in Arabia cuniculis effodiebatur: ὑπονόμους Agatharchides & Diodorus vocant. Ita quoque eruebatur in Ægypto Æthiopiæ contermina. Agatharchides: καὶ τέμνουσι διὰ γῆς πέτρας ὑπονόμους πλείονας. Ad lucernarum E lumina ibidem fodiebant: οὗτοι μὲν οὖν λύχνους προσδεδεμένους τοῖς μετώποις ἔχοντες λατομοῦσι. Ceterum Græcis nominibus adeo concepta erant omnia aurariæ μεταλλείας in Hispania vocabula, ut fossas etiam vocaverint *agogas*. Plinius: *Fossæ, in quas profluat, cavantur: agogas vocant.* Sed de his alibi. De auri puri & ἀπύρου massis, quæ in novo orbe visebantur, quum illuc pedem primo Hispani intulerunt, videndi auctores. Mira de earum magnitudine narrantur: ut mirum sit tanti fecisse veteres parvas micas cucumeris seminis amplitudine, quæ in metallis Æthiopicis inveniebantur. Forte & heic Plinii peccatum est, qui σικύου pro σύκου legerit, vel legere voluerit. Quum enim F ἀδάμαντα χρυσοῦ de adamante gemma intelligeret, non potuit imaginari ea magnitudine reperiri adamantes, quæ fici instar æquaret: præcipue quum idem significet ibi maximos adamantas avellanæ nuclei magnitudinem non excessisse. Nec obstat quod adjicit: *& colore non dissimilem*: Nam & fici sunt ejus coloris, ut ab auro nativo non multum absint. Hoc mihi fit verisimile. Etenim cum alterum genus ex his duobus, quæ in auro nascebantur, milii magnitudine faciat, par non fuit alterum instar fici amplum putare. Quod ad cenchron attinet, adhuc dubito an pro κέντρον ita legerit licet multa verisimilia concurrant. Ἀδάμαν- G τα in auro vocarunt τὸ ἄνθος χρυσοῦ, Polluce teste. In argenti metallis pulverem vocarunt κέρνον: ὥσπερ τοῦ χρυσοῦ ἄνθος καὶ τὸν τῶν ἀργυρείων κονιορτὸν, κέρχνον. Ea vox transpositis literis idem significat apud Græcos quod κέγχρος milium. Ut igitur in auro ἀδάμας puri auri granum dicebatur, quia cum reliquo lapide metallico

in farinam moli non posset, ita in argenteis fodinis κέγχρος vel κέγχνος vocabantur parva grana meri argenti, quæ in vena scintillabant. Plinius ait nullas scintillas in argenti metallis micare ut in auri, sed terram esse aliam rufam, aliam cineraceam. Aliquando tamen argenti micæ parvæ ad instar granorum milii in venis lucebant, ex quibus ut par est, purissimum argentum fiebat. At Plinius κέγχρον illum auro tribuit non argento. Immo argento, sed utrumque confudit. De adamante quem excellentissimum esse vult, eum in argento & auro natales habere tradit. Ita enim libri veteres scribunt: *argento & auro non nisi excellentissimo natalis. Vnum ex iis vocant cenchron, quod est milii magnitudine. Alterum Macedonicum in Philippico auro repertum.* Forte legendum: *In argento & auro nonnisi excellentissimo natales.* Dicit nonnisi excellentissimum adamantem in argento & auro nasci. Ἀδάμας, ut dixi, in auro, ut κέγχρος in argento. Utrumque ille confudit. Sed quid si & κέγχρος in auro etiam quibusdam vocatus, de micis parvis ad instar granorum milii in auri vena scintillantibus? Si verum est id, quod ex Plinio colligimus, sane illum ἀδάμαντα in auri metallis repertum, & rarissimo auro comitem non aliter possumus interpretari quam de granis vel nucleis meri ac solidi auri, quæ in venis lapidum inveniebantur. Memorat Strabo in Hispania dissectis lapidibus inventas glebulas instar papillarum: φασὶ δὲ καὶ λίθων σχιζομένων εὑρίσκειν βωλάρια θηλαῖς ὅμοια. Hunc auri *adamantem* Græcos vocasse χρυσοῦ ἄνθος constat ex Polluce. Si eo sensu, quem supra posui, accipimus, mirum quam diversa significatione Græci χρυσοῦ ἄνθος, & χαλκοῦ ἄνθος posuerint. Florem æris, ut notum est, appellarunt granula æris milii modo in summo ære efflorescentia, quum aqua recens fuso infunditur ad eum refrigerandum. quo facto, ὥσπερεὶ ἐκπτύεται καὶ ἐπανθεῖ, id quod χαλκοῦ ἄνθος dicitur. Ita Dioscorides, qui & κεγχροειδὲς τῷ ῥυθμῷ illud ἄνθος esse dicit, milii specie ac magnitudine. Plinius aliter scribit de hoc æris flore. Nec enim expui & efflorescere dicit quum refrigerantur panes æris, infusa aqua, quod prima æris fusione accidere ait Dioscorides, sed in alias fornaces ære translato ibi excitari flatu crebriore. Tum autem cadere quum refrigerantur panes ærei. Verba ejus ita scribuntur in antiquis codicibus: *Fit ære fuso & in alias fornaces translato. Ibi flatu crebriore excutiuntur velut similes quæ quas vocant florem. Cadunt autem cum pane eris aqua refrigerantur rubentque.* Quæ non satis sanum colorem præferunt. Legendum primo *excituntur*, vel *excitantur* pro *excutiuntur*. Quod heîc non habet locum. *Velut similes quæ quas vocant florem.* Correxerunt: *velut milii squamæ. In quibusdam etiam codicibus habetur squamæ.* Id tamen non convenit, grana milii, quibus florem æris adsimilat Dioscorides, squamis neutiquam similia sunt, quæ planæ sunt & latæ. Unde & λεπίδες Græcis pro laminis. Numerorum XVI ποίησον λεπίδας ἐλατὰς, *laminas ductiles.* An scripsit Plinius? *velut milii siliqua.* Ut λοβοὺς κέγχρου legerit pro λοποὺς: Milii purgamenta intelligit, vel folliculum, ex quo granum non excutitur nisi tundatur. Non dubito auctorem, unde Plinius sumpsit, scripsisse, ὥσπερ κέγχρου λέπη. Quod Plinius vertit *squamas*. Perperam. Aliud λέπος, aliud λεπίς. Squamæ piscium proprie λεπίδες. At λέπος quemlibet φλοιὸν significat. Eo nomine apludas & glumas frugum minutarum etiam dixere. Sequentia apud Plinium sic legenda: *Cadunt autem quum panes æris aqua refrigerantur, rubentque.* Ab eo errore, quo florem æris dixit esse similem milii squamis, adulterari quoque tradit æris squama, quam Græci vocant λεπίδα χαλκοῦ. Quasi λεπὶς χαλκοῦ & *flos æris* qui squamis milii similis est, eadem pæne res esset quantum ad formam. Subjungit enim: *Similiter ex eis fit quam vocant lepida, & sic adulteratur flos ut squama vaneat pro eo.* Pro his legitur in veteri libro: *Similiter æris quam vocant lepida, & sic adulteratur flos ut squama veniat.* Legendum: *ut squama vaneat.* Ait florem æris adulterari æris λεπίδι, ut squama nimirum væneat, quæ alias vænum ire non posset. Hæc vera lectio. Sed vix est ut adulterari queat flos æris squama æris, quam Græci vocant λεπίδα, adeo res sunt dissimiles. Plinius ῥίνημα χαλκοῦ accepit pro squama. Tradit autem Dioscorides florem æris adulterari ῥινήμασι χαλκοῦ, hoc est, ramentis & scobe æris, quæ diversa utique à squama. Optimum æris florem dicit debere esse ἀμέτοχον ῥινημάτων χαλκοῦ, οἷς δολοῦται. Quod lima abradit proprie dicitur ῥίνημα. Glossæ: ῥίνημα, *scobis.* Unde & *scobina* Latine lima est, quam Græci dicunt ῥίνην. Isidorus: *Scobina dicta quod terendo scobem faciat.* Sic ille corrigendus. Unde *descobinatum*, ἀπορινηθέν. Arnobius lib. VI: *tornis rasa, descobinata de limis.* Ideo autem adulteratur scobe ærea flos æris, quia forma inter se haud multum differunt. At λεπὶς χαλκοῦ longe aliud. Græci ἀποσφύρασμα interpretantur, & ἀποτίναγμα id, quod scilicet malleorum incussu ex ære decutitur. Neophytus: λεπὶς χαλκοῦ, τὸ τοῦ χαλκοῦ ἀποσφύρασμα. Plinius explicat quomodo fiat æris squama his verbis: *Est autem squama hæc decussa vi clavis, per quos ærei panes ferruminantur.* Hæc nullus intelligo. In libris scribitur: *ut squama veniat pro eo decussa in clavis, in quos panes ærei ferruminantur.* Omnino emendandum: *& sic adulteratur flos, ut squama vaneat, decussa vi clavis in quos panes ærei ferruminantur.* Ita loquitur alibi, ut lib. XXXVI. capite XXVI. *Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem.* Sic panes æris dicit in clavos ferruminari. Hoc quum fit, tum decutitur squama ex ære. Nondum tamen intelligo quid voluerit Plinius. Video quidem eum voluisse explicare eam æris squamam, quam Græci ἡλῖτιν appellant. De qua Dioscorides: Λεπὶς ἡ μὲν ἐκ τῶν Κυπρίων μετάλλων παχεῖα, καλουμένη δὲ ἡλῖτις καλὴ, φαύλη δὲ ἡ ἐκ τοῦ λευκοῦ χαλκοῦ λεπτὴ καὶ ἀσθενὴς ὑπάρχουσα. *Clavariam squamam* licet exponere, quæ malleo excutitur, dum clavi ex ære conficiuntur. Quod hæc scilicet crassior cadat. Fortean & sic appellaverint, quæ capita clavorum forma & crassitudine referat. At Plinius *clavos* videtur accepisse pro regulis æreis, in quas producitur æs, quod ex fusili fit ductile. Unde & *regulare æs* dicebant quod Græcis ἐλατόν. Æs omne primum funditur, deinde ducitur. Non omne tamen est ductile. *Caldarium* æs fundi tantum scribit Plinius. Illud est, ex quo fiunt caldaria. Sed quodcunque ducitur, prius fusum est. Olim quum funderetur, in massas panibus similes formabatur: quod hodieque fit. Hujusmodi massas, sive panes Græci τροχοὺς appellant. Unde τροχίας χαλκὸς, quæ aliis χυτός. Pollux: καὶ τροχίαν μὲν χαλκὸν τὸν χυτὸν χρὴ καλεῖν, τυπίαν δὲ ὃν ἂν οἱ νῦν καλοῖεν ἐλατόν. Interpres Aristophanis τροχοειδὲς κατασκεύασμα vocat rotundam massam, de vitro: κατασκεύασμα ἐστὶν ὑάλου τροχοειδὲς εἰς τοῦτο πεχυμένον. Sic κρόκος τροχισθεὶς dicebatur, qui tritus in parvos τροχοὺς, sive τροχίσκους redigebatur. Cui opponitur ὁ τριχινὸς, qui integer est & capillaris. Nam τρίχας appellant Græci fila croci. Aëtius lib. XVI in compositione muscati: σύριγγος χυματίου, ἄσπρου, κρόκου τριχίνου. Idem in confectione thymiamatis myrepsici: σκύλματος φύλλου, κρόκου τροχισθέντος. Panes autem illi æris fusilis in alias fornaces transferebantur, atque ibi igne multo & crebro flatu molliri solebant, ut æs ductile fieri posset: quod etiam in regulas ducebatur malleis. Sic τυπίας Græcis dicitur, & ἐλατὸς, battutile & ductile. *Regulare* etiam vocabant. Isidorus ex Plinio: *Regulare æs dicitur, quod ab aliis ductile appellatur, quale omne est Cyprium.* Plinius: *In Cyprio coronarium & regulare est, utrumque ductile. Coronarium tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum speciem auri in coronis histrionum præbet.* Hæc sunt quæ Græci vocant χολόβαφινα vel χολόβαφα. Hesychius: χολόβαφα, τὰ χρυσῷ ἐμφερῶς βεβαμμένα. Item: χολοβάφιον ὑπὸ λέγεται ἅμα μὲν ὅτι τὰ φαύλως βαφέντα χολῇ βάπτεται, ἅμα δὲ τὰ χρυσῷ ἐμφερῶς βεβαμμένα. Æs felle tinctum sic proprie appellabant quod aurum imitaretur. Legi in libris Chymicis Græcorum: χολοβάφινος κασσίτερος ὁ χρυσίζων ἀπὸ τῆς λεγομένης κοινῶς χρυσαλοιφῆς. De qua nos alibi. Æs porro regulare de ductili dictum, quod in regulas duceretur, quum malleis ad hoc tunditur ut ductile fiat & regulare. Quæ ex eo decidunt ramenta, Græci vocant λεπίδα χαλκοῦ, nempe τὸ ἀποσφύρασμα. Plinius regulas illas clavos interpretatur: *squama decussa vi*

vi clavis in quos panes ærei ferruminantur. Æs fusum in panibus erat, qui panes ferruminabantur, id est, stringebantur ac indurabantur in regulas æris ductilis. Nam fusum æs fragile malleis, è contra ductile malleis obsequitur, nec frangi potest. Hæc est æris ferruminatio. Sic, *vitrum æri concoctum, in lapidem ferruminari* dixit, id est, indurari. Glossæ: *ferrumen*, σύμωμα: *ferruminat*, συμοῖ. Aciem ferri induratam ita vocarunt. Alias *ferrumen* dicitur, quo ferrum ferro jungitur & glutinatur. Græci κόλλησιν σιδήρυ vocant. Ferrum autem ut æs prius funditur & fragile est: postea in alias fornaces translatum è fragili fit ductile, atque induratur. *Omne æs*, inquit Plinius, *diligentius purgatum igne excoctumque, regulare est*, id est, ductile. Ferrum quoque idem excoqui dixit ad indurandam aciem. Ferrum fusile hodie *funtam* vocamus pro *funda* à fundendo. Sed & massas, quales ex fornace fluxere liquati ferri, vulgo vocant *gusas*, quasi *fusas*, vel χύσεις. Postea aliis fornacibus excoctum & purgatum malleis tunditur, atque in longas laminas tenuatum duratur ictibus. Cujus variæ sunt ad aciem faciendam temperaturæ, nec omnis in aqua differentia, etsi plurimum ea faciat. Sed aliud ferrum ex vena ipsa mollioris est complexus, quod Græci Chymici vocant ἁπαλὸν: aliud fragilius quod θραυστὸν iidem indigetant. *Rumpens ferrum* vulgo vocitant officinæ ferrariæ. Sic aliud alio melius ad faciendum illud quod nominant aciarium. De quo nos alibi. Ferruminari igitur panes æreos in clavos dicit Plinius, quum induratur æs de fragili, ac de fusili in clavos, sive regulas ductiles extenditur. Regulæ illæ teretes erant instar regularum quibus modii cumulus apud veteres deruebatur. Fortean & ferrum olim in regulas ejusmodi rotundas producebatur, quod & προσηλοῦν dicebant. Pollux certe inter opera ferrariæ officinæ προσηλοῦν jungit cum συμῶσαι his verbis: τὸ δὲ ἔργον ὑγραίνειν, λύειν, συγχωνεύειν, τυποῦν, ἐξελαύνειν, ἀκονᾶν, θήγειν, προσηλοῦν, διαπατταλεύειν, προσπατταλεύειν, συμοῦν, ἥλους ποιεῖν, σύμωμα. In his omnibus subauditur vox σίδηρος. Nempe λύειν, ὑγραίνειν, συγχωνεύειν, ἐξελαύνειν, ἀκονᾶν, θήγειν, σίδηρον. Ergo & fuerit idem subaudiendum in sequentibus, προσηλοῦν, διαπατταλεύειν, προσπατταλεύειν, συμοῦν σίδηρον. Igitur προσηλοῦν & προσπατταλεύειν σίδηρον est *ferruminare in clavos*, ut de ære loquutus est Plinius. Pollux ἥλους à comicis κινδάλους vocari notat lib. x: ἰστέον ὅτι καὶ κινδάλους τοὺς ἥλους ὀνομάζουσι. Alio loco κινδάλους idem παττάλους interpretatur. Unde & κινδαλοπήκτης, de quibus supra. Ab illis itaque clavis, in quos ferruminantur panes ærei dicta squama æris ἡλῖτις juxta Plinii sententiam, quæ malleis decutitur ex panibus æreis, dum scilicet tunduntur & ictibus durantur, & producuntur in regulas. Aliter tamen Pollucem explicandum censeo, & Plinium falsum puto. Clavi ærei fiebant ex illis regulis, & quæcunque alia opera ex ære ductili procudebantur. *Clavorum Cyprinorum* mentio apud Palladium. Et *acuti Cyprii*, id est, clavi apud Innocentium. Aut igitur squama ἡλῖτις, quæ decutiebatur ex regulis æris, quum clavi ex ære fierent, aut quæ capita clavorum imitabatur forma & crassitudine: nam crassiorem tantum squamam sic vocarunt. Sed illud verius. Græci recentiores percorrupte ἡλίζιν vel ἡλῖσιν hanc squamam nuncuparunt. Neophytus: Ἡλίζις ἡ αὐτὴ καὶ ἡλῖσις λέγεται: ἡ ἐκ τῆς Κύπρου λεπὶς τοῦ χαλκοῦ. Plinius hanc solam differentiam inter æris squamam & florem agnoscit, quod æris flos sponte decidat, squama autem excutiatur ictibus. Iterum falsus est. Hoc inde est quod florem æris putavit adulterari squama æris, ideo similes hariolatus est, sed ἄνθημα χαλκοῦ & λεπίδα temere confudit. Tollendum & insigne mendum ex scriptis Dioscoridis, dum hoc agimus. Ait ille florem æris quosdam veterum vocasse ἥλων ψῆγμα, id est, clavorum ramentum. Quod non potest verum videri. In vetustissimo codice scriptum reperio: χαλκοῦ δὲ ἄνθος ὅ τινες τῶν παλαιῶν ψῆγμα ἐκάλεσαν, absque voce ἥλων. Scribendum utique ajo: ὅ ἔνιοι τῶν παλαιῶν ψύγμα ἐκάλεσαν. Hoc est, *refrigerationem*. Et sane florem æris existere,

A quum panes æris aqua infusa refrigerantur ibidem tradit: ὕδωρ ἐπιχέουσιν ἀκραιφνέστατον αὐτῷ ψύξαι προαιρούμενοι. Isidorus: *Æris flos fit ceu gignitur conflationibus resoluto atque liquato ære superfusa gelida aqua.* Inde ψύγμα χαλκοῦ vocarunt quidam veterum hunc æris florem, quod ex ære refrigerato gigneretur. Videndum igitur atque inprimis considerandum an aliquid in auro simile ut in ære antiqui vocaverint χρυσοῦ ἄνθος, ut χαλκοῦ ἄνθος, quod milii esset, vel cucumeris seminis magnitudine: ita quoque κέγχρος in argento sumendus fuerit, ut in ære. Squamæ nempe, vel pusulæ instar milii in argento efflorescentes

B ubi excoctum est? Eædem etiam fortasse κεγχροειδεῖς squamæ, vel pusulæ in auro, quod κέγχρον Plinius dicit appellari. Certe vox ἄνθος cum sua significatione non parum nos in eam sententiam videtur inducere. Quidquid in summo elucescit ac emicat, Græci per metaphoram sic vocant. Nam flores in arboribus & herbis in summitate & cacumine apparent. Hinc ἐξανθεῖν ἀργυρέῳ τὴν γῆν, cum in summa tellure micat argentum. Dioscoridi ἐπανθισμὸς πορφυροῦς ἐπιμεμιγμένος τοῖς χαλκείοις de Indico. Ita *flos æris*, qui in superficie ebullat. Plinius de stibio florem ejus vocatum dicit, id quod innatat: *Fæx ejus*

C *intelligitur plumbosissima, ac quæ subsidit in mortario, abjiciturque. Dein vas, in quo turbida transfusa sunt, opertum linteo per noctem relinquitur, & postero die quod innatat effunditur, spongiaque tollitur. Quod ubi subsedit flos intelligitur.* Sic fæx, sive scoria subsidit: *flos* & spuma in summo natant. Idem de spuma argenti: *distat à scoria quo potest spuma à fæce distare. Alterum purgantis se materiæ, alterum purgatæ vitium est.* Scoria vitium est purgantis se materiæ, at spuma jam purgatæ, quod in summo innatat. Pollux ἄνθος χρυσοῦ proprie ἀδάμαντα dictum autu-

D mat, ut σκωρίαν ferri: καὶ γῆ σιδηρῖτις, ταύτης δὲ τὸ κάθαρμα σκωρίαν ὀνόμαζον· ὥσπερ χρυσοῦ τὸ ἄνθος, ἀδάμαντα. Flos æris fit, dum purgantur ejus sordes in summo natantes: διακαθαίροντες τὴν ἀκαθαρσίαν οἱ περὶ τούτοις ὄντες. Vide Dioscoridem. Scoria tamen de omni metallo dicitur. Plinius de auro: *quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apilascudem vocant: argentum, quod exit à fornacis sudore. Quæ è catino jactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria.* Multam habet scoriam hic locus, & inquinatissimus est. Ineptum vocabulum finxere correctores; *apilascudem*. Quod

E ratione caret. Scribe ut in libris: *molitur ut farina, ac pilis cuditur. Vocant argentum quod exit à fornace*, hoc est, ὑπέροις σιδηροῖς πτίσσεται, ut est apud Agatharchidem, & Diodorum. Prius tamen cudebatur pilis, deinde molebatur. Præterea Latinum non est, *ad pilas cuditur*, quod repofuerunt. *Pila* est mortarium, ὅλμος. *Pilum* vero ὕπερον. In pila igitur tundebatur pilo. Plinius capite sequenti: *tunditur in pila, deinde tenui cribro cernitur, postea molitur.* Agatharchides de auro: ὅλμους λιθίνους παρειληφότες ὑπέροις σιδηροῖς πτίσσουσιν ἐπιστρεφῶς: *Pilas lapideas accipientes pilo ferreo tundunt.* Glossæ: *Pila*, ὅλμος: *pilum*, ὕπερον. Post-

F ea legitur in libris: *Vocant argentum quod exit à fornace sudoris, isque qui è camino jactatur.* Scribendum puto egregia conjectura: *vocant argentum quod exit è fornace, sed auri. At quæ è camino jactatur spurcitia, in omni metallo scoria appellatur.* In aliis metallis *scoria* dicitur quod exit è camino. In auro *argentum* vocatur. Puto scriptum fuisse: *sed ori.* Unde *sudoris*, & *sudori* fecerunt. Perperam etiam correxere, *quæ è catino jactatur.* Pro, *è camino.* Quod habent libri. Certe in catinis aurum coquebatur, sed positis in fornace. Præterea de omni metallo præterquam auro hic loquitur, & *scoriam* dicit appellari in

G ceteris, quod è camino jactatur. Καμίνους in argento etiam vocat Strabo: τὰς δὲ τοῦ ἀργύρου καμίνους ποιοῦσιν ὑψηλάς. Præterea in auro etiam coquendo caminus locum habuit. Fornacem vocat Plinius, quæ idem cum camino. Glossæ: *Fornax*, κάμινος. Auri quidem ramenta in catinos coquenda mittebantur ex argilla factos. Sed illi catini in fornace, vel camino ponebantur. Κεραμέα ἀγγεῖα vocat

 Aga-

Agatharchides iſtos catinos. Κἄπειτα, inquit, ἐπιθέντες ἐπίθεμα καλῶς ἡρμοσμένον, καὶ πανταχόθεν χρίσαντες, ἕψουσιν ἐν καμίνῳ πέντε ἡμέρας. Catinos in fornace poni, ſive camino Plinius etiam teſtis eſt his verbis: *Catini fiunt ex taſconio. Hoc eſt terra alba ſimilis argillæ: neque enim alia flatum ignemque & ardentem materiam tolerat.* Ita legendus ille locus. Auri ſcoriam *argentum* vocari ait Plinius. Aurum argento mixtum erat; nam iterum tundebatur ac coquebatur, ut aurum inde eliceretur purum. *Hæc in auro coquitur iterum ac tunditur.* Immo prius tunditur quam coquitur; nam ideo tunditur, ut in ramenta comminuatur, quo facilius coquatur, ut in auro ipſo fit. Liber vetus habet: *Hæc in auro tunditur, iterumque coquitur ac tunditur.* Legendum: *Hæc in auro tunditur, iterum, iterumque coquitur.* Strabo ἤλεκτρον vocat auri ſcoriam, quia argento mixtum aurum habeat lib. III: ἐκ δὲ τοῦ χρυσοῦ ἑψομένου καὶ καθαιρομένου ςυπτηριώδει τινὶ γῇ τὸ κάθαρμα ἤλεκτρον εἶναι. Πάλιν δὲ τούτου καθεψομένου μίγμα ἔχοντος ἀργύρου, καὶ χρυσοῦ, τὸν μὲν ἄργυρον ἀποκαίεσθαι, τὸν δὲ χρυσὸν ὑπομένειν. Scoria igitur ὑποςάθμη & quod ſubſidit. Immo in ferro & aliis metallis dum funduntur, τὸ κάθαρμα ſupernatat & expuitur ejiciturque è camino per os ejus, ac ſpuma ſcoriaque eadem. Multi ſane confundunt. Hinc λιθάργυρον quæ ſpuma eſt argenti, Græci σκωρίαν interpretantur. Gloſſæ eorum: λιθάργυρος, σκωρία ἀργύρου. Gloſſæ Chymicæ: χαλκάνθιον, σκωρία τοῦ χαλκοῦ. Ubi χαλκάνθιον pro flore æris, quum aliud ſit χάλκανθον quam χαλκοῦ ἄνθος. Sic κνηκάνθιον apud eoſdem cneci flos. Idem gloſſarium Chymicum: ἠχομένιον, κνηκάνθιον. Et apud Zoſimum: κρόκος καὶ κνηκάνθιον. Sed & χρυσάνθιον idem dixere pro flore auri, ut χαλκάνθιον. Zoſimus περὶ σώματος Μαγνησίας: συμπλεὶς αὐτῇ λιθάργυρον λευκὴν καὶ κατάσπα, καὶ ἐὰν ἐκστραφῇ καὶ γένηται σῶμα χαλκοῦ, ἐπίβαλε χρυσάνθιον, καὶ ἔσται χρυσὸς λοιπὸν καὶ χρυσόκολλα χρηματίζει συγκραθεῖσα καλῶς. Ubi manifeſto χρυσάνθιον vocat ſpumam auri, ſive florem, ut in ære dicitur. Propterea Pollux σκωρίαν in ferri metallo ἀναλογεῖν ſignificat auri flori, quem ἀδάμαντα Græci vocabant. Spuma idem quod flos. Hinc, quod Græci vocant ἀφρόνιτρον, Vitruvius *nitri florem* dixit. Et falſi qui aliter exponunt. Lib. VII. cap. XI de cærulei temperationibus: *arena enim cum flore nitri conteritur adeo ſubtiliter, ut efficiatur quemadmodum farina.* Duplex autem fuit genus aphronitri, alterum concretum, cujus in balneis olim uſus plurimus: alterum inſtar farinæ, vel cineris ſolutum. Utrumque florem nitri, ac ſpumam nitri dicere liceat. Sic duplex ſpuma argenti, altera ſoluta in pulverem milii granis ſimilem, quæ κεγχρῖτις dicebatur, altera concreta, quæ πηγνυμένη. Galenus tamen ἀφρόνιτρον quod concretum eſt vocari docet, ἀφρόλιτρον vero quod in pulverem putre eſt. Sic enim ea diſtinguit: Ἀφρόλιτρον ἀφρονίτρου διαφέρει. Λίτρου μὲν γὰρ ἀφρὸς ξυρανλικὸν ἐστὶ φάρμακον ἀλεύρῳ πυρίνῳ παραπλήσιος ὀφθῆναι: καὶ γὰρ λευκὸς ἐστὶν ὥσπερ τὸ τῆς Ἀσίας πέτρας ἄνθος τεφρώδης. Ἀφρόνιτρον δὲ οὐκ ἀλευρῶδες οὐδὲ διαλελυμένον, ἀλλὰ πεπηγὸς καὶ συνεςὼς ᾧ πάντες ἐν οἱ ῥυπῶντες τοῖς βαλανείοις ὁσημέραι χρῶνται. Sed non video, cur ex nomine differentiam quæſiverit Galenus, quæ nulla eſt. Idem quippe ἀφρόλιτρον quod ἀφρόνιτρον. Ut idem νίτρον quod λίτρον. Hoc enim Atticæ dialecti, quæ λίτρον dicebat quod aliis νίτρον. Ut πλεύμων pro πνεύμων iidem Attici dixere, & ἀνδράχλην pro ἀνθράχνην. Duplex igitur genus aphronitri eodem nomine, non diverſum nomen fuit. Idem lib. VIII. capite III. *Aquæ autem ſpecies eſt quæ cum habeat non ſatis pellucidas venas, ſpuma uti flos natat in ſummo, colori ſimilis vitri purpurei.* Sic flos æris eſt ejus veluti ſpuma. Florem argenti & ſpumam eamdem dixere τὴν λιθάργυρον. Gloſſæ veteres: λιθάργυρος, *argenti ſpuma.* Plinio quoque λιθάργυρος *argenti ſpuma* vocatur. Græci ἀργύρου ἄνθος eam appellarunt. Neophytus: ἄνθος ἀργύρου, ὅπερ οἱ χρυσοχόοι καλοῦσιν ὀφθαλμικόν. Lithargyrum illi vocarunt ὀφθαλμικὸν, quia, ut auctor eſt Dioſcorides, ἁρμόζει εἰς τὰ ὀφθαλμικά. Scribit idem Dioſcorides alumen σχιστὸν eſſe florem lapidis bolitidis. Plinius illud ἄνθος interpretatur *ſudorem in ſpumam coagulatum.* Omnia ferme metalla dum excoquuntur, ſpumam in ſummo efferve-

A ſcentem mittunt, quæ floris inſtar eſt, & flos vocatur. Manilius auri ramenta quæ excoquuntur, *in aurum ſpumantia* vocat in illis verſibus quos pro deſperatis reliquit vir ſummus. Nec ſane immerito. Non enim vulgari modo corrupti ſunt. Nos ſic eos emendavimus, atque, ut quidem putamus, ſatis feliciter:

Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo ſtellantia littora ponto.
Parvaque ramentis faciet momenta minutis,
Pro tali ut regerat cenſu ſpumantia in aurum.
Et perlucentes cupiens prenſare lapillos
Verticibus mediis oculos immittet avaros.

B Non ſolum, inquit, aurilegulus erit, ſed etiam auri coctor. Duobus primis verſibus *aurilegulum* expreſſit: duobus ſequentibus *auri coctorem.* Hi ramenta auri purgata, lota, & in farinam tuſa vel molita ad pondus accipiebant, & cocta reddebant pari ferme pondere, aut modico ſaltem intertrimento. Agatharchides de metallis aurariis Æthiopiæ: οὕτως οὖν οὗτος ὁ συλλογεὺς περικαθάρας τὸ ψῆγμα τοῦ χρυσοῦ παραδίδωσι τοῖς ἑψηταῖς: οἱ δὲ λαβόντες μέτρῳ τε καὶ σταθμῷ τὸ συνηγμένον εἰς ἄγγος κεραμεοῦν ἐνέβαλον. Diodorus Siculus lib. III de eadem re: τὸ τελευταῖον ἄλλοι τεχνῖται παραλαμβάνοντες μέτρῳ καὶ σταθμῷ τὸ συνηγμένον εἰς κεραμέους χύτρους ἐμβάλλουσι.
C Auri coctores intelligit, qui appenſa ramenta accipiebant, & in catinos fictiles injiciebant, ut in fornace excoquerentur. Hoc eſt quod ait Manilius: parva momenta, id eſt, parvas lances faciet ponderandis minutis ramentis, ut pro tali cenſu reddat, ac *regerat ſpumantia in aurum*, id eſt, excocta in purum putum aurum. Nam aurum, ut æs & argentum, dum excoquitur, ſpumam ejicit, quod ipſius eſt purgamentum. *Florem* alii dixere, ut in ære & argento. Legi etiam poſſet: *pro tali ut regerat penſo.* Nam appendebantur illis ramenta. At *cenſu* etiam poteſt retineri. Inde & ὄβρυζον aurum Græcis quod ſæpius deſpumavit & excoctum eſt.
D Βρύειν & βρύζειν idem eſt, ut βλύειν & βλύζειν, πρίειν & πρίζειν. Græci exponunt βρύειν, ἐξανθεῖν, ἀναβλύειν, ἀναπηδᾶν. Quod & de illis rebus dicitur, quæ efferveſcendo ſpumam ejiciunt, & quaſi florem emittunt. At ὀβρύζειν & βρύζειν idem ut βριμὸς & ὄβριμος. Ex eo τὸ ὄβρυζον χρύσιον quod ſæpius recoctum eſt, & coctionibus purgatum. Et falluntur qui *obryſum* quaſi *Ophiriſum* dictum arguntantur ab auro Ophir. Latini *obruſſam* dixere auri experimentum quod igne ſumitur. Ex Græco ὀβρύζη, *obruſſa.* Ita πορφύρεζον, *purpuriſſum.* Ceterum ἡ ὀβρύζη ab ὀβρύζω, ut ὀφείλη ab ὀφείλω, & ſimilia ſexcenta. At-
E que inde *aurum obryzum.* Apud Suetonium, *aurum ad obruſſam.* Cicero: *Heic adhibenda tanquam obruſſa ratio eſt.* Seneca Epiſt. XIII. *Hæc ejus obruſſa eſt*, id eſt, probatio. Gloſſæ: *Obruſa*, τὸ δοκιμάζον τὸ χρύσιον ὅταν περιτρίβεται. Immo, ὅταν καίεται. Auri probationem, quæ lapide fit & attritu, pro altera accepit. *Obryzi* auri apud veteres Latinos nulla mentio, ſed auri ad obruſſam exacti. Corrigendus itaque Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Aurique experimentum ignis eſt, ut ſimili colore rubeat igneſcatque, atque ipſum obruſſam vocat.* Ipſum nempe experimentum. Ita veteres omnes ſunt loquuti. *Ramenta ſpumantia in aurum* Manilio τὰ ψήγματα τὰ ἑψη-
F θέντα ὀβρύζοντα, vel βρύζοντα. Sequitur ibidem: *Et coquet argenti glebas.* Non ſolum igitur qui ſub illo ſigno naſcetur, auri ramenta leget, ſed etiam coquet aurum & argentum. Maternus Firmicus in paraphraſi illius Maniliani loci: *metallorum inventores erunt, qui latentes auri & argenti venas ac ceterarum ſpecierum ſollertibus inquiſitionibus perſequantur. Hi quoque monetarii efficientur.* Addit Firmicus, & *ceterarum ſpecierum*, quia non tantum auri ramenta colligent & perſequentur, ſed etiam gemmas ſcrutabuntur in mediis fluminum alveis. Hic enim ſenſus illorum verſuum, quos etiam
G correximus:

Et perlucentes cupiens prenſare lapillos
Verticibus mediis oculos immittet avaros.

Perlucentes heic lapilli, non margaritæ ſunt, ſed gemmæ, quas & Græci λίθους διαφανεῖς vocant, quæ plerumque in medio fluminum ac præcipue torrentium alveo ac ripis reperiuntur, quas impetus aquæ detulit ex rupibus. Avienus:

Palantes

Palantes obeunt beryllum, prona fluenta
Quem procul internis à finibus, aut adamanta
Detulerint.

Non tantum ergo auri ramenta & ballucas in mediis fluminibus quærent, sed etiam gemmas, ac pellucidos calculos. Plinius de sardonyche apud Indos: *etenim constat ibi torrentibus detegi.* Conferat hæc aliquis cum lectione vulgata Manilii, & notis ad eum locum illustris viri, tum videbit nihil eum in his vidisse. Sequens etiam versus vitio laborat:

Et coquet argenti glebas, venasque latentes
Eruet.

Ὕστερον πρότερον heic manifestum. Nam prius est, venas argenti effodere, deinde coquere. Conjecturæ sum fallus aut scripsit auctor:

Hic quoque & argenti glebas, venasque latentes
Eruet, & silicem rivo saliente liquabit.

Nihil certius. Effodiet argenti venam & fundet, liquabitque, his postremis verbis τὴν ἕψησιν & χύσιν expressit. Sequentia quoque pessime habent, nec recte explicata sunt summo viro:

Et facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum & alterius semper mutabit in usus.

Firmicus in paraphrasi *monetarium* interpretatus est. Immo τὸν κολλυβιστὴν designavit, & nummularium, qui aurum argento mutat & argentum auro, & utrumque ærea moneta. Legendum etiam:

Et facti mercator erit perutrimque metalli,

id est, erit νομισματοπώλης & ἀργυροπράτης. Ita enim Græci vocant τὸν κολλυβιστὴν. Eleganter autem *factum perutrimque metallum* appellat argentum, vel æs, quod utrimque signatum est. *Perutrimque*, ut *perinde*, *peraque*, & Ciceroni *pervesperi*. Alius auctor dixit, *pertempori*. Nummum sic vocavit *factum metallum*, ut *factum argentum* quod opponitur τῷ ἀσήμῳ. At *factum metallum* est signatum, quod etiam est ἐπίσημον. Unde ἐπίσημος στατήρ. Et ἐπίσημον νομίσματος apud Plutarchum in Theseo, nota qua nummus insignitus est. Potest etiam retineri *per utrumque*, id est, ex utroque latere. Quæ nummi designatio est. Metallum est ex utroque latere factum & signatum. Plinius de auro: *per utrumque cedit plumbo*, id est, pondere & facilitate materiæ. Scaliger primum Manilii versum de electro exponit, quod est argentum auro mixtum. Ad sequentem hæc notat: χρυσολέκτης καὶ χρυσορύκτης. Quid voluerit nescio. His verbis putavit expediri sententiam hujus versiculi:

Alterum & alterius semper mutabit in usus.

At quid manifestius quam istis significari nummularium & cambiatorem, qui alterum metallum semper in alterius usum mutat? Græci καταλλακτὴν & ἀργυραμοιβὸν vocant, id est, *mutatorem*. Inde ἀλλαγὴ *cambium*, id est, mutatio. *Aurilegulus* glossis χρυσεκλέκτης, Agatharchidi συλλέκτης. At *auricoctor*, χρυσεψητής. Agatharchides simpliciter ἑψητὴν vocat. *Ramenta in aurum spumantia*, quæ in aurum coquuntur, quia spumam tum ejicit, & scoriam suam. Hæc electrum est, nempe aurum & argentum mixtum. Strabo: ἐκ δὲ τοῦ χρυσοῦ ἑψομένου καὶ καθαιρομένου στυπτηριώδει τινὶ γῇ τὸ κάθαρμα ἤλεκτρον εἶναι. Hic idem flos auri. Et sic corrigendum apud Hesychium & Suidam: Ἀνθέμιον, ἤλεκτρον χρυσοῦ. Male est in eorum editis: ἐκλεκτὸν χρυσίον. Quod vel ipsi mutarunt dum non intelligerent. Aliud Lexicon nondum editum: Ἀνθέμιον, τὸ κάθαρμα ἐκ τοῦ χρυσοῦ, τὸ ἤλεκτρον. Florem hunc auri, sive spumam Græci etiam ἀδάμαντα vocavere. Ratio in promptu est. Spuma auri electrum, quod auro & argento mixtum est. Plinius quoque *argentum* auri scoriam esse, ac sic vocari notat. Argentum auro durius, & minus solvi ac fundi facile. Strabo de electro, quod est auri purgamentum: πάλιν δὲ τούτου καθεψομένου, μίγμα ἔχοντος ἀργύρου καὶ χρυσοῦ, τὸν μὲν ἄργυρον ἀποκαίεσθαι, τὸν δὲ χρυσὸν ὑπομένειν. Εὐδιάχυτος γὰρ οὗτος καὶ λυτώδης. Ita legendum. Perperam editur, καὶ λιθώδης. Aurum mollioris naturæ ad fusuram, ac de facili liquatur. Contra argentum difficilius & magis invictum ignibus. Hinc in auro fundendo & excoquendo extra ejiciebatur materia durior, multo argento mixta. Eam ἀδάμαντα propterea appellarunt. Sic in ferro aciem induratam vocarunt ἀδάμαντα, τὸ στερεὸν τοῦ

A σιδήρου. Hic flos auri, vel spuma. Hesychius ἤλεκτρον interpretatur ἀλλότυπον χρυσίον, ut & Eudemus, cujus supra verba retulimus. Quo sensu dicemus ita appellatum? An ἀργυρότυπον legendum est, quod formam argenti præferat? Nam electrum μίγμα est auri & argenti. An corrigi debere putabimus ἡλότυπον? Sic dictum videatur, quod ex eo fierent clavi in pedibus lectorum apud veteres, quæ & ἤλεκτρα vocabantur. Aristophanes in Equitibus Comœdia:

Ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων, καὶ τοῦ πονοῦ σκέλους ἐνόντος.

Ibi interpres vetus: ἰδίως τὰ τῆς κλίνης ἐπικαλλώπισμα, οὕτως ἐκάλουν ἤλεκτρα. Idem paulo post: αἱ γὰρ ἀρχαῖαι

B κλῖναι τοὺς πόδας εἶχον ἐσφαλισμένους ἄνθραξι καὶ ἠλέκτροις. *Electra* igitur clavi ex electro, quibus muniebantur pedes lectorum. Verius fortasse ἤλεκτρα appellata quasi ἡλόλεκτρα, lectorum clavos. Ut ut sit, ἤλεκτρον etiam clavus. Alii interpretantur ἡλότυπον χρυσίον, quod ex electro fierent clavi lectorum. Inde Plinius, ut videtur, electrum, quod est auri flos, & quod etiam adamantis nomine nuncupabatur, *auri nodum* appellavit. Nam ἤλεκτρον clavus quoque, vel nodus. Sed verius sit quod initio dicebamus, auri nodum appellasse τοῦ χρυσοῦ κέντρον, id est, partem in auro duriorem veluti nodum, qui propterea etiam ἀδάμας dic-

C ctus, quia cum cetero auro fundi ac liquari non posset, atque ideo ejiceretur è fornace purgamenti vice. Plinius idem: *Argentum vocatur quod è fornace exit, sed auri.* Pro ἀλλότυπον etiam non dubito quin apud Hesychium legendum sit, ὑαλότυπον. Sic ἄλλης λιθίας apud auctorem peripli pro ὑαλῆς λιθίας. Electrum autem ὑαλότυπον χρυσίον eleganter vocatur, quasi dicas vitreum aurum, quod auri formam habeat simul & vitri. De succino id intelligendum. Similiter & in hac voce corrigendus Eudemus Rhetor: ἤλεκτρον ὑαλότυπον χρυσίον, μεμιγμένον μετὰ ὑέλου καὶ λίθου. Perpe-

D ram apud eum legitur, ἀλλότυπον. Aliud Lexicon ineditum: Ἤλεκτρος, χάλκωμα καθαρὸν, ἢ ὑαλότυπον χρυσίον, μεμιγμένον ὕελῳ, καὶ λιθίᾳ, οἵας ἦν κατασκευῆς ἡ τῆς ἁγίας Σοφίας τράπεζα. Aliud genus intelligit ab electro, vel succino communi. Male etiam in eo scriptum est ἡ ἀλλότυπον. Hoc electrum succinum est, & diversum ab hoc electro, quod est auri purgamentum. Ex his omnibus nullum amplius dubium restat quin ἀδάμας & χρυσοῦ ἄνθος idem sit cum spuma vel scoria auri, quem *adamantem* Plinius insanum quam magno errore pro gemma accepit adamante, qui in

E aurariis metallis deprehenderetur. Nihil me magis in hac sententia confirmat, quam quod magnitudine cucumeris seminis illum adamantem esse & colore simile refert. Item quod unum ex iis *cenchron* tradit appellatum milii magnitudine. Hæc neutiquam possunt convenire cum auri puri καὶ ἀπύρου ramentis, quæ longe majora repeiuntur. Præterea color ipse longe dispar, qui in semine cucumeris, & in auri flore, sive electro consimilis. Postremo Pollux, quidquid ambigui poterat esse, facile tollit dum in ferro σκωρίαν id appellari dicit, quod in auri flore dicitur ἀδάμας, in argenti spurcitie κέγ-

F χρος. De terra ferri matrice: ταύτης δὲ τὸ κάθαρμα σκωρίαν ὠνόμαζον, ὥσπερ τὸ τοῦ χρυσοῦ ἄνθος ἀδάμαντα, καὶ τὸν τῶν ἀργυρείων κονιορτὸν κέγχρον. In his verbis τὸ τοῦ χρυσοῦ ἄνθος eodem omnino sensu appellatur, quo χαλκοῦ ἄνθος pro spuma scilicet æris. In argento hæc spurcities dicebatur κέγχρος, quia similis est granis milii: æque in ære τὸ ἄνθος ejus κεγχροειδὲς τῷ ῥυθμῷ. Sed & idem Pollux κονιορτὸν vocat argenti despumantis, dum excoquitur, purgamentum. Nam Græci κονιορτὸν ἀκαθαρσίαν interpretantur. Ea autem proprie κονιορτὸς, quia pulveri similis, utpote quæ granum

G milii magnitudine non excederet. Hinc duo genera spumæ argenti facit Plinius juxta quosdam. Altera κεγχρῖτις vocabatur: altera πηγνυμένη. Hæc concreta est, illa soluta instar pulveris, vel milii seminum. Lib. XXXIII. capite VI de argenti spuma, sive lithargyro: *Quidam duo genera faciunt spumæ, quæ vocant cerchnitida & pegnymenem: tertiam molybdanam in plumbo dicendam.* Ita locum illum lego ex vestigiis veteris scripturæ quæ habet; *sceleritrida & pennienen.*

A *nienen.* Veriſſima illa conjectura eſt. Κερχνῖτις ea dicitur ſpuma argenti, quam κονιορτὸν dictam & κέρχνον adnotat Pollux. Huic contraria πεπηγμένη, quæ concreta ac fixa ἐστὶ, non in pulverem putris, nec κερχνοειδής. Ceterum terra σιδηρῖτις, hoc eſt, ferri vena dum funditur, purgamenti ſui genus alterum ſpumæ in morem ſupernatans expuit atque ejicit per os camini. Alia autem ejus ſpuma vitri inſtar ſplendet: alia candida, levis, foraminoſa, ut ſpongias prorſus imitetur. Hæc rarior exit, nec omnibus fuſionibus ejicitur. De ea intellexit Plinius: *mirumque cum excoquatur vena aquæ modo liquari ferrum, poſtea in ſpongias frangi.* Hæ B ſpongiæ è ſpuma ferri oriuntur, in quas ferrum frangitur. In fornacibus, ubi liquatur ferrum, hoc cuilibet videre licet. Viri docti maſſas liquati ferri exponunt. Perperam. Ceterum hæc ſupernatans ſpuma, dum coquitur, ac ſeſe purgat, nihil ferri habet admixtum. Altera proprie σκωρία eſt, quæ jam fuſo ferro reperitur, cui & ferri aliquanta portio admixta eſt. Ideo tunditur iterum, & lavatur, atque in fornacem mittitur fundenda denuo cum reliqua terra ſideritide. Sic altera purgantis ſe materiæ, altera jam purgatæ vitium. Ita in ære alia eſt ſcoria, alia ſpuma, vel flos. In argento quoque idem eſt. Nam alia ἀργύρου σκωρία: C aliud ἄνθος ἀργύρου, vel ſpuma. Quidam tamen hæc confundunt: ut ecce in Lexico Jatrico λιθάργυρος exponitur ἀργύρου σκωρία. Κέρχνος non de auri, ſed argenti ſpuma dicitur. Exiſtent fortaſſe, qui duriores adamante capitones priorem illam de adamante, vel auri flore opinionem tuebuntur. Quippe quum in unaquaque re quod in ſuo genere præſtans ac perfectum eſt, Græci plerumque ſoleant ἄνθος vocare. Sic genus auri præſtantiſſimum χρυσοῦ ἄνθος indigetare potuerunt. Nam & ἀνθέμιον, τὸ ἔκλεκτον χρυσίου Græci interpretantur. Ἀνθέμιον idem quod ἄνθος. Ta- D le autem ipſis habitum aurum, quod ſine ignis opera perfectum per ſe inveniebatur. Id Græcis ἄπυρον. Sed & ἀδάμας, quod cum reliqua auroſa glarea, vel marmore tundi ac comminui non poſſet. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Hiſpania ſtrigiles vocat auri parvulas maſſas, quod ſuper omnia ſolum in maſſa aut ramento capitur, cum cetera metallis reperta igni perficiantur. Hoc ſtatim aurum eſt, conſummatamque materiam protinus habet cum ita invenitur.* Non alio vitio hic locus laborat quam interpunctione. Diſtingue igitur: *Hiſpania ſtrigiles vocat auri parvulas maſſas, quod ſuper omnia ſolum in maſſa aut ramento capitur. Cum cetera in metallis reperta igni* E *perficiantur, hoc ſtatim aurum eſt, conſummatamque materiam protinus habet, cum ita invenitur.* Plinio hæc loquutio familiaris: *quod ſuper omnia ſolum in maſſa aut ramento capitur*, id eſt, quod præcipue, quod præſertim, & cum maxime in maſſa, aut ramento capitur. Sic lib. XXVI. cap. III de Aſclepiade medico: *ſuper omnia eum adjuvere magicæ artes.* Fuit tamen quum diſtinguerem in eo Plinii loco: *Strigiles vocat auri parvulas maſſas, quod ſuper omnia. Solum in maſſa aut ramento capitur.* Nunc diſplicet. Nulla autem in illis auri ſtrigilibus ſignificatio τοῦ ἀποξύεσθαι, ut in vulgaribus, F quibus ſudor deſtringebatur, ſed *ſtrigiles*, vel *ſtringiles* illæ dictæ à ſtringendi, vel ligandi notione, quod aurum in has maſſulas ſtrictum ac per ſe coactum, nihil terreni admixtum haberet. *Stringile* τὸ σφιγκτόν. Ita Plinius *auri nodum* vocaverit hujuſmodi meri auri maſſulam in metallis repertam, quæ etiam ἀδάμας dicebatur. Sic *ſtricturæ* ferri maſſæ appellatæ à ſtringendo & colligando. Et ferrum *in ſtricturam cogi* Latini dicebant quod in maſſam & corpus ſtringitur ac ligatur, & coit in unum. Quod Græci συμπιπαίνεσθαι dicunt. Vide ſupra quæ notavimus. Plinius lib. XXXIIII. cap. XV de ferri differentiis, à ſtringenda acie dictas *ſtricturas* G autumat: *Stricturæ vocantur eæ omnes, quod non in aliis metallis à ſtringenda acie vocabulo impoſita.* Nugæ ſunt. Legebam aliquando: *ab adſtringenda maſſa.* Nam libri habent, *adſtringenda. Stringere aciem* Latinum non eſt. Apud Iſidorum habetur: *à ſtringendo apte vocabulo impoſito.* Quod probo. Eadem prorſus notione *ſtringiles*, vel *ſtrigiles* auri parvulæ maſſæ dictæ, quod purum putumque in metallo, vel ramento capiebatur. Aurum quippe non bene coit cum alia materia glareæ, vel marmoris, cui admixtum eſt in metallo. At ubi per ſe purum ac ſolum invenitur, perfecte ac plene corpus unum efficit ſolide conſtrictum ac colligatum. Hinc *ſtrigiles* illæ maſſæ dictæ, niſi à ſtringenda acie appellatas malis, quod ſcintillent acrius & micent. Sed minus placet. Perſius *ſtringere* etiam de auro uſurpavit, quod igne liquatum in unam maſſam conflatur & coit:

> *Hæc baccam conchæ raſiſſe, & ſtringere venas*
> *Ferventis maſſæ crudo de pulvere juſſit.*

At ſtrigiles illæ auri Hiſpanici nativæ, & natura, non igne in maſſam ſtrictæ & coactæ. Ceterum magno in pretio illud aurum veteribus, quod abſque coctione ſtatim perfectum ac purum reperiebatur. Arrianus in Indicis ἄπεφθον vocat hoc genus auri: καὶ εἶναι γὰρ καὶ παρ' Ἰνδοῖσι τὸν μαργαρίτην τριπλάσιον κατὰ τιμὴν πρὸς χρυσίον τὸ ἄπεφθον. Fors & de hoc genere auri capiendus locus Cant. XI. *Caput ejus aurum optimum.* In Hebraïco textu eſt, *kethem paz*, quod ſignificat maſſam auri puriſſimi, quale eſt ἄπεφθον. Aquila Græce reddidit, λιθέα χρυσίου. Novi doctores vertunt, *lapidea vel maſſa auri.* Abſurde. Nam λιθία ſcripſit Aquila, quæ vox non maſſam ſignificat, ſed lapidem pretioſum. Sic λιθία διαφανής apud auctorem peripli. Et Straboni λιθία ἀνθράκων, κρυστάλλων, μαργαριτῶν. Idem lib. XVI de topazio gemma: καὶ ἣν σύστημα ἀνθρώπων ἀποδεδειγμένον εἰς φυλακὴν τῆς λιθίας ταύτης, καὶ τὴν συναγωγήν. Quidam λίθειαν ſcribebant, ut ξύλειαν. At recentiores dixere λιθέαν pro gemma. Suidas: λιθείας πολυτελεῖς, τὰς λιθέας λεγομένας. Ita legenda illa verba Suidæ. In eclogis Baſilicorum, λιθέαν γλύψαι, gemmam ſcalpere. Et fortaſſean ita ſcripſit Aquila, & λιθέαν vocavit gemmam. Videndum igitur quid intellexerit Aquila per λιθίαν χρυσίου. An purum putum aurum ſic vocavit, quale in metallo reperiebatur, in maſſa vel ramento, quod ſtatim ſuum erat, ut loquitur Plinius. Sed hoc aurum λιθία non diceretur: nec λιθία idem quod maſſa. Nam, ut dixi, de ſolis gemmis hæc dictio ſumitur. An lapillum pretioſum annulo aureo clauſum ſic appellavit, λιθίαν χρυσίου? Ne id quidem verum arbitror. Ambroſius in Pſalmum CXVIII notat Aquilam eo loco vertiſſe *petram aurum*: & Symmachum *lapidem aurum.* Ergo ſcripſerat Aquila, λιθία χρύσιον, non λιθία χρυσίου. Ambroſius *petram* vertit λιθίαν. Symmachus autem λίθος χρύσιον. Quod Ambroſius interpretatur *lapidem aurum*, & ſignificare ait: *ſtabilem eminentemque ſapientiam.* Quod ſi ita illi ſcripſere, ut veriſimile eſt, id aſſerente præſertim Ambroſio, disjungendæ illæ voces tam apud Aquilam quam apud Symmachum, quos certum eſt ita ſcripſiſſe, κεφαλὴ αὐτοῦ λιθία, χρύσιον, aut, λίθος, χρύσιον, id eſt, *caput ejus gemma, aurum.* Idque ἀσυνδέτως conceptum eſt pro, *gemma, & aurum.* Multis locis ita loquitur ſacra Scriptura: ut apud Oſeam VIII. X. *propter onus regis, principum.* Ergo *kethem* eſt λιθία, hoc eſt, gemma, non auri maſſa. Quidam magiſtri expoſuerunt *margaritas*, quæ & ipſæ λιθίας nomine veniunt Græcis. Hieronymus ita reddit Proverb. XXV. cap. V. XII. *& margarita fulgens.* Ubi eſt *kethem* in Hebræo. Strabo: λιθία μαργαριτῶν. Quod ad πὰζ attinet, aurum multi interpretantur, ſed minime dubium eſt quin loci nomen ſignificet quod apud Danielem dicitur *Ophas*, & jungitur quoque cum vocabulo *kethem*, אוּפָז כֶּתֶם. Hoc poſſumus interpretari λιθίαν Ὠφάζ, id eſt, *gemmam ex Ophas.* Quid igitur prohibet quin & hoc loco exponamus *cethem paz*, λιθίαν Πάζ, *gemmam ex loco Paz.* Hæc erit τοπάζιον Græcorum ab inſula Arabiæ *Topazo* ſic dicta, ubi reperiebatur, quæ & Πάζιον appellabatur. Heſychius: Πάζιον ὃ καὶ τοπάζιον λίθος πολύτιμος. Ergo & inſula ipſa Πάζον & Τόπαζον vocabatur. Epiphanius Τοπάζην urbem Indiæ facit, ubi effodiebatur topazion. Stephanus: Τόπαζος, νῆσος Ἰνδική. Ita legendum. Ibidem Παζίους vocat hujus inſulæ incolas ex Alexandro Polyhiſtore. Sic enim legunt veteres codices: Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ φησὶν εὑρίσκεσθαι καὶ ἐν τῇ τῶν Παζίων νήσῳ, λίθον ὁμώνυμον τῇ νήσῳ, ὅμοιον τῇ χροιᾷ τῇ τοῦ νέου ἐλαίου. Non dubium eſt quin Πάζος inſulæ illius nomen fuerit apud Alexandrum Polyhiſtora, qui & πάζιον lapidem ibi inveniri ſolitum nuncupavit. Atque inde habet Heſychius, qui πάζιον nominat illam

lam gemmam & aliis nominatam notat. Nec sane ambigi debet quin hæc eadem sit regio, quæ in sacra Scriptura vocatur Παζ & Ὠπάζ. Ergo & *kethem Paz* est *lapis Pazius*, ut eum vocavit Alexander, qui aliis *topazius*. Strabo & Diodorus post Agatharchidem dictam olim hanc insulam Ὀφιῶδη à multitudine serpentum. Quum *Ophas* diceretur, putarunt nimirum ἀπὸ τῶν ὀφέων id nomen esse nactam, & *Ophas* interpretati sunt ὀφιώδη. Græci & Alexandrini mercatores Hellenistæ locorum omnia vocabula ad suæ linguæ modulum inflectentes τόπαζον pro *Pazo*, vel *Ophas* videntur huic insulæ nomen fecisse, quasi ἀπὸ τοῦ τοπάζειν significatione. Plinius: *Juba Topazon insulam in rubro mari à continente diei navigatione abesse tradit, nebulosam & ideo sæpe quæsitam navigantibus, ex ea causa nomen accepisse, Topazon enim Troglodytarum lingua significationem habere quærendi.* Navigantes illi sunt Græci, vel Ægyptii, qui nomen insulæ fecerunt. Nec enim de Troglodytis ipsis accipiendum, qui insulam incolebant. Patria sua illis quæsita non fuit, nec ignota. Præterea τοπάζειν in significatione quærendi mere Græcum est. Nam conjectura aliquid colligere & indagare significat. Falsus igitur heic Plinius, qui de suo illud addidisse videtur, *Troglodytarum lingua.* Ita scilicet putavit. Sic quum apud Dioscoridem legisset grana piperis inania & atropha vocari βρέγματα, ab Indis sic appellata hariolatus est. Sic *kethem Paz* est lapis Pazius, vel Topazius ex Pazo, vel Topazo. Non ignoro aliud esse vocabulum Hebraïcum, ex quo interpretes *Topazium* vertendo fecerunt. Quæ secunda gemma est in primo ordine pectoralis. Sed illud æque scio incerta illa omnia lapidum nomina esse, nec satis nota magistris ipsis. Denique aliis placet smaragdum potius esse quam topazium. Ut autem topazium ab insula Topazo Arabici sinus, ita alia insula in eodem sinu fuit, in qua eruebantur sapphiri, quibus & nomen dedit. Σαπφειρίνη dicitur Ptolemæo. Sic enim apud eumdem legendum. Stephanus: Σαπφειρίνη, νῆσος ἐν τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ. Ἐκ ταύτης ὁ σάπφειρος λίθος. Immo Σαπφεὶρ ipsius insulæ nomen, vel Σαπφείρ, ut Ὠφείρ, unde Σάπφειρος appellata. Hebræis *Sappir* lapis ille dictus eodem, ut apparet, cum loco nomine, ut *Ophir* aurum appellarunt, quod ex regione Ophir veniebat. Certe & *kethem Ophir* quidam de margaritis inde allatis acceperunt. Immo & de gemmis, ut *kethem* sit λιθία, ut in *kethem Paz*. Hesychius: Σωφείρ, χώρα ἐν ᾗ πολύτιμοι λίθοι καὶ χρυσὸς, ἐν Ἰνδίᾳ. Clare innuit quosdam de lapidibus pretiosis exposuisse illud *kethem Ophir*. Et sane ex eadem regione & gemmæ & aurum. Josephus Σώφειραν olim vocatam asserit illam regionem, & sequenti ævo χρυσῆν γῆν. Ea χρυσῆ χώρα Ptolemæo dicitur. De qua nos alibi. Hebræi magistri *kethem* pro nota, vel signo proprie sumi scribunt. Hinc Theodotion in sua versione illud *kethem Paz* dixerat ἐπίσημον χρυσίου, hoc est, insigne aureum. Perperam hodie verba Theodotionis citantur à doctoribus, ἐπίσημοι ἐν χρυσίῳ, & vertunt, *insignes in auro.* Quæ insignis est imperitia. Ἐπίσημον idem quod σημεῖον: ut ἐπίσημον Vau. Sed σημεῖα in vultu ἐπίσημα vocari notat Hesychius. Ergo non λιθίαν, aut gemmam simpliciter significarit, sed insignitam & scalptam, quæ Græcis σφραγὶς. Sed quidquid argutantur omnes interpretes, illud *kethem* Græcæ est originis κάθεμα, quod monile significat, auro & gemmis variatum. Inde illæ tam variæ expositiones, aurum, margaritas, gemmas, coronam, diadema, insigne, ea voce intelligentium. Nec defuere sane ex Hebræis magistris, qui peregrinam esse vocem agnoverunt. Hesychius: κάθεμα, ὁ περὶ στήθους ὅρμος. Polluci κάθημα ex Antiphane comico. Inde Latinum *cathena* ut Ὤκιμον, *Ocinum*. Ergo *kethem Ophir* est monile ex auro, vel gemmis Ophir: & *kethem Paz* ex lapidibus Paziis, vel Topaziis. Ut ad Plinium revertamur, in posteriore sententia adhuc sum, nec possum ab ea deduci, quidquid afferri queat contra: præcipue quum testibus nitatur & argumentis invictissimis. Ἄνθος χρυσοῦ, idemque ἀδάμας, auri spuma est, vel scoria, quam quare rarissimo auro comitem faciat Plinius, non video. Nisi quis dicat eo purius & excellentius aurum illud evadere, quod extiterit purgatius, omni veluti spurcitie ejecta. Quod certe

A verum est. Id quomodocunque accipere libuerit, nunquam effugiet Plinius, quin ridicula ac non toleranda ἀβλεψίᾳ posteritati sese traduxerit, dum ex auri genere quodam adamante appellato, genus unum fecit adamantis gemmæ. Tum quod ex argenti pulvere, quem Græci κέγχρον, aut κέγχρον in metallo dixere, alterum genus lapidis adamantis exsculpsit in argento repertum milii magnitudine. Plane huic similis hallucinatio, quod στόμωμα genus alterum squamæ in ære dici putavit, *ex summa scilicet lanugine decussum.* Dioscorides cum de squama æris scripsisset, quam λεπίδα χαλκοῦ vocant, protinus subjungit: Λεπὶς δὲ στομώματος δύναμίς ἐστιν αὐτὴ τῇ τοῦ χαλκοῦ λεπίδι. Plinius ita hæc B intellexit, quasi & στόμωμα λεπὶς esset. Quod ita interpretari debemus: *Squama stomoma eadem virtute prædita est ac squama æris.* Inepte. Λεπίδα τοῦ στομώματος intelligit, ferri scilicet durissimi squamam, quod *aciarium* vulgo vocamus. Ex alio recte eam expressit alio loco his verbis: *Squama quoque ferri in usu est ex acie aut mucronibus.* Hæc est λεπὶς στομώματος, squama ex acie aut mucronibus ferri. Glossæ: *Acciarum*: στόμωμα. Ita scripsere pro *aciarium* ab acie. Inde nostrum, *acier.* Id verbum veteribus incognitum fuit de ferro durissimo, quod etiam ἀδάμαντα Græci vocarunt. Ἀδάμας, γένος C σιδήρου. Idem alio loco: κέντρον τὸ ἐν σιδήρῳ ἀδαμάντινον. Induratam ferri aciem sequens Latinitas *aciarium* dixit. Græci στόμωμα. Nam στομῶσαι *indurare* glossæ exponunt. Immo *indurare aciem.* Plinius lib. XXXIIII. cap. XIIII de ferro: *Et fornacum magna differentia est. In iis equidem nucleus ferri excoquitur ad indurandam aciem, aliorumque modo, ad densandas incudes malleorumve rostra.* Hæc turpissime sic deformarunt correctores, quæ in veteribus ita scripta invenerant: *& fornacum magna differentia est nucleus quidem ferrum excoquitur in iis ad indurandam aciem alique modo sunt ad densandas incudes malleorumve rostra.* Quæ sic parva mutatione restituenda: *In aliqui-*D *bus ferrum excoquitur nisi ad indurandam aciem: aliquæ modo sunt ad densandas incudes malleorumve rostra.* Pliniana loquutio, *nisi* pro *non nisi.* Sunt aliquæ fornaces, in quibus ferrum excoquitur nonnisi ad indurandam aciem. *Acies* Plinio, quod Græcis στόμωμα, posterioribus Latinis *aciarium.* Ibidem de Parthico ac Serico ferro: *Neque alia genera ferri ex mera acie temperantur, ceteris enim admiscetur mollior complexus. In nostro orbe alicubi vena bonitatem hanc præstat, ut in Noricis: alibi factura, ut Sulmone aqua.* Ita distinguendus ac legendus ille locus: *ex mera acie temperatum ferrum*, ἀκραιφνὲς στόμωμα. Inde & *temperare* pro acuere, de quo supra. E Nam & στομοῦν Græci exponunt ὀξύνειν & ἀκονᾷν. Græci genera στομωμάτων ita apud se distinxere: Στομωμάτων τὸ μὲν Χαλυβδικὸν, τὸ δὲ Σινωπικὸν, τὸ δὲ Λύδιον, τὸ δὲ Λακωνικόν. Καὶ ὅτι Χαλυβδικὸν εἰς τὰ τεκτονικά: τὸ δὲ Λακωνικὸν εἰς ῥίνας, καὶ σιδηροτεύπανα, καὶ χαρακτῆρας, καὶ εἰς τὰ λιθουργικά: τὸ δὲ Λύδιον, καὶ αὐτὸ εἰς ῥίνας, καὶ μαχαίρας, καὶ ξυρὰ, καὶ ξυστῆρας. Primum igitur ac præstantissimum Chalybdicum, sive Chalybicum aciarium à Chalybibus Ponti populis. Hi & nomen generis fecere. Nam *chalybs* pro ferro acie temperato, τὸ στόμωμα. Eudoxus apud Stephanum: ἐκ δὲ τῆς Χαλύβων χώρας ὁ σίδηρος ὁ περὶ τὰ στομώματα ἐπαινού-F μενος ἐξάγεται: *Ex Chalybum regione ferrum ad aciem faciendam laudatum advehitur.* Hoc Χαλυβδικὸν στόμωμα Daïmacho apud eumdem Athenæum in Poliorceticis: *Acies Chalybdica*, vel *Chalybicum aciarium*: uno verbo *chalybs.* Auctor peripli: σίδηρος Ἰνδικὸς, καὶ στόμωμα. Inter Chymicos Græcorum tractatus extat ratio conficiendi Indici στομώματος, περὶ βαφῆς Ἰνδικοῦ σιδήρου. Sed de ea nos alibi.

Utpote qui lymphationes abigunt, venenis resistunt, mentium vanos metus pellunt. Totidem verbis Plinius: *Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metusque vanos expellit à mente. Et ob id quidam eum anachiten* G *vocavere.* Hæc postrema Solinus omisit. Sane & corrupta vox anachites. Nihil enim significat, quod illi efficaciæ respondeat. Correxere aliqui, *eunacœten.* Alii *anachyten* volunt dictum quod animi mœrorem effundat. Nugæ. Lego: *& ob id quidam eum ananciten vocavere*, hoc est, ἀναγκίτην. Orpheus de galactite ex correctione nostra:

---- ὃν καλέουσιν ἀναγκίτην ἀδάμαντα.

In indice manuſcripto: *De adamante, ſive ancite.* Ita ſcriptum pro *anancite.* Sed cur ἀναγκίτης ἀδάμας quod mentium vanos metus pellat? Quæ ratio hujus appellationis? Id explicemus. Ἀνάγκη Græce dicitur quidquid animum ſuæ ſpontis eſſe non patitur. Ira, dolor, voluptas, metus, aliaque animi πάθη totidem ſunt ἀνάγκαι. Iſti enim affectus rapiunt nos ac trahunt quo ire nolumus. Cum aliquid facere cogimur, aut pati præter animi voluntatem, id etiam ἀνάγκη eſt. Unde ἀναγκοσιτεῖν, & ἀναγκοφαγεῖν dicuntur, qui non ad libitum ſuum comedunt, ſed alieno arbitrio. Hinc ἀναγκοφαγίαι pugilum, qui hanc ipſi ſibi neceſſitatem impoſuerant. In ſumma quod cuique alicui invito accidit, quod non poteſt effugere, hoc ἀνάγκη dicitur. Hinc μοιρῶν ἀνάγκαι Herodoto, θανάτου ἀνάγκη alii poëtæ, *fati neceſſitas* Horatio, μοίρας ἀνάγκη; paupertas, miſeria, egeſtas, & omnis κακουχία, quam vitare non licet, ἀνάγκη eſt. Diodorus: μέχρις ἂν κακούμενοι τελευτήσωσιν ἐν ταῖς ἀνάγκαις. Paupertas, ſive egeſtas ἀνάγκη eſt. Hinc *neceſſitas pauperum ſublevanda* Cypriano. Nos hodieque *neceſſitatem* pro egeſtate proprie dicimus. Vincula & carcer, ἀνάγκη. Inde ἀναγκαῖον locus carceris, τὸ δεσμωτήριον. Morbus quoque ἀνάγκη eſt corporis. Hinc σωματικὴ ἀνάγκη in Concilio Gangrenſi pro morbo: εἴ τις χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο: *citra corporis valetudinem.* Contumelia quoque & injuria quælibet, quam Græci ὕβριν vocant, ἀνάγκη eſt. Epiphanius de Audio, qui ſchiſma facere coactus eſt propter contumelias, quibus afficiebatur: σύμβουλον λαμβάνει ἑαυτοῦ τὴν ἀνάγκην τῶν ὕβρεων: ἑαυτὸν γὰρ ἀφορίζει τῆς ἐκκλησίας. Poëta neſcio quis ἀναγκομόναρχον vocavit, non legitimum monarcham, ſed tyrannum, qui per vim imperitabat. Heſychius: ἀναγκομόναρχος, τύραννος. In amatoriis rebus hæc vox etiam proprie uſurpata de his, qui philtro aliquo in amorem per vim inducuntur. Sed & ipſa philtra & amatoria ἀνάγκαι & καταναγκαι appellantur. Syneſius: καταναγκας καὶ καταδεσμοὺς. Inde herba quædam hoc ſibi nomen vindicavit, cujus uſus ad amatoria. Plinio *catanance* herba Theſſala dicitur. Dioſcorides ait mulieres Theſſalas ea uti ad amorum veneficia. Ideo appellata, quod amandi neceſſitatem faceret. *Eadem ex cauſa*, inquit Plinius ibidem, *& Cemos ſilebitur à nobis.* Hæc vera lectio, ut ex indice conſtat manuſcripto: *Catanance* I. *Cemos* I. *Calya.* Hæc herba *cemos* etiam in amatoriis pollebat. Quidam & καταναγκην ita dictam ſcripſere. Neophytus Monachus: Καταναγκη, οἱ δὲ δημὸν, οἱ δὲ κημὸν, οἱ δὲ δαμνάμενην. Alii leontopodium ita vocarunt, quod & ipſum amatoriis ἀνάγκαις utile exiſtimatum eſt. Dioſcorides: φασὶ δὲ καὶ ταύτην εὔχρηστεῖν εἰς τὰ φίλτρα. Græce κημὸς eſt capiſtrum. Inde illi herbæ nomen ab incapiſtrandis ac ligandis animis. Ab hac ligandi poteſtate λεοντοστέρης ἀχάτης dictus Orpheo, qui impetum leonum frænare ac ſiſtere poterat. Nam στρίζειν & στερίζειν idem. Unde & ἄστρος ἵππος non ligatus fune. Sic *adamantis* herba magica tantæ efficaciæ, ut ea admota leones reſupinarentur hiatu laxo. Plinius lib. XXIV. cap. XVIII. Ab invicta vi ſic appellata, ἡ ἀδαμαντὶς, non quod conteri non poſſet, ut de ſua mente adjecit Plinius. De leontofera achate nos ſupra. Leontopodium autem ſolvendi potius quam ligandi poteſtate præſtare quidam tradiderunt. Herbarium vetus ſub Apuleji nomine: *ſi quis devotus, defixuſque fuerit, ſic eum reſolves. Herbæ leontopodii frutices*, &c. Lymphationes, & vani metus, qui mentibus immitti ab aliquo numine irato credebantur, ἀνάγκαι etiam appellatæ. Et ſane metus ſuper cetera mentem maxime ſolet alienare & externare: ſic φρενῶν ἔκστασις proprie ἀνάγκη. Hinc Bacchylides γλυκεῖαν ἀνάγκαν σευομενᾶν κυλίκων eleganter vocat ebrietatem, quæ mentem ſui compotem eſſe non patitur. Vanos metus, qui à Corybantibus fieri putabantur, πικτὴν ἀνάγκην Orpheus vocat in thymiamate Corybantum:

> Κλῦθι μάκαρ φωνῶν, χαλεπὴν δ' ἀπόπεμπε μῆνιν
> Παύων φαντασίας ψυχῆς ἐκ πικτοῦ ἀνάγκης.

Corybantiaſmus eſt, quem πικτὴν ἀνάγκην appellat. In eo morbo phantaſmata, & imagines oculis obſervantur, & ſonores ſemper in auribus tinniunt. Ideo inſomniis maxime laborant; & ſi quando quietem capiunt, apertis oculis id faciunt. Plinius lib. XI. cap. XXXVII de oculis: *quin & patentibus dormiunt lepores, multique hominum, quos κορυβαντιᾶν Græci dicunt.* Ita omnino ſcribendum ex veteri ſcriptura, quæ habet: *quos Corybantia regrediunt.* Vanæ ac frivolæ Turnebi ac Scaligeri conjectationes. Ariſtophanes in Avibus:

> Ἀλλ' ἦ παραφρονεῖς ἐτεὸν, ἢ κορυβαντιᾷς.

Reſpondet alter:

> Οὐκ, ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.

Ergo κορυβαντιᾶν & dormire contraria ſunt, quatenus vigilare ſemper, & ſomnum oculis non capere credebantur Corybantes. Nonnus in Dionyſiacis, ἔθνος ἀκοιμήτων Κορυβάντων appellat. Inde κορυβαντιᾶν Græci dicebant eos, qui patentibus oculis dormiebant, etiamſi furore aliquo ab illis dæmonibus immiſſo id eis minime contingeret, ſed natura. Scholiaſtes Ariſtophanis de Corybantibus: οὗτοι οἱ δαίμονες μανίας καὶ ἐνθειασμοῦ εἰσὶν ἐμποιητικοί. Perperam Scaliger ad illos κορυβαντιῶντας refert hos verſus Varronis apud Nonium, quos ita legit:

> *Leviſomna mens ſonorinas imagines*
> *Adfatur, non umbrantur ſomno pupulæ.*

Ex Prometheo Varronis hos verſus citat Nonius, qui ſic legendi ſunt ex veterum librorum auctoritate:

> *Levis mens nunquam ſomnurnas imagines*
> *Affatur, non umbrantur ſomno pupulæ.*

De Prometheo hæc dicebantur, quem Caucaſo affixum vulture jecur redivivum tundente negabat dormire unquam. *Somnurnæ imagines* ſunt viſa nocturna, & ſomnia. Qui oculis ſomnum non capit, nec ſomnia poteſt videre, nec ſomnurnas imagines affari, quæ in ſomnis apparent. Æſchylus ἐνύπνια φαντάσματα vocat in Tragœdia Perſæ:

> Ἄγαν δ' ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων
> Ὄψεις.

Ad verbum ſunt ſomnurnæ imagines. Tibullus nocturnas imagines appellat:

> *Somnus nocturnis ludit imaginibus.*

Sic autem *ſomnurnus* à ſomnus, ut *nocturnus* à nocte: *menſurnus*, à menſe. Tertulliano quoque in libro de anima, *nocturnæ imagines* dicuntur de ſomniis. Ad rem redeamus. Corybantem precatur Orpheus, ut φαντασίας depellat ἐκ πικτοῦ ἀνάγκης, hoc eſt, mentis vanos metus & terrores, atque inſaniam ex magica aliqua devotione inflictam. Φαντασίαι proprie ſunt τῆς μανίας. Theophraſtus de ſtrychno: δίδοται δὲ αὐτῆς ἐὰν μὲν οὕτως ὥστε παίζειν, καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον εἶναι, δραχμὴ σταθμῷ. Ἐὰν δὲ μᾶλλον μαίνεσθαι, καὶ φαντασίας τινὰς φαίνεσθαι, δύο δραχμαί. Si quis inquit velit facere, ut aliquis ludos præbeat, propinet illi drachmam ſolani. Tum joculari inſaniæ genere laborabit, & hactenus tantum ut formoſus ſibi videatur. At ſi modum duplices, inſaniam majorem feceris, & imagines illi conſpicuæ obverſabuntur. Ergo legitimæ inſaniæ ſignum, imaginum apparitio & φαντασίαι. Plinius de eodem ſtrychno: *quippe inſaniam facit parvo quoque ſucco. Quanquam & Græci auctores in jocum vertere. Drachmæ enim pondere luſum gigni dixerunt, ſpecies vanas imagineſque conſpicuas obverſari demonſtrantes. Duplicatum hunc modum legitimam inſaniam facere.* Ita hæc legenda. Vulgo additur: *luſum pudoris gigni.* Quod abſurdum eſt. Theophraſtus: ὥστε παίζειν. Ludit ille & eum joco inſanit qui drachmam tantum è radice ſtrychni ebiberit. Huic joculari inſaniæ ſpecies vanas & conſpicuas obverſantes Plinius attribuit, at Theophraſtus legitimæ tantum & majori eaſdem aſſignat. Sed Plinius eumdem hunc locum partim è Theophraſti verbis, partim è Dioſcoridis concinnavit, & alterum ex altero perperam interpretatus eſt. Cui drachma ſtrychni data ſit, eum Theophraſtus dicit, παίζειν καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ εἶναι. Hic ludus eſt, & jocus quum, aliquis non ultra inſanit quam ut ſeſe formoſum eſſe imaginetur. Dioſcorides de ſtrychno manico: δύναμιν δὲ ἔχει ἡ ῥίζα πινομένη μετ' οἴνου δραχμῆς μιᾶς πλῆθος φαντασίας ἀποτελεῖν οὐκ ἀηδεῖς. Idem plane dicit Dioſcorides quod Theophraſtus. Qui ſibi pulcher videtur, hanc habet de ſe opinionem, quæ φαντασία eſt οὐκ ἀηδής. Hanc efficit radix ſtrychni drachmæ pondere

dere in vino pota. Hæ φαντασίαι in animo sunt, dum id credit quod non est in veritate. Unde φαντασιοκοπεῖοι dicuntur, qui falsis persuasionibus laborant, & φαντασιοκόποι, qui modo hoc, modo aliud sibi imaginatur, & semper quod vult verum esse putat. Dioscoridem sequitur Aëtius, qui strychnon drachmæ pondere potum ἀβλαβῆ esse dicit, & μόνας φαντασίας ποιεῖν, id est, opiniones ingenerare. At φαντασίαι Theophrasto longe alterius notionis. In legitima insania & mentis motæ excessu eas locum habere innuit. Nec simpliciter φαντασίας vocat, sed φαίνεσθαι ait. Ἐὰν δὲ μᾶλλον μαίνεσθαι, καὶ φαντασίας τινὰς φαίνεσθαι, δύο δραχμάς. Igitur qui duo drachmas solani furiosi sumpsit, vere insanit & imagines videt. Diversæ hæ φαντασίαι ab illis quas efficit potum drachmæ mensura. Opiniones illæ sunt falsæ; sed ridiculæ & joculares ex imaginatione parum constanti profectæ. Istæ falsæ sunt imagines, & vanæ species, quas ut mens in cursu insaniæ sibi fingit, ita etiam oculis repræsentat. Unde vani pavores & lymphationes oriuntur. Nam & *lymphaticos* dictos eos putarunt, quos nympharum species visæ in furorem adegissent. Festus: *vulgo autem memoriæ proditum est, quicumque speciem quandam è fonte, id est, effigiem nymphæ viderint furendi non fecisse finem, quos Græci νυμφολήπτους, Latini lymphatos appellant.* Ubi *species* idem quod *spectrum* & ab eadem origine. Eo sensu & Plinius *species vanas* dixit τὰ φάσματα, φαντασίας φαινομένας. Et recte profecto ille φαντασίας loco eo Theophrasti *conspicuas imagines & vanas species obversantes* interpretatur, sed male eas cum Dioscoridis φαντασίαις confudit, quæ nihil aliud sunt, quam vanæ imaginationes in illo homine, qui se formosum esse sibi persuadet, quum minime sit. Addit idem Dioscorides: δύο δὲ καὶ δραχμαὶ ποθεῖσαι ἐξιστᾶσιν: *duæ drachmæ potæ legitimam insaniam efficiunt.* Ita Plinius reddidit. Hi sunt qui imagines vident, quas dicit Theophrastus, & qui legitime insaniunt. Φαντασίαι φαινόμεναι sunt *spectra*, sive species vanæ, quæ uno verbo dicebantur φάσματα. Plinius recte vertit *imagines conspicuas.* Eadem & φαντάσματα. Sed grammatici ita distinguunt, ut φάσμα sit veritate simillimum, ut quum ejus formæ, quæ in rerum natura est, imago conspicitur: Φάντασμα extraneæ & invisitatæ figuræ. In versu Orphei φαντασίαι sic accipiendæ sunt:

Παῦσον φαντασίας ψυχῆς ἐκ πηγῆς ἀνάγκης,

id est, vanas & frivolas imagines, quæ terrores ineptos incutiunt. Stellas transcurrentes, quos Græci διάττοντας ἀστέρας vocant, Apollonii scholiastes φαντασίας ex Musæo appellat ad lib. IIII: τὰς δὲ τοιαύτας φαντασίας ὁ Μουσαῖος ἀναφερομένας φησὶν ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ ἐς τὸν αἰθέρα ἀποσβέννυσθαι. Epiphanius jaspin ἀπελαστικὸν εἶναι φαντασιῶν tradit, & ἀχάτην εἶναι φαντασιῶν. *Spectra* intelligit & imagines conspicuas, quæ φάσματα alibi vocat. Dionysius ἴασπιν ἠερόεσσαν canit esse.

Ἐχθρὴν ἐμπούσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

Hæ sunt, quas φαντασίας vocat Epiphanius, id est, imagines, vel spectra. Catullus:

---- *nec rogate*
Qualis sit, solet hæc imaginosum,

id est, μαίνεται, φρενιτίζει, *imaginibus laborat.* De strychni alio genere, quod etiam mentem movet, elegans apud Plinium locus habetur eodem capite, quem imaginosi correctores corrupere. Sic enim vulgo legitur, ut ab his depravatus est: *halicaccabi radicem bibunt qui sunt vaticinandi callentes, quod furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt.* Scripti codices hæc aliter concipiunt, hoc nempe modo: *halicaccabi radicem bibunt, qui vaticinare gallantes quo vere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt.* Non pro insano fecerit, qui corrigendum contendet: *qui vaticinari gallantesque furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt.* Qui volebant aspici furere gallantes & vaticinari, quasi ab alicujus numinis inspiratione immisso furore, quia id pertinebat ad confirmandas religiones, radicem halicaccabi solebant bibere, ut ἔκστασιν inde conciperent, & numine repleti viderentur. *Gallantes* de Gallis matris Idææ, vel Deæ Syriæ sacerdotibus, ut *bacchantes* de Bacchis. Varro apud Nonium: *Quum illo venio, video Gallorum frequentiam in templo, qui dum esset cœnæ hora, jamque adlatam apponeret Ædilis signo esui, Deam gallantes vario de-*

A *tinebant studio.* Sic totum eum locum lego, & rationes reddam & explicationem. Notabis interim *ædilem* ibi pro æditituo τὸν νεωκόρον, quod glossarum auctor non omisit. Idem Varro ibidem:

Nam quæ venustas his adest gallantibus.

Nonius: *Gallari, ut bacchari.* Ita scribendum, non ut est vulgo in optima editione: *Gallare, id est, bacchare.* In libris legitur: *ut est baccari.* Unde faciendum erat: *est ut bacchari.* De ementito furore Gallorum, & ficta vaticinatione, & gallandi modo videnda octava Apuleji Milesia. Herbam autem eam, quam sumebant, ad hoc, ut entheato spiritu pleni viderentur, *bellonariam* & *vaticam* appellatam testis est Apulejus alter in herbario. Hæc obiter.

B Φαντασίαι ἐκ πηγῆς ἀνάγκης sunt terriculamenta ex vanis speciebus objecta, quæ vel ex magica devotione, vel alicujus numinis præsentia immitti credebantur. Πῆξις vocabulum est magicæ vanitatis. *Defixionem* Latini dixere. Hyæna apud Aristotelem πῆξιν facere dicitur omni animali, quod ter lustraverit. Ita enim legendum, non πλῆξιν, supra docuimus. Plinius: *& quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter lustraverit, in vestigio hærere.* Hæc est πῆξις, quum aliquis veluti defixus hæret in vestigio. Hinc *stupore defigi* dicuntur, qui præ admiratione in stuporem dati in vestigio hærent. Lucianus: πεπηγὼς ὑπὸ θαύματος, *admiratione defixus.* Arnobius lib. VII: *eos partes inter utrasque debere hæsitare: defigi, nec reperire quid faciant.* Vetus auctor anonymus de vita Alexandri: εἶπε δὲ αὐτῷ ἡ Ὀλυμπιὰς, προφῆτα πέπηγας ἰδών με. Antiqua versio Latina: *Olympias ait, quid ita defigeris, ô propheta, ubi me intueris?* Aliquando & *figere* eodem sensu usurpant, ut Græci πῆξαι pro devincire ac ligare & immobilem præstare. Propertius lib. II. Eleg. XI.

C *Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles*
Excipere, & stricto figere avem calamo.

D Fallitur si quis heic putat *avem figere calamo* ea notione accipiendum, qua *columbam figere* dixit poëta: aut alius, *damas figere*, & tigres: & Firmicus, *pisces cuspide, vel tridente figere*, quod est jaculo, vel sagitta trajicere, & transfigere. Non de sagitta heîc intelligit Propertius, sed de calamo aucupatorio, vel crescente arundine, quæ aves tangebat, ac veluti fixas vinctasque capiendas dabat. Non *stricto* igitur, sed *structo* legendum:

---- *& structo figere avem calamo.*

E Per *structum calamum* designat crescentem arundinem, de qua diximus supra. *Textas arundines* dixit Petronius: σύνθεσιν καλάμων vetus epigramma, id est, *structuram calamorum.* Moschus de aucupe:

Καὶ καλάμως σύμπαντας ἐπ' ἀλλήλοισι συνάπτων.

Ex his puto intelligere potes, quid vocet *structum calamum* poëta. Sic alio loco venationem leporum, & aucupium conjunxit, quod fit calamo viscato. Lib. III. Eleg. XI.

Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba benigna focis.
Et leporem quicunque venis, venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo præmia: sive cane.

F Hæc προσωποποιΐα Panis tota pæne ad verbum ex Græco epigrammate Leonidæ Tarantini versa est, quod in nostra collectione habetur, & nondum est editum: sic autem habet:

Ὡς παρὰ τοῦ Πανός, Λεωνίδα Ταραντίνου.
Ἰνάχεῖ λαγόθηρα, καὶ εἰ πετεινὰ διώκειν
Ἰξευτὴς ἥκεις τοῦθ' ὑπὸ δισσὸν ὄρος.
Κἀμὲ τὸν ὑληωρὸν ἀπὸ κρημνοῖο βόασον
Πᾶνα, συναγρεύσω, καὶ κυσὶ, καὶ καλάμοις.

G Verti etiam ego Latine, non ut cum Propertio contenderem, sed ut ostenderem posse aliter verti ad verbum:

Qui leporum venator ades, non irritus ibis,
Quique sub hoc gemino monte sequeris avem.
Et me silvicolam Faunum de rupe vocato,
Seu calamis comitem, seu cupis esse cani.

Ex tempore hæc effudi. Vides calamum de aucupatorio & viscato debere accipi. Aucupii præses Pan, sive Faunus veteribus habitus, ut & venationis leporum.

rum. Ideo hæc jungit Græcus auctor, ut & Propertius. Idem lib. IIII.

---- sed harundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.

Hoc etiam clarissime demonstratur alio epigrammate veteris poëtæ Satyri, quod & ipsum ἀνέκδοτον, nec indignum heic legi:

Εἴτε σύγ' ὀρνεόφοιτον ὑπὲρ καλαμῖδα παλύνας
 Ἰξῷ ὀρειβατέεις, εἴτε λαγοκτενέεις.
Πᾶνα κάλει, κυνὶ Πὰν λασίε ποδὸς ἴχνια φαίνει
 Συζεστιν ἀκλινῶν Πὰν ἀνάγει καλάμων.

Quæ sic obiter reddidi:

Seu tu forte jugis viscata fallere virga
Tendis avem, lepores sive agitare placet,
Pana voca: pedis hic canibus vestigia monstrat
Villosi: structos erigit hic calamos

Egregie his confirmatur emendatio & explicatio nostra Propertiani loci. Habes quid proprie sit *figere*, ac *defigere*. Ad res magicas translatum id verbum, ut *devincire* & *ligare*. Quicunque in aliquo actu quocunque genere magicæ artis prohibetur facere quod vult, aut à naturali functione aliqua impeditur, defixus & devinctus intelligitur, quamvis id fiat simplicium herbarum, aut verborum potestate, nullo adhibito nodo, aut ligatura. Utriusque porro verbi in hac re eadem proprietas. Nam qui defixus est haud magis se movere potest, quam si devinctus esset. Ideo *defixiones* καταδεσμὰς & νεκυομαντίας exponunt optimæ glossæ. *Defixio* proprie est πῆξις. In his quoque, ut dixi, locum habuit vox ἀνάγκη. Quippe qui ἀναγκάζεται haud magis suæ spontis est, aut arbitrio suo utitur quam si defixus, aut constrictus esset vinculis. Πηκτὴν ἀνάγκην dixit Orpheus τὴν πῆξιν, aut καταδεσμὸν magicum. Paulus sententiarum lib. v. cap. XXIII. *Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint.* Plinius noster lib. XXVIII. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* At de hoc verbo perperam Ovidii versum interpretantur viri in his literis summi:

Sagaque phœnicea defixit nomina cera.

Immo scribendum: *definxit numina cera.* Cereas imagines intelligit, quas veneficæ fingebant, sagis etiam nostris hodie non incognitas. Idem poëta:

---- simulacraque cerea fingit.

Defingere idem quod fingere. Horatius:

Defingis Rheni luteum caput.

Ad defixiones quidem his imaginibus utebatur, sed aliud *defingere*, aliud *defigere*. Hoc vocabulo significatur effectus defictæ imaginis. Non bene etiam apud Ciceronem in legibus legunt: *Quæ augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit.* Quid enim esset, *dira & injusta defigere?* Verbi hujus vim non intelligunt, quibus ita legere placet. Melius alii scribunt: *vitiosa, dira deixerit*, hoc est, dixerit. *Defigere* diris aliquem, incantationibus, maleficis herbis & aliis veneficiis sagæ dicebantur, hoc est, πῆξαι ἢ καταδεσμεῖν. At *verba defigere*, aut imagines, quid sit, nescio. Græci quoque antiquissimi verbis δεδέσθαι & καταδεδέσθαι hoc sensu usi sunt. Harpocration: καταδεδέσθαι, ἀντὶ τοῦ πεφαρμακεῦσθαι, καὶ δεδέσθαι φαρμάκοις. Δείναρχος ἐν τῇ κατὰ Πυθέου εἰσαγγελίᾳ: *veneficio devinciri ac defigi.* Inde καταδεσμὸς pro veneficio. *Nodum Veneris* aliqui hodie appellant, alii *fascinum*, quum quis in nuptiis suis virum mulieri suæ fungi malefica arte prohibetur. Prior appellatio magis idonea est. At *Veneris vincula* in Pharmaceutria aliud sunt. Fascinum de alio genere dicitur. Nescire se porro viri docti fatentur, quem latinum huic rei, qui aptus sit & conveniens titulum attribuant, nec putant hujus fascini, ita enim vocant, nomen proprium apud antiquos extare. Si maleficium hoc veteribus cognitum fuit, oportet & nomen, quo id exprimerent, notum aliquod fuisse. Non speciali, sed generali ad hanc rem vocabulo usi sunt, quo omnia maleficia magica designarunt. Hoc *defigere* est, & *obligare.* Quod huic veneficio adprime convenit. Etenim cui arte magica membra illa sic præpediuntur, ut vim suam non possint exerere, ligatus & defixus intelligi debet. Idque verbi in hac ipsa re usurpavit vetus auctor Apulejus ψευδώνυμος in herbario suo de herba leontopodio: *si quis devotus defixusque fuerit in suis nuptiis, sic eum resolves.* Ergo *defixionem* & καταδεσμὸν proprie nuncupare liceat hunc Veneris nodum, vel, ut vocatur vulgo, *ligulæ ligaturam.* Immo & *nodum magicum*, ut est apud Tibullum:

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Nodum aliquem, aut verum vinculum, quo brachia constricta haberet, imaginari heic non licet. *Magicus nodus* est καταδεσμὸς ac *defixio.* Tertullianus in libro de Spectaculis *devinctiones magicas* vocat: *vis homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus perfici.* Quæ eadem sunt. Cui pars illa, qua viri sunt, magica arte ad eam impotentiam redigitur, ut officio suo satisfacere nequeat, magico nodo religata intelligi debet. Nodus ille non ad dissolvendum amorem contractum proprie pertinet, sed ad impediendam virilitatis facultatem. Hoc cum fit, amor etiam consequenter dissolvitur. Qui non potest hærere, ubi membra illa maleficio contacta sunt ac funerata. Exemplum habes apud Tibullum, Ovidium, & Petronium. Proprie igitur, ac Latine *magicum nodum* dicere liceat hoc sortilegium, quo in nuptiis suis aliqui prohibentur officium virile facere. Nodum hyænæ dixit Lucanus pro magico impedimento, ac defixione, quam facit hyæna lib. VI: ubi res omnes magiæ servientes enumerat:

Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ.

Ἡ πῆξις τῆς ὑαίνης. Ita vocat Aristoteles, ut supra notavi. Plinius de hyæna: *Et quibusdam magicis artibus omne animal quod ter lustraverit, in vestigio hærere.* Hæc est magica πῆξις, vel magicus nodus, quo illaqueat eos, quos ter lustraverit. Quod notandum. Alias *nodus* etiam pro qualibet remora & impedimento ponitur Latinis. Florus lib. IV. cap. II Antonium vocat *publicæ securitatis scopulum, nodum & moram.* Prudentius in Hamartigenia:

Ense ferit dominum pugnæ, nodumque, moramque
Quo pereunte trahat captivos liber amictus.

Proinde eleganter ac vere *nodus Veneris* dici potest ea magica defixio, qua Venus impediebatur. *Devotos* etiam dixere, qui malefica arte defixi Veneris munus implere non possent. Tibullus:

Admonuit nostræ, deseruitque Venus.
Tum me discedens devotum fœmina dixit.

Idem:

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus.

Virgilius in Ciri:

---- Jolchiacis animum defigere votis,

hoc est, devovere, ac defigere, vel ligare. Huic contrarium *solvere.* Virgilius:

Hæc se carminibus promittit solvere mentes.

Tibullus:

---- nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus, aut herbis solvere posse meos.

Apulejus loco supra citato: *si quis devotus, defixusque in nuptiis suis fuerit, sic eum resolves.* Iisdem nempe modis ligabant, & solvebant, cantibus nempe, & herbis. Hæc enim duo præcipue nominant poëtæ. Hinc sortilegium nobis dicitur carmen, *charme.* Et inde verbum *charmer* pro carminibus devovere aliquem ac defigere, quasi *carminare.* Glossæ *devotiones* interpretantur ἐπῳδάς. *Magicarum devotionum* mentio apud Apulejum aliquot locis, quæ eamdem habent cum defixionibus, vel devinctionibus significationem, certe eumdem effectum. Qui vota facit ac se devovet, ligare se intelligitur. Unde *votis caput obligare* Horatio. Sidonius Epist. VI. lib. VIII: *ligant votis, solvunt victimis.* Sed & qui alium devovent, diris eum & imprecationibus defigunt ac devinciunt. Quod & *obsecrare* dicebant. Cujus contrarium *resecrare*, quod est solvere obsecratione, ac devotione liberare. *Vota* apud Virgilium pro devotionibus magicis:

---- Jolchiacis animum defigere votis.

Ἀναθεματίζειν in sacra Scriptura idem volunt significare, diris nempe defigere ac devovere. Quod Patres *anathematum vinculis innodare & constringere* sæpe dicunt. Hesychius: ἀνάθεμα ἐπάρατος ἀκοινώνητος. Duas hujus

jus vocis significationes attulit, quarum ultima sola vera est. Qui ἐπάρατον & maledictum hoc nomine intelligi volunt, ἀνάθημα & ἀνάθεμα confundunt, & utrumque pro re dedicata & consecrata accipiunt. Profecto ἀναθεῖναι est dedicare & consecrare. Phlegon: κολοσσὸν ἀνέθεσαν, colossum dedicarunt. Pollux: ἀναθήματα ποιήσασθαι, ἀναθεῖναι εἰς τὸν νεών. Quod verbum significationem habet imponendi & suspendendi. Hesychius: ἀναθεῖναι, ἐπιθεῖναι. Nusquam autem ἀνάθημα apud Græcos in malam partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθεμα dixere pro ἀνάθημα. Ut hinc liqueat aliud esse ἀνάθεμα, aliud ἀνάθημα, licet contra sentiant viri in his literis doctissimi. Re quidem ipsa devotum & maledictum hominem significare potest τὸ ἀνάθεμα, sed verbi notio alia est, quæ proprie separatum ac semotum designat, ut ex his verbis Pauli constat Epist. ad Romanos cap. IX. ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, id est, *separatus & alienatus a Christo*. Recte itaque Hesychius ἀκοινώνητον exposuit. Quæ proprietas non cadit in vocabulum ἀνάθημα, quum pro donaria ac re templis dicata sumitur. Hesychius hoc sensu ἀνάθημα κόσμημα interpretatur. Ad ornamentum quippe templi offerri & adpendi hæc ἀναθήματα solebant, ut erant phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, corollæ, & similia. Longe igitur aliud ἀνάθεμα, & peccant gravissime qui confundunt. Ἀνάθημα Græcis non dicitur de omni re, quæ diis consecrabatur, sed de illo tantum genere donorum, quæ suspendi poterant, aut in excelso & conspicuo loco statui, ut essent templis ornamento, qualia ea sunt quæ supra diximus. Pollux: τὰ δ' ἀναθήματα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ στέφανοι, φιάλαι, ἐκπώματα, θυμιατήρια, χρυσίδες, ἀργυρίδες, οἰνοχόαι, ἀμφορίσκοι. Et Lucæ locus clare ac diserte testatur ἀναθήματα ea tantum dici, quibus templum ornaretur. Cap. XXI. v. καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται. Hinc apud primum & vetustissimum poëtarum ἀνάθημα pro quolibet ornamento:

---- τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Hæc enim epularum ornamenta, κοσμήματα. At de terra, aut agro, aut ædificio, aut pecore, aut arbore, vel etiam homine diis consecratis ac dedicatis nemo apud Græcum ullum scriptorem ἀνάθημα positum legit. Ἀνετὰ & ἀνειμένα dicunt quæcunque ex eo genere diis consecrantur. Herodes:

---- ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἧκε.

Pollux, ἀνειμένα θεοῖς ἄλση καὶ τεμένη. Et Callimacho ἀνειμένα δένδρεα, sacratæ arbores: ἀνετὰ ζῶα, Diis sacrata. Harpocration: ἀνετὸν, ἀντὶ τοῦ ἱερὸν καὶ ἀνειμένον θεῷ τινι. Dicebant & ἀφορίζεσθαι præcipue de agri parte, quæ ab reliquo fundo separabatur, ut deo alicui dedicaretur. Hesychius: τεμένη, ναοὶ, ἄλση, ἢ τὰ ἀφωρισμένα εἰς τιμὴν χωρία. Quod idem verbum usurparunt Hellenistæ interpretes Levitici cap. XXVII. XXI, de agri consecratione, ἡ γῆ ἀφωρισμένη. Pro quo in Hebræo est, *Sede cherem*. Iidem Hellenistæ consecrationem omnem hominis, pecoris, agri, quæ Deo fiebat, vocarunt ἀνάθεμα. Ita enim ubique legendum, non ἀνάθημα. In Hebræo est *cherem*. Quod vocabulum à verbo *charam* deducitur, & significat proprie rem aliquam ab usu communi eximere ac segregare, ut Deo consecretur. Græci ἀφορίζειν dicunt, & ἀνεῖναι. Atque inde per metaphoram pro *perdere* positum, quia res ei perit, à cujus usibus abscinditur, ac Deo vindicatur. Ita Græci ἀφορίζειν ἐκ τοῦ βίου dicunt, *vita exterminare*. Ita Latini vocarunt *eximia pecora* quæ à reliquo grege eximebantur, ut Deo alicui sacrarentur, aut ad sacrificium servarentur. Eadem & *egregia* è grege selecta, & ex omni numero separata. Græci quoque ἀφωρισμένα appellant. Hesychius: ἀφωρισμένα, ἐκλελεγμένα, διακεκριμένα. Hoc proprie ἀνάθεμα, res nempe separata & semota à reliquo corpore & numero, aut ab usu privati alicujus exempta, ut Deo dicaretur. Nec mirabitur tam diversæ significationis esse ἀνάθημα & ἀνάθεμα, qui scierit æque in diversa notione poni τὸ ἀναθεῖναι, & τὸ ἀναθέσθαι. Exempli gratia, ἀναθεῖναι φιάλην εἰς τὸν νεών, *phialam in templo dedicare* significat. Et statua aut phiala sic dedicata proprie ἀνάθημα. At ψῆφον ἀναθέσθαι longe alio sensu dicitur, nempe calculum reducere, ac sua sede movere. Atque inde ἀνάθεμα.

A Græce est θέμα positio, situs, regio: ἀνάθεμα contrarium est, quod ex sua sede ac regione deducitur, ac removetur, vel potius ipsa mutatio ac remotio, idem nempe quod ἀφορισμός. Hinc Suidas ἀνατίθεμαι exponit ἀθετῶ. Suidas ἀναθέσθαι ψῆφον interpretatur μεταθέσθαι. Apud Antiphontem ἀναθέσθαι βίον est priorem vitam mutare & corrigere, ab antiquo instituto recedere, ut faciunt quos anteactæ vitæ pœnitet. Sic apud Menandrum ἀναθέσθαι λόγους, mutare quæ dixeris & indicta velle:

---- ἐκφυγοῦσα δ' ἣν εἶχεν νόσον,
Οὐκ ἔχε τοὺς ῥηθέντας ἀναθέσθαι λόγους.

B De hoc verbo vide quæ notamus ad Historiam Augustam. Nec enim heic sunt repetenda. Differentiam significationis in his duobus verbis, non verbum ipsum facit quod idem est, sed propositio. Nam ut aliud significat τὸ ἀνὰ in verbo ἀναβάλλειν, quod est *sursum jacere ac mittere*, aliud in verbo ἀνακαλεῖν, quod est *revocare*, ita alia est omnino notio τοῦ ἀνὰ in verbo ἀναθεῖναι, & in verbo ἀναθέσθαι. Ergo ἀνάθεμα proprie est separatio ac segregatio ab aliquo corpore & societate. Qua voce in hoc sensu passim usi sunt post Apostolos antiquæ Ecclesiæ patres. Idem quippe est τὸ ἀναθεματίζειν, & τὸ ἀφορίζειν. C Suidas ἀφόρδιον exponit τὸ ἀπελαθῆναι καὶ ἀφορίζεσθαι ἄξιον. In plerisque quidem Conciliis ἀναθεματίζεσθαι in solis laïcis locum habet, qui ab Ecclesia extorres fiunt. Nam presbyteri propter idem delictum removebantur tantum ab ordine, & in Ecclesia retinebantur. At in Concilio Gangrensi tam clericis quam laïcis una pœna infligitur, τὸ ἀνάθεμα. Quod tamen commode exponendum est. Nam ἀνάθεμα presbyteri remotionem & ἀποτέλωσιν ab ordine & gradu significat, laïci vero ἀνάθεμα depulsionem ab Ecclesia. Et sane qui ab ordinis sui cœtu rejicitur, ἀνάθεμα est, ἀπὸ τοῦ κλήρου καὶ τῆς τάξεως; quod & μετατίθεσθαι τῆς τάξεως dicitur in Synodo D Neocæsariensi: πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι. Idem porro est ἀναθέσθαι & μετατίθεσθαι, ut supra ostendimus. Nihil aliud igitur significat τὸ ἀνάθεμα quam τὴν ἀπόβλησιν, ἀποτέλωσιν, ἀφορισμὸν ab Ecclesia, & communione fidelium. Nulla prorsum devotionis, aut consecrationis in hac voce significatio, ut persuasum hactenus fuisse video viris doctissimis. Quia vero pro magno malo ducitur extorrem fieri, & exulare ab eo corpore & societate, cujus te cupis esse participem, ex eo vice imprecationis usurpatum est. Ut enim qui sibi credi volunt aliquid affirmantibus, solent dicere, *ne vivam, peream, intestabilis sim, nisi hoc* E *fit*, ita Judæis & antiquis Christianis sollemnis in jurejurando formula *anathema sim*, hoc est, à Synagoga & Ecclesia exclusus. Unde & καταναθεματίζειν, sibi tale anathema imprecari. Apud Matthæum cap. XXVI de Petro Dominum abjurante: τότε ἤρξατο καταναθεματίζειν, καὶ ὀμνύειν ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον. Anathema sibi ipsi imprecabatur, si hominem vidisset. Male vertunt: *tunc cœpit seipsum devovere*. Nec melius vulgaris: *tunc cœpit detestari*. Nec recte Erasmus: *execrari*. Sed de eo nos alibi latius. Ἀναθεματίζειν veteres patres Latini *anathematum vinculis innodare* sæpe vertunt. Quod est exponendum. Nec enim *devovere* significat, quod etiam F devotionum καταδεσμοὺς passim legimus. Sua quemque ligant peccata. Hinc σειραὶ peccatorum apud Apostolum. Sidonius Apollinaris:

Præceptum solvens, culpa nos perpete vinxit.

Multa à Philosophis in hanc sententiam disputantur, vitia & affectus, unde peccata oriuntur, animum veluti mancipium vinctum attinere, eique imperare, nec suæ spontis illum esse permittere. Nec aliter judicat civilis vita, quæ criminis alicujus reos, ἐνόχους vocat, quasi ligatos & constrictos. Hinc illa apud Comicum loquutio:

Audin tu? hic furti te alligat.

G Ita legendum, id est, reum te furti efficit: furem te manifestarium probare intendit. Hoc præcipue de confessis reis, quia pœna tenentur, & obnoxii sunt. Rei ligantur, innocentes absolvuntur. In foro quoque conscientiæ, & regimine Ecclesiastico, ut eadem res, ita eadem loquutio obtinuit. Pœna autem non alia fuit delinquentibus in Ecclesia Dei proposita, quam ἀνάθεμα, id est, separatio ab ipsa Ecclesia, & communione

nione fidelium: cujus tempus statuebatur pro peccati qualitate, & pœnitentia ejus qui deliquerat. Tota potestas ligandi & solvendi, quam Dominus Apostolis suis pro indiviso reliquit, hinc pendet. Ligabantur, qui propter aliquod delictum ab Ecclesia ejiciebantur. Rursus solvebantur ligati, quum peracta legitima pœnitentia Ecclesiæ & communioni reconciliabantur. Hinc ἀναθεματίζειν, ligare, & anathematum vinculis constringere exponunt, quod extra Ecclesiam pellere significat. Hac sola pœna constringebantur, qui peccatis suis indignos seipsos constituebant communione fidelium. Ad eamdem notionem pertinent claves regni cœlorum Petro & reliquis Apostolis traditæ. Claudere & ligare sunt ἀνάλογα, ut aperire & solvere. Verba Domini apud Matthæum: καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. In sacra Scriptura semper ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν pro Ecclesia sumitur. Ligatus intelligitur, cui Ecclesiæ ingressus interdictus est: solutus, cui aditus in Ecclesiam liber est. Ita Græci interpretantur. Vetus auctor apud Suidam: ἐντεῦθεν ὁ Πέτρος τὸν Χριστὸν υἱὸν θεοῦ τοῦ ζῶντος ὀνόμασε, καὶ τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν πιστεύεται βασιλείας, ἵνα ἀνοίγῃ μὲν τοῖς πιστοῖς, ἀποκλείῃ δὲ τοῖς ἀπίστοις τῶν θείων ἀνακτόρων τὴν εἴσοδον. *Ad hoc claves regni cœlorum Petro creditæ, ut fidelibus aperiat fores sacrarum ædium, infideles autem ab ingressu earum arceat.* Sed de his alibi contra eorum sententiam, qui potestatem deponendorum è solio regum sub hac clavium traditione comprehensam asserunt. Heic ea tantum exponimus, quæ ad significationem ligandi & solvendi explicandam facere visa sunt, quæ in magicis quoque obtinuit. Ergo *devovere*, *defigere*, *obligare*, verba magicæ artis propria, quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, fascinationibus animum ejus ac mentem quem devovet, ita præpedit & extra se ponit, ut sui officii meminisse non amplius possit, aut muniis naturalibus fungi. *Devincire* quoque & *obligare* eum dicimus, quem beneficiis nostrum facimus, ita ut suus pæne non sit, sed omnia nobis debeat. *Obligare* absolute etiam veteres Latini dixere pro beneficiis devincire: quod hodieque in idiotismo nostro usurpamus. Sic *mentem vincire Lyæo* apud Horatium. Nam vinum maxime plus æquo potum mentis ac corporis officia impedit ac veluti ligat. Sic quibus libertas loquendi quæ volunt, non conceditur, linguam eis ligatam vulgo dicunt Græci, γλῶσσα δ' οἱ δέδεται. Atque hæc hactenus de ligandi significationibus. Ἀναγκίτης igitur adamas, qui omnibus ejusmodi necessitatum vinculis animum solvit, vanis terroribus, lymphationibus, & aliis magicis defixionibus, ac καταδεσμοῖς, sive καταναγκαις. *Anancitis* etiam gemma apud eumdem Plinium recensetur libro eodem capite penultimo: *Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines deorum: synochitide umbras inferorum evocatas teneri.* Turnebus *anancitin*, hoc est, ἀναγκῖτιν censebat dictam ἀπὸ τῆς ἀνάγκης, quæ deos cogeret, atque invitos evocaret. Puto verius scribi, *anagogitide*. Ἀναγωγῖτις ἀπὸ τοῦ ἀνάγειν, ab evocandis Deorum manium imaginibus: ut συνοχῖτις à retinendis quæ evocatæ sunt. Legendum etiam, *in necromantia*, pro *hydromantia*. *Deorum* nomine palam est intelligere Deos manes, vel inferos. Transpositione itaque corrigendus ille Plinii locus hoc modo: *Anagogitide in necromantia dicunt evocari imagines deorum inferorum: synochitide umbras evocatas teneri.* Certe si *necyomantia* legimus apud Plinium, ut video etiam legisse Isidorum, nihil certius hac conjectura: *Anagitide in necromantia dæmonum imagines evocari dicuntur.* Immo *deûm manium imagines*. Pro quo palam est eum substituisse *dæmonum*. Cicero prima Tusculana: Inde ea quæ meus amicus Appius Necyomantia faciebat: Inde in vicina nostra Averni lacus:

Unde animæ excitantur, obscura umbra, aperto ostio,
Alti Acheruntis, salso sanguine, imagines mortuûm.

Εἴδωλα καμόντων, excitantur, ἀνάγονται, ex imo citantur. Inde ἀναγῖτις λίθος vel ἀναγωγῖτις. Hinc auctores χημείας herbam anagallida dictam arbitrantur ἀπὸ τοῦ ἀναγαγεῖν τὰς ψυχάς. Proprium etiam magorum Deos elicere & evocare, sed in alio genere quam necyoman-

A tiæ. Plinius lib. XXIV. cap. XVII de herba aglaophoti: *Magos uti quum velint Deos revocare.* Non deorum imagines evocari dicit, sed Deos. Tertullianus in libro de anima. *Scimus etiam magiæ licere explorandis occultis per catabolicos & paredros, & Pythonicos spiritus.* Ita legendus hic locus ex antiquissimo libro Agobardi. Forte scriptum fuit in antiquis Plinii libris: *dicunt imagines evocari* D. M. Hoc est, deorum Manium. Unde alii fecerunt, *Deorum.* Manes dii nihil aliud sunt nisi imagines & umbræ, εἴδωλα καμόντων. Sed quod hydromantia heic legebant, ideo correxere *imagines deorum* pro *manes deos.* In necromantia manes Dii, vel umbræ

B Deorum evocantur, non imagines deorum. Poëtæ passim, *manes excire sepulcris.*

---- *Manesque sepulcris*
Evocat.

At si *hydromantia* legimus apud Plinium eo loco vix est dubium quin retinendum sit *imagines deorum.* τὰς φαντασίας, vel φαντάσματα deorum sic vocat, quæ in hydromantia apparebant. Isidorus: *Hydromantia est in aquæ inspectione umbras dæmonum evocare, & imagines, vel ludificationes eorum videre.* Hoc verum, si quis etiam contendat cum Turnebo *anancitia*, hoc est, ἀναγκίτην

C hunc lapidem vocatam, quo magi, vel deos evocabant, vel Manes eliciebant, non ego contra pertendam. Sic Orpheus lapidem galactiten appellatum scribit ἀναγκίτην & ἀδάμαντα, quod deorum mentem inflecteret, & pacatam hominibus eorumque sacrificiis attentam redderet. Sic enim canit de galactite:

Τόνδε παλαιγενέες μὲν ἀναγκίτην, ἀδάμαντα,
Κλεῖον ὅτι γνάμπτει μακάρων νόον ὄφρα θυηλὰς
Ἀζόμενοι ἐθέλωσιν ἐπιχθονίοις ἀλεγίζειν.

Ita enim correximus in primo versu, pro eo quod est editum: ἀνακτῆτιν ἀδάμαντα. Fortassean & inde acceperit Plinius adamantem gemmam dictam esse *ananci-*

D *tin.* Atqui non de adamante hoc dicit Orpheus, sed de galactite lapide, quem & ἀδάμαντα ab invicta vi ac virtute, qua pollebat, appellatum veteribus prodit, & ἀναγκίτην, quod Deos cogeret, & mites veluti per vim faceret, ac conciliaret hominibus. Non igitur adamas cognominatus est ἀναγκίτης, sed lapis galactites dictus est ἀναγκίτης ἀδάμας. Quod Plinius pervorse intellexit, sive ab Orpheo, sive ab alio id sumpsit. Sic herba quædam summæ in magicis efficaciæ dicta est ἀδαμαντὶς, non quod conteri non posset, ut de suo adstruit Plinius. Nam id absurdum. Nulla enim herba est, quæ non queat conteri, quum & adamas ipse lapidum durissimus

E in minutissimum pulverem conteratur. Hyoscyamos ἀδάμας quoque à quibusdam est appellatus.

Et quis color cuique eximius.] Prava hæc distinctio in omnibus editionibus, quam & in nostra emendari voluimus, si operæ obtemperassent. Lege igitur: *Nunc reddemus quæ adamantum sint species, & quis color cuique. Eximius in quodam crystalli genere invenitur.* Sequitur enim paulo post: *Huic proximus in excellentissimo auro deprehenditur.* Eximium itaque ac præstantissimum adamantem in crystallo nasci vult: secundum & huic proximum in auro. Sed Plinium non est assequutus,

F qui primum & eximium esse jubet eum, quem in auro reperiri tradit. Falsum etiam quod heic ait hunc eximium adamantem in crystallo inveniri. Non hoc dixit Plinius, sed cum scripsisset optimum genus adamantis in auri metallis nasci, mentionem subjicit Indici, *non in auro nascentis, sed quadam crystalli cognatione.* Longe hæc distant, *in crystallo nasci*, & *crystalli cognatione.* Significat hunc adamantem Indicum pari modo nasci ac crystallum: nascendi modo & facie cognatum esse crystallo. Ut enim crystallus inter cautes nascitur, ita hic adamas. Colore translucido uterque, & laterum sexangulo nitore in mucronem turbinato.

G Non igitur crystallus matrix adamantis, quemadmodum hactenus summis philosophis solius Solini auctoritate persuasum fuit. Nimium inter se discrepant & natura & natalibus. Toto orbe divisis regionibus nascuntur, ac temperatura in totum diversis. Crystallus in rigentibus locis glacie multis annis durata formatur: adamas in calidis regionibus & brevi temporis spatio, quod mirabile est, perficitur. In India, quæ adamantum patria est, crystallus non invenitur. In Scythia, quæ

quæ fert cryſtallum, nullus viſitur adamas. Alias mitto differentias. Non igitur creditum veteribus adamantem cryſtallo innaſci, ut opinatur Garcias, & plerique doctorum hominum, ſed ſolus Solinus id ſcripſit ex male intellectis Plinii verbis.

Materia, in qua naſcitur, adæque ſimilis, ſplendore liquidiſſimo.] Ita correximus, quum antea in omnibus editionibus eſſet: *In quodam cryſtalli genere invenitur materia, in qua naſcitur ad aquæ ſimilis ſplendorem liquidiſſimum.* Cujus emendationis libros auctores habui, ne quis arguat conjecturam. Verùm ne ſic quidem abſtinebunt, quibus placet σκατοφαγεῖν. Adamantem in quodam cryſtalli genere inveniri ait, ei materiæ in qua naſcitur adæque ſimilem, ſplendore liquidiſſimo. Nihil iſtis liquidius. Confirmat hanc lectionem Plinius: *ſiquidem & colore tranſlucido non differt & laterum ſexangulo levore turbinatur in mucronem.* Indicæ cryſtalli meminit Plinius capite de cryſtallo: *Oriens & hanc mittit, ſed nulla præfertur Indicæ.* Solinus ibi legit *Scythicæ.* Sed Indicas cryſtallos agnovit Plinius, qui alibi ſcribit Indos tingendo cryſtallo primos reperiſſe gemmas adulterare, capite de ſmaragdis: *Indi & alias quidem gemmas cryſtallum tingendo adulterare repererunt.* Ita legendum. Cryſtallum tamen hodie in India reperiri negant. Vitrum pro cryſtallo accepit Plinius, τὸ κρυσταλλοφανὲς ἀντὶ τῆς κρυστάλλου. Apud Strabonem mentio eſt τῶν κρυσταλλοφανῶν. Diodorus κρυστάλλους λίθους vocat omnes lapides perſpicuos, πᾶσαν λίθειαν διαφανῆ: ubi & ψευδοχρυσολίθους fieri ait tincto cryſtallo. Sic enim apud eum legendum: διὸ καὶ τοὺς ψευδοχρυσολίθους κατασκευάζεσθαι διὰ τοῦ θνητοῦ καὶ ὑπ' ἀνθρώπων γεγονότος πυρὸς βαπτομένων τῶν κρυστάλλων. Vitro tincto olim, ut hodie, gemmæ adulterabantur. Unde & *vitreæ gemmæ* pro falſis in Hiſtoria Auguſta, & *vitreum* abſolute de falſo lapide apud Tertullianum: *Tanti vitreum, quanti margaritum.* Cryſtallum igitur illud, quo tincto adulterabantur gemmæ Indis, vitrum erat κρυσταλλοφανὲς, hoc eſt, in tralucente candidum. Plinius idem de vitro: *Maximus tamen honos in candido tralucenti, quam proxima cryſtalli ſimilitudine.* Ita legendum. Vulgo eſt, *tranſlucentibus.* Libri habent, *tralucente.* Inter vitri genera ac colores maximus honos ac pretium fuit in candido tralucenti, quia cryſtallum quam proxime imitaretur. *Uſus vero*, inquit, *ad potandum argenti metalla & auri pepulit.* Hujus candidi vitri ac κρυσταλλοφανοῦς uſus ad potandum veteribus magnopere frequens pulſo auro & argento. *Cryſtalla* vocarunt hæc κρυσταλλοφανῆ vitra. Martialis:

Quum tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus,
Sunt mihi de circo pocula Flaminio.

Cryſtalla iſta, quæ adferebantur Alexandrino cataplo, non vera fuere cryſtalla, ſed vitra cryſtalli ſimilitudine, quæ in Alexandria conficiebantur, & magno erant in pretio. At quæ Romæ fiebant κρυσταλλοφανῆ, aſſe venibant. Nam ὑαλουργοὺς Romanos multa adinveniſſe tradit Strabo ad facilitatem vitri conficiendi, ac vilitatem, ὅπου γε, inquit, καὶ τρύβλιον χαλκοῦ πρίασθαι, καὶ ἐκπωμάτιόν ἐστι. Pretioſa nihilominus habita ſemper, quæ in Ægypto fiebant, atque inde afferebantur. Ideo poëta cryſtalla Niliaci catapli, hoc eſt, κρυσταλλοφανῆ cum Romæ veneuntibus comparat, cara vilibus. Calices ejuſmodi vitreos, qui Romæ conflabantur, eo nomine commendat idem Martialis, quod calidis aquis non vitiarentur.

Noſtra nec ardenti gemma feritur aqua.

At κρυσταλλοφανῆ Alexandrina non patiebantur aquam calidam. Plinius de vitro cryſtallino ac candido: *eſt autem caloris impatiens, ni præcedat frigidus liquor, cum addita aqua vitrea pila ſole adverſo in tantum excandeſcit, ut veſtes exurat.* Ita legendus hic locus. De vero cryſtallo idem prorſus tradit: *Caloris impatiens eſſe ac niſi in frigido potu abdicari.* Ut plane videatur vitrum κρυσταλλοφανὲς cum vero cryſtallo confundere. Strabo vitri, quod in Ægypto conficiebatur, πολυτελεῖς κατασκευὰς appellat, & πολυχρόους. Nec enim cryſtallina tantum imitabantur, ſed etiam murrhina, ut ſupra notavimus. Mentio fit apud auctorem periplī τῆς ὑαλῆς μοῤῥίνης, quæ in Dioſpoli Ægypti urbe fiebat. Cryſtallus in India non invenitur hodie, certe nec olim ibi inventa. De vitro videamus an India fecerit. Auctor peripli qui mer-

A cium Indicarum omnium genera, quæ in Arabicis & Indicis emporiis ac portibus venales reperiebantur, ſtudioſe recenſet, nuſquam cryſtalli meminit. Vitri quidem mentionem ſæpe facit inter merces illas & ὑαλῆς λίθου, & ὑέλου ἀργῆς, & ὑαλῶν σκευῶν, ſed ab Ægypto in Indiam exportabantur à mercatoribus, ut mercimonia Indica reveherent inde. De emporio quodam Indico: προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον ἱματισμὸς ἁπλοῦς ἱκανὸς, καὶ ὕαλα σκεύη, καὶ ἀργυρώματα, &c. Ἀντιφορτίζεται δὲ κόστος, βδέλλα, λύκιον νάρδος, &c. Ergo nec vitrum in India conficiebatur. Item de alio: προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον οἶνος προηγουμένως Ἰταλικὸς, καὶ Λαοδικηνὸς, καὶ B Ἀῤῥαβικός. Mox inter alia: στύραξ μελίλωτον, ὕελος ἀργή. Item alio loco: προχωρεῖ δὲ εἰς τούτους ἱμάτια βαρβαρικὰ ἄγναφα ἐν Αἰγύπτῳ γινόμενα, Ἀρσινοητικαὶ στολαὶ, καὶ ἄβολοι νόθοι χρωματινοὶ, καὶ λέντια, καὶ δικρόσσια, καὶ λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ὑαλῆς μοῤῥίνης τῆς γινομένης ἐν Διοσπόλει. Auctor ille προχωρεῖν ſemper uſurpat de mercibus, quæ in Indiam importabantur, ut contra φέρεσθαι dicit de his, quæ inde efferebantur. Προχωρεῖν proprie Græci dicunt de moneta, quæ in uſu promiſco eſt, atque ab omnibus paſſim recipitur, quam vulgo dicimus *currere*, & *curſum habere*, id eſt προχωρεῖν. Sextus Empiricus adverſus mathematicos cap. x. Ὥσπερ γὰρ ἐν πόλει νομίσματος προχωροῦντος κατὰ τὸ C ἐγχώριον, ὁ μὲν τούτῳ στοιχῶν δύναται, καὶ τὰς ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει διεξαγωγὰς ἀπαραποδίστως ποιεῖσθαι. Peripli auctor idem de quo ſupra: ἀφ' οὗ μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάζοις παλαιαὶ προχωροῦσι δραχμαὶ γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι. Docti interpretes vertunt: *antiquæ drachmæ reperiuntur.* Immo: *curſum habent, ac recipiuntur, in uſu ſunt.* Hodie quoque paſſim apud nos vetuſta numiſmata reperiuntur, ſed non προχωροῦσι. Mercatores Orbis Romani non alias in Indiam merces ferebant, quam quas ſcirent ab Indis libenter emi, & in eorum emporiis paſſim venum exponi poſſe. Non alias autem res facilius aut libentius emimus, quam quarum penuria laboramus. Cui bono D igitur fuiſſet vitrum & cryſtallum per tot maria in uſque Indiam ferre, ſi eo abundabant Indi? Auctor peripli, qui vitrum omne genus εἰς τὰ ἐμπόρια Ἰνδικὰ προχωρεῖν tradit, nuſquam meminit vitri, aut cryſtalli, quod ex illis emporiis in noſtrum orbem à mercatoribus adveheretur. Strabo tamen Indiam cryſtalla gignere ſcribit lib. xv. Φέρει δὲ καὶ λιθίαν ἡ χώρα πολυτελῆ κρυστάλλων, καὶ ἀνθράκων παντοίων, ἔτι δὲ καὶ μαργαριτῶν. Sed per κρυστάλλους fortaſſe intelligit cryſtallina facie gemmas, & candicantes, ut nomine ἀνθράκων palam eſt eum ardentes gemmas ſignificare, quarum principatum obtinet, qui ἄνθραξ proprie dictus eſt. Nam & alias gemmas ex ge- E nere ardentium præter carbunculum mittebat India, ut ſandareſum, lychniten, hyacinthum, rubinum & alias, quas Strabo παντοίων ἀνθράκων appellatione complexus eſt. Similiter & per λιθίαν πολυτελῆ τῶν κρυστάλλων gemmas omne genus candicantes & cryſtallini coloris intellexiſſe cenſendus eſt. Inter quas primatum obtinet adamas, quem India ſola mittit. Qui quum ante gemmas omnes pretium olim habuerit, haud video cur eum prætermiſſurus fuerit Strabo, dum Indiæ lapides pretioſos recenſeret. Certum eſt itaque adamantem comprehendiſſe ſub nomine κρυστάλλων παντοίων. Plinius adamantem cryſtalli cognatione naſci dixit. F Iſidorus capite de cryſtallis adamantem inter gemmas cryſtallini candoris numerat. Diodorus quoque vocat κρυστάλλους λίθους, qui cryſtallina facie ſunt. Plinius appellat *candidas* & *candicantes*, & principatum candicantium dat pæderoti, quæ & ipſa Indica. Cui & tranſlucidam cryſtallum in varios mutantem colores tribuit. Profecto λιθία πολυτελὴς παντοίων κρυστάλλων, quam India mittere dicitur, de cryſtallo accipienda non venit, ſed omne genus gemmæ nitoris & candoris cryſtallini eo nomine intelligendæ. In candidis gemmis & cryſtallo cognatis aſterion & aſtrion, & ceraunium albam, & alias quaſdam Plinius com- G memorat, quas & cryſtallo propinquare dixit. Ex illis tamen Strabonis verbis aut ſimilibus alterius auctoris Plinius ille interpretatus eſt in India cryſtallum naſci. Quod eſt falſiſſimum.

In mucronem ſexangulum utrimque ſecus leviter turbinatus.] Inepte, *in mucronem ſexangulum.* Mucro non eſt, ſi ſexangulus eſt. *Mucro* quippe ipſum acumen, quod nullos

nullos habet angulos. Desinunt in mucrone anguli. Melius Plinius, cujus verba, sed mutato in pejus ordine, usurpat: *laterum sexangulo levore turbinatur in mucronem.* Latera sexangula sunt, quæ in mucronem turbinantur ac terminantur. Præterea *utrumque* dicitur de duobus. Ergo etiam *utrimque* de duobus tantum lateribus. Quomodo igitur *utrimque*, ubi sex latera? Legendum autem unica voce, *utrinquesecus*, ut *circumsecus*, *insecus*, *forinsecus*, *altrinsecus*, & similia. In his compositis *secus* idem quod juxta, prope, πλησίον. Glossæ: *secus*, ἑτέρως, πλησίον. *Secus viam* in herbario Apuleji. Item: *si cui ulcus secus oculum, sive nares natum fuerit*, de plantagine. Idem quod *secundum*. At sæpius significat contra, ἑτέρως. *Secundum* quoque pro contra apud verum Apulejum de philosophia morali: *pessimo quapropter deterrimus, non ea tantum vitia, quæ secundum naturam sunt, pariunt exsecrabilitatem.* Pro contra naturam sunt. Nec quicquam mutandum. Idem de Deo Socratis: *hos prosperare & evehere, illos secundum adversare, & adfligere.* Ita scribendum ex libris, id est: *illos contra adversare & adfligere.* Apuleji autem verbum *adversare* pro adversis premere, cui contrarium *prosperare.* Ut *evehere*, & *adfligere* opposuit. Idem eodem libro: *At enim secundum Pythagoricos mirari oppido solitos, si quis se negaret unquam vidisse Dæmonem.* Sic libri omnes pro, *at enim contra.* Quod est notatu dignum. *Secus* & *secundum*, ut ab eadem origine, ita ejusdem significationis. *Contra* pro juxta vel prope infima Latinitas posuit. Quod nos in idiomate quoque nostro habemus. Ita ergo & *secus* vel *secundum* pro contra. Sic *procul*, & longe & prope significare notant Grammatici. Græci hodie κοντὰ dicunt pro ἐγγὺς & prope. Quod est ex Latino *contra.*

Pag. 59. D. *Huic proximus in excellentissimo auro deprehenditur. Secundus pallidior.*] Auctoribus libris expunximus illud *secundus.* Et proximus idem qui secundus. Etenim qui proximus primo idem & secundus est. Multimodis hallucinatur heic Solinus, nec Plinium suum capit. Non ille Indico proximum facit adamantem in auro nascentem, sed primum. Præterea Arabicum adamantem Indico similem & proximum esse scripsit, utpote qui & similiter nasceretur. At Solinus heic Arabici illius nullam mentionem habet, sed confundit cum eo qui in auro nascitur. Ideo quatuor tantum adamantis genera ponit, quæ sex sunt apud Plinium. Nam in auro nascentis unum tantum genus facit, & idem cum Arabico statuit. Verba Plinii: *Similis est huic quidem Arabicus, minor tantum, similiter & nascens. Ceteris pallor gentis & in auro nonnisi excellentissimo notabis.* Ita correctores procuderunt, immo recuderunt veterem lectionem, quæ sic exhibet: *ceteris pallidior argento & auro nonnisi excellentissimo natalis.* Et quidem constat Solinum legisse: *ceteris pallidior, ut argentum, in auro nonnisi excellentissimo natalis.* Verba ejus opponenda heic subjiciam: *Huic proximus in excellentissimo auro deprehenditur, pallidior ac magis ad argenti colorem renitens.* De Arabico omnia illa Pliniana accepit, quem Indico similem, sed pallidiorem & magis argenti colore renitentem atque in auro excellentissimo nasci scribit. Si vera hæc essent, non adamantis genera sex in Plinio reperirentur, sed quinque, quum tamen ille sex numeret. Quomodo in Plinii libris legerit Solinus, non curandum est. Veram lectionem loci illius hanc esse præsto: *similis est huic quidem Arabicus, minor tantum, similiter nascens, ceteris pallidior. At in argento & auro nonnisi excellentissimo natalis.* Hoc loco *natalis* idem quod *natales.* Quod fefellit Solinum. Non enim dicit Plinius Arabicum adamantem in auro excellentissimo esse natalem, sed excellentissimo adamanti in argento & auro natales esse. Non prohibeo si quis legere malit Solini auctoritate inductus: *ceteris pallidior ut argentum.* Verum illud constare debet separandum esse Arabicum adamantem ab eo, qui nascitur in auro. Aliter Plinio numerus non constaret. Verior tamen videtur scriptura quam proposuimus his rationibus, quas supra exposuimus. *Adamas hic*, qui in auro reperitur, non est gemma, sed auri flos, auro & argento mixtus, & cucumeris semini de colore similis vel ipso Plinio teste. Ideo *pallidiorem* eum dici possumus accipere, mutata distinctione: *Arabicus minor tantum*,

A *similiter nascens. Ceteris pallidior in argento & auro nonnisi excellentissimo natalis.* Interpunctione ista ac lectione recipiendum esset Solini interpretamentum, nonnisi in excellentissimo auro hunc adamantem nasci. Cui patrocinatur etiam Plinius, ubi ait perraro comitem auro hoc genus adamantem esse. Quodcumque horum sit, certum est graviter hallucinatum Plinium, qui illum χρυσοῦ ἀδάμαντα pro gemma accepit, nec levius peccasse Solinum, dum verba Plinii non recte cepit.

Tertius in venis Cypri apparet.] Legendum *Cypri*, aut *cupri.* In venis æris hunc tertium adamantem deprehendi intellexit Solinus. *Cyprum*, vel *cuprum* ejus ætate

B æs appellabatur. Paulo post: *Nam & hi qui in cypro deprehenduntur, frangi queunt.* Non de insula Cypro accipiendum, sed de cypro, vel ære Cyprio. Sic secundum genus, *in auro deprehendi* dixit. Apud Innocentium Agrimensorem, *acutum cyprinum*, clavus æreus. *Cyprini clavi* Palladio. Plinius de vitro scribit coqui solitum, *addito ære Cyprio, ac nitro.* Isidorus locum exscribens habet, *cupro ac nitro.* Igitur *cyprum* pro ære Cyprio. Unde *acus Cyprea* apud Trebellium. Et *cyprum* apud Spartianum in Pescennio Nigro: *Nam ex ære vel cypro cancelli superpositi esse dicuntur.* Sed & pro omni ære. Sic *chalybs* pro ferro chalybico, mox & pro omni ferro. Valerius:

C *Namque virum trahit ipse Chalybs.*

Quod Homericum est:

---- αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Ita prorsus *Caunæ caricæ* pro Cauniis primo: postea quælibet caricæ ita appellatæ sunt. Columella:

---- *Et Chiis [illegible]mula caunis.*

Id est, Chiis caricis. Statius:

Et quas percoquit Ebosia caunas.

Caricas Ebusitanas. Eodem prorsus modo *Anticyram* quoque pro elleboro dixere, quia Anticyra optimi ellebori fertilis. Persius:

D ---- *Anticyras melior sorbere meracas*,

id est, elleboros. Quod non adeo sine ratione est ut videtur eruditis. Saltem non sine exemplo est similium. Quod igitur ætas Solini *cyprum* pro ære Cyprio loquebatur, ideo & sic apud Plinium intellexit in hoc loco: *post hos cyprius vocatur in Cypro repertus, vergens in æreum colorem.* Atqui Plinius diserte de insula Cypro intellexit, non de venis cypri, vel cupri. Nam *Cyprium* inde vocat adamantem à natali solo, ut *Cyprii* smaragdi apud eumdem. Legit etiam idem in Plinio, *vergens in æreum colorem*, quomodo & hodie scriptum est, quia scilicet de cupro accipiebat dici. Sed qualis ille esset adamas, & quam indignus hoc nomine, qui vergeret in æreum colorem?

E Recte libri Pliniani scribunt: *vergens in aërium colorem*, hoc est, ἀερίζων. Epiphanius: ὁ λίθος ὁ ἀδάμας ἐμφερὴς ἐστὶ κατὰ τὴν χροιὰν τῷ ἀέρι. Et paulo post: ὃς ἐστὶ δηλωθεὶς ἀδάμας τὴν χροιὰν ἀερίζων. Liquidum in translucido colorem intelligit. Alias *aërinus* color pro cælino ac cæruleo. Veteri scribendi more *aëreus* tam de æreo quam de aërio potest capi. Solinus pro æreo sumpsit quia cyprum pro ære cyprio accipiebat. *Cyprini metalli* mentio apud Anastasium in vita Leonis tertii: *nec non & fenestras ipsius Ecclesiæ ex metallo Cyprino decoravit. Et alias fenestras de vitro diversis coloribus decoravit.* Sed cave Cyprinum metallum ibi censeas de ære

F interpretandum. Belli editores ita excudendum curaverunt, cum esset in scripto exemplari: *ex metallo gypsino.* Specular ex gypso, sive speculari lapide intelligit, quo fenestræ erant decoratæ. Nam & alias fenestras ibi memorat vitro diversi coloris decoratas. Glossæ Jatricæ: Διαφανὲς, γύψῳ ὅμοιον ὃ καλεῖται σφεκλάριον. Fenestræ ex eo speculari lapide ornabantur, ut & vitro. Gypso simile est: unde & *gypsum* multi pro speculari lapide vocaverunt. Ibidem: *Nec non & fenestras ipsius Ecclesiæ miræ pulcritudinis ex metallo gypsino decoravit.* Ita legendum, non *Cyprino* vel *Cypsino.* Specularem lapidem intelligit. Fenestras vitro decoratas

G *vitria* recens Latinitas vocavit, nosque hodie sic vocamus. Græci ὑέλια. Immo ita etiam appellarunt, etiamsi ex speculari lapide essent, non ex vitro. Neophytus monachus in Lexico Herbario: Σπέκλον τὸ τῆς φεγγίτου ὑέλιον, hoc est, *vitreum ex speculari lapide.* Quod fenestris obducebatur ad translucendum, ac lucem admit-

admittendam, *ſpecular* veteres Latini vocarunt. Idque ex ſpeculari lapide qui eſt φεγγίτης, aut ex vitro fiebat, aut alia tranſlucida materia. Nam *ſpecular* dictum, non quod ex ſpeculari lapide factum eſſet, ſed quod viſum tranſmitteret, ac per id ſpeculari liceret ac perſpicere. Inde etiam nomen invenit *lapis ſpecularis*, διόπτρος καὶ διαφανής. Tertulliano in Apologetico materia omnis, quæ διάφασιν habet, *ſpeculiaris materia* dicitur. Hæc ſpeculiaria porro feneſtris indita ad perſpiciendum Græci ὑέλια vocarunt, quæ ex vitro fierent, Latini *vitria*. In Sympoſiano ænigmate in vetuſtiſſimo noſtro libro lemma inſcriptum eſt *vitrium*, quod de ſpeculari intelligendum.

Perſpicior penitus, nec luminis arceo viſus.

In aliis ſcribitur pro lemmate, *ſpecular*. In aliis utrumque adpoſitum. *Vitrium ſpecular.* Quod non eſt conjungendum, ut antea notabamus, ſed diſparandum. Idem quippe *vitrium*, quod *ſpecular*. Philoponus in 11. poſt. Anal: ad illa verba διὰ τί διιέναι λαμπτῆρος τὸ φῶς. Λαμπτῆρας νοεῖ ἢ τὰ ὑέλια, ἃ διὰ τῆς γυψεμπλαστικῆς τέχνης ἐπιτίθενται ταῖς οἰκίαις χάριν τοῦ φωτίζεσθαι πάντας, ἢ τὸ ἐκ δορᾶς λεπτῆς κατασκευασθὲν ἐξ ἐπινοίας ἀνθρώπων. Nomine λαμπτῆρος per quem tranſit lumen intelligit apud Ariſtotelem aut ſpecular, ſive vitreum quod ad lucem accipiendam feneſtris obducitur, aut laternam ex pelle pellucida factam, γυψεμπλαστικὴν τέχνην vocat, qua laminæ vitreæ, ſive ſint teſſeræ, ſive orbes invicem gypſo committebantur. Hodie plumbo committuntur. Neophytus ὑέλιον etiam vocat ſpecular, quod ex phengite lapide, non ex vitro compoſitum eſt. Quod autem σπέκλον ſic interpretatur, ſequutus eſt Græcorum morem, qui *ſpecular* & *ſpeculum* paſſim confundunt. Veteres ſpeculis inducebant parietes conclavium ad ornamentum. At feneſtris ſpecularia indebant è vitro, vel ex alia tranſlucente materia ad illuminandam domum. De utriuſque differentia ſupra diximus. Suidas: σπέκλον, ὑέλιον. Immo σπέκλαρ. Baſilicorum Eclogæ: ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρῶν σκυφῶν, καὶ τὰ σπέκλα τοῦ οἴκου. Et heic σπέκλα videntur uſurpaſſe pro ſpecularibus. Apud Juriſconſultum pro illis habetur: *quemadmodum emblemata argenti ſcyphorum forte vel ſpeculi.* Ibi *ſpeculum* Græci interpretes accepere pro ſpeculari. Specula etiam ex argento, atque emblematis haud ſecus ac ſcyphi decorata. Ita nunc malo. Nec enim aliter legerunt Græci interpretes in illis Juriſconſulti verbis, ſed ſpeculum pro ſpeculari interpretati ſunt. Notanda hæc eorum ἀκυρολογία, qua σπέκλον dixere pro ſpeculari. Medici Græci: Σπεκλάριον οἱ μὲν διὰ τοῦ σπεκλαρίου, ᾧ τινὲς ἀντὶ σπέκλων ἐν ταῖς θυρίσι χρῶνται, δι' ὃ καὶ διαφανὲς προσαγορεύεται, γυψῶδες ὂν τὴν οὐσίαν. Ubi ἀντὶ σπέκλων, *pro ſpecularibus*. Vitrearum feneſtrarum mentio apud Hieronymum, quæ vitro in tenues laminas fuſo obductæ erant. Paulus Silentiarius de feneſtris templi Sanctæ Sophiæ:

---- δοχήϊα φωτὸς ἀνοίγει
Λεπταλέαις ὑέλοις κεκαλυμμένα, τῶν διὰ μέσσης
Φαιδρὸν ἀπαστράπτουσα φαεσφόρος ἔρχεται ἠώς.

Hæc ſunt proprie, quæ ὑέλια dicuntur uno verbo Græcis, ſpecularia nempe ex vitro. Quod & ipſum vitri nomen à *video* factum eſt. Nam *vitrum* à video, ut *ſpectrum* à ſpecio. Nam veteres *vitum* pro viſo dicebant, ut *mertum* pro merſo. Unde *mertare* pro merſare. *Vitrum* igitur proprie διόπτρα. Hinc lapis διόπτρος & διαφανής ita appellatus. Græcis ὕειν eſt madidare, & humectare, βρέχειν, ὑγραίνειν. Inde ὕαλον, humectum. Sed & quæ madidata ſunt & aqua aſperſa, ea lucent nitentque, ex eo factum, ut etiam ὕαλον pro lucido ſumeretur. Heſychius: ὕαλον, λαμπρὸν, διαφανὲς, ἢ λίθον τίμιον. Poſtea proprium hoc nomen factum vitri. Vetuſtiſſimi auctores Græciæ ὕαλον vocarunt lapidem ſpecularem, ſi fides habenda Ariſtophanis ſcholiaſtæ in his verbis ad Nubes: ἡμεῖς μὲν ἀρτίως τὸ ἐκ βοτάνης τινὸς κεκαυμένης, καὶ διὰ πυρὸς τηκομένον εἰς κατασκευὴν ἀγγείων τινῶν λέγομεν, οἱ παλαιοὶ δὲ τὸν διαφανῆ λίθον αὐτὸν ἰδιωτικῶς λεγόμενον κρύον, ἐοικότα ὑάλῳ. Ex herba vitrum conficere inventum tunc locorum in Græcia tradit. Quod hodieque fit. Ex cineribus filicis exuſtæ admixta, quam *ſoldam* vocant, conflatur vitrum ſed vilius. *Filicarios calices* vulgo vocamus. At herba illa, de qua loqui-

A tur interpres Ariſtophanis, quæ exurebatur ad vitra conflanda, eſt herba *kali*. Sic Arabes vocant. In Ægypto & Syria plurima naſcitur. Ex cujus cineribus cum quodam ſilicum genere mixtis pretioſa ac nitidiſſima cryſtallina conficiunt Veneti vitrarii. Creſcit etiam in Narbonenſi provincia. *Vitraria* ibi nomen habet. Hujus cineres in lapidem ferruminantur, & vocant *ſoldam* quaſi *ſolidam* à ſolidando. Nam *ſolida* eſt ſolidatio. Ut *reſona* ἠχώ: *orna* pro ornatura: *ancla* pro anclatura, & ſimilia. Recentior Latinitas *ſolidare* dixit quod antiquiori fuit *malthare*. Juvenalis de calice vitreo:

Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

B Ibi vetus interpres: *quia hoc ſolent vitrum ſolidare, id eſt, malthare.* Et paulo ſupra ad eumdem verſum: *ut ſolent in urbe calices fractos, ſive caldariolas componere.* Non hic tamen Juvenalis ſenſus, calicem vitreum ruptum ſarciri ſolitum ac ſolidari ſulphure. Sed vitrum fractum ſulphura poſcere dixit, quia vitreis fractis permutabantur ſulphurata. Martialis:

---- *ſulphurata fractis*
Permutat vitreis.

Variæ porro fuere malthæ compoſitiones, qua res fractas iterum componebant & malthabant, quod & *ſolidare*
C dixit infima Latinitas. Veteribus *ſolidare* nihil aliud ſignificavit quàm indurare. Unde *ſolidæ aquæ* Ovidio concretæ & glacie adſtrictæ. Vitruvius de quodam genere terræ, ex qua later ducebatur: *ita quum eſt levis, aëre ſolidata, non recipit in ſe, nec combibit liquorem.* Idem lib. 11. cap. 111 *tectorium obſolidatum* dixit: *tectorio inducto rigideque obſolidato.* Uſurparunt & de malthatione tenaci & obſolidata, qua ſarciebantur corrupta tectoria in balneis & piſcinis fontibuſque. *Stuccum* vulgo vocant. Gloſſæ ἐδαφίζειν etiam exponunt. *Solidare*, ἐδαφίζειν. Plinius *malthandi* verbo uſus eſt. Non adeo igitur recens ac videtur viris do-
D ctiſſimis, qui inter vocabula infimæ Latinitati uſurpata id reponunt. *Quod malthatur, oleo perfricatur ante.* Idem maltham è calce fieri recenti tradit vino reſtincta, mox tuſa cum adipe ſuillo & ficu. Et nihil eſſe tenacius aſſerit adeo ut duritiam lapidis antecedat. *Frigidaria maltha* dicitur Palladio, qua piſcinarum, ciſternarum, ac puteorum rimæ ac lacunæ ſarciebantur ac ſolidabantur. Ut calidaria alia fuit maltha, qua loca in balneis ſciſſa & corrupta reficiebantur. Omnibus malthæ generibus calx admiſcebatur. Græci μάλθην dixere mollitam ac ſubactam ceram. Harpocration:
E μάλθη, κηρὸς μεμαλαγμένος. Inde Latinum *maltha*. Ceram quoque albam in calidariæ malthæ compoſitionem & picem additam tradit Palladius. Unde & πισσόκηρον *maltham* Græcè exponit auctor gloſſarii. Itali *ſmalthum* hodie appellant. Ridiculi ſunt viri docti qui eam vocem Juvenali reſtituunt eo verſu:

Qui maltha facies pingit cito.

Quid enim maltha ad picturam facit? Legendum eſſe eo loco conſtat:

Qui multas facies fingit cito. ----

Plaſtas intelligit, & recte ita interpretatus eſt vetus ſcholiaſtes, quorum proprium eſt cito plures facies fin-
F gere, quas uno modulo ac typo exprimunt. De quo nos alibi. *Solidari* etiam dicimus, quæ inter ſe ferruminantur, ut ſunt metallica omnia, quum partes eorum diviſæ in unum glutinantur. *Solidaturam* hanc ferruminationem appellamus. Græci κόλλησιν vocant. Veteres proprie *ferruminare* de hoc genere malthationis, vel ſolidationis dixere. *Ferruminatus* χαλκοκόλλητος. Gloſſæ. Herbæ igitur vitrariæ cineres in maſſam lapideam induratæ nomine *ſoldæ* vel *ſolidæ* veniunt. Quæſivere hactenus, ſed fruſtra, eruditi herbarii, quo nomine nota veteribus fuerit hæc herba, ex qua hodie *ſolda* fit, ad cryſtallina conficienda. Pleriſque pla-
G cuit anthyllidem eſſe, & primum quidem genus. Sed falſos conſtat, & jam ab aliis refutati ſunt. Puto eſſe *halimum* veterum. Quod ad nomen attinet, id adprimè reſpondet. Plinius de halimo: *alii olus maritimum eſſe dixere ſalſum, & inde nomen.* Herba chali ſapore ſalſo eſt. Unde & *ſalſolam* eam vocat Pandectarius. Hoc etiam Græcè ſonat ἅλιμον. Nam ἅλιμος eſt ſalſa, vel *ſalſula*, quam & ἁλμυρίδα quidam Græcorum appel-

appellarunt. Aëtius ita vocat. In glossis Nicomedis: ἄλιμον, ἡ ἁλμυρίς. Menander Trophonio:

Ἐν προσφάτοισιν ἰχθυδίοις τεθραμμένα
Καὶ παντοδαποῖσι, τοῖς ἀλίμοις μὲν οὐ πάνυ.

Sic legendum, non ἀλμίοις. *Chali* frutex est. Halimum quoque frutex. In maritimis & juxta ripas aquarum salsarum nascitur, æque & halimum. Unde & ἄλιμον Græci παραθαλάσσιον interpretantur. Folium habet pingue, spissum ac leve, oblongumque. Tale est & halimo, quod foliis oleæ esse sed mollioribus scribit Plinius. Dioscorides de halimo: φύλλα ἐλαίᾳ παραπλήσια, πλατύτερα μέν τοι. Forte ἁπαλώτερα μέν τοι. Ita sane legit Plinius. Sed recte apud Neophytum: πλατύτερα μέν τοι καὶ ἁπαλώτερα. Et sane folia chali latiora sunt foliis oleæ. Fruticem chali abstergentem vim habere, & pannos eo lavari, saponemque etiam præbere optimum, quinetiam mulieres eo uti ad fucandam faciem & nitorem corpori conciliandum neoterici tradunt. Plinius inter halimi virtutes & hanc recenset: *præterea nitorem corpori fieri, dentibusque candorem, si fricentur radice ejus.* Hesychius τὰ ἄλιμα dicit esse βοτάνας δενδροειδεῖς ἐπὶ θαλάσσῃ ἢ ξηροῖς τόποις nascentes. Arabes *axnan*, vel *usnen* vocant fruticem chali, & in Armenia in justam arborem assurgere refert Serapio. Harenosis & siccis locis gaudere memorant etiam recentiores. Alia est ἄλιμος sic dicta, quod famem sedet. *Alimon* in Creta plurimam crescere supra habuimus apud hunc Solinum. De glycyrrhiza sumus interpretati. Hesychius asphodelon exponit: Σφόδελος, ἡ ἄλιμος δασὺ ἄνθος ἔχουσα, οἱ δὲ σῖτον. At frutex ille salsus neutro genere enuntiatur, τὸ ἄλιμον. Plinius, ubi de hoc halimo tractat: *Asphodelon ab Hesiodo quidam halimon appellari existimavere, quod falsum arbitror.* Immo ipse Plinius falsus, qui τὴν ἄλιμον à sedanda fame sic dictam plane confundit cum ἀλίμῳ, quod est olus maritimum. Male etiam Neophytus τὴν ἄλιμον scribit, quod est ἄλιμον. Ex omnibus herbis, vel fruticibus, qui saporem habent salsum, nullum invenire est, cujus descriptio ad designandum fruticem chali magis conveniat quam halimum. Nec obstat fortasse quod halimum spinis carere dicit Dioscorides, quæ sunt in herba chali. Nam plura halimi genera. Id etiam liquido apparet ex variis cognominibus, quibus halimum donatum fuisse docent Græci recentiores. Neophytus de halimo: Προφῆται βασίλειον, ὁμοίως Ἑρμοῦ βάσις, οἱ δὲ Σάψις, οἱ δὲ Ὀσίρεδος, οἱ δὲ ἡλίου στέφανος, Πυθαγόρας ἱερὸς κλάδος. In cognominibus Σαψις significat ἀγαθὸν δαίμονα. Hesychius: Σάψις, ἀγαθὸς δαίμων παρ' Ἄραψι. Hæc magnifica & illustria cognomina abunde confirmant eam esse herbam, de qua fit sal ille, quem vocant *salem chali*: item *alumen Catinæ* quod idem est cum solda Narbonensium. Nam salem illum hodieque magni faciunt chymistæ nostri quos cum vulgo sic appellamus, & frequenter eo utuntur. Græcis quoque χημείας artificibus plurimum commendatur, & miris laudibus effertur ad eos effectus præcipue in quibus ἡ πῆξις requiritur. Hinc Ἑρμοῦ βάσιν prophetæ vocarunt, quod eo fixum suum Mercurium redderent. Sol illis aurum est. Inde halimum ἡλίου στέφανος, quod eo etiam uterentur ad argentum commutandum in aurum. Stephanus philosophus vetus auctor χημείας, qui vixit sub Heraclio, de talco & chali mixtis: καὶ ἐπίβαλε ἀπὸ τοῦ συνθήματος καὶ ἴδῃς τὴν σελήνην εἰς ἥλιον μεταποιηθεῖσαν, καὶ θαυμάσεις. Osiris in Lexico hujus artis exponitur plumbum & sulphur: Ὀσίρις ἐστὶ μόλιβδος καὶ θεῖον. A Pythagora halimum cognominatur ἱερὸς κλάδος: quod scilicet ad sacram artem conduceret. Sic enim χήμειαν indigetant egregii flatores ἱερὰν τέχνην, cujus & Pythagoram scientem fuisse volunt. Lexicon hujus artis inscribitur in antiquis libris, Λεξικὸν τῆς ἱερᾶς καὶ θείας τέχνης. Et alibi ἱερὰν τέχνην interpretantur τὴν χρυσοῦ ποίησιν. Prophetæ autem illi, quos halimo præclara illa nomina dedisse tradunt, Ægyptii sunt, ad quos inventionem referunt sacræ illius artis Zosimus, Stephanus, Cleopatra & alii Græci Archemistæ. Vetus auctor apud Suidam in voce χήμεια Ægyptiis maxime frequentatam tradit hanc flatoriam technam. De Diocletiano loquitur auctor ille; ὅτε δὴ καὶ περὶ χημείας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου τοῖς παλαιοῖς γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος,

A ἔκαυσε πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίοις ἐκ τῆς τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς θαῤῥοῦντας περιουσίᾳ, τοῦ λοιποῦ Ῥωμαίοις ἀνταίρειν. Quasi vero Ægyptii ex arte, quæ argentum facit & aurum, magnas divitias comparare soliti essent, & copias inde conducere Romanis formidabiles. Nugæ dare pondus idoneæ camini fumo, quem inopia & frigus excalfaciunt. Mirum vero *chymiam* & *chymistas* hodie passim vocari, quum veteres eam scientiam χήμειαν ubique nominent, & χημευτικήν. Zosimus Panopolita caput habet περὶ χημευτικῆς. Et Mosem Prohetam citat ἐν χημευτικῇ συντάξει. Suidas χήμειαν vocat. Item Johan-
B nes Antiochensis περὶ ἀρχαιολογίας de vellere aureo: τὸ μυθολογούμενον χρύσεον δέρας βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον περιέχον, ὅπως δεῖ διὰ χημείας χρυσὸν ἐργάζεσθαι. Eadem habet Suidas in voce δέρας, quæ ex hoc auctoris loco habet. Firmicus lib. III. cap. XV. *scientiam chimiæ* vocat. Ita legendum, id est, χημείας. Infimæ Græciæ auctores ἀρχημίαν nuncupant. Patrum quoque nostrorum ævo *archemia* dicebatur, & *archemista*. Cur igitur chymiam & alchymiam dicimus? Nec enim ἀπὸ τῶν χυμῶν, aut χυμάτων nomen invenit hæc ars. Χήμειαν interpretantur ac definiunt τὴν τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευήν. Unde igitur χήμεια hæc appellata? Omnium rerum,
C quæ ad hanc scientiam pertinent, vocabula ab usu & consuetudine communi submoverunt auctores sui & peculiarem sibi dialectum vindicarunt solis mystis tanti arcani intellectam. Fornaculam fortean, sive caminum, in quo argentum & aurum fundebatur, quod ore hianti & patulo esset, χήμην vocaverunt, id est, χάσκουσαν. Hesychius: χήμη, χάσκουσα. Inde & ostreo nomen, χήμη, τὸ ὄστρεον. Et χημὰς, ὁ ἰχθὺς, ab hiando scilicet. *Hiatulam* Latini dixere. Est & *chema* mensuræ nomen duobus cochleariis constantis. Vetus auctor: *duo cochlearia chemam faciunt.* Græcis quo-
D que auctoribus hippiatricæ χήμη pro majore cochleari sæpe ponitur. An igitur & catinos, quibus aurum in fornace fundebatur, sic appellarunt à forma patentiore. Ut ut sit, ἀπὸ τῶν χυμῶν non est deducta χύμεια vel χήμεια. Auctores illius artis Græci Χύμην quemdam, vel Χίμην Prophetam nomine miris laudibus celebrant, & inter præcipuos nominant, qui divinam hanc scientiam repererunt & amplificarunt. Zosimus Panopolita: Χύμης δὲ καλῶς ἀπεφήνατο, ἓν γὰρ τὸ πᾶν, καὶ δι' αὐτοῦ τὸ πᾶν γέγονε. Ἓν τὸ πᾶν καὶ εἰ μὴ πᾶν ἔχῃ τὸ πᾶν, οὐ γέγονε τὸ πᾶν. Δεῖ οὖν σε τοῦτο βάλλειν τὸ πᾶν, ἵνα ποιήσῃ καὶ τὸ πᾶν. Idem paulo post Χίμην vo-
E cat: οὕτω καὶ Χίμης εἰς πολλοὺς τόπους, καὶ μάλιστα τὴν δι' ἐλυδρίου. Οὕτω καὶ Πιβήχιος. Sæpe hos duos auctores conjungit. Et infra: καὶ ὁ προφήτης Χίμης χορδῶν μετ' ἐξ ἐπιβολὰς ἔλεγε δὶς αὐτὸν ἄσκιον ξανθόν. Nihil nocet credere ab hoc Chime vel Cheme propheta, ut alibi vocatur, χήμειαν dictam esse. Ad rem redeo. Halimum *ampulaciam* vocatum Romanis notat Neophytus: Ῥωμαῖοι ἀσφηδασουκιοὺμ, οἱ δὲ Ἀμπουλακία. Sic corrigendum in Auctuario Dioscoridis, ubi legitur ἀμπελουκία. Forte ita vocarunt, quod ampullæ vitreæ ex ea fierent, vel quod ampullæ fractæ solidarentur & maltharentur. Pro ἀσφηδασουκιοὺμ quod ha-
F betur apud Neophytum, editiones Dioscoridis habent ἀλβουκιοὺμ. Certe albucium Romanis est asphodelus, quem ἄλιμον quidam ex Græcis vocarunt. Sed alia est ἄλιμος; aliud ἄλιμον. Possunt tamen videri confudisse, ut & Plinius fecit. Ergo halimum est frutex chali. Chemias auctores Græci κόμαριν & κόμαρον nuncupant hanc plantam, de qua mira prædicant. Quare sic appellarint nescio. Fortasse ab Arabico *comar*, קמר quod lunam significat. Ἀφροσέληνον sæpe sic vocant, & utrumque confundunt, ut docebit præexercitatio nostra in Plinium, ubi de halimo à herba chali plura, quæ hic omitto. In Che-
G mico Lexico invenio: ἰός ἐστι ξάνθωσις καὶ ὕδωρ ἄθικτον, καὶ κόμαρις Σκυθική, καὶ ἴσατις Ἰταλική, καὶ βατράχιον, καὶ χρυσόκολλα. Ubi κόμαρις est herba chali, quam & *chale* à Saracenis Sapientibus, sive Ismaëlitis dictam autumant. Zosimus Panopolita capite περὶ βαφῆς σμαράγδου: τοῦτο τὸ ἀφροσέληνον καὶ τὸ κόμαρον αἰνιγματωδῶς οἱ φιλόσοφοι εἶπον. Τὸ γὰρ ἀφροσέληνον καὶ τὸ κόμαρον μιᾶς ἐπιστήμης ὑπεράρχουσι, καὶ ἐν τούτοις τοῖς ὀνόμασι δυ-

δυσεύρετον ἐστιν, ἀλλ' οἱ σοφοὶ τῶν Ἰσμαηλιτῶν σαφῶς εἶπον τοῦτο, καὶ οὕτως ἡρμήνευσαν οἱ μὲν ταλκ, καλκ, οἱ δὲ χάλκ, καλεῖται δὲ φόβος καὶ τρόμος. Ergo aphroselenon est *talk*. Comaris autem *calk*, vel *chalk*. Quod idem cum *chali*. Hic plane distinguit aphroselenon à comaride, hoc est, τάλκ & χάλκ: ἀφροσέληνον, inquit, ἕνωσον μετὰ κομάρεως, λειῶν καὶ μαλάττων, καὶ βάπτων, καὶ πηγνύων. Alibi tamen confundunt. Et ἀφροσέληνον exponitur κόμαρις in Lexico divinæ artis. Idem Zosimus alio capite κόμαρον ab Ægyptiis & Persis *talac* & *talc* vocatum tradit: λαβὼν κομάρεως τοῦ δυσχερῶς εὑρισκομένου ὃ Πέρσαι καὶ Αἰγύπτιοι ταλὰκ φασίν, οἱ δὲ τάλκ ὑγιείας ἥμισυ. Diversa tamen sunt, sed ex nominum vicinitate orta confusio, & quod plerumque hæc duo junguntur ad mirandos illos effectus producendos. Nec obstat quod κόμαριν alibi Zosimus lapidem esse dicit: σὺ δὲ κόμαρον εἶναι νόμιζε λίθον. Nam & chali cineres indurati lapidem ipsum duritia vincunt. Et multos interrogavi ex istis circumforaneis vitrariis, quid esset *solda*, qui lapidis genus esse mihi confirmabant. Tamen non est. Aliubi ἡ κόμαρις illis dicitur: aliubi τὸ κόμαρον. Sed alibi viderimus an sit *chali*. De talcho, quod hodie sic vocatur, haud dubium est quin sit Arabicum τάλκ. Quid sit, dubitari video, disputarique inter summos Philosophos. Astera Samium veterum esse placuit Avisenæ, quem plerique recentiorum sequuntur. Alii malunt esse *alumen Scaiolæ*. At Græci omnes recentiores præcipue χημευτικοὶ in eo consentiunt Arabice, & Persice, atque etiam Ægyptiace ita appellatum Græcorum ἀφροσέληνον, qui alio nomine σεληνίτης λίθος dicitur. Dioscorides: Σεληνίτης λίθος ὃν τινες ἀφροσέληνον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μεστὸν ἐν τῇ σελήνης αὐξήσει. Ubi melius puto legi ναστόν. Longe alius hic lapis ab illo selenite Plinii, quem lunæ imaginem continere dicit, eamque in singulos dies repræsentare juxta illius sideris defectus & incrementa. Multa tamen similia. Uterque translucidus & in Arabia nascens. Ita ex Plinii sententia Dioscoridem interpretabar. Quod non debuit. Hoc fefellit me supra, quum eumdem lapidem putavi, eoque corrigebam in Dioscoride αὐξοσέληνον pro ἀφροσέληνον. Selenites Dioscoridis lapis inanis & levis, quem ita dictum interpretatur quod per lunæ augmenta plenior ac solidior inveniretur. Idem Dioscorides: γεννᾶται δὲ ἐν Ἀραβίᾳ λευκός, διαυγής, κοῦφος. Hinc etiam κουφόλιθον ei nomen fecere Græci recentiores. Lexicon Chemicon: Ἀφροσέληνον ἐστὶ κόμαρις καὶ κουφόλιθος. In ἀντεμβαλλομένοις Pauli & Neophyti pro κουφολίθῳ calx subjici præcipitur: ἀντὶ κουφολίθου τίτανος. Apud Stephanum Alexandrinum Ἀφροσέληνον inter ea recensetur, quæ calcinantur, & quorum cineres magnos præbent effectus in arte sufflandi: ἡ τίτανος, καὶ ἡ ἄσβεστος, καὶ ἡ γύψος, καὶ ἡ φέκλη καλουμένη, καὶ τὸ ἀφροσέληνον, ὅσα τοιαῦτα εἴδη καιόμενα καὶ ἀποτεφρούμενα ποιοῦσι σποδὸν λευκὴν καὶ ἔργα μεγάλα ἐπαγγέλλονται. Igitur κουφόλιθος & ἀφροσέληνον idem, qui levis est lapis & inanis multum hac re diversus ab astere Samio. Ab eadem causa lignum sabuci κουφόξυλον dixit infima Græcia, & inde sabucum κουφοξυλαίαν. Quam vocem non intellexit Fuchsius apud Myrepsum in unguenti ad lienem compositione, ubi κουφοξυλαίαν vertit ligni limaturam. Sic χολόκοκκον granum lathyridis. Unde ipsa lathyris χολοκοκκαία Myrepso, quam pro colocasia accepit idem Fuchsius. Neophytus: Κάνωπον, τὸ τῆς χαμαιάκτης ἤγουν κουφοξυλαίας ἄνθος. Idem: χαμαιάκτη, ἡ μικρὰ κουφοξυλαία. Nicomedes Jatrosophista: Ἀκτή, ἡ κουφοξυλαία, ἐστὶ δὲ καὶ ἑτέρα ἡ λεγομένη χαμαιακτέα, ἤγουν ἐλεβόρον. Idem: ἀκτῆς ἡ κουφοξυλαία ἡ δενδρῶδης. Chamæacten esse Græcis, quod Latinis *ebulum* dicitur, in confesso est omnibus. Plinius tamen chamæacten ab ebulo male separat, & genus esse silvestre sabuci tradit. At χαμαιάκτη & ἀγρία ἀκτή, & *ebulum* eadem planta. Quod Nicomedes ait etiam ἐλλέβορον dici, hoc valde miror. Idem tamen etiam reperias apud Neophytum: μικρὰ κουφοξυλαία, ἢ καὶ ἐλλέβορος λέγεται. Glossæ quoque veteres idem adstruunt: *Ebulum*, ἐλλέβορος. Nihil tamen video simile. De hoc igitur anquirant eruditi herbarii. Forte ἔβορον pro *ebulo* dixere. Quod postea alii ἐλέβορον. Idem auctor glossarum *ebulum* interpretatur αἶσχουσαν & ἐρίκην. Sed & *opulum*, quod idem puto esse cum *ebulo* mutatis elementis, κισσόφυλλον. Ex quibus cognoscitur illorum temporum imperitia rei herbariæ.

A Κισσόφυλλον est cyclaminus. Quod ad *aphroselenum* attinet, vel seleniten lapidem ἐκ τῆς σεληνιακῆς ἀπορροίας eum capere originem scribunt auctores τῆς χημείας Græci. Atque inde nomen quasi ex spuma lunæ concretum. Lunam spumare in herbas & lapides veteribus creditum:

---- *quod luna novas despumat in herbas.*

Unde *lunare virus* Lucano quod luna magicis cantibus affecta despumavit. Hoc igitur aphroselenum *talcum* est. Halimum vero herba illa, ex cujus exustæ cineribus fit *solda* vitro conflando idonea, de qua intellexit vetus ille interpres Aristophanis: ὕαλον ἡμεῖς ἄρτίως μὲν τὸ ἐκ βοτάνης τινὸς κεκαυμένης καὶ διὰ πυρὸς τηκομένης εἰς κατασκευὴν ἀγγείων τινῶν λέγομεν. Inde igitur & halimum

B *ampullaciam* Latini dixere, quod ex ea fierent ampullæ vitreæ. Quod inventum posterius fuit ætate Plinii. Nam tunc ex arena & nitro vitrum fundebatur tantum, ad quod conflandum & calculos splendentes, & magnetem, & testas tusas, fossilesque arenas uri solitas memorat. Herbæ autem nusquam meminit. Aristophani λίθος ἡ καλὴ ἡ διαφανὴς dicitur ὕαλος. Interpres de electro, aut de lapide speculari accipit. Certe ἠλέκτρου mentio apud Homerum, non ὑάλου. Ignem vitrea pila accendi solitum locus ille Aristophanis indicat: ἐξ ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι. Quod scholiastes ita expli-

C cat: massam vitri rotundam ad hoc factam, cui oleo illitæ & sole excalfactæ admovebant filaceas lucernarum myxas, ut ignem conciperent. Suidas ex electro factas has massas vult: κατασκεύασμα τροχοειδὲς ἠλέκτρου εἰς τοῦτο τεχνασθέν, ὅπερ ἐλαίῳ χρίσαντες, καὶ ἡλίῳ θερμάναντες προσάγουσι θρυαλλίδα, καὶ ἅπτουσι πῦρ. Ex vitro hoc etiam fieri poterat. Hodieque specula crystallina, vel vitrea fiunt certa forma, quæ soli exposita paleas accendant & minuta cremia. Aristophanis temporibus vitri conflandi rationem in usu fuisse credi debet, siquidem & nomine tum vitrum notum fuit. Theophrastus: εἰ δὲ ὕελος ἐκ τῆς ὑελίδος ὥς τινές φασι καὶ

D αὕτη πυκνώσει γίνεται. Forte legendum, ἐκ τῆς ὑελίτιδος. Ita vocat arenam vitro conflando idoneam, quæ in Beli amnis ripis & alveo reperiebatur. Solam eam vitro conficiendo diu novere veteres. Sic σιδηρῖτις, ex qua ferrum fundebatur; χαλκῖτις, ex qua æs. Addit Theophrastus: ἰδιωτάτη δὲ ἡ τοῦ χαλκοῦ μιγνυμένη. Æs Cyprium fundendo vitro admisceri solitum tradit etiam Plinius. Ergo Theophrasti ætate jam hæc ratio promisca fuit vitri faciendi, atque etiam videtur Aristophanis. Nec impedimento est quod λίθον vocat. Au-

E ctores passim vitrum sic appellant. Auctor peripli rubri maris λιθίαν ὕαλον ubique vocat. Quæ alibi eidem dicitur ὕελος ἀργή. Κρύος porro frigus & glaciem significat, quo nomine lapidem specularem ab idiotis sua ætate appellatum notat ille vetus scholiastes. Inde & κρύσταλλος glacies, quam vocem pro vitro etiam quidam usurparunt. Hesychius: κρύσταλλος εἶδος ὑέλου. *Glaciem* quoque hodie de vitro dicimus. Sed κρύον apud Græcos recentiores positum reperi pro cisternæ tectorio. *Stucchum* si forte hodie vocant. Zosimus de rotundandis margaritis: ἐπάνω δὲ τοῦ ποιοῦ ζωμοῦ ἐπίβαλλε ἔλαιον κρύου κιν-

F στέρνης κεκαυμένου καὶ τετριμμένου καλῶς μέρος ὀλίγον. Fiebat ex gypso, vel speculari lapide, quem sua ætate κρύον appellatum notat ille vetus scholiastes. Sed de his alibi.

Quartus in metallis ferrariis legitur.] Unde hoc? Certe non à Plinio. Et tamen hæc omnia ab illo habet. Verba ejus: *post hunc est siderites ferrei splendoris, pondere ante ceteros, sed naturâ dissimilis.* Ex istis fabricavit noster hæc sua: *In metallis ferrariis legitur, pondere ceteros antecedens, non tamen & potestate.* Sideriten Plinius innuit dictum, quod ferrei sit splendoris, non quia legatur in ferrariis officinis. Quod iste adfinxit de suo.

G Idem Plinius alibi sideritis lapidis meminit inter gemmas serie literarum sibi descriptas, quem ferro similem dicit litigia & discordias quocunque inferatur facientem. Qui potest idem esse cum hoc siderite adamante. Nam ipsum etiam ferrum, vel ferri genus dictum ἀδάμας à duritie. Plinius diversos putavit, quia eorum descriptionem è diversis hausit scriptoribus. Habeo inter mea κειμήλια lapidem ferrei coloris ac ponderis, pugni magnitudine rotundum, undique se-

cus formis quadrangulis in mucronem turbinatis aspe- rum. Diceres manu politas, & in levorem quadrangulum attritas, qua facie hodie teruntur ignobiles adamantes, quos à solo natali *alenconios* appellamus. Sideriten nuncupari posse illum lapidem nullus dubito, ita plane splendorem ferri exhibet ac pondus habet. Mirum prorsus naturæ φιλοτέχνημα. Ex India allatus est. *Lapidem adamantis* vocabat qui mihi vendidit, propter illas fortasse quadrangulas facies, quod ad illud instar plerique atterantur adamantes. Σιδηρίτης etiam vocabatur lapis, ex quo ferrum funditur, matrix nempe ferri lapis. Hesychius: Σιδηρίτης λίθος, ἀφ' ἧς οἱ μεταλλεῖς λέγουσι γίγνεσθαι τὸν σίδηρον. Similiter & γῆ σιδηρῖτις, è qua fit ferrum. Magnes lapis, qui ferrum trahit, etiam *siderites* dictus. Immo & ἀδάμας. Nam & in genere hæmatitum lapidum *androdamantem* recenset Plinius à duritie sic dictum, qui ferrum & argentum attrahit. Hæmatiten ex genere magnetum esse placuit veteribus & eum præcipue, qui pari virtute pollebat. Ex magnete hæmatiten fieri tradit Dioscorides. Σιδηρίτης igitur magnes, quem & ἀδάμαντα quidam cognominarunt, quod vis invicta ferri illi cederet, eumque sequeretur. Hinc Plinius σιδηρίτην ἀδάμαντα inter gemmas hoc nomine retulit. Sed & Cyprium lapidem, quo adamantes gemmæ & aliæ perforabantur, videntur nonnulli appellatione adamantis donasse à duritie. Hinc & Cyprium adamantem in gemmam ejusdem nominis transformavit.

Plerique etiam adamante alio perforantur.] Plinius de siderite adamante: *nam & ictibus frangitur, & alio adamante perforari potest: quod & Cyprio venit.* Scriptum in libris invenio: *& alio adamante perforari potest, qui è Cypro venit.* Nec dubito Plinium ita scripsisse. Lapis in Cypro fuit, quo adamantes ac reliquæ gemmæ scalpebantur. Quæ ferro resistebant, lapidis hujus scalpturæ cedebant. Hunc lapidem Cyprium videntur quidem adamantem appellasse à duritie, ut ferrum ipsum ἀδάμας ab eadem ratione dictum. Notat Theophrastus gemmas esse, quæ ferro scalpi negant, sed alio lapide volunt. Ἔνιαι δὲ λίθοι καὶ τὰς τοιαύτας ἔχουσι δυνάμεις εἰς τὸ μὴ πάσχειν ὥσπερ εἴπομεν, οἷον τὸ μὴ γλύφεσθαι σιδήροις, ἀλλὰ λίθοις ἑτέροις. Et paulo post: ἔνιοι δὲ λίθοις ἄλλοις γλύφονται, σιδηρίοις δὲ οὐ δυνάνται. Ex cotium genere, aut coti similem esse lapidem, quo gemmæ ferri scalpturis resistentes scalperentur, tradit ibidem & ex Armenia adferri. Talis & in Cypro nascebatur, ad eumdem usum accommodatus. Plinius: *Signis è marmore poliendis, gemmisque etiam scalpendis atque limandis, Naxium diu placuit ante alia. Ita vocantur cotes in Cypro insula genitæ. Vicere postea ex Armenia invectæ.* Quas hoc loco vocat cotes in Cypro genitas, capite de adamantis generibus adamantem vocat, qui è Cypro venit, quo alius adamas perforabatur ac cavabatur. Hæc tam varie, quia ex variis auctoribus sumpta. Auctori igitur vel judicium, vel otium defuit componendi similia inter se, quæ apud diversos auctores invenerat, ac dissimilia secernendi. Armenio autem lapide non solum scalpebantur aliæ gemmæ signaculis faciendis, sed etiam perforabantur. Stephanus de Armeniis: παρέχονται δὲ λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τρυπῶσαν τὰς σφραγῖδας: *lapidem mittunt, quo gemmæ scalpuntur ac perforantur.* Quas filo ad monilia inserere & collo suspendere volebant, eas perforabant. Sic alii adamantes Plinio teste Cyprio adamante perforabantur. Qui Cyprius adamas nihil aliud fuit quam Cypriæ cotis genus, quo gemmæ scalpi solebant, & perforari. Hoc idem melius efficiebant Armeniæ, quæ Cyprias vicere. Isidorus de smiri lapide: *asper & indomitus lapis, quo gemmæ teruntur.* Idem facit Cyprius, & propterea etiam ἀδάμας cognominatus. τρυπᾶν de gemmis Plinius vertit *perforare*. Unde & margaritæ ἀτρύπητοι καὶ τετρυπημέναι apud Myrepsum. Hinc *perforaculum*, τὸ τρύπανον. Quod sermo corruptus dixit *furfuraculum*. Glossæ Isidori: *furfuracula, tenebræ.* Immo: *terebræ.* Glossæ nostræ: *furfuraculum*, τρύπανον. Quæ vox Arnobio restituenda lib. VI. *Ex incudibus & malleis nata grossis, rasa discobinata de limis, ferris, furfuribus, aculeis asciis, secta dolata.* Quid heic faciunt furfures? Regius codex habet: *furfur aculeis.* Omnino scribendum, *ex incudibus & malleis nata, tornis rasa, discobinata de limis, ferris, furfuraculis, asciis secta, &c.* Nec refert hilum quod *terebrarum* mentio ibidem additur. Nam terebræ diversæ à furfuraculis, vel perforaculis. Ita & Græci distinguunt τέρετρα & τρύπανα. Græcum epigramma de instrumentis fabrilibus:

Τρύπανά τ' εὐδίνητα, καὶ ὠκήεντα τέρετρα.

Terebra est τέρετρον: *perforaculum* τρύπανον. Fortean *furfuraculum* dixere, quod furfures in ligno perforando faciat, hoc est, scobem furfuribus similem. Plinius adamantis fragmentis auro inclusis scalpi alias gemmas, hodie adamante in minutissimum pulverem contrito ceteras gemmas poliunt gemmarii. Smiris etiam veteribus notus lapis, quo gemmas atterebant ac poliebant. Dioscoridi σμύρις dicitur, sed legendum σμίρις ex Hesychio: Σμίρις λίθος ἐστὶν ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι: *quo gemmas atterunt gemmarum sculptores.* Hesychius: σμίρις, ἄμμος εἶδος, ᾗ σμήχονται σκληροὶ τῶν λίθων. Smiris quoque hodie id nomen habet & eumdum usum exhibet. Cardanus notat quod si non sit smiris porus lapis, ignotum antiquis fuisse necesse esse. Fallitur. Smiris non est porus, & tamen antiquis fuit cognitus. Idem notat poro lapide & fragmentis obsidianæ gemmas cælari solitas antiquo tempore. Nusquam id invenio. Præterea *cælari* perperam posuit pro *scalpi*. De fragmentis ostracitæ lapidis id scripsit Plinius, non de obsidianæ: *duriori tanta inest vis, ut aliæ gemmæ scalpantur fragmentis ejus.* De ostracia, vel ostracite lapide loquitur. Aliud est scalpi, aliud poliri, vel atteri: hoc σμήχεσθαι Græci vocant, illud γλύφεσθαι. Nusquam autem proditum veteribus gemmas scalpi solitas obsidianæ fragmentis. Plinius lib. ultimo cap. ultimo dixit veras gemmas obsidianæ fragmentis non scarifari: *obsidianæ fragmenta veras gemmas non scarifant: facticiæ scarifationes candicantium fugiunt.* Ita hæc legenda. Non hoc dicit quod voluit Cardanus. Idem ex corruptis Plinii verbis temere collegit poro lapide gemmas antiquitus scalptas, & smirim porum esse ex eo interpretatus est. Loquitur ille de arenæ genere, quo marmora in crustas secabantur lib. XXXVI. cap. VI. Qui locus sic est legendus ex vestigiis veteris scripturæ: *crassior enim harena laxioribus segmentis terit, & plus erodit marmoris, majusque opus scabritia polituræ relinquit. Rursus Thebaica polituris accommodatur, & quæ fit e poro lapide, aut è pumice.* Libri habent: *è toro lapide.* Unde alii facere possent: *è duro lapide.* Sed ea harena, quæ fiebat è poro lapide, marmora tantum poliebantur, non gemmæ. At poliendis limandisque gemmis, atque etiam scalpendis Cypriæ cotes & Armeniæ erant accommodatæ. De quibus statim sequitur apud eumdem.

Quæ fragmenta scalptoribus in usum insigniendæ cujuscumque modi gemmæ expetuntur.] Plinius: *expetuntur a scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavante.* Scalptores proprie, qui gemmas cavant, hoc est, qui cavam faciunt in gemmis effigiem, quæ pro sigillo solet insculpi. *Cavatores* & *cavitarii* inde appellati. καβιδάριοι Græcis recentioribus. Male Cardanus in libro de lapidibus *sculpere* ac *cælare* ita distinguit, ut *cælare* de gemmis dicatur, quæ cavata effigie insigniuntur, *sculpere* vero quum imago prominens figuratur, velut in nummis qui signantur principum vultibus. Immo hoc *cælare* Latine nomen habet, quum imago prominet ac protuberat. Et falluntur qui *cælatas* gemmas pro scalptis vel cavatis dicunt, quum cælatæ sint quæ ectypam & extantem imaginem exprimunt. Scalpere & *sculpere* non differunt origine ac significatione. Frequentius tamen *scalpere* invenitur pro cavare, & *sculpere* pro cælare sigillis eminentibus: ut *scalptores* gemmarum sunt cavatores, at *sculptores* marmoris sunt οἱ γλυφεῖς, qui sigilla sculpunt. Auctores tamen sæpe hæc confundunt, & scalpturam sculpturamque indifferenter usurpant. Plinius *scalpturas ectypas* vocavit, in quibus è plano eminent imagines: quæ proprie sculpturæ sunt vel cælaturæ. *Hæ gemmæ sunt quæ ad scalpturas ectypas aptantur.* Ergo entypæ sunt, quæ impressas ac refugientes in cavo præferunt figuras. Hæ proprie *scalpturæ*. Quintilianus cælaturam à sculptura distinguit solo materiæ nomine. Generale est sculptura, at specialis cælatura, quæ in auro, argento, ære, ferro

ferro operatur. Præter hæc, lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas etiam complectitur ſculptura. Græci γλυφὴν vocant ſine diſcrimine tam eam quæ ex plana ſuperficie extantes ſculpit effigies, quam quæ intus recondit, & cavat. Unde γλυφὴν δακτυλίων & σφραγίδων paſſim dicunt,& artem, quæ id efficit, γλυπτικὴν σφραγίδων. Unde & καρδοπογλύφος, qui mortaria excavat. Hæc ars ἔντυπος non ἔκτυπος. Unde apud Clementem ἐντύπωμα σφραγῖδος. Quare in Exodo legendum cap. XXXIX. Καὶ ἔγραψαν ἐπ' αὐτοῦ γράμματα ἐντετυπωμένα σφραγῖδος. Male excuditur, ἐκτετυπωμένα. Quod non poteſt ferri,& contrarium ſenſum efficit. Indicat quippe literas illas inciſas & ſcalptas fuiſſe eo modo, quo lapides annulorum ad ſignandum facti cavari ſolent & ſcalpi. Eleganter vetus verſio reddidit: *ſcripſeruntque in ea opere gemmario ſanctum Domini.* Nam gemmas Latini dixerunt proprie, quas Græci σφραγῖδας: lapides nempe annulorum ad ſignandum cavatos. Quæ ſculptura entypa eſt, non ectypa. Nihil verius. Cavatores iſtos & ſcalptores lapidum nos vulgo *gravatores* dicimus, pro *grafatores.* Nam & γράφειν Græcis in eadem ſignificatione ponitur. Heſychius: γλύψαι, ξύσαι, χαράξαι. Idem γράψαι, ξύσαι, χαράξαι. Apud Theophraſtum ἐγγράφειν idem quod inſculpere de vermibus, quæ lignum erodendo charaxant & inſculpunt. Γράφειν *graphare*, ut *anaglyphare*, ἀναγλύφειν: unde anaglyphati calices. Ut F & V ſæpe mutantur, ſic pro *grafare* factum *gravare.* Apud Trebellium Pollionem *chryſographata ſcuta* auro ſculpta,& inſignita. Sic *chirographi Thyni* Catullo Thyni annuli manu ſculpti. Nam χειρόγραφον dicitur, quod manu ſcriptum eſt, ſed & quod manu ſculptum: unde χειρόγραφοι annuli. Id nunc melius puto, quam quod olim putavi. Sic χειροκμητὸν de annulo ſignatorio, quod manu elaboratum eſt. Eudemus Rhetor in Lexico: Χειρόκμητα, ἀπὸ χειρῶν γεγλυμμένα ἢ κατειργασμένα. Suidas: χειρόκμητα ἀπὸ χειρῶν γεγλυμμένα ἢ κατεξεσμένα. Hinc titulus Democritici commentarii χειρόκμητα. Plinius lib. XXIV. cap. XVII. *Democriti certe chirocmeta eſſe conſtat. In his ille poſt Pythagoram magorum ſtudioſiſſimus, quanto portentoſiora tradit?* Male in vulgatis, *chirocineta*: nec melius interpretantur ita dicta, quod aſſidue manibus tractanda eſſent. Vitruvius lib. IX. cap. III. *Multas res attendens admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, & ejus commentarium quod inſcribitur* χειροκμητῶν, *in quo utebatur annulo ſignans cera molli quæ eſſet expertus.* Ita locum illum conſtituo vulgo depravatiſſimum. Editur enim, χειροτονητὸν, *in quo etiam utebatur annulo ſignans cera ex milto quæ eſſet expertus.* At in ſcripto codice optimo habetur: *quod ſcribitur chirotomiton in quo etiam utebatur annulo ſignaretur mollicia eſſet expertus.* Unde nos facimus: *ſignans cera molli quæ eſſet expertus.* Verum eſt etiam, *quod inſcribitur* χειροκμητῶν. Commentarius ille inſcribebatur χειρόκμητα. Antiqui critici locis dubiis, de quibus amplius quærendum eſſet, aut notabilibus adfingebant fruſtula ex cera, quæ παραπλάσματα dicebantur. Heſychius: παραπλάσματα τὰ κήρια τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς ζητήμασιν ἐν τοῖς βιβλίοις. Et alio loco: παρερρυπωμένα βιβλία οἷς κηρὸς παραπλάσσομεν, πρὸς τὸ ζητῆσαι τινά. Quibus cerulas adfingimus, ad aliquid inquirendum. Democritus in eo commentario, quo rerum naturalium arcana & abdita ſcrutabatur, iis paradoxis, quæ ipſe vera expertus erat, notas illas è cera adfigere ſolebat, & annulo quidem ſuo ſignatas. Annulus autem χειροκμητὸν dicebatur, hoc eſt, manu ſculptum. Hinc libro titulus χειρόκμητα vel χειροκμητῶν, quod totus eſſet ex illis quæſtionibus, quas ipſe experimento veras eſſe didicerat, & quibus propterea cerulas annulo ſuo ſignatas adpoſuerat. Heſychius: Χειρόκμητα, χειροποίητα, ἤγουν ὑπὸ χειρῶν γεγονημένα. Explicat inſcriptionem illam Democritici commentarii. An potius χειρόκμητα inſcriptum fuit, quod omnia, quæ in illo libello tractabat, manu ipſe feciſſet, & experimento proprio comprobaſſet? Priorem ſententiam adſtruit & confirmat Vitruvius. Titulus hic libri Democritei corruptus apud Diogenem Laërtium habetur in ejus vita, ubi ſcriptum eſt, Χερνικὰ, ἢ φυσικὰ προβλήματα. Scribendum eſſe tibi aſſero: Χειροκμητὰ ἢ φυσικὰ προβλήματα.

Non ſinat magnetem rapere ferrum.] De magnete nota ſunt, quæ noſci hactenus potuere. Scribit Ptolemæus in quibuſdam inſulis navigia retineri, ſi quæ clavos habeant è ferro. Ea re naves in illis locis compaginandas eſſe ſubſcudibus ligneis: ἐν αἷς φασὶ τὰ σιδηροῦς ἔχοντα ἥλους πλοῖα κατέχεσθαι, μήποτε τῆς Ἡρακλείας λίθου περὶ αὐτὰς γεννωμένης, καὶ διὰ τοῦτο ἐπιούροις ναυπηγεῖσθαι. Numquid quod circa illas inſulas naſcitur lapis Heraclius? Μήποτε τῆς Ἡρακλείας λίθου περὶ αὐτὰς γεννωμένης. Dubitat, non aſſerit Ptolemæus, an circa illas inſulas naſcatur magnes. Et certe inter patrias magnetis lapidis nullam facit mentionem Plinius in India naſcentis. Id tamen pro vero affirmat auctor Anonymus de vita Alexandri, ubi tradit id ſe accepiſſe à quodam ſcholaſtico, ſive cauſidico, qui foro abdicato, cui ſe videbat parum idoneum, regiones illas Indiæ peragraverat. Locum ſubjiciam: ἐπειδὴ τοίνυν ὁ μαγνίτης λίθος ὁ τὸν σίδηρον ἐπισπώμενος ἐν ἐκείναις γίνεται ταῖς νήσοις, ταῖς λεγομέναις Μανιόλοις, ὃ ἂν ἀπέλθῃ πλοῖον σιδηροῦς ἔχον τοὺς ἥλους κατέχεται ὑπὸ τῆς τοῦ λίθου φύσεως μὴ δυνάμενον παρελθεῖν: εἰσὶ δὲ ἰδικῶς τὰ διαπερῶντα πλοῖα εἰς ἐκείνην τὴν μεγάλην νῆσον ἄνευ σιδήρου ἐπιούροις ξυλίνοις ἐπεσκευασμένα. Ptolemæus Μανιόλας appellatos quoque tradit earum inſularum incolas. Sed vetus interpres *Maniolas* eos vocat, & inſulas ipſas ſic etiam dictas ſignificat, ut videatur Ptolemæi Græcum codicem integriorem & emendatiorem habuiſſe. Hodie quoque in *Zeilan*, quam veterum eſſe Taprobanen docemus infra, magnetem plurimum reperiri ajunt, ſed fabuloſum ideo clavis ligneis compingi naves, quæ illo commeant, ne vi magnetis attrahantur aut hæreant. In ſuperiori autem Ptolemæi loco male vertunt interpretes: *ac ideo illa ligneis clavis compaginant, ne quando lapis Herculeus, qui circa ipſas gignitur, illas attrahat.* Μήποτε non ſignificat *ne quando*, ſed *numquid.* Et plane contra mentem Ptolemæi facit illa verſio. Ἐπίουροι Græce ſunt clavi lignei. Hinc Secundus Sophiſta, quod fabro patre natus eſſet, ἐπίουρος per jocum vocabatur, hoc eſt, *ligneus clavus*, forte alluſione etiam facta ad dicendi genus, quo utebatur, duro atque ligneo. Philoſtratus lib. I de vitis Sophiſtarum: Μὴ δὲ Σεκούνδου τοῦ Ἀθηναίου ἀμνημονῶμεν, ὃν ἐκάλουν ἐπίουρόν τινες ὡς τέκτονος παῖδα. Σεκοῦνδος τοίνυν ὁ σοφιστὴς, γνῶναι μὲν περιττὸς, ἑρμηνεῦσαι δὲ ἀπέριττος. Male legitur in vulgatis editionibus: ὃν ἐκάλουν ἐπίθυρον τινές. Atque hæc obiter. Ἡρακλείαν λίθον magnetem vocat Ptolemæus, more antiquiſſimorum Græcorum, qui nunquam aliter appellant eum lapidem, qui ferrum trahit, eumque à magnete ſeparant. Igitur Ἡρακλεία λίθος vetuſtiſſimis Græcis, quæ poſterioribus μαγνῆτις λίθος, & *magnes.* Noſtri hodie paſſim vocant *Herculeum* lapidem, imperitiſſime. Nec enim ab Hercule nomen habet, ſed ab Heraclea urbe Lydiæ, ubi plurimus lapis ille. *Heraclius* itaque Latine dicendus, non Herculeus. Heſychius: κέκληται δὲ οὕτως ἀπὸ τῆς Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως. Unde & Ἡρακλεώτης λίθος aliis dicta. Idem de eodem lapide: διὸ καὶ Σοφοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ, οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ Ἡρακλεῶτιν. At magnes,vel μαγνῆτις λίθος apud veteres longe alius lapis ab eo qui ferrum trahit. Ita vocarunt lapidem argentei nitoris & argento adeo ſimilem ut plerumque pro argento imponeret. Theophraſtus in commentario de lapidibus: οἱ δὲ γλυπτοὶ καθάπερ ἐλέχθη καὶ τορνευτοὶ τυγχάνουσι, καθάπερ καὶ ἡ μαγνῆτις αὕτη λίθος, ἡ καὶ ὄψει περιττὸν ἔχουσα, καὶ ὥσγε δή τινες θαυμάζουσι τὴν ὁμοίωσιν τοῦ ἀργύρου μηδαμῶς οὖσαν συγγενῆ. Dicit ſimilitudinem argenti in hoc lapide mirari quoſdam, quum nulla cognatione argentum attineat, nec ejuſdem ſit cum illo generis. Cave cenſeas magnetem illum lapidem Theophraſti hunc eſſe vulgarem magnetem qui ferrum trahit. Photius ex Helladio Beſantinoo: ὅτι οὗτος μέν φησιν οὐχὶ μαγνῆτιν, ἀλλ' Ἡρακλείαν καλεῖσθαι τὴν λίθον ἥτις ἕλκει τὰ σιδήρεια. Subjungit Photius multos alios exiſtimare eumdem eſſe Heraclium lapidem & magnetem. Profecto idem eſt ac non idem lapis Heraclius qui ferrum trahit, & magnes. Illa μαγνῆτις Theophraſti toto genere diſtat à lapide Heraclio. Nec ratione caret Helladius, qui diverſam ſtatuit τὴν μαγνῆτιν λίθον ab Heraclio lapide. Nam magnetis illa argenti colorem habet, & tornatur in vaſcula. Heſychius quoque eos lapides ſub his nominibus diſtinguit:

guit: Μαγνῆτις λίθος, αὕτη πλανᾷ τὴν ὄψιν ἀργύρῳ ἐμφερὴς οὖσα, ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται. Idem ad illud proverbium:

Λυδικὴ λίθος σίδηρον τηλόθεν προσηγάγου.

Verba ista subjicit: αὕτη γὰρ τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται, ἡ δὲ μαγνῆτις διασπᾶται τὴν ὄψιν ὡς δοκεῖν ἀργύρεον εἶναι. De ea Euripidis hi versus in Oneo sic legendi sunt:

---- ἡ βροτῶν
Γνώμη σκοπούντων, ὥστε μαγνῆτις λίθος,
Τὴν δόξαν ἕλκει, καὶ μεθίστησιν πάλιν.

Difficile est primo intuitu judicare, qualis mens sit eorum hominum, quibuscum converseris. Quemadmodum enim adspectum fallit lapis magneticus, & pro B argento blanditur, quod facie sit argentea: ita sæpe hominum mens prima fronte allicit ad bene de se sentiendum, quæ penitus postea perspecta & explorata mutare sententiam cogit, & longe aliam parit existimationem. Ita sæpe decipimur in cognoscendis hominum moribus, ut id videantur esse quod non sint. Ut magneticus lapis id videtur quod non est. Ἡ γνώμη βροτῶν τὴν δόξαν σκοπούντων ἕλκει καὶ μεθίστησιν πάλιν, ὡς μαγνῆτις λίθος. Insignis locus. De magnete, qui ferrum trahit, hæc neutiquam accipienda sunt, sed de eo magnete, qui nitorem habet argenteum, & argenti C similitudine fallit adspicientes. Hesychius eos reprehendit, qui eumdem facerent lapidem Heracleum cum magnete: Ἡρακλεία λίθος, ἣν ἔνιοι μαγνῆτιν λέγουσιν οὐκ ὀρθῶς. Διαλλάττουσι γὰρ καὶ ἡ μὲν ἐπισπωμένη τὸν σίδηρον, ἡρακλεία ἐστὶν, ἡ δὲ ἑτέρα παραπλήσιος ἀργύρῳ μαγνῆτις. Ita legendum ac supplendum in ejus verbis. Addit Platonem in eo errore deprehendi in comœdia Ione, quum alibi recte eas distinxisset: ὥς τε Πλάτων ἁμαρτάνει τὴν αὐτὴν ὑπολαμβάνων μαγνῆτιν καὶ ἡρακλείαν: καὶ γὰρ αὐτὸς ἀλλαχοῦ ἑτέρως καὶ ἑτέραν φησί. Ergo μαγνῆτις λίθος aliis diversa censetur ab heraclia, aliis eadem est. Nec mirum. Nam duo diversi lapides hoc eodem nomine τῆς μαγνήτιδος λίθου veteribus noti fuere, à patria uterque sic ap- D pellatus. Μαγνῆτις λίθος, quæ argenti faciem habet, alia ab heraclio lapide. Sed ille lapis heraclius etiam μαγνῆτις & μάγνης dictus est ab urbe Magnesia, circa quam gignebatur. Recte igitur faciunt, qui μαγνῆτιν λίθον facie argenteum ab heraclio lapide secernunt. Sed nec illi errant, qui heraclium lapidem μαγνῆτιν λίθον vocant. Nam ut ab Heraclea Lydiæ urbe vocatus est *heracleus*, ita à Magnesia ejusdem Lydiæ urbe dictus est μάγνης & μαγνῆτις λίθος. Nascebatur etiam in Magnesia Europæa Macedoniæ contermina. Quo magis ex vero id nomen habuisse scias, Plinius E ex Sotaco quinque magnetis genera recenset, primum Æthiopicum, omnium optimum: secundum Magnesiacum ex Magnesia Macedoniæ collimitanea. Omnium deterrimum facit in Magnesia Asiæ nascentem. Duæ Magnesiæ in Asia una ad Mæandrum amnem, quæ Μαγνησία πρὸς Μαιάνδρῳ dicitur: altera sub Sipylo quæ Μαγνησία πρὸς Σιπύλῳ cognominatur. Utramque in Lydia ponit Ptolemæus. Sed & Ἡράκλεια Lydiæ, quæ nomen dedit heraclio lapidi, qui idem est cum magnete. Hinc lydius lapis etiam nuncupatus hic magnes, qui ferrum in se rapit.

Λυδικὴ λίθος σίδηρον τήλοθεν προσηγάγου.

Hesychius de heraclio lapide, qui est magnes: κέκλη- F ται δὲ οὕτως ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως, διὸ καὶ Σοφοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ. Alius rursum hoc nomine lapis, quo aurum probatur, quod in Tmolo Lydiæ amne primum repertus fuit. Plinius lib. XXXIII. cap. VIII. *Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inveniri nisi in flumine Tmolo, ut auctor est Theophrastus: nunc vero passim, quem alii heraclium, alii Lydium vocant.* Fallitur Plinius, peccatque non mediocriter. Lapis hic lydius, quo aurum & argentum probatur, nunquam dictus est *heraclius*, sed ille alter lydius, qui ferrum rapit. G Duo igitur lydii lapides diversissimi generis, ut duo magnetes. Μάγνης absolute dictus est lapis *Heraclius*, qui lapis est Magnesius. Μάγνης λίθος pro Magnesiaco. Sed postea μάγνης appellatus est omnis lapis hujus generis, etiamsi patriam non haberet Magnesiam: ut Æthiopicus magnes. Sic χάλυψ σίδηρος pro chalybico ferro, & χάλυψ absolute postea de quocumque ferro. Ita *cyprum*

A pro quolibet ære non tantum Cyprio: *caunæ* de omnibus caricis, non tantum Cauniis. Vetus epigramma:

Μάγνης Ἡράκλειτος ἐμοὶ πόθος οὐχὶ σίδηρον
Πέτρῳ πνεῦμα δ' ἐμοῦ κάλλει ἐφελκόμενος.

Heraclitus hic Magnes civis Magnesiæ quem magneti comparat. Μάγνης igitur proprie lapis Magnesiacus: ut Σκύθης οἶμος, & similia. Μαγνῆτις λίθος aliis. Ab inventore Magnete quidam hunc appellatum prodidere. Nam & Μάγνης nomen proprium. Comicus quidam vetus sic vocabatur. Indici magnetis mentio est apud Isidorum: *Magnes lapis Indicus ab inventore vocatus. Fuit autem in India ita primum repertus.* Lege: *Lapis Idicus:* B *& in Ida ita primum repertus*, vel *Lydicus*, *& in Lydia.* Certum est non ab inventore sed à patria Magnesia id nominis invenisse hunc lapidem. Quod ad magnetem alterum attinet, qui colorem argenti præfert, non dixere veteres ex qua Magnesia veniret. Hic profecto lapis est, quem alii vocavere *androdamantem.* Plinius: *Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas.* Hæmatites quidam ex magnetum genere, qui ferrum rapit, hoc nomen etiam meruit. Sed quia *magnetis* etiam vocata est, quæ argenti nitorem habet, vereor ut illi quorumdam errore hæc appellatio *androdamantis* hæserit, quæ magneti, qui trahit ferrum, prorsus competit. Sic coticulam C Lydiam lapidis heraclii nomine insignivit Plinius, quod proprie debetur alteri lapidi lydio, qui est magnes. Dubitat ibidem Plinius an *argyrodamas* auctoribus tantum nomine tenus notatus idem sit cum androdamante, qui argenti nitorem habet. Certe videtur argyrodamas dictus quasi argenteus adamas. Hæc eadem & magnetis à loco natali. Vide tamen numquid veriora sint quæ de androdamante & argyrodamante supra disputavimus. In Lexico Chimico ἀνδροδάμας inter πορφυρίτας lapides reponitur qui de magnete androdamante accipiendus est: Πορφυρίτης ἐστὶ λίθος ἐτήσιος καὶ ἀνδροδάμας. De illo etesio lapide multa miranda D narrant, quem & facticium esse quidam ex his volunt. Plinio restituendum hujus lapidis nomen lib. XXXII. cap. XXII de lapidibus ad mortaria medicinalia aptis: *Etesiumque lapidem in his prætulere ceteris, mox & Thebaicum.* Vulgo editur, *Ephesium.* Sed libri habent *Ethesium.* Ita etiam Isidorus legit. Et in indice manuscripto sic habetur: *De mortariis medicinalibus. Ethesius lapis. Chalodius.* Idem Lexicon Chimiæ: Βοστρυχίτης, πυρίτης καὶ ἐτήσιος ὁ καὶ χρυσόλιθος ἐστί. Alibi aëtiten quoque sic interpretatur: Ἀετίτης, χρυσόλιθος ἐστὶ καὶ πορφυρίτης καὶ πορφυρόχρωμος Μακεδονικὸς καὶ Πολύχρωμος. Auctores illi χρυσόλιθον vocant non gemmam quæ hoc no- E mine dicitur, sed lapidem χρυσίτην. Sic ἀργυρόλιθος iisdem appellatur χρυσίτης. Zosimus: ἀργυρόλιθος καὶ χρυσόλιθος. Androdamantem porro eumdem ab his fieri cum chrysite testis ψευδώνυμος Democritus de androdamante: οὗτος ἐστὶν ὁ λίθος ὁ λεγόμενος χρυσίτης. Proprie Græcis χρυσίτης lapis is vocatur, quo probatur aurum. Hesychius: χρυσῖτις λίθος ἡ λεγομένη βάσανος, ἡ Λυδία. Magnes lapis quoque lydius, etsi multum à lydio lapide chrysite differat, sed ambo eamdem habent patriam. Inter magnetum genera androdamas à quibusdam reponitur. Hinc inepti illi auctores ἀνδροδάμαντα & χρυσίτην eumdem lapidem fecere. Sed de eorum imperitia alibi di- F cendi locus.

Quasi prædam quamdam quidquid magneti hæserit, adamas rapiat atque auferat. Ita edidit Delrius cum aliis: sed verba illa, *quidquid magneti hæserit*, uncinis incluserat, quia in codice suo ea non invenerat. Duplex hujus loci lectio fuit: altera prioris, altera novæ ἐκδόσεως. Altera habuit: *quasi prædam quamdam quidquid magneti hæserit, adamas rapiat, atque auferat.* In altera lectum est: *quasi prædam quamdam adamas magneti rapiat atque auferat.* Sic edidimus. Plinius: *Adamas dissidet cum lapide magnete in tantum ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi.* G Vetus codex habet, *extrahi.* Legendum, *ut juxta positus ferrum non patiatur ei trahi*, id est, ab eo trahi. *Ferrum magneti trahitur*, id est, à magnete. Loquutio Plinio familiaris, prorsus mendosum, *abstrahi.* Sequitur: *aut si admotus magnes adprehenderit, rapiat atque auferat.* In aliis legitur, *deprehenderit.* Neutrum verum est. Scribe: *aut si admotus magnes id prehenderit*, hoc est, ferrum prehenderit, atque ad se rapuerit.

Si te prehendero, Gargili tacebis.

Lychniten perinde fert India, cujus lucis vigorem flagrantia excitat lucernarum.] In optimo regio codice: *cujus lucis vigore ardore excitat flagrantia lucernarum.* Scripſimus: *cujus lucis vigorem ardor excitat lucernarum.* Illud *flagrantia* ex duplici lectione altera eſt. Poterat etiam ſcribi: *cujus lucis ardorem flagrantia excitat lucernarum.* Ut pro illo *ardorem* in altera editione poſuerit *vigorem.* In multis porro gemmarum certum eſt vigorem earum excitari, vel igne, vel ſole, vel etiam lucernis accenſis, non tamen propterea *lychniten* dictum ait Plinius, quod ejus ardorem excitaret flagrantia lucernarum, ſed quod gratiam haberet lucernarum accenſarum, & ſimiliter luceret accenſis lucernis. Ita enim accipi volunt hæc ejus verba ut edita ſunt: *Ex eodem genere ardentium lychnites, appellata à lucernarum accenſarum præcipua gratia.* Cui ſententiæ adſtipulari videtur Dionyſius hoc verſu de lychnite:

---- Λυχνὶς ἢ πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη.

Aliter tamen concepta ſunt Plinii verba in veteri codice: *Ex eodem genere ardentium lychnis, appellata à lucernarum accenſu, cum præcipuæ gratiæ.* Unica mutata literula reſtituitur vera lectio: *appellata à lucernarum accenſu, tum præcipuæ gratiæ.* Tum præcipuæ gratiæ eſſe dicit hanc gemmam, cum lucernæ accenſæ ſunt, quia vigor ejus & ardor excitatur accenſarum lucernarum flagrantia. Nec aliter apud Plinium legit Solinus noſter. Legi debet etiam in eodem Plinio: *Lychnis appellata.* Nam ſi *lychnites* ſcripſiſſet, non fœmineo genere id nomen enuntiaſſet. Aut igitur λυχνῖτις, aut λυχνὶς ibi ſcribendum. Varie concipiuntur apud antiquos hujus lapidis nomina. Nam & λυχνεὺς dicitur, & λυχναῖος, ἡ λυχνὶς λυχνίδος, ἡ λυχνῖτις, ὁ λυχνίτης, & ὁ λύχνης ἢ λύχνου. Nam ita in antiquis Dionyſii codicibus ſcribitur:

---- Λύχνης ἢ πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὅμοιος.

Plinio *lychnis* appellata eſt, ἡ λυχνὶς, ita legit Iſidorus ex eodem auctore. Index manuſcriptus: *Lythenis, genera ejus* IIII. Ubi *lythenis* perperam ſcriptum pro *lychnis.* Remiſſiorem carbunculum dixiſſe quoſdam lychnidem Indicam notat idem Plinius. Græci qui de lapidibus ſcripſere ἄνθρακα exponunt λυχνίτην, quia luceat ut lucerna accenſa, vel ignis. Ἄνθραξ λυχνίτης. Apud alium reperio: ἄνθραξ ὡς πῦρ, ὡς λύχνος.

Pag. 59. E. *Duplex ei facies, aut enim purpuræ emicat claritate, aut meracius ſuffunditur cocci rubore.*] Ita correximus ex libris, quum antea legeretur: *aut in purpuræ emicat claritatem.* Mirum vero hoc loco Solinum quaſi propriam vindicare purpuræ claritatem, eamque cocco adimere, cui meracum & ſuffuſum ruborem tribuit. Claritas in omnibus coloribus ſplendor eſt multa luce perfuſus. Hinc claræ dicuntur purpuræ, quæ plus habent luminis quam coloris. Græci ὀξείας vocant. Ut contra *ſaturæ* & *meracæ* quæ plus coloris habent quam luminis. Tales auſteriores ſunt. Hoc & de cocco ſimiliter utrumque dici poteſt. Nam & coccum eſt clarum & acutum, plurimo lumine vegetum. Ὀξυφοίνικον & ὀξυκόκκινον Græci appellant. Eſt & ſaturatius ac meraco rubore ſuffuſum, eoque obſcurius & auſterum magis. Et ſic de ceteris coloribus obtinet, quorum alii clari ſunt, alii meracius ſuffuſi. Rectius multo Plinius ac brevius: *& alias invenio differentias: unam quæ purpurâ radiat, alteram quæ cocco.* Quæ calamiſtris inurere dum voluit noſter, plane ſenſum perdidit & colorum proprietatem neglexit. Color porro qui inter coccum & purpuram eſt, veteres *hyſginum* vocavere, ut alibi notamus. *Zinzolinum* vulgo dicimus. Noſter duo tantum genera lychnitis facit, unam quæ purpura, alteram quæ cocco lucet. Plinius quatuor ſtatuit: primam ac probatiſſimam apud Indos, quam remiſſiorem carbunculum dixere quidam: *Secunda*, inquit, *bonitate ſimilis, Ionia appellata a prælatis floribus.* Ita legendus ille locus. Secunda ab Indica, bonitate illi ſimilis, *Ionia* appellata Ἰωνιά. Mox ſcribendum ex veteri codice: *& inter has invenio differentiam. Una purpura radiat, altera cocco. A ſole excalefacta, aut digitorum attritu paleas & chartarum fila ad ſe rapit.* In veteri codice legitur: *aut chartarum folia.* Perperam.

A *Duplex ei facies,*] id eſt, duplex ei color, perpetua Solini loquutione, de qua multis locis jam diximus. *Et palearum caſſa* paulo poſt, ut *ſurculorum aſpera.*

Pag. 59. F. *Et ſi quando inſignita eſt, dum ſigna exprimit.*] Ita repoſuimus libris juvantibus ac jubentibus. Male fuit hactenus: *dum ſigna imprimit.* Gemmæ ad ſignandum ſcalptæ impreſſas habent figuras, non expreſſas: in cavo inciſas, non extantes. Ἐντύπωμα Græci vocant τὸ γλύμμα τῆς σφραγῖδος. Clemens Alexandrinus ἐντύπωμα τῆς σφραγῖδος. At cum ceram ſignant, imaginem in ea exprimunt, quod eſt ἐκτύπωμα. B Unde *ectypa* imagines, quæ extant ac prominent. Plautus eleganter & convenienter ad hunc locum:

Ea cauſa miles heic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex anulo ſuam imaginem.

Ergo ex anulo in cera imago exprimitur, non imprimitur.

Beryllos in ſexangulas formas Indi atterunt.] Aliter terit cælum: unde & *tritores* iidem qui & *cælatores*, οἱ τορευταί. Aliter terit tornus: unde & *terere* pro tornare. Aliter denique terit lima vel atterit: unde tritores lapidum, οἱ σμῆκται λίθων, οἱ στιλβωταί, qui attritu limæ, C vel arenæ, vel rotæ, vel alterius lapidis ſcobe gemmas poliunt & in nitorem dant. Epiphanius πιναροποιοὺς vocat, qui limpidant ac poliunt gemmas, quum potius id nomen præferat ſordium ſignificationem. Sed explicandum ex palæſtræ metaphora, qua nitidi & politi λιπαροί & ἐμπινεῖς, & πιναροὶ dicebantur ab oleo, quo perfuſi niteſcebant. Gloſſæ: *politus*, ἐμπινής. Hinc εὐπίνεια, nitor ac politura. Quod in oratione, & in aliis omnibus rebus locum habuit. Unde εὐπίνεια χαλκοῦ, nobis ſupra notata eſt ex Sorano pro nitore ac levore. Item εὐπινείας χάριν, elegantiæ ac nitoris gratia. Agatharchides antiquiſſimus auctor εὐπίνειαν σανιδώματος D dixit lævorem tabulæ ad unguem raſæ ac complanatæ: ὅθεν οἶμαι τὸ μὲν γεῶδες ἐκτηκόμενον συναπορρεῖν κατὰ τὴν εὐπίνειαν τοῦ σανιδώματος. Dixit antea tabulam illam κατεξυσμένην eſſe. Diximus ſupra *limpidari* lapides qui poliuntur. Hoc ſenſu eam vocem uſurpavit ſequior Latinitas. Ex libris tamen Dolabellæ in fragmentis Agrimenſorum ita ſcribitur: *Omnis terminus ab oriente limpidum latus habet: ab occidente ruſpidum latus habet.* Ubi limpidum pro polito ac levigato ponitur. Vetus liber medicinæ: κατουλωτικὰ *ſunt, quæ cicatrices comedendo æquant & limpidant.* Item: Ἀναπληρωτικὰ *ſunt quæ alta vulnera complent, & limpidant.* Græ- E cum eſt λάμπος lucidus: unde *limpus* & *limpidus*: ut μικκὸς, *miccus* & derivatione Latina *miccidus*: unde *miccidiores termini* Innocentio Agrimenſori ſunt minores. Epiphanius: ἄλλοι δὲ φασὶ Νέρωνα τινὰ τεχνίτην τῶν παλαιῶν πιναροποιὸν εἶτουν λιθουργὸν ἐφευρεῖν τὸ ἀναγκαιότατον τοῦ σμαράγδου. Ubi πιναροποιὸς eſt limpidator lapidum, qui nitentes atque εὐπινεῖς facit lapides. Genus ſmaragdi pretioſiſſimum & excellentiſſimum, hoc eſt, quod ille vocat τὸ ἀναγκαιότατον τοῦ σμαράγδου, *Neronianum* dictum eſt, non à Nerone Imperatore, nec enim ignoratum Plinio fuiſſet, ſed à Nerone aliquo artifice gemmario. Quid ſi traxit nomen ab aqueo ſplendore, quod F tralucidum ſit ac liquidiſſimum? Græci non ſolum infimæ ætatis ſed etiam antiquioris νηρὸν & νερὸν aquam vocaverunt. Et νερὼν locus eſt aquis irriguus. Inde νερώνιος λίθος, quem alii Νερωνιανὸν dixere quaſi e Nerone. Epiphanius: καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς πικρὸς τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Plinius de optimo ſmaragdo: *ad craſſitudinem ſui facilitate tranſlucida, quod etiam in aquis nos juvat.* Ut ut ſit, nec à Nerone Imperatore, nec à Domitiano poteſt nomen habuiſſe. Nam Plinius, ut proximus eorum ætati, mentionem ejus feciſſet. Atqui apud recentiores tantum hujus mentio invenitur. Ad illam certe Neronianam ſmarag- G dum alluſit auctor diſtichi, quod in ſæculum Conſtantini factum eſt:

Saturni aurea ſæcla quis requirat?
Hæc ſunt gemmea, ſed Neroniana.

Hæc ſunt gemmea ſæcula longe utique aureis anteferenda. Sed ex qua gemma facta? Ex Neroniana. Ita excellentiſſimum ſmaragdum appellarunt. Epiphanius:

nius: ὁ μὲν πρῶτος ἐν Ἰουδαίᾳ πάνυ ἐοικὼς τῷ Νερωνιανῷ. Figurate voluit ille dicere Constantini tempora Neronianis esse similia, quod uxorem & natum occidisset. A Nerone igitur artifice ac lapidum politore nomen invenit.

Ut hebetem coloris lenitatem angulorum repercussu excitent ad vigorem.] Plinius: *poliuntur omnes sexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebescunt, ni color angulorum repercussu excitetur: aliter enim politi non habent fulgorem eumdem.* Ita in illis verbis legendum. *Hebescunt*, inquam, non *hebetescunt*. Ab hebes fit *hebetari*, non hebetescere.

Eximii intervirente glauci & cæruli temperamento.] Plinius simpliciter: *probatissimi sunt ex his qui viriditatem puri maris imitantur.* Solinus interpretatus est viriditatem puri maris cærulo & glauco temperari. Græci γλαυκὴν βήρυλλον semper vocant, quæ optima est. Dionysius de Indis:

Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων
Ἠὲ βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ ἀδάμαντος.

Item de Assyria:

Ναὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαριέστερον ἄλλο
Τρηχὺς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἣ περὶ χῶρον
Φύεται ἐν προβολῇς ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.

Hic προβολαὶ nullo adjecto sunt cautes. Invenitur igitur apud Assyrios in cautibus intra ophitem lapidem. At apud Indos ἐν προβολῇς ἀναύρων reperitur, in præripiis torrentium. Ut enim ὄχθος, vel ὄχθη simpliciter de montis jugo dicitur, ita & προβολὸς vel προβολή. At cum additur ὄχθη ποταμοῦ aut προβολὴ ποταμοῦ, de ripa intelligendum hoc supra jam monstravimus. Harpocration προβόλους ἀκτὰς interpretatur. Epiphanius: λίθος βηρύλλιον. Οὗτος γλαυκίζων μέν ἐστι θαλασσοβαφής. Reperi apud alium, qui de lapidibus scripsit: βηρύλλιον λίθος ὡς χλόη μέν ἐστιν ἐν ἁλί. Ἐὰν χερσὶ ἐξενεχθῇ λίθων ὤπτηται στερρότατος. Corallium ille cogitabat. Beryllum puto esse, quem nunc *catti oculum* vocant, quæ etiam hodie summo in pretio apud Indos. Glaucam beryllum omnes veteres appellant eam quæ probatissima sit, qui color felineorum oculorum proprius. Servius: *Glauci autem sunt felineis oculis quodam splendore perfusis.* In aliis glossis: *Glaucus, qui cattineos habet oculos.* Alii *aquas marinas* appellari malunt veterum beryllum. Ceterum smaragdo etiam maris viriditatem veteres vindicant, veluti suum colorem. Vide supra. In Lexicis veterum Græcorum medicis beryllum etiam beronices nomine dictum invenio. Neophytus: Βήρυλλος ὀπὸς ἐστὶ δένδρου. Ἐστὶ δὲ τὸ λεγόμενον βερονίκην. Quis unquam audivit beryllum esse arboris lacrimam? Sed bene quod addit ita appellatum τὸ λεγόμενον βερονίκην. Sic vocarunt Græci recentiores, quod antiquis fuit electrum, sive succinum. Idem Neophytus: ἤλεκτρον λίθος χρυσοειδές. Ἄλλοι δὲ φασὶν ὅτι τῶν αἰγείρων ἐστὶ τὸ κομμῶδες, ἐστὶ δὲ ἡ βερονίκη. Ergo & βήρυλλον & βερονίκην appellavere succinum, quod ex arboribus sudat, & electrum gummi genus esse putarunt, cui nomen βερονίκης indidere. Aliæ glossæ medicæ: Βερονίκη βήρυλλος. Inde plane est quod hodieque tota ferme Europa gummi genus quoddam vocat *vernicem*, quod ex illo Græco βερονίκη vel βερνίκη factum est. Forte quod electri simile sit. Nam & candidum est electrum, & cereum, & fulvum. Gummi juniperi sic vulgo vocitant, quo pictores utuntur ad colores illuminandos. Ridicule igitur viri doctissimi, qui *vernicem* nostrum quasi vernum rorem dictum existimant. Immo ex βερνίκη. Quo tamen vocabulo succinum proprie appellavit infima Græcia. Nicomedes: Ἤλεκτρον πτερυγόφορον, βερνίκιν. Idem ἠλέκτρου ἑρμήνισμα. Hoc sensu capienda hæc vox apud Myrepsum de antidotis CCCXXVII: βερονίκης, κοραλλίου, id est, *succini, corallii*. At bonus Fuchsius pro herba veronica accipit. Ab ea beronice electro genus nitri rubri dictum est βερνικάελον, quod esset simile fulvo succino. Neophytus: Βερνικάελον, τὸ πυῤῥὸν νίτρον. Nicomedes: Βερνικάριον, νίτρον ἐρυθρὸν, οἱ δὲ ἤλεκτρον, οἱ δὲ βερονίκην. Hujus nitri mentio apud Myrepsum, quod perperam ab urbe Æthiopiæ Berenice dictum autumat Fuchsius. Immo ab electri colore, ut ne mireris & *vernicem* inde nominatum. Serapio *sandaracham* vocat *vernicem*, & similem esse potestate dicit karabe, id est, succino. Ut & Avisena. Inde igitur *vernicem* appellarunt, quod est

A nomen succini proprium. Bellunensis correxit *sandaru* apud Avisenam de *vernice*, ubi vulgo est *sandaracha*. Aliis *sandarax* dicitur. Diversum utique nomen à Græcorum σανδαράκη.

Infra sunt chrysoberylli, qui languidius micantes nube aurea circumfunduntur.] Plinii mens non hæc est, cujus verba ista: *proximi vocantur chrysoberylli, & sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore.* Nube aurea circumfundi non dicit eos Plinius, sed cùm sint pallidiores, exire tamen in aureum fulgorem. Alius in gemmis color, alius fulgor. Color exit in fulgorem inclinatione facta, suspectu aut despectu. Ait
B igitur pallido colore esse chrysoberyllos, sed in aureum fulgorem exire. Solinus hæc sic accepit, quasi in exitu & circa extimas oras aurea nube cingeretur. Nihil alienius poterat fingi à Plinii sensu. Ita alibi loquutus est: *vitia opali si color in florem herbæ, quæ vocatur heliotropium, exeat.* Non hic vult in circuitu colorem floris heliotropii præferre. Rectius Isidorus mentem Plinii cepit: *chrysoberyllus dictus, eo quod pallida ejus viriditas in aureum colorem resplendeat.*

Chrysoprasos æque beryllorum generi adjudicaverunt.] Immo sui generis esse quosdam existimasse tradit Plinius: *Vicinum genus huic est pallidius, & à quibusdam proprii generis existimatur, vocaturque chrysoprasus.* Sed, ut no-
C men sonat, non potest pallidius esse hoc genus chrysoberyllo. Immo nec beryllo. Porraceus color summi viroris & austeri, non pallidi, Græci πράσινον χρῶμα & πρασοειδὲς vocant eum colorem qui ad plenum & sature viridis ac merace. Hinc πράσινος λίθος de smaragdo præstantissimo proprie dicitur. Græci πράσινον, id est, porraceum in supremo gradu ponunt viriditatis. Καὶ χλωρὸν ὁποῖον τὸ πράσινον, ἐφ' ᾧ ἐστὶ τὸ ἰῶδες, τὸ σμαραγδίζον καὶ τὸ ἰσατῶδες. Πράσινα γὰρ ταῦτα ὑφειμένα τοῦ χρώματος. Ergo ἰῶδες, σμαραγδίζον, & ἰσατῶδες viridis quidem ac prasini sunt coloris, sed remissioris. Fe-
D fellit Plinium vox χλωρὸς, quam pro pallido Græci accipiunt & pro viridi. Chrysoprasus χλωρότερος ἐστὶ τοῦ χρυσοβηρύλλου, viridior est chrysoberyllo: & ita quidem necesse est, quum ex aureo & porraceo mixtam lucem trahat, quod porraceum exacte ac meracè viret. Καὶ χλωρὸν ὁποῖον πράσινον, ridiculus esset qui verteret: *& pallidum quale est porraceum.* Vertendum quippe est: *& viride quale est porraceum.* Χλωρὸς idem quod χλοερὸς herbaceæ viriditatis. Χλωρὸν etiam pro luteo, unde χλωρείων avis. Hoc sensu chrysoberylli τῶν βηρύλλων χλωρότεροι, non pallidiores, ut Plinius reddit, sed magis lutei, & in aureum fulgorem exeunte colore. Idem μήλινον χρῶμα alibi *pallidum* dixit qui luteus est. Ada-
E mantis vero genus ceteris pallidius dixit. Atqui eadem significatione pallidus adamas, & pallidus chrysoberyllus, vel chrysoprasus dici non queunt. Sed & pallidiores dixit carbunculos, qui dilutiores sunt quos χλωροειδεστέρους vocavit Theophrastus, longè diversa significatione quam χλωρότεροι βήρυλλοι. Peccavit igitur Plinius qui hæc non distinxit, sed χλωρὸν ubique *pallidum* reddidit. Mirum vero hoc loco in chrysoprasi proprietate signanda nullam porri facere mentionem. Fuit itaque quum legi heîc vellem *chrysoptasum* pro chrysopraso. χρυσώπασος est idem quod χρύσωπις, qui ὀπτασίαν χρυσοῦ habet. Meminit alio loco chrysoprasii, quem succum
F porri referre scribit, & paulum declinare à topazio in aurum. Isidorus utrumque locum junxit, *Chrysoprasus*, inquit, *Indicus est colore porri succum referens, aureis intervenientibus guttis, unde & nomen accepit, quem beryllorum generi quidam adjudicaverunt.* De guttis aureis chrysoprasi nihil Plinius, nec Solinus. In beryllo eas videtur agnoscere Epiphanius: εἰ δέ τις θελήσει κατ' ἀντικρὺ τοῦ ἡλίου τοῦτον ἀνακλᾶσαι φαίνεται ὡς ὕελος χείχρους ἔχων ἔνδοθεν διαυγεῖς. De chrysoberyllo melius ac rectius Isidorus quam Plinius: *Chrysoberyllus dictus, quod pallida ejus viriditas in aureum colorem resplendeat.* Non modo pallorem ei tribuit, sed pallidam viriditatem.
G Idem beryllum viriditate similem esse smaragdo prodit, sed cum pallore. Glauci sunt berylli, sicut mare purum viride. At smaragdi herbaceum virorem præferunt & austerum.

Hyacinthizontas, scilicet qui hyacinthos probe referant, & ipsos probant.] Plinius: *quarto loco numerantur Hyacinthi-*

cinthizontes. Epiphanius beryllum faciem habere dicit, ὑδαρεστέρας ὑακίνθου. Θαλασσοβαφὴς, ἔχων εἶδος καὶ τῆς ὑδαρεστέρας ὑακίνθου. Idem inter hyacinthorum genera quarto loco numerat τὸν ὑδαρέστερον quem χαυνιαῖον dicit appellari. Ὁ τέταρτος ὑδαρέστερος λέγεται χαυνιαῖος. Ita legendum. Primum genus hyacinthi θαλασσίτην, proximum ῥοδίζων. Ita enim libri scribunt. Ab ea voce *rubinum* fecit infima Latinitas. Nam alibi notavimus rubinum nostrum esse veterum hyacinthum. Persæ hodieque & Arabes rubinum nominant *yacut*, voce detorta ex ὑάκινθος.

Pag. 59. G. *Eos vero qui crystallo similes.*] Inter beryllos hyacinthizontes, & eos qui crystallo similes sunt, alia genera quædam memorat Plinius omissa Solino: *aëroides*, ἀεροειδεῖς, *cerinos* & *oleaginos*, id est, colore olei. Male in libris Plinianis scribitur: *Quinto loco quos aëroides vocant, post eos acerini, ac dein oleagini*, correxere: *post eos autem cerini*. Recte de cerinis: sed illud *autem* male infartum est. Beryllos cerini coloris esse etiam Epiphanius observat: ἄλλη δέ τις βήρυλλος πῶς κηραῖς τῶν ὀφθαλμῶν ἐκ δράκοντος ἐστὶ παραπλησία, ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλη πάλιν ὅμοια κηρῷ. *Cerinus color* veteribus nominatus, ac nobis alibi notatus. Et Græcis κηρινὸν χρῶμα & κηρινόχρους. *Cerini cucumeres* Plinio lib. XIX. cap. V. *Crescunt qua coguntur forma. In Italia virides, & quam minimi, in provinciis quam maximi, & cerini, aut nigri placent, copiosissimi in Africa, grandissimi in Asia, ubi cum magnitudine excessere, pepones vocantur.* Ita totus ille locus legendus ac distinguendus. *Cerina pruna* apud eumdem Plinium, quæ *cerea* in Copa Virgilii. *Cerei calcei* apud Vopiscum.

Capillamentis intercurrentibus obscurantur, hoc enim vitio illorum nomen est.] Non tantum κρυσταλλοειδῶν beryllorum hoc vitium, sed omnium, nec solum hoc, sed alia quæ gemmis plerisque communia sunt. Plinius: *Hi capillamenta habent sordesque, alioquin evanidi, quæ sunt omnium vitia.* Idem paulo post: *vitia præter jam dicta eadem fere quæ in smaragdis, & pterygia.* In smaragdis salem, plumbaginem & capillamentum inter vitia posuit, quæ in corpore apparent. Alia enim sunt vitia coloris, sordes vocantur illis nominibus, quæ vel plumbo, vel sali, vel capillamentis similes sunt. *Centrum* alibi inter vitia gemmarum numerat, & *centrosam scobem*. De quo nos supra. Hic etiam *pterygia*. Ab hoc vitio πτερυγοφόρον electrum fortasse nominatum, quod non est tralucidum, sed sordibus inquinatum pterygia referentibus.

Indici reges hoc genus gemmas in longissimos cylindros amant fingere.] Ita correximus ex libris. Vulgo edebant: *hoc genus gemmarum.* Sic supra loquutus est: *verum exigua sui parte silvas hoc genus edit.* Ubi etiam corruperant: *silvis hoc genus edit.* Totum hunc locum ex Plinio expressit Solinus, sed more suo parum fideliter expressit, & longe abit ab auctoris sui mente. *Indici reges*, inquit noster, *hoc genus gemmas in longissimos cylindros amant fingere, eosque perforatos setis suspendunt, ac monilia habent.* Sic legimus hæc verba. Vulgo erat: *& ad monilia habent: quæ plerumque ex utroque capite*, &c. Quæ correctorum manum sapiunt. Aliter enim tinniunt libri. Ergo juxta Solinum Indi, qui cylindros ex beryllis fingebant eosdem perforatos setis elephantorum suspendebant, ac monilia habebant. Apud Plinium Indi sunt, qui beryllos perforant, & setis elephantorum suspendunt: alii qui cylindros ex his faciunt & capita eorum utrimque insertis aureis umbilicis comprehendunt. Indi qui beryllos perforabant, sine auro eos gestabant; ac solis elephantorum setis religabant, quia melius illos sic nitere censebant, quam si cum auro jungerentur. Aliis placebat non oportere perforari beryllos, eos præcipue quorum absoluta esset bonitas, sed capita eorum utrimque ex auro comprehendebant, ideoque cylindros ex his facere malebant quam gemmas, quia summa commendatio in longitudine. Alii rursus eos perforabant & simul aurum addebant. Hæc mens Plinii. Verba jam videbimus: *Indi mire gaudent longitudine eorum, solosque gemmarum esse prædicant, qui carere auro malint. Ob id perforatos elephantorum setis religant.* Pro his Solinus: *in longissimos cylindros Indi fingere amant, eosque perforatos elephantorum setis sus-*

A *pendunt ac monilia habent.* Non in cylindros isti fingunt, sed naturali eorum longitudine gaudent. Præterea ineptum est quod ait in longissimos cylindros fingere, quasi de sequace materia, ac tanquam si longiores fieri, aut fingi ex iis possent cylindri, quam quanta est eorum longitudo. Recte Plinius: *Ideo cylindros ex iis facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine.* Quia commendatur in his lapidibus longitudo, eo cylindros ex his facere malunt, quam gemmas. Cylindri sunt lapides longiores ac rotundi manu facti. Gemmæ sunt σφραγῖδες, aut annulorum signacula, quæ non in longitudinem cæduntur,

B sed ovali ferme fiunt figura. Ex uno cylindro plures gemmæ fieri possent. Verum de his paulo post. Verba Plinii persequamur: *& alios convenit non oportere perforari, quorum sit absoluta bonitas, umbilicis statim ex auro capita comprehendentibus.* Hæc corruptissima esse libri ostendunt qui habent: *Aliis convenit non oportere perforari, quorum sit absoluta bonitas, vel binas tantum ex auro comprehendentibus.* Non longe arcessita, sed certissima conjectura emendo: *aliis convenit non oportere perforari quorum sit absoluta bonitas, umbones tantum ex auro comprehendentibus.* Indi, inquit Plinius, beryllorum lon-

C gitudine summopere delectantur, & solos gemmarum esse prædicant qui auro melius careant. Ob id perforatos setis elephantorum religant. *Aliis convenit*, id est, inter alios homines convenit, non oportere eos perforari, quorum sit perfecta bonitas. Solinus *alios* istos de alio genere Indorum accepit. Perperam. Clarum est Plinium *alios* heic posuisse de Europæis hominibus. Non igitur Indi cylindros ex beryllis faciebant, sed Romani orbis homines, qui & umbones eorum ex auro comprehendebant. Umbo in lapide vel gemma dicitur pars illa quæ protuberat. Plinius: *Arabicæ excellunt candore circuli prope lucido atque non gracili, neque in*

D *recessu gemmæ, aut in dejectu, sed in ipsis umbonibus nitente.* Solinus ex eo *umbunculum gemmæ* dixit supra. In cylindro duo utrimque umbones, duo nempe capita. Qui cylindros ex beryllis faciebant, duos umbones cylindri ex auro comprehendebant. Solinus hoc loco *umbilicos* dixit, qui Plinio sunt *umbo* & *umbilicus* idem. Ut *umbo* clypei qui & *umbilicus*. Tertullianus de cultu fœminarum: *vos vero adjicitis ad pondus colluras quasdam, vel scuti umbilicos cervicibus adstruendos.* Ita legendus ille locus ex Codice Agobardi, ut nos alibi docemus. *Colluræ* sunt κολλύραι. Umbones

E beryllorum qui in cylindros formati sunt, auro comprehendi dixit. Solinus ex utroque capite cylindrorum aureos umbilicos sive umbones inseri. Non ea mens Plinii. Res tamen eodem pæne recidit. Nam aurum quo utrimque cylindri umbones inclusi habentur, umbilici vel umbonis aurei nomine potest appellari, quia umbonem lapidis complectitur. Non ita tamen Plinius intellexit, in cujus verbis nihil prorsum vidit Solinus, qui de Indis hæc omnia accepit. Sequitur apud Plinium: *Ideo cylindros ex his facere malunt quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine.* Non de Indis aut Indicis regibus hæc dicuntur, ut est

F hariolatus Solinus, sed de Europæo & Asiano hominum genere qui cylindros ex beryllis facere malebant quam gemmas. Idem de sardonyche: *Has Indis non habitas in honore Zenothemis scribit, tantæ alias magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Etenim constat ibi torrentibus detegi & placuisse in nostro orbe initio, quoniam solæ prope gemmarum scalptæ ceram non auferrent.* Sic de beryllis. Indis placebat eas perforari & sine auro gestari, tanquam quæ sic gratiores essent. Inter alios conveniebat perforandos eos non esse, qui optimi viderentur, qui cylindros ex iis factitabant, & umbones utrimque auro

G comprehendebant. Sed quid est quod ait Plinius, cylindros ex his malle facere quam gemmas? An non & cylindri gemmæ sunt? Certe cylindrorum forma facti lapides gemmis etiam accensentur. Sed supra notavimus *gemmas* proprie Latinis dici, quas Græci vocant σφραγῖδας, annulis scilicet inclusos lapides & scalptos ad signandum. Plinius lib. XXXVII. cap. VIII, de jaspidibus: *nec diversæ quas sphragidas vocant publico gemmarum dominio iis tantum dato quod optime signent.* Immo gemmæ omnes quæ signabant sic vocatæ sunt. Unde

&

& σφραγὶς pro qualibet gemma Græcis. Latinis vero *gemma* propriè lapis qui signat, ac digito induitur. Idem libro quo supra, cap. III. *Murrhinorum & crystallinorum diximus gratiam, uniones quod capite circumferuntur, gemmæ digitis.* Ergo nec uniones sive margaritæ gemmarum nomine comprehendebantur, ut asserit Jurisconsultus. Solinus infra de Taprobane insulâ: *margaritis scatet, & gemmis.* Cicero Act. VI. in Verrem: *Nego ullam gemmam aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro.* Vibius Sequester de fluminibus: *Achates Siciliæ pari nomine lapillos edit, ex quo gemmæ fiunt.* Ἐξ ὧν σφραγῖδες γλύφονται. Gemma igitur est σφραγίς. Plinius de Opsidiano lapide: *Gemmas ex eo multi faciunt*, id est, σφραγῖδας. Ctesias in Excerptis rerum Indicarum: περὶ Πανταρβης σφραγῖδος, καὶ ὡς οζ σφραγῖδας ἀποῤῥιφείσης εἰς τὸν ποταμὸν, αὕτη ἀνείλκυσεν ἐχομένας ἀλλήλων. Ubi σφραγῖδες sunt gemmæ. Quod enim legitur, ἢ λιμίας λίθους, additum id à Photio videtur, glossamenti gratia. Theophrastus refert lapidem aliquando mirificum in aurariis metallis Lampsaci repertum, ex quo gemma facta est, quam propter elegantiam & pulcritudinem regi miserunt. Verba Theophrasti de lapidibus: ἐν Λαμψάκῳ ἦ ποτὲ ἐν τοῖς χρυσείοις εὑρέθη θαυμαστὴ λίθος, ἐξ ἧς ἀνενεχθείσης πρὸς σφύραν, σφραγίδιον γλαφυρὸν ἀνεπέμφθη βασιλεῖ διὰ τὸ περιττόν. Ita legendum. Vulgo editur: σφραγίδιον γλυφερὸν, & ineptè vertunt, *sigillum sculptile.* Nullum est σφραγίδιον aut signaculum quod non sit sculptile. Aliter sigillum fieri non potest nisi scalptura. Sed γλαφυρὸν reponendum, id est elegans. Græci γλαφυρὸς, ἀνθηρὸς, λαμπρὸς, πρεπνὸς. Malè etiam λίθον gemmam eo loco reddunt. *Lapidem* mallem. Lapis ille mirabilis in aurariis metallis repertus, ex quo facta est *gemma*, id est σφραγίδιον. Ita Plinius interpretatus est lib. XXXVII. cap. XII. *Gemmæ nascuntur, & repente novæ, ac sine nominibus, ut Lampsaci in metallis aurariis una inventa, quæ propter pulcritudinem Alexandro regi missa fuit, ut auctor est Theophrastus.* Hæc verba ita reperio scripta in veteri codice: *Gemmæ nascuntur repente novæ ac sine nominibus ut Selemsacam unam invenio in metallis aurariis repertam.* Lego: *ut ecce Lampsaci unam invenio in metallis aurariis repertam.* Sed lib. XIX. cap. V. *Et ecce cum maximè nova forma eorum in Campania provenit.* Non lapidem ipsum sicut in metallo repertus est, ad regem missum scribit Theophrastus, sed σφραγίδιον ex eo scalptum, hoc est gemmam. Notabis autem Plinium de rege Alexandro accepisse quod Theophrastus dixit βασιλεῖ. Magno sanè errore. Nunquam Alexander βασιλεὺς absolutè à Græcis dictus est. Præterea non dicit sua ætate lapidem illum Lampsaci repertum, sed ποτὲ, *aliquando, olim.* Βασιλέως itaque nomine non alium potuit intelligere Theophrastus præter regem Persarum, quem Comici & omnes tum scriptores κατ' ἐξοχὴν vocabant βασιλέα. Antiphanes:

Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα ἐστ' ἀφιγμένον
Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.

Ubi βασιλεὺς est rex Persarum, ut heic etiam apud Theophrastum. Lampsacus autem sub illo rege. Ceterùm gemma ea notione qua signum annuli significat, à cylindro distat. Alias cylindrus gemma est in cylindri formam attrita. Hesychius: κύλινδρος, ὄφεις, ἢ σφραγῖδος εἶδος. Hic σφραγῖδα non pro gemmæ signo posuit, sed pro gemma vel lapide pretioso quolibet. Nec enim signa annulorum cylindratâ figurâ fingebantur. Tertullianus de habitu muliebri: *Latent in circulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit.* Ita legendum ex Tertulliano Agobardi. Vulgo est: *Latent in cingulis.* At paulo ante *circulos* vocavit brachialia: *lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia artantur.* Cylindrorum meminit etiam alibi Plinius. Pergamus Plinii locum de beryllis in his quæ restant & Solinum spectant, expendere: *Quidam & angulosos putant statim nasci, & perforatos gratiores fieri medulla candoris exempta, additoque auro repercussa, aut omnino castigata causa perspicuitatis ad crassitudinem.* Scriptum in vetusto codice habetur: *aut omnino castigata causa per iis civitatis crassitudine.* Rescribendum: *aut omnino castigata, causa perspicuitatis, crassitudine.* Suprà dixit beryllos omnes solitos poliri sexangula forma artificum ingeniis, ut hebes alias color angulorum repercussu ex-

A citaretur. Hic tradit quosdam existimare angulosos statim nasci, nec opus est artificio, ut sexangula facie atterantur. Eosdem perforatos gratiores fieri, exempta candoris medulla. Nam cum perforantur, medulla, hoc est, lapidis mediale eximitur, quod est candidius. Solinus videtur legisse: *nitela candoris exempta, additoque auro repercussa.* Ita enim scribit: *aut ex utroque capite insertis aureis umbilicis marcentem faciem incendunt ad nitelam pinguiorem.* Candida est nitela in iis qui perforati non sunt. Ea eximitur, cùm perforantur, & addito auro repercutitur, hoc est, ad nitelam pinguiorem excitatur.

B Sequitur: *aut castigata, causa perspicuitatis crassitudine.* Castigatur crassitudo in iis beryllis qui perforantur. Nam demitur de crassitudine, eoque magis perspicui fiunt. Aliis igitur placebat beryllos præsertim absolutæ bonitatis qui essent, non perforari: sed cylindros ex iis faciebant, quorum umbones utrimque ex auro comprehendebant. Alii contra contendebant perforandos esse, quia sic gratiores fierent exempto candore, vel nitela pallidiore, additoque auro repercussa, aut castigata crassitudine quæ majorem in lapide perspicuitatem efficiebat. Solinus hæc misere confudit & perturbavit. Et nihilo magis mentem Plinii assequutus est, aut expressit, quàm si eum nunquam legisset.

C *Elephantorum setis suspendunt, & ad monilia habent.*] Vinetus edidit: *eosque perforatos elephantorum setis subligantes, monilia habent.* Ex suis libris fortasse qui hanc lectionem habuere ex altera editione. In nostris plerisque legebatur: *Elephantorum setis suspendunt ad monilia habent.* Unde fecimus: *suspendunt, ac monilia habent.* Eleganter, id est, habent pro monilibus. Nec sanè dissimulandum est in quibusdam veteribus editionibus ita excusum fuisse: *elephantorum setis subligant, ac monilia habent.* Cui scripturæ Delrius lectionem sui codicis præferre non debuit: *& ad monilia habent.* Quæ fa-

D cta est ex illa scriptura quæ habet: *suspendunt ad monilia habent.* Optimus certè Regius, quem postea consului, planè exhibet: *Elephantorum setis suspendunt, ac monilia habent.* Sic meam mihi veterem confirmavit conjecturam. Pessimo vero facinore idem Delrius mutavit omnium librorum & editionum χαφὴν: *aut plerumque ex utroque capite.* In aliis: *vel ex utroque capite.* Ipse edi voluit: *& ad monilia habent, quæ plerumque ex utroque capite insertis aureis umbilicis incendunt ad nitelam pinguiorem.* Quorum verborum quis sensus sit, non video. Immo video non parum obstare & Plinii & Soli-

E ni menti. Hic enim sensus efficitur: ex utroque capite eorum monilium aureos umbilicos inserere Indos. Atqui ex utroque capite perforatorum singulorum beryllorum aureos illos umbilicos inserebant. Præterea duo heic modi notantur à Solino diversi beryllorum habendorum. Aut enim eos perforatos elephantorum setis suspendebant, ac monilia habebant, aut non perforatos utrimque auro comprehendebant. Id clarum ex Plinio apparet: cujus mentem tamen non vidit Solinus. Nam apud Plinium soli Indi beryllos gestare amant sine auro, perforatos ac setis elephantorum religatos. Artifices verò Romani orbis, aut cylindros

F ex iis fingebant, non perforatis, quorum umbones utrimque ex auro comprehendebant: aut eos perforabant, auro similiter utrimque addito, quo lux hebetior repercuteretur, & crassitudo castigaretur, majorque perspicuitas redderetur, exemptâ medullâ crassiore.

Aut ex utroque capite insertis aureis umbilicis incendunt ad nitelam pinguiorem.] In optimo Regio codice scriptum inveni: *aut ex utroque capite inserunt aureos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam incendant pinguiorem, quo per industriam metallo hinc inde addito fulgentiorem trahant lucem.* Et sic planè edere libuit. Ad oram idem

G adscriptum habuit pro varia lectione quæ ex priore editione manavit: *vel plerumque ex utroque capite insertis aureis umbilicis incendunt ad nitelam pinguiorem,* quam etiam lectionem in aliis plerisque exemplaribus ostendi in ipso contextu cubantem. Persuasum quoque habeo verba illa ex editionum diversitate processisse: *ut per industriam metallo hinc inde addito fulgentiorem trahant lucem.* Pro quibus in altera editione posuerat: *ut marcentem faciem ad nitelam incendant pinguiorem.*

CAPUT

CAPUT LIII.

Taprobane. In ea de qualitate hominum, de sideribus, de natura maris, & nationis disciplina; de testudinum magnitudine, de margaritis.



Pag. 60. A. *Taprobanem insulam.*] Ptolemæus Παλαισιμένδυ olim dictam scribit, sua vero ætate Σαλικὴν, & incolas Σάλας. Sic ejus verba legenda sunt: ἥ τις ἐκαλεῖτο πρότερον Παλαισιμένδυ, νῦν δὲ Σαλικὴ, καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν κοινῶς Σάλαι. Vulgo editum est: ἥτις ἐκαλεῖτο πάλαι Σιμούνδυ. Et vertunt: *quæ vocabatur olim Simundi insula.* Ab eo Marcianus Heracleota: ἡ δὲ Ταπροβάνη νῆσος πρότερον μὲν ἐκαλεῖτο Παλαισιμένδυ, νῦν δὲ Σαλική. Et lib. I. Τῆς τε Ταπροβάνης καλουμένης, τῆς Παλαισιμένδυ λεγομένης πρότερον. Stephanus inde habet de Taprobane: ἡ πάλαι μὲν ἐκαλεῖτο Παλαισιμένδυ, νῦν δὲ Σαλική. Male in Stephano legitur: ἡ πάλαι μὲν ἐκαλεῖτο Σιμένδυ. Ex his liquere potest, quanto vetustior sit Ptolemæo auctor ille qui periplum maris rubri composuit, dum ita scribit: εἰς πέλαγος ἐκκεῖται πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν, λεγομένη Παλαισιμένδυ, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις αὐτῶν Ταπροβάνη. Ætate illius scriptoris adhuc dicebatur Παλαισιμένδυ, quod vetus nomen ejus esse tradit Ptolemæus. At auctor ille nec Σαλῶν, nec Σαλικῆς meminit, quæ recens fuit hujus insulæ appellatio. Sane nec apud Strabonem, nec apud Plinium, aut alios vetustiores mentio habetur τῆς Σαλικῆς, pro Taprobanes nomine. Plinius Palæsimundum in ea insula amnem nominat, influentem in mare juxta oppidum cognomine, totius insulæ clarissimum, in quo regia. Ab eo oppido insula denominata est. Ptolemæus Palæsimundum oppidum nullum recenset in ea insula: sed Ἀνουρόγραμμον regiam illius insulæ vocat. Promontorii tamen Ἀνδρασιμένδυ nominati meminit, quod credo esse mutandum in Παλαισιμένδυ. *Salæ* igitur Taprobanes incolæ dicebantur temporibus Ptolemæi: unde ipsa insula dicta Σαλική. Ab hac recentiori ejus appellatione *Zeilan* ab Arabibus & Persis hæc insula hodie vocatur. Nec enim mihi dubium est quin antiqua Taprobane ea sit insula, quæ *Zeilan* appellatur, ex Σάλη. Nec mihi placent qui *Summatra* potius esse censent. Et ridiculus vir doctus, qui Summatra nonnullam cum Simundo vocabuli affinitatem habere vult, eoque inter alia argumento probat Taprobanem esse Summatra. Antiquum illius insulæ nomen fuit non *Simundum*, sed *Palæsimundu*, quæ postea Σάλη, vel Σαλικὴ denominata est. Quanto igitur verisimilius à recentiori ejus appellatione quam à desita & obsoleta, nomen quod habet hodie retinere. Multa locorum in illis regionibus hodieque vocabula ab antiquo remansere, ut *Sinæ*, *Indus*, *Sinthus* & *Comarin*, & alia. Situs insulæ Zeilan, elephanti, quos gignit maximos, gemmæ & margaritæ grandiores, quas illa fert & multa alia, prorsus evincunt esse veterum Taprobanem. Auctor peripli: ταύτης τὰ πρὸς βορέαν ἐστὶν ἥμερα, καὶ διαπλεῖται τοῖς ἱστιοπεποιημένοις νηυσί. Ita corrigendus locus depravatissimus. Latus ejus aquiloni objectum pacatius esse ac cultius dicit, & navibus aditu facilius, eoque adnavigari adirique navigiis velivolis, ἱστιοπεποιημένοις, cum cetera Indorum navigia ἐγχώρια ac τοπικὰ male essent velis instructa, aut prorsus velis carerent, utpote monoxyla, aut sutilia, quibus oram tantum legebant: καὶ διαπλεῖται, inquit, τοῖς ἱστιοπεποιημένοις νηυσί, καὶ σχεδὸν εἰς τὸ κατ' αὐτῆς ἀντιπαρακείμενον Ἀζανίας παρήκει. Ille διάπλους, quem navibus velivolis transmittebant, à Taprobanæ boreali latere usque ad oppositum Azaniæ promontorium porrigebatur. Strabo tamen naves, quibus navigabatur in Taprobanem non bona vela habere dicit. Διέχειν δὲ τῆς ἠπείρου πλοῦν ἡμερῶν εἴκοσι, ἀλλὰ κακοπλοεῖν τὰς ναῦς φαύλως μὲν ἱστιοπεποιημένας, κατεσκευασμένας δὲ ἀφοτέρωθεν ἐγκοιλίων μητρῶν χωρίς. Strabo naves φαύλως ἱστιοπεποιη-

A μένας vocat, quæ male velis instructæ sunt. Interpres *malos navium vitiose fabricatos* reddidit. Sequentia vero longè perversius interpretatus est: *cum & mali navium vitiose sint fabricati, & utrimque ita facti, ut matricibus eos recipientibus destituerentur.* Hæc monstra sunt. Totum illum sic verte: *dierum viginti itinere abesse à continenti, sed navium cursu male navigantium, utpote quæ non bene velis instructæ sint, atque ita fabricatæ, ut costis & interamentis utrimque careant.* Græci τὰ ἐγκοίλια vocant, *navium costas.* Theophrastus de acantho Ægyptia: διὸ καὶ ἐν ταῖς ναυπηγίαις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια

B αὐτῇ. Quæ Plinius sic reddidit Latine: *ob id utilissima navium costis.* Virgilius:

---- *texunt abiete costas*,

τὰ ἐγκοίλια. In corpore quoque humano τὰ ἐνιδρύμενα ταῖς πλευραῖς σπλάγχνα ἐγκοίλια καλεῖται. Inde & ad navigia tralatum. Strabo ἐγκοιλίας μήτρας dixit, quia μήτραν etiam atque ἐντερόνειαν in navi appellarunt τὸ μεσαίτατον τῆς νεώς. Livius *interamenta navis* vocavit, ut alibi docuimus. Forte tamen in Strabone scribendum: κατεσκευασμένας δὲ ἑκατέρωθεν ἐγκοιλίων καὶ μητρῶν χωρίς, *absque costis, & interamentis.* Plinius de Taprobane loquens

C idem prorsus exprimere voluit, quod Strabo loco supra citato: *quondam credita viginti dierum navigatione à Prasiana gente distare, qua papyraceis navibus armamentisque Nili peteretur, mox ad navium nostrarum cursus septem dierum intervallo taxata.* Ita legendum, non, ut est in editis, *taxato.* Navigatione taxata septem dierum intervallo. An *papyraceas* naves vocat Plinius, non ex papyro factas, sed quæ vela ex libro papyri haberent? Theophrastus de Ægyptiis: τὰ δ' ἱστία ἐκ βίβλου πλέκουσι. Sed de his infra. Ideo φαύλως ἱστιοπεποιημένας ναῦς illas vocavit Strabo, male velis instructas. Ad verbum liceat dixisse:

D *male velificatas.* Alio tamen sensu *velificare* usurpant Latini pro vela facere, vel navigare velis. Et navis *velificare* dicitur, cum plenis velis currit, quod Græcis ἱστιοδρομεῖν. Plinius de scirpo, ac velis scirpeis: *namque hi velificant non in Pado tantum nautici, sed in mari piscator Africus.* Mela de India: *Tanta spatia littoris occupat, quantum per sexaginta dies noctesque velificantibus cursus est.* Plinius legit quadraginta, non sexaginta apud Melam, & sic locum ejus reddidit: *complures totam ipsius longitudinem quadraginta dierum noctiumque velifico navium cursu determinavere*, id est, τῶν ἱστιοπεποιημένων νηῶν δρόμῳ. *Velificatus Athos* poëtæ, navigatus, διαπλεό-

E μενος. Inde per metaphoram *velificari*, favere & suffragari. In omnibus Apuleji exemplaribus antiquis libri de Deo Socratis ita legitur: *Neque enim pro majestate Deûm cœlestium fuerit, ut eorum quisquam vel Hannibali somnium fingat, vel Flaminio hostiam corrigat, vel Accio Navio navem velificet, vel Sibyllæ fatiloquia versificet.* Sed quid Accio Navio cum navi, aut velificatione? Diu est cum locus ille in mendo cubat. Scribendum autem: *vel Accio novaclam levificet.* Levificare idem quod levigare. Ferrum, cum acuitur, levigatur. Ideo *levare* ferrum ac

F *levificare* pro acuere. Græci λειᾶσαι. Sic *modificare*, *clarificare*, *magnificare*, *notificare*, & alia infinita Latino sæculo usitata. Admodum acutam oportuit esse Accio novaculam, quæ cotem secare potuit. Idcirco aliquis Deus novaculam ei levificavit. Quod mutatum proclivi lapsu in *velificavit.* Inde & *navem* pro *novacla* repositum est, ut cum verbo velificare consonaret. Longe aliter Josias Mercerus è manuscriptis suis recensuerat. Ceterum de Taprobane insignis locus habetur apud eumdem Apulejum in libro de Mundo, qui ex Græco translatus est: *sed in altera parte orbis jacent insularum aggeres maximarum, Britannicæ duæ Albion & Iber-*

G *nia, his, quas supra diximus, majores. Verum hæ in Celtarum finibus sitæ. Haut minores vero ultra Indos Taprobana & Phebol, multaque aliæ urbes admodum sparsæ*, &c. Quænam hæc altera insula, quæ ultra Indos sita, & maximis comparanda?

randa? E Græcis auctoribus de mundo hanc inſulam Apulejo reſtituerunt: τούτων δ' οὐκ ἐλάττους Ταπροβάνη, καὶ Φεβόλ. Ex vitioſo vitium corrigi non datur. Hæc Φεβόλ Græcis omnibus geographis innominata eſt. Ex ſitu, quem illi aſſignat, planum eſt legi debere, Ψεβώ. Hæc enim verba ejus ſunt: τούτων δ' οὐκ ἐλάττους Ταπροβάνη πέραν Ἰνδῶν λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ Ψεβὼ καλουμένη κατὰ τὸν Ἀραβικὸν κειμένη κόλπον. *Pſebo* inſula Æthiopiæ contra ſinum Arabicum ſita, cujus & nomen Theophraſto reſtituiſſe ſupra memini. Strabo: ὑπέρκειται δὲ τῆς Μερόης, ἡ δὲ Ψεβώα λίμνη μεγάλη, νῆσον ἔχουσα οἰκουμένην ἱκανῶς. Stephano, Ψεβώ, quem vide. Nec ambigi debet, quin eam inſulam deſignarit Græcus auctor. An & Latino redonari par eſt? Libri omnes contra pugnant, quos vidi, quoſque videre alii. Omnes quippe habent *Taprobane atque Oxe*: aut *Taprobane atque Toxe*. Vide ſis jocularem Apuleji hallucinationem. Scripſit ille: *Taprobane atque Loxe*. Λοξὴν in Græco pro inſulæ proprio nomine accepit. Ἥτε Ταπροβάνη πέραν Ἰνδῶν, λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ Ψεβὼ καλουμένη. Taprobane ultra Indos & orbem habitabilem non in recto ſitu, ſed in obliquo & tranſverſo, ad latus nempe orbis cogniti poſita inter occaſum & ortum ad meridiem ſeſe porrigens. Longitudo τῆς οἰκουμένης ab occaſu ad ortum patet. At longitudo inſulæ Taprobanes à ſeptentrione ad meridiem extenditur. Ita Λοξὴ jacet πρὸς τὴν οἰκουμένην, obliquo ſitu, non recto, nec parallello eam contingens. Sequitur in eodem libro de mundo, cujus auctorem faciunt Ariſtotelem: οὐκ ὀλίγαι δὲ μικραὶ περὶ τὰς Βρετανικάς, καὶ τὴν Ἰβηρίαν κύκλῳ περιεστεφάνωνται τὴν οἰκουμένην ταύτην, ἣν δὴ νῆσον εἰρήκαμεν. Hæc corruptiſſima, quæ ſic emendo: οὐκ ὀλίγαι δὲ μικραὶ περὶ τὰς Βρεττανικὰς καὶ Ταπροβάνην. Quæ ſic reddidit Apulejus: *Multaque aliæ breves admodum, ſparſæ, hanc noſtram inſulam, id eſt, hunc terrarum orbem quam maximam diximus ornamentis ſuis pingunt & continuatione, ut quibuſdam ſertis coronant.* Ita enim eo loco legendum. Vulgo eſt: *multaque alia urbes admodum.* Quidam correxere: *nubis admodum.* Alii: *orbis ad modum.* Omnes perperam. Græcus contextus ad veram lectionem manu eos ducere debuit: οὐκ ὀλίγαι δὲ μικραὶ περὶ τὰς Βρεττανικάς: *multaque aliæ breves admodum.*

Antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet.] In priore ἐκδόσει poſuerat: *antequam exquiſito penitus mari fides panderetur.*

Diu orbem alterum putaverunt, & quidem eum quem habitare Antichthones crederentur.] Ita ex Plinio repoſitum: *Taprobanem alterum orbem terrarum eſſe diu exiſtimatum eſt, Antichthonum appellatione.* Sed mirandum quantum diverſa ab hac lectio in omnibus Solini codicibus reperiatur, qui habent: *& quidem eum quem habitare Eaſchites crederentur.* Plus viginti exemplaria Solini manu exarata mihi videre contigit, & vetuſtiſſima, quæ ſine ulla varietate eam mihi ſcripturam exhibuerunt. Nec aliter fuit in illis, quos ab amicis habui collatos cum veteribus libris. In antiquis excerptis Solini una litera minus ſcriptum hoc nomen offendi, *Eachites*. Divinent alii, quid Solinus voluerit. Heic nihil me poſſe fateor. *Aſcitæ* populi Arabiæ ita vocati, qui ſuper utribus navigant. An eos pro Antichthonibus Plinianis ſuppoſuerit, neſcio. Meminit eorum infra. An *Antichnites* ſcripſit. Iidem ſunt ἀντιχθόνες cum Antichthonibus, qui pedes obverſos noſtris habent pedibus. An potius *Aſcios*. Populi Ἄσκιοι apud Indos dicti, quibus mero meridie ſol umbram non facit. Plinius: *Quibus in locis Indiæ umbræ non ſunt, ſeptentrionem non conſpici, & ea loca appellari Aſcia, nec horas dinumerari ibi.* Idem de Taprobane prodit Diodorus ex Jambuli relatione: καὶ κατὰ μέσον τῆς ἡμέρας μὴ γίνεσθαι παρ' αὐτοῖς σκιὰν μηδενός, διὰ τὸ κατὰ κορυφὴν εἶναι τὸν ἥλιον. Ergo Taprobane inter Aſcios Indiæ regiones, & populi ejus ἄσκιοι. Iidem ſunt & ἀσκίωτοι. Ut ἄβιος, ἀβίωτος. Hæc cum legiſſet Solinus diſſimulandi furti gratia, ut ſemper ſolet, pro *Antichthonibus* Plinii ſubſtituit *Aſcitos*, vel *Aſciotes*, quibus habitari Taprobanem dixit. Pro eo libri habent corrupte *Eaſcites*. Hoc mihi valde ſit veriſimile. Si verum non eſt, exquirant alii id ſollertius, aut felicius inveniant quod fruſtra quæſivi. Plinii mens eſt creditum antiquis Taprobanem continuam eſſe terram, non inſulam. Ut liqueret inſulam eſſe ætate Alexandri reſque præſtitiſſe. Quod noſter non expreſſit. Atqui id fuit ſignificandum. Ceterum à nemine ſcio veterum traditum Taprobanem olim pro continente terra habitam fuiſſe. Strabo antiquorum de Taprobane ſententias refert, Oneſicriti, Megaſthenis, & Eratoſthenis, qui omnes inſulam agnoſcunt. Auctor libri de Mundo, qui Ariſtoteli tribuitur, Taprobanem unam ex majoribus inſulis facit. Alexandri ætate anteriorem ſcriptorem haud facile reperias, qui Taprobanes meminerit. Ante Alexandrum vel nomine tenus ignota fuit. Per ejus claſſi præfectos primum patefacta eſt, & ſimul cognitum inſulam eſſe. Nugatur igitur Plinius. Huic tamen auctor aliquis extitit ita ſcribendi. Is, ut puto, Mela Pomponius eſt in his verbis: *Taprobane, aut grandis admodum inſula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur.* Hipparchus, ut omnes norunt, Alexandri temporibus poſterior. Hæc ejus de Taprobane ſententia fuit, aut inſulam eſſe admodum grandem, aut partem alterius orbis. Non igitur ante Alexandrum exiſtimatum eſt eam inſulam alterum eſſe orbem, quando nec nomine quidem ſciebatur. At poſt Alexandrum etiam auctores extitere, qui orbem alterum, aut partem alterius orbis eam cenſebant. In his Hipparchus. Sed falſus eſt. Nam omnes auctores Hipparcho priores inſulam eſſe liquido affirmarunt, atque ita eſſe compererunt Alexandri claſſis præfecti Oneſicritus & Nearchus. Addit Mela: *Sed quia habitatur, nec quiſquam eam circumiſſe traditur, prope verum eſt.* Ita enim legendum. Taprobane, aut inſula admodum grandis, aut pars orbis alterius Hipparcho dicitur. Sed quia inquit habitatur, nec quiſquam traditur eam circumiviſſe, veriſimilius eſt non eſſe inſulam, ſed partem primam habendam orbis alterius, ut Hipparchus exiſtimabat. Sic ſententiæ Hipparchi ſubſcribere fatetur Mela. De Taprobane ita canit Dionyſius in deſcriptione inſularum:

> Κεῖθεν δὲ στρεφθεὶς νοτίης προπάροιθε κολώνης
> Αἶψά κε Κωλιάδος μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο
> Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Græci ſcholiaſtæ Taprobanem in his verſibus dictam interpretantur Κωλιάδος νῆσον, id eſt, Veneris inſulam, quæ cognomento fuit Κωλιάδος. Nugas garriunt. Diſtinguendum:

> ---- νοτίης προπάροιθε κολώνης
> Αἶψά κε Κωλιάδος, μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο
> Μητέρα Ταπροβάνην ----

Κωλιὰς κολώνη promontorium eſt Coliacum Indiæ intra Gangem maxime meridionale, cui ex adverſo reſpondet ſeptentrionale promontorium inſulæ Taprobanes, quod βόρειον appellatur. Plinius de Taprobanes amne altero: *alterum ad ſeptentriones Indiamque verſum Cydara nomine. Proximum eſſe Indiæ promontorium, quod vocetur Coliacum, quatridui navigatione.* Ita ſcribendum, non *Colaïcum*. Κωλιὰς κολώνη hoc promontorium Dionyſio dicitur. Rectior tamen ordo & expeditior ſenſus foret, ſi legeretur in ejus verſibus:

> Κεῖθεν δὲ στρεφθεὶς νοτίης προπάροιθε κολώνης
> Κωλίδος, αἶψά κέ τοι μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο.

Ad eam formam qua legitur, forte interpolarunt illi Græculi, qui Κωλιάδα Venerem ibi ſomniabant, & inſulam Veneris Taprobanem. Κωλίδα hoc promontorium alio loco vocavit idem Dionyſius:

> ---- ἐπὶ Γαργήτιδα χώρην
> Πρὸς νότον ἑλκόμενοι παρὰ τέρματα Κωλίδος αἴης,
> Ἣ δή τοι προνένευκεν ἐπ' ὠκεανὸν βαθυδίνην
> Ἠλίβατος ταχινοῖσι δυσέμβατος οἰωνοῖσι.

Ubi omnino corrigendum, Κωλίδος ἄκρης, id eſt, *Colicum*, vel *Coliacum promontorium*, quam ſupra dixit Κωλίδα κολώνην. Ita etiam appellatur Melæ: *oras tenent ab Indo ad Gangem Palibothri, à Gange ad Iolida Nyſii.* Vetus codex Palatinus habet: *ad Solida.* Planum eſt legi debere: *ad Colida.* Atque ita emendandum vidit etiam Pincianus. Sed paulo poſt idem nomen reſtituendum: *Tamos promontorium eſt, quod Taurus attollit: Colis alterius partis angulus, initiumque lateris ad meridiem verſi.* Ἡ Κωλὶς, quæ promontorium eſt Indiæ intra Gangem νοτιώτατον. Feſtus Avienus

nus sua paraphrasi Κωλίδ☉ ἄκρης legisse in Græcis Dionysii ostendit. Sic enim reddit:

Nec minus hi campos intrant Gangetidis oræ
Quæ per flabra noti fuso distenditur agro
Usque in celsa jacens confinia Colidis arcis.

Apparet etiam eum legisse:

---- ἐπὶ Γαγγηΐδα χώρlω
Πρὸς νότον ἐλκομλύlω,

non ἐλκόμλυοι. Atque ita veteres libri. Sequitur apud eumdem:

Colis & ipsa dehinc cetosi vergit in æquor
Oceani, tantoque jugo subit ætheris auras
Arceat alituum subducta ut rupe volatum.

At Priscianus agnoscere videtur vulgatam in Dionysio lectionem, Κωλίδ☉ αἶης, qui vertit *terram Colida*. Sed mendosa ea scriptura. Κωλὶς, sive Κωλιὰς, promontorium Coliacum. Avienus in versibus Dionysii, quos priore loco citavimus, αἶψα κε Κωλιάδ☉ legit, sed cum κολώνης jungit & Κωλιάδα κολώνlω de hoc eodem promontorio interpretatur. Ad hunc modum versus ejus corrigendi sunt, ac supplendi:

Contemplator item qua se mare tendit in austrum,
Inque notum oceanus freta ponti cærula curvat,
Altaque Coliadis mox hic tibi dorsa patescent
Rupis, & intenti spectabis cespitis arces.
Pro quibus ingenti consistens mole per undas
Insula Taprobane gignit tætros elephantes.

Corrigendus & in hujus promontorii nomine Strabo de Taprobana loquens: τὴν ἢ Ταπροβάνlω πελαγίαν εἶναι φασὶ νῆσον ἀπέχουσαν τ̃ νοτιωτάτων τῆς Ἰνδικῆς τ̃ καὶ τοὺς Κωλιακοὺς πρὸς μεσημβρίαν ἡμερῶν ἑπτὰ πλοῦν. Male editum est καὶ τοὺς Κωνιακοὺς. Hi Κωλιακοὶ Indiæ νοτιώτατοι dicti ab isto promontorio Coliaco, vel potius promontorium sic appellatum ab illis populis. Κῶλοι vocabantur. Unde ἡ Κωλὶς ἄκρα & Κωλιάς. Stephanus: Κῶλοι, ἔθν☉ πρὸς τῷ Καυκάσῳ. Ἑκαταῖ☉ Ἀσίᾳ. Αἱ ἢ ὑπώρειαι ἔ Καυκάσε, καλοῦνται Κωλικὰ ὄρη. Οἱ χώρα Κωλική. De Caucaso Indico fortasse intelligat. Sed & ex istis *Colicis* facti Κόλχοι, & sinus Κολχικὸς pro Κωλικὸς. Ut enim sinus à promontoriis nomina frequenter accipiunt, ita sinus qui circa promontorium Coliacum dicebatur *Coliacus* & *Colicus* primo, postea καὶ παραφθορὰν Κολχικὸς. Sed & emporium ibi, Κόλχ☉ pro Κωλικὸς. Meminit Ptolemæus. Meminit & auctor peripli. Certe hoc promontorium *Coliacum* duo sinus disterminat, τὸν Κολχικὸν, & τὸν Ἀργαλικὸν. Hoc idem promontorium, quod veteribus dictum est Κωλιακὸν, postea Κῶρυ appellatum est. Martianus Heracleota: τῷ ἀκρωτηρίῳ τῆς Ἰνδικῆς τῷ καλουμλύῳ Κῶρυ ἀντίκειται τὸ τῆς Ταπροβάνης νήσου ἀκρωτήριον τὸ καλούμλυον βόρειον. Idem habes apud Ptolemæum. Sed & idem Ptolemæus notat hoc promontorium Indiæ Κῶρυ etiam vocatum fuisse Κωλιακὸν. Sic enim ejus verba legenda: ἐν κόλπῳ Ἀργαλικῷ Κῶρυ ἄκρον, τὸ καὶ Κωλιακόν. Ἀργάλου πόλις, Σαλούρ ἐμπόριον. Mendose vulgo scribitur: τὸ καὶ Καλλιγικόν. Extra dubium est de Coliaco intelligi debere, & vetus ejus promontorii nomen esse, quod postea vocatum est Κῶρυ. Recentiores τ̃ Κωλικῶν in illis locis non meminere, nec antiqui τ̃ Κόλχων. Præter alia hac etiam re moveor Κωλικοὺς, vel Κωλιακοὺς veterum esse recentiorum Κόλχους. Quod propemodum pro certo asserere ausim. Strabo promontorium illud meridionale Indiæ ἄκραν simpliciter vocat, nullo proprio addito nomine. Circa illud τοὺς Κωλιακοὺς habitare dicit. Sed iterum hoc nomen apud eum corruptum invenio, & Κωνακοὺς dici pro Κωλιακοὺς lib. xv de longitudine Indiæ: ἐςὶ ἢ ἔτο τὸ ἀπὸ τ̃ ἐκβολῶν ἔ Ἰνδοῦ ποταμοῦ παρὰ τ̃ ἑξῆς ἠϊόνα, μέχρι τῆς λεχθείσης ἄκρας, καὶ τ̃ ἀνατολικῶν αὐτῆς τερμόνων, οἰκοῦσι δ' ἐνταῦθα οἱ Κωνακοὶ καλούμλυοι. Legendum: οἱ Κωλιακοί. Ab his Coliacis, vel Colicis promontorium ipsum dictum *Coliacum*, & Κωλιὰς & Κωλὶς, ut Dionysio & Melæ. Hoc postea appellatum Κῶρυ. Apud Æthicum in cosmographia inter oceani orientalis oppida & Indica recensetur *Colche*, quod est Κόλχοι, *Sigoton, Palibothra, Alexandropolis, Adlenitæ, Colche, Patale.* Ita in duobus antiquissimis regiæ bibliothecæ codicibus scriptum etiam reperi. At in alio longe vetustissimo bibliothecæ Thuanææ, qui sub nomine Julii Oratoris eadem omnia habet, pro *Colche* invenio *Colica*, hoc modo:

A *Palibothra* *oppidum.*
Alexandropolis *oppidum.*
Sallenites *oppidum.*
Colice *oppidum.*
Patale *oppidum.*

Ibi *Colice* est Κωλική, vel Κωλικοί. Quæ postea Κόλχοι. Auctor peripli: Κόλχοι πόλις. Hodie vocatur *Cochinum.* De Colis, vel Colicis montibus Hecatæi apud Stephanum, dubito an iidem sint cum istis Colicis, vel Coliacis. Antiquior ille Alexandri temporibus, nec horum videtur habuisse notitiam. Præterea sub Caucaso eos collocat. Etiamsi de Caucaso Indico accipias, longe ab his
B Coliaci, qui ad meridiem Indiæ sunt contra Taprobanem insulam. Scribit Mela: *ab Indo ad Gangem Palibothri: à Gange ad Colida Nysi.* Quomodo id possit stare non video. Palibothri ad ipsum Gangem sunt: Colis autem Indiæ intra Gangem. Non à Gange ad Colida itur, sed à Colide ad Gangem. Prasios ab Indo incipere facit Plinius. Eorum urbem principalem dicit esse Palibothra, quæ ad ipsum Gangem sita est. Sic Palibothri ab Indo ad Gangem. Non ita Græci sentiunt. Sed à Gange ad Colida non proceditur orientem versus. Immo contra. Vide peripli auctorem & Ptolemæum, & nos alibi. *Nysi* pro *Nysæ* in libris, Indico typo ac more. Nam ut Παλίβοθρα, Παλίβοθροι: sic Νῦσα, Νῦσοι. Longe hi in
C alio tractu Indiæ ponuntur ab aliis quam à Pomponio.

Pag. 60. B. *Ignorantiam publici erroris non tulit diutius permanere.*] In optimis quibusdam ac vetustissimis codicibus hæc lectio ad oram notata est antiquarii manu: in ipso contextu ita scriptum: *ignorantiam publici erroris extinxit, dum in hac usque secreta propagavit nominis sui gloriam.* Alterutram harum lectionum, apparet alterius editionis esse γραφlω.

Exploratam notitiæ nostræ dedit.] In altera ἐκδόσει: *exquisitam notitiæ nostræ dedit.*

Patet in longitudinem stadium septem milia, in latitudinem
D *quinque milia.*] Longior itaque est quam latior. Corrigendus Stephanus de Taprobane: τὸ δὲ μῆκος ἔσα ἑπτάκις πε χιλίων σαδίων, πλάτ☉ ἢ πεντακοσίων. Scribe: πεντακισχιλίων. Vel simpliciter πεντάκις, ut subaudiatur χιλίων. Alexander cognomento *Lucerna* τετράπλευρον eam vocat, quasi quadratam:

Νῆσ☉ τετράπλευρ☉ ἀλιτέφαν☉ Ταπροβάνη.

Diodorus ex Jambuli relatione ςρογγύλlω eam tradit, τῷ χήματι, τ̃ ἢ περίμετρον ἔχουσαν ὡς πεντακισχιλίων ςαδίων. Longe diversa sententia. Nec enim in magnis insulis reponenda, si ambitus ejus quinque milia tantum stadium detinet. Sic sensit Onesicritus, de quo Strabo: Ὀνησίκριτ☉ μέγεθ☉ μλὺ εἶναι πεντακισχιλίων ςαδίων, ἐ
E διορίσας μῆκ☉, ἐδὲ πλάτ☉. Et profecto, quum nec longitudinem, nec latitudinem definierit, sed simpliciter magnitudinem illius insulæ quinque milia stadium patere dixerit, de ambitu totius insulæ intellexit. Plinius Eratosthenem ait mensuram prodidisse longitudinis in 7000 stadium: latitudinis in quinque milia. Strabo ex eodem Eratosthene ὀκτακισχίλια ςάδια longitudinis ei adsignat.

Pars ejus elephantis & bestiis repleta est.] Alexander cognomento Lychnus de Taprobane:

Θηρονόμ☉ πέπληθεν εὐρρίνων ἐλεφάντων.

Hoc est, quod ait auctor peripli, partem ejus septentrio-
F nalem cultam esse & frequentatam: ταύτης τὰ μλὺ πρὸς βορέαν ἐςὶν ἥμερα, καὶ διαπλεῖται τοῖς ἰςιοπεποιημλύοις ναυσί. Hæc pars ejus, quam homines tenuisse dicit heic Solinus, Indiæ obversa est, & promontorium ejus Coliacum prospectat, à quo distat dierum septem navigatione juxta Eratosthenis ἀπόφασιν.

Margaritis scatet & gemmis omnibus.] Deest *omnibus* in melioribus libris. Latini omnes margaritas & gemmas seorsim nominant. Plinius: *gemmæ margaritæque in honore multo.* Curtius de India: *gemmas margaritasque littoribus infundit.* Græci tamen margaritam λίθον vocant, quo nomine & gemmam appellant: ἡ μαργαρίτης λίθος, & ὁ
G μαργαρίτης λίθος. Androsthenes in periplo Indiæ: ἐν δὲ ἰδίον ὃ καλοῦσιν ἐκεῖνοι βέρβερι, ἐξ ἔ ἡ μαργαρίτης λίθος. Et paulo post: ἡ ἢ λίθος ἐν τῇ σαρκὶ ἔ ὀςρέε ὥσπερ ἐν τοῖς συείοις ἡ χάλαζα. Theophrastus inter gemmas reponit, & λίθον vocat, atque διαφανῆ quidem esse dicit: τ̃ θαυμαζομλύων ἢ λίθων ἐςὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμλυος, διαφανὴς μλὺ τῇ φύσει. Falsum

ſum tamen eſt eſſe διαφανῆ, hoc eſt, pellucidum vel tranſlucidum. Legendum itaque ita in Theophraſti verbis: οὐ διαφανὴς μὲν τῇ φύσει, ποιοῦσι δ' ἐξ αὐτοῦ πολυτελεῖς ὅρμους. Græci gemmas λίθους διαφανεῖς vocitant. Unde λιθία διαφανὴς Straboni & peripli rubri maris auctori de lapidibus pertuſis. Latini quoque margaritam lapidis nomine ac lapilli calculique nominibus nuncupant, quæ nomina gemmis paſſim dantur. Solinus infra: *Conchæ ſunt, in quibus hoc genus lapidum reperitur.* Poëtis *Erythræi lapilli* ſunt margaritæ. Latinis etiam *calculus* de margarita dicitur. Chariſius Soſipater: *quare cum materia, in qua margaritum naſcitur, animalis ſit, ipſe autem calculus, qui naſcitur, inanimalis ſit.* Idem: *calculus hic, quem nos margaritum vocamus.* Græci quoque ψήφους gemmas dicunt. Hæc cum ſint, Juriſconſultus tamen negat gemmarum, aut lapillorum appellatione margaritas contineri. Et ſane optimorum auctorum uſu videmus margaritas à gemmis diſtingui. Rationem vero quare margarita non ſit gemma, Juriſconſultus hanc adfert, *quia apud rubrum mare creſcit ac coaleſcit concha.* Ridicula ratio. Quia apud rubrum mare, & in India Arabiaque multæ gemmæ naſcuntur & creſcunt, an ideo non erunt gemmæ? Sed puto Ulpianum ſcripſiſſe: *creſcit ac coaleſcit in concha.* Quod verum eſt. Sed numquid idcirco non gemma eſt, nec lapillus margaritum, quia in concha, id eſt, in corpore animalis creſcit ac coaleſcit? Hæc mens fuiſſe videtur Juriſconſulti. Ceterum ſi concha animalis eſt, in qua naſcitur margarita, calculus ipſe, qui naſcitur, non eſt animalis. Nam ut recte opinatur Chariſius, non ipſa caro, qua concha prægnans eſt, margaritum eſt, ſed calculus in illa reperitur, qui inanimalis eſt. Sic in cerebris piſcium lapilli quidam ſunt, nec ideo animales ſunt. Sane & in capitibus draconum lapilli naſcuntur, qui & gemmis adſcribuntur. In ventre gallorum gallinaceorum lapides quoque reperiuntur, qui hoc eodem nomine donantur. Tertullianus de habitu muliebri: *Ajunt & de frontibus draconum gemmas erui, ſicut & in piſcium cerebris lapidoſitas quædam ineſt.* An quia creſcit & coaleſcit in concha margaritum, ea gratia non eſt gemma, nec lapillus? Profecto & *dracontia* gemma creſcit & coaleſcit in capite draconis, & *alectoria* in ventre gallinacei. Ceteras quoque gemmas creſcere in matricibus ſuis, & coaleſcere non eſt dubium. Adamantes, ſi vera eſſet illa Ulpiani definitio ac ratio, non eſſent gemmæ. Nam in terra ad altitudinem cubiti effoſſa reperiri ajunt adamantes, poſt biennium eadem tellure refoſſa iterum inveniuntur adamantes. Ergo intra biennii ſpatium naſcuntur, creſcunt, ac perficiuntur adamantes probatiſſimi. Præterea vulgus, penes quem ratio eſt, ac norma loquendi, non tam ſubtiliter philoſophatur, ut gemmas eſſe ac dici debere neget lapillos, qui in concha naſcuntur. Ex vulgari porro loquendi conſuetudine petita illa diſtinctio eſt, quæ margaritas à gemmis ſeparat. Auctores qui in oratione ſua eas ſecernunt, vulgi ſermonem ſequuntur, nec definitionibus, aut differentiis Juriſconſultorum ſeſe accommodant. Docuimus ſupra communi loquendi uſu Latinos *gemmam* proprie vocare, quam Græci σφραγῖδα, ſignum nempe annuli, hoc eſt, lapillum ſcalptum, & imagine aliqua inſignitum, annulo incluſum ad ſignandum. Primitivus lapidum pretioſorum uſus hic fuit, ideo gemma pro ſigno annuli proprie dicta. Hoc uno ſolo nomine diſtat margaritum à gemma, quia ex margarito gemma fieri non poteſt. Non aliud reſpexiſſe auctores puto, qui gemmas à margaritis diſcernunt, tralaticio loquendi more. Alias certum eſt, quum margaritum lapis ſit & calculus, ac pretii quidem inter lapillos ſummi, etiam gemmæ nomen ſuo jure mereri. Ex hac vulgaris ſermonis conſuetudine auctor peripli margaritas, & gemmas diſtinguit de hac ipſa Taprobane loquens: γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ πινικὸν καὶ λιθία διαφανής, id eſt, *naſcuntur in ea margaritæ & gemmæ.* Τὸ πινικὸν margaritum eſt, ut infra dicam, & male vertunt Latino ſermone *pinicum.* Ut πινικοῦ κολύμβησις apud hunc auctorem & Ptolemæum margaritarum piſcatio eſt. An ideo πινικὸν & λιθίαν διαφανῆ ſeparat, quia margaritæ non ſunt διαφανεῖς. Gem-

A ma proprie λίθος διαφανής. *Lapillus*, non διαφανής. Hac ratione margaritum lapillus potius eſſet quam gemma. Juriſconſultus tamen ſcribit, nec lapillum eſſe, nec gemmam. An quia oſſiculum potius quam lapis? Græci ὀστᾶ vocant. Chares apud Athenæum: ἐξαιροῦντες οὖν ὀστᾶ λευκὰ προσαγορεύουσι μαργαρίτην. Plinius *callum* appellat & *nucleum corporis.* Tertullianus de habitu muliebri lapillos & gemmas à margaritis ſejungit, quas conchæ verrucas eſſe dicit. De gemmis ita loquitur: *Sed & lapillos iſtos, qui cum auro ſuperbiam jungunt, quod aliud interpreter, niſi lapillos & calculos, niſi ejuſdem terræ minutalia: nec tamen* B *aut fundamentis demandandis, aut faſtigiis ſuſtinendis, aut tectis denſandis neceſſaria: olim hunc mulierum ſplendorem ædificare noverunt: quia tarde teruntur ut niteant, & ſubdole ſubſtruuntur ut floreant, & anxie forantur ut pendeant, & auro lenocinium mutuum præſtant.* Ita locus ille conſtituendus eſt ex libro Agobardi. Atque hæc de gemmis ac lapillis. Sequitur ſeorſim de margaritis: *Sed & ſi quid de mari Britannico aut Indico ambitio piſcatur, conchæ genus eſt.* Vide cetera. Loquitur prorſus ore ac mente Juriſconſultorum. Græci tamen omnes, ut dixi, λίθον μαργαρίτην indigetant, & lapis eſt potius quam os. Profecto ejuſdem ferme materiæ cum ipſa concha, ſed purioris ac pellu- C cidioris. Sæpe etiam conchis adhæreſcunt adeo indiſcreti coloris, ut unum corpus videantur. Conchæ materiam Græci λίθον eſſe volunt. Galenus de alimentorum facultate: σκεπῶς οὖν ὀστράκῳ παραπλήσιον ἢ λίθῳ τὸ ἔξωθεν αὐτοῖς περικείμενον σκέπασμά ἐστι. De purpuris ac muricibus, ac reliquis oſtreis loquitur. Hinc λιθόρρινοι κήρυκες Empedocli: & *lithoſtrea* apud Lampridium in vita Alagabali, ut nos olim emendavimus pro *lejoſtreis.* Plinius: *Silicea teſta incluſis fatendum eſt nullum ineſſe ſenſum, ut oſtreis.* Τὰ λιθόστρεα expreſſit. Solinus *lapides* & *lapillos* in hoc capite paſſim vocat mar- D garitas. Arabes eo nomine vocant quo ceteras gemmas omnes ſolent appellare per excellentiam. *Aliohar*, quod alii craſſius pronuntiant *aliofar*, idem eſt ac ſi *gemmam* abſolute vocarent margaritam. De qua voce Arabica nos infra. Ammianus *gemmas* quoque vocat margaritas. Lib. XXIII de margaritis loquens ita ſcribit: *Quod genus gemmas etiam in Britannici receſſibus maris gigni legique, licet dignitate diſpari non ignoramus.* Ita legendus ille locus. Poëtæ Latini quum *gemmas Erytrhæas*, & *lapillos Erythræos* dicunt, de margaritis intelligunt. Strabo λιθίαν μαργαριτῶν vocat lib. XVI: ut λιθίαν ἀνθράκων & λιθίαν κρυστάλλων. Quo E nomine λιθίας gemmas cujuſcunque generis deſignat. Alii tamen, ut dixi, & præcipue Latini margaritas extra gemmarum cenſum ablegarunt. Servius: *multi ſeparant gemmam & margaritam, & gemmas dici volunt diverſi coloris, margaritas vero albas, vel gemmas integras, margaritas pertuſas.* Atqui gemmæ etiam quædam perforabantur, ut filo ad monilia inſeri poſſent. Præterea nonnullæ etiam gemmæ candidæ, non ſolæ margaritæ. Ineptæ illæ hujus diſcriminis rationes, nec meliorem habet Juriſconſultus. Quodcunque ſit, Plinius diligenter hanc differentiam obſervat, & toto illo capite & tractatu quo margaritas expoſuit, nuſquam lapillorum, aut lapidum appellatione F impertit. *Callum* eſſe dicit, & *nucleum*: *ſani quidem partus multiplici conſtant cute, non improprie callum ut exiſtimari corporis poſſit.* Et paulo poſt: *mox deinde obrutas ſale in vaſis fictilibus roſa carne omni nucleos quoſdam corporum, hoc eſt, uniones decidere in ima.* Ideo inter gemmas ac lapillos locum margaritis non dedit, ſed ſeorſim earum naturam perſequutus eſt. Aceto in tabem ſolvuntur margaritæ, non item gemmæ.

A Praſiana Indorum gente dierum viginti in eam curſus fuit.] Libri: *à Praſia gente.* Supra: *Praſia gens*, οἱ Πράσιοι. Plinius: *quondam credita viginti dierum navigatione à Praſiana gente diſtare: mox, quia papyraceis navibus,* G *Nilique armamentis peteretur, ad noſtrarum navium curſus ſeptem dierum intervallo taxata.* Non opus eſt tranſpoſitione Pinciani, qui legebat: *quondam credita viginti dierum navigatione à Praſiana gente diſtare, quia papyraceis navibus armamentiſque Nili peteretur, mox ad noſtrarum navium curſum.* &c. Idem ſenſus ex vulgata diſtinctione

ne oritur, eamque tuentur omnes libri. Quod ait Plinius Taprobanem creditam quondam à continenti Indiæ viginti dierum navigatione distare, sed cum papyraceis & Niloticis navigiis peteretur, id falsum est, & prorsus caret ratione. Papyraceæ naves ex papyro textæ sunt, quales in flumine Nilo navigando habuere Ægyptii. Quis igitur credat illis naviculis papyraceis Ægyptios usque ad extrema Indici maris & Taprobanem penetrasse? Adæque potuerint & navigiis suis fictilibus, quibus in Nilo utebantur, eam Indicam navigationem peragere. Quod est ridiculum. Præterea navigatio, quæ ab Ægypto Indiam petebat, non conficiebatur navibus Nili, ut ex ipso Plinio constat. Usque ad Coptum oppidum navigabatur, deinde à Copto camelis ibant, aquationum ratione mansionibus dispositis. Reliquum iter partim terra, partim mari conficiebant, non tamen Ægyptiis navibus, multo minus papyraceis. Verum quidem est credidisse atque etiam tradidisse quosdam veterum, Taprobanem à continente abesse viginti dierum navigatione. Onesicrito præfecto classis Alexandri hoc traditum scribit Strabo his verbis de Taprobana: Ὀνησίκριτος φησὶ μέγεθος μὲν εἶναι πεντακισχιλίων σταδίων, οὐ διορίσας μῆκος, οὐδὲ πλάτος. Διέχειν δὲ τῆς ἠπείρου πλοῦν ἡμερῶν εἴκοσι, ἀλλὰ κακοπλοεῖν τὰς ναῦς, φαύλως μὲν ἱστιοπεποιημένας, κατεσκευασμένας δὲ ἀμφοτέρωθεν ἐγκοιλίων μητρῶν χωρίς. Non aliunde scire potuit Plinius quam ex hoc Onesicrito, Taprobanem ab India distare viginti dierum cursu. Ante Onesicritum & Alexandrum Taprobane prorsus ignorabatur, nedum ut sciretur quot dierum cursu disparata esset ab Indiæ littoribus. Nec Ægyptii ante id tempus eam insulam noverant, aut eam petere consueverant. Quod igitur retulit Onesicritus insulam illam à continente remotam esse viginti dierum navigatione, non eam potuit intelligere navigationem, quæ papyraceis Nili naviculis conficeretur: nec enim cursum illum tenere tum soliti Ægyptii, quibus ignota vel nomine tenus illo tempore Taprobane. De sua potius navigatione loqui videretur, quam navibus suis peregisset. Ne id quidem verum est. Sed ait ideo tot dierum cursu opus esse ad trajectum illum transmittendum, quia naves quibus ille διάπλους trajicitur, minus veloces essent, utpote male velis instructæ, & parum idoneè fabricatæ, costis ac lateribus. De navibus igitur intellexit indigenis Indorum aut Taprobanitarum, quibus Indi in Taprobanen commeabant, vel Taprobanes incolæ Indiam petebant. Nam & in Sericam quoque ultra Emodos montes submotam pergebant Taprobanitæ negotiandi gratia, ut idem Plinius auctor est, per Indiam utique illis transeundum fuit Seras petentibus. At Plinius ναῦς φαύλως ἱστιοπεποιημένας in verbis Onesicriti de navibus papyraceis & Nili armamentis instructis accepit, quod de Indicis dictum est. Æque falsum est, quod adstruit Romanis demum navigationibus compertum, iter illud septem diebus confici posse, quod olim viginti dies absumeret. Quippe multo ante quam naves Romanæ eo penetrassent, & Taprobanem tentassent, Ægyptii sub Ptolemæis regibus frequentibus ad Indos navigationibus id exploraverant, Taprobanem scilicet non plus quam septem dierum velifico cursu à continente separatam. Strabo: τὴν δὲ Ταπροβάνην πελαγίαν εἶναι νῆσον ἀπέχουσαν τῶν νοτιωτάτων τῆς Ἰνδικῆς τῶν κατὰ τοὺς Κωλιακοὺς πρὸς μεσημβρίαν ἡμερῶν ἑπτὰ πλοῦν. Hoc Eratostheni acceptum referre fatetur idem Strabo: τοιαῦται μὲν αἱ τοῦ Ἐρατοσθένους ἀποφάσεις. Eratosthenes ille sub tertio Ptolemæo floruit, & usque ad quintum vitam extendit. Ptolemæi reges naves ad Indos negotiatorias mittebant quotannis non papyraceas illas, sed bene fabricatas & instructas, ex quarum relatione Eratosthenes, qui in aula Ptolemæorum vixit, Taprobanem à continente Indiæ septem dierum itinere distare cognovit ac posteris tradidit. Idem postea verum comprobatum est Romanorum in Taprobanem navigatione sub Claudii principatu. Nec est quod aliquis argutari velit de alia continentis parte Eratosthenem, de alia Plinium intellexisse. A Prasiana gente Plinius traductionem il-

A lam maris ad insulam Taprobanem constituit. Eratosthenes à Coliacis. Eadem res. Ibi νοτιώτατον Indiæ latus, cui prætenditur Taprobane. Prasii teste Plinio ab Indo ad Gangem pertinebant. Igitur tota illa littora Indiæ ad meridiem & mare obtinebant. Coliaci secundum hæc in Prasia gente, & totius Indiæ intra Gangem maxime meridionales, atque inde brevissimus ad insulam Taprobanem transitus. Profecto, quantum magis magisque cogito, tum illud mihi mirandum maximè de Plinio videtur cum credidisse naves papyraceas Nili ad Indos usque extremos proficisci solitas, priusquam Romani navibus suis illo contendissent. B De armamentis Nili, hoc est, funibus id minus mirum. Nam Ægyptii ac Syriæ reges diu non aliis funibus usi sunt in rebus navalibus quam ex libro papyri textis, nondum sparto communicato. Quod alicubi idem Plinius restatur. *Papyraceis navibus armamentisque Nili.* Armamenta sunt funes, ut ὅπλα τῆς νεὼς σχοίνια Græce. Solinus dixit: *Papyraceis Niloque navibus.* Armamenta Nili sunt funes è byblo, vel libro papyri. At papyraceæ naves ex ipso papyro textæ. Plinius: *ex ipso quidem papyro navigia texunt: at è libro vela tegetesque, nec non & vestem, etiam stragula, & funes.* Theophrastus de papyro: C καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ. Strabo διαπλόκινα vocat hujusmodi Nili navigia è papyro texta. In Ægypti rebus: διέβημεν δ' εἰς τὴν νῆσον ἐπὶ πακτῶνος: ὁ δὲ πακτὼν διὰ σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκάφιον, ὥστε ὅμοιον εἶναι διαπλοκίνῳ. *Pacton* scapha est ex pluribus composita fustibus, vel lignis inter se alligatis. Πακτὼν idem quod πηκτὼν. Πακτὰ & πηκτὰ, τὰ ἐκ πολλῶν ξύλων πεπηγμένα. Unde πακτῶσαι, & πηκτὰ δωμάτων fores ex pluribus asseribus compactæ. Pactionis meminit Hyginus apud Charisium: *Ab Actio navigantes stadia quadraginta veniunt ad Isthmum Leucadiensium; ibi solent iteris minuendi gratia remulco, quem Græci πακτῶνα dicunt navem traducere.* D Hæc corrupta sunt. Nec enim *remulcus* idem quod Græce πακτὼν. Navis trahitur remulco, at πακτὼν genus naviculæ, vel scaphæ. Omnino scribendum: *remulco, quam Græci πακτῶνα dicunt, navem traducere,* id est, navem quam Græci πακτῶνα dicunt, remulco traducere. Vox *remulcus* Græca est ῥυμουλκός. Unde ῥυμουλκεῖν, τὸ ῥυμῷ ἕλκειν de navibus, quæ fune trahuntur. Auctor peripli maris Erythræi: καὶ ῥυμουλκοῦσιν αὐτὰ σταθμοῖς ἤδη τεταγμένοις, id est, *remulco trahunt.* Sic ῥυμὸς, *remus.* Ita lorum tubæ vocarunt teste Servio. Sic ματτύη, *mattea*, & similia sexcenta. E Sisenna *remulca* dixerat pro *remulcus* apud Nonium: *si qua celeriter solvi poterat, in altum remulca retrahit.* Nonius legebat in verbis Sisennæ: *remulcare trahit.* Et *remulcare* dictum interpretatur, quasi molli tractu ad progressum mulcere. Quod ineptum est. *Remulcare* non aliud posset ibi significare quam remulco trahere, ῥυμουλκεῖν. Sed verum est eo loco legendum, *remulca retrahit*: aut, *remulcans trahit*, hoc est, ῥυμουλκῶν. Latini videntur *codicarias* appellasse, quos Græci πακτῶνας. Varro de vita populi Rom. lib. III. *Quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, à quo in Tiberi naves codicarias appellamus.* Immo codicariæ ex codicibus junctæ pluribus, quæ sunt σκυταλίδες. F Et similes διαπλοκίνοις, quæ ex papyro texebantur. *Ratellos*, vel *radellos* hodie vocamus hujusmodi codicarias naves vel pactones. Scaphis testaceis etiam in Nilo utebantur Ægyptii. Idem Strabo de canalibus ac fossis Nili: καὶ ῥᾳδίως πλέονται τοσαύτην, ὥστε καὶ ὀστράκινα ἐνίοις πορθμεῖα. Juvenalis Sat. XV.

Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.

Cum istis fictilibus navigiis æque bene navigationem Indicam conficere potuere Ægyptii atque cum papyraceis. Quod absurdum.

G Pag. 60. C. *Mox cursu navium nostrarum.*] In optimo codice: *mox navibus nostris septem dierum iter factum est.* Ad oram pro varia lectione adscriptum: *mox cursu navium nostrarum.* Quæ scriptura est prioris ἐκδόσεως.

Ut nullæ unquam anchoræ ad profundi illius ima potuerint pervenire.] In libris plerisque: *ad profundi illius fundamenta.* Vera est lectio, quam olim conjecimus: *ut nullæ unquam anchoræ ad profunda illius fundamento pe-*

tuerint pervenire. Proprium anchorarum fundare naves. Et *fundamentum* supra pro anchora. Plinius: *sed certis canalibus ita profundum ut nullæ anchoræ sidant.* Sidere anchoræ dicuntur, quæ in fundo fixæ hærent. Ita *naves sidere* dictæ, quæ in vadis hærent, ἐπὶ βραχέων καθέζεσθαι. Poëta:

---- sidat onusta vadis.

Vitruvius lib. x. cap. XXII. *Ita illi postero die cum accedere voluissent, naves supra aggerationem quæ fuerant sub aqua siderunt, nec ad murum accedere, nec retrorsus se recipere potuerunt.* Sequitur ibidem apud Plinium: *ob id navibus utrimque proræ ne per angustias alvei circumagi sit necesse.* Pincianus malebat: *ne per angustias alveum circumagi sit necesse.* Ut de alveo navium intelligatur. Plausibili sane conjectura, sed minus vera. Per alveum intelligit canalem profundum & angustum, quales certis locis illius maris occurrebant. In illis canalibus quum erant naves, admodum difficulter circumagi poterant propter angustias alvei. Ideo ita ædificabantur, ut proras utrimque haberent, quo possent appellere utraque fronte. Mox subjicitur in libris, quod omiserunt editiones de navibus Taprobanitarum: *magnitudo alterna milia ad forum.* In omnibus libris vetustis reperiuntur, quæ in nullis editis comparent, credo quia nimis corrupta viderentur, quam ut commode corrigi possent. Et profecto admodum sunt inquinata, non tamen ut desperem emendari posse. Sic autem ea lego: *magnitudo alterna ilium ad forum.* In Græco scriptore fuit: τὸ μέγεθος τῶν ἐϊλιῶν πρὸς τὸ κατάστρωμα παράλληλον. Nam alternum est παράλληλον. *Ilia* navis sunt τὰ ἐϊλια, costæ, latera. *Forus* τὸ κατάστρωμα. Fori navium. Dicit igitur ilium magnitudinem alternam ad forum fuisse in navibus Taprobaniticis, quia plana erant earum latera sicut forus, & ejusdem quoque cum foro magnitudinis. Hoc est, quod de iisdem Strabo scribit, ἐϊλια eas non habere, quia scilicet plana latera habuere, non carinata, nec panda. Παράλληλον idem quod ὅμοιον, ἴσον. Suidas: Παράλληλον, ὅμοιον, ἀκόλουθον, ἐξίσου.

Nam neque septentriones illic conspiciuntur, neque Vergiliæ apparent.] Optimus codex cum aliis plerisque hanc lectionem in textu præfert: ad marginem habet alteram istam adpositam: *utpote ubi septentriones nunquam videntur, vergiliæque nunquam.* In excerptis Solini legitur: *utpote ubi septentriones nequaquam videntur, vergiliæ nunquam apparent.* Quam scripturam & in aliis libris invenit, ut liqueat prioris editionis hanc fuisse γραφὴν. Diodorus de Taprobane: τῶν δὲ παρ' ἡμῖν ἄστρων τὰς ἄρκτους καὶ πόλον τὸν καθ' ἡμᾶς καθόλου μὴ φαίνεσθαι. Ita emendamus verba Diodori. Nam male hactenus editum est: καὶ πολλὰ τῶν καθ' ἡμᾶς.

Pag. 60. D. *Per quam ad destinata pergentes, portum capiant.*] In nostris libris, & iis, quos olim contulit Petrus Daniel, diserte legitur: *ut ad destinatum pergentes, locum capiant.* In aliis vulgata lectio etiam reperitur. Totus locus ita interpungendus ac scribendus: *observatione itaque navigandi nulla suppetente, ut ad destinatum pergentes locum capiant, vehunt alites, quarum meatus terram petentium magistros habent cursus regendi.*

Quaternis non amplius mensibus in anno navigatur.] Legendum igitur in Plinio, ut legisse constat Solinum: *Nec plus quaternis mensibus in anno navigant.* Vulgo est: *nec plus quam ternis.*

Adusque Claudii principatum de Taprobane hæc tantum noveramus.] Ita meliores quidam libri. In aliis æque vetustis: *In Claudii principatu.* Scribendum: *In Claudii principatum de Taprobane hoc tantum noveramus*, id est, usque ad Claudii principatum. Sic loquitur noster cum aliis bonis auctoribus. Supra: *In censuram Publii Crassi, & Julii Cæsaris*, id est, usque ad tempus censuræ P. Crassi. Florus in veteribus libris: *Populus Romanus à rege Romulo in Cæsarem Augustum.*

Præter Carmaniam raptus.] Tam libri Pliniani scripti quam Soliniani hoc loco legunt, *præter Carminiam.* Quod mendosum est.

Quintodecimo demum die adpulsus est ad hoc littus.] Libri omnes: *Impulsus est ad hoc littus, portumque advectus.* Quod fere est ut probem. Non voluntate sua ac sponte adpulsum ad illud littus & invectum in portum significat, sed vi tempestatis raptum, impulsum ac delatum. Virgilius:

Atque utinam rex ipse noto compulsus eodem
Afforet Æneas.

Sed *compulsus* ibi dicitur pulsus, vel adpulsus in eumdem locum cum cetera classe, quæ tempestate dispersa fuerat ac dispulsa. Sic *greges compulsi*, in unum coacti.

Portumque invectus qui Hippuros nominatur.] Libri *advectus.* Item *Hipporus*, vel *Ipporrus.* Plinius: *Quintodecimo die Hippurus portum ejus invectus.* Ergo nomen hujus portus non *Hippuros*, vel *Hippuras*, ut posuit Solinus, sed Ἵππουροι. Nullum hoc nomine portum in Taprobanes descriptione recenset Ptolemæus. Ἱππόκουρα eidem Ptolemæo emporium Indiæ intra Gangem. Item Σούππαρα, quæ auctori peripli Οὔππαρα.

Admissusque ad colloquia regis.] Libri optimi: *ductusque ad colloquia regis.* In margine: *admissusque.*

Pag. 60. E. *Stupuisse scilicet regem.*] Plinius: *mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent à pluribus factos.* Non in auditis justitiam suspexit ille, sed in visis. Nam denarios illos in captiva pecunia vidit, qui pares erant pondere, licet diversis vultibus signati. An legendum, *in advectis?* in iis quæ advecta fuerant. Sed nihil mutandum. Libertus Plocami Regi Taprobanes percontanti narravit Romanos & Cæsarem. Ille in auditis mirum in modum justitiam suspexit, id est, in iis de quibus audierat, in Romanis & Cæsare scilicet, quod pecunia eorum parem modum haberet ponderis, licet à pluribus ac diversis facta.

Legatos adusque nos misit.] Melius libri: *ad nos usque transmisit.* Plinius: *Legatos quatuor misit, principe Rachia.* Sequitur protinus: *ex iis cognitum D. esse oppida, portum contra meridiem adpositum oppido Palæsimundo omnium ibi clarissimo ac Regiæ CC. M. plebis.* Quid hæc sibi velint, non video. Libri habent: *ac Regia CC. plebis.* Legendum: *oppido Palæsimundu, omnium ibi clarissimo ac Regia. CC. plebis.* Cum linea supra ducta ducenta millia plebis urbanæ in eo oppido fuisse dicit. Longe major numerus plebis fuit Seleuciæ Babyloniæ, de qua idem Plinius: *ferunt ei plebis urbanæ DC. M. esse.* Sed nimium ingens hic numerus videtur. Scribunt libri: *ferunt & plebis urbanæ* CD. *esse.* Lege CCL, id est, ducenta quinquaginta milia. *Palæsimundo* igitur τὸ βασίλειον in Taprobane. Ptolemæus unicum tantum βασίλειον in ea insula recenset, sed Ἀνουρόγραμμον vocat. Non amplius erat temporibus Ptolemæi Palæsimundum regia. Immo nec ullum oppidum isto nomine in ea insula agnoscit. Sed & Palæsimundu tota insula vocabatur ætate Plinii ab illo oppido insulæ clarissimo ac regia. At Ptolemæi ævo dicebatur *Salica.* Sic omnia mutantur. *Saba* apud vetustissimos auctores Sabæorum metropolis, ut Agatharchidæ, desiit esse; & in ejus locum successit Μαριάβα.

Ergo iidem homines corporum magnitudine alios omnes antecedunt.] In libris erat: *Ergo Indi homines.* Unde fecimus: *inde homines.* Sic alibi loquutum ostendimus. *Inde reges*, ἐντεῦθεν βασιλεῖς: & *illinc homines.* Iidem libri habent: *corporum magnitudine omnes homines antecedunt.* Plinius: *ipsos vero excedere hominum magnitudinem.* Staturam iis humana ampliorem assignat. Forsan & Solinus scripserat: *Ergo inde homines corporum magnitudine homines antecedunt.* Martianus Capella: *Homines ibi corpore grandiores, ultra hominum mensuram.* Diodorus de Taprobanæ hominibus: πάντας γὰρ παραπλησίους εἶναι τοῖς ἀναπλάσμασι τῶν σωμάτων, καὶ κατὰ τὸ μέγεθος ὑπερέχειν τοὺς τέσσαρας πήχεις. Hæc humana longe procerior magnitudo quæ quatuor cubita, hoc est, octo pedes excedit.

Crines fuco imbuunt.] Plinius simpliciter dixit: *rutilis comis.* At rutilas habere comas natura potuerint, & sane habuere. Nam de Seribus hæc dicuntur apud Plinium, non de Taprobanes incolis. Ptolemæus de Taprobanitis: καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν κοινῶς Σάλαι, μαλλοῖς γυναικείοις εἰς ἅπαν ἀναδεδεμένοι. Vertunt vulgo: *mulierum crinibus omnes fere tecti.* Quod ineptum est. Legendum in Græcis: μαλλοὺς γυναικείως εἰς ἅπαν ἀναδεδεμένοι: *crines muliebrem in morem religatos omnino habentes.* Μαλλοὶ sunt cirri, vel comæ, quas muliebriter religaban

bant Taprobanitæ. Ἀνάθεσις τειχῶν, & ἀναθέσμη, & ἀναδήματα ex Græcis nota. *Rutilas comas* perperam fuco imbutas interpretatus est Solinus.

Ac truci visu, terrifico sono vocis.] Plinius: *oris sono truci, nullo commercio linguæ.* Sic legendum. Item apud Martianum: *cæruleis oculis, truci oris sono.* Male editur: *trucioris soni.*

Quibus immatura mors est, in annos centum ævum trahunt.] Plinius: *vitam hominum centum annis modicam.* Martianus habet ex Solino: *ætas illis ultra humanam fragilitatem prolixa, ut immature pereat, qui centenarius moritur.* Mirum tamen in vetustissimis Martiani exemplaribus scriptum esse: *ut mature pereat.* Videtur posuisse *mature* pro cito. Ut apud Ciceronem: *venit ipse mature, scalmum nullum videt.* Et *maturius discumbere* idem quod *temporius*, ἐνωρότερον. *Maturius cænat*, qui cænandi horam solitam anticipat. Inde & *maturare* idem quod properare. Scio grammaticos distinguere. Sed in consuetudine sic loquebantur. Ergo & *mature moritur* hoc sensu, qui properata morte obit, & citius quam fata ferant. Hoc sensu Tibullus *maturam diem* dixit de properata morte, & ante diem contingente:

Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita.

Ubi vides mortem, quæ matura die venit, opponi ei, quæ post longum ævum obitur. Et tamen contra esse debet. Nam immatura illa proprie dicitur quæ ante diem acceleratur, hæc vero matura, qua longævi moriuntur, quos & *maturos ævo* Latini dicunt. Sed ex vulgi consuetudine loquutus est Tibullus, qui *maturum* pro cito & festinato usurpavit, quum proprie significet, quod suo tempore fit, neque citius, neque serius accidit quam par est, sed adtemperate ad rem ipsam. Agellius: *Mature nunc significat propere & cito contra ipsius verbi sententiam.* Alias mors immatura juvenum qui ante tempus rapiuntur, ut fructus qui acerbi adhuc & immites avelluntur. Hoc περὶ ὥρας θανεῖν Græci dicunt. Unde & πρόωροι qui sic moriuntur. Phalæcus:

Αἲ αἲ κωκύω τὸν ἐὸν γόνον ἤματα πάντα
Λέξουσα τὸν πρόωρον ὡς ἀπέφθιθο.

Iidem & ἄωροι. Babrius:

Τὸν Ἴτυν ἄωροι ἐκπεσόντα τῆς ζωῆς.

Aliud est περὶ μοίρας θανεῖν. Græci hæc ita distinguunt, ut περὶ ὥρας dicatur de iis, qui obeunt in juventute: περὶ μοίρας de illis, qui violento exitu decedunt. Πρὸ μοίρας καὶ πρὸ ὥρας διαφέρει. Πρὸ μοίρας γὰρ ὁ βιαίως ἀποθανών: πρὸ ὥρας δὲ ὁ ἐν νεότητι. Hinc in magicis sacris differentia τῶν βιαιοθανάτων, & τῶν ἀώρων. Tertullianus de Anima: *Aut optimum est heic retineri secundum aoros, aut pessimum secundum biæothanatos, ut ipsis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magia sonat, Ostanes, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Berenice. Publica jam literatura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas evocaturam se ab inferûm incolatu pollicetur.* Insignis plane locus, & multa fruge doctrinæ refertus. Opinio fuit multorum, non receptos inferis, qui funere acerbo prærepti essent, quos ἀώρους vocabant, nec eos qui violento genere mortis erepti forent, quos βιαιοθανάτους appellabant, nec illos, qui sepulturæ honore caruissent. Aoros quidem tamdiu in superis errare & vagari credebant, donec in morte reliquum tempus exegissent, quod in vita non impleverant. Idem Tertullianus: *Ajunt & immatura morte præventas animas eo usque vagari istic, donec reliquatio compleatur ætatis qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent.* De insepultis hoc quoque traditum creditumque ait idem ibidem: *Creditum est insepultos non ante ad inferos redigi, quam justa receperint.* Exules etiam ab inferis, & sedibus quietis eos fieri persuasum habebant, quos mors violenta extinxisset. *Proinde extorres inferum habebuntur quas vi ereptas arbitrantur, præcipue atrocitate suppliciorum, crucis dico, & securis, & gladii, & feræ.* Propterea autem solas ἀώρων & βιαιοθανάτων animas in necyomantia magicis artibus evocari quidam opinabantur, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ essent ex intimis sedibus inferûm, ubi quiescebant animæ matura ætate solutæ, placida morte separatæ, atque etiam supremitatis honore donatæ. Plerique enim dubitarunt etiam paganorum, an

A

ex imperio & arbitrio magi animæ ab inferis ipsis evocari possent ad oracula responsitanda. Proinde solas ἀώρων & βιαιοθανάτων animas ad hoc elici crediderunt, non etiam ad inferos redactas, & sedibus be(a)is receptas. At Tertullianus contra eos regerit, publicam esse literaturam quæ promittat, animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas ab incolatu inferûm se evocaturam. Hæc est magia. *Justa ætate sopitos* opponit τοῖς ἀώροις, qui ante justam ætatem extincti sunt. *Proba morte disjunctos* τοῖς βιαιοθανάτοις, quos improbus & violentus finis necavit. In hunc numerum veniunt & qui sibi mortem inferunt, & qui suppliciis ob delicta sua publice

B

adficiuntur, & quoscunque aliqua vis perimit. Dicuntur & βιοθάνατοι. Hinc apud Firmicum sæpe: *Biothanati morientur. Biothanata morte deficient.* Rationem porro adfert Tertullianus, cur in necyomantia inclamari potius solerent animæ βιοθανάτων & ἀώρων quam morte naturali solutorum: *itaque invocantur quidem aori & biæothanati sub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potissimum animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam sævus & immaturus finis extorsit, quasi ad invicem offensæ.* Aori interdum diversi biæothanatis, ut qui moriuntur juvenes, sed fato suo & sponte naturæ. Est ubi biæothanati quidem sunt qui pereunt,

C

non tamen aori, ut quos in decrepita ætate vis aliqua elisit. Aliquando etiam in eumdem hominem concurrit & violenta mors, & immatura, ut simul ἄωροι sint & βιαιοθάνατοι. Tales haberi debent, quos in juventa ætate sævus & immaturus finis exhausit. Utrumque in Didone expressit doctissimus poëta:

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem.

Et βιοθάνατον simul & ἄωρον periisse indicat. *Sed quia nec fato*, περὶ μοίρας. *Sed misera ante diem*, περὶ ὥρας. Tertium addidit: *merita nec morte.* Innocentem & nul-

D

lo crimine commisso manus sibi attulisse significat. Nam plerique aut propter crimina sua supplicio publice afficiuntur, aut ipsi sibi letum consciscunt metu gravioris pœnæ, quam se meruisse conscii sunt. Ex eo genere βιοθανάτων non fuisse Didonem ostendit. Hæc simplicissima illius loci expositio. Servius multa involvit: quæ nec evolvit, & longe à scopo aberrat. *Si fato, inquit, vivimus, quid agunt merita? Si pensamur meritis, quæ vis fati? Quomodo & heic fatum admittit & meritum? Deinde quum dixerit, stat sua cuique dies, quomodo dicit, ante diem?* Deinde hæc explicat ac solvit

E

per differentiam fati denuntiativi & conditionalis. Quæ nihil ad rem faciunt. Universo hominum generi certum vivendi tempus præscriptum à natura & constitutum est, quo completo sponte humana compages dissolvitur. Hoc justæ & legitimæ ætatis spatium alii centum annis, alii paucioribus, alii etiam pluribus determinarunt. Multi ad eam usque metam vivendi perveniunt, alii in medio curriculo deficiunt, alii haud longe à metis, quidam in primo limine & ipsis carceribus effusi occumbunt. Qui ante illud tempus humanæ vitæ legitimum de homine exeunt, *ante diem mori* dicuntur, quod Græci περὶ ὥρας dicunt. Nam & *dies* pro

F

tempore Latinis frequens. Ut *in diem differre* pro in longum tempus. Ciceroni, *in diem pœnas reservare.* Ita in hac loquutione, qua quis *ante diem* mori dicitur, *dies* pro tempore sumitur, quod generaliter hominibus in universum acceptis constitutum est ad vivendum. Alio sensu alibi pronuntiavit idem poëta: *Stat sua cuique dies.* Nec ipse sibi contradicit, quum Didonem *ante diem* perisse queritur, & quum sua quemque die obire testatur. Nemo moritur ante diem suum. At multi obeunt ante diem, hoc est, ante tempus legitimum, quod humanæ vitæ præfinitum est. Quocunque tempore & quocun-

G

que genere è vita quis excedat, suo die moritur, quem Deus illi scilicet ad moriendum assignavit ac præstituit. Tertullianus de Anima: *constituta sunt tempora unicuique, & constituta præripi posse non credam.* Sic dies cuique suus & ex fato. Et nemo sine fato decedit. Unde & *fatis concedere* dicti, qui mortem obeunt, quocunque tandem modo id patiantur. Homerus μοῖραν etiam agnoscit in morte per vim inflicta:

Πορφύρεος δ' ἔλαβε θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Virgilius tamen Didonem, quæ violento fine, & ante diem peribat, perire fato negat. *Sed quia nec fato.* Ammonius: περὶ μοίρας μὲν, ὁ βιαίως ἀποθανών. Nihil heîc facit *conditionalis* & *denuntiativi* fati diſtinctio. Fatum eſt Stoïcorum, quam εἱμαρμένην Græci vocant, & concatenatam rerum ſeriem ſuo tempore neceſſario accidentium interpretantur. Hoc univerſale eſt. Aliud fatum, quod μοῖρα dicitur, idque ſpeciale magis & quidquid eventurum eſt cuique boni malique uſque ad ultimum vitæ finem ſignificat, ipſum quoque exitum qualis ſit futurus & quando ſingulis determinat. Hoc pendet ab altero, ut particulare à generali. Hinc μοῖρα pro bona aut mala fortuna attributa. Et μοιρολόγος, qui eam prædicit. Et μοιρολογεῖν, qui themate poſito & geneſi inſpecta quidquid homini in vita eventurum eſt prænuntiat. Vetus auctor Anonymus in vita Alexandri: ὡς γὰρ ἐμοιρολογησάμην ἐμαυτὸν, ἦν ἐκ εἱμαρμένον μοι ὑπὸ ἰδίου τέκνου ἀναιρεθῆναι. Gloſſæ: *fatidicus*, μοιρολόγος, μάντις, ὁ τὴν τύχην λέγων καὶ τὴν μοῖραν. Inde Parcæ Græcis μοῖραι dictæ, quarum ſubtemine diſpenſari hominibus vitam finxere fabulæ. Eas Latini quoque *fata* appellarunt. Agellius lib. III. cap. XVI. *Idcircoque eos nomina fatis tribus feciſſe a pariendo & a nono atque decumo menſe.* Ita legit optimus liber regiæ bibliothecæ. Ubi legitur in vulgatis: *parcis tribus.* Ammianus *partilia fata* dixit ut Græcorum μοίρας interpretaretur lib. XIV de Adraſtia: *Subſtantialis tutela generali potentia partilibus præſidens fatis*, ταῖς μοίραις, quas Græci quoque ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι appellatas volunt. Sed & μοῖρα idem quod μερίς. Videntur & μορτὴν dixiſſe ab eadem origine & cauſa: unde μορτίτης, *partiarius*. Certe & *Mortam* pro Moera poſuit antiquiſſimus poëta Livius in Odyſſea:

Quando dies adveniet quam profata morta eſt.

Quo ex loco Cæſellius Parcæ unius de tribus nomen eſſe colligebat. Perdere hominis vitam credebantur illæ μοῖραι. Quibus ea per vim adimeretur, filo abſciſſo id fieri putabant, plena ſcilicet adhuc colo. Ideo περὶ μοίρας θανεῖν de his proprie dici obtinebat. Adraſtum, qui vivus abſorptus eſt, nentes adhuc Parcas & plenas colos deprehendiſſe canit Statius. Ideo raptim rumpenda fuiſſe ſtamina. Supererat illi nempe quod viveret, niſi manus fatis per vim injecta eſſet. At qui per ſe & ſponte naturæ ſuæ moriebantur, exhauſto ſubtemine & vacua colo decedere exiſtimabantur, etiam ſi ante diem obirent, quod longius illis filum diſpenſatum non eſſet. Sic fato ſuo mori is demum intelligitur, qui cauſa ex ſe nata, nec extraria, aut foris arceſſita, moritur. Nam cauſæ mortis extraneæ & ab aliqua vi inflictæ videntur fatum accelerare, ſtamen rumpere, & tempora vitæ conſtituta mutilare & abbreviare. Eodem pertinet & illud Satyrici ex Satyra XIV.

---- Sed grave tardas
Expectare colos, morieris ſtamine nondum
Abrupto.

Quando aliquis autem nulla alia cauſa, aut vi extrinſecus illata decedit, tum ex ſorte naſcendi ſua non videtur longiora vitæ tempora habuiſſe deſtinata. Ita ſane *fatum* Latini & μοῖραν Græci proprie acceperunt. Præter fatum igitur cenſentur omnes cauſæ leti violentæ & arceſſitæ. De longævitate Taprobanitarum, quæ huic exercitationi anſam præbuit, ita Diodorus: πολυχρονίους δ' εἶναι τοὺς ἀνθρώπους καθ' ὑπερβολὴν, ὡς ἂν ἄχρι τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἐτῶν ζῶντας.

Nullus aut per diem, aut ante diem ſomnus.] Plinius: *non in diem, aut interdiu ſomnum.* Non recte id expreſſit Solinus. Nec enim negat Taprobanitas ante diem ſomnum capere, ſed ſomnum noctis in diem eos non extendere ait. Ergo ante diem evigilabant, nec per diem dormiebant vel interdiu, ſomno nempe meridiano, qui multis veterum frequentatus. Mentem Plinii belle exprimit Curtius de Macedonibus loquens: *Tempora ſomni artiora quam noctis ſunt.* Quæ ſequuntur in editionibus licet ea plures libri agnoſcant, ex priore tamen editione ſunt, atque eumdem efficiunt ſenſum, quem ſuperiora illa: *Noctis partem quieti deſtinant: lucis ortum vigilia antevertunt.* Idem plane dicunt quod iſta: *nulli aut ante diem, aut per diem ſomnus.* Ita enim legendum, non, ut habetur vulgo: *nullus.*

Ædificia modice ab humo elevata.] Libri noſtri: *modice ab humo tollunt.* Plinius: *ædificia modice ab humo extantia.* Cetera minutiora, quæ hoc capite mutavimus præter editionum ſcripturam, ſciat lector è libris nos accepiſſe. Paulo poſt reſtituimus editorum veterum lectionem, quam Delrius perperam mutaverat: *in regis electione non nobilitas prævalet, ſed ſuffragium univerſorum. Populus eligit ſpectatum moribus.* Ita enim & noſtri habent.

Ac ſi forte dum regnat, pignus ſuſtulit, exuitur poteſtate.] Alia eſt lectio, alterius ut puto editionis: *Et ſi forte dum regnat, ſubolem velit edere, exuit poteſtatem.* Ubi legendum: *exit poteſtatem*: ut eſt in aliis. Sic *exire hominem* apud hunc noſtrum pro exire de homine. Et *exire aſinum* Apulejo. *Exire urbem*, pro urbe exire. Sic *exire poteſtatem* pro exire poteſtate, ut *exire magiſtratu.* Sed & *decedere imperio* dicebant, ut Solinus dixit *decedere homine* qui moritur, & *hominem exit*, ut alibi loquitur.

Nolunt ei totum licere.] Idiotiſmus ex loquendi conſuetudine. Auctor incertus Aululariæ non Plautinæ: *illic etiam ruſtici perorant, & privati judicant: ibi totum licet.* Seneca in Apocolocyntoſi: *Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum*, id eſt, totum licet Alexandriæ. Spartianus in Severo: *totum fuiſti, totum viciſti, jam deus eſto victor.* Ubi vide quæ notamus.

Quadraginta ergo rectores accipit.] Plinius *triginta* tantum dixit. Quem ſequitur Martianus: *cum quo tamen alii triginta cognoſcunt.* Ne putes numeri vitium hærere in libris Plinii, bis repetitur. Sed in hoc ſitæ non ſunt opes regni.

Pag. 60. G. *Quamquam ſic quoque.*] Libri: *& ſic quoque.* Et mox: *a quo datis judicibus ſeptuaginta fertur ſententia.* Vulgo eſt in editis: *atque ita datis.* Alia quædam ex libris mutavimus in ſequentibus non magni momenti.

Maria quoque piſcationibus inquietant.] Altera editio habuit: *maria quoque ſagaciſſime expiſcantur.*

Pag. 61. A. *Major inſulæ hujus pars calore ambuſta eſt.*] Non habet à Plinio Solinus, quod hîc habetur, majorem Taprobanæ inſulæ partem calore ambuſtam eſſe, & in vaſtas deficere ſolitudines. Sed nec quiſquam, ſaltem eorum qui hodie extant, id prodidit. Supra dixit partem inſulæ beſtiis & elephantis refertam eſſe, partem homines tenere. Hoc verum. Sed nec major illa pars, quam feræ ſibi vindicarunt. Quamdam partem inſulæ, in qua elephanti degebant, ἐλεφάντων νομὰς Ptolemæus vocat: καὶ εἰσὶν ὑπὸ τοῦτο τὸ ὄρος μέχρι θαλάσσης ἐλεφάντων νομαί. Et paulo poſt: καὶ ὑπ' αὐτοὺς μέχρι τῶν νομῶν τῶν ἐλεφάντων Βουμαθάνοι. Alexander θηρονόμον vocat eam inſulæ partem:

Θηρονόμος πέπληθεν ἐυρρίνων ἐλεφάντων.

Ita enim legendum, non θηρονόμων.

Cernunt latus Sericum de montium ſuorum jugis.] Prodigio par eſt, vel prodigia potius omnia ſuperat, quod heic narratur à Solino de Taprobanitis, qui latus Sericum de montium ſuorum jugis cernunt. Veteres inter exempla acutiſſimi viſus admirati ſunt Strabonem quemdam nomine, qui videbat per centum triginta milia paſſuum, quique ſolebat è Lilybetana ſpecula exeuntium à Carthagine navium numerum dicere. Hoc vero totum aliud eſt. Longe magis fidem excedit acies oculorum qua valuere Taprobanitæ, qui de montium ſuorum ſpecula latus Sericum poterant proſpicere. Spectemus intervalla. Primum Taprobane à latere Indico meridionali ſeptem dierum navigatione diſtat. Deinde ſequitur Indiæ intra Gangem extentiſſima longitudo uſque ad Emodos montes altiſſimos. Ultra montes Emodos ipſi Seres ſunt. Vide nunc an videri potuerint à Taprobanitis de montium ſuorum jugis. Sed quum omnia, quæ habet, è Plinio Solinus ſumpſerit, quid Plinius dixerit attendamus: *iidem narravere latus inſulæ quod prætenderetur Indiæ X. M. ſtadiorum eſſe ab oriente hiberno ultra montes Emodos. Seras quoque ab ipſis aſpici notos etiam commercio.* Legati erant Taprobanitarum regis, qui hæc narravere. Sed in his verbis primum tollenda vitioſa interpunctio, ac legendum: *latus inſulæ quod prætenderetur Indiæ X. M. ſtadiorum eſſe ab oriente*

oriente hiberno. Ultra montes Emodos Seras quoque ab ipſis aſpici, notos etiam commercio. Notabis etiam in his verbis miram Plinii hallucinationem, qui Taprobanitas illos legatos dicere ait, latus Taprobanes inſulæ, quod Indiæ prætenditur ab hiberno oriente eſſe. Quod non poteſt verum videri. Immo à ſeptentrione eſt. Unde & *βόρειον ἄκρον* illius inſulæ, quod Indiam reſpicit. Latus igitur illud inſulæ meridiale eſt Indiæ, ut ipſa Taprobane tota ad meridiem Indiæ eſt. An intellexit latus illud Taprobanæ, ut & Indiam ipſam Romæ eſſe ab oriente hiberno? Hoc ſane verum, ſed ille non dixit. Dixerat fortaſſe atque ita ſcripſerat: *latus inſulæ, quod prætenderetur Indiæ* X. *M. ſtadiûm Romæ eſſe ab oriente hiberno.* Aliter tamen omnes libri, nec ipſa loquutio admittit eam correctionem. Certius eſt hallucinatum Plinium, quod ab ejus genio, ac more non eſt alienum. Hic locus eſt, ex quo Solinus imaginatus eſt ab incolis Taprobanes Sericum latus de montium jugis cerni. Atqui ſimpliciter dixit Plinius Seras à Taprobanitis aſpici. Id aliter veriſimile non eſt viſum Solino noſtro, niſi de Serico latere intelligeretur, ac niſi de montium jugis latus illud cerneretur. Riſu neſcio an admiratione, an vero miſeratione excipere debeam hunc tantum grammatici ſtuporem. Profecto non majori intercapedine diſtant à Taprobane Seres quam hic diverſus abiit à Plinii mente, ac rei veritate. Seres omnium hominum cœtum refugiebant, nec à quoquam aſpici patiebantur, præterquam à Taprobanitis, ut ipſi quidem eorum legati prædicant. Eo commeabant Taprobanitæ commercii gratia, & cum iis collatis vultibus merces ſuas permutabant, quum ab aliarum gentium negotiatoribus cerni ſe nollent. *Ultra montes Emodos Seras quoque ab ipſis aſpici, notos etiam commercio.* At reliquarum gentium mercatores non eos noverant de facie, quia videri ab his minime ſuſtinebant. Sequitur: *patrem Rachiæ commeaſſe eo. Advenis ibi feras occurſare.* Non uno vitio hic locus inquinatus. Quænam illæ feræ, quæ ibi advenis occurſant? Parvula mutatione veram eruo lectionem: *advenis ſibi Seras occurſare.* Hæc de ſe, ac ſua gente loquuntur ibi Taprobanitæ. Seras ab ipſis aſpici, qui à ceteris nolunt, notos etiam eſſe commercio. Nam eo commeare ſolitos negotiandi cauſa. Advenis ſibi Seras occurſare, quum reliquos advenas averſentur ac refugiant. Quid his poteſt eſſe apertius? Sequentia æque plana ſunt: *ipſos vero excedere hominum magnitudinem, rutilis comis, oculis cæruleis, oris ſono truci, nullo commercio linguæ.* Hæc de ipſis Taprobanes cultoribus dicta accepere tam Solinus quam Martianus, quum palam ſit de iiſdem Seribus prædicari ab illis Taprobanes legatis. Seras ab ipſis aſpici ibi narrant: notos eſſe commercio: ſibi advenis occurſare: *ipſos vero excedere hominum magnitudinem.* Nempe Seras ipſos. Et ſane non poſſunt iſta Taprobanitis convenire, rutilæ comæ, cærulei oculi, qui ut Æthiopibus propinquiores quam Scythis ita facie ſimiliores fuere, utpote ad meridiem prorſus ſiti, ipſiſque Indis *νοτιώτεροι.* At rutili crines & cærulei oculi gentium Septentrionalium proprii, ut Germanorum ac Scytharum. De genere Scythico etiam fuere Seres & *βορειότατοι. Nullo commercio linguæ.* Hoc proprium quoque Serum. Solinus ſupra de iiſdem: *nullo inter partes linguæ commercio.* Apud Plinium ſequitur: *cetera eadem quæ noſtri negotiatores.* Legati nempe Taprobanitæ cetera eadem de his Seribus retulere quæ Romani negotiatores. Hoc de Taprobanitis accipi non quit. Nam ante liberti Annii in eam inſulam adventum, qui legatos inde ſecum advexit, à quibus illa narrantur apud Plinium, Romani negotiatores in Taprobanem commeare non ſolebant. At Seras petebant propter ſericum. Idem Plinius de ſerico: *tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona traluceat.* Præterea morem Serum ſpectant, non Taprobanitarum, quæ ſtatim ſubjiciuntur: *Cetera eadem quæ noſtri negotiatores: fluminis ulteriore ripa merces poſitas juxta venalia tolli ab his ſi placeat permutatio.* Ergo & cetera quæ præceſſere, de iiſdem Seribus intelligenda. Nam hoc modo merces mutabant cum aliis gentibus Seres. Videndi Plinius, Solinus ſupra & Ammianus Marcellinus. Seres ceterorum hominum cœtum ac conſpectum aſpernabantur. Quod idem de

A

Taprobanitis non poteſt dici, ut liquet ex illa ipſa hiſtoria, quæ ibi à Plinio exponitur. Nam & Romanos cum Annii Plocami liberto hoſpitaliter excepere in inſulam ſuam tempeſtate fortuito delatum, ſex menſium alloquio ibi imbutus eſt: cum rege poſtea communicavit qui & amicitia Cæſaris & Romanorum expetita, legatos cum iis miſit ad eam petendam.

Latus ejus mare alluit perviridi colore fruticoſum.] Interpungendum eſt: *Latus ejus mare alluit perviridi colore, fruticoſum ita ut juba arborum plerumque gubernaculis atteratur.*

B

Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum.] Pro his in priore *ἐκδόσει* ſcripſerat: *aurum mirantur, & pocula gemmis igniculant.* Eleganter ſane. Nam *ignes* & *igniculi* gemmarum veteribus de ſplendore ac luce, quam fundunt gemmæ. Martialis de calicibus aureis gemmatis:

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Claudianus:

---- quis miſcuit ignes
Sidonii rubrique maris.

Ita gemmas uterque appellavit. Manilius:

Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.

C

Plinius: *igniculus amethyſti.* Inde *igniculata gemmis pocula*, gemmarum igniculis inſignita. Aurum poculorum gemmis ornabatur intextis, & *aurum gemmatum* dicebatur. At argentum aureis cælaturis decorari ſolebat. Hæc *emblemata* vocabantur, ſive gemmæ auro intexerentur, ſive aureæ cælaturæ argento immitterentur, de quibus ſupra. De his poculis gemmatis intelligendi hi Silii Italici verſus lib. XIV: qui & ſic legendi ſunt:

Jam ſimul argento, fulgentia pocula mixta
Queis gemma quæſitus honos.

D

Cum poculis argenteis & gemmata aurea. Vulgo editur, *miſta*, & *gemina.* Scaliger emendabat:

---- mixtu
Queis gemino quæſitus honos.

Ut de electrinis accipiatur. Quod non placet. Idem voluit *inſertam* Latine dictam eſſe, quod Græcis erat *ἔμβλημα.* Idque probatur hoc verſiculo Publii Syri:

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

Ibi *inſertam* pro emblemate accipiebat. Sed non video quo ſenſu, nec quam argute dicatur frugalitas emblema bonæ famæ. Præterea vetuſtiſſimæ membranæ, quas vidi, item excerpta Macrobii eximiæ vetuſtatis in eo verſu legunt:

E

Frugalitas incerta eſt rumoris boni.

Quæ veriſſima eſt lectio, & bellam efficit ſententiam. Frugalis famam habet interdum avari ac deparci: interdum viri probi ac frugi. Ab aliis igitur laudatur virtutis nomine, ab aliis vituperatur vitii proximitate. Ita frugalitas incerta eſt rumoris boni, quæ culpatur ab his, commendatur ab illis. Certus & incertus alicujus rei Latine dicitur. In libro Tertulliani de Idololatria, quod eam vocem idem vir magnus hac eadem ſignificatione uſurpatam credidit, ſane falſus eſt. Verba hæc ſunt: *Si fidelis literas doceat inſertas literarum prædicatione, ſine dubio dum docet, commendat.* Ibi inſertæ

F

non ſunt emblemata. Sed, *literas inſertas idolorum prædicatione* vocat, quibus inſerta eſt idolorum prædicatio, cum quibus conjuncta eſt idolorum mentio ac doctrina, ut ſunt literæ quas Patres appellant *ἔξωθεν*, hiſtoriæ veterum, fabulæ poëtarum, quæ Deorum nominibus & idolorum mentione refertæ ſunt. Si *inſerta* hac notione veteribus nota fuiſſet, non quæſiſſet in Senatu Tiberius quo nomine dici poſſet in Latio Græcum *ἔμβλημα.* Quod autem heîc ait Solinus Taprobanitas gemmarum apparatum adhibere ad gratiam poculorum, hoc Plinius non dicit, ſed ſimpliciter gemmas

G

& margaritas illis quoque in pretio & honore haberi. Melius heic etiam legas, ut habent quidam libri: *gemmarum adhibent paratum.* Pro decore & ornamento hanc vocem poſuere illius temporis auctores. *Paratura* apud Tertullianum paſſim pro ornatu. Infima Latinitas *paratam* dixit. Unde nos *paradam* dicimus pro oſtenſione & *φαντασία.* Ut *malatus*, qui male ſe habet, quem *maladum* vocamus. Gloſſæ: *malatus, ϛυγνὸς, ἀρχαίως.*

Parata

Parata pro paratione, vel paratu, ut *oblata* pro oblatione: *declamata* pro declamatione: *conjuncta* pro conjunctione Apulejo in libro de Philosophia: *civitatem esse conjunctam inter se hominum plurimorum.* Ita enim omnes libri eo loci legunt. Hinc παρατέλον recentioribus Græcis limbus quo vestis paratur, id est, ornatur. *Paratum* pro ornamento dixit Tertullianus de corona militis sub finem: *Accepit & angelus victoriæ coronam procedens in candido equo ut vinceret. At alius iridis ambitu ornatur, cælesti parato. Sedent & presbyteri coronati.* Ita eum locum egregiè restituimus ex codice Agobardi, qui habet, *cælesti prato.* Vulgo legitur: *ambitu ornatur cælesti. Protosedent & presbyteri coronati.* Nec meliores sunt doctorum hominum conjecturæ. *Paratum*, vel *paratus*, ornamentum. Ita heic *gemmarum paratus.* Non disconvenit tamen genio Tertulliani, ut scripserit, *cœlesti prato.* Ut *pratum cœleste* vocet iridem ob colorum varietatem.

Secant marmora testudinea varietate.] An secant marmora quæ varia sunt instar testudinis? an vero marmora secant eadem varietate quâ secantur in laminas testudines? Utrumvis absurdum & falsum. Hausit tamen hunc colorem ex his Plinii: *Aurum argentumque & ibi in pretio. Marmor testudinis simile, gemmæ margaritæque in honore multo præstantiores, & totus luxuriæ nostræ cumulus.* Ergo marmor secant, quod est testudini simile. Sed genus hoc marmoris, quod testudini simile sit, alibi non reperio, nec fuisse in rerum natura puto. Hæret sane in illis Plinii verbis, sed mendosis. Quod fraudi Solino fuit, qui inde hoc testudineum marmor exsculpsit. Nullum fuerit, si ita legas, ut plane legendum est: *Aurum argentumque & ibi in pretio, marmor, testudines. Simili gemmæ margaritæque in honore, multo præstantiores.* Aurum & argentum in pretio esse dicit Taprobanitis, item marmor & testudines, quæ & ipsæ inter instrumenta luxuriæ, quibus in laminas sectis lecti ac repositoria operiebantur. Plinius lib. IX. cap. XI. *Testudinum putamina secare in laminas lectosque, & repositorium his vestire Carvilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.* Idem lib. XXXII. cap. IV. *Geminus similiter victus in aquis terraque & testudinum, effectus quoque par, in honore habendo vel prosper excellens in usu pretium figuræ camero.* Ita legendum eum locum docemus in commentario nostro, *De Musicis instrumentis veterum*, quem superiori æstate absolvimus. Ita legisse in verbis Plinii Isidorum prorsus certum est: *Testudo dictus eo quod tegmine testæ sit adopertus in cameræ modum. Sunt autem quatuor genera, terrestres*, &c. Testudines igitur, ac marmor, in pretio & usu apud Taprobanitas, haud secus & Romanos inter instrumenta nitidioris & elegantioris vitæ. In simili quoque honore apud eosdem gemmæ margaritæque, & præstantiores quidem multo, quam quæ Romanis adferebantur. Nam Taprobanitarum margaritæ grandiores erant. Idem Plinius de Taprobana: *Incolasque Palægonos appellari, auri margaritarumque grandium fertiliores quam Indos.*

Margaritas legunt plurimas maximasque.] Libri meliores: *margarita legunt plurima maximaque.* Certum est utroque genere extulisse veteres. Caper de verbis dubiis: *Margarita hæc, fœmmino, & margarita, neutro.* Valgius in epigrammate apud Charisium:

Sint gurosa rotunda margarita.

Ita scribendum. Vulgatur perperam: *situ rugosa.* Contra legem versus. Sed & *rugosa* mendosum. Cum enim margaritæ omnes commendentur candore, magnitudine, orbe, ac levore, insaniret qui rugosas postularet. At *gurosa* sunt σφαιρώδη pro gyrosa. Ut *gurare in silva* apud Varronem pro gyrare. Unde Lotharingi *gouret* dicunt quod Galli *boulle.* Alii *goerare* dixerunt & *goeros*: alii *guros*: alii *guiros* scripsere. Membranæ vetustissimæ in epigrammate de circensibus:

Septem etiam guiris claudunt certamina palma,

pro gyris. Et in calculo decemnovali Dionysii Parvi Episcopi Alexandrini: *Regula paschæ conguirans in semetipsam* pro congyrans. Sic ex Græco λαγύνη alii fecerunt *lagoenam*, alii *lagunam*, quidam *laguinam.* Tot enim modis hæc vox scripta reperitur in antiquis monumentis ac libris. Atque hæc obiter. Ex veteribus eruditis nonnulli *margaritam* fœminino genere potius quam neutro *margaritum* dicendum putaverunt, quia nullius animalis speciale nomen inveniretur, quod neutrius esset generis. Ita ergo *margaritam* debere dici, ut *ostream.* Atqui *margarita* non est nomen animalis, sed lapidis. Nec enim concha sic vocabatur, sed lapillus qui reperiebatur in concha. Græcis ὁ μαργαρίτης λίθος. Inde Latinum, *hæc margarita*: ut ὁ χάρτης, hæc *charta*: ὁ γαυσάπης, hæc *gausapa.* Dixerunt tamen etiam hoc *gausapum*, ut hoc *margaritum*, vitiosè. Galenus frustra disputat, utrum melius dicatur Græce μαργαρίτης an μαργαρῖτις. Æque potest disputari, utro genere rectius scribatur λυχνίτης an λυχνῖτις. Iones qui λίθον fœminino genere pronuntiabant, μαργαρῖτιν eodem genere dixere, ἡ μαργαρῖτις λίθος. Qui λίθον in masculino proferunt, μαργαρίτην dicere debent, τὸν μαργαρίτην λίθον. Ita etiam obtinet in aliorum lapidum nominibus, ὁ λυχνίτης λίθος, ἡ λυχνῖτις λίθος. Cum igitur μαργαρῖτις dicitur, ad τὴν λίθον refertur fœmineo genere enuntiatam. At μαργαρίτης, subauditur ὁ λίθος. Dicebatur & ἡ μαργαρὶς, ut ἡ λυχνίς. Sic ὁ λευκάτης, ἡ λευκὰς λευκάδος, & alia sexcenta. Procopio τὸ μάργαρον. Ex his constat Græcos, qui μαργαρίτην & μαργαρῖτιν vocarunt subintelligendo λίθον, inter lapides censuisse margaritam. Sed & integra ἡ μαργαρῖτις. Hoc ostreum, in quo reperitur margarita ab Indis, βέρβερι vocatum tradit Androsthenes apud Athenæum. Inde ergo Græcum manavit ὁ μαργαρίτης λίθος lapis conchæ βέρβερι vel μάργαρι. Vox tamen Græciæ vetus est μάργαρον pro lance. Unde μαργαρίσκος ὁ πινακίσκος. Hesychius: μαργαρίσκον, πινακίσκον. Concha, in qua nascitur hic calculus, ex genere earum est, quas Græci διθύρους vocant & κοίλας. Clusiles sunt & apertiles, & intus concavæ, ita ut dimidiatæ formam lancis, vel disci satis belle referant. Ab ea figura videntur has conchas μάργαρα appellasse, atque ex eo ὁ μαργαρίτης λίθος, nucleus qui in ejusmodi ostreo solidatur in lapidem. Cochlearia hodieque ac lanculæ poculaque ex conchis margaritiferis fabricantur. Arabes hodie margaritum vocant *aliohar*, κατ' ἐξοχήν. Nam omnes gemmas appellant *johar.* Quæ vox plane ex Latino detorta est, *jocarium* & *jocale.* Nam hodie etiam *jocalia* vocamus supellectilem omnem gemmariam, qua mulieres oblectantur. Inde dicta *jocalia*: & *jocaliarii* gemmarii, *jocar* & *jocarium* idem quod *jocale.* Unde Arabicum *johar.* Latini veteres *joculum* dixere id omne, ex quo aliquis voluptatem caperet, & in quo maxime acquiesceret, Græci παίγνιον. Id vocabulum duobus antiquis & optimis linguæ Latinæ auctoribus restituimus. Vitruvius lib. IV. cap. I. *Virgo civis Corinthia jam matura nuptiis, implicita morbo decessit. Post sepulturam ejus, quibus ea viva joculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocavit.* Pessimè ibi legitur, *poculis.* Quod est ridiculum: quasi pocula tantum in oblectamentis ac deliciis virgo illa habuerit. *Jocula* vocat, quæ Græcis παίγνια, vel παίγματα. Stephanus: Ἀλέξανδρος Σαλακίαν κόρην ἐξ Ὠφιένιδός φησι φέρειν ἱερὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἐν Πατάροις: ἔστι δὲ ταῦτα παίγματα, λύραι τε καὶ τόξα, καὶ βέλη, οἷς παίζειν νηπίους ὄντας. Ita legendum non πέμματα. Et paulo post: περιτυχόντα δὲ λινὰ τῶν ἐκ τῆς Σαλακίας φυγόντων τῇ Πατάροις, τὰ ἐν αὐτῇ παίγματα πάντα κατακαῦσαι. Hic etiam male πέμματα. Quam tamen lectionem etiam agnoscit Eustathius, & exponit πέμματά τινα ἐν σχήματι λύρας καὶ βελῶν, καὶ τόξων. Nugatur. Et fortasse etiam Stephanus ipse. τὸ παῖγμα est ludicrum vel joculum. Æoles & Lycii dicebant παίμμα. Hoc illi pro πέμμα accepere. Hesychius etiam male: παίμματα, πλακούντια. Immo παίμματα sunt παίγματα, vel παίγνια. At πέμματα sunt placentæ. Virginis illius Corinthiæ jocula fuere, ut par est, monilia, annuli, & aliæ id genus nugæ. Cicero hac etiam voce usus est in Paradoxis, quam similiter corrupere, qui corrigere illum voluerant. In Paradoxo V. *Sed obsecro te ita venusta habeantur ista, non ut jocula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum*, ὡς μὴ εἶναι ἀνδρῶν παίγνια ἀλλὰ παιδαρίων παίγματα. Pro eo substituerant: *non ut vincula virorum sint.* In loco certè Vitruvii supra citato *jocula* omnino pro poculis reponenda. Inde verbum *joculari*, παίζειν,

παίζειν, παιγνιῶσαι. Gloſſæ: *Joculare*, ἐὐτραπελίσαι, παιγνιωλακίσαι. Et *joclare*, inde noſtrum *jongler*. Et *joculator* vel *joclator*, παιγνιώτης. Et *jocularis* à joculo. *Jocum* Latini veteres non in verbis ac dictis facetis poſuere tantum, ſed etiam omnem ludum ſic vocarunt. Ovidius:

---- *ſpecies ſunt mille jocorum.*

Μυρία παιδίων εἴδη. Capitolinus in vita Albini: *quum ei nomina fierent, ſeptem aquilæ parvulæ de nido allatæ ſunt & quaſi ad jocum circa pueri cunas conſtitutæ*, id eſt, cum quibus puer jocaretur & luderet. Hinc *jocula*, τὰ παίγνια, οἷς παίζουσι νήπιοι ὄντες, quibus puerul jocantur. Et quibus maxime delectantur mulieres, hæc eorum ſunt *jocula*, vel *jocalia*, gemmæ nimirum ac margaritæ. Hinc illis hæſit hoc nominis generali appellatione. Arabes vocabulum omnibus gemmis commune proprium fecerunt margaritarum, per excellentiam, quia inter omnes lapillos pretioſos præcipuo ſunt in pretio & honore. Sic nos hodie mundum muliebrem, qui in gemmis conſiſtit, *bagas* vocitamus à baccis, quæ ſunt margaritæ; nam *baccatum* margaritis conſertum ſignificat, ut *baccatum monile*. Ex eo *bagnatellas* dicimus nugas & jocularia. Latini quoque *nugas* dixere res omnes muliebris mundi, *nugivendos* qui eas vendebant. Summum apud veteres margaritis pretium fuit, etiam ante omnes gemmas. Plinius: *Principium ergo columenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Ubi notabis *principium* pro principatu dictum. Niſi legas: *præcipuum ergo columen omnium rerum pretii.* Quod non placet. Poſt adamantes tamen ſecunda illis auctoritas. Nam prima adamantibus dabatur eodem Plinio auctore: *Maximum in rebus humanis non ſolum inter gemmas pretium habet adamas.* Dicit in rebus humanis, ut etiam margaritas comprehendat. Nam Plinio margaritæ in gemmis non habentur. In fine capitis adjicit: *proximum apud nos Indicis Arabicisque margaritis pretium eſt.* Ergo in ceteras gemmas omnes principatum pretii habuere margaritæ, ut ſupra margaritas adamantes ipſi. Theophraſtus: τῶν δὲ θαυμαζομένων λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος. Androſthenes de pretio ejus hæc dicit: αὕτη δ' ἐστὶ πολυτελὴς κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ πωλεῖται περὶ Πέρσας τε καὶ τοὺς ἄνω τόπους πρὸς χρυσίον. Hoc nihil eſt. Πρὸς χρυσίον πωλεῖσθαι dicuntur, quæ ad pondus auri veneunt, ut vulgo loquimur, id eſt, quæ auro rependuntur; ut libra margaritarum ſcilicet libra auri fuerit. Non magnum hoc pretium. Hodie apud nos ad unciam tantum venales habentur, quæ inæquales & aſperæ ſunt, nec abſolutæ rotunditatis. Eæ plerumque vel contra quadruplum aurum veneunt. *Cornutas* vocant. At ſi quæ rotundiores ſunt, non aliud iis ponitur pretium, quam quod libido conſtituit, & inſania mulierum. Cum magnitudine creſcit & pretium. Sed Androſthenes dicit, περὶ Πέρσας καὶ τοὺς ἄνω τόπους hoc pretium habere: hoc eſt in iis locis, ubi capiuntur, & unde advehuntur. Arrianus in Indicis apud Indos tradit margaritam triplo auro rependi: καὶ γὰρ εἶναι καὶ παρ' Ἰνδοῖσι τὸν μαργαρίτην τριτάσιον κατὰ τὴν ἡμέραν πρὸς χρυσίον τὸ ἄπεφθον. Per χρυσίον ἄπεφθον non obryzum intelligit aut ſæpius coctum, ut accipiunt interpretes, ſed quod abſque igne perfectum in maſſa reperitur. Ἄπυρον alii vocant. De quo nos ſupra. Suidas etiam ἄπεφθον χρυσὸν de obryzo capit. Sed fallitur. Ἄπεφθον eſt non coctum. Hoc tempore in iis locis, ubi margaritæ capiuntur, unciatim & libratim etiam venire ajunt. Nonnulli etiam memorant mercatores earum regionum, in quibus captura margaritarum celebratur, ex ære diverſa inſtrumenta habere, majoribus aut minoribus foraminibus pertuſa, per quæ colantur margaritæ, & ſic pretium illis faciunt. Nam quæ per inſtrumentum minoribus cavernis foraminatum tranſmittuntur, iis ſuum pretium ponitur, & pondere non numero veneunt. Quæ per majora foramina tranſeunt, ſuum & his pretium. Atque ita deinceps pro foraminum magnitudine annona margaritarum augetur. Viliſſimæ omnium ſunt, quæ præ parvitate perforari non poſſunt. Ἀτρύπητους Græci vocant, quæ pertuſæ non ſunt. Auctor vitæ Alexandri: ἀτρυπήτων μαργαριτῶν ὁρμάθους. Male vertit vetus verſio *monilia*, quaſi legeret ὅρμους. Atqui monilia non poſſunt fieri ex margaritis non perforatis. Sacculos, vel ciſtas accipe. Nam ὁρμαθός, φωλεὸς exponitur Heſychio. *Extricatæ margaritæ* apud Juriſconſultum eæ dicuntur, quæ in linea non ſunt, ſed fuerunt. Nec eas intelligit quæ pertuſæ nunquam fuerint, ſed quæ ex linea extricatæ ſunt. *Deſilatas* dicimus. Nam & *filum* margaritarum & *linum* pro linea, cui intricatæ ſunt, ac inſertæ margaritæ.

Conchæ ſunt in quibus hoc genus lapidum requiritur.] Altera editio habuit: *conchæ ſunt, in quibus reperiuntur*, nempe margaritæ, de quibus præceſſit. Plinius: *origo & genitura conchæ eſt haud multum oſtrearum conchis differens.* Tertullianus de habitu muliebri: *ceterum ſi margaritæ ex deo ſunt, non ſtatim & hujuſmodi fructus illarum, quæ in unionibus quæritur, ſed unde ſint conchæ, & quæ diſpoſitione decurrant, & ubi ſedem ſuam collocent.* Ita eum locum legendum alibi docemus. Theophraſtus de margarita: γίνεται δ' ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις, πλὴν ἐλάττονι. At ſequuta ætas *pinnam* vocavit concham ipſam, in qua margaritum gignitur. Iſidorus Characenus apud Athenæum πίννας appellat conchas margaritiferas. Inde recentioribus πινικὸν, vel πινικὸν pro margarita. Ptolemæus πινικοῦ κολύμβησιν paſſim vocat: ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ, ἐπὶ ἀσκῶν διαπλέουσι. Ubi interpretes vertunt, *colymbeſes pinici*, quæ piſcatio eſt margaritarum. Auctor peripli, qui non longe abeſt à Plinii ætate, πινικὸν ſemper appellat margaritam: εἰσφέρεται δὲ ἀπὸ ἑκατέρων τῶν ἐμπορίων, εἴς τε Βαρύγαζα, καὶ εἰς Ἀραβίαν πινικὸν πολὺ μὲν, χεῖρον δὲ τοῦ Ἰνδικοῦ, *margaritum plurimum quidem ſed deterius Indico.* Vir doctus non debuit *pinicum* reddere. Idem: ἀπὸ δὲ τοῦ Κομαρεὶ ἐκτείνουσα χώρα μέχρι Κόλχων, ἐν ᾗ κολύμβησις τοῦ πινικοῦ ἐστίν. Et paulo poſt: ἐν ἑνὶ τόπῳ περονεῖται παρ' ἀκτὴν τῆς Ἡπιοδώρου συλλεγόμενον πινικὸν, id eſt, *perforatur margaritum.* Ita enim nunc accipere malo, ut olim etiam feci, quam de vellere ipſo conchæ, quod πίννινον ἔριον, & πίννινον ſimpliciter dicebatur. Gloſſæ: πίννινον, *marinum vellus.* Unde πιννινότριχα πρόβατα, quæ lanam habent ejuſdem coloris cum vellere pinnarum, id eſt, aurei. Baſilius in Hexaemero: πόθεν τὸ χρυσοῦν ἔριον αἱ πίνναι τρέφουσι. Sed de eo paulo poſt. At πινικὸν abſolute eſt margaritum ipſum, non concha margariti, vel oſtreum. Quod enim dicit peripli auctor, πινικὸν περονεῖται, non concha ipſa perforatur, ſed lapillus, ſive margarita. Idem πινίκιον κόγχον appellat concham ipſam pinnæ, in qua gignitur margaritum: ἐκδέχεται δὲ μετ' οὐ πολὺ τὸ στόμα τῆς Περσικῆς, καὶ πλεῖσται κολυμβήσεις εἰσὶ τοῦ πινικίου κόγχου. Ergo τὸ πινικὸν eſt margaritum à quo πινικὸς κόγχος, concha margaritifera. Optimæ gloſſæ: πινικά, *margaritæ.* Inter hos auctores itaque convenit pinnam eſſe in India & Arabia quæ fert margaritum. Theophraſtus pinnæ quidem ſimilem illam oſtream dicit, ſed minorem. Plinius capite de margaritis: *In noſtro mari reperiri ſolebant crebrius circa Boſphorum Thracium, rufi ac parvi in conchis quas myas appellant. At in Acarnania quæ vocatur pinna gignit. Quo apparet non uno conchæ genere naſci.* Si pinna eſt, quæ margaritum in Acarnania gignit, pinna non eſt, ſed aliud genus oſtreæ, quæ in Arabia & India hunc lapidem generat. Atqui Iſidorus πίνναν vocat, in qua id genus calculi per Arabiam & Indiam invenitur. Subjicit Plinius: *namque & Juba tradit Arabicis concham eſſe ſimilem pectini inſecto, hirſutam echinorum modo, ipſum unionem in carne, grandini ſimilem.* Hæc Plinius è Juba. Androſthenes apud Athenæum concham margariti ita deſcribit: ἔστι δ' ἡ μὲν τοῦ ὀστρέου ὄψις παραπλησία τῷ κτενὶ, οὐ διέγλυπται δὲ, ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει καὶ δασύ. Juba, vel Plinius ex illo, concham illam facit, *pectini ſimilem inſecto*, hoc eſt, διαγεγλυμμένῳ, nam διαγεγλυμμένον eſt inſectum, & inciſum ſtriaturis & rugis. Falluntur, qui *inſectum* in Plinio accipiunt pro non ſecto. At Androſthenes concham margaritæ levem eſſe tradit, nec inſectam, cetera pectini ſimilem. Quæ ſequuntur paria ſunt: *ipſum unionem in carne grandini ſimilem*, non tamen grandini ſimilem, quæ de cœlo cadit, Androſthenes unionem eſſe ait; ſed grandini ſuum: ὁ δὲ λίθος γίνεται ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ ὀστρέου, ὥσπερ ἐν τοῖς ὑείοις ἡ χάλαζα. Quod Plinius omittere non debuit: nec enim puto Jubam omiſiſſe. Ut in carne ſuis alba grana inveniuntur, quæ Græcis χάλαζαι dicuntur, ad eam formam in

in parte ostrei unio reperitur. Hinc recentiores Græci χάλαζαν unionem appellarunt à grandine suis: μέθοδος δι' ἧς ἀποτελεῖται σφαιροειδὴς ἡ χάλαζα: *methodus, qua rotundatur margaritum* apud Zosimum. Et paulo post: λαβὼν λεπτοτάτας χαλάζας, βάλε αὐτὰς ἐν ὑάλῳ. Et passim toto eo tractatu. Plinius χάλαζα illa quid esset non intellexit, qui *grandinem* simpliciter vertit. Addit Androsthenes: τὸ δ' ὄστρακον λεῖον καὶ δασύ. Intelligit hirsutam ea lanugine aurea, quam conchis pinnarum inesse veteres omnes testantur, atque ἔριον πίννινον appellant, & πίννινον. Tertullianus de Pallio: *Nam & de mari vellera, quo muscosæ lanositatis plautiores conchæ comant.* Ab hac lanosa coma *crinitas conchas* appellat Plinius capite de generibus concharum: *Jam distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatim, pectinatim divisa, imbricatim undata, cancellatim reticulata.* Crinita vocat ab illa lanugine villosa, & muscosa, qua comare eas dicit Tertullianus. Κροκύδα Græci & μήρυγμα concharum hoc vellus appellitarunt. Neophytus in Jatrico: μήρυσμα, ἡ κροκὺς τῶν κηρύκων, καὶ τῶν πιννῶν, καὶ τὸ ἐξεσμένον, καὶ μαλακὸν ἔριον. Hesychius μήρυσμα σπάσμα ἐρίου exponit, id est, *tractum lanæ.* Tibullus:

Ductaque de niveo vellere tracta putat.

Ubi *tracta*, τὰ σπάσματα ἐρίου. Idem Neophytus alio loco: εἰκέονα, τὰ ἐπὶ τῶν κηρύκων, καὶ πορφυρῶν, καὶ πιννῶν μέσα, εἰς ἃ ἡ ἕλξις ἐστὶ τοῦ ὀστράκου. Εἰσὶ δὲ αἱ κροκύδες αὐτῶν. Ab his igitur floccis, & lanoso vellere concha pinnæ Androstheni dicitur habere λεῖον ὄστρακον καὶ δασύ: *leve & hirsutum lanugine.* Nihil enim prohibet quin utrumque simul esse possit, in diversis utique partibus. Plinius addit vel Juba: *hirsutum echinorum modo.* Ergo echini marini lanugine pari obsiti sunt ac pinnæ vel conchæ margaritiferæ. Spinis hispidos tantum esse putabam. Clara tamen illa Plinii verba. De altero genere echinorum id fortassean capiendum, qui βρύττοι dicebantur. Nam Aristoteles duo genera facit, τὸ δὲ τῶν σπατάγγων, καὶ τὸ καλουμένων βρύττων. Ab his βρύττοις, qui minores sunt, & lanuginem habent molliorem, appellatum βρύττινον ὕφασμα. Hesychius: βρύττοι εἶδος ἐχίνου πελαγίου, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης. Vix dubium habeo quin ab istis βρύττοις dictum ductumque sit βρύττινον πήνισμα, de quo apud eum statim mentio: βρυττίνην ἐν μαλθακοῖς.

Ἀμοργὸν ἔνδον βρυττίνην νήθειν τινά.

Ἔπηξε πρὸς τὸ πήνισμα τὸ βρύττινον. Ἔστι καὶ ζῶον. Versus est è Cratini Comœdia Μαλθακοῖς, ubi ἀμοργὸν βρυττίνην vocabat, *linum brytinum.* Ἀμοργὸν pro quolibet lino vel bysso, quia optimus nascebatur in insula Amorgi. Unde ἀμοργινοὶ χιτῶνες, lineæ tunicæ ex Amorgo. Stephanus coloris genus esse vult: ὁ δ' ἀμοργῖνος χιτών, χρώματος ἴδιον. Versus Cratini contrarium indicat, qui ἀμοργὸν pro quolibet bysso posuit. Sic *caunæ* quælibet caricæ, non tantum Cauniæ. Hesychius: Ἀμοργίς, καλάμη τις ἐξ ἧς ἔνδυμα γίνεται, ἢ ὕφασμα, ἢ χιτών. Hesychius: βρύττινον πήνισμα à quodam animali scarabæo simili dictum autumat, & idem esse cum bombycino: βρύττον ὅμοιον κανθάρῳ, καὶ τὸ ἀπ' αὐτοῦ βρύττινον πήνισμα ὅπερ ὑπ' ἐνίων βομβύκινον λέγεται. Sed falli puto. Βρύττινον à brytto echino, qui lanugine hirsutus est, ut pinnæ à quo & πίννινον ὕφασμα. Idem: βρυττίνην, βυσσίνην. Μήκων quoque dicebatur capillitium pinnarum & muricum, unde & μήκωνες, vestes byssinæ. Hesychius: μήκωνες, πόα τις λήθην ἐμποιοῦσα, καὶ τὰ τῆς πίννης τριχώματα καὶ τῶν ὁμοίων, καὶ μέρος καὶ ὕφασμα βύσσινον. Ita legenda hæc verba. Athenæo μήκωνες in buccino quoque dicuntur partes illæ fibrosæ in medio buccini, quas cirri ac crines ambiunt: τούτων δὲ αἱ μήκωνες λεγόμεναι πρὸς τοῖς πύθμεσιν, ἁπαλαί, ἄφθαρτοι. Ubi πυθμένες non sunt interiora buccini, nec fundus testæ, ut vulgo interpretantur, sed pars alvi, qua insistunt in fundo maris, aut qua adhærescunt. Neophytus τὰ μέσα exponit, εἰς ἃ ἡ ἕλξις ἐστὶ τοῦ ὀστράκου. Qui εἰκέονα vocat pro μήκωνα. Apud Dioscoridem similiter hæc vox corrupta est. Nam ubi vulgo Ἰόνια legitur, vel, ut alii scribunt, κιόνια, debet esse μηκώνια, quæ μήκωνες aliis dicuntur: μηκώνια δὲ καλεῖται τὰ ἐπὶ τῶν κηρύκων, καὶ πορφυρῶν μέσα. Addit Neophytus: καὶ τῶν πιννῶν. Sequitur apud Dioscoridem: περὶ οἷς ἡ ἕλιξ ἐστὶ τοῦ ὀστράκου. Quod de orbibus, vel cir-

A culis, quæ in testa purpuræ sunt, ex quorum numero de ætate ostreæ judicatur, accipiunt. Quod non potest habere locum. Lege ut est apud Neophytum: περὶ οἷς ἡ ἕλξις ἐστὶ τοῦ ὀστράκου. Quod ea parte serpit, ac promovet testa. Mediam testæ partem intelligit. Aristoteles florem succi tinctorii in purpuris inter τράχηλον & μήκωνα hærere scribit: τὸ δ' ἄνθος ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος, καὶ τοῦ τραχήλου. Plinius *in mediis faucibus* dicit: *sed purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus.* Μήκων igitur, vel μηκώνιον pars media in conchis: τράχηλος anterior. Fauces in medio sunt tracheli & meconis. Festi abbreviator: *Tra-*

B *cheli appellantur muricum ac purpuræ superiores partes.* Anteriores igitur ac superiores partes τράχηλοι: mediæ, μήκωνες, πρὸς τοῖς πύθμεσι. Μήκωνα in polypis Suidas interpretatur μέρος τι τῶν ἐντοσθίων ἐπάνω τῆς κοιλίας. Hesychius μήκωνα, μέρος πιννῶν καὶ τῶν ὁμοίων esse notat. Hi mecones edules in plerisque, ut & tracheli. Athenæus in buccinis τραχήλους & μήκωνας esui esse tradit. Hesychius σπονδύλους interpretatur τοὺς τραχήλους. Τραχήλους τὰς πορφύρας, ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. Plinius *spondylum* quoque partem ostreæ facit, & ostreas commendari dicit, *spondylo brevi, atque non carnoso.* Idem alio loco spondylum velut piscis quoddam genus

C facere videtur lib. XXXII. cap. XI. *Spondylus, smarides, stella, spongia.* De spondylo tamen, sive trachelo ostreæ accipiendum, non de certa piscis, aut ostreæ specie. Sic & *cybium* eodem capite recenset inter animalia in mari viventia, quæ pars erat quadrata concisæ pelamydis. Idem capite X. *Tertianis mederi dicitur & spondylus per se adalligatur*, id est, caro ex trachelo ostreæ per se adalligata. Exempta nimirum ex ostrea. Τράχηλοι ostreæ plane intelligit. Athenæus: ἑψόμενοι δὲ τὸ καθ' ἑαυτοὺς καὶ οἱ τράχηλοι τῶν πορφυρῶν, διδόασι πρὸς τὰς τῶν στομάχων διαθέσεις: *per se elixæ sunt cervices purpurarum*, id est, separatim elixæ, ac seorsim à reliqua carne. Ut *spondylus per se*

D *adalligatus collo.* Posidippus apud eumdem Athenæum:

Ὥρα περαίνειν ἐγχέλυας, καὶ καράβους,
Κόγχας, ἐχίνους προσφάτους, μηκώνια,
Πίννας, τραχήλους, μύας.

In his versibus τραχήλους & μήκωνια, quæ partes sunt conchyliorum, inter ostrearum ac piscium genera veluti proprium genus poëta recensuit. Non tamen sunt. Sed quia per se coquebantur, ideo seorsim nominavit. Fortassean & καθ' ἐξοχὴν cervices, ac cirri purpurarum ac buccinorum ita appellabantur. Hesychius in voce Ταραντῖναι. Τινὲς δὲ τὰς πορφύρας, ἐδώδιμοι γὰρ οἱ ἐξ αὐτῶν τράχηλοι. Ex eo Posidippi loco idem Hesychius,

E aut simili τραχήλους de certo purpurarum genere interpretatus est. Sed fallitur. Æque & μήκωνια de certa specie ostreæ accipi deberent, quæ partes erant buccinorum & purpurarum, ut & τράχηλοι. Hos trachelos, ut dixi, Latini vocarunt *spondylos.* Martialis:

Rosos tepenti spondylos sinu condit.

Ita legendum, nec de aliis spondylis intelligendum quam de ostrearum cervicibus. Petronio *cochlearum cervices* dicuntur, qui Græcis τράχηλοι. Hesychius σφονδύλους scribit, & τραχήλους interpretatur. Σφόνδυλος, τράχηλος. Σφόνδυλοι, αἱ ἁρμογαὶ τῶν μελῶν, καὶ πυθμένες. In plerisque Latinorum scriptis *sphondylos*

F etiam legere est, pro spondylis. Ut τράχηλος conchæ speciale genus non est, sed pars ostreæ, ita nec σφόνδυλος. Mirum tamen quamplurimos auctores Græcos & Latinos *sphondylum* pro speciali genere conchæ ponere. Metellus apud Macrobium in indice Pontificiæ cœnæ: *ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, sphondylos.* Et paulo post: *patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos, iterum sphondylos.* Columella lib. VIII. cap. XVI. *Eadem quoque maxime idonea est conchyliis, muricibus & ostreis, purpurarumque tum concharum pectunculis, balanis, sphondylis.* Σφόνδυλον vel σπόνδυλον hoc sensu apud ve-

G tustissimos Græciæ auctores non legas. Galenus, qui ita usurpat, Latinos fortasse sequutus est lib. III de alimentis: τὰ δὲ σμικρὰ χήμια καὶ οἱ σφόνδυλοι, καὶ οἱ σωλῆνες, καὶ αἱ πορφύραι, καὶ οἱ κήρυκες. Ecce tamen aliud, quod possit firmare, Græcos etiam antiquos σπόνδυλον posuisse pro genere conchulæ marinæ. Olim parvis conchis marinis utebantur pro calculis ad ferendam sententiam ex

eæ χοιρίναι dicebantur. Pollux: κλεψύδρα χοιρίνη. Πάλαι γὰρ χοιρίναις ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο, ἅπερ ἦσαν κόγχαι θαλάσσιαι. Scholiastes Aristophanis: ἀντὶ δὲ ψήφων ταῖς χοιρίναις ἐχρῶντο. Εἰσὶ δὲ κόγχαι τινές. Postea ad eam formam calculi ex ære facti, quos & σπονδύλους dixerunt, antiquo nomine retento, ut σφόνδυλοι iidem fuerint cum χοιρίναις, quæ sunt conchæ marinæ. Idem Pollux: αὖθις δὲ καὶ χαλκᾶς ἐποιήσαντο κατὰ μίμησιν, σπόνδυλοι δὲ ἐκαλοῦντο αἱ ψῆφοι δικαστικαὶ χαλκοῦ πεποιημέναι. Hæc de sphondylis. Μήκωνες in medio ostreo fibræ sunt, vel fimbriæ. Neophytus: εἰσὶ δὲ αἱ κροκύδες αὐτῶν. Martialis *cirros* appellat eo ipso epigrammate, quo *spondylorum* meminit:

Nec erubescit pejerare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros.

Plinius *crines* vocitat lib. XXXII. cap. VI. *Spondylo brevi atque non carnoso, nec fibris lacinioso, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras, eoque argumento generosa interpretantur, calliblephara appellantes.* Spondylus in ostreis est τράχηλος Græcorum, quem vult brevem & callosum magis esse quam carnosum. *Fibræ*, quas ambit crinis purpureus, sunt τὰ μηκώνια. Hæc omnino vera in Dioscoride lectio, non κιόνια, aut ἰόνια. Male etiam apud Neophytum εἰκόονα, pro μηκώνια. Ita etiam dicta sunt pinnæ vellera, quæ τελχώματα Hesychius vocat. Ab illo pinnarum capillitio & molli lanositate, tenuis vestis μήκων appellata. Nam & nebatur ejusmodi pinnarum vellus, & vestes ex eo texebantur. Inde vestes *papaveracæ* Latinis pro tenuibus ac delicatis, ut Græcis μήκωνες. Plinius capite de lanarum generibus ac vestium: *crebræ papaveracæ antiquam habent originem jam sub Lucillio poëta in Torquato notatæ.* Vulgo legitur *papaveratæ*. Pro quo vir doctissimus *paveratas* corrigendum putavit, & multis hactenus viris quoque doctissimis persuasit. Vetus & optimus liber vocat *papaveractas* pro *papaveracas*. Vestis *papaveraca* eadem forma ac ratione dicta, ut *lingulaca* piscis: ut *portulaca*, *personaca* herbæ. Quia Græci μήκωνα, vel μηκωνῖτιν vestem vocarunt tenuissimam, ex mecone, sive papavere pinnarum textam, Lucillius, qui ubique ac semper Græcissabat, *papaveracam* delicatam ac byssinam vestem dixit. *Papaveraca vestis*, ἡ μηκωνῖτις, ut *personaca* herba, ἡ προσωπῖτις. Non explicavit Plinius quales illæ vestes fuerint, & unde dictæ. Alio loco tradit, inter papavera genus esse quoddam, *quo candorem lintea præcipuum trahunt.* Mirum est nihil Dioscoridem & alios Græcos de illo papavere prodidisse, quod lineis præcipuum candorem conciliarit. Quia Græci μήκωνα ὕφασμα βύσσινον interpretantur, textum byssinum ac lineum, puto quosdam hoc ita accepisse quasi papaveris esset genus quoddam, ex quo linea & byssina candorem traherent, quæ μήκωνος appellationem ea gratia sortita sint. Et forte Plinius ipse sic interpretatus est, ut in aliis multis fecit, in quibus pariter hallucinatus. Pliniana tamen hallucinatio de certo genere papaveris, ex quo lintea candorem trahere dixit, aliam habet originem. Eam jam invenimus, & ad fontem erroris pervenimus. Lib. XX. cap. XIX, quo genera papaverum persequitur, ita scribit: *Alterum e silvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron, foliis si procul intuearis speciem passerum repræsentantibus, radice in summa terræ cute, semine spumeo ex hoc lina splendorem trahunt æstate.* Totus hic locus e Theophrasti verbis expressus lib. IX. Hist. cap. XIII: ἑτέρα δὲ μήκων ἡρακλεία καλεῖται, τὸ μὲν φύλλον ἔχουσα οἷον στρουθός, ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι. Palam est dicere Theophrastum hoc genus papaveris folium habere simile strutho herbæ, quo lintea dealbantur. Plinius στροῦθον in illis verbis Theophrasti pro passere accepit, atque inde hariolatus est, papaver heraclium foliis esse speciem passerum repræsentantibus. Cum igitur στροῦθον ibi de passere intellexisset, utique & verba illa ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσιν ad papaver ipsum transtulit, atque ex ejus semine lintea candida, ac splendida fieri somniavit. Quod & alio loco repetiit, lib. XIX. cap. I de lino: *Est & inter papavera genus quoddam, quo candorem lintea præcipuum trahunt.* Στρουθὸς idem στρούθιον, herba lanaria, quo lintea, & lanæ in candorem dabantur. Legendum autem in superioribus Plinii verbis: *Heraclium vocatur, ab aliis aphrodes.* In libris scriptum est, *aphrō*. Pro *aphrodes* vitiose editur *aphron*. Eo semine, quia candidum est, lintea dealbari commentus est Plinius. Theophrastus: τὸν δὲ καρπὸν λευκόν. Dioscorides de hoc papavere: τὸ φύλλον σφόδρα μικρόν, στρουθίῳ ἐοικός, καὶ καρπὸν παρ' αὐτοῖς μικρόν. Ita legendum. Plinius vertit: *semine spumeo, ex hoc lina splendorem trahunt æstate.* Atqui non semen ipsum spumeum, sed tota planta: καὶ τὸν ὅλον δὲ βοτάνιον λευκόν ἐστι, καὶ ἀφρῶδες. Hæc ridicula. Distinguendum etiam, ac legendum in Plinio: *Ex hoc lina splendorem trahunt. Æstate conditur.* Dioscorides: τοῦτο ὁ καρπὸς συλλέγεται ὅταν τελείως ἀδρυνθῇ θέρους, καὶ ξηρανθεὶς ἀποτίθεται. Mox lege: *Prodest comitialibus morbis acetabuli mensura.* Locus ille vulgo corruptissimus. Androsthenes ac Juba similem pectini faciunt concham illam, quæ gignit margaritum. Procopius reapse pectinem esse dicit lib. I. Περσικῶν his verbis: λέγουσιν οὖν Πέρσαι εἶναι μὲν ἐν τῷ κτενὶ τὸ μάργαρον τοῦτο ἐν θαλάσσῃ ἢ ἐν Πέρσαις ἐστί. Sic alii pinnæ similem, alii pinnam esse, quidam pectini similem, quidam pectinem esse volunt quæ margaritum fert. Nonnulli etiam μύακα. Sane Plinius in iis conchis, quas myas appellant, reperiri tradit in nostro orbe. Galenus μύακα κόγχην κοίλην interpretatur. Margaritiferæ quoque conchæ κοῖλαι dicebantur. Isidorus: *concharum multa genera sunt, inter quas & margaritiferæ, quæ cœlæ dicuntur, in quarum carne pretiosus calculus solidatur.* Ita legendum olim docuimus, κοῖλαι. Sed male à cœlo deducit hoc nomen. Myaces genus ostreæ quam & κοίλην κόγχην Græci vocavere. Plinius *myaces* in duas species degenerare ait, *in mitulos, qui salem virusque resipiunt: myscas quæ rotunditate differunt.* Gesnerus legebat: *qui scillam utrisque resipiunt.* Certe Athenæus *myas* inter conchas numerans, quosdam ex his esse dicit σκιλλώδεις. Εἰσὶ δ' αὐτῶν ἔνιοι, καὶ σκιλλώδεις, κακόχυλοί τε καὶ πρὸς τὴν γεῦσιν ἀπειθεῖς. Ergo hi sunt, quos *mitulos* appellat Plinius, qui scillam resipiunt. Minores *myscas* appellat, quæ hirtæ sunt. Athenæus: οἱ δὲ ἐλάττονες τούτων καὶ δασεῖς ἔξωθεν οὐρητικώτεροι μέν εἰσι καὶ εὐχυλώτεροι τῶν σκιλλωδῶν. Hæ sunt, quæ Plinio dicuntur *myscæ*. Sed legendum *myiscæ*, hoc est, μυΐσκαι. Idem Athenæus distinguit inter τοὺς μύας, & τὰς μύας. Majores illos facit, has minores. Hoc in multis obtinet animalibus, ut majores sint mares. In plantis quoque quæ discretione sexus censentur, majores habitæ masculæ. Hinc *mariscus juncus* pro majore, idem qui & masculus. Nam *mas*, *mariscus* ὑποκοριστικῶς, ut Syrus *Syriscus*, Pan *Paniscus*, scortum *scortiscum* & similia. Sic *ficus marisca*, quæ majores sunt, & masculæ. Rationem horum vocabulorum nemo hactenus intellexerat. Αἱ μύες faciunt diminutivum, μυΐσκαι: οἱ μύες, masculi & majores, ὑποκοριστικὸν, μυΐσκοι. Meminit etiam Plinius *myiscorum*, id est, parvorum μυῶν. Nugantur viri doctissimi, qui *musculos* vertunt. Male etiam Plinio vocantur *mysci* pro myïsci. Inde nomen proprium pueri Μυΐσκος versibus Meleagri celebratum. Μύας Plinius vertit *mytilos*, & *scillam* resipere dicit. Σκιλλώδεις nimirum legebat in Græco, pro σκυλώδεις, vel σκυλλώδεις, quæ vera est lectio. Atque ita plane in epitome Athenæi scribitur. Σκυλώδη Græci vocant omnes carnes, quæ cum difficultate manduntur, atque inter dentes trahuntur, ut coria. Inde & *coriaceum* vulgo vocamus, quod Græci σκυλῶδες. Hoc sensu, μύες σκυλώδεις καὶ πρὸς γεῦσιν ἀπειθεῖς. Idem de purpura: τροφιμώτεραι δὲ τούτων εἰσὶ καὶ ἀπολαυστικώτεραι αἱ τῆς πορφύρας μήκωνες πλὴν σκυλωδέστεραι ὑπάρχουσι: καὶ γὰρ ὅλον τὸ κογχύλιον τοιοῦτόν ἐστι. Tale est totum conchylium carne dura ac coriacea. Idem lib. III. Ὁ δὲ σκόμβρος κοῦφος καὶ ταχέως ἀποχωρῶν τοῦ στομάχου, ὁ κολίας δὲ σκυλωδέστερος, δηκτικώτερος καὶ κακοχυλότερος. Ubi etiam male σκιλλωδέστερος legitur. De odore malo ac viroso scillamque resipiente non accipiendum hoc nomen, sed est quod diximus, σκύλον est corium, unde σκυλοδέψης coriarius. Fortassean & Plinius ita in Græco legerit, quod ad virus & tetricum odorem coriorum retulit. Nec enim possum probare conjecturam Gesneri legentis, *scillamque & virus redolent.* Nam libri omnes veteres retinent *salem*. Quod virus redolere ait, τὸ σκυλῶδες expressit: quod salem, τὸ ἁλυκόν. Athenæus de purpuræ carne: τὸ δὲ λοιπὸν αὐτῶν ἁλυκόν, id est, *salem redolens.* Τὸ σκυλῶδες igitur de malo odore accepit, qualis est è coriis. Inde illud Petronii: *haud melius olere*

olere possunt, quam qui in coriaria habitant. Vulgo edunt: *in culina habitant.* Culinam scio multis non male olere. At veteres libri legunt: *in coria* pro *coriaria*: ἐν τῷ βυρσοδεψείῳ. Ceterum σκυλῶδες id est quod diximus. De malo odore, ac viroso tam ostrearum quam salsamentorum & carnium τὸ βρομῶδες, & ἔμβρομον Græci plerumque usurpant. Μύες generalis appellatio hujus ostrei. Qui majores in eo genere sunt, μυάκες dicebantur, ut minores μυΐσκοι, vel μυΐσκαι. Qui *musculus* Latine vertunt, nugantur. *Mytilos* qui volet eos Latine dicere, dicat. Ea vox idem sonat. Miratus sum Ennium in *hedypatheticis*, cum versus Archestrati verteret, μῦς reddidisse *mures*, quum sint *myes* retento Græco vocabulo, vel *mytili* Latine.

Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος.

Ita vertit Ennius versibus, quæ apud Apulejum leguntur:

Omnibus ut Clupea præstat mustella marina
Mures sunt Ænid, aspra ostrea plurima Abydi.

Sic legendi hi versus. Sic infra:

Surrentid Elopem fac emas, Glaucum ad Cumas, quid?
Scarum præterii cerebrum Jovis pæne supremi.

In optimis Florentinis scriptum est:

Surrenti Telorum fac emas.

Ex quo facimus:

Surrentid Elopem fac emas.

Ita:

Mures sunt Ædin, aspra ostrea plurima Abydi.

Aliter non stat versus. In iisdem Florentinis codicibus & aliis omnibus, quos vidimus, sequens versus ad hunc modum concipitur:

Mitylenæ est pecten, caradrumque apud Ambraciæ fines.

Græca Archestrati sic habent:

---- τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη.
Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει καὶ ἀπλᾶς τε μετ' αὐτῶν.

Ita legenda hæc, quæ vulgo corrupta. Ἀπλαῖ sunt soleæ. Ita vocat piscem ex planorum genere, quem & Græci σανδάλιον dixere, Latini *soleam*. Vulgo est:

---- καὶ ἄπλατα μετ' αὐτῶν.

Ambracia multos pectines præbet, & cum his etiam soleas. Hesychius ἄπλαυτα exponit ῥυπαρά. Quid si lusit in nomine pectinis Archestratus? *Pectines* sunt marinæ conchæ ex ostrearum genere. Et *pectines* sunt quibus sordes è capite decutiuntur. Multos pectines præbere ait Ambraciam, sed & sordibus præterea abundare, licet apud eos abundent pectines. Eodem modo lusit infra & in κηρύκων nomine, quo præcones vocantur & genus ostreæ:

---- τοὺς κήρυκας δ' ἐπιτρέψαι
Ὁ Ζεὺς τοὺς τε θαλασσογενεῖς καὶ τοὺς ἀγοραίους.

Sed ἄπλαντα pro ἄπλωτα legi apud Hesychium mendose arbitror. Nam ἄπλωτα sunt ῥυπαρά, & illota. Nunc videamus Ennii verba:

Mitylenæ est pecten, caradrumque apud Ambraciæ fines.

Omnino puto corrigendum:

Mitylenæ est pecten, charadrumque apud Ambraciaï.

Versus huic similis infra:

Melanurum turdum, merulamque, umbramque marinam.

Et apud Virgilium:

Fluviorum rex Eridanus.

Mitylenæ pectinem esse, eumdemque plurimum in Ambracia haberi dixit Archestratus, quem hic sequitur Ennius. Frustra igitur sunt viri docti qui reposuerant in Latino.

Est Mitylenæ pecten aperque apud Ambraciæ amnes.

Nulla κάπρου mentio in Græcis, quamvis ex Latino in Græcum id restituere voluerit vir doctissimus. *Charadrus* Græce, vel *charadra* fossam significat, vel portum fossitium. Virgilius:

Hic portus alii effodiunt.

Ibi Servius: *Et vere ait: nam Carthaginenses cothone fossa utuntur, non naturali portu.* Latini *cothones* vocarunt portus manu factos & effossos. Festus: *Cothones appellantur portus in mari interiores arte & manu facti.* Atqui *cothon* pro portu fossitio vix Latinum videtur. Ita vocabatur parva insula Carthaginis, quæ vicem portus præbebat, & navalia habebat. Strabo lib. XVII de Carthagine: ὑπόκεινται δὲ τῇ ἀκροπόλει οἵ τε λιμένες, καὶ ὁ κώθων νησίον περιφερές, εὐρίπῳ περιεχόμενον, ἔχον νεωσοίκους ἑκατέρωθεν κύκλῳ. κτίσμα δ' ἐστὶ Διδοῦς. Facticia hæc insula, & euripo circumdata, id est, canali manu facto. Forte Κώθων dicta voce Græca, quod rotunda esset instar poculi. Stephanus κώθωνα tradit esse νῆσον οὐ πόῤῥω Κυθήρων. Et citat Artemidorum. Vereor ut de hac intelligendum sit. Nam de illa altum apud veteres silentium. Potest & videri dicta ab eadem similitudine. Ex illo portu Carthaginiensi Cothone, alii, ut videtur, portus manu facti sic dicebantur, si fides est Festo. *Fossas* etiam appellarunt Latini. Hodie quoque apud Nannetes portus *fossa* dicitur, Græcis χάραδρος. Hinc in Cilicia χάραδρος λιμὴν καὶ ἐπίνειον. At χάραδρος vel χαράδρα fossa est. Glossæ: χαράδρα, *fossa*, *vallis*. Hesychio χαράδραι αἱ χαράξεις τοῦ ἐδάφους, καὶ οἱ κοῖλοι τόποι. *Charadrum Ambraciæ* pro portu dixit Ennius, in quo multi capiebantur pectines. Nec mirum eam vocem Græcam usurpasse, quum titulum libro Græcum fecerit ἡδυπαθητικά. Ita enim legendum pro *hedyphagetica*. Forte & portus Ambraciæ eo nomine vocabatur. Illud *fines* ex glossa manavit, qua *charadrum Ambraciæ* aliquis exposuerat fines. Nam & glossæ veteres charadram *cancellum* interpretantur: *cancellus*, χαράδρα. At *cancellos* pro finibus & limitibus passim Latini usurparunt. Cassiodorus: *Intra Tusciæ cancellos*. Hinc *cancellatio* pro limitatione apud auctores rei Agrimensoriæ, & *ager cancellatus* delimitatus. Hæc est proprie χαράδρα, quæ χαράξιν τοῦ ἐδάφους significat, id est, cancellationem. Legendum igitur: *charadrumque apud Ambraciai*. Nisi quis malit, *Ambraciensis*, vel *Ambraciensem*. Sed illud verius. In fine eorum versuum scribendum:

Polypus Corcyræ, calvaria, pinguis acarne,
Purpura, muriculi, mures, dulces quoque echini.

Hæc omnia Corcyræ esse dicit. *Acarne* nomen piscis Plinio. Ἀκάρναξ, λάβραξ Hesychio. Ut C & T sæpe invicem mutantur, puto eumdem esse piscem, qui *atarna* dicitur in glossis: *Atarna*, εἶδος ἰχθύος. At in regio codice apud Agellium in his Lucilii versibus sic legitur lib. X. cap. XX.

---- *Abdomina thynni*
Advenientibus priva dabo, cephalæaque carne.

Pro *acarne*, ut videtur. Et forte etiam scribendum in versu Ennii:

---- *calvaria pinguia acarna.*

Muriculi sunt parvi murices. At *mures* iterum hic posuit ἀντὶ τῶν μυῶν. Quod sane miror. Nam *mures* Latine nihil aliud sunt. At *myes*, vel *myaces* sunt ostreæ, quæ nihil commune habent cum muribus. Male etiam vir doctissimus apud Arrianum in Indicis μύας θαλασσίους *mures marinos* vertit, quum sint mytili marini vel myes: καὶ λέγει ὅτι μύας τε ἐθήρων τοὺς θαλασσίους στερεωτέρους, καὶ ὄστρεα δὲ τοὺς σωλῆνας καλεομένους. Infima Græcia μύδιον θαλάσσιον dixit pro μυΐσκῳ. Neophytus: μύαξ, μύδιον θαλάσσιον. Symeon magister: μυάκια ὀστρακώδη τὰ κοινῶς μύδια. Sed inquies, cur θαλάσσιοι μύες dicuntur, nisi ut distinguantur ἀπὸ τῶν χερσαίων. Nulli autem terrestres μύες, nisi mures accipias. Non ita est. Μύες θαλάσσιοι ea gratia dicti ut à fluviatilibus discernantur. Etenim in amnibus etiam parvi mytili reperiuntur. Immo in rivulis quibusdam sæpe ipse vidi, in quibus piscium minutiæ capiebantur. Sed hæc alibi. Mus marinus Plinio aliud est. Sed errore ac culpa Plinio *mus* ille dicitur quæ est ἐμύς. *Mus marinus in terra scrobe effosso parit ova, & obruit terra. Rursus tricesimo die refossa aperit, fœtumque in aquam ducit.* In Græcis ἡ δ' ἐμύς. Quod ille accepit, ἡ δὲ μῦς, & murem marinum interpretatus est. Animal est aquaticum testudini simile: quod etiam in terram exit. De quo plura in nostro commentario de Musicis instrumentis. Nec melius neoterici interpretes, qui τὴν ἐμύδα reddunt *murem aquatilem*. Quasi ἐμῦς, & μῦς idem sit nomen, idemque animal. Idem plane est error. Mures quidem sunt aquatiles, qui etiam juxta aquas vivunt & natant, sed piscium in numero non censentur, & pilo vestiti sunt. *Mures piscatores* vulgo eos indigetamus, & similes sunt iis muribus, quos *rattos* vocamus, amnes natando sæpe transeunt, sed in amnibus non degunt. In ripæ foraminibus sedes suas habent, & ἀμφίβιοι sunt, ut lutræ & fibri. *Myes* conchæ dictæ sunt ἀπὸ τοῦ μύειν, quod

quod claudant se atque aperiant quando libet, ut faciunt omnes conchæ duplices ac bipatentes. Quod ex istis conchis, quæ μύες appellantur, ligulæ fierent & cochlearia, inde μύστρον pro ligula, ἀπὸ τῆς μυός. Nam & μυάκιον quoque *ligulam* dixerunt ex myace. Glossæ: μυάκιον, *ligula*. Zosimus: πρῶτον βαλὼν ἔλαιον ἐν μυάκι θέρμαινε χρίων. Ab eadem origine μυστίλη & μύστιλος. Ita vocarunt panem cavatum ad excipiendum & hauriendum jusculum. Grammatici exponunt: κοῖλον ψωμὸν εἰς ἔτνος καὶ ζωμὸν βαθυνθέντα. Manus concavum hoc etiam nomine nuncuparunt. Siculi quoque τὸν μύα, vel τὸν μύακα concham sic vocitarunt. Sed consuetudine sua loquendi μύτιλον dixere pro μύστιλον: ut μύτακα pro μύστακα; ut ἔτακα pro ἔστακα, & similia. Certè μύστιλος & μύαξ vel μῦς idem & ab eadem origine. Κοίλην κόγχην Græci exponunt. Ab ea similitudine & κοῖλον ψωμὸν & κοῖλον τῆς χειρὸς appellarunt. Sed & *ligulam* sic nuncuparunt ab eadem figura, quod ligulæ vicem atque usum sæpe præberet myacis concha. Μύστιλος igitur idem quod μύαξ. Μυστὸς ἀπὸ τοῦ μύω est *clusilis*. Inde μύστρα, & μυστίλαι, vel μυστίλοι *clusiles conchæ*, quæ dictæ quoque sunt *myaces*, vel *myes*, ab eadem causa. Plinius: *Inest iis esca, mordaces clusilesque conchæ, ceu mytilos videmus.* Clusilis concha est μυστή, quam & μυστίλον etiam dixere. Unde Siculum μύτιλος, & Latinum *myttilus*, vel *mytilus* pro myace. Alii πελλίνας Græcorum *mytilos* interpretantur. Athenæus: τὰς πελλίνας λεγομένας, ἃς Ῥωμαῖοι μύτλους ὀνομάζουσι. Μύτλος *mytlus* pro *mytilus*: ut *stlus* pro situlo. Sic etiam *mutlos* pro mutulis ædificiorum dixere. Μῦτλον apud Eusthatium. Glossæ quoque nostræ πελλίνας interpretantur *mytilos*. Πελλῖναι *mytili*. Sed *myttili*, ut dixi, sunt μυστίλοι, vel μυστίλοι. Non in uno igitur genere concharum nascitur margarita. Pinnæ, pectines, & myaces diversæ sunt concharum species, in quibus margaritum gigni veteres prodidere. In hoc quoque tempore non una concha lapidem hunc generat. Omnium præstantissimæ ad gignendas margaritas hodie habentur eæ conchæ, quæ leves sunt & candidæ. Eædem porro sunt quas pinnis similes, aut pinnas dixere antiqui. De his Androsthenes intelligendus, qui λεῖον ὄστρακον καὶ δασὺ conchæ margaritiferæ tribuit, testam levem & hirsutam. Ab his πιννικὸν dictum margaritum, quibus & πίννινον ἔριον, quo concha illa comata & hirsuta est. *Penico* pro *pinicum* dixere barbari, & mutatione sollemni N in R *perico*, & transpositione *cheripo*. Ita Persæ hodie atque Indi vocant hoc genus levis conchæ. Alia est species, quam vulgo μαργαρόμητραν appellant, id est, *matrem perularum*, quæ major est supra dicta, quæque parte exteriori scabra est & impolita & rugis insecta. *Chanquo* nominatur ab indigenis pro *concha*. Nec enim dubito quin illud *chanquo* ex *concha* fluxerit. Hæc pectini similior quàm pinnæ. De qua intelligit Plinius, qui Juba auctore pectini insecto eam similem prædicat, hoc est, κτενὶ διεγεγλυμμένῳ. Tales enim pectines, τραχυόστρακοι, ῥαβδωτοὶ, asperi ac virgulati & striaturis insecti. Nec enim aliud significat Plinio *insectum*, quam incisum. Et falluntur qui contrario sensu accipiunt. De altera igitur concha Androsthenis verba capienda sunt, qui pectini quidem similem, sed levem esse ait concham margaritariam. De altera Plinius, qui ex Juba refert pectini insecto similem esse. Procopius κτένα vocat concham margaritiferam. Nam pecten, ut Græci dicunt, διέγλυπται, hoc est, rugis ac striaturis insectus est, & asper. Ab ultima usque antiquitate Persas & Indos voces illas retinuisse, quas, ut verisimile est, à mercatoribus Romanis atque Ægyptiis didicerant, non est mirum. Commercium hoc fecit, & frequentia commeandi ad illos, ut pleraque vocabula hauserint à negotiatoribus, dum ea sæpius nominari audiunt. Indi hodie magni faciunt adamantes *de rupe veteri* cognominatos, præcipue quos natura perfecit, nulla arte politos. Hos vocant *naifes*. Plane sunt *nativi* adamantes. Quis enim ambigere queat, quin ex Latino dictio illa descenderit? Sic *nativus* hyacinthus Epiphanio inter genera hyacinthorum manu & arte non elaboratus, vel à nativo colore. Sic *nativi lapilli* Propertio calculi vel gemmæ natura tantum, non arte politæ:

Littora nativos per se dent picta lapillos.

Et *nativus tophus* Juvenali. *Nativi lapilli* in spongiis apud Plinium. *Nativus torus* Propertio:

---- *nativo creverat herba toro.*

Infinita hodie habent vocabula Persæ, quæ de Græco manasse is demum potest dubitare qui omnia ignorat. Rubinum vocant *yacut*, ex nomine ὑάκινθος. *Band* dicunt fasciam. Id ex Græco βάνδον postremi imperii, quod à Latino factum est *bandum* τὸ φλάμουλον. Hinc *bandum* pro vexillo. Glossæ: *Bandon*, σίγνον. Inde & nos Francoceltæ *bandam* pro fascia dicimus, & *bandare* pro fasciare, quod tamen à Persis non didicimus, sed inde prorsus, unde & Persæ, habuimus. Notavi aliquando calculorum ludum Græcis recentioribus ζατρίκιον appellari, eamque dictionem origine Græcam esse demonstravimus. Idem quippe ζατρίκιον quod ζατρίον, vel ζατρεῖον. Quid esset explicavimus. Id non placuit viris quibusdam eruditis, qui à Persico vocem illam deducere maluerunt, quibus *xatreng*, vel *xatrang* hodie appellatur latrunculorum ludus. Adeo inquam hæc observatio cuidam bella visa, ut palmariam censeat. Mihi contra videtur. Potius crediderim Persicum illud *xatreng* ex Græco ζατρίκιον fictum fuisse, quam Græcum ex Persico. Ζατρίκιον dictionem esse mere Græcam præter illa, quæ ibi tum adnotavimus, Lexicon vetus regiæ bibliothecæ id mihi postea confirmavit, in quo ita legi: Ζατρίκιον, ὁ κῶσπος τὸ τῶν δούλων κολαστήριον. Hæc est *mandra* in ludo calculorum apud veteres:

Mandris & vitreo latrone clausos.

Et in Lucani Panegyrico de calculis, sive latrunculis:

Ut citus & fracta prorumpat in æquora mandra.

Hoc est ζατρίκιον. Postremo quis nescit hujus ludi inventionem Græcis deberi? A Græcis igitur ad Persas res ipsa cum nomine transiit. Hispani *axedres* vocant hunc eumdem lusum, voce indidem formata ac detorta, nempe ex ζατρίκιον. Hoc argumento vel vinci potest id nomen non esse Persicum. Nec enim à Persis id habuere, sed à Mauritanis, qui voces pæne innumerabiles è Græco ac Latino in suam linguam traduxerunt. *Alzatrec* cum articulo videntur appellasse τὸ ζατρίκιον, unde Hispanum *axedres*. Pauca admodum sunt herbarum, arborum, gemmarum, siderum Arabica, quæ non ex Græco detorta sint, ut sciunt ejus linguæ periti: & nos quædam observavimus, quæ illos fugerunt. Persæ in eo ludo latrunculorum & *rocham* dicunt, quæ nobis *rocca* est infimæ nempe Latinitatis vocabulum pro rupe. *Piada* quoque nominant pro pedite. Quæ non magis sunt origine Persica quam ipsius ludi appellatio, quem *xatreng* ex Græco ζατρίκιον nuncuparunt. Nec Persicam ab antiquo originem melius redolent eæ voces, quibus hodie Persæ matrem, fratrem & sororem appellant: quas & Germanicæ dialecto communes esse miratur Scaliger. Ego non miror. Nam & Persæ à Græcis eas acceperunt: Germani à Latinis, qui easdem habuere cum Græcis. Germanos quoque plurima è Græco mutuatos esse constat, ut alibi ostendimus. Persæ lac vocat *xir*: non omne lac fortasse, sed id quod lactis more manat primo, deinde concrescit ut gummi, ut lac Cyrenaïcum, lac hammoniacum quod dixere λεοντόγαλα. Sic *lac mambu*, quod ipsi vocant *tabaxir*, est saccharum salis instar concretum. *Xirquest* quoque apud eosdem genus mannæ. De qua diximus supra. Græci ξηρὸν & ξηρίον id appellant. Atque inde Persicum. Omnia quippe gummi genera Græcis ξηρία dicuntur. Chimicis auctoribus electrum, vel succinum τέλειον ξηρίον vocatur. Lexicon eorum: Ἤλεκτρον, τέλειον ξηρίον. Iisdem Persis *feruza*, aut *firuza* nomen est gemmæ. Ea nostra est turchesia. Sed ex Græco sumptum vocabulum. Jaspis ἀερόεσσα, vel ἠερόεσσα, & contracte ἠερῶσσα: unde Persicum *firuza*. Ἀερόεσσα autem jaspis, quæ cælini coloris est, plane eadem cum nostra turchesia. Inde etiam factum Arabicum *feruzegi*, ex ἀερίζουσα corruptum. Quidam smaragdum interpretantur, alii sapphirum. Verum iidem Arabes smaragdum vocant *zamardum* ex Græco infimæ ætatis ζμάραγδος. Servius: *Alii tradunt jaspidem in zmaragdum transire.*

Sic *ζμίλαξ* herba pro *σμίλαξ* apud Harpocrationem Alexandrinum in Lexico *περὶ φυσικῶν δυνάμεων* nondum edito. Cognatio igitur jaſpidis cum ſmaragdo, ut etiam teſtatur Theophraſtus: *δοκεῖ δὲ*, inquit, *ἡ σμάραγδος ἐκ τῆς ἰάσπιδος γίνεσθαι.* Jaſpis autem cælini, vel aërini coloris plane eſt turcheſia. Sic ex Græco *ζατρίκιον* Perſica vox *xatreng*.

Quæ certo anni tempore luxuriante conceptu ſitiunt rorem velut maritum.] Hæc omnia ut Solinus è Plinio, ita Ammianus è Solino mutuatus atque imitatus eſt. Plinius: *Has ubi genitalis anni ſtimulavit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione, impleri roſcido conceptu tradunt.* Ammianus: *Apud Indos & Perſas margaritæ reperiuntur in teſtis robuſtis & candidis permixtione roris anni tempore præſtituto conceptæ.* Expreſſit *maritum rorem* Solini, quum dixit *permixtione roris* margaritas concipi. Sic *maritus imber* apud auctorem Pervigilii Veneris:

Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Mox legendum apud eumdem Ammianum: *cupientes enim velut coitum quemdam humoris ex lunari aſpergine concipiunt denſius oſcitando.* Legit nimirum in Solini verbis, ſicut hodie editum eſt: *& cum maxime lunares liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem cupitum, ſic concipiunt, gravidæque fiunt.* Male in Ammiano legitur: *capiunt denſius oſcitando*, pro concipiunt: *concipiunt oſcitando, exindeque gravidæ edunt.* Nihil certius quam eum totam illam de margaritis hiſtoriam ab hoc Solino hauſiſſe, cujus ipſamet verba uſurpavit, non rem tantum ſumpſit. Solinus pro illis, *& maxime quum lunares liquuntur aſpergines*, ſcripſerat in priore *ἐκδόσει*, *& cum maxime liquitur lunaris imber.* Quam ſcripturam in pleriſque vetuſtis codicibus inveni. Poſſit & videri hæc lectio recognitæ, & poſterioris editionis eſſe. Nam ex multis animadverti Ammianum incidiſſe in priorem, atque ea uſum eſſe tantum. Sed in optimo regio ad marginem notata eſt, ut ceteræ omnes quas ex priore editione acceptas antiquarius illius codicis diligenter in ora deſcripſit. Quærendum porro quid Solinus intellexerit *lunarium aſperginum*, aut *lunaris imbris* appellatione? Roſcido conceptu eas gravidas fieri dixit tantum Plinius, & pro qualitate roris, quem acceperint, aut candeſcere partum, aut turbidum eſſe, aut palleſcere. Non dubium eſt quin rorem Solinus *lunaris aſperginis* nomine deſignaverit. Alcmani *δρόσος* appellatur *ἀέρος θυγάτηρ καὶ σελάνας.* Vetus poëta in Pervigilio:

Humor ille, quem ſerenis aſtra ſudant noctibus.

Rorem intelligit. Veteris poëtæ fragmentum *rorifluam lunam* appellat:

Quam nos rorifluam ſectemur carmine lunam.

Poëma illud non rectiore judicio tribuitur Varroni Atacino quam Pervigilium Veneris Catullo. Utriuſque carminis auctor non longe fuit ab ætate Solini. De quo alibi. *Lunaris* igitur *aſpergo*, aut *lunaris imber* Solino, qui Plinio *ros* dicitur. Quæ importuna cacozelia eſt, & nimis poëtica loquutio. Ros matutino ac veſpertino tempore maxime cadit, & quidem ſæpe quum luna nondum ſupra terram conſpicitur, & quum jam ſub terram in occaſum abiit. Ros ille non poteſt à lunari aſpergine manare, nec lunaris imber dici. Hæc inepta ſunt. Et ſane conchas margaritarias æſtatis tempore noctu præcipue oſcitare & pandi, per diem vero comprimi tradit Iſidorus Characenus: *θέρους δὲ τὰς μὲν νύκτας κεχηνῶσι διανηχόμεναι, ἡμέρας δὲ μύουσι.* Ergo hiant ad nocturnum illum humorem, lunaremque imbrem excipiendum, quo gravidæ fiunt. Ita Plinius interpretatus eſt, aut ille unde ſumpſit. Iſidorus de margaritariis conchis: *De quibus tradunt ii qui de animantium naturis ſcripſerunt, quod nocturno tempore littora appetunt, & ex cæleſti rore margaritum concipiunt: unde & cœlæ nominantur.* Quod eſt ridiculum. Nec enim perſpicere aut mente comprehendere poſſim, quomodo conchæ in medio mari totæ intra aquam conditæ rorem illum cupitum haurire queant, qui de cœlo cadit. Per noctes *διανύχεσθαι* eas ait Iſidorus. Sed non in ſummo natant æquore, nec extra aquam totas ſe pandunt, ut illis influere poſſit humor ille nocturnus. Pleræque ſaxis & ſcopulis adhæreſcunt, fixæque radices agunt, totæ mari tectæ. Quæro an ad eas pervenire poſſit ros matutinus, aut veſpertinus, ut inde concipiant? Atqui illæ quæ *ῥιζοβολοῦσι* plurimum & maximum nutriunt margaritum auctore eodem Iſidoro. Adeo autem in penitis ac profundis marium conchæ ſedes ſibi collocant, ut ad eas exquirendas urinatores ſæpe in mare deſcendant viginti orgyiarum altitudine. Iſidorus de urinatoribus concharum: *διόπερ σχεδίας καλαμίνας πέριξ εἶναι τῆς νήσου, ἐξ ὧν καθαλλομένους εἰς τὴν θάλασσαν ἐπ᾽ ὀργυιὰς εἴκοσιν ἀναφέρειν διπλοῦς κόγχους.* Quibus in verbis Latine vertendis ridiculus eſt non una vice doctus interpres. *Σχεδίας καλαμίνας* reddit *caſas ex arundine.* At ſunt ſcaphæ ex arundine. Tam craſſæ quippe & magnæ in India naſcuntur arundines, ut ex earum ſingulis internodiis fiſſis naviculæ fiant binorum aut ternorum hominum capaces. De his ſupra diximus. Has *καλαμίνας σχεδίας* vertit Iſidorus. Reliqua ſic vertit interpres: *è quibus in mare deſiliant ad ulnas viginti, conchas tantum duplices reportaturi.* *Διπλοῦς κόγχους* pro duabus conchis accepit, ut *duplex* pro duobus, *ſimplex* pro uno vel unico ſæpe ponitur. At *διπλοῦς κόγχος* concha margaritaria dicitur, etiam ſi unica ſit. Duplices conchæ ſunt quas Philoſophus vocat. Ex eorum numero ac genere margaritifera. Ut ad rem redeamus: ſcribit idem Iſidorus per tonitrua frequentia, & imbrium effuſionem, magis parere concham, & plurimum gigni margaritum: *φασὶ δ᾽ ὅταν βρονταὶ συνεχεῖς ὦσι, τότε μᾶλλον τὴν πίνναν κύειν, καὶ πλείστην γίγνεσθαι μαργαρίτην.* Poſt tonitrua maximi ſæpe excidunt imbres, qui genituræ margaritarum proficiunt, non quod imbres illos hauriant conchæ, atque humore inde accepto gravidæ fiant: qui enim id pote? ſed quadam occulta naturæ vi ac proprietate. Eadem certe qua & tubera tum maxime naſci & grandeſcere traditum eſt, quum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, & præcipue à tonitribus. Juvenalis:

---- traduntur tubera ſi ver
Tunc erit, & faciunt optata tonitrua cœnas
Majores.

Id verum eſſe magiſtra experientia docuit, & adteſtantur illi apud quos naſcuntur tubera. Matron *παρῳδὸς* oſtreas maris tubera eleganter appellavit:

Ὄστρεα τ᾽ ἤνεγκε Θέτιδος Νηρηΐδος ὕδνα.

Tertullianus *maris poma* conchas indigetat: *Sed ſi quid de mari Britannico aut Indico ambitio piſcatur, conchæ genus eſt, non dico conchylio aut oſtreo, ſed nec peloride gratius de ſapore. Ad hoc enim conchas noverim, maris poma.* Hæc obiter. Plinius contra Iſidori ſententiam tonitrua concharum partui officere dicit. Etenim pavore attonitas abortivos fœtus edere, ſpecie tenus inania & inflata quædam margaritarum ſimulacra ſine corpore. In aliis multis non convenit Iſidoro cum Plinio circa margaritarum hiſtoriam. Tradit Plinius craſſeſcere in ſenecta margaritas conchiſque adhæreſcere, nec his avelli poſſe niſi lima. Contra ea Iſidorus principio conchæ margaritam adhæreſcere, & quamdiu adhæreſcit, incrementum capere per ſolidum conchæ: *παρ᾽ ἣν ἡ μαργαρίτης γεννωμένη αὔξεται διὰ τοῦ στερεοῦ τῆς κόγχης καὶ τρέφεται ὅσον ἂν ᾖ προσπεφυκυῖα χρόνον.* Nutriri ait, & grandeſcere quamdiu conchæ adnexa eſt: procedente deinde tempore, carne ſubnaſcente ad ipſam radicem, & molliter reſectam à concha margaritam ſeparante, ubi eam complexa eſt totam, non amplius poſt illa alimentum capere & augeſcere, ſed lucidiorem fieri & levorem acquirere: *προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου παρὰ τὴν ἔκφυσιν ὑποδυομένη ἡ σὰρξ καὶ μαλακῶς ἐκτέμνουσα χωρίζει τὴν μαργαρίτην ἀπὸ τοῦ κόγχου, ἀμπέχουσα μὲν οὐκέτι τρέφει, λειοτέραν δ᾽ αὐτὴν καὶ διαυγεστέραν ποιεῖ.* Immerito voce ea *ἀμπέχουσα* torqueri ſe fatetur vir eruditus. Caro oſtrei, ubi margaritum à concha ſeparavit, & totum intra ſe recepit, recte *ἀμπέχειν* illud dicitur. Nec enim tum totum illud comprehendebat & amplectebatur cum concha adhæreſceret. Lectum Plinio fuiſſe Iſidorum Characenum in hiſtoria margaritarum vel inde conſtat, quod quædam ex eo pæne verbatim reddidit. Præterea

terea auctorem eum citat in hoc ipso libro. Index libri hujus: *Juba Rege*, *Polybio*, *Onescrito*, *Isidoro*. Intelligit Isidorum Characenum. Nunc loca comparemus, quæ ab Isidoro illo habet: *Concha, quum manum vidit, comprimit se, operitque opes suas gnara propter illas se peti, manumque si præveniat, acie sua abscindit.* Isidorus: κινδυνεύουσι δ' οἱ θηρῶντες μαργαρίζας, ὅταν εἰς κεχηνυῖαν κόγχον κατ' εὐθὺ ἐκτείνωσι τὴν χεῖρα· μύει γὰρ τότε, καὶ πολλάκις οἱ δάκτυλοι αὐτῶν ἀποπρίονται. Plinius: *Miror ipso tantum eas gaudere cœlo, sole rubescere, candoremque perdere ut corpus humanum. Quare præcipuum custodiunt pelagiæ altius mersæ quam ut penetrent radii.* Isidorus: ἡ μὲν ἐμβύθιος πίννα διαυγεστάτην ποιεῖ, καὶ καθαρωτέραν, καὶ μεγάλην γονὰς μαργαρίτην. Ἡ δὲ ἐπιπολάζουσα, καὶ ἀνωφερὴς διὰ τὸ ὑπὸ τῆς ἡλίου ἀκτινοβολεῖσθαι δύσχροος καὶ ἥσσων. *Pelagias* vocat Plinius, quas Isidorus ἐμβυθίας, quæ in fundo maris ac penetralibus ipsis sedes habent. Libri tamen Pliniani eo loci scribunt: *Qua re præcipuum custodiunt pelago altius mersæ quam ut penetrent radii.* Insulæ πελάγιαι dicuntur, quæ in alto mari longe à continenti distant. Πελάγιοι ἐμπλέειν dicuntur naves, quæ in alto mari velificant, non quæ oram legunt. Sic *pelagiæ* purpuræ, quæ in finibus degebant longe à littoribus. Aristoteles de purpuris: αἱ μὲν ἐν τοῖς κόλποις μεγάλαι καὶ τραχεῖαι. Hæ sunt quæ *pelagiæ* dicebantur. Αἱ δὲ, inquit, ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς καὶ περὶ τὰς ἀκτὰς, τὸ μὲν μέγεθος εἰσι μικραί. Sic littorales pelagiis opponuntur: τὰ περίγεια τοῖς πελαγίοις. Theophrastus marinum fucum & Cretensem, qui in alto mari colligitur, non in littore ut alia algarum genera, πελάγιον vocat: ταῦτα μὲν ἐν οἷον περίγεια περὶ γε τὴν θάλατταν, τὸ δὲ πόντιον φῦκος ὃ οἱ σπογγεῖς ἀνακολυμβῶσι, πελάγιον. Interpretes vertunt: *alga vero proveniens in alto quam spongiarii pelagicam deferunt.* Absurde. Vertendum est: *Marinus autem fucus, quem spongiarii urinando expiscantur, in alto mari nascitur.* Πελάγιον est quod in alto nascitur longè à littoribus. At Plinius *pelagias* generali appellatione vocatas vult omnes purpuras quarum genera plura facit. Et *pelagias* quidem purpuras dictas significat, quod in alto mari degerent, ad differentiam buccinorum, quæ petris tantum adhærent, circaque scopulos leguntur. Verba ejus sic continuanda, quæ perperam capitibus secta divelluntur: *Buccinum nonnisi petris adhæret, circaque scopulos legitur: purpuræ nomine alio pelagiæ vocantur.* Plane innuit purpuras alio nomine propriè vocatas *pelagias*, quod in alto mari caperentur, quum buccina circa scopulos & petras, quibus adfixa sunt, legantur. Hinc alibi passim *pelagium* pro purpuræ medicamento ponit, cui buccinum opponit cap. XL. *Pretia medicamento sunt quidem pro fertilitate littorum viliora: non tamen usquam pelagii centenas libras quingentos nummos excedere, & buccini centenos sciant qui ista mercantur immenso.* Ita legendus ille locus. Centenæ libræ pelagii quingentis nummis venibant. At buccinum longe purpura vilius. Ideo centenæ ejus libræ centenis nummis dabantur. Sic libræ singulæ pelagii quinque nummis, buccini nummo uno exponebantur. Sequitur: *sed alia sunt e fine initia.* Liber vetus habet: *sed aliæ finem initia.* Scribe: *sed alia è fine initia, juvatque ludere impendio, & luxus geminare miscendo utrumque, & ipsa adulterare adultería naturæ.* Perperam editur: *miscendo iterum.* In libris est: *iterumque.* Nos *utrumque* facimus. Buccinum pelagio miscebatur cap. XXXVIII. *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admotum adligatur, nimiaque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque qui quæritur cocci.* Et heic Plinium correximus. Editur enim: *Pelagio admodum alligantur.* Buccinum solum ac per se damnatur, quia fucum remittit. Pelagio admotum alligatur, ac fucum suum tenet. Alligari dicuntur colores, qui non facile eluuntur, nec fucum remittunt. Idem Plinius lib. XXXII. cap. VII de alga marina: *tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit.* Ita alligatur buccinum, admotum pelagio, vel admixtum, quum alias per se colorem non teneat. Nigritiam pelagio propriam facit idem Plinius. Aristoteles quoque eas purpuras, quæ in alti maris finibus colliguntur, florem nigricantem ut plurimum habere dicit: καὶ τὸ ἄνθος αἱ μὲν πλεῖσται μέλαν ἔχουσι. Hæ sunt *pelagiæ* Plinio. Nec universo

A ille generi nomen hoc dedit, quod est proprium soli atque pastus, sed cum duo genera sint pelagium ac littorale, solius pelagii meminit, quo nomine à buccinis distinxit, quod circa scopulos ac petras moratur, & flore dilutiore censetur ut littoralis purpura, quæ succum nigrum non gerit ut pelagia, sed rubrum. *Pelagiam* porro purpuram in alia genera dividit Plinius, pabulo & solo discreta. Totus ille locus ita concipiendus est: *Lutense e putri limo, & algense nutritum alga, vilissimum utrumque. Melius tæniense, in tæniis maris collectum. Hoc quoque etiamnum levius atque dilutius calculensi. Id appellatur à calculo maris, mire aptum conchyliis. At longe optimum purpuris dislocense, id est, vario*
B *soli genere pastum.* In scriptis libris habetur *dialucense.* Nec moror διάλευκον Turnebi, nec aliorum διάλυτον, nec similes nugas & hariolationes. Nominibus Latinis hæc omnia concepta, & in officinis tingentium sic appellata. *Dislocense* igitur dictum quod in variis pasceretur locis, & vario genere pabuli. Sic *discolor*, quod non est unius coloris: *dispar*, quod par non est. Ita *dislocense*, quod non uni loco addictum est, & alligatum. *Dislocare* quoque Latinum est, ac significat loco ac sede movere, ut *disjungere*, *disunire* Arnobio. Ergo & *dislocense* quod vagum fertur, ac sedes subinde mutat. Scriptum in veteribus libris *dialucense* pro *dislucense*. Sic
C *luci* ἀξίας τόπε in glossis pro *loci*. Et *lucar* τὸ θεωρικὸν pro *locar*. Ita *dislucense* pro dislocense. *Lutense* in luto semper hæret. *Algense* circa algam vivit. *Tæniense* in tæniis maris colligitur. Auctor peripli: ἀλλ' ἐκ μὲν τῶν δεξιῶν κατ' αὐτὸ τὸ στόμα τῆς κόλπου παράκειται ταινία τραχεῖα, καὶ διάσπιλος Ἡραίνη λεγομένη. *Calculense* à calculo maris, in quo semper versatur. *Dislocense* varietate locorum gaudet & pabuli diversitate. Per gradus bonitatis, ac pretii eas species pelagii distinxit. Lutense & algense vilissima, ac floris dilutissimi. Tæniense melius utroque, sed etiamnum vilius, ac dilutius calculensi. Calculense optimum conchyliis tin-
D gendis, hoc est, conchyliatæ vesti, quæ dilutior ac pallidior erat purpura. Ad purpuras inficiendas optimum dislocense, omnium præstantissimum. Locus plane insignis. *Pelagiæ* conchæ margaritiferæ sunt ἐμβύθιοι, quæ semper in profundo maris versantur. Nam πέλαγος βυθὸς Hesychio exponitur. Sed pelagias nullas agnoscit Plinius. Duo genera earum facit Isidorus: unum ἐμβύθιον, quod fundum maris non deserit, alterum quod in summo æquore agitat. Longe clarius ac grandius margaritum efficere dicit eam concham, quæ sese profundis ingurgitat, quam quæ
E in superficie maris sedes suas collocat. Quippe hæc radiis solis de proximo percussa, ut minorem generat lapillum, ita rufum & minus candidum utpote à sole infuscatum. Hæc igitur Isidoro causa est, cur in aliis conchis grandior calculus & candidior reperiatur, in aliis turbidus, ac rufus, minorque conspiciatur. Pro loci scilicet ac sedium, in quibus diversantur, diversitate id fieri. Pinna illa ἐμβύθιος, quæque profundis gurgitibus mergitur, illa ipsa est quæ maximum ac candidissimum parit margaritum. Nec igitur verisimile è rore cœlesti infuso concipere
F hanc & pro qualitate roris accepti talem fœtum edere. Longe quippe abest à superficie maris. Atque ut altius mersa est quam ut eo penetrent radii solis, ita nec ros eo potest pervenire. Quæ in superficie & summa æquoris parte degit, ea si forte potest rorem de cœlo haurire, atque inde conceptu roscido impleri. Sed id genus ut soli propinquius, ita fuscum ex eo ac nubilum partui colorem trahit. Hæc sententia, quæ duo genera constituit margaritarum, unum ἐμβύθιον, alterum ἀνωφερὲς, prorsus à Plinia-
G na distat opinione, quæ statuit pro qualitate roris infusi conchas majorem aut minorem, clariorem aut fusciorem partum edere. Verba ejus sic interpungenda sunt: *gravidas postea eniti, partumque concharum margaritas esse. Pro qualitate roris accepti, si purus influxerit, candore conspici: si vero turbidus, & fœtum sordescere: eumdem pallere cœlo minante conceptum.* Candore conspici pro candore conspicuas esse. Nullas igitur pelagias conchas ponit Plinius, quas ipsi donarunt correctores. Pelagiæ essent, quæ nunquam fundum maris deserunt, ibique

ibique ſemper hærent. At ex rore illæ non poſſunt concipere. Aut Iſidorum non legit Plinius, aut ſi legit in alium ſenſum verba ejus detorſit, quia ei ſententiæ videbantur contraria, quam ex alio auctore priorem propoſuit ac probavit. Sic ergo in Plinio legendum ex veteris codicis auctoritate: *mirum ipſo tantum eos gaudere cœlo, ſole rufeſcere, candoremque perdere ut corpus humanum. Quare præcipue eum cuſtodiunt, pelago altius merſa quam ut penetrent radii.* Male in vulgatis habetur, *præcipuum cuſtodiunt.* Ex conjectura ſic repoſuimus, *præcipue eum cuſtodiunt.* Legere etiam malim in illis verbis: *mirum ipſo tantum eos candere cœlo, ſole rufeſcere.* Mirum, inquit, quum candorem à cœlo tantum habeant, è rore ſcilicet, qui de cœlo liquitur, eum tamen ſole perdere ac rufeſcere. Perperam in editis legitur: *rubeſcere. Candere* pro candeſcere. Sic *candens vacca* poëtæ. Varroni *candens taurus.* Plinii igitur mens eſt margaritas in conchis è cœleſtis roris infuſione concipi ac formari, & candorem illum acquirere. Poſtquam rorem eum hauſerint conchæ atque ex eo conceperint, gnaras partum ſuum ſole maculari, & candorem perdere pelago altius mergi quam ut eo penetrent radii. Verba illa Plinii in hanc ſententiam accepit Solinus, ut paulo poſt oſtendam. At Iſidorus, qui duo genera concharum conſtituit, alias ἐμβυθίους, alias ἀνωφερεῖς & in ſuperficie æquoris degentes, de illis pinnis manifeſtum eſt intelligere quæ ῥιζοβολοῦσι. Aliæ enim in fundo maris radices agunt & adhæreſcunt, aliæ in ſummis ſcopulis haud longe à ſuperficie maris. Ariſtoteles tradit, πίννας ὀρθὰς φύεσθαι ἐκ τοῦ βυσσοῦ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι, id eſt, ſubrectas è fundo maris naſci. Ῥιζοβολούσας intelligit. Et βυσσὸς ibi fundum maris ſignificat, non *byßum* pinnæ. Athenæus βυθὸν pro eo poſuit: ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βυθοῦ. Apud Iſidorum Characenum ἀνωφερεῖς ἐπιπολάζουσαι πίνναι dicuntur, quæ ſummis ſcopulis ac petris adfixæ ſunt haud longe à maris ſuperficie, non quæ per ſumma æquoris fluitant, ut interpretes accipiunt. Nam quæ fluitant, nunc ad ſummum æquor enatare poſſunt, modo rurſus in profundum mergi, & vagæ quocumque libet feruntur. De his Plinius intellexit. Pinnas margaritiferas ſcopulis & petris adhæreſcere, & ab urinatoribus inde avelli narrat idem Characenus: ὅσοι δ' ἂν ἐκ τοῦ πελαγίου ὑποθέντες τὴν χεῖρα τύχωσι, ῥαδίως τοὺς κόγχους ἀπὸ τοῦ λίθου ἀποσπῶσιν. Garcias ab Horto ſcribit conchas, quæ in ſuperiori maris parte natant, grandiora margarita generare, quæ vero in alto mari degunt, minutiora edere. Ergo etiam conchæ ſunt ex vagis ac ſolutis, quæ in ſuperficie maris agitare amant, aliæ quæ fundum magis petunt. Puto tamen eum non ex propria ac nova ſcientia id prodere, ſed ex Iſidori verbis hoc notare. Contrarium plane dicit Iſidorus, quæ in ſuperiori maris facie degunt, minutiorem margaritam parere. Hodie quoque pro certo obtinent grandiores conchas & quæ majores edunt margaritas in profundis marium jacere. Eas non vagari, ſed creari, nutririque in locis penitioribus. Majores itaque altius merſas degere conſtat, mediocres minus alto mari, minimas in ſuperficie ſumma ſedes habere. Quod ex relationibus de novo orbe compertum eſt, quibus confirmatur Iſidori ſententia, qui alias ἐμβυθίους eſſe tradit, alias ἐπιπολαζούσας καὶ ἀνωφερεῖς. Videndæ Petri Martyris decades. Ceterum quæ de rore conchis de cœlo illabente ac de roſcido earum conceptu tradidit Plinius, adeo à veritate longe ſe ſegregant, ut ne veriſimilia quidem videri queant. Profecto cochleis terreſtribus ea magis conveniunt, quam marinis conchis. Immo unice cochleis competunt. Symmachus: *Ajunt cochleas, cum ſitiunt aëris, atque illis de cœlo nihil liquitur, ſucco proprio victitare. Ea res mihi uſu venit, qui deſertus eloquii tui paſtu, meo adhuc rore ſuſtentor.* Rore victitant cochleæ: ſi nihil illis de cœlo influit, proprio ſucco ſuſtentantur.

Pag. 61. B. *Et de ſaginæ qualitate reddunt habitus unionum.*] In quibuſdam codicibus: *reddunt habitus vitiorum.* Quod eſt vitioſum, niſi ex priore ac properata editione fluxerit. *Saginam* hic pro cibo vel pabulo poſuit. Ammianus, qui hunc locum imitatur,

A nec vocem hanc omiſit: *Idque indicium eſt ætherea potius derivatione, quam ſaginis pelagi hos oriri fœtus & veſci.* Sympoſius in ænigmatis *ſaginas* dixit de glandibus, quæ ſuum pabulum ſunt:

Setigeræ matris fœcunda natus in alvo
Deſuper ex alto virides expecto ſaginas.

Symmacho in epiſtolis *ſaginam cædere* eſt cibum cædere, ac comedere. Unde *cibicidæ.* Et apud Nemeſianum in Cynegetico *ſagina* pro ſimplici cibo:

---- tunc conſuetam retinere ſaginam
Profuerit.

De canibus venaticis loquitur, qui non ſaginantur. Ju-
B venali *ſaginæ* pro cibis:

---- ſtomachum laxare ſaginis.

Alias veteribus *ſagina* eſt σίτευσις, fartura. Σίτεια, ἡ σίτευσις, *ſagina.* Gloſſæ. Plinius de cochleis: *quin & ſaginam earum commentus eſt ſapa & farre, aliiſque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent. Cujus artis gloria in eam magnitudinem perductas ut octo quadrantes implerent ſingularum calices, auctor eſt M. Varro.* Ita legendum eo loco. *Sagina cochlearum*, ἡ σίτευσις, quæ altiles facit cochleas. *Satietatem* pro *ſocietatem* legiſſe apud Plinium Solinus videtur: *ex eo quippe conſtare majorem cœli eis eſſe ſatietatem quam maris.* Nam pro
C ſatietate *ſaginam* heic dixit. Sane & *ſatiari* eaſdem paulo poſt ait: *ſi tempeſtive ſatientur grandeſcere & partus.* Et mox *jejunium* de his quæ parum ſatiebantur: *& pro modo jejunii minui.* Nihil tamen in Plinio muto. Nam hæc *ſagina*, pro cujus qualitate reddi habitus unionum tradit Solinus, ad illa Plinii verba referenda eſt: *ſi tempeſtive ſatientur grandeſcere & partus.*

Si turbidum, aut pallore langueſcunt, aut rufo innubilantur.] Plinius pallere dicit, quæ cœlo minante concipiuntur: ſordeſcere vero quæ turbidum rorem hauſerint. Non diſcrevit hæc Solinus. Plinii verba: *ſi purus influxerit, candore conſpici: ſi vero turbidus, &*
D *fœtum ſordeſcere: eumdem pallere, cœlo minante conceptum. Ex eo quippe conſtare cœlique eis majorem eſſe ſocietatem quam maris: Inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum.* Mendum eſt in illis: *cœlique eis.* Quod & produnt veteres libri qui legunt: *cœli quietis.* Inde bella emendatione caſtigo: *ex eo quippe conſtare cœli quieti his majorem eſſe ſocietatem quam maris.* Dicit cœli quieti ac pacati majorem eſſe conchis ſocietatem quam maris. Mare quippe etiamſi turbetur & exæſtuet, non affici conchas, nec partum earum ulla qualitate vitioſa inde imbui, eodem tranquillo multum juvari. At ſi cœlum minetur & com-
E moveatur tempeſtate, id fœtum concharum ſentire, atque inde colorem referre, nubilum nempe ex nubilo ac turbato, candidum ac ſerenum ex quieto ac tranquillo. Multo magis igitur in rem earum eſſe, ut cœlum quietum ſit, quam ut mare: *Inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum.* Ex nubilo cœlo trahunt nubilum colorem margaritæ: ex claro, & ſereno candidum. Ita ſocietate cœli quieti magis afficiuntur, quam maris. *Claritatem matutinam* vocat, qualis eſſe ſolet matutino tempore, aurora commodum exoriente. Non de matutino tempore intellexit, ſed de cœli ſerenitate, quum ita cla-
F rum eſt & apertum, ut mane conſuevit eſſe in exortu ſolis. Solinus mentem Plinii nullus percepit, quum ita ſcripſit: *Ita magis de cœlo quam de mari partus habent. Denique quotiens excipiunt matutini aëris ſemen, fit clarius margaritum: quoties veſpere, fit obſcurius.* Nihil de matutini aut veſpertini roris exceptione dixit Plinius. Et ſane ineptum eſt. Quaſi colore, aut qualitate differat ros matutinus à veſpertino, ut ille clariores margaritas, hic obſcuriores reddere valeat. Nihil ſimile cogitavit Plinius, aut valde incogitans fuit & abſurdus. Senſus ejus eſt, quem monſtravi. Si veſpertinus
G ros conchis infuſus nubilum efficit margaritum, matutinus vero candidum, profecto qui nocte illis de cœlo liquitur plane nigrum facere debet lapillum. Quid ineptius? Ammianus Solinum ſequitur, & locum hunc totum ſic adumbravit: *Idque indicium eſt ætherea potius derivatione, quam ſaginis pelagi hos oriri fœtus, quod guttæ matutini roris iiſdem infuſæ claros efficiunt lapillos & teretes: veſpertini vero fuſcos: ſol contra rutilos & maculoſos interdum.*

Ita

Ita legendus ille locus ex hoc Solini, qui vulgo depravatissimus habetur, hoc modo: *Vespertini vero fluxuosos contra rutilos, & maculosos interdum.*

Quoties vespertini, fit obscurius.] Optimus liber: *quoties vespere, fit obscurior.* Ut referatur ad *margarita*, non ad *margaritum*. Quamvis præcesserit, *fit clarius margaritum*. Sed σχῆμα est πρὸς τὸ σημαινόμενον.

Quantoque magis hauserit, tanto magis proficit lapidum magnitudo.] Plinius: *Si tempestive satientur, grandescere & partus.* Ammianus: *minimi autem vel magni pro qualitate haustuum figurantur, casibus variatis.*

Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur.] Plinius: *si fulgeret, comprimi conchas, ac pro modo jejunii minui: si vero & tonuerit, pavidas ac repente compressas, quæ vocant physemata, efficere.* Solinus tonitrum & fulgetrum pro uno accepit, neque hæc distinxit. Atqui fulgeratione comprimi conchas, & minorem margaritam edere dicit Plinius, quia compressæ jejunant, & pro modo jejunii minuitur fætus. At si tonuerit, pavore subito concussæ & clausæ abortus faciunt. Ammianus Solinum æmulatus est: *Concussæ vero sæpissime metu fulgurum inanescunt, aut exilia pariunt, aut certe vitiis defluunt abortivis.* Ita legendum, non *debilia*. Solinus: *vitia contrahunt abortiva, aut enim perparvuli fiunt scrupuli aut inanes.* Mentem Solini non expressit Ammianus. Solino vitia sunt abortiva concharum, quum aut inanes edunt scrupulos, aut perparvos. Ammianus vitia abortiva separat ab inanibus & exilibus fœtibus. Plinius parvos calculos inter abortus vitia non reponit, sed sola physemata, quæ speciem habent sine corpore, abortuum nomine indigetat. *Coruscatio micans* de fulgetro. Virgilius:

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

Sæpius coruscatio cum tonitru. Ideo videtur utrumque confudisse Solinus, quæ Plinius separavit. Sæpe tamen fulgetræ & coruscationes fiunt absque tonitru. De quibus hoc loco intellexit Plinius. Eidem *fulgerare* est ἀστράπτειν. Antiqui *fulgere* etiam dixerunt. Glossæ: *fulget*, ἀστράπτει. Inde *fulgor*, ἀστραπή, in iisdem glossis. Virgilius:

Fulgores nunc terrificos, sonitumque metumque.

τὰς ἀστραπάς. Idem alibi:

---- *vibratus ab æthere fulgor.*

ἡ ἀστραπή. *Fulgo* pro fulgeo antiquum, ut fervo. Inde *fulgero*, ἀστράπτω: ut *lambo, lambero*. Quidam *fulgur* & pro fulgore, vel ἀστραπή posuerunt. Glossæ: *fulgur*, ἀστραπή. Sed medium Latinitatis ævum ea voce fulmina passim appellavit, immo etiam antiquior:

---- *qui publica fulgura condit.*

Inde *fulgurita* arbores fulmine percussæ. Inde nostrum *foudre*, quod est fulmen. A fulgeo, *fulgetrum*, ἡ ἀστραπή. Plinius: *& si in nube luctetur flatus aut vapor tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina, si longiora tractu nitatur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi.* Igitur *fulgetra* dixit. Idem de Apelle: *pinxit, & quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra, fulguraque*: βροντάς, ἀστραπάς, κεραυνούς. Ubi & *fulgur* pro fulmine, & passim apud Plinium. Aliud ergo *fulgerare*, aliud *fulgurare*. Illud ἀστράπτειν, hoc κεραυνοῦσθαι. *Fulgurare* tamen apud eumdem Plinium est ἀστράπτειν. In præfatione, *fulgurat in nullo unquam verius vis dicta eloquentiæ.* Et lib. II. cap. L: & alibi passim. Et sane *fulgurare* pro fulmine percutere non legi, sed *fulgurire*. Unde *arbores fulguritæ*. Quod tamen videri posset dictum pro *fulguratum*, ut dolitum pro dolatum, & similia. Varro περὶ κεραυνοῦ apud Nonium: *cognitio enim trium, fulgetri, tonitri, & fulguris à fulmine orta.* Sic enim ibi scribendum. Ubi *fulgur* est κεραυνός. Qua in re igitur distabit à fulmine. Vocem *fulmen* videtur facere generaliorem Varro, quam fulgur. Idem lib. IV. de L. L. *quod ignis per splendorem fulget. Fulgor, fulmenque & fulgur.* Tres illæ voces à verbo *fulgeo* deductæ, quæ tamen non idem significant. Ut enim *fulgetrum* ἡ ἀστραπή à fulgeo, ita & *fulgur*, quod pro fulmine sumitur. Sed & *fulmen* ipsum indidem habet originem. Ut enim à fulcio *fulmen*, quod est fulmentum: à moveo *momen*, à luceo *lumen*; ita à fulgeo *fulmen*. Paulus Festi abbreviator notat veteres dixisse *fulgere* pro ferire. *Fulgere, inquit, prisci pro ferire dicebant.*

A *Unde fulgur dictum est.* Atqui nec *fulgetrum* ferit, quod ab eodem fulgeo deductum est, nec *fulgur*, quum pro coruscatione accipitur. Unde *fulguro* & *fulgero* dictum, τὸ ἀστράπτω. Plinius lib. XXXV. cap. XV fulmina à fulgoribus distinguit: *fulmina & fulgura quoque sulphuris odorem habent.* An non satis fuit utrumvis nominari? Quæ differentia hoc sensu fulminis & fulguris? Fulmen ignis est qui perrumpit nubem; & in terras decidit. Hic sulphuris odorem habet. Nam ignis ille, qui ex nube tantum fissa emicat, nec cadit, quo odore sit, in terris sentiri non puto. Ἐκπύρωσιν Græci vocant, ut Aphrodisæus. Idem lib. II. cap. XX scribit ignem ex alto in terras deciduum proprie censeri fulminis nomine: *superiorum* B *trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant.* Hunc vide eadem tradentem cap. XLIII. Quid igitur? an fulgur is erit ignis, qui nubem quidem findit, sed usque ad terras non pervenit? Non video tamen quomodo sentiri odor sulphuris possit in eo fulgure quod non cadit. An de his fulguribus intelligit Plinius, quos *fulgores* appellat Seneca, & Græcis *sela* dicit appellari? Hos fulgores sæpe fulminum noxas scribit edidisse. *Ab his, inquit, tecta videmus icta, quæ ἀστραπόπληκτα Græci vocant.* Atqui quod vocant Græci σέλας longe diversum ab ἀστραπή. Græci σέλας definiunt πυρὸς ἀθρόου ἔξαψιν ἐν ἀέρι. Seneca *fulgorem* Latine reddit. C Apulejus *selas* retinet. Certe *fulgorem* Latini etiam pro fulguratione posuerunt. At σέλας non est ἀστραπή. Horum σελάων alia ἀκοντίζεται, alia στηρίζεται, hoc est, veluti jaculatione in terras decidunt, alia stativa sunt. Ex his fulgoribus quæ in præceps eunt, & ἀκοντισμῷ dejiciuntur, hi sunt qui fulminum noxas edunt, non tamen ἀστραπαί sunt. Pro *astrapoplecta* legendum puto apud Senecam *selaoplecta*. Profecto longe aliud *fulgor*, quæ est ἀστραπή, & *fulgor*, quod est σέλας. Atqui de eo fulgore ibi loquitur Seneca, quod Græci σέλας appellant. Forte hos fulgores eo loco Plinius vocavit *fulgura* & D cum fulminibus junxit, quia cadunt ut fulmina, & plerumque non sine noxa. Usus alioquin auctorum passim fulgura pro fulminibus usurpat. Plinius ipse lib. II. cap. LIII ait *fulmina sacris quibusdam precationibus cogi vel impetrari.* Eodem capite fulgurum interpretatione eo profecisse scientiam scribit, *ut ventura alia finito die præcinat, & an peremptura sint fatum, aut aperiant alia fata quæ lateant.* Ubi *fulgura* sunt fulmina. Sed & *fulgurales* libri dicti, quibus ea scientia fulminum observandorum tradebatur. Cicero lib. I de Divin. *& haruspicini, & fulgurales, & rituales libri.* Festus: *Fulguritum id quod est fulmine ictum.* Ergo & *fulgur* pro fulmine. E *Publica fulgura condi* dixit Satyricus. Hæc fulmina sunt. Lucanus:

---- *Aruns dispersos fulminis ignes*
Colligit, & terræ mœsto cum murmure condit.

At in hac cærimonia condendorum fulgurum, fulgura magis dici solita quam fulmina ostendit Plinii locus ex lib. XVI. cap. XVIII. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis.* Hunc locum manifesto vitio laborantem in sanitatem restituere conati sunt viri docti. Sed operam supersedere poterant, qua nihil egerunt. In optimo Thuanæo codice F scriptum est: *Colitur ficus arbor in foro ipso ad comicio rame nato sacro.* Unde indubitata conjectura legendum judico: *colitur ficus arbor in foro ipso ad Comitii aram enata sacro fulguribus ibi conditis.* Aram ibi fuisse oportet, quod & diserte testatur Dionysius. Fulgura eo loco condita fuere. Nec aliter condebantur nisi sacro facto. Ergo & ara ad sacrificium in eo loco solebat extrui, qui de cælo tactus fuerat. Artemidorus: ὥσπερ οὖν ὁ κεραυνὸς τὰ μὲν ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας. Omnis locus fulmine ictus statim erat religiosus. At sacer fiebat, ara G ibidem extructa, & sacrificio facto. Sacrificium autem ex bidentibus ovibus. Unde & *bidental* vocarunt Romani locum fulmine tactum & bidentibus ovibus expiatum consecratumque. Glossæ: *Bidental*, τόπος κεραυνόπληξ. Eum locum nec ingredi, nec calcare fas erat. Horatius:

---- *utrum*
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus.

Quod interpretes non capiunt. Ex his unus & rationem addit, quia nefas, inquit, locum fulgure ictum movere, antequam procuratus fuerit. Ridicule. Imme nec ante nec post. Et multo minus hoc. Statim atque tactus de cælo fuerat, religiosus manebat, quem nec calcare licitum erat. At ubi consecratus esset sacro facto, tum multo minus id licebat. Quippe majore religione tenebatur. Sepiebant eum muro, ut ingressus arceretur. Pollux: περιερχθέντα δ' ἐνηλύσια ἄψαυστα ἂν εἴποις. Ita vocabant quæ Latini *bidentalia*. περιερχθέν, *muro consepta*. Hinc *bidental* Paulus templum exponit. *Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur.* Hoc non adeo absurdum videri debet ac Scaligero visum est. Hoc commentum esse Pauli non puto, sed ita scriptum reliquisse Festum, quod ille exscripsit. Locum omnem sacrum & conseptum dixere *templum*, licet quidam grammatici templum à sacello distinguant eo titulo, quod sacellum locus sit sacer conclusus, sed sine tecto. Atqui *templum* prisci dixerunt etiam locum augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitum. Servius locum palis clausum, modo sacer sit, templum dici significat: *Alii templum dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis, & hastis, aut aliqua tali re, & lineis, aut loris, aut simili re septum est.* Hac notione bidental etiam templum potuit vocari, quia locus sacer fuit, & conseptus, in quo ara extructa, ubi bidentibus sacrificabatur ad procuranda fulgura quæ in eum locum ceciderant. *Bidental* & pro homine, quem fulgur occiderat, usurparunt. Persius:

Triste jaces lucis, evitandumque bidental.

Sed de hoc more plura jam docti, quæ heîc non repeto. Nunc Plinii verba expendenda sunt: *Colitur ficus arbor in foro ipso ad comitii aram enata sacro ibi fulguribus conditis.* Ara ibi in comitio erecta fuerat, ut sacrum fieret fulguribus condendis. Ad eam aram enata ficus, quæ colebatur à Romanis. Quænam illa ficus? Ruminalem esse ait. Nam subjicit protinus: *Magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen, ita vocabant mammam, miraculo ex ære juxta dicato, tanquam in comitium sponte transisset. Adacto navigio illico arescit, rursusque sacerdotum cura seritur.* Non unum in his verbis miraculum, nec qualibet hostia expiandum prodigium. Postrema præcipuè eo laborant. Palam est quomodo Scaliger ea olim sanare tentaverit, qui conatus fuit tantum. Optimus Thuanæus codex sic legit: *tamquam in Comitium sponte transisset. Atto Navigio aliquarescit rursusque cura sacerdotum seritur.* Prorsus scribendum est: *tanquam in comitium sponte transisset Atio Navio augure. Arescit, rursusque cura sacerdotum seritur.* De emendatione nihil dubitandum. Quod ad rem ipsam attinet, multas potest recipere controversias. Ceterum heîc Plinii sensus est. Ficum sacram, quæ colebatur in foro, ad comitii aram enatam fuisse, ubi sacro facto condita erant fulgura, sed ob memoriam ejus quæ rumim, id est, mammam Romulo ac Remo præbuit, ruminalem magis appellatam esse, quum etiam *Navia* à quibusdam diceretur, quod Navii auguris opera eo traducta esset. Legendum porro ibidem ex eodem codice: *Magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumim.* Pessime editur, *rumen.* Nam *rumis* ἀρχαϊκῶς hæc mamma. Glossæ: *Rumis*, θηλή, ἀρχαίως. Festus: *mamma autem rumis dicitur.* Aliis *ruma.* Ficum autem illam in comitium sponte transisse Plinius dicit Atio Navio faciente. Saltem ita creditum innuit. Ergo ficus ruminalis in comitio non erat antequam Navio Augure ita procurante sponte eo transisset, ad eam scilicet aram enata, in qua sacrificium factum fuerat condendis fulguribus. Ubi igitur olim fuisse dicemus illam ficum ruminalem, antequam in comitium migrare juberetur insigni illo miraculo Navii Auguris? Certe ruminalem ficum in eodem loco sitam etiam suo tempore indicat Livius, ubi tum fuit, quum præbuit umbram lupæ Romulum ac Remum lactanti.

A Sic enim scribit lib. I. *Ita velut defuncti regis imperio in proxima alluvie, ubi nunc ficus ruminalis est, Romularem vocatam ferunt, pueros exponunt.* In fluminis alluvie expositos Romulum ac Remum, ibique etiam tum fuisse ficum ruminalem palam facit. Nusquam loco mutatam ficum illam etiam clarè significat Varro lib. IIII. de L. L. *Germalum à Germanis Romulo ac Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat expositos.* Plutarchus de Germalo, vel Cermalo loquens, ut tum dicebatur, in eo loco expositos fratres Remum ac Romulum scribit, & lupam sub ficu, quæ inibi erat, rumam iis præbuisse, unde & *ru-*
B *minalis* appellata. Germalum illum palatio conjunctum idem Varro prodit, ut & Velias. Hic locus longe à comitio. Ergo in Germalo ficus ruminalis tum fuit, quum lupa sub ea mammam dedit Romulo Remoque, Livius sua ætate ibi etiam fuisse affirmat, sitam nempe in Tiberis littore, quo usque hiberna ejus alluvies pervadit. In eo loco multas alias arbores fuisse indicat Dionysius, qui ὕλην βαθεῖαν vocat lib. I. Ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀρχιαύνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ, ἀλλ' ὥσπερ ἂν χειροήθης, ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα, καὶ κατὰ πολλὴν ἀλογίαν τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου ἀπῄει, καὶ ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρε-
C φής. Ficum non fuisse, sed caprificum vult Plutarchus, hoc est, agrestem ficum, nam ἐρινεὸν vocat, sub qua inventa lupa ubera felitanda præbens Romulo ac Remo. Non longe ab ea sacer lucus fuit. Scaliger hanc ὕλην βαθεῖαν, quæ proxima erat ficui ruminali, perperam confundit cum ficeto, quod ex ficu Navia propagatum esse dicit Festus in fragmento, ubi ait plures ficus enatas fuisse ex illa ficu, quæ ad comitii aram à Navio sata est. Diversus igitur situs ficus ruminalis, & ficus Naviæ, quam & pro ruminali quidam habuere. Plinius etiam agnoscere plane videtur ruminalem ficum alio olim loco posi-
D tam fuisse, dum translatam vult ab Atio Navio Augure in comitium, quasi sponte illo transisset ad aram comitii enata. Hoc igitur ignoravit Livius, ut de Varrone non dicam, mirum esse latere hoc illum potuisse. Sed ecce alium Romanæ antiquitatis idoneum auctorem, qui ἱερὰν συκῆν in comitio collocat haud longe ab illa ara, de qua loquitur Plinius. Is Dionysius est. Statuam Navii auguris ex ære in foro Romano positam ante curiam juxta sacram ficum: καὶ ἵνα μνήμης αἰωνίου τυγχάνῃ παρὰ τῶν ἐπιγινομένων, εἰκόνα κατασκευάσας αὐτοῦ χαλκῆν ἀνέστησεν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ἣ καὶ εἰς ἐμὲ ἦν ἔτι πρὸ τοῦ βουλευτηρίου κειμένη, πλησίον τῆς ἱε-
E ρᾶς συκῆς. Statim addit haud longe ab illa sacra ficu aram fuisse, sub qua defossa fuerat cos & novacula, qua cotem disciderat Navius: ὀλίγον δὲ ἄποθεν ἥτε ἀκόνη κεκρύφθαι λέγεται, καὶ ὁ ξυρὸς κατὰ γῆς ὑπὸ βωμῷ τινι. Καλεῖται δὲ φρέαρ ὁ τόπος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. Sed in his multa animadvertenda. Sacram illam ficum *ruminalem* esse non dicit Dionysius. Simpliciter ἱερὰν συκῆν nominat. Plinius disertis verbis vult esse ruminalem, & sic potius appellatam ob memoriam nutricis Romuli ac Remi quàm à Navio, quamvis augurio ejus sponte transisset in locum illum comitii è loco ubi prius fuerat. Miraculum ibidem hujus rei ex ære
F dicatum idem Plinius tradit, monumentum scilicet ad illud miraculum consignandum quo ficus ruminalis è Germalo in comitium transmigrarat sponte. Atqui Dionysius non aliud monumentum eo loco erectum meminit præter statuam Navii ad contestandam hujus miraculi memoriam, quo Navius in comitio ipso, præsente & inspectante Tarquinio cotem novacula disciderat. Historia nota est. Nec alterius monumenti, aut miraculi ex ære ibi dicati mentio apud Livium præterquam hujus, de quo hîc loquimur. Verba Livii merentur hic adponi: *Statua Navii capite*
G *velato quo in loco res acta est in comitio, in gradibus ipsis ad lævam curiæ fuit. Cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi ejus monumentum.* Cicero lib. I. de Divin. relato illo cotis præcisæ miraculo ita scribit: *Ex eo evenit ut & Tarquinius Atio Navio augure uteretur, & populus ad eum de suis rebus referret. Cotem autem illam & novaculam defossam in comitio putealque impositum accepimus.* Mirum eo loco

loco nullam facere mentionem ficus in comitium translatæ per Atium Navium, ubi tamen tam multis verbis augurii auctoritatem ac veritatem adstruere conatur. Atqui hoc erat non silendum. Defossæ in comitio coti & novaculæ *puteal* impositum ait Cicero. Dionysius sub ara quadam defossam refert, ὑπὸ βωμῷ τινι. Ergo Dionysio βωμὸς quod est Ciceroni *puteal*. Addit Dionysius: καλεῖται δὲ φρέαρ ὁ τόπος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. Non puteus, sed *puteal* vocabatur ille locus Romanis à puteali scilicet imposito novaculæ Navii defossæ ibidem cum cote. Hæc est ara comitii Plinio, ad quam enatam dicit illam sacram ficum. Nec enim longe à sacra ficu fuisse aram illam, sub qua defossa est Navii novacula, Dionysius indicat. Ara autem illa, quæ novaculæ defossæ imposita est, ad hoc ipsum videtur ibi erecta & consecrata, ut monumentum extaret tantæ rei. Sed nec sine religione, aut cærimonia aliqua verisimile est defossam esse eam novaculam, quæ tantum ediderat miraculum, idque ad confirmandam augurii majestatem, quam rex illudebat. Ergo & sacrum factum est in ea defodienda & ara desuper imposita. Hoc expressis verbis Cicero asseverat: *Putealque impositum accepimus.* Quid igitur faciemus Plinio, qui aram illam, sub qua condita fuit sacra novacula, nec enim aliam intelligit, fulguribus ibi conditis sacro facto positam innuit. Livius & Dionysius nullam de fulguribus conditis verbum faciunt. Ac nescio ubi oculos habuerit vir illustris famæ, quum citatis Dionysii verbis, quæ superius adduximus, ibidem statim addit, *subjicere deinde Dionysium de fulguribus ibi conditis.* Φαντασίαι etiam meræ sunt, quod subjungit, puteum scilicet ibi fuisse qui quum de cælo tactus esset, procuratum eum locum postea operculo imposito puteal vocatum esse. Hæc ille ad Festum. Quæ sunt ægroti somnia. Præsertim quum hæc adstruere postulet Livii & Dionysii testimoniis, de quo illi nihil ne in somnis quidem cogitarunt, quod saltem ex eorum scriptis appareat. At Plinius diserto ore pronuntiat aram eam sacro facto fulguribus ibi conditis extructam. Illud primum debet pro confesso haberi comitii illam aram, quam significat Plinius, extructam ut sacrum fieret fulguribus condendis, eamdem omnino esse cum ea, sub qua dicit Dionysius conditam ac defossam esse novaculam, & cotem Navii auguris. Nec enim potest probari diversas esse. Ergo alterutrum erit necesse, aut locum eum, in quo novacula cum cote fuit defossa, postea tactum de cœlo, & fulguribus conditis aram ibidem impositam: aut multo ante quam novacula ibi conderetur, aram in eo loco fuisse fulguribus olim conditis sacratam. Hoc postremum non potest videri verum, quia locum consecratum fulguribus conditis movere non licuisset postea, ut defoderetur ibi novacula. Præterea contrarium omnino colligitur ex Cicerone, qui defossam novaculam cum cote, & puteal impositum tradit. Ergo semel & simul hoc factum, ut novacula in eo loco comitii defoderetur, ubi miraculum erat factum, & puteal loco imponeretur. Puteal porro illud ara est Dionysii, sub qua defossam ait novaculam & cotem. Eademque ara comitii Pliniana, quam tamen fulguribus conditis ibi positam asserit. Quod nescio an possit consistere in aliqua veritatis regione. Ne illud quidem verum fuerit, quod alterum posuimus, post conditam novaculam in eum locum decidisse fulmen è cælo, quod ut procuraretur, aram ibi constitutam & sacrum factum. Hoc video placere viro cuidam eruditissimo, cujus nomini parco. Sed hoc etiam ἀνιστόρητον. Denique id revinci potest etiam Ciceronis auctoritate, qui uno eodemque tempore defossam novaculam, & puteal impositum memorat. Postremo & Plinii ipsius testimonio hoc confutatur. Ait ille ficum sacram, quæ in foro colitur, enatam ad illam comitii aram, quæ credebatur sponte in comitium transisse Atii Navii augurio, *ruminalem* tamen potius dictam esse quam *Naviam* ob memoriam lupæ nutricis Romuli ac Remi. Ficus ergo illa nata in comitio Atii Navii ætate, quo tempore extitisse jam eam aram oportet, juxta quam ficus enata est, sive eo traducta sit miraculo quodam ab Atio Navio. Hoc saltem cum aliqua imagine veri fingi posset, quum eodem tempore locus in comitio fulguri-

A tus fuisset, & condendis fulguribus ara ibidem extructa esset, sub ea ara defossam quoque cotem illam, & novaculam in loco nimirum sacrato. In quo etiam si forte cotem novacula præciderat Navius. Quærendus tamen auctor, qui hæc dixerit. Nihil enim sine teste debemus affirmare. Festus in Fragmentis Naviæ ficus meminit à Navio augure sic appellatæ. Et quantum ex reliquiis verborum ejus colligere licet, cotem & novaculam, qua cotem præciderat Navius, in comitio defossam esse consecrato loco, & ficum ibi enatam, quæ Navii auguris monitu sacra habita est & coli cœpta à Romanis. Quæ ubi exaruerat, rursus serebatur à sa-

B cerdotibus. Plinius: *arescit, rursusque sacerdotum cura seritur.* Ita enim ibi legendum. Falsa enim correctio Scaligeri: *Ilico arescit.* Quod nec Latinum est eo sensu quo vult. Ingenue fatetur Plinius eam sacram ficum arescere & mori: ubi exaruit, iterum seri. Aliud ex ea miraculum pangit Tacitus tredecimo Annali, ubi prodit super octingentos & quadraginta annos viguisse ruminalem ficum. Neronis demum imperio, Urbis anno DCCCXI, quum exaruisset, id prodigii loco habitum: *Eodem anno ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos & triginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco*

C *deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fœtus revivisceret.* Per ruminalem intelligit Naviam. Nam ea in comitio. Atqui vera ruminalis non texit in comitio infantiam Romuli. Sentit igitur cum vulgo Naviam ficum in comitio cultam ruminalem esse, quæ eo transierat. Sed quis illi credat per tot annos nihil ex ea intermortuum, aut aridum factum, nisi eo demum anno. Hoc indignum Taciti mente. Festus Naviam ficum à ruminali distinguit, & utriusque seorsim meminit. Livius quoque ruminalem ficum sua ætate fuisse, ubi fuerat quum sub ea inventa est lupa præ-


D bens ubera Romulo & Remo, aperte tradit. Dionysius ἱερὰν συκῆν simpliciter nominat eam sacram ficum comitii, quæ juxta aram sita erat, sub qua defossa fuit novacula Navii. Non defuere tamen præter Plinium & Tacitum auctores, qui ruminalem etiam illam indigetarent, quæ in comitio colebatur. Et sic populus videtur credidisse. Sextus Rufus in descriptione Urbis in regione fori Romani ficum ruminalem recenset: *Forum Cæsaris. Ficus ruminalis. Vicus Jugarius, alias Ligurius.* Ea est ficus ruminalis in comitio, cujus & mentio apud Victorem in regione octava Urbis: *Ficus ruminalis in comitio ubi & Luper-*

E *cal. Ædes Vejovis. Vicus Ligurum.* Hæc est Navia ficus Festi, sacra ficus Dionysii, & ficus illa Plinii quam cultam in foro ipso scribit ad comitii aram. Idem Victor alteram ficum ruminalem in eadem regione agnoscit, sed alio loco: *Victoria aurea in templo Jovis Opt. Max. Ficus ruminalis & Lupercal Virginis. Columna cum statua magni Ludii.* Hæc fortean vera fuerit ruminalis. De quo tamen cogitent viri docti. Illud constat comitii ruminalem non fuisse eam, de qua veteres auctores tradiderunt, quæ in Germalo sita erat. Nunc error gravissimus detegen-

F dus, ac corrigendus eruditorum hujus ætatis, qui omnes uno consensu cum superioris ævi omnibus doctis putant *puteal* Libonis idem esse cum illo puteali, quod Cicero in comitio dicit impositum ei loco, sub quem defossa sunt novacula Navii. Longe aliter sentiendum, ut recte sentiatur. Puteal Navii, sive ara, sub qua condita est ejus novacula, in comitio fuit ante curiam, ubi etiam Navio statua togata posita erat. Plinius lib. XXXIV. cap. V. *Namque Atii Navii statua fuit ante curiam, cujus basis conflagravit incensa curia P. Clodii funere.* Vicinam curiæ oportet hanc fuisse statuam, siquidem basis ejus conflagravit ex

G illius incendio. Dionysius quoque πρὸ τοῦ βουλευτηρίου eam statuam collocatam docet. Livius in comitio in gradibus ipsis ad lævam curiæ positam ait. Ab ea parvo admodum intervallo dissitam idem Dionysius scribit aram, sub qua obruta fuit ejus novacula in eadem scilicet comitii parte. Hoc puteal est, quod impositum defossæ illi novaculæ refert Cicero. At *puteal* Libonis longe ab eo loco, ut etiam docent Sextus Rufus & Publius victor, qui ruminalem, sive

Naviam ficum, quæ juxta Navii puteal erat, & puteal Libonis in longe diversis locis ponunt. Verba Victoris hæc sunt: *Julia Porticus. Arcus Fabianus. Puteal Libonis.* Heic etiam ponenda erat ficus sacra Navii, sive ruminalis, siquidem hoc puteal idem cum ara comitii. Atqui locum longe alium illi assignat infra: *Basilica Pauli cum Phrygiis columnis. Ficus ruminalis in comitio. Ædes Vejovis.* Vetus interpres Persii paria scribit cum Victore de situ putealis Scribonii: *Fœneratores ad puteal Scribonii Licinii, quod est in porticu Julia ad Fabianum arcum, consistere solebant.* Aliud argumentum adferam, quo vincere debeo diversa hæc fuisse putealia. Libonis puteal in suo loco mansisse usque ad extrema Romani imperii tempora ex Victore & illo scholiaste colligere est. At illius aræ, sive putealis, juxta quod sacra ficus in comitio enata est olim, nullum apud Victorem & Rufum vestigium, quum tamen meminerint ruminalis fici. Non igitur amplius extabat tum puteal illud, juxta quod sata erat ruminalis ficus. Alioquin etiam ejus meminissent auctores illi una cum ruminali ficu, cui fuit vicina. Et sane Plinius memorat aram illam ex eo loco sublatam gladiatorio munere Julii Cæsaris, quod in foro editum est. *Colitur*, inquit, *ficus arbor in foro ipso ad comitii aram enata.* Commemoratis aliquot deinde arboribus ejusdem generis, quæ in foro adæque sponte creverant, addit: *Ara inde sublata gladiatorio munere Divi Julii, quod novissime pugnavit in foro.* Quæ de illa comitii ara plane intelligi debent. In veteribus libris perperam scriptum est *ira.* Quod probant docti, parum probe. Ab irato nimirum populo sublatam inquiunt post necem Julii Cæsaris. Sed quid sublatum ab irato populo? An id quod præcessit? Ita necesse est, quum nihil aliud nominet. *Æque fortuita eodem loco est vitis atque olea umbræ gratia sedulitate plebeja satæ.* De his vero non potest accipi, quas adhuc esse ait in foro. Præterea non sublatas diceret, sed excisas. De ara igitur capiendum Navii, quæ in comitio erat, quam sublatam inde dicit munere gladiatorio Cæsaris. Dionysius quoque de ea sic loquitur quasi non amplius extante sua ætate. Nam novaculam & cotem Navii obrutas dicit ὑπὸ βωμῷ τινὶ, sub quadam ara. Incertum sub qua ara, quia non amplius extabat. Subjicit: καλεῖται δὲ φρέαρ ὁ τόπος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. *Locus*, inquit, *vocatur puteal à Romanis.* Locus scilicet, in quo ara illa fuit, quæ eadem cum puteali. Nam *puteal* vocat Cicero, quod sublatum inde à Julio Cæsare. Locus tamen adhuc vocabatur *puteal.* Longe itaque diversum hoc puteal à Libonis puteali, quod etiam tum extabat ætate Rufi & Victoris. Non unum autem puteal Romæ videtur fuisse. Etenim in regione septima Urbis *vicum putealium* recenset Rufus. Docendum jam quid esset *puteal.* Viri docti hactenus sibi persuaserunt, sed falso, ubi puteal, ibi & puteum fuisse intelligendum. Nempe quia puteal operculum putei, ideo nescio quos Deûm Manium puteos hariolantur. Immo ideo *putealia* ea vocantur, quia sine puteo. Nam ubi puteus subest, non *puteal* dicitur, sed *puteus*, qua voce etiam comprehenditur operculum putei. Ut vasis nomine etiam operculum censetur. Cicero *puteal* impositum scribit novaculæ & coti Navii in comitio defossæ. Alii *aram* appellant. Dionysius βωμόν. Ergo ara etiam fuit puteal Libonis. Sane aræ instar in nummis Libonis visitur. Fragmentum Festi de hoc puteali ita sarciendum est. *Scribonii puteal ante atrium Minervæ, quod Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, id ponendum curavit, quia in eo loco olim sacellum fuit, quod ignorabatur. Tradunt quidam fulgur conditum eo loco, quod nefas est integi, sed super foramine aperto cælum patet.* Puteal illud haud longe ab atrio Minervæ, ut ex Victore constat: *Atrium Minervæ. Ludus Æmilius. Julia porticus.* In Julia porticu puteal Libonis fuisse notat vetus scholiastes Persii. Quum igitur negotium ab senatu datum fuisset Scribonio, ut sacella conquireret, comperit eo loco sacellum olim fuisse, vel, ut quidam putabant, fulgur ibi conditum, quod ignorabatur. Ideo ut religionem loci instauraret, *puteal* imponendum curavit. Quod ab eo dictum est puteal Libonis. Notanda Pompeji verba, quæ clara sunt in Fragmento, ubi conditum fulgur est, locum integi nefas esse, & foramine desuper aperto esse debere. Ergo tale fuit puteal, quod locis fulguritis, vel fulguri condito imponi solebat. Immo nihil aliud significat puteal primigenia sua, ac propria notione, quam lapidem pertusum, quod ori putei circumponebatur. Suggestum lapideum circa os putei plerique etiamnum ædificant, cui magnus lapis imponitur in medio foramen habens ad instar orificii putei. Hoc proprie *puteal*, vel operculum putei. Veteres glossæ περιστόμιον exponunt, quod περὶ τὸ στόμα φρέατος poneretur. Sic limbus vestis περιπόδιον Græcis dicebatur, quod circa pedes iret. Glossæ: *limbus*, πέζα, κύκλος, περιπόδιον. Apud Ptolemæum in Virginis asterismo σύρμα περιπόδιον dicitur, ubi male scriptum est, ἐν παραποδίῳ σύρματι, ubi omnino scribendum ajo, ἐν περιποδίῳ σύρματος, id est, in limbo syrmatis, in extrema ora vestis, quæ pedes alludit. Syrmate enim induta Virgo astrorum fingitur. Græci recentiores τὸν περίποδα eodem sensu dixere. Ita igitur & περιστόμιον margo putei, qui ex terra extat ori putei circum adpositus, vel lapis pertusus eidem impositus. Aræ itaque omnes, quæ locis fulguritis, vel fulguribus conditis imponebantur, foramen, ut videtur, in medio habebant ut cælum desuper pateret. Vitruvius lib. I. cap. II. *Jovi, Fulguri, & Cælo, & Soli, & Lunæ ædificia sub divo hypæthraque constituuntur. Horum enim Deorum & species & effectus in aperto mundo atque lucenti præsentes videmus.* Sacella hæc vocabantur, templa nimirum sine tecto. Sed & quod sine tecto est, & foramine aperto patet, templum etiam dicitur. Sophocles σηκὸν ἀκαλυφῆ vocat. Hinc ergo, ut videtur, & fulguribus conditis lapis imponebatur in medio foramen habens. Hoc veluti templum fulguri fuit. Hæc etiam ara. Immo & puteal, quia talis forma putealis. Artemidorus clare testatur locis fulguritis τοὺς βωμοὺς ἐπιτίθεσθαι, aras imponi. Hæ aræ, ut apparet, pertusæ. Locum fulguritum ara imposita consecratum *bidental* dixere, quod ovibus bidentibus sacrum ibi fieret. Festus bidental interpretatur templum. *Bidental dicebant quoddam templum.* Quæ expositio calumniæ viri docti patere non debuit. An credibile inquies rem tantulam, ut est ara, vel puteal, templi nomen tulisse? Immo dedero longe minorem, cui hoc nominis inditum. Dio templum appellat figmentum ligneum quadratum templi instar in quo aquila Romanæ legionis sita erat. Ὁ γὰρ ἀετὸς, inquit, ὠνομασμένος, ἔστι μὲν νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. Non aliter hæc liceat interpretari, quam de parvo templo, cui aquila signorum imposita, vel quod ipsum aquilæ impositum. Hujusmodi instar ædiculæ plane expressum conspicitur in columna Trajani quod inde sumptum heic subjecimus.



Illud nescio quid quadratum quod aquilæ alis imponitur effigiem sacelli quadrati non male refert, vel etiam

etiam aræ. Heic licet etiam argutari aquilam fulguris esse ministram. Nam Jovi eam fulmen ferre fabulantur veteres. Hæc inter signa militaria recepta & sacrata. Quemadmodum autem fulguri quod in terras ceciderat, eo loco quo condebatur, solebat veluti sacellum imponi vel ara in summo foraminata, ita etiam aquilæ fulminis ministræ & signorum sacratissimæ hujusmodi imponebatur ædicula, ad testandam ejus divinitatem quamdam & religionem sanciendam. Quod in aliis signis non fiebat, quamvis & ipsa sacrata haberentur: Quod vero νεὼν illum μικρὸν Dionis de sacello castrorum exponit Lipsius, in quo signa reponebantur, id non procedit. Dio νεὼν vocat parvam templi effigiem ligneam quæ supra aquilam imposita erat. Polybius ναΐδια appellat loculos vel armaria in quibus imagines reponebant prisci. Sic etiam ναοὶ ἀργυροῖ dicuntur in Actis Apostolorum parvulæ effigies argenteæ ad instar templi factæ quæ templum Dianæ Ephesiæ repræsentabant: Δημήτριος γάρ τις ὀνόματι ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, id est, *templa Dianæ parva argentea*, vel templorum potius εἰκονισμούς. Frustra sunt qui aliter accipiunt. Fiebant & ex ligno & ex alia materie hujusmodi templorum simulacra. Vetus interpres Rhetoricorum Aristotelis ναοποιοὺς appellitat hos parvulorum templorum fabricatores, & ναοποιοὺς exponit, οἳ τοὺς ναοὺς ποιοῦσιν, ἤτοι εἰκονοστάσια τινὰ μικρὰ ξύλινα ἃ πωλοῦσι. Talis ille Demetrius Actorum qui ex argento faciebat parva templa Dianæ Ephesiæ ut ea venderet. Non igitur mirum si & *bidental* exponitur templum. Apulejus: *Fulgurum bidentalia*. Possemus & pro consepto accipere quod locis fulguritis circumdabatur. Pollux: περιερχθέντα ἐνηλύσια. Varro de lacu Curtio in medio foro: *Ælius & Lutatius scribunt eum locum esse fulguritum & ex senatusconsulto septum esse, idque factum esse a Curtio consule.* Ergo & ara intra illud septum erigebatur. Quæstionis itaque posset esse, utrum ara an conseptum *putealis* nomen meruerit. Sed quum *puteal impositum* dicat Cicero, de consepto sumi non quit. Præterea *aram* alii vocant, quod est Ciceroni puteal ut Dionysius & Plinius. Postremo aras tantum impositas plerisque locis quæ de cælo tacta erant relatione veterum constat. Quod diserte testatur Artemidorus, ὥσπερ οὖν ὁ κεραυνὸς τὰ μὲν ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς τελουμένας θυσίας. Ara autem quæ foramen habebat proprie dicta puteal, quod ad putealis instar esset. Tales vero requirebat fulgur. Hodie aut quadrata imponuntur puteis putealia, aut rotunda. Quadratum puteal si integatur, aræ instar habet. E converso si ara cum foramine aperto statuatur, puteal assimilabit. Terminus quoque inter eos Deos, qui templi tegmine nolebant integi, sed in aperto locari postulabant. Ideo in Capitolio pars superna tecti, sub qua positus erat Terminus Deus, aperta fuit. Servius lib. IX. *Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat. Nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur.* Ita legenda hæc verba. Sic supra Dium Fidium perforatum erat templi tectum. Dicere tamen heic etiam aliquis posset videri sufficere religioni eorum numinum quæ cælum apertum spectare debebant, aras sub divo positas, nec opus fuisse, ut aræ ipsæ foramen desuper haberent. Nihil prohibeo quin ita fuerit. Illud semper quærendum restat, cur aræ hujusmodi putealium nomen induerint. Nec enim omnis ara puteal. Ergo peculiaris fuit forma hæc ararum, quibus adpositum putealis nomen. Præterea in puteali Libonis foramen desuper patuisse indicat Festi fragmentum quod ibi fulgur conditum esset. Videntur tamen aræ illæ non nudæ positæ, sed aliquo septo munitæ. Id septum aræ ipsi conjunctum nullo interstitio relicto, adeo ut idem cum ara videretur, ad tutelam ejus ac munimentum circum positum. Hoc septum si forte proprie puteal, quia instar putealis aram ipsam cingebat. Hinc puteal pro ara ipsa sæpe nominant auctores. Huic expositioni suffragantur veteres glossæ, quæ *puteal* exponunt ἱερὸν τόπον περικεκλεισμένον. *Puteale*, ἱερὸς τόπος περικεκλεισμένος. Item: *Puteal*: ἱεροῦ φραγμὸς, sacelli conseptum. Exemplum hujusmodi septi vel munimenti aræ circumpositi habes in arca Neronis apud Suetonium qua reli-

A quiæ ejus conditæ fuerunt: *Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt. In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstante è Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.* Præter generalem muri ambitum, quo clausum fuisse verisimile est monumentum gentile Domitiorum, intra illud monumentum arca Porphyretica, in qua reliquiæ Neronis repositæ sunt, & cui superstabat ara ex Lunensi marmore, lapide Thasio circumsepta fuit. Hoc in aliis etiam aris, quæ sub dio ponebantur, factum apparet. Ad tutelam & munimentum addebantur hæc septa. Hinc illæ loquutiones tralatitiæ

B apud Ciceronem in quarto paradoxo: *virtutibus denique omnibus ut mœnibus septus, vincetur & expugnabitur?* Et apud Apulejum in Apologia extrema: *si philosophiæ honorem, qui mihi salute mea antiquior est, nusquam minui, immo contra ubique conseptum pinnis tenui.* Quem locum varie constituere voluerunt, sed sic eum ego legendum cum omnibus libris statuo. *Pinnæ* sunt summæ murorum partes. Ammianus: *propugnaculis insistebant & pinnis.* Heîc pinnas pro valido munimento muri posuit. *Pinnis consepire*, θριγκῶσαι. Argute ille quidem qui reponebat, *cum septem pinnis tenui.*

C Quod & nobis olim in mentem venerat, sed minus vere. Ceterum ex quodam Pausaniæ loco colligo locis fulguritis apud Græcos urnam cum operculo imponi solitam. Ita ille scribit Eliacῶn I. Ὡς γὰρ δὴ ἐκτετελεσμένον ἤδη τὸ ἄγαλμα ἦν, ηὔξατο ὁ Φειδίας ἐπισημῆναι τὸν Θεὸν εἰ τὸ ἔργον ἐστὶν αὐτῷ κατὰ γνώμην. Αὐτίκα δ' εἰς τοῦτο τοῦ ἐδάφους κατασκῆψαι κεραυνόν φασιν, ἔνθα ὑδρία καὶ ἐπίθημα εἰς ἐμὲ ἦν χαλκῆ. Quæ magnopere advertenda. Nam hinc maxime declaratur condendi fulguris mos. In loco qui de cælo ictus fuerat, si quid esset quod ab igne celesti ambustum, aut denigratum, aut omnino tactum appareret, sive id lapis foret, sive terra, sive aliud quodcunque, id in ur-

D nam condebant, & operculum imponebant. An hoc operculum cum urna puteal fuit Romanorum? vix equidem putem. Ara illud fuit. Reliquias autem fulguris conditas & in urna positas verisimile est sub aram defodi solitas quæ ad sacrum faciendum, & expiandum locum ibidem constituebatur. Nihil aliud existimo fuisse fulgur condere quam hoc quod dixi: Vetus interpres Juvenalis ad eum versum:

Atque aliquis senior qui publica fulgura condit.

Quid sit *fulgura condere* hoc modo explicat: *condi fulgura dicuntur, quotiescunque Pontifex dispersos ignes in unum re-*

E *digit quadam tacita ignorataque prece, & locum aggestione consecratum it.* Sic ibi corrigendum. Citat deinde Lucani versus notissimos. Sed illud ridiculum de ignibus fulminis dispersis colligendis, quod poëtice dictum reor à Lucano. Per ignes autem dispersos fulminis intelligo res quascunque tetigit & ambussit ignis aut scidit, & quocunque alio modo violavit. Eæ dispersæ in unum colligebantur. Et notandum quod ait, *aggestione locum consecratum it.* Quod Lucanum explicat:

---- *tacito cum murmure condit,*

F *Datque locis nomen.*

Significat monumentum eo loco statui, aram nempe, vel puteal, cum aliqua fortasse inscriptione quæ testaretur fulgur sub illa ara conditum. At vetus interpres Persii longe aliter exponit hanc fulguris condendi rationem. *In usu*, inquit, *fuit ut augures vel aruspices adducti de Etruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cujus impetratione rei oves immolabantur.* Sic legendum, non, ut est vulgo: *cujus inpatratione rei.* Hæc pertinent ad fulminum evocandorum morem, de quo Plinius lib. II. cap. LIII. Atque hæc publica fulgura erant. Nam alia fue-

G re privata. De quibus vide Plinium lib. II. cap. LII. Corpora quoque fulguritorum non cremabantur apud Romanos, sed terra condebantur. Ceterum eadem religione defossam ac sacratam constat cotem illam quam Navius novacula secuit, ac fulgurum reliquiæ solebant vel lapides fulminum. Nam & aram sive puteal terræ conditæ impositum tradunt Cicero & Dionysius. Hinc Plinius eamdem aram comitii sub qua depositam alii scripsere cotem Navii, ipse fulguribus conditis erectam narrat. Et hæc videtur quorum-

dam

dam fuisse sententia. Sic de Curtii lacus in medio foro monumento variæ extitere veterum opiniones, quas refert Varro. Omnibus autem locis quæ honorare volebant, aut veneratione aliqua afficere, aris positis ea sacrabant. Achilles Statius Leucippes v. Εἰσὶν ὦ Κλειτοφῶν, καὶ τύχης δωρεαί. Ἤδη τις θησαυρῷ περιτυχὼν τὸν τόπον τῆς εὑρέσεως ἐτίμησεν, βωμὸν ἤγειρεν, θυσίαν προσήνεγκεν, ἐστεφάνωσε τὴν γῆν. Mortuis quoque quorum memoriam venerabantur sæpe pro tumulo aram imposuere, aut juxta tumulum aram. Sed de his alibi. Quod probare intendimus hoc est, diversum fuisse puteal Libonis à puteali Navii. Exagitandus hic alius error doctorum hominum, qui *puteal* pro tribunali vel foro interpretantur. Athenis δικαστήριον fuit ἐν φρέατι dictum. Cujus appellationis longe alia ratio. Nec ille melius vir Magnus qui ad Satyram Persii IIII, puteal pro tribunali & δικαστηρίῳ accipit in hoc versu:

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

Immo de fœneratore exponendus. Ad puteal Libonis consistebant toculliones Romani, & qui argentum bonis nominibus, & idoneo sponsu locare quærebant. De more autem fit, ut qui frequenter ad locum aliquem conveniunt, ibique diu desident, per otium sæpe dum aliud agunt & loquuntur, vel stilo parietem conscribillent, vel unguibus deradant, vel aliquid nugarum faciant. Hinc lepide dictum & ἐμφατικῶς de fœneratore, qui totum diem ad puteal consistebat, expectans qui pecuniam accipere vellet, multa vibice eum puteal flagellare. Cicero pro Sextio *puteal* in hac significatione posuit, de Clodio: *Alter unguentis affluens, calamistrata coma despiciens conscios stuprorum, ac vexatores ætatulæ suæ, puteali ac fœneratorum gregibus inlatus atque compulsus olim, ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret in Tribunatus portum perfugerat.* Vides quid sit puteal, & quomodo apud poëtam accipiendum. Redeamus ad fulgurita quorum gratia hæc omnis deproperata exercitatio. In his *fulgur* idem quod fulmen. Quum tamen ab eadem voce *fulgurare* τὸ ἀστράπτειν significet. *Juppiter tonans & fulgurans*, ὁ Ζεὺς βροντῶν καὶ ἀστράπτων. Plinius: *Noctu magis quam interdiu sine tonitribus fulgurat*, ἀστράπτει. Atqui *fulgur* est κεραυνός. Unde *fulgurire*, κεραυνῶσαι, & *fulguritum*, τὸ κεραυνωθέν. Ita voluit publici usus consuetudo, quæ summa tyrannis est. *Dium fulgur* Festo pro fulmine diurno, quod attribuebant Jovi: *Dium fulgur appellabant diurnum quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani.* Immo *dium* pro diali, id est, Joviali. Ut *Dialis Flamen*. Et Apulejo Diale fulmen: *Diali fulmine attonitus. Dium fulgur*, τὸ Δῖον. Sic *Dius Fidius*, ὁ Δῖος υἱός. Inde & *sub Dio*, quod alii dicunt, *sub Jove*. Est & Δῖον templum Jovis. Δῖος quoque Græcis est divinus, quasi Διῖος ut exponunt grammatici. Plinius ait, *diurna fulmina attribui Jovi, nocturna Summano.* Glossæ: κεραυνοβόλιον ἡμερινὸν, *fulgur Dium.* Ita legendum, non *fulgurium.* Eædem: κεραυνοβόλιον νυκτερινὸν, *Submanum.* Lege: *Fulgur Summanum.* Sed quum *fulgurare* dixerint τὸ ἀστράπτειν, non *fulgur* usurparunt pro ἀστραπῇ, sed *fulgetrum* proprie appellarunt. Plinius: *Fulgetrum prius cernitur, quam tonitrum auditur.* Varro: *cognitio enim trium fulgetri, tonitri, & fulguris, à fulmine orta est.* Ubi etiam *fulgur*, ὁ κεραυνός: *fulgetrum*, ἀστραπή. Quidam & *fulgetram* dixere, ut & ipse Plinius lib. XXVIII. cap. II. *Fulgetras poppysmis adoramus.* Sed rectius *fulgetrum* quam *fulgetra.* Ut enim ab aro aras, *aratrum*: à tono tonis, *tonitrum*: sic à fulgeo fulges, *fulgetrum.* Ita *ancillatrum* pro ancillatione Arnobio lib. VII. *tum deinde salutet adclinis ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus.* Sic locum eum emendavimus auctoritate optimi regii codicis, qui non obscura vestigia hujus lectionis nobis ostendit. *Talare* talo est percutere, κονδυλίζειν. Inde *talatrum.* Quod aliis *talitrum*, ὁ κονδυλισμός. Sic à fero, *feretrum*, τὸ φορεῖον.

Si forte micaverit coruscatio.] Apulejus de Mundo: *Quando perfracta nubecula patefecerit cœlum, ignescunt penetrabiles spiritus, emicatque lux clara, hoc dicitur coruscare. Et ordine quidem tonare prius oportet, postea coruscare. Quippe ubi nubes afflictu, ceu ignifera saxa attritu, ignem ex se dat, obtutus velocius illustriora contingit, auditus dum ad aures venit, seriore sensu concipitur.* Sic le-

A genda ista ex vestigiis scriptorum codicum. Omnes autem ea comparatione utuntur collisorum inter se lapidum ad exprimendam excussi fulminis naturam, aut emicantis coruscationis. Frontinus Stratag. lib. I. *Pericles quum in castra ejus fulmen decidisset, terruissetque milites, advocata concione, lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussit, sedavitque turbationem, quum docuisset similiter nubium attritu excuti fulmen.* Vetus interpres Juvenalis: *nam ex nimio flatu vel certamine ventorum nubes inter se conlisæ tonitrua & coruscus faciunt, veluti saxa inter se collisa ignem excutiunt.* Lege: *tonitrua ac coruscas faciunt.* Hæc *corusca* pro coruscatione: ut *orna*

B pro ornatura: *ancla* pro anclatione: *resona* pro resonatione, ἠχώ. Alexander Aphrodisæus ἐκπύρωσιν, quæ ἀστραπὴ dicitur, ita fieri dicit nubium collisarum inter se flictu, ὡς ἐπὶ πυρεκβόλων λίθων. *Ignifera saxa* Apulejo οἱ πυρέκβολοι λίθοι. Alius proprie πυρέκβολος λίθος, & πυρίτης. Galenus in ἀντεμβαλλομένοις, quum desit πυρίτης, substituendum πυρέκβολον præcipit: ἀντὶ λίθου πυρίτου, λίθον πυρέκβολον. *Pyrites* est, qui vulgo *marcassita* dicitur, & venam æris habet, aliquando etiam argenti admixtam. Græci chymici: ὁ μόλιβδος συγγένειαν ἔχει πρὸς τὸν πυρίτην, ὁ ἐτήσιος λίθος πρὸς τὸν μόλιβδον. Hinc

C in Lexico suo πυρίτην etiam interpretantur per ἐτήσιον: βοστρυχίτης, πυρίτης καὶ ἐτήσιος, ὁ καὶ χρυσόλιθος ἐστί. Sane & pyrites, ex quo fit æs, aureus appellabatur. Inde in eodem Lexico: χρυσός ἐστι, πυρίτης, καδμία, θεῖον. Mentio etiam ibi fit χαλκοπυρίτου βροντησίου. Sed de his alibi. At πυρέκβολος λίθος lapis ignifer, vel igniarius, quo ad ferrum attrito vulgo utuntur ad excutiendum ignem. *Focarem lapidem* infima Latinitas dixit. Glossæ: *Focaris petra*, quod vulgo πυρεῖον dicitur. Hunc etiam *vivum lapidem* dixere. Et hæc obiter. *Claricationem* vulgo dicimus coruscationem. Apulejus in libro de Mundo: *tum quia ignes pernicitate sui claricantes visioni nostræ*

D *convibrant.* Ita legendum ex scriptis. Idem *coruscationem* exponit *claram lucem.*

Vitia contrahunt abortiva.] Φυσήματα vocabant. Plinius: *Si vero & tonuerit pavidas ac repente compressas, quæ vocant physemata efficere specie modo inani inflata sine corpore. Hos esse concharum abortus.* Non Indi sic appellabant, sed mercatores Alexandrini, aut Græci. Ita de piperis semine abortivo & atropho, ὅπερ καλεῖται βράσμα, non ab Indis eo modo vocatum est, ut perperam Plinius accepit, sed à mercatoribus Alexandrinis. Ab ea voce βράσμα venti βρασματίαι appellati.

E Quæ conchis adhærescebant, & lima inde avellendæ erant margaritæ, quia alteram faciem planam habebant, dicebantur τυμπάνια. Sic interpungenda Plinii verba, quibus hoc dicit: *crassescunt etiam in senecta, conchisque adhærescunt, nec his avelli queunt nisi lima, quibus una tantum est facies & ab ea rotunditas, aversis planities. Ob id tympania nominantur.* De hac voce diximus in commentario de instrumentis musicis.

Pag. 61. C. *Ne fuscentur lapides solis calore.*] Ita hactenus omnes habuere editiones. Prorsus mendosè. Nec enim fuscantur aut nigrescunt margaritæ solis ra-

F diis, sed rufescunt. Plinius: *Sole rufescere candoremque perdere, ut corpus humanum.* Ita libri. Editi: *sole rubescere.* Ammianus ex hoc Solini loco: *Vespertini vero fuscos: sol contra & rutilos & maculosos interdum.* Rutilus ac rufus color multum à fusco distant. Recte in libris scribitur: *ne fucentur lapides solis calore*, id est, colorentur. Nam *fucus* pro colore. Et *fuci* de omnibus coloribus. Glossæ: *fucus*, χρῶμα. Non tamen heic *fucari* de quolibet colore positum credo. *Fuci* sic proprie dicti color est rubeus, & quadamtenus puniceus. Hinc *fucari* hoc loco pro rubescere, vel rutilari noster usur-

G pavit. *Fucus* ex Græco φῦκος. Quod enim Græci φῦκος appellant, Latini *fucum* dicunt. φῦκος φοινίσσον Nicandro dicitur:

Ἠὲ σὺ δὴ καὶ φοινίσσον καταβάψεο φῦκος.

Servius: *fucus, herbæ genus, qua vestes tinguntur.* Hæc herba Græcis φῦκος. Plinius miram inconstantiam & indiligentiam in hujus herbæ historia prodidit lib. XIII. cap. XXV: ubi ex Theophrasti verbis φῦκος describit, negat id nomen aliam linguam habere: *Non habet lingua alia nomen, quod Græci vocant phycos, quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur, hic autem*

rem eſt frutex. Vult Plinius id, quod Græci φῦκ@ vocant, Latinum nomen non habere. Nam *algam* herbam potius ſignificare, φῦκ@ autem eſſe fruticem. Nugæ. Alterum genus φύκυς, quod ibi ex Theophraſto deſcribitur, plane herba eſt, non frutex: *alterum genus ejuſdem capillaceo folio, ſimili fœniculo, in ſaxis naſcitur.* Ita ſcribendum. Theophraſtus: τὸ δὲ τριχόφυλλον, ὥσπερ τὸ μάραθρον, ἐ πώδες ἐδ' ἔξωχρον, ἐ δὲ ἔχον καυλὸν, ἀλλ' ὀρθόν πως ἐν αὐτῷ: φύεται δὲ ἐπὶ τῶν ὀςράκων ἐπὶ τῶν λίθων. Quod caulem non habet, ſed ſola folia ſubrecta, in petris & teſtis naſcentia, herba potius quam frutex dici debet. Immo nullo modo in fruticibus numerari poteſt. Hoc genus Dioſcorides βρύον θαλάσσιον vocavit, & ἀπὸ τῶ φύκυς diſtinxit. Hæc verba ejus ſunt, ita ex vetuſtiſſimo codice legenda: βρύον θαλάσσιον φύεται ἐπὶ λίθων, καὶ ὀςράκων παρὰ θαλάττῃ, τριχώδες, ἰσχνὸν, ἄκαυλον. Habes heic plane alterum genus φύκυς Theophraſti. Hinc alii βρύον θαλάσσιον & φῦκ@ idem faciunt, ut revera eſt. Nam φῦκ@ alterum Theophraſti capillaceo capillo, & ſine caule eſt βρύον θαλάσσιον Dioſcoridis. Heſychius: φύκια, θαλάττια, βρύα. Idem alio loco: βρύα ἃ γίνεται ἐπὶ πετρῶν: λέγεται δὲ καὶ φῦκ@ ἢ φύκιον. Aëtius: φῦκ@, βρύον ἐςὶ τῆς θαλάττης. Φυκότριχα πέτραν Matron vocavit, cui innatum eſt φῦκος illud τριχῶδες, quod eſt βρύον θαλάττιον Dioſcoridis. Clemens Alexandrinus in admonitione adverſus gentes: τῷ κόσμῳ περιπεφυκότες, οἷα φύκιά τινα ἐνάλοις πέτραις. Latini *algam* dixere, & *muſcum marinum.* Apulejus in Apologia: *Denique muſcum, & algam, & cetera maris ejectamenta, quæ ubique littorum expelluntur, ſalo expuuntur, tempeſtate reciprocantur, tranquillo deſeruntur.* Muſcum & algam, βρύον καὶ φῦκ@. Apud Ariſtotelem in Admirandis: βρύον καὶ φῦκ@. Straboni: μνίον καὶ φῦκ@. Idem porro μνίον quod βρύον. Idem Ariſtoteles alibi: ὡς ἐπὶ τοῖς ὀςράκοις φῦκ@ καὶ βρύον. Gloſſæ: *alga*, φῦκ@. Item aliæ: βρύον, alga, *lana marina*. Per *lanam marinam* intelligit muſcum. Nam *muſcus* nihil aliud quam villoſa lanugo petris innaſcens. Sic βρύον θαλάττιον eſt muſcus marinus, & alga, quod Græci φῦκ@ alio nomine dixerunt. Gloſſæ veteres: φῦκ@, *alga*, *fucus*. Heſychius: φῦκος, τὸ περιςρεφόμενον ἀπὸ τῆς θαλάττης τῇ γῇ, ὅπερ ἔνιοι καὶ πράσον καλῦσι, καὶ ἀκρωτήριον Λιβύης, καὶ βρύα ἢ φύκια. Algam plane deſignavit, quæ è mari in littus evolvitur ac projicitur:

---- *projecta vilior alga.*

Sed & primum genus φύκυς à Theophraſto deſcriptum notat, quod aliis πράσον dicebatur. Quod & ipſum herba eſt, non frutex: τῦ φύκυς τὸ μὲν ἐςὶ πλατύφυλλον, ταινιοειδὲς, χρῶμα ποῶδες ἔχον, ὃ δὴ καὶ πράσον καλῦσί τινες. Hoc primum genus à Dioſcoride recenſetur ſub nomine φύκυς θαλασσίυ his verbis: φῦκ@ θαλάσσιον, τὸ μὲν τοι αὐτῦ πλατὺ, τὸ δὲ ὑπόμηκες καὶ ὑποφοινίσσον. Ita liber vetus, non φοινίσσον. Mirum vero duo genera facere Dioſcoridem τῦ πλατέ@ καὶ τῦ ὑπομήκυς, quod unicum eſt Theophraſto. Nam ταινιοειδὲς idem illi eſt, quod Dioſcoridi ὑπόμηκες. Male ſcribitur πετανοειδὲς. Melius tamen legi putem, ταινιειδὲς à verbo τανύω. Inde & τανυήκης quod longam habet aciem, & τανύπεπλος, & τανύπλυς, & τανύπτερος, & τανύτριχες à prolixis capillis & ſimilia. Nihil autem prohibet eamdem herbam folium habere & longius. An igitur ſcribendum in Dioſcoride: τὸ μὲν αὐτῦ ἐςὶ πλατὺ καὶ ὑπόμηκες. An potius apud Theophraſtum Dioſcorides legit: τὸ μὲν ἐςὶ πλατύφυλλον, τὸ δὲ τανυειδὲς. Non tamen puto. Alia non conveniunt. Nam Theophraſteum, ποῶδες χρῶμα ἔχει: Dioſcorideum ὑποφοινίσσον. Plinius ita legiſſe in Dioſcoride videtur, ut hodie legimus lib. XXVI. cap. X de fuco marino: *tria autem ejus genera, latum, & alterum longum, quadamtenus rubens: tertium criſpis foliis, quo in Creta veſtes tinguntur.* Ex quibus conſtat in Dioſcoridis verbis ſcribendum eſſe: τὸ μέν τοι αὐτῦ πλατὺ, τὸ δὲ ὑπόμηκες, καὶ ὑποφοινίσσον, τὸ δὲ οὖλον, φυόμενον δὲ ἐν Κρήτῃ περὶ τῇ γῇ. Male excuditur hodie: τὸ δὲ λευκὸν, φυόμενον δὲ ἐν Κρήτῃ. At liber antiquiſſimus diſertè exhibet τὸ δὲ οὖλον, & ὑποφοινίσσον, quod Plinius reddit, *quadamtenus rubens.* Idem plane eſſe exiſtimo, quod à Theophraſto priore loco recenſetur. Et legendum in verbis ejus: πλατύφυλλόν τι καὶ ταινιειδὲς, lato folio & longiore. Ad diſcrimen ejus generis, de quo ſequi-

A tur, quod eſt τριχόφυλλον, longo & capillaceo folio. Dioſcorides perperam de duobus acceperit quod unum eſt. Nec obſtat quod Dioſcoridis φῦκ@ illud dicitur eſſe ὑποφοινίσσον, Theophraſt@ ποῶδες φύλλον ἔχον. Viride quidem & herbaceum habet folium, ſed radicem rubentem ſumma parte. Theophraſtus de illo genere: ῥίζαν δὲ ἔχει δασεῖαν, ἔξωθεν δὲ πυῤῥάν. Male apud Theophraſtum legitur: ἄνωθεν δὲ λεπυρία. Quod Græcum non eſt, & falſum prorſus eſt. Ab eo radicis rubore puniceo ὑποφοινίσσον Dioſcoridi dicitur, qui de illa ipſa ſpecie intelligit. Plinius alio loco ita vertit locum eum Dioſcoridis, quaſi legiſſet: τὸ μὲν αὐτῦ πλατὺ καὶ ὑπόμηκες. Lib. XXXII. cap. VI. *Plura*

B *ejus genera uti diximus, longo folio & latiore, rubente: aliave criſpo laudatiſſima, quæ in Creta inſula juxta terram in petris naſcitur.* Ita diſtinguendum. Ceterum βρύον & φύκος idem eſſe teſtatur idem Theophraſtus. Nam in generibus φύκυς recenſendis indifferenter & βρύον nomen pro eodem uſurpat: ἄλλο δὲ βρύον ὃ φύλλον ἔχει ποῶδες τῇ χρόᾳ, πλατὺ δὲ καὶ ἐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις. Idem quippe eſt ac ſi dixiſſet: ἄλλο δὲ φῦκος. Male igitur reddunt: *Eſt aliud bryum dictum.* Immo debuere: *eſt aliud fuci, vel algæ genus.* Si quod genus φύκυς ſpeciali appellatione βρύον vocari debuit, hoc maxime nomen

C conveniebat ei generi, quod τριχόφυλλον appellat Theophraſtus, τριχῶδες Dioſcorides, qui & βρύυ θαλασσίυ nomen ei quaſi proprium attribuit. Plinius vertit: *aliud genus fruticum, bryon vocatur, folio lactucæ.* Malè. Hæc omnia genera herbæ ſunt, non frutices. Fruſtra itaque dubitavit Plinius, an φῦκ@ Græcorum *algæ* nomine reddi poſſet apud Latinos. Quin & ipſemet ita interpretatus eſt lib. XXXII. cap. VI. *Et algam maris Theriacem eſſe Nicander tradit, plura ejus genera uti diximus, longo folio & latiore rubente*, &c. φῦκ@ θαλάσσιον Dioſcoridis ita nominavit; ſed & alibi

D φῦκ@ φοινικῦν *algam rubram* vocavit. Neophytus in Lexico: φῦκ@ βρύον ἐρυθρὸν θαλάσσιον. Sed & qui lib. XIII. cap XXV negaverat φῦκ@ Græcorum in alia lingua nomen habere, quum Theophraſti verbis ejus deſcriptionem exararet, idem lib. XXV. cap. X, ubi ex Dioſcoride hoc ipſum φῦκ@ reponit, *fucum marinum* Latine interpretatus eſt. *Præcipue*, inquit, *liberat eo malo phycos thalaſſium, id eſt, fucus marinus, lactucæ ſimilis, qui conchyliis ſubſternitur.* Ita heic loquitur, quaſi hoc φῦκ@ θαλάσσιον diverſum eſſet ab eo φύκει, quod ex Theophraſto deſcripſit libro decimo tertio. Certe φῦκ@ ſimpliciter nominatum Theophraſto, at Dioſcoridi φῦκ@ θαλάσσιον. Hoc tamen loco ſub no-

E mine φύκυς θαλασσίυ & fuci marini eam ſpeciem deſignavit, de qua inter alia genera φύκυς ſcripſit Theophraſtus: ἄλλο δὲ βρύον ὃ φύλλον ἔχει ποῶδες τῇ χρόᾳ, πλατὺ δὲ καὶ ἐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις. Nulla quippe φύκυς apud Dioſcoridem mentio, quod lactucæ ſimile ſit. Mox tamen ibi ſubjungit φύκυς θαλασσίυ diviſionem in tria genera ex eodem Dioſcoride. In indice hujus loci ita ſcripſit: *Phycos III genera, quod fucus marinus.* Cur igitur ſupra negabat φῦκ@ nomen habere in alia lingua? Cur *algam* dici non poſſe contendebat, quia herbæ ſit hoc nomen, φῦκος autem eſſe fruticem. At-

F qui φῦκος, ſive βρύον marinum prorſus herba eſt, & maxime quidem humilis, nam caule caret, ſolis foliis capillaceis & lanuginis inſtar ſubrectis naſcentibus. Sed quia ὑλήματα vocavit eo loco τὰ φύκη, Plinius frutices eſſe tantum putavit. Atqui Theophraſtus, quidquid non eſt arbor, ὕλημα ſolet vocare. Et hanc vocem etiam de herbis uſurpat. Idem eodem loco ſic vertit: *eſt aliud genus fruticum, bryon vocatur, folio lactucæ, rugoſiore tantum jam hoc interius naſcens. In altero vero abies & quercus cubitali magnitudine.* Multa heîc peccata Plinii. Græca ſic habent:

G ἄλλο δὲ βρύον, ὃ φύλλον ἔχει ποῶδες, πλατὺ δὲ καὶ ἐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις. Ita legendum, non, ut eſt vulgo: ἄλλο δὲ βότρυον. Non ex fruticum genere illud βρύον, ſed herbarum. Omnia illa quæ præceſſere φυκῶν genera apud Theophraſtum, & ἐλάττω eſſe dicuntur: καὶ τὰ μὲν inquit, ἐλάττω σχεδὸν ταῦτά ἐςιν, ἡ δὲ δρῦς καὶ ἐλάτη περίσχοι μὲν ἄμφω. Inter majora maris virgulta refert quercum & abietem, quæ tamen cubitalem magnitudinem non excedebant. Ceteræ, de quibus ante tractavit muſcorum,

muſcorum, vel algarum ſpecies longe minores, & herbis potius quam fruticibus adnumerandæ, quarum quædam, nec caulem habent, ſed ſolis conſtant foliis. Præterea perperam ſcribit genus illud, quod ibi βρύον vocatur, diverſum eſſe à phyco. Theophraſtus, ut ſupra notavimus, nomina φύκους & βρύου indiſcretim uſurpat. Ita igitur vertendum fuit. *Eſt & aliud genus algæ, vel muſci marini.* Plinius ipſe lib. XXVI. cap. X. φῦκος θαλάσσιον, id eſt, fucum marinum ex alio quodam auctore hoc βρύον Theophraſti indigetat, cui folia ſunt lactucæ ſimilia. *Folio lactucæ, rugoſiore tantum.* Legit ergo apud Theophraſtum: φύλλον πλατὺ δὲ καὶ οὐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις, πλὴν ῥυσσωδέστερον. Ubi vulgati obtinent, χρυσωδέστερον. Alia ejus peccata ventilemus. Quercum & abietem in alto naſci perperam B aſſerit, quum Theophraſtus dicit προσγείους ἄμφω eſſe, id eſt, interius naſci, & non longe à terra. Aliud genus quercus ibidem ſcribit Theophraſtus in alto naſci: φασὶ δὲ τινὲς καὶ ἄλλην δρῦν εἶναι ποντίαν. Ἡ καὶ καρπὸν φέρει, καὶ ἡ βάλανος αὐτῆς χρησίμη. Has duas quercus ſpecies ille confundit, τὴν πρόσγειον καὶ τὴν ποντίαν, littoralem & in alto naſcentem. Sequitur apud Theophraſtum: τοὺς δὲ σκινθοὺς καὶ κολυμβητὰς λέγειν, ὅτι καὶ ἕτεραι μεγάλαι τινὲς τοῖς μεγέθεσιν εἴησαν. Qui ſunt illi σκινθοί. Græco ſolo cœloque ignoti, quos in mari C opus ſuum exercere hinc manifeſtum eſt? Legendum putarim, τοὺς δὲ δύτας καὶ κολυμβητάς. Vel certe, τοὺς δὲ σπογγεῖς καὶ κολυμβητάς. Sed Plinius videtur legiſſe δύτας, qui Latine reddit *naufragos* his verbis: *glandem etiam quaſdam ferre in alto, naufragis hæc deprehenſa, urinantibuſque.* Græcis naves δύεσθαι dicuntur quæ ſubmerguntur. Hinc δύτας pro naufragis accepit. Ineptiſſime. Neſcio ego, quomodo ſcire poſſint naufragi, quid *in fundo* maris alti naſcatur. Nec enim naufragi fundum maris petere ſolent niſi moribundi, nec inde redeunt niſi mortui. Hoc proprium urinatorum, D qui vivi ſeſe mergunt & emergunt, & profunda marium ſcrutantur, ut res marinas expiſcentur. Illis inquam ſolis convenit fundum maris explorare & anquirere quid ibi naſcatur fruticum aut herbarum, non naufragis, qui aliud habent quod agant, & ſæpius quidem ne ferientur, agunt animam. Græci δύτας vocant & κολυμβητάς. Polluci verbum δύτης pro urinatore non ſatis honeſtum eſt, licet Herodotus eo uſus ſit. Δυομένους magis dici probat: ὕφυδροι, κολυμβηταί, δυόμενοι. Ὁ γὰρ δύτης εὐτελὲς, εἴρηκε δ' αὐτὸ Ἡρόδοτος ἐπὶ τοῦ Σκυλλίου. Ita ſcribenda hæc verba Pollucis. Inepte doctus interpres vertit: *Hoc autem de catulo uſus* E *eſt Herodotus.* Immo, *de Scyllia urinatore.* Verba Herodoti lib. VIII: ἦν γὰρ ἐν τῷ στρατοπέδῳ τούτῳ Σκυλλίης Σκιωναῖος δύτης τῶν τότε ἀνθρώπων ἄριστος. Imperite igitur atque abſurde δύτας naufragos interpretatus eſt Plinius. Gloſſæ: *urinator*, κολυμβητής, δύτης. Ut ad rem redeamus, φῦκος eſt alga, vel fucus marinus; βρύον, muſcus, βρύον θαλάττιον Dioſcoridi cognominatur ad diſcrimen terreſtris βρύου, quod arboribus & ſaxis inſtar villorum aut lanuginis innaſcitur. Feſtus Avienus in ora maritima *fucum* recte vertit τὸ φῦκος Græcorum, quod in mari naſcitur:

F *Adjicit & illud, plurimum inter gurgites*
Extare fucum, & ſæpe virgulti vice
Retinere puppim.

Theophraſtus φῦκος abſolute vocat algas omne genus, quæ non longe à terra in mari naſcuntur. Et ſpeciem quandam marini fuci πόντιον φῦκος cognominat, quia in alto naſcitur, & longe à littoribus. Aliud enim Græcis θαλάσσιον, aliud πόντιον, vel πελάγιον. Quodcunque in mari naſcitur propius terram aut littora id θαλάσσιον eſt. At πόντιον, vel πελάγιον dici non quit, niſi in alto creſcat, & longe à littoribus. Theophraſtus: τούτων δὲ τὰ μὲν πρόσγεια, τὰ δὲ πόντια. Inde & πόντιον φῦκος G genus quoddam algæ, quæ in alto provenit, id & πελάγιον. Τὸ δὲ πόντιον φῦκος ὃ οἱ σπογγεῖς ἀνακολυμβῶσι, πελάγιον. Græce σπογγεῖς ſunt, qui ſpongias urinando expiſcantur, quos & σπογγοκολυμβητὰς appellant. Ergo & ſpongiæ in alto. Unde & πόντια ῥάκη Græcis vocantur. Heſychius: πόντια ῥάκη, σπόγγοι. Idem: πόντια, σπόγγοι. *Pelagios pannos* liceat potius dicere quam *marinos.* Dioſcorides φῦκος θαλάσσιον dixit ut diſtingueret à terreſtri, quo mulieres utebantur. De quo paulo poſt. Non omnis autem marinus fucus tingendo aptus, ſed ſolus Creticus. De quo Plinius ex Theophraſto: *Circa Cretam inſulam nato in petris purpuras quoque inficiunt, laudatiſſimo à parte aquilonis, aut cum ſpongiis.* In optimo libro eſt: *aut ſpongiæ.* Scribendum, *ut ſpongiæ.* Theophraſtus: γίνεται δὲ καὶ ἐν τῇ προσβόῤῥῳ πλεῖον, καὶ καλὸν ὥσπερ αἱ σπογγίαι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα. *Purpuras infici* dixit Plinius Cretico fuco, id eſt, purpureum colorem. Sic Tyria atque conchylia herbis tingi ait, quæ Tyrium & conchyliatum colorem tingendo imitantur: *Tranſalpina Gallia herbis Tyria & conchylia tingit & omnes alios colores.* At Theophraſtus eo loco ſcribit Cretico fuco tænias, & lanas, veſtimentaque tingi, colore pulcriore quam purpuræ, quamdiu recens eſt: καὶ ἕως ἂν ᾖ πρόσφατος ἡ βαφή, πολὺ καλλίων ἡ χρόα τῆς πορφύρας. Ergo colorem remittit, nec retinet. Plinius tamen lib. XXXII. cap. VI. colorem algæ Creticæ adeo alligari memorat, ut poſtea elui non poſſit: *laudatiſſima, quæ in Creta inſula juxta terram in petris naſcitur, tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut poſtea elui non poſſit.* Id habet ex Dioſcoride, qui de fuco marino in inſula Creta naſcente ita ſcribit: τὸ δὲ ὅλον φυόμενον ἐν Κρήτῃ πρὸς τῇ γῇ εὐανθὲς σφόδρα, καὶ ἄσηπτον. Sed peream, ſi verba Dioſcoridis intellexit Plinius. Non de tinctura Cretici fuci ille loquitur, ſed de herbæ ipſius colore. Præceſſit apud eum alterius fuci marini deſcriptio, quem dicit eſſe ὑπομήκες καὶ ὑποφοίνισσον, id eſt, paulo longiorem & colore quadamtenus puniceo. Protinus ſubjicit de Cretico, τὸ δὲ ὅλον, καὶ εὐανθὲς σφόδρα, καὶ ἄσηπτον. Genus illud ὑποφοίνισσον, id eſt, leviter puniceum, iſtud εὐανθὲς, colore ad plenum puniceo & florido. Vetus epigramma:

Εὐανθὲς πόντου φῦκος ἀπηνυμένα.

De herbis ipſis utique ſermo eſt, & eo colore, quo à natura imbutæ ſunt, non de tinctura, qua veſtes imbuunt. Τὸ ἄσηπτον quoque ad plantam ipſam refertur, quam immarceſcibilem eſſe vult, non ad colorem. Nec enim ἄσηπτον de colore permanente ac tenaci uſurpant Græci, ſed ἐγκρατῆ vocant, μόνιμον, ἀνέκπλυτον, ἀμετάτρεπτον, ἀνεξίτηλον, & ſimilia. Latini *alligari* de colore, qui conſtanter hæret, nec eluitur, aut evaneſcit: Græci ſimiliter dicunt κατέχεσθαι. Et κατόχιμα vocant medicamenta, quæ colorem alligant, ac retinent. Chemici Græci in rebus tingendis tria requiri ſanciunt, τὴν ἀραίωσιν, τὴν βαφὴν, καὶ τὴν κατοχήν. Appellant ἀραίωσιν, qua corpora rarefacienda ſunt, ut colorem recipiant & imbibant: βαφὴ ipſa tinctura eſt: κατοχὴ coloris alligatio, quum ſuperinducitur medicamentum, quo tinctura alligatur, & ex fluxa fugacique hæc tura redditur ac permanens. Zoſimus περὶ χημευτικῆς: ἐπὶ καὶ τὸν παντοῖον δείκνυσι λίθον. Τοῦτο καὶ τὰ μιγνύμενα κατέχει. Alii pro κατοχῇ nominant σύψιν, & pro ἀραίωσει εἰσκρισιν, & hæc tria tingendis corporibus neceſſaria aſſerunt: τὴν εἴσκρισιν, τὴν βαφὴν, καὶ τὴν σύψιν. Quidam & quartum addebant, τὴν στίλψιν. Latini *lumen* dicunt, nos *luſtrum.* Veteres ſane Græci σύμμα pro medicamento, quo aliquid tingitur, uſurparunt, & σύφεσθαι pro tingi vel infici. Unde ἐσυμμένον tinctum & infectum. At σύφεσθαι proprie adſtringi ſignificat & alligari. Et τὰ συπτικὰ medicamenta quæ vim habent adſtringendi. Non omnis ergo color σύμμα, vel omnis tinctura σύψις, ſed ea qua ſimul tingitur & alligatur color. Quod omnia faciunt infectoria medicamenta, quæ facultate adſtringendi etiam prædita ſunt. Zoſimus: ἀλλ' εἴπερ ἐνδέχεσθαι βάπτεσθαι ὁμοῦ καὶ κατέχεσθαι, ἐνδέχεται καὶ σύφεσθαι τὴν βαφὴν: ἔχειν δὲ τὸν ζωμὸν τὸν σύφοντα, ἤτοι τὸν εἰσκρίνοντα καὶ βάπτοντα, καὶ κατέχοντα. Notavimus alibi ζωμὸν Græcis dici, quod Latinis *jus* tinctorium nempe decoctum. Multi tribus diverſis ζωμοῖς tria illa ſeorſim conficiebant, ut uno jure præpararent ſpecies ad recipiendum colorem, quod προβάφιον etiam dixerunt, & ὑποσυψιν: altero tingerent eas colore cupito, tertio colorem alligarent. Quidam una decoctione hæc tria ſimul parabant. De lapidum quidem tinctura hæc ſcribunt auctores illi, ſed idem obtinebat in purpura tingenda. Ἀραιώσεως, καὶ βαφῆς, καὶ σύψεως δεῖται πᾶς λίθος: ἀραιώσεως μὲν ἵνα παραδέξηται τὴν χροιάν: βαφῆς δὲ διὰ τὸ ποθούμενον κάλλος καὶ τέλος: σύψεως δὲ διὰ τὴν παραμονὴν τῆς μορφῆς. Iidem auctores: Δυσκέλειτος

μόκειτ@ ἢ Μαρία, ἢ Σώσιμ@ τὴν ἢ ἑνὸς ἀπάρξασιν ἢ πάντα ἔχοντος ὃν τρόπον ἢ ἐπὶ τῆς ψυχροβαφοῦς ἐδιχαίωσε πορφύρας: δυνατὸν γὰρ κακεῖ ἢ εὐφεδῆ τὴν αὐτὴν, ἢ ἐπιβάπτεσθ κοκκίνῳ, εἴτα ἢ ἐπιβάπτεσθ κυάνεον. Ubi notandum ψυχροβαφῆ purpuram appellari, quæ frigida tantum aqua intingitur, non jure decocti, quæ in fervente jure non coquitur. Unde *vellera incocta Tyrios rubores* apud Poëtam, quæ opponuntur τοῖς ψυχροβαφέσι.

Vellera mutantur Tyrios incocta rubores.

Pollux: τὸ ἢ ὑδροβαφὲς εἴη ἂν ἱμάτιον, ὃ νῦν ψυχροβαφὲς καλοῦσι. Sed de his alibi. Tinctura igitur, nisi σύψῃ alligata sit, non potest esse diuturna. Græci: ἥ τε βαφὴ σὺν τῇ σύψῃ μιχεῖσα, ἢ ἐπὶ πλείονα χρόνον ἐπισχεῖ τὸ κάτοχον: τοῦτο ἢ μὴ θέλοντο μὲν πάροδ@ ἡ βαφὴ ἢ ἀσθενὴς, ἢ ἀπρόσμον@ ἔσται. Ubi etiam advertes πάροδον vocari τὴν βαφὴν, quæ non retinet fucum, quasi *transitoriam* dicas, & violaticam. Φθυκτὰ etiam dixerunt, quæ fucum remitterent, & fugiente colore tincta essent, ut contra ἀφευκτα, quæ minime fugaci & fluxo fuco imbuta erant. Zosimus: τὸ θεῖον ὕδωρ τὸ ἄθικτον, τουτέστι τῆς πορφύρας διὰ τὸ τίμιον ἢ ἀφθυκτον. Et alibi: τὸ γὰρ θεῖον ἄπυρον τὰ φθυκτὰ ἀφθυκτα ποιεῖ. Democritus de ratione tingendæ purpuræ: ταῦτα τὰ ἄνθη περιπεπίμλωται περὶ τῶν περιέργεστέρων, ἢ εἰσὶ φθυκτὰ, οὐ τίμια. Et paulo post multos alios colores recenset quos ait οὐ τιμίους quidem esse sed ἀφθύκτους. Stephanus Philosophus in Praxi nona ad Heraclium: τὸ μέντοι ἀῤῥήκτους ποιεῖν τὰς οὐσίας, ἢ ἀφθύκτους τὰς βαφὰς ἐκείνη θεῖς ἐστὶ μόνον. Immo etiam ἀῤῥέκτους βαφὰς vocarunt, quæ non remittebant. Zosimus Panopolita: τοῦτο ὁ τὰς βαφὰς ἀῤῥήκτους ποιῶν, ἔτο ἢ τὰς οὐσίας. Plinius eodem plane sensu τὸ ἄσηπτον accepit apud Dioscoridem, ubi tradit φῦκος Cretense εὐανθὲς εἶναι ἢ ἄσηπτον. Quod non de colore ille dixit, sed de frutice. Algæ autem Cretensis color, quo lanæ imbuuntur, non diu durat vel teste ipso Theophrasto, qui purpura præstare asserit ex eo tincturam, dum recens est. Remittit igitur fucum, ut Plinius loquitur, vel, ut Græci, ἀνίεται τῆς βαφῆς. Pseudonymus quoque Democritus de purpura tingenda φῦκ@ inter eos colores recenset, quos φθυκτοὺς ἢ οὐ τιμίους appellat. Φῦκ@ ὁ καλοῦσι ψυδοκ[?]χύλιον ἢ κόκκον, ἢ ἄνθος θαλάσσιον, ἄγχουσαν Λαδικίνην, κερμνὸς ἐρυθρόδανον τὸ Ἰταλικὸν, φυλάνθιον τὸ ἰνδικὸν, σκώληξ ὁ πορφύρεος, ῥόδιον τὸ Ἰταλικὸν, ταῦτα τὰ ἄνθη περιπεπίμλωται περὶ τῶν περιέργων, ἢ εἰσὶ φθυκτὰ οὐ τίμια. Fucus marinus Cretensis, quem Dioscorides heic εὐανθῆ vocat, Φοινικοῦν φῦκ@ paulo post appellat. Νίκανδρ@ ἢ φησὶ ἢ μελακὸν εἶναι τὸ Φοινικοῦν. Nicandro dicitur Φοινίσσον φῦκ@. Plinius *algam rubram* nuncupat lib. XXVII. cap. VII. *Alga rubra & scorpionum ictibus.* Neophytus βρύον ἐρυθρὸν in Lexico. Tingebantur eo lanæ, sed evanescente tinctura ac fugiente. Idem Plinius lib. XXVI. cap. x scribit φῦκ@ θαλάσσιον, *hoc est, fucum marinum conchyliis substerni.* Significat conchyliatæ vestis tincturam eo colore præparari. Substernuntur colores, quibus primum lana imbuitur, ut alii pretiosiores superinducantur. Hodie varantia & guastum coccineis, & purpureis substerni solent, ut colorem alligent, & tenacem faciant. Sic de anchusa alibi tradit: *præparat lanas pretiosis coloribus.* Substerni eam intelligit coloribus pretiosis ut conchyliis ac purpuris, & cocco. Ab hoc marino fuco tingendis vestibus idoneo Latini tincturam omnem *fucum* appellavere. Plinius: *Jam vero infici vestes scimus admirabili fuco.* Vetus poëta:

Nec tonsiles tapetes ebrii fuco.

Solinus supra: *Ut plurimum fuci artus bibant.* Tertulliano *herbarum fuci* in libro de cultu fœminarum: *Nimirum enim & Deus demonstravit fucis herbarum & concharum alveis incoquere lanas.* Rectius tamen ibi legatur *fucis.* Sed & pro *concharum alveis* vetus liber Agobardi habet: *concharum salivis incoquere lanas.* Quod & conjectura videram, priusquam librum vidissem. Plinii diligentem lectorem ubique se fatetur Tertullianus. Et hoc ex illo sumpsit. Ita enim de purpuris scribit: *mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant.* Ubi *lentorem salivant*, id exprimit quod Aristoteles dixit: ἀφιᾶσι γλισχρότητά τινα μυξώδη. Saliva tamen illa purpuræ lenta ac ceracea, non inficiebantur vestes, sed fuco florido, quem in mediis faucibus habent purpuræ. De coloribus, qui herbarum fucis tingebantur, eximius ha-

A betur apud eumdem Plinium locus, quem multis mendis gravissimis depravatum heic lubet adponere, ut est emendandus lib. XXII. cap. II. *Jam vero vestes scimus infici admirabili fuco. Atque ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ, Hispaniæ cocci granum imperatoriis dicatum paludamentis, Transalpina Gallia herbis Tyria atque conchylia tingit, & alios omnes colores, nec quærit in profundis murices, seque objiciendo escam dum præripit beluis maris, intacta etiam anchoris scrutatur vada, ut inveniat per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor insidietur nuptæ. Stans & in sicco carpit, quod frugi non oderit, culpa non abnuat. Usu alioquin fulgentium instrui poterat luxuria*

B *certe innocentius.* Vel etiam: *innocentium.* Ut ille locus in vulgatis conceptus est, nihil est contaminatius. Poterat etiam legi: *quo frugi non oderit culpa non abnuat uti. His alioquin fulgentibus instrui poterat luxuria, certe innocentibus.* Sed illud magis accedit ad vestigia veteris scripturæ. Iidem libri habent: *ut sileamus Galatiæ Africæ Lusitaniæ granis coccum.* In aliis legitur: *cocci granum.* Quod nunc nobis verius visum. *Coccum* pro frutice heic accepit, ut apud Dioscoridem accipitur. Sic alibi de chamelæa, quem κόκκον κνίδιον quidam vocarunt: *ex herba chamelæa granum cocci ferente.* Potest ta-

C men etiam retineri ex antiqua lectione: *grani coccum.* Nam *coccum* pro ipsa tinctura coccinea usurparunt. Ceterum inter herbas tincturæ aptas non ultimum locum obtinuit φῦκ@ θαλάσσιον, vel fucus marinus ex Creta. Unde & *fucus* pro tinctura, & *fucare* pro tingere, vel inficere. Tertullianus de habitu muliebri: *Et medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur.* Et *fucum* proprie sumptum hic liceat intelligere. Ab hoc marino φύκει diversum fuit φῦκ@, quo mulieres utebantur ad expingendas rubore genas. Quidam alga maris puniΝcea ad fucum genis indendum mulieres usas esse existimarunt, quos reprehendit Dioscorides: φῦκ@ Φοινικοῦν

D ὅπερ ἔδοξαν ἔνιοι εἶναι, ᾧ αἱ γυναῖκες χρῶνται, ὄντος ἐκείνου ῥίζα, ὁμωνύμως ἢ καλουμένου φύκους. Radicem ait esse eodem nomine, quo mulieres ruborem genis conciliabant. Radix illa herbæ in terra nascentis, quæ & φῦκ@ dicta est. Ideo φῦκ@ θαλάσσιον cum cognomento vocitavit, ut ab hac discerneretur. Sed quænam illa radix? an anchusa? certe anchusæ radice ad hanc rem usas fuisse olim mulieres certum est. Hesychius: ἄγχουσα, ῥίζα ἢ φυκοῦνται τὰ γύναια. Idem: ἀγχουσίζεται, ἐντρίβεται τὰς παρειὰς οἱονεὶ φυκάρῳ. Infima Græcia φύκαρον, vel φυκάριον dixit pro fuco mulierum. Dicebatur &

E ἔγχουσα. Idem Hesychius: ἔγχουσα ῥίζα τις, ἢ παρειὰς ἐρυθραίνουσιν αἱ γυναῖκες. Sanguineo colore inficit anchusæ radix. Rubor igitur facticius, quem mulieres antiquæ genis suis inlinebant, ex radice parabatur. Tertullianus de cultu fœminarum: *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt.* Ita legit liber vetus Agobardi. Perperam repositum à correctoribus: *oculos fuligine collinunt.* Fuligo illa ex stibio. De eodem nigro stibii pulvere accipienda hæc ejusdem in libro de habitu muliebri: *& illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Hic pro eo dixit, *oculos fuligine porrigi.* Et

F allusum est ad stibii appellationem alteram πλατυόφθαλμον. Dioscorides de stibio, quod vetustissimum ejus exemplar στίβι vocat, ut & Plinius *stibi*: ὅτο ἔνιοι πλατυόφθαλμον, οἱ ἢ λάρβασον ἐκάλεσαν. Et πλατυόφθαλμον quidem vocatum à dilatandis ac porrigendis oculis. Nam nigro ejus pulvere supercilia circumducebant, & in arcum formabant, & sic oculorum spatium veluti producebant, ac extendebant mulieres. Ion in Omphale:

Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.

Hinc ὑπογράμματα Hesychius στιμμίσματα ὀφθαλμῶν interpretatur. Pollux: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων περιάγει. Sed hæc obiter.

G Ad ruborem revertamur, quam genis illinebant ex anchusæ radice. Pollux: τὸ πρόσωπον περιχρίει, ἐπεντρίβεται, καλλιγραφεῖ, φύκει πυρσαίνει. *Fuco rutilat.* Ergo anchusæ radix etiam φῦκ@ appellabatur. Et hoc ῥίζιον fuerit, quod Dioscorides ait, eodem nomine esse cum marino fuco. Hinc φυκοῦν τὰς παρειὰς Clementi. Vetustissimi tamen Græci φῦκ@ mulierum & ἀγχοῦσαν distinguunt. Pollux: ἴσως δ' ἂν τοῖς κόσμοις προσθοῖκοι, ἢ τὸ ἔντριμμα, ψιμμύθιον, ἔγχουσα, φῦκ@. Ita legendum, non ἔγχας φῦκ@.

φῦκος. Aristophanes in alteris θεσμοφοριαζούσαις, quæ non extant, recenset pleraque cultus & ornatus muliebris genera ac nomina. Versus leguntur apud Clementem Alexandrinum & Pollucem, sed adeo confusi, & corrupti ut nihil magis. Eos in ordinem suum restituemus, & emaculabimus. In illis versibus φῦκος & ἄγχουσα seorsim nominantur. Sic igitur legendi sunt:

Ξύρον, κάτοπτρον, ψαλίδα, κηρωτὴν, νίτρον,
Προκόμιον, ὀχθοίβους, μίτρας, ἀναδήματα,
Ἄγχουσαν, ὄλεθρον τὸν βαθὺν, ψιμμύθιον,
Μύρον, κίσηριν, στρόφιον, ὀπισθοσφενδόνην,
Καλυμμα, φῦκος, περιδέραια ὑπογράμματα
Τρυφοκαλάσιριν, ἐλλέβορον, κεκρύφαλον,
Ζῶσμ', ἀμπεχόνην, πόρπημα, παριφὲς, ξύστιδα,
Χιτῶνα, βάραθρον, ἔγκυκλον, κομμώτριον,
Τὰ μέγιστα δ' οὐκ εἴρηκα τούτων β ἀλλὰ λ;
Ἀ Ἑπεράγ'; ὅσ' οὐδεὶς μνημονεύσειεν ποτὲ,
Διόπας, διάλιθον, πλάστρα, μαλάκιον, βότρυν,
Χλιδῶνα, περόνας, ἀμφιδέας, ὅρμους, πέδας,
Σφραγίδας, ἁλύσεις, δακτυλίους, καταπάσματα,
Πομφόλυγας, ἀποδέσμους, ὀλίσβους, σάρδια,
Ὑποδερὲς, εἱλικτῆρας, ἀλλ' οὐδ' ἂν λέγων
Λέξαις.

Cetera, inquit, quæ supersunt enumeranda, nec dicendo possis consequi, singula nos alibi explicabimus. In his versibus separatim recensentur ἄγχουσα & φῦκος in ornatu muliebri. Igitur anchusæ radix, & ῥίζιον illud, quod φῦκος dicebatur, & quo mulieres genas sibi purpurissabant, diversa. Eumdem tamen etiam illis usum præstabat anchusę radix. Et sane par utriusque color, anchusæ inquam & fuci, nec dispar in medicina effectus, unde alterum pro altero substituebatur. Galenus ἀντὶ φύκους ἄγχουσα. Quod non est de fuco marino intelligendum, sed de illo fuco Syriacæ radiculæ. Utriusque igitur usus ex æquo ad purpurissandas genas mulierum. Alexis tamen in comœdia ἰσοστασίῳ meminit παιδέρωτος, quo ruborem buccarum conciliabant, quæ expallido vultus erant candore.

Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τις ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ
Συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν κατέπλασε ψιμμυθίῳ
Λευκόχρως λίαν τις ἐστὶ παιδέρωτ' ἐντρίβεται.

An præter anchusam & fucum etiam παιδέρως ad eumdem usum mulieribus usurpatus? Viri certe docti *acanthum* hic vertunt. Acanthus quidem παιδέρως cognominatus, sed nemo veterum tradit vim ullam aut succum in acantho pæderote esse rubore inficientem. Cærepolium etiam pæderos Plinio. Nec hic rutilando aptus. Gemma opallium pæderos. Qui nec habet hic locum. Hesychius etiam παιδέρως ἄλειμμα exponit. Hoc est quod quærimus. Sed unguentum illud ex pæderote herba compositum doctus medicus Italorum voluit. Sed si herba non inficit, unguentum ex ea factum non tinget. Ecce alius item doctus medicus, qui pæderotis, hoc est, acanthi succo candorem faciei quæri tradit. Nam & Demetrium pæderote faciem illevisse, ut candorem arcesseret. Nugæ. In versu Alexidis quæ immodico candore pallescit, pæderotem illinit captando rubori. Nec censendus Demetrius aliud in pæderote quæsivisse. Unguentum hoc nomine appellarunt ex radice anchusæ, aut ex radicula Syriaca, quæ fucus dicebatur compositum. Illud ἄλειμμα est ex fuco, ᾧ τινὶ τὰς οἰκείας ὄψεις αἱ γυναῖκες χρίουσι. Ab elegantia & gratia coloris sic dictum, ut herba παιδέρως, & gemma ab eadem ratione nomen hoc invenit. Ab illo unguento fuci, vel anchusæ ruborandis mulierum genis idoneo, color *pæderotinus* & *oxypæderotinus* in vestibus olim usitatus. A gemma pæderote appellatum volui aliquando. Sed nunc malim à pæderote colore, vel purpurisso, quod genis indebant mulieres priscæ. Quodnam autem illud ῥίζιον fuerit φῦκος nomine, & diversum à fuco marino, non explicat Dioscorides, nec quisquam alius veterum, qualis esset illa radix, indicavit. Videor tamen colligere posse ex Theophrasto genus quoddam radiculæ fuisse, quod ex Syria advehebatur, qua unguenta solebant colorari, ut & anchusæ radice. Ea radicula absolute vocabatur χρῶμα. Theophrastus de odoribus: χρωματίζουσι δὲ τὰ μὲν ἐρυθρὰ τῶν μύρων, τῇ ἀγχούσῃ: τὸ δ' ἀμαράκινον τῷ καλουμένῳ χρώματι· τοῦτο δ' ἐστὶ ῥίζιον, ὃ ἄγουσιν ἐκ Συρίας. Hoc genere radicis videntur & mulieres usæ ad colorandas genas, haud secus ac radice anchusæ. Χρῶμα absolute dicebatur. Aliqui etiam, ut apparet, φῦκος appellarunt. Nam & *fucus* Latini inde pro quolibet colore. Glossæ: *fucus*, χρῶμα. Plinius in colorandis unguentis *anchusæ* meminit & *cinnabaris*: ut lib. XIII. cap. I: *tertius inter hæc est colos, multis neglectus. Hujus causa adduntur cinnabaris & anchusa.* In rhodini confectione cinnabari quoque & anchusam nominat. Vix puto cinnabari locum fuisse ad colorem unguentis conciliandum. Theophrastus ἄγχουσαν ad hoc commemorat, & χρῶμα. Quod esse ῥίζιον ex Syria allatum interpretatur sic proprie dictum. Non dubito quin Plinius τὸ χρῶμα acceperit pro cinnabari. Sic enim κατ' ἐξοχὴν vocatum est. Hinc Græcia recentior καλλίχρουν etiam vocabat, hoc est, pulcrum colorem. Glossæ Iatricæ: Καλλίχρουν, τὸ κιννάβαρι. Profecto propter parilem colorem & effectus proprietatem hæ duæ radices plerumque apud veteres junguntur. Zosimus: ἐπὶ δὲ πορφύρας καὶ τῶν λοιπῶν βαμμάτων βάλλεται, ἡ ἄγχουσα, καὶ τὸ φῦκος ἐν ὕδασι τοῖς λευκοῖς. Et alibi passim. Ergo χρῶμα illud quod cum anchusa jungitur in tingendis unguentis est *fucus Syriacus*, non cinnabari. Democritus quoque de methodo tingendæ purpuræ hæc duo jungit, & radiculam illam, quæ φῦκος & χρῶμα proprie dicebatur, ἄνθος Συριακὸν vocat: ἐστὶ δὲ ὁ τῆς Γαλατίας σκώληξ, καὶ τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, ὃ καλοῦσι λακχὰν, καὶ τὸ τῆς Συρίας ὃ καλοῦσι ῥίζιον. Hæc plane radicula est, quam ex Syria advehi prodidit Theophrastus: τῷ καλουμένῳ χρώματι· τοῦτο δ' ἐστὶ ῥίζιον, ὃ ἄγουσιν ἐκ Συρίας. Democritus Pseudonymus Συρίας ἄνθος nuncupat, id est, colorem Syriacum. Nam ἄνθος apud illum non florem significat, sed colorem. Ἄνθος, τὸ χρῶμα. Ergo τὸ ἄνθος, & τὸ χρῶμα & τὸ φῦκος ad hanc radiculam tinctoriam Syriacam designandam synonyma sunt. Philosophi chimici veteres φῦκος interpretantur τὸ βάμμα ἔξωθεν ἢ φαεινόν. At τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος apud eumdem Democritum, id est, color Achaïcus vel Græcus *anchusam* significat. His duobus vocabulis *fucum* sic proprie dictum & *anchusam* significare voluit. Hæc in Græcia passim nascebatur. Ideo Ἀχαΐας ἄνθος vocavit. Fucus ex Syria veniebat. Hoc erat τὸ τῆς Συρίας ἄνθος. Meminit quidem paulo ante & ἀγχούσης, sed ibi dixit fucum marinum, quod θαλάσσιον ἄνθος appellavit, quibusdam vocari ἄγχουσαν Λαδικηνήν. Certe fuci marini genus quoddam lactucæ folia similia habet quomodo & anchusa. Hinc *Laodicenam anchusam* quidam vocaverint. Nisi forte fucum marinum quidam confuderint cum fuco terrestri Syriaco, eumque fucum Syriacum à similitudine coloris, quam habet cum anchusa, appellarint Λαδικηνὴν ἄγχουσαν, id est *Syriacam anchusam*, ab urbe Syriæ Laodicea. Multa intricant & involvunt auctores illi. Ut ut sit, illud certum, per Ἀχαΐας ἄνθος intellexisse anchusam, & cum fuco Syriaco junxisse: καὶ τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, ὃ καλοῦσι λακχάν. Græci omnes inferioris ævi λαχὰν, vel λακχὰν exponunt ἄγχουσαν. Nicomedes Iatrosophista: λαχὰς, ἄγχουσα. Hinc Pandectarius *laccam* Arabum interpretatur *anchusam*. Longe tamen diversa res id quod Arabes vocant *laccam* ab anchusa, quæ est Græcorum lacca. Arabicam laccam non videntur Græci novisse, nisi eam sub nomine cancami noverunt. Profecto Arabes sub cancami historia nobis laccam descripserunt. Gummi esse arboris cancamum Dioscorides tradit. Hoc non facit, ut cancamum non sit lacca, quia lacca non est gummi arboris. Hoc eodem argumento posset concludi sericum, quo veteres utebantur, non esse idem cum nostro serico, quia sericum illud suum ex lanugine arborum depecti prodiderunt: nostrum vero lanificio vermium fit. Cancamum, aut laccam gummi esse arboris, aut in arborem è cœlo delabi tradunt Arabes. Nempe nesciverunt opera grandium formicarum elaborari, & circa ramulos arborum congeri. Non tamen affirmo cancamum esse laccam, sed assero cancamum non esse illud quod vocant Lusitani *anime*. Hoc bdellium est. Monardus Hispalensis medicus in

libro

libro ſimplicium anime tradit eſſe lacrimam arboris, albam, tranſlucidam, oleaginoſam, ad colorem thuris nonnihil accedentem, granis quam thuris majoribus. Tale nobis bdellium deſcribitur ab antiquis: *lacrima arboris tranſlucida, lucis, pinguis, æqualiter cerea, & quæ facile molliatur.* Verba ſunt Iſidori de bdellio, quæ ex Græcis Dioſcoridis videntur expreſſa, vel alterius auctoris, qui Dioſcoridem expreſſerat: διαυγὲς, ταυροκολλῶδες, λιπαρὸν διὰ βάθους καὶ εὐμάλακτον. Sed *æqualiter cereum* habet Iſidorus pro ταυροκολλῶδες. Dioſcoridi ταυροκόλλα λευκὴ καὶ διαυγής. Plinius tralucidæ ceræ ſimile debere eſſe ait: *eſſe autem debet tranſlucidæ ſimile ceræ, odoratum, & cum fricatur pingue.* Ita enim optimus liber, non, ut vulgo eſt *tranſlucidum, ſimile ceræ.* Non ſimpliciter ceræ ſimile, ſed ceræ, quæ tranſlucida foret. Luteum eſſe *anime*, quum frangitur, ſcribunt neoterici, id eſt, colore cereo. Σαρακηνικὸν δάκρυον vocatur Dioſcoridi, id eſt, *Arabica lacrima.* De Saracenis ſupra diximus. Perperam pro Libyco accipiunt. Tria ejus genera facit, Arabicum, Indicum, & Petræum: φέρεται δὲ ἀπὸ τῆς Πέτρας ξηρὸν, ῥητινῶδες. Plinius Bactrium pro Petræo habet: *Bactrio nitor ſiccus, multique candidi ungues.* An igitur legit ἀπὸ Βακτρίας pro ἀπὸ Πέτρας. Immo potius corrigendum videatur apud Dioſcoridem, ἀπὸ Βακτρίας, vel Βάκτρας. Id erit bdellium Scythicum Galeni & Æginetæ. Nam Bactrii Scythis orientalibus vicini, qui Sacæ Scythæ dicebantur. Sed omnino verius Scythicum bdellium idem eſſe cum Indico, quod ex Indoſcythia afferebatur. Ea Scythia ad Indi fluminis oſtia ſita eſt, & Scythæ meridiani dicebantur. Dionyſius:

---- οἵτε πρὸς αὐγὰς
Ἰνδὸν παρ' ποταμὸν νότιοι Σκύθαι ἐνναίουσι.

Hæc Scythia cis Indum & trans ſimul poſita & intra ipſius Indi oſtia ad mare Indicum. Auctor peripli maris erythræi: ἤδη τῆς ἠπείρου διὰ τὸ βάθος τῶν κόλπων ἐκ τῆς ἀνατολῆς ὑπερκερώσης ἐκδέχεται παραθαλάσσια μέρη τῆς Σκυθίας παρ' αὐτὸν κείμενα τὸν βορέαν ταπεινὰ λίαν, ἐξ ἧς ποταμὸς Σίνθος μέγιστος τῶν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ποταμῶν. Ita hæc legenda, non, ut vulgo legitur, ἐξ ὧν. Quod eſt falſiſſimum. Sinthus eſt Indus. Non oritur ex illis maritimis partibus Scythiæ auſtralis, ſed ibi in mare conditur. At poſt eam Scythiam ſtatim ſequitur Indus. Ea Scythia multas Indiæ regiones complectitur, & inter eas Patalenen, quæ intra Indi oſtia. Barbaricum quoque emporium ejuſdem nominatiſſimum. Ptolemæus: ἐν νήσοις τῇ τοῖς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ γινομέναις πόλεις αἵδε, Πάταλα, Βάρβαρι. Auctori peripli dicitur Βαρβαρικὸν ἐμπόριον de oſtiis Indi loquenti: καὶ τὰ μὲν ἄλλα διάπλουν οὐκ ἔχει, μόνον δὲ τὸ μέσον, ἐφ' οὗ καὶ τὸ παραθαλάσσιον ἐμπόριον, ἐστὶ Βαρβαρικόν. Et paulo poſt: ὁ δὲ περίπλους ταύτης τῆς χώρας ἀπὸ τοῦ Βαρβαρικοῦ μέχρι τοῦ κατὰ Ἀσα καὶ Τραπέραν Βαρυγάζων ἀκρωτηρίου τῆς λεγομένης Παπικῆς. Hæc ſunt corruptiſſima. Nec ea correxit, qui putavit. Omnino legendum: μέχρι τοῦ κατ' Ἀστακαπρα ἀπέναντι Βαρυγάζων ἀκρωτηρίου. Paulo inferius Ἀστακαμπρα appellat: τὸ περὶ Ἀστακάμπρων ἀκρωτήριον. Ptolemæo Ἀστακαπρα. Correctionem noſtram lectus ille & intellectus tibi firmabit. Ab eo emporio Barbarico multæ ſpecies Indicæ ſunt appellatæ *Barbaricæ.* Ut apud Juriſconſultum *folium Barbaricum*, quod aliis *Indicum.* Et *rheum Barbaricum*, quod Myrepſus vocat ῥέον Ἰνδικὸν, in antidoto Tryphera Saracenica. Ab hoc emporio potius denominata hæc videntur quam à ſinu Barbarico. Ab hac Scythia auſtrali & Indica bdellium Scythicum appellatum eſt, quod idem cum Indico. Auctor peripli: καὶ ἡ διὰ τῆς παρακειμένης Σκυθίας, ὁ πεκόςος, καὶ ἡ βδέλλα. Hujus Scythiæ metropolis eidem auctori dicitur Μινναγάρ. Sed Ptolemæo Βινναγαρα. Et ita in eo corrigendum. Nam alia Μινναγαρα paulo poſt apud eumdem. Ex ea Binnagara Scythica plurimum bdellium venale exibat: καὶ κατὰ νώτου μεσόγειος, ἡ μητρόπολις αὐτῆς τῆς Σκυθίας Βινναγάρ. Et paulo poſt de mercibus ac ſpeciebus, quæ inde exportabantur: ἀντιφορτίζεται δὲ κόστος, βδέλλα, λύκιον, νάρδος καὶ καλλαϊνὸς λίθος. Galenus Scythicum & Arabicum bdellium tantum nominat, quod eſt Indicum & Saracenicum Dioſcoridis. Nuſquam tamen auctor peripli meminit bdellii in Arabia naſcentis,

A quum tamen ſpecies omnes diligenter enumeret quæ in Arabia proveniebant. Sed duo genera bdellii Indici fuiſſe videntur, quæ in Arabiam ferebantur, alterum ſubalbidum quod erat præſtantiſſimum, alterum ſubnigrum. Βδέλλιον diminutivæ formæ eſt. Nam principale eſt βδέλλα. Ita vocat auctor peripli aliquot locis. Marcello Empirico *bedella*:

---- *crocon atque bedellam.*

Iſidoro quoque *bedella, Indiæ & Arabiæ arbor.* Apud Plautum in antiquis libris *bedellium* ſcribitur pro *bdellium.* Sic *calethula* pro calthula, inde *calendula.* Βδέλλα ex Hebraïco *bedolach*, cujus mentio Geneſ. 11. Nam
B etſi pro gemmæ genere, aut margarita eam vocem accipiant interpretes, pro bdellio mihi placet debere accipi cum Hieronymo, qui *bdellium* vertit. Nec aſſentior viro docto qui putat Hieronymum dictionem Hebraïcam abſque interpretatione dimiſiſſe. Satis expoſuit quid eſſet, quum *bdellium* reddidit, quod aliud non poteſt ſignificare præter hoc aromaticum gummi. Falſus etiam vir ille eruditus, qui *bdellium* apud Priſcianum genus eſſe lapidis notavit. Parum attente Priſcianum legerat in quo hodie legitur lib. 1: *bdellium, abdir, genus lapidis.* Non bdellium genus lapidis, ſed *abdir*, quod & *abaddir* dixerunt, ita vocan-
C tes βαίτυλον lapidem, quem pro Jove Saturnus devoravit. Deum etiam ſic vocarunt. Et *patrem potentem* dictio illa Hebraïce ſignificat. De bætulis lapidibus nos alibi. Regionem *Hevila*, quæ fert *bedolach* & *onychen*, alii de Arabia, alii de India interpretati ſunt. Plane eſt Græcorum βδέλλα. Et optime convenit hæc expoſitio *bedolach* loco Num. xi: ubi dicitur manna ſicut coriandri ſemen eſſe, & colorem ejus, הַבְּדֹלַח. Nec enim neceſſario concluditur lapidem heic intelligi debere coloris albi. Quippe & bdellium ſubalbidum, & manna magis ad bdellii colorem aut thuris accedit, quam ad margariti, aut alterius gemmæ. Inde & par-
D vas thuris micas, quæ inſtar haberent granorum mannæ, Græci μάνναν λιβάνου nuncuparunt. Præterea ex illo Hebraïco *bedolach* factum etiam videtur aliud nomen illud, quo bdellium vocarunt, nempe μάδαλκον. Ita Dioſcoridi dicitur. Neophytus: Μάδαλκον, τὸ βδέλλιον. Plinius *bdellium* eſſe arborem, gummi autem *brochon*, & *maldacon* & *malacam* ait vocari. Græci tamen auctores βδέλλαν ipſum gummi paſſim appellitant & βδέλλιον. Arborem eſſe oleæ magnitudine dicit. Neoterici quoque memorant mediocrem eſſe arborem ex qua anime deſtillat. *Gummi*, inquit Plinius, *alii bro-*
E *chon appellant, alii malacam, alii maldacon.* Ita ſcribunt hæc nomina libri Pliniani. Et in indice manuſcripto: *Et bdellium, ſive broc, ſive malacham, ſive maludacon.* Græca forma apparet cuſas eſſe has dictiones. Βροχὸν dicebatur bdellium, quod humectius eſſet & liquidius; nam à βρέχω, βροχὸς humectus. Idem de Indico: *at Indicum humidius & gummoſum.* In optimo codice legi notant: *gumminoſum.* Lego: *unguinoſum. Maldacon* autem videtur ſcriptum pro μαλθακόν. Ita vocabatur gummi bdellii, quod molle eſſet inſtar malaxatæ ceræ. Τὸ εὐμάλακτον in eo commendat Dioſcorides, quod facile molliatur. Et μάλθη Græce κηρὸς μεμαλαγμένος.
F Idem ſignificat μαλάχη, vel μαλάκη, ſubaudiendo βδέλλα. Inde Arabes ſuum fecerunt *molochil*, vel *malachal*, quo bdellium appellant. Nec enim contra eſt, ut ab Arabico illæ detortæ ac corruptæ fuerint. Hæc nomina varia bdellio mercatores Græci impoſuerunt, qui & ἁδρόβωλον vocabant, quod in offas convolutum erat, craſſiore nempe gleba: *Gummi alii brochon appellant, alii malacham, alii malthacon. Nigrum vero & in offas convolutum hadrobolum.* Ejuſdem igitur officinæ hæc omnia vocabula. Monet Monardus anime orientale tam magnis glebis & adeo tranſlucenti-
G bus afferri, ut plerique ſpeciem eſſe charabe, ſive ſuccini liquidioris ſuſpicati ſint. Multa ſane gummium genera ſuccino, vel electro ſimilia, quod & ipſum gummi eſſe arboris multi veterum exiſtimarunt, alii pinus, alii populi. Sed & eodem nomine quo ſuccinum aliæ etiam gummis ſpecies appellatæ ſunt. Βερνίκην Græci recentiores appellant electrum. Gummi juniperi *vernicem* hodie appellamus, facto inde nomine. *Charabe* ſuccinum, vel electrum nominatur Arabibus. Sa-

Saracenicum Lexicon: Κάρεμε, τὸ ἤλεκτρον. Lege: κάρεβε. Æthiopes *Carabe* thus appellare notavit vir summus. Χαλκολίβανον Suidas exponit succinum. Χαλκολίβανος, τὸ ἤλεκτρον. At supra observabamus ex Græco quodam scriptore χαλκολίβανον genus esse thuris flavi & colore aureo, quem masculum alii nuncupant: ἡ ὁ μὲν ἄῤῥεν ὀνομάζεται χαλκολίβανος ἡλιοειδὴς, ἢ πυῤῥὸς, ἤγουν ξανθός. Quæ profecto mira sunt. Nam alii thus masculum definiunt στρογγύλον ἢ λευκόν. At auctor ille candidum thus vocat ἀργυρολίβανον & fœmineum esse vult. *Anime* pro Aminæa myrrha accipiebat Amatus Lusitanus, & inde factum nomen volebat. Atqui nulla est *Aminæa* myrrha, sed *Minæa* ab Arabiæ populo Minæis. Μιναῖοι. Præterea anime non est myrrha, sed bdellium. In myrrha confracta venæ apparent sicut ungues candidi: διαφυὰς ὀνυχοειδεῖς vocat Dioscorides: ἡ ἐν τῇ θραύσει λεῖαι, διαφύσεις ἔχουσαν, λευκάς, ὀνυχοειδεῖς. Delendum est λεῖαι. Quod est interpretamentum τοῦ ὀνυχοειδεῖς. At bdellium totum æqualiter ὀνυχοειδὲς & leve instar unguis. Dioscorides de bdellio, ἐοικὸς ὄνυχι. Serapio perperam accepit hæc Dioscoridis verba, quasi unguis odorati accensi modo oleret bdellium. Sed *blattam Byzantiam* appellat. Blattium Byzantium non est onyx marinus, sed os naris purpuræ Byzantinæ. Præterea ἐοικὸς ὄνυχι, ut ὀνυχοειδὲς de coloris tantum, aut faciei similitudine Græce dicitur. Εἰς ὦπα ἔοικεν. Postremo præstantissimum bdellii genus βδέλλης ὄνυχα Græci vocant. Quod ab odore unguis marini dictum interpretari ridiculum foret. Denique unguis marinus non simpliciter dicitur ὄνυξ, sed ὄνυξ θαλάσσιος. *Onychem marinum* Latine dici magis probarem quam *unguem*. Nam & lapidem *onychem* nominarunt, non unguem. De his etiam supra diximus. Plinius in Bactriano bdellio multos esse candidos ungues ait: *Bactrio nitor siccus, multique candidi ungues.* Hic non est sensus Dioscoridis, qui βδέλλιον ὄνυχι ἐοικὸς scribit. Sed nec Plinius descriptionem historiæ bdellii à Dioscoride hausit. Nec Bactrii meminit bdellii Dioscorides. Unguis in tota bdellii gleba levorem & colorem unguis æqualiter deprehendi vult Dioscorides. *Æqualiter cereum* vocat Isidorus. Ceræ translucidæ simile esse debere idem Plinius asserit. At descriptio bdellii Bactriani apud eumdem magis cum benuino convenit quam cum bdellio, vel anime. Siccum ac nitidum reperitur & in eo multi ungues candidi, sive maculæ instar amygdalarum. Unde & *amygdalinum* vocant hoc benivi. Sed & quod idem Plinius tradit Indicum bdellium adulterari amygdala nuce, hoc etiam mirifice quadrat in benivi amygdaloïdes. Nam bdellium quod translucet quomodo nuce amygdala possit adulterari, non video. Petræum bdellium narrat Dioscorides, οὐχ ὁμοίως πικραίνον τῇ γεύσει, non perinde amaro gustu esse, ut Indicum & Arabicum. Id quoque habet benivi, ut non sit amarum. Qua discriminis nota à myrrha discrepat, quam non parum amaram esse constat. Quare & illi errant non parvo opere, qui benivi genus esse myrrhæ contendunt. Nec sane bdellium idem quod benivi. Nam bdellium uniforme & pari ita dixerim filo; at *benivi* varium & maculosum candidis utpote unguibus distinctum, ut myrrha. At id genus bdellii, quod vero nitore sicco est, & multis constat unguibus candidis, ac minime est amarum, à benivino parum distat, nisi idem sit. Et puto veteres sub hoc genere bdellii benivinum cognovisse. Glossæ Græcorum Jatricæ βδέλλιον definiunt esse χυλὸν Ἰνδικὸν ὅμοιον σμύρνῃ. Benuinum de colore similius est myrrhæ, quam bdellium. Sed de his alibi pluribus. Hic sermonis excursus faciendus hoc loco fuit, ut constaret cancamum, quod Arabes pro lacca obtrudunt, non esse anime, sed anime esse bdellium. Nec tamen credo cancamum esse laccam, ut Scaligero Julio videtur. Nam cancamum quadamtenus simile myrrhæ traditur, σμύρνη πως ἔοικεν. Quod non habet lacca. Quærendum itaque etiam nunc restat, ecquod hodie odoratæ gummis genus cancamo veterum respondeat. De lacca certum est eam illos non novisse. Aliud erat, quod laccam appellavit etiam infima Græcia. *Anchusam* nempe hoc nomine intellexerunt. Quæ appellatio *laccæ* à Græcis ad Arabes transiit, non è converso ab

A Arabibus ad Græcos. Radicem, quæ rubro ac sanguineo colore inficit, ita Græci dixerunt. Inde Arabes & ceraginem illam Indicam, quæ circa ramos certarum arborum congesta invenitur, & à formicis elaborata, hoc eodem donarunt nomine, quia rubrum colorem efficit. Laccam etiam nuncupant hodie infectores cocci & brasilii fæcem, qua pictores rubro fusciore pingunt. Græci quoque recentiores λαχὰν & λάχον vocarunt genus coloris purpurei & obscuri, quod fit apud infectores ex flore nigro vel spuma purpuræ, quæ supernatat cortinis tinctoriis. *Indicum* veteres appellabant. Zosimus Panopolita: οὕτω γὰρ δεκτικὰ γίνεται τῶν χρωμάτων, ὥσπερ ἡ χροποιηθεὶς, ὅ ἐστι λάχον, ὃ καλοῦσι

B λακχὰν οἱ λαχωταί, τουτέστιν Ἰνδικοβάφοι, λοιπὸν εὐμόρφως, διὰ νίτρου θερμοῦ, ὅλον ἀφίησιν ἑαυτοῦ τὸ εἶδος τὸ αἱμωπόν. Ubi Ἰνδικοβάφοι sunt qui Indico colore tingunt, quos λαχωτὰς dicit appellatos. Ergo & λακχὰς, τὸ Ἰνδικόν. Quod Dioscoridi exponitur ἐξανθισμὸς πορφυροῦς ἐπανωφερόμενος τοῖς χαλκείοις. Hoc facticium est Indicum, quod Græcis etiam dictum λακχάς. Nativum aliud fuit, quod ex India apportabatur, atque Ἰνδικὸν μέλαν, & Ἰνδικὸν absolute dicebatur. Hinc Plinius *Indicum atramentum* ab *Indico* absolute vocato distinxit. Ἰνδικοῦ μέλανος mentio apud auctorem peripli: ἢ ὀθόνιον, ἢ νῆμα Σηρικὸν, καὶ Ἰνδικὸν μέλαν. Græci recentiores sic vocant. Zosimus:

C ἐπὶ ὑακίνθου ἡ πόαν ὑάκινθον, ἢ μέλαν Ἰνδικὸν, ἢ ἰσάτιδος ῥίζαν. Ad tingendam gemmam hyacinthum: alii tantum *Indicum* ut & Plinius. Inde Ἰνδικοπλάστης, vel Ἰνδικοβάπτης in veteribus glossis exponitur *colorator*. Et Ἰνδικοβάφοι Zosimo, quos λαχωτὰς interpretatur. Sic Indicum infectorum etiam lacca Græcis, ut hodie quod ex cocci & verzini fæce paratur. Quod nomen origine omnino Græcum est. Lacca Indica apud Indos suos hoc nomen non habet, sed *trec* vocatur. Persæ, Arabes & Turci *Lac*, vel *Loc* nuncupant, vocabulo ex Græcia arcessito, quod colorem rubrum significat. Magnum sane hoc signum est hoc nomen

D ex Græcia petitum esse, quod indigenæ, apud quos plurima nascitur, sub alio eam indigetamento cognoscant. Λάκχη igitur Græcum est, cujus in Græcia fontes reperiendi sunt. Et ecce in promptu sunt. Ex κάλχη factum est unius literæ transpositione. Grammatici κάλχην interpretantur herbam, qua purpura tingitur. Strabo coloris genus κάλχην esse indicat, ubi dicit sandycem metallicam in Hyspiratide Armeniæ reperiri, ὃ δὴ Ἀρμένιον καλοῦσι χρῶμα, ὅμοιον κάλχῃ. Armenium cæruleum est. Κυάνεον vocat Dioscorides. Talis est conchylii color, austerus in glauco, & irascenti similis mari.

E Talis etiam in purpura κυανίζουσα. Pollux vocat κυαναυγῆ. Sandycem tamen omnes rubri coloris esse volunt. Hesychius σάνδυκα esse fruticem, qui cocco similem colorem facit. Plinius ex sandaracha usta rubrica admixta fieri *sandycem* prædicat, ut ex sandyce & sinopide mixtis syricum, quod esse rubrum satis constat. Græci recentiores syricum & sandycem eumdem colorem statuunt. Neophytus: Σιρικὸν ἢ τὸ συρικὸν, ὃ ἢ σάνδυξ λέγεται. Vetus auctor glossarum notat sandycem esse *herbam tincturæ aptam, quam vulgus varantium vocat.* Hodie *garantiam* dicit vulgus infectorum, qui colorem ru-

F biæ sic appellat, quæ est Græcis ἐρυθρόδανον, sed antiquis. Nam recentiores ἐλυθέδιον & λυθέδιον appellant pro ἐρυθρίδιον. *Varantiam* autem pro *verantia* perperam pronuntiavit infimum Latinitatis ævum. *Verantia* pro vero colore, ut *aurantia* pro aureo, vel aurato pomo. Prisci Latini *verum colorem* de rubro & coccineo dixerunt, ut Græci ἀληθινόν. Myrepso rubia τὰ ἀληθινὰ βάπτει, vero colore inficit. Veteri interpreti Aristotelis Rhetoricorum πανίον ἀληθινόν, pannus ruber. Hesychius, Κινναβάρει χρῶμα ἀληθινόν. Plura alibi nota-

G mus. Sic *verans color*, ὁ ἀληθινὸς, ἢ ἀληθεύων. Nam *verare* etiam dictum pro ἀληθεύειν.

Satin vates verant ætate in agunda,

apud veterem poëtam, id est, ἀληθεύουσιν. Inde & *verantia* tinctura verantis vel veri coloris. Rubiæ tincturam sic vocarunt. Et corrupte *varantiam*. Sandyx igitur rubra quocunque modo accipiatur. Suidas: Σάνδυξ, χρῶμα κόκκινον. Galenus sandaracham & sandycem eamdem facit. Constat autem inter omnes sandaracham esse rubram. Neophytus: ὁ παρὰ τοῖς ζωγράφοις συρι-

συρικὸν, τοῦτο τοῖς ἰατροῖς σάνδυξ λέγεται, τὸ αὐτὸ καὶ σῶρι παρ᾽ ἄλλοις. Et alio loco: τὸ κεκαυμένον ψίμμιθιν, οἱ μὲν καλοῦσι σάνδυκα, οἱ δὲ σῶρι, οἱ δὲ συρικόν. Ait ſandycem idem fieri cremata ceruſſa. Sandaracham ita fieri teſtatur Vitruvius lib. VII. cap. XII. *Ceruſſa vero quum in fornace coquitur mutato colore ad ignem, incendio efficitur ſandaracha.* Sic hæc legenda. Ergo ſandaracha facticia & ſandyx idem. Quod & Galenus affirmavit. Dioſcorides de ceruſſa uſta: τὸ δὲ οὕτω σκευασθὲν σάνδυξ ὑπό τινων λέγεται. Hæc ſandyx facticia, eademque cum ſandaracha. Quum hæc ita ſint, & omnes conſentiant ſandycem eſſe rubram, credendum non eſt alio ſenſu ſcripſiſſe Strabonem, cum alia metalla in Armenia reperiri ajat, καὶ τὸ τῆς σάνδυκος καλουμένης, ὅπερ Ἀρμένιον καλοῦσι χρῶμα, ὅμοιον κάλχῃ. Sic enim emendanda ea Strabonis verba alibi docuimus. Ergo κάλχη apud Strabonem non erit purpura cærulea, ſed rubra. Ut autem ſandyx facticia eadem cum ſandaracha facticia, ſic foſſilis & nativa ſandaracha eadem cum ſandyce metallica. Et ſandyx illa metallica Strabonis ab aliis vocatur ſandaracha. Dioſcorides ait ſandaracham foſſiciam ex Ponto & Cappadocia adferri. Sane in vicina etiam Armenia naſcebatur Strabone teſte, qui σάνδυκα appellat. Sed illud mirum quod addit Strabo: ὃ δὴ καὶ Ἀρμένιον καλοῦσι χρῶμα. Quid illis igitur faciemus, qui Armenium pigmentum cæruleum faciunt? Quid Plinio, qui maxime virere dicit? Immo & chryſocollæ modo infectum eſſe. *Armenia mittit, quod ejus nomine appellatur. Lapis eſt hic quoque chryſocollæ modo infectus. Optimumque eſt quod maxime viret, communicato colore cum cæruleo.* At maximus viror, quem in Armenio optimo exigit, à cæruleo multum diſtat, & magis chryſocollæ proprius, quæ & ipſa in Armenia inveniebatur, eaque præſtantiſſima Dioſcoridi & Zoſimo χρυσοκόλλα Ἀρμενιακὴ laudatur, ipſique adeo Plinio. An dicemus eum confudiſſe chryſocollam Armeniam cum Armenio colore ſic proprie dicto? Præſtat eo loco reponere ex libris: *Optimuſque eſt qui maxime vicinus eſt communicato colore cum cæruleo.* Optimum eſſe lapidem ait Armenium, qui maxime vicinus eſt chryſocollæ. Quod tamen eodem redit. Nam præſtantiſſima chryſocolla, quæ ſummi eſt viroris. Dioſcorides Ἀρμένιον vocat, & κυάνεον eſſe ſimpliciter dicit: Ἀρμένιον προκρίτεον τὸ λεῖον καὶ τὴν χροιὰν κυάνεον, ὁμαλόν τε ἄγαν καὶ ἄλιθον. Falſus eſt titulus in editis Dioſcoridis libris, περὶ λίθου Ἀρμενίου. Quem vetuſtiſſimus liber non agnoſcit. Æque mendoſum lemma, quod paulo poſt habetur περὶ λίθου Ἰνδικοῦ. Nec ſane lapis eſt hoc Armenium. Quum enim ſcribat eligendum eſſe, τὸ ὁμαλὸν καὶ ἄλιθον, de lapide hoc dici non poteſt, ut λίθος ſit ἄλιθος. De terra, aut limo convenienter id dicatur. Sed nec magis lapis Armenium quam chryſocolla, aut cæruleum, quibus interjicitur apud Dioſcoridem. Cæruleum quidem arena eſt. Quod *lapidem lazuli* vocant Arabes, plane confundunt *cyanum* lapidem cum *cyano* pigmento. Quod in Armenio facit hoc loco Plinius. De ſuo enim adjicit lapidem eſſe, quia lapidem Armenium, quo ſcalpebantur gemmæ, eumdem putavit cum Armenio pigmento. Sed nec chryſocolla proprie lapis eſt. Nam improbandam ait Dioſcoridis, τὴν γῆς καὶ λίθων ἔμπλεον. Armenium autem hoc cæruleum Ἀρμένιον abſolute dicitur, & intelligitur χρῶμα. Straboni Ἀρμένιον χρῶμα rubrum eſt, & ſandaracha eſt, vel ſandyx. Plinius ſub finem illius capitis ſcribit Armenium *diſtare à cærulo candore modico, qui teneriorem hunc facit colorem.* Cærulei itaque coloris ſed remiſſioris. Atqui paulo ante dixerat optimum eſſe, qui maxime vicinus eſſet chryſocollæ, hoc eſt, qui maxime vireret. Longe ſane hæc diſtant maxima viriditas, & cæruleum dilutum & pallidum. Fefellerunt Plinium male intellecta Dioſcoridis verba de Armenio. Poſtquam dixit eſſe χρῶμα κυάνεον addit de facultate: τὰ αὐτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ, περὶ τὴν δύναμιν μόνον λειπόμενον. Eaſdem in medicina facultates habere quas chryſocollam, ſed tantum viribus infirmiorem. Plinius hæc de colore accepit, quaſi proxime accederet ad colorem chryſocollæ, ſed ſola intenſione vinceretur. Nam δύναμιν in coloribus Græci appellant τὴν ἐπίτασιν, & exuperantiam coloris. Ita accepiſſe verba Dioſcoridis Plinium vel inde maxime colligitur quod ſubjicit: *uſum*

A *in medicina ad pilos tantum alendos habet, maximeque in palpebris.* Pro quibus ſic habet Dioſcorides ſtatim poſt ea quæ ſuperius attulimus: ἔστι δὲ καὶ τῶν ἐν βλεφάροις τριχῶν αὐξητικόν. Non dicit ille hunc uſum Armenii ſolum eſſe in medicina, ut pilos alat, ſed quum iiſdem virtutibus cenſeatur ac chryſocolla, paulo tamen infirmius agentibus, præter eas etiam hac poteſtate præditum, pilorum in palpebris alendorum. Hinc apparet Plinium verba illa, τὰ αὐτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ περὶ τὴν δύναμιν μόνον λειπόμενον, de colore interpretatum eſſe auctiore & acutiore in chryſocolla, quam in Armenio lapide, qui colorem quidem habeat vicinum chryſocol-

B læ, ſed magis temperatum ac remiſſum, nec ita meracum ac ſaturum. Certe verba iſta Dioſcoridis, τὰ αὐτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ, ſic reddidiſſe Plinius videtur, *chryſocollæ modo infectus.* Quæ verſio veniam nullo modo ſperare deberet, ſi ita legiſſet in libris Dioſcoridis, ut hodie legimus. Quis enim τὰ αὐτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ poſſet ita vertere, modo ſani ſincipitis eſſet, *chryſocollæ modo infectus.* In vetuſtiſſimo codice regio ſcriptum inveni: ἴσον πάνυ τῇ χρυσοκόλλῃ, περὶ τὴν δύναμιν μόνον λιπόμενον αὐτῆς. Quæ Plinius de colore accepit, quum accipienda conſtet de viribus & facultate. *Armenium* igitur illud Plinii & Dioſcoridis pari fere cum chryſocolla proprie-

C tate & efficacia ejuſdem generis, naturæ, & coloris cum cæruleo. Ideo inter chryſocollam & cærulum dedit ei locum Dioſcorides. Zoſimus Panopolita κυανὸν Ἀρμενικὸν appellat, quaſi ſolis natalibus diſtaret à vero cærulo: νίτρου, ἅλατος, κυανοῦ Ἀρμενικοῦ. In optimo codice hæc junctim leguntur, ἅλατος, κυανοῦ Ἀρμενικοῦ. Quaſi cærulum illud Armeniacum inter genera ſalis eſſet. Sane Serapio chryſocollam, cui ſimile eſt hoc Armenium, inter ſalis ſpecies recenſet. Ἅλας κυανοῦν Ἀρμενικὸν ideo vocat, ut de colore diſtinguatur ab alio genere ſalis Armenici, qui crocini coloris erat, quem & Cappadocicum dicebant. De quo nos paulo poſt.

D At Strabonis Ἀρμένιον ſandarachini, vel ſandycini coloris. Immo idem cum ſandaracha foſſili, & nativa, ut ipſe auctor eſt Strabo, qui σάνδυκα vocat. Atqui σάνδυξ & σανδαράχη eadem. Non unum itaque Armenium, & medici noſtri in errore, qui confundunt. Nunc videamus antiquos medicos, de quo genere Armenii intellexerint. Quidam medicus in definitionibus ſuis notat Theophilum in libro de urinis flammeum colorem Armenio tribuere, & φοινικοῦν Galeno tradere. Non vidi editionem Theophili. Sed in libro Græco manu exarato nihil tale reperi. Scribit ille quidem colorem in uri-

E nis ὑπέρυθρον à medicis appellatum, tinctores φλόγινον vocare, Galeno autem φοινικοῦν dici: αὖθις δὲ τὸ ὑπέρυθρον γινόμενον ἀπὸ ἰχωροειδοῦς αἵματος, ὡς ἐκ λευκοῦ χρώματος λαμπροῦ προσελθόντος, ὅπερ καὶ οἱ βαφεῖς φλόγινον, οἱ δὲ περὶ τὸν Γαληνὸν φοινικοῦν ὀνομάζουσι. Forte & pictores hunc eumdem colorem Armenium appellabant, non tamen Galenus. Certe Ἀρμένιον χρῶμα Straboni rubrum ac puniceum longe diverſum à cæruleo. Sandaracha autem Dioſcoridi optima, ἡ κατακόρως πυῤῥὰ, καὶ κινναβαρίζουσα τὴν χρόαν. Tale ergo Armenium iſtud. Conſiderandum porro, an terra Armeniaca Galeni eadem ſit cum hoc rubro Armenio. Nec enim dubium eſt diverſam eſſe à cæruleo

F Armenio Dioſcoridis. Galenus lib. IX de ſimplicium facultatibus terram Armeniacam afferri dicit, ἐκ τῆς Ἀρμενίας τῆς ὁμόρου Καππαδοκίᾳ, τὴν χρόαν ὠχρᾶν. Omnes hactenus medicinam aut philoſophiam profeſſi, colore pallido volunt eſſe illam terram Armeniacam. Adeo ſcilicet in coloribus ſignandis ac diſcriminandis pueros ſeſe oſtendunt, vel potius cæcos. Pallidus color nullus eſt, ſed eſt affectus omnium colorum dilutiorum ac palleſcentium. Eſt viridis pallidus, eſt luteus, eſt ruber & quicunque alius color, non bene ſaturatus, nec meraco fuco à natura imbutus. Cui ſanguis metu deceſſit ex facie, is pallidus. Aliter tamen pallet mortuus,

G & luteo magis inficitur. Qui fuſco vultu ſunt quando metuunt, etiam pallent, haud ſecus quam qui facie ſunt candida. Et notabilius quidem illi quam iſti. Pallor contrarius rubori. Sed rubicunda etiam facie præditi ſæpenumero pallent. Et qui in his rubor eſt, non penitus evaneſcit, ſed diluitur & minor fit, accedente pallore. Auruginoſi plus ſunt quam pallidi; nam meraco luteo occupatam cutem habent. Græci ὠχροὺς vocant.

cant. Luteum quoque colorem ὠχρὸν dicunt. Nugaretur si quis *pallidum* diceret. Ochra genus coloris. Qui *pallidam* Latine vocaret, insaniret. Ὤχρὸς est crocus. Nemo pallidum crocum recte nuncuparet. *Rubrum* & *rubentem* poëtæ appellant. Inde croceus color, qui non est pallidus, nisi sit dilutior. Terra igitur Armeniaca Galeno τὴν χρόαν ὠχρὰ, id est, *colore lutea.* Dioscorides corticem pyxacanthæ tradit esse ὠχρὸν ὅμοιον τῷ διεθέντι Λυκίῳ. At Lycium eodem teste κροκῶδες. Ergo ὠχρὸν & κροκῶδες idem. Inde nomen ochræ, quam μηλίνην δι' ὅλου debere esse ut bona sit, vult Dioscorides, id est, totam luteam. Theophrasto arsenicum & ochra ejusdem coloris. Arsenicum τῇ χρόᾳ χρυσίζει. Unde & *auripigmentum* vulgo appellatur. Τὸ ὠχρὸν in urinis luteum est. Ubi coctiores sunt, tum πυῤῥαὶ evadunt. Sic ὠχρὸν & πυῤῥὸν vicina sunt, ut ξανθὸν & πυῤῥόν. Græci πυῤῥὸν vocant, qui Latinis est *rufus.* At luteus, hoc est, ὠχρὸς vel ξανθὸς idem est cum rufo dilutiore. Ergo russus est idem cum luteo acutiore. Sandaracha κατακόρως πυῤῥά. Armenium Strabonis idem cum sandaracha. Galeni autem Armeniaca terra ὠχρὰ, id est, lutea. Differt igitur Armeniaca Galeni terra ab Armenio Strabonis, quod est sandyx, & ab Armenio Plinii & Dioscoridis, quod est cæruleum. Apud proprie loquentes & colorum discrimina observantes non aliud potest obtineri. Armenium Strabonis, quæ sandyx est, colorem facit rubrum & puniceum. Terra Armeniaca Galeni lutea, hoc est, ὠχρὰ, sive μηλίνη, sive χρυσίζουσα. Hæc differentia observatur in duobus generibus arsenici. Alterum luteum est, & colore simile ochræ, alterum rubrum, τῇ χρόᾳ σανδαρακίζον. Et fortean Armenium Strabonis idem sit cum arsenio sandarachino. Nam refert Dioscorides arsenicum rubrum in Ponto & Cappadocia gigni. Cappadociæ vicina Armenia, quæ idem metallum fortasse mittebat, ut & alia complura, cæruli, chrysocollæ, & similia. Sic salem Cappadocicum crocei coloris, alii Armenium vocabant. Neophytus monachus: ἅλας καππαδοκικὸν, τὸ Ἀρμένιον. Scaliger Julius exercitatione XCIIII contra Cardanum in citandis Galeni verbis superius allatis de terra Armeniaca legit τὴν χρόαν χλωρὰ, pro ὠχρὰ, & vertit, *pallida.* Quod ineptum esse jam ostendimus. Non idem pallor est mortui, & ejus qui timet, & qui ictero laborat. Hic mere luteus. Unde & lutei Varroni, qui hoc morbo laborant. Quem ab auri colore Latini *auruginem*, Græci recentiores χρυσιασμὸν vocant, ut apud Joannem Archiatrum sæpe occurrit. Qui timet, non luteus evadit, sed subalbidus. Nam sanguine recedente nativus rubor fugit & pallore mutatur. Hi sunt quos proprie *pallidos* dicimus. Nam auruginosi non sunt proprie pallidi, sed lutei, quem colorem Græci ὠχρὸν & χλωρὸν appellant. Abusive & *pallorem* de hoc lurore dixerunt Latini. Nam & pallida mors dicitur, quum mortui color sit subluteus. Pallidus est ἄχρους sine colore, luteus est κακόχρους, mali coloris. At Græci ὠχρὸν de coloribus pallescentibus ac dilutis non usurpant, sed ἔκλευκον. Theophrastus de rubricæ generibus: ἔστι δὲ αὐτῆς γένη τρία, ἡ μὲν ἐρυθρὰ σφόδρα, ἡ δὲ ἔκλευκος, ἡ δὲ μέση. Quæ Plinius ita vertit: *Sinopidis species tres, rubra, & minus rubens, & inter has media.* Immo ἔκλευκος est valde pallida. Sic ξανθὸς ἔκλευκος apud eumdem, luteus pallidus, albo mixtus. Aliter pallet ruber color qui dilutus est: aliter luteus pallescens, aliter cæruleus evanidus, quem *morientem* hodie nuncupant. Τὸ ἄχρουν Græci dicunt, & τὸ ἔκλευκον in coloribus, quod Latini pallidum. Dioscorides de chalcantho, quod est cærulei coloris, pessimum esse tradit, ἀχρούστατόν τε καὶ ἀσθενέστατον. Theophrastus diceret, ἐκλευκότατον. Plinius vertit *pallidius* lib. XXXIV. cap. XII. *Hoc pallidius, & quantum colore, tantum bonitate deterius.* Idem Corinthios carbunculos *pallidiores* esse dicit. Isidorus auripigmentum pallidius, quod remissioris est coloris ac dilutioris. Sic nulla coloris proprietas hoc nomine potest signari, sed omnibus fere convenit. Χλωρὸς autem in coloribus idem quod ὠχρός. Unde avis χλωρίων, quæ tota est lutea. Et χλωρὸν ἀρσενικὸν quod luteum Hesychio: Ἀῤῥενικὸν χρώματος εἶδος χλωρὸν, ὅπερ ἡμεῖς ἀρσενικὸν λέγομεν. Sic legendum non ἀρνικόν. Hip-

A pocrati & Theophrasto ἀῤῥενικὸν, quod posterioribus ἀρσενικόν. Alias χλωρὸν etiam est viride, & herbacei coloris, nempe χλοερόν. Diversa igitur terra Armeniaca Galeni, quæ lutea est, à sandyce Armenia Strabonis & à lapide Armenio cæruleo Dioscoridis. Quod ad colorem attinet, posset disputari eamdem esse terram Armeniacam Galeni cum sandyce Armeniaca Strabonis, licet hæc rubrum, illa luteum colorem præferat. Græci ὠχρὸν & πυῤῥὸν luteum & rubrum, quia sunt affines colores, sæpe confundunt, & alterum pro altero ponunt. Nam luteus, si intendatur, fit rufus. Hic rursus, quum ex acuto remittitur, luteus existit. Lignum thapsi, à quo θαψίναι mulieres, quæ luteo pallore decolorantur, Hesy-
B chius πυῤῥὸν appellat, quod ἀπὸ τοῦ πυρὸς dictum volunt. Luteum colorem in flammeis nuptialibus olim usitatum refert Plinius. Atqui *flammeum* appellatum, quod colore flammeo tinctum esset. Sic luteum & flammeum idem. Columella *flammeolas calthas* appellat, quas in eodem carmine *flaventes* vocat, quæ *luteola* Virgilio. *Russeus* & *russus* antiquis Latinis idem & rufus, qui Græcis πυῤῥός. Hodie *russum* cum Italis dicimus colorem luteum, vel flavum. Græci ξανθὸν πῦρ dicunt, & ξανθὴν πορφύραν. Pollux de generibus purpuræ: ἡ μὲν ξανθίζεται, ἡ δὲ κυανανγὴς γίνεται. Dicunt &
C ξανθοὺς ἐρυθίνους. Hesychius ξανθὸν exponit πυῤῥόν. Ita Attici. At Dorici generis homines ξανθὸν de luteo dilutiore usurparunt, quem Latini *flavum* vocabant. Nos vulgo *blondum* quasi blandum colorem. Contra ξανθὸς Atticis est proprie *fulvus.* Nam & ξανθοὺς palmarum fructus appellant qui rubentes sunt: unde & φοινικοῦς color. Theophrastus de lapidibus: ἄλλη δὴ καλουμένη, ξανθὴ μὲν τὴν χρόαν, ἔκλευκος δὲ, ὃ μᾶλλον καλοῦσι χρῶμα οἱ Δωριεῖς ξανθόν. Græci antiquissimi ἔκλευκον vocant in coloribus, quod Latini *pallidum*, ut paulo ante docuimus. Ξανθὸς ἔκλευκος est luteus pallidus, quem colorem ξανθὸν Dores proprie dicebant; ξανθὸς vero Atticis luteus
D flammeus, qui & πυῤῥός. Poëtæ crocum ξανθότριχα appellant, à quo color croceus, hoc est, luteus in rubrum vergens. Poetæ Latini rubrum crocum vocant:

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Quidam τὸ ξανθὸν supra πυῤῥὸν collocant in gradibus coloris rubri percensendis, alii infra. Favorinus apud Agellium hoc ordine procedit in distantiis signandis rufi coloris: ξανθὸς δὲ καὶ πυῤῥὸς, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ φοινικοῦς. Aliter tamen scribunt veteres libri, ex quorum auctoritate totus ille locus Agellii sic distinguendus ac legendus: *Russus enim color & ruber nihil a colore rufi diffe-*
E *runt, neque proprietates omnes ejus declarant.* Ξανθὸς *autem & ἐρυθρὸς & πυῤῥὸς & φοῖνιξ habere quasdam distantias coloris rufi videntur.* Ut editus est, contrarium sensum efficit Favorini menti. Πυῤῥὸν facit vicinum φοίνικι, ita enim vocat puniceum. Hesychius φοίνικα interpretatur πυῤῥόν. Alii πυῤῥὸν infra ξανθὸν locant, remittentes ac dilutiorem facientes. His enim gradibus ac numeris ab infimo rufo ad summum progrediuntur: ὕπωχρον, ὠχρὸν, ὑπόπυῤῥον, πυῤῥὸν, ὑπόξανθον, ξανθὸν, ὑπέρυθρον, ἐρυθρὸν, οἰνωπὸν, πελιδνόν. De quibus nos alibi. Terra
F Armenia ὠχρὰ, hoc est, crocei coloris intensioris & in rubrum vergentis. Ita sane locum Galeni Arabes interpretati sunt. Talis color sandarachæ. Nam & facie rubra est, sed luteo colore tingit, unde & sandarachinum pro luteo. Festus: *Sandaraca genus coloris, quod Græci sandycem vocant. Nævius: merula sandaracino ore.* Merula rostrum rubens, aut puniceum non habet, sed plane luteum. Quod ille poëta *sandaracinum* dixit. Non tamen cum sandaraca eadem terra Armenia. Eadem potius fuerit cum arsenico rubro. Si id, quod absolute Ἀρμένιον Græcis scriptoribus vocatur, idem est cum terra Armenia Galeni, haud dubitandum est quin arsenicum rubrum videri debeat idem
G cum hac Armenia terra. Inter colores picturæ utiles unicum tantum genus arsenici novere veteres, quod *auripigmentum* appellat Plinius. Estque arsenicum luteum. Quod unum hoc nomine vetustissimis cognitum fuit. Theophrastus: καὶ ὤχραν ἀντ' ἀῤῥενικοῦ διὰ τὸ μηδὲν τῇ χρόᾳ διαφέρειν δοκεῖν. Ita legendum. Sandaraca autem in iisdem fere fodinis reperitur cum hoc arsenico, vel auripigmento. At rubrum arsenicum alterius generis, & in aliis foditur metallis. Auripigmentum in

in Mysia Hellesponti inveniri tradit Dioscorides. Rubrum vero arsenicum, quod sandarachæ simile est, in Ponto & Cappadocia. Sed & in Armenia, si forte Cappadociæ contermina. Sic sal Cappadocicus croceus & Armenius idem. Ergo illud erit Ἀρμένιον χρῶμα quod sandyceis nomine in Armenia effodi testatur Strabo. Hoc si forte *Armenium* absolute dictum Græcis Latinisque scriptoribus. Vitruvius inter colores, qui legibus excipiebantur, ut à domino, non à redemptore repræsentaretur, nominat Armenium lib. VII. cap. V. *Addit huc chrysocolla ostrum Armenium.* Zosimo Panopolitæ τὸ Ἀρμένιον inter pigmenta, quæ croceum ac rubrum colorem efficiunt, recensetur. Plinio tamen Armenium, & Ἀρμένιον Dioscoridi cæruleum facit colorem. Ceterum ubi cærulei copia foret, non video cur debuerit desiderari illud Armenium cæruleum. Nam colore non differebat à pigmento cæruli nisi teneritudine quadam ac mollitie fuci. Armenii alterius color sandycinus, immo αὐτόχρημα sandyx fossitia, vel arsenicum rubrum, quod βωλῶδες, vel βολοειδὲς esse dicit Dioscorides, quia in glebam excitetur è metallo. Verba ejus ita scribenda sunt ex optimo codice: ἐστὶ δ' αὐτοῦ εἴδη δύο, τὸ μὲν οἷον πεπερισμένον, τὸ δὲ βωλῶδες, τῇ χρόᾳ σανδαρακίζον, ἐκ δὲ πόντου καὶ τῆς Καππαδοκίας φερόμενον. Inepta lectio βαλανοειδὲς, & ineptiores qui eam asserunt. Hinc βῶλον Ἀρμενίας recentiores Græci nominarunt, quæ eadem est cum terra Armenia. Βῶλε Ἀρμενίας frequens mentio apud Myrepsum, quem luteum fuisse constat, non cæruleum, ut hactenus persuasum fuit doctissimis medicorum. Armeniæ terræ non meminit Dioscorides nisi sub nomine arsenici rubri, quod esse βωλῶδες memorat, id est, glebosum. Nam Armenium Dioscoridis cæruleum omnino aliud. Quod autem hodie pro bolo Armenio venditur, non est βῶλος Ἀρμενία veterum, nec terra Armenia Dioscoridis, sed Lemnia rubrica. Theophrastus Λημνίαν μίλτον appellat: καὶ τὰ σιδήρεια ἔχει μίλτον, ἀλλὰ καὶ ἡ Λημνία: καὶ ἣν καλοῦσι Σινωπικήν, αὕτη δέ ἐστιν ἡ Καππαδοκική, κατάγεται δ' εἰς Σινώπην. Plinius: *Sinopis inventa est primum in Ponto, cui nomen à Sinope urbe.* Ita legendum. Inde σινωπὶς & σινώπη generale nomen rubricæ. Hesychius: μίλτος, εἶδος ἐρυθρὸν Σινωπίδος. Zosimus vocat σινώπην in chimicis: ἐν δὲ τῷ ξανθῷ ἐπίβαλε ὤχραν Ἀττικὴν σινώπην ὅ ἐστιν Ποντικήν. Sic *magnes* pro lapide, qui ferrum trahit, etiam si non veniat ex Magnesia. *Chalybs, Cyprum, Caunæ*, & similia, de quibus supra. Idem Plinius optimam in Lemno nasci scribit, & proximam esse minio: *Rubricæ genus in ea voluere maxime intelligi. Quidam secundæ auctoritatis, palmam enim Lemniæ dabant. Minio proxima hæc est multum antiquis celebrata cum insula in qua nascitur, nec nisi signata venundabatur. Unde & sphragidem appellavere.* Ita hæc rescribenda. Quidquid alii contra sentiant, omnino certum est Plinium Lemniam rubricam cum terra Lemnia, quæ sigillabatur, confudisse. Ea sacra terra vocabatur, & à solo sacerdote tractari solebat, qui & signum Dianæ illi imprimebat. Dioscorides dicit Capræ. Unde & σφραγὶς αἰγὸς dicebatur. Sed illud αἰγὸς non habet optimus liber, ex cujus auctoritate totus ille locus de Lemnia terra sic constituendus: ἡ δὲ Λημνία λεγομένη γῆ ἐστὶν ἐκ τινὸς ὑπονόμου ἀντρώδους ἀναφερομένη καὶ μιγνυμένη αἵματι αἰγείῳ, ἣν οἱ ἐκεῖ ἄνθρωποι ἀναπλάσσοντες, καὶ σφραγιζόμενοι εἰκόνι αἰγὸς, σφραγῖδα καλοῦσιν. Non igitur sigillum capræ terram eam nominabant, sed simpliciter σφραγῖδα, quod & Plinius testatur. Colorem quidem rubricæ hæc etiam habet, sed expallidæ & ἐκλελευκυῖας. Nec enim manus tractantium inquinat, ut auctor est Galenus. In medicina hæc tantum laudabatur. Χρῶνται δὲ ἔνιοι καὶ εἰς τὰς τελετὰς αὐτῇ, inquit Dioscorides. Hoc est, quamobrem γῆ ἱερὰ nuncupabatur Galeno teste. In eadem insula etiam vera rubrica fodiebatur fabris utilis. Hæc non signabatur. Atque hæc est quam hodie pro bolo Armeno nobis obtrudunt. Plinius: *Ex reliquis rubricæ generibus fabris utilissima Ægyptia & Africana, quoniam maxime sorbentur. Picturis autem apte nascitur & in ferrariis metallis. Ex ea fit ochra exusta rubrica in ollis novis luto circumlitis.* Non uno vitio contaminatus hic locus. In scriptis libris ita legitur: *quoniam maxime sorbentur picturis. Nascitur autem & in ferrariis metallis, ochra ex ea fit exusta rubrica.* Lege ac distingue: *quoniam maxime sorbentur picturis. Nascitur autem & in ferrariis metallis. Fit ex ochra exusta in ollis novis luto circumlitis.* Ægyptiam & Africanam rubricam fabris utilissimam scribit, quia maxime sorbetur picturis. Melius tamen legeretur, *directuris.* Nam funiculo rubrica tincto dirigebant ligna secanda fabri. Vetus epigramma ἀπὸ τεκτόνων:

... μιλτοφυρῆ

Σχοῖνον ἀπ' ἀκρονύχων ψαλλομένην κανόνι.

Item in alio ἀνεκδότῳ, quo dedicantur instrumenta fabrilis artis:

Στάθμαι, καὶ μιλτεῖα, καὶ αἱ σχεδὸν ἀμφιπλῆγες,

Σφῦραι, καὶ μίλτῳ φυρόμενοι κανόνες.

In ferrariis autem metallis nasci rubricam ait prorsus juxta Theophrasti sententiam verbis supra citatis comprehensam, τὰ σιδήρεια ἔχει μίλτον. Ex ochra exusta eamdem fieri idem auctor dicit, quem & heîc Plinius sequitur, γίνεται δὲ ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης. Hoc idem tradit & Zosimus capite περὶ σημασίας ὤχρας his verbis: αἴρονται, καὶ ὀπτῶνται, καὶ γίνεται μίλτος, ἣν τινὰ καὶ σινώπην καλοῦσι. Diversa igitur Λημνία μίλτος & Λημνία σφραγίς. Clare distinguit Galenus lib. I de Antidotis his verbis: Καθάπερ ἐπὶ Λημνίας γῆς καὶ μίλτου, καλεῖν δ' αὐτὴν ἄμεινον οὐ μίλτον, ἀλλὰ γῆν. Ἐστὶ γάρ τις Λημνία μίλτος ἐν τῇ Λήμνῳ γεννωμένη πρὸς ἄλλας χρείας ἐπιτήδειος οὐ μὴν εἰς ἃς ἡ καλουμένη Λημνία σφραγίς. Non solus tamen Plinius eas confudit, sed plerique alii veterum. Quorum errorem vel in hoc Armenio, quod habemus in manibus, animadvertere licet. Profecto terra Armeniaca Galeni, quam ὠχρὰν esse scribit, id est, luteam, diversa omnino res est & ab Armenio Plinii quod est cæruleum, & ab Armenio Dioscoridis, quod idem est cum Armenio Plinii. Sed nec potest eadem esse cum Armenio pigmento Strabonis, quæ sandyx est vel sandaracha fossitia: Rubra porro illa, terra vero Armeniaca Galeni lutea est. At plerique recentiorum, qui post Galenum vixere, terram Armeniacam aut cum Armenio Dioscoridis eamdem fecere, aut cum Armenio pigmento Strabonis. Sed longissime errat doctor ille medicus, qui in definitionibus suis lapidem Armenium, quo gemmæ poliebantur, scalpebantur, & perforabantur, cum Armenio cæruleo Dioscoridis confundit. *Stephanus*, inquit, *tantam ei duritiem tribuit, ut sigilla in eo sculpi & cælari queant.* Immo non sigilla in eo lapide sculpi & cælari dicit Stephanus, sed eo tanquam cælo scalpi gemmas ipsas, & perforari etiam: παρέχονται δὲ λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τετρῶσαν τὰς σφραγῖδας. *Armenii mittunt lapidem sculpentem & perforantem gemmas.* Lapis hic ex cotium genere, cujus Theophrastus & Plinius meminere, diversus à pigmento Armenio, quod friabile erat, & quo pictores utebantur ad cæruleum colorem. Aëtius Ἀρμενιακὸν τῶν ζωγράφων vocat & intelligit τὸ Ἀρμένιον Dioscoridis, quod est cæruleum, diversumque facit à bolo Armenia. Qui ὠχρὰν eam etiam facit, vocarique ait ζαρίνακα ab incolis Armenis, κατὰ δὲ τὴν τῶν Σύρων ζάρναχα. Τὸ δὲ ὄρος, ἐν ᾧ γεννᾶται, πόλεως ἐστὶν ὀνομαζομένης Γαύγανα, ὁ δὲ ἀγρὸς, ἐν ᾧ τὸ ὄρος ἐστὶν, ὀνομάζεται Ἀγάρικα. Ita scribendum ibi ex veteribus libris. Mirum vero, quod dicit Armeniacam bolum ab Armenis, & Syris vocari ζάρναχα, & ζαρίνακα. Eodem quippe nomine Arabes arsenicum vocant *zarnich.* Idem esse nomen plane constat. Aut igitur Aëtius erravit, qui vocabulum illud Syriacum, sive Armenium, quo arsenicum vocabatur, ad Armeniacam bolum transtulit, aut ipsi Arabes. Sed illud verius. Arsenicum rubrum etiam in Armenia nascebatur. Et hoc est, quod indigenæ proprie nominabant ζάρναχα. Sane Armenum Strabonis idem fuisse videtur cum hoc arsenico. Inde ergo confuderunt istud Armenium cum Armenia bolo. Armeniacum Pauli Æginetæ & Oribasii, quod pilos nutrit in palpebris, idem quoque cum cæruleo Armenio Dioscoridis. Actuarius de urinis, cap. IX. bolon Armeniam coloris subrubei, quem Græci ὑπέρυθρον vocant, esse tradit, & concolorem statuit Lemniæ sphragidi. Verba Actuarii: Μάθοις δ' ἂν τῇ τε Ἀρμενίᾳ βώλῳ, καὶ τῇ Λημνίᾳ σφραγῖδι τὰ ὑπέρυθρα παραβάλλων. In eadem quoque sententia Arabes. Unde non

cant. Luteum quoque colorem ὠχρὸν dicunt. Nugaretur ſi quis *pallidum* diceret. Ochra genus coloris. Qui *pallidam* Latine vocaret, inſaniret. Ὠχρὸς eſt crocus. Nemo pallidum crocum recte nuncuparet. *Rubrum* & *rubentem* poëtæ appellant. Inde croceus color, qui non eſt pallidus, niſi ſit dilutior. Terra igitur Armeniaca Galeno τὴν χρόαν ὠχρὰν, id eſt, *colore lutea.* Dioſcorides corticem pyxacanthæ tradit eſſe ὠχρὸν ὅμοιον τῷ διεθέντι Λυκίῳ. At Lycium eodem teſte κροκῶδες. Ergo ὠχρὸν & κροκῶδες idem. Inde nomen ochræ, quam μηλίνην δι᾽ ὅλου debere eſſe ut bona ſit, vult Dioſcorides, id eſt, totam luteam. Theophraſto arſenicum & ochra ejuſdem coloris. Arſenicum τῇ χρόᾳ χρυσίζει. Unde & *auripigmentum* vulgo appellatur. Τὸ ὠχρὸν in urinis luteum eſt. Ubi coctiores ſunt, tum πυῤῥαὶ evadunt. Sic ὠχρὸν & πυῤῥὸν vicina ſunt, ut ξανθὸν & πυῤῥόν. Græci πυῤῥὸν vocant, qui Latinis eſt *rufus.* At luteus, hoc eſt, ὠχρὸς vel ξανθὸς idem eſt cum rufo dilutiore. Ergo ruſſus eſt idem cum luteo acutiore. Sandaracha κατακόρως πυῤῥά. Armenium Strabonis idem cum ſandaracha. Galeni autem Armeniaca terra ὠχρὰ, id eſt, lutea. Differt igitur Armeniaca Galeni terra ab Armenio Strabonis, quod eſt ſandyx, & ab Armenio Plinii & Dioſcoridis, quod eſt cæruleum. Apud proprie loquentes & colorum diſcrimina obſervantes non aliud poteſt obtineri. Armenium Strabonis, quæ ſandyx eſt, colorem facit rubrum & puniceum. Terra Armeniaca Galeni lutea, hoc eſt, ὠχρὰ, ſive μηλίνη, ſive χρυσίζουσα. Hæc differentia obſervatur in duobus generibus arſenici. Alterum luteum eſt, & colore ſimile ochræ, alterum rubrum, τῇ χρόᾳ σανδαραχίζον. Et fortean Armenium Strabonis idem ſit cum arſenio ſandarachino. Nam refert Dioſcorides arſenicum rubrum in Ponto & Cappadocia gigni. Cappadociæ vicina Armenia, quæ idem metallum fortaſſe mittebat, ut & alia compluria, cæruli, chryſocollæ, & ſimilia. Sic ſalem Cappadocicum crocei coloris, alii Armenium vocabant. Neophytus monachus: ἅλας Καππαδοκικὸν, τὸ Ἀρμένιον. Scaliger Julius exercitatione XCIIII contra Cardanum in citandis Galeni verbis ſuperius allatis de terra Armeniaca legit τὴν χρόαν χλωρὰν, pro ὠχρὰν, & vertit, *pallida.* Quod ineptum eſſe jam oſtendimus. Non idem pallor eſt mortui, & ejus qui timet, & qui ictero laborat. Hic mere luteus. Unde & lutei Varroni, qui hoc morbo laborant. Quem ab auri colore Latini *auruginem*, Græci recentiores χρυσιασμὸν vocant, ut apud Joannem Archiatrum ſæpe occurrit. Qui timet, non luteus evadit, ſed ſubalbidus. Nam ſanguine recedente nativus rubor fugit & pallore mutatur. Hi ſunt quos proprie *pallidos* dicimus. Nam auruginoſi non ſunt proprie pallidi, ſed lutei, quem colorem Græci ὠχρὸν & χλωρὸν appellant. Abuſive & *pallorem* de hoc lurore dixerunt Latini. Nam & pallida mors dicitur, quum mortui color ſit ſubluteus. Pallidus eſt ἄχρους ſine colore, luteus eſt κακόχρους, mali coloris. At Græci ὠχρὸν de coloribus palleſcentibus ac dilutis non uſurpant, ſed ἔκλευκον. Theophraſtus de rubricæ generibus: ἐστὶ δὲ αὐτῆς γένη τρία, ἡ μὲν ἐρυθρὰ σφόδρα, ἡ δὲ ἔκλευκος, ἡ δὲ μέση. Quæ Plinius ita vertit: *Sinopidis ſpecies tres, rubra, & minus rubens, & inter has media.* Immo ἔκλευκος eſt valde pallida. Sic ξανθὸς ἔκλευκος apud eumdem, luteus pallidus, albo mixtus. Aliter pallet ruber color qui dilutus eſt: aliter luteus palleſcens, aliter cæruleus evanidus, quem *morientem* hodie nuncupant. Τὸ ἄχρουν Græci dicunt, & τὸ ἔκλευκον in coloribus, quod Latini pallidum. Dioſcorides de chalcantho, quod eſt cærulei coloris, peſſimum eſſe tradit, ἀχρούστατόν τε καὶ ἀσθενέστατον. Theophraſtus diceret, ἐκλευκότατον. Plinius vertit *pallidius* lib. XXXIV. cap. XII. *Hoc pallidius, & quantum colore, tantum bonitate deterius.* Idem Corinthios carbunculos *pallidiores* eſſe dicit. Iſidorus auripigmentum pallidius, quod remiſſioris eſt coloris ac dilutioris. Sic nulla coloris proprietas hoc nomine poteſt ſignari, ſed omnibus fere convenit. Χλωρὸς autem in coloribus idem quod ὠχρός. Unde avis χλωρίων, quæ tota eſt lutea. Et χλωρὸν ἀρσενικὸν quod luteum Heſychio: Ἀῤῥενικὸν χρώματος εἶδος χλωρὸν, ὅπερ ἡμεῖς ἀρσενικὸν λέγομεν. Sic legendum non ἀρνικόν. Hip-

A pocrati & Theophraſto ἀῤῥενικὸν, quod poſterioribus ἀρσενικόν. Alias χλωρὸν etiam eſt viride, & herbacei coloris, nempe χλοερόν. Diverſa igitur terra Armeniaca Galeni, quæ lutea eſt, à ſandyce Armenia Strabonis & à lapide Armenio cæruleo Dioſcoridis. Quod ad colorem attinet, poſſet diſputari eamdem eſſe terram Armeniacam Galeni cum ſandyce Armeniaca Strabonis, licet hæc rubrum, illa luteum colorem præferat. Græci ὠχρὸν & πυῤῥὸν luteum & rubrum, quia ſunt affines colores, ſæpe confundunt, & alterum pro altero ponunt. Nam luteus, ſi intendatur, fit rufus. Hic rurſus, quum ex acuto remittitur, luteus exiſtit. Lignum thapſi, à quo θαψιναὶ mulieres, quæ luteo pallore decolorantur, Heſy-
B chius πυῤῥὸν appellat, quod ἀπὸ τοῦ πυρὸς dictum volunt. Luteum colorem in flammeis nuptialibus olim uſitatum refert Plinius. Atqui *flammeum* appellatum, quod colore flammeo tinctum eſſet. Sic luteum & flammeum idem. Columella *flammeolas calthas* appellat; quas in eodem carmine *flaventes* vocat, quæ *luteolæ* Virgilio. *Ruſſeus* & *ruſſus* antiquis Latinis idem & rufus, qui Græcis πυῤῥός. Hodie *ruſſum* cum Italis dicimus colorem luteum, vel flavum. Græci ξανθὸν πῦρ dicunt, & ξανθὴν πορφύραν. Pollux de generibus purpuræ: καὶ τὸ μὲν ξανθίζεται, τὸ δὲ κυαναυγὲς γίνεται. Dicunt &
C ξανθοὺς ἐρυθίνους. Heſychius ξανθὸν exponit πυῤῥόν. Ita Attici. At Dorici generis homines ξανθὸν de luteo dilutiore uſurparunt, quem Latini *flavum* vocabant. Nos vulgo *blondum* quaſi blandum colorem. Contra ξανθὸς Atticis eſt proprie *fulvus.* Nam & ξανθοὺς palmarum fructus appellant qui rubentes ſunt: unde & φοινικοῦς color. Theophraſtus de lapidibus: ἄλλη δὴ καλουμένη, ξανθὴ μὲν τὴν χρόαν, ἔκλευκος δὲ, ὃ μᾶλλον καλοῦσι χρῶμα οἱ Δωριεῖς ξανθόν. Græci antiquiſſimi ἔκλευκον vocant in coloribus, quod Latini *pallidum*, ut paulo ante docuimus. Ξανθὸς ἔκλευκος eſt luteus pallidus, quem colorem ξανθὸν Dores proprie dicebant; ξανθὸς vero Atticis luteus
D flammeus, qui & πυῤῥός. Poëtæ crocum ξανθότριχα appellant, à quo color croceus, hoc eſt, luteus in rubrum vergens. Poetæ Latini rubrum crocum vocant:

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Quidam τὸ ξανθὸν ſupra πυῤῥὸν collocant in gradibus coloris rubri percenſendis, alii infra. Favorinus apud Agellium hoc ordine procedit in diſtantiis ſignandis rufi coloris: ξανθὸς δὲ καὶ πυῤῥὸς, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ φοινικοῦς. Aliter tamen ſcribunt veteres libri, ex quorum auctoritate totus ille locus Agellii ſic diſtinguendus ac le-
E gendus: *Ruſſus enim color & ruber nihil a colore rufi differunt, neque proprietates omnes ejus declarant.* Ξανθὸς *autem & ἐρυθρὸς & πυῤῥὸς & φοίνιξ habere quaſdam diſtantias coloris rufi videntur.* Ut editus eſt, contrarium ſenſum efficit Favorini menti. Πυῤῥὸν facit vicinum φοίνικι, ita enim vocat puniceum. Heſychius φοίνικα interpretatur πυῤῥόν. Alii πυῤῥὸν infra ξανθὸν locant, remittentes ac dilutiorem facientes. His enim gradibus ac numeris ab infimo rufo ad ſummum progrediuntur: ὕπωχρον, ὠχρὸν, ὑπόπυῤῥον, πυῤῥὸν, ὑπόξανθον, ξανθὸν, ὑπέρυθρον, ἐρυθρὸν, οἰνωπὸν, πελιδνόν. De quibus nos alibi. Terra
F Armenia ὠχρὰ, hoc eſt, crocei coloris intenſioris & in rubrum vergentis. Ita ſane locum Galeni Arabes interpretati ſunt. Talis color ſandarachæ. Nam & facie rubra eſt, ſed luteo colore tingit, unde & ſandarachinum pro luteo. Feſtus: *Sandaraca genus coloris, quod Græci ſandycem vocant. Nævius: merula ſandaracino ore.* Merula roſtrum rubens, aut puniceum non habet, ſed plane luteum. Quod ille poëta *ſandaracinum* dixit. Non tamen cum ſandaraca eadem terra Armenia. Eadem potius fuerit cum arſenico rubro. Si id, quod abſolute Ἀρμένιον Græcis ſcriptoribus vocatur, idem eſt cum terra Armenia Galeni, haud dubitandum eſt quin arſenicum rubrum videri debeat idem
G cum hac Armenia terra. Inter colores picturæ utiles unicum tantum genus arſenici novere veteres, quod *auripigmentum* appellat Plinius. Eſtque arſenicum luteum. Quod unum hoc nomine vetuſtiſſimis cognitum fuit. Theophraſtus: καὶ ὤχραν ἀντ᾽ ἀῤῥενικοῦ διὰ τὸ μηδὲν τῇ χρόᾳ διαφέρειν δοκεῖν. Ita legendum. Sandaraca autem in iiſdem fere fodinis reperitur cum hoc arſenico, vel auripigmento. At rubrum arſenicum alterius generis, & in aliis foditur metallis. Auripigmentum

in

in Myſia Helleſponti inveniri tradit Dioſcorides. Rubrum vero arſenicum, quod ſandarachæ ſimile eſt, in Ponto & Cappadocia. Sed & in Armenia, ſi forte Cappadociæ contermina. Sic ſal Cappadocicus croceus & Armenius idem. Ergo illud erit Ἀρμένιον χρῶμα quod ſandycis nomine in Armenia effodi teſtatur Strabo. Hoc ſi forte *Armenium* abſolute dictum Græcis Latiniſque ſcriptoribus. Vitruvius inter colores, qui legibus excipiebantur, ut à domino, non à redemptore repræſentaretur, nominat Armenium lib. VII. cap. V. *Addit huc chryſocolla oſtrum Armenium.* Zoſimo Panopolitæ τὸ Ἀρμένιον inter pigmenta, quæ croceum ac rubrum colorem efficiunt, recenſetur. Plinio tamen Armenium, & Ἀρμένιον Dioſcoridi cæruleum facit colorem. Ceterum ubi cærulei copia foret, non video cur debuerit deſiderari illud Armenium cæruleum. Nam colore non differebat à pigmento cæruli niſi teneritudine quadam ac mollitie fuci. Armenii alterius color ſandycinus, immo αὐτόχρημα ſandyx foſſitia, vel arſenicum rubrum, quod βωλῶδες, vel βολοειδὲς eſſe dicit Dioſcorides, quia in glebam excitetur è metallo. Verba ejus ita ſcribenda ſunt ex optimo codice: ἐστὶ δ' αὐτοῦ εἴδη δύο, τὸ μὲν οἷον περιέρρηται, τὸ δὲ βωλῶδες, τῇ χρόᾳ σανδαρακίζον, ἐκ δὲ πόντου καὶ τῆς Καππαδοκίας φερόμενον. Inepta lectio βαλανοειδὲς, & ineptiores qui eam aſſerunt. Hinc βῶλον Ἀρμενίαν recentiores Græci nominarunt, quæ eadem eſt cum terra Armenia. Βώλου Ἀρμενίου frequens mentio apud Myrepſum, quem luteum fuiſſe conſtat, non cæruleum, ut hactenus perſuaſum fuit doctiſſimis medicorum. Armeniæ terræ non meminit Dioſcorides niſi ſub nomine arſenici rubri, quod eſſe βωλῶδες memorat, id eſt, gleboſum. Nam Armenium Dioſcoridis cæruleum omnino aliud. Quod autem hodie pro bolo Armenio venditur, non eſt βῶλος Ἀρμενία veterum, nec terra Armenia Dioſcoridis, ſed Lemnia rubrica. Theophraſtus Λημνίαν μίλτον appellat: καὶ τὰ Σιδήρεια ἔχει μίλτον, ἀλλὰ καὶ ἡ Λημνία: καὶ ἣν καλοῦσι Σινωπικήν, αὐτὴ δ' ἐστὶν ἡ Καππαδοκική, κατάγεται δ' εἰς Σινώπην. Plinius: *Sinopis inventa eſt primum in Ponto, cui nomen à Sinope urbe.* Ita legendum. Inde σινωπὶς & σινώπη generale nomen rubricæ. Heſychius: μίλτος, εἶδος ἐρυθρὸν Σινωπίδος. Zoſimus vocat σινώπην in chimicis: ἐν δὲ τῷ ξανθῷ ἐπίβαλε ὤχραν Ἀττικὴν σινώπην ὀπτὴν Ποντικήν. Sic *magnes* pro lapide, qui ferrum trahit, etiam ſi non veniat ex Magneſia. *Chalybs, Cyprum, Caunæ,* & ſimilia, de quibus ſupra. Idem Plinius optimam in Lemno naſci ſcribit, & proximam eſſe minio: *Rubricæ genus in ea voluere maxime intelligi. Quidam ſecundæ auctoritatis, palmam enim Lemniæ dabant. Minio proxima hæc eſt multum antiquis celebrata cum inſula in qua naſcitur, nec niſi ſignata venundabatur. Unde & ſphragidem appellavere.* Ita hæc reſcribenda. Quidquid alii contra ſentiant, omnino certum eſt Plinium Lemniam rubricam cum terra Lemnia, quæ ſigillabatur, confudiſſe. Ea ſacra terra vocabatur, & à ſolo ſacerdote tractari ſolebat, qui & ſignum Dianæ illi imprimebat. Dioſcorides dicit Capræ. Unde & σφραγὶς αἰγὸς dicebatur. Sed illud αἰγὸς non habet optimus liber, ex cujus auctoritate totus ille locus de Lemnia terra ſic conſtituendus: ἡ δὲ Λημνία λεγομένη γῆ ἐστὶν ἐκ πνὸς ὑπονόμου ἀντρώδους ἀναφερομένη καὶ μιγνυμένη αἵματι αἰγείῳ, ἣν οἱ ἐκεῖ ἄνθρωποι ἀναπλάσσοντες, καὶ σφραγιζόμενοι εἰκόνι αἰγὸς, σφραγῖδα καλοῦσιν. Non igitur ſigillum capræ terram eam nominabant, ſed ſimpliciter σφραγῖδα, quod & Plinius teſtatur. Colorem quidem rubricæ hæc etiam habet, ſed expallidæ & ἐκλύδης. Nec enim manus tractantium inquinat, ut auctor eſt Galenus. In medicina hæc tantum laudabatur. Χρῶνται δὲ τινὲς καὶ εἰς τὰς τελετὰς αὐτῇ, inquit Dioſcorides. Hoc eſt, quamobrem γῆ ἱερὰ nuncupabatur Galeno teſte, in eadem inſula etiam vera rubrica fodiebatur fabris utilis. Hæc non ſignabatur. Atque hæc eſt quam hodie pro bolo Armeno nobis obtrudunt. Plinius: *Ex reliquis rubricæ generibus fabris utiliſſima Ægyptia & Africana, quoniam maxime ſorbentur. Picturis autem apte naſcitur & in ferrariis metallis. Ex ea fit ochra exuſta rubrica in ollis novis luto circumlitis.* Non uno vitio contaminatus hic locus. In ſcriptis libris ita legitur: *quoniam maxime ſorbentur picturis. Naſcitur autem & in ferrariis*

A *metallis, ochra ex ea fit exuſta rubrica.* Lege ac diſtingue: *quoniam maxime ſorbentur picturis. Naſcitur autem & in ferrariis metallis. Fit ex ochra exuſta in ollis novis luto circumlitis.* Ægyptiam & Africanam rubricam fabris utiliſſimam ſcribit, quia maxime ſorbetur picturis. Melius tamen legeretur, *directuris.* Nam funiculo rubrica tincto dirigebant ligna ſecanda fabri. Vetus epigramma ὑπὸ τεκτόνων:

---- μιλτοφυρῆτε
Σχοῖνον ὑπ' ἀκρονύχῳ ψαλλομένην κανόνι.

Item in alio ἀνεκδότῳ, quo dedicantur inſtrumenta fabrilis artis:

B Στάθμην, καὶ μιλτεία, καὶ αἱ σχεδὸν ἀμφιπλῆγες
Σφῦραι, καὶ μίλτῳ φυρόμενοι κανόνες.

In ferrariis autem metallis naſci rubricam ait prorſus juxta Theophraſti ſententiam verbis ſupra citatis comprehenſam, τὰ σιδήρεια ἔχει μίλτον. Ex ochra exuſta eamdem fieri idem auctor dicit, quem & heîc Plinius ſequitur, γίνεται δὲ ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης. Hoc idem tradit & Zoſimus capite περὶ σημασίας ὤχρας his verbis: αἴρονται, καὶ ὀπτῶσι, καὶ γίνεται μίλτος, ἣν τινὰ καὶ σινώπην καλοῦσι. Diverſa igitur Λημνία μίλτος & Λημνία σφραγίς. Clare diſtinguit Galenus lib. I de Antidotis his verbis: Καθάπερ ἐπὶ λημνίας γῆς καὶ μίλτου, καλεῖν δ' αὐτὴν ἄμεινον οὐ μίλτον, ἀλλὰ γῆν. Ἔστι γάρ τις
C Λημνία μίλτος ἐν τῇ Λήμνῳ γεννωμένη πρὸς ἄλλας χρείας ἐπιτήδειος οὐ μὴν εἰς ἃς ἡ καλουμένη Λημνία σφραγίς. Non ſolus tamen Plinius eas confudit, ſed plerique alii veterum. Quorum errorem vel in hoc Armenio, quod habemus in manibus, animadvertere licet. Profecto terra Armeniaca Galeni, quam ὠχρὰν eſſe ſcribit, id eſt, luteam, diverſa omnino res eſt & ab Armenio Plinii quod eſt cæruleum, & ab Armenio Dioſcoridis, quod idem eſt cum Armenio Plinii. Sed nec poteſt eadem eſſe cum Armenio pigmento Strabonis, quæ ſandyx eſt vel ſandaracha foſſitia: Rubra por-
D ro illa, terra vero Armeniaca Galeni lutea eſt. At plerique recentiorum, qui poſt Galenum vixere, terram Armeniacam aut cum Armenio Dioſcoridis eamdem fecere, aut cum Armenio pigmento Strabonis. Sed longiſſime errat doctor ille medicus, qui in definitionibus ſuis lapidem Armenium, quo gemmæ poliebantur, ſcalpebantur, & perforabantur, cum Armenio cæruleo Dioſcoridis confundit. *Stephanus*, inquit, *tantam ei duritiem tribuit, ut ſigilla in eo ſculpi & cælari queant.* Immo non ſigilla in eo lapide ſculpi & cælari dicit Stephanus, ſed eo tanquam cælo ſcalpi gemmas ipſas, &
E perforari etiam: παρέχονται δὲ λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τετρώσαν τὰς σφραγῖδας. *Armenii mittunt lapidem ſculpentem & perforantem gemmas.* Lapis hic ex cotium genere, cujus Theophraſtus & Plinius meminere, diverſus à pigmento Armenio, quod friabile erat, & quo pictores utebantur ad cæruleum colorem. Aëtius Ἀρμενιακὸν τῶν ζωγράφων vocat & intelligit τὸ Ἀρμένιον Dioſcoridis, quod eſt cæruleum, diverſumque facit à bolo Armenia. Qui ὠχρὰν eam etiam facit, vocarique ait ζαρίνακα ab incolis Armenis, κατὰ δὲ τὴν τῶν Σύρων ζάρναχα. Τὸ δὲ ὄρος, ἐν τῷ γεννᾶται, πόλεως ἐστὶν ὄνομα ζομένης Γαύγανα, ὁ δὲ ἀγρὸς, ἐν ᾧ τὸ ἔργον ἐστὶν, ὃν μά-
F ζεται Ἀγάλκα. Ita ſcribendum ibi ex veteribus libris. Mirum vero, quod dicit Armeniacam bolum ab Armenis, & Syris vocari ζάρναχα, & ζαρίνακα. Eodem quippe nomine Arabes arſenicum vocant *zarnich.* Idem eſſe nomen plane conſtat. Aut igitur Aëtius erravit, qui vocabulum illud Syriacum, ſive Armenium, quo arſenicum vocabatur, ad Armeniacam bolum tranſtulit, aut ipſi Arabes. Sed illud verius. Arſenicum rubrum etiam in Armenia naſcebatur. Et hoc eſt, quod indigenæ proprie nominabant ζάρναχα. Sane Armenum Strabonis idem fuiſſe videtur cum hoc arſenico. Inde ergo confuderunt iſtud Armenium cum
G Armenia bolo. Armeniacum Pauli Æginetæ & Oribaſii, quod pilos nutrit in palpebris, idem quoque cum cæruleo Armenio Dioſcoridis. Actuarius de urinis, cap. IX. bolon Armeniam coloris ſubrubei, quem Græci ὑπέρυθρον vocant, eſſe tradit, & concolorem ſtatuit Lemniæ ſphragidi. Verba Actuarii: Μάθοις δ' ἂν τῇ τε Ἀρμενίᾳ βώλῳ, καὶ τῇ Λημνίᾳ σφραγῖδι τὰ ὑπέρυθρα παραβάλλων. In eadem quoque ſententia Arabes. Unde non

non mirum, si pro Armenia bolo hodie subjicitur rubrica Lemnia, quum sint concolores. Ac proinde non vane fortasse asseri potest, quæ hodie visitatur bolos Armenia, eamdem esse, quam Actuarii ætas novit. Sed an eadem cum terra Armenia Galeni? Ὠχρὰν illam facit, id est, coloris lutei. Bolos Armenia Actuarii ex rubro pallida. Ab his omnibus diversa sandyx metallica Strabonis, quam tamen Ἀρμένιον χρῶμα appellat. Hoc enim Armenium plane puniceum. Theophilus quoque de urinis, cujus editionem Latinam nunc demum videre mihi contigit, τὸ φλόγινον χρῶμα infectorum simile esse tradit Armenio lapidi, cumque colorem à Galeno φοινικοῦν appellari, non tamen intelligit Armenium lapidem à Galeno φοινικοῦν dici, ut vulgo adnotarunt. Ἀρμένιον igitur aliud rubrum, vel sandyx, vel arsenici genus alterum. Hujus mentio apud Zosimum Panopolitam in confectione admirabilis illius tincturæ, quam ὕδωρ ἄθικτον vocabant: τὰ δὲ ὕδατα τοῦ καταλόγου ἐξίσου, καὶ γῆ Ποντικὴ, καὶ Ἀττικὴ, καὶ Ἀρμένιον καὶ βοτανῶν δηλονότι τοῦ κρόκου καὶ τοῦ ἐλυδρίου τὸ διπλοῦν. Eodem capite paucis ante verbis meminit κυάνου Ἀρμενικοῦ. Ergo rubrum hoc Armenium, quod cum terra Pontica & Attica memoratur. Γῆ Ποντικὴ est Sinopis, vel Pontica rubrica. Attica vero fortassean ochra. Nam paulo post ὤχραν Ἀττικὴν nominat cum Sinope cocta. Sed magis est, ut de sile Attico intelligamus, quem limum esse scribit Plinius. Cujus coloris fuerit video dubitari inter doctos. Sed dubium non est fuisse rubrum. Tertium genus silis apud Plinium, *pressum est, quod alii Scyricum vocant ex Scyro insula.* In purpura *pressum* dicebatur quod obscurius erat & fuscius. Sed & in rubro. Ut rubricæ genus *pressius* apud eumdem Plinium. Quam vocem alibi explicavimus. Manus autem est correctorum quod hodie in Plinio legitur, *Scyricum & à Scyro insula*, quum legendum sit ex veteribus libris: *Syricum & à Syro insula.* Σύρος insula, à qua Syrius Pherecydes, & Συρικὸν pigmentum. Isidorus à Syris Phœnicibus dictum perperam hariolatur. Rubri coloris hoc pigmentum, ut omnes sciunt. Ergo & sil Atticum, quandoquidem tertium genus silis fuit *Syricum*, sed obscurius & fuscius. Vitruvius tamen, quod mirandum, ochram Atticam cum sili Attico eamdem facit: Sic enim scribit lib. VII. cap. VII. *Primum autem exponemus quæ per se nascentia fodiuntur, uti quod Græce ὤχρα dicitur. Hæc vero multis locis, ut etiam in Italia invenitur, sed quæ fuerat optima Attica, ideo nunc non habetur, quod Athenis argenti fodinæ cum habuerunt familias, tunc specus sub terra fodiebantur ad argentum inveniendum. Cum ibi vena forte inveniretur, nihilominus uti argentum persequebantur. Itaque antiqui egregia copia silis ad politionem operum sunt usi.* Clarum est ex his ochram Atticam pro sile accepisse. Dioscorides ὤχραν τῷ γένει Ἀττικὴν commendat. At ochra illa Attica ætate Vitruvii, si illi credimus, non amplius inveniebatur. Sed de sile id intelligendum, quod ille perperam cum ochra confundit. Ὤχρας Ἀττικῆς etiam mentio apud Zosimum auctorem chimistam. Ceterum quod de argentifodinis Atticis scribit Vitruvius, in quibus ochræ vena, hoc est, silis Attici inveniebatur, eamque uti argentum persequebantur, hoc Theophrastus de cinnabari refert, quod erat illorum temporum minium: καταδεῖξαι δέ φασι καὶ εὑρεῖν τὴν ἐργασίαν Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων, ὃς οἰόμενος ἔχειν τὴν ἄμμον χρυσίον διὰ τὸ λαμπυρίζειν ἐπραγματεύετο καὶ συνέλεγεν. Sic τὸ κιννάβαρι Theophrasti est sil Atticum Romanorum, diversum utique ab ochra. Sed sil Plinio limus est, cinnabari Theophrasto arena. Utrumque tamen in argentariis metallis reperiebatur, utrumque rubrum. Et quod Vitruvius de sili tradit, quod esse putavit ochram Atticam, hoc idem narrat de cinnabari & ejus inventione Theophrastus. Præterea genus silis Plinio *marmorosum* dicitur, quod in Græco fuit μαρμαρίζον, à marmoris nitore, quasi marmorea arena, quæ non male refert τὴν λαμπυρίζουσαν ἄμμον Theophrasti. Nec differebat color silis & minii. Unde apud Vitruvium: *& silaceorum miniaceorumque cuneorum.* Minium quidem proprie Hispanum ab amne cognomine. At genus minii, quod solum

A vetustissimis fuit cognitum nondum invento Hispanico, κιννάβαρι vocarunt Græci, non ob similitudinem coloris cum illo cinnabari, quod ex Africa apportabatur, ut male autumant viri docti. Immo contra est. Nam illud posterius notum, quod à similitudine minii illius, quod κιννάβαρι vocabatur Græcis antiquis, id nomen accepit. Hinc Indicum illud & Libycum cinnabari, quod sanguinem draconis ab elephanto elisi putarunt esse quidam veterum, non simpliciter *cinnabari* dixerunt, sed cum cognomento patriæ. Auctor peripli: γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον Ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. Ad differentiam

B alterius cinnabaris hoc Indicum cognominatum est. Theophrasto cinnabari Atticum, quod in argentifodinis effodiebatur, sil Atticum est Romanorum. De hoc nomine silis controversia etiam olim extitit apud eruditos, utrum peregrinum esset an Romanum, quod Ausonius his versibus testatur:

Est ne peregrini vox nominis an Latii sil?
Et quod Germano mixtum male lethiferum min?

Versus ex catalectis Virgilii, quos allusit, ita legendi sunt:

Tumentiorum amator iste verborum
Iste iste rhetor: namque quatenus totus
C *Thucydides Britannus, Atticæ febris,*
Tau Gallicum, min, sil & al, male illi sit,
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

Quæ nos alibi explicamus. Cave autem putes ab hoc sile dictum fuisse *silatum* pro jentaculo, quia vinum sili conditum jejuni bibebant. Illud *sili* est seseli, quod etiam *sili* dicebatur. De quo nos alibi. Vide Festum in voce *silatum*. Silis pigmenti mentio apud Græcos scriptores nulla. Apparet itaque Latinum fuisse nomen. Hoc κιννάβαρι Atticum Theophrasti. Vitruvius ὤχραν esse Atticam existimavit. Adeo scilicet tum ignorabatur, quale pigmentum fuisset sil. Et sane non amplius tunc inveniri ipse diserte affirmat.

D Quod igitur de eo habet Plinius, ab antiquis sumpsit. De sili attico loquor. Nam illud est quod sua ætate non amplius in rerum natura fuisse memorat Vitruvius. Vix tamen ambigi debet, quin hoc silis vocabulum ex aliqua Græca voce effinxerint veteres Latini. Multa autem ex Græcis mutuati sunt prisci Latini, quæ apud Græcos ipsos alias habuerunt significationes. An igitur ex σῶρι fecerunt *sili*, vel *sil*? Nam ω in ι mutabant, ut σκρώνιον, *scrinium*: κόνις *cinis*. Et ρ in λ, ut λείριον, *lilium*. Sic ex σῶρι, *sili*. Aliud tamen *sori* Græcorum, quam *sil*. Τὸ σῶρι describit Dio-

E scorides, apud quem male legitur σῶρυ. Nam σῶρι verum est, τοῦ σώρεως, ut habent antiqua exemplaria. Recentiores omnes Græci *sori* idem cum syrico faciunt, & coloris esse rubri volunt. Sic sori esset sil. Nam syricum genus silis. Neophytus: Σῶρι, καὶ τὸ συρικὸν, ὃ καὶ σάνδυξ λέγεται. Et alio loco: τὸ κεκαυμένον ψιμμίθιον, οἱ μὲν καλοῦσι σάνδυκα, οἱ δὲ σῶριν, οἱ δὲ συρικόν. Cerussam ustam rubrum & sandaracinum colorem facere notum est. Hunc colorem vocatum etiam σῶρι & συρικὸν dicit. Serapio σῶρι apud Galenum vertit *zeg rubeum*, hoc est, rubrum atramentum. Sic colorem rubrum vocarunt *sil* ex σῶρι, & sandycinum, vel

F sandarachinum. Nam & sandaracha κινναβαρίζει. Et sil Atticum Theophrasto dicitur Ἀττικὸν κιννάβαρι. Quod *sori* rubrum faciunt Græci neoterici, id de altero genere soreos si forte intelligendum, cujus meminit Dioscorides, qui λαμπυρίζον esse tradit dum frangitur. Quod ἑτερογενὲς, nec ejusdem cum altero sori naturæ nec coloris. Non tamen rubrum esse dicit, sed λαμπυρίζειν ὡς μίσυ. Quod misy aurei est coloris. Veteres σύρον vocaverunt τὸ συρικὸν prototypo nomine ipsius insulæ, ut in aliis infinitis. Sic enim *cyprum* pro ære Cyprio dixerunt, *chalybem* pro chalybico stomomate, *magnetem* pro magnetico lapide, *sino-*

G *pen* σινώπην pro rubrica Sinopica. Ita ergo & σύρον pro syrico. Latini prisci *syl*, vel *sil* inde fecerunt. Hinc plerique auctores recentiores Græci & Arabes σῶρι cum σύρῳ confuderunt. Inde est quod σῶρι idem cum συρικῷ esse voluerunt. Quod & Arabes fecisse videntur, qui *Abimentum Suri* vocant, quod est sori, & atramentum Syrum cum eo idem faciunt, quod & syricum, & vitreolum rubeum inter-

interpretantur. At σῶρι plane nigrum, vel cæruleum. Quidam μελαντηρίαν esse, id est, atramentum metallicum opinati sunt, quod Dioscorides refellit, & sui generis esse asserit. Democritus in Physicis κυανοῦν de colore facit: περὶ θείου ἀπύρου συνθεὶς σῶρι καὶ χάλκανθον, τὸ δὲ σῶρι ἐστὶν ὡς κυανὸς ψωρώδης εὑρισκόμενος ἀεὶ ἐν τῷ μίσυ. Τοῦτο καὶ χλωρὸν χάλκανθον καλοῦσι. Quæ verba pessime interpretatur Hermolaus Barbarus in corollario suo. *Describitur*, inquit, *sori à Democrito cæruleum scabrum, inveniri semper solitum in ipso misye, vocatum à quibusdam chalcanthum viride.* Sori, quod est cyaneum, non potest esse viride. Præterea χλωρὸν χάλκανθον non recte redditur *viride*, quum sit luteum, ut χλωρὸν ἀρσενικὸν luteum, vel aurei coloris. De misy igitur, non de sori hæc accipienda sunt, τοῦτο τινὲς χλωρὸν χάλκανθον καλοῦσι. Misy aurei coloris & χρυσίζον. Quod ideo χλωρὸν χάλκανθον quidam vocabant, id est, aureum chalcanthum. Hodie *vitriolum* dicimus veterum chalcanthum. Misy vero est *vitriolum Romanum*, quod luteum, vel aureum habet colorem. Græci χάλκανθον χλωρὸν nominabant. At *vitriolum* vocamus, quod est *vitreolum*, à vitreo colore. Ut *luteola caltha* Virgilio. Ut *aureolus*, *rußeolus*, vel *russulus*, pro russus: ita & *vitreolum* pro vitreo. Plinius de chalcantho: *Immobilibus super has transtris dependent restes lapillis extentæ, quibus adhærescens limus vitreis acinis imaginem quamdam uvæ reddit.* Inde ergo *vitreolum* vulgi vocamus. Et paulo post: *color est cæruleus, perquam spectabili nitore, vitrumque esse creditur.* Hic est vitreus color, quem veteres grammatici pellucidum & cæruleum esse definiunt. Quemadmodum autem infima Latinitas chalcanthum appellavit *vitreolum*, à colore vitreo, ita Græcia antiqua χάλκανθον similiter à colore, quem habet, nominavit. Quod etymum ab omnibus ignoratum fuisse video. Nec sane antiqui proprietatem hujus nominis scisse videntur, qui ab ære deduxerunt. Plinius: *Græci cognationem æris nomine fecerunt & atramento sutorio, appellant enim chalcanthum.* Immo nulla cognatio æris in hoc nomine χαλκάνθου, nec enim ullam habet cum ære similitudinem. Chalcanthum in chalcitim temporis lapsu transire nihil moror. Hoc non agitur. Si nihil habet æris chalcanthum, ne colorem quidem, cur ab ære nomen invenerit, non video. Optimis ac vetustis auctoribus dicitur χαλκανθές. Strabo lib. XIIII. μέταλλα δὲ χαλκοῦ ἐστὶν ἄφθονα ἐν Ταμάσῳ, ἐν οἷς τὸ χαλκανθὲς γίνεται, καὶ ὁ ἰὸς τοῦ χαλκοῦ πρὸς τὰς ἰατρικὰς δυνάμεις χρήσιμος. Ubi doctus interpres, *chalcanthum, id est, æris flos* Latinè reddidit. Imperitissimè. Nam χαλκανθὲς, & χαλκοῦ ἄνθος, quod est æris flos, longe diversa. Apud Dioscoridem in antiquissimo exemplari regio χαλκανθὲς quoque scribitur, non χάλκανθον, ut vulgo habetur: χαλκανθὲς τῷ μὲν γένει ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχει. Et rectè quidem sic vocatur. Ab ἄνθος, quod colorem significat, compositum hoc nomen. Ut autem κροκανθὲς Græci dicunt quod crocei est coloris, & πορφυρανθὲς, quod purpuræ colorem habet, πολυανθὲς colorium, εὐανθὲς floridi coloris, ἀνανθὲς decolor & pallidum, & χρυσανθὲς, aureum. Nicander ita vocat τὸ χρυσάνθεμον τότε χρυσανθὲς ἀμέργων. Sic etiam & χαλκανθὲς, quod colorem habet χαλκοῦ. Atqui colorem æris non habet chalcanthum. Quare non à χαλκὸς & ἄνθος composita hæc dictio, sed à χάλκη, quæ purpuram glaucam & cæruleam denotat. Hesychius: χάλκη, πορφύρα. Alii dicebant κάλχη. Inde & καλχαίνειν tingere. Pollux capite περὶ βαφῆς καὶ χρωμάτων, καταχρωννὺς καλχαίνων: ἴδιον δὲ ἐπὶ τῶν χρωννύντων τοὔνομα. Inde igitur τὸ καλχανθὲς, vel χαλκανθὲς, quod colorem κάλχης referat, id est, cæruleæ purpuræ. Ut καλχηδὼν, & χαλκηδὼν, sic κάλχη, & χάλκη, καλχανθὲς & χαλκανθὲς, κύθρα & χύτρα, & similia sexcenta. Dioscorides de chalcantho: ἄριστον δὲ αὐτοῦ ἡγητέον τὸ κυάνεον καὶ βαρύ. Non ab ære, qui Græce χαλκὸς, sed à voce χάλκη, vel κάλχη, quæ purpuram significat cæruleam, compositum χαλκανθές. Alii τὸ χάλκανθον dixere. Quæ compositionis forma etiam in aliis obtinuit. Nam & ἴανθον similiter dictum est pro ἰανθὲς, quod colorem violæ præferret. Unde *janthina vestes*. Hesychius: ἴανθον, ἄνθος καὶ χρῶμα τι πορφυροειδές. Sic phalangitis herba λεύκανθος dicta, quod florem haberet candidum. Dioscorides: οἱ δὲ λεύκανθον καλοῦσι. Ita

A legit vetustissimus codex. Male scribitur, λευκάκανθον. Et ita etiam in Plinio corrigendum. Dicebatur & λευκάνθεμον. De qua supra. Sic etiam χρυσάνθεμον herba & χρύσανθον appellata, & χάλκανθον de qua paulo post. Eodem modo & τὸ χάλκανθον, quod ἄνθος χάλκης haberet. Hæc sunt indubitatissima. Constans tamen hallucinatio veterum ab ære deducentium hoc nomen, & confundentium χαλκοῦ ἄνθος, & χάλκανθον. De glossarii auctore non miror, qui χάλκανθον exponit *florem æris* pro *chalcantho*, nec de Isidoro, qui chalcanthum ita exponit. Nicander vetustissimus scriptor χαλκοῦ ἄνθην, id est, florem æris pro chalcantho
B dicit in Alexipharmacis, ubi de remediis contra fungos loquitur:

Πολλάκι καὶ χαλκοῖο πάλαι μεμογηότος ἄνθην.

Aperte hoc versu τὸ χαλκοῦ ἄνθος designavit. Dioscorides tamen pro chalcantho accepit, & alio loco chalcanthum adversus fungos promptum & efficax remedium esse prodidit. Possemus tamen dicere interpretationis heîc falsum Dioscoridem. Nam χαλκὸς πάλαι μεμογηὼς nihil aliud significat quam æs vetus, cujus florem ad eam medelam expeti tradit. Quamvis & hoc quoque sit inexplicabile. Etenim flos æris fit, dum
C æs recens fusum & rubens adhuc, inspersa aqua refrigeratur. Utcunque tamen de ære floris vetusto eum versum possemus exponere. Chalcanthum autem & florem æris easdem vires in medicina habere Galenus auctor est, qui chalcanthum pro æris flore substitui præcipit: ἀντὶ χαλκοῦ ἄνθους χάλκανθον. Sed Nicander idem in Theriacis ἄνθεα χαλκοῦ pro chalcantho manifeste videtur posuisse in his versibus, de eo qui à vipera morsus fuerit:

Χροιὴν δ' ἄλλοτε μὲν μολίβου ζοφοειδέος ἴσχει,
Ἄλλοτε δ' ἠερόεντα, τότ' ἄνθεσιν εἴσατο χαλκοῦ.

Color ἠεροειδὴς est cæruleus qui chalcanthi proprius. At
D flos æris rubet. Κατάπυρρον vocat Dioscorides. Ergo ἄνθεα χαλκοῦ posuit ἀντὶ χαλκανθοῦς. Quæ summa imperitia est. Ita etiam interpretatur vetus scholiastes: ἄνθεσι δὲ χαλκοῦ, ἀντὶ τοῦ χαλκάνθην, ἣν νῦν καλακάνθην φασίν. At καλακάνθη herba est recentioribus, quæ dicebatur veteribus γλαύκιον. Sic etiam vocasse eos constat veterum χάλκανθον, quod & κάλχανθον dicebatur. Inde & καλάκανθον Græcis recentioribus pro eodem. Certè apud auctores hippiatricæ Græcos καλάκανθον semper pro chalcantho legere est in antiquissimo codice: ut cap. CCLIIII. Καλακάνθου ὁλκὰς β', συμπηλείας ἀσῆς γο. S χαλκίτεως γο α ιβ, ξυσοῦ γο S: & cap. CCLXI. Ἀρσενικὸν,
E ἄσβεστον, χαλκῖτιν, καλάκανθον, ἴσα τὰ τέσσαρα λειοποιήσας χρῶ. Interpres autem vetus Nicandri, qui ἄνθεα χαλκοῦ ibi exponit de calacantho, sive chalcantho, manifesto id etiam confudit cum æris flore, quod est χαλκοῦ ἄνθος. Ita enim ad eum locum scribit: ἄνθος δὲ ἐστὶ χαλκοῦ τὸ γινόμενον ἐν οἷς ὁ χαλκὸς χωνευόμενος καθίεται πελιδνόν τε καὶ μᾶλλον ἔχον εἰς κιρρὸν τὴν πελιδνότητα: μικρὸν δὲ καὶ στρόγγυλον, καὶ παραπλήσιον τῷ σπέρματι τοῦ νάπυος: καὶ ἴσως τούτου μέμνηται Νίκανδρος. Hæc omnino in æris florem conveniunt, de quo intellexisse Nicandrum etiam vult
F quum ἄνθεα χαλκοῦ nominavit. Et profecto per ἄνθεα χαλκοῦ nihil aliud potuit significare Nicander præter æris florem. Meminit & alterius lectionis idem scholiastes in illo Nicandri loco, ubi quidam legebant:

---- τοτ' ἄνθεσιν εἴσατο χάλκης.

Quam scripturam confirmat auctoritate Numenii, qui de eadem re ad verbum ita scripserit:

---- ἐπ' ἰχὼρ
Ἠερόεις, τότε δ' αὖ μολίβῳ ἐναλίγκιον εἶδος
Ἀμφὶ ἓ κυδαίνει χάλκη ἶσον.

G Ibi χάλκην interpretatur ἄνθος ἀφ' οὗ ἡ πορφύρα. Lividam igitur purpuam designavit χάλκης nomine, quæ plumbei est coloris. Ergo & ἄνθεα χάλκης apud Nicandrum in illis versibus, colores lividæ & atræ purpuræ exponemus. Citat & hos versus ex Heraclea:

---- φολὶς δ' ἀπέλαμπε φαεινὴ
Ἄλλοτε μὲν κυάνου, τότε δ' ἄνθεσιν εἴσατο χάλκης.

Sed fortasse & χάλκης ibi legit, & similiter exposuit. Ergo ab illa χάλκη nomen habuit χαλκανθὲς, vel χάλκανθον, quod recentiores dixere καλάκανθον. De qua infra. Dioscorides ait, eos, quos vipera momorderit, colorem

colorem habere ὑπόγλαυκον. Ita scribendum, non ὑπόλευκον. Nicander vocat ἠερόεντα, & similem dicit chalcantho, quod est glaucum, & cæruleum, vel vitreum. Dioscorides, ut hoc obiter eventilemus, tres species chalcanthi facit, τὸ σαλακτὸν, τὸ πηκτὸν, καὶ τὸ ἑφθόν. De stalacto verba ejus sic legenda sunt: τὸ μὲν γὰρ κατὰ σαλαγμὸν ἠθημένων ὑγρῶν εἰς τινὰς ὑπονόμους συνίσταται, ὅθεν καὶ σαλακτὸν καλεῖται ὑπὸ τῶν τὰ κυπριακὰ μέταλλα ἐργαζομένων. Plinio dicitur *stalagmias*. Cujus locum sic lego: *Fit & pluribus modis, genere terræ eo in scrobes cavato, quarum è lateribus distillante hiberno gelu stiria, stalagmian vocant.* Ὁ σαλαγμίας. Posset etiam legi ex alio veteri codice: *quarum è lateribus distillantes hiberno tempore stiriæ gelantur. Stalagmian vocant.* Isidorus: *Fit & in scrobibus cavatis, quarum de lateribus decidentes guttæ coalescunt.* Longe melius quam Plinius. Ridiculum quippe illud de stiriis hiberno gelu concretis, quæ chalcanthum efficiunt, quod σαλακτὸν dicitur. Hoc de officina sua procusum dedit Plinius. Quod frigore gelatur, idem regelatur calore. Quod non patitur chalcanthum. Ergo nec gelu coalescit. Genus aliud chalcanthi sole densari tradit Plinius. Ἑτερογενὲς plane esset & longe diversum ab ea specie, quæ frigore concrescit. Præterea metallicarum fodinarum subterranea hieme calidiora sunt quam æstate. Non igitur in his humor qui chalcanthum facit, hiberno tempore vi frigoris congelatur. Dioscorides dicit simpliciter, ἠθημένων ὑγρῶν κατὰ σαλαγμὸν εἰς τινὰς ὑπονόμους συνίστασθαι. Quod guttatim defluentes humores quasi sacco liquati cogerentur. Hæc proprietas τοῦ σαλακτοῦ. Hoc idem dicebatur & λογχωτὸν, quod stiriæ lanceis similes efficerentur. Sequitur apud Plinium de hoc genere: *Stalagmian vocant, neque est purius aliud. Sed ex eo colorem candidum sentientem violam leucoion appellant.* Hæc sunt fœdissime inquinata vitio librariorum correctorumque. Legitur in veteri codice: *sic ex eo candidum sentientem viola, loncoton appellant.* Omnino scribendum: *Sic ex eo quod dependet ut lanciola, loncoton appellant.* Stiriæ illæ in formam lanciolæ dependentes chalcanthum faciunt dictum λογχωτὸν, quod idem est cum stalacto. Neophytus: λογχωτὸν, τὸ χάλκανθον. Risi medicum, qui in suis definitionibus bona fide retulit ex eo Plinii loco, chalcanthum candidum esse simile violæ & λευκόϊον appellari. Si in curandis ægrotis nihil plus videt, væ miseris. Chalcanthum illud non est candidum. Si candidum esset, non tamen violæ simile foret. An nihil aliud candidum præter violam, cui posset comparari candor chalcanthi? Post ea, quæ superius ex Dioscoride citavimus, sequitur apud eumdem in vulgatis: Πεπήσιος δὲ αὐτὸ καλεῖ πινάριον, οἱ δὲ σαλακτικὸν, πηκτὸν, ἑφθὸν, στακτὸν, λογχωτόν. Quæ omnino spuria sunt & adtexta ex aliquo auctore chymico. Πεπήσιος corruptum pro Πετάσιος, quod est nomen auctoris chymici, cujus mentio apud Zosimum inter scriptores chymistas: ὧν εἰσὶ Πετάσιος καὶ Σωήσιος οἱ θαυμάσιοι. Vetus liber bibliothecæ regiæ ea non agnoscit. Laudatur ab iisdem ac celebratur in chimia alius scriptor nomine Πηβήχιος, qui heic posset locum habere. Sequuntur de secundo genere chalcanthi, quod est πηκτὸν, longe corruptissima, sic emendanda: τὸ δ' ἀφθόνως ὑλιζόμενον ἐν σπηλαίῳ, ἔπειτα μεταχεόμενον εἰς βόθρους τὴν πῆξιν λαμβάνει, ὃ δὴ καὶ πηκτὸν ἰδίως ὀνομάζεται. Isidorus pro βόθρους legit βότρυς, eaque sic reddidit: *Fit & pecton in speluncis quod liquide collectum dehinc diffusum in quosdam solidatur botros.* Confundit cum alio genere, quod ἑφθὸν dicebatur, quod in modum uvæ conformari solebat, vitrei coloris acinis inter se cohærentibus. Ita Plinius τὸ σαλακτὸν confudit, & τὸ πηκτόν. Suidas de pecto intelligit: χάλκανθον ὕδωρ ἐστὶ πηγνύμενον ἐν τοῖς κατὰ Κύπρον μετάλλοις. Aquam concretam vocat. Germani hodie appellant chalcanthum: *aquam cupri*, *kupfer waßer*. Inde nostrum *couperose*. De genere chalcanthi quod decoquebatur, & ἑφθὸν appellat Dioscorides, ita ipse corrigendus est, in editionibus: τὸ δὲ τρίτον καλεῖται μὲν ἑφθὸν, σκευάζεται δὲ ἐν Σπανίᾳ, σκευὴν δὲ ἔχει τοιαύτην, ἀχρέστατον τε καὶ ἀσθενέστατον ὑπάρχον, ὕδατι διέντες αὐτὸ ἕψουσιν, εἰς τὰς δεξαμενὰς τε καταχέουσιν, ἐῶσι, ὅτε δὲ πήγνυται, πεπηγμέναις ἡμέραις εἰς πολλὰ διαιρούμενον κυβοειδῆ σχήματα βοτρυδὸν ἀλλήλοις προσεχόμενα. Hoc est quod in botros so-

A lidari dixit Isidorus. Vide Plinium, qui facticium vocat hoc genus: *Hoc pallidius, & quantum colore, tantum bonitate deterius.* Recta igitur veteris libri lectio apud Dioscoridem: ἀχρέστατον τε καὶ ἀσθενέστατον ὑπάρχον. Quod Plinius vertit *pallidius*. Reliqua alibi emendabimus & comparabimus cum Plinianis. Græci recentiores χαλκανθάριον diminutiva forma dixere. Inde officinæ *colchotar* vocant chalcanthum. Alii *chalcitim* sic appellatam Arabibus contendunt. At τὸ χάλκανθον, ut dixi, veteribus vel χαλκανθὲς, quod χάλκης habeat colorem. Errant qui scribunt χάλκανθος, & vitiose ita scribitur in plerisque auctorum editionibus. Κάλχη, vel χάλκη

B est purpura cyanea. Straboni tamen κάλχη est rubra purpura, qui sandycem Armeniam colore similem scribit, τῇ κάλχῃ. Apud Vopiscum in Aureliano sandyx Indica præstantissimam purpuram facere dicitur, si curetur. Ex hac voce transpositione syllabæ facta est apud recentiores λάκχη. Vir doctus apud auctorem peripli λάκκον χρωμάτινον de lacca vulgari accipit, in his verbis: καὶ περιζώματα: καὶ καυνάκαι, καὶ σινδόνες ὀλίγαι, καὶ λάκκος χρωμάτινος. Genus esse vestis præcedentia ostendunt, & nos id jam olim docuimus. Sic supra: ἄβολοι νόθοι χρωμάτινοι, καὶ λέντια καὶ

C ληκρόσια. Colorias vestes intelligit, quæ ex Ægypto in Arabiam invehebantur. Græci autem λάκχην vocaverunt anchusam, quæ & ipsa πορφυρὶς nominata à colore rubræ purpuræ. Suidas: Κάλχη, βοτάνη δι' ἧς πορφύρα βάπτεται. Fortassean & hæc eadem sit, cujus nomen posterior ætas mutavit in λάκχαν. Alias κάχλαν & κάλχαν etiam appellarunt τὸ βούφθαλμον. Siculi κάλθαν dicebant. Unde Romanis *caltha*. Cujus tamen color à purpureo aut rubro longe dispar, luteus quippe. Violis luteis eam facit concolorem Plinius lib. XXI. cap. VI, his verbis, quæ sic legenda sunt: *è sativis maxima auctoritas luteis. Genera Tusculana, & quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore sed minus odorato. In totum vero sine*

D *odore minutoque folio Calatina, munus autumni, ceteræ veris. Proxima ei caltha est & concolor. Amplitudine vincit & numero foliorum marinam quinque non excedentem.* Viola *calatina* dicta à Calatia oppido Italiæ, ut Tusculana à Tusculo. Sic demendus labor herbariis quærendi, unde dicta sit & quare *calathina*, quam à calathis deducunt, & eamdem cum thylacitide faciunt. Caltha autem hæc, quæ Græcis κάλχα, vel κάχλα croceos habet flores in rubrum vergentes. *Solsequiam* vulgo dicimus. Hæc proprie κάχλα Græcorum. Quidam tamen buphthalmum sic etiam voca-

E runt. Plinius lib. XXV. cap. VIII. *Est & buphthalmos similis boum oculis folio fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quidam calchan vocant.* Ita veteres libri. Dioscorides habet κάχλαν. Ex Siculo κάλθα, pro κάλχα factum nomen Romanum *caltha*. Caltha tamen Latii non est Græciæ βούφθαλμον. Hæc herba caret nomine apud Latinos. Ideo Græcam appellationem retinuit Plinius & Virgilius in Culice: *Buphthalmusque virens.* De quo consulantur herbarii neoterici. Neophytus χρυσάνθεμον Romanis *caltham* appellari tradit: χρυσάνθεμον ἢ χάλκας, οἱ δὲ χαλκίτην, οἱ δὲ

F χάλκανθον, οἱ δὲ χαλκάνθεμον, οἱ δὲ βούφθαλμον, Ῥωμαῖοι κάλθα. Caput de chrysanthemo in antiquissimo Dioscoridis exemplari nullum comparet. Spurium esse & additicium nullus dubito. Nam paria omnia sunt in utriusque descriptione verbis pæne iisdem, & remedia prorsus eadem. Refertur tamen à Neophyto. In remediis hæc observabam. Vulgares editiones Dioscoridis in chrysanthemo sic habent: ἰκτερικοὺς τε προσκαίρως εὐχροεῖν ποιεῖ ποθεῖσα μετὰ τὴν ἐν τοῖς λουτροῖς ἀπὸ τῆς μακρᾶς διατριβῆς ἔξοδον. Neophytus habet tantum: ποθεῖσα μετὰ τὴν ἐν τοῖς λουτροῖς ἀπὸ τῆς μακρᾶς ἔξοδον. In buph-

G thalmi vero descriptione sic legitur apud Dioscoridem in editis: φασὶ δὲ ὅτι ἐν βαλανείῳ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν πινόμενον, εὔχροιαν ποιεῖ πρὸς χρόνον τινὰ τοῖς ἰκτερικοῖς. At optimus codex Dioscoridis una vice amplius scribit: μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τῆς μακρᾶς πινόμενον εὔχροιαν ἐμποιεῖ πρὸς χρόνον τινὰς τοῖς ἰκτερικοῖς. Atque ita plane apud Neophytum habetur, nisi quod mutato accentu apud illum scribitur, μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τῆς μακρᾶς. Hoc est quod in chrysanthemo dixit ex alio auctore: μετὰ τὴν ἐν τοῖς λουτροῖς ἀπὸ τῆς μακρᾶς ἔξοδον. Scripserat omnino Dioscorides:

μῆ τὸ ἐξελθεῖν τῆς μάκτρας, id eſt, poſt egreſſum ex alveo. Μάκτραν vocat alveum balnei. Μάκτρα quidem proprie alveus, in quo farina conſpergitur & ſubigitur pani faciendo. Heic Dioſcorides pro ſolio balneari uſurpavit, quem etiam *alveum* Latini appellant. Apparet igitur auctorem quemdam Græcum ſub nomine chryſanthemi eadem tradidiſſe quæ Dioſcorides de buphthalmo ſcripta reliquit. Utrumque caput in ſuam compilationem tranſtulit Neophytus. Quorum alterum de chryſanthemo libris atque inde editionibus Dioſcoridis adtextum fuit ab aliquo ſtudioſo. Certe buphthalmum Dioſcoridis & chryſanthemon Anonymi prorſum idem. Neotericus Auctuarii auctor buphthalmum à Romanis dici adnotavit *caltham coroniam*. Ita enim legendum : Ῥωμαῖοι κάλθα κορωνία. Quod ſcilicet ad coronas admitteretur : vel quod in flore folia in orbem diſpoſita inſtar coronæ radiatæ redderent. In chryſanthemo adſcripſit à Romanis dici caltham. De buphthalmo ſcribit Dioſcorides, οἱ δὲ κάχλαν καλοῦσι. Hic ait : χρυσάνθεμον, οἱ δὲ χάλκας. Certum tamen eſt nec buphthalmum, nec chryſanthemum eſſe caltham. Buphthalmum folia habet μαραθοειδῆ. Chryſanthemum περιγλυφῆ, ὅμοια ὀρθῇ πεντερᾷ. Ita habet Neophytus. Ὀρθὴν πεντερὰν vocat τὸ πεντέρεον Dioſcoridis, quod folia habet ἐντετμημένα. Calthæ folia carent inciſuris, & ſatis ampla ſunt, & oblonga. Scribit Plinius caltham amplitudine foliorum vincere violam luteam cognomine marinam. Veteres tamen gloſſæ *caltham* βούφθαλμον Græce interpretantur. *Caltha*, βούφθαλμον. Non tamen ambigo quin caltham multi βουφθάλμου & χρυσανθέμου nominibus appellarint, à ſimilitudine coloris & floris. Certe multis aliis floribus colore luteo hanc χρυσανθέμου appellationem Græci tribuere. Ut helichryſum quidam etiam χρυσάνθεμον nuncuparunt teſte Dioſcoride. Ranunculi quoque genus flore luteo ſic vocarunt. Democritus : βατράχιον δὲ τὸ χρυσάνθεμον καλοῦσι. Buphthalmum etiam chryſanthemum, quia florem habet aureum. Et fallitur Fuchſius, qui buphthalmo flores candidos attribuit, & cotulam non fœtidam eſſe putat. Clare Dioſcorides flores ei dat luteos : ἄνθη μήλινα. Addit Neophytus : ἢ κίτρινα. Si buphthalmum κάλχα, ut quidam nominarunt, Romani facto inde nomine alium florem ſed ſimilem appellarunt *caltham*. Quod in aliis ſexcentis eos feciſſe obſervavimus. Nicander ſane in Georgicis βούφθαλμον, & κάλχην plane ſeparat his verſibus, qui apud Athenæum leguntur lib. xv.

---- βούφθαλμόν τε καὶ εὐώδες Διὸς ἄνθος,
Κάλχας, σὺν δ' ὑάκινθον, ἰωνιάδας τε χαμηλάς.

Igitur κάλχα erit, ex qua Romani ſuam fecerant *caltham*, quæ prorſum diverſa eſt a buphthalmo. Alii βούφθαλμον,& κάλχαν confuderunt. Cyprii omnes flores vocant κάχλας, ſi Heſychio credimus. Sic enim apud eum ſcribendum : Κάχλαι, ἄνθη Κύπριοι. Cetera cognomina recentia buphthalmi, vel chryſanthemi inde quoque ſunt, χαλκίτις, χάλκανθον & χαλκάνθεμον, quod florem habeat colore χάλκας, quæ caltha eſt Latinis. Nam & χάλκας & κάλχας & κάχλας idem quod χαλκάνθεμον. Non deerunt tamen fortaſſe qui mallent dictum ab æreo colore qui flavus eſt. Sic χαλκολίβανος genus thuris, vel ſuccini ab eo colore appellati. Χαλκοσμάραγδος & chalcitis gemma ab eodem. *Ænobarbus* cognomen Domitiorum ab ænei coloris barba. Forte & χαλκάνθη & corrupte καλακάνθη glaucium herba à colore ſucci luteo. Niſi verius ſit à calcha potius ita denominatam. Nam & καλχάνθη, & καλακάνθη videtur potius appellata. At chalcanthum metallicum ἀπὸ τῆς χάλκης nomen invenit, quæ cæruleum habet colorem, non ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ. Herba vero χάλκανθον à calcha, quæ lutea eſt. Avis χαλκὶς Græcis ἀπὸ τῆς χάλκης. Quidam noctuam ſic appellarunt, quæ Græcis γλαῦξ. Suidas : χαλκὶς εἶδος ὀρνέου, οἱ δὲ γλαῦξ. Piſci quoque chalcidi color potius quam patria nomen dedit. Sed & *chalcis* ſerpens à colore cæruleo ſic videtur nominatus. An idem ſit cum lacerta chalcidica, neſcio. Illud ſcio falli Bellonium, qui ſcribit lacerti genus quoddam in muros reptans & muſcas captans vulgari Græcorum lingua ſamiamiton appellatum eumdem eſſe cum chalcidica lacerta. Hunc vide obſer-

A vat : lib. II. cap. XXXVI. Quem Græci hodie σαμιάμινθον vocant, antiquæ Græciæ eſt ἀσκαλαβώτης, id eſt, ſtellio, qui diverſus à ſtellione Italico. Gloſſæ Græcorum : ἀσκαλαβώτης τὸ σαμιαμίνθη. Quæ vox pura puta Hebraïca eſt & reperitur in Proverbiis cap. XXX. XXVIII. שְׂמָמִית, Septuaginta reddiderunt καλαβώτην. Hieronymus quoque *ſtellionem* vertit in vulgari, qui ἀσκαλαβώτης. Hujus proprium reptilis in domibus habitare, & muſcas captare circa parietes. Heſychius : κωλώτης ἀσκαλαβώτης, δοκεῖ δὲ εἶδος ὄφεως ἀπτεσθαι περὶ τὰς μυίας. Vide quæ ſupra de eo notamus. Græci tria faciunt lacertæ genera a colore ſic dicta, τὴν ἡλιακὴν, B τὴν χαλκὴν, καὶ τὴν χλωράν. Heſychius : Ζίγνις, ἢ ζίγλας ἡ χαλκὴ σαύρα. Hæc eſt quæ aliis χαλκὶς, quam quidam a patria ſic dictam interpretati ſunt, & *chalcidicam* vocarunt, ſed falſi ſunt. De his alibi. Χαλκὴ vel χαλκὶς a colore appellata, vel æreo vel cæruleo, ἀπὸ τῆς χάλκης. Sepem ita vocarunt Græci. Nicander in Theriacis.

Σῆπα γέμων πεδανοῖσιν ὁμὴν σαύροισιν ἀλύξεις.

Ita legendus hic verſus. Scholiaſtes ad eum locum : ἡ δὲ σὴψ ὁμοία ἐστὶ τῇ σαύρᾳ : καλεῖται δὲ χαλκίς : ἔχει γὰρ ἐπὶ τοῦ νώτου χαλκιζούσας ῥάβδους. Ea eſt quam Plinius ubique vocat *chalcidem*. Multum itaque diverſa a ſtellione. Κάλχη C porro, vel χάλκη Græcis etiam purpura. Quia vero conchylium marinum, ex quo purpura inficiebatur, non unius erat coloris, ſed pro diverſitate littorum, in quibus colligebatur, ita varii generis colores faciebat, ex eo κάλχη vel χάλκη non unum ſignificat purpuræ genus, nec unius coloris. Erat atra purpura, erat livida, violacea, cærulea, rubra, lutea. Hinc & κάλχη de his omnibus coloribus dicitur. Apud Strabonem ſandycis Armeniæ pigmentum ſimile κάλχῃ dicitur, id eſt, rubræ purpuræ. Ita accipitur in ara Doſiadæ, quam primi edidimus :

D
Ὄλβος οὔ με λιβρὸς ἰρῶν
Λιβάδεσσιν οἷα κάλχης
Ὑποφοινίησι τέγγει.

Sanguinem victimarum in ara effuſum comparat puniceo κάλχης ſucco. In metallico chalcantho ἡ χάλκη cærulei vel glauci ſucci habet ſignificationem. In herba chryſanthemo vel buphthalmo χάλκας luteum colorem deſignat. Profecto ex illo κάλχη, vel χάλκη Græci infimæ ætatis tranſpoſita ſyllaba fecerunt λάκχαν, & pro colore rubro poſuerunt. Sed ὁ λακχᾶς dixerunt. Certe & κάλχας de buphthalmo Græcis. Neophytus : χρυσάνθεμον, ἢ χάλκας. Dioſcorides : Βούφθαλ- E μον, οἱ δὲ κάλχαν καλοῦσι. Poſteriores Græci anchuſam appellarunt λάκχαν. Ita enim vocat Democritus, qui quamvis ſubditicius ſit, antiquum tamen eſſe oportet. Quippe quem citari videam Syneſio, Stephano, & Zoſimo ſcriptoribus chymicis, & inter præcipuos ac veteres illius artis auctores laudari. Laccam igitur ille, quem Ἀχαΐας ἄνθος indigetat, cum ſyriaco colore junctim commemorat, & ῥίζιον abſolute vocari tradit illud συριακὸν ἄνθος, id eſt, radiculam. Quam φύκους nomine & χρώματος veteribus Græcis fuiſſe notam teſtantur Theophraſtus, & Dioſcorides. Καὶ τὸ F τῆς Συρίας ἄνθος, ὃ καλοῦσι ῥίζιον. Plinius *radiculam* appellat herbam eam, quam Græci στρούθιον lavandis aptam lanis, & tincturæ præparandis. Sed tam certus ſum quam me hæc ſcribere, Plinium quum τὸ ῥίζιον apud auctorem aliquem legiſſet de hoc ſyriaco fuco, hujus hiſtoriam & appellationem confudiſſe cum ſtruthio, quæ lanas tingentibus præparabat. Primum radiculæ nomen nullo modo convenit ſtruthio, cujus magnam eſſe radicem Plinius ipſe fatetur lib. XIX. cap. III, de ſtruthio : *ſemen ei nullum, radix magna, quæ conciditur ad quem dictum eſt uſum*. Præterea στρούθιον La- G tini non *radiculam*, ſed *radicem lanariam* ab effectu lanarum purgandarum vocarunt. Optimæ gloſſæ : *Radix lanaria*, στρούθιος βοτάνη. Auctuarium Dioſcoridis : Στρούθιον, Ῥωμαῖοις ἔρβα λαναρία, ἢ ῥάδιξ λαναρία. Iſidorus : *Struthius, quam quidam herbam lanariam vocant, quod plerique ex eo lanas lavant.* Nemo unquam Latinorum *radiculam* appellavit. Plinius ipſe alio loco *herbam lanariam* vocavit. Ubique naſcitur lanaria radix, at radicula, hoc eſt, ῥίζιον in Syria tantum : un-

de & Συριακὸν ἄνθος Democrito dicitur. Plinius de ſtruthio quam *radiculam* nuncupat: *Naſcitur ſativa ubique, ſed ſponte præcipua in Aſia Syriaque, ſaxoſis & aſperis locis. Trans Euphratem tamen laudatiſſima.* Priora conveniunt ſtruthio, quod γνώριμον eſſe dicit Dioſcorides. Idcirco nec deſcriptionem ejus apponere dignatus eſt. Poſtrema ad Syriacam radiculam pertinent, qua genas fucabant mulieres. Quæ ſequuntur vero nulla ratione competere poſſunt ſtruthio: *caule ferulaceo, tenui, & ipſo cibis indigenarum expetito & tingenti quidquid ſit, cum quo decoquatur.* Struthion, ſive herbam lanariam in cibos receptam fuiſſe nemo veterum prodidit. Cur ſolis Syris fuerit edulis nihil cauſæ video. Hoc de radicula Syriaca fortaſſe verum, cui unice congruit, quod adjectum eſt: *& tingenti quidquid ſit cum quo decoquatur.* Id in ſtruthion nullo pacto cadere queat, aut quadrare, utpote quæ ſuccum tingendo aptum habeat nullum. Nec enim βαφικὴ hæc herba, ſed candorem tantum lanis conciliabat, non fucum. Plinius: *lavandis demum lanis ſuccum habet, mirum quantum conferens candori mollitiæque.* Hodie vocatur *ſaponaria*, ut quibuſdam placet, quod vicem ſaponis præſtet emaculandis pannis, & ſordibus lanarum eluendis, quæ ϛρουθίζεσθαι dicuntur, quum lavantur radice ſtruthii. Græci chimici uſum ejus commendant ad dealbandas margaritas. Zoſimus περὶ λευκώσεως μαργαριτῶν κιῤῥῶν. Σκίλλης τῆς ἀκροτάτης καὶ ἐκλεύκου, ταύτης ἐκ μέσου φύλλα, καὶ ϛρούθιον βοτάνην λέε ἐξίσου, καὶ ποιήσας φάρμακον, βάλε τοὺς μαργαρίτας, καὶ ἔγκρυπτε εἰς αὐτό. Ideo ἐριοπλυτῶν hæc herba propria, non βαπτῶν, lanas lavantium, non infectorum. Dioſcorides ἐριοπλύτας vocat, id eſt, lanarum lavatores, qui ſtruthio utebantur. Unde & ipſa herba κάθαρσις quibuſdam dicta. Longe igitur errat eruditus herbarius, qui eam herbam, quam vulgus hodie Græcorum χυμένην vocat & χυμένιον, putat eamdem eſſe cum ſtruthio Dioſcoridis: additque in tota Græcia excellentiſſimum ſericum luteum ea ſolitum tingi. Atqui, ut jam docui, nullus in ſtruthio ſuccus tinctorius, ſed deterſorius & candori conciliando idoneus. Certum eſt autem χυμένην luteum colorem facere. Magnus Emiſenus de urinis: μετὰ δὲ ταῦτα βαπτόμενον τὸ οὖρον ὑπὸ χολῆς, εἰ μὲν μετρίως βαφῇ ὑπώχρον γίνεται, οἷον ἐστὶ τὸ τῆς χυμένης ἀφέψημα τὸ ὠμόβρασον. Εἰ δὲ πλείονα καταβαφὴν δέξηται, ὠχρὸν γίνεται. Mentio etiam χυμένης apud Actuarium in eadem ſignificatione, ubi ὠμόβρασον χυμένην interpretantur, quæ mediocriter infuſa humori fuerit. Quod quid ſit neſcio. Nec ipſi puto ſciebant. Verba Actuarii Græca ſic habent: Ὑπώχρα μὲν τὰ πρῶτα γίνεται, προϊόντα δὲ καὶ ὠχρά, ἀλλὰ τὰ μὲν μετρίως ζεσάσης χυμένης χυλῷ ἐῴκει, ἐκεῖνα δὲ αὖ καὶ πάνυ ζεσάσης. Sublutea colorem habere dicit chymenæ, quæ mediocriter decocta ſit. Hæc eſt, quam alii ὠμόβρασον χυμένην vocarunt, cui opponitur ἡ πάνυ ζέσασα, quæ multum ferbuerit. Ζέειν, & βράσσειν idem Græcis recentioribus fervere, bullire. Ὠμόβρασος χυμένη, cujus nondum ſatis conferbuit jus tinctorium, ſed adhuc crudum eſt, nec abunde decoctum. Pſellus in Jatrico verſibus Jambicis ſcripto de urinis:

Ἐπειθ' ὑπώχρον μετρίως βεβαμμένον
Τὴν ὠμόβρασον εἰκονίζον χυμένην,
Βαφέν τε μᾶλλον ὠχρόν ἐστι τὴν χρόαν.

Meminit quoque χυμένης Theophilus in libro de urinis: εἰ δὲ βαφὴν δέξοιτο τινὰ χολῆς τὸ λευκὸν ὕδωρ, κατὰ μὲν πρῶτον λόγον ὑπώχρον ὡς ἀφέψημα χυμένης γίνεται. Scholium ibi legitur: χυμένη ἐστὶν εἶδος βοτάνης, ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται. Apud Johannem Epiſcopum Priſdryanorum in tractatu de urinis χημένη ſcribitur: ὡς ἀφέψημα χημένης ὠμόβρασον cum hoc ſcholio: ἡ χημένη εἶδος βοτάνης ἐστὶν, ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται: ἡ δὲ βαφὴ αὐτῆς ἐστὶν ὕπωχρος καὶ ὑδατώδης. Ita omnes eadem comparatione uſi ſunt ex chymene herba tinctoria ad hunc urinæ colorem indicandum. Apud Zoſimum inter herbas, quæ luteo colore inficiunt, reperio χημένιον nominari: τὰ δὲ ξανθοῦντα ταυτὰ καὶ ἐν βοτάναις τὸ κνικάνθιον, ἐλύδριον, καὶ χημένιον. In Lexico chymico ἠχομένιον vocatur, & exponitur κνίκου ἄνθος, hoc modo: ἠχομένιόν ἐστι κνίκου ἄνθος. Sed moris eſt chymiſtis non ſolum congeneres, ſed & concolores duntaxat ſpecies eodem nomine ſignare. Ut quum ἀργυρόλιθον exponunt ἀφροσέληνον, quia uterque lapis candidus. Ἀργυρόλιθος proprie eſt magneticus lapis, qui colorem habet argenteum, longe diverſus à ſelenite lapide, qui eſt aphroſelenum. Ceterum τὴν σελήνην illi vocant ἄργυρον. Hinc σεληνίτης & ἀργυρόλιθος idem qui & ἀφροσέληνον. Cneci flos luteus, quem etiam recenſent inter ea βάμματα, quæ colorem luteum conciliant, ſed alius à chimenio, vel chymenio. In falſi Democriti Phyſicis integrum hujus herbæ nomen & fortaſſe verum legitur, οἰχομένιον, & cum aliis herbis rebuſque luto inficientibus commemoratur: καὶ κρόκον, καὶ κνίκον, καὶ οἰχομένιου ἄνθος, καὶ ἐλύδριον, καὶ κροκόμαγμα, καὶ ἀριστολοχίαν. Vides οἰχομενίου ἄνθος à cneco ſeparari. Τὸ ἐλύδριον ibi eſt chelidonia, quæ luteum florem & ſuccum habet croceum. Et ſemper ab illis auctoribus inter colores luteos refertur. Lexicon chymicum: χελιδονία ἐστὶ τὸ ἐλύδριον. Neophytus: χελιδόνιον, τὸ ἐλύδριον. Ex voce οἰχομένιον factum poſtea χομένιον, & χυμένιον, χημένιον, & χυμένη. Nominat Democritus ibidem & rha inter ſpecies infectorias lutei. Quod eſt rha Ponticum, cui ſuccum ineſſe croceum tradit Dioſcorides. Zoſimus, quum ad illa Democriti verba ſuperius allata alluderet, pro οἰχομενίῳ vocavit θαψίαν his verbis: διότι καὶ μυρίων ἡμᾶς ἀγαθῶν μετὰ πολλὰς προσηγορίας ἕκαστον αὐτῶν ὀνομάζουσιν, ὥσπερ χελιδονίαν, καὶ ἀριστολοχίαν, καὶ Πόντικον ῥᾶ, καὶ κρόκον κιλίκιον, καὶ θαψίαν. An ergo θαψία & οἰχομένιον idem? Certe thapſiæ flores lutei. Hinc θαψίναι mulieres vocabantur, quæ lurore, & veluti luto infectos habebant colores corporum. Comicus:

Γυναικὶ κλητευούσῃ ἔοικας θαψίνῃ.

Interpres: ὠχρᾷ: τοιαύτη γὰρ ἡ θαψὸς, ὅπερ παρ' ἡμῖν λέγεται χρυσόξυλον. Theocritus:

Καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θαψῷ.

Hac thapſo etiam tingebantur lanæ & capilli colore luteo. Heſychius: θάψινον τὸ ξανθὸν ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς θαψοῦ, ὃ βάπτει, ᾧ ξανθίζουσι τὰ ἔρια καὶ τὰς κεφαλάς. Τοῦτο τινὲς Σκυθικὸν λέγουσι. Sed an thapſius idem cum thapſia? Non ſane videtur. Thapſia ad tincturam uſos eſſe veteres non alibi lego. Theophraſtus & Dioſcorides in thapſiæ deſcriptione ne verbum quidem. Præterea lignum thapſi dicit aptum eſſe tingendo Heſychius, quaſi de arbore intelligat aut frutice. Thapſia herba eſt ferulacea. Coloris aurei lignum illud eſſe notat ſcholiaſtes Ariſtophanis, unde & χρυσόξυλον vulgo vocabant Græci. Dicebatur & Σκυθικὸν ξύλον. At thapſiam Scythiæ peculiarem eſſe memorat nemo. In Africa vehementiſſimam eſſe tradit Plinius. Et profecto à Thapſo oppido Africæ maritimo videtur nomen accepiſſe. Dioſcorides: ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ δοκεῖν πρῶτον εὑρῆσθαι ἐν Θαψῷ τῇ ὁμωνύμῳ νήσῳ. Nulla Thapſus inſula mihi nota, ſed oppidum hoc nomine in ora maritima Africæ minoris. Hujuſmodi oppida ad mare poſita ſæpe pro inſulis veniunt, præcipue quum pæne tota mari cincta ſunt. Interpretes Dioſcoridis addunt inſulam eſſe Sporadum. Sed forte Thaſum cogitabat pro Thapſo. Hoc tamen ſcriptum reperitur apud veterem Nicandri ſcholiaſtem de Thapſia: εὑρηκέναι δὲ ταύτην Κρατεύαν φασὶν ἐπὶ νήσῳ τινὶ Θάψῳ μιᾷ τῶν σποράδων. Quod miror. Nicander ipſe Θαψὸν vocat, quæ Thapſia eſt, & Θρινακρίην appellat quaſi Siciliæ peculiarem:

Θρινακρίην μὲν ῥίζαν ἕλευ γυιάλθεα Θάψου.

Thapſiam intelligit. Vetus auctor ſub Æthici Sophiſtæ nomine ab Hieronymo tranſlati Thapſum quoque inſulam facit, ſed Siciliæ vicinam: *Thapſum inſula & ipſa Siciliæ vicina. Æoliæ inſulæ, quæ & Vulcaniæ vocantur, eo quod & ipſæ ſicut Ætna, & Chimæra ardere viſæ ſunt.* Ergo eadem fuerit Θάψος, cujus meminit Siculus auctor Theocritus, qui concolores ei facit quæ valde pallidæ ſunt. Aliter tamen accepit hunc colorem thapſinum vetus interpres Nicandri. Ait enim qui velint videri morboſi & mali coloris eſſe, hujus thapſiæ ſucco faciem inungere: χυλός ἐστι χλωρότερος. Ὅθεν οἱ βουλόμενοι χλωροὶ φαίνεσθαι καὶ νοσώδεις, ταύτην περιχρίονται τὸ πρόσωπον. Quod qui poſſit verum videri, prorſus neſcio. Nam thapſia ſuccum habet adeo vehementem, ut etiam noceat colligentibus, niſi prius cerato faciem illinant. Vide Dioſcoridem & Plinium. Præterea pallida & morboſa mulier apud Theocritum non ſucco thapſiæ faciem inunctam habere dicitur, ſed

ſed ſimilem colorem thapſo. Quod de colore ipſius plantæ intelligendum. Heſychius ita appellatam θάψον notat, quod ad Thapſum flumen naſcatur. An flumen hoc nomine in Sicilia, unde Θρινακρίην θάψον, à ſolo natali vocat Nicander. Sed grammaticus ille de thapſo loquitur, vel Scythico ligno, quod à thapſia radice diverſum conſtituit. Τοῦτο τινὲς Σκυθικὸν λέγουσι, καὶ ὁ ποταμὸς, παρ' ᾧ φύεται τὸ ξύλον, θάψος καλεῖται: ἔστι δὲ καὶ ῥίζα θαψία καλουμένη. Hic plane diſtinguit thapſiam à thapſo. Quæ duo temere confudit Nicandri ſcholiaſtes. Idem tamen Heſychius alio loco θάψον & θαψίαν eamdem facit. Et ſane Nicander, quæ aliis thapſia eſt, ipſe vocat θάψον. Andromachus quoque θάψον appellat vulgatam aliorum thapſiam in theriacæ compoſitione:

Οὐ θερμὴν θάψον τε καὶ ὠκύμορον πόμα Μήδης.

Sic duæ plantæ fuere cognomines. Verba Heſychii: Σκυθικὸν ξύλον, τὸ διάπυρρον, ἔνιοι τὴν θαψίαν. Niſi forte ſcripſerit, τὴν θάψον. Illud ſane conſtare debet θάψον & θαψίαν differre, ſiquidem θάψος eſt Σκυθικὸν ξύλον. Subjungit ibidem Heſychius: Σκυθικός, Κρατῖνος σκυθικὸν ἔφη, τὸν Ἱππόνικον διὰ τὸ πυῤῥὸν εἶναι, καὶ ᾧ ξανθίζονται αἱ γυναῖκες, καὶ βάπτει τὰ ἔρια. Conſiderandum porro an iſtud Σκυθικὸν ξύλον ſit Σκυθικὴ ῥίζα Theophraſti, quam ſequens ævum dixit γλυκύῤῥιζαν. Ea radix tota lignea eſt, & ſic ἀνηθόξυλα. Radices anethi vocat Myrepſus, quia ligneæ ſunt. Radicis Scythicæ lignum coloris plane eſt buxei & pallidi, cui optime comparantur pallore exangui deformes vultus, ut & buxo. Χρυσόξυλον quaſi aureum lignum appellatum ſuo tempore in Græcia notant interpretes Ariſtophanis & Theocriti. Notus quoque pallor auri. Catullus:

O quam ſæpe magis lurore expalluit auri.

Idem:

---- inaurata pallidior ſtatua.

Ita etiam de buxo Ovidius: *Pallidior buxo.* Dioſcorides ait radices glycyrrhizæ πυξοειδεῖς eſſe ὥσπερ τῆς γεντιανῆς. An veteres ejus ſucco lanas aut capillum tinxerint, neſcio. Illud certum & compertum aquam, in qua decocta ſit Scythica radix, luteo colore infici. Nomen quoque indicio eſt idem eſſe Scythicum lignum cum glycyrrhiza. Σκύθιον dicebatur unica voce, quod in Scythia circa Mœotim plurima naſceretur. Dioſcorides de glycyrrhiza: οἱ δὲ Ποντικὴν ῥίζαν, οἱ δὲ γεντιανὴν, οἱ δὲ σκύθιον, οἱ δὲ ἄδιψον καλοῦσιν. Ita habet vetuſtiſſimus liber. Τὸ σκύθιον, ut τὸ λύκιον frutex ſpinoſus in Lycia naſcens. Ab illo σκύθιον Cratinus σκυθικὸν vocavit hipponicum quod colore eſſet ut ſcythium, hoc eſt, buxeo & pallido. Interpres Theocriti thapſum σκυθάριον appellari ſcribit: Θάψος ξύλον ἐστὶν ὃ καλεῖται σκυθάριον. Ἔστι δὲ τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον χρυσόξυλον. Quis negare ſuſtinebit quin σκυθάριον idem ſit quod σκύθιον. Non deerunt tamen fortaſſe qui λύκιον eſſe malint. Arbor eſt priſcis ſpinoſa in Lycia præcipue, ſed aliis etiam locis creſcens, quæ corticem habet pallidum & coloris buxei. Plinius de ea: *cortice pallido, radice lata lignoſaque buxei coloris.* Dioſcorides: καὶ τὸν φλοιὸν δὲ ὠχρὸν ὅμοιον τῷ διεθέντι λυκίῳ. *Lycium* etiam vocarunt ejus ſuccum, qui coloris erat crocei, & capillos eo tingebant mulieres, ut ipſe teſtatur Dioſcorides: ξανθίζει δὲ καὶ τρίχας. Hodieque lanas elegantiſſimo colore luteo hac planta infici tradunt. Quam in Creta ajunt vocari λοῦτζα, non obſcuro veſtigio nominis λύκιον. Quod tamen eſſe legitimum lycium negant illi, qui viderunt. Lignum ſane hujus lycii Cretici luteum eſſe memorant, ut non male, χρυσόξυλον indigetari queat. Recentiores Græci κρόκολυκον hunc ſuccum vocarunt. Quam vocem non intellexit apud Myrepſum Fuchſius, & pro ea reſtituit λύκιον Ἰνδικόν. Atqui idem ſignificat. Neophytus: Λύκιον Ἰνδικὸν, ὃ παρὰ τοῖς ἰδιώταις λέγεται κροκολύκης. Succum betonicæ ita etiam appellatum idem obſervat: Βετονίκη, τὸ παρὰ τοῖς ἰδιώταις λεγόμενον κροκολύκιον. Forte autem quod arbor illa in Scythia naſceretur haud ſecus atque in Lycia & Cappadocia, σκύθιον & σκυθικὸν ξύλον nominarunt ut λύκιον. *Pyxacanthon* alii vocabant à foliis buxi, & quod ſpinoſa eſſet. Sed de glycyrrhiza verius quæ & σκυθικὴ dicta eſt & σκύθιον. Si eadem & θάψος, longe ab ea diverſa θαψία quam tamen confundunt. Zoſimus, ut dixi, θαψίαν nominavit, quæ οἰχομένιον Democrito, ut χελιδονίαν, quod apud illum dicitur ἐλύδριον. Ex eo colligeretur veteres floribus thapſiæ, qui lutei ſunt, tinxiſſe lanas & comam. Quid ſi & θάψον pro θαψίᾳ accipiunt grammatici, quum obſervant priſcas mulieres thapſo ſibi crinem inficere ſolitas, & lanas eadem tingi? Potuerit & utrumque fieri ex ſcythica radice & lycio. Hæc omnia incerta. At illud certiſſimum, duas fuiſſe plantas ὁμωνύμους diverſi generis, utramque θάψον, & θαψίαν appellatam. Nam ſane idem nomen θάψος & θαψία, ut ἰξὸς & ἰξία. Sic κάρπασος & καρπασία eadem. Θάψος Theocriti prorſus diverſa a Nicandri, & Andromachi thapſo. Θαψία vero, quæ tingit, cujus apud Zoſimum mentio, omnino alia a vulgari thapſia. Illa autem Zoſimi θαψία eadem certe eſt cum chymene, vel χυμένῃ. Etenim ut χυμένη & ἐλύδριον apud auctores Græciæ inferioris ævi ſemper jungitur ad colorem luteum conficiendum, ita etiam θαψία, & ἐλύδριον, ſive chelidonia. Quinimmo vero verius liquet Zoſimum dum refert Democriti verba, θαψίαν nominaſſe, quam ille οἰχυμένιον dixerat. Galenus apud Æginetam in ἀντεμβαλλομένοις pro thapſia ἐλύδριον, id eſt, chelidoniam ſubſtitui jubet: ἀντὶ θαψίας ἐλύδριον. Ubi ἐλύδριον eſt chelidonia. Idem Paulus eam thapſiam cum elydrio jungit in eo conficiendo fuco, quo crines rutilantur: ἐλυδρίου γο'. β'. βοτάνης χρυσιζούσης, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ῥωβίαν καλοῦσι. Quam heic *herbam robiam* & χρυσίζουσαν vocat, eam in alio medicamento capillis aureis faciendis, θάψον appellavit, & ſimiliter *herbam robiam* à Romanis vocari dixit. Verba ejus hæc ſunt lib. III in deſcribenda βαφῇ χρυσοειδεῖ capillorum: κρόκου ∠ β'. Θάψου ἥτινι οἱ βαφεῖς χρῶνται, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ἑρβαρωβίαν καλοῦσιν, ∠ η'. Ita in omnibus ſcriptis Æginetæ codicibus habetur, quomodo etiam legit unus ſupra ceteros antiquiſſimus. Nec eſt quod aliquis ſuſpicetur verba iſta ex gloſſa eſſe, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ἑρβαρωβίαν καλοῦσι. Agnoſcuntur & ab Alexandro Tralliano in eadem compoſitione βαφῆς χρυσοειδοῦς, qui & θαψίαν vocat, Ægineta θάψον. Verba hæc ſunt: κρόκου ∠ β'. θαψίας ἥτινι οἱ βαφεῖς χρῶνται, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ἑρβαρουβίαν καλοῦσιν. Et quo magis credas hæc à gloſſatore adtexta non fuiſſe, vetus interpres omiſſo thapſiæ nomine, *herbam rubeam* eo loco reddidit pro thapſia: *croci, herba rubea.* Eam herbam βοτάνην χρυσίζουσαν alio loco nuncupavit Paulus, quam à Romanis *herbam robiam* appellatam dixit. Hæc erit igitur tinctoria Græcorum thapſia vel thapſus, quæ aureo colore inficit tam crines quam lanas, quæ & χυμένη Græcis recentioribus vocata eſt. Inde θάψινον χρῶμα color luteus Græcis. Plutarchus in Phocione: τόδε δὲ περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας αἱ ταινίαι μὲν αἷς περιελίττουσι τὰς μυστικὰς κίστας βαπτόμεναι θάψινον ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα, καὶ νεκρῶδες ἀνήνεγκαν. Cave autem putes hanc *herbam robiam* Romanorum, quam χρυσίζουσαν βοτάνην Græce vocat Paulus, eamdem eſſe cum *rubia* tinctorum, licet idem præferat nomen. Rubia tinctorum Græcorum eſt ἐρυθρόδανον, quæ colore rubro lanas tingit, non luteo, aut χρυσοειδεῖ, ut hæc *herba rubea*, vel *robia*, ut Græce dixit Paulus, ῥωβία. Tinctorum rubia vetuſtis Latinis *rubra radix* appellata, quia radice tingit. Vitruvius lib. VII. cap. XIIII. *Infecta creta rubra radice.* Sic enim libri eo loco legunt. Plinius tamen erythrodanum Græcorum *rubiam* ubique vocat, & *rubiam tingendis lanis.* Sed illa *rubia radix*: nam radicem ſolam habet quæ tingat. Hæc vero *rubia herba.* Præterea in nomine etiam differentia coloris eſt. Rubia radix, ἡ ἐρυθρά. Unde & ἐρυθρίδα hanc radicem Græci dixere, atque ἐρυθρέδιον. Unde hodieque vulgati Græcorum lingua λυθρίδιον vocatur. At in *herba robea* color eſt, qualis in crinibus rutilis, & aureis cernitur. Sic & *robeus mus*, qui & nitela. Unde & *auream nitelam* dixit Martialis de crine rutilo. In bubus quoque hic color dictus *robeus.* Hinc *robus* de bove rufo. Feſtus: *Robum rubro colore, & quaſi rufo ſignificari, ut bovem quoque ruſtici appellant, manifeſtum eſt.* Ita appellatur in veteri ſenatuſconſulto apud Agellium lib. IV. cap. VI. SATIS HABENDUM CENSUERUNT SI QUID SUCCIDANEIS OPUS ESSET ROBUS SUCCIDERET. Sic enim ibi legendum

ex antiquo, & fideli codice, pro quo vulgo habetur: ROBIGUS ACCEDERET. Quibus ex verbis planum est, succidaneas hostias dici, non quæ in aliorum locum cæderentur, sed quæ succederent. Nam *succidere* dicebant prisci pro succedere: *accidere* pro accedere: *occidere* pro contra cedere, & occurrere. Nihil plane vidit in illis succidaneis Agellius. Verum de his alibi. *Robus*, & *robeus* idem, ut *rußus* & *russeus*. *Herba* igitur *robea* est ἡ χρυσίζουσα, ut etiam Paulus interpretatur. At *rubia radix*, ἡ ἐρυθρή. In tanta multitudine herbarum, quæ luteo colore tingunt, haud facile est statuere, quænam hæc sit, quam veteres Romani *herbam robeam* nuncuparint, Græci θαψίαν, vel θάψον, alii etiam χυμένην. Romani hodieque herbam quandam tingendis capillis, lanisque aureo colore idoneam vocare dicuntur *herbam rozzam*. Quod & idem omnino cum *herba robea* Pauli Æginetæ. Videndum igitur, an non eadem sit. *Lutum* quoque priscis Latinis ad tingendos luteo colore pannos, quæ & *lutea herba* dicitur κατ᾽ ἐξοχήν. Ad verbum est ἡ χρυσίζουσα βοτάνη Pauli Æginetæ, & θαψία, & χυμένη. Chelidonium quoque hoc est ἐλύδριον, quod fere semper cum chymene, sive thapsia jungitur, croceo colori tingendo veteribus fuisse usurpatum constat. Unde *venæ tinctorum* apud Avisenam pro chelidonio *haruch subagim* cap. DCCXXXVII. *Herba* autem illa *robea* Romanorum, quam & cerretam, & corneolam quidam ex Italis hodie vocant, videtur esse eadem cum tinctorio flore Fuchsii, qua in Germania quoque utuntur ad luteum colorem. Pariant sane utriusque descriptiones. Itali suam illam cerretam, sive herbam rossam depingunt foliis lini, sed longioribus, semine siliquis incluso, facie genistæ, flore luteo, Fuchsius quoque Germanicum illud tinctorium florem tradit genistæ admodum similem, foliis tamen latioribus, ac longioribus, florem luteum, semen in siliquis habentem. Prorsus eadem herba. Fortasse hæc etiam ipsa, quam & θαψίαν, & χυμένην, & βοτάνην χρυσίζουσαν Græci vocarunt. Χρυσόξυλον tamen, & σκύθιον, & σκυθικὸν ξύλον, quibus vocabulis explicant veterum θάψον recentiores Græculi, non conveniunt in hanc θάψον, quam *herbæ robiæ*, aut βοτάνης χρυσιζούσης nomine exposuit Paulus Æginęta cum Alexandro Tralliano. Χρυσόξυλον de frutice, vel arbore hic tantum convenit. Verum de his alibi. Utinam formam χυμένης apposuissent, qua pannos sericeos in Græcia hodie tingi pulcerrimo colore luteo asserunt. Quod enim affirmant στρούθιον esse, hoc non obtinebunt. Contrarium satis patet ex his, quæ heic diximus. Præterea vulgus Græcorum hodie τὸ στρούθιον antiquorum vocat καλοστρούθιν, non χυμένην. Neophytus: στρούθιον, τὸ κοινῶς καλοστρούθιν. Idem in Lexico: στρούθιον, τὸ καλοστρούθιν. A pulcritudine alarum passeris, quam præfert foliorum situ. Plinius: *Struthion Græci vocant, floret æstate, grata adspectu.* Theophrastus: ἢ τὸ στρούθιον καλούμενον, τῇ ὄψει καλὸν τὸ ἄνθος. Inde recentioribus Græcis καλοστρούθιον appellatum. Difficile admodum est in tam varia multitudine herbarum, quæ luteo tingunt, & quibus ad tincturam usi sunt veteres, de χυμένῃ vel οἰχομηνίῳ dicere, quomodo apud priscos Græcos appellata fuerit, si non sit thapsia, quod Zosimus significat. Græci enim medici vires herbarum medicinæ utiles exponere contenti, raro admodum attingunt, nec nisi per transitum, quum id faciunt quæ ex his ad tincturam usum præstabant. Ut ecce glaucium herba succum edit croceum oculorum medelis præcipue conducibilem. Dioscorides: χυλὸν ἔχει πολλὸν κροκίζοντα. Nihil de tinctura, quæ ex eodem parabatur, meminit. Certum tamen est lanas olim glaucii colore tinctas fuisse luteas. Inde *glaucina pallia* Martiali glaucio infecta. Chymici eam quoque inter eas herbas referunt, quæ luteo inficiunt: ζωμὸς βαφικός ἐστι, καλακάνθη οἰκονομηθεῖσα. *Calacantha præparata, jus tinctorium efficit.* Καλακάνθη est glaucium. Eam vocem facinore pessimi exempli mutavit in τραγακάνθην Fuchsius apud Myrepsum, quia non intellexit. In collyrio nomine θαῦμα πρὸς πᾶσαν ὀφθαλμίαν, ubi inter cetera, ἀλόης οὐγκίας τρεῖς, καλακάνθης οὐγκίαν μίαν. Ipse τραγακάνθης, aut χαλκάνθου reponit. Atqui καλακάνθη est γλαύκιον, quod πρὸς τὰ ὀφθαλμικὰ præcipue facit, ut non mirum sit, in id collyrium ingredi, quo lippi inuncti mirifice juvabantur. Glos-

A sæ medicæ: Γλαύκιον τὸ καλακάνθιον. In aliis: γλαύκιον, ἤτοι καλάκανθα. Forte tamen in glossario chymico καλακάνθη οἰκονομηθεῖσα non de glaucio accipienda sed de chalcantho metallico, cujus etiam usus fuit ad coria tingenda. Dioscorides de eo genere chalcanthi, quod in Hispania decoquebatur: τὸ δὲ ἑφθὸν πρὸς βαφὰς ἢ μελάσματα ἐπιτηδειότερον τῶν ἄλλων δοκεῖ εἶναι. Plinius de hoc chalcantho: diluendo fit atramentum tingendis coriis. Inde *atramentum sutorium* Latinis dictum τὸ χάλκανθον, pro quo χαλκάνθην & καλακάνθην infimi imperii Græcia etiam dixit. Scholiastes Nicandri: χαλκάνθη ἣν νῦν φασὶ καλακάνθην. De chalcantho loquitur metallico.
B Glaucium tamen etiam καλακάνθη appellatum, & de eo intelligendus Myrepsi locus, non de chalcantho. Καλάκανθον etiam pro herba videtur accipiendum in geoponicis, ubi mures necare traditur. Nec mirum porro si in thapsia describenda non meminere auctores eam herbam infectoribus quoque usui fuisse. At scriptores chymici diserte θαψίαν nominant ac numerant in his, quæ βαφικὸν ζωμὸν ad luteos colores conficiunt. Quam & οἰχομήνιον dixere. Forte quod colorem efficeret luteum ex pallido, qualis in morientibus cernitur, ἐν τοῖς οἰχομένοις. Quid si & θαψὸς inde nomen invenit, quod colorem parem ostendat, ut esse in his
C solet qui sepeliendi sunt. Θαψὸς à θάψαι, ut φελξὸς ἀπὸ τοῦ φέλξαι. Huic sententiæ favet, quod θάψινον χρῶμα, & νεκρῶδες pro eodem nominat Plutarchus in Phocione. Sed hæc alibi. Pro οἰχομηνίῳ infima Græcorum ætas χομήνιον & χυμήνιον vocitavit. Ex his omnibus constat struthium nec luteo tingendo, nec rubro bonam esse, sed lanis tantum lavandis. Hesychius: στρούθιον, πόας ῥίζα σμῆγμα πρὸς ἐρίων ἔκπλυσιν. Eam Plinius quum radiculæ nomine insignivit, quæ magna est radix, & quum tingere asseruit quidquid est quod cum ea decoquitur, cum radicula syriaca confudisse con-
D vincitur, ex qua mulieres genis rubro fucandis medicamentum conficiebant. Inde illa radicula φῦκος & χρῶμα absolute dicebatur. Hinc παραφυκισμὸς & ψιμμυθισμὸς Clementi Alexandrino, & Plutarcho, γυναῖκες φυκούμεναι τε καὶ μυελιζόμεναι. Græcus auctor hanc radiculam cum rubia confundit, meliori jure quam Plinius cum struthio, quia utraque radix tingit. Glossæ Iatricæ: ἐρυθρόδανον ῥιζάριον. Per ῥιζάριον intelligit hanc syriacam radiculam fucando aptam. Diversa tamen à rubia. De struthio addit Plinius: *Semen ei nullum, radix magna, quæ conciditur ad quem dictum est usum*, id est, ad lanas candidandas. Non hæc ergo conveniunt
E illi radiculæ syriacæ, quæ cibis Syrorum expetitur, ac tingit quidquid cum ea decoquitur, sed ad struthion proprie pertinent. Quod autem semen struthio nullum esse scribit Plinius, heic Plinio Columellam repugnare observat doctus medicus, in hoc versu:

---- *E Syrioque venit quæ semine radix.*

Sed ille ridiculus. De gingidio ibi intelligit Columella, quæ radix Syriæ familiaris:

Jam siser, è Syrioque venit quæ semine radix,
Sectaque præbetur madido sociata lupino,
Ut Pelusiaci proriret pocula zythi.

Quod alibi ostendam. Ut finem tandem huic exercita-
F tioni imponamus, φῦκος tam marinum, quo lanæ tingebantur, quam terrestre ex syriaca radicula, quo genas fucabant mulieres, rubrum fuit ac puniceum. Inde Latinum nomen *fucus*. Quod abusive de omni colore usurpatur, proprie vero de rubro sumitur. Proprie itaque loquutus hoc loco Solinus, qui *fucari* posuit pro rutilum vel rufum colorem contrahere. Præter hæc φύκους genera unum etiam metallicum φῦκος recenset facticium lib. IX inter facticia metallica, ἃ οἱ ἄνθρωποι σκευάζουσιν καθ᾽ ὁντιναοῦν τρόπον, οἷον ψιμμύθιον, ψωρικὸν, σάνδυκα, φῦκος. Ex cerussa factum paulo post innuere videtur.
G Nam post cerussam describit: τὸ δέ γε φῦκος τὴν ψύξιν τοῦ ψιμμυθίου φύλαττον λεπτομέρειαν προσείληφεν. Et forte φύκους nomine intellexit cerussam ustam, quæ rubra fit. Et proprietas nominis φύκους, ut aliquid, quod rubrum sit, hac voce significetur. Hæc exercitatio de fuco tot fucata coloribus, ut nihil æque sit versicolorium. Non fucum tamen fecimus, sed fuco lucem.

Subsidunt, & se profundis ingurgitant, ut ab æstu vindicentur.]

dicentur.] Hæc alterius ἐκδόσεως lectio fuit. Altera habuit: *ſubſidunt in profundum, & ſe gurgitibus ab æſtu vindicant.* Ita inquam correxit auctor ipſe in recognita & emendata à ſe editione. Ex his autem conſtat Solinum ita legiſſe in verbis Plinii, quemadmodum ea ſupra emendavimus: *ſole ruſeſcere, candoremque perdere, ut corpus humanum. Quare præcipue eum cuſtodiunt pelago altius merſæ, quam ut penetrent radii.* Margaritæ ſolis radiis maculantur, & ruborem contrahunt. Hoc ſcientes conchæ ſummum æquoris relinquunt, & pelago ſe mergunt altius quam ut eo penetret ſol. *Subſidunt in profundum*, ἐμβύθιοι γίνονται, εἰς τὰς ἐμβυθίους θαλάσσας δύνουσιν, ut loquitur Iſidorus. *Ingurgitant ſe profundis*, ἑαυτὰς ἐμβυθίζουσι. Non, ut ab æſtu vindicentur, conchas profundis ſe demergere dicit Iſidorus, ſed ut ab hieme ſe defendant: τοῦ δὲ χειμῶνος εἰς τὰς ἐμβυθίους θαλάσσας δύνειν εἰώθασιν αἱ πίνναι, θέρους τὰς μὲν νυκτὰς κεχηνυῖαι διανηχόμεναι, ἡμέρας δὲ μύουσι. Hoc de illis intelligendum, quæ vagæ feruntur ac natant, non de his, quæ ſcopulis aut petris alligatæ tenentur, de quibus paulo poſt idem Iſidorus, quarum alias ἐμβυθίους facit, alias ἐπιπολαζούσας. Sic etiam λεπάδες ἐπιπολάζουσαι dictæ, quæ in ſupercilio maris ſcopulis adhæreſcunt.

Huic tamen providentiæ ætas opitulatur.] Sic omnes libri veteres, editique. Hæc tamen verba contrarium ſenſum efficere videntur auctoris ſententiæ. In profundum ſubſidunt, altoque ſe mergunt conchæ margaritariæ, ut à ſole defendant ac vindicent partus ſuos, qui candorem perdunt & fucantur radiis penetrati ac percuſſi. Huic earum providentiæ non opitulatur ætas, nec ſuffragatur, ſed prorſus adverſatur. Nam candor margaritarum æque ætate & ſenecta quam ſole diſperit. Vana igitur ac irrita hæc illarum præcautio. Quod enim providentia declinare ſatagunt, ætate accedente fugere non poſſunt. Quippe tum candorem amittunt, quem præcipua cura in juventa cuſtodire voluerunt. Verbum aliquod remotius quod heic legebatur, in vocem notiorem maleficio correctorum degeneraſſe ſuſpicor. Non aliud quod ad hujus loci ſententiam appoſitum ſit, nec magis ſimile poſſum comminiſci, quam *obſtrigillatur.* Id quum non intelligerent, in *opitulatur* mutarunt iſti librorum adulteriones. Sic igitur lege: *Huic tamen providentiæ ætas obſtrigillatur: nam candor ſenecta diſperit, & grandeſcentibus conchis flaveſcunt margaritæ.* Melius etiam fortaſſe: *obſtrigillat*, id eſt, obſtat, & contraria eſt. Varro apud Nonium: *lex neque innocenti propter ſimultatem obſtrigillat, neque nocenti propter amicitiam ignoſcit.* Idem de R. R. *Tu*, inquit, *indes tanto ſcriptori & obſtrigillandi cauſa figlinas reprehendis.* Et de vita populi Romani apud eumdem *obſtrigillare* pro impedire: *Quod Curio quum id feciſſet, dicebat amicis, ut illi renuntiaretur, ſe obſtrigillaturum ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret conſul.* Ita legendum omnibus locis apud Nonium, *obſtrigillare*, non *obſtringilare.* Inde *obſtrigillator*, qui præ invidia aliorum progreſſus ac proceſſus impedit. Varro: *æmulum illius artis, atque obſtrigillatorem.* Male legitur, *obſtrigilatorem.* Nec bene Turnebus à ſtrigilibus, quibus lædimur quum vehementius ſtringimur. Verbum archaïcum fuit *ſtrigare* pro ſtringere. Hinc diminutivum *ſtrigillare*, & compoſitum *obſtrigillare*, impedire, obſtare, officere. Alias *ſtrigillo* à ſtringo, ut *ſigillatim* diminutivæ formæ à *ſingulatim.* Sic à ſcribo, *conſcribillo.* Inde *obſtrigillum* pala annuli, qua cohibetur gemma. Et *obſtrigilla* apud Plinium ſocculorum vincula. Hoc verbum etiam Senecæ reſtituimus Epiſt. CXVI. *Nunc enim multa obſtrigillant, & aciem noſtram aut ſplendore nimio repercutiunt, aut obſcuro retinent.* Perperam editur *obſigillant*, quod fruſtra conatur explicare Turnebus. Ita hoc loco providentiæ concharum obſtrigillat ætas: nam margaritæ ſenecta flaveſcunt. Nihil verius. Candor autem in margaritis præcipue requirebatur. *Sed & in candore ipſo magna differentia*, ut Plinius ait. *Clarior in rubro mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas adſimilat, alias magnitudine præcellente. Summa laus coloris eſt exaluminatos vocari.* Ita legendum. Perperam

A hanc vocem quidam ſollicitant. *Exaluminati* dicebantur quaſi alumine infecti. Summa candoris claritas ea voce intelligitur ab aluminis claro colore. Dioſcorides de alumine: ἀρίστη δὲ ὑπάρχει ἡ σχιστὴ καὶ ταύτης ἡ πρόσφατος καὶ λευκὴ ἄγαν. Sed de ſciſſili hæc dicuntur, quod eſt concreti aluminis genus. De liquido potius accipiendum. Liquidi probatio, teſte Plinio, *ut ſit limpidum, lacteum, ſine offenſis fricanti, cum quodam igniculo caloris.* Ita legendum ex veteri codice, qui habet: *ſine offenſis fricandi.* Vulgo: *fricantium.* Ex Dioſcoride verſa illa Plinii verba: τῆς δὲ ὑγρᾶς τὴν μάλιστα διαφανῆ προκριτέον, καὶ γαλακτώδη. ὁμαλήν τε καὶ δι' ὅλου
B χυλώδη. Ἔχει δὲ ἄλιθον, καὶ πυρῶδες ἀποπνέουσαν. Sic vetuſtiſſimus codex Dioſcoridis ſcribit, non, ut vulgatum eſt, καὶ τυρῶδες. Nec aliter legit Plinius. Ex eo πύρινον vocabatur, id eſt, igneum. Ita enim ſcribendum: *Hoc pyrinon vocant.* In antiquo codice ſcriptum eſt, *porthinon.* Correxere: *phorimon.* Certe liquidum alumen ita Græci vocarunt. Neophytus: φορίμη, ἡ ὑγρὰ συπτηρία ἣν ποιοῦσι διὰ ἥλων παλαιῶν καὶ ὄξους καλοῦ. Sed quare huic liquido alumini nomen φορίμης hæſit? Heſychius φόριμον interpretatur λυσιτελές. Forte à commodis tributorum, ἀπὸ τῶν φορῶν. Sic λυσιτελὲς indidem Græci vocant à penſitatione τοῦ τέλους. Alias φόριμον
C δένδρον iidem Græci dicunt frugiferam ac feracem arborem, ut ex hoc diſticho Gemini patet, quod in membranis corruptiſſimum emendavimus. Factum eſt autem in paliurum, qui ſepimentum horto præſtabat:

> Ἡ παλίουρος ἐγὼ τρηχὺ ξύλον, οἷος ἐν ἕρκει.
> Τίς μ' ἄφορον λέξει τὴν φορίμων φύλακα.
> *Sum paliurus ego, quo ſeptum hunc adſpicis hortum.*
> *Frugiferas ſervo, ſed nihil ipſe fero.*

Ubi ἄφορος paliurus qui nihil fert, infrugiferus. Græci φορίαν vocant liquidiora ſtercora, atque inde quoque Latini *foriam.* An φορίμη inde appellata liquida συπτη-
D ρία? Certe potius hoc videtur quam φόριμος quod feracem ſignificat. Non poſſum tamen deduci ab ea ſuſpicione, quin φυρίμη potius ſit ſcribendum à φύρω, quod eſt inficio. Unde μιλτοφυρεῖς κανόνες in epigrammate, *rubrica infectæ regulæ.* Legendum deinde apud Plinium de hoc eodem alumine liquido: *an ſit adulteratum deprehenditur ſucco punici mali: ſincerum enim mixturam fugit. Alterum genus eſt pallidi & ſcabri, & quod inficit ut galla, ideoque hoc vocant paraphyron.* Παράφυρον non παράφορον. Hinc colligi datur veram eſſe lectionem φύριμον, & παραφύριμον, non παράφορον. Ab inficiendo enim ſic appellatum. Sane & πύρινον
E etiam vocatum διὰ τὸ πυρῶδες. Inde igitur *exaluminatæ margaritæ*, quæ limpidi ſunt & liquidi candoris, ut eſt liquidum alumen. Eo inficiebantur lanæ colore claro. Idem Plinius: *quoniam inficiendis claro colore lanis candidum liquidumque utiliſſimum.* Margaritæ quoque *claræ* appellatæ, quæ exaluminatæ. Plinius de unione: *clarior in rubro mari repertus.* Solinus: *quoties excipiunt matutini aëris ſemen, fit clarior margarita.* Pelles quoque exaluminabantur, ut candorem clarum acciperent. Idem de alumine: *nam ad reliquos uſus vitæ in coriis laniſque perficiendis, quanti ſit momenti ſigni-*
F *ficatum eſt.* Unde *aluminatæ* pelles confectæ & *alutæ.* Servius: *unde & aluta pellis alba per naturam.* Immo per alumen. Nam *alutam* etiam dixerunt Latini alumen. Gloſſæ: συπτηρία *alumen, aluta.* Στυπτηριασμένον δέρμα, *aluta.* Vel *aluta* pellis ἡ ἐστυμμένη ab eadem vocis origine, ex qua & *aluta* pro alumine, & alumen ipſum ἡ στυπτηρία. Eſt & aluminis genus quod inficit ut galla. Fuſcis & obſcuris lanis coriiſque inficiendis adhibebatur. Hinc & *alutam* dictam, quæ iſatis Græcis, Celſus Apulejus in vetuſtiſſimis membranis teſtatur, à fuſco alutæ colore. De ſciſſili alumine nos ſupra. Dio-
G ſcorides: ἐστὶ γὰρ σχιστὴ οἱονεὶ τῆς βωλῖτιδος ἄνθος. Ita vetuſtiſſimus codex. Et ſane ſic ſcribendum eſt. Fruſtra ſunt viri docti, qui βολῖτις cum ο parvo legendum contendunt, nec aliter in omnibus libris haberi aſſerunt. Ἡ βωλῖτις στυπτηρία dicta, quæ habet glebæ figuram, aut in glebam ſtringitur. Hæc πλινθῖτις Galeno dicitur. Nam glebæ & laterculi figura eadem. Gloſſæ: *Ceſpes*, χορτόπλινθος, χορτόβωλος, πλίνθος. Hujus βωλίτιδος vel βωλῖτις aluminis florem eſſe alumen ſchiſton

appellatum vult Dioſcorides. Sic aſio lapidi ſuus flos & nitro, & ſali, & aliis generibus. Plinius idem voluit dicere, ſed neſcio quomodo dixerit: *concreti aluminis unum genus ſchiſton appellant Græci in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens. Unde quidam trichitin potius appellavere. Hoc fit è lapide, ex quo & chalcitin vocant: ut ſit ſudor quidam ejus lapidis in ſpumam coagulatus.* Nihil heic loci habet lapis *chalcitis*. Vetus liber habet: *Ex quo & calcytim vocatur.* Omnino emendandum: *Hoc fit è lapide gleboſo, bolitin vocant, ut ſit ſudor quidam ejus lapidis in ſpumam coagulatus.* Sed bolites ille lapis genus eſt aluminis à figura ſic dictum, ut ϛρογγύλη. Unde Plinius in Strongyle inſula naſci perperam hariolatus eſt. Atque hæc obiter. *Exaluminatus* autem idem quod valde aluminatus, ἄγαν ϛυπτηριώδης. Hujuſmodi coloris ut eſſent uniones poſtulabant. Sic *æquare, exæquare: acuere, exacuere: coquere, excoquere*, & ſimilia. Media Latinitatis ætas margaritas abſolute vocavit *albas*, ut olim obſervabamus. Servius: *& gemmas volunt dici diverſi coloris, margaritas vero albas.* Hanc differentiam vult inter gemmas eſſe & margaritas, ut gemmæ ſint omnium colorum, margaritæ tantum albæ. Sed hæc ſupra.

In aqua mollis eſt unio, duratur eviſceratus.] In optimo regio codice ſcribitur: *Lapis iſte in aqua mollis, duratur eviſceratus.* Ad oram libri adſcripſit antiquarius: *duratur exemptus.* Gloſſamentum non eſt, ſed eſt lectio prioris ἐκδόσεως. In aliis codicibus ſcriptum offendi: *dureſcit exemptus.* Plinius: *cetero in aqua mollis unio exemptus protinus dureſcit.* Verbo Pliniano uſus fuerat in priore editione. Correxit in poſteriore, *duratur eviſceratus.* Proprie *eviſceratus* dicitur, cui viſcera exempta ſunt. At *eviſceratus* unio heic dicitur è viſceribus conchæ extractus. Notavimus ſupra totum hunc de margaritis Solini locum ab Ammiano expreſſum lib. XXIII. Sed mirum quam male acceperit aut legerit hæc verba. Sic enim habet: *exindeque gravidæ edunt margaritas binas aut ternas, vel uniones ideo ſic appellatos, quod eviſceratæ conchulæ ſingulas aliquotiens pariant, ſed majores.* Non eſt ambiguæ quæſtionis, quin vocem illam *eviſceratæ* hauſerit ex hoc Solini loco. Sed neſcio quare tranſtulerit ad concham quod de lapide dixit Solinus, nec divinare poſſum quo ſenſu *eviſceratas conchas* dixerit. Fortean heic legerit apud Solinum prava diſtinctione ac ſcriptura: *eviſceratis nunquam duo ſimul reperiuntur, unde unionibus nomen datum.* Nec dubium ita legiſſe, *eviſceratis* pro *eviſceratus*. Conchas autem *eviſceratas* accepit, quibus interanea exempta ſunt. In eviſceratis igitur conchis, id eſt, cum eviſceratæ ſunt, unicum tantum reperiri lapidem, qui ideo vocatur *unio*. Hæc proprie ſignificatio eſt vocis *eviſceratus*, non ea quam Solinus uſurpavit. Cicero lib. II. Tuſcul. ex Trachiniis Sophoclis:

Accede nate, adſiſte, miſerandum aſpice
Eviſceratum corpus laceratum patris.

Nunquam duo ſimul reperiuntur, unde unionibus nomen datum.] Nimis falſum ſic pronuntiatum, ut nunquam duæ ſimul margaritæ in una concha reperiantur. Certum quippe eſt plures calculos in ſingulis conchis naſci. Plinius: *non autem ſemper in media carne reperiuntur, ſed aliis atque aliis locis, vidimuſque jam in extremis etiam marginibus, veluti è concha exeuntes, & in quibuſdam quaternos quinoſque.* Ergo plures lapilli in una concha. Cur igitur *uniones* appellati? Rationem reddit Plinius, quam noſter non eſt aſſequutus, ideo nec ſequutus: *dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus: in tantum, ut nulli duo reperiantur indiſcreti, unde nomen unionum Romanæ ſcilicet impoſuere deliciæ.* Non dicit his verbis Plinius ea re nomen unionibus factum, quod nunquam duo ſimul reperiantur, ſed quod nunquam duo ſimiles. In margarita requiri ait candorem, magnitudinem, orbem, levorem, pondus, verum haud promptas res illas eſſe, nec facile hæc omnia ſimul in uno lapillo reperiri. Proinde nullos duo ita pares inventos unquam atque indiſcretos, ut candore, magnitudine, orbe, levore, & pondere examuſſim in eamdem unitatem convenirent, nihilque diſcreparent. *Indiſcreti* dicuntur adeo pares, ut nullum in his diſcrimen agnoſci queat. Hic ergo Plinii ſenſus. Vidit etiam Ammianus non verum dicere Solinum,

A quum locum hunc ab eo ſumeret, propterea hoc ejus dictum correxit ad hunc modum: *exindeque gravidæ edunt margaritas binas aut ternas, vel uniones ideo ſic appellatos, quod eviſceratæ conchulæ ſingulas aliquoties pariunt ſed majores.* Ita legenda illa ſunt. Hoc habet tamen è Solino, uniones dictos qui ſinguli naſcantur in conchis ſingulis. Non ea Plinii fuit ſententia, ſed uniones appellatos quod omnes ſingulare aliquid habeant quo diſcerni poſſint invicem alter ab altero. Apud Græcos id nomen non eſſe, ne apud Barbaros quidem niſi margaritæ aſſerit idem Plinius. Certe Græcia *unionis* nomen, quod mere Latinum eſt, uſurpare non debuit, B ſed uti ad eamdem ſignificationem facto potuit. Hinc μονόκοκκα *uniones* in veteri gloſſario exponuntur. Sed ea appellatio videtur à recentioribus Græcis inventa, ac ficta ad exprimendum Latinorum unionem. Poſterius ſane ætate Plinii hoc vocabulum apud Græcos natum. Gloſſæ: *uniones*, μαργαρῖται μεγάλοι, μονόκοκκα. Ne quid tamen diſſimulem, ſuſpicor in hoc gloſſarum loco μονόκοκκα pro unionibus margaritis non eſſe accipienda, ſed pro unionibus cæparum. Duplicem igitur unionum ſignificationem appoſuit auctor gloſſarii. Unam, qua margaritas grandiores ea voce intellexere Romani, alteram qua cæpæ genus deſignarunt. In aliis veteribus C gloſſis, capite de oleribus, ita legitur: *Holus marinum*, θαλασσόκραμβον: *uniones*, μονόκοκκα: *origanum*, ὀρίγανον. Sic emendandus ille locus. Ergo μονόκοκκα Græcis non appellantur margaritæ, ſed cæpæ unici capitis, vel unico conſtantes nucleo, quas Latini ruſtici vocabant *uniones*. Columella lib. XII. cap. X. *Pompejanam vel Aſcaloniam cæpam, vel etiam Marſicam ſimplicem, quam vocant unionem ruſtici, eligito. Ea eſt autem, quæ non fruticavit, nec habuit ſuboles adhærentes.* Nos hodie inde omnem cæpam vocamus *unionem*. Veteres hoc nomine eam dumtaxat inſigniverunt, quæ non fruticaverat, ſed ſimplici adhuc conſtabat nucleo. Græci D μονόκοκκον & μονοκέφαλον dixere. Cæpe, ut allium, & ſcilla, & reliquæ bulboſi generis ab radice alias atque alias ſubinde ſuboles propagant. Theophraſtus: τὸ δὲ κρόμμυον εὐθὺς ἐκ τῆς ῥίζης ἄλλο καὶ ἄλλο παραφύησι, καθάπερ οἱ βολβοὶ, καὶ σκίλλα, καὶ τὰ τοιαῦτα. Καὶ γὰρ τὰ κρόμμυα, καὶ τὰ σκόροδα μὴ ἀναιρουμένων, ἀλλ' ἐώντων πολλὰ γίνεται. Quæ nondum igitur nucleis ad latera adnatis ſe propagaverat, ſed ſimplici capite nitebatur, *unionis* habuit nomen. Græci aliquando κεφαλὴν vocant in allio & cæpa, id quod omnes nucleos comprehendit, aliquando nucleum ſolum, quem & γελγίδα, & ἄγλιθα, & κόκκον, & ῥᾶγα dictum ſupra docuimus. Heſychius: γελγίδες, αἱ E τῶν σκορόδων κεφαλαί. Hinc μονοκέφαλον σκόροδον, quod non plures nucleos habebat. Tale in Ægypto naſcebatur, ut tradit Dioſcorides. De eo Theophraſtus: καὶ ἔτι τῷ μὴ ἔχειν ἔνια τὰς γέλγεις. De alliis loquitur quæ nucleis carent, ſed unico capite cenſentur. Idem ibidem: φέρειν δὲ φασὶ καὶ τὸ σκόροδον κεφαλὰς ἐπὶ τῆς φύσιγγος καὶ τὰ κρόμμυα. Locus ille vulgo depravatiſſimus. Nam legitur: ἐπὶ τῆς σφύεριγγος. Gaza legiſſe videtur, σύριγγος, dum vertit: *ſupra fiſtula quoque & allium capitari poſſe & cæpe affirmant.* Quod ineptum eſt. Legendum, φύσιγγος. *Super membrana qua involvuntur, tam allium* F *quam cæpe capita, ſive nucleos ferunt.* Φύσιγγες Heſychio, εἶδος σκορόδου, ἄλλοι δὲ σκορόδων κεφαλίδας. Melius vetus Ariſtophanis ſcholiaſtes: φύσιγξ λέγεται τὸ ἐκτὸς λέπισμα τῶν σκορόδων. Allii tunicas ita vocarunt, ex quibus alia & alia ſubinde capita, ſive nucleos producit. Hinc πεφυσιγγωμένοι Μεγαρεῖς Ariſtophani, apud quos allium plurimum naſcebatur. Plinius de allio: *tenuiſſimis, & quæ ſeparantur, univerſum velatur membranis: mox pluribus coagmentatur nucleis, & his ſeparatim veſtitis.* Sic ſcribendum eo loci ex veteri codice. Conſtat autem ex illis verum eſſe quod tradit Theophraſtus: τὸ σκόροδον G κεφαλὰς ἐπὶ τῆς φύσιγγος φέρειν. Hujuſmodi in allio φύσιγγας Latina *ſticas* dixere, hoc eſt, tunicas. Columella:

---- jam teneris frondens lactucula fibris,
Alliaque infractis ſticis, & olentia late
Ulpica.

Male *ſpicis* hodie legitur, ut & apud Catonem. Sed & lib. XI. cap. III. apud eumdem de ulpico: *Habet enim velut allium plures cohærentes ſpicas, eæque cum ſunt diviſæ, li-*

ratim

ratim seri debet. Ibi quoque legi debet *sticas*. Nam ridiculum est de spicis. Nucleos & γέλγιδας ita vocavit Columella, quum tamen proprie sint folliculi allii & ulpici. Sed quia singuli nuclei separatim suis tunicis, ac sticis, sive folliculis vestiti sunt, ideo & *sticas* pro nucleis suo folliculo involutis posuit. Eodem prorsus modo & Græci φύσιγγα, quæ significat allii folliculum, pro ipso capite usurparunt. Hesychius: φύσιγγες σκόροδα, οἱ δὲ κεφαλίδας τῶ σκορόδων. Sic *talla* est folliculum cæpæ. Ex Græco θύλλης, quod est involucrum, vel sacculus. Ὁ θύλλης, *hæc talla*, ut ὁ χάρτης, hæc charta. Lucillius non pro folliculis, sed pro nucleis id videtur posuisse:

Flebile cæpe simul, lacrimosaque ordine tallæ.

Glossæ λέπυρον κρομμύου interpretantur. Festus, *folliculum cæpe*. Ὁ θύλλης, θύλακος, γωρυτὸς, ἔλυτρον. De caule tamen cæpitii talla apud Lucillium potest accipi, ut infra dicam. *Stica* igitur folliculum est allii cum suo nucleo. Φύσιγξ vel φυσίγγη Græce dicitur. Has κεφαλὰς, sive κεφαλίδας Græci etiam κόκκους & ῥᾶγας nuncupant, ut in superioribus observavimus. Interpres Nicandri: ἄγλιθες οἱ κόκκοι. Hinc μονόκοκκα uniones, sive simplices cæpæ, quæ & μονοκέφαλα. Hesychius: Μάνυζα, μονοκέφαλον σκόροδον. Hoc idem & in cæpis, priusquam fruticaverint. Γελγίζεσθαι de alliis dixit Theophrastus, quæ ex uno capite in plures nucleos dividuntur: πελείζεται δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος, ἀλλὰ βραδέως· τῷ πρώτῳ μὲν ἔτει κεφαλὴν ἡλίκην πράσου λαμβάνει· τῷ δ᾽ ὑστέρῳ γελγίζεται, καὶ τῷ τρίτῳ τέλειον γίνεται. Plinius ita hæc vertit, ut ex scripto codice rescribendum est: *allium ex semine provenit, sed tarde. Primo enim anno porri crassitudinem capite efficit: sequenti, dividitur: tertio, consummatur*. Sequitur apud eumdem: *in semen exire non debet, sed intorqueri caulis sationis gratia, ut caput validius fiat*. Hæc sana non sunt. Liber Thuanæus habet cum Rigaltiano: *sed intorqueri caulus sativus gratia*. Pronum esset emendare, *satus gratia*. Sed semen seritur, non caulis. Scribo ego: *sed intorqueri caules satius, ea gratia, ut caput validius fiat*. Melius etiam dixisset Plinius: *sed intorqueri nucleos satius*. Ita enim Theophrastus: τότε σκόροδα ὅταν ἀνοιδήσῃ ἡ γελγὶς, κυρτοῦται πᾶσα, καὶ ἐνταῦθα αὐξηθεῖσα διαιρεῖται πάλιν εἰς τὰς γέλγις, καὶ ἐξ ἑνὸς πολλὰ γίνεται, τῷ πελειοῦσθαι τὴν κεφαλήν. Sed Columellam heîc sequitur Plinius, non Theophrastum. Illius hæc verba sunt lib. XI. cap. III de allio: *deinde antequam caulem faciant, omnem viridem superficiem intorquere, & in terram prosternere conveniet, quo capita vastiora fiant*. Idem uterque dicere voluerunt, quod Theophrastus. Propius tamen ad mentem Theophrasti Columella quam Plinius. Nec enim caulis intorquetur allii, sed τῆς γελγίδος summa viriditas, priusquam in caulem abierit. Tam σκόροδα igitur, quæ γελγίδας non faciunt, quam cæpitia, quæ suboles adhærentes non habent, μονοκέφαλα ac μονόκοκκα dicta. Præter differentias è patrio solo petitas, cæparum duo genera prima apud Latinos fuisse dicit Plinius: *unum condimentariæ quam illi gethyon, nostri pallacanam vocant: alterum capitatæ*. Frustra est igitur vir magnus, qui in notis ad Moretum contendit nullum cæpe esse quod capitatum non sit. Atqui *gethyon* sine capite est. Theophrastus: τὸ δὲ γήθυον καλούμενον, ἀκέφαλόν τι, καὶ ὥσπερ αὐχένα μακρὸν ἔχον. Plinius vertit: *Gethyum pæne sine capite est, cervicis tantum longæ, & ideo totum in fronde*. Hoc loco vetustissimus liber legit *gentium* pro *getium*. In antiquissimo codice Apuleji de Herbis ita semper scribitur, ut his verbis: *quadam anno tantum suo pariunt, quædam sæpius, sicut apium, porrum, getium*. Et apud Apicium in vetustissimis membranis: *Capa, gentia, bacca, thymi*, pro *getia*. Græci quoque γήτια. Hesychius: γήτια κρόμμυα, ἃ καὶ γήθυα καλοῦνται. Æoles dixerunt γήπια, unde Latinum *cæpe*. Sed hoc magis ex γῆθυ quod Æolibus γῆφυ, & ϛαῖφυ. Atque inde Latinum *cæpe*. Nam diphthongo scribitur, ut *scæna* ex Græco σκηνή. Sed σκαινὰ dicebat dialectus, ut μαίνα pro μήνη. Sic ζαιθυλλίδες pro γηθυλλίδες. Idem Hesychius: ζαιθυλλίδες, ἀμπελόπρασα. Ex certa igitur specie Græcorum factum est cæpitii nomen generale apud Latinos. Gethya Theophrastus non dicit pæne sine capite esse, sicut Plinius reddidit, sed ἀκέφαλόν τι εἶναι. Illud τι Plinius accepit, quasi idem valeret quod pæne. Duo ergo genera cæparum, unum capitatum, alte-

A rum sine capite. Hoc Græci γήθυον vocant. Theophrastus etiam, γηθυοκρόμμυον. *Nostri*, inquit Plinius, *pallacanam vocant*. Mirum hoc vocabulum, nec alibi mihi lectum, nec sane intellectum. An scribendum putabimus, *nostri talla canam vocant*, id est, cæpam, quæ *tallam* habeat canam, sive candidam. Diximus supra quid esset *talla* in cæpa. *Palla* pro *talla* scribendi more tralaticio, quo P pro T sæpe venit. Ut *spica* pro *stica*: *pinus* pro *tinus*. Plura alibi observavimus hujus vitiosæ scripturæ exempla. Columella *tallas ceparum* pro caulibus posuit, ubi vulgo perperam *thallos* legunt lib. XII. cap. III. *Nam nisi harundines transversas in modum jugatæ vineæ crebras disposueris, tallæ cæparum ventis prosternentur*.
B Eo loco *thalli* non possunt hærere. Græce θαλλὸς proprie termes olivæ. De ramis aliarum arborum etiam usurpatur. Unde Latinum factum *talia*, ut ἄλλος *alius*. At de herbarum thyrsis, aut cauliculis nusquam hæc vox usurpata. Præterea in alliis & ulpicis, & ceteris his generibus *caules* vocat idem Columella, non *thallos*, quos proprios facit cæparum. *Tallæ* ergo debent esse, quæ proprie de cæpis dicuntur, non *thalli*. His adde quod libri veteres non aliter scribunt. Notabamus paulo ante *tallas* appellari follicula cæparum. Ceterum quia eodem folliculo, quo cæpæ
C caput velatur, etiam magna pars caulis integitur, hinc *tallam* pro caule cæpæ posuit Columella. Inde *talla cana* Latinis τὸ γήθυον, quod talla tantum, id est, caule constet, utpote quæ caput non habeat. Forte etiam unica voce *tallaca* dicta à talla, ut *lingulaca*, *personaca* & similia. Quid si *talla cana* appellata est id genus cæpæ quæ tota in semen exit, & caulem, nec caput facit? Profecto cæpæ, quæ ad semen servantur, in caput non crescunt & in longum caulem exeunt, qui concavus est & in medio extumidus, nec male refert goryti imaginem. *Tallam* vocat Columella hujusmodi caulem. Ea vox ex Græco θύλλης, ut supra ostendimus,
D quæ ἔλυτρον significat, & γωρυτόν. Lucillius tallas à cæpis distinguere videtur hoc versu:

Flebile cæpe simul, lacrimosaque ordine tallæ.

Quod capitatum est vocat cæpe: caules getiorum *tallas*, quæ capitata non sunt. Sic duo genera cæpitii, ut porri. De sectili, sive tonsili, & capitato diximus ante. Πράσον καρτὸν appellat Dioscorides sectivum porrum, quod aliis absolute dicitur καρτόν. Primam lonchitidem dicit folia habere πράσῳ κάρτῳ ὅμοια. Legendum: πράσῳ καρτῷ ὅμοια. Quod ex conjectura primum vidimus, quam postea confirmavit optimus liber. Hæc
E obiter. Nostrates rustici *civas* hodie vocant dictione ex *cæpa* detorta, quæ capitatæ non sunt. Et plane sunt Græcorum γήθυα. *Cibullas* alii vocant, id est, *cæpullas*, quæ sunt γηθυλλίδες. Nicandri scholiastes: γηθυλλίδες εἶδος κρομμύων, ἤτοι τὰς κεφαλὰς, ἢ τὰς ῥίζας, ἢ τὰ ὑπὸ ἐνίων λεγόμενα ἀγριογήθυα. Ita legendum non ἀγριόφυτα. Alii ἀμπελόπρασα dixere. Hesychius: γήθυα, ἀμπελόπρασα, οἱ δὲ γηθυλλίδας. Græci ἀμπελόπρασα dicunt porra silvestria. Quidam γηθυλλίδας easdem fecere cum porris capitatis. Alii easdem cum getiis, & similes esse
F ampeloprasis. Ita Didymus apud Athenæum. Certe diversa ἀμπελόπρασα à getiis, ut cæpullæ à porris. Sed hæc alibi. Inter cæpitia eas cæpas, quæ simplex caput habent, nec subolibus adnatis propagantur, Græci μονοκέφαλα vocant & μονόκοκκα, Latini rustici *uniones*, ab unus, *unio*: ut à binus, *binio*, à quaternus *quaternio* ἡ τετράς. *Biniones*, δύναμμα exponuntur in veteri glossario. Ergo *unio* etiam pro asse, vel assario. Μονόκοκκα in iisdem glossis non sunt margaritæ, sed cæpæ, quas etiam Latini *uniones* nuncuparunt. Μεγάλους μαργαρίτας eædem glossæ exponunt, quæ fuit Ælii Stilonis sententia. Plinius: *cum Ælius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat*.
G Si uniones de grandibus margaritis, falsa illa hujus vocis interpretatio quam probavit Plinius, qui *uniones* sic dictos putat, quod in nullis duobus unitas indiscreta unquam inventa sit. *Unicum* pro eximio & egregio Latini sæpe dicunt. Catullo *unicus Imperator* pro summo. *Unica gratia* pro summa Propertio,

Unica nec desit jucundis gratia verbis.

Sed & *singularis* pro excellente & magno ponitur. *Singularis pernicitas* pro maxima Solino supra & Plinio

Singularia velocitas Agellio. Ita ergo *uniones*, ſingulares & unicæ margaritæ, id eſt, eximiæ magnitudinis. Hoc voluit Stilo. Rationem tamen hanc hujus nominis vix puto fuiſſe. Veteres Latini ruſtici priuſquam margaritarum uſum, aut notitiam Romani haberent, quam cœpiſſe primum circa Syllana tempora volunt, vocem *unionis* non de grandioribus cæpis uſitatam habuerunt, ſed de ſimplicibus, atque uno capite conſtantibus. Atque hæc eſt hujus vocabuli, *unio*, propria ac germana ſignificantia. Hinc & grandiores margaritas quæ unionum, id eſt, cæparum figuram referebant, vocitarunt *uniones*. Sic *tympana* appellarunt dimidiatæ rotunditatis forma tympani. Iidem longiores *elenchorum* nomine donaverunt, quia elenchi & pittacia, ſive tituli ea forma amphoris adfigebantur ad indicandam vini ætatem. *Pyra* quoque hodie vocantur margaritæ, quæ pyri effigiem præferunt. Sed *uniones*, id eſt, cæpas vulgo indigetant eas margaritas, quæ non ſunt abſolutæ rotunditatis, ſed cæparum inſtar habent. Majores autem eæ plerumque ſunt quæ perfectum orbem, & exactam ſphæræ rotunditatem non exhibent. Proinde nec mirum eſt grandioribus margaritis hoc nomen unionum impoſitum à Romanis. Tales enim, & hac forma ut plurimum inveniuntur grandiores. Græci recentiores μοναχοὺς appellarunt, quos Latini *uniones*, dum ſolam vocabuli indolem reſpiciunt. Nam *unio* idem quod μόνος, vel μοναχός. In veteribus excerptis, σμῆξις μοναχοῦ τῶν μολυβδιζόντων. Ubi μοναχὸς μολυβδίζων eſt unio plumbei coloris. An μοναχαὶ eo ſenſu in periplo rubri maris his verbis? καὶ ὀθόνιον Ἰνδικὸν τὸ πλατύτερον, ἡ λεγομένη μοναχὴ, καὶ σαγματογῆναι, καὶ περιζώματα, καὶ καυνάκαι. Ita enim ibi ſcribendum ex alio loco ejuſdem ſcriptoris paulo poſt: καὶ ὀθόνιον, ἥ τε μοναχὴ, καὶ ἡ σαγματογήνη, καὶ περιζώματα. Sed ex his locis conſtat lineæ veſtis potius ſpeciem eſſe τὴν μοναχὴν, quam unionem. Ὀθόνια grammatici λίνα ἱμάτια interpretantur. Videtur autem auctor ille τὸ ὀθόνιον, quod ex India afferebatur, in duas ſpecies dividere, εἰς τὴν λεγομένην μοναχὴν ὀθόνην, καὶ εἰς τὴν σαγματογήνην. Per μοναχὴν ὀθόνην intelligo ſingularem ex lino veſtem, vel tunicam. Juriſconſultus *ſingulares tunicas* vocat, quæ in ſyntheſin compoſitæ non eſſent: *ſi eſſent tunicæ ſingulares relictæ cum palliolis, ex his tantum eligi poſſe.* Per ſyntheſes veſtimenta ſua componebant, ſeptenario ut plurimum conſtantes numero. Quæ in ſyntheſi non erant poſitæ, *ſingulares* dicebantur, id eſt, μοναχαὶ, & diſtinguuntur à ſyntheſinis. An igitur hoc loco μοναχὴ ὀθόνη opponitur τῇ σαγματογήνῃ? Quam vocem corruptam ajo pro σαγματοπήνη. Nam πῆνος eſt ὕφασμα Græcè. An ita vocat lintea, ex quibus ſagmata & ſtragula fierent, ſive culcitæ? Sic ex Cadurcenſi lino culcitæ fiebant teſte Plinio. Σαγματοπήνη heic etiam capi poteſt pro ſtragula veſte, à qua μοναχὴν diſtinguit, quæ ad ſingulos homines velandos facta eſſet. An vero σαγματοπήνη ὀθόνη linteum, non in veſtes ſingulares ac varias confectum, ſed in ſarcina corpus ipſum linteæ telæ ſic relictum, quod pluribus veſtibus faciendis ſufficeret. *Peciam telæ lineæ* vulgo appellant. Σάγμα eſt ſarcina, onus, παραπλήρωμα. Gloſſæ: *Sagma*, παραπλήρωμα. *Sagmat*, σάσσει ὄνον. *Sagmatus*, σεσαγμένος. Sic olim correximus. Ergo non ſolum ſingulares veſtes lineæ ex India afferebantur, ſed etiam texta lintea ad veſtes conficiendas. Hæc itaque differentia eſt μοναχῆς ὀθόνης & σαγματοπήνης. Sed σαγματογῆναι & σαγματογήνη ubique legitur. Omnino ſcribendum: σαγματογήνη. Ita vocat ὀθόνην, ἐξ ἧς τὰ σάγματα γίνονται, ex qua ſtramenta fiunt. Mentio στρωματοδέσμου λινοῦ apud Xenophontem. Cadurcum Romani vocabant ſtramentum, quod ex lino cadurcico fieret. Juvenalis Sat. VII.

Inſtitor hibernæ tegetis, niveique cadurci.

Stramentum intelligit. Ut & alio loco, quem ſupra explicavimus:

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Correctorem illum, qui pro cadurco reponebat *caduceo* advertere debuit ſyllabæ primæ modulus in ea voce longus, unde *caducifer*. Ex Græco καρύκειον, *caduceum*. Cadurcum alii exponunt cucullum, alii tabernaculum, & tentorium. Omnes male. Scholiaſtes Juvenalis etiam membrum mulieris, & membri velamen eſſe dicit, & ſecundum aliquos inſtitam, qua lectus intenditur. Diſerte Plinius teſtatur *cadurcum* Romanis dici culcitam, vel ſtramentum ex lino cadurcenſi factum. *Cadurca* autem *faſciæ* apud Sulpiciam ſunt faſciæ lineæ:

Ne me cadurcis deſtitutam faſciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

Non inſtitæ ſunt, quibus lectus intenditur, ſed faſciæ lineæ, quibus ipſa Sulpitia velabatur. Auctori ergo peripli σαγματογήνη ὀθόνη ex qua ſtragula vel ſtramenta fierent. Intelligit τὸ χυδαῖον ὀθόνιον, ut alibi vocavit. Cui opponit μοναχὴν ὀθόνην ſingulare & eximium linteum, ex quo tunicæ & lineæ fiebant. Μοναχὴ πορεία apud Xenophontem, per quam propter anguſtias ſinguli tantum homines poſſunt incedere. Quo loco tamen quidam μοναχῇ legunt ἐπιῤῥηματικῶς. Ut *ſingulare* Latinis pro eximio, ita Græcis μοναχόν. Unde μοναχὸς pro margarita grandiore. Notum porro μοναχὸν idem eſſe quod μονόν. Inde & μόνοι appellati aſcetæ ſeorſim ab aliis degentes, quod etiam μοναχοὺς dixere. *Moni* etiam Latine dicti, non tantum monachi. Vetus Chronicon Monaſterii Novaliacenſis: *Nam ipſi Moni hoc decretum ab ipſo ſuæ fundationis die, uſque ad deſtructionem ipſius loci ultimam quam fecerunt Saraceni, qui de Fraxaneto venerunt, inviolabiliter & inconcuſſe tenuerant.* Item lib. VI. *Tunc Monus Acephalus ait: ſi mihi dederis Abbatiam, & contra Abbatem meum tenerum feceris, cartas patris tibi reddam.* Quidam *Nonos* pro Monis dixere. Sollemnis quippe ac uſitata mutatio literæ M. in N. Ut *ocinum* veteres Latini pro *ocimo* appellarunt. Sic Παροπάμισος & Παροπάνισος mons idem. Sic μετώπιον, & νετώπιον unguentum quoque idem. Recentioribus quoque frequens hęc mutatio, *nappam* pro *mappa* dicentibus, *nattam* pro *matta* & ſimilia. Hinc Νοvὶς apud Palladium pro Μοvὶς, virgo nempe monialis. Quod ad *unionem* attinet, falſa prorſus eſt hujus nominis notatio, quam Solinus attulit. Ita nempe appellari margaritas quod nunquam duo ſimul reperiantur. Ex relationibus quippe novi orbis conſtat aliquando uſque ad centum viginti lapillos in una concha inventos eſſe. Sed nec veterum hæc opinio fuit, quam ille ex male intellectis hauſit Plinii verbis.

Semunciales inventos negant.] Ita omnes libri veteres, non, ut habetur in excuſis: *ultra ſemunciales.* Neutra lectione expreſſit id quod Plinius his verbis: *pondus ad hoc ævi ſemunciæ paucis ſingulis ſcripulis exceſſere.* Non negat Plinius ſemunciales inventas margaritas, aut ultra ſemunciales, ſed paucas ait repertas quæ ſemunciæ pondus exceſſerint ſcriptulo uno. Male apud Plinium legitur: *ſingulis ſcrupulis.* Aliud *ſcrupulum*, aliud *ſcriptulum*, vel *ſcripulum*. Gloſſæ differentiam notarunt: *ſcripulum*, γράμμα, σταθμός: *ſcrupulum*, μέρμνα ἢ μέρμναν. Sed de his alibi. Tria ſcripula in drachma: ſex drachmæ in uncia. Sic decem & octo ſcriptulorum uncia eſt: ſemuncia, novem. Margarita igitur quæ ſemunciæ pondus uno ſcripulo ſuperaret, decem ſcriptulorum eſſet. Paucas ad ætatis ſuæ tempus inventas Plinius affirmat, quæ penderent decem ſcripula. Multæ inveniebantur quæ ſemunciam penſitarent, aut aliquot granis id pondus etiam excederent, ſed omnino paucas deprehenſas quæ ſingulis ſcripulis, hoc eſt, viginti quatuor granis ſupra hoc pondus irent. Decem ſcripulorum margarita ducentis & quadraginta granis expenditur. Hoc pondere maximæ cognitæ ſunt veteribus. Maximas, quæ ad promontorium Commorim capiantur, centum grana pendere tradit Garcias ab Horto. Earum pretium ſolere eſſe mille & quingentorum aureorum. Vidiſſe & quamdam fatetur, quæ centum & ſexaginta grana tritici pendebat. In ſinu Perſico majores reperiuntur, quæ & ceteris omnibus candoris ac magnitudinis doti anteferuntur. Inde Romanis adferebantur. Atque hæ ſunt, quas hodie vocitamus *orientales* omnium laudatiſſimas. Sed talia pudet diſquirere.

Inde eſt ut aut inter ſcopulos, aut inter marinos canes plurimum deliteſcant.] Plinius: *quippe inter ſcopulos major pars invenitur. Sed in alto quoque comitantur marinis canibus.* Quam lectionem perperam quidam ſollicitant.

Nam

Nam *comitare* non tantum veteres, sed etiam Ovidius usurpavit.

Et Romanæ utinam comitarent castra puellæ.

Aliud *comitasset* notatum Nonio pro cubuisset. Ita enim veteres libri legunt. Sed *comitasset* scriptum pro *cobitasset*, id est, cubitasset. Quod rectè Nonius interpretatur, cubuisset. Verba Accii sic legenda: *Tum autem Ægistus si mœchus esset, eodem lecto cobitasset patri*, pro cubitasset. Ab illis autem canibus marinis periculum non parvum piscantibus margaritas, ut ex historia illa colligere est, quam refert Procopius in Persicis lib. I: & propter illas caniculas marinas, quæ in alto comitari amant conchas margaritarias, captura earum difficilis & periculosa. Ammianus: *captura autem difficilis, & periculosa, sed amplitudines pretiorum illa efficit ratio, quod frequentari sueta littora, propter piscantium insidias declinantes, ut quidam conjiciunt, circa devios scopulos, & marinorum canum receptacula delitescunt.* Ita verba illa mendis suis expurganda sunt, quibus vulgo inquinantur, ad hunc modum scripta: *capturas autem difficiles & periculosas, & amplitudines pretiorum.* Locus Solino adumbratus: *ut quidam conjiciunt.* Solinum intelligit. Periculosam itaque margaritarum piscaturam non ipsæ conchæ faciunt comprimentes sese, ac manum urinatoris morsu abscindentes, sed canes marini inter quos degunt. Vide Procopium I. Persicωn. Manilius lib. V.

Pendentem & cæco captabit in æquore piscem,
Cumque suis domibus concha valloque latentes
Protrahet, immerso nihil est audere relictum,
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo
Immissum, pariter quam præda exquiritur ipsa.

Ita hæc scribenda. Immersus nihil reliquum facit audaciæ, omnem quantacunque haberi potest, insumit audaciam. Corpus autem profundo immissum pariter ac præda ipsa exquiritur. *Pariter quam*, ut *æque quam* apud Suetonium & alios. Corpus urinatoris profundo immersum sæpe pariter exquiri dicit ac prædam ipsam. Perditum scilicet, & à marinis caniculis absumptum. Procopius de urinatore margaritæ: αὐτὸς δὲ ἄλλως διεφθάρη οὐ πολλῷ ὕστερον, ἀνελόμενοι δὲ τὸ μάργαρον οἱ ἐπὶ τῆς ἀκτῆς λελειμμένοι τῷ βασιλεῖ ἀπεκόμισαν. Quæ sequuntur apud Manilium prodigiosè depravata sunt, nec à viris doctis intelliguntur:

Nam semper tanti merces est parva laboris,
Censibus æquantur conchæ, rapidumque notari
Vix unquam est locuples, oneratur terra profundo.

Ita legit codex Gemblacensis. Sed quis hæc intelligit? Tu meo periculo bene sic emendata credere aude:

Non semper tanti merces est parva laboris,
Censibus æquantur conchæ, lapidumque nitori
Vix unquam est locuples, oneratur terra profundo.

Duarum literularum mutatio tanti momenti emendationem extricavit. Magno periculo & labore quæstus suus constat urinatoribus, qui sæpe non magnus est. Non semper tamen, inquit, tanti laboris parva est merces. Nam conchæ, quas piscantur urinando, & corpus objiciendo escam beluis marinis, census æquant, & lapidum, qui in his conchis inveniuntur, nitorem. Vix unquam terra est locuples, hoc est, lapidibus illis nitentibus coemendis vix satis est locuples & idonea terra. Tanti pretii habentur margaritæ, ut terra non satis dives sit ad eas comparandas. Sic oneratur & gravatur terra profundo, dum maris divitiæ in tantum superant terrestres, ut gravari & adfligi necesse sit terræ rationes, dum sibi comparare vult pelagi spolia ac divitias. Aliquot margaritis rotundioribus, candidioribus, & majoribus redimi digna est illa correctio. Plinius eodem sensu: *Jam quidem ex tota rerum natura damnosissimum ventri mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.* Et paulo post: *parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur. Adeo per totum corpus anima hominis quæsita maxime placent.* De margaritis loquitur, de quarum immani pretio & res omnes superante luculentus est Tertulliani locus libro de habitu muliebri ex codice Agobardi ita legendus vel omnibus invitis ψευδωνύμοις gregalibus: *Nam tanto major fit concupiscentia, quanto magni fecit quod concupivit. De brevissimis loculis patrimo-*

A *nium grande profertur. Uno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum substantiarum usuram uno & muliebri corpusculo bajulare.* Hoc est, quod Manilius dixit, *censibus æquari conchas.* Incolæ novi orbis testantur in profundo marium locatas conchas, metu polyporum & aliarum maris beluarum, quæ inter eas versantur ab hominibus tutas esse, nec urinatores eo audere accedere propter periculum.

Gregatim natant, certus examini dux est.] Ita libri. Pro certo ac definito heîc tenendum tradit, quod quosB dam tradere ait Plinius: *quidam tradunt sicut apibus ita concharum examinibus singulis, singulas magnitudine ac vetustate præcipuas esse veluti duces, miræ ad cavendum sollertiæ.* Qui hæc prodidit de margaritis, is auctor est Megasthenes, ut scribit Arrianus in Indicis: καὶ λέγει Μεγασθένης θηρεύεσθαι τὴν κόγχην αὐτοῖς δικτύοισι· νέμεσθαι δ᾽ ἐν τῇ θαλάσσῃ κατ᾽ αὐτὴν πολλὰς κόγχας καθάπερ τὰς μελίσσας, καὶ εἶναι γὰρ καὶ τοῖσι μαργαρίτῃσι βασιλέα ἢ βασίλισσαν, ὡς τῇσι μελίσσῃσι. Is igitur est qui & retibus eas capi tradidit, quum reliqui omnes ab urinatoribus capturam earum fieri consentiant. Plinius utramque methoC dum confudit: nam ab urinantibus quoque capi, quæ retibus includuntur, dixit. Quod falsum. Sed ubique ille talis.

Illa si capta sit, etiam quæ evaserint in plagas revertuntur.] Quasi quæ semel captæ fuerunt, & plagis inclusæ, evadere inde possint, ut necesse sit iterum eas in retia redigere. Nihil tale Plinius, quem noster interdum sequi non vult, alias assequi non potest. Hæc verba ejus: *Has urinantium cura peti. Illis captis facile ceteras palantes retibus includi.* Duces concharum præcipuo studio petunt urinatores, quia illis captis ceteræ sine duce palantes facile in plagas incidunt. Arrianus D ex Megasthene: καὶ εἶναι γὰρ τοῖσι μαργαρίτῃσι βασιλέα ἢ βασίλισσαν, ὡς τῇσι μελίσσῃσι· καὶ ὅστις μὲν ἐκεῖνον κατ᾽ ἐπιτυχίην συλλάβοι, τοῦτον δὴ εὐπετέως περιβάλλειν, καὶ τὸ ἄλλο σμῆνος τῶν μαργαριτῶν· εἰ δὲ διαφύγοι σφᾶς ὁ βασιλεὺς, τούτῳ δὲ οὐκέτι θηρατοὺς εἶναι τοὺς ἄλλους. Ex Megasthene igitur hæc sumpsit Plinius quæ heîc narrat de ducibus margaritarum ac de illa captura quæ retibus fiebat. Sed urinantium ille non meminerat in eo piscationis genere. Et profecto ab urinatoribus captæ non videntur istæ, quas Megasthenes scripsit retibus includi solitas. Quid enim opus in profundum demergi ad eas piscandas conchas, quas plagæ incluserint? uriE natores manu eas capiebant, & petris adhærescentes avellebant. Unde & periculum sæpe non parvum incurrebant, quando manu temere in conchæ hiatum immissa & mordicus comprehensa abscissaque compressione conchæ sæpe revertebantur. Sed nec concharum examinis ducem de urinatore cum cura ac studio peti dixit Megasthenes: verum si forte in plagas incideret tum facile totum agmen retibus involvi, sin evaderet, nec reliquas capi posse: κατ᾽ ἐπιτυχίην fortunæ opus ac felicitatis indicat, non artis aut curæ. Sequitur apud Arrianum ex eodem MegastheF ne: τοὺς ἁλόντας δὲ περιορᾶν κατασαπῆναι σφίσι τὴν σάρκα, τῷ δὲ ὀστέῳ εἰς κόσμον χρῆσθαι. Sequitur quoque apud Plinium statim, ut appareat ex hoc ipso Megasthene esse: *multo deinde obrutas sale in vasis fictilibus erosa carne omni nucleos quosdam corporum, hoc est, uniones decidere in ima.* Megasthenes captas conchas sic sini ait in sua carne tabescere, ut nuclei inde extrahantur. Nihil de sale addidit. Et sane sal à putredine ac tabe carnes defendit, ut necesse sit proinde diutius durare, quæ salitæ sint. Puto aliud agentem Plinium ἁλόντας in verbis Græcis pro ἁλισθέντας, id est, salitas accepisse. Nihil verius. Sal contrarium efficeret ejus quod efficere stuG debant. Carnem quippe statim tabescere cupiunt, ut eximant nucleum. At eam sal conservat, nec statim erodit. Hodie expositas aëri conchas siccari permittunt, & pandi: atque inde lapillos exsculpunt. Plinius, qui ἁλισθέντας somniarat, cetera de suo adphilosophatus est. Cum enim semel præsumpsisset sale condiri solere, quæ consequentia essent adjecit de vasis fictilibus, & nucleo decidente in ima vasis. Etenim carnes saliri solebant in vasis fictilibus apud veteres. Relationes

lationes novi orbis testantur conchas quasdam margini aquæ ita propinquas reperiri, ut ad eas piscandas dimidii tantum femoris fine descendendum sit. Hæc sunt quæ retibus includi & capi possunt. Vagari enim eas intelligunt.

Pag. 61. D. *Ex Britannicis margaritis factum subjecta inscriptione testatus est.*] Ita scripsit auctor in editione recognita. In priore scripserat: *subjecta inscriptione intelligi voluit.* Ipsissima Plinii verba usurpaverat: *Quoniam Divus Julius thoracem, quem Veneri Genetrici in templo ejus dicavit, ex margaritis Britannicis factum voluerit intelligi.* Et sane in multis notavimus auctorem nostrum priorem illam suam editionem non tantum rebus, sed etiam verbis ipsis Plinianis totam instruxisse. In secunda de rebus nihil mutavit, verba pleraque immutavit dissimulandi furti gratia.

Habuisse tunicam ex margaritis sestertio tunc quadringenties æstimatam.] Nota tunc æstimatam. Ergo posterior longe Plinio Solinus. Quod etsi certissimum sit, duris tamen capitonibus contundendis ac convincendis nullum non opponendum argumentum. Atqui Plinius ipse vidisse testatur eam Lolliam Paulinam margaritis ea æstimatione taxatis opertam: *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caji principis Matrona, ne serio quidem aut sollemni cærimoniarum aliquo apparatu; sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritisque opertam altero textu fulgentibus, toto capite, crinium spira, auribus, colli monilibus, digitis: quæ summa quadringenties sestertium colligebat, ipsa confestim parata mancupationem tabulis probare.* Ita totus ille locus concipiendus constituendusque. Non solæ autem margaritæ pretium illud fecerunt, ut heic asserit Solinus, sed cum margaritis smaragdi. Nec tunicam illa Lollia ex margaritis eam summam colligentibus factam habuit, ut idem hoc loco affirmat, sed varia ornamenta in capite, collo, & digitis, ex margaritis & smaragdis contexta. Quod enim margaritis & smaragdis opertam dicit Plinius, non inde sequitur tunicam ex margaritis factam habuisse, ut somniavit Solinus. Quippe clare idem Plinius significat margaritas illas & smaragdos, quibus operta erat, toto capite gestatas, crinium spira, auribus, colli monilibus, ac digitis. De tunica altum silentium. Manilius:

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque.

Omnes corporis partes expressit, quæ gemmis ac margaritis ornari solerent. Ovidius:

Auferimur cultu, gemmisque auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.

Plinii ætate nulla tunicis aut vestibus mulierum gemmæ aut margaritæ inserebantur, quas postea luxus invexit. Pretiosissimæ tum vestes auro tantum intexi solebant, & segmentis aureis distingui. Ad sæculum suum respexit Solinus, quum tunicam Lolliæ Paulinæ ex margaritis factam adfinxit. Vestium gemmis ac margaritis consertarum mentio est in Historia Augusta. Πέπλοις καταμαργάροις vocat Constantinus Manasses margaritis opertas vestes:

Χρυσοφόρον, σίλβουσαν πέπλοις καταμαργάροις.

Vestis καταμάργαρος, margaritis cooperta insertis. Sic tectum κατακέραμον: & θύρσοι κατάκισσοι Anacreonti hedera tecti thyrsi. Ita κατάχρυσον & κατάχαλκον dicitur, & κατάργυρον, quod auro, argento, vel ære inductum est: & κατάκομον comatum, vel comosum. Ita porro accipiendæ sindones μαργαρίτιδες apud auctorem peripli maris rubri. Ἐν ἑνὶ περονάτῳ παρ' αὐτὴν τῆς Ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πιννικόν. Φέρονται γὰρ ἐξ αὐτῆς σίνδονες μαργαρίτιδες λεγόμεναι. Τὸ πιννικὸν, id est, margaritum ibi pertundebatur, unde fiebant tunicæ margaritides, hoc est, καταμάργαροι, margaritis consertæ. Ita nunc malo, quàm ex vellere pinnarum margaritarum textas, sicut olim volui.

Cujus parandæ avaritia.] Omnes libri: *cujus parandæ avaritiæ.* Nimirum author scripserat: *cujus parandæ avaritie.* Ἀρχαϊκὸν *avarities* pro avaritia. Perperam operæ excuderunt, *avaritiæ.* Mox in omibus libris habetur, *pater ipsius M. Lollius*: non, ut ex Plinio correxerunt, *avus ipsius.* Nec avum, nec patrem Lolliæ illum Lollium nominat, sed neptem hanc Lolliam illius Lollii vocat. *Neptis* & *nepos* de omnibus descendentibus Latine dicitur. Non ambiguum quidem habuerim, quin vere neptis fuerit Lollia illi M. Lollio, de quo loquitur Plinius. Sed nec dubito hanc Solini hallucinationem esse aut errorem voluntarium, qui patrem pro avo nominavit consulto consilio, ut ne crederetur à Plinio id habere. Quod illi perpetuum ac sollemne est.

Spoliatis orientis regionibus.] In priore ἐκδόσει posuerat: *spoliatis regibus orientis.* Ex Plinio: *Hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente interdicta amicitia à Cajo Cæsare Augusti filio venenum biberet.* Sed altera etiam illa scriptura recentis ἐκδόσεως auctore nititur Plinio ac rei veritate: *sed avitæ opes provinciarum spoliis partæ.* Hinc correxit in δευτέρᾳ, *spoliatis orientis regionibus.*

Offendit Cajum Cæsarem.] Nullus liber est paullo antiquiore manu descriptus, in quo non legatur: *offendi speravit Cajum Cæsarem.* An *sperare* heic pro metuere posuit. Hoc sensu ubique ab Ammiano positum legere est. Lib. XVI. *Quod Constantius impendio timidus, semper se feriri sperabat.* Et lib. XXX. *Ausura novum quoddam in tempore sperabantur*, id est, timebantur. Et alibi, *extremas spes opperiens*, pro extremos metus. Et apud Poëtam:

---- si tantum potui sperare dolorem.

Ita Græci ἐλπίζειν. Atqui Lollius non solo metu ne Cajum Cæsarem offendisset, mortem sibi conscivit, sed revera offendit, & interdicta amicitia principis venenum hausit. Plinius. Præterea scimus notatione antiquarii in priore editione Solini lectum fuisse *asperavit* pro *offendit.* Utraque deinde scriptura in textum recepta *offendit asperavit.* Postea correctores ex ea fecerunt, *offendi speravit.* Hoc verissimum. Scripserat igitur in priore ἐκδόσει, *asperavit Cajum Cæsarem Augusti filium.* Latina autem loquutio *asperare* & *exasperare aliquem*, pro asperum sibi & infensum reddere.

CAPUT LIV.

Itinerarium Indicum. Sinus Persicus, & Arabicus. Azanium mare.



PAg. 61. E. *Ab insulensi, ut consequens est, ad continentem.*] Non dubitavimus hanc conjecturam nostram in editionem recipere, quia indubitata visa est, & digna quæ restitueretur pro germana lectione, expulsis somniis correctorum. Antiquitus editi legunt: *ab insula Ausea.* Quibus concinunt & veteres quidam scripti. Notat Delrius suum codicem habere: *ab insula Lusæ.* Quomodo correxerit, ipsius editio testatur. In optimis ac vetustissimis codicibus ita concipitur: *ab insula ensea ut consequens est ad continentem.* Inde bella, sed certa emendatione legimus: *ab insulensi, ut consequens est, ad continentem.* Igitur à Taprobane in Indiam revertamur. Ἀπὸ τοῦ νησιωτικοῦ εἰς τὴν ἤπειρον. *Insulense* ab insula; ut *stagnense* à stagno: *circense* à circo: *forense*, a foro, & similia. Insulæ semper opponuntur continenti. De insula superiori capite tractavit. Hinc transit ab insulensi ad continentem, id est, à Taprobane in Indiam revertitur. Apulejus de Mundo: *Nec sum nescius plerosque hujus operis auctores terrarum orbem ita divisisse: partim ejus insulas, partim vero continentem vocari.* Sequentia quoque sic emendata à nobis fuere, libris auctoribus: *Sed si in his aut urbibus, aut nationibus resistamus, egrediemur repromissæ concinnitatis modum.* In editionibus erat: *sed si in Indicis aut urbibus, aut nationibns insistamus, egrediemur propositæ concinnitatis modum.* Quæ nec mutanda censuissem, nisi libri auctores fuissent. *Resistere* usitatum

tatum nostro, pro gradum figere, & in aliquo loco morari. Supra: *fluctus ingrui resistunt*. Ubi vide quæ notamus. *Repromittere* autem pro simplici promittere & huic & aliis frequens.

Pag. 61. F. *Proximam Indo flumini urbem habuere Capissam.*] Quidam libri, *Caphusam*. In aliis: *Caphisam*. Plinius *Capissam* vocat. Sed in antiquis codicibus nominatur *Capisa*, & regio *Capisene*. Quod verum est. Ptolemæo Κάπισα dicitur, & locatur in Paropanisadarum regione. Plinii verba sic corrigenda veniunt: *a proximis Indo gentibus montana. Capisene habuit Capisam urbem, quam diruit Cyrus*. Alia est *Capersana* vel *Capessana* Ammiano ad Euphratem. Alia item *Comisene* regio inter satrapias regni Parthici apud Isidorum Characenum. Ita enim in indice: Κομισίνης σχοῖνοι νη. Ὑρκανίας σχοῖνοι κέ. At in libro ipso nulla Comisenes mentio. Latet igitur sub mendo sic eruenda: ἐντεῦθεν Κομισινὴ σχοῖνοι νη: ἐν ᾗ κῶμαι η: ἐν αἷς σταθμός, πόλις δὲ οὐκ ἔστιν. In vulgatis scribitur: ἐντεῦθεν κώμη Σίνιον. Ptolemæo Κομισήνη inter regiones Parthiæ recensetur. Male autem hoc loco Solinus proximam Indo flumini Capisam facit, quod Plinius non dicit. A proximis Indo gentibus eam ponit. Ergo post proximas Indo gentes, nec una de proximis. *Proximam*, inquit Solinus, *Indo flumini urbem habuere Capisam*. Quinam habuere? Indi scilicet. Nam de his sermo est, ac de Indicis urbibus. Atqui Capisa cis Indum, quo terminatur ad occidentem India, præterea longe ab Indo flumine. A proximis Indo gentibus montana esse scribit Plinius. In his montanis *Capisene* regio à *Capisa* urbe. Non tamen Indo proxima. Corrigendus Arrianus in Indicis, in hujus urbis nomine. Nam male Σαβίσσα pro Καπίσα aut Κάπισα scribitur: Σόαμος δὲ ἐκ τῆς ὀρεινῆς τῆς Καπίσα ῥέων, ἔρημος ἄλλως ποταμὸς ἐκδιδοῖ εἰς αὐτόν. In fluvium Indum exonerat ille Soamus, qui ex Capissæ montanis oritur. Montanam esse Capisenem etiam Plinius testatur.

Arachosiam Erumando flumini impositam Semiramis condidit.] Ita repositum ex fide optimi ac vetustissimi codicis regii. In aliis: *Erumantho*. Vinetus edidit *Hermando* ex Plinio, cujus vulgati libri sic præferunt. Scripti habent *Ermando* absque adspiratione. Quidam *Erimanto*. Alii *Erymado*. Delrius edidit: *Arachosiam Arachoto flumini impositam*. Plane contra librorum omnium auctoritatem. Verum quidem est ex Plinii sententia Arachosiam urbem Arachoto flumini impositam esse, sed minime hoc voluit Solinus, qui eam Erumando imposuit alteri fluvio ejusdem regionis Arachosiorum. Verba Plinii sic legenda: *Arachosia cum flumine & oppido ejusdem nominis, quod quidam Cophen dixere à Semiramide conditum*. Perperam editur: *cum oppido & flumine ejusdem nominis, quod quidam Cophena dixere*. Falsum est flumen Arachoton quibusdam vocitatum fuisse Cophen. Diversi quippe fluvii Κωφὴν, vel Κωφῆς, & Ἀράχωτος. De oppido Arachoto id tradit Plinius, quosdam *Cophen* illud appellasse. Libri Pliniani, quos vidi, scribunt *Cutim*. Sunt qui asserant in veteribus esse, *Phoclin*, eamque scripturam defendunt auctore Ptolemæo, qui inter Arachosiæ urbes recenset Φωκλίδα. Sed advertere illi debuerunt eumdem Ptolemæum in eadem Arachosiorum provincia Ἀράχωτον urbem diversam à Phoclide ponere. Non igitur Arachotos ab aliis dicta *Phoclis*. Vera est lectio *Cophina*, id est, Κωφῖνα. Stephanus: Ἀραχωσία πόλις οὐκ ἄπωθεν Μασσαγετῶν, ὑπὸ Σεμιράμεως κτισθεῖσα, ἥτις καὶ Κωφὴν ἐκαλεῖτο: οἱ πολῖται Ἀραχώσιοι, τῆς δὲ Κωφῖνος Κωφίνιοι. Ceterum hæc Arachosia urbs, quæ & *Cophen* cognominata, longe à flumine Cophete, vel Cophene aberat, nec inde potuit cognomen nancisci. Dicebatur & Ἀράχωτοι hoc oppidum. Strabo lib. XI. Εἶτα εἰς Ἀραχωτοὺς τὴν πόλιν πεντακισχιλίους ἑκατὸν εἴκοσι. Stephanus: Ἀράχωτοι πόλις Ἰνδικῆς ἀπὸ ποταμοῦ Ἀραχώτου ῥέοντος ἀπὸ Καυκάσου ὡς Φασβωρῖνος. Ptolemæo dicitur Ἀράχωτος, qui fluvium non nominat, sed Arachosiam dicit perflui amne qui ab Indo derivatur, & paludem efficit nomine Ἀράχωτος κρήνην. Forte legendum Ἀραχώτου κρήνην. Ex ea palude, ut apparet, oritur flumen Arachotus, utpote quæ fons Arachoti censeatur. Ammianus sequitur Ptolemæum heîc ut in aliis. Sic enim scribit de Arachosia: *quam ab Indo fluviorum maximo,*

A *unde regiones cognominatæ sunt, amnis multo minor exurgens aquarum alluit amplitudine, efficitque paludem Arachotoscrenem appellatam*. Et heîc legendum Ἀραχώτου κρήνην. Amnem ex Indo exsurgentem Arachosiam alluere dicit. Hoc est, quod ait Ptolemæus: ἐμβάλλει δὲ εἰς τὴν χώραν ποταμὸς, ἀπὸ τοῦ Ἰνδοῦ ἐκτρεπόμενος. Non potest heic esse Arachotus amnis, nam efficere dicitur paludem, quæ fons est Arachoti. Is erit ergo *Erumandus* Plinii, qui Arachosiam etiam alluit. Hic ex Indo deflexus sub Erumandi nomine in Arachosiam labitur, ubi ingenti palude creata, quæ Ἀραχώτου κρήνη appellatur, mox inde egressus Ἀράχωτος fluvius nominatur. Sed de Erumando paulo post. Stephanus Ἀραχωσίαν urbem

B prope Massagetas collocat, quam Semiramis condidit, quæque Κωφὴν cognominata est. Atqui ea est ipsa Arachosia Plinii Indiæ vicina & longe à Massagetis dissita. Idem Stephanus duplices Ἀραχωτοὺς facit, alteros Indicos à flumine Arachote, qui de Caucaso descendit: alteros Massagetis vicinos: εἰσὶ καὶ ἄλλοι πλησίον Μασσαγετῶν ὡς Στράβων ἑνδεκάτῃ. Certe Strabo lib. XI ex Eratosthene quosdam Arachotos vicinos facere Massagetis videtur. Φησὶ δ' Ἐρατοσθένης τοὺς Ἀραχωτοὺς καὶ Μασσαγέτας τοῖς Βακτρίοις παρακεῖσθαι πρὸς δύσιν παρὰ τὸν Ὦξον. Ita legendum ex veteribus libris. Verum profecto est Mas-

C sagetas ab occidente Bactrianis adjacere ad flumen Oxum. Quod si ibi quoque Arachoti, longe utique diversi ac divisi fuerint ab Arachotis Indicis vel Indiæ proximis. Sequitur apud Strabonem: καὶ Σάκας μὲν καὶ Σογδιανοὺς τοῖς ὅλοις ἐδάφεσιν ἀντικεῖσθαι τῇ Ἰνδικῇ, Βακτρίους δὲ ἐπ' ὀλίγον, τὸ γὰρ πλέον τοῦ Παροπαμίσου παρακεῖσθαι. Sic scribendum ex veteribus. Nam Sacæ & Sogdiani totos fines suos Indiæ contraversos habent. At Bactriani exigua tantum sui parte Indiæ oppositi sunt, qui fere toti Paropaniso adjacent. De Arachotis illis Scythicis ac Massagetarum vicinis nihil alibi legi. Quin immo idem Strabo paulo post, ubi ex eodem Eratosthene

D intervalla recenset itineris, quo Alexander Magnus Indiam petiit, Ἀραχωτῶν meminit, qui alii sunt. Εἶτα εἰς Προφθασίαν τὴν ἐν Δραγγῇ χιλίους χ. εἶτα εἰς Ἀραχωτοὺς τὴν πόλιν πεντακισχιλίους ἑκατὸν εἴκοσιν. Hi Arachoti ab oriente Indiam, ab occidente Drangianos habuere. Idem Strabo lib. XV gentes illas omnes, & earum situm ex Eratosthene describens, non alios Arachotos commemorat præter Indicos: πολλὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰς τὴν μεσόγαιαν ἀνέχουσα, καὶ ἡ Γεδρωσία μέχρι τοῦ συνάψαι Δράγγαις τε καὶ Ἀραχωτοῖς, καὶ Παροπαμισάδαις, περὶ ὧν Ἐρατοσθένης οὕτως εἴρηκεν: οὐ γὰρ ἔχομέν τι βέλτιον εἰπεῖν περὶ αὐτῶν. Puto igitur hac in parte

E aut Eratosthenis, aut ipsius Strabonis codices mendosos fuisse, ubi Arachoti cum Massagetis ut collimitanei nominantur. Καράται ibi recenset Ptolemæus, pro quibus fortasse Ἀράχωτοι irrepsere. Plinius *Arachosios* & *Arachotas* videtur distinguere his verbis: *per Abestem Arachosiorum, proximos his à meridie ad partem Arachotarum faciunt Gedrosos*. Manifesto separat Arachotas ab Arachosiis. Sed Arachosios Arachosiæ urbis incolas & circumjacentes populos appellat: *Arachotas* totam satrapiam, cujus partem fecere Arachosii. Sic *Arii* & *Ariani* diversi, *Parthi* & *Parthyeni*. Idem cap. XX. *Sed*

F *adjiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas*. Hæ sunt quatuor Satrapiæ, quas in hunc locum distulerat, de quibus heîc ait, capite nempe XXIII. Sed hoc loco nulli Arii nominantur, quum Arachotas, Gedrosos, & Paropamisadas recensuerit. Eruendi igitur desub menda, in qua delitescunt: *proximos his à meridie ad partem Arachotarum faciunt Gedrosos, & à septentrione Paropanisadas. Cartana oppidum sub Caucaso, quod postea Tetragonis dictum. Hæc regio est ex adverso Bactrianorum, deinde cujus oppidum Alexandria à conditore dictum*. Hæc imperfecta esse nemo non videt, nec

G sensum efficere integrum. Paropamisadæ quidem ex adverso Bactrianorum, sed nulla in Paropamisadis Alexandria. Libri nihil mutant excepto quod habent, *exadversum* pro *ex adverso*. Quod vocabulum non uno loco vidisse memini in illo auctore corruptum. Scribe igitur: *Hæc regio est exadversum Bactrianos. Aria deinde, cujus oppidum Alexandria a conditore dictum*. Sic supra: *Exadversus fontes Indi*, ut ibi correximus. Aria proxima Paropamisadis, cujus oppidum Alexandria ἐν Ἀρίᾳ cognominatum. Quod mox tamen in Ariana recenset,

ex

ex alio auctore confundente Ariam Satrapiam cum Ariana regione. Ariana regio Ariam complectebatur, & alias præterea Satrapias. Nam & Arachosia in Ariana censebatur. Alii tamen, ut supra notavi, confudere Arianam cum Aria. De Erumando, vel Erymando nunc videamus. Impositam huic flumini Arachosiam urbem fuisse dicit Solinus, sed more suo solens à Plinio divertit, & rem falsam narrat. Erumandus quidem in Arachosiorum regione ponitur à Plinio, sed diversus ab Arachoto, cui imposita Arachosia: *Amnis Erymandus præfluens per Abesten Arachosiorum.* Liber scriptus Rigaltianus legit: *Parabesten.* Ita legendum: *præfluens Parabesten.* Ut nomen sit urbis Arachosiorum. Βαρτιῆτας in Arachosia recenset Ptolemæus. Forte ergo heîc rescribendum apud Plinium, *Bartietin*, τὴν Βαρτιῆτιν, Bartietarum regionem. *Præfluere urbem* aut regionem dicitur amnis qui eam alluit, non autem *præfluere per regionem.* Græci dicunt παραῤῥεῖν. Plinius paulo post: *Arius amnis, qui præfluit Alexandriam ab Alexandro conditam.* Ἐτύμανδρος amnis memoratur Arriano per Euergetarum regionem fluens, de quo dubito an hic sit *Erymandus* Plinii. Euergetæ illi vicini sunt Drangis. Nam ab eorum regione in Drangianam transiit Alexander, quum Bactra peteret. Ab Ariis Euergetas, ab Euergetis ad Drangas processit. Strabo etiam Arachotis vicinos constituit lib. xv. Εἶτ' ἐκ Δραγγῶν ἐπὶ τε τοὺς Εὐεργέτας ἧκεν, οὓς ὁ Κῦρος οὕτως ὠνόμασεν, καὶ τοὺς Ἀραχωτούς. Isti Euergetæ olim dicebantur Ἀριάσπαι, ut Arrianus de expeditione Alexandri & Curtius testantur. Immo puto Ἀριάσπας vocatos, non Ἀριάσπας. *Ariaspæ* ab urbe Ariaspa, quam in Drangiana locat Ptolemæus. Drangiana autem Arachosiæ ad orientem vicina. Urbs autem *Ariaspa* sita in confinio Drangianæ & Arachosiæ. Hi sunt Ariaspæ, quorum oppidum *Prophthasiam* esse tradit Plinius, quam in Drangiana ponit Ptolemæus. *Prophthasia oppidum Ariasparum, Drangæ, Argetæ.* Ita legendum, non *Zarasparum.* Alii *Zariaspæ* populi in Bactriana à Ptolemæo ponuntur. Ab Etymandro illo amne Ἐτυμανδροι, ut videtur, populi eidem Ptolemæo in Aria memorati, quæ Ariorum regio à meridie collimitat Drangianæ. Nullus itaque dubitarim, quin Ἐτύμανδρος ille sit Plinii *Erymandrus.* Arachosiorum autem urbs, quæ Plinio vocatur *Arachosia*, aliis Ἀραχωτὸς in Alexandropolim mutata videtur teste Isidoro Characeno, qui Alexandropolim facit Arachosiæ metropolim, Arachoto amni appositam. Εἶτα Ἀλεξανδρόπολις μητρόπολις Ἀραχωσίας. Ἔστι δὲ Ἑλληνὶς καὶ παραῤῥεῖ αὐτὴν ποταμὸς Ἀραχωτός. *Et eam præfluit amnis Arachotus.* Ptolemæus Alexandriam in Arachosia recenset, quæ est Isidori Ἀλεξανδρόπολις, sed diversam eam statuit ab oppido Arachoto. Sed talis in ceteris Ptolemæus. Sic Astacum & Nicomediam simul agnoscit in Bithynia, cum extante Nicomedia nulla fuerit Astacus: postquam Astacus cœpit esse, nulla extiterit Nicomedia. Quod etiam in aliis multis fecit. Sic *Bactra* & *Zariaspa* diversas urbes fecit, quæ sunt eædem. Vetus illud nomen, hoc recens. Curtius Arachosiorum regionem ad mare Ponticum pertinere scribit: nescio quid aut quem sequutus lib. VII. *Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare pertinet, subegit.* Forte in Græco scriptore legerat, μέχρι πόντου παρήκειν regionem Arachotorum, qui de mari Indico intelligebat. Ille Πόντον speciali appellatione pro mari Pontico acceperit. Arrianus sæpe πόντον vocat Indicum mare. Ut de Indo amne, quem εἰς πόντον εἰσβάλλειν dicit, id est, in mare Indicum. Non tamen Arachoti usque ad illud mare pertinent. Gedrosi in medio.

Cadrusia oppidum ab Alexandro Magno ad Caucasum constitutum.] Plinio *Cadrusi.* Arriano Γαδρωσία dicitur regio, quæ aliis Γεδρωσία, Polyhistori Κεδρωσία. Sed longe ab hac Cadrusia illa Gedrosiorum regio. Nec *Cadusii* populi huc pertinent. Nomen populi esse *Cadrusos* apud Plinium, non oppidi persuasum habeo. Distinctio male posita fefellit heîc Solinum. Sic enim interpungendum in verbis Plinii: *Dangulæ, Parapianæ, Cantaces, Mazi ad Caucasum, Cadrusi, oppidum Alexandro conditum.* Per oppidum Alexandro conditum intellexit Alexandriam sub Caucaso, quam Alexander construxit in radicibus Caucasi, quum pararet

A monte eo superato in Bactrianam pergere. Sequitur heic apud Solinum: *Ubi Alexandria quæ patet amplius stadia triginta.* De hac eadem Alexandria ad Caucasum hoc scripsit. Atqui Plinius unde habet, de Alexandria in Ariis id prodidit, quæ non est ad Caucasum. De Ariana regione sic loquitur: *Arius amnis, qui præfluit Alexandriam Alexandro conditam. Patet oppidum stadia.* Solinus hanc Alexandriam ad Caucasum statuit, magno errore. Nam illa alia est. Melius autem veteres codices hoc loco legunt: *quæ patet amplitudinis stadia triginta.* De circuitu id accipiendum.

Multa alia sunt, sed hæc cum eminentissimis.] Immo
B non minus eminentia, quæ omisit.

Post Indos montanas regiones Ichthyophagi.] Hæc falsissima, sed Solino digna, qui hoc unum professus in isto opere videtur, ut verum nunquam diceret. Nec montanas regiones tenent Ichthyophagi, nec eas quæ post Indos sunt. Nam maritimam oram Persici sinus accolunt, & longe ab Indis distant, vicinosque habent Carmaniæ populos, & ipsos sinui Persico prætentos. Nusquam sane hoc Plinius prodidit montanas regiones post Indos ab Ichthyophagis teneri. Plinii verba consideranda, nam & ille multum heic turbat: *Alii Gedrosos, & Scyros posuere per* CXXXIIII. P. *Mox*
C *Ichthyophagos Oritas propria non Indorum lingua loquentes per* CC. *Ichthyophagos omnes Alexander vetuit piscibus vivere. Inde posuere Arbiorum gentem per* CC. P. *Ultra dein Carmania ac Persis & Arabia.* Hunc locum isto plane ordine & modo concipiunt veteres libri. Sed quinam illi *Scyri*, quos Gedrosis conjungit Plinius. Liber vetus legit *Syros.* Scribendum ajo, *Oros.* Eos quoque Arrianus cum Gedrosis nominat lib. VI. Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Νέαρχος περιπλεύσας τήν Ὤρων τε καὶ Γαδρωσῶν γῆν καὶ τῶν Ἰχθυοφάγων, κατῆγεν εἰς τῆς Καρμανίας τὰ πρὸς θάλασσαν ᾠκισμένα. Plinius etiam Oros illos paulo post agnovit,
D ubi circumvectionem Nearchi sigillatim exponit: *Origens; flumen Carmaniæ Hytanis.* Ab urbe *Ora* videntur appellati, cujus meminit idem Arrianus lib. IIII. Ἐς τὰ Ὦρα τὴν πόλιν. Ptolemæo dicitur Ora, & in Carmania ponitur. Ab Ὦρα Ὦροι, ut à Palibothra *Palibothri,* & similia. Quinimmo & Ὠρείτας ab illo oppido Ὦρα denominatos verisimile est. Nam ab eodem prototypo Ὦροι & Ὠρεῖται. Eos vicinos Gedrosis facit idem Arrianus lib. VI. Προῄει ὡς ἐπὶ τὰ ὅρια τῶν τε Γαδρωσῶν καὶ Ὠριτῶν. Apollodorus apud Stephanum:

Ἔπειτα δ' Ὠρείτας τε καὶ Γεδρωσίους
Οὐκ ἴσμεν Ἰνδοὺς τοὺς ἐνοικοῦντας πέραν
Ἀρβιος.

E Sed & ipse Arrianus loco supra citato, Ὤρων τε καὶ Γαδρωσῶν γῆν, Oros pro Oritis nominavit. Ptolemæus nusquam mentionem habet Oritarum, licet Oræ oppidi meminerit. Oritas ab Arbiis separabat flumen Arbis. Oritæ Gedrosis & Carmanis, sed & Ichthyophagis vicini. Horum quippe alii ad mare colebant, alii intus, quos τοὺς ἄνω Ὠρείτας indigetat Arrianus. Male Ὠρεῖται scribuntur apud Strabonem & Arrianum, cum debeant esse Ὠρεῖται. At Ὠρεῖται dicuntur ab Oreo urbe Euboeæ, quos πετρασυλλάδως extulit Apollodorus: τῶν Ὠρειτῶν νυκτὸς αἱροῦσιν πόλιν. Ar-
F rianus lib. IIII Βαγίσαρα urbem memorat haud longe ab Ὤρα. An ea est, quam in Indicis Πασιρὰ vocat, quam in ora Ichthyophagorum statuit. Λιμὴν τε ἐστὶν αὐτόθι εὔορμος, καὶ κώμη Πασιρὰ, ἀπέχουσα ἀπὸ θαλάσσης ἑξήκοντα σταδίους, καὶ οἱ περίοικοι αὐτῆς Πασιρέες. Corrigendus in hac voce Plinius, qui hos *Pasiras* circa flumen Tuberum collocat, quos male *Pariras* vocant ejus editiones: *flumen Tuberum navigabile, circa quod Pasiræ. Deinde Ichthyophagi tam longo tractu,* &c. Nomen etiam fluminis corruptum. Libri veteres scribunt *Tormerium.* Lego:
G *Tomerum.* Arrianus in Indicis de Navarchi navigatione, quam Plinius eo loco describit: Τόμηρος ὄνομα τῷ ποταμῷ. Satis longe tamen ab eo fluvio *Pasiras* ponit. Ptolemæo metropolis Gedrosiæ recensetur Πασιρά. Sic enim corrigendum pro Παρσίς. Inde Πασιρηνὴ regio interior Gedrosiæ, quæ perperam in ejus libris vocatur Παρσιηνή. Plinius, ut ad eum tandem redeamus, *Ichthyophagos Oritas* vocat. Atqui omnes auctores, qui eumdem periplum Nearcheæ navigationis prosequuti sunt, Ichthyophagos ab Oritis separant. Strabo: Εἶτ' Ὠρεῖται

Ὠρεῖται ἔθνος αὐτόνομον: τούτων ἡ ὁ παράπλους χιλίων ὀκτακοσίων. Ὁ δὲ τῶν ἑξῆς Ἰχθυοφάγων ἐπτακισχίλιοι πεντακόσιοι. Arrianus quoque post Oritas ponit Ichthyophagos. Ejus Indica vide. Sed nos videamus Pliniana: *Alii Gedrosos & Oros posuere* CXXXIIII. P. *Mox Ichthyophagos Oritas propria, non Indorum lingua loquentes.* Separat Oros ab *Oritis*, quos eosdem videri ante docuimus. Ex diversis auctoribus hæc compilavit, ideo & diversos fecit. Post Oritas mediterranea intus incolere Gedrosos narrat Arrianus: infra Gedrosos autem ad mare tenere Ichthyophagos. Oritas ille cum Ichthyophagis junxit, & Oros ab his sejunxit. Gedrosos & Oros per CXXXIIII milia passuum incolere dicit. Hoc convenit cum Strabonis numero, qui Oritarum παράπλουν facit stadiûm mille supra octingenta, quæ ducenta cum quadraginta reddunt milia passuum. Arrianus χιλίους καὶ ἑξακοσίους ponit. Gedrosis autem Oritæ vicini. Hinc constat Oros eosdem cum Oritis esse. Etenim parem stadiasmum littora amborum occupant. At iidem diversi ab Ichthyophagis, in quorum demetienda ora maritima fallax computatio librorum Plinii, quæ per ducenta milia passuum eorum regionem patere scribit. Strabo ἑπτακισχιλίους πεντακοσίους stadios tribuit illorum παράπλῳ, hoc est, decies centena milia passuum minus tredecim miliaribus cum duobus stadiis ac dimidio. Arrianus μυρίους σταδίους Ichthyophagorum oram ex Nearcho porrigi tradit longe immaniore numero. Plinius paulo post narrat Ichthyophagorum littus tam longo tractu extendi, ut viginti dierum spatio præternavigatum sit. Idem Plinius Arbiorum gentem per CC milia passuum tenuisse prodit. Strabo mille stadiûm oram habere Ἀρβίας prædicat, hoc est, centum ac triginta tria plus minus milia. Eumdem habet numerum Arrianus. Quod autem Ichthyophagos Oritas memorat idem Plinius, propria, ac sua, non Indorum lingua loqui, hoc de Oritis, non de Ichthyophagis prodiderunt antiqui. Arrianus in Indicis de Oritis: γλῶσσα δὲ ἄλλη αὐτοῖσι καὶ ἄλλα νόμαια. Ideo nec Indis adnumerabantur. Arbis fluvius eos ab Arbiis populis ad orientem disterminabat, & Indiam simul finiebat. Nam hactenus Indi. Ipsique Arbii pars Indorum. Post Arbios trans Arbim amnem Oritæ colebant ad occidentem, qui non amplius Indi, utpote diversis moribus & lingua utentes. Strabo: οἰκοῦσι δὲ Ἄρβιες πρῶτον ὁμώνυμοι ποταμῷ Ἄρβει τῷ ὁρίζοντι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἑξῆς Ὠρειτῶν. Ἰνδῶν δὲ ἐστὶ μέρεις καὶ αὕτη. De Arbiis loquitur, non de Oritis. Hinc Plinius Oritas ab Indis Arbi fluvio dividi ait. Ergo Indi Arbii, non etiam Oritæ. Apollodorus:

> Ἔπειτα δ᾽ Ὠρῖτάς τε καὶ Γεδρωσίους
> Οὐκ ἴσμεν Ἰνδοὺς ὡς ἐνοικοῦντας πέραν
> Ἄρβιος.

Mirum tamen Arrianum in expeditione Alexandri lib. VI Oritas Indis accensere: καὶ ἅμα ὡς τοῖς Ὠρίταις τοῖς ταύτῃ Ἰνδοῖς αὐτονόμοις ἐκ πολλοῦ ἐστιν ἄφνω ἐπιπεσεῖν. Sed puto legendum: Ὠρίταις καὶ τοῖς ταύτῃ, Ἰνδοῖς αὐτονόμοις. Ut Arbias intelligat Oritis vicinos. Idem quippe in Indicis Arbias populos ultimos Indorum esse ait. Quod si verum est, non Oritæ inter Indos: μέχρι μὲν δὴ Ἀρβίες ἔσχατοι Ἰνδῶν, ταύτην ᾠκισμένοι. Τὰ δὲ ἀπὸ δὴ Ὠρῖται ἐπεῖχον. Sic autem scribendum, non Ἀράβιες. Ipsi etiam αὐτόνομοι ut & Oritæ. Ἄρβιας istos Ἀράβιας indigetant vulgatæ Arriani editiones in Indicis: μῆκος δὲ παράπλου παρὰ μὲν χώρην τὴν Ἀραβίων ἐς χιλίους μάλιστα σταδίους. Melius: Ἀρβίων. Et apud eumdem lib. VI fluvius Ἄρβις vocatur Ἀράβιος pro Ἄρβιες, ἔς τε μὲν ἐπὶ τὸν ποταμὸν Ἀράβιον ξὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ προυχώρει. Melius: ἐπὶ τὸν ποταμὸν Ἄρβιν. Item in Indicis: ὃ γὰρ Ἀράβιος ἐκβολαὶ ἀναμεμιγμέναι τῷ πόντῳ ἦσαν. Rectius: ὃ γὰρ Ἄρβιος. Et lib. VI expeditionis: Ἀραβῖται μὲν δὴ ἔθνος, καὶ ὅτι αὐτόνομον τῶν περὶ τὸν Ἀράβιον ποταμὸν νεμόμενον. Lege: Ἀρβῖται, & περὶ τὸν Ἄρβιον. Nam Ἀρβῖται etiam dicebantur & Ἄρβιες. Stephanus: Ἄρβις ποταμὸς τῆς Ἰνδικῆς: ἔθνος Ἄρβιες ἢ Ἀρβῖται. Ptolemæo in Gedrosia ponuntur Ἀράβιος ποταμοῦ ἐκβολαί. Forte corrigendum, Ἄρβιος. Certe de hoc Arbi intelligendum. Ἄρβις πόλις ibidem recensetur ab his populis. Ἀρβιτῶν κῶμαι. Marciano Heracleotæ in periplo Gedrosiæ vocantur Ἀραβιτῶν κῶμαι pro Ἀρβιτῶν. Ἐνταῦθα κεῖνται αἱ τῶν Ἀραβιτῶν κῶμαι. Apud eumdem eodem loco Ἄρταβις ποταμὸς pro Ἄρβις bis terve

A cum vitio nuncupatur. Mentio ibidem & Ἄρβιος πόλεως. Ἀρβῖτα ὄρη debent esse Ἀρβιτῶν κῶμα. Quin & Ἀρβῖται ὄρη eadem provincia nomen inde sumpserunt, ab illis nempe populis Arbiis. Ἀριβες pro Ἄρβιες dicuntur Dionysio:

> Ἤτοι μὲν δύοντος ἐπὶ κλίσιν ἠελίοιο
> Ὠρίτας τ᾽ Ἀριβάς τε λινοχλαίνους δ᾽ Ἀραχώτας.

Vetus hoc mendum heic sedem sibi fixit. Nam scripsisse auctorem certa fides est:

> Ἀρβίας Ὠρίτας τε λινοχλαίνους δ᾽ Ἀραχώτας.

Nec moror, quod vulgatam lectionem in sua paraphrasi videntur agnoscere Avienus & Priscianus. Certe ille etiam Ἀπύρους pro ταπύρους vitiosam lectionem agnovit,
B & Δερκεβίους pro Δερβικίους. Dionysius sequitur ordinem locorum quem tenuit Alexandri classis sub præfectis Nearcho & Onesicrito, quæ ab Indi ostiis totam oram maris Indici præternavigavit usque in Carmaniam & Persidem. Scripturam tamen hanc Ἀράβις pro Ἄρβις de illo fluvio, & Ἀραβῖται pro Ἀρβῖται etiam agnoscit Stephanus, ut veterem esse liqueat: Ἄραβις ποταμὸς Ἰνδικῆς ἐν αὐτονόμῳ χώρᾳ, περὶ ὃν οἰκοῦσιν Ἀραβῖται ὡς Ὠκεανῖται. Sed more suo hanc Ἄραβιν facit diversum ab illo Ἄρβει, cujus paulo post sequitur apud eumdem mentio, cum populis Arbitis: Ἄρβις ποταμὸς Ἰνδικῆς: ἔθνος Ἄρβιες ἢ Ἀρβῖται. Atqui idem est Ἄρβις
C & Ἄραβις. Ἀρβῖται & Ἀραβῖται. Ab Indo versus occidentem navigantibus & oram legentibus, occurrunt Arbies primum populi, deinde Oritæ, postea Ichthyophagi, mox Carmania & Persis. Ita Strabo, Arrianus, & alii qui ex Nearcho navigationem illam ac περίπλουν classis Alexandri descripserunt. At Plinius præpostero ac perverso ordine in ea circumvectione commemoranda Gedrosos & Oros primos nominavit, deinde Ichthyophagos Oritas, postea Arbias populos: *Deinde*, inquit, *Carmania & Persis.* Quod si ab occidente versus orientem voluit pergere contrario cursu, Persis & Carmania primo loco ei fuere nominandæ, mox
D Ichthyophagi & Gedrosia, deinde Oritæ, postea Arbies, postremo Indus amnis & Patalene inter Indi ostia. At classis Alexandri ab Indo in Carmaniam & Persidem circumvecta est. Hunc cursus ordinem sequuti sunt omnes antiqui geographi. Inter quos & Dionysius memoratis Indi fluminis geminis ostiis & insula Patalene in occidentem regreditur, ac recenset Arbias & Oritas & Arachotas. Apollodorus quoque hoc ordine processerat in illis gentibus enumerandis, ut ex his constat versibus:

> Ἔπειτα δ᾽ Ὠρίτάς τε καὶ Γεδρωσίους
> Οὐκ ἴσμεν Ἰνδοὺς ὡς ἐνοικοῦντας πέραν
> Ἄρβιος.

E Versibus, qui præcessere, Indum fluvium & Arbias populos Indo proximos recensuerat, deinde Oritas & Gedrosos memorat, quos Indos non esse tradit, quia trans Arbim incolunt, qui amnis Indiam terminat. Ab Indo venientibus contra occidentem Oritæ & Gedrosi trans Arbim siti sunt: ut contra versus orientem ad Indum tendentibus cis Arbim censendi. In geographia, ut in aliis multam ubique indiligentiam prodit Plinius. Verum hac negligentia, ac supinitate multis milibus superavit Plinium noster, qui cùm totus
F ex illo pendeat mensuram errorum ejus immani culmine accumulat. Ex his porro, quæ supra disputavimus, liquere potest, quam verum sit quod Solinus heîc posuit Ichthyophagos montanas regiones post Indos tenuisse. Quod nec Plinio, unde accepit, nec veritati congruit.

Quos subactos Alexander vesci piscibus vetuit.] In optimo codice regio & aliis antiquioribus: *quos subactos Alexander Magnus in reliquum abstinere jussit à piscibus.* Ad oram vulgata lectio adposita: *vesci piscibus vetuit.* Quam lectionem prioris editionis fuisse mihi constat. Plinius: *Ichthyophagos omnes Alexander vetuit piscibus*
G *vivere.* Sic in priore illa editione non res tantum, sed ipsa pæne ubique Plinii verba usurpaverat, ut ex sexcentis locis verum esse scimus. In posteriore res retinuit, verba immutavit.

Ultra hos deserta Carmaniæ, Persis deinde, atque ita navigatio.] Plinius: *inde posuere Arbiorum gentem per* CC. M. P. *ultra dein Carmania, & Persis & Arabia.* Ita veteres libri locum illum scribunt, & eo ordine concipiunt. Vulgo est: *ultra deserta, deinde Carmania & Persis.* Quod vitio non

caret. Forte legerit Solinus: *ultra deserta Carmaniæ, deinde Persis & Arabia.* Nec dubium ita legiſſe, quæ & vera lectio eſt. *Deserta Carmaniæ*, ἡ ἔρημος τῆς Καρμανίας Straboni. Ptolemæo ſeorſim ab alia Carmania deſcribitur ἔρημος Καρμανία. Malo autem ordine Plinius poſt Arbias Carmaniam & Perſida ſequi facit. Atqui Oritæ & Gedroſi & Ichthyophagi longiſſimum oræ tractum tenentes inter Arbias & Carmaniam patent. Idem tamen alio loco, quaſi ex quorumdam ſententia inter Armozæos & Carmanos Arbias collocari ait cap. XXV. *A promontorio Carmanis junguntur Armozai. Quidam interponunt Arbios* CCCCXXII. M. P. Unde unde hæc acceperit Plinius, falſiſſima ſunt. Ἁρμόζον promontorium Carmaniæ ad ipſas anguſtias ſinus Perſici. Urbs ibidem nomine Ἁρμόζουσα, à qua populi Ἁρμοζουσαῖοι. Græca autem hæc vocabula, τὸ ἁρμόζον ἀκρωτήριον, quaſi accommodum promontorium. Urbs autem ipſa πόλις ἁρμόζουσα. Male apud Ptolemæum dicitur Ἅρμουσα. Marcianus Heracleota: ἀπὸ δὲ Ἁρμοζούσης πόλεως ἐπὶ Ἁρμόζον ἀκρωτήριον λεγόμενον στάδια ω´: ἀπὸ δὲ Ἁρμόζοντος ἀκρωτηρίου ἐπὶ Καρπέλλαν στάδια χυ´. At longe ab Armozonte promontorio & urbe Armozuſa Arbii populi diſtant. Quorum littus heic CCCCXII milia occupaſſe heic dicit, quum alio capite CC tantum tenuiſſe prodiderit. Ἁρμόζουσαν hodie volunt eſſe *Hormus* manifeſto nominis indicio. Ceterum attendenda hoc loco Solini verba: *ultra deserta Carmaniæ, Persis deinde, atque ita navigatio.* Quænam, malum, iſta navigatio? Aut quid ſibi vult? Quis auctor hujus navigationis, aut quibus poſtea frequentata? Nihil horum præceſſit: nulla locorum mentio aut manſionum. Certe claſſis Alexandri hæc navigatio fuit, quam heic videtur deſignare quæ ab India circumvecta eſt oram maris Indici, & ab Indo flumine in Carmaniam & Perſidem navigavit. At quis de hac navigatione heic intelligere poſſet, quum nec Alexandri meminerit, nec claſſis ejus, nec quidquam ediderit quod ad eam rem pertineat? Præterea duplicis navigationis meminit Plinius eo loco, quem noſter hic mutuatus eſt: primo illius, quam præfecti claſſis Alexandri ab India in Perſidem reverſi ſunt, tum alterius recentioris, qua mercatores è Syagro Arabiæ portu Indiam petere ſolebant: *Sed priusquam hæc generatim persequar, indicare convenit quæ prodit Onesicritus classe Alexandri circumvectus in mediterranea Persidis ex India, narrata proximè à Juba: deinde eam navigationem quæ his annis comperta servatur hodie.* Nearchus & Oneſicritus ambo præfecti claſſis Alexandri oram eamdem maris luſtrarunt ab India & Indi oſtiis inuſque Perſidem, & illam περίγησιν uterque literis mandarunt. Arrianus ex fide & verbis Nearchi eam navigationem pertexuit: Plinius ex auctore Oneſicrito eamdem retulit, mirum quanta diverſitate. *Onesicriti*, inquit, *& Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum, nec spatia.* Immo Arrianus nomina omnia manſionum ex Nearcho diligenter notavit, ut appareat ea non fuiſſe memorata Oneſicrito, quem ſequutus eſt Plinius, ut ipſe declaravit his verbis: *sed priusquam hæc generatim persequar, indicare convenit quæ prodit Onesicritus, classe Alexandri circumvectus in mediterranea Persidis ex India.* Perperam corrigunt viri docti: *circumvectus meridionalia Persidis.* Immo in mediterranea uſque Perſidis claſſis illa ex India & ab Indo amne profecta pervenit. Nam per flumen Tigrim & Eulæum Suſa uſque aſcendit, quæ in mediterraneo Perſidis. Plinius ipſe hoc diſerte teſtatur eodem capite: *lacus quem faciunt Eulæus & Tigris juxta Caracem. Inde Tigri Susa.* At capite XXVII ejuſdem libri dicit claſſem Alexandri ad urbem Suſa ſubiiſſe Paſitigri. Sane Tigri non potuit ſubiiſſe Suſa. Nec enim ad Tigrim hoc oppidum. Sed nec ad Paſitigrim. Facilius poterat ac propius per Eulæum Suſa aſcendere. Nam hic fluvius Suſa præfluit. Sed Nearchus cum claſſe Alexandri Babylonem recta petebat, & jam per Euphratem flumen eo parabat claſſem perducere. Sed audito Alexandrum Suſa profectum eſſe repedavit, & curſum retro legit, ac per Paſitigrim ſubiit Suſa. Hic fluvius per Uxiorum fines haud longe à Suſis fluit, & in mare Perſicum aquas mittit. Diverſus utique à Tigri, ut ſupra oſtendimus. Arrianus lib. III. Ἄρας δὲ ἐκ Σούσων καὶ διαβὰς Πασιτίγριν ποταμὸν ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν. Sic Uxiorum fines à Suſianis dividit.

In qua Solis insula rubens semper.] Delrius notat libro ſuo abeſſe illud *semper*: noſtri omnes habuere. Plinius: *Insula quæ Solis appellatur & eadem cubile nympharum rubens, in qua nullum non animal absumitur.* Nec diſcrepant ab hac lectione libri veteres; niſi quod habent alio ordine: *& eadem Nympharum cubile rubens.* Pincianus tamen emendari volebat in illis Plinii verbis: *& eadem Nymphæ Nereïdis cubile*: vel etiam ſimpliciter, *Nereïdis cubile*, abſque illo *Nymphæ*. Quippe Arrianus tradit inſulam illam ſacram Soli Nympham quamdam Nereïda tenuiſſe. Nihil ille, ut apparet, veſtigia veteris ſcripturæ curabat. Si quid mutandum cenſerem ex propiore nec minus vera conjectura id facerem legendo: *Et eadem cubile Nympharum unius.* Arrianus: ἀκοῦσαι δὲ καὶ ἄλλον λόγον ὑπὲρ τῆς νήσου ταύτης λεγόμενον, οἰκῆσαι τὴν νῆσον ταύτην μίαν τῶν Νηρηΐδων. Ceterum, ſi vitium eſt in illis verbis, certe Solini ætate Plinii exemplaria jam tum occupaſſe oportet hoc mendum, quem non aliter legiſſe certum eſt. Diximus ſupra non ex Nearchi ut Arrianum, ſed ex Oneſicriti ſcripto eam navigationem deſcribere Plinium. Et proinde mirum non eſſe, ſi in multis cum Arriano non conveniat ipſi. Vereor igitur ut ſuſpicio mea vera ſit. Oneſicritus hanc inſulam Ἐρυθραίαν ſi forte vocaverat, tanquam in mari Erythro ſitam, ut eſt revera. Sed quia Soli ſacra erat, propterea Ἐρυθραίαν appellatam forte ſomniaverit Plinius, & *rubentem* verterit; quia autem nympharum ſedes, idcirco & *cubile rubens Nympharum* eam indigetaverit. Sic *Erythræas lanas* ab oppido Aſiæ Erythra ſic dictas ipſe *rutilas* interpretatus eſt. Atqui Ἐρυθραῖον non rutilum aut rubens ſignificat, ſed eſt nomen ἐθνικὸν ac τοπικόν. Rubrum mare Græci vocant Ἐρυθρὰν θάλασσαν, cujus ἐθνικὸν eſt *Erythræum.* Ut *Erythræi lapilli*: *Erythræa concha.* Inde ergo & νῆσος Ἐρυθραίη, vel εὐνὴ νυμφῶν Ἐρυθραίη, quæ in mari rubro ſita eſt. Alias ſi quid eſſet mutandum, probarem unice legi: *cubile Nympharum unius.* Nec enim omnibus Nymphis, aut pluribus illa inſula ſedem præbuit, ſed uni. Μία τῶν Νηρηΐδων. Arrianus huic inſulæ nomen ex Nearchi relatione reddit, Νόσαλα, ταύτην ἱρὴν ἡλίου ἔλεγον εἶναι οἱ ἐπιχώριοι, καὶ Νόσαλα καλέεσθαι. Oneſicritus nomina manſionum non appoſuerat. Eum ſequitur Plinius, qui nomen hujus inſulæ neſciit, ac ideo tacuit. Mela inſulam iſtam contra Indi oſtia ſitam aſſerit. Sic enim corrigendum in ejus verbis eſſe jam viderunt doctiſſimi viri: *Contra Indi ostia insula est, quæ vocatur Solis, adeo inhabitabilis ut ingressos vis circumfusi aëris exanimet confestim.* Sed immane quantum ab oſtiis Indi hæc inſula remota ſit, utpote in ſinu, cui prætendunt Ichthyophagi, poſita. Nec quicquam facit quod Plutarchus in commentariolo de fluminibus Indum amnem ait magno impetu decurrere in terram Ichthyophagorum. Populi hoc nomine non uni fuere. Nam & Arabici ſinus ora Ichthyophagos habuit in parte Troglodytarum, ut ex Agatharchide conſtat. Quinetiam Diodorus Siculus Ichthyophagos ab ora Carmaniæ ac Gedroſiæ uſque ad intima ſinus Arabici tenuiſſe prodit, qui ſinus Arabicus ab uno latere Troglodytas prætentos habet, ab altero Felicis Arabiæ populos. Περὶ πρώτων δὲ, inquit, τῶν Ἰχθυοφάγων ἐροῦμεν, τῶν κατοικούντων τὴν παραλίαν τὴν ἀπὸ Καρμανίας καὶ Γεδρωσίας ἕως τῶν ἐσχάτων τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον ἱδρυμένου. Hoc ſi verum eſt, Ichthyophagos etiam in illa parte fuiſſe cenſendum eſt, qua Indus in mare evolvitur. Atqui Ichthyophagi illi qui ad Indi amnis oſtia colunt, longo diſtant intervallo ab his Ichthyophagis, qui vicini ſunt Carmaniæ, in quorum ſinu Solis inſula jacet. Inde erroris anſa Melæ videtur præbita, qui inſulam illam Solis contra Indi oſtia metatur. Sed & Plinius ſimilem errandi materiem ex verbis Pomponii arripuit, dum inſulam Solis in eo trajectu ponit, qui Taprobanen & latus Indiæ meridionale interfluit. Nam Pomponius poſt mentionem Taprobanæ ſtatim inſulam Solis commemorat. Martianus quoque in pari peccato, dum eos ſequi vult, deprehenditur. Taprobanæ mentione facta protinus ſubjicit: *dehinc habitant Ichthyophagi. Nec longe insula Solis quæ dicitur, & Nympharum cubile rubens.* At Deus bone! quam longe tum Ichthyophagi, tum inſula Solis illa diffident

dissident à Taprobane. Sed hæc sunt auctorum veterum παροράματα, quibus ideo ignoscendum putamus, quia homines fuerunt; & quia nostris quoque ignosci volumus.

Pag. 61. G. *Ab Hytani Carmaniæ flumine septentriones primum vident.*] Ita hactenus editi nomen hujus Carmaniæ amnis nuncuparunt. Veteres nostri legunt: *ab Azanio*, quomodo etiam edi volueramus. Sed operæ excuderunt, *Azario*. In quibusdam codicibus reperi scriptum: *Abiam Germaniæ flumine*. An scribendum: *ab Anami Carmaniæ flumine*. Certe is est, quem Ἄναμιν vocat Arrianus in Indicis: καὶ πλώσαντες σαδίους ἑκατὸν ὁρμίζονται κῇ τὸν ποταμὸν Ἄναμιν. Ὁ ἢ χῶρος Ἁρμόζεια ἐκαλέετο. Arriano Ἁρμόζεια dicitur, quæ πόλις Ἁρμυζα Ptolemæo: Marciano Heracleotæ Ἁρμόζουσα. Hunc eumdem fluvium Ptolemæus appellat Ἄνδανιν, Marcianus Ἄδδανιν. Ptolemæus: Ἀνδάνιος ποταμοῦ ἐκβολαί. Ἁρμυζα πόλις, Ἁρμοζον ἄκρον. Plinio in editis vocatur *Hytanis*. In scriptis, *Hyctanis*, corruptissime. Nec enim dubium est quin eumdem fluvium designaverit qui Arriano Ἄναμις, Ptolemæo Ἄνδανις, Marciano Ἄδδανις, Solino *Azanius*. Nam post eum fluvium sequi facit promontorium Carmaniæ, quod exadversum sitos Macas respicit. *Inde*, inquit, *promontorium Carmaniæ est, ex quo in adversa ora ad gentem Arabiæ Macas trajectus distat L. M. P.* Hoc promontorium esse Ἁρμόζον satis constat. Ibidem ponit insulas tres, *quarum Organa tantum habitatur*. Veteres libri ibi scribunt: *Horacla*, vel *Oracla*. Omnino scribendum, *Oroacta*, vel *Oaracta*. Arrianus: καὶ ἡ μὲν ἐρήμη νῆσος Ὄργανα ἐκαλέετο, εἰς ἣν ἢ ὡρμήθησαν Ὀάρακτα. Non igitur *Organa* fuit, quæ habitaretur, sed *Oaracta*. Statim ab Harmozea istas insulas præternavigavit Alexandri classis. Marciano Heracleotæ in periplo Carmaniæ Ὀοράχθα nominatur, haud longe ab ostiis fluminis Addanis: ἀπὸ ἢ Ἀχιάδαμα ποταμοῦ ἐπὶ Ἀδδάνιος ποταμοῦ ἐκβολὰς στάδια φ. Παράκειται ἢ τοῖς τόποις τούτοις νῆσος Ὀοράχθα. In ea insula Oaracta sepulcrum fuisse Erythræ regis, qui nomen mari fecit, notat Arrianus. Dionysius Ὤγυριν vocat eam insulam, in qua tumulatus creditur rex Erythras:

Ἔςι δέ τοι προτέρω Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης
Ὤγυρις: ἔνθά τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Illa Καρμανὶς ἄκρα est Armozon Carmaniæ promontorium. Tres insulas in eo situ fuisse docet Plinius, quarum duas esse desertas, tertiam habitari, cui nomen *Oaracta*. Hæc est, in qua sepultum Erythran dicit Arrianus. Ex reliquis duabus alteri nomen *Organa*. Tertia forsan fuerit *Ogyris*, quam alii sepulcro Erythræ claram voluere, non *Oroacta*. Mela: *aliquot sunt in medio insulæ sitæ. Ogyris, quod in ea Erythræ regis monumentum est, magis clara quam ceteræ.* Eadem habet & Plinius. Unde hæc illi? Sed ecce aliam differitatem, magisque mirandam. Strabo lib. XVI Τυῤῥίνην vocat hanc insulam, in qua monumentum Regis Erythræ: & citat auctorem Nearchum, qui idem auctor est Arriano eam insulam nominanti *Oaracta*. Sic habet Strabo: ἀπὸ ἢ τῆς Καρμανίας εἰρήκασι καὶ Νέαρχος καὶ Ὀρθαγόρας νῆσον Τυῤῥίνην κεῖσθαι πρὸς νότον πελαγίαν ἐν δισχιλίοις σαδίοις, ἐν ᾗ τάφος Ἐρύθρα δείκνυται, χῶμα μέγα, αἰγείροις φοίνιξι κατάφυτον. Hoc profecto esset mirum, si verum esset. Sed non alium in Strabone locum extare puto corruptiorem isto, nec vero felicius emendari potuisse quam hoc modo: ἀπὸ ἢ τ̃ Καρμανίας ἄκρας φησὶ Νέαρχος Ὠγύριδα νῆσον ἐρήμην κεῖσθαι πρὸς νότον πελαγίαν ἐν δισχιλίοις σαδίοις. Nullum auctorem veterem Ὀρθαγόραν nomine novi. Ogyris insulæ nomen ille occupabat. Ergo Ogyris insula Nearcho, quæ Erythræ sepulcrum habuit. Quem sequuntur Mela, Plinius, Dionysius, & alii. Nec sane alium hujus sententiæ habere potuerunt auctorem præter Onesicritum, aut Nearchum. Atqui Arrianus ejusdem Nearchi auctoritate in insula Oaracta id monumentum collocat. Alterutrum igitur hallucinatum esse oportet, aut Strabonem, aut Arrianum. Sed hunc potius puto. Nam Strabo paulo post Oaractæ insulæ meminit ex eodem Nearcho, nec Erythræ regis monumenti mentionem ullam in ea insula fecit, quum alia particularia memoret ad eam pertinentia: φησὶ δ' ὁ Νέαρχος τὸν Μιθροπάστην ἐντυχεῖν αὐ-

A τοῖς μετ' Ἀμαζήνου, τὸν ἢ Ἀμαζήνην ἐπάρχειν νήσου τινὸς τῶν ἐν τῷ Περσικῷ κόλπῳ, καλεῖσθαι ἢ τὴν νῆσον Δόρακτα. Immo legendum Ὀάρακτα. Male Casaubonus Δῶρα ex Stephano emendabat. Arrianus eam insulam vocat Ὀάρακτα, & Ἀμαζήνου illius meminit insulæ reguli, qui cum Nearcho Susa navigavit, sed Μαζήνην appellat. Ita enim de Oaracta scribit: καὶ ὁ ὕπαρχος τῆς νήσου Μαζήνης συνέπλει αὐτοῖσι μέχρι Σούσων, ἐθελοντὴς ἡγεμὼν τ̃ πλόου. Addit: ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ, ἔλεγον καὶ τ̃ πρώτου δυναστεύσαντος τῆς χώρης ταύτης δεικνύσθαι τὸν τάφον: ὄνομα ἢ αὐτῷ Ἐρύθρην εἶναι. Non in Oaracta, sed in Ogyri vicina fuit illud sepulcrum Erythræ, ut Strabo ex Nearchi fide refert.
B Sequentia apud eum etiam corruptissima: καλεῖσθαι ἢ τὴν νῆσον Ὀάρακτα. Εἰς ταύτην ἢ τὸν Μιθροπάστην καταφυγόντα ξενίας τυχεῖν κῇ τὴν Ἐξαγόρου φιλοφροσύνην ἄφοδον. Censeo hæc emendata fore si legatur: ξενίας τυχεῖν μετὰ τὴν ἐξ Ὠγύριος ἄφοδον. Ogyris insula deserta, è qua Mithropastes in Oaracta vicinam ac cultam confugit, ibique à Mazene insulæ regulo humaniter exceptus est. Eum Mazenem vel Amazenem, ducem navigationis usque ad Susa Macedonibus se præbuisse tradit Strabo ut Arrianus: τὸν ἢ Ἀμαζήνην καὶ καθηγεμόνα τ̃ πλοῦ γίνεσθαι. Ut scias ab eodem fonte utrum-
C que hausisse. Sed hallucinatus est Arrianus, qui Oaractæ insulæ sepulcrum Erythræ donavit, quod fuit in Ogyri. Memoriter, ut apparet, & ex pectore, non consulto libro, hæc literis mandavit. Tres igitur illæ insulæ vicinæ ac prope junctæ in Persico sinu *Organa*, *Oaracta*, & *Ogyris*. Ptolemæus inter insulas, quæ objacent Persidi, unam Alexandri nomine indigetat, quæ & *Aracia* dicta sit: Ἀλεξάνδρου, ἡ καὶ Ἀρακία. An rescribendum? Ὀάρακτα. Illa est, ad quam adpulerunt Alexandri naves, quam videntur Macedones nomine Alexandri vocitasse. Arrianus: εἰς ἣν ἢ ὡρμίσθησαν Ὀάρακτα. Sed & apud Plinium capite XXV fortasse pro *Aratia* vel
D *Aracha*, ut ibi habent libri, reponendum *Oaracta* in his verbis: *contra Persidem insulæ Philos, Caßandra, Aratia.* Ubi *Philos* pro *Tylos* perperam scriptum. Pro *Caßandra* libri legunt *Caussandra*. Forte legendum: *Icarus, Dora.* Pro *Aratia* scribunt iidem codices *Aracha*. Supra correxi *Aradia* pro Arado. Nec dum pœnitet hujus emendationis. Nam hæ sunt insulæ quatuor, quas capite XXIII in sinu esse dicit ante Persida: à quibus sejungit tres illas alias, quas supra memoravimus, quarum una dicitur *Oaracta*. Certe Oaracta non est ex iis insulis, quæ sunt in sinu contra Persidem, quas τῇ Περσίδι παράκεισθαι dicit Ptolemæus. In sinu quidem sunt Per-
E sico, sed Persidi non adjacent. At Ἀρακία Ptolemæi παράκειται τῇ Περσίδι, & Plinii *Aracha*, quæ eadem est cum Ptolemæi Ἀρακίᾳ. Non potest igitur esse Oaracta. Præterea idem Ptolemæus Oaractæ meminit, quam Carmaniæ adjacere scribit. Sed male vocatur in ejus libris Ὀυόροχθα pro Ὀάρακτα. Turbant multa ac mutant auctores, nec sibi constant ipsis. Plinio *Philos & Caussandra* insulæ contra Persidem. Supra corrigere memini *Tylos*, *Icarus*, *Dora*. Sed forte melius legeretur: *Ilas*, *& Caïcandra*. Arriano in Nearchi navigatione contra Persidem, Ἴλας χῶρος, ἵνα λιμὴν πρὸ νήσου σμικρῆς καὶ ἐρήμης γίνεται. Οὔνομα τῇ νήσῳ Καϊκάν-
F δρος. Plinius Ἴλαν pro insula videtur numerasse. Initio tamen capitis meminit *Cascandri* insulæ desertæ, quæ eadem est cum hac *Caïcandra*. Sed talis ubique Plinius. Nearcho & Onesicrito Oaractæ vicina altera insula Organa. Arrianus: καὶ ἡ μὲν ἐρήμη νῆσος Ὄργανα ἐκαλέετο: ἐς ἣν ἢ ὡρμίσθησαν Ὀάρακτα. Ptolemæus Ὄργανα longo intervallo relegat ab Oaracta, & prope Sachaliten sinum ponit. Præterea Ichthyophagos non Carmanis facit vicinos, nec eorum παραλίαν statuit Carmaniæ contiguam, sed in contraria ora collocat in parte Arabum, ubi sunt Macæ. Post Oara-
G cta in navigatione Nearchi Arrianus insulam Pylora nominat, & vicum Sidodone, mox promontorium *Tarsian*, & insulam *Cataan* Veneri sacram. Plinius ex Onesicrito eamdem navigationem describens ab Oaractis quatuor recenset insulas in sinu ante Persida. Deinde *Acrotadus insula* eidem recensetur. Libri scribunt. *Athrotradus*, Forte scribendum: *Insulæ Catae*, *Aradus*: vel, quomodo verius puto: *Insula Caïcandras.* Nam post Cataean Arrianus insulam Καϊκαν-

θρον recenſet. Mox Plinius *Gauratas* nominat, in qui-
bus *Chiani* gens. Arrianus pro his habet Ἀπόστανα & Γώ-
γανα. In Plinio deinde ſequuntur flumen *Hyperis*, vel,
ut libri habent, *Syperis*, & *Sitiogagus*. Arriano ſunt
Ἀρεὼν Σιτακὸς. Jam inde apud Plinium: *flumen naviga-
bile Phirſtimus: inſula ſine nomine: flumen Granius mo-
dicarum navium capax*. In libris *Phryitimas* & *Granis* hi
fluvii vocantur. Arriano Πάδαγρος & Γρανὴς. Sequi-
tur apud Plinium: *dextra ejus accolunt Deximontani qui
bitumen perficiunt*. Quæ ſunt labe infecta. Emenda:
dextram ejus accolunt Uxii montani. Poſt hæc Arrianus
ponit fluvium Ῥώγονιν & Βρίζανα. Ptolemæo Ῥογόμανις
& Βρισόανα vocantur in ora Perſidis. Horum non me-
minit Plinius in eo periplo, ſed ſtatim ſubjicit: *flumen
Oroatis oſtio difficili*. Libri omnes legunt: *Zarotis*. Ar-
riano Ἄροσις dicitur: τόπε δὴ ὁρμίζονται ἐπὶ ποταμῷ. Ὄνο-
μα δὲ τῷ ποταμῷ Ἄροσις. Μέχρι δὲ δὲ, inquit, Πέρσαι οἰ-
κέουσι. Ergo fluvius ille Perſidis ultimus. Plinius cap.
XXV. *Inde Perſidis initium ad flumen Oroatim, quo dividi-
tur ab Elymaïde*. Ibi exemplaria ſcribunt *Oratin*. Sed
Strabo & Ptolemæus vocant Ὀροάτιν. Et ſic reſtituen-
dum videtur Arriano. Has notare libuit differentias ex
Arriano, qui Nearchum ſequi profitetur, & ex Plinio
qui Oneſicritum. Quæ profecto non minimam mihi
incuſſerunt admirationem. Notare etiam libet diver-
ſitatem non contemnendam. Plinius cap. XXV ita ſcri-
bit: *à promontorio Carmanis junguntur Armozei. Qui-
dam interponunt Arbios CCCCXII toto littore. Ibi portus
Macedonum, & aræ Alexandri in promontorio. Amnes
Saganos. Dein Daras & Salſos. Ab eo promontorium The-
miſteas, inſula Aphrodiſias habitatur, inde Perſidis initium
ad flumen Oroatin*. Hæc habere Plinium puto ab One-
ſicrito. Certe ex eadem navigatione hæc accepta ferri
debent, qua ex India claſſem Alexandri Suſa uſque
cum Nearcho reduxit. Heic ergo notemus diverſita-
tem Nearchi & Oneſicriti: *Ab eo promontorium Themi-
ſteas, inſula Aphrodiſias, inde Perſidis initium*. Arriano
promontorium illud Ταρσία vocatur, inſula vero Κα-
ταίη. Eam Ἀφροδισιάδα videtur vocaſſe Oneſicritus,
quod eſſet Veneri ſacra. Nearchus proprio eam no-
mine nuncupavit, quo ab indigenis cenſebatur. Αὐτὴ
ἱρὴ Ἑρμέω καὶ Ἀφροδίτης ἐλέγετο. Ab ea inſula Perſidis ini-
tium ſtatuit ex Nearcho Arrianus: μέχρι μὲν δὴ Καρμα-
νίη, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ δὲ Πέρσαι ἔχουσι. Sic Plinius ab illa Aphro-
diſiade initium Perſidis ponit uſque ad flumen Oroatin,
quo Perſidis ora maritima finiebatur. Itaque conſtat
Καταίην Arriani Veneri ſacram eamdem eſſe cum illa
Aphrodiſiade Plinii. Ergo & *Themiſteas* promonto-
rium idem cum Ταρσίη ἄκρα Arriani. Nam ab illo
promontorio eam inſulam tenuit Alexandri claſſis. Ar-
rianus promontorium Carmaniæ non nominat, ſed lo-
ci Ἁρμόζεια meminit tantum, ubi ex India revertens
exſcenſionem fecit Alexandri claſſis ad fluvium Ana-
min: ὁρμίζονται κατὰ τὸν ποταμὸν Ἄναμιν. Ὁ δὲ χῶρος Ἁρ-
μόζεια ἐκαλέετο. Plinio *Armozei* dicuntur. *Promontorio*,
inquit, *Carmanis junguntur Armozei. Ibi portus Mace-
donum & aræ Alexandri in promontorio*. Arrianus: ἐν-
ταῦθα δὲ ἐκβαίνουσιν ἐκ τῶν νεῶν, καὶ ἀπὸ τῶν πολλῶν πόνων
ἀσμένοι ἀνεπαύοντο. Hoc promontorium Ἁρμόζον etiam
dictum eſt ſequenti ætate, quaſi conveniens & commo-
dum. *Ibi amnes Saganos, dein Daras & Salſos*. Veteres
Plinii codices heic ſcriptum præferunt: *amnis Sicca-
nas, deinde ratinus & ſalſum*. In aliis legitur: *Dein
Dratinus & Salſa. Ab eo promontorium Themiſteas*. Ar-
riano Ἄναμις in illo loco fluvius recenſetur. Ptole-
mæo Ἄνδανις. Poſt Andanin *Saganas* eidem ponitur
verſus occidentem naviganti, quem curſum tenuit Ale-
xandri claſſis. Is eſt ſine dubio, qui *Siccanas* Plinio vo-
catur, pro *Siganas* vel *Saganas*. Sic *Direum locus* No-
ſtro pro *Dareum*. Is etiam eſſe debet quem cap. XXIII
Hyctanin Carmaniæ flumen vocant libri pro *Siccanin*,
vel *Siganan*. Pro eo *Azanin*, vel *Azanium* poſuit So-
linus hoc loco, qui eſt aliorum Ἄζανις vel Ἄδδανις. Sic
Μάδιεις & Μάζιρις idem, ut infra dicam. Plinio tamen
etiam *Ananis* vocatur, qui eſt Arriani Ἄναμις. Ita enim
ſcribunt apud eum veteres libri cap. XXIII de Carma-
nia: *ab initio ejus ad flumen Sabi, centum M. P. inde
vineas coli & arva ad flumen Ananin, XXV. M. ſpatio.
Regio vocatur Armozia*. Ibi correxerunt *Andanin*. Quod

A non debuere. Nam Ἄνανις, vel Ἄναμις Nearcho,
qui poſterioribus dictus eſt Ἄδανις. De Ratino, vel
Dratino & Salſa nihil legi. Poſt Siganam ad occiden-
tem pergenti occurrunt *Achidana*, & *Corus*, & *Cha-
traps* fluvii apud Ptolemæum, quorum nomina heic
puto apud Plinium reponenda. *Dein Æchidana & Ca-
thraps*. Male apud Ptolemæum Ἄγραπος ποταμοῦ ἐκβο-
λαὶ περὶ Κάθραπος, ut habet recte Martianus. Aut igi-
tur mutata nomina horum amnium ævo ſequenti opor-
tet, aut eadem eſſe, ſed in Plinio à librariis corrupta.
Andanis mentio apud Melam: *Cethis per Carmanios ſu-
pra Andanis & Corios effluunt*. Hic Andanis correcto-
B rum eſt amnis non Carmaniorum. Libri habent: *Se-
this per Carmanios, ſupra ſandis Choros effluunt*. Scribo ego:
Sethis per Carmanios, ad Paſargadas Coros effluunt. Strabo-
ni Κόρος amnis περὶ Πασαργάδας ῥέων. De Sethi non li-
quet. De Coro ſupra dictum, & paulo poſt dicendum.
Plinio *Zethis* urbs Carmaniæ fortaſſe & fluvius. Nam
& *Sabis* eidem Carmaniæ fluvius, quum Ptolemæo
Σάβις ejuſdem Carmaniæ ſit oppidum, qui nullum
amnem iſto nomine in ea regione agnoſcit.

Achæmenides in hoc tractu ſedes fecerunt.] Ita libri
omnes Solini, nullo excepto. Hos dico quos viderim.
C Plinius de flumine Carmaniæ Sigani vel Anani loquens
ait, *Achæmenidas uſque illo tenuiſſe*. Hi ſunt Achæme-
nidæ, οἱ Ἀχαιμενίδαι. Cur Solino libuerit *Achæmeni-
des* in nominandi caſu dicere pro *Achæmenidæ*, cauſæ
nihil video. Nam *Achæmenides* ſunt αἱ Ἀχαιμενίδες,
mulieres nempe Achæmeniæ. Heſychius: Ἀχαιμενί-
δες, αἱ Περσίδες. Atqui ſupra ſic etiam extulit, *Gandari-
des* populus, pro *Gandaridæ*, οἱ Γανδαρίδαι. Quod non
alia ratione inductus formaſſe videtur, quam ex gi-
gnendi caſu *Gandaridûm*, pro Gandaridarum. Sic *glo-
ria Dardanidûm* poëtæ, τῶν Δαρδανιδῶν, à recto Δαρδανί-
δαι, qui non recte dicerentur *Dardanides*. Eodem erro-
D re *Athacos* populos & *Athacenum ſinum* commentus eſt
Noſter ab eo, quod *Athacorûm gentem* dixerat Plinius,
τὸ τῶν Ἀθακορῶν ἔθνος, qui ſunt Ἀθακόραι. Ille putavit eſſe
Ἀθάκους. Quod ad iſtos Achæmenidas attinet, non ad
flumen Carmaniæ Saganan, aut Ananin ſedes eos po-
ſuiſſe Plinius tradit, ſed uſque illo tenuiſſe. Præ-
terea *Achæmenidæ* non populus Perſidis fuit, ſed familia,
vel tribus apud Paſargadas. Nam Ἀχαιμενίδαι patro-
nymicum eſt nomen ab Achæmene, qui ad Perſeum ge-
nus ſuum referebat. Unde Ἀχαιμενίδαι, Περσεῖδαι, à
Perſeo: ut Θησεῖδαι à Theſeo; Φινεῖδαι à Phineo. He-
rodotus Muſa prima: τουτέων Πασαργάδαι εἰσὶν ἄριστοι, ἐν
E τοῖσι καὶ Ἀχαιμενίδαι εἰσὶ φρήτρη, ἔνθεν οἱ βασιλέες οἱ Περ-
σεῖδαι γεγόνασι. Achæmenidæ tribus, unde reges Per-
ſidæ originem duxerunt. Non hoc eum dicere opinor,
Achæmenem, à quo Achæmenidæ dicti, eſſe antiquio-
rem Perſeo, à quo Perſidæ oriundi. Sed Achæmenes
ille Perſida & ipſe fuit, unde ceteri reges indidem tra-
hentes originem, & tribus Achæmenidæ. Heſychius:
Ἀχαιμένης Πέρσης ἀπὸ Ἀχαιμένους βασιλέως. Herodoto
Ἀχαιμένης quidam narratur Darii filius, & Xerxis illius
frater, qui in Græciam ſumpſit expeditionem. Ve-
rum ab illo Achæmene denominationem & ortum ade-
F pti non ſunt Achæmenidæ, ſed ab alio antiquiore, qui
Cambyſis pater fuit, Cyri avus. Hoc enim ordine ſic
majores ſuos recenſet Xerxes apud Herodotum: μὴ
γὰρ εἴην ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαρά-
μνεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Ἀχαιμένεος
γεγονὼς μὴ τιμωρησάμενος τοὺς Ἀθηναίους. Non altius ori-
ginem ſuam repetit, quam ab Achæmene Cyri avo,
ad quem tamen nihil pertinuit Darius pater Xerxis.
Nam Xerxes maternum avum habuit Cyrum, aba-
vum Achæmenen. Ex filia quippe Cyri Cambyſis
ſorore, & Dario natus Xerxes. Non video igitur
quomodo tot gradibus per lineam directam Achæ-
G menen generis ſui auctorem aſcendere potuerit Xer-
xes. Etenim pater ejus Darius occiſis magis Camby-
ſi ſucceſſit Cyri filio. Quem itaque avum habuit ma-
ternum Cyrum, ſi ordine illo genealogiæ procedas,
quintum avum habiturus fuit. Teiſpes quippe ibi vo-
catur Cyri filius, qui tritavus Dario patri ejus fuit.
Per rerum naturam fieri non potuit, ut Teiſpes idem
Cyri filius, & Darii tritavus fuerit, quum Darius
ex Cyri filia natos habuerit. Præterea falſum eſt

Teiſpen

Teispen filium fuisse Cyri, quia Cyrus duos tantum filios reliquit, Smerdin & Cambysen. Sed in ea denumeratione tam paterni generis auctores, quam maternos recensuit fortasse Xerxes. Quare sic legendum videatur: μὴ γὰρ εἶναι ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τείσπεος, μηδὲ τοῦ Κύρου τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς. Cambyses in his Cyri filius non nominatur, quia Xerxi nec inter avos paternos fuit, nec inter maternos, sed avunculus tantum. Achæmenes igitur ille est, à quo *Achæmenidæ*, Cyri avus, qui primus imperium à Medis ad Persas transtulit. Atqui apud eumdem Herodotum lib. I non Achæmenes Cambysæ illius pater memoratur, qui genuit Cyrum, sed alius Cyrus. Ita enim scribit de Cyro Astyagis ex filia nepote: ὡς ἄρα Μανδάνης τε εἴη παῖς τῆς Ἀστυάγεω θυγατρὸς, καὶ Καμβύσεω τοῦ Κύρου. Ceterum hic Cambyses filius dicitur Achæmenis à Xerxe quo loco genealogiam suam expungit. Ut ut sit, antiquus Achæmenes oriundo Persa Cyri illius avus fuit, qui imperium Medorum subvertit, & ad Persas transcripsit. Ille autem Achæmenes ad Perseum originis suæ principium referebat, à cujus filio vel nepote Perse gens Persarum nominata est. Stephanus: Πέρσαι τὸ ἔθνος ἀπὸ Πέρσου τοῦ Μηδείας. Immo Andromedæ. Nam Perseo & Andromeda natus Perses, à quo Persæ dicti. Herodotus Musa septima. Agatharchides ἔκγονον, id est, nepotem Persei vocat, quem plerique Græci Persarum nominis auctorem fuisse volunt. Apollodorus lib. II: Bibliothecæ de Perseo: ἐγένοντο δὲ αὐτῷ παῖδες πρὶν μὲν ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα Πέρσης, ὃν παρὰ Κηφεῖ κατέλιπεν. Ἀπὸ τούτου δὲ τοὺς Περσῶν βασιλέας λέγεται γενέσθαι. Hi sunt, quos Περσείδας βασιλεῖς appellatos tradit Herodotus, qui ex Achæmene oriundi: à quo & Ἀχαιμενίδαι tribus. Achæmenes igitur ille à Persa filio Persei vel nepote genus traxit. Stephanus Ægei filium facit. Ἀχαιμενία ἡ Περσικὴ μοῖρα, ἀπὸ Ἀχαιμένους τοῦ Αἰγέως. Intelligit Ægeo & Medea natum. Nam Medea post interfectos liberos Corintho Athenas fugit, & Ægeo nupsit. Ex quo, ut videntur quidam prodidisse, natum habuit Achæmenem: ut etiam alii tradidere, Persen. Nam Stephanus Πέρσην filium Medeæ facit. Hinc igitur *Achæmenidæ* ex genere regio à Perseo: unde & *Persidæ* quoque dicti. Xerxes, qui Græciæ bellum intulit, per matrem saltem hoc genus cognatione attingebat. Ceterum pater ejus Darius ab eo genere extraneus erat. Cambyses apud Herodotum, quum Magi regiam occupassent, Achæmenidas qui aderant præcipue compellat & obtestatur, ne post ejus mortem regnum ad Medos iterum transire paterentur, aut in Magorum potestate relinquerent: καὶ δὴ ὑμῖν τάδε ἐπισκήπτω, θεοὺς τοὺς βασιληΐους ἐπικαλέων, καὶ πᾶσιν ὑμῖν, καὶ μάλιστα Ἀχαιμενιδέων τοῖσι παρεοῦσι, μὴ περιϊδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖτις ἐς Μήδους περιελθοῦσαν. Stephanus Ἀχαιμενίαν appellat μοῖραν. Idem μοῖρα quod φυλή. Hesychius: μοίρας, μερίσι, φυλαῖς. Strabo Ἀχαιμενίδας φῦλον vocat, & Persidis interiora colere dicit usque ad Carmaniæ fines, cum Patischorensibus & Magis. Φῦλα grammatici interpretantur συγγενικὰ γένη.

Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta milia passuum interjacent.] Hoc erat promontorium quod dicebatur Ἀρμόζον. Plinius nusquam illius promontorii cum suo nomine meminit, sed simpliciter vocat Carmaniæ promontorium. Strabo ex Eratosthene Ἀρμόζον appellat. Onesicritus nec Nearchus, quos habet auctores Plinius, nominatim hujus non meminerant, ideo nec iste, qui Plinium sequitur. Adeo breve spatium inter utramque prominentiam patebat, ut ab una cerneretur altera: ὥστε ἐξ Ἀρμόζοντος τοῦ τῆς Καρμανίας ἀκρωτηρίου, τὸ τῆς Ἀραβίας ἀφορᾶται τὸ ἐν Μάκαις. Solinus quinquaginta milibus passuum hoc intervallum taxavit, ex Plinio, iste ex Onesicrito: *Inde promontorium Carmaniæ est, ex quo in adversa ora ad gentem Arabiæ Macas trajectus distat L. M. P.* Oppositum in Macis promontorium caret nomine, sed ἀκρωτήριον τὸ ἐν Μάκαις appellatur à populis circumjacentibus. Ammianus tamen Marcellinus hoc promontorium *Maces* ab incolis vocatum tradit lib. XXIII. *Cujus ostia adeo perhibentur esse angusta, ut ex Armozonte Carmaniæ promontorio contra oppositum aliud promontorium, quod appellant incolæ Maces, sine impedimento cernatur.* Ipsi qui idem incolæ vocantur Μάκαι, ipsum promontorium Straboni τὸ ἐν Μάκαις dicitur. Inde ἡ Μάκης ἄκρα posset dici. Hoc ipsum tamen puto esse promontorium, quod Arrianus ex Nearcho appellatum scribit Μάκετα, his verbis: καὶ οἱ τῶν χώρων ἐκείνων δαήμονες, τῆς Ἀραβίης ἔλεγον τὴν ἀνίσχουσαν ταύτην ἄκρην, καλέεσθαι δὲ Μάκετα. Ἔνθεν τὰ κιννάμωμά τε καὶ ἄλλα τοιουτότροπα ἐς Ἀσσυρίους ἀγινέεσθαι. Non dubium est esse. Nam huic ex adverso facit respondere in ora contraria locum Ἀρμόζεια, à quo Ἀρμόζειοι populi Plinio. Unde & promontorium Ἀρμόζον. Sed videretur potius legendum: καλέεσθαι δὲ Μακέτα. Ἡ Μάκης ἄκρη a populis qui Μάκαι dicuntur. Stephanus: Μάκαι, ἔθνος μεταξὺ Καρμανίας καὶ Ἀραβίας. Immo, Arabiæ populi sed oppositi Carmaniæ.

Deinde tres insulæ circa quas egrediuntur hydri marini.] Hæ tres insulæ sunt, quarum una *Oaracta* Plinio, sola ex tribus habitabilis. Reliquis duabus nomina *Organa* & *Ogyris*. Hæ quidem Carmaniæ objacent continenti. Non tamen circa istas egrediuntur hydri marini, verum circa alias quatuor, quæ ante Persida sitæ sunt. Plinius: *Insulæ tres, quarum Oaracta tantum habitatur aquosa, à continenti* XXV. *M. P. Insulæ quatuor jam in sinu ante Persida. Circa has hydri marini vicenum cubitûm terruere classem.* Solinus quatuor istas in medio insulas prætermisit, & circa illas tres priores hydros marinos egredi scribit. Quod falsum est. Plinius alio loco insulas contra Persidem nominat, *Philos, Cassandram, & Aratiam.* Hæ tres sunt, non quatuor. Legebam aliquando: *Tylos, Icarus, Dora. & Aradia.* Ceterum Tylos, & Icarus, & Aradus in sinu quidem Persico sunt, sed non contra Persidem. Tabula Peutingeri *Orradum* in sinu Persico ponit, quæ esse debet Aradus. Ptolemæo insulæ παρακείμεναι τῇ Περσίδι recensentur tres: Ταβίανα, Σώφθα, Ἀλεξάνδρου ἢ καὶ Ἀρακία. Non dubium est quin apud Plinium scribi debeat *Aracia.* Nam libri ejus eo loco habent *Aracha.* Ammianus quem in omnibus Ptolemæum sequi observavimus, tres insulas in Perside memorat: *Insulæ vero visuntur ibi tres tantum, Tibiana, & Phara, & Alexandria.* Puto scribendum, *& Alexandri*, subaudiendum insula, ut Ptolemæo Ἀλεξάνδρου, ut subintelligatur νῆσος. Pro *Tibiana* apud Marcellinum scribitur in codicibus *Cadiana*, quod est pro *Tabiana*, ut habet Ptolemæus. Alia est Ταξίανα in Suside. Stephanus: Ταξίανα νῆσος περὶ τὸν πηλώδη κόλπον τῆς Σουσιανῆς. Sic apud eumdem scribendum, non Σουσίας νήσου. Totum illum Ammiani locum sic puto concipiendum: *Tabiana, Sophtha, Aracia quæ & Alexandri.* De Caïscandro diximus supra, & paulo post etiam sumus dicturi.

Usque in Indiam.] Libri: *in usque Indiam.* Ita loquitur noster: *inusque*, ut *abusque.* Supra: *Elin abusque Sicyone mille ducenta stadia uno die transierunt.* Sic infra *adusque* cap. LVI. *Omne illud mare ab India adusque Gades.*

Deinde terrestre iter Hydreum tenus.] Plinius: *à Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. Prima appellatur Hydreuma.* Libri habent: *Hydreum.* Atque ita passim in sequentibus scribunt. Nec aliter Solinus in suis legit codicibus. *Hydreum* est ὑδρεῖον locus aquationis. Ὕδρευμα, ipsa aquatio. Strabo lib. XV. Ἀνάγκη δ᾽ οὖν σταθμοὺς ποιεῖσθαι μακροὺς διὰ τὰ ὑδρεῖα, διακοσίων καὶ πεντακοσίων σταδίων, ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ ἑξακοσίων. Idem dicit quod Plinius in alio itinere, mansiones necessario disponi aquationum ratione. Et paulo post: πόρρω δὲ τῶν ὑδρείων ἐστρατοπεδεύοντο. Longe ab hydreis, id est, aquationum locis. Idem alibi: ὑδρεῖα κατασκευάσαι, *aquaria constituere.* Ὑδρεῖον est *aquarium*: ὕδρευμα, *aquatio.* Glossæ: ὑδρεῖον, *lacum silanum, aquarium.* Strabo lib. XVI de Ichthyophagis Æthiopicis, qui oram accolunt Arabici sinus: ἔνιοι δὲ τῶν τὴν ἄνυδρον παραλίαν οἰκούντων διὰ πέντε ἡμερῶν ἐπὶ τὰ ὑδρεῖα ἀναβαίνουσι πανοικὶ μετὰ παιανισμοῦ. Agatharchides, unde sumpsit, ποτίστρας vocat de iisdem populis loquens: ἐπὶ τὰς ποτίστρας τῶν νομάδων καταλύοντες. Sic etiam appellat Diodorus in eadem historia. Hæc ὑδρεῖα erant συλλογὰς γλυκέος ὕδατος. Alii συστάδας vocant. Ὑδρεῖον igitur est locus aquationis: ὑδρεία ipsa aquatio: ὕδρευμα ipse aquandi actus. Glossæ: *aquatio*, ὑδρεία.

ὑδρεία. Cicero lib. III. Off. *Hoc loco est Syracusis quidquid est piscium. Hic aquatio. Hac villa isti carere non possunt.* Ambrosius in commentario cognomine: *responsum quærenti aquationem illic esse, dulcis aquæ gratia innumerabiles eo pisces convenire.* Græci posteriores τὸ ὕδρευμα etiam dixerunt pro loco in quo erat aquatio. Auctor peripli maris Erythræi: Ὄκηλις οὐχ οὕτως ἐμπόριον ὡς ὅρμος, καὶ ὕδρευμα, καὶ πρώτη καταγωγὴ τοῖς εἴσω διαίρουσιν. Idem post paulo: κώμη παραθαλάσσιος ὅρμους μὲν ἐπιτηδείους, καὶ ὑδρεύματα γλυκύτερα, καὶ κρείσσω τῆς Ὀκήλεως ἔχουσα. Ita accipienda vox ὕδρευμα & apud Ptolemæum lib. I. cap. X. Καὶ τὸν ἑκάστης ἡμέρας σταθμισμὸν αὐτοὺς φησιν ἐκπεφεῖσθαι τοὺς ὁδεύσαντας πλεονάκις, οὐκ ἐνδεχόμενον ὂν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀναγκαῖον διὰ τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἀποχάς. Quin & mansio prope Berenicen, ubi aquabantur, quam Plinius *novum Hydreum* appellat, alii καινὸν ὕδρευμα vocitarunt: *Mox ad novum Hydreum à Copto* CCXXXV. Ita libri. Ad differentiam veteris Hydrei sic appellatum est, quod in diverticulo erat duûm milium: *Est & aliud Hydreum vetus, Troglodyticum nominatum, ubi præsidium excubat, diverticulo duûm milium.* In itinerario Antonii Augusti vocatur *Canon Hydreuma.* Sic enim ibi scribi debet:

Canon Hydreuma	M. P. XXVII.
Beronicen.	M. P. XVIII.

In Tabula Peutingeri perperam *Cenonnidroma* appellatur hæc mansio. Totum iter à Copto Berenicem usque duodecimo confici die Plinius ait, & ducentis quinquaginta octo milibus passuum definit, quod interest spatii eo itinere conficiendum. Cui consentit auctor Itinerarii veteris, ut hæc ejus verba in omnibus exemplaribus scripta reperi. Item à Copto Beronicen M P M. CCLVIII. Nomina deinde mansionum subjicit, quæ sunt undecim, ex quarum intervallo summa colligitur, prout habent veteres libri, non CCLVIII; sed CCLXI. Ideo Antiquarius ad marginem adscripsit: *Require, tria sunt super.* In Peutingeri Tabula idem iter descriptum, & per easdem ferme & totidem mansiones reperitur. Numerusque miliariorum plane congruit, si modo duas decadas adjeceris, quibus locis eas desiderari manifestum est. Sic igitur habet:

A Copto Bernicide portum.	
Phœnice.	XXII.
Affrodites.	XXIIII.
Didymos.	XX.
Compasin.	XXV.
Dios.	XXII.
Xeron.	XXIIII.
Philacon.	XXIII.
Apollonos.	XXIIII.
Cabau.	XXVII.
Cenon nidroma.	XXIIII.
Pernicide portum.	XXII.

Summa hæc subducta reddit numerum CCLVIII. Sed in spatio, quod est à Copto ad Phœnicen, decadem unam adjecimus. Nam perperam in tabula depictum XII. Quod non est legitimum unius diei iter. Auctor Itinerarii XXVII milia passuum in eo intervallo ponit. Alteram deinde decada adjunximus in itinere à Didymo ad Compasin, ubi manifesto deest. Nam intervallum illud XXII miliaribus æstimatur in Itinerario, in Tabula viginti quinque. Sic fit numerus CCLVIII. Tot milia Copto Berenicen abesse tradit Plinius, & vetus Itinerarium. Ex quo descriptionem totius itineris illius non alienum fuerit heic adponere, ut comparari possit cum Tabulæ Itinerario.

Item à Copto Berenicen.		CCLVIII.
Pæniconiconon.	M P M.	XXVII.
Didyme.	M P M.	XXIIII.
Afrodito.	M P M.	XX.
Compasi.	M P M.	XXII.
Jovis.	M P M.	XXIII.
Aristonis.	M P M.	XXV.
Falacro.	M P M.	XXV.
Apollonos.	M P M.	XXIII.
Cabalsi.	M P M.	XXVII.
Canon Didreuma.	M P M.	XXVII.
Beronicen.	M P M.	XVIII.

A Ita prorsus hæc scripta exhibent tres antiquissimi codices quos contuli. Hinc summa oritur CCLXI. Sed tria supersunt milia, ut recte adnotavit antiquus librarius. Pro *Pæniconiconon* scribendum est *Phœniconis come*, Φοινικῶνος κώμη. In Tabula est *Phœnice* pro *Phœnicone*. Pro *Aristonis* mansione eadem habet *Xeron*. Aristonis cujusdam meminit Diodorus Siculus, quem Ptolemæus misit ad explorandum Arabicum sinum usque ad Oceanum Indicum, qui Neptuno Pelagio aram consecravit in eo loco Arabici sinus, quod Ποσίδειον appellatur. Meminit ibidem & Φοινικῶνος loci, vel vici maritimi magnopere commodi. Ab illo igitur Aristo- B ne hæc mansio nomen videtur invenisse. Quæ alio nomine & *Xeron* fortasse appellata à loci ariditate. Eadem pro *Phalacro* legit *Philacon*. Quod verius puto; est enim Φυλάκων, subaudiendo κώμη. Quod ibi scilicet præsidium excubaret. De reliquis non habeo dicere utra sit verior scriptura Tabulæ an Itinerarii. Nomina sunt mansionum, quarum apud geographos nulla extat mentio. *Canon Hydreuma* Plinio dicitur *novum Hydreum*, καινὸν ὑδρεῖον. Perperam in Tabula, *Pernicide portum*, pro *Berenices portum*. Sed ita fortasse tum appellarunt.

Inde Ocelis Arabiæ portus tangitur.] In quibusdam li- C bris scriptum est, *Oceli*. In aliis: *Ocalia*. Straboni ex Artemidoro Ὠκιλας. Plinio *Ocelis*, ut peripli auctori & Ptolemæo Ὄκιλις. Male apud auctorem peripli Κῆλις nominatur eo loco, qui sic legendus est: Φέρεται δ' ἐξ αὐτῆς ποτὲ ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἐπὶ σχεδίαις διαιρόντων εἰς τὴν ἀντίκρυς Ὄκηλιν καὶ Μοῦζα, ἀρώματα καὶ ἐλέφας ὀλίγος.

Proximum Indiæ emporium excipit Zmirim.] Libri omnes Solini aut *Zmirim* aut *Zymirim* vocant hoc Indiæ emporium. Quem librorum consensum nolui negligere, & sic edendum curavi. Verum tamen hujus portus nomen *Muziris*, Plinio, Ptolemæo, & Arriano, sive quis alius est illius peripli auctor. Sed D hoc sollemne nostro est, ut alia pro aliis substituat locorum nomina. *Zimiris* apud Plinium regio Æthiopiæ, quam heîc pro Muziri portu Arabiæ substituit Solinus, vel ejus correctores. Sic supra *Azanium* Carmaniæ amnem appellavit, qui est *Ananis*, vel *Andanis*. In aliis multis hoc eum de more facere animadverti. Plinius: *Indos autem petentibus utilissimum est ab Oceli egredi. Inde vento hypalo navigant diebus quadraginta ad primum emporium Indiæ Muzirim.* Pro vento *hypalo* legendum *hippalo*. Favonium ita appellarunt indigenæ ab *Hippalo* quodam gubernatore: qui primus navigationem ex Arabia in Indiam alto mari, plenisque velis ingressus E est, quum antea parvis navigiis sinus circumveherentur. Auctor peripli: πρῶτος δὲ Ἵππαλος κυβερνήτης, κατανοήσας τὴν θέσιν τῶν ἐμπορίων, καὶ τὸ σχῆμα τῆς θαλάσσης, τὸν διὰ πελάγους ἐξεῦρε πλοῦν. Ἀφ' οὗ καὶ τοπικῶς ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ φυσώντων τῶν κατὰ καιρὸν, τῶν παρ' ἡμῖν ἐτησίων, ἐν τῷ Ἰνδικῷ πελάγει λιβόνοτος φαίνεται προσονομάζεσθαι, ἀπὸ τῆς προσηγορίας τοῦ πρώτως ἐξευρηκότος τὸν διάπλουν. Sic ille locus legendus. Λιβόνοτον heîc auctor *hippalum* ab Indis vocatum scribit à primo inventore hujus navigationis, Plinius *favonium*. Ita enim scribit eodem capite: *Postea à Syagro Arabiæ promontorio Patalen favonio,* F *quem hippalum ibi vocant peti, certissimum videbatur.* Ita ibi quoque scribendum, non *hypalum*. Promontorium Muziris Ptolemæo dicitur Μόδιρις, pro Μούδιρις. Nam ita quoque appellatur peripli auctori: ἡ δὲ Νελκύνδα σταδίους μὲν ἀπὸ Μουδίρεος ἀπέχει σχεδὸν πεντακοσίους ὁμοίως διά τε ποταμοῦ καὶ πεζῇ καὶ διὰ θαλάσσης. Ita enim scribi debet, non Μουνδίρεως. Paulo ante Μούζιριν appellavit: καὶ μετ' ταύτας Μούζιρις καὶ Νελκύνδα αἱ νῦν πράσσουσαι. Sed Μούζιρις & Μούδιρις idem. Et videntut Latini mercatores *Mudirim* pro *Muziri* dixisse more suæ linguæ, quo Z in D mutant. *Ladi* populi, οἱ Λαζοί: *Cydicos* pro *Cyzicos*: G *Sabadius* pro *Sabazius*: *Trapedia* pro *Trapezia*, & alia multa, quæ alibi notamus. Ptolemæus: Μούδιρις, ἐμπόριον. Plinius hoc emporium non expetendum esse dicit, *propter vicinos piratas, qui obtinent locum nomine Hydras.* In antiquis quibusdam codicibus habetur, *Mitrias*, in aliis *Hydrias*. Legendum, *Nitrias*. Ptolemæo, Νιτρίαι, ἐμπόριον. Idque emporium recenset in ea regione, quam obtinent ἄνδρες πειραταί. Nomen populi fuisse indicat Ptolemæus, qui urbes eorum

rum tam παραλίας quam μεσογείους recenſet. An ex eo nomen hoc illis inditum ſit, quod piraticam exercerent, neſcio. Ita videtur Plinius exiſtimaſſe, & Ptolemæus ipſe. Meminit etiam eorum peripli auctor: καθ' οὓς τόπους εἰσὶ Πειραταί. Nec nimium longe à Muziri emporio Nitriæ emporium, quod erat in regione piratarum. Periplus: μετὰ τὴν λεγομένην χερσόνησον, καθ' οὓς τόπους εἰσὶ πειραταί. Καὶ μετὰ ταύτην Λευκὴ νῆσος. Εἶτα Νάουρα καὶ Τύνδις τὰ πρῶτα ἐμπόρια τῆς Λιμυρικῆς, καὶ μετὰ ταύτας Μούζιρις, καὶ Νελκύνδα, αἱ νῦν πράσσουσαι. Legendum in his verbis: εἶτα Νιτρία καὶ Τύνδις. Ex Plinio & Ptolemæo. Niſi quis malit è converſo Plinium & Ptolemæum ex illo auctore emendare. Scriptum erat *Niura* pro *Naüra*, ut ſupra *Siganas* pro *Saganas*: *Direon* pro *Dareon*. Inde *Nitria*. Sed hæc θεῶν ἐν γούνασι. Muzirin emporium latronibus infame eſſe non dicit peripli auctor. Contra ea tum maxime celebria fuiſſe negotiationibus hæc duo emporia tradit, Muzirin & Nelcynda: αἱ νῦν πράσσουσαι: quæ nunc negotiantur, & frequentantur mercibus. Plinius Muzirin non abundare mercibus ait. Prorſus contrarium teſtificatur peripli ſcriptor: ἡ δὲ Μούζιρις βασιλείας μὲν τῆς αὐτῆς, ἀκμάζουσα δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἀριακῆς εἰς αὐτὴν ἐρχομένοις πλοίοις καὶ τοῖς Ἑλληνικοῖς. Et tamen quod mirere, auctorem eodem, quo Plinium tempore, oportet vixiſſe, ut neceſſariis vincitur argumentis, & hoc uno invincibili. Plinius de Muziri: *regnabat ibi, quum proderem hæc, Celebotras.* Idem rex ibi regnabat, quum periplus ſcriberetur: βασιλείας δέ ἐστιν ἡ μὲν Τύνδις Κηπροβότου, κώμη παραθαλάσσιος ἔνσημος, ἡ δὲ Μούζιρις βασιλείας τῆς αὐτῆς. Scribendum igitur in Plinio, *Cepobotras*, vel *Ceprobotas*. Addit Plinius: *alius utilior portus gentis Necanidon, qui vocatur Becare. Ibi regnat Pandion.* Pro *Necanidon* libri legunt *Neacridon* aut *Neachyndon*. Auctori peripli Νελκύνδα dicitur. Quod verum hujus loci nomen eſt. Apud Ptolemæum ſcribitur Μέλκυνδα. Vetus interpres legit *Melcynda* pro *Nelcynda*. Ita igitur & Ptolemæo reponendum. In Tabula Peutingeri *Nincildæ* pro *Nilcindæ*, vel *Nelcyndæ*. Regio ipſa ibi vocatur *Scytia Dimyrice* pro *Scythia Limyrice*. Quod ſane notandum. Scythiam auſtralem maritimam ab Indi oſtiis eo uſque extendi. Ut non mirum ſit pleraſque ſpecies Indicas etiam *Scythicas* appellatas, ut de bdellio ſupra notabamus. *Tundis* & *Muziris* in eadem Tabula mentio, & *piratarum* populi. Sed & *Colchis Indorum* ibi legitur, qui ſunt Κόλχοι Ptolemæi. De quibus ſupra. Nelcynda igitur portus. Plinius gentis nomen eſſe vult *Neacyndas*, vel *Nelcyndas*, quorum portus Becare. At Νελκύνδα portus ipſius nomen, & diverſum à Becare, vicino alteri emporio. Regnaſſe ibi Pandionem ea ætate prodit Plinius. Idem proditum auctori peripli: ἡ δὲ Νελκύνδα, βασιλείας ἐστὶν ἑτέρας τῆς Πανδίονος. Nec putandum omnes inde loci reges *Ceprobatas* & *Pandionas* fuiſſe nuncupatos, ut Ægypti *Ptolemæos*, & gentis Praſiæ *Palibothros*. Studioſe auctor ille regum nomina commemoravit, qui tum in præcipuis Arabiæ & Indiæ locis regnarent, quum illa literis mandaret, ut Eleazum, Charibaëlem, vel Tharibaëlem, & alios. Quin & mutationes regum in illis regionibus interdum accurate notat. Καλλίενα πόλις ἡ ἐπὶ τῶν Σαραγάνου τοῦ πρεσβυτέρου χρόνων ἐμπόριον ἔνθεσμον γενόμενον. Μετὰ γὰρ τὸ κατασχεῖν αὐτὴν Σανδάνην ἐκωλύθη ἐπὶ πολύ. Ergo eo tempore regnabat in Callienæ emporio Sandaces, qui Saragano ſucceſſerat. De Ceprobata itaque & Pandione idem intelligendum tum locorum ibi regnaſſe, quum periplum illum compoſuit auctor ejus. Quem proinde certum eſt vixiſſe Plinii ævo. Quin etiam Arriano videtur antiquior, cui tamen ſcriptum illud tribuitur. Plinius opus ſuum abſolutum dedicabat Tito Urbis conditæ Anno DCCCXXX. Ab eo ad principium Adriani anni interſunt quadraginta. Quod igitur Adriano conſecratum illum periplum ab auctore Arriano libri vulgati proſcribunt, id non poteſt ſubſiſtere, Vix enim eſt, ut credam eoſdem reges qui in Nelcyndis & Muziri regnabant, quo tempore opus ſuum componebat Plinius, tanto poſt intervallo ſub Adriano Imperatore ibidem regnaſſe. Arrianum Romæ floruiſſe Adriani, Marci, & Antonini Imperatorum temporibus ſcribit Suidas. Antiquior itaque Arriano peripli auctor. Arrianum non eſſe illius operis ſcriptorem alio argumento planum fecimus. Arrianus in Indicis Indi oſtia duo tantum eſſe ait, hic auctor ſeptem numerat. Ægyptium fuiſſe aliquando ex eo colligebam, quod thus in arborum cortice ita concreſcere ſcribit, ὡς ἔνια καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐν Αἰγύπτῳ δένδρων. Non nimis validum hoc argumentum fateri auſim. Nam & alio loco in aliis rebus ita loquitur: ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ φυσώντων τῶν κατὰ καιρὸν τῶν παρ' ἡμῖν ἐτησίων. Ægyptiis ab Oceano eteſiæ non flant. Zephyros quippe eteſias auctor ille intelligit, quibus ſpirantibus in India flat libonotus, qui ab axe occidit. Παρ' ἡμῖν, idem eſt, quod *in noſtro orbe*, ſæpe loquitur Plinius, id eſt, in Imperio Romano, cujus pars quoque Ægyptus fuit. Sic Strabo τοὺς παρ' ἡμῖν opponit Æthiopicis, quia Æthiopia extra imperium Romanum. Profecto antiquum illum auctorem eſſe, & Plinio coætaneum prorſus conſtare debet, alium tamen ab Arriano. Arabiam & Indiam à Cæſare ſubactam, & mercatoribus patefactam non multo ante tempora ſua idem affirmat: νῦν δὲ, inquit, οὐ πρὸ πολλοῦ τῶν ἡμετέρων χρόνων Καῖσαρ αὐτὴν κατεστρέψατο. Quæ de Cæſare Auguſto accipienda ſunt. Peutingeri Tabula *templum Auguſti* in Limyrice Indiæ ponit inter Tundim & Muzirim. Vel hinc liquet auctorem eſſe vetuſtiſſimum, & longe quidem Ptolemæo anteriorem: quem tamen recentiorem eo quidam faciunt. Nunc quis non miretur Ptolemæum tanto poſteriorem, reges tamen eoſdem locorum illorum commemorare qui temporibus Plinii, & auctoris peripli regnabant, eorumque regias recenſere. Μόδουρα, inquit, βασίλειον Πανδίονος. Plinius: *Ibi regnat Pandion longe ab emporio, mediterraneo diſtante oppido, quod vocatur Modura.* Ita legendum, non *Moduza*, ut habent editi, nec *Codura*, ut eſt in ſcriptis. Meminit idem Ptolemæus & regiæ Ceprobatæ, qui Plinii ætate Rex ibi fuit. Καρούρα, βασίλειον Κηπροβότου. Ita ſcribendum, non Κηροβότου. At quis credat urbes illas eoſdem Reges, vel eodem nomine habuiſſe Ptolemæi tempore quos habuere vivente Plinio. Hæc ridicula ſunt. Sed in omnibus talem ſe præbuit Ptolemæus. Nomina urbium quaſi recentium, & extantium ubique recenſet, quæ jampridem eſſe deſierant. Sæpe vetus ac recens ejuſdem oppidi vocabulum velut urbium diverſarum appellationes ponit. Interdum urbes jampridem extinctas & everſas cum novis commemorat, quæ in eorum locum ſucceſſere, aliquando eodem, aliquando alio loco poſitæ. Perſæpolin inter regias Perſidis numerat, quam ab Alexandro everſam fuiſſe nec poſt illa tempora unquam reſurrexiſſe omnibus auctoribus id aſſerentibus conſtat.

Pag.62. A. *Infame piraticis latronibus.*] In priore editione ſcripſerat: *piraticis factionibus.*

Deinde per diverſos portus Cottonaræ ſucceditur, ad quam monoxylis lintribus piper convehunt.] Ita omnes habuerunt antiquæ editiones, & Delriana priores. Ipſe codicem ſuum ſic habuiſſe ſcriptum prædicat: *Cotta honore pervenitur, ad quam monoxylis lintribus piper conon vehunt.* Hunc vero locum eſſe jactat unicum, quem qui caſtiget maximam laudem mereatur. Eam laudem putat ſe meritum eſſe dum ita corrigit; quomodo & edendum curavit: *Deinde per diverſos portus Cottonam pervenitur, e qua monoxylis lintribus piper Necanidon vehunt.* At meo judicio longe major illi merito deberetur gloria, ſi locum illum intactum reliquiſſet, ſicut in editionibus reperit. Eam quippe editionum lectionem vetus omnis liber confirmat, niſi quod in quibuſdam extat: *pervenitur* pro *ſucceditur.* Quomodo & in regio optimo ſcriptum offendi, & in margine adſcriptum *ſucceditur.* Diverſa igitur heic fuit ſcriptura ex gemina editione. In altera lectum eſt, *Cottonara ſucceditur.* In altera: *Cottonaram pervenitur.* Verum illius emporii nomen *Cottonara*, pro quo libri quidam corrupte habent *Cotta onore*, alii, *Quodtaonare.* At meliores ſincerum illud retinuere. Optimus regius cum aliis vetuſtiſſimis plane exhibet: *Cottonare pervenitur, & piper convehunt.* Nunc Pliniana videamus, è quibus hæc ſua conformavit Solinus: *Regio autem, ex qua piper monoxylis lintribus Becaren convehunt, vocatur Cottona.* In ſcriptis codicibus legitur, *Cotionara*, omnino pro *Cottonara.* Hoc germanum

esse hujus regionis nomen fidem facere queat peripli auctor, qui Κοττοναρικὸν piper inde nominatum ostendit: φέρεται δὲ πέπερι μονογενῶς ἐν ἑνὶ τόπῳ τούτῳ τῶν ἐμπορίων γεννώμενον πολὺ λεγόμενον Κοττοναρικόν. A loco *Cottonara*, ubi nascebatur, ita appellatum liquet. Forte *Cottiara* postea appellata. Nam ita Ptolemæo dicuntur: Ἐλάγκων ἐμπόριον, Κοττιάρα μητρόπολις. Peutingeri Tabula: *Blinca, Cotiara.* Eadem loca sunt. Et fortasse Βλάγκων legendum in Ptolemæo. Vel in Tabula scriptum male *Blinca* pro *Elinca*. Hodie *Calecutium* est. Pro *Cottonara* postea corruptum *Cottiara*. Sic qui Κωλικοὶ olim & Κωλιακοὶ, Ptolemæi tempore dicebantur Κόλχοι. Ita etiam vocat Auctor peripli. Ut à Colchis Caucaseis distinguerentur, in Peutingeri tabula cognominantur *Colchi Indorum.* Plinius ex illa regione Cottonare in Becaren emporium convehi solitum piper monoxylis lintribus tradit. Contra Solinus in Cottonaram regionem per diversos portus perveniri scribit, ad quam piper monoxylis lintribus convehebatur. Mentem Plinii nullus vidit, quod illi sollemne est. Cottonara regio interior, in qua piper nascebatur optimum ac plurimum. Id piper lintribus monoxylis per fluvium convehebatur in maritimum emporium nomine Becaren, quod erat situm contra ostia fluvii. Plinius: *Alius utilior portus gentis Nelcyndôn qui vocatur Becare.* Auctori peripli nominatur Βαράκη his verbis: ἑτέρα δὲ κατ' αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ ποταμοῦ πρόκειται κώμη Βαράκη, εἰς ἣν ἀπὸ Νελκύνδων ἐπὶ τῆς ἀναγωγῆς προκαταβαίνουσι τὰ πλοῖα. Hæc aut similia his quum apud auctorem suum legeret Plinius, *Nelcyndas* pro gentis nomine accepit, in cujus regione situs erat ille portus *Becare* vel *Barace*. Atqui *Nelcynda* emporium etiam fuit eidem flumini adpositum, sed longius à mari situm quam Barace, quæ in ipso ostio fluminis ad mare jacebat. Ex Nelcyndis lintres descendebant in Baracen, quæ piper ex Cottonare vehebant. Statio autem navium ad Baracen hærebat, quæ piper Cottonaricum ex Nelcyndis secundo flumine lintribus monoxylis delatum accipiebat. Ptolemæo Βακάρη hoc idem emporium vocatur, & flumen Βάρις, in cujus ostiis situm erat: Βακάρη, Βάριος ποταμοῦ ἐκβολαί. Ergo apud Plinium legendum, *qui vocatur Bacare.* Et mox: *piper monoxylis lintribus Becaren convehunt.* Auctori peripli est Βαράκη. Stephano Βαράκη νῆσος τῆς Γεδρωσίας. Haud scio an eadem sit quæ Ptolemæo Ἀρακία dicitur. Certe non potest esse eadem cum hac Barace Indica. Ptolemæus tamen insulam Βαράκην agnoscit in Canthi sinu contra Indi ostia: ἐν τῷ Κάνθι κόλπῳ νῆσος Βαράκη. Sed eum puto falsum. Ea ipsa est Βαράκη emporium maritimum & portus in ostiis fluminis *Baris*, unde & nomen nacta est. Sed quum eamdem Βακάρην aliis dictam, aliis Βαράκην, diversas censuit, & quod erat necesse situm utriusque disparavit. Immo de sinu videtur insulam fecisse. Sinus Βαράκης peripli auctori dicitur, qui ab Indi ostiis versus orientem procedebat. Ἐμπεριλαμβάνον τὸν κόλπον λεγόμενον Βαράκη. Et paulo post: οἱ δὲ εἰς αὐτὴν κατακλεισθέντες τὴν τοῦ Βαράκου κοιλίαν ἀπόλλυνται. Sic ὁ κόλπος Βαράκης. Ita dictum putavit Ptolemæus quasi insulæ Baraces sinum. Eadem ratione & *Chrysæ sinus* dicitur, in quo est Chryse. Atqui ὁ Βαράκης, τοῦ Βαράκου sinus ille vocatur. Aliud etiam potuit eum in hunc errorem inducere. Loquitur de promontorio peripli auctor, quo sinus ille Baraces cingitur: τούτου δὲ ὑπερέχει τοῦ κόλπου ἀκρωτήριον ἐπικαμπὲς ἀπὸ τῆς Ὀμμάνων τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὸν νότον ὡς εἰς τὴν δύσιν, ἐμπεριλαμβάνον αὐτὸν τὸν κόλπον λεγόμενον Βαράκης. Ptolemæus, quem ex illo auctore multa sumpsisse certa fides est, promontorium ipsum ex illis verbis appellatum existimavit Βαράκην. Inde & insulam eo nomine ibi metatus est. Nam promontoria insularum plerumque nominibus veniunt, & insulæ promontoria invicem sæpe nominantur. Nulla autem fuit insula aut promontorium ista appellatione, sed sinus Βαράκης. Corrigenda autem apud Plinium de Muziri portu & emporio verba ad hunc modum: *Præterea longe à terra abest navium statio, lintribusque adferuntur onera, quæ egeruntur.* Muziris quoque ad fluvium sita erat in mediterraneo distans à Tyndi emporio maritimo, in quo stabant mercatorum naves, stadia quingenta. Arrianus de Muziri: κεῖται δὲ παρὰ ποταμὸν, ἀπέχουσα μὲν ἀπὸ Τύνδεως διὰ τοῦ ποταμοῦ καὶ διὰ θαλάσσης σταδίους πεντακοσίους. Ex his verbis, aut similibus alterius auctoris Plinius sumpsit longe abesse a Muziri navium stationem. Atqui Tyndis emporium non fuit, vel portus, in quem merces adferebantur è Muziri. Aliud emporium habuit ad mare Muziris, quo merces per flumen deferebantur lintribus ad naves quæ ibi stabant. Addit itaque peripli auctor: ἀπὸ δὲ τοῦ κατ' αὐτὴν εἴκοσι, id est, ἀπὸ τοῦ κατ' αὐτὴν ἐμπορίου. Muziris flumini adposita distabat a Tyndi emporio maritimo quingenta stadia, sed ab emporio, quod contra ipsam erat, viginti tantum stadiis aberat. Doctus interpres vertit perperam: *à flumine vero disjuncta viginti stadiis.* Non dicit quo nomine fuerit ille portus. Hinc colligere est & Muzirim dictum fuisse eodem, quo oppidum, nomine, ut in aliis quamplurimis obtinuit. Ptolemæus Μούζιριν in ipsis ostiis fluminis collocat, quod flumen vocabatur ψευδόστομος. Μούζιρις, ἐμπόριον. Ψευδοστόμου ποταμοῦ ἐκβολαί.

Petente sIndiam ante exortum canis, aut protinus ab exortu media æstate solvunt.] Verba ipsa sunt Plinii. Auctor peripli: ἀνάγονται δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ πλέοντες μετὰ τῶν Ἰνδικῶν περὶ τὸν Ἰούλιον μῆνα, ὅς ἐστιν Ἐπιφί. Idem de Limyrica Indiæ regione, quam petebant mercatores: πλέουσι δὲ εἰς αὐτὴν οἱ κατὰ καιρὸν ἀναγόμενοι ἀπ' Αἰγύπτου περὶ Ἰούλιον μῆνα, ὅς ἐστιν Ἐπιφί. Inde dixit Plinius ante exortum canis, aut protinus ab ortu eos incipere navigationem. Nam canem exoriri faciunt temporum illorum scriptores circa decimum nonum Julii.

Revertentes navigant Decembri mense.] In quibusdam libris: *renavigant.* Quæ prioris editionis fuit lectio: *renavigant Decembri mense.* Ita Plinius, quem in ea editione ad verbum expresserat: *Ex India renavigant mense Ægyptio Tybi incipiente, nostro Decembri.* At in nova correxit: *revertentes navigant Decembri mense.* Sic putavit melius vel dissimulari sua furta posse, vel excusari.

Spatium Indiæ decies septies centena & quinquaginta milia passuum proditur.] Plinius eo loco, quem heic noster exscribit: *Carmaniæ oram patere duodecies centena quinquaginta milia passuum Nearchus scribit. Ab initio ejus ad Sabin centum milia passuum.* Locum illum esse, quem expressit Solinus his verbis, evincit id quod sequitur protinus apud hunc Solinum: *At Carmaniæ centum milia.* Quis non miretur hanc diversitatem? Nihil tamen discrepant ab editionum scriptura libri scripti. Quid uterque voluerit nescio. Animo meo neuter eorum verum dixit, si capiatur ex scripto mens utriusque. Primo falsum est Carmaniæ oram patere duodecies centena & quinquaginta milia passuum, quod quasi ex Nearchi sententia Plinius adstruit. Nam Strabo & Arrianus ex eodem Nearcho asserunt non plus in ora maritima Carmaniam colligere, quam tria milia stadiûm & præterea septingenta. Cui summæ si adderentur quinquaginta stadia, ex ea efficerentur rotundo calculo quingenta milia passuum. Strabo: ὁ δὲ τῶν Καρμανίων παράπλους τρισχίλιοι ἑπτακόσιοι μέχρι Περσίδος. Idem narrat Arrianus, & ambo eumdem habere dicunt auctorem Nearchum. De Carmania autem loqui Plinium, cujus oræ tot centena illa milia passuum tribuit, palam est. Nam sequitur statim: *Ab initio ejus ad flumen Sabin centum milia passuum. Inde vineas coli & arva ad flumen Ananin.* At Solinus hæc ita accepit tanquam si tota Carmaniæ ora non majori spatio pateret quam centum milium. Quod est falsissimum. Septingenta tantum ac quinquaginta stadia numerus ille computat, quum ora Carmaniæ tria milia stadiûm cum septingentis occupet. Idem pro Carmania in supradicto Plinii loco Indiam substituit, cujus spatium decies septies centena & quinquaginta milia passuum tenere prodit. Hoc etiam longe a veritate absistere deprehenditur. Præterea debuit indicare, de quo spatio id intelligeret: longitudinis, an latitudinis. Si de latitudine accepit, calculi errore maximo labitur. Nam latitudinem ejus ab occidente ad orientem δισμυρίων esse σταδίων veteres prodidere, quæ summa efficit vigesies sexies centena sexaginta septem milia passuum. At longitudo ejus a Caucasiis montibus usque ad Indi ostia, iisdem auctoribus habet tredecim stadiûm milia, hoc est, decies septies centena ac triginta quinque

quinque milia. Hæc longitudo lateris ejus occidentalis. Nam orientale latus tribus millibus ſtadiûm longius eſſe traditum eſt, quam occidentale. An hoc voluerit Solinus alii videant. In optimo codice ſcriptum eſt: *Spatium Indiæ decies quinquaginta milia paſſuum proditur.* Forte legendum, *duodecies.* Ut idem ſit numerus qui apud Plinium. Et certe ab illo habet, ſed Indiam tantum pro Carmania ſubſtituit. Quod illi in aliis de more eſſe notavimus. Plinius quum duodecies centenis quinquaginta milibus oram Carmaniæ æſtimavit, fortaſſean adjunctam Perſidis oram ſimul comprehendit, quæ tamen addita vix undecies faceret. Vide Arrianum in Indicis, qui Perſidis περίπλουν quatuor milibus & quadringentis ſtadiis prænavigari ſcribit. Idem Plinius capite ſequenti totam navigationem Nearchi ab Indo amne in ſinum Perſicum atque illinc Babylonem XXV milibus paſſuum taxat ex auctoritate Nearchi & Oneſicriti qui eam confecerunt. Sed mendum magnum eſt in numero. Legendum quippe eſſet: *vigeſies ſepties.* Vetus liber Rigaltianus habet XVII hoc modo: *Oneſicritus & Nearchus ab Indo amne in ſinum Perſicum, atque illinc Babylonem Euphratis paludibus ſcripſerunt* XVII *eſſe*, hoc eſt, decies ſepties centenûm milium eſſe. Nimis tamen arta ratione hic etiam numerus cogitur. Nam ab Indo amne ad initium Perſidis juxta Oneſicriti & Nearchi calculum ſunt μύριοι τριχίλιοι ἐννεακόσιοι στάδιοι, hoc eſt, decies octies centena viginti ſeptem milia. A Perſide ad Euphratis oſtia incertam eſſe menſuram propter brevia ac ſcopulos, & luti voragines Nearchus apud Arrianum ſcribit. Si quis exacte ac penſiculate hæc animadvertere intenderet, atque omnia ſcrupuloſis digitis computare, non paucas, nec parvas Plinii hallucinationes in his ponendis calculis deprehenſurum eſſe certus ſum, præter eas quas obſervavi.

Cujus pars non caret vitibus.] Plinius: *ab initio ejus ad flumen Sabin centum M. paſſuum. Inde vineas coli & arva ad flumen Ananin viginti quinque milium ſpatio.* Hic Sabin vocat Carmaniæ fluvium, à quo uſque ad Ananin alterum fluvium vineæ coluntur & arva. Ptolemæo Σάβις Carmaniæ urbs in mediterraneo ſita. Arrianus Βάδιν vocat Carmaniæ locum maritimum, à quo uſque ad Ananin vineæ & arva in cultu. Quod ille habet ex Nearcho. Verba ejus ita legenda: ὁρμίζονται δὲ ἐν Βάδι χώρῳ τῆς Καρμανίας οἰκουμένῳ, δένδρεά τε πολλὰ ἥμερα πεφυκότα ἔχοντι πλὴν ἐλαίης, καὶ ἀμπέλους ἀγαθὰς, καὶ σιτοφόρῳ. Perperam legitur: ἐν βαδειχώρῳ. Et ridicule doctus interpres *Badichorum* vertit. Ab eo igitur loco verſus occidentem Carmania culta eſſe incipit vineis & arvis. Plinius Oneſicritum ſequitur, Arrianus Nearchum. Ille Σάβιν vocat fluvium, hic Βάδιν locum, ubi Carmania cultior eſt. Forte Σάβιν ſcripſerat Arrianus: ἐν Σάβι χωρίῳ. Nam, ut dixi, urbs quoque ibi Σάβις, fortaſſean ad Sabin flumen ſita. Inde populi Σάβαι, quos in ora maritima Carmaniæ ponit Dionyſius:

Πρῶται Σάβαι, μετέπειτα Πασαργάδαι.

Præterea habet genus hominum, qui non alia quam teſtudinis carne vivunt.] Plinius: *In Carmaniæ angulo ſunt Chelonophagi teſtudinum ſuperficie caſas tegentes, carne veſcentes.* Notant quidam abeſſe ſcriptis codicibus verba iſta, *carne veſcentes.* In his, quos vidi, ea habentur. Præterea Solinus agnovit. Nomen quoque quo appellatur hic populus victum eorum fatetur. In ora Carmaniæ locantur à Plinio iſti Chelonophagi. Ptolemæus ibi eos pariter recenſet. Sed mirum eſt Nearchum in eo periplo non meminiſſe iſtorum. Nam Arrianus non prætermiſiſſet eos, qui ex Nearcho totam eam περιήγησιν oræ maritimæ ab Indi oſtiis in uſque Perſidem & inde Babylonem percenſuit ac pertexuit. Strabo Χελωνοφάγους non in hac ora, ſed in longe diverſa ſtatuit, in Arabici nempe ſinus littore, in parte Troglodytarum. Vide ſis illum lib. XVI ad hæc verba: οἱ δὲ Χελωνοφάγοι τοῖς ὀστράκοις αὐτῶν σκεπάζονται μεγάλοις οὖσιν ὥστε καὶ πλεῖσθαι ἐν αὐτοῖς. Agatharchides, & poſt eum Diodorus in eodem littore eos metantur. Ita ille de teſtudinibus, quas piſcantur Chelonophagi: τὰ μὲν ἐντὸς ἅπαντα σιτοῦνται, βραχὺν παροπτήσαντες ἐν τῷ καύματι χρόνον· τοῖς δὲ κύτεσι χρῶνται εἰς τὰς σκηνώσεις, οἱονεὶ καλύβας

A ἐφ' ὑψηλοῖς τόποις στεγνῇ καθιστῶντες. Sic ille locus conſtituendus. Apud Diodorum in eadem narratione perperam legitur, τοῖς σκύτεσιν οὖσι σκαφοειδέσι χρῶνται πρὸς τὰς σκηνώσεις, pro τοῖς κύτεσι. Nec ſemel ibi hoc modo peccatum. Hoc eſt igitur quod de iſtis Chelonophagis dixit Plinius: *teſtudinum ſuperficie caſas tegentes, carne veſcentes.* Quod ipſum tamen haud recte è Græco expreſſum. Nec enim teſtudinum ſuperficie caſas tegunt, ſed eas ſuperficies pro caſis habent, pronas conſtitutas. Una teſta caſam, ſive domum facit: Strabo: σκεπάζονται τοῖς ὀστράκοις αὐτῶν. Quæ Plinius ſic reddit: *earum ſuperficie caſas tegunt.* Immo integuntur illarum ſuper-

B ficie, & ſub illa habitant. Agatharchides: ὥστε εἶναι ναῦν, οἰκίαν, ἀγγεῖον, τροφὴν τοῖς εἰρημένοις ἀνθρώποις. Loquitur de teſtudinis ſuperficie & χελωνοφάγοις. Diodorus de iiſdem: ὥστε δοκεῖν τούτοις τὴν φύσιν δεδωρῆσθαι μιᾷ χάριτι πολλὰς χρείας, τὴν αὐτὴν αὐτοῖς εἶναι τροφὴν, ἀγγεῖον, οἰκίαν, ναῦν. Sic ea verba diſtinguenda ac legenda. Igitur unius teſtudinis ſuperficies illis domus erat, non domus tectum. Idem tamen ſic alibi quoque loquutus eſt: *teſtudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant.* Non integunt caſas, ſed pro caſis utuntur teſtudinum capaci teſta. Rectius multo loquitur in capite de Tapro-

C bane: *eſſe & in piſcatu voluptatem, teſtudinum maxime, quarum ſuperficie familias habitantium contegant, tanta reperiri magnitudine.* Quæ Solinus optime interpretatus eſt: *marinas teſtudines capere gaudent, quarum tanta eſt magnitudo, ut ſuperficies earum domum faciat, & numeroſam familiam non arte receptet.* Οἰκία Græce domum vel habitaculum ſignificat, aliquando tamen etiam pro familia, & numero habitantium ſub eodem tecto ſumitur. In Græcis, unde illa vertit Plinius, fuiſſe videtur. Τοσοῦτον μέγεθος εἶναι τῶν χελωνῶν, ὥστε τὰς ὅλας οἰκίας τοῖς κύτεσιν αὐτῶν σκεπάζεσθαι: *ut totæ familiæ habitan-*

D *tium ſuperficie earum contegantur.* Quod ipſe reddidit: *ſuperficie earum caſas integunt.* Semel tamen verum attigit. Duplices autem Chelonophagi ab auctoribus agnoſcuntur in ora Carmaniæ, & in Arabico littore verſus Æthiopiam. Piſcatio vero teſtudinum tam in Æthiopia quam India celebris. Et ex utroque latere teſtudines Romanis ad delicatiora opera veniebant. Hinc Æthiopicæ & Indicæ teſtudinis mentio leg. XVI, D. *de Publicanis*, ſed locus inſigniter corruptus hoc modo habetur ſcriptus in Florentinis: *adamas, ſapphirus, callainus, beryllus, chelyni & hopia vela Indica.* Scribe: *Chelone Æthiopia vel Indica* Poſſet etiam reti-

E neri *Chelyne.* Nam etiam Græcis dicitur teſtudinis teſta χελύνη. Sed quia cum gemmis recenſetur, poſſet cuipiam videri veri ſimilius ſcribendum *Chelonia*, ut de oculis teſtudinum intelligatur, quas inter gemmas numerat Plinius: *Chelonia oculus eſt Indicæ teſtudinis.*

Non alia quam teſtudinis carne vivunt, hirſuti omnia facie tenus.] Et heîc cavit Solinus ne diſcederet à ſuo more, quem perpetuum velut jus quoddam obtinere voluit, & uſque ad finem perferre. Duos populos confudit hoc loco. Nec enim de Chelonophagis dicit Plinius toto capite hirſutos eſſe, & coriis piſcium veſti-

F ri, ſed de alio populo. Eum audiamus: *In Carmaniæ angulo ſunt Chelonophagi, teſtudinum ſuperficie caſas integentes, carne veſcentes. A flumine Arbi promontorium ipſum inhabitant, præter capita toto corpore hirſuti, coriiſque piſcium veſtiti.* Solinus eos ipſos eſſe Chelonophagos qui à flumine promontorium incolerent, & omnia hirſuti eſſent, putavit. Sed male ratiocinatus eſt. Sed quinam illi ſunt qui promontorium ipſum inhabitant? aut quod illud promontorium? Non legi promontoria ſolita habitari, quæ montium prominentiæ ſunt mari incumbentium. Promontorium illud Carmaniæ eſt. Nam de Carmania heîc ſermo: à flumine Arbi uſque ad promon-

G torium Carmaniæ habitare iſtos hirſutos populos dicit. Legendum itaque: *à flumine Arbi promontorium ad ipſum inhabitant præter capita toto corpore hirſuti.* Fuit cum ſcriberem: *a flumine Arbi ad promontorium Armozum habitant.* De illo certe promontorio heîc intelligendum, & paulo poſt: *à promontorio Carmanis junguntur Armozai.* Nulla ibi debet eſſe capitum ſectio, ſed continuari omnia debent non interrupta ſerie. Igitur à flumine

Arbi ad promontorium Carmaniæ populos esse ait, qui toti sunt hirsuti præter faciem: a promontorio Carmanis Armozæos jungi. *Quidam*, inquit, *interponunt Arbios CCCCII. p. toto littore.* Conjicio itaque in superioribus corrigendum: *a flumine Arbii ad promontorium ipsum inhabitant.* Nam idem plane ibi dicit quod hoc loco, a flumine Arbios incolere usque ad promontorium Carmaniæ: a promontorio jungi Carmanis Armozæos. Non video tamen quomodo verum esse possit quod heîc ait a quibusdam interponi Arbios, inter Armozæos nimirum & Carmanos. Atqui id falsissimum, nec puto cuiquam tale proditum. Ipse Plinius hanc falsam hausit sententiam ex scriptis Nearchi aut Onesicriti male intellectis. Navigationem suam ab ostiis Indi Babylonem usque literis illi consignarunt. Onesicritum sequi profitetur Plinius in eo periplo describendo. Nearchum Arrianus, quem verisimile est paria cum Nearcho scripsisse. Ab oriente occidentem versus navigarunt, ex India quippe revertentes. Ab Indi ostiis primi illis occurrerunt Arbii, quorum oram legerunt maritimam usque ad flumen Arbim. Hi ultimi Indorum. Trans Arbim versus occidentem semper navigantes, littus Oritarum transierunt. Nam Oritas & Arbios disterminat Arbis fluvius. Arbii ad orientem ejus accolunt, Oritæ ad occidentem. In Oritarum ora maritima persequenda prope Tomeri fluminis ostia, in vadoso littore casas & tuguria angusta barbarorum invenerunt, qui adnavigantem classem lacessere & exscensionem parantes prohibere conati sunt. Hi sunt populi quos heîc describit Plinius, & quos a flumine ad promontorium Carmaniæ habitare dixit: *Præter capita toto corpore hirti, coriisque piscium vestiti.* Arrianus ex Nearcho: ἦσαν δὲ οἱ ἁλόντες τάτε ἄλλα σώματα δασέες καὶ τὰς κεφαλὰς, καὶ τοὺς ὄνυχας θηριώδεας. Legendum in his palam est: τάτε ἄλλα σώματος δασέες, ἐκτὸς κεφαλῆς. Plinius ad verbum: *toto corpore hirti præter capita.* Ubi κεφαλὴν pro facie posuit Arrianus. De vestibus eorum ex corio piscium factis addit idem: ἐσθῆτα δὲ ἐφόρεον δέρματα θήρεια: οἱ δὲ καὶ ἰχθύων τῶν μεγάλων τὰ παχέα. Ut non dubium sit eosdem esse. Atqui totum littus Oritarum non illi tenuere, sed in parte tantum illius oræ consederant, nec usque ad Carmaniæ promontorium pertinebant, quum Ichthyophagorum littus longo tractu inter Oritas & Carmanos pateret. Sed nec Arbii ibi interpositi & Armozæis in parte Carmanorum juncti, qui trans Arbin versus Indiam colebant, & Indorum ultimus populus habebantur. Arrianus vestigiis Nearchi insistens post Oritarum paraplum memoratum, repetit Arbios & quantum spatium detineret eorum παράπλους, ibi numerat, quod omiserat supra dicere. Ab illis hirtis populis post præterita trecenta stadia venerunt in locum, qui ultimus erat Oritarum regionis. Ibidem memorat quales fuerint Oritæ vita, & moribus, linguaque. Tum subjicit statim: μῆκος δὲ τοῦ παράπλου παρὰ μὲν χώρην τῶν Ἀρβίων ἐς χιλίους μάλιστα σταδίους ἐνθένπερ ὡρμήθησαν. Quia autem ab oriente in occidentem pergebant, non consideratis quæ præcesserant, quæque sequerentur, Plinius inde arripuit Arbios Armozæis & Carmanis interponi a quibusdam, & populos illos hirsutos, qui in Oritarum littore casas habuere, ab Arbi flumine ad promontorium inhabitare scribit. Certe Oritæ, in quorum παράπλῳ isti reperti sunt, ab Arbi flumine incipiebant, sed non usque ad promontorium pertinebant. Nec Arbii istic erant, sed trans Arbim ad orientem in prima India. In hoc eodem errore pertendens capite XXIII post Ichthyophagos Oritas, sic enim eos appellat, Arbios populos collocat usque ad Carmaniæ initium. Quod est falsissimum. Sed suos, inquies, habuit auctores. Immo non alios habere potuit præter hos, quos diximus, Nearchum & Onesicritum, aut si qui ab illis habuerunt. Contrarium & toto diametro diversum illi tradidere. Sed ecce alias ejusdem hallucinationes ex eodem fonte ortas. Post illos hirtos populos, qui littoris Oritarum partem habitabant, Indiam versus, insulam desertam excipere dicit, Caïcandrum nomine. *Ab horum, inquit, tractu Indiam versus Cascandrus, deserta insula in Oceano L. M. passuum traditur: juxtaque freto interfluente Stoidis, quæstuosa margaritis.* Pro *Cascandrus* reponendum esse *Caicandrus* supra docuimus. In Rigaltiano legitur: *Carscandrus.* In aliis: *Socaïcandros*, pro *Caïcandros.* Hujus insulæ nomen non aliunde sumpsit quam ex Nearcho aut Onesicrito. Nam alii scriptores non meminere. Jam videamus an de situ hujus insulæ cum illis paria narret. Post tractum Oritarum Indiam versus in Oceano ipso eam collocat. At classis Alexandri, Nearcho & Onesicrito præfectis ejus auctoribus, eam insulam in cursu suo offendit, quum e Carmaniæ ora in Persidem transisset. Arrianus ex Nearcho, ἔνθεν δὲ ἄραντες ἐκ τῆς νήσου τῆς ἱρῆς παρὰ τὴν Περσίδα ἤδη ἔπλεον. Καὶ κατάγονται εἰς Ἰλαν χῶρον, ἵνα λιμὴν πρὸς νήσου σμικρῆς καὶ ἐρήμης γίνεται. Οὔνομα τῇ νήσῳ Καΐκανδρος. Ea igitur in sinu Persico, non in Oceano, & Persidi quidem adjacens. Longe igitur ab India. A Caïcandro occidentem versus pergentes, in aliam insulam vicinam navigarunt, in qua margaritarum piscatio celebrabatur: ὑπὸ δὲ τὴν ἕω ἐς ἄλλην νῆσον πλώσαντες ὁρμίζονται οἰκουμένην, ἵνα καὶ μαργαρίτην θηρᾶσθαι λέγει Νέαρχος, καθάπερ ἐν τῇ Ἰνδῶν θαλάσσῃ. Hæc est insula, quam juxta Caïcandrum ponit Plinius, & quæstuosam margaritis esse ait, ac *Stoida* nominat: *Juxtaque eam freto interfluente Stoidis, quæstuosa margaritis.* Miror unde nomen ejus expiscatus sit, quum nec Onesicritus, nec Nearchus id prodiderint. Hujus insulæ meminerat Isidorus Characenus, qui tamen ejus nomen non edidit. Athenæus: Ἰσίδωρος ὁ Χαρακηνὸς ἐν τῷ τῆς Παρθίας περιηγητικῷ κατὰ τὸ Περσικὸν πέλαγος νῆσόν φησιν εἶναί τινα ἔνθα πλείστην μαργαρίτην εὑρίσκεσθαι. Eamdem intelligit. In Persico sinu eam ponit, non in Oceano. Unde igitur nomen ejus insulæ scisse Plinium dicemus? Si quis alius, certe ejus nomen novisse debuit Characenus, ex urbe utpote Charace oriundus, quæ ad sinum Persicum. Liber vetus *Stindis* habet. At lib. IX capite de margaritis, appellatur *Toïdis:* omnino legendum: *Tyndis.* Et videsis Plinii facinus sane memorandum. Quum Caïcandrum insulam in Oceano sitam esse concepisset, versus Indiam, alteram insulam eidem vicinam in qua piscatio erat margaritæ frequens, in eodem Indico Oceano utique etiam locare par fuit. Deinde quum nomen ejus nesciret insulæ, ac legeret Τύνδιν in maris Indici ora emporium margaritis quæstuosum esse, statim eam insulam ita vocari hariolatus est. Ex Tyndi & Muziri cum aliis mercibus etiam plurimas margaritas afferri auctor peripli tradit: φέρεται δὲ καὶ μαργαρίτης ἱκανὸς καὶ διάφορος. Iterum repetamus Arriani ex Nearcho verba: ὑπὸ δὲ τὴν ἕω ἐς ἄλλην νῆσον πλώσαντες ὁρμίζονται οἰκουμένην ἵνα καὶ μαργαρίτην θηρᾶσθαι λέγει Νέαρχος καθάπερ ἐν τῇ Ἰνδῶν θαλάσσῃ. Fortasse ex his verbis animo aliud agente lectis & male intellectis concepit Caïcandrum & alteram ei adjunctam insulam versus Indiam esse & in Indico Oceano sitas. Nam ὑπὸ τὴν ἕω accepit pro ἐπὶ τὴν ἕω: & omissa voce καθάπερ, reliqua illa ἐν τῇ Ἰνδῶν θαλάσσῃ, de situ ipsius insulæ accepit, quasi in mari Indorum positæ. Ideo & Tyndim illius insulæ nomen esse crediderit, quod unum erat ex emporiis Limyricæ Indorum regionis, margaritis quæstuosum. Hæc non sunt φαντασίαι, sed ἀλήθειαι. Quod si non majora peccata in Plinio deprehendissem, & numero quidem vix comprehendenda, nec ipse mihi crederem tot ac tantis eum erroribus ac culpis obnoxium esse.

Hirsuti omnia, facie tenus.] In aliis etiam vetustis: *hirsuti omnes.* Quæ lectio prioris editionis. Forte: *hirsuti omne*, τὸ πᾶν δασεῖς. Auctor Elegiæ in Mecœnatis obitum:

Æetis succis omne perita suis.

Nisi legendum sit *omniperita* unica voce, ut *omniscius, omnipotens*, & similia. Sic igitur legendum illud totum distichon ex veteri menbrana:

Viscera directi mutaverat arietis agno
Æetis, succis omniperita suis.

Directus aries est divisus, ac dissecatus. Nam *dirigere* proprie est διχοτομεῖν, in duas partes rectas & æquales scindere. Plautus:

Clypeatus

Clypeatus elephantum ubi machæra dirigit.
Titinnius apud Nonium: *pernam totam dirigit.* Male apud Nonium *diligo* pro *dirigo.* Festi Abbreviator: *dirigere apud Plautum invenitur pro discindere.* Sic ibi scribendum. Nam vetus liber, qui penes me est, habet *discidere.* Editur: *discedere.* Quidquid contra dicant, *directarius* inde appellatus, qui fores effringit ac dirigit. Basilius in epistola quadam vocat διρεκταρίας & cum latronibus jungit: οἱ πάντα λῃστῶν ἢ διρεκταρίων πεπλήρωται τὰ τῆς ὁδοῦ. At *derectum* aliud est, id nempe, quod recto contrarium. Hinc *in derectum ire*, & *derectam abire*, maledicti loco usurpatum. Sed hæc obiter. *Omne* pro totum Propertius:

---- *quum bibit omne decet.*

Apud Florum: *omne citra utraque Iberum subjecit imperio.* Ita hoc loco: *omne hirsuti.* Ceterum quæ de istis omnia hirsutis habet Plinius, ea partim ex Græcis auctoribus, partim ex Pomponio Mela compilavit, & concinnavit. Mela de Carmanis ipsis hoc tradidit, quod Nearchus & Onesicritus de gente quadam Oritarum maritima scripsere. Hæc ejus verba sunt: *Ab iis, quæ diximus, ad sinum Persicum nisi ubi Chelonophagi morantur, deserta sunt. In ipso Carmanii navigantium dextra positi sine veste ac fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velant, carne vescuntur, præter capita toto corpore hirsuti.* Quos heic vocat *Carmanos*, alii *Ichthyophagos* vocarunt, qui Carmaniis vicini. Plinius quum apud Græcos Nearchum & Onesicritum legisset gentem quamdam Oritarum hoc ritu agitare, & eo modo totos hirsutos esse, putavit Græco Latino pariter auctori fidem constare, & sic eos conciliavit, ut diceret à flumine Arbi usque ad promontorium ipsum Carmaniæ hirsutos illos barbaros incolere. *A flumine*, inquit, *Arbi promontorium ipsum inhabitant, præter capita toto corpore hirti, coriisque piscium vestiti.* Ita hic mos est Plinio diversas auctorum sententias invicem connectere, & per vim efficere ut eædem sint, quæ in totum differunt.

Pag. 62. B. *Vicies & sexagies centena milia passuum patens.*] Non ita loquuntur auctores. Aut igitur legendum: *vicies & sexies centena milia passuum*: aut, quemadmodum est apud Martianum: *vicies & sexaginta.* Ita ille de sinu Persico: *qui sinus vicies & sexaginta milia circuitu patet.* Quod ex hoc loco habet. Apud Plinium ita vulgo scribitur: *Is qui ab oriente est, Persicus appellatur,* XXV. M *passuum circuitu, ut Eratosthenes tradit.* Quæ summa viginti quinque milia passuum tantum efficit. Quod verum esse non quit. Corrigendum ex hoc loco XXVI *circuitu*, hoc est, vigesies sexies. Idque intelligendum esse, vigesies sexies centena milia passuum. Similiter emendandum paulo post: *exadverso est Arabia, cujus* XXII *longitudo*, id est, duodecies.

Oceanum vero, qui ibi influit, Azanium nominarunt.] In optimis codicibus: *Oceanum vero ibi Azanium nominarunt.* In aliis quibusdam, ut editum est, habetur, quemadmodum habet Plinius, quem in priore illa editione verbis etiam ipsis expresserat. Azanius autem Oceanus à regione Azania Æthiopiæ, Ἀζανία Ptolemæo. Marcianus Heracleota: ἢ τὸ βαρβαρικὸν καλούμενον πέλαγος, ἐν ᾧ κόλποι τε πλεῖστοι εἰσί, ἢ οἱ δρόμοι τῆς καλουμένης Ἀζανίας. Hephæstion Thebæus lib. I. capite περὶ τῆς δωδεκατημορίων ὀνομασίας τε ἢ δυνάμεως appellat Φαζανίαν, sed corruptum est pro Ἀζανία, his verbis: ὑπόκειται δ' αὐτῷ ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα ἕως τῶν Ὠκεανοῦ ῥοῶν, Φαζανία, Νασαμωνῖτις. Recte alio loco eidem dicitur Ἀζανία, eodem capite: Σαυρομαλική, Ὠζιανή, Σογδιανή, Ἀραβία, Ἀζανία, Καρμανική. Male est in libro Γεραμανική. In alio tamen astrologico clare distinguitur Φαζανία ab Ἀζανία, ubi per terniones describuntur regiones omnes quæ singulis dodecatemoriis subjacent: Ἀραβία, Ἀζανία, μέση Αἰθιοπία. In alio deinde ternione: Φαζανία, Νασαμωνῖτις, Γαραμαντική.

Carmaniæ Persis annectitur, quæ incipit ab insula Aphrodisia.] Plinio *Aphrodisias* dicitur hæc insula, ἡ Ἀφροδισιάς. Debuit itaque hic dicere, *ab insula Aphrodisiade.* Est Ἀφροδίτης νῆσος. Ptolemæus in Arabico sinu Ἀφροδίτης νῆσον collocat, quam Plinius vocat *Aphrodisiadem.* Arrianus ex Nearcho Καταίαν proprio nomine nuncupat, quam Mercurio & Veneri sacram fuisse dicit, ut non minus Ἑρμαία quam Ἀφροδισιὰς indigetari potuerit:
A ἔνθεν ἐς Καταίαν νῆσον ἐρήμην ἀλιτενέα. Αὕτη ἱρὴ Ἑρμέω ἢ Ἀφροδίτης ἐλέγετο. Eamdem esse cum Plinii Aphrodisiade, quod sequitur indicat: μέχρι δὲ Καρμανίη, τὰ δ' ἀπὸ δὲ Πέρσαι ἔχουσι. Item paulo post de eadem: ἐνθένδε ἄραντες ἐκ τῆς νήσου τῆς ἱρῆς παρὰ τὴν Περσίδα ἤδη ἔπλεον. Plinius: *Insula Aphrodisias habitatur. Inde Persidis initium ad flumen Oroatin.* Non habitari eam insulam, sed desertam esse scripserat Nearchus, ut scimus testimonio Arriani, cui ut puto paria prodebat Onesicritus.

Littore, quo occasui objacet, porrecta millia passuum quinquaginta.] Ita libri quos vidimus, & quos alii viderunt. Sed deest numerus major *quingenta.* Sic
B enim legendum ex Plinio: *porrecta quingenta milia passuum & quinquaginta.* Scriptum erat, *porrecta D. milia passuum* L. Non aliter in Solini libris legit Martianus qui hic habet: *littore qui occasui objacet milium est quingentorum quinquaginta.* Ergo scripserat Solinus: *porrecta milia passuum quingenta quinquaginta.* Harum dictionum similis sonus fecit, ut alterum librarii omiserint. Nearchus apud Arrianum Persidis littus quatuor milium & quadringentorum stadiûm esse dicit: μῆκος δὲ παράπλου τῆς Περσίδος χώρης στάδιοι τετρακόσιοι ἢ τετρακισχίλιοι. Strabo τετρακοσίους & τετρακισχιλίους computat. Plinii vero numerus, qui per passus putatur, quatuor mi-
C lia ac centum viginti quinque stadia efficit tantum. Notanda heic ridicula Solini hallucinatio & eum sequuti Martiani. Persidem littore, quo occasui objacet, porrectam esse milia quingenta ac quinquaginta volunt. Atqui ora maritima Persidi non occasui objacet, sed ad meridiem protenditur. Persis ab occasu Susianen habet, qua parte nullum est littus. Etsi hoc satis notum sit, auctoritatibus tamen stabiliendum. Ptolemæus de situ Persidis: ἀπὸ δὲ μεσημβρίας τῷ ἀπὸ τοῦ Ὀροάτιος ποταμοῦ μέχρι Βαγράδα μέρει τοῦ Περσικοῦ κόλπου. Missi Theodosii: *Media, Parthia, Persis, finiuntur ab oriente flumine Indo: ab*
D *oriente flumine Tigri: ab occidente flumine Euphrate: à meridie mari rubro. Longitudo* M. P. M. DCCCCXX. *Latitudo* CCCCXXI. De latitudine non conveniunt cum Plinio, sed mendosum esse numerum puto. Vide Strabonem lib. XV de longitudine & latitudine Persidis. Solinum porro in errorem induxit Plinius, dum ita loquutus est: *Ipsa Persis adversus occasum sita, obtinet littore* CCCCCL. *milia passuum.* Ita legendum in Plinio ac distinguendum, non, ut vulgo est: *Ipsa Persis adversus occasum sita obtinet litora* CCCCCL. M.P. Quod reor correctores ex hoc ipso Solini loco mutasse. Ea verba Plinii grammaticus sic intellexit, quasi littus Persidis, hoc est, oram mari-
E timam occidenti obversam esse dixisset, pudendo errore, & quem revincit regionis situs. Plinius in tota illa περιηγήσει sequitur cursum, quem tenuit classis Alexandri Magni ab Indi ostiis navigans ad Euphratis ostia, hoc est, ab oriente versus occidentem. In hac navigatione persequenda è Carmania in Persidem pergitur legendo littus. Proxime præcessit apud Plinium Carmaniæ descriptio, & mensura quam littore obtinet. Sequitur Persis adversus occasum sita, quæ littore & ora maritima sua occupat quinquaginta milia passuum. Carmania autem ab occasu Persidem habet, non Persi-
F dis littus occasui objacet, ut falso heic scribit Solinus.

Translata quondam in Parthicum nomen.] Non recte Delrius illud, *quondam*, uncinis inclusit veluti expungendum. Quidam sane libri non id agnoscunt, sed in nostris melioribus habetur. Plinius: *In Parthorum jampridem translata nomen.* Ostendit Plinius his verbis adhuc ætate sua Persas sub Parthis fuisse, & jampridem in Parthorum nomen Persidem transisse. Aliud vult Solinus, ex cujus ratione colligitur, eo tempore quo illa scribebat, hoc quondam fuisse, non amplius esse. Unde liquet Solinum vixisse post restitutum Persis imperium, quod factum est Alexandro Mamæa impe-
G rante, ultimo Arsacidarum Artabano occiso ab Artaxare Persa. Longe itaque posteriorem fuisse oportet hunc Solinum Alexandri Mamææ ævo. Ubi sunt qui Plinio illum antiquiorem asserunt, & ab eo Plinium omnia sumpsisse volunt? Hæc legant, ac desinant opinionis.

Oppidum ejus nobilissimum Susa.] Quo magis ad metas properat, eo graviores ac crebriores lapsus incurrit: de industria eos spissare crederes. Oppidum Persidis nobi-

nobilissimum Susa. Immo Susianes, quam regionem a Perside proprie ac stricte sumpta omnes auctores distinguunt. Plinius ipse, quem ubique sequitur, de Media: *a meridie habet Siltacenem, & Susianem, & Persida.* Ptolemæo alia est Σεσιανὴ, alia Περσὶς, & distinctis capitibus tractantur. Persidis nobilissima olim urbs fuit Persæpolis, quam Alexander diruit, nec unquam postea instaurata est. Ptolemæus tamen tanquam extantem recenset, magno errore, sed qui sollemnis est illi. At Susianes primum oppidum Susa. Plinius lib. VI. cap. XXVI. *Infra est Susiana, in qua vetus Regia Persarum Susa, a Dario Hystaspis filio condita.* Hinc errandi ansam arripuit noster. Ceterum Persæ eo loco apud Plinium non strictiori notione de Persidis regione speciali accipiendi, sed lata appellatione de populo dominante. Persæ tum imperabant, quorum regia vetus fuit Susa in Susiane posita. Herodotus: Σοῦσα ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνταῦθα εἰσί. Veterem regiam Persarum Susa fuisse dicit Plinius, quia Persæpolis erat tum Persarum regia, & in Perside quidem ipsa sita, quum eorum imperium ad Macedonas transtulit Alexander. *Persæ* igitur apud Plinium pro Persarum imperio, non pro Perside regione. Stephano Σοῦσα Περσικὴ πόλις dicitur, sed eo sensu, quo & Βαβυλῶνα Περσικὴν πόλιν vocavit, Persici nempe imperii urbem, sed in Babylonia, sive Mesopotamia sitam. Distinguit ille inter Περσικὰς πόλεις, & πόλεις Περσίδος. Hæ sunt Persidis urbes, illæ Persicæ dominationis. Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις, μητρόπολις, Σελεύκεια καλουμένη. Idem: Περσέπολις πόλις Περσίδος. Sic apud Isidorum Characenum Παρθικοὶ σταθμοὶ mansiones sunt imperii Parthorum; at σταθμοὶ Παρθυήνης mansiones Parthiæ regionis proprie ac specialiter sumptæ. *Persæ*, inquit Plinius, *rubrum mare semper accoluere, propter quod sinus Persicus vocatur. Regio ibi maritima Cyropolis.* Hic Persæ sunt Persidis regionis incolæ, quatenus stricta appellatione ponitur. Sed mirum ibi regionem Persidis maritimam nominari Cyropolim. Nec quicquam juvat *regiam* pro regione reponere. Cyropolis non fuit regia Persidis, sed in altera extremitate Persici imperii, in Sogdianorum finibus sita, tantum abest ut maritima Persidis fuerit. *Cyreschata* etiam dicebatur. Stephanus: Κύρου πόλις, ἣ καὶ Κυρέσχατα καλεῖται, πρὸς τοῖς ἐσχάτοις Περσίδος. Immo non Περσίδος sed τῆς Περσῶν ἀρχῆς. Nam Græci Περσίδα nunquam ponunt nisi de particulari Persarum regione. Strabo: Κυρέσχατα, Κύρου κτίσμα ἐπὶ τῷ Ἰαξάρτῃ ποταμῷ κείμενον, ὅπερ ἦν ὅριον τῆς Περσῶν ἀρχῆς. Longe igitur hæc Cyreschata a maritima Persidis ora. An Plinius cum legisset Κυρόπολιν ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς Περσίδος sitam esse, alteram cogitavit extremitatem, & in maritima eam metatus est. Hoc non abludit a genio Pliniano. Hanc sententiam confirmat, quod nusquam alibi præter quam hoc loco Cyropolis meminit. Libri tamen ejus heic legunt, *Cerobolus.* Nullam isto nomine novi Persidis regiam, aut regionem maritimam. Μεσαμβρίη Arriano nominatur locus Persidis in ora maritima. Sed hæc non videtur esse, nominum sono vix respondente. Recte autem Stephanus Κυρέσχατα & Κυρόπολιν urbem eamdem facit. Nam Κυρόπολις Arriano & Curtio, quæ Κυρέσχατα in extremis Sogdianorum finibus ad Jaxartem. Non recte Ptolemæus Κυρέσχατα & Κυρόπολιν statuit diversas, dum illam in Sogdiana collocat, istam in Media. Sequitur Ptolemæum Ammianus, ut semper, qui Cyropolim inter Mediæ urbes recenset: *inter quas opibus & magnitudine mœnium conspicua sunt, Heraclia, & Arsacia, & Europos, & Cyropolis, & Ecbatana sub Jasonio monte in finibus sita Syromedorum.* Longe alium huic Cyropoli situm assignat, quam Ptolemæus in finibus Syromedorum. At Syromedia teste Ptolemæo Persidi prætenditur: καὶ παρ' ὅλην τὴν Περσίδα, ἡ Συρομηδία. Inde est quod Cyropolin ad ultimos Persidis fines collocat: Κυρόπολις, πρὸς τοῖς ἐσχάτοις Περσίδος. Nam Syromedi, in quorum regione Cyropolin constituit Ammianus, πρὸς τοῖς ἐσχάτοις Περσίδος. Certe, ut jam notavi, nunquam Græciæ auctores τὴν Περσίδα pro Persarum imperio usurpant, sed nec Latini. Ptolemæus Cyropolin ad mare ponit, sed mare Caspium, in quod egeritur & Cyrus amnis.

A Plinius ad sinum Persicum, ut hæc ejus verba clare clamant: *propter quod sinus Persicus appellatur. Regia ibi maritima Cyropolis.* Quis non miretur has veterum auctorum hallucinationes? Nulla ad Caspium mare Cyropolis, nulla ad Persicum, sed ex prave intellectis antiquiorum verbis errores isti profecti sunt, qui Κυρόπολιν, vel Κυρέσχατα ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς Περσικῆς posuerunt. Quod est Persici imperii, hoc alii de Persidis finibus, alii de Mediæ accepere. Et hos fines alii ad mare Caspium, alii oppositos ad mare Persicum interpretati sunt. Sic Κῦρον fluvium Strabo confundit cum *Coro.* Ille in Caspium sinum, iste in Persicum exoneratur. Sequitur apud
B Plinium: *Qua vero ipsa subit ad Medos, Elymaïs, Megala locus appellatur.* Haud scio an hæc vera. Plinius supra Elymaïdem posuit ad mare, quæ flumine Oroati dividitur a Perside: *inde Persidis initium ad flumen Oroatin, quo dividitur ab Elymaïde.* Marcianus Heracleota Elymæos sinum Πηλώδη Persici maris accolere dicit: παροικοῦσι δὲ τὸν κόλπον τοῦτον, καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν τόπους Ἐλυμαῖοι τῆς Σουσιανῆς ὄντες χώρας. Male apud eum legitur: ἐπὶ σηλώαν κόλπον λεγόμενον, pro ἐπὶ Πηλώδη. Ptolemæo dicitur Πηλώδης. Stephanus: Ταξίανα, νῆσος περὶ τὸν Πηλώδη κόλπον τῆς Σουσιανῆς. Marcianus Ταξίαν vocat: κατὰ δὲ τὸν κόλπον τοῦτον νῆσος κεῖται, Ταξία λεγομένη. Ptolemæus:
C κατέχουσι δὲ τῆς Σουσιανῆς, τὰ μὲν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ Ἐλυμαῖοι. Ita legendum, non Ἐλδιμαῖοι. De his Elymæis Persici sinus accolis capienda & hęc Plinii verba cap. XXXVII. lib. VI. *Carmani, Persæ, Elymæi.* Hoc enim ordine scribendi, libris auctoribus. Inde Elymaïs regio, quam in ora Persici sinus passim censet Plinius, ut cap. XXVII. *Hi prætendunt supra Elymaïda, quam Persidi in ora junximus.* Et paulo post: *infra Eulæum Elymaïs est in ora juncta Persidi.* Unde igitur hoc loco Elymaïs, quæ subit ad Medos? Libri habent, *Clinias.* Verum quis istam novit? Invenio & Ἐλυμαΐδα apud Ptolemæum in Me-
D dia regione: μεθ' οὓς ἐκτέταται μέχρι τῆς Παρθίας ἡ Χωρομιθρηνή, ἀρκτικωτέραν ἔχουσα τὴν Ἐλυμαΐδα. Hæc Ἐλυμαῒς, quæ septentrionalior est Choromithrene Mediæ regione, longe distat ab illa Elymaïde, quæ oram Persici sinus accolit. An Elymaïs illa maritima usque ad Medos subierit sine ulla interruptione, id vero nescio. Sed nec videtur: Nam multas interponit alias regiones Ptolemæus. Strabo Elymæos supra Apolloniatin collocat, longe a mari, & montana incolentes facit, & Parætacenis vicinos. Ptolemæo Parætaceni Persidem incolunt, qua parte Mediæ contigua est. Herodoto Parætaceni Mediæ accensentur. Ste-
E phano Παραιτάκη πόλις Μηδίας. Isidorus Characenus Sacastenen regionem & Parætacenen eamdem statuit: ἐντεῦθεν Σακαστηνὴ Σακῶν Σκυθῶν, ἣ καὶ Παραιτακηνή. Straboni Σακασσηνὴ regio Albaniæ vicina & Cyro fluvio. Longe ab ea Sacæ Scythæ degunt. Longe utraque provincia a Parætacene Ptolemæi. Idem Ptolemæus Σακαστηνὴν, vel Σακασσηνὴν ad montem Paryedren locat. Ita enim appellanda, quæ apud eum vocatur Σακαπηνή. Pro *Megala* in Plinio libri habent *Cegale.* Vide an sit *Gabale.* Sed de his infra. Persis igitur semper à Susiane disiuncta, licet Strabo scribat Susianen propemodum partem esse Persidis. Ipse tamen utram-
F que semper distinxit: ἡ μὲν χώρα ἡ Περσὶς, καὶ ἡ Σουσιανὴ τοιαύτη. Et alibi passim. Nugatur ergo hic Solinus qui nobilissimum Persidis oppidum fuisse dicit Susa. Certe olim regia fuit regni Persici, non Persidis metropolis. Hæc mens Plinii. Ammianus quoque ex recentioribus Susianen separat à Perside, & Susa dat Susianis, non Persis: *His tractibus Susiani junguntur, apud quos non multa sunt oppida, inter alia tamen eminet Susa domicilium regum, & Arsiana, & Sela, & Arecha.* Ptolemæo Ἄγα, Ἀσία, Ἀρακκα & Σέλη urbes Susia-
G nes. Inde corrigendus Ammianus. Ab illa Aracca vel Arecca Susidis, *Areccai campi* Tibullo, in quibus naphthæ, hoc est, liquidi bituminis fontes scaturiebant:

Ardet Areccais aut unda perhospita campis.

Ita legendum, non Arectæis. *Aracca* illa, vel *Arecca* in confinio Susianæ & Babyloniæ. Sed ad Susianen pertinebat. In Susiana autem naphthæ liquidæ fontes. Strabo lib. XV de liquido bitumine: ὅτι ἡ μὲν ὑγρὰ, ἣν καλοῦσι νάφθαν, γίνεται ἐν τῇ Σουσίδι, ἡ δὲ ξηρὰ δυναμένη

μὲν ἡ ἐπιτήδειη ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ. *Unda perhospita* Tibullo est naphtha, τὸ ἄγαν ξενίζον ὕδωρ. *Perhospita*, ut *pervesperi*, *peradulescens*, *perastutus*, *perinteger*, *pervirgo* Ciceroni. Plinius: *Naphtha liquidi bituminis modo profluens circa Babyloniam.* Arecca autem illa *Arec* dicitur Genes. x. Ἀρβακλωνὴ regio apud Strabonem alia est, nec mutanda in Ἀρακτιλώνην. Sed hæc alibi. Sequitur apud Ammianum: *fluvii vero multi per hæc loca discurrunt; quibus præstantior Oates, & Harax, & Meseus.* Scribe: *Oroates, Charax, & Mosæus.* Ὀροάτης amnis, cujus ἐκβολὰς in Susiana ponit Ptolemæus. Hic Persidem à Susiana disterminabat. In Perside etiam hunc fluvium locat Ammianus paulo post: *quorum maximi sunt Oroates, Rogomanis & Brisoana.* Ita emendo pro *Vatrachites.* Inepte autem eidem Ammiano Charax fluvius Susianes vocatur, quæ urbs fuit. Habet omnia sua geographica à Ptolemæo, apud quem sic legitur: Χάραξ Σπασίνου, Μωσαίου ποταμοῦ ἐκβολαί. Characa ille pro fluvio accepit.

A Susis Carbyle, sive Barbyte oppidum.] Non potui pertendere contra hunc librorum consensum, qui uno spiritu omnes sic legunt. Et quo tutius possis credere ita Solinum scripsisse, en tibi Martianum, qui ex hoc loco ita quoque scripsit: *Susa juxta Carbile, sive Barbite in centum triginta milibus.* Sic etiam omnia ejus exemplaria scriptum exhibent, & vidi antiquissima. Apud Plinium in libris veteribus *Barbathace*, & locatur in septentrionali latere Tigris. Βαβυτάκη Stephano πόλις Περσικὴ notatur, quam correctores Plinio donaverunt, me quidem non renuente. Sed Plinii fidem suspectam heîc quidem habere cogor. Cui enim sit verisimile ad credendum, unicam urbem, & in illis locis odio auri laborare, contrahere id ac defodere, ut ab omnium oculis & usu removeretur. Hoc profecto incredibile. De Scythis hoc aliquibus, aut Indis, aut populo saltem aliquo universo magis fidem inveniret, quam de urbe sola in ea regione posita, quæ diversis moribus & institutis uteretur. De Satarchæis, vel Satarchis hoc ipsum narrant, usu auri argentique abdicato ab avaritia publice mores suos vindicasse. Vereor ut sit nomen alicujus urbis Persicæ, in qua gazophylacium regum fuerit, aurumque ibi defossum servaretur, quod Plinius alio fini contractum & conditum interpretatus sit. Quid autem voluerit Solinus cum sua Carbile, vel Barbite juxta scio cum illis qui nesciunt: nec urbes hoc nomine reperio. Hunc Plinium audiamus ut emendemus, de Babythace, vel Barbathace: *ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt, id defodiunt ne quo cui sit in usu.* In optimo Rigaltiano codice legitur: *contrahunt defodiunt quod ne cui sit in visus.* Scribendum utique: *iis mortalium solis aurum in odio: contrahunt defodiuntque id ne cui sit in usu.* Paulo aliter Pincianus hæc legebat. Nos proxime tamen veritatem, quidquid auri habere possunt, in unum id publice colligunt, ac defodiunt ne cui sit usui. Mirabilis profecto res, sed magis miram reddit rationem, immo ridiculam Solinus, qui sic expressit: *In quo mortales universi odio auri coëmunt hoc genus metallum, & abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti usu ejus avaritia corrumpant æquitatem.* An adversus aurum tantum odia sua exercent, argentum autem & æs admittunt? Si aurum adversantur, cur coëmunt? promptius erat non admisisse, & usum ejus interdicere popularibus, ut fecere Lacedæmonii. Aurum quippe coëmebant illi, ut perderent, ac pessumdarent. Ergo & merces, aliæque res, quas auro permutabant, similiter iis peribant. Unde igitur viverent, nihil illis restabat. Quis enim credat gratis aurum eos à vicinis urbibus accepisse, ut possent perdere ac defodere? Mercibus itaque aliis hoc genus metallum emebant. Quo magis magisque hæc considero, eo magis videntur ridicula, & incredibilia. Aurum eos coëmere non dicit Plinius, ut perperam Solinus interpretatur, sed contrahere id quod haberent, id est, in unum conferre. Sed unde illis veniebat hoc aurum? Semel contractum defodisse satis fuit, & post illa neutiquam recipere. *Contrahere* aliquando significat emere. Unde *contractus*, συναλλαγὴ, συνώνησις, exponitur in glossis: & συναλλάσσω, *contraho*, *cambio*, permuto. Sed heic eo sensu non potest accipi ut fecit Solinus, ubique sibi similis.

Pag. 62. C. *Hoc genus metallum.*] Ita libri. Vulgo: *hoc genus metalli.* Sic supra: *Silvas hoc [?]nus edit.* Et sic alii auctores loquuntur.

Hic inconstantissimus terrarum modus.] Vetus liber quidam, isque optimus: *Hic inconstantissimus nostrarum modus.* Noster *modum* semper usurpat pro mensura. Et sane *modus* est μέτρον. Unde *modicus*, μέτριος. *Commodus*, σύμμετρος. Inde & *modius* quo modus, id est, mensura frugum colligitur. Idem paulo post: *addidit & loca stationum, & spatiorum modum.* Addit Solinus hoc loco: *Nec immerito, cum aliæ circa Persidem nationes schœnis, aliæ parasangis, aliæ incomperta disciplina terras metiantur.* Non intellexit Plinium, cujus hæc verba sunt: *inconstantiam mensuræ diversitas auctorum facit, cum Persæ quoque schœnos & parasangas alii alia mensura determinent.* Non hoc inconstantiam mensuræ faciebat, quod alii schœnos, alii parasangas, alii alia mensurarum nomina ac modos in metiendis terris usurparent, sed quod idem mensuræ nomen, schœnum ut puta, vel parasangam in eadem regione, alii majore mensura æstimarent. In Galliis olim alii leucis, alii miliaribus itinerum spatia definiebant. Nulla hinc inconstantia gigni poterat ubi notum esset, quot miliaria quot leucis responderent. Ceterum ubi leucæ nomen alii minore, alii majore mensura determinant, tum oritur discordia, & modus terrarum incertus. Ut in Galliæ hoc regno provinciæ sunt, quæ leucæ spatium minore modo definiunt, aliæ quæ majore, ex eo inconstantia & diversitas. In Perside similiter schœni modo ampliore, modo breviore spatio æstimabantur, & proinde incertum est, quum auctores locum à loco tot schœnis distare dicunt, de quibus intelligendum sit, minoribus an majoribus. Idem est & de parasangis. Nam παρασάγγην quidam triginta stadia patere ajunt. Hesychius: Παρασάγγης, μέτρον ὁδοῦ τριάκοντα σταδίους ἔχων. Hero quoque in Isagoge triginta stadia tribuit parasangæ: ὁ παρασάγγης ἔχει μίλια τέτταρα, σταδίους τριάκοντα: ἐστὶ δὲ τὸ μέτρον Περσικόν. Alii quadraginta, quidam etiam sexaginta stadiorum fecerunt hanc Persicam mensuram. Strabo hanc eamdem causam esse vult inconstantiæ mensurarum, quod ejusdem mensuræ nomen alia atque alia definitione acciperetur, non quod diversis mensuris uterentur lib. XI. Τὸν δὲ παρασάγγην τὸν Περσικὸν, οἱ μὲν ἑξήκοντα σταδίων φασὶν, οἱ δὲ τριάκοντα ἢ τετταράκοντα. Ἀναπλεόντων δὲ ἡμῶν τὸν Νεῖλον, ἄλλοτ᾽ ἄλλοις μέτροις χρώμενοι τὰς σχοίνους ὠνόμαζον ἀπὸ πόλεως ἐπὶ πόλιν. Ὥστε τὸν αὐτὸν σχοίνων ἀριθμὸν, ἀλλαχοῦ μὲν μείζω παρέχειν πλοῦν, ἀλλαχοῦ δὲ βραχύτερον. Quum igitur diversæ mensuræ modus eodem nomine signatur, hæc ratio facit incertam fidem spatiorum, non quum diversis mensuræ nominibus ac modulis una aliqua gens utitur. Quod de schœnis in flumine Nilo navigando dicit Strabo, id egregie Hieronymus explicat his verbis ex commentario in Joël: *In Nilo flumine, sive in ripis ejus solent naves funibus trahere. Certa habentes spatia, quæ vocant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Hi sunt σχοῖνοι Strabonis, quibus ad mensuranda intervalla de urbe in urbem in amne Nilo navigantes utebantur. Hero σχοίνῳ idem attribuit spatium, ac parasangæ: ὁ σχοῖνος ἔχει μίλια τέσσαρα, σταδίους τριάκοντα. Alius erat schœnus, sive funiculus, quo terras metiebantur, quod & σωκάριον vocarunt agrimensores, & σχοίνιον, quorum alterum fuit δεκαοργυιαῖον, alterum δωδεκαοργυιαῖον. De quibus supra diximus. Solinus schœnos, quibus itinera metiebantur, cum schœnis, quibus terræ & agri mensuram accipiebant, heic videtur confudisse. *Inconstantissimus*, inquit, *hic terrarum modus: cum aliæ circa Persidem nationes schœnis, aliæ parasangis, aliæ incomperta disciplina terras metiantur.* Planum est accepisse hæc de mensuris agrorum. Nam *terræ* agri sunt. Siculus Flaccus de conditionibus agrorum: *& quomodo quidam congestionibus lapidum, ripis substructionibus terras, ne dilabantur, excipiunt. Ita si ad tutelam terram extruantur, videndum an & finitiones præstare debeant.* Et apud Innocentium de notis literarum: *nigriores terras invenies, * si in Campaniis fuerit, rotundos fines habentes.* Item alius

incertus: *& ad pectus steriles terras habet, & confragosas.* Idiotismo quoque nostro *terras* hodie dicimus pro agris. *Modus* etiam proprie de agri mensura:

---- *modus agri non ita magnus.*

A Schœni & parasangæ itinerum & navigationis mensuræ, non terrarum aut agrorum. Hinc vides nihil posse fieri fingique isto Solino insulsius, aut incogitantius animal.

C A P U T. L V.

Parthia, & circa Parthiam regiones. Item Cyri sepulcrum.



PAg. 62. D. *Parthia quanta omnis est.*] Parthiæ nomine hoc loco debes intelligere imperium Parthorum, τὴν Πάρθων ἐπικράτειαν, non particularem provinciam, in qua Parthi indigenæ residebant. Sic Παρθίαν accepit Isidorus Characenus, quum Παρθίας περιηγητικὸν conscripsit, & Παρθικοὺς σταθμούς. Totum Parthicum regnum eo nomine comprehendit. Ita enim clausit libellum de mansionibus Parthicis: ἄχει τούτου ἐστὶ τῆς Πάρθων ἐπικράτεια: vel, ut in libro regio legitur: ἄχει τούτου ἐστὶν ὑπὸ τῇ Πάρθων ἀρχῇ ἡ χώρα. Eodem prorsus modo hodie Franciæ nomen dupliciter sumitur pro regno Francorum, & pro speciali provincia:in qua consederuntFranci.Non minus autem & *Parthia* dicta est propria ac priva Parthorum regio, quæ & Παρθυαία & Παρθυηνή. Et falluntur qui hæc distinguunt vocabula.Nam Πάρθοι populi iidem & Παρθυαῖοι, ut Ἄριοι & Ἀριηνοί: Παλίβοθροι, & Παλιβοθρηνοί,& similia sexcenta. Stephanus: λέγονται δὲ καὶ Πάρθοι, καὶ Πάρθιοι, καὶ Παρθυαῖοι, καὶ Παρθυαία ἡ χώρα, καὶ Παρθυηνή, καὶ Παρθυηνός. Plinius cap. xxv. *Quod ad Parthos attinet, semper fuit Parthia in radicibus montium supra dictorum.* Hic Parthia significat Parthorum regionem specialem, non regnum. Nugas agunt, qui *Parthyæam* reponi volunt ex Stephano. Nam & supra idem cap. xv *Parthiam* similiter pro Parthorum regione posuit: *iis à latere occurrunt deserta Parthiæ.* Et paulo post: *mox ejusdem Parthiæ amœnissimus situs, qui vocatur Choara.* Παρθία igitur utrumque promisce significat, tam regnum, quam regionem Parthorum. At Παρθυαία, vel Παρθυηνή regionem designat tantum. Et hic typus fuit quamplurium illius imperii provinciarum, Ξερξηνή, Καμβυσηνή, Σωφηνὴ & μυρία ἄλλα. Hinc auctorum scripta titulis distinguenda, qui Παρθικὰ scripsere, & qui Παρθυηνικά. Illi res Parthicas totius imperii Parthorum tractaverunt, isti origines Parthorum, resque duntaxat eas quas in patria gesserunt, exponebant. Quadratus sæpe citatur apud Stephanum ἐν Παρθυηνικοῖς. Pro quo libri mendose habent Παρθενικά. Xylander omnibus locis correxit Παρθικά. Arrianus vero non Παρθυηνικά, sed Παρθικὰ composuerat, qui libri non raro afferuntur a veteribus. Verum hæc, ut jam dixi, auctores sæpe solent confundere. Hic animadvertendus insignis error Ptolemæi, qui cum sub Παρθίας nomine descripserit peculiarem Parthorum provinciam, partem tamen ejus facit regionem Παρθυηνήν. Atqui non aliter Parthyene a Parthia distinguitur, quam quum Παρθία pro imperio sumitur Parthorum. Καλεῖται δὲ τῆς μὲν Παρθίας ἡ μὲν παρὰ τὴν Ὑρκανίαν Κομινσηνή, ἡ δὲ ὑπὸ ταύτην Παρθυηνή, εἶτα ἡ Χοαρηνή, καὶ ὑπὸ ταύτην Ἀπαυαρκτικηνή. Ita ille locus legendus. At Strabo Καμισηνὴν & Χοαρηνὴν partes facit τῆς Παρθυηνῆς lib. XI. Μέρη δ' ἐστὶ τῆς Παρθυηνῆς, ἥ τε Καμισηνή, καὶ ἡ Χοαρηνή. Straboni Καμισηνή dicitur, quæ Ptolemæo est Κομινσηνή. Apud utrumque legendum Κομισηνή. Ita enim vocatur Isidoro Characeno, qui tam eam quam Choarenen a Parthyene separat, & sub Parthia collocat, sed per Parthiam intelligit ditionem Parthorum. Sic brevioribus spatiis Parthyenen ille inclusit quam Strabo. Plinius quoque latius extendit fines Parthyenes. Nam Margianem videtur sub ea comprehendere: *Regio Nisæa Parthyenes nobilis, ubi Alexandropolis à conditore.* Nisæam Ptolemæus in Margiane recenset: alii Mediæ attribuunt & Νησαίαν scribunt. Stephanus: Νησαίαν πεδίον, ἀφ' οὗ παρὰ Μήδοις Νησαῖοι ἵπποι. Quidam inter Susianen & Bactrianam eum campum metati sunt. Hesy-

B chius: Νησαίας ἵππους, μεταξὺ Συσιανῆς, καὶ Βακτριανῆς πεδίον ἐστὶ Καβασίγονα, ὅπερ Ἑλλάδι γλώσσῃ νῆσος, ἔνθα ἵπποι διάφοροι γίνονται. Ita hæc legenda sunt. Lingua indigena locus ille vocabatur *Catastigona*, quod Græce interpretatur insula, quod undique aquis campus ille circumclusus esset. Susiane porro non est vicina Bactriane. Quare ibi etiam corrigendum: μεταξὺ Συγδιανῆς καὶ Βακτριανῆς. Ammianus Nisæum illum campum, unde Nisæi equi nobilitantur, in Media ponit, qui dicendi sunt *Nesæi*, ut constat ex Hesychio. Ptolemæus Νισαίους etiam in septentrionalibus Ariæ regionis agno-

C scit, qui iidem sunt cum ea Nisæa, quam in Margiane recensuit: sed quia diversum iis situm ab auctoribus assignatum invenit, ea re diversos putavit, ut ejus mos est perpetuus. Isidorus Νισαίαν regionem Parthyenæ tribuit juxta Plinii sententiam, & αὐλῶνα vocat, ἐντεῦθεν Παρθυηνὴ σχοῖνοι κέ. ἧς αὐλών, Παρθαύνισα ἡ πόλις, σχοῖνοι ϛ'. ἔνθα βασιλικαὶ Ταφαί. Ἕλληνες δὲ Νισαίαν λέγουσι. Hæ sunt auctorum veterum dividiæ. Strabo equos illos Nisæos ex regione Armeniæ venire a quibusdam prodi ait. Ipse ex Perside & Babylonia pergentes ad Caspias portas regionem illam inveniri tradit, quæ fert equos Νισαίους. Ea igitur in Media. Ibi scribit fuisse βασι-

D λικὰς ἀγέλας. Puto itaque scribendum apud Isidorum: ἔνθα βασιλικαὶ ἀγέλαι: vel βασιλικαὶ ἵππων τροφαί. Et in superioribus: ἧς αὐλὼν παρθυηνῆς πολύς. Nisi nomen barbarum lateat & Parthicum quo ille campus in convalle situs appellabatur. Certe πόλις & βασιλικαὶ ταφαὶ nullum ibi locum desiderant, præcipue cum a Græcis Νισαῖαν dicat appellari. Quod de illa regione utique capiendum. Unde nobilissimi equi oriebantur Nisæi appellati. Addit Plinius de Parthia, sive Parthyene: *Citra deserta ab occasu urbes, quas diximus, Issatis & Calliope: ab oriente æstivo Europum: ab hyberno Mania: in medio Hecatompylos, Arsacia, regio Nisæa.* Pro *Mania*

E libri quidam habent *Maria.* Ptolemæo est Μαρίχη. Iidem pro *Arsacia* legunt *Arsace.* Quod rectum est. Ἡ Ἀρσάκη. Eadem tamen Ἀρσάκη & Ἀρσάκεια, ut Ἐρύθη, Ἐρύθεια & similia. Stephanus tamen videtur eas distinguere. Ἀρσακίαν urbem Mediæ esse dicit. Idem alio loco *Rhagas*, alteram Mediæ urbem appellatam scribit fuisse Ἀρσάκην ab Arsace Partho & Εὔρωπον. Sic eadem urbs Ῥάγαι, Ἀρσάκη & Εὔρωπος. Ptolemæus Ἀρσακίαν ab Europo separat, & utramque in Media recenset. Ammianus in Media quoque commemorat Heracleam, Arsaciam, & Europam. Isidoro Characeno Δοῦρα urbs in Mesopotamia memoratur a Nicanore condita, quam

F Græci vocabant Εὔρωπον. Ptolemæus Δοῦρα in Babylonia recenset juxta Euphratem. Sic enim legendum apud eum, non Δούραβα. Idem Εὔρωπον ad Euphratem statuit, sed in parte Syriæ haud longe a Zeugmate. Isidorus quoque Europum illam quæ & Δοῦρα, non longe ab eo loco positam indicat, unde Parthi in Romanum solum trajecto Euphrate transibant. Stephano Δοῦρα urbs Mesopotamiæ ex Polybio. Eidem Εὔρωπος Syriæ. At Isidorus Græcos ait vocare solitos Εὔρωπον, quæ dicebatur Δοῦρα. Ammianus aliquot locis Duræ oppidi deserti ac diruti in Mesopotamia meminit, quod est Δοῦρα Isido-

G ri, ut ex situ constat. De imperio Parthorum ita Plinius: *Horum de imperio nunc in paucis. Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia: ita enim dividunt provincias circa duo, ut diximus, maria. Rubrum à meridie: Hyrcanum à septentrione.* Hæc duodeviginti regna Parthorum provinciæ illæ sunt regni Parthici, quarum Isidorus recenset mansiones in libello Παρθικῶν σταθμῶν. Earum nomina heic subjiciam, quia Plinio illustrando faciunt: *Mesopotamia & Babylonia, Apolloniatis, Chalonitis,*

lonitis, *Cambadene*, *Media superior*, *Media Rhagiana*, *Choarne*, *Comisene*, *Hyrcania*, *Astavene*, *Parthyene*, *Apavarcticene*, *Margiane*, *Aria*, *Anave*, *Drangiana*, *Sacaßene*, *Arachosia*. Hæ sunt regni Parthici provinciæ totidem numero quot memorantur à Plinio. Multis locis earum nomina in vulgatis vitiosa emendavimus ex libris scriptis. Duæ Mediæ ibi recensentur, superior & inferior, quæ & Ῥαγιανὴ dicta ab oppido Rhagis. Nam in contextu ipso eam κάτω Μηδίαν appellat: ἐντεῦθεν κάτω Μηδίας σχοῖνοι. Ita enim scribendum pro ἐντεῦθεν ἀπὸ Μηδίας σχοῖνοι. Ea est, quam in indice Ῥαγιανὴν Μηδίαν dixit. In hoc sensu provinciarum, quæ sub imperio Parthorum fuere, Persidem Susianam, & Carmaniam non inveniri minime mirandum est. Nam Persæ suum semper ac peculiarem habuere regem etiam dominantibus Parthis. Humilis ille tamen agebat & Partho addictus obnoxiusque. Strabo lib. xv. Καὶ γὰρ εἰ καὶ βασιλεύονται μέχρι νῦν ἴδιον βασιλέα ἔχοντες οἱ Πέρσαι, τῇ γε δυνάμει πλεῖστον ἀπολείπονται, καὶ τῷ Παρθυαίων προσέχουσι βασιλεῖ. Ergo regi Persarum etiam tum cum Parthi imperabant, Persidis regio parebat, & Carmania & Susiane, ac reliquæ provinciæ in ora maris Indici. Hæc quum ita sint, non recte Plinius Parthorum imperium à meridie mari rubro terminavit, quum eo usque non pertineret, minime comprehensa Perside, & adjunctis regionibus, quæ proprium regem habebant. Etenim si rubrum mare terminus fuisset regni Parthici, inter ejus provincias etiam Persis & Carmania numeratæ essent, quas in album illud non retulit Isidorus. Persæ autem, ut ex eodem Plinio constat, ne alios testes citem, rubrum mare semper accoluere. Ergo Perside & Carmania à meridie terminabatur Parthorum ditio.

Dissecantur in duas partes.] Hæc lectio prioris editionis. In altera posuit: *in duas partes dividuntur.*

Porrecta ad terram Scytharum, quibus concorditer degunt.] Ita omnes antiquæ editiones, omnes libri scripti manu legunt. Delrius tamen ad hunc basilica plane edictione imperat: *scribatur*, inquit, *quibuscum concorditer degunt.* Vellem addidisset rationem. Nec enim video, cur *alicui concorditer degere*, æque Latinum non sit ac concordem alicui esse ac vivere. Solinus heîc, ut solet, Plinii sui mentem non percepit, saltem non expressit, cujus hæc verba: *ad Scythas pertinent, cum quibus ex æquo degunt.* Dicit Plinius Scythas, ad quos pertinent Parthi, & quibus vicini sunt, ex æquo cum his degere, & pari jure. Scythas nempe liberos esse intelligit, nec Parthorum dominationi subjectos. Aliud igitur est, concorditer cum aliquo degere, aliud ex æquo. Ceteræ nationes, quæ Parthis parebant, nec rebellabant, concorditer cum his degebant, at non ex æquo, ut Scythæ. Ita etiam loquutus est Plinius in præfatione ad Titum, qui locus usque adhuc variis conjecturis tentatus est, nondum ad verum restitutus, sic autem constituendus tandem: *sciantque omnes quam ex æquo tecum vivat imperium, Triumphali, & Censorio sexiesque Consule, ac Tribunitiæ potestatis participe, & quod his nobilius fecisti dum illud patri pariter, & equestri ordini præstas Præfecto prætorio ejus, omniaque hæc reipublicæ. Et nobis quidem qualis in Castrensi contubernio.* Scriptum videtur olim fuisse in libris antiquis: *Triumphale & censorius exiesque* pro *Triumphali, & Censorio sexiesque Consule.* Nam & hodie plerique codices manu exarati habent, *exeasque*, pro *sexiesque*. Inde pro *Censorius* fecerunt correctores *Censorium jus.* Imperium quoque triumphale, quod junctim legit Turnebus, nugatorium est. *Imperium* vocat Plinius homines, qui sub imperio sunt. Ut sciant, inquit, omnes, quam ex æquo vivat imperium, id est, illi qui tibi subjecti sunt, quam pari jure tecum vivant qui triumphalis es, & censorius, & sexies consul, & cetera. *Communes* dicebantur hujusmodi imperatores & principes, qui cum privatis ex æquo viverent. Græci hanc virtutem vocant κοινότητα, ut Xenophon. *Ex æquo*, ἐξ ἴσου, pro concordia id accepit Solinus, ut ἴσῳ ζυγῷ de bobus, qui concorditer jugum trahunt; vel de lancibus, quarum neutra propendet, nec præponderat. Hesychius: ἐξ

A ἴσου πᾶσιν, ἐξ ἴσου, ἐξ ὁμοίου. Sic apud Phædrum hæc intelligenda.

Athenæ cum florerent æquis legibus,

id est, quum ex æquo viverent Athenienses, nondum dominationi cujusquam subjecti. Hoc est enim æquis legibus vivere, superiorem, qui leges dicat, non agnoscere.

Reliqua septem inferiora habent ab ortu Arios Arianosque.] Incogitanter & imperite simul hæc scripsit, nec Plinio suo concorditer. Nec enim ille septem inferiora Parthici Imperii regna ab ortu Arios habere dixit, sed de Parthia proprie sumpta hoc tradidit.
B Præterea non ab oriente Arios Arianosque eam scribit habere, sed ab ortu Arios, à meridie Carmaniam & Arianos. Sic in paucis verbis multa peccata. Plinium loquentem audiamus: *Reliqua septem inferiora appellantur. Quod ad Parthos attinet, semper fuit Parthia in radicibus montium sæpius dictorum, qui omnes eas gentes prætexunt. Habet ab ortu Arios, à meridie Carmaniam & Arianos.* Ptolemæus similiter Παρθίαν ab oriente τῇ Ἀρείᾳ terminat, à meridie τῇ ἐρήμῳ Καρμανίᾳ. Arianorum ille non meminit, sed Ἀρειανὴν cum Ἀρείᾳ, ut videtur, eamdem fecit. In astrologicis Ἀρειανὴν nominavit pro Ἀρείᾳ, & ex eo Hephæstion Thebæus de
C capricorni dodecatemorio: κατὰ δὲ Πτολεμαῖον Ἰνδικὴ, Ἀριανὴ, Γεδρωσία, Θρᾴκη, Μακεδονία, Ἰλλυρίς. Curtius lib. VII Arianos & Arios eosdem statuit: *His ita compositis Alexander Arianorum Satrape constituto iter pronuntiari jubet.* Ἀρείους hos vocat Arrianus in eadem historia, & ipse Curtius paulo post *Arios*. Ammianus Marcellinus lib. XXIII *Arianos* vocat, & regionem eorum *Ariam*, in qua Alexandria fuit cognomine ἐν Ἀρείοις. Quinetiam ipse Plinius alio loco Arianam & Ariam plane confundit. Cap. XXIII Arianæ regionis oppidum *Artacoana* recenset, & *Arium* amnem. Quæ Ariis alibi
D tribuit. Ἀρτακόανα τῶν Ἀρείων βασίλειον Arriano, & *Arius* amnis qui Ariæ nomen dedit, Ptolemæo & Ammiano. Hæc ideo tam diverse, quia diversos auctores sequutus est, qui non in eamdem conveniunt sententiam super Ariorum & Arianorum differentia. Ecce enim Arios ab Arianis titulo volunt distingui, quod Arii parvam obtineant provinciam *Ariam* dictam, Ariani autem multas vastasque provincias comprehendant. Atqui hoc ipsum de Ariis scripsere quidam, ut ex eodem Plinio liquet, his verbis cap. XX. *Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed quatuor adjiciunt satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropami-*
E *sadas ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet.* Ariorum nomine satrapia peculiaris intelligitur, quam Strabo Ἀρείαν appellat, & Ptolemæus aliique. Rursus quibusdam placere ait Plinius quatuor illas satrapias memoratas Ariorum appellatione comprehendi. Hi sunt, qui aliis dicuntur Ἀρειανοὶ vel Ἀριηνοί. Dionysius:

---- λινοχλαίνους δ' Ἀραχώτας
Σατραΐδας θ' οἳ ὄρεσσι παρὰ πτυχὶ Παρπανισοῖο
Ξυνῇ ὅμως μάλα πάντας ἐπωνυμίην Ἀριηνούς.

Mela Pomponius cap. II. lib. I Ariam ab Ariane separat:
F *Indo proxima est Ariane, deinde Aria, & Gedrosis, & Persis ad sinum Persicum.* Justinus Trogi abbreviator lib. XLI de Parthis: *Hi domesticis seditionibus pulsi solitudines inter Hyrcaniam, & Daas, & Arios, & Arianos, & Margianos furtim occupavere.* Ita legendus locus. Plinius Parthiam à meridie habere dicit Carmaniam & Arianos. Ergo omnes populi, qui oram maritimam tenebant à Carmania usque ad Indi ostia communi appellatione Arianorum censebantur. Et sane Eratosthenes apud Strabonem lib. XV Ἀριανὴν ab oriente terminat Indo fluvio: à meridie Oceano Indico: à septentrione monte Paropaniso, & aliis continenter usque ad Caspias portas: ὁρίζεσθαι μὲν γάρ
G φησι τὴν Ἀριανὴν ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἕω τῷ Ἰνδῷ, πρὸς νότον δὲ τῇ μεγάλῃ θαλάττῃ, πρὸς ἄρκτον δὲ τῷ Παροπανισῷ, καὶ τοῖς ἑξῆς ὄρεσι μέχρι Κασπίων πυλῶν. Idem Strabo eodem libro latus meridionale Arianæ ab Indi ostiis usque in Carmaniam porrigi scribit, per oram scilicet maritimam quæ Arbios, Oritas, Gedrosos, Ichthyophagos complectebatur. Idem ibidem: ἡ δὲ Καρμανία τελευταία ἐστὶ τῆς ἀπὸ τοῦ Ἰνδοῦ ἐκβολῶν Ἀριανῆς. Ita scribendum. Perperam quippe vulgatur: ἀπὸ τῆς τοῦ Ἰνδοῦ ἐκβολῆς. Quod sensu caret. Hoc est,

incertus: *& ad pectus steriles terras habet, & confragosas.* Idiotismo quoque nostro *terras* hodie dicimus pro agris. *Modus* etiam proprie de agri mensura:

---- *modus agri non ita magnus.*

A Schœni & parasangæ itinerum & navigationis mensuræ, non terrarum aut agrorum. Hinc vides nihil posse fieri fingique isto Solino insulsius, aut incogitantius animal.

C A P U T L V.

Parthia, & circa Parthiam regiones. Item Cyri sepulcrum.



PAg. 62. D. *Parthia quanta omnis est.*] Parthiæ nomine hoc loco debes intelligere imperium Parthorum, τὴν Πάρθων ἐπικράτειαν, non particularem provinciam, in qua Parthi indigenæ residebant. Sic Παρθίαν accepit Isidorus Characenus, quum Παρθίας περιηγητικὸν conscripsit, & Παρθικοὺς σταθμούς. Totum Parthicum regnum eo nomine comprehendit. Ita enim clausit libellum de mansionibus Parthicis: ἄχρι τούτου ἐστὶ ἡ Πάρθων ἐπικράτεια: vel, ut in libro regio legitur: ἄχρι τούτου ἐστὶν ὑπὸ τῇ Πάρθων ἀρχῇ ἡ χώρα. Eodem prorsus modo hodie Franciæ nomen dupliciter sumitur pro regno Francorum, & pro speciali provincia:in qua consederunt Franci. Non minus autem & *Parthia* dicta est propria ac priva Parthorum regio, quæ & Παρθυαία & Παρθυηνή. Et falluntur qui hæc distinguunt vocabula. Nam Πάρθοι populi iidem & Παρθυλωοί, ut Ἄριοι & Ἀρηνοί: Παλίβοθροι, & Παλιβόθρηνοί, & similia sexcenta. Stephanus: λέγονται δὲ καὶ Πάρθοι, καὶ Πάρθιοι, καὶ Παρθυαῖοι, καὶ Παρθυαία ἡ χώρα, καὶ Παρθυηνή, καὶ Παρθυηνοί. Plinius cap. xxv. *Quod ad Parthos attinet, semper fuit Parthia in radicibus montium supra dictorum.* Hic Parthia significat Parthorum regionem specialem, non regnum. Nugas agunt, qui *Parthyaam* reponi volunt ex Stephano. Nam & supra idem cap. xv *Parthiam* similiter pro Parthorum regione posuit: *iis à latere occurrunt deserta Parthiæ.* Et paulo post: *mox ejusdem Parthiæ amœnissimus situs, qui vocatur Choara.* Παρθία igitur utrumque promisce significat, tam regnum, quam regionem Parthorum. At Παρθυαία, vel Παρθυλωή regionem designat tantum. Et hic typus fuit quamplurium illius imperii provinciarum, Ξερξηνή, Καμβυσηνή, Σωφηνή & μύρια ἄλλα. Hinc auctorum scripta titulis distinguenda, qui Παρθικὰ scripsere, & qui Παρθυηνικά. Illi res Parthicas totius imperii Parthorum tractaverunt, isti origines Parthorum, resque duntaxat eas quas in patria gesserunt, exponebant. Quadratus sæpe citatur apud Stephanum ἐν Παρθυηνικοῖς. Pro quo libri mendose habent Παρθενικά. Xylander omnibus locis correxit Παρθικά. Arrianus vero non Παρθυηνικά, sed Παρθικὰ composuerat, qui libri non raro afferuntur a veteribus. Verum hæc, ut jam dixi, auctores sæpe solent confundere. Hic animadvertendus insignis error Ptolemæi, qui cum sub Παρθίας nomine descripserit peculiarem Parthorum provinciam, partem tamen ejus facit regionem Παρθυλωήν. Atqui non aliter Parthyene a Parthia distinguitur, quam quum Παρθία pro imperio sumitur Parthorum. Καλεῖται δὲ τῆς μὲν Παρθίας ἡ μὲν περὶ τὴν Ὑρκανίαν Κομισηνή, ἡ δὲ ὑπὸ ταύτην Παρθυλωή, εἶτα ἡ Χοαρηνή, καὶ ὑπὸ ταύτην Ἀπαυαρκτικηνή. Ita ille locus legendus. At Strabo Καμισηνὴν & Χοαρηνὴν partes facit τῆς Παρθυηνῆς lib. XI. Μέρη δὲ ἐστὶ τῆς Παρθυηνῆς, ἥ τε Καμισηνή, καὶ ἡ Χοαρηνή. Straboni Καμισηνὴ dicitur, quæ Ptolemæo est Κομισηνή. Apud utrumque legendum Κομισηνή. Ita enim vocatur Isidoro Characeno, qui tam eam quam Choarenen a Parthyene separat, & sub Parthia collocat, sed per Parthiam intelligit ditionem Parthorum. Sic brevioribus spatiis Parthyenen ille inclusit quam Strabo. Plinius quoque latius extendit fines Parthyenes. Nam Margianem videtur sub ea comprehendere: *Regio Nisæa Parthyenes nobilis, ubi Alexandropolis à conditore.* Nisæam Ptolemæus in Margiane recenset: alii Mediæ attribuunt & Νησαίαν scribunt. Stephanus: Νησαῖον πεδίον, ἀφ' οὗ περὶ Μήδοις Νησαῖοι ἵπποι. Quidam inter Susianen & Bactrianam eum campum metati sunt. Hesy-

B chius: Νησαίας ἵππους, μεταξὺ Σουσιανῆς, καὶ Βακτριανῆς τόπος ἐστὶ Καταστίγονα, ὅπερ Ἑλλάδι γλώσσῃ νῆσος, ἐνταῦθα ἵπποι διάφοροι γίνονται. Ita hæc legenda sunt. Lingua indigena locus ille vocabatur *Catastigona*, quod Græce interpretatur insula, quod undique aquis campus ille circumclusus esset. Susiane porro non est vicina Bactriane. Quare ibi etiam corrigendum: μεταξὺ Σογδιανῆς καὶ Βακτριανῆς. Ammianus Nisæum illum campum, unde Nisæi equi nobilitantur, in Media ponit, qui dicendi sunt *Nesæi*, ut constat ex Hesychio. Ptolemæus Νισαίους etiam in septentrionalibus Ariæ regionis agnoscit, qui iidem sunt cum ea Nisæa, quam in Margiane

C recensuit: sed quia diversum iis situm ab auctoribus assignatum invenit, ea re diversos putavit, ut ejus mos est perpetuus. Isidorus Νισαίαν regionem Parthyenæ tribuit juxta Plinii sententiam, & αὐλῶνα vocat, ἐντεῦθεν Παρθυλωὴ σχοῖνοι κέ. ἧς αὐλὼν, Παρθαύνισα ἡ πόλις, σχοῖνοι ς'. ἔνθα βασιλικαὶ Ταφαί. Ἕλληνες δὲ Νισαίαν λέγουσι. Hæ sunt auctorum veterum dividiæ. Strabo equos illos Nisæos ex regione Armeniæ venire a quibusdam prodi ait. Ipse ex Perside & Babylonia pergentes ad Caspias portas regionem illam inveniri tradit, quæ fert equos Νισαίους. Ea igitur in Media. Ibi scribit fuisse βα-

D σιλικὰς ἀγέλας. Puto itaque scribendum apud Isidorum: ἔνθα βασιλικαὶ ἀγέλαι: vel βασιλικαὶ ἵππων τροφαί. Et in superioribus: ἧς αὐλὼν παρθυηνῆς πολύς. Nisi nomen barbarum lateat & Parthicum quo ille campus in convalle situs appellabatur. Certe πόλις & βασιλικαὶ ταφαὶ nullum ibi locum desiderant, præcipue cum a Græcis Νισαίαν dicat appellari. Quod de illa regione utique capiendum. Unde nobilissimi equi oriebantur Nisæi appellati. Addit Plinius de Parthia, sive Parthyene: *Citra deserta ab occasu urbes, quas diximus, Issatis & Calliope: ab oriente æstivo Europum: ab hyberno Mania: in medio Hecatompylos, Arsacia, regio Nisæa.* Pro *Mania*

E libri quidam habent *Maria.* Ptolemæo est Μαρίχη. Iidem pro *Arsacia* legunt *Arsace.* Quod rectum est. Ἡ Ἀρσάκη. Eadem tamen Ἀρσάκη & Ἀρσάκεια, ut Ἐρύθη, Ἐρύθεια & similia. Stephanus tamen videtur eas distinguere. Ἀρσακίαν urbem Mediæ esse dicit. Idem alio loco *Rhagas*, alteram Mediæ urbem appellatam scribit fuisse Ἀρσακίαν ab Arsace Partho & Εὔρωπον. Sic eadem urbs Ῥάγαι, Ἀρσάκη & Εὔρωπος. Ptolemæus Ἀρσακίαν ab Europo separat, & utramque in Media recenset. Ammianus in Media quoque commemorat Heracleam, Arsaciam, & Europam. Isidoro Characeno Δοῦρα urbs in Mesopotamia memoratur a Nicanore condita, quam

F Græci vocabant Εὔρωπον. Ptolemæus Δοῦρα in Babylonia recenset juxta Euphratem. Sic enim legendum apud eum, non Δοῦραβα. Idem Εὔρωπον ad Euphratem statuit, sed in parte Syriæ haud longe a Zeugmate. Isidorus quoque Europum illam quæ & Δοῦρα, non longe ab eo loco positam indicat, unde Parthi in Romanum solum trajecto Euphrate transibant. Stephano Δοῦρα urbs Mesopotamiæ ex Polybio. Eidem Εὔρωπος Syriæ. At Isidorus Græcos ait vocare solitos Εὔρωπον, quæ dicebatur Δοῦρα. Ammianus aliquot locis Duræ oppidi deserti ac diruti in Mesopotamia meminit, quod est Δοῦρα Isido-

G ri, ut ex situ constat. De imperio Parthorum ita Plinius: *Horum de imperio nunc in paucis. Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia: ita enim dividunt provincias circa duo, ut diximus, maria. Rubrum à meridie: Hyrcanum à septentrione.* Hæc duodeviginti regna Parthorum provinciæ illæ sunt regni Parthici, quarum Isidorus recenset mansiones in libello Παρθικῶν σταθμῶν. Earum nomina hic subjiciam, quia Plinio illustrando faciunt: *Mesopotamia & Babylonia, Apolloniatis, Chalonitis,*

lonitis, *Cambadene*, *Media superior*, *Media Rhagiana*, *Choarne*, *Comisene*, *Hyrcania*, *Astavene*, *Parthyene*, *Apavarcticene*, *Margiane*, *Aria*, *Anave*, *Drangiana*, *Sacaßene*, *Arachosia*. Hæ sunt regni Parthici provinciæ totidem numero quot memorantur à Plinio. Multis locis earum nomina in vulgatis vitiosa emendavimus ex libris scriptis. Duæ Mediæ ibi recensentur, superior & inferior, quæ & Ῥαγιανὴ dicta ab oppido Rhagis. Nam in contextu ipso eam κάτω Μηδίαν appellat: ἐντεῦθεν κάτω Μηδίας σχοῖνοι. Ita enim scribendum pro ἐντεῦθεν ἀπὸ Μηδίας σχοῖνοι. Ea est, quam in indice Ῥαγιανὴν Μηδίαν dixit. In hoc sensu provinciarum, quæ sub imperio Parthorum fuere, Persidem Susianam, & Carmaniam non inveniri minime mirandum est. Nam Persæ suum semper ac peculiarem habuere regem etiam dominantibus Parthis. Humilis ille tamen agebat & Partho addictus obnoxiusque. Strabo lib. xv. Καὶ γὰρ εἰ καὶ βασιλεύονται μέχρι νῦν ἴδιον βασιλέα ἔχοντες οἱ Πέρσαι, τῇ γε δυνάμει πλεῖστον ἀπολείπονται, καὶ τῷ Παρθυαίων προσέχουσι βασιλεῖ. Ergo regi Persarum etiam tum cum Parthi imperabant, Persidis regio parebat, & Carmania & Susiane, ac reliquæ provinciæ in ora maris Indici. Hæc quum ita sint, non recte Plinius Parthorum imperium à meridie mari rubro terminavit, quum eo usque non pertineret, minime comprehensa Perside, & adjunctis regionibus, quæ proprium regem habebant. Etenim si rubrum mare terminus fuisset regni Parthici, inter ejus provincias etiam Persis & Carmania numeratæ essent, quas in album illud non retulit Isidorus. Persæ autem, ut ex eodem Plinio constat, ne alios testes citem, rubrum mare semper accoluere. Ergo Perside & Carmania à meridie terminabatur Parthorum ditio.

Dissecantur in duas partes.] Hæc lectio prioris editionis. In altera posuit: *in duas partes dividuntur.*

Porrecta ad terram Scytharum, quibus concorditer degunt.] Ita omnes antiquæ editiones, omnes libri scripti manu legunt. Delrius tamen ad hunc basilica plane edictione imperat: *scribatur*, inquit, *quibuscum concorditer degunt.* Vellem addidisset rationem. Nec enim video, cur *alicui concorditer degere*, æque Latinum non sit ac concordem alicui esse ac vivere. Solinus heîc, ut solet, Plinii sui mentem non percepit, saltem non expressit, cujus hæc verba: *ad Scythas pertinent, cum quibus ex æquo degunt.* Dicit Plinius Scythas, ad quos pertinent Parthi, & quibus vicini sunt, ex æquo cum his degere, & pari jure. Scythas nempe liberos esse intelligit, nec Parthorum dominationi subjectos. Aliud igitur est, concorditer cum aliquo degere, aliud ex æquo. Ceteræ nationes, quæ Parthis parebant, nec rebellabant, concorditer cum his degebant, at non ex æquo, ut Scythæ. Ita etiam loquutus est Plinius in præfatione ad Titum, qui locus usque adhuc variis conjecturis tentatus est, nondum ad verum restitutus, sic autem constituendus tandem: *sciantque omnes quam ex æquo tecum vivat imperium, Triumphali, & Censorio sexiesque Consule, ac Tribunitiæ potestatis participe, & quod his nobilius fecisti dum illud patri pariter, & equestri ordini præstas Præfecto prætorio ejus, omniaque hæc reipublicæ. Et nobis quidem qualis in Castrensi contubernio.* Scriptum videtur olim fuisse in libris antiquis: *Triumphale & censorius exiesque* pro *Triumphali, & Censorio sexiesque Consule.* Nam & hodie plerique codices manu exarati habent, *exeasque*, pro *sexiesque.* Inde pro *Censorius* fecerunt correctores *Censorium jus.* Imperium quoque triumphale, quod junctim legit Turnebus, nugatorium est. *Imperium* vocat Plinius homines, qui sub imperio sunt. Ut sciant, inquit, omnes, quam ex æquo vivat imperium, id est, illi qui tibi subjecti sunt, quam pari jure tecum vivant qui triumphalis es, & censorius, & sexies consul, & cetera. *Communes* dicebantur hujusmodi imperatores & principes, qui cum privatis ex æquo viverent. Græci hanc virtutem vocant κοινότητα, ut Xenophon. *Ex æquo*, ἐξ ἴσου, pro concordia id accepit Solinus, ut ἴσῳ ζυγῷ de bobus, qui concorditer jugum trahunt; vel de lancibus, quarum neutra propendet, nec præponderat. Hesychius: ἐξ

A ἰσοστασίου, ἐξ ἴσου, ἐξ ὁμοίου. Sic apud Phædrum hæc intelligenda.

Athenæ cum florerent æquis legibus,

id est, quum ex æquo viverent Athenienses, nondum dominationi cujusquam subjecti. Hoc est enim æquis legibus vivere, superiorem, qui leges dicat, non agnoscere.

Reliqua septem inferiora habent ab ortu Arios Arianosque.] Incogitanter & imperite simul hæc scripsit, nec Plinio suo concorditer. Nec enim ille septem inferiora Parthici Imperii regna ab ortu Arios habere dixit, sed de Parthia proprie sumpta hoc tradidit. B Præterea non ab oriente Arios Arianosque eam scribit habere, sed ab ortu Arios, à meridie Carmaniam & Arianos. Sic in paucis verbis multa peccata. Plinium loquentem audiamus: *Reliqua septem inferiora appellantur. Quod ad Parthos attinet, semper fuit Parthia in radicibus montium sæpius dictorum, qui omnes eas gentes prætexunt. Habet ab ortu Arios, a meridie Carmaniam & Arianos.* Ptolemæus similiter Παρθίαν ab oriente τῇ Ἀρείᾳ terminat, à meridie τῇ ἐρήμῳ Καρμανίᾳ. Arianorum ille non meminit, sed Ἀριανὴν cum Ἀρείᾳ, ut videtur, eamdem fecit. In astrologicis Ἀριανὴν nomiC navit pro Ἀρείᾳ, & ex eo Hephæstion Thebæus de capricorni dodecatemorio: κατὰ δὲ Πτολεμαῖον Ἰνδική, Ἀριανή, Γεδρωσία, Θρᾴκη, Μακεδονία, Ἰλλυρίς. Curtius lib. VII Arianos & Arios eosdem statuit: *His ita compositis Alexander Arianorum Satrape constituto iter pronuntiari jubet.* Ἀρείους hos vocat Arrianus in eadem historia, & ipse Curtius paulo post *Arios.* Ammianus Marcellinus lib. XXIII *Arianos* vocat, & regionem eorum *Ariam*, in qua Alexandria fuit cognomine ἐν Ἀρείοις. Quinetiam ipse Plinius alio loco Arianam & Ariam plane confundit. Cap. XXIII Arianæ regionis oppidum *Artacoana* recenset, & *Arium* amnem. Quæ Ariis alibi D tribuit. Ἀρτακόανα τῶν Ἀρείων βασίλειον Arriano, & *Arius* amnis qui Ariæ nomen dedit, Ptolemæo & Ammiano. Hæc ideo tam diverse, quia diversos auctores sequutus est, qui non in eamdem conveniunt sententiam super Ariorum & Arianorum differentia. Ecce enim Arios ab Arianis titulo volunt distingui, quod Arii parvam obtineant provinciam *Ariam* dictam, Ariani autem multas vastasque provincias comprehendant. Atqui hoc ipsum de Ariis scripsere quidam, ut ex eodem Plinio liquet, his verbis cap. XX. *Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed quatuor adjiciunt satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropami-*E *sadas ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet.* Ariorum nomine satrapia peculiaris intelligitur, quam Strabo Ἀρείαν appellat, & Ptolemæus aliique. Rursus quibusdam placere ait Plinius quatuor illas satrapias memoratas Ariorum appellatione comprehendi. Hi sunt, qui aliis dicuntur Ἀριανοὶ vel Ἀρηνοί. Dionysius:

---- λινοχλαίνους δ' Ἀραχώτας
Σατραΐδας θ' ὅσσους τε παρὰ πτυχὶ Παρπανισοῖο
Ξυνῇ ὅμως μάλα πάντας ἐπωνυμίην Ἀρηνούς.

Mela Pomponius cap. II. lib. I Ariam ab Ariane separat: F *Indo proxima est Ariane, deinde Aria, & Gedrosis, & Persis ad sinum Persicum.* Justinus Trogi abbreviator lib. XLI de Parthis: *Hi domesticis seditionibus pulsi solitudines inter Hyrcaniam, & Daas, & Arios, & Arianos, & Margianos furtim occupavere.* Ita legendus locus. Plinius Parthiam à meridie habere dicit Carmaniam & Arianos. Ergo omnes populi, qui oram maritimam tenebant à Carmania usque ad Indi ostia communi appellatione Arianorum censebantur. Et sane Eratosthenes apud Strabonem lib. XV Ἀριανὴν ab oriente terminat Indo fluvio: à meridie Oceano Indico: à septentrione monte Paropaniso, & aliis continenter usque ad Caspias portas: ὁρίζεσθαι μὲν γάρ G φησι τὴν Ἀριανὴν ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἕω τῷ Ἰνδῷ, πρὸς νότον δὲ τῇ μεγάλῃ θαλάττῃ, πρὸς ἄρκτον δὲ τῷ Παροπανισῷ, καὶ τοῖς ἑξῆς ὄρεσι μέχρι Κασπίων πυλῶν. Idem Strabo eodem libro latus meridionale Arianę ab Indi ostiis usque in Carmaniam porrigi scribit, per oram scilicet maritimam quæ Arbios, Oritas, Gedrosos, Ichthyophagos complectebatur. Idem ibidem: ἡ δὲ Καρμανία τελευταία ἐστὶ τῆς ἀπὸ τοῦ Ἰνδοῦ ἐκβολῶν Ἀριανῆς. Ita scribendum. Perperam quippe vulgatur: ἀπὸ τῆς τοῦ Ἰνδοῦ ἐκβολῆς. Quod sensu caret. Hoc est,

quod alibi tradit Arianæ maritimam oram ab Indi ostiis incipere, in Carmaniam desinere. Hinc Dionysius qui Eratosthenem in geographia sequitur, Ἐρυθραίας Ἀριανοὺς appellavit, non à rubri corallii commercio, sed quod usque ad mare Indicum pertinerent, & oram ejus accolerent. Nam Ἐρυθραίη θαλάσση apud eum poëtam ubique pro Oceano Indico sumitur. Mare, quod est circa Taprobanen, Ἐρυθραῖον πόντον vocitat. Item Ἐρυθραίην θαλάσσην, in quam Indus amnis delabitur:

Ἰνδὸν παρ' ποταμὸν νότιοι Σκύθαι ἐνναίουσιν,
Ὅς ῥά τ' Ἐρυθραίης κατεναντίον εἶσι θαλάσσης.

Hinc calamum Indicum, κάλαμον Ἐρυθραῖον idem appellavit. Stephanus: Ἀριανοὶ ἔθνος προσεχὲς τοῖς Καδουσίοις, Ἀπολλόδωρος δευτέρῳ. Cadusii supra Medos ad mare Caspium colebant. Vide quam late patuerit nomen Arianorum. Quin & Medos ipsos sub Ariorum appellationem venisse auctor est Herodotus. Sic quantum ad nomen attinet nulla inter Ἀρίους & Ἀριανοὺς differentia. Nam Ἄριοι & Ἀριανοὶ iidem, ut Βάκτριοι & Βακτριανοί: Πάρθοι & Παρθυαῖοι & alia ejusmodi. Sed ut Παρθίας nomen aliquando multas provincias complectitur, quando pro imperio Parthico accipitur, aliquando singularis & unius provinciæ propria est denominatio, ita Ἀριανὴ vel Ἀρία. Nam & Aria, quum de regione particulari dicitur, pars Arianæ censetur. Latissima illa Arianæ appellatione etiam Bactrianorum regio comprehendebatur. Unde & Βακτριανὴ τῆς Ἀριανῆς πρόσχημα apud Strabonem appellatur. A monte Paropamiso usque ad Indi ostia & Patalenen omnia occupavit Arianorum census & vocabulum, atque inde à Patalene usque in Carmaniam. Quare non tantum ab oriente Parthia habuit Arios, sed etiam Arianos. Quippe Ariana ad orientem terminabatur. Sed Aria proprie dicta ab ea parte fuit opposita Parthis, quæ & ipsa pars Arianæ. Arii igitur & Ariani iidem in illis partibus, quibus Parthiam ad occasum habent sitam. Frustra itaque Solinus dixerit Parthiam ab ortu Arios Arianosque habere, quum ibi Arii iidem sint cum Arianis. Plinius cap. XXIII postquam Paropamisadas & reliquas gentes montibus illis prætextas descripsit, addit: *infra hæc omnia ora ab Indo, Ariana regio ambusta fervoribus.* Immo etiam supra, quidquid montibus illis subjectum fuit, regionem in idem nomen venere. Dionysius:

---- ὅσοις τε παρὰ πτυχὶ Παρπανισοῖο
Ξυνῇ ὅμως μάλα πάντας ἐπωνυμίην Ἀριηνούς.

Quinetiam Bactriani ultra montes positi hoc nomine censebantur, ut paulo ante docui. Idem Dionysius:

---- οὐδ' ἐρεείνω
Καυκασίας κνημῖδας Ἐρυθραίων Ἀριηνῶν.

Ita legendum hunc versum supra docuimus, non, ut vulgo legitur, Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν. Ostendit Arianos à radicibus montis Caucasi & Paropanisi ad mare Indicum pertinere. In verbis Plinii supra relatis scribunt libri: *infra hæc omnia Arabido Ariana regio.* Omnino puto legendum: *infra hæc omnis ad ora Indi Ariana regio.* Strabo ex Eratosthene Arianæ longitudinem ἀπὸ τοῦ Παροπαμισοῦ μέχρι τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ἰνδοῦ deducit. *Ora Indi* pro ostiis, tralaticium. Sequitur apud Plinium de Ariana: *ambusta fervoribus, desertisque circumdata, multa tamen interfusa opacitate cultores congregat, circa duos maxime fluvios Tonderon & Arosapen.* Horum duorum amnium nomina a Pomponio Mela accepit, quæ Arianæ regioni vindicaret, quam ille non nominat. Sic enim de Indo loquitur: *& inter ipsa ostia Patalene, regio ob æstus intolerabiles alicubi cultoribus egens. Inde ad principia rubri maris invia atque deserta humus, & cineri magis quam pulveri similis: ideoque per eam rara & non grandia flumina manant, quorum Tuberonem & Arosapen, notissima accepimus.* Quia tota illa ora maritima ab Indi ostiis ad principium rubri maris Arianorum fuit, ideo Arianæ attribuit Plinius duos illos amnes Melæ memoratos. Quorum *Tubero* in *Tomerum* reformandus Ariano Τόμηρος. At *Arosapes* scribitur pro *Orphates.* Nam T in P sæpius mutatur, & H in S. Straboni Ὀροάτις. Aliis Ὀροάτις. Plinius horum duûm fluminum eodem capite meminit ex Onesicrito in describenda navigatione classis Alexandri. Sed quia ex diversis eos hausit auctoribus, ideo & putavit diversos. Ibidem *Zarangas* & *Drangas* populos veluti diversos recenset,

A qui iidem. Nam Ζαράγγαι quibusdam dicti qui aliis Δράγγαι. Isidorus in laterculo provinciarum Parthici regni Ζαραγγιανὴν nominavit, in ipso libro Δραγγιανὴν dixit. Alii sunt Σαράγγαι populi Indiæ.

Medos ab occidui solis plaga.] Plinius: *ab occasu Pratitas Medos.* Perperam interposita est subdistinctio. Lege: *Pratitas Medos.* Dicit Parthiam ab occasu habere Pratitas Mediæ gentem. Ptolemæus τῆς Μηδίας μέρει eam ab occidente terminat. *Pratitas* istos Medos non alibi invenio. Non possunt esse *Arropatita*, qui in occidentali Mediæ parte sunt, non orientali. Ptolemæi Tabulæ in Media ponunt *Antropatiam* & *Tropatenen.*

B Atqui eadem regio Mediæ Ἀτροπατία & Ἀτροπατηνή. Pro Ἀτροπατηνὴ perperam apud Ptolemæum scribitur ἡ Τροπατηνή. Idem Plinius *Pratitas* alibi nominat, quos & *Paredonos* ait appellatos, & Caspias portas tenuisse memorat cap. XV. lib. VI. *His Pratita Paredoni appellati, qui tenent Caspias portas.* Certe Caspiæ portæ ad occasum Parthiæ. Ptolemæo Πάρτα urbs Persidis, à quo Παρετῖται videri possent appellati. Sed & Παρόδανα oppidum in eadem Perside, unde Παροδάνοι dici viderentur, si conveniret situs.

Pag. 62. E. *Ipsa autem Media ab occasu transversa utraque Parthiæ regna amplectitur.*]

C Plinius: *namque Media ab occasu transversa oblique Parthiæ occurrens utraque regna includit.* Apparet ergo Solinum in Plinio legisse, *utraque regna includit*, non, ut habent quidam veteres, *precludit.* Per utraque regna intelligit superiores & inferiores Parthici regni provincias, quas includit Media ab occasu veniens ex traverso, & oblique Parthiæ occurrens, superiora regna ab inferioribus discludit, & utraque simul includit. Nam superiora regna Mediæ includuntur à meridie: inferiora a septentrione Mediam eamdem habent pro limite. Inferioribus autem Parthici imperii regnis Plinius Persidem, Carmaniam, Susianen, &

D Sittacenen videtur intellexisse, quæ tamen inter provincias regni Parthici non reponuntur ab Isidoro. Rationem edidimus supra. Nam Persæ privum habuere regem. Et quum sola duodeviginti regna in Parthico imperio numeret Plinius, Persidem in illis non debuit comprehendere, neque Susianen, neque Carmaniam, atque alias quæ Persarum regi parebant.

A meridie Persidem. Deinde tractus hic procedit usque ad castellum quod Magi obtinent, Passargada nomine.] Mediam a meridie Persidi collimitaneam esse dicit. *Deinde*, inquit, *tractus hic procedit usque ad castellum Ma-*

E *gorum Passargada.* Quis tractus? Utrum Persidis, an Mediæ? quam in partem? ad orientem, an ad occidentem? Hæc obscure & inepte explicata. Plinius de Perside: *Præterea habet in extremis finibus Laodiceam ab Antiocho conditam. Inde ad Orientem Magi obtinent Passargadas castellum.* Incertum heîc etiam, de qua finium extremitate sint hæc verba intelligenda. Stephanus hanc Laodiceam Mediæ urbem facit. Ergo in extremis finibus Persidis versus Mediam, ac veluti in confinio utriusque. Inde ad orientem Passargada castellum. Hic situs est, quem Ptolemæus assignat Πασαργάδοις, quæ in Parthia collocat ad orientem

F Mediæ. Sed Πασάκαρτα male apud eum legitur pro Πασάργαδα. In Parthiæ descriptione: Χοάρα, Πασάργαδα, Ῥάδα. Idem Ptolemæus alia Πασάργαδα in extremis finibus Persidis metatur, haud longe a mari, quæ tamen eadem sunt, sed ex varia auctorum opinione varius situs eorum assignatur. Et mos hic Ptolemæi est, ut loca diversa & oppida censeat, quibus non eamdem θέσιν adscriptam apud auctores reperit. Τὰ Πασάργαδα igitur castelli vel oppidi nomen Ptolemæo neutro genere enuntiatum. Et duo quidem facit hoc nomine oppida, alterum in Parthia, alterum

G in Perside. Plinio *Pasargada*, Πασαργάδαι hoc castellum dicitur in quo Cyri sepulcrum. Anaximenes apud Stephanum τὰς Πασαργάδας genere fœmineo protulit. Stephanus: Πασσαργάδαι πόλις θηλυκῶς Διότιμος ἐν ἑξηκοστῷ πέμπτῳ παντοδαπῶν ἀναγνωσμάτων, παρατιθέμενος Ἀναξιμένην ἐν μεταλλαγαῖς βασιλέων οὕτω γράφοντα, τὰς δὲ Πασσαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος, ἐφ' οὗ τόπου παραταξάμενος Ἀστυάγην ἐνίκησεν. Strabo Πασαργάδας appellat & fuisse ait ἀρχαῖον Persarum βασίλειον, apud quos Cyri sepulcrum.

Curtius vocat *Pasargadum urbem.* Πασαργαδῶν πόλιν. Stephanus urbem ipsam fœmineo sexu censeri debere tradit τὰς Πασαργάδας: incolas autem ipsos τοὺς Πασαργάδας dicendos: Τάχα δὲ ὅπερ ἄμεινον ἐπὶ μὲν τῆς πόλεως θηλυκῶς, ἐπὶ δὲ τῶν οἰκητόρων ἀνδρωνύμως. Nec alii ab his censendi Πασαργάδαι populi, quorum apud Herodotum mentio prima Musa, & quos inter Persarum gentes recenset: ἔστι δὲ συχνὰ Περσῶν γένεα. Ἔστι δὲ τάδε ἐξ ὧν ἄλλοι πάντες, Ἀρταιάται, Πέρσαι, Πασαργάδαι, Μεράφιοι, Μάσιοι. Τουτέων, Πασαργάδαι εἰσὶν ἄριστοι ἐν τοῖσι καὶ Ἀχαιμενίδαι εἰσὶ φρήτρη. Non dubium est huic genti nomen dedisse antiquam urbem Πασαργάδας a Cyro conditam, in qua post mortem & ipse conditus sepulcro. Mirum tamen Ptolemæo populum Πασαργάδας longe ab oppido Pasargadis removisse, & in Carmaniam ad mare ipsum relegasse. Eos enim inter Carmaniæ populos recenset, ac Chelonophagis vicinos facit in Carmaniæ descriptione: καὶ ἐπὶ θαλάσσῃ Πασαργάδαι καὶ Χελωνοφάγοι. Marcianus Heracleota eum sequitur in Carmaniæ situ describendo: τὰ δὲ κατὰ μέρος οὕτως ἔχει, ἀπὸ Καρπέλλης ἄκρας εἰς Κανέαθιν πόλιν, στάδια: ἐνταῦθα παροικοῦσιν οἱ καλούμενοι Πασαργάδαι, Καρμανῶν ὄντες ἐγγύς. Ita editio, sed mendosa est. Forte legendum, Κομβανῶν ὄντες ἐγγύς. Nam Κόμβανα haud longe ab oppido Caneati, quod Κάνθαπις dicitur Ptolemæo, Arriano Κανάτης. Pro Combanis Marcianus Ὄμμανα habet. Ergo Pasargadæ juxta Ptolemæum in illa ora Carmaniæ, quæ a Carpella promontorio incipiens in Mosarna desinit. Alexandri classis totam illam oram prænavigavit sub præfectis Nearcho & Onesicrito, qui navigationem suam literis mandarunt. Oram illam non Carmaniæ adjudicant, sed Ichthyophagis. Nam Ichthyophagorum totum illud littus esse statuerunt, nec in ea ora ullam fecere Pasargadarum mentionem. Et sane nemo unus veterum Pasargadas in eo littore posuit, nec mirum in eorum situ assignando lapsum esse Ptolemæum, quum ejus ætate nulli amplius sic nominarentur populi, nulla urbs hoc nomine extaret. Ex lectione igitur vetustiorum metatio illis constituenda fuit, quæ in tanta varietate ac dissensu auctorum non nisi admodum incerte definiri potuit. Veteres Carmaniæ παραλίαν auspicabantur a promontorio Armozonte. Quod ultra esset ad orientem & versus Indiam positum, Carmaniæ vicinum, id Ichthyophagorum littori attribuerunt. Recentiores autem totam illam oram maritimam Ichthyophagorum Carmaniæ dederunt. Inter quos & Ptolemæus, qui & Ichthyophagos in contrariam oram in parte Arabum transtulit. Plinius in ora Carmaniæ describenda ac deinde Persidis, quo utramque ordine prænavigavit Alexandri classis, in littore Persidis persequendo meminit fluminis *Sitiogadi* quo septimo die navigaretur Pasargadas. Libri quidam *Sitioganum* nominant. Editiones *Sitiogagum.* Nescio an sit Σιτακὸς Arriani, & videtur esse fluvius ille Persidis, cui adpositi Pasargadæ dierum septem itinere a mari distantes, & ab ostiis fluminis. Non igitur in ora Carmaniæ Pasargadæ, sed in extremis pene finibus Persidis versus Medos, ubi eos ponit Plinius ex Onesicriti recensione. Dionysius ad mare Pasargadas ponere videtur, sed in Perside, non in Carmania. Persidem ille trifariam dividit, in septentrionalem, mediterraneam, & maritimam quæ ad meridiem est:

---- οἱ μὲν ὑπ' ἄρκτους,
Οἱ δὲ μεσήπειροι, οἱ δ' ἐς νότον ἄγχι θαλάσσης
Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδαι: ἄγχι δὲ Τασκοί,
Ἄλλοι δ' οἱ ναίουσι διάνδιχα Περσίδα γαῖαν.

Videtur inquam ex iis qui maritimam oram incolunt primos facere *Sabas*, deinde *Pasargadas*, postea *Tascos.* Sed Τάσκοι in Perside nulli. Fortean Dionysius mendosa exemplaria sequutus Τάσκους legerit pro Ταόκους. Taoci populi ab urbe Persidis Ταόκη, quæ regia fuit, & mari quidem vicina, si Straboni credimus, qui lib. XV ita scribit de Persidis urbibus regiis: ἦν δὲ καὶ ἄλλα βασίλεια τὰ ἐν Γάβαις ἐν τοῖς ἀνωτέρω που μέρεσι τῆς Περσίδος, καὶ τὰ ἐν τῇ παραλίᾳ τὰ κατὰ τὴν Ὄκην λεγομένην. Hæc mendosa, quæ sic emenda: τὰ κατὰ Ταόκην λεγομένην. Taoce tamen, in qua regia, & thesauri, non ad mare fuit, a quo distabat ducentis stadiis, ut Arrianus ex Nearcho refert. Ταόκη quidem promontorium erat

A Persidis, sinui Persico imminens. Sed urbs regia satis longe a mari dissita. Arrianus: ἐς Ταόκην ὁρμίζονται ἐπὶ ποταμῷ Γράνιδι καὶ ἀπὸ τούτου ἐς τὰ ἄνω Περσῶν βασίλεια ἦν, ἀπέχοντα τοῦ ποταμοῦ τῶν ἐκβολέων σταδίους ἐς διηκοσίους. Non dicit, quo nomine fuerint appellata illa βασίλεια. Fortassis eodem quo & promontorium. Hinc Ptolemæus non solum Ταόκην ἄκραν in Perside commemorat, sed etiam Ταόκην urbem in mediterraneo recenset. In hac igitur thesauri & regis sedes, non ad mare, ut voluit Strabo, qui Ταόκην urbem cum promontorio ejusdem nominis confudit. Possumus etiam aliter Dionysium interpretari, ut non de
B Persidis ora maritima, sed de Perside in universum ea pronuntiarit. Et sane Ταόκοι in mediterraneo. Ergo & Πασαργάδαι & Σάβαι, qui non ad proximum versum referendi sunt, qui de Perside mari vicina agit. Puto etiam Dionysium illum scripsisse:

---- ἄγχι Ταώκοι,

pro Ταόκοι. Strabo Πασαργάδας in cava Perside constituit, quæ Persis est interior lib. XV. Ἔστι δὲ καὶ Κῦρος ποταμὸς διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων, οὗ μετέλαβε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετονομασθεὶς Κῦρος. Hic *Cyrus* fluvius Persidis, quem ita nominavit Cyrus rex, quum antea diceretur *Agradatus.* Non aliter
C licet ea Strabonis verba interpretari. Cyrus igitur ille amnis in cava Perside fluit circa Pasargadas. Pomponius Mela *Corum* vocat, non *Cyrum* lib. III. cap. VIII. *Zethis per Carmanios, in Pasargadis Coros effluunt.* Ita enim corrigendum in illis verbis supra ostendimus. Ptolemæo Κόρος fluvius est Carmaniæ. Sic enim libri legunt, non Κάρος. Marcianus quoque Heracleota vocat Κόρον in Carmaniæ periplo. An idem sit, alii quærant. Nam Cyrus ille Persidis fluvius & circa Pasargadas fluens, qui Pasargadæ non in Carmania, ubi sedes illis fixit Ptolemæus, sed in Persidis interioris parte quæ Κοίλη dicebatur. Cyrus au-
D tem hic, sive Corus longe diversus ab illo Cypro, qui in Caspium mare exitus habet. Quem parallelum cum Euphrate facere veteres scripserunt. Stephanus: Ὠβαρηνοὶ μέρος Ἀρμενίας παρακείμενον Κύρῳ ποταμῷ, ὅστις Εὐφράτῃ παραλλήλως ἔχει. Huic cognominis fluvius ille Persidis, quem Κῦρον appellat Dionysius. Quippe veteres eo loco sic legunt:

Χωρὶς μὲν Κῦρος ἐστὶ μέγας, χωρὶς δὲ Χοάσπης
Ἕλκων Ἰνδὸν ὕδωρ, παρὰ δὲ ῥείων χθόνα Σούσων.

Avienus *Cyprum* quoque appellat:

Arva secat Cyrus, perrumpit rura Choaspes
Indica provolvens procul æquora

E Priscianus *Corum* vocat. Quod autem ait Dionysius χωρὶς Cyrum fluere, χωρὶς δὲ Χοάσπην, hoc opinor vult, duobus his fluviis Persidem includi, quorum Choaspes per Susianen fluit, quæ ab occidente Persidi conterminat, Cyrus ad orientem in confinio Carmaniæ in mare provolvitur. Ergo Persidem usque ad Cyrum porrigi intelligit. Aliter olim hæc accipiebam. Nunc vix fieri posse video, ut aliter exponatur. Persis a parte Carmaniæ fluvium habet *Cyrum*, a parte Susianes *Choaspem.* Is ergo fuerit Carmaniæ fluvius, quem Κόριον Ptolemæus nominat. De Choaspe nondum
F potui satiare admirationem meam, quomodo fluvius Persidis dici queat aquam Indicam agere. Nicander Choaspem Indicum fluvium facit:

Ὅσσα δ' ὑπ' Ἰνδὸν χεῦμα πολυφλοίσβοιο Χοάσπου
Πιστάκι' ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεντα πέφανται.

Duo igitur hi fluvii cognomines, alter Indicus, alter Persicus. Quos confundit Dionysius. Aristoteles lib. I. Meteor. cap. XIII ex monte Paropaniso Choaspem oriri dicit: ἐκ μὲν οὖν τούτου ῥέουσιν ἄλλοι τε ποταμοί, καὶ ὁ Βάκτρος, καὶ ὁ Χοάσπης, καὶ ὁ Ἀράξης. Hic Choaspes est Indicus. Araxes vero ille, qui ex Paropaniso habet origi-
G nem, non potest esse idem cum illo Araxe Armeniæ, qui in Caspium exonerat. Τούτου δέ, inquit, ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὤν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην ῥεῖ. Nec Tanaïs hic Scythicus, sed Jaxartes, cui nomen Tanaïs imposuere Macedones. Utrumque confundit Aristoteles. Ut ad rem redeamus, constat Pasargadas in Perside fuisse & quidem interiore. Arrianus lib. VI de Alexandro: αὐτὸς δὲ ξὺν τοῖς κουφοτάτοις τῶν πεζῶν, καὶ ξὺν τοῖς ἑταίροις τῶν ἱππέων, καὶ μέρει τινὶ τῶν τοξοτῶν ᾔει τὴν ἐπὶ Πασαργάδας τῆς Περσίδος. Erat tunc Alexander

in Carmania, qui majorem partem exercitus cum impedimentis Hephæstioni tradidit ducendam in Persidem per oram maris, ipse cum reliquo exercitu & levi armatura Pasargadas Persidis rectâ contendit. Igitur nec ad mare Pasargadæ, nec in Carmania. Qui cum Alexandro fuere multo certius scisse oportet ubi siti essent Pasargadæ quam Ptolemæum, qui eo tempore scripsit, quo nullum oppidum hoc nomine amplius extabat. Strabo tradit Alexandrum Magnum statim à Persæpoli adiisse Pasargadas: ἐνέπρησε δὲ τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια, εἶτα εἰς Πασαργάδας ἧκε. Non longe itaque Pasargadas à Persæpoli sitas fuisse oportet. Persæpolim idem in extremis finibus Persidis ad orientem ponit, ubi confinia sunt Carmaniæ. Ergo non longe inde Pasargadæ. Persæpolim ad Araxem amnem ponunt plerique scriptores. Diodorus Siculus Alexandrum trajecto amne Araxe Persæpolim dicit petiisse, διαβιβάσας τὸν Ἀράξην. Curtius lib. V ita loquitur de Persæpoli ab Alexandro diruta & incensa: *Hujus vestigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet. Haud procul mœnibus fluxerat. Inde urbem fuisse* XX *stadiis distantem credunt magis, quam sciunt incolæ.* Quis non crederet de notissimo illo Araxe Armeniæ eum loquutum, qui Armeniam à Mediæ Atropatene dividit, & in mare Caspium conditur. De illo tamen accipi non potest, omnibus consentientibus Alexandrum subacta Mesopotamia ac Babylonia per fines Susianorum Persidem ingressum esse, ibique regni Persici caput Persæpolim urbem solo æquasse. Araxes igitur ille amnis Persidis fuit, cujus tamen meminit nemo præter eos auctores qui vitam Alexandri scripsere. Non Plinius, non Ptolemæus, non Stephanus, nec alius quisquam Strabone excepto. At debuere Diodorus & Curtius verbo saltem admonere, alium esse illum Araxem, ad quem sita Persæpolis, à nominatissimo Armeniæ Araxe. Strabo id non prætermisit, qui indicavit ad ipsam Persæpolim Araxem transisse Alexandrum. Eum deinde Araxem sic describit: ῥεῖ δὲ ὁ Ἀράξης ἐκ τῶν Παραιτάκων, συμβάλλει δ' εἰς αὐτὸν ὁ Μῆδος, ἐκ Μηδείας ὁρμηθεὶς: φέρονται δὲ δι' αὐλῶνος παμφόρου συνάπτοντος τῇ Καρμανίᾳ, καὶ τοῖς ἑωθινοῖς μέρεσι τῆς χώρας, ἐνθάπερ ἡ Περσαίπολις. Ita legendum, non καθάπερ ἡ Περσαίπολις. In finibus itaque Eois Persidis ad confinia Carmaniæ sita Persæpolis, cujus mœnia alluebat Araxes, ut ex Strabone liquet. Sed quis ille Araxes, tam innominatus illaudatusque ceteris scriptoribus? Ptolemæus Ῥωγόμανιν vocat fluvium, cui adposita erat Persæpolis. Marcianus Heracleota & Ammianus fluvium Persidis sic etiam appellant. Eum esse ausim dejerare, qui Arriano dictus est Ῥώγανις ex Nearcho. Possum utique etiam audacter affirmare Ῥώγανιν & Ἀράξην eumdem esse, & Ῥώγανιν illum quosdam vocasse Ἀράξην græcatiore, ut ille loquitur, appellatione. Si sonum spectes vocabuli, idem Ῥώγανις significat, quod Ἀράξης. Græcè ῥωγὴ idem quod ῥῆξις, ruptura, fractura. Inde ῥωγάδες, κρημνοὶ διεσχισμένοι: & ῥαγαλέον ruptum, κατερρηγμένος, διερρωγώς. Quasi Ῥώγανις fluvius inde appellationem sortitus esset à perrumpendis obicibus. Alexandri comites alio nomine, quod idem significat, videntur eum Ἀράξην indigetasse. Nam Ἀράξης ἀπὸ τοῦ ἀράξαι, quod est perfringere, & perrumpere, περιρρήξασθαι. Inde Peneo amni Thessaliæ hoc nomen à Græcis impositum, quod Tempe perrupisset, & exitum sibi vi in mare fecisset. Stephanus: Ἀράξης ποταμὸς Ἀρμενίας καὶ Θετταλίας. Οὕτω γὰρ ὁ Πηνειὸς ἐκαλεῖτο, ἐκ τοῦ ἀράξαι τὰ Τέμπη. Sic legendum. Hesychius: Ἀράσσει, συντρίβει. Ἀρασσόμενα, περιρρηγνύμενα, πλησσόμενα. Ergo idem fluvius Ἀράξης, & Ῥώγανις, vel Ῥωγόμανις. Plinio de situ Persæpolis non convenit cum Strabone. Verba ejus subjiciam: *Qua vero ipsa subit ad Medos Elymaïs, Megala appellatur, locus introitu angusto ad Persepolin caput regni dirutam ab Alexandro.* Elymaïs in Media ipsa ponitur à Ptolemæo, sed in latere occidentali. Persæpolis autem Strabone teste in latere Persidis orientali. Addit Plinius: *Habet in extremis finibus Laodiceam.* Hæc *Laodicea Mediæ* Straboni & Stephano. Persæpolis vero in extremis finibus Persidis, ubi contermina est Carmaniæ. Sequitur apud eumdem: *inde ad orientem Magi obtinent Pasargadas castellum, in quo Cyri sepulcrum est. Et horum Ecbatana oppidum translatum à Dario ad montes.* Incertum est utrum Magorum oppidum dicat Ecbatana fuisse, an Medorum. Certe Mediæ caput fuere Ecbatana. Sed si Medorum intelligimus, omnia, quæ præcessere, Medis erunt adjudicanda. Profecto Laodicea Mediæ, sed Pasargadæ & Persæpolis Persarum. Hic dicit Ecbatana oppidum a Dario rege translatum esse ad montes. At supra scripsit Ecbatana caput Mediæ condidisse Seleucum, a portis Caspiis distans viginti milibus passuum. Quomodo igitur Darius ad montes illud oppidum transtulisse dicitur? Ecbatana sub montibus condita fuisse indicat Strabo lib. XI: qui ὄρη ὑπερκείμενα τῶν Ἐκβατάνων commemorat. Ecbatana longe antiquiora Seleuco, utpote quorum mentio extet apud Herodotum. Alia etiam Syriæ, quæ Ἀγβάτανα ex Herodoto Stephanus, quum editiones Herodoti hodie legant Ἐκβάτανα. Quidam etiam Ἀβάτανα dixere Mediæ metropolim. Isidorus Characenus: εἶτα Ἀβάτανα Μηδίας, ἡ θησαυροφυλάκιον. Ita legendum pro Ἀπάτανα. Syriæ Ecbatana postea Βατάνεα dicta Stephanus asserit. Idem etiam recenset Βάτανα ad Euphratem. Sed hæc alibi. Subjicit ibidem Plinius: *inter Parthos & Arianos excurrunt Parataceni.* Ariani ad meridiem Parthiæ ponuntur ab eodem Plinio. Parætacos tamen, qui iidem sunt cum Parætacenis Strabo inter Medos & Persas collocat. Isidorus *Parætacenen* eamdem cum *Sacaßene* facit, quæ regio est Sacarum Scytharum. Ptolemæus cum Strabone facit. Hæ sunt auctorum dividiæ. Ut ad Pasargadas nostros redeamus, Anaximenes eo nomine significari volebat Περσῶν στρατόπεδον. Stephanus de Pasargadis: ὀνομάζεται δὲ ἡ πόλις διερμηνευθεῖσα Περσῶν στρατόπεδον. Ibi enim Medos & Astyagem a Persis victos Cyro duce. Id esset פרס־גדוד *Parsigedud*, id est, Persarum exercitus. Nam גדוד Hebraice exercitus à radice גדד, quod exercitum cogere significat. Hinc *Gidgad* locus Num. XXXIII: in quo castra metati sunt Israëlitæ. Possumus & à voce Hebraica *Gader* deducere גדר, id est, septum, περίφραγμα: פרס־גדר *Parsigader*, id est, Περσῶν χάραξ. Persa Hebraïce vocatur פרסי. Et regio פרס. Arabice quoque *Phares* regio Persidis, & *Pharesi* Persa. Sic Πασαργάδαι pro Παρσαγάδαδ, vel Παρσαγάδερ, exercitum vallo inclusum, vel castra designare potest, quem Græci dicunt χάρακα. Unde multis urbibus ac locis nomen hæsit, in quibus aliquando exercitus castra metati essent. In Phrygia urbs Χάραξ, ἔνθα Ἀλέξανδρος ὁ τοῦ Φιλίππου ἐστρατοπεδεύσατο. Item Σεσώστριος χάραξ multis locis impositum nomen, ubi Sesostris castra fuerat metatus. Strabo lib. XVI: διὸ καὶ πολλαχοῦ Σεσώστριος χάρακες προσαγορεύονται, καὶ ἀφιδρύματα Αἰγυπτίων θεῶν ἱερῶν. *Charax* in Caria locus, & in Nicomediæ sinu. *Charax* urbs quoque ad Persicum sinum, quæ & Σπασίνου Χάραξ, *castra Pasinæ*. Χάραξ etiam urbs Parthiæ, in quam Mardos errones coegit Phraates. Χαρακμῶβα urbs Palæstinæ, quæ & Μώβου Χάραξ, *Moba castra*. Sic multis urbibus in Europa *Castrorum* nomen factum ab eadem causa, quæ hodieque id nomen retinent. Χάραξ proprie est φραγμός, vel περίφραγμα, idem quod גדר. Latini recentiores *sudatum* dixere à sude. Sed & Græci recentiores Σοῦδαν appellant fossam. Quia enim castra vallo & fossa circumcingebantur, alterum pro altero sumpsere. *Sudem* in legibus Longobardorum & aliis legere est pro caula porcorum. Quod hodieque vocabulum retinemus. Sudis est χάραξ. Glossæ: χάραξ, *sudis*, *ridica*. Atqui χάραξ primigenia suâ notione fossam potiùs significat quam vallum, ἀπὸ τοῦ χαράξαι, quod est cavare & fodere. Hesychius: χαράξαι, κόψαι, κοιλᾶναι. Nam & κόψαι ταφρὸν Græci dicunt. Inde & χαράδραι fossæ. Ceterum haud scio cur pro Pasargadis huic Solino libuerit substituere *Phydasarchida*. Ita enim omnes libri meliores hoc loco legunt. In aliis habetur: *Sidasarchida*. Atqui Πασαργάδας, vel Πασαργάδα vocant urbem illam Persidis, in qua Cyri sepulcrum. In libris Plinii mendose scriptum est *Frassargida*, aut *Asargida*. Sed huic novum non est alia pro aliis nomina reponere, ideo nec mihi mirum. Sic paulo ante pro *Babythace* substituit *Carbyle* vel *Barbyte*.

Hic Cyri sepulcrum.] Strabo, Arrianus, Curtius, alii. Χρυσοῦν πύελον Græci illi vocant, in qua corpus Cyri jacuit. Arrianus lib. VI. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς κλίνης ἡ πύελος

πύελος ἔκειτο, ᾗ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἔχουσα. At tribus ante lineis dixit πύελον auream, in qua Cyri corpus conditum erat, juxta lectum poſitam fuiſſe: ἐν δὲ τῷ οἰκήματι πύελον χρυσῆν κεῖσθαι, ἵνα τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἐτέθαπτο: καὶ κλίνην παρὰ τῇ πυέλῳ. Strabo de eodem ſepulcro, ex eodem auctore, unde habet Arrianus: ἰδεῖν δὲ κλίνην τε χρυσῆν, καὶ τράπεζαν σὺν ἐκπώμασι, καὶ πύελον χρυσῆν. Quæ ſequuntur apud eumdem Strabonem verba corruptiſſima ſic reformanda: καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἐκκομισθῆναι, τὴν δὲ κλίνην θραυσθῆναι μόνον καὶ τὴν πύελον μεταθέντων τὸν νεκρόν. Ἐξ οὗ δῆλον γενέσθαι διότι περινομευτῶν ἔργων ἦν οὐχὶ τοῦ Σατράπου. Vir doctus apud Arrianum πύελον Latine reddidit *urnam*. Imperite. Urna proprie erat in qua cineres & reliquiæ corporum combuſtorum reponebantur. Κάλπην Græci vocant & ὑδρίαν & κρωσσόν. In epigrammate: ὦ πένθιμε κρωσσέ. Grammatici κρωσσὸν exponunt ὑδρίαν, λήκυθον, στάμνον. Africanus in Ceſtis, capite περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, urnam vertit κάδον his verbis: ὁ δὲ οἴνου ἀμφορεὺς, ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοὶ ἡμιαμφόρια μὲν ἔχουσι δύο, ἃ καλοῦσι κάδους ὀνόματι κοινῷ, Ῥωμαῖοι δὲ οὔρνας. Ad eam formam facta fictiles urnæ, vel æneæ, in quibus cineres condebant illi, quibus moris fuit corpora defunctorum cremare. At Perſæ cadavera ſua non cremabant. Corpus itaque Cyri quam magnum fuit ac longum in ea πυέλῳ jacuit, quæ non poteſt eſſe urna. Curtius *ſolium* vertit lib. x. *Ceterum coronâ aureâ impoſitâ, amiculo cui aſſueverat ipſe, ſolium in quo corpus jacebat, velavit.* Certe πύελος proprie ſolium eſt, ſed & alveum ſignificat, in quem lavaturi deſcendebant. Græci ἔμβασιν vocant & πύελον. Hinc illa veteris poëtæ, qui meretricem balneatori comparavit:

Ταύτῃ δ' ἐν πυέλῳ τόνδ' ἀγαθὸν τόν τε κακὸν λόει.

In eodem ſolio promiſce lavat bonos & malos.

Gloſſæ: *Solium*, θρόνος βασιλικός. *Solium*, ἐμβάτη. Duas tantum res *ſolium* proprie ſignificabat apud Latinos, aut ſedile, *alveum aut* lavandi causâ inſtitutum. Vide Feſtum in dictione *Solium.* Alveus, vel ſolium, in quo lavabantur, πύελος Græce. Sed præterea vox hæc illis vas denotavit lapideum vel ligneum, in quo mortuorum corpora ponebantur. Hoc ſolium non eſt. Nam & πυέλην & πυελίδα Græci iidem dixerunt palam annuli, quam *ſolium* & *ſoliolum* nemo Latine diceret. Ex πυέλη pala, vel palea annuli facta eſt: ut ex πυελίδα *paleda* & *paleta.* Nam ita quoque dixerunt. Pollux ληνοὺς, πυέλους & σοροὺς nominat, quibus cadavera ſua condebant Græci, quæ tria vocabula ſynonyma ſunt. Πύελον *ſarcophagum*, vel *arcam* mallem dicere Latine, quam *ſolium.* Gloſſæ: *Arca*, σορός. Juvenalis *ſarcophagum* dixit de Alexandro:

Qui figulo poſtquam munitam intraverit urbem
Sarcophago contentus erit.

Πύελον intelligit. Nam Græci, qui corpora defunctorum non cremabant, condere ea ſoliti erant πυέλοις ex lapide ut plurimum factis, cui natura eſt corpora cito abſumere. Talis aſſius fuit lapis, quem & σαρκοφάγον propterea Græci nuncuparunt. Plinius lib. XXXVI. cap. XVII. *In Aſſo Troadis ſarcophagus lapis fiſſili venâ ſcinditur.* Scriptus liber habet: *In Aſia Troadis.* Scribe: *in Aſſia Troadis.* Ἐν τῇ Ἀσσίᾳ, regionem circa Aſſum, vel urbis Aſſi territorium ita vocat. Mox idem habet: *fiſſili vena cingitur.* Διαφυάς vocat Dioſcorides hujuſmodi venas in lapide aſſio, quæ & διαζώματα dicebantur. Subjicit: *corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra XL diem exceptis dentibus.* Quæ ſequuntur, ita legenda ſunt: *Mucianus ſpecula quoque & ſtrigiles & calciamenta illata mortuis lapidea fieri auctor eſt.* Hujuſmodi reſculas, quibus in vita uſi fuerant, aut delectati, in eodem ſepulcro mortuis inferebant, aut una comburebant, ubi mos fuit cremari defunctos. Ex Muciano hæc ſumſit Plinius. Eodem capite paulo poſt aſſium lapidem ex Dioſcoride & remedia ejus deſcribit, & videtur alium facere ab eo ſarcophago lapide, qui in Aſſia. Troadis invenitur. Hic mos eſt Plinii perpetuus ac ſollemnis. Nugatur bonus Hermolaus, qui *aſium* lapidem cum unico S diſtinguit ab Aſſio. Culpa eſt librariorum, ubicunque *aſius* lapis ſcribitur pro *aſſius.* Stephanus urbem Myſiæ tradit eam Aſſon, in qua lapis ſarcophagus reperiebatur: Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Κορνήλιος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπι-

A κῶς ἱστορημένων, Μιτυληναίων ἄποικον ἐν τῇ Μυσίᾳ φησὶν Ἄσσον, ὅπου ὁ σαρκοφάγος γίγνεται λίθος. Idem tres Aſſos facit ex una. Nam quas tres recenſet urbes hoc nomine, non ſunt plus quam una. Ἄσσος Λυκίας, πλησίον Ἀτάρνης. Lege: Ἄσσος Λυδίας. Hæc eſt Troadis Aſſus, eademque Myſiæ. Etenim Atarne inter Myſiam & Lydiam ab eodem Stephano ponitur: Ἀτάρνα πόλις μεταξὺ Λυδίας καὶ Μυσίας. Ptolemæus Ἄσσον in Troade collocat. Hæc eadem Ἄσσος Æolidis, quæ Mitylenæorum colonia fuit. Dioſcorides de aſſio lapide, qui perperam Ἄσιος vocatur ibi pro Ἄσσιος: κατασκευάζονται δὲ καὶ πύελοι ἐκ τοῦ λίθου, εἰς ἃς οἱ ποδαγρικοὶ τοὺς πόδας ἐνθέντες ὠφελοῦνται. Prorſus male vertunt interpretes: *Ex*
B *aſſio lapide pelves in balneis fiunt.* Pelves ſunt λεκάναι: at πύελοι ſunt alvei, vel ſolia. Plinius ita hæc reddidit: *Aſſius guſtu ſalſus podagras linit, pedibus in vaſe ex eo cavato inditis.* Legi etiam commode poſſet: *pedibus embaſi ex eo cavatæ editis.* Ἔμβασις eſt πύελος, vel ſolium. Qua voce *embaſis* etiam Latini uſi ſunt. Plinius Nepos *deſcenſiones* Latine dixit τὰς ἐμβάσεις, id eſt, alveos, vel ſolia. *Embaſim* Juriſconſultus dixit. Sequitur longe vitioſiſſimus apud Dioſcoridem locus: καὶ σοροὶ σαρκοφάγοι γίνονται. Ἰσχναίνουσι τὰ πολύσαρκα καὶ πάχεα σώματα καταπλασσόμεναι ἀντὶ νίτρου ἐν βαλανείῳ. Greci σοροὺς vocant arcas mortuales. Eæ ex ſarcophago la-
C pide etiam fiebant, quas appellat σοροὺς σαρκοφάγους Dioſcorides. Sic tamen vulgo hæc vertunt: *Fit ex eodem etiam farinæ modo pulvis minuendis carnibus utilis.* Quæ nihili ſunt. Ita legenda ac diſtinguenda illa ſunt: κατασκευάζονται δὲ καὶ πύελοι ἐκ τοῦ λίθου, εἰς ἃς οἱ ποδαγρικοὶ, τοὺς πόδας ἐνθέντες ὠφελοῦνται, καὶ σοροὶ σαρκοφάγοι: τὸ δὲ ἄνθος ἰσχναίνει τὰ πολύσαρκα καὶ πάχεα σώματα καταπασσόμενον ἀντὶ νίτρου ἐν βαλανείῳ. Ex lapide alveos fieri balneares, & mortuarias arcas dicit: florem autem in balneis vice nitri inſperſum craſſa ac præpinguia corpora attenuare. Flos aſſii lapidis inſtar farinæ tenuis. Dioſcorides: τῇ συστάσει λεπτόν. Plinius: *ejuſdem lapidis flos appellatur, fa-*
D *rina ex eo quadam perinde efficax.* Ita hic locus legendus ex libris. Græci vocant ἄνθος quidquid eſt tenuiſſimum pulveris, vel farinæ inſtar. Hinc ἄνθος κινναμώμου, τὸ λεπτὸν κιννάμωμον exponit Nicomedes Jatroſophiſta in Lexico Medico. Flos auri, argenti, & æris dicebatur τὸ κεγχροειδὲς ἄνθος. *Florem farinæ* hodieque dicimus quod in ea eſt tenuiſſimum, & probe à furfuribus repurgatum. Sequentia etiam ſic legenda: *prodeſt & phthiſicis linctus cum melle, ulcera ad cicatricem perducit, excreſcentia erodit.* Sequitur in vulgatis: *Et ad beſtiarum*
E *morſus utilis. Repugnantia curationi ac ſuppurata ſiccat.* Inter remedia aſſii lapidis, vel ejus floris, beſtiarum morſus non meminit Dioſcorides, à quo hæc omnia mutuata ſunt. Legitur apud eum tantum: καὶ ἀνακαθαίρει σὺν μέλιτι τὰ μύκησιν ὅμοια καὶ θηριώδη. Videtur Plinius θηριώδη vertiſſe beſtiarum morſus. Quod eſt abſurdum. Nam θηριώδη ulcera Græci vocant quæ difficulter ſanantur, & curationi reſiſtunt. Vetus liber legit: *& ad beſtiarum morſus repugnantia curationi ſuppurata ſiccat.* Quæ veriſſima eſt lectio. Τὰ θηριώδη Græcorum quum uno verbo reddere non poſ-
F ſet Plinius, ita circumloquutus eſt: *curationi repugnantia ad morſus beſtiarum*, id eſt, quæ æque curationi repugnant, ut morſus beſtiarum, quos conſtat admodum difficilis eſſe curationis. Ut grammaticus ad Scaurum, durus ad lapidem, mollis ad lanam, tenuis ad ramentum, ita repugnans curationi ad morſus beſtiarum. Quæ loquutiones Plinio tritæ. Atque hæc obiter occaſione ſumpta ex ſarcophago lapide, ex quo & σαρκοφάγοι σοροὶ cavabantur condendis corporibus defunctorum. Poſtea σαρκοφάγοι abſolute dicti ſunt quilibet mortuorum loculi, etiam ſi ex alia materia fierent. Sic Δελφικαὶ τράπεζαι, quarum factura Del-
G phi nobiles. Poſtea quilibet abaci ea forma facti Delphicarum nomen habuere. Hodie *ſarcolium* dicimus quamlibet arcam ſepulcralem voce detorta ex *ſarcophagulus.* Græci πυέλους, σοροὺς, ληνοὺς & κιβωτοὺς appellant. Pollux lib. VII. cap. XXXII: σορὸς καλοῖτο δ' ἂν αὕτη καὶ πύελος, καὶ κιβωτὸς, καὶ ληνός. Ergo πύελον mortui Latine poſſumus *arcam* vertere. Doctus interpres *urnas* & *urceos* ibi hariolatus eſt. Mirum eſt mortales iſtos neſcire diſtinguere inter morem Romanorum, & Græ-

corum, inter cineres, & cadavera integra. In urnis, ollis, caccabis, urceis, ampullis, amphoris, cupis, orcis, & aliis hujuscemodi vasculis cineres condebantur. Enimvero more Græcorum qui cadavera non cremabant, ea vasa paranda fuere mortuis condendis quæ ad modulum corporis facta essent, ac totum cadaver, quam longum erat, recipere possent. Tales sunt alvei, lintres, arcæ, solia, lecti & similia. Hinc πύελον, quo defuncti condebantur apud Græcos, Latini reddidere *solium* à similitudine solii, vel alvei, in quo lavabantur. Vulgo dicimus *une auge*, ex Latino sequioris sæculi *albium* pro alveo. Sic πύελον, in quo Cyri corpus jacebat, Curtius *solium* interpretatus est. Florus de Cleopatra: *In Mausoleum se, sepulcra regum sic vocant, recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.* Ubi solium est πύελος. Ita & Plinius accepit lib. XXXV. cap. XII. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere, sicut M. Varro Pythagorico modo in myrti & oleæ atque populi nigræ soliis.* Ita legendum ex veteri codice pro vulgato, *fictilibus doliis.* Fictilia solia sunt ὀστράκιναι πύελοι, arcæ fictiles condendis mortuis. Corrigendus & in hac voce Theophrastus libro de lapidibus, quo loco sic legitur: καὶ ὁ τῷ ἐλέφαντι ὅμοιος ὁ χερνίτης καλούμενος, ἐν ἧν πέπλῳ φασὶ καὶ Δαρεῖον κεῖσθαι. Quid heîc, malum, peplus sibi vult, aut facit? Ne dubita legere: ἐν ῇ πυέλῳ φασὶ καὶ Δαρεῖον κεῖσθαι. Vel, ἐν ἧς πυέλῳ. In solio ex lapide illo chernite facto. Plinius ea sic reddidit: *Mitior est autem servandis corporibus nec absumendis chernites ebori simillimus in quo Darium conditum ferunt.* Apparet Plinium legisse πύελον, non πέπλον. Libri Pliniani lapidem eum *chermiten* vocant, non *cherniten.* Atque ita Isidorus in veteribus. Χέρμα est lapis χαλικώδης. Inde fortasse χερμίτης λίθος. Quod non affirmo. Nam χερμάδιον inde grammatici interpretantur lapidem qui manum implet. Tales in ripis fluminum & alveis reperiuntur politi & candidi, & magnitudine quæ facile tolli possit. A coloris similitudine fortasse χερμίτης dictus. Certe χερνίτης non habet originem in Græcia. Πύελος solium. Suetonius pro cinerario usurpavit in Nerone de monumento gentili Domitiorum, quo conditæ fuerunt Neronis relliquiæ: *In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante è Lunensi ara, circumseptum est Thasio lapide.* Ita legendus ille locus. Cedrenus λάρνακα πορφυρᾶν vocat, id est, arcam Porphyretici marmoris, in qua corpus Juliani repositum est: τὸ δύστηνον σῶμα ἀπεκομίσθη ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ ἐτέθη ἐν λάρνακι πορφυρᾷ κυλινδροειδεῖ. *Arcam* dixit Petronius in historia nobili illius matronæ quæ pudicitiæ exemplum fuit: *Jubet mariti sui corpus tolli ex arca, atque illi quæ vacabat cruci adfigi.* Non plebejus fuit ille cui arca mortuo datur, & in hypogæo monumento locatur. Placet tamen viris eruditis arca lapidea vulgo elata, sed & condita viliora cadavera. Idque sumunt ex hoc Horatii loco:

Hic prius angustis ejecta cadavera cellis,
Conservus vili portanda locabat in arca.

Item ex hoc Lucani versu:

Da vilem Magno plebeji funeris arcam.

Sed boni viri inter arcam & arcam non distinguunt, & diversa genera arcarum confundunt, diversumque funerandi & humandi modum apud Græcos & Romanos. Honestiores Romæ efferebantur in lectis. Propertius:

Jussisses lectum lentius ire meum.

Torum vocat Martialis. Farciebatur papyro, scirpo & alia omni materia combustili, multisque etiam odoribus differtus, pyræ inferebatur, ibique simul cum corpore cremabatur. At tenuiores & plebeji non in lecto ferebantur ad rogum, sed in arca lignea, vel ligneo sarcophago ex paucis tabulis compacto, unaque cum cadavere eadem ustrina comburebatur. De hujusmodi arca lignea accipiendi Horatius & Lucanus, qui plebejas & viles vocant quia cadavera plebeja in illis efferebantur. *Sandapilas* Latini proprie vocarunt hujusmodi loculos ligneos in quibus mortui de nota plebeja efferri solebant. Glossæ: *Sandapila*, νεκροφορεῖον. Glossæ nondum editæ vetustissimæ: *Sandapila, feretrum quo mortuorum pauperum corpora ad sepeliendum ejiciuntur sine ditiori apparatu, dicta sandapila quasi sine dapi'a.* Immo *sandapila* est σανιδοπύελος. Ex tabulis & asseribus compacta arca. Græci σορούς vocant, quas ligneas fuisse constat. Nam σοροπηγοὶ dicti sandapilarii qui arcas eas ex ligno compingebant. In hujusmodi igitur arcis ligneis & sandapilis tenuiorum cadavera portabantur ad rogum. Unde νεκροφορεῖα, & νεκροφορικὰ ἀγγεῖα Græci vocant. Hesychius: Ταρίφη, κόφινος μέγας, οἱ δὲ νεκροφορικὸν ἀγγεῖον. Josepho λάρνακες εἰς ἐκκομιδὴν νεκρῶν. De his arcis capiendus etiam locus apud Suidam: Πρίμος καὶ Κερεάλιος εἰς τὴν Ῥωμαίων εἰσέβαλον: πρῶτον μὲν εἰς λάρνακας μετὰ τῶν νεκρῶν δι' ἀγγέλων τινῶν, καὶ εἰς ἀῤῥίχους ὀπώρας ἐχούσας ἢ καλάμας ὀρνιθευτῶν τὰ γράμματα ἐμβαλόντες. Hæc citat ex auctore aliquo, & λάρνακας interpretatur σορούς ἢ κιβωτούς, arcas nempe mortuarias, quibus cadavera efferuntur. Modos autem indicat plures quibus secreto literas & nuntios miserunt Primus ille & Cerealis, epistolas nempe mortuorum quæ efferebantur, arcis inferendo, aut cum fiscinis fructuum missitando, aut inter calamos aucupatorios occultando. Ex illo tamen Suidæ loco adstruunt viri docti Primum quemdam Cerealium instituisse apud Romanos ut cadavera arcis conderentur quum antea comburi moris esset. Quid illis hominibus facias? Sapere jubeas, si sapias ipse. *Capuli* etiam vocatæ arcæ quibus mortui elati. Nonius interpretatur sarcophagos aut sepulcra. Prorsus male. Nec enim in capulo condebantur cadavera, sed efferebantur. Melius glossarum veterum consarcinatores: *Kapulus, in quo mortui deferuntur.* Cum Kappa scribunt ut distinguatur a capulo ensis, qui à capiendo dictus est, quod capiatur. At *capulus* mortuorum ex Græco κάπηλος, quæ præsepem & φάτνην significat. Κάπηλος, *capulus*, ut ἴταλος, vitulus. Ab eadem origine est & καπάνη, unde *cabana* Latinum. Varro Cosmotoryne: *propter cunam capulum positum nutrix tradit pollictori.* Τὴν λάρνακα vel arcam funebrem ex ligno intelligit qua deferebantur mortui ad rogum vel ustrinam. Inde *capulare cadaver* Lucillio, & *capularis senex* apud comicos capulo proximus, & jam jam efferendus. Græci σορέλλην vocant, ἀπὸ τῆς σοροῦ, & τυμβογέροντα. Terentio dicitur *silicernium* extremæ ætatis senex a silicernio quod est περίδειπνον, vel prandium funebre. Sic σορὸν vocant iidem Græci senem decrepitum. A silice *silicurnus*: ut a somno, *somnurnus*: a mense, *mensurnus*: a nocte, *nocturnus.* Pro *silicurno* postea *silicernum* corrupto sermone dixere, siliceum. Ut *palestris* pro palustris. Inde *silicernium*, prandium silicernum, quod conficiebatur circa silicem; id est, sepulcrum mortui. Hæc vera illius vocis proprietas, quam frustra veteres quæsivere grammatici. Fulgentius sandapilam exponit. *feretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum cadavera portabantur.* Recte *portabantur*, nam νεκροφορεῖον fuit. Et recte de plebejis, nam nobiles in lectis efferri solebant. Ab illis arcis ligneis, quibus efferri moris erat mortuos, longe diversæ sepulcrales arcæ in quibus condebantur. Etenim in lectis divites ac nobiles, in arcis humiles ac plebeji ad rogum ferri soliti. Post ustrinam relliquiæ ac cineres collecti in urnam aut ollam mittebantur, & terra obruebantur atque humabantur, aut intra arcam vel monumentum reponebantur, si qui gentilia haberent monumenta. Arca proprie hoc sensu est monumentum ex lapide in modum arcæ structum. Seneca lib. Epist. XIII. *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo adoratis manibus ejus & arca, quam sepulcrum esse tanti viri suspicor.* Perperam viri doctissimi hanc arcam confundunt cum arca funebri lignea, qua pauperum cadavera ad pyram portabantur, & arcam ideo volunt de Scipionis sepulcro dixisse Senecam, quia funeratus & conditus pauperrime Scipio, & mortuus ignobilius quam vixerat. Nugæ. Arca ibi monumentum est quales in finibus agrorum extruebantur, quas pro terminis observabant. Eæ arcæ finales ut plurimum sepulcrales erant, & condendis mortuis serviebant, aliquando ad finiendos tantum agros ponebantur. Ideo Seneca suspicari tantum se dicit arcam illam in villa Scipionis sepulcrum ejus esse. Frontinus de limitibus agrorum: *In campis vero statuerunt terminos quadratos cursorios & interjectis locis arcas, & monumenta, vel alia testimonia,*

Idem:

Idem: *per inſtructas arcas & monumenta finitur.* Idem: *Variis locis per inſtructas arcas, rivorum vel fluminum curſus fines ſervantur.* Et paſſim apud alios Agrimenſores arcam in trifinio, in quadrifinio conſtitutam legere eſt; quæ vox nihil aliud ſignificat quam terminum in modum arcæ conſtructum. Frontinus: *Aſculanus ager terminis in modum arcellæ eſt demetitus.* Caſſiodorus *arcaturas* vocat hujuſmodi arcarum ſtructuras, quæ terminorum vicem erant. Caſſiodorus lib. III. Variarum, Epiſt. LII. *Unde miramur tanta animoſitate fuiſſe litigatum, quod aut terminis teſtibus, aut jugis montium, aut fluminum ripis, aut arcaturis conſtructis, aliiſque ſignis evidentibus conſtat eſſe definitum.* Arcam finalem in veteri libro Hygini ita depictam videre licet:

Hinc in veteri gloſſario, *arca*, ἄκρα κτημάτων, id eſt, fines poſſeſſionum exponuntur, ut olim emendavimus. Innocentius: *Arca examine id eſt legibus conſtituta.* Et apud Frontinum: *limitum deliniatio per rationem arcarum.* Hæ arcæ finales tantum fuere, non etiam ſepulcrales. Aliquando & monumentales erant arcæ, & finium vicem præbebant, ut & ipſa monumenta finalia pro terminis plerumque obſervari ſolita. Unde & *ſepulturæ finales*, & *monumentales termini* in libris Agrimenſorum, & *memoriæ in finem conſtitutæ.* Certe & arcæ juxta ſepulcra plerumque ponebantur, & in ipſis ſepulcris arcæ conſecrabantur finales. Auctor incertus: *Et quia arca aliquoties circa ſepulcrum ponitur, & ſuper arcam ipſam memoriæ conſtitutæ, & quod ſanctius videtur, antiquitus nobis ſit, convenit menſura, ut in ipſa memoria conſecraretur arca finalis.* Hæ finales arcæ pro ſepulcris conſecrari ſolebant, & arcuato tecto concamerabantur, cujus figuram heic expreſſimus ex libro Hygini.

Hæc ſepultura finalis in modum arcæ, cujus operculum arcuatum eſt, facta videtur. Talis arca in villa Scipionis, quam pro ſepulcro ejuſdem Scipionis Seneca accepit. Sed ab his arcis multum diverſæ arcæ lapideæ, in quibus condebantur corpora mortuorum. Illæ ex multis lapidibus conſtructæ: hæ ex uno lapide cavatæ. Et ſunt quas πυέλους Græci vocant, in quas integrum corpus inferebatur. De hoc genere arcarum accipienda hæc vetus inſcriptio: NE QUIS NOS INQUIETET EX ARCA NOSTRA, NEQUE ABANTE ALIAM PONAT, AUT COMMUTET. Item hæc altera quæ Veronæ extat in ſarcophago marmoreo.

P. JULIUS APOLLONIUS SIBI ET ATTIÆ VALERIÆ CONJUGI OBSEQUENTISSIMÆ VIVUS PARAVIT. EJUSQ. CORP. IN ARCA CONDIDIT ET LOCUM SERVIO DEDICAVIT.

Transferri poterant hæ arcæ de loco in locum. Et de his intelligit Marcianus lib. III. Inſtit. *Videtur autem terra conditum, etſi in arcula conditum hoc animo ſit, ut non alibi transferatur. Sed arculam ipſam (ſi res exigat, in locum commodiorem licere transferre non eſt denegandum.* Lege Divi. D. de relig. & ſumptib. fun. Tollenda autem negatio in illa lege, ac legendum: *etſi in arcula conditum hoc animo ſit, ut alibi transferatur.* Sanxerant Divi fratres, juſtæ ſepulturæ traditum, id eſt, terra conditum corpus, non eſſe inquietandum, hoc eſt, ſua ſede mo-

A vendum. Juriſconſultus addit, videri etiam terra conditum, etſi hoc animo conditum in arca ſit ut alibi transferatur. Difficultatem quippe non recipit, quin juſtæ ſepulturæ traditum, & conditum corpus cenſeatur, quod in arca conditum eſt, in eadem ſede manſurum. Non de alia arca capiendus Cajus eodem titulo leg. VII. *Adverſus eum qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erit conditus, mortuum intulit, utilem actionem in factum proconſul dat: quia non proprie vel in ſepulcrum, vel in locum alterius intuliſſe dici poteſt.* Hujuſmodi, inquam, erant arcæ in quibus corpus totum condebatur, non cineres aut oſſa. Ideo
B hæc exacte diſtinguunt Juriſconſulti. Ulpianus: *Oſſa quæ ab alio illata ſunt, vel corpus an liceat domino loci effodere vel eruere, ſine decreto Pontificum ſeu juſſu principis, quæſtionis eſt.* Idem Ulpianus: *ne corpora aut oſſa mortuorum detinerentur, aut vexarentur.* Iidem alio loco reliquias hominis, & corpus diſtinguunt. Et in edicto prætoris: *ſive homo mortuus, oſſave hominis mortui in locum purum alterius, aut in ſepulcrum, in quo jus non fuerit, illata eſſe dicentur.* Juriſconſultorum ævo plerique etiam Romani & ex gentilibus condi integros ſe morte obita malebant, quam comburi, ut de Chriſtianis, Judæis & Græcis qui Romæ & in Italia degebant, nihil di-
C cam. In titulo tamen Chyndonactis σῶμα pro reliquiis corporis & cineribus ponitur: Μίθρης ἐν ὀργάδι τὸ σῶμα χῶμα καλύπτει Χυνδώνακτος ἱερέων ἀρχηγοῦ. Δυσσεβὲς ἀπέχου. Λύσιοι κόνιν ὁρῶσι. Corpus illud oſſa tantum ſunt & cineres in ampulla vitrea ſiti, quæ intra maſſam lapideam cavatam & operculo clauſam recondita eſt. Ipſe vidi & tractavi. Poſtquam deſitum eſt corpora comburi in orbe Romano, condendis cadaveribus ubique parabantur hujuſmodi lapideæ, vel marmoreæ arcæ, ſive ſarcophagi ex uno lapide exſculpti. Caſſiodorus variarum III in Epiſtola Theodorici ad Danielem. *Et*
D *ideo artis tuæ peritia delectati, quam in excavandis & ornandis marmoribus exerces, præſenti auctoritate concedimus, ut te rationabiliter ordinante diſpenſentur arcæ, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera diſtrahuntur, quarum beneficio cadavera in ſupernis humata ſunt, lugentium non parva conſolatio, quoniam animæ tantum de mundi converſatione diſcedunt, corpora vero dulces quondam ſuperſtites non relinquunt.* Hæ arcæ ad menſuram corporis unius ac modulum erant factæ, nec plura corpora recipiebant. Ideo ſeparat eas à loco ac ſepulcro Juriſconſultus. De loco dicam infra. *Sepulcrum* plurium arcarum capax fuit. Idem quippe quod monumentum.
E Hinc *familiaria ſepulcra* Caio dicuntur, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit. In illis ſepulcris, ſive monumentis totidem arcæ, quot corpora collocabantur. Nam ſingula corpora in ſuis arcis erant ſita ac ſepulta, & omnes arcæ intra unum monumentum receptæ ac conditæ. Idem de urnis ac cinerariis licet dicere, ubi corpora cremabantur, ut apud Romanos, & olim apud Græcos. Nam certum eſt antiquiſſimam Græciam corpora defunctorum cremaſſe. Duo igitur in ſepulturis, ac circa ſepulcra veniunt conſideranda; *monumentum*, hoc eſt, generalis θήκη omnium in eadem familia defunctorum, & ſingulorum corporum
F arcæ, vel ſarcophagi, vel urnæ, aut cineraria, ſi cineres tantum, vel oſſa, ac reliquiæ hominis condebantur. Monumenta ea non unius generis aut formæ. Apud Græcos, ubi corpora integra condere cœperunt, hypogæa & ſubterranea fuere. Petronius: *In conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo Græco more corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebuſque cœpit.* In eo hypogæo corpus mariti arca ſeorſim incluſum fuit, ut conſtat ex his quæ poſt ſequuntur: *ſecundum hanc orationem jubet mariti ſui corpus ex arca tolli, atque illi, quæ vacabat, cruci adfigi.* Omnes mortui in illis hypogæis in ſua quiſque arca poſiti jacebant. Fornicata erant: unde & καμάρας vocat Phlegon, qui
G & κλίνας appellat ſingulorum cadaverum thecas, vel arcas, quæ una καμάρᾳ vel fornice habebantur conditæ. Verba ejus hæc ſunt: ἀνοιχθείσης δὲ ὑφ' ἡμῶν τῆς καμάρας, εἰς ἣν πάντες οἱ οἰκεῖοι μεταλλάσσοντες ἐτίθεντο, ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων κλινῶν ἐφάνη τὰ σώματα κείμενα, τῶν δὲ παλαίτερον τετελευτηκότων τὰ ὀστᾶ. Ἐπὶ μόνης δὲ ἧς Φιλίννιον ἐτέθη, καὶ συνέβη ταφῆναι, εὕρομεν ἐπικείμενον τὸν δακτύλιον τὸν σιδηροῦν,

θηρῶν, καὶ τὸ χρυσόκλειςον ποτήριον. Apparet totius familiæ hoc monumentum hypogæum fuisse. Ibi mortui ex eadem familia jacebant in suis quique lectulis. Arcas, vel sarcophagos ita vocat, quod in his cubarent mortui, & pro lectulis eos haberent. Philodemus μονόκλινα πετρίδια vocat in epigrammate nondum edito:

Οὐκ αἰεὶς ἄνθρωπε τόκων γλυφὸς, ἐν μονοκλίνῳ
Δεῖ σ' ἄξιον ναίειν δύσμορε πετριδίῳ.

Defunctum te oportet, ô tocullio, in lectulo saxeo cubare, & æternum jacere. Lucilius:

---- in capulo hunc non esse, aliumque cubare.

De mortuali loculo. Huc referendi Lucretii versus lib. III: quod non animadverterunt ejus interpretes:

Nam si in morte malum est, malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis:
Aut in melle situm suffocari atque rigere
Frigore quum in summo gelidi cubat æquore saxi:
Urgerive superne obtritum pondera terræ.

Tres modos sepulturæ tangit. Qui cremabantur, qui terra obruebantur, & qui in lapideis arcis cum melle condebantur, quos ait in gelidi æquore saxi cubare. Nonnus λιθώδη χαμεύνην sepulcrum Domini nostri appellat, dum ad has arcas vel lapideos lectulos respicit:

Καὶ νέκυν οὐ μίμνοντα λιθώδεϊ θῆκε χαμεύνῃ.

Vocat & ψαμαθώδεα χαμεύνην. Sed eum errare dicam infra. Ut redeam, unde digressi sumus, subterranea fuere Græcorum monumenta, postquam ab ustrina cadaverum recessere. Hesychius: ὑπογαῖον, ὑπόγειον τύμβον. At apud Tertullianum de anima, apogæum non est sepulcrum, sed locum subterraneum ita vocitat, in quo latuit Pythagoras. *Respice ad ejus hypogæum, & si sapis crede.* Ita vetus Agobardi, τὸ ὑπόγειον. *Subterraneum* unica voce dixit paulo ante, & alibi in libro adversus Nationes: *de subterraneo antipodes.* Romanorum monumenta supra terram extruebantur. Ideo dixit Petronius, *In hypogæo Græco more.* Quia Latinorum ὑπέργεια, & supra terram ædificata conditoria mortuorum. Ratio diversitatis ex diverso more processit. Qui corpora integra sepeliebant, quærenda his fuere subterranea loca mortuis recondendis, ne cadaveris odor putrescentis in supernis sentiretur. Nihil tale metuendum à cineribus & reliquiis combusti corporis. Ideo qui comburebant corpora sua Romani, supra terram ædificata habuere conditoria. Hujus rei argumentum non leve, quod apud Romanos quoque, si qui defunctorum suorum cadavera non cremarunt, in cryptis ea locisque subterraneis sepeliverunt. Hinc *crypta martyrum* tot locis leguntur in veteribus martyrologiis & patrum scriptis. Damasus de vitis Pontificum sæpius meminit priorum Romæ Episcoporum in crypta sepultorum in cimiterio Callixti. *Crypta* proprie est subterraneus locus, vel spelunca. Glossæ: *Crupta*, βαίτης pro βέτης. Hesychius: βέτης, τὸ ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ. *Grottam* dicimus pro spelunca ex illo *crupta*. Hodie quoque procerum monumenta, & si qui alii gentilia sepulcra habent, cryptæ veræ sunt, specus nempe defossi, & subterranei fornices, in quibus aut terra obruta sunt corpora, aut marmoreis & plumbeis, atque etiam ligneis arcis condita, supra extante ad memoriam ex marmore aut lapide structa aliqua massa & inscripta, quod proprie *monumentum* vocatur. Nec putandum est alio more modoque monumenta facta habuisse Judæos, qui per facultates monumenta habere potuerunt. *Cryptæ* eæ fuerunt, ut eas auctores semper nominant qui res eorum scripsere. Σπήλαια Græci appellant. Vetus auctor Itinerarii Burdegalensis ante annos mille ac ducentos conscripti: *Inde non longe est monumentum Ezechiel, Asaph, Job & Jesse, David, Salomon, & habet in ipsa crypta ad latus deorsum descendentibus Hebræis scriptum nomina superscripta.* Et paulo post: *Inde Terebintho Cebron, mil. II. ubi est memoria per quadrum ex lapidibus miræ pulcritudinis, in qua positi sunt Abraam, Isaac, Jacob, Sarra, Rebecca, & Lia.* Sepulcrum Abrahami, vel locus sepulcri, quem mercatus est ab Hettæis, *spelunca duplex* vocatur Genes. cap. XXIII, & cap. XXV, *& sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui, in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron.* De ea duplici spelunca, quare ita vocata sit,

A mire æstuant interpretes omnes. Nec meliora afferunt viri docti, qui fossam & speluncam in ea fuisse autumant, ut per fossam aditus ad speluncam pateret, in qua jacebat mortuus, qua forma etiam fuisse volunt Domini sepulcrum. In quo ratio eos fugit. Simplicissimum est speluncam duplicem accipere, ut Græci appellant ἀμφίδυμα σπήλαια, & διπλᾶ, quæ duplicem habent aperturam, & ex duabus partibus ingressum. Per hoc speluncæ magnitudinem ostendit, quæ duplicem hiatum haberet. Hesychius: ἀμφίδυμος, ὁ ἐξ ἀμφοτέρων μέρους εἴσδυσιν ἔχων. Portus etiam ἀμφιδύμους eo sensu vocarunt, qui & *duplices* dicti sunt. Idem:

B ἀμφίδυμοι, διπλοῖ ἐξ ἑκατέρου μέρους εἴσπλουν ἔχοντες. Poëta: ἐν σπέει ἀμφιδύμῳ. Non quærenda est alia duplicis speluncæ interpretatio. Idem vetus Itinerarium sepulcrum Lazari *cryptam* vocat: *Inde ad orientem passus mille quingentos est villa, quæ appellatur Betania. Est ibi crypta, ubi Lazarus positus fuit, quem Dominus suscitavit.* Apud Johannem cap. XI μνημεῖον & σπήλαιον vocatur illa Lazari crypta: Ἰησοῦς οὖν πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. Ἦν δὲ σπήλαιον καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. Nonnus χθόνιον σπέος interpretatur, id est, subterraneum specum:

Καὶ χθόνιον σπέος ἦεν ἔσω γλαφυροῖο μελάθρου
Καὶ λίθος ἀντιτύποιο φέρων μίμημα θυρέτρου
C *Ἀμφιπαγὴς ἰσόμετρος ἐρείδετο χάσματι τύμβου.*

Ex his colligi potest quali forma fuerint Judæorum sepulcra. Specus erat subterraneus lapide structus, & cameratus cum foramine desuper ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur. Nec alterius generis aut formæ fuisse liquet Græcorum hypogæa. Ex eadem historia Lazari colligere licet populos eos, qui cadavera integra sepeliebant & condebant, in subterraneis ea idcirco condere solitos, ne fœtore auras corrumperent in supernis posita. Quum enim Lazarum extinctum videre expeteret Dominus, dixit ei Martha diem quartum esse ex quo cadaver esset, ac

D proinde jam fœtere. Unde etiam concludere datur Judæos corpora defunctorum non condiisse aromatis exenterata, sicut Ægyptii solebant. Nullus enim fœtor ex cadavere conditura medicato exiisset. Ægyptii autem licet cadavera sua non cremarent, quia odoribus ea condiebant, domi apud se in conclavibus ei rei destinatis inclusos ligneis thecis vel loculis asservabant. Nam periculum à fœtore nullum. Herodotus ξυλίνους τύπους ἀνθρωποειδέας, loculos illos vocat quibus includebant cadavera condita Ægyptii. Sed & θῆκαι dicebantur. Unde & θηκαῖον οἴκημα appellat, in quo servabantur.

E Aëtius γλωσσόκομα nominat lib. XVI. Τὸν σμυρνισμὸν οἱ Αἰγύπτιοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν σωμάτων ποιοῦσι θέλοντες τὰ σκηνώματα αὐτῶν φυλαχθῆναι, διὰ τὸ μὴ ἐν τάφοις αὐτὰ καλύπτειν, ἀλλ' ἐν γλωσσοκόμοις. Corpora sepulcris non condebant, ut ceterarum gentium mos fuit, sed condiebant, & in loculis ligneis servabant. Hesychius: γλωσσόκομον. Non solum arculas, in quibus jacebant condita cadavera, sed etiam monumenta ipsa plurium arcarum capacia sic vocarunt. Æschylus: προγόνων τε θῆκαι, *monumenta majorum.* Pollux: ἠρίον, μνημεῖον, θῆκαι, σοροί, πύελοι. Plato legum XII. τελευτήσασι δὲ προθέσεις τε, καὶ ἐκφοραί, καὶ θήκας διαφόρους εἶναι τῶν ἄλλων πολιτῶν. Paulo post θήκας il-

F las explicat de monumentis hypogæis & fornicatis, in quibus plures lectuli lapidei repositi condendis corporibus: θήκην δὲ ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένην εἶναι ψαλίδα προμήκη λίθων προτίμων καὶ ἀγήρων εἰς δύναμιν. ἔχουσαν κλίνας παραλλήλας λιθίνας κειμένας, οὗ τὸν μακάριον θέντες, κύκλῳ χώσαντες, &c. Κλῖναι illæ λίθιναι sunt arcæ lapideæ, in quibus corpora condebantur, quæ in thecis illis subterraneis reponi solebant. Diodorus νεκρῶν θήκας. In veteri inscriptione *armarium distegum* pro monumento vel theca mortuorum. Unica voce νεκροθήκας dicere liceat, uti ζωθῆκαι dicebantur cellæ, in quibus saginabantur viva animalia, ut turdi, gallinæ & alia. Caveæ quo-

G que, quibus includuntur aviculæ, ita vocari possunt. Græci ζωγρεῖς & ζωγρεῖα vocant. Strabo ita etiam appellavit septa animalibus includendis, damis, leporibus & aliis, quæ *vivaria* Latini dicunt. At ζωθήκη proprie est Atticorum οἰκίσκος. Grammatici ὀρνιθοτροφεῖον exponunt. In veteri inscriptione *zotheca* jungitur culinæ, eoque nomine intelligitur cellula, in qua saginabantur & servabantur viva animalia ad sacrificium.

HER-

HERCULI SAXANO SACRUM SER. SULPITIUS TROPHIMUS AEDEM ZOTHECAM CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT. Inde hodieque *zothecarium* idiotismo nostro dicimus sedile, in quo cubant gallinæ, & *zothecare* eo modo cubare, quo ipsæ perticis suis & sedilibus impositæ cubant. Postea *zothecam* pro quolibet οἰκίσκῳ & parvo conclavi usurparunt. Hinc Sidonius zothecula pro armariolis, vel librorum thecis posuit, vel pro ipso conclavi & bibliotheca: Epist. VIII. XVI. *Nam per armariola & zothecula nostras non manserunt digna prolatu.* Et Epist. IX. XI. *Supradicto tamdiu potes uti libello, ut eum non amplius zothecula tua quam memoria includat.* Proprie vero id significat quod diximus. Nam ζωθήκη idem quod ζωοθήκη. Sic νεκροθήκη monumentum intra quod recipiebantur corpora defunctorum arcis suis & lectulis, sive soliis condita. Fornicata erant & ex structura facta. Nec putandum est alius generis aut formæ fuisse cryptas Judæorum. Quale fuit Lazari sepulcrum, tale & Domini nostri fuisse, in crypta nempe ac specu defosso, certum est. *Cryptam* vocat idem ille auctor, quem supra attulimus: *in sinistra autem parte est monticulus Golgotha, ubi Dominus crucifixus est. Inde quasi ad lapidis missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit, & tertia die resurrexit.* Non alio genere structa hæc crypta videtur, nec alia forma, quam illa Lazari. Subterranea quippe, & saxo constructa, & fornice tecta, & foramine, quod lapide cludebatur, aperta. Quales omnes cryptæ ædificabantur, mortuis recondendis. Volunt tamen ex rupe excisam esse illam Dominicam cryptam inducti his verbis Marci: καὶ κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας: *quod erat excisum e petra.* Alii *rupe* interpretantur. Quasi & rupes in eo horto fuerit, ubi monumentum erat, in quo positum est corpus Domini. Sed fallit eos ratio. Veteri quidem Græciæ πέτρα idem quod rupem significat. Theocritus:

---- πέτρας ἀπὸ κομμ' ἀτεράμνω.

At Græciæ mediæ idiotismus πέτραν pro quolibet lapide usurpavit, etiam pro cæmentitio, & οἰκοδομικῷ. Præterea dicendum fuisset λελατομημένον ἐκ τῆς πέτρας, si ex rupe excisum, quæ inibi erat, intellexisset. Norunt Græce periti quid valeat illud absque articulo ἐκ πέτρας, idem quippe est ac si dixisset, ἐκ λίθε. Nam πέτρα est λίθος. Paulus Silentiarius ambonem Sanctæ Sophiæ ἕδος πετραῖον dixit, quod ex lapide constructus esset:

Πὰν δ' ἔ τὸ καλλιθέμειλον ἕδος πετραῖον ἐκεῖνο
Ἔνθα σοφῶν ἀνάγνωσι θεηγόρα θεῖα βίβλων.

Idem passim πέτρας appellat marmora cæsa & polita, quibus structum illud ædificium. Apud Matthæum πέτρα ponitur pro lapide fundamentali: σὺ Πέτρος εἶ, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Denique fefellit eos significatio vulgaris verbi λατομεῖν, quod lapides ex lapidicina cædere significat: unde λατομίαι, lapidicinæ. Atqui λατόμους etiam appellarunt, qui lapides quadrabant & polibant ad ædificandum. Hesychius: λατόμος, λιθοξόος. Igitur μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας est monumentum ex lapide cæso ac polito constructum. Paulus Silentiarius in ἐκφράσει templi Sanctæ Sophiæ & ambonis λαοτόμους & λαοτύπους pro iisdem usurpat. Sed Lucas omnem difficultatem amolitur, qui μνῆμα λαξευτὸν vocat: καὶ κατέθηκεν αὐτὸ ἐν μνήματι λαξευτῷ. Græce scientes omnes heic convenio quid aliud putent μνήματος λαξευτοῦ appellatione intelligi quam monumentum ex lapide polito atque quadrato structum? Λαοξόος, & inde λαξόος is dicitur proprié qui lapides polit ac levigat. Vetus inscriptio de sculptore:

Πραξιτέλης ἦνθεν λαοξόος ἔχε χερείων.

Inde λαξόος & λαξεύειν. Quod & pro struere & ædificare posuerunt. Eudemus Rhetor in Lexico: λαξευτήριον οἰκοδομικὸν ἐργαλεῖον. Λαξόος γὰρ οἰκοδόμος. Instrumentum structorum. Male igitur Beza vertit: *In monumento quod erat in saxo incisum.* Nec melius vulgata: *In monumento exciso.* Nullo modo hoc significare potest vocabulum λαξευτόν. Hæc quum non intelligeret Nonnus, sepulcrum Domini ex uno lapide cavatum & monolithum fuisse credidit, ut ex paraphrasi hac ejus planum est ad Johannem:

A ---- ἦν δ' ἐν γείτονι κήπῳ
Τύμβος ἀδωμήτοιο βαθυνομένης ἀπὸ πέτρης
Γλυπτὸς ὅλος νεότευκτος.

Quod ex aliis Euangeliis sumpsit. Nam nihil tale apud Johannem. Hinc paulo post λιθώδη χαμεύνην & ὀλίγην χαμεύνην appellat. Putavit similem esse arcis illis, sive lectulis lapideis ex uno lapide cavatis, in quibus condebantur cadavera, qui ad modulum corporis erant facti. Structores dum ædificant simul etiam lapides cædunt, quadrant & poliunt. Hinc λαξόος & λατόμος pro structore, & λατομητὸν & λαξευτὸν, quod ex lapide polito structum est. Monumentum illud, B in quo depositum Christi corpus, in horto Josephi Arimathiensis fuit, quod ille sibi ac suis curaverat exstruendum. Matthæus: καὶ ἔθηκεν αὐτὸ ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν πέτρᾳ, id est, *quod construxit in lapide.* Idem dixit quod Marcus, λατομητὸν ἐκ πέτρας. Loquutio autem tralaticia, & qua scriptores sacri sæpe utuntur, ἐν πέτρᾳ λατομεῖν pro ἐκ πέτρας, vel πέτρᾳ, lapide struere. Sic apud Lucam: Κύριε εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ. Dices non idem esse ἐν μαχαίρᾳ πατάξαι, & ἐν πέτρᾳ λατομῆσαι. Illud enim instrumentum est, hæc materia. Sane verum est. Sed ecce *in notis compunctum* dixere, ubi notæ res sunt ipsæ, qui- C bus compunctus stigmatis, non instrumentum, quo compunctus est. Sic ergo & λαξευτὸν ἐν πέτρᾳ pro πέτρᾳ quod ex lapide cæso structum est. Nihil tritius hac loquutione. Ceterum quidem vulgus & plebs infima, quę per facultates monumenta sibi ędificare non poterat, in depressis fossis mortuos suos condebant, & terra obruebant. Nec hoc in Judæa tantum, sed apud Græcos Romanosque pariter obtinuit. Quibus vero facultates suppetebant, hi monumenta habuere structa sibi suisque. Monumentum igitur illud Josephi, in quo Christi corpus jacuit, spelunca quidem fuit, sive crypta, & ex D terra cavata, sed lapide structa, & concamerata, ut solent hodie fieri omnes apothecæ vinariæ, quas appellamus *cavas.* Monumenta quoque subterranea omnia ita fiunt, quæ *carnaria* vulgus vocitat. Quod de duplici crypta & spelunca Dominici sepulcri tradunt recentiores & inter eos Brocardus, vereor ut verum sit. Vetus auctor, qui circa Constantini magni tempora vixit, unius tantum cryptæ meminit, & Basilicam, sive Dominicum in eo loco jussu Constantini ædificatam scribit: *Ibidem modo jussu Constantini Imperatoris basilica facta est, id est, Dominicum miræ pulcritudinis.* Bellonius quoque refert templum ibi hodieque E restare rotunda forma lumen ex culmine recipiens, in cujus medio Domini sepulcrum sacello quodam conclusum. Cetero templum illud in plano situm esse non in monte affirmat. De rupe igitur vix verisimile est in ea incisum fuisse Dominicum monumentum. Hortus fuit, in quo sub terra constructum illud monumentum, non saxosus nec scruposus, sed qualem decuit horti agrum esse, in quo nullæ rupes, nec rupinæ. Sed nec terram ipsam horti ὑπόπετρον fuisse credibile est. Spelunca illa, sive crypta manu facta quæ monumenti usum præbebat, structura & fornice constans, horti solo suberat. In ipso solo foramen, cui lapis im- F positus operculi vicem, in horti area illud erat monumentum, sub terra lapide quadrato septum, & fornice tectum foramine desuper patente quod saxo advoluto operiebatur. Hoc in omnibus siris, cryptis & templorum thesauris, & favissis, quæ sub terra ædificabantur, fiebat. Lapide quadrato struebantur, & concamerabantur, relicto foramine, quod saxo desuper imposito claudebatur. Plutarchus in vita Philopœmenis: οὐ μὴν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνον, οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ προσαγομέ- G νῳ κατακλειόμενον ἐνταῦθα κατέθεντο. Livius hoc idem sic memoravit: *admonent deinde quidam esse thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum, eo vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operitur machina, desuper impositum est.* Placet erudito viro *machinam* ibi esse molam. Fallitur. Ita vocat subterraneum illum thesaurum. Catastam, in qua servi vendebantur, & qua inclusi prostabant, *machinam* dixere. Unde apud Q. Ciceronem, *ancillam emere de machinis.* Livius *machinam* etiam

etiam vocat οἴκημα κατάγειον; quod lapide desuper imposito operiebatur. Præterea falsum esse *machinam* esse molam inferiorem. Totum molæ machinamentum hoc nomine veniebat, & tam superiorem quam inferiorem continebat. Hinc *machinarius* asinus, qui machinam circumagit. At superior mola circumagitur tantum, non inferior. Peccat idem, quod *catillum* esse docet superiorem molam. Immo inferior, ut alibi ostendimus. ὁ πίναξ, ἡ τράπεζα τῆς μύλης. Superior *meta* vocabatur. Græcis ὄνος. Hæc mutato & inverso ordine scribuntur apud Paulum. Nugatorium etiam est περιαγόμενον λίθον apud Plutarchum accipere de molendinario lapide, qui molam operit inferiorem, & circumagitur. Non utique vertebatur in claudendo illo ostio thesauri subterranei. At dicit Plutarchus λίθῳ περιαγομένῳ καταχλείεσθαι. Non hic est lapis molendinariæ machinæ versatilis. Quod si ad illius instar hic factus esset, hoc saltem expressisset. Clarum est legi debere in illis Plutarchi verbis: ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ ὑπεραγομένῳ καταχλειόμενον. Ad verbum id ex Livio expressum: *& saxum ingens, quo operitur machina, desuper impositum est.* Thesauri templorum, in quibus res sacræ vetustate collapsæ reponebantur, eodem modo structi clausique in area templi sub terra facti. Latini veteres vocabant *favisas*, vel *favissas*. Græci θησαυρούς. Hesychius: θησαυρός, εἰς ἀγαλμάτων καὶ χρημάτων ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. Hic locus subterraneus in area templi structura & fornice factus, & operculo saxi clausus. *Favisa* Latinis priscis. Varro apud Agellium *favissas* docet esse *cellas quasdam, & cisternas, quæ in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quadam religiosa è donis consecratis.* Ita legenda hæc verba apud Agellium. *Cellas* exponit, id est, οἴκους καταγείους. Et *cisternas*, quæ ad illud instar structæ essent. Festus tamen apud Paulum *favissas* locum interpretatur, *in quo aqua erat inclusa circa templa.* Hæc proprie *cisterna*. Sed & infra terram cisternæ. Ideo subterraneum locum, ut erant thesauri templorum & favissæ, appellarunt cisternam. Paulus: *cisterna dicta quod cis inest infra terram.* Glossæ: *cisterna*, λάκκος. Græcis proprie fovea, vel puteus ad concipiendam aquam & retinendam in terra cavatus & munitus. Glossæ Græcorum: Κιστέρνα, λάκκος, φρέαρ, φρέατος ὄρυγμα. Sciendum porro est Græcos etiam θησαυρὸν dixisse locum circa templa, in quo erat aqua inclusa, qua sese lustrabant ingressuri templum. Σπονδεῖα & περιῤῥαντήρια vocabant. Heron in Pneumaticis. Θησαυρὸς ἢ σπονδεῖον. Hoc sensu *favissa* etiam Latine exponi posset. Addit Festus vel potius Paulus de favissis: *Sunt autem qui putant favissas esse in Capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea quæ in templo vetustate erant facta inutilia.* Notandum quod ait cisternis similes. Varro αὐτόχρημα *cisternas* vocat. In arca Capitolina erant istæ cellæ sub terra, quæ prohibuere Catulum aream Capitolinam deprimere, quum ea depressa vellet Capitolii ædem altiorem reddere, ut pluribus gradibus in eam conscenderetur. Agellius lib. II. cap. X. *Varro rescripsit in memoria sibi esse quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset, voluisse se aream Capitolinam deprimere ut pluribus gradibus in eamdem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quoniam favissæ impedissent.* Mendum est in illis verbis, *ut pluribus gradibus in eamdem conscenderetur.* Quid enim hoc esset, *aream deprimere ut pluribus gradibus in eam conscendatur?* Area extra templum est sub dio. Ut area Capitolii, area Fori Trajani, area Vulcani, area Palatina. Vetus liber habet: *in eadem conscenderetur.* Omnino scribendum transposita litera: *in ædem.* Hoc defuisse magnificentiæ Capitolii dicit Tacitus, quod non satis esset altum. Huic vitio, sive defectui mederi voluit Catulus deprimendo aream templi, ut pluribus gradibus in ipsum templum conscenderetur, suggestusque ejus eo pacto altior appareret & dignior fastigii magnitudine, sed prohibitus est id facere favissis illis subterraneis quæ aream occupabant. Frustra laborat Varro in quærendo etymo *favissarum*, & ridicule *flavissas* olim dictas autumat quod in his flata pecunia reconderetur. *Favissæ* olim dicebantur *fovissæ*: ut *Fabii* postea appellati

A qui cascis *Fovii*. Antiquum verbum *fovo*, à quo *fovea*. Ex Græco χώω & Æolice χώϝω, *fovo*. Ut χολὴ, *fel*: χυτὸς, *futus*: unde *futilis*. A *fovo*, quod est cavo & fodio *fovissa*: ut à *vibro vibrissa*, postea *favissa*. Lacus subterraneos & cisternas ita appellarunt. Sic ex Græco παροψὶς *parapsidem* fecerunt Latini, O in A mutato. Sic σοφὸς, *sapus*. Hæ autem favissæ thesaurique subterranei lapide imposito claudebantur, quomodo & monumenta hypogæa. Nævius *thesaurum Orchivum* hujusmodi monumentum eleganter dixit:

Itaque, postquam Orchivo traditus thesauro.

Johannes de monumento Lazari: ἦν δὲ σπήλαιον, καὶ
B λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. Nec secus fuit de monumento illo in quo Dominus jacuit. Ideo advolutum lapidem dixere Euangelistæ super ostium sepulcri, ut occluderetur. Quum λαξευτὸν igitur & λατομητὸν ἐκ πέτρας appellant, nihil aliud significant, quam ex structura factum. Ceterum in nudo cryptæ, vel speluncæ solo corpora, sicut erant pollicta & involuta linteis, jacuisse videntur, per ostium supernum demissa. Nulla enim mentio sarcophagi vel arcæ in historia Lazari & Domini. Hodie quoque in multis locis hypogæa sub solo templorum ædificata sunt, in quæ per foramen vel ostium in ipso solo factum demittuntur cadavera linteis solis
C involuta, non sarcophagis inclusa. Hoc in Italia præcipue videre est. Certum porro est Judæos corpora defunctorum non condita in arcis, aut lectulis, sive sarcophagis, sed solis linteis tæniatim scissis operta & amicta intulisse monumento. In monumenti lateribus, ut Judæi magistri tradunt, exsculpti erant cavi singulis corporibus recipiendis idonei, quibus ea immittebantur, sicut erant tæniis, vel fasciis velata. Hi cavi in pariete monumenti excavati, in quos veluti tradebatur cadaver, vicem lectorum vel arcularum præbebat, quibus in Græcia corpora defunctorum
D condi solebant. Ritus ipse pollingendorum corporum non diversus apud Judæos & Græcos fuit. Fasciis ea tota velabant, excepto capite, quod sudario involvebatur. Id στροφιολοκεῖν dicebant, quod alibi explicavimus. De sudario certum est non linteum magnum fuisse, qualia illa sunt hodie, quæ pro vero Dominico sudario ostenduntur, sed breve aliquod textum, quo sudorem vultus extergebant, complectendo capiti aptum. Mediæ comœdiæ poëtæ καψιδρώτιον vocarunt. Pollux: εἴη δ' ἂν καὶ τὸ ἐν μέσῃ κωμῳδίᾳ καψιδρώτιον καλούμενον, ὃ νῦν σουδάριον ὀνομάζεται. Sic dictum ἀπὸ τοῦ κάπτειν ἱδρῶτα. Corrigendus in hoc vocabulo Hesychius: κα-
E ψιδρώτιον, εἶδος χιτωνίσκου. Vulgo editur καψιδρόκιον. An ergo similiter *sudarium* à sudore? Et cui non sic visum est? Firmicus *sudarios* vocat qui ex palæstra veneria sudant lib. III. capite VII. Ita enim vetustissimus liber legit: *faciet infames, libidinosos & puerorum amatores & ex coitu sudarios.* Mœris tamen Atticista in Lexico notat apud Hermippum veteris comœdiæ poetam σωδάριον reperiri eo sensu quo σουδάριον vulgo tum in Græcia sumebatur: Σωδάριον Ἕρμιππος, τὸ ὑφ' ἡμῶν σουδάριον. Quæ profecto mira sunt. Sed hæc obiter. Vetus auctor Anonymus monumentum Christi, ut & Lazari *cryptam* nominat. Euangelista
F dicit σπήλαιον fuisse Lazari sepulcrum. Veteres quoque patres σπήλαιον indigetarunt Dominicum monumentum. Hinc illa Græcorum θεωρία de sepulcri Dominici comparatione cum Ecclesiæ concha: Κόγχη ἐστὶ κατὰ τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον, ὅπου ἐγεννήθη ὁ Χριστὸς, καὶ κατὰ τὸ σπήλαιον ὅπου ἐτάφη. Sed quæ similitudo conchæ Ecclesiæ cum spelunca vel crypta? *Concham* appellarunt veteres apsidem basilicæ, vel locum sanctuarii, quod apside concameratus esset, quum reliquum basilicæ tectum lacunatum fieret. Notavimus ad Historiam Augustam quid distarent lacunaria à cameris. Concha autem
G idem quod camera, vel apsis. Ex his apparet & Dominicum sepulcrum structura concameratum fuisse. Nulla enim alia similitudo inter concham, vel apsidem Ecclesiæ, & speluncam in qua sepultus jacuit Dominus, præter cameram tecti. Cryptæ omnes & cryptoporticus fornice concamerabantur. Varro: *Quidam habent granaria sub terris, uti speluncas, quas vocant siros.* Alii *cryptas* eas vocarunt. Inde apsidem Ecclesiæ, vel sanctuarium ita etiam dixerunt, quod simili modo esset

came-

camerata. Gloſſæ: *Crupta*, Βέτης. Græci interpretantur ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ. *Adytum* etiam ita interpretantur Græci. Ἄδυτον, τὸ ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ. Plerumque etiam ſubterranea hæc adyta. Sed & *faviſſas* & *theſauros* templorum ἀπόκρυφα μέρη τοῦ ἱεροῦ vocare liceat. Cur βέτης, aut βαίτης adytum templi, & interiorem cellam ſignificaverit, neſcio. Nec enim puto eſſe Βαιθὴλ. Heſychius: Βαιθὴλ, οἶκος Θεοῦ. Notum ex qua lingua hæc vox. Idem etiam βαίτην σκηνὴν exponit. Concha, ſive apſis templi ſpeluncæ modo camerata: unde & ſpelunca etiam dicta. Nativæ ſpeluncæ ut plurimum fornices habent pro tecto non manu ſed à natura factos. Poëta:

---- pendentis fornice ſaxi.

Erraret igitur ſi quis putaret concham Eccleſiæ, quia comparatur ſpeluncæ Dominici ſepulcri quæ ſubterranea fuit, etiam ſub terra conditum fuiſſe. Sola, ut dixi, ſimilitudo tecti camerati, vel apſidati quæſita eſt. Paulinus Epiſt. XII ad Severum: *Totum vero extra concham baſilicæ ſpatium alto & lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatatur.* Ergo ſola concha cameratum habuit culmen, & non tam altum quam reliquum baſilicæ ſpatium, quod erat laqueatum. Legendum autem in illis Paulini verbis: *alto & lacuato culmine*, non *lacunato*. Nam & *lacuatum* pro laqueato dixiſſe veteres alibi docuimus. Aliud porro *lacunar*, aliud *lacuna*. Nec *lacunatum culmen* dici queat, quod eſt laqueatum. Dicebatur etiam apſis. Canon XXXII. Concil. Carthag. III. *Cujuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante apſidem manus ei imponatur.* Hic *apſis* locum ſanctuarii ſignificat, & *chorum*, ut hodie vocant. Græcis κόγχη dicitur, & pleriſque etiam Latinorum *concha*. Ea conchæ camera dimidiati hæmiſphærii figuram habebat, vel quartæ partis ſphæræ. Paulus Silentiarius in ἐκφράσει templi Sanctæ Sophiæ:

---- ὕψους ἢ μετ' ὄρθιον αὐχένα τοίχων
Σφαίρης τετρατόμοιο λάχος τὸ τέταρτον ἀνέρπει·
Οἷον ὑπὲρ τελλόφοιο καρήατος ὑψόθι νώτων
Σχῆμα πολυγλώχοισι ταὼς πτερύγεσσιν ἐγείρει.
Κόγχας ταύτας κάρηνα σοφοὶ τεχνήμονι μύθῳ
Ἀνέρες ηὐδάξαντο, τὸ δ' ἀτρεκὲς εἴτ' ἀπὸ κόγχου
Εἰναλίου καλέουσι δαήμονες, εἴτ' ἀπὸ τέχνης
Αὐτοί που δεδάασι.

In ſequentibus ἀψῖδας & κόγχας eaſdem facit:

---- δύω δ' ἐς κίονας ἄλλας
Κόγχας ἀμφοτέρωθι περιβάλλεται ----

Paulo poſt ἀψῖδας vocat:

Κίοσι μὲν δοιοῖσιν ἀείρεται ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἀμφοτέρης ἀψῖδος ἐδέθλια ----

Ea concha, vel apſis tribus concavitatibus intus recedentibus diſtincta conſtabat. Idem Paulus:

Τρισσοὶ μὲν ἀντολικῶν ἀναπέπταται ἔνδοθι κύκλων
Ἡμιτόμων, ὕψους ἢ μετ' ὄρθιον αὐχένα τοίχων
Σφαίρης τετρατόμοιο λάχος τὸ τέταρτον ἀνέρπει.

Concham baſilicæ, vel apſida templi illius his verſibus plane expreſſit. Τρισσοὶ ἔνδοθι κύκλων ἡμιτόμων appellat tres receſſus concavos apſidis, qui ab invicem diſtincti erant circulis dimidiatis prominentibus. Tota vero apſis in exteriori parte ſphæræ quadripartitæ quartam partem referebat. Idem Paulinus Natali X ita apſidem Eccleſiæ, ſive concham deſcribit:

Eſt etiam interiore ſinu majoris in aula
Inſita cella procul quaſi filia culminis ejus,
Stellato ſpatioſa tholo, trinoque receſſu
Diſpoſitis ſinuata locis.

Τρισσοὶ ἔνδοθι κύκλων ἡμιτόμων, tres illi receſſus conchæ Paulo dicuntur. Unde & τριέλικτον ἀψῖδα idem appellavit in eodem opere:

---- ὑπ' ἀμβροσίων ἢ καρήνων
Νηοῦ ἐκολπώθη χρύσεος τριέλικτον ἐγείρων
Ἀγλαΐην ἀψῖδος.

Ita vocavit quod tres ἕλικας haberet, hoc eſt, circulos dimidiatos. Nam ἕλικες ſunt κύκλοι. Unde in purpuræ teſta ἕλικες Ariſtoteli, qui Polluci κύκλοι. Ex quibus anni ejus cognoſcebantur. Plinius: *totidem orbes habet, quot annos.* Antiphanes apud Pollucem: Πορφύρας ὀκτὼ κύκλοι. In ſumma, τριέλικτος ἀψὶς Paulo: quæ *trino receſſu diſpoſitis locis ſinuata* dicitur Paulino.

A Nec enim meliorem afferre interpretationem poſſumus, quam illa eſt. Idem Paulinus Epiſt. XII, ad Severum *apſidem trichoram* eam quæ Paulo τριέλικτος, & tribus receſſibus ſinuata. Sic enim locus ille corrigendus eſt: *reliquiis Apoſtolorum & martyrum intra apſidem trichoram ſub altari ſacratis.* Vulgo ediderunt: *Intra apſidem trichora ſub altaria ſacratis.* Quod ſi hæc emendatio incidiſſet menti nuperi commentatoris & editoris operum Paulini ferri non poſſet præ faſtu ac flatu gloriarum. Nec ſane tot nugas effutire coactus eſſet, ut illa *trichora altaria* nobis explicaret, extricaretque. Apſis tribus ſinibus recedentibus, quaſi
B *volutis*, ut vulgo eas appellamus, conſtabat. Non intra apſidem duæ aliæ apſides erant, ut falſo aſſeverant. Illa apſis, ſive concha major tribus concavis receſſibus ſinuata, duas alias conchulas dextra lævaque habebat, ut ex Paulo liquet:

---- δύω δ' ἐς κίονας ἄλλας
Κόγχας ἀμφοτέρωθι περιβάλλεται ἐς δύσιν ἕρπειν.

Paulinus eadem epiſtola: *cum duabus dextra lævaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum apſis ſinuata laxetur.* Præter duas illas conchulas, concha ipſa major vel apſis tribus erat diſtincta volutarum ſinibus, a quibus *trichora* dicta & τριέλικτος, non propter duas il-
C las conchas dextra lævaque adjunctas. *Trichorum* igitur non tres apſides, ſed una, tribus concavitatibus ſinuata. At de *trichoris altaribus* nugæ. Unicum tantum altare in templis eo tempore habebatur. Idem Paulinus alio loco: *Hic titulus indicat depoſita ſub altari ſancta ſanctorum.* Et mira profecto hæc loquutio: ut *trichora altaria* dicerentur, quæ ſub trichoro poſita eſſent. Sic omnino quidquid ſub camera ædium locatum eſt, *cameratum* eadem ratione poſſet appellari. Τρίχωρον Græcis proprie, quod tribus loculis diſtinctum ac diviſum eſt. Inde τρίχωρος ἀψὶς quæ τρισσὰ ἔνδοθι κύκλων habet, ut loquitur Paulus, vel *trinos*
D *receſſus*, ut Paulinus. Triangulus quoque τρίχωρος recte dicatur, qui tribus angulis diſparatus eſt, at tribus locis in acumen deſinentibus diſpartitus. Hinc faſtigia templorum, & domuum regiarum, quæ trigona erant, etiam *trichora* appellata, ut olim docuimus ad Hiſtoriam Auguſtam. Spartianus in vita Peſcennii *trichorum domus* imperatoriæ appellat, in quo ſtatuæ & ſimulacra collocabantur: *Domus ejus hodie viſitur in campo Jovis, quæ appellatur Peſcenniani, in qua ſimulacrum ejus in trichoro conſtituit.* Vopiſcus autem oſtendit in faſtigio domus ſtatuas & imagines conſtitui ſolitas his verbis, ex vita Floriani: *imago Apolli-*
E *nis quæ ab his colebatur ex ſummo faſtigio in lectulo poſita ſine cujuſpiam manu deprehenſa eſt.* Faſtigium eſt ἀέτωμα, ut gloſſæ recte interpretantur. *Faſtigium* ergo domus dixit Vopiſcus, quod Spartianus *trichorum*. Domus Cæſarum & procerum cum faſtigio erant ædificatæ, quod proprium fuit templorum & ædium ſacrarum. Primus Cæſar faſtigium habere cœpit in domo ſua, inter alia divinitatis inſignia, quæ illi attributa fuere, quod ſequentes Cæſares imitati ſunt, & poſtea etiam alii proceres uſurparunt, ut ex Statio conſtat. Privatorum domus tecta plana habuere, non in altum ſurgentia trichora vel triangulari ſpecie. Galenus fa-
F ſtigium interpretatur ἀέτωμα τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς, ὥσπερ τρίγωνον. Idem alio loco faſtigia eſſe dicit, τὰς εἰς ὕψος ἀνατάσεις τῆς ὀροφῆς τριγωνοειδεῖς. Ea faſtigia tam in templis, quam in domibus regiis, ornabantur ſimulacris æneis, marmoreis, fictilibuſque, ut multis auctorum teſtimoniis probavimus ad Peſcennium Spartiani. Hæc tamen interpretatio noſtra de trichoro non placuit cuidam ſocio. Quid igitur illi placeat, videamus. Quid trichorum ſit, inquit, non aliunde melius diſces quam ex hoc loco Paulini: *Reliquiis Apoſtolorum & Martyrum intra apſidem trichora ſub altaria ſacratis.* Nihil vidi quod melius qua-
G draret. Et tu lector vidiſtine? Statuam Peſcennini in trichoro poſitam, id eſt, in medio trichori interpretantur. Quomodo id intelligunt? An in ſolo collocatam cameræ? Si *trichorum* camera dicitur, non utique etiam ſic dici poteſt pavimentum, quod habetur in loco, vel conclavi camerato? Quis apſidem appellarit, niſi ſtultus aut nolens intelligi, pavimentum cubiculi ap-

 ſidati?

sidati? Præterea quis statuas in solo ipso aut pavimento locatas apud veteres meminit, præcipue intra conclavia, & in medio triclinii? Si trichorum de camera ipsa accipimus, ut omnino necesse est, quomodo in media cameræ concavitate stare, aut statui potuit simulacrum? Hæc sunt illorum hominum, qui regnum in literas possidere volunt, dictata & edicta. Sed nihil nisi ruiturum superstrui potest vitioso fundamento, qualia illa sunt *trichora* altaria. At *trichora* apsis longe aliter dicitur quam *trichorum* fastigium. Τείχωρον ἀέτωμα est τριγωνοειδὲς, tribus partibus vel angulis disparatum. Τείχωρος ἀψὶς ea est, quæ tres sinus arcuatos & concavos intus recedentes ostentat. Et nugantur illi glossarum auctores, qui *trichorum*, vel *trichorium* exponunt tres cameras vel tres apsidas. Immo una apsis fuit, tribus constans finibus, vel recessibus, quos & κόλπους Græci dixere, & ἐνδύχ. Paulus de concha Sanctæ Sophiæ:

Ὡς ἡ μὲν βαθύκολπος ἀνέσσυται ἠέρι κόγχη
Ὕψοθεν ἀντέλλουσα μία, τελεσοῖσι δ' ᾗ κόλποις
Νέρθεν ἐπεμβεβαυῖα.

Ideo & *trino recessu sinuatam* appellat Paulinus. Epigramma vetus de templo Polyeucti Martyris à Juliana conditi:

Κόλποι δ' ἀμφοτέρωθεν ἐπ' ἀψίδεσσι χυθέντες
Φέγγος ἀειδίνητον ἐμιμήσαντο σελήνης.

Culmen igitur, quo tegebatur sanctuarium, vel adytum templi, in formam conchæ structum erat, & *concha* dicebatur. Reliquum basilicæ spatium culmine laqueato fuit, hoc est, lacunar habuit pro camera. Veteres sane lacunaria à cameris distinxere, ut alibi ostendimus. Et cameras appellarunt sola culmina arcuata, & in fornicem curvata, sive ex lapide, sive contignatione facta essent. Vitruvius lib. v. capite x. *Concamerationes vero si ex structura factæ fuerint, erunt utiliores: sin autem contignationes fuerint, figlinum opus subjiciatur.* Vocat *structuram*, quod ex lapide structum est. Sic apud Hircium de Bello Alexandrino: *Incendio fere tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt ædificia, & structuris atque fornicibus continentur.* Vocat structuram quod ex lapide structum est. Tale fuit Dominicum sepulcrum, ut alia omnia κατάγεια monumenta structura ac fornice continebantur. Ideo λαξευτὸν, & λατομητὸν ἐκ πέτρας vocatur. Corrigendum apud Vitruvium *signinum opus* pro *figlino*, quod locum ibi non habet. Nam quæ ex contignatione factæ erant cameræ, signino opere subjecto inducebantur, ut ex his, quæ statim sequuntur, constat: *Inferior autem pars, quæ ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trulissetur, deinde opere albario, sive tectorio poliatur.* Testa tusa cum calce figlinum opus est. Duo igitur hæc genera camerarum in usu tum fuere tantum, quæ ex lapide struebantur, aut quæ ex contignationibus factæ signino opere inducebantur, & albario poliebantur, postea musivo etiam ornari cœptæ sunt, quum antea pavimenta sic fieri solerent. Plinii locus insigniter corruptus heic emendandus est. Sic legitur in editionibus lib. xxxvi. cap. xxv. *Lithostrota occœptavere jam sub Sylla parvulis certe crustis, extat hodieque quod in Fortunæ delubro Præneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere è vitro.* Hæc sunt falsissima, ut indicat vetus scriptura, quæ sic habet: *multa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere, ut prone victu.* Omnino scribendum: *Mota deinde ex humo pavimenta, in cameras transiere, ut proxime vitrum.* Nihil verius. Dixit initio capitis, *pavimenta originem apud Græcos habere elaborata arte, picturæ ratione donec lithostrota expulère eam.* Pavimenta absolute vocarunt, ex tessellato opere facta, ut paulo post indicat: *frequentata vero pavimenta ante Cimbricum magna gratia animorum indicio est Lucillianus ille versus:*

Ante pavimenta, atque emblemata vermiculata.

Glossæ: *pavimentum*, χωδροβολίας ἔδαφος. Quod explicavimus alibi. Eædem: *pavimentum*, ψηφολογητὸν ἔδαφος. Ea pavimenta lithostrotis expulsa sunt, quæ sub Sylla originem sumpsere: ac deinde pavimenta ex humo mota in cameras transiere. Hinc *musivo ornatas cameras* passim apud auctores legere est. Quod *musi-*

A *vum opus* in solo *pavimentum* dicebatur, & *tessellatum opus* è tessellis factum in varios tinctis colores. Idem Plinius eodem capite: *Celeberrimus fuit in eo genere Sosus qui Pergami stravit quem vocant asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta fecerat parvis è testiculis, tinctisque in varios colores.* Testulæ illæ ibi in mendo stratæ. Vetus liber: *parvisque essent utilis.* Lege: *parvisque e tesserulis.* Verbo Lucillii usus est, cujus & versum ibidem citavit.

---- *lexis compostæ, ut tesserulæ omnes.*
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

B Compositæ dictiones, ut omnes tesserulæ sunt pavimento arte & emblemate vermiculato, id est, arte & emblemate picto tinctove. Nam lapillis tinctis in varios colores opus illud fiebat. Nonius interpretatur, *minutum.* Ita quippe legitur in libris: *vermiculatum, pro minuto.* Sed omnino scribendum: *pro miniato.* Quidquid argutentur viri docti. Nec video qui *vermiculatum* possit esse minutum. Certe vermiculorum figuram non referebant tessellæ, sed calculi erant, ut nomen indicat, quadrati. *Coccum* Lucillii ævo notum fuit Romanis, ergo & *vermiculum.* Nam idem est. Σκωλήκιον quoque Græci dixere, ut apud Plinium est C lib. xxiiii. cap. iiii. Quod certum genus cocci esse ait. Sed omne coccum sic dicebatur. Hinc apud recentiores Græcos σκώληξ passim pro cocco, ut in Democriti suppositivo opere de purpuræ tingendæ ratione, σκώληξ Γαλατίας pro cocco Galatico, & σκώληξ ὁ πορφύρεος. *Vermem* etiam Latini appellavere. Glossæ veteres: *fucus, vermiculus, unde vermi tinctum.* Atque inde suum fecere *guermes*, vel *chermes* Arabes. Pavimentum igitur, vel emblema *vermiculatum* pro tincto vel miniato. *Asaroton œcon* Pergami qui hoc genere stratus fuit, Plinius ita dictum interpretatur, quod artifex purgamenta cænæ quæque everri solent D velut relicta fecerat parvis è tessellis ac tinctis in varios colores. Aliæ tamen in illius œci pavimento figuræ pictæ inerant, ut statim idem scribit: *mirabilis columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans, apricantur aliæ lavantes in canthari labro.* Ita veteres libri. Planiora alii referunt ex suis. Verum de his alibi. Corrigendus obiter heic Statius de his asarotis in Tiburtino Manlii:

---- *varias ubi picta per artes*
Gaudet humus, superatque novis asarota figuris.

Ita ibi legendum, non, ut est vulgo,

Suberantque novis asarota figuris.

E Quod sensu caret, & constructioni non respondet. Dicit autem pavimentum villæ Tiburtinæ novis figuris superare antiqua asarota. Alludit ad illum asaroton œcon Sosi. Hæc tessellata pavimenta omnino diversa fuere à lithostrotis, ut clare significavit Plinius. Male igitur viri doctissimi lithostrota & tessellata eadem faciunt. *Lithostrota* sectis parvulis marmorum crustis strata erant ex diversi generis & coloris marmoribus, non tinctis. *Tessellata* ex parvis tessellis, hoc est, calculis quadratis in varios colores tinctis. Suetonius *sectilia* Latine vocat τὰ λιθόστρωτα, & distinguit à tessellatis in Cæsare, quem ait F *sectilia ac tessellata pavimenta in expeditionibus circumtulisse.* Ubi sectilia sunt lithostrota sectilibus crustis pavita. Grammatici apud Homerum τὸ κραταίπεδον interpretantur λιθόστρωτον ἢ ψηφολογητὸν ἔδαφος. Ergo diversum lithostrotum à tessellato. Vitruvius lib. vii. cap. i sectilia à tessellatis aperte distinguit. *Sectilia*, in varias figuras sectæ lapidum crustæ quibus inducebatur pavimentum. Has figuras in sectilibus usitatas memorat idem: *scutulas, sive rhombos, trigona, quadrata, & favos*, id est, hexagona. E ligno etiam hodie his figuris fiunt sectilia pavimenta. Sed & ex latere coctili. Structum vero tessellis pavimentum, ex parvis calculis quadra- G tis in varios colores tinctis ad exprimendam aliquam imaginem, aut avis, aut piscis, aut hominis, aut aliam quamcunque. Lithostrota in pavimento ac solo mansere, tessellata ad cameras translata, & *musivi operis* nomine appellata sunt. Vitro quoque cameras ornare moris fuit. Quod proxime ætatem suam incepisse fieri narrat Plinius, quum Scaurus in ludis suis parietes scenæ

ſcenæ vitro inductos oſtendiſſet. De camera vitro inducta accipiendi ſunt hi verſus Statii in Tiburtino Manlii:

Dum vagor adſpectu, viſumque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes, nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ
Monſtravere ſolum.

In his verſibus *teſtæ nitidum aëra referentes*, ſunt vitreæ teſtæ ἀεροείζουσαι & διαφανεῖς. Dum inquit adſpectu vagor, nec conſpicio quæ ante pedes ſunt, neſciebam opes me calcare, & pavimentum dives. Nam ſplendor ab alto delapſus, & vitrearum teſtarum perſpicuitas mihi ſolum oſtendit, quod in camera vitro operta, velut in ſpeculo conſpiciebatur. Hæc non poſſunt accipi niſi de vitrea camera. Sequens Plinii locus, quo probare vult tum nuper vitrum ad cameras tranſlatum, peſſime in editionibus ita concipitur: *Novitium & hoc inventum. Agrippa certe in thermis quas Romæ fecit, figlinum opus encauſto pinxit. In reliquis albaria adornavit, non dubie vitreas facturus & cameras, ſi prius inventum id fuiſſet, aut à parietibus ſcenæ, ut diximus, Scauri perveniſſet in cameras.* Partim ex conjectura, partim ex libri veteris veſtigiis ſic eum reformandum totum arbitror: *pavimenta in cameras tranſiere, ut proxime vitrum. Et hoc certe inventum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit: Signinum opus encauſto pinxit, adornavitque, non dubie vitreas facturus cameras ſi prius id inventum fuiſſet.* Aliud etiam inventum tribuit Agrippæ, encauſto pingendi ſigninum opus camerarum. Ex eo argumentatur tum proxime inventum fuiſſe cameras vitro decorare. Nam ſi, inquit, tempore Agrippæ id fuiſſet, haud dubie vitreas cameras feciſſet. At ille novo invento ſigninum opus in cameris encauſto pinxit, id eſt, ceris coloratis & igne reſolutis. Perperam ibi omnes libri *figlinum opus* pro ſignino exhibent. Quod ibidem mendum & ex Vitruvio ſuſtulimus. Cameræ ſignino primum opere inducebantur, deinde aut tectorio poliebantur, aut muſivo ornabantur, aut vitro decorabantur, aut encauſto pingebantur, aut etiam deaurabantur. Nulla præter hæc reperio apud antiquos camerarum ornamenta. At plana tecta laqueabantur tabulis in varias figuras cælatis, ut in meandros, & lacus, & πλίνθια, & orbes, vel triangulos, & alia. *Lacunaria* vel *laquearia* proprie dicebantur, quæ lacubus quadratis diſtincta erant. Græci φατνώματα dicebant quæ cælata non erant. Lexicon non editum: φατνώματα, σανιδώματα, στέγης ἄγλυφα. De his nos alibi dixiſſe meminimus. Hæc ſunt lacunaria, vel laquearia tabulis tecta, quæ Vitruvius a cameris diſtinguit: *Tunc autem machinis comparatis camerarum diſpoſitiones in conclavibus expediantur; niſi lacunaribus ea fuerint ornata.* Ubi lacunaria tecta plana tabulis laqueata, & lacubus diſtincta. Idem lib. VI *lacunaria ex opere inteſtino* vocat, quæ Græci διὰ λεπτουργίας ἐντέχνου κατεσκευασμένα dicunt. *Opus minutiariæ fabricæ*, hoc eſt, λεπτουργίας vulgo appellamus. At poſterius ævum cameras etiam novit laqueatas & tabulis ſubtectas. Cameras quidem ex contignationibus fecerunt, ut veteres, ſed pro ſignino opere & albario eas tabulis ſubtexerunt. Iſidorus: *laquearia ſunt, quæ cameram ſubtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quod lacus quoſdam quadratos vel rotundos ex ligno, vel gypſo, vel coloribus habeant pictos.* Quod addit de gypſo plane confundit cameras veterum cum cameris recentiorum, & laquearia à cameris non diſcernit. Nam in veris laquearibus nullum gypſum. At in cameris veterum, quæ albario opere poliebantur, coronæ ex gypſo fiebant ad ornamentum, quas heîc Iſidorus temere confundit cum lacubus ligneis laqueariorum. At in cameris quæ tabulis erant laqueatæ, lacunar & camera pro eodem uſurpata. Paulinus Natali IX de baſilica:

---- inſculptum camera criſpante lacunar
In ligno mentitur ebur.

Quum igitur idem in epiſtola ſcripſerit præter concham reliquum baſilicæ culmen lacuatum eſſe, quærendum eſt de quo genere lacunaris intellexerit. Et ſane de camerato lacunari, vel camera laqueata id eſſe interpretandum jam veris vincam. Talia enim tum fiebant baſilicarum & templorum tecta. Paulus Silentiarius deſcripta concha Sanctæ Sophiæ, re-

A liquum ejus tectum, qua forma fuerit, ita narrare incipit:

Τὴν δὲ μετ' ἐκδέχεται κεραοῖς ἀερθεῖσα θεμείλοις
Ἐς βάσιν ὀρθόγραμμος, ὕπερθε δὲ κύκλιος ἄντυξ
Σχήμασιν οὐ σφαίρης ἐναλίγκιος ἀλλὰ κυλίνδρου
Ἄνδιχα τεμνομένοιο.

Formam ſemicylindri habere dicit hoc culmen. Harundinis internodii fiſſi hoc inſtar eſt, vel cylindri per medium diviſi. Atqui hac figura ſunt fornices. Græci: ψαλὶς ἐστὶν οἰκοδομῆς εἶδος ἡμικυλίνδρου τὸ σχῆμα ἐχούσης. Heſychius: ψαλὶς, καμάρα. Idem: ψαλίδες, ἀψῖδες τῶν στοῶν. Ergo totum templi tectum cameratum erat, B haud ſecus ac ſacrarium ipſum. Qua in re igitur differebat reliquum templi culmen à ſacrarii culmine? Sola cameræ ſpecie & materia. Sacrarii culmen conchæ formam habebat, id eſt, cameræ concham referentis. Cetera baſilica camerata & ipſa, ſed ſpecie ſemicylindri, fornice nempe oblonga. Plato XII. Legum ψαλίδα προμήκη vocat. Præterea cetera baſilicæ camera laqueata erat, id eſt, tabulis ſubtecta. At concha ſacrarii ex ſtructura, id eſt, lapide ſtructo fiebat. Denique concha ſacrarii ſinuoſa, utpote tribus ſinibus, quaſi totidem cameris conſtans. Camera vero baſilicæ C recta & oblonga ad inſtar cylindri dimidiati, vel internodii arundinis fiſſæ, vel carinæ navis, aut lintris monoxyli, quales etiam fiebant ex internodio uno Indicæ harundinis fiſſæ. Unde hodieque *navem* appellamus eam templi partem à culminis figura. Tecta mapalium Africanorum cameræ quoque ſpeciem referebant. De quibus Salluſtius: *Oblonga incurvis lateribus, tecta quaſi navium carinæ ſunt.* Inde igitur navis templi, quod camera ejus veluti navium carina ſit. Variæ camerarum ſpecies, teſtudo, fornix, concha. Teſtudo hemiſphærii inſtar referebat: fornix hemicylindrii: concha ſphæræ quadrifariam diviſæ quartam D partem adſimilabat. Veterum baſilicarum, ſive templorum culmina apſidata fuiſſe, non ſolum ſacrarii locum patet ex veteri epigrammate, quod inter noſtra Χριστιανικὰ ἀνέκδοτα legitur in templum Polyeucti Martyris, quod epigramma titulus indicat inſcriptum fuiſſe: ἐν τῇ εἰσόδῳ, τοῦ αὐτοῦ ναοῦ ἔξωθεν νάρθηκος, πρὸς τῇ ἀψῖδι. Hæc apſis in templi introitu extra narthecem non poteſt eſſe ſacrarii apſis, ſed eſt baſilicæ camera. Νάρθηξ in Græcis templis oppoſita eſt ſacrario, tota templi longitudine interjacente. Hæc ad occidentem, ſacrarium ad orientem. Νάρθηξ eſt porticus, vel atrium ante baſilicam ad deambulandum factum, E tam longum, quam ipſum templum latum, continenti ædificio cum ipſo templo & eodem ambitu clauſum, ab Eccleſia tamen veluti ſeparatum. Nam narthecis fores aliæ à templi foribus, & qui intra narthecem ſtabant, extra templum conſiſtere cenſebantur. Hic locus erat audientium, & ſecundi gradus pœnitentium. Græci: ὁ ἀκροώμενος ἔσωθεν μὲν τοῦ νάρθηκος ἵσταται, οὐ περαιτέρω δὲ συγχωρεῖται εἰσελθεῖν. Idem ἀκρόασιν definiunt, τὸ θείων ἀκροᾶσθαι γραφῶν ἐν τοῖς βασιλικοῖς τῆς Ἐκκλησίας ἐσωτέρω πυλῶσι. Ergo poſt νάρθηκα ſequebantur πυλῶνες Eccleſiæ, cujus introitus finis erat narthecis. Paulus Silentiarius αὐλῶνα vocat. Heſychius F στοὰν interpretatur. Sic enim hæc ejus verba legenda: Νάρθηξ, στοά. Νηρηση, ἥβη. Quod longa eſſet & anguſta, νάρθηκα appellaverunt, vel à culminis figura, quod ferulæ dimidiatæ inſtar exhiberet. Latini *paradiſum* dixerunt voce Græca, quæ locum etiam ſignificat ad deambulandum factum. Heſychius: παράδεισος, τόπος ἐν ᾧ περίπατοι. Paulinus epiſt. XXXIII ad Alethium *atrium* vocat, de baſilica loquens: *quave prætento nitens atrio, fuſa veſtibulo eſt.* Hic eſt Græcorum νάρθηξ in baſilicis ac templis Chriſti nomini dicatis. Antiqua Græcia in templis Deorum ſuorum πρόναον vocabat, πρόστοον atque etiam πρόστυλον. Sed alia forma vete- G rum Græciæ ædium fuit ac baſilicarum Chriſtianarum. Quod ut obiter explicemus, non abhorret à propoſito noſtro & harum exercitationum indole. Ædes ipſa ναὸς, Latinis ut Vitruvio cella ædis. Græcis etiam δόμος, ut apud Dionyſium: ἱερὸν δόμον εἰσανέβηλῳ. In fronte ædis πρόναος vel etiam πρόδομος, qui νάρθηξ dicebatur in templis Chriſtianorum. Sed ædes Græcorum plerumque etiam ὀπισθόδομον habuere

ad idem instar in postico ædis factum, ut in fronte. Non unum autem genus fuit προνάων. Aliquot species & modos refert Vitruvius. Primum dicebatur *in antis.* Græcis ναὸς ἐν παραστάσιν. Ergo *antæ* sunt παραστάδες. Aliud sunt *antes.* Ita vocarunt ordines & στίχους prisci Latini. Virgilius:

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

Inepta grammaticorum natio, quia Virgilius *extremos antes* dixit, ipsi interpretantur antes, *extremos ordines vinearum.* Ita Festi epitomator. Servio *ultimæ columnæ quibus fabrica sustinetur.* Philargyro *extremæ quadrarum partes.* Nugæ. Si antes propria sua notione extremitatem designaret, frustra summus poëta *extremos antes* dixisset, quod non ἐπιθετικῶς ab eo positum, sed rei signandæ. Ut extremi sunt antes in vineis, ita & primi ac medii. Lassus & effœtus vinitor in extremis antibus, qui in primis adhuc vegetus & integer, utpote laborare tum incipiens, quum in extremis vineæ ordinibus labore jam fractus sit. *Antes* igitur sunt ordines cujuscunque rei anteriores & qui frontem spectant. Atque inde dicti. Glossæ veteres recte: *Antes*, στίχοι ἀμπέλων. Eædem: *antium*, τάξεων, στίχων. Cato de re militari: *equites quatuor agminibus, pedites duobus antibus ducas*, id est, duobus ordinibus. Quum *antes* grammatici veteres columnas exponunt, antas cum antibus confundunt. Servius *antes* proprie esse scribit *lapides eminentiores qui interponuntur ad maceriam sustinendam.* Item: *proprie antes sunt eminentes lapides vel columnæ ultimæ quibus fabrica sustinetur, & appellantur antes* ἀπὸ τοῦ ἀνθιστήκειν. Nugatur, & anterides pro antibus accepit. Hoc enim sunt *anterides*, columnæ vel lapides eminentiores qui interponuntur ad sustinendam structuram. Græcum est ἀντήρειδες ἀπὸ τοῦ ἀντερείδειν. Unde & ἀντερείσματα etiam dicta. Hesychius: Ἀντήρειδες, τὰ ἀντερείδοντα ξύλα ἢ λίθινα κατασκευάσματα. Pilæ sunt lapideæ muris objectæ & obnixæ ad fulciendam fabricam. Vitruvio *erismæ*, id est, ἐρείσματα lib. VI. cap. ultimo: *Anterides, sive erismæ sunt.* Hæc *erisma*, ut hæc *schema.* Latinis etiam *obices* hoc sensu appellantur. Optimæ glossæ: *obices*, ἀντήρειδες, ἀντιθέσεις. Lege: ἀντήρειδες. Aliæ glossæ: ἀντερείδω, *obicio.* Eædem glossæ tibicines ἀντήρειδας exponunt. Diversæ igitur *anterides*, & *antes*, & *antæ*. Quæ tria grammatici confundunt. Nonius ait *antes* esse quadraturas, *antas* autem quadras columnas. Immo *antes* στίχοι. *Antæ* quadræ columnæ, vel pilæ, quæ ad latera ostiorum utrinque ponuntur. Nec enim quælibet columna quadrata *anta* dicta est, sed eæ tantum, quæ in lateribus ostiorum ἀπὸ τοῦ ἀντῆσαι. Et Græcum est ὁ ἄντης, hæc *anta*; ut ὁ χάρτης, hæc charta. Festus scribit *antas* ab antibus nomen trahere & esse latera ostiorum. Recta interpretatio, sed falsum nominis etymum. Philander apud Vitruvium *antas* exponit antepagmenta. Atqui multum differunt. Antæ lapideæ, antepagmenta lignea. In veteri inscriptione: FACITO ANTEPAGMENA ABIEGNA LATA S=-. Festus: *Antepagmenta, valvarum ornamenta quæ antis adpanguntur, id est, adfiguntur.* Ergo diversa ab antis. Nam antæ lapideæ ligneis antepagmentis operiebantur ornamenti gratia. Non tamen *antepagmenta* ab antis appellata, sed ab ante: ut *antefixa.* Veteres autem *antipagmenta* dicebant, ut *antistes, antisto.* Proprie igitur *antæ* Latinis, quæ Græcis παραστάδες, pilæ nempe lapideæ in lateribus ostiorum. Hesychius: παραστάδες οἱ πρὸς τοῖς τοίχοις τετραμμένοι κίονες. Glossæ: *Postes*, παραστάδες. Hinc *templum in antis*, qui Græce ναὸς ἐν παραστάσιν, quod antas haberet in pronao. Hoc ille sic explicat lib. III. cap. I. *In antis erit ædes, quum habebit in fronte antas parietum qui cellam circumcludunt, & inter antas in medio columnas duas, supraque fastigium.* Hæc πρόναος antas tantum habet in fine parietum, qui cellam ædis circumcludunt, & in medio antarum duas columnas, supraque fastigium. De antis ita etiam habet vetus inscriptio: *In eo pariete medio ostii lumen aperito latum pedes* VI, *altum* P. VI *facito. Ex eo pariete antas duas ad mare versum proicito longas pedes* II, *crassas* P. I. At πρόστυλος dicebatur ea ædes, quæ contra antas duas columnas angulares habuit, & supra epistylia, & dextra ac sinistra in versuris singulas. Ἀμ-

A φιπρόστυλος autem vocabatur, quum in postico ad eumdem modum columnas & fastigium habebat ut in fronte. *Posticium* vocant veteres libri. Græci ὀπισθόδομον. Glossæ: *posticium*, παράθυρα, παραθύριον. Vitruvius: *præterea quæ habet in posticio ad eumdem modum columnas & fastigium.* Ut ὀπισθόδομος templi *posticium*, ita & πρόδομον quidam dixere τὸν πρόναον. Nam, ut dixi, δόμον nonnulli de templo, vel æde dixere. Hesychius: πρόδομος, πρόσθεν, πρόσσον. Porticum, quæ ante ædem, ita vocarunt. Qui est Christianorum νάρθηξ. Notabis apud Hesychium πρόδομον etiam exponi προστάδα. Idem alio loco: πρόσθε, πρόσωον. Hæc etiam παστὰς appellata.

B Apollonius. I. Argon.

---- καλῆς διὰ παστάδος εἴσιν ἄγουσι.

Ubi interpres vetus: ἰδὼ ἡμεῖς προστάδα λέγομεν: εἴρηται δὲ οὕτως διὰ τὸ ἐν αὐτῇ συνεῖδες ἡμᾶς, οἱονεὶ πάσαδες. Apparet igitur, διὰ παστάδος veram esse lectionem in illo versu Apollonii, non δι' ἀναστάδος. Sed & προστάδα in verbis scholiastæ reponendum, ut scripsimus, non, ut vulgo editum est, ἰδὼ ἡμεῖς προπάσαδα. Emendandus & in hac voce etymologici magni auctor: Παστάς, ἰδὼ ἡμεῖς προστάδα λέγομεν. Hesychius quoque corrigendus, Παστάς, στοά, προστάς, παστός, νυμφών. Pessime editur: Παστάς, στοὰ πρὸς τὰς παστάδας νυμφῶν. Notat vetus scholiastes Apollo-

C nium in προεκδόσει Argonauticῶν scripsisse:

---- προδόμου διὰ ποιητοῖο.

Pro quo in posteriore posuit, καλῆς διὰ παστάδος. Sic πρόδομος & παστὰς idem. Pollux de templo, vel æde sacra: τὸ δὲ πρὸ αὐτοῦ πρόδομος, καὶ τὸ κατόπιν ὀπισθόδομος, ἢ δὲ εἴσοδος προπύλαια. Posticum est ὀπισθόδομος, vel posticium. Eodem modo & *anticum* dicere liceat τὸν πρόδομον ab antis. Et vero sic quoque veteres dixere. Festus: *Anticum veteres etiam pro janua posuere.* Hoc, ut dixi, ab antis, quæ sunt παραστάδες. Vetus Comicus:

Παραστάδας καὶ πρόθυρα βούλει ποικίλα.

D Sicut autem in ædibus sacris, ita etiam in privatis apud Græcos, sed procerum & principum sui πρόδομοι fuere & παστάδες. Vitruvius lib. VI. cap. X. *Id peristylum in tribus partibus habet porticus. In quarta parte quæ spectat ad meridiem duas antas inter se spatio amplo distantes, in quibus trabes invehuntur, & quantum inter antas distat ex eo tertia dempta spatium datur introrsus. Hic locus apud nonnullos προστάς, apud alios παστάς nominatur.* Ita totus ille locus legendus. In postremis his verbis perperam excusum est: *apud nonnullos* προστάς, *apud alios* παραστάς. Immo παστάς, non παραστάς. Atque ita postea scriptum vidimus in optimo exemplari: *apud*

E *alios pastas.* Παραστάδες aliud sunt, nempe *antæ*. Pastas duas habet antas hinc & inde, quæ sunt παραστάδες. *Templum in antis* similiter dicebatur, ὁ ναὸς ἐν παραστάσιν, qui pastada habebat, sive πρόδομον cum duabus antis. Παστὰς autem non ἀπὸ τοῦ πάσασθαι dicta, quod in ea convivarentur, sed ἀπὸ τοῦ πάσσειν, quod est ποικίλλειν, quod opere intestino cælatis laqueariis, & tectorio albarioque opere inductis pictisve & auratis ornata esset. Hinc παστάδας διαγεγραμμένους οἴκους Hesychius interpretatur. Et παστοφόριον ναὸν ἐκάλεσαν. Sed & παστὸς velum significat variegatum plumario opere, quod thalami, vel œci foribus prætendebatur. Inde παστοφόρια tem-

F plorum atria, in quibus ejusmodi vela prætenta essent, vel quod is locus destinatus esset mansionibus τῶν παστοφόρων. Quod verius. In templo Isidis, & aliarum si forte dearum ut Deæ Syriæ & matris Deûm, certus cœtus fuit sacratorum hominum, qui παστοφόροι dicebatur, à παστῷ quod erat velum linteum variegatum, thalami foribus, vel sacræ calybæ oppandi solitum. Nam θάλαμοι & καλύβαι etiam dictæ interiores cellæ in plerisque templis & præcipue fœminarum Dearum. Unde & θαλαμηπόλοι earum dicti sacerdotes, qui & alibi παστοφόροι à thalamo, vel thalami παστῷ. Pollux: τὸ δὲ πρὸ τῇ θύρᾳ παραπέτασμα παστός. Inde παστοφόριον, cœtus pastophoro-

G rum, vel etiam locus in quo manebant circa templum. Inde *pastophorium*, *atrium templi* in veteribus glossis exponitur. In glossis etiam Isidori, & aliis nonnullis ita scribitur: *Pastoforium atrium templi vel safarium.* Item in iisdem: *Safarium atrium templi.* De pastoforis Isidis videnda decima & undecima Apuleji Milesia. Græci παστὸν etiam παστάδα exponunt & στοάν Hesy-

Hesychius: Παστοφόριον, τὸ τῶν παστῶν φερόντων, ἢ οἰκονομία, ἢ συναγωγή, ἢ ναὸς ἄδυτος. In pastadis dextra & sinistra cubicula erant posita in Græcorum ædificiis. Vitruvius: *In prostadii autem dextra ac sinistra cubicula sunt collocata, quorum unum* παστάδιον hic vocat, quam paulo ante προστάδα. Corrigendum etiam ibidem: *In his locis etiam constituuntur oeci magni, in quibus matres familiarum cum lanificis habent sessionem.* De templo in antis & de prostylo, atque amphiprostylo diximus. Περίπτερον vocatum id genus ædes docet Vitruvius, quæ non solum in antico & postico, sed etiam ad latera habebat columnarum ordines & deambulationem circa cellam ædis. *Cellam ædis*, ut dixi vocat ædem interiorem, in qua simulacrum illius Divi, cui dicata erat ædes, cum ara ponebatur. Græci σηκὸν proprie vocabant. Πρόναος frons ædis cum columnis & fastigio, qui plerumque major fiebat ipsa ædis cella. Strabo lib. XVII de templo quodam Ægyptiaco: μετὰ δὲ προπύλαια ὁ νεὼς πρόναον ἔχων μέγαν, καὶ ἀξιόλογον: τὸν δὲ σηκὸν σύμμετρον, ξόανον δὲ οὐδὲν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός. *Post vestibula ædes sequitur pronaum habens amplum & magnificum, cellam autem ædis modicam.* Vitruvius *pronai* voce utitur: *Dipteros autem octastylos & pronao, & postico, sed circa ædem duplices habet ordines columnarum.* Alibi *frontem* & *posticum* vocat τὸν πρόναον καὶ τὸν ὀπισθόδομον. *Atrium* pro templi pronao vitavit dicere, quia proprie aliud erat, quamvis posterior Latinitas passim ita vocet. Sed & προδόμους & προστάδας habuere Græcorum privata ædificia, quæ tamen *atrium* more Romano non habuerunt. Πτερὰ proprie ad latera ædis columnarum ordines, sive porticus. Hinc hodieque columnata templorum latera vocamus *alas*. Hesychius: Πτερὰ, πτέρυγες ἢ οἰκοδομήματα ἱερὰ ἐκ λίθων. Item: πτερόν, σκηνή. Sed hæc in prora navis proprie. Strabo parietes, qui utrimque πρόναον circumcludebant, πτερὰ vocata ostendit. De templo quodam apud Thebas Ægyptias: τοῦ δὲ προνάου παρ' ἑκάτερον πρόκειται τὰ λεγόμενα πτερά. Ἔστι δὲ ταῦτα ἰσοϋψῆ τῷ ναῷ τείχη δύο. Hanc ædem, quæ parietum antas habuit in pronao, Vitruvius ναὸν ἐν παραστάσιν vocat, templum in antis. Sic juxta Strabonem quæ latera pronai, vel templi, sive columnis, sive muris circumvallarentur, πτερὰ dicebantur. Vitruvius περίπτερον id genus ædis appellatum tantum ostendit, quæ columnas in fronte & postico & circa ædem utrimque haberet. Idem Vitruvius de arietis inventione στέγην περίπτερον Latine vertit *fenestratam*. Ita enim Græcus scriptor: ἐγένετο δὲ αὐτῷ ὁ τηλικοῦτος δεκάστεγος περίπτερος οὔσης ἑκάστης χώρας. Vitruvius sic ista reddidit: *fieri autem ait oportere eam turrem tabulatorum decem singulis partibus in ea fenestratis.* Nihil mutant prisci libri, nisi quod in antiquissimo habetur, *tabularum decem.* Sed rectum est, *tabulatorum.* Atque ita infra: *singula tabulata*, στέγαι. Unde δεκάστεγος turris *decem tabulatorum.* Corrigendus in hac dictione Agellius lib. IV. cap. XIII: ubi hodie sic legitur: *quod de ambulacro ejus noctu lapide ictus esset.* In optimo codice regio scribitur: *quod & ambulato ejus.* Omnino emendo: *quod è tabulato ejus*: ἐκ τῆς στέγης. Sed hæc obiter. Ceterum non possum videre, quid sequutus sit Vitruvius, quum περίπτερον *fenestratum* Latine reddiderit. Murorum pinnæ Græcis etiam πτερὰ & πτέρυγες. Eæ veluti fenestratim incisæ sunt. *Cranella* vulgo vocamus. Inde fortasse περίπτερον in singulis tabulatis pro fenestrato accepit. Non hic tamen sensus Græci scriptoris. Singulas partes in tabulatis turris περιπτέρους esse vult, quod projecturas extra prominentes haberent, & extantes, ut circumiri possent singula tabulata. Hesychius περίπτερον exponit πάντοθεν ἐξέχον, ἢ στέγην ἔχουσαν ἐξοχήν. Ita accipiendum in Athenæi verbis. Nam & statim in turri simili viginti tabulatorum περιδρόμους ἐχούσαν στέγην vocat, quam περίπτερον dixerat ante in describenda turri decastego: ὁ δὲ τηλικοῦτος αὐτοῦ πύργος ἐγένετο εἰκοσάστεγος περιδρόμους ἐχούσης ἑκάστης στέγης πλάτος τριῶν πηχῶν εἰς τὴν ἐκβοήθησιν τῶν ἐμπυρισμῶν. Vertit Vitruvius: *cum haberent tabulata circumitionem cubitûm ternûm.* Περίδρομοι illi circum tabulata singula facti tabulis provolantibus & extra projectis eminentibusque, quod est περίπτερον. Περίπτερος ναὸς etiam dictus, quod in circuitu deambulationes haberet, quas περιδρόμους Græ-

A ci appellant. In Græcorum igitur ædibus sacris hæc erant. Pronaus primum πρόδομος, vel parietibus antarum, vel columnis ædificatus cum fastigio: deinde προπύλαια, qui & πυλεών. Sequebatur *ædis cella*, ὁ σηκός. Plerumque multæ cellæ in eodem consepto, præsertim si pluribus Divis una eademque ædes esset dedicata. Post cellam ædis, ὀπισθόδομος, vel posticum, ad idem fere instar factum, ut πρόδομος vel pronaus. Circa latera ædis etiam deambulationes, sive περίδρομοι, ordinibus columnarum utrimque adjectis. Ante pronaum *area*, quod spatium erat sub divo. De ea supra. In templis Christianorum νάρθηξ locum pro-

B nai obtinebat. Hesychius στοὰν exponit. Ita & πρόδομον & παστάδα quoque interpretantur πρόστοον, quasi dicas *anteporticum*. Post νάρθηκα οἱ πυλῶνες, sive vestibula, & ingressus templi. Græci πυλῶνες βασιλικοὺς vocant, Latini *regias*. Deinde templum ipsum, quam *templi navem* vulgo vocant cum alis suis utrimque. Ultimo loco ad orientem *apsis*, sive *concha*, & intimum sacrarium. *Chorum* hodie appellant. Nullus in templis Christianorum ὀπισθόδομος. Sed hæc pluribus explicabimus, & firmabimus ad Eliberinum Concilium. Paulus Silentiarius scribit in mediis templi

C partibus paria esse omnia, atque in Eois, paucis exceptis, ὀλίγων ἄτερ. Nec enim eodem modo camerata erat.

---- Οὐ γὰρ ὁμοίη
Μεσσάτιον κατὰ χῶρον ἕλιξ περιδεδρομένη ἄντυξ
Οἷά περ ἀντολικοῖς ἐπὶ πέρασιν.

Differentiam supra exposuimus. Et cum *Apsis* & *camera* idem sit, Latini tamen distinxere. *Apsidem* proprie dixerunt pro sanctuario. Unde *apsidam Ecclesiæ* & basilicæ passim legere est apud Anastasium in vitis Pontificum. Paulinus tamen cameram etiam apsidis dixit musivo illusam. Ubi *apsidem* pro toto sanctuarii loco

D usurpavit. Idem *cameræ lacunar* alio loco appellavit de reliquo basilicæ culmine, quod erat lacuatum. Isidorus vero *cameram* ab *apsida* clare distinxit. *Cameram* volumen introrsum respiciens interpretatur, & *laquear* esse quo camera subtegitur. *Apsidam* vero exponit lucidam Græco vocabulo, *quod per arcum lumina recipiat.* De vocabulo nugæ. Quod ad rem attinet, verum est ecclesiæ apsidam, id est, sacrarium per arcum lumen accepisse. Paulus Silentiarius de concha, sive apside ecclesiæ:

---- διατμηγεῖσα δὲ νώτοις
Πένταχα μοιρηθέντα δοχήια φωτὸς ἀνοίγει.

E *Apsis* igitur, vel *apsida* proprie est camera sinuata multis recessibus concavis. Et *concha* dicebatur quæ tres sinus haberet, & τρίκωρος ἀψὶς Paulino vocatur. Silentiarius:

Κόγχας τὰς δὲ κάλεσσε σοφοὶ τεχνήμονι μύθῳ.

Hæc culmina artifices vocant *conchas*. Ambrosius *octachorum* templum vocavit, quod apsidem haberet octo sinuatam recessibus. Et fortasse totum erat apsidatum ejus tectum. Ἐιλημᾶικα vocabant ejusmodi templa, quorum culmen totum erat ex apside. Constantinus de imperio ναοὺς vocitat εἰλημαϊκούς, quos distinguit

F ἀπὸ τῶν δρομικῶν his verbis: ὁ δὲ ναὸς τῆς ἁγίας ἀναστασίας ἐστὶ δρομικός, ὅμοιος τῷ Χαλκοπρατίων ναῷ μετὰ κιόνων πρασίνων καὶ λευκῶν ὅλος εἰκονισμένος ἐκ ξυλογραφίας ἀρχαίας, ὁ δὲ πύργος αὐτῆς ἐστιν ἀπὸ συγκρίσεως θαυμαστῆς. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος ναὸς πλησίον αὐτοῦ εἰλημματικός, ἡ ἁγία τελάς. In his manifestum est, δρομικὸν ναὸν appellari qui laqueatus est. Nam ξυλογραφίαν in eo vocat laquearia picta & cælata, sic enim legendum, ubi vulgo est, ἐξ ἡλιογραφίας ἀρχαίας. Vetus codex habet, ἐξ ὑλογραφίας, pro ἐκ ξυλογραφίας. Ita inquam appellavit, sive planum tectum habuerit, sive cameram, sed ex contignatione factam & laqueatam. Sed quare δρομικός, an quia fornicem oblongam & recta

G serie currentem absque ullis sinibus haberet? An quia similiter esset tectum, ut sunt illæ porticus, quas Græci δρόμους ὑποστέγους appellant? Εἰλημματικὰς idem καμάρας appellat, quæ ex structura factæ essent, & concavos recessus haberent, ad discrimen τῶν δρομικῶν, quæ sunt semicylindri forma & oblongæ: ἐν οἷς ἔμελλεν ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Διοκλητιανὸς εἰλημματικὰς ἐγείρειν καμάρας. Græcus auctor alius εἰλητὸν ναὸν dixit, qui Con-

Constantino εἰλημαλικὸς de templo Virginis Mariæ apud Lydam: δεύτερον ἢ τὸ τῆς ἀσπόρως τεκέσης τέτε Μαρίας ἐν Λύδη τῇ καλεμένῃ Διοσπόλει ἀχειρόγραφον εἰκόνα ἐν πλαξὶ πάνυ καθαραῖς, τὸ σκῆνος τῆς θεοτόκε τρίπηχυ περιδηλοῦσαν ἀπὸ χρόνων τῶν ἀποστόλων, καὶ μέχρι ἢ νῦν προσκυνεμένω ἐν τῷ παρ' αὐτῶν κτισθέντι εἰλητῷ ναῷ, πρὸς δυσμὰς ἔτω κυρίως ἐγγεγραμμένω ὡς ἀπὸ χειρὸς ζωγράφε. Paulus Silentiarius ἑλίσσειν de hujusmodi cameris volutilibus usurpat:

---- διχθαδίας ἢ
Ἡμιτελεῖς ἀψῖδας ὀλίζονας ἴχνεσι κόγχης
Ἄνδρες ὑπεσπειλίξαντο δαήμονες.

Idem ἕλικα ἄντυγα vocavit apsidem, & concham τελέλικτον ἀψῖδα. Et sane ἕλιξ idem etiam quod ψαλίς, infimæ Latinitati voluta. Inde nostrum voute pro fornice. Hinc Græci recentiores ψαλίδας vocaverunt, quæ prioribus ἕλικες, vitium scilicet intorti cincinni & capreoli. Neophytus: ἕλικες αἱ τῶν κλημάτων ψαλίδες. *Volutilia* & *volubilia* templa licet Latine dicere, quos Græci εἰλητὲς atque εἰλημαλικὲς ναὲς dixere. Et sic etiam dicuntur Anastasio. Isidorus *volumina* cameras appellat: *Imbuli sic dicuntur, quia sunt sub volumine*: quia ὑπὸ τῷ εἰλήμαλι sunt, quia tecta habent εἰλημαλικά. Græcorum ἐμβόλες ita vocavit, hoc est, porticus. Inde *monumenta volubilia* apud auctorem Itinerarii Burdigalensis: *Inde non longe quasi ad lapidis missum sunt monumenta duo volubilia mira pulcritudinis facta, in unum positus est Isaias Propheta.* Sic enim corrigendum omnino, pro eo quod habetur vulgo, *monumenta monubiles*, εἰλημαλικά, id est, concamerata, intelligit illa monumenta fuisse qualia omnia fiebant sepulcra Judæorum, ut & Græcorum subterranea, quas *cryptas* dicebant & *speluncas*. Isidorus: *Hypogæum constructum sub terris ædificium, quod nos antrum dicimus & speluncam.* Tale fuit Domini sepulcrum & Lazari, volubile nempe & fornice tectum, & sub terra constructum, ἐκ πέτρας λαξευτὸν καὶ οἰκοδομητόν. Græcorum quoque hypogæa camerata. Nam & καμάραν pro sepulcro camerato & subterraneo posuit Phlegon. Cameræ autem illæ, vel fornices hypogæorum ex magnis lapidibus fiebant, & quadratis, quos Græci vocant συννόμες λίθες. Unde apud Strabonem lib. v. Ὑπόνόμοι συννόμῳ λίθῳ κατακαμφθέντες, *quadrato saxo concamerati*. Et lib. XVII. Κατακαμφθεισῶν ψαλίδων διὰ μονολίθων ὑπερβαλλόντων τῷ μεγέθει. Plato de monumento hypogæo, ex lapidibus structum & cameratum ingentibus debere esse dicit: ἐκ λίθων περιτίμων. Hi sunt, quos λογάδας λίθες alii vocant. Vetus auctor Itinerarii monumentum Isaiæ Prophetæ monolithum revera fuisse ait & volubile, quod scilicet cameratum esset monolithis. In monumento Domini πέτραν vocant Euangelistæ ob magnitudinem, & λατομητὸν & λαξευτόν, quod ingentes & quadrati essent lapides, quibus erat cameratum & constructum. Heliodorus σιώνομον καὶ ξεστὸν λίθον vocat quadratos lapides. Ceterum non omnium fuit sepulcra habere ædificata tam in Judæa, quam in terra Græcia & apud Romanos. Vilis itaque turba cadavera sua facta scrobe defodiebat, & aggesta desuper humo tumulabat. Aggestum terræ Latini *tumulum*, Græci χῶμα vocabant. Super illud χῶμα statuebatur cippus lapideus, qui nomen & elogium defuncti continebat: τὸ ἐλεγεῖον, quod est inscriptio monumentalis. Unde *elogium*: ut γραφεῖον, *graphium*: τοπεῖον, *topium*: ῥαφεῖον, *rapium*: & similia. Græci στήλω vocant cippum, qui imponebatur tumulo. Tumulus cum cippo ad memoriam defuncti imposito dicebatur μνῆμα. Atticis σῆμα. Quod his versibus expressit summus poëta:

---- *ossaque nomen*
Hesperia in magna si qua est ea gloria signat.

Signanter loquutus est ac σῆμα designavit. Ovidius *tumulum nomen habentem* dixit τὸ μνῆμα vel τὸ σῆμα.

---- *tumulo quoque nomen habenti.*

Homerus:

Τύμβῳ τε στήλῃ τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Ad quem versum allusit Virgilius, certe in animo habuit, ut & Ovidius. Tumulus nomen habens, τύμβος καὶ στήλη. Alias tumulus sine nomine, τύμβος est merus, qui στήλη caret. *Monumentum* proprie habet hominis nomen. Symposius:

Nomen habens hominis post ultima fata relinquor.

De monumento. Non est autem μνῆμα nisi tumulus

A in cippo, vel columna nominis inscriptionem habeat. Glossæ: στήλη, *cippus*, *titulus*. Nam *titulus* proprie lapis inscriptus, vel ipsa lapidis inscriptio. Unde & lapis ita dictus. Elogium pro titulo sepulcri in Culice Virgiliano:

---- *tum fronte locatur*
Elogium.

Τὸ ἐλεγεῖον. Hesychius: ἐλεγεῖον, ἐπιτάφιον ποίημα. Non tantum versibus scripta, sed quælibet ἐπιγραφὴ sepulcralis sic vocabatur, ut ex auctoribus Græcis constat. Inde & pro elogio condemnati usurpatum, quem & *titulum* dixere. Ut in condemnatione Domini nostri:

B ἔγραψε ἢ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος. Græci στήλω de sepulcri titulo proprie posuerunt. Probus *periculum* dixit in Epaminonda: *neque recusavit quo minus legis pœnam subiret, sed unum ab his petivit, ut in periculo suo conscriberent*, EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MULTATUS EST. Plutarchus & Ælianus στήλω vocant & intelligunt cippum vel titulum sepulcri, ut apud Juvenalem:

---- *titulo res digna sepulcri.*

Plutarchus in Epaminonda: ἀξιῶν εἰ ἀποκτείνωσιν αὐτὸν ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην. Probus *in periculo*. Proprie *periculum* est qui Græcis ἔλεγχος, titulus vel

C index ad aliquid declarandum. Hinc *periculum alicujus rei facere est* ἔλεγχον ποιεῖν, ἐλέγχειν. Callimachus in epigrammate ἀνεκδότῳ de Oreste:

Οὐδ' ἔλαβ' ἐξέτασιν ἢ Φωκέος, ᾗ ὃς ἐλέγχει
Τὸν φίλον, ἀλλὰ καὶ ἐν δράμ' ἐδίδαξε μόνον.

Nec cepit experimentum in Phocensi Pylade, quo verus amicus spectatur, probatur, ostenditur, vel indicatur. Sic *argui* Latini sumunt pro ostendi, quod proprie est ἐλέγχεσθαι.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Inde ἔλεγχος elenchus, libri titulus, vel index. Ad verbum, *periculum*. Unde *periclitari* pro explorare &

D cognoscere, etiam apud Ciceronem. Et *periclitari naturas locorum* huic Solino. Ab antiquo verbo *perior*, cujus compositum *experior*. Inde & *pericula magistratuum*, tabellæ ex quibus sententiam recitabant. Sed de his alibi. Hæc igitur duo omnium, qui apud Græcos & Romanos humabantur communia, τύμβος & στήλη. Proprie τύμβος est aggesta terra supra corpus, quod in scrobe deponebatur. Quod si crematus esset mortuus, ossa vel cineres in urna condita sub terra defodiebantur. Sexcenta sunt Græca epigrammata quæ hunc morem contestantur scrobis, tumuli & tituli, quem

E vocant στήλω. Unum super omnia heic subjiciam, quod apud Athenæum legitur, quia corruptissimum est, nec intellectum viro magno, nec correctum. Posidippi est:

Φυρόμαχον τὸν πάντα φαγεῖν βορὸν, οἷα κορώνην
Πανδοχικὴν, αὕτη ξωγὰς ἔχει κάπετος
Χλαίνης ἐν τεύχει Πελλωίδος, ἀλλὰ σὺ τέτε
Καὶ χελὲ στήλω Ἀττικὲ καὶ στεφάνε.
Εἴ ποτε σοι προκύων συνεκώμασεν, ἦλθε δ' ἀμαυρὸς
Βλέψας ἐκ πολιῶν νωδὸς ἐπισκυνίων,
Ἄθλεξ δ' ἔφθειρος, μονολήκυθος, ἐκ δ' ἄρ' ἀγώνων

F Τῶν τότε ληναϊκῶν, ἦλθ' ὑπὸ γαιὸν ὀπήν.

Legi & potest unica voce, ὑπόγαιον ὀπήν. Exemplum hic habes, quomodo vilia capita humarentur. In parasitum edacem factum hoc epigramma, quem comparat cornici cauponariæ in taberna cauponis educatæ. Hodieque solent hujusmodi aves in tabernis cicuratæ nutriri, vorax suapte natura animal, & quidquid obtuleris deglutiens. Male excusum est, κορώνην πανδοχικὴν, quod nihil significat. Eleganter autem προκύνα vocavit, hoc est, anteambulonem canem. Ῥωγὰς κάπετος est fossa, quam & ὑπόγαιον ὀπὴν vel γαιὸν dixit.

G Moschus dixit, ἐν χθονὶ κοίλᾳ. Huic στήλη imposita, quam ab Attico, cui conjunxerat ille parasitus, coronari & ungi vult, ut mos erat:

Μὴ μύρα μὴ στεφάνες κωφαῖς στήλαισι πορίζε.

Reliqua epigrammatis à nobis emendata, quia ad rem non pertinent, omitto. Cicero στήλω vocat *columellam*, id est, parvam columnam de Archimedis sepulcro Tusculana v: *columellam è dumis eminentem.* Ita etiam vocavit Lucillius in hoc disticho:

Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam
Lucilli columella hic situs Metrophanes.

Ὑπὸ ταύτῃ τῇ στήλῃ κεῖται Μητροφάνης Λουκιλλίε.

In quo jocularem animadvertere licet ἀβλεψίαν Donati, qui ex eo Lucillii versu notat principales & primos familiæ servos vocatos *columellas*. Quod est ridiculum. *Columen*, inquit, *columna*. *Unde apud veteres columellæ dicti servi majores domus*. Deinde citat versus Lucillii suprascriptos. *Columen familiæ* dici servum ejusmodi facile fortassis concederem. At *columen*, aut *columnam* domini appellari nescio an possit. Satis habuit servum suum hoc nomine laudare Lucillius, quod infidus domino non fuisset. Hæc propria laus servi, τὸ πιστικόν. *Columellam* suam eum inscripsisse in titulo ac elogio sepulcri vix videtur simile vero. Nec sane verum est. *Lucillii Metrophanes*, tralaticia veteribus loquutio, quæ subintelligit servum. *Columella* igitur heic *cippus* sepulcralis, ac στήλη. Notabis jam Donati ætate *majores domus* appellatos servos, qui primatum in familia tenerent. Quod officii nomen postea translatum in palatia nostrorum regum, primæ familiæ, pro eo qui in domo Augusta apud Romanos dicebatur *Magister officiorum*, ὁ πρεσβεὺς τῶν βασιλικῶν παλατίων πραγμάτων. Sed & in singulis urbibus οἱ πρῶτοι appellati sunt *majores* illius urbis. Græci πρόοικον vocarunt servum *majorem domus*. Verum de his alibi. *Columella* vel στήλη mortui tumulo imposita μνῆμα, vel μνημεῖον proprie dictum est olim, quod ad memoriam defuncti poneretur. Postea sepulcri locus, & sepulchrum ædificatum ita appellatum est. Jurisconsultus *monumentum* esse ait, *quod servandæ memoriæ gratia existit*. Generaliter ita vocarunt quidquid memoriæ causa in posterum esset proditum. Ita Græci μνημεῖον. Suidas: μνημεῖον ὁ τάφος. Ἐχρήσαντο δὲ τῷ ὀνόματι ῥήτορες, καὶ ἐπὶ τάφου, καὶ τοῦ ἔργου, καὶ τοῦ πράγματος, οὗ μνημονεύοιτο ἄν τις. Ammonius tamen μνημεῖον de sepulcro dici non probat, sed μνῆμα, & sic eas voces distinguit: μνημεῖα καὶ μνήματα διαφέρει. Μνημεῖα μὲν γὰρ ἔλεγον τὰ μνημόσυνα. Μνήματα δὲ τοὺς τάφους: μνήμη δὲ γίνεται νεκροῦ: μνεία δὲ τοῦ ζῶντος. Mentio fit vivi, memoria mortui. Latini quoque *memoriam* proprie de mortuis dixerunt. Sed & sepulcra quoque sic vocarunt. Unde *memoria martyrum*. Ita in Græco epigrammate μνῆσις, id est, memoria pro tumulo:

---- περὶ μνῆσιν δὲ παρέρπων.

Usus autem obtinuit, ac pervicit apud Græcos, ut μνημεῖα passim sepulcra dicerentur, non tantum μνήματα, ut voluit Ammonius. Sed & *memoria* & μνήμη etiam de vivis. Hinc *memoria* pro commentario rerum gestarum, vel vitæ ephemeride. Suetonius: *Augustus in memoria vitæ suæ*. Et inter officia domus Augustæ, *memoriæ magister*. Et *Memoriales*, qui ad memoriæ officium apparebant, οἱ μεμοριάλιοι. Inde & *memoria* cippus vel columna mortui tumulo imposita, in qua elogium ejus inscriptum visebatur, quod nomen, patriam, parentes, professionem, artem, ætatem, mortis genus continebat. Plerumque nulla inscriptione symbolis aliquot insculptis elogium mortuo faciebant. Ut in epigrammate Antipatri in Lysidicam:

Μαστεύω τί σε Λυσιδίκη ἐπὶ σαλήπιδι πέτρᾳ
Λυσιδίκα, γλυπτὸν τὸν δ' ἐχάραξε νόον.

Insculpta autem hæc fuere in eo cippo symbola, frena, capistrum, gallus gallinaceus, tanagræus. Mentem eorum sic ipse aperit, ut hæc legenda sunt:

Τὰν μὲν ἀνεχομέναν με ποτ' εἰρία νύκτερος ὄρνις,
Ἁνία δ' αὐδάσει δώματος ἡνίοχον,
Ἱππασμὸς δ' ὅδε κημὸς ἀείσεται οὐ πολύμυθον
Οὐ λάλον, ἀλλὰ καλᾶς ἔμπλεον ἡσυχίης.

Gallinaceus vigilantem indicabat: fræna domus moderatricem: capistrum taciturnam. In alio ejusdem de quadam fœmina Myro nomine:

Μὴ θάμβει μάστιγα, Μυροῦς ἐπὶ σήματι λάϊνον
Γλαῦκα, βιὸν, χαροπὰν χᾶνα, θοὰν σκύλακα.

Arcus magistram domus intentam eam mulierem fuisse ostendebat: canis liberorum amantem: lorum servorum castigatricem: anser domus custodem: noctua Palladis ministram in opere textorio. Alius cui nomen erat Alexander oriundo Chius, & ephebus mor-

A tem obierat, hoc ipsum in cippo tumuli expressum fuit novem talis, quorum quatuor situ suo jactum, qui vocabatur Alexandri, referebant: alii quatuor jactum illum exhibebant, qui ἔφηβος dicebatur. Unus unionem indicabat, qui Græce appellatur χῖος.

Ὡς δὲ τὸν φθίμενον νέον ἀκριτα καὶ τὸ κυβευθὲν
Πνεῦμα διὰ φθεγκτῶν εἶπε λίς ἀστραγάλων.

Instrumenta artis sepulcro insculpta sæpe artificem declarabant. In columella Archimedis sphæra & cylindrus conspiciebatur. Quo indicio cognovit Cicero ibi sepultum Archimedem. Apud Ietas tumulum Homeri demonstravit olim candida capra, quod manibus

B ejus capra parentarent Ietæ. Varro Agellium lib. III. cap. XI Homeri imagini hoc epigramma distichon apposuisse narratur:

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quod hac Ietæ mortuo faciant sacra.

Ita emendavimus ex vetere scriptura quæ habet: *Quod acietæ*. Vulgo ediderunt: *Quoi ara Ietæ*. Inepte: *Capella sacra facere* integrum est. Quod etiam dicebatur *capra facere*. Ut *quum faciam vitula*. Plura exempla non adscribam, nec enim id agimus. Jureconsultus *locum* à sepulcro discernit. *Loci* generalior est appella-

C tio, & quemcumque locum sepeliendo & condendo destinatum significat, sive in agro sit, sive in ædificio. *Sepulcrum* id omne est, in quo mortui corpus, vel ossa condita sunt. Unde & arca, vel sarcophagus *sepulcri* quoque appellatione censetur. Nonius *capulum* interpretatur sarcophagum, vel sepulcrum. Arrianus de Darii corpore: πύελος, ἐν ᾗ ἐτέθαπτο. *Arca in qua sepultus jacebat*. Cajus tamen arcam à sepulcro, & à loco secernit: scribit enim eum, qui in alterius arcam lapideam mortuum intulit, in qua corpus nondum conditum erat, non proprie vel in sepulcrum, vel in locum alterius intulisse dici posse. *Sepulcrum* accepit

D quomodo vulgari tum notione capiebatur, pro monumento nempe ædificato, in quo plures arcæ poni & plura corpora inferri poterant, qualia erant quæ sepulcra *familiaria*, aut *hæreditaria* vocabantur. *Omnia autem monumenta dominum testabantur*. Ut legere est in fragmento agrimensorio. In agris aut in hortis vulgo constitui solebant, cui certo spatio præscripto quod monumento serviebat, & sacrum habebatur. Frontinus: *Mœsilea, habent juris sui horti certum modum circumjacentem, aut præscriptum agri finem*. Ita legendum. Quæ in horto constituta, certum habebant horti modum circumjacentem, cineribus dedicatum: Quæ

E in agro, præscriptum agri finem. Aggenus ad ea Frontini verba hæc notavit: *Nam locos frequenter in trifinio ac quadrifinio invenimus*. Locos vocat, aut monumenta ipsa, aut spatia monumentis deputata. Atque ita accipienda vox *locus* in edicto Prætoris, & apud Jurisconsultum. Interdum etiam *locum* pro loculo ipso, vel sarcophago sumpsere, in quo effertur cadaver, Latini *feretrum* dicunt, ut Græci νεκροφορεῖον. Servius: *Feretrum, locus ubi mortui feruntur, & est Græcum nomen. Nam Græce φέρετρον dicitur*. Immo Latinum. Nam a fero *feretrum*, ut a tono *tonitrum*: a ful-

F go *fulgetrum*: & similia. Nam nec aratrum ex Græco ἄροτρον, sed ab *aro*. Latine *capulum* dici idem adnotat. *Locus* idem quod loculus, ἡ θήκη, in quo corpus defuncti locatur. Ut Græci θήκην & pro capulo, & pro monumento posuerunt, ita & Latini *locum*. Plerumque totum illud spatium quod sacratum sepulturæ erat, muro clausum erat ut in monumento Regillæ:

Τὴν ὅσσην περὶ τεῖχος ἐΰτροχον ἐστεφάνωται.

Hoc vocabatur *munimentum sepulcri*, ut in leg. XXXVIII. D. de Religiosis & sumptibus funerum. Interdum sola inscriptione sepulcri de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavebatur. *Tot pedes in fronte, tot pe-*

G *des in agro*. Quo pertinent notæ illæ apud Valerium Probum. IN FR. P. VI. LAT. VII. *in fronte pedes sex, latum septem*. Item IN FR. P. XX. *in fronte pedes viginti*. IN AGR. P. XX. *in agro pedes viginti*. Qui fundum vendebat, sæpenumero locum sepulcri excipiebat, quo ipse posterique sui inferri possent. Ita fecerat Cælius quidam Mantuanus, qui consumptis opibus ac prædiis venditis, solum sepultu-

ræ locum excepit, tribus ulnis, hoc eſt, duodecim pedibus latum. Hunc tetigit Virgilius eo ænigmate, quo crucem grammaticis ſe fixiſſe ipſe profeſſus eſt.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius ulnas.

Lepide luſit poeta in ambiguo ejus *Cæli* quod a Cælio eſt, & *Cæli* quod fit a cælo. *Cæli* autem pro *Cælii* etiam in proſa veteres ſcripſerunt. Unde & Plautii comœdiæ, quod inſcriptæ eſſent PLAUTI, pro Plautinis pleræque habitæ ſunt, quum Plautianæ forent. Agellius lib. III. cap. III. *In eodem libro Varronis id quoque ſcriptum eſt, Plautium fuiſſe quempiam poëtam comœdiarum, cujus quoniam fabulæ Plauti inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas, quum eſſent non à Plauto Plautinæ, ſed à Plautio Plautianæ.* Eadem ambiguitas in *Cæli*, quod eſt a Cælius, & *Cæli*, quod eſt a *Cælum*. Ceteræ interpretationes de orificio putei Syenenſis, de clypeo Ajacis, de ſpecu Siciliæ, & de mundo in Cereris ſacro, ineptæ & falſæ. Captavit ænigma ex errore nominum *cæli* & *Cæli*, hoc eſt, *Cælii*. Meminit Horatius Cælii cujuſdam latronis illo tempore notiſſimi.

Ut tu ſis ſimilis Cæli Burrique latronum,
Non ego ſim Capri.

Ubi etiam *Cæli* pro *Cælii* ſcriptum nemo ambigit. Hanc mentem poëtæ fuiſſe Cornificium & Aſconium ab ipſo poëta audiſſe teſtes ſunt antiqui grammatici Servius & Junius Philargyrus. Hujus hæc verba ſic legenda: *Aſconius Pædianus ait ſe audiſſe Virgilium dicentem in hoc loco ſe grammaticis crucem fixiſſe, quæſituris ſi quid ſtudioſius occultaretur. Dicit autem poëta Cælium Mantuanum.* Idem narrat de Cornificio, qui hoc ipſum a Virgilio accepiſſe fatebatur. Quibus cur non credamus, cauſæ nihil eſt, præſertim quum nihil melius poſſit afferri, ac nemo id inventurus aut divinaturus fuerit, niſi ipſe auctor indicaſſet. Servius: *Aſconius Pædianus dicit ſe Virgilium dicentem audiſſe, in hoc loco ſe grammaticis crucem fixiſſe, volens experiri quis eorum ſtudioſior inveniretur, volens intelligi de Cælio Mantuano, ut ſupra dictum eſt.* Contra hæc muttire nemo eſt qui queat quicquam. Spatium loci, quem ſibi Cælius ad ſepulturam reſervarat non amplius patebat quam tres ulnas, hoc eſt, ſex pedes, ſi ulnam pro cubito accipimus, & cubitum pro duobus pedibus, ut multis placuit. Quinque aut ſex pedes legitimum loci, aut ſepulcri ſpatium apud veteres, etiam plurium condendis reliquiis, ubi urnæ tantum cineres continentes reponerentur, vel infoderentur. Tibullus:

Et ſim quod digitis quinque levatur onus.

De reliquiis, vel cineribus defuncti. Valerius Probus: *In fronte ſex pedes, in latitudine ſeptem.* De ſepulcri ſpatio, vel loco cineribus dedicato. Quidam ulnam duûm cubitûm faciunt, ſic menſura duplicaretur. Et ſane duodecim pedes pro legitimo ſepulcri modo in antiquis inſcriptionibus invenire eſt. Hanc quæſtionem quum paſtor alter ſolvere non potuiſſet, aliam ipſe proponit æque difficilem, ex recondita & occulta fabulari hiſtoria petitam:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Naſcantur flores inſcripti nomina regum.

Quam de induſtria obſcuravit, dicendo *reges*, & *quibus in terris.* De Hyacintho & Ajace. Sed magis de Ajace. Nam hujus nomen inſcriptum foliis præfert flos hyacinthi, Αἲ αἶ. Quæ & notæ ſunt luctus. Unde αἰάζειν lugere. A quo verbo nomen Αἴαντος deductum eſſe placet veteribus. Euphorion in verſibus, quos ſupra retulimus & emendavimus, dicit Hyacinthum τοὔνομα Αἰακίδαο.

Εἴαρος ἀγγέλλειν τὰ γεγραμμένα κωκύουσαν.

Reges dixit pro rege, poetarum more:

Ἐξῆλθον Ἕκτορές τε καὶ Σαρπηδόνες.

Et Platonicum illud: οὐ γὰρ Πέλοπες, οὐδὲ Κάδμοι. Ea figura uſus eſt Agellius lib. IV. cap. XVIII. *Pœtilii quidam Tribuni plebi à Marco, ut ajunt, Catone inimico Scipionis comparati in eum, atque immiſſi deſiderabant in ſenatu inſtantiſſime, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque quæ in eo bello capta erat, rationem redderet.* Ita eo loco legit optimus codex regiæ Bibliothecæ. *Pœtilios* poſuit pro Pœtilio. Ajax autem regulus Salaminis. Unde & Agamemnon *rex regum* dictus, quod omnium illorum ducum, qui ad Trojam erant, ſummus dux eſſet. Totidem porro reges, quot duces illi fuere. In illis porro duobus ænigmatis: τὰ οὐκ ὄντα, aut τὰ ἀδύνατα proponere voluiſſe poëtam, neutiquam arbitror, nec verum eſt. Sane abſurdum hoc foret, nec poëtæ id moris habent, ea ponere quæ in rerum natura non ſint, aut quæ fieri non poſſint, multo minus quum quid explicandum proponitur. Columella de Hyacintho:

Et male damnati mœſto qui ſanguine ſurgunt
Ajacis flores.

Duplex de hoc fabula. Altera, quæ ſanguine Ajacis hunc florem aſſerit editum, cujus & nomen foliis inſcriptum præfert. Altera, quæ notas eſſe luctus narrat, ob Hyacinthi interitum, dilecti Apollini pueri. Αἲ αἶ lugentium propriæ ſyllabæ. Unde αἰάζειν. Sed & primam ſyllabam deſignant Ajacis nominis qui Græcis Αἴας. Inde illi verſus:

Litera communis mediis pueroque viroque
Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Hæc nominis Αἴαντος, illa querelæ αἲ αἶ ob interfectum puerum Phœbo amatum. Hoc eſt quod Plinius ſcripſit ex noſtra emendatione: *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum referens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore edens.* Male igitur Servius primam literam nominis Hyacinthi in eo flore inſcriptam exhiberi tradit. Quid mirum autem à paſtore hanc quæſtionem pro inexplicabili propoſitam, quibus in terris naſcantur flores inſcripti regum nomina, quum hodie doctiſſimis herbariis, qui fabulam hanc, & alias pleraſque antiquitates tenent, ignotum eſſe ſciam florem iſtum, qui nomen Ajacis foliis inſcriptum præfert, aut notas luctus ex Hyacinthi nece impreſſas. Si quis enim putat eum eſſe Hyacinthum, quem vulgo ſic vocant, & qui ſub hoc nomine deſcribitur a Dioſcoride, tota via errat. Plures hyacinthi ſpecies recenſent herbarii neoterici. In nullo eorum venæ illæ diſcurrentes reperiuntur, quæ ductu linearum Græcas illas literas efficiant, quibus nomen Ajacis ſignatur, aut luctuoſæ illæ ſyllabæ αἲ αἶ. Præterea lilii forma illum hyacinthum nobis deſcribunt veteres, colore tantum a vero lilio diſtans. Ovidius de hyacintho ex Ajacis cruore nato:

------ *formamque capit, quam lilia, ſi non*
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Nemo dicit herbarius hyacinthum, qui hoc hodie nomine noſcitur, ad lilii formam accedere. Servius Ajacis hyacinthum, *quaſi lilium eſſe rubrum* dicit. Hinc apud Poëtam:

----- *& ſuave rubens hyacinthus.*

Omnes hyacinthi vulgares cærulei ſunt coloris, ſed dilutioris, raroque imbuuntur purpura ſaturatiore & nigra. Nullus ſane ex his ad rubrum inclinat. Poſtremo veteres tam Græci quam Latini hyacinthum ſuum fabularem & literis lineiſque diſtinctum, faciunt nigrum, qui color eſt atræ purpuræ. Theocritus:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Illam γραπτὰν ὑάκινθον nigram eſſe dicit, ut ſunt violæ nigræ. Virgilius ſic imitatus eſt:

Et nigræ violæ, ſunt & vaccinia nigra.

Nam *vaccinium* Latini vocant Græcorum ὑάκινθον, ut ſupra docuimus. Communis vero hyacinthus ut plurimum coloris eſt ex cæruleo pallidi, vel ex cineracco purpuraſcentis. Nigros crines Indorum & lucentes Dionyſius hyacinthi flori comparat:

---- ἐειδομένας δ' ὑακίνθῳ
Πιοτάτας φορέουσιν ἐπὶ κράτεσφιν ἐθείρας.

Quod de noſtro hyacintho neutiquam poteſt accipi. Nec enim ejus nigroris eſt, ut commode ſumi queat ad comparationem nigri capillitii. Homerus quoque comas nigras ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας facit, quas μελαίνας grammatici exponunt. Μέλαν γὰρ τὸ ἄνθος. Indi etiam μελανότειχες, quibus hyacinthini coloris comam tribuit Dionyſius. Quærendus igitur flos ejuſmodi, qui lilio

lilio quidem quoad formam similis sit, purpuræ vero nigræ colorem habeat & simul ad ruborem vergat, tum lineis discurrentibus varius, ut fabulæ hyacinthus esse possit. Has omnes simul notas in nullo flore concurrentes invenire est præterquam in nostro ac Romanorum veterum gladiolo, qui ξυρὶς, vel ξιρὶς Dioscoridi dicitur. Diversus hic flos ab eo, quem Græci ξίφιον vocant. Dioscoridis hæc verba sunt ex antiquissimo codice: Ξυρὶς, οἱ δὲ ξιρίδα, οἱ δὲ ἶριν ἀγρίαν, Ῥωμαῖοι δὲ γλαδίολον καλοῦσι. Theophrasto dicitur ξιρὶς lib. IX. cap. IX. Ὅταν δὲ τὴν ξιρὶν τεμνῶσι, μελιτώτας ἀντεμβάλλειν μισθὸν, τέμνειν δὲ ἀμφήκει ξίφει περιγεγραφότας εἰς τρεῖς. Καὶ ὅ τι ἂν πρῶτον τμηθῇ μετέωρον ἔχειν. Quæ verba Plinius lib. XXI. cap. VII Latine reddidit, sed de iride ea dicit, quasi ἶριν pro ξιρὶν apud Theophrastum legerit. Sed & ξιρὶς etiam ἶρις appellata. Non tamen est illa iris, de qua ibi agit Plinius. Sic autem ille scribit: *effossuri tribus ante mensibus mulsa aqua circumfusa hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscriptam mucrone gladii, orbe triplici, & cum legerunt eam protinus in cœlum adtollunt.* Hæc ad verbum ex illis Theophrasteis expressa. Sed mirum τριμήνους μελιτώτας vertere aquam mulsam tribus ante mensibus circumfusam. Immo placentas ex trimestri frumento factas, quasi mercedis vice eo loco infodiunt, unde ξίριν effoderint. Hoc enim est ἀντεμβάλλειν. Quod Plinius perperam accepit. Legendum autem in Græcis: τριμήνους μελιτώτας, id est, placentas ex frumento trimeno, vel trimestri. Hæc sunt indubitata. Τρίμηνος πυρὸς notus ex Græcis & Latinis auctoribus. Ξιρὶς igitur & ξυρὶς eadem: & Romanorum gladiolus florem habet purpureum, in medio rubrum & puniceum. Idem: ἐφ' οὗ λοβοὶ τρίγωνοι, καὶ ἐπ' αὐτῶν ἄνθος πορφυροῦν, τὸ δ' ἐν μέσῳ φοινικοῦν. Inde purpurei & rubentes hyacinthi poëtis. Venerum etiam discursu, veluti literarum ductu variatur, licet de illis nihil prodat Dioscorides. Formam lilii non male refert. Hinc κρίνον ὀξὺ vulgus Græcorum hodie vocat, ut & iridem cui similis. Unde & ἶρις ἀγρία Græcis dicebatur. Neophytus de iride: Ἶρις, κοινῶς κρίνον ὀξὺ, ab acumine scilicet foliorum. Nam & iridi folia habet similia, quæ & ipsa gladioli nomine quibusdam dicta. Idem Neophytus de iri: Ῥωμαῖοι ῥάδιξ μυρίκα, οἱ δὲ γλαδίολα. Vulgus quoque idem Græcorum communem iridem καλαμόκρινον ὀξὺ appellat, at iridem Illyricam καλαμόκρινον λευκόν. Glossæ Medicæ: Ἶρις Ἰλλυρική, τὸ καλαμόκρινον, τὸ λευκόν. Ἶρις κοινὴ, τὸ καλαμόκρινον τὸ ὀξύ. In aliis simpliciter reperio: Ἶρις, τὸ καλαμόκρινον. Quin & apud Neophytum Σουσίνην ἴριδα exponi lego, & σούσινον unguentum pro irino. Atqui σοῦσον veteres lilium esse notant. Neophytus: Σουσίνη ἡ ἶρις. Σούσινον μύρον, τὸ ἴρινον ἔλαιον. Et paulo post idem: Σούσινον, τὸ κρινάνθεμον, καὶ βασιλικὸν κρίνον, τὸ πορφυροῦν κρίνον ὃ καὶ ἶρις λέγεται. Studiosi florum hodierni, quos vulgo *tuliparios* vocamus, iridem quamdam vocant Susianam, quæ florem habet candidum, sed venis nigris & lineis intercurrentibus totum distinctum. Iridem Illyricam candidam esse Græci indicant, qui καλαμόκρινον λευκὸν exponunt. Omnium colorum esse iridem scribit Dioscorides, & propterea hoc nomen nactam esse διὰ τὴν ποικιλίαν arcus cælestis. Καλαμόκρινον autem recentiores vocarunt quod similis sit lilio, & quod folia harundinea habeat, quasi *harundinaceum lilium* dixeris. Huic similis ξυρὶς, quam & ἀγρίαν ἴριδα dixere. Et ξυρὶς quidem dicta ἀπὸ τοῦ ξυροῦ, id est, acuto. Nam ξυρὸν idem quod ὀξύ. Hesychius: ξυρὸν, τομὸν, ὀξύ. Dioscorides: Φύλλον ἔχει ἴριδι ὅμοιον, καὶ ἐξ ἄκρου ὀξύ. Mihi tamen videtur ξυρίδα potius appellatam, quod utrimque folium in aciem attenuatum habeat, quam quod ejus summitas in acumen desinat. Ξυρὸν enim proprie significat, id quod acie adeo est temperata ut scindat. Inde ξυρὸν pro novacula. Talia sunt folia gladioli, vel ξυρίδος. Græci quoque ὀξὺ hoc vocant, & ὀξύνειν aciem temperare, ut Latinis *acutiare*, τὸ ἀκονᾶν. Inde διάξυρον aspalathum, ut supra correximus apud Plinium & Dioscoridem. Glossæ Iatricæ: σφάγνον, διάξυρον. Et ἀπόξυρος πέτρα auctori peripli aciei modo scindens: ὁ δὲ βυθὸς ἐν ποσὶ μὲν ἀπό-

A κοπος, ἐν λισὶ δὲ πετρώδης, καὶ ἀπόξυρος, ὡς τε τέμνεσθαι τὰς παρακειμένας ἀγκύρας. Omnia conveniunt, ut hyacinthus fabularis sit ξυρὶς Dioscoridis, & *gladiolus* Romanorum. Unum adhuc video requiri posse, & vero debere, ut hyacinthum veteres vocaverint hunc gladiolum. Nec istud deest, sed adest. Et ecce in promptu. Palladius lib. I. cap. XXXVII, inter herbas apibus gratas & juxta apiaria serendas numerat, *hyacinthum, qui iris, vel gladiolus dicitur.* Ita scripsit, ut distingueret ab altero hyacintho. Hæc est ξυρὶς Dioscoridis, quæ & ἶρις ἀγρία dicitur, & *gladiolus.* Si tibi non satis idoneus auctor habetur ille Palladius,
B en tibi locupletem alium antiquitate & auctoritate munitissimum, quem rejicere non possis, nec debeas si sapias. Is est Columella, qui similiter tractans de floribus omnis generis serendis, ut pabulo sint apibus, ita scribit lib. IX. cap. IIII. *Tum punicæ rosæ, luteolæque & serranæ violæ, nec minus cælestis nominis hyacinthus, Corycius item Siculusque croci bulbus deponitur.* Ubi *cælestis nominis hyacinthum* aperte vocat illud genus hyacinthi, qui nomen iris habuit. Atque hic plane est hyacinthus fabulis celebratus, diversus utique ab altero hyacintho vulgari, & propterea, ut illum ab hoc discerneret, id cognomentum ei addidit, voca-
C vitque *hyacinthum cælestis nominis.* Sic enim scribendum apud Columellam pro *numinis.* Cæleste autem nomen est iris. Unde & ipsa herba à quibusdam appellata ἐρανία Neophyto teste. Supra omnia testimonia clare id evincit Nicandri versus ex georgicis apud Athenæum lib. XV, qui sic habet:

Ἶρις δ' ἐν ῥίζῃσιν ἀγάλλεται, ἡδ' ὑακίνθῳ
Αἰαστῇ προσέοικε.

Hyacinthum fabularem & poëticum ὑάκινθον Αἰαστὴν cognominat à notis luctus, quibus inscriptus est, & similem esse iridi dicit. Nullus flos similior iridi quam
D xyris Dioscoridis, sive gladiolus Romanus, quem & ἶριδος ἀγρίας nomine propterea etiam appellarunt. Sunt hodie docti, qui quovis pignore contendunt hyacinthum poëtarum esse lilium rubrum. Fatentur ad hoc se induci auctoritate Ovidii ita canentis de isto hyacintho:

---- *formamque capit quam lilia, si non*
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

Ergo inquiunt, solo colore distat hyacinthus fabularis à candido lilio: proinde debet esse lilium rubrum. Ne sit hoc verum nimis multa prohibent. Lilium rubrum in luteum colorem vergit, qui longe abest ab hyacin-
E thino nigro. Omnes quippe auctores antiqui poëtæ pedestresque hyacintho suo colorem nigrum tribuunt, hoc est, purpureum obscurum, quod μέλαν Græci dicunt. Theocritus:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Coloris igitur est violacei nigri. Ideo & cum violis nigris hunc hyacinthum quoque jungit Nicander in georgicis:

Αἰαστὴν ὑάκινθον, ἰωνιάδας τε χαμηλάς.

Ἰωνιάδες χαμηλαὶ sunt violæ nigræ, quæ & χαμαίια Græcis hodiernis. Neophytus: ἴον πορφυροῦν, οἱ δὲ δασυπόδιον, οἱ δὲ ἴον ἄγριον, κοινῶς δὲ χαμαίιον. Hic co-
F lor à luteo, aut rubro longe diversus. Et sane Ovidius non rubrum, aut luteum, sed purpureum hyacinthum diserte esse clamat. De lilio igitur rubro neutiquam potest dici eum esse hyacinthum. Præterea veteres lilium hoc rubrum nostrum sub nomine lilii noverunt, non sub hyacinthi. Tertullianus de corona Militis: *& utriusque liliis & omnibus violis coroneris.* Plura sunt violarum genera. Sed duas tantum agnoscit liliorum species, candidum & rubrum. Hæc illi sunt utraque lilia. Plinius lib. XXI. cap. V. *Est & rubens lilium, quod Græci κρίνον vocant: alii florem ejus cynorrodon, laudatissimum in Antiochia & Lao-*
G *dicia Syriæ, mox in Phaselide, quartum locum obtinet in Italia nascens.* Notandum quod ait, non etiam mutandum, florem hujus rubri lilii vocari à quibusdam κυνόῤῥοδον. Ita enim in vetustissimo libro legitur: *alii vocant quinorodon.* Quæ vetus admodum scriptura est Latinorum librariorum pro κυνόροδον. Sic *quibiarii* apud Arnobium pro *cybiariis.* *Triquinon* apud Paulinum, τρίκυνον & alia quæ notamus alibi. Sic *hipoquistis* barbaris

barbaris ex hoc more, quæ Græcis ὑπόκυσις: & *opium Quirinacium*, ὀπὸς Κυρηναϊκός. De hoc lilio rubro, sive κυνορρόδῳ accipienda Hesychii verba: Κυνόροδον, κρίνον ὅμοιον ὑακίνθῳ. Hæc pretii sunt quantivis. Lilium rubrum quod Græcis dicebatur, vel Plinio teste κυνόρροδον, hyacintho simile esse dicit. Hic noster est hyacinthus. Non igitur lilium est rubrum, sed simile lilio rubro. Juxta hanc sententiam Servius plane scripsit, hyacinthum *quasi lilium esse rubrum.* Præter superius dicta duo genera liliorum, rubrum & candidum, fuisse etiam purpureum notavit post veteres Plinius eodem loco: *Sunt & purpurea lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, majorisque bulbi sed unius: narcissum vocant.* Falsam hanc esse interpunctionem supra docuimus. Falsum inquam purpurea illa lilia eadem cum narcissis esse. Nec hoc dixit Theophrastus. Quare emendabamus supra, mutata distinctione: *Sunt & purpurea lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice majorisque bulbi sed unius. Narcissum vocant, hujus alterum genus*, &c. Ut hæc nimirum pertinerent ad sequentem historiam narcissi, quem in tria similiter genera dividit ut & lilium. Sic enim habet in indice libri primi: *Lilii gn.* III. *Med.* XXI, *lacrima sua nascens. Narcissi gn.* III. *med.* XVI. Postremo vetustissima exemplaria hinc novam auspicantur distinctionem cum titulo DE NARCISSO. Deinde subjiciunt hæc verba à priore membro separata, & ad hunc modum continuata: *Narcissum vocant hujus alterum genus flore candido, calice purpureo. Differentia à liliis & hæc.* Certum tamen est hanc distinctionem non esse veram, & Plinium heic errasse dum Theophrasteis parum attendit. Verba illa, *carnosiore tantum radice majorisque bulbi*, de narcisso dicta sunt à Theophrasto, non de purpureo lilio: ἔχει ῥίζαν σαρκώδη στρογγύλην, μεγάλην. Ex his igitur constat scripsisse Plinium, ut etiam vulgo habent ejus editiones: *Sunt & purpurea lilia aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, majorisque bulbi, sed unius: narcissum vocant.* Sed Plinii, ut dixi, hæc hallucinatio ex Theophrasti verbis male acceptis. Theophrastus lib. VI. cap. VI, de lilio ac narcisso, & aliis quibusdam floribus. De lilio primum dixit, & κρίνον appellat, cujus ex colorum differentia genera statuit diversa, ut in violis & rosis. Ἐμφανὴς γὰρ, inquit, ἡ τούτων χροιὰ διαλλάττουσα, καὶ ἔτι δὴ μᾶλλον ἡ τῶν κρίνων: εἴπερ δὴ καθάπερ φασὶν ἔνεα καὶ πορφυρᾶ. Hoc idem paulo post repetit: τὰ δὲ κρίνα τὴν εἰρημένην ἔχει διαφοράν, id est, eam differentiam, quæ in albis violis & purpureis cernitur, de quibus proxime mentio præcessit. An sint lilia purpurea videtur addubitare Theophrastus, sed ait quosdam tradere talia reperiri. *Si modo*, inquit, *purpurea reperiuntur, ut tradunt.* Non ergo purpurea viderat lilia. Dioscorides quoque de liliis purpureis ex aliorum auditu pronuntiat ac relatione: φασὶ δέ τινες καὶ πορφυρᾶ ἄνθη κρίνων γίνεσθαι. Ita enim ibi legendum ex antiquissimo codice, non γίνεσθαι. Quod accipiunt de purpureis liliis, quæ arte fiunt, non quæ talia nascuntur. Atque idem dicit Dioscorides quod Theophrastus, tradere quosdam lilia purpurea etiam nasci. Non igitur communia hæc purpurea lilia, sed admodum rara. Duo igitur tantum genera vulgaria liliorum, rubrum & candidum. Unde illud Tertulliani, *& utrisque liliis coroneris.* Quod de albo & rubro intelligendum. Sed de lilio purpureo paulo post. Pertractata liliorum historia Theophrastus sub nomine κρίνων eodem capite mox transit ad narcissum: ὁ δὲ νάρκισσος ἢ τὸ λείριον, οἱ μὲν γὰρ τοῦτο, οἱ δὲ ἐκεῖνο καλοῦσι. At narcissum ab aliis appellari λείριον. Quo nomine etiam quidam vocarunt τὸ κρίνον. Et notandum Theophrastum ubicumque de liliis agit, nunquam aliter ea vocare quam κρίνα, nusquam λείρια. Narcissum vero quidam ex Græcis appellarunt λείριον, alii eum florem quod κρίνον vulgo dicebatur. Quia vero ex voce Græca λείριον Latini suum *lilium* fecerunt, & τὸ κρίνον quibusdam etiam Græcorum λείριον dictum, Plinius purpurea illa lilia Theophrasti, quæ τὰ κρίνα sunt, cum narcissis eadem putavit esse. Qui magnus est error. Λείριον commune nomen lilii & narcissi, τοῦ κρίνου καὶ τοῦ ναρκίσσου. Dioscorides: Νάρκισσος ἔνιοι καὶ τοῦτο ὥσπερ τὸ

A κρίνον λείριον ἐκάλεσαν. Poetæ præcipue ita videntur vocasse, qui omnes flores λείρια vocarunt, & horum præcipuus Homerus. Pollux: Ὅμηρος μὲν τὰ ἄνθη πάντα λείρια κέκληκε. Τὸν δὲ νάρκισσον ὁ Θεόφραστος λείριον. Non Theophrastus solus, sed alii Attici veteres hanc vocem proprie usurparunt de narcisso. Cratinus in Comœdia μαλθακοῖς:

Παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι
Λειρίοις ῥόδοις κρίνοις κοσμοσανδάλοις ἴοις.

Vides in his versibus λείρια distingui ἀπὸ τῶν κρίνων. Ergo heic λείρια apud Cratinum sunt narcissi. Nicander quoque in georgicis λείρια & κρίνα separavit. De λει-
B ρίοις ita dicit:

Λείρια δὲ στηλαῖσιν ἐπιφθίνοντα καμόντων.

At de κρίνοις paulo ante tractarat, notavitque etiam λείρια à poëtis appellari:

Ἀ κρίνα, λείρια τ' ἄλλοι ἐπιφθέγγονται ἀοιδῶν.

Atticis igitur antiquis proprie τὸ λείριον est narcissus, κρίνον autem lilium. Et lata inter utrumque differentia. Quinimmo & λείριον speciale genus facit idem Theophrastus, quod à narcisso separat. Idque etiam notavit Athenæus lib. XV. τὸν δὲ νάρκισσον ἐν τῷ ἕκτῳ περὶ φυτῶν ἱστορίας ὁ Θεόφραστος καλεῖσθαι φησὶ καὶ λείριον. Εἶθ' ὑποβαὶς ὡς διαλλάσσοντα τίθησι νάρκισσον καὶ λείριον. Hoc
C verum. Nam capite sequenti ita loquitur: μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος καὶ τὸ λείριον, καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ καυλίον. Idem Athenæus alio loco hæc verba Athenæi ita citavit: πρῶτον δὲ τῶν ἀνθέων ἐκφαίνεσθαι φησὶ τὸ λευκόϊον, ἅμα δ' αὐτῷ καὶ τὸ φλόγα καλούμενον τὸ ἄγριον ἔπειτα νάρκισσον καὶ λείριον. Alias promptum esset rescribere: μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος, τὸ καὶ λείριον. Sed nec aliter legit Plinius, quam vulgatum est, atque ita vertit de vernis floribus loquens ex Theophrasto: *seriores supra dictis aliquanto narcissus & lilium trans maria. In Italia quidem, ut diximus, post rosam.* Fallitur tamen & heic Plinius. Nec enim λείριον Theophrasti est *lilium* Latinorum. Hoc enim illi
D vocant κρίνον. Et paulo post idem Theophrastus τὸ κρίνον inter æstivos flores recenset & qui florent post rosam: τὰ δὲ θερινὰ μᾶλλον, ἥ τε λυχνὶς καὶ τὸ Διὸς ἄνθος καὶ τὸ κρίνον καὶ τὸ ἴφυον. Ita enim scribendum ex Athenæo. Male enim vulgo legitur: καὶ τὸ Κήρινθον. Non minus igitur trans maria quam in Italia lilium post rosam. Quod est τὸ κρίνον. At λείριον aliud. Hoc modo facit idem cum narcisso Theophrastus, est vero ubi aliud à narcisso. Non heic tantum, sed in tota narcissi historia parum sibi constare Theophrastum, & pugnantia scribere deprehendimus. Cap. VI, de uno duntaxat genere narcissi loquitur, quem &
E serotinum admodum esse tradit, utpote qui post Arcturum floreat, & circa æquinoctium autumnale: ὄψιον δὲ σφόδρα. Μετὰ γὰρ Ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις καὶ περὶ ἰσημερίαν. At capite sequenti narcissum inter eos flores numerat, qui primo vere prodeunt & statim quidem post violam albam, quæ omnium prima ver nuntiat. Verba ejus hæc sunt: τῶν δ' ἀνθῶν τὸ μὲν ἦρος πρῶτον ἐκφαίνεται τὸ λευκόϊον. Ὅπου μὲν ὁ ἀὴρ μαλακώτερος, εὐθὺς τοῦ χειμῶνος, ὅπου δὲ σκληρότερος, ὕστερον ἐνιαχοῦ τοῦ ἦρος. Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ ἡ μικρότερον ἢ ὕστερον, καὶ τὸ φλόγινον καλούμενον τὸ ἄγριον: ταῦτα γὰρ οἷς οἱ στεφανηπλόκοι χρῶνται πολὺ ἐκτρέχει τῶν ἄλλων.
F Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος καὶ λείριον. Integrum locum adscripsimus, quia multa continet animadversione digna. Violam albam primam omnium florum, quæ in coronas recipiuntur, prodire dicit, adeo ut etiam hieme exeat quibus in locis aër est clementior. Cum hac viola flore etiam quæ vocatur φλὸξ præcipue silvestris aut paulo serius post φλόγα narcissum & λείριον. Hæc omnia prius florere scribit quam violam purpuream, quæ vocatur Martia à tempore florendi. Ἐπὶ δὲ τούτοις, inquit, ἡ οἰνάνθη καὶ τὸ μέλαν ἴον. Horum omnium florum qui verno prodeunt, rosam ultimam florere autumat. Plinius locum illum Theophrasti sic reddidit lib. XXI. cap. XI.
G *Florum prima ver nuntiantium viola alba. Tepidioribus vero locis etiam hieme emicat. Postea quæ appellatur purpurea, proxime flammea, quæ & phlox vocatur, silvestris dumtaxat. Codiaminon bis anno vere & autumnô, æstates hiemesque fugit. Seriores supra dictis aliquanto narcissus & lilium trans maria.* Nihil in Theophrasti mente vidisse Plinium prorsus palam est. Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ ἡ μικρὸν

τι ὕστερον, καὶ τὸ φλόγιον καλούμενον, τὸ ἄγριον. Ita scribendum in verbis Theophrasti, non τὸ φλόγινον. Græcis φλὸξ genus est floris primo vere cum viola alba emicantis. Deminutivum τὸ φλόγιον, *flammula*. Φλόγα in sequentibus vocat idem Theophrastus. Sic ξίφος & ξίφιον idem de herba: στρουθὸς & στρούθιον: ἡμίονος & ἡμιόνιον. Athenæus hunc ipsum locum citans habet φλὸξ, non φλόγιον. Sed omnino certum est Plinium legisse φλόγιον, qui adjective accipit, ut subaudiatur ἴον, & pro viola flammea accepit. Florem illum φλόγα Theophrastus cum alba viola exire memorat aut paulo serius: Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ ἢ μικρότερόν τι ὕστερον, καὶ τὸ φλόγιον καλούμενον τὸ ἄγριον. De viola alba id accipiendum, de qua proxime præcessit. At Plinius ἅμα τῷ ἴῳ intellexit de viola purpurea, quæ ἴον sæpe dicitur absolute. Ita ergo reddit: *Postea quæ appellatur purpurea, proxime flammea, quæ & phlox vocatur, silvestris duntaxat.* Hæc sunt corruptissima. In optimo Thuanæo codice scribitur: *Postea quæ appellatur lilia & purpurea. Proxime flammeam quod vocatur silvestre duntaxat.* Sacramento possem contendere scripsisse Plinium: *Postea quæ appellatur ion, & purpurea, proxime flammeum quod vocatur, silvestre duntaxat.* Τὸ φλόγιον interpretatus est *flammeum*, quum sit flammula. Alibi retinuit nomen Græcum, ubi Theophrasto dicitur φλὸξ. Ut capite præcedenti: *colore tantum placet Jovis flos, iodor abest: sicut & illi qui Græce flox vocatur.* At hoc loco, ubi φλόγιον vocavit, diversum putavit florem, & *flammeum* Latine vertit. Theophrastus τὸ λευκόϊον primum florum ver nuntiantium esse prodit, quæ tepidioribus locis etiam hieme emicat. Ἅμα τῷ ἴῳ quod vocatur φλόγιον sed silvestre dumtaxat florere ait, id est, cum illa viola, de qua præcessit, id est, alba. Plinius accepit de ea viola, quæ proprie ἴον nominatur & purpurea est. Contra mentem plane Theophrasti. Nam paulo post ejus violæ meminit & μέλαν ἴον appellat, quæ est viola purpurea: eamque non cum viola alba florem producere dicit, sed post narcissum & λείριον, qui flores etiam aliquanto seriores sunt viola alba & flammula. Plinius vero, qui in verbis Theophrasti ἅμα τῷ ἴῳ de viola purpurea jam intellexerat, non potuit in sequentibus de eadem viola intelligere, ubi μέλαν ἴον vocatur à Philosopho, sed de nescio quo alio flore invisitato id nomen sumpsit, quod ipse etiam corrupit & *melanthion*, vel *melianthum* indigetavit. Sic enim omnes libri eo loco scribunt: *Sequitur œnanthe ac melianthum.* In indice: *de melianthο.* Atqui ne ignosci quidem illi posset, si scripsisset *melanion.* Nam violam nigram, aut purpuream debuisset dicere. Ut τὸ λευκόϊον, non leucoïon dixit Latine violam albam. Hæc sunt indubitatissima. Sequitur apud eumdem: *Codiaminon bis anno vere & autumno: æstates hiemesque fugit.* Corrupta hæc vox. Non obscuris vestigiis veræ scripturæ legitur in libris: *cochaminum*, aut *claclaminum.* Scribendum: *cyclaminum.* Hujus flores etiam in coronas admissi. Sed cyclamini in eo loco Theophrasteo, quem heic ad verbum vertit Plinius, nulla est mentio. De suo igitur heic eam interseruit Plinius, nisi dicas invenisse in codicibus Theophrasti, qui ejus tempore extabant. Athenæus tamen locum illum Theophrasti recitans ad verbum non meminit cyclamini. Inter flores στεφανωματικοὺς etiam κυκλάμινον reponit Nicander in georgicis.

Καὶ τράγιον πώγωνα καὶ εὐτραπέας κυκλαμίνους
Σαύρην τ' ἢ χθονίου στέφανος στέφος Ἡγεσιλάου.

Ita legendi hi versus. Σαύρη genus herbæ, quæ & σαυρίδιον. Hesychius: Σαυρίδιον, πόα τις καὶ σαύρη τὸ ζῷον. Non placet conjectura viri docti, qui legebat αἴρην, & de lilio accipiebat. Habes mox apud Plinium: *Seriores supradictis aliquanto narcissus & lilium trans maria, in Italia, ut diximus, post rosam.* Libri habent: *per rosam*, id est, rosæ tempore. Sub finem capitis hoc dixit: *Hic est trans maria ordo florum. In Italia violis succedit rosa: huic intervenit lilium: rosam cyanus excipit.* Rosæ lilium intervenire dicit, quod eodem tempore cum rosa floret, quod florenti rosæ intervenit. Vera igitur heic lectio *per rosam.* Sed male λείριον pro lilio in Græcis illis, quum sit genus narcissi,

A vel narcissus. Sequitur: *Nam in Græcia tardius etiamnum anemone est autem hæc silvestrium bulborum flos alia quam quæ dicetur in medicinis.* Libri legunt: *vero in Græcia.* Scribe: *Verum in Græcia tardius etiamnum anemone.* Verba Græca Theophrasti, quæ his Latinis exprimere voluit Plinius, ita concipiuntur in editis: μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος καὶ τὸ λείριον, καὶ τὸ βολβοῦ κώδιον. Nulla ibi mentio anemones. Plinius τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον pro anemone intellexit, quam silvestrium bulborum florem esse autumat, & aliam quidem à vulgari anemone. Mirum profecto anemones nomen ibi commentum esse Plinium, quod nullum in Græcis comparet. Hoc
B non mihi fit verisimile. Multo igitur verisimilius Græca in editis mutila haberi. Quod etiam clare ostendit Athenæus, qui eumdem locum Theophrasti longe aliter profert lib. xv. Sic enim ea citat: ἅμα δὲ αὐτῷ καὶ τὸ φλόγιον καλούμενον τὸ ἄγριον, ἔπειτα νάρκισσον καὶ λείριον καὶ τῶν μετὰ τριῶν ἀνεμώνης γένος τὸ καλούμενον ὄρειον, καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον. Quæ verba uncinis inclusit Dalecampius quasi expungenda. Mihi secus videtur. Ea sunt quæ Plinio anemonem suggesserunt silvestris generis & bulbosi. Vitio tamen non vacant quod sic emaculandum est: καὶ ἐκ τῶν τριῶν ἀνεμώνης γενῶν τὸ καλούμενον ὄρειον: *Ex tribus anemones generibus,*
C *quod silvestre & montanum vocatur.* Constat Plinium sic legisse. Meminit statim Theophrastus alterius generis anemones, quæ vocatur λειμωνία, id est, pratensis. At Plinius mirifico errore illud genus ἀνεμώνης montanum, & βολβοῦ κώδιον pro uno flore accepit. Propterea scripsit anemonen illam silvestrium bulborum florem esse. Quod est falsissimum. Sed quærendum ecquod genus floris fuerit illud βολβοῦ κώδιον, & quare sic dictum. Coronarium florem fuisse indicat Theophrastus: καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον. Ἐμπλέκουσι γὰρ ἔνιοι καὶ τοῦτο εἰς τοὺς στεφάνους. Placet doctissimis Herbariis narcissi genus esse quod vulgo *porrion* vocatur. Hoc divinare
D est. Saltem dicerent cur κώδιον βολβοῦ id nomen habet. Κώδιον proprie Græcis est pellis lanata. Græci grammatici interpretantur τὸ ἅμα τοῖς ἐρίοις δέρμα σκευαζόμενον: *pellem cum sua lana curatam ac præparatam.* Dicæarchus in fragmento de Pelii montis ascensu: ἀναβαίνουσι τῶν πολιτῶν ἐπιφανέστατοι καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀκμάζοντες ἐπιλεχθέντες ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐνεζωσμένοι κώδια τρίποκα καινά· τοιοῦτον συμβαίνει ἐπὶ τοῦ ὄρους ψῦχος εἶναι. In alium bulbum non potest hæc vox κωδίου præterquam in ἐριόφορον convenire. Hujus mentio apud Theophrastum lib. VII. cap. XIII. Omnes fere bulbi pluribus tunicis vestiti sunt. Hoc genus tunicas habet lanatas. Theophrastus
E de bulborum generibus ac differentiis: μεγίστη δὲ καὶ ἰδιωτάτη διαφορὰ τῶν ἐριοφόρων. Ἔστι γὰρ τι γένος τοιοῦτον ὃ φύεται ἐν αἰγιαλοῖς. Ἔχει δὲ τὸ ὑπὸ τοὺς πρώτους χιτῶνας, ὥστε ἀνὰ μέσον εἶναι τοῦ τε ἐδωδίμου τοῦ ἐντὸς καὶ τοῦ ἔξω. Tunica ejusmodi bulbi lanata plane est κώδιον. Hinc βολβοῦ κώδιον de his bulbis lanosis. Communes in Græcia fuisse atque edules testatur Theophrastus. In coronas quidam eos admittebant. Sane & florem profert elegantem & Majo quidem mense, ut Clusius asserit, qui de hoc bulbo eriophoro videndus est. De alio bulbo non potest exponi illud βολβοῦ κώδιον Theophrasti. Ita Græci vocarunt ab illis tunicis lanatis, quibus vestitus est. Id enim proprie κώδιον significat, ut dixi-
F mus. Ἐριώδης χιτών. Hæc sunt verissima & in re herbaria quantivis pretii. Ut ad narcissum redeamus, non potest idem videri esse quem Theophrastus per æquinoctium autumnum emicare narrat, & quem primo vere statim post violam albam, quæ prima omnium elucet. Et tamen, quod mirandum, non plura genera narcissi, sed unum dumtaxat statuit. Sunt & alia, in quibus secum ipse pugnat. Lib. VI. cap. VI semen narcissi magnum esse, oblongum, colore nigrum, membrana quadam veluti vasculo inclusum refert: καὶ ἐν ὑμένι τινὶ καθάπερ ἐν ἀγγείῳ καρπὸν μέγαν δὲ μάλα καὶ μέλανα τῇ χροιᾷ σχήματι δὲ προμήκη. De semine,
G non de flore hæc intelligi debere planum est. Id semen deciduum plantam ipsam sponte producere ibidem subjicit. Inde αὐτοφυὲς quidam narcissum vocarunt, ut ex Neophyto constat. Dioscorides de narcisso: καρπὸς ὡς ἐν ὑμένι μέλας, προμήκης. Quæ verba videtur hausisse ex Theophrasto. Idem tamen

Theophrastus

Theophraſtus lib. VII. cap. XII nullum ſemen narciſſum ferre ait quod conſpicuum ſit: πλὴν οὔτε καυλὸν ἕτερον ἔχει παρὰ τὸν τοῦ ἄνθους οὔτε καρπὸν φανερόν: ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἄνθος ἅμα τῷ καυλῷ καταφθίνει. De quodam genere narciſſi hoc etiam tradunt neoterici nullum ſemen in eo ſe obſervaſſe. Addit etiam Theophraſtus in eo narciſſo folia tum primum incipere ſurgere, cum flos emarcuerit: καὶ ὅταν ἀπανθήσῃ τότε τὰ φύλλα ἀνατέλλει. Male vertunt: *& cum refloreſcit, tunc folia exeunt.* Immo cum flos marcidus factus ſit. Notat Cluſius de quodam autumnali narciſſo, cui flore jam flaccido folia emergere incipiunt. Theophraſtus cap. VI. lib. VI, narciſſum illum ſerotinum latioribus foliis eſſe indicat: τὸ μὲν ἐπὶ τῇ φύλλον ἀσφοδελῶδες ἔχει: πλατύτερον δὲ πολὺ καθάπερ ἡ κρινωνιά. Hoc latifolium narciſſi genus, foliis pæne lilio ſimilibus. Autumnalem & ſerotinum facit hunc narciſſum, cui & ſemen grande tribuit. At capite ſequenti de alio narciſſo intelligit, quem inter flores primulo vere prodeuntes enumerat. Sed & lib. VII. cap. XII diſerte videtur præcocis narciſſi genus agnoſcere, ſi recte legantur ejus verba: τοῦ ναρκίσσου δὲ ὁ τοῦ ἄνθους μόνον εὐθὺς τοῦ πρῴρου ἄνθος. In narciſſo, cujus flos præcox eſt, caulem eum tantum exire dicit qui florem fert, nullum præter eum proferre caulem. Sic ea verba legenda. Eodem capite & narciſſo folium στενὸν aſſignat, quum alibi πλατύτερον daret, quod de alio genere narciſſi intelligendum. Narciſſum, ut dixi, alibi eumdem facit cum λειρίῳ, alibi ſeparat, ubi utrumque inter præcoces flores recenſet. Eodem capite duo genera λειρίων agnoſcit, unum quod cum narciſſo inter primos vernos exit in lucem: alterum autumnale quod cum pluviis primis ab æquinoctio exoritur: τὸ δὲ λείριον τὸ ἕτερον, καὶ ὁ κρόκος ὅ τε ὀρεινὸς ὁ σποριμος, καὶ ὁ ἥμερος, εὐθὺς γὰρ ἀνθοῦσι τοῖς πρώτοις ὕδασι. Hoc ſecundum λείριον idem fortaſſe eſt cum narciſſo illo autumnali, cujus meminit capite præcedenti, cujus & deſcriptioni ſtatim croci hiſtoriam ſubjunxit. Νάρκισσος autem & λείριον idem, ut etiam ibi teſtatus eſt. Plinius ubique λείριον vertit *lilium*, magno errore. Ceterum ubi Theophraſtus dixit de floribus autumnalibus τὸ δὲ λείριον τὸ ἕτερον καὶ ὁ κρόκος, Plinius, ubi Latine poſuit: *Tertium genus lilii & crocum.* Atqui non tria genera λειρίων apud Theophraſtum eo capite, ſed duo tantum deſcribuntur, unum in vernis floribus cum narciſſo memoratum, alterum cujus heîc meminit cum croco inter autumnales. Plinius vero ideo tertium lilii genus dixit, quia tria lilii genera fecit & λείρια confudit cum κρίνοις. Idem autem narciſſi hiſtoriam partim ex Theophraſto, partim ex Dioſcoride contexuit. Sic tria narciſſi genera conſtituit, unum ex Theophraſto, quem eumdem eſſe credidit cum lilio purpureo ejuſdem Theophraſti. Cui duo alia genera addidit ex Dioſcoride ſumpta, unum purpurei calicis, alterum helvacei, ſive crocei. Verba iterum videamus: *Sunt & purpurea lilia aliquando gemino caule, carnoſiore tantum radice, majoriſque bulbi ſed unius: narciſſum vocant. Hujus alterum genus flore candido, calice purpureo. Tertio generi calix herbaceus, omnes ſerotini.* Legendum, *helvaceus*, ut jam alibi ſignificavimus. Theophraſtus illo capite unius tantum narciſſi mentionem fecit. Plinius putavit illud eſſe lilium purpureum, cujus in eodem capite mentio. Hic igitur primus narciſſus Plinii totus purpureus ex verbis Theophraſti perverſe acceptis formatus. Dioſcorides porro narciſſum in duo genera dividit: ἐφ᾽ οὗ ἄνθος λευκόν, ἔσωθεν δὲ κροκῶδες, ἐπ᾽ ἐνίων δὲ πορφυροειδές. Interius illud κροκῶδες & πορφυροειδὲς in narciſſis calix eſt purpureus vel croceus. Nam in modum calicis illud medium in narciſſo plane factum eſt. Alii purpureum habent, alii croceum. Neophytus κοῖλον vocat illum calicem: ἐφ᾽ ᾧ ἄνθος λευκὸν ἐν μέσῳ, κοῖλον ἔχον κροκώδη, ἐπ᾽ ἐνίων δὲ πορφυροειδῆ. Fruſtra ſunt, qui Plinium reprehendunt, quod partem illam in narciſſo vocaverit *calicem*. Turcæ hodie narciſſum ab illo calice vocant *ſerin cade*, id eſt, regium calicem. Mirum vero Hiſpanos hodie narciſſum nominare *lirio blanco*, voce plane Græca, & hujus floris propria. Etenim λείριον vocant narciſſum. Idem Plinus lib. XXI. cap. XIX duo tantum genera narciſſi ex Dioſcoride deſcribit: *Narciſſi duo genera in uſum medici recipiunt purpureo flore, & utrumque helvaceum.*

A Sic etiam ibi ſcribendum, non *herbaceum.* Utrumque flore candido, ſed alterum calice purpureo, alterum croceo, vel helvaceo. At tertium illud genus purpureum totum, quod idem fecit cum lilio purpureo, hic omiſit. Calices ſane illi etiam flores ſunt. Nam apices lutei in roſa & lilio floris nomine etiam auctoribus vocantur. Hinc διανθῆ Theophraſto flores ejuſmodi, qui luteos apices in medio habent: λέγω δὲ διανθὲς ὅσα ἕτερον ἐν τῷ ἄνθει ἔχει κατὰ μέσον. Serotinos illos omnes eſſe narciſſos perperam ibi pronuntiat Plinius capite ſequenti inter vernos flores, & initio quidem veris in auras exeuntes commemorat narciſſum. Parum etiam circumſpecte idem Plinius tria genera lilii in ſuo indice

B proſcripſit, cum ex tertio genere quod eſt purpureum, narciſſi primum genus fecerit, & tamen idem tria quoque genera narciſſorum conſtituit. Atqui ſi tria genera ſunt liliorum, duo tantum erunt narciſſorum, & contra. Nam lilium purpureum aut a narciſſis erit ſeparandum, ſi liliis adjudicabitur: aut narciſſis jungendum, ſi liliorum generi adimetur. De purpureo lilio nunc videndum. Athenæus: τὰ κρίνα φησὶν ὁ Θεόφραστος εἶναι καὶ πορφυρανθῆ. Talia non vidit Theophraſtus, ſed audiſſe ait eo colore reperiri. De his purpureis liliis longe convenientius, quam de rubris hyacinthum fabularem

C poſſemus interpretari. Ovidius:

---- formamque capit quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Quis non purpureum lilium heîc deſcribi ſub hyacinthi nomine dicat? Multa tamen adhuc obſtant. Purpureum illud lilium veteribus pæne incognitum. At notiſſimus ille hyacinthus. Theophraſtus tantum non dubitat an ſit in rerum natura tale lilium: εἴπερ δὴ καθάπερ φασὶν ἔνια καὶ πορφυρᾶ. Dioſcorides: φασὶ καὶ γεννᾶσθαι κρίνου ἄνθος πορφυροῦν. Alii omnes auctores duo tantum lilii genera agnoſcunt, candidum ac rubrum. Tertullianus: *& utriſque liliis coroneris.* Si ullum purpureum

D lilium, non aliud poteſt eſſe præter illud lilii genus ſilveſtris, quod vulgo *martagonem* vocant. Et ſane eſt. Non tamen ei convenit ut ſit hyacinthus veterum. Purpureus quidem eſt, ſed maculis nigris notatus, non lineis diſtinctus, quales in hyacintho ſuo priſci notarunt. Præterea Nicander auctor graviſſimus & antiquiſſimus αἰαστὴν ὑάκινθον iridi ſimilem facit. Non iris eſt, nec lilium, ſed iridi ſimilis. Ergo eſt ξυρίς, ſive gladiolus. Nullus enim flos iridi ſimilior. Quod & veteres confirmant reapſe. Palladius: *Hyacinthus, qui iris vel gladiolus foliorum ſimilitudine dicitur.* Apud Plinium libri ſcripti in indice *hyacinthium gladiolum* nominant.

E *Lychnis med.* VII. *Gladiolus hyacinthius med.* VIII. In ipſo tamen libro legitur, *gladiolus comitatus hyacintho.* Quid igitur faciemus Ovidio, qui nulla alia re hyacinthum diſtare a liliis canit niſi colore? Græcos poëtas in ea fabula ſequutus eſt, qui voces λείριον & κρίνον latiſſime accipiunt. Non dubito in Græcis fuiſſe hyacinthum ὅμοιον κρίνῳ. Sic Heſychius lilium rubrum, quod κυνόροδον dicebatur, ὅμοιον ὑακίνθῳ eſſe notat. Vetus Lexicon hyacinthum nigrum eſſe lilium interpretatur: ὑάκινθοι τὰ κρίνα τὰ μέλανα. Quin & iridem ipſam quidam ex recentioribus Græcis appellarunt κρίνον, & χαμαίκρινον.

F Neophytus: Ἶρις ἰλλυρική, ἡ ῥίζα τοῦ πορφυροῦ κρίνου. Hoc lilium purpureum longe diverſum a lilio Theophraſti purpureo, & martagone Mathioli. Iris plane eſt purpurea. Idem alibi notat vulgari Græcorum lingua iridem dictam fuiſſe κρίνον ὀξὺ his verbis, Ἶρις, οἱ δὲ ἶρις ἰλλυρική, οἱ δὲ ξιφίον, κοινῶς κρίνον ὀξύ. Vides iridem nomine lilii etiam appellatam recentioribus Græcis. Duplex itaque hyacinthus, unus medicorum, quem deſcripſit Dioſcorides, alter poëtarum, quem αἰαστὸν vocavit Nicander. Nec mirum. Porro idem nomen diverſi generis plantis impoſitum à Græcis. Hoc in aliis multis uſu veniſſe notavimus ſupra. Sic ἀνδράχνη

G herba & arbor. Et nugantur, qui ſubtracta una litera diverſum facere nomen alterius voluere. Nec melius Plinius qui ἀνδράχλην de arbore maluit dicere. Nam Attici, qui N in Λ mutant, utramque ſpeciem ἀνδράχλην dixere. Unde hodieque Græci vulgares ἀντράκλαν vocant portulacam ex ἀνδράχλη corrupto vocabulo. Gloſſæ Herbariæ: Ἀνδράχνη τὸ σπέρμα τῆς ἐγκλεισρίδος, ἤτοι τῆς ἀντράκλας. Lege: ἐγκλυσρίδος. Ita enim

enim Græci Byzantini vocarunt portulacam. Neophytus: Ἀνδράχνη, Βυζάντιοι ἐγκλυσείδα. Et in Lexico: Ἀνδράχνη, ἡ ἐγκλυσεὶς, ἢ τζετζινικία, ἢ τζαύλη λέγεται. Ita ἀλόη myrepsica, & ἀλόη catarthica. Et alia infinita numero. De altero hyacintho fabulari vetustissimorum Græcorum scripta intelligenda sunt, non de vulgari & Dioscorideo. Theophrastus ὑάκινθον cum xiphio jungit lib. VII. cap. VII. Καὶ τῶν ἀγρίων ὅ τε ἑλίχρυσος, καὶ τῆς ἀνεμώνης ἡ λειμωνία καλουμένη, ἢ τὸ ξίφιον, καὶ ὁ ὑάκινθος. Inter agrestes flores hyacinthum hunc recenset. Unde & ἄγρια ἴρις vocabatur, ut à sativa distingueretur. Dioscorides quoque cum xiphio ξυρίδα descripsit. Ξίφιον autem Græcorum non est gladiolus Romanorum, sed ξυρὶς, quæ est hyacinthus Theophrasti, à quo etiam numeratur inter montanos & agrestes flores: ἢ σχεδὸν ὅσοις ἄλλοις χρῶνται τῶν ὀρείων. Et sane videmus hunc hyacinthum, sive gladiolum passim nasci etiam in summis muris, & maceriis, quibus modo aliquid terreni subest. Paulo post tamen idem duo genera facit ὑακίνθου ἀγρίας & σπαρτῆς, *agrestis & sativæ.* Seritur etiam in hortis gladiolus, qui est hyacinthus, & sponte provenit passim. Quemadmodum autem flores & herbæ cognomines, licet diversi generis, ubique ab auctoribus confunduntur, ita etiam utramque hyacinthum confundunt. Servius ad tertiam Eclogam, qua lilium esse rubrum notavit, quod de antiquo hyacintho accipiendum. Idem ad illud Æneidos:

---- *& languentis hyacinthi.*

Languentem hyacinthum exponit, quod non sit nimis acuti coloris. Quod de vulgari, novitioque hyacintho debet intelligi, qui purpurei quidem est coloris, sed dilutioris, nec satis acuti, & in cæruleum vergentis. Hinc Dioscorides de hoc hyacintho dicit florem eum habere πορφυροειδῆ, id est, ad purpuram inclinantem. At ξυρίδα, quæ antiquus est hyacinthus, ἄνθος πορφυροῦν ei tribuit. Πορφυροειδὲς est purpurascens, πορφυροῦν purpureum. Latini *vaccinium* nominarunt Græcorum ὑάκινθον, nempe illum μυθικὸν, qui niger est, & colore atræ purpuræ infectus. Virgilius:

Et nigræ violæ sunt & vaccinia nigra.

Et alibi:


---- *vaccinia nigra leguntur.*

Hoc est etiam vaccinium, de quo purpuræ elegantis color conficiebatur apud veteres. Vitruvius: *eadem ratione vaccinium temperantes & lac miscentes purpuram faciunt elegantem.* Gladiolus inquam hic noster est, non vulgaris hyacinthus, qui purpureo colore nisi admodum pallescente non potest tingere. At memini me puerum ex floribus gladioli contusis chartas pingere purpura eleganti. Hic est hyacinthus, quo & chymici auctores utuntur ad tingendas vitreas gemmas hyacinthino colore, & ad hyacinthos faciendas. Zosimus: ἐπὶ τῆ ὑακίνθων, ὑακίνθου πόα, καὶ ἰσάτιδος ῥίζα συνεψομένη, ἐπὶ τῆ λυχνίτου ἄγχουσα, ἢ αἷμα δρακόντειον. Et paulo post: ἐπὶ ὑακίνθου τῆ πόαν ὑάκινθον, ἢ μέλαν Ἰνδικὸν, ἢ ἰσάτιδος ῥίζαν. Plinius in Gallia vestes servitio-

A rum vaccinio tingi ait purpureo colore. Quod huic hyacintho convenit, in quem versum esse hyacinthum puerum poetæ fabulantur, non hyacintho Dioscoridis. Eos tamen confudit Plinius. Vaccinia aquosis gaudere dicit. At hyacinthus Theophrasti τῶν ὀρείων est, amatque montana. Sed illud vaccinium Dioscoridis est ὑάκινθος, quo & mangones utebantur ad pubertatem vænalium coërcendam. Lib. XVI. cap. XVIII. *Item vaccinia Italiæ mancupiis sata, Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes.* Ideo *satam mancupiis* dicit, quod mancupiorum pubertatem tardaret, idque utile erat mangonibus ut quam diutissi-
B me vænales suos impubes conservarent. Idem tamen Plinius lib. XXI. cap. XXVI. quasi hyacinthus alius sit à vaccinio, de eo similiter ita tradit: *Hyacinthus in Gallia eximie provenit. Hoc ibi locorum hysginum tinguunt. Radix ejus bulbacea mangonibus vænaliciis pulcre nota.* Addit ibidem causam, quia pubertatem vænalium coercet ex vino illitam, nec pilos patitur erumpere. Quia apud alium auctorem de vaccinio superius citata invenit, apud alium ista de hyacintho, ideo putavit diversa more suo. Atqui eadem sunt, & hyacinthus idem cum vaccinio. Sed hyacinthus, sive vaccinium, quo in Gallia hysginum inficitur, vel purpu-
C ra tingitur, gladiolus est, & hyacinthus cælestis nominis, ut loquitur Columella. Nemo quippe dicere ausit hyacintho vulgari hysginum posse tingi. Hyacinthus autem ille, cujus radix nota mangonibus, tardandæ & coercendæ pubertati mancupiorum, ὑάκινθος est Dioscoridis & vulgaris. De quo Dioscorides: σὺν οἴνῳ καταπλασθεῖσα ἐπὶ παίδων ἀνήβους τηρεῖν πεπίστευται. Neophytus hunc etiam à Romanis vaccinium appellatum notat: ὑάκινθος, Ῥωμαῖοι βακκινίουμ. Sed, ut dixi, eos flores ex nominis errore confuderunt. Idem Plinius lib. XXI. cap. XI hyacinthum gladiolo dat comitem ex Theophrasto: *deinde alterum ge-*
D *nus anemones, quæ limonia dicitur, post hanc gladiolus comitatus hyacintho.* Ille gladiolus, quem comitatur hyacinthus, ξίφιον Theophrasto vocatur, diversum utique à gladiolo Dioscoridis, quem ξυρίδα vocat, & cum xiphio jungit. At ξυρὶς Dioscoridis est ὑάκινθος Theophrasti, sicut jam docuimus. Tradit ibidem hyacinthum diutissime durare, quod hyacintho communi non convenit, sed hyacintho gladiolo, quem hoc nomen invenisse tradit Palladius à similitudine foliorum gladioli, hoc est, ξιφίου vel iridis. Plura non addam, ubi correxero verba Dioscoridis de xyride, sive hyacintho nominis cælestis: καρπὸς δὲ φυλακίοις σι-
E κύοις ὁμοίοις στρόγγυλος, μέλας. Ita reponendum ex antiquissimi codicis auctoritate. Vulgo enim legitur: κυάμοις ὅμοιος, στρόγγυλος, ἐρυθρός. Atque hæc hactenus. Cœpta & instituta hæc exercitatio de tumulis in flores exiit. Quod non adeo alienum & disconveniens videri debet. Quod olim veteres factitarunt, tumulos nempe adspersimus hyacinthis. Certe fabulam sequuti sumus, quæ ex Hyacinthi & Ajacis sepulcris eos olim excitavit.

CAPUT LVI.

Babylon. Deinde recursus ad Oceanum Atlanticum, in quo insulæ Gorgades, Hesperides, Fortunatæ.



Pag. 62. F. *Chaldææ genti caput Babylonia.*] Ita omnes libri. Vulgo omnes editi: *caput Babylon est.* Ceterum *Babyloniam* pro Babylone etiam dixit Martianus ex hoc loco: *Sed Chaldææ gentis Babylonia caput est.* Servio quoque *Babylonia* de urbe: *Unde juxta Babyloniam quia frequentia cadunt fulmina hac re lacus abundant.* Item apud Justinum Trogi abbreviatorem lib. I. de Semiramide: *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit.* Nusquam tamen apud Græcos auctores Βαβυλωνίαν legas nisi de provincia, sed nec apud antiquos Latinos. Plinius

F *Babylonem* hoc ipso loco vocat, quem Solinus exscripsit: *Babylon Chaldaicarum gentium caput.* At *Babylonia* cognomentum fuit illius Seleuciæ, quam in confluente Euphratis fossa perducti, atque Tigris condidit Seleucus, haud longe à Babylona, cujus vicinitate exhausta est Babylon, & in solitudinem redacta. De ea Plinius: *Quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui juris, Macedonumque moris.* Eam ubique idem Plinius *Seleuciam Babyloniam* nuncupat, ut cap. XXVII. lib. VI. *Citra Seleuciam Babyloniam* CCXXV. *passuum.* Ita legendum conjunctim, non, ut
G in postremis editionibus excusum est: *citra Seleuciam Babyloniam.* Et paulo post eodem capite: *abest à Seleucia Babylonia* CCCCL. M. P. Ex regione, in qua condita

fuit, hoc cognominis iſta Seleucia accepit, ad diſcrimen ceterarum Seleuciarum. Seleucia igitur Babyloniæ dicta eſt Σελεύκεια Βαβυλωνία, ut Seleucia Pieriæ cognominata eſt Σελεύκεια Πιερία. Ptolemæus hujus meminit. Sic Καισάρεια Καππαδοκία, *Cæſarea Cappadociæ*, ut diſtingueretur ab aliis urbibus eodem nomine. De qua ſupra. Stephanus in voce Καβησσὸς, Μάζακα δὲ ἡ Καππαδοκία ἐκαλεῖτο Καισάρεια, id eſt, *Cæſarea Cappadocia.* Ita & Antiochia Piſidiæ dicebatur Ἀντιόχεια Πισιδία. *Antiochia Piſidia* in Tabula Peutingeri. Eodem prorſus modo & *Antiochia Syria* appellata eſt ea Antiochia quæ in Syria ſita erat, ut hoc cognomento diſcerneretur ab aliis Antiochiis. At Pomponius Mela, quum legiſſet Ἀντιόχειαν Συρίαν, quæ Antiochia eſt cognomento *Syria*, putavit ille contra Syriæ partem quamdam cognominatam fuiſſe *Antiochiam.* Qui non levis eſt error. Lib. I, cap. XI inter Syriæ nomina, ut Cœlen, & Judæam, & Palæſtinam, ita & *Antiochiam* ponit: *Et ubi ſe Cilicia committit, Antiochia olim.* Et capite ſequenti: *in eo prima eſt reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur.* Plinius eum etiam ſequitur. Atqui apud neminem veterum invenire eſt partem aliquam Syriæ nominatam Antiochiam. Sed Antiochiæ, quæ in Syria fuit, cognomen additum Syriæ, & dicta eſt *Antiochia Syria*, ut *Antiochia Piſidia*, quæ in Piſidia ſita erat. Ita & *Seleucia Babylonia.* Quum igitur *Babyloniam* pro Babylone urbe dixit Solinus, confudit cognomentum Seleuciæ cum Babylonis nomine. Nam & quidam Babylonem, poſtea Seleuciam dictam eſſe tradiderunt, quia ſcilicet propter vicinitatem Babylon in Seleuciam tranſmigravit, & eodem tempore deſerta illa, hæc amplificata & aucta fuerit civibus. Stephanus: Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις, μητρόπολις, Σελευκία καλουμένη. Diverſa tamen Babylon à Seleucia. Sic Nicomediam olim appellatam *Aſtacon* auctores quidam ajunt, quia poſt excidium Aſtaci Nicomedia in vicino condita, & ex ruinis ejus inſtaurata eſt, civibus Aſtaci in novam urbem tranſire juſſis. Hoc idem & in aliis factum invenies. Auctor vetus apud Suidam Babylonem eamdem facit cum Nino, quæ eſt Νινευὶ in ſcriptura ſacra. De Semiramide: περιέθηκε δὲ καὶ τείχη πρώτη τῇ Νινευὶ, μετονομάσασα ταύτην Βαβυλῶνα. Sed longe diverſa urbs Νῖνος à Babylone. Ea fuit Aſſyriorum caput, à Medis everſa ac diruta, quum eorum imperium occuparunt. Ptolemæus tamen Νῖνον in Aſſyria recenſet tanquam tum quoque extantem, quæ nulla jam erat ſub imperio Medorum, ut omnes auctores teſtantur. Sic Perſæpolin in Perſide ponit, quam Alexander incendit, cujus nulla veſtigia tunc temporis extabant. Tabula tamen Peutingeri Perſepolis habet mentionem: *Perſepolis commercium Perſarum.* Quod profecto mirandum. An Perſæ, poſtquam imperium Parthis ademerunt, ſibique reſtituerunt, eam quoque urbem inſtaurarunt? Quærendus auctor qui hoc memoret: altum enim ſuper hac re & Perſepolis nomine apud recentiores ſilentium. Nec moror Ammianum Marcellinum, qui & Perſepolin inter urbes primarias Perſidis numerat. Habet ille hoc ut omnia à Ptolemæo. Hæc eſt porro Seleucia Babylonia quam Σελεύκειαν ἐπὶ Τίγρει Græci auctores plerumque nominant, quam & eamdem eſſe cum Choche omnis turba recentioris ævi autumat. Ammianus lib: XXIIII. *Choche, quam Seleuciam vocant.* Zoſimi verba ita legenda ſunt: Χώχης, νῦν δὲ Σελευκείας ὀνομαζομένης. Atqui Seleucia urbs fuit ampliſſima, Choche vicus haud longe à Seleucia. Arrianus apud Stephanum: καὶ βασιλεὺς δὲ ἐξελαύνει ἐκ Σελευκείας οὐ πρόσω τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τίγρητος ἐς κώμην ᾗ τινὶ Χώχη ὄνομα. Hujus etiam mentio apud Hellanicum verbis, quæ Stephanus adduxit in voce Χαλδαῖοι ſic corrigendis: Ἑλλάνικος δὲ φησὶν ἐν πρώτῳ Περσικῶν, ὅτι Κηφέως οὐκέτι ζῶντος, στρατευσάμενοι ἐκ Βαβυλῶνος, ἀνέστησαν ἐκ τῆς χώρας, καὶ τὴν Χώχην ἔσχον. Gregorius quoque Nazianzenus ex recentioribus *Chochen* plane diverſam ſtatuit à Seleucia. Hic enim tradit oratione ſecunda in Julianum Cteſiphontem & Chochen quaſi unam videri urbem, quod amne interfluo tantum ſeparentur. De Cteſiphonte: ποιεῖ δὲ αὐτὴν ὀχυρωτέραν, καὶ φρούριον ἕτερον, ᾧ προσηγορία Κώχη, μετὰ τῆς ἴσης ἀσφαλείας συγκείμενον, ὅση τε φυσικὴ καὶ ὅση χειροποίητος, τοσοῦτον ἑνούμενον, ὡς μίαν πόλιν δοκεῖν ἀμφοτέρας, τοῦ ποταμοῦ μέσῳ διειργομένας. Cteſiphon in ripa Tigridis orientali ergo Choche in occidentali, fluminis alveo inter utramque medio. At Cteſiphontem ſcribit Plinius tertio lapide à Seleucia conditam eſſe. Non poteſt igitur eadem eſſe cum Choche. Stephanus: Χώχη, κώμη πρὸς τῇ Τίγρητι. Seleucia ipſa etiam ad Tigrim, ſed tribus milibus paſſuum ſupra ſita adverſo flumine euntibus, inter Tigrim poſita, & foſſam ex Euphrate perductam. Quod & Ptolemæus indicat his verbis de Euphrate: ἡ δὲ τοῦ Εὐφράτου θέσις καθ' ἣν σχίζεται, εἰς δὲ τὸν διὰ Βαβυλῶνος ῥέοντα, καὶ τὸν διὰ Σελευκείας. Idem Ptolemæus Κώχην urbem recenſet, ſed in Arabiæ deſertæ mediterraneo eam metatur. Falſi igitur auctores illi, qui Seleuciam eamdem cum Choche faciunt, ut & illi qui Seleuciam & Babylonem confundunt. Nec melius ſtatuunt qui *Babyloniam* dicunt quæ eſt Babylon, ut Solinus & Juſtinus, & qui eos ſequuti ſunt. Peutingeri quoque Tabula urbem nomine *Babyloniam* in regione Babylonia ponit. Nec enim hilum eos juvat, quod Seleucia illa, in cujus nomen tranſiſſe Babylonem quidam auctores ſunt, *Babylonia* fuerit cognominata. Nam ne ipſa quidem illa *Seleucia* recte per ſe diceretur *Babylonia*, haud ſane magis, quam *Syria* pro Antiochia Syriæ: aut *Piſidia* pro Piſidica Antiochia: vel Pieria pro Seleucia Pieria. Magnopere etiam erravit Ptolemæus, qui Κώχην in Arabia deſerta ponit. Quum enim nullam aliam Κώχην agnoſcat, de illa celeberrima Choche intellexiſſe putandus, quam alii Κώχην, alii Χώχην dixere. Chochen & Cteſiphontem Parthici regni celeberrimas urbes eſſe tradit Sextus Rufus in Breviario. Ex eodem atramento eſt, quod Κωμόπολιν urbis nomen proprium in Aſſyria facit: Δηγία, κωμόπολις. Apud auctorem, unde hæc ſumpſit, ſcriptum liquet fuiſſe, Δηγία κωμόπολις. Quod ille pro duobus oppidis, aut vicis accepit. At κωμόπολις eſt vicus mœnibus ſeptus, quales multæ in Babylonia & Aſſyria fuere. *Burgos clauſos*, aut *burgadas* hodie dicimus. Paſſim earum mentio apud Iſidorum in manſionibus Parthicis, qui κώμας & κωμοπόλεις, & πόλεις nominat. Κωμόπολις plus eſt quam κώμη, minus quam πόλις. In Babylonia: εἶτα βασιλεία Ἀρτέμιδος Ἱερὸν Δαρείου κτίσμα κωμόπολις. Ita ſcribendum, non Κωμόπολις, nec pro nomine loci proprio accipiendum. Et paulo poſt: εἶτα Ἀπὰν κωμόπολις. Item: παράκειται δὲ τῇ Ἐφαλίγα κωμόπολις Ναβαγάθ. Sed de his alibi.

Semirami condita.] Ita veteres, & ſic loquitur noſter, ut in Hiſpania: *Oliſippo oppidum Ulyſſi conditum*, & in Mauritania: *Oppidum Siga, habitatum Syphaci.* De Babylone à Semiramide condita teſtantur plerique veterum Herodotus, Cteſias, à quibus accepere Diodorus, Trogus, alii. At Herennius Philo à Babylone conditam ſcripſit Beli filio. Stephanus de Babylone: κτίσμα Βαβυλῶνος, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. ταύτης γὰρ τὴν ἀρχαιότητα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος. Ita legendus ille locus ex ſcriptis codicibus, qui habent α β. Euſtathius tamen videtur legiſſe α ω, hoc eſt, χιλίοις καὶ ὀκτακοσίοις. Quod verius. Is eſt Ἑρέννιος Φίλων, quem alibi paſſim citat, & male Ἐρράνιος & Ἐρρένιος ſcribitur in editionibus. Is eſt, quem & Φίλωνα ſæpe nominat, aliubi Ἑρέννιον, aliubi Ἑρέννιον Φίλωνα laudat. Bybliensis oriundo fuit profeſſione grammaticus, & conſul factus eſt olympiade vigeſima & ducenteſima, quum annum ſeptuageſimum octavum ageret. Suidas: Φίλων, Βύβλιος γραμματικὸς, οὗτος γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων ἐγγὺς Νέρωνος, καὶ παρέτεινεν εἰς μακρὸν, ὑπατεύοντος γοῦν τὸν Σεβῆρον, τὸν Ἑρέννιον χρηματίσαντα αὐτὸς εἶναι φησὶν ὅταν ἦγεν ὄγδοον καὶ ἑβδομηκοστὸν ἔτος, ὀλυμπιάδι δὲ εἰκοστῇ καὶ διακοσιοστῇ. Hæc olympias cadit in annum quartum imperii Trajani. Qua olympiade tota nullum hoc nomine conſulem invenio. Videtur igitur ſuffectus fuiſſe. Sed ſi ſeptuageſimum octavum vitæ tunc agebat, primo anno Neronis triginta annos habuiſſe oportet. Ergo tum maxime Nerone imperante floruit, non ἐγγὺς Νέρωνος χρόνων, ut dicit Suidas. Tradit ibidem hunc Herennium Philonem ſcripſiſſe περὶ βασιλείας Ἀδριανοῦ. Itaque ultra Trajani tempora vitam extendit, quum tamen octo annis ſeptuagenario major quarto Trajani anno. Vocabatur Herennius Severus Philo, ſcripſerat περὶ

περὶ πόλεων, & τὰ φοινικικά. Nam sæpe eum laudat Stephanus ἐν τοῖς φοινικικοῖς. Quorum tamen non meminit Suidas. Hic igitur Herennius Philo Bybliensis Babylonem conditam à Babylone Beli filio tradebat, qui mille ac duobus annis Semiramide anterior fuit. At Dorotheus Sidonius antiquissimus poëta qui ἀστρολογικὰ disertissimis versibus composuit, cujus testimonio utitur Firmicus, ab ipso Belo conditam Babylonem voluit,

Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα,
Ἣ τότε δ' Ἀρραβίη γείτων χθονὸς Αἰγύπτοιο.

Ubi etiam notabis Belum Tyrium, sive Phœnicium Babylonis conditorem fuisse. Sic idem fuerit Tyrius Belus & Assyrius. Quæ communis omnium veterum Græcorum sententia fuit. Scaliger diversos esse vult Belum Syrium & Assyrium, quos & nominibus distinguit. Nam Syrium *Beel*, vel *Baal* appellari: Assyrium *Bel*, qui Græcis Βῆλος. Potuit & tertium Belum fingere nempe Ægyptium. Etenim fabularis historia Græcorum Belum & Agenorem fratres fuisse tradit ex Libya & Neptuno natos. Agenorem Syriam tenuisse, Belum in Ægypto sedem fixisse, ibique regnasse. Apollodorus lib. II. Βῆλος δὲ ὑπομείνας ἐν Αἰγύπτῳ, βασιλεύει μὲν Αἰγύπτου. Huic ex Anchinoë Nili filia Ægyptus & Danaus nati. Euripides Cepheum addit & Phinea. Ὡς δὲ φησὶν Εὐριπίδης ἢ Κηφεὺς καὶ Φινεὺς προσέτι. Herodotus Musa septima Cephea Beli Assyrii filium fuisse scribit, à quo Persæ olim Κηφῆνες appellabantur, qui postea à Persæ filio Persei ex Andromeda Cephei filia dicti sunt Πέρσαι. Ergo Assyrius Belus & Ægyptius idem. Cephea autem illum Beli filium alii in Assyria & Perside regnasse volunt, unde & Κηφῆνες Persæ appellati juxta Herodotum, & Κηφηνία regio Assyriæ, quam Chaldæi postea nominati tenuere. Vide Stephanum in Χαλδαῖοι. Alii Cephea in Phœnicia produnt imperasse, & sedem regni habuisse Joppen. Nihil prohibet utrumque verum esse. Nam sub eodem fuisse olim rege regionem omnem, quæ ab ora Syriæ maritima usque ad Babylonem porrigebatur, illud indicio est, quod eodem Syriæ nomine universus ille terrarum tractus nuncuparetur. Συρίη inquam vocabatur. Hesychius: Συρίοις κύβοις: μήποτε Σύριον λέγει τὸν Πέρσην λεγόμενον διὰ τὸ Συρίαν λέγεσθαι γῆν τὴν ἀπὸ Φοινίκης μέχρι Βαβυλῶνος. Jactus quidam tesserarum vocabatur Πέρσης. Hesychius: Πέρσης, κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα. Hunc poëta Σύριον κύβον dixit, quia Syrii Persæ. Male dubitat Hesychius quod affirmare debuit. Hinc Æschylo Σύριον ἅρμα pro Assyrio vel Persico in tragœdia *Persæ*: Σύριον θ' ἅρμα διώκων. Ad quem locum interpres: ἀντὶ τοῦ Ἀσσύριον. Οἱ γὰρ Πέρσαι τὸ πρότερον Σύριοι ἐκαλοῦντο. Strabo lib. XVI Συρίας nomen à Babylonia usque ad Issicum sinum pertinuisse olim scribit, & Syrorum imperium, quod à Medis eversum est, omnia illa comprehendisse, quæ sub illam appellationem ceciderunt, Assyriam scilicet universam cum omni Syria. Οἱ δ' ἱστορήσαντες, inquit, τὴν Σύρων ἀρχὴν, ὅταν φῶσι Μήδους μὲν ὑπὸ Περσῶν καταλυθῆναι, Σύρους δὲ ὑπὸ Μήδων, οὐκ ἄλλους τινὰς τοὺς Σύρους λέγουσιν, ἀλλὰ τοὺς ἐν Βαβυλῶνι ἢ Νίνῳ κατασκευασαμένους τὸ βασίλειον. Justinus: *Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.* Immo: *Imperium Syri, qui postea Assyrii dicti sunt.* Nihil verius. Ergo Syrius *Belus* idem qui Assyrius & Tyrius: ut *Cepheus* Assyrius & Phœnicius idem. Nam Syriam Phœnices & Assyriam tenuere, quæ uno eodemque Syriæ nomine appellabatur. Nec diversus Belus Ægyptius fuit ab Assyrio & Phœnicio. Ex *Beel* contractum *Bel* quem Græci Βῆλον dixere, ut ex *Baal* per contractionem factum *Bal* Punicum. Idem quippe nomen sola dialecto differens, *Beel* & *Bel*, *Baal* & *Bal*. Africanus Belum Nini patrem facit, qui Ninus uxorem habuit Semiramidem, à qua juxta plurium sententiam condita Babylon. At Herennius Philo Babylonem Beli filium mille & octingentis annis antiquiorem Semiramide statuit. Alii historici à Nino imperium Assyriorum auspicantur, alii à Belo Nini patre, quem Hieronymus quoque eumdem facit cum Belo Tyriorum. Suidas Βεὲλ Saturnum esse dicit. Βεελφεγὼρ, Βεὲλ ὁ Κρόνος. Φεγὼρ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. Idem alio loco: Φεγωρβεὲλ, Βεὲλ ὁ Κρόνος, Φεγὼρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. In vita Isidori apud Photium Βὴλ apud Syros Saturnus esse dicitur. Οἱ Φοίνικες καὶ

A Σύροι τὸν Κρόνον Ἦλ, καὶ Βὴλ, καὶ Βολάθην ἐπονομάζουσιν. Sic idem nomen Βεὲλ & contractum Βὴλ. Idemque numen apud Syros & Assyrios hoc nomine appellatum, quem Græci Latinique Βῆλον appellarunt. In Palmyrena inscriptione Ἀγλάβηλος & Μαλάχβηλος localium numinum appellationes à Belo. Sane ut Cepheus Chaldæorum & Phœnicum idem fuit, ita & Belus quem patrem Cephei fuisse volunt. Sed de his alibi. In fragmento Berosi ubi tradit Nabuchodonosorum urbem Babylonis multis operibus ampliasse & instaurasse, ita legendus est locus quem frustra emendare voluit vir magnus: τήν τε ὑπάρχουσαν ἐξ ἀρχῆς πόλιν καὶ ἑτέραν ἔξωθεν προσχαρισάμενος καὶ ἀνακτίσας.

B Et apud Josephum quoque sic legendum: ἢ ἑτέραν χαρισάμενος ἢ ἀνακτίσας. Ita legisse fatetur Ruffinus qui vertit, *reparavit*. Vulgo scribitur ἀνασχάσας.

Tam nobilis ut propter eam & Assyrii, & Mesopotamia in Babyloniæ nomen transierint.] Falsum est Assyrios & Mesopotamiam in nomen Babyloniæ transisse, nec hoc dicit Plinius, sed partem Mesopotamiæ & Assyriæ Babyloniam appellatam esse: *Babylon Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem inter urbes obtinuit toto orbe, propter quod reliqua pars Mesopotamiæ Assyriaque Babylonia appellata est.* Et profecto semper

C diversæ ac distinctæ nominibus hæ tres provinciæ fuere Μεσοποταμία, Βαβυλωνία & Ἀσσυρία. Et sic recensentur apud Ptolemæum. Isidorus in provinciis imperii Parthici recensendis Assyriam non nominat, sed eam sub Mesopotamia comprehendit, Μεσοποταμία καὶ Βαβυλωνία. Sane & Babylonia etiam pars Mesopotamiæ fuit. Plinius: *Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa præter Babylona & Ninum.* Regio circa Babylonem proprie dicta est Babylonia, quæ pars Assyriæ erat. Ceterum nunquam tota Mesopotamia, vel Assyria in nomen Babyloniæ transiit, ut heic affirmat Solinus. Ninus urbs olim Assyriæ celeberrima, sed

D eversa à Medis nullum apud posteros vestigium sui reliquit, ut mirer Ptolemæum eam in Assyria reponere tanquam urbem adhuc extantem. Idem fecit de Persæpoli Persarum regia, quam Alexander diruit.

Muris circumdata.] Coctili latere & bitumine structis: ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου. Bitumen vice harenæ ac calcis interstratum erat. Vitruvius lib. I. cap. V. *Non enim uti Babylone abundantes liquido bitumine, eo pro calce, & arena, & cocto latere factum habent murum.* Ita legendus ille locus. Calce & arena farciebantur olim parietes, & cæmenta continebantur ut hodieque fit. Justinus de Semiramide: *Hæc*

E *Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, harenæ vice bitumine interstrato.* Ita omnes libri eo loco legunt. Atqui mirum est arenam solam nominari, quæ in parietibus aut muris struendis nunquam locum habuit absque calce. Hinc de oratione non cohærente dictum est olim, *arenam esse sine calce.* Puto omnino scribendum in Justino: *arenati vice bitumine interstrato.* Vocaverunt *arenatum* calcem cum arena mixtam. Vitruvius lib. VII. cap. III. *Sed etiam mortario collocato calce & arena ibi confusa decuria hominum inducta ligneis vectibus pisant materiam.* Paulo post sub finem capitis *arenatum* vocavit calcem

F illam, & arenam confusam, & ligneis vectibus in mortario subactam. De arenato quidem ibi loquitur, hoc est, arena & calce, qua inducebantur parietes supra trullissationem, sed in parietibus quoque struendis ad cæmenta continenda utebantur similiter arenato, sive arena & calce mixta, cujus vicem Babyloniis præstabat bitumen. Plinius de bitumine: *Calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris.* Non calcem nudam intelligit, sed calcem arenatam. Cato masculino genere dixit *calcem arenatum* cap. XVIII. *Fundamenta primum festucato, postea cæmentis minutis, & calce arenato semipedem unum quodque corium struito.* Ubi *calx arenatus*, cui arena admixta est.

G Alii *arenatum* simpliciter dixere, alii *calcem*. Nam calce nuda in structura non utebantur, sed arenata. Et notandum de calce in eo genere antiquis usurpata. Sic *calcem ultimum* in versu Varronis quidam acceperunt locum creta signatum quasi calce vice cretæ ad hoc usi sint veteres. Sed melius calcem ibi esse τὸ τέλος, τὸ τέρμα. In

veteri inscriptione *calx arenata* his verbis, quæ sic legenda sunt: *eosque parietes marginesque omnes, qua lita non erunt, calce harenata, lito politoque, & calce nuda dealbato.* Ubi *calcem nudam* vocat meram & puram, cui non admixta arena. Hinc observanda differentia albarii operis & tectorii. Tectorium fit harenata calce, vel marmorato: albarium calce mera. Vitruvius *tectorio, sive albario opere.* Et alio loco *album opus* appellat. Inde *albini* & *albarii* qui dealbant. Proprium verbum hujus operis dealbare, ut tectorii linere & polire. Græci κονιατὰς vocant tam albarios quam tectores. Hesychius: κονιῶντες, λευκαίνοντες. Et κονιατοὶ, ἀσβεστωτοὶ ἢ χριστοί. Item: κονίασις, ἀσβέστωσις. Latine *decalecatio.* Ita enim veteres loquuti. Festus: *calecata ædificia, calce polita, κεκονιαμένα, ἠσβεστωμένα.* Item: *decalecatum, calce litum.* Ita in vetustissimo libro scriptum reperi. Κονία in vetustis glossis calx exponitur. Item in Græcis: κονία, ἄσβεστος. Sed κονία cum calcem significat, τὴν κονίασιν vel χρίσιν proprie, hoc est, tectorium denotat. Quod diversæ est notionis & originis quam κονία, quæ cinerem, vel στακτὴν designat, unde & κόνις, pulvis, cinis. At κονία pro tectorio, vel calce, idem est quod χρίσις. Unde κατάχριστοι τοῖχοι, tectorio inducti parietes, & νεοκατάχριστοι recens dealbati apud Dioscoridem. Ad eam rem præcipuus usus calcis. Κωνίαν veteres dicebant quod est διάχρισιν. Nam & κωνεῖν pro χρίειν. Unde πισσοκωνῆσαι, pice linere: & πισσοκωνήτῳ μόρῳ apud Æschylum, ὅταν πίσσῃ καταχρισθέντες τινὲς ὑπὸ πυρὸς ἀποθάνωσιν. Inde κώνησις apud Aristotelem in alveis apum: quam alii κόμμωσιν dicebant. Grammatici exponunt διάχρισιν τοῦ σμήνους. Ex eo ἀκώνητον ἀγγεῖον apud Dioscoridem vas non picatum. Ita enim legendum de fuligine resinæ: εἰς κεραμεοῦν ἀγγεῖον ἀκώνητον, τουτέστιν ἀπίσσωτον. Et apud Suidam, κωνῆσαι πίθον, picare dolium. Græci posteriores κονίαν pro κωνίαν dixere. Sic κόνιον pro κώνειον in epigrammate Diogenis, ut scriptum est in antiquissimo codice:

Πρὸς γὰρ Ἀθηναίων κόνιον μὲν ἁπλῶς σὺ ἐδέξω,
Αὐτοὶ δ' ἐξέπιον τοῦτο τεῷ στόματι.

De Socrate. Ita etiam legit Suidas. Πισσοκωνία apud Herodotum ἡ διὰ πίσσης χρίσις. Alii πισσοκονίαν vocarunt per o parvum. Hesychius: πισσοκονία, ἡ νῦν πισσίδα, δι' ἧς χρίουσι τὰ περίσθμια τῶν προβάτων. Eodem sensu dixerunt & κωνίζειν, & pro eo κονίζειν. In geoponicis, ἐν ἀκονίστῳ πίθῳ, τουτέστιν ἀπισσώτῳ, quod pice non est oblitum. Hesychius: κεκώνισται, πεπίσσωται, κέκλυσται. Theocritus κεκονισμένον posuit pro κεκωνισμένον.

Κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος.

Qui versus longe alio sensu exponendus, ac vulgo interpretes accipiunt. Hedera poculum illud ambiebat per extremas oras. Quæ hedera lita auripigmento fuit, ut κισσὸς χρυσόκαρπος exprimeretur. Ἑλίχρυσος, auripigmentum. Hesychius: ἑλίχρυσος, οἱ μὲν τὸ ἀρσενικὸν, οἱ δὲ τὸ ἄνθος ἑλιχρύσου βοτάνης. Quod autem Hesychius κεκόνισται, κέκλυσται interpretatur, in hac eadem significatione posuit Theocritus:

---- κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδεῖ καρῷ.

Cera oblitum poculum. Ut igitur κονίσαι pro κωνῆσαι, ita κονία pro κωνία, ἡ χρίσις. Quo sensu & calx ita dicitur, quo linebant & inducebant parietes. Nulla in hac voce cineris, aut lixivi significatio, ut vulgo sibi persuadent harum literarum imperiti. Sed hæc alibi. Tectorium autem & albarium opus ita differunt. Qui parietes dealbant, opusque albarium faciunt, utique etiam tectores sunt. Nam & tectorium est omne opus albarium. Non omne tamen tectorium album est, sed illud duntaxat, quod nuda calce constat. *Calce harenata lito politoque.* Hæc notanda in veteri inscriptione verba. Linebant primo calce & arena parietes, deinde inductum tectorium fricabant ac subigebant liaculis, quæ instrumenta fuere levigando jam inducto tectorio. Quod Græci λειαίνειν dicunt. Inde *liaculum* λειαντὴρ exponitur in glossis. Id vocabulum jam supra restituisse memini quodam Vitruvii loco. Nunc etiam altero reponendum, qui est lib. II. cap. IV de arenæ generibus: *Recentes autem fossitiæ cum in structuris tantas habeant virtutes, hæ in tectoriis ideo non sunt utiles, quod pinguitudini ejus calx palea commixta propter vehementiam non potest sine rimis inarescere. Fluviatica vero propter macritatem uti signinum liaculorum subactionibus in textorio recipit soliditatem.* Ita legendum, non *bacillorum.* Idem lib. VII. *Id cum subactum fuerit, & bene fricatum, subtilius inducatur.* Et paulo post: *sed & liaculorum subactionibus fundatæ soliditates, marmorisque candore firmo levigatæ.* Et sub finem capitis: *cum sunt crebris politionibus subacta, non modo fiunt nitentia, sed etiam imagines expressas aspicientibus ex eo opere remittunt.* Hoc dicebant & *liare*, quod est proprie λειαίνειν, polire, levigare. Hinc *liare cisternam* tectorio polire apud Tertullianum. Et *livum parietis* apud Jurisconsultum pro tectorio, τὸ λεῖον, ut olim docuimus rescribendum pro *rivum.* Glossæ: λίον ποιῶ, *polio.* Uno verbo *lio*, hoc est, λειῶ. Arena igitur cum calce, hoc est, calx arenata, vel arenatum non in tectoriis tantum locum habuit, sed etiam in structuris ad ligandos inter se lapides, atque, ut loquitur Plinius, ferruminandos. Hoc verbo proprie significatur ἡ σιδήρου κόλλησις, sed & quælibet. Quod hodie dicimus *solidare* de his quæ invicem conglutinantur & ferruminantur, id verbi etiam olim hoc sensu usurpatum supra docuimus. *Solidati parietes tectorio* passim leguntur apud Vitruvium: quod est munire, loricare, tegere. Nam & inde *tectores* dicti quod parietes tegerent ac solidarent. Apud eumdem Vitruvium lib. VII. I *loricæ ex calce & arena.* Hinc etiam *solidare* pro farcire lacunas tectoriorum, & similium rerum. Quod & *malthare* dixerunt. Agellius lib. I. cap. IIII: *minimaque illa labes & quasi lacuna famæ, munimentis partarum amico utilitatum solidatur.* Ita rescribendus ille locus ex optimo codice regio, quod non viderunt tot egregii illi correctores, qui totum vitæ suæ tempus in Agellio emendando contrivere. Plinius vice calcis bitumine ferruminatos tradit muros Babylonis. Herodotus vero bitumen vice luti fuisse dicit in muris faciendis prima Musa: ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς, ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι: μετὰ δὲ τέλματι χρεόμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ, καὶ διὰ τῶν ἰσοδόμων πλίνθων ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, ἔδειμαν πρῶτα μὲν τῆς τάφρου τὰ χείλεα, δεύτερα δὲ αὐτὸ τὸ τεῖχος τὸν αὐτὸν τρόπον. Sic eum locum emendamus. Τέλμα est lutum. Pro calce & arena multi utebantur luto subacto & paleis mixto in parietum instructura. Ideo vicem luti bitumine fartos Babylonis muros tradit Herodotus. Palladius: *quibus copia suppetit, macerias luto & lapide excitant. Plerique sine luto congesta in ordinem saxa componunt.* Petronius:

Et paries circa palea satiatus inani
Fortuitoque luto clausos munibat agrestes.

Qui versus ita legendi sunt & exponendi. Quod enim de cespiticio pariete accipiunt, & de clavo annali strenue nugantur. Festi abbreviator: *Aceratum lutum, & paleis mixtum.* De hoc luto intelligit. Proprie autem loquutus est Petronius *parietem luto satiatum & palea* dicendo, qui fartus erat luto. Vitruvius lib. II. cap. VIII. *Utraque autem ex minutissimis sunt instruenda, ubi materia ex calce & arena crebriter parietes satiati diutius contineantur.* Ita & luto satiabantur. Fiebant & craticii parietes, qui luto inducebantur: Idem Vitruvius lib. VII. cap III. *Cum paries totus luto inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannæ clavis muscariis perpetuæ figantur, deinde iterum luto inducto si priores transversariis ordinibus fixæ sunt, secundæ erectis figantur.* De craticiis parietibus loquitur, quibus luto inductis cannarum duplex ordo adfigebatur, ut tectorium superinductum firmius adhæresceret. In muris Babyloniis inter singulos ordines laterum texta cannarum stipata erant & bitumine adglutinata. Ita enim corrigenda & intelligenda verba Herodoti superius allata: καὶ διὰ τῶν ἰσοδόμων πλίνθων ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες. *Et inter ordinariam laterum structuram texta cannarum stipantes.* Potest etiam legi: καὶ διὰ τῶν ἑκαστῶν δομῶν πλίνθου. *Inter singulas lateris structuras.* Quod ad sensum recte sic habet. Ταρσοὺς καλάμων perperam interpretantur *summitates arundinum.* Nec rectius alii viri docti, qui exponunt *areolas arundinum, super quibus lateres siccabantur.* Quod est absurdissimum. Certe ταρσοὶ etiam vocabantur viminea texta, vel harundineæ crates, super quibus siccabantur casei. Sed hoc loco ταρσοὶ καλάμων simpliciter accipiendi de textis canniciis, quæ singulis laterum ordinibus interposita erant, & bitumine oblita ad continendam structuram. Hesychius: ταρσοὺς καλάμων, πλέγματα καλάμων. Ridiculi igitur veteres illi grammatici, qui ταρσοὺς καλάμων apud Herodotum

tum exponebant de cratibus quibus impositi lateres ſiccabantur. Suidas: Ταρσοὶ καλάμων παρ' Ἡροδότῳ ἡ ταρσιὰ ᾗ ἐξήραινον τὴν πλίνθον. Ubi etiam ridiculum mendum, περσιὰ pro ταρσιὰ legitur. Unde *areolas harundineas* expiſcati ſunt viri docti. Ταρσιὰ eſt area. Sed ταρσιὰ eſt craticium textum, ſuper quo ficus & caſei ſiccari ſolebant, ἀπὸ τοῦ ταρσαίνειν, quod eſt areface- re. Heſychius: Ταρσιά, ἡ τῶν σύκων ψύκτρα· παρὰ τὸ ταρσαίνειν, ἤγουν τόπος ἔνθα ξηραίνουσιν αὐτά. Pollux: ταρσιὰ δὲ οὐ μόνον τὸ ἄθροισμα τῶν σύκων, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκ καλάμου πλέγμα, ἐφ' οὗ ψύχεται. Et alibi, τὸ ἐπὶ τῇ ψύξει τῶν σύκων πλέγμα ταρσιά. Fructus, qui ſiccabantur expoſiti ſolibus ſuper crate aut vimineo texto, ταρσαίνεσθαι proprie dicebant, ut ficus, uvas & alia. Eratoſthenes Ταρσὸν urbem inde nominatam tradidit quaſi ταρσόν, διὰ τὸ ξηρότερον τῶν καρπῶν χλωρῶν, ὅτι φθειρομένων ἐν τῷ παρακμάζειν τούτους πρώτους χλωρὸν συναγαγόντας ταρσᾶναι, καὶ εἰς τὸν χειμῶνα ἀποθέσθαι τὴν τροφήν. Ita legenda Eratoſthenis verba apud Stephanum. Lateres quoque ſuper cratibus ad ſolem ſiccabantur, ſed illi tantum, quos crudos dixere. At lateres, quibus ſtructi muri Babylonis igne cocti erant: & jam præceſſit de eorum coctura πλίνθους ὀπλήσαντες. Ubi cocti ſunt, nihil opus habent ſiceſcere & areſieri. Differentiam crudi & aridi lateris illiuſque qui coctus erat paulo poſt exponemus. Ταρσοὺς illos καλάμων apud Herodotum interpoſitos conſtat lateribus in muri ſtructura. Quod oſtendit verbum διαστοιβάζειν. Id enim ſignificat proprie ſtipam, ſive στοιβὴν interponere, ut in vaſis componendis fictilibus ſolebant, ne frangeretur. Heſychius: στοιβάζουσι, σωρεύουσι. Diximus ſupra quid eſſet στοιβή, ſtipa nempe, quæ amphoris interponebatur. Ea ut plurimum ex ſcirpo, vel papyro, quem Græci φλεὼν vel φλοῦν appellant, quemque adeo στοιβὴν propterea quidem appellarunt. Apſyrtus cap. DCCXI plane στοιβὴν & φλεῶν idem facit, ſaltem στοιβὴν ex phleo fieri indicat: Στοιβὴν ἐστιν ἡ φλεώς, ᾗ χρῶνται εἰς τὰ σάγματα ἔσωθεν τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς νωτοφόροις ζώοις, κάμνοις καὶ λειώσας. At στοιβὴ etiam ſpinæ genus, quæ φεὼς dicebatur, vel ἱπποφεώς, longe à phleo diverſa. Plutarchus in Theſeo pro ſpina poſuit: εἰς τόπον ἔχοντα στοιβὴν πολλὴν καὶ ἀσπάραγον. Et paulo poſt: καὶ Ἰωξίοι πάτελον κατέστη μήτε ἀκάνθαν ἀσπάραγου, μήτε στοιβὴν καίειν. Theophraſtus quoque multis locis φεὼν appellatam à quibuſdam στοιβὴν aſſerit. Sic dicta videtur, quod ea in acervum compoſita fullones veſtimenta pectebant. Nam στοιβὴ eſt σωρός. Suidas: τὸ παλαιὸν οἱ κναφεῖς ἀκανθῶν σωρὸν συστρέψαντες τὰ ἱμάτια ἔκναπτον· ὁ δὲ σωρὸς ἐλέγετο κνάφος. Vocabatur & στοιβή. Unde & ſpina illa, quæ talem uſum fullonibus præbebat, hoc nomen invenit. Ἰσόδομοι πλίνθοι, qui in ordine compoſite ſtructuram eam faciebant quam Latini dixere *ordinariam*. Juvenalis ſcholiaſtes: *Babylonem ſignificat Perſarum civitatem, quam condidit Semiramis Nini uxor, & coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem.* Atqui later non eſt lapis. Sed ordinaria ſtructura etiam latericia, quæ non acervatim, ſed ordine ſtructa eſt. Fiebat & ex ſilicibus, quos *ordinarios* vocat Vitruvius lib. II. cap. VIII. *Ex rubro ſaxo quadrato aut ex teſta, aut ex ſilicibus ordinariis ſtruat bipedales parietes.* Ubi ſilices *ordinarios* vocat, qui in pariete poſiti ſunt ordine, non temere congeſti. Idem paulo poſt: *ita enim non acervatim, ſed ordine ſtructum opus poterit eſſe ſempiternum.* Palladius de maceriis horti: *plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt.* Talis latericia ſtructura. Vitruvius ibidem: *Itaque non eſt contemnenda Græcorum ſtructura: non enim utuntur è molli cæmento polita, ſed quum diſceſſerunt à quadrato, ponunt de ſilice ſeu de lapide duro ordinariam, & ita uti latericia ſtruentes alligant eorum alternis coriis coagmenta.* Ergo latericia ſtructura proprie ordinaria, ad cujus exemplum & ex ſilice vel lapide duro fiebat, quem *lapidem ordinarium* dixere, diverſum utique à latere cocto. Plinius lib. XXXVI. cap. XXII. *Græci è lapide duro, vel ſilice æquato conſtruunt veluti latericios parietes, quum ita fecerint, iſodomum vocant genus ſtructuræ.* At *pſeudiſodomon* vocabant, quum inæquali craſſitudine ſtructi erant. Addit Plinius: *tertium eſt emplecton tantummodo frontibus politis.* Hæc omnia ex Vitruvio ſumpſit. Non omnes ſciunt, cur ἔμπλεκτον Græce dictum ſit hoc genus ordinariæ ſtructuræ, quod frontes tantum politos haberet. Ἐμπλέκεσθαι proprium

A verbum mulierum, quæ capillos in fronte comunt. Et quia in ſuperficie tantum ornati & implexi habentur, hinc ἔμπλεκτον vocarunt genus ſtructuræ frontibus tantum politis. Artemidorus: περὶ τοῦ κτενίζεσθαι καὶ ἐμπλέκεσθαι. Item: ἐμπλέκεσθαι δὲ γυναιξὶ μόναις συμφέρει, καὶ ἀνδρῶν ἔθος ἔχουσι. Suidas: κομμώτρια, ἐμπλέκτρια, ἡ κοσμοῦσα τὰς γυναῖκας. Ordine compoſitam ſtructuram ſive ex ſilice, ſive ex latere cocto fieret, Græcia recentior ἐσχώρηγον appellavit. Quæ vox hactenus viris doctis minime intellecta eſt. Mentio ἐγχωρήγου τοίχου apud Harmenopulum lib. II. περὶ καινοδοχείων. Et de latericio pariete accipiendus: καὶ οὕτως οἰκοδομεῖν τὸν τοῖχον,

B ἐγχώρηγον μέντοι καὶ οὐκ ἐλάττονα τὸ πάχος πήχεως ἑνός. Et capite ſequenti: τοῖχον ἐσχώρηγον, οὗ τὸ πάχος οὐκ ἔλαττον πήχεως καὶ ἡμίσεος. Latericia hoc nomine appellata teſtabitur vetus auctor apud Suidam de Semiramide: ἡ αὐτὴ ἐκκλύσασα τὸν ποταμόν, καὶ ἐντὸς τῆς κοίτης κτίσασα παλάτια ἐπὶ ὑψωμάτων ἐσχωρήγων ἠσφαλτωμένων, αὖθις ἀπέλυσεν εἰς τὴν κοίτην. Fluminis alveum κοίτην vocat. At ὑψώματα ἐγχώρηγα ἠσφαλτωμένα ſunt, quæ aliis dicuntur ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου πεποιημένα, ex latere cocto & bitumine ſtructa. Achmetis onirocritici interpres cap. CXLV. Εἰ δὲ τὸ κτίσμα ἀπὸ βησάλου, ἐγχωρήγως

C εὑρήσει καὶ οὗτος χαρὰν καὶ δόξαν, ἀλλὰ μετὰ κόπου, διὰ τὴν ἐκ τοῦ πυρὸς τῶν ὅλων ὄπτησιν. *Si ſtructura ex latere cocto fuerit in ordinem compoſito.* Βήσαλον Græcis recentioribus eſt later coctus. Ex Latino *beſſale*. Qui enim beſſales lateres fierent, abſolute dicti *beſſales*, & latercula *beſſalia*. Græcis βήσαλα. Ut ἴσικα pro *iſicia*: & Σάλσικα pro *Salcicia*. *Beſſalium laterum* mentio apud Vitruvium, qui octo uncias habent longitudinis. Ubi ſcripti libri legunt *beſales* cum uno S. Sic Græcis βήσαλα. Aliter tamen ſcribit de forma & magnitudine laterum, quibus in ſtructuris parietum utebantur lib. II. cap. III. *Fiunt autem laterum genera tria: unum quod Græ-*

D *ce* δίδωρον *appellatur, id eſt, quo noſtri utuntur, longum pede, latum ſemipede.* Hæc vitio non vacant, quod tamen vitium etiam in Plinii ſcripta tranſportarunt, qui totum hunc Vitruvii locum de lateribus exſcripſit lib. XXXV. cap. XIIII. Doron Vitruvio palmus eſt, palmus autem eidem digitorum quatuor. Quomodo igitur δίδωρος ille later dici poſſet, qui pedem longitudinis haberet, quum pes ſit ſedecim digitorum? Apud Plinium legitur: *Genera eorum tria, didoron quo utimur, longum ſeſquipede, latum pede.* Hæc etiam menſura tanto minus convenit cum didori ſignificatione, quæ octo tantum pedes colligit. Quæ ſcriptura tamen in omnibus antiquis Vitruvii codicibus reperitur. Men-

E dum igitur in dictione *didoron*. Philander *lichum* in antiquis Vitruviis fuiſſe notat. Ego in omnibus & præcipue in antiquiſſimo regio ſcriptum offendi *Lydium*, & *Lidium*. Nec aliter habet Plinii vetus lectio: *Lydion, quo utimur, longum ſeſquipede.* Non ab ullo menſuræ nomine appellatus hic later videtur, ſed à Lydiæ populis. Alias legerem *pechyum*, vel *pechyaon*, πηχυαῖον, quæ menſura eſt ſeſquipedis. Sed menſuræ nomine hunc laterem non deſignari illud indicio eſt, quod explicatur ejus magnitudo. Quod in ſequentibus aliis duobus generibus non fit, quæ menſuræ ſuæ nomen præferunt: *Ceteris duobus Græcorum ædificia*

F *ſtruuntur, ex his unum pentadoron, alterum tetradoron dicitur.* Nec aliter Plinius. Satis habuerunt dicere δῶρον Græce ſignificare palmum, quo dicto & menſura intelligitur. Ceterum lateres illi, de quibus ibi loquuntur Vitruvius & Plinius, crudi erant non cocti. Quod & Plinius eo capite diſertim monuit: *Illini quidem crates parietum luto & lateribus crudis extrui quis ignorat?* Deinde ſubjicit ex Vitruvio ducendorum hujuſmodi laterum modum, & ex quo genere terræ ducendi ſint, tum de eorum modulo, & magnitudine, quæ ædificiis idonea eſſet, publicis privatiſque. Lateres igitur illi crudi, quibus ædificia vulgo ſtruebantur tam apud Græcos quam Romanos. At ex

G cocto latere ſtructi Babylonis muri. Græci quoque inter ὠμὴν πλίνθον, & ὀπτὴν diſtinguunt. Sed & abſolute πλίνθον quum nominant, de latere crudo intelligunt. Solent quippe ὀπτὴν addere, quando coctum laterem deſignare volunt. Strabo lib. XIII tradit in Pitane Æolica τὰς πλίνθους ἐπιπολάζειν ἐν τοῖς ὕδασι.

De lateribus coctis perperam accipiunt. Tales etiam in Iberia lateres, qui in aqua fluitant: ἐν Ἰβηρίᾳ δὲ φησὶν ἰδεῖν Ποσειδώνιος ἐκ γῆς ἀργιλλώδους, ᾗ τὰ ἀργυρώματα ἐκματτεται, πλίνθους πηγνυμένας καὶ ἐπιπλεούσας. Ex terra argillacea fictos esse hos lateres tantum dicit, non etiam coctos. De crudis lateribus accipiendum esse testis est Plinius lib. XXXV. cap. XIV. *Pitanæ in Asia, & in ulterioris Hispaniæ civitatibus Massia & Calento fiunt lateres, qui siccati non merguntur in aqua.* Dicit siccatos, non coctos. Et hæc differentia inter coctos, & crudos lateres fuit, quod illi igne coquebantur, isti siccabantur ad solem. Ut minimum toto biennio expositos soli eos habere solebant, ut siccescerent. Recentius ductos non probabant. Vitruvius capite quo supra: *maxime autem utiliores erunt, si ante biennium fuerint ducti: namque non ante possunt siccescere. Itaque quum recentes & non aridi sunt structi tectorio inducto rigideque obsolidati, permanente eo ipsi sidentes non possunt eamdem altitudinem qua est tectorium tenere, contractioneque moti non adhærent cum eo, sed ab conjunctione ejus disparantur.* Ita legendus hic locus. Nam passim *solidatos tectorio parietes* apud eum legere est. Ideo Uticenses eo tantum latere, qui ante quinquennium ductus esset, in structuris utebantur. Plinius: *ædificiis non nisi bimos probant.* Non sana videtur loquutio, *bimos lateres* dici, qui ante biennium ducti sint. Præterea damnat eam vetus codex qui legit: *finguntur optime vere, nam solstitio rimosi fiunt, quos ædificiis non idoneos probant.* Sed nec satis hoc sincerum. Probantur idonei, aut improbantur non idonei. Vix autem Latinum, *quos non idoneos probant.* Forte scribendum: *quos à biennio probant*, id est, post biennium ductos. Vel etiam: *quos non nisi à biennio probant.* Vitruvius: *maxime autem utiliores erunt, si ante biennium fuerint ducti. Namque non ante possunt penitus siccescere.* Πλινθουλκεῖν dicunt Græci, à quibus Latini *lateres ducere.* Pollux: πλίνθοι, πλινθουργὸς, πλινθουλκὸς, πλινθουλκεῖν. Herodotus: ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς, ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι. *Quum duxissent laterum quod satis esset, eos in fornacibus coxere.* Dicebant & πλάττειν πλίνθους, Plinius *lateres fingere.* Sequitur apud eumdem: *quin & intritam ipsam eorum, priusquam fingantur macerari oportet.* Scio quid sit *intrita* absolute dicta. Sed heîc locum non habet. Recte vetus: *quin & intritam terram ipsam eorum.* Materiam intelligit, ex qua lateres finguntur, intritam & subactam. *Intrita terra*, ut *intritus panis*, *intritus cibus.* Alias *intritam* pro arenato etiam usurparunt, vel luto acerato, quod *mortarium* vocamus. Ex eadem materia fiebant lateres crudi. Nam & paleam cum luto in his fingendis miscebant, atque ita eos arefieri ad solem sinebant. Vitruvius: *paleaque quæ in his ponuntur, non cohærescunt propter asperitatem.* Ideo eos non ducendos præcipiunt ex arenoso, aut calculoso, aut sabuloso genere, sed ex cretosa terra, aut rubrica, vel argilla. In his quæ coquebantur, secus obtinebat. Locum Plinii quem superius adduximus, vitiosum esse omisimus admonere, ubi loquitur de lateribus Pitanæ Asianæ in aqua fluitantibus. *Pitana in Asia & in ulterioris Hispaniæ civitatibus Massia & Calento.* Massiam in ulteriore Hispania invenio nullam, quam nec agnoscunt veteres libri Pliniani, qui sic habent: *Pitane in Asia & in ulteriore Hispania civitatibus Maxilia & Canlento.* Omnino legendum, *Maxilua.* Ptolemæo Μαξίλυα. Hic locus ita excuditur apud Vitruvium, unde Plinius accepit: *Est autem in Hispania ulteriore Calentum & in Galliis Massilia, in Asia Pitane, ubi lateres quum sunt ducti & arefacti, projecti natant in aqua.* Ita ediderunt correctores pro lectione scripta quæ sic concipitur: *Est autem in ulteriore Hispania civitas Maxima, & in Galliis. Et in sania Itane.* Ubi *Maxima* pro *Maxilua* vitiose scriptum est. At sub illo *in Galliis* latet fortasse nomen illius urbis Hispanicæ, quam Plinii libri vocant *Canlentum*: quam urbem non reperio in Hispania ulteriore. Plinius *Callet* in ea provincia recenset: *Stipendiaria Callet Gallicula.* Sed mirum unicam tantum civitatem Hispaniæ ulterioris nominari Vitruvio Maxiluam, in qua lateres natant, à Plinio duas poni, Maxiluam & Callentum? Eum tamen certum est locum illum sumpsisse ex Vitruvio mutuum. An legendum in Vitruvio *& in Callais*, vel in *Gallais.* Ut Καλλαίκους populos ulterioris

A Hispaniæ intelligat, qui & Καλλαικοί. Sic sæpe *Gallicia* in libris pro *Callæcia* reperitur. Viderint hæc alii. Lateres igitur sic proprie appellati veteribus, quibus ædificia struebant, crudi erant, & ad solem arefacti. Coctos etiam adhibebant, quos *testaceos* vocat Vitruvius, ut quum Babylonios muros *testaceo latere* structos memorat lib. VIII. cap. III, hoc est, ὀπτῇ πλίνθῳ. Græci κέραμον vocant, qui semper coquebatur. Nam & domus eo tegebantur: unde & tectum κέραμον. Differentia tamen crudi & cocti lateris nominatim etiam notatur in scriptis veterum. Varro lib. I. cap. XIIII. de RR. *Quod fiunt è lapide, ut in agro Tusculano: quod è lateri-* B *bus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino.* Vitruvius lib. I. cap. V. *Sed ubi sunt saxa quadrata, sive silex, sive cæmentum, aut coctus later, sive crudus, his erit utendum.* Parietes autem latericii ἐγχώρηγοι Græcis recentioribus, quod in ordinem composita esset structura, ἐν χώρᾳ scilicet sitis omnibus lateribus. Constantinus tamen structuram latericiam ab ἐγχωρήγῳ separat cap. XXIX. Ὅτι τὸ τεῖχος τοῦ τοιούτου κάστρου οὔτε ἀπὸ βησάλων ἐστὶν ἐκτισμένον, οὔτε ἀπὸ ἐγχωρήγου, ἀλλ' ἀπὸ λίθων πετραπεδίκων. Ubi ἐγχώρηγον videtur appellare lapidem, vel silicem ordinarium, ut vocatur Vitruvio & veteri Juvenalis interpreti, qui laterem coctum cum C lapide ordinario confundit, quod etiam ex latere fieret ordinaria structura, id est, ἐγχώρηγος. Achmetis interpres: κτίσμα ἀπὸ βησάλου ἐγχωρήγως. Tria hæc vulgatissima structurarum genera apud Græcos *latericia* ἡ ἀπὸ βησάλου. Ordinaria similis latericiæ, sed ex lapide duro vel silice, quam ἐγχώρηγον vocat Constantinus. Tertia ex saxo quadrato, quam πετραπέδικον λίθον idem appellat. Quodcunque sit, *ordinaria* dicebantur τὰ ἐγχώρηγα, sive ex latere, sive ex silice structa essent. Vitruvius: *sed quum discesserunt è quadrato, ponunt de silice seu de lapide duro ordinaria, & ita uti latericia struentes alligant eorum alternis choris coagmenta.* Ita le- D gendum, non *ordinariam.* Nam sequitur: *alligant eorum alternis choris coagmenta.* Ubi *ordinaria* sunt τὰ ἐγχώρηγα, ædificia ordine structa. In melioribus ac vetustioribus libris inveni scriptum ἐγχόρηγον, non ἐγχώρηγον. Nec dubito esse verius illud. Ἐγχόρηγος structura, quod ἐν χοροῦ τάξει posita sit. Nam χορὸς ordinabatur vulgo κατὰ ζυγὸν καὶ στοῖχον. Hinc χορὸς pro ordine. Herodes in monumento Regillæ:

Καὶ χορὸς ἡμερίδων καὶ ἐλαιήεντες ἄρουραι.

Ordinem vitium sic vocat. Vitruvius quoque *choros* dixit pro ordinibus lib. II. cap. III de latericiis ædifi- E ciis loquens: *Ergo ex utraque parte ad lineam quum struuntur, alternis choris parietes alligantur.* Ita plane legitur in vetustissimo codice regio, non, ut vulgo habetur, *coriis.* Paulo ante vocavit *ordines* his verbis, quæ sic emendamus: *fiunt autem cum his lateribus semilateria, quæ cum struuntur una parte è lateribus ordines, altera semilateriis ponuntur.* Ἡμιπλίνθιον vocat *semilaterium.* Atque ita vetus codex exhibet. Ut *striga*, *semistrigium* apud Hyginum, sic *later*, & *semilaterium.* Eo autem loco *corium* non potest hærere, quod crustam & superficiem significat, non ordinem positorum laterum. Ut eodem ipso capite laterum *corium* F dixit pro superficie: *qui quum per solstitium parantur, ideo vitiosi sunt, quod summum corium sol acriter, quum percoquit, efficit ut videantur aridi.* Idem *coria* quoque pro crustis & inductionibus tectoriorum posuit lib. VII. cap. III. *Quum ab arena præter trullissationem non minus tribus coriis fuerit deformatum.* Nos vulgo *inducta* dicimus & *culcas.* Cato *corium* sic usurpavit de R. R. pro pavimenti crusta: *de calce arenato primum corium facito, id pilis subigito, idem alterum corium facito.* Quæ significatio corii non potest locum habere in laterum, vel lapidum ordinibus quibus paries struitur. Nam ibi *corium* crusta est, hic ordo laterum vel lapidum in structuris or- G dinariis aliud esse debet. Ergo *chorus* dicitur, vel *chorium.* In veteri codice apud Vitruvium lib. II. cap. VIII. *Sed nostri celeritati studentes, erectos choros locantes, frontibus serviunt*, id est, ordines lapidum. Et paulo post: *Græci vero non ita, sed plana collocantes, & longitudines chororum alternis coagmentis in crassitudinem instruentes, non media farciunt, sed è suis frontatis perpetuum & in unam*

unam craſſitudinem parietem conſolidant. Ita ibi ſcribendum ex veteri libro, non *coriorum.* Eodem capite *coria* vocat, ſed *choria* ſunt, χορὸς, χορίον. *Iſodomum dicitur, cum omnia choria æqua craſſitudine fuerint ſtructa.* Sic vocat ordines lapidum qui æquali craſſitudine ſunt in ſtructura iſodomo. Plinius *æquato lapide vel ſilice conſtructum* dicit. Idem Vitruvius pſeudiſodomum fieri ait, *quum impares & inæquales choriorum ordines diriguntur.* Plinius, *quum inæquali craſſitudine ſtructi ſunt parietes.* Hinc ἐγόρηγον opus Græcis, quod ad inſtar chori ordines habet lapidum compoſitos. Nam & *chori* ſunt ordines laterum. Græci quoque σύνομον λίθον dicunt, qui æquali ordine in ſtructuris ponitur. Σύνομος æqualem & parem ſignificat.

Urbs eſt ſexaginta milium circuitu patens.] Ita & Plinius: Herodotus de ambitu Babylonis: ἔτω ςάδιοι τῆς περιόδυ τῆς πόλιος γίνονται συνάπαντες ὀγδοήκοντα καὶ τετρακόσιοι. Plus eſt in calculo Herodoti triginta ſtadiis. Nam ſexaginta milia paſſuum efficiunt tantum quadringenta, & quinquaginta ſtadia. Sic quatuor milibus paſſuum minus dixit Plinius, quem tamen certum eſt hoc loco Herodotum ſequi. Sed ſummulam illam excurrentem inſuper habuit, ut rotundaretur numerus. At Diodorus Siculus circuitum Babylonis τετρακοσίων ἑξήκοντα καὶ πέντε ςαδίων fuiſſe dicit, quæ ſumma quadraginta & octo milia paſſuum colligit, & præterea quinque ſtadia.

Pag. 62. G. *Quorum altitudo ducentos pedes obtinet.*] Ita vetuſtiores. In aliis: *detinet.* Quod verbi hoc ſenſu ſæpe uſurpat noſter. Plinius: *ſexaginta milia paſſuum amplexa muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis.* Herodotus vero unde accepit cubitos ponit, non pedes: μῆκος δὲ πῆχυς πεντήκοντα μὲν πηχέων βασιληΐων τὸ εὖρος, ὕψος δὲ διηκοσίων πηχέων. Accepiſſe tamen ab Herodoto illud fidem facit quod adjecit idem: *in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quam noſtra.* Hoc de cubito ibidem tradit Herodotus: ὁ δὲ βασιλήϊος πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ πήχεος μέζων τρισὶ δακτύλοισι. Regius cubitus communi cubito amplior eſt tribus digitis. De pede idem ſcribit Plinius. Magna differentia eſt. Si pes regius communi pede auctior eſt digitis tribus, cubitus quoque regius duobus his pedibus regiis conſtans ſex pedes amplius in ſpatio ſuo habebit quam vulgaris. Quod ſi cubitum illum ſeſquipedem facis, quatuor pedum & ſemiſſis amplior illi fuerit menſura, quam uſitato cubito. In altitudine ac latitudine Babylonici muri definienda Herodoti ſententiam ſequi Plinius omnino videtur. Nam & ambitum urbis ex eodem auctore dimenſus eſt, quum alii auctores multo minorem ſtatuant. Ecce aliud animadvertendum. Poſteriores Herodoto ſcriptores Babylonis murum altum eſſe quinquagenos cubitos tradiderunt. Diodorus: τεῖχος κατεσκεύασε τὸ μὲν ὕψος, ὡς μὲν Κτησίας φησὶ πεντήκοντα ὀργυιῶν, ὡς δ' ἔνιοι τῶν νεωτέρων ἔγραψαν, πηχῶν πεντήκοντα. Herodotus tot cubitûm latitudinem eſſe vult, quot iſti altitudini tribuunt. Si vero cubitum duûm pedum facias longitudinis, ut multi auctores ſunt, altitudo muri Babyloniæ urbis ducentorum pedum fuerit, quot Plinius numerat. Sic recentiores potius ſequutus eſt, quam Herodotum. Immo & hunc & illos. Ex utriſque cinnum fecit. Pedes pro cubitis computavit ex ſententia recentiorum. At quod de cubitis dixit Herodotus, hoc ad pedum menſuram tranſtulit. Hoc illi in omnibus ſollemne eſt. Solet eamdem narrationem ex variis auctoribus contexere, & plerumque pugnantia componere ac miſcere. Nunc videamus an ſubſiſtere poſſint quæ ſcribit Plinius de pede Babylonio tribus digitis majore quam eſt Romanus. Nam, ut dixi, Herodotus cubitum Babylonium, non pedem, tribus digitis ampliorem tradit τοῦ μετρίου. Vocat μέτριον πῆχυν communem & in Græcia uſitatum & in Aſia. Etenim ille ex Ionia fuit. Cubitus pede & ſemipede conſtabat. Cubitus Babylonius, ſive regius tribus digitis amplior fuit quam communis Græcus, & Aſiaticus. Ergo pedem Babylonium & regium duobus digitis auctiore menſura fuiſſe oportet quam communem. Pes vulgo in Aſia uſitatus quatuor palmos, vel ſedecim digitos habebat. Igitur Babylonius & regius decem &

A octo digitorum fuerit. Pes quo communiter Aſiani & Græci utebantur, digitorum erat ſexdecim, & *Philetærius* dicebatur à Philetæro rege Eumenis & Attali patre. Hero: ὁ πὺς ὁ μὲν βαϲιλικὸς, καὶ Φιλεταίρειος λεγόμενος ἔχει παλαιςὰς δ', δακτύλυς ιϛ. Si pes Romanus totidem digitos habuit, ut paſſim video ab auctoribus ſedecim digitos illi tribui, tum Babylonius pes decem & novem digitorum fuerit, non decem & octo ut modo colligebamus ex Herodoto. Quæ tamen vera collectio eſt. Ergo heic ratio fugit Plinium. Pes Italicus ab Herone traditur tredecim digitorum ac trientis eſſe: ὁ δὲ Ἰταλικὸς πὺς δακτύλυς ἔχει τρεῖς καὶ δέκα καὶ B τρίτον. Pes itaque regius Philetærius duobus digitis ac beſſe major erat. An igitur per *pedem noſtrum* intelligit Italicum Plinius, quem tribus digitis minorem fuiſſe velit pede Babylonio, vel regio, qui digitos ſedecim habuit, ut eumdem agnoſcamus eſſe pedem Babylonium regium cum Philetærio regio. Ne hoc quidem procedit. Nec enim tribus digitis integris pes Philetærius pedem Italicum ſuperat, ſed duobus tantum cum beſſe. Sed poſſet videri hoc diſcrimen neglexiſſe Plinius, niſi alia intercederent. Scriptores omnes Romani pedem ſuum menſuralem in duodecim uncias dividunt, quarum ſingulæ digitum habent & C trientem. Sic ſedecim quoque digitis conſtat pes Romanus haud ſecus ac Philetærius. Pes Romanus dicitur *monetalis* Hygino. Differt igitur ab Italico, qui tredecim tantum digitos habuit cum triente. Olim eumdem putavi, ſed errabam. Sic aliæ menſuræ Romanæ ab Italicis diverſæ. De quo nos alibi. Minorem tamen fuiſſe liquet pedem Romanum Regio Philetærio. Quæ fuerit utriuſque differentia, ſic poteſt colligi. Plinius lib. II. cap. XXIII, ſtadium Græcorum pedes Romanos ſexcentos viginti quinque efficere prodit: *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinque.* At Philetærii pedes, ſive regii in ſtadio ſexcenti modo computantur. Hero D in Iſagoge: τὸ ςάδιον ἔχει πόδας Φιλεταιρείυς χ. Ceteri omnes Græci ſcriptores ſtadium ſexcentûm pedum eſſe definiunt. Sic vigeſima quarta parte major erat pes Græcus & Philetærius Romano, ſive monetali. Hæc eſt ſemuncia. Hyginus de Limitibus ſcribit Ptolemaïcum pedem habere menſuram monetalis pedis & ſemunciæ: *Præterea pes eorum qui Ptolemaicus appellatur, habet monetalem pedem & ſemunciam.* Idem igitur ſpatium ac modus Philetærii pedis & Ptolemaïci. Utroque autem major Babylonius, cui prope par Druſianus in Germania, qui ſeſcuncia ſuperabat pedem monetalem. Druſianum porro excedebat Babylonius ſemun- E cia. Omnium minimus Italicus. Pedes Italicos ſeptingentos & viginti continebat ſtadium. Diverſus itaque Italicus a monetali, ſive Romano. Hero: τὸ ςάδιον ἔχει πόδας Φιλεταιρείυς μὲν χ: Ἰταλικὺς δὲ ψ κ. Quocunque itaque ſe vertat Plinius, vix fugere poterit quin cum ratio fugerit, dum pedem Babylonium tribus digitis ampliorem eſſe voluit pede Romano. Non longe tamen abit. Pes regius Babyloniæ Herodoto auctore anteïbat communem Aſianum duobus digitis. Aſianus ille, qui idem cum Philetærio, longior erat quam Romanus ſemuncia. Quare pedem Babylonium Romano ampliorem fuiſſe neceſſum duobus digitis & beſ- F ſe. Tres digitos ſolidos ponit Plinius. Triente ergo digiti calculus ejus tantum improbus eſt. Notandum vero eſt apud Diodorum ex Cteſiæ ſententia tradi muri Babylonii altitudinem eſſe πεντήκοντα ὀργυιῶν, ex recentiorum autem placito πεντήκοντα πηχέων. Longum tamen utriuſque menſuræ diſcrimen. Ὀργυιὰ quatuor eſt cubitûm. Cteſias itaque cum Herodoto pariat in altitudine muri Babylonici modificanda. Nam quinquaginta ὀργυιαὶ Cteſiæ ducenta ſunt cubita Herodoti. Cteſias porro eodem ferme vixit quo Herodotus tempore. Diodorus: Κτησίας τοῖς καθ' Ἡρόδοτον χρόνοις ὑπῆρξε. In quibus verbis doctus interpres inferiorem Hero- G doto Cteſiam conſtituit. Perperam hoc ille. Quid ergo ſibi voluere recentiores ſcriptores, quos memorat Diodorus, quinquaginta cubitis eam altitudinem definiſſe, quam Herodotus & Cteſias ducentis metiuntur? An mentiuntur iſti, quum illi veritatem certius explorarint? Optime hoc ſcire potuit Cteſias qui tot

tot annos in ea aula vixit. Vereor ne ὀργυιὰν apud Ctesiam illi νεώτεροι pro cubito acceperint. Latini ὀργυιὰν vertunt *ulnam*. Glossæ: ὀργυιά, *ulna*. Duplex ulnæ notio. Quidam cubitum esse ajunt. Glossæ: *ulna*, πῆχυς. Et sane *ulna* ab ὠλένη. Quam vocem Græci quoque πῆχυν interpretantur. Alii ulnam exponunt *utriusque manus extensionem*. Ita Græci ὀργυιὰν suam modulantur: ὀργυιὰ ἡ ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις. Quam mensuram quatuor cubitis determinarunt, aut, quod idem est, sex pedibus. Hæc autem ratio est. Longissimi hominis communior longitudo sex pedes non excedit. Quantus autem modus a vertice ad calces patet, tantum esse constat inter longissimos digitos utriusque manus expansæ. Hæc extensio & expansio manuum Græce proprie dicitur ὀργυιά. Suidas: ὀργυιωμένοις, ἐκπεταμένοις. Inde apud Ctesiam in Indicis homines ὀργυιωμένοι qui manus expandunt & extendunt ad aliquid amplectendum. De calamis Indicis: πάχος μὲν ὅσον δύο ἄνδρες περιωργυιωμένοι μόλις περιλάβοιεν. *Crassitudine autem, quam vix duo homines circum manibus expansis complecti queant.* Imperite vero faciunt, qui ὀργυιὰν *ulnam* Latine reddunt. Duas habet ulnas homo. Unde *ambabus in ulnis*. Ut duo brachia, & duo cubita utriusque ulnæ extensio ὀργυιά est. Ulna autem est cubitus. *Ulnam* tamen hodie dicimus quæ longe cubito major est. Cujus mensuræ pro locis modi sunt diversi. Nullibi tamen locorum tam parva est, ut cubitum reddat. Sed de his alibi. Non enim hoc agimus nunc.

Quam mensura nostra est altioribus.] Ad oram optimi regii: *auctioribus*. Et sic in aliis quibusdam reperi. Qua voce & supra noster usus est pro amplioribus, & Florus alicubi, ut notamus alio loco.

Beli ibi Jovis templum.] Belus hîc Jupiter. Herodotus: Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον. Diodorus: ἐπὶ δὲ Διὸς ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον. Plinius: *Durat adhuc ibi Jovis Beli templum.* Alibi hunc Belum vocat *sacratissimum Assyriorum Deum.* Atque ita plerique. Saturnum esse alii volunt. Diximus supra. Quidam etiam Martem. Johannes Antiochensis περὶ ἀρχαιολογίας his verbis, quæ valde notanda sunt: μετὰ Νῖνον ἐβασίλευσε Θοῦρας, ὃν Ἄρεα ὠνόμασαν: ἦν δὲ σφόδρα δεινὸς καὶ πολεμικός, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ Ἀσσύριοι ὡς θεῷ ὀνομάσαντες αὐτὸν Βῆλον, ἤτοι Ἄρεα πολέμων θεόν. Atqui alii fere omnes Belum Nini patrem fuisse volunt, hic Nino successisse Θοῦραν, qui & Belus, idemque Mars. Eadem ferme habet Suidas in voce, Θοῦρας, sed Βαὰλ vocat quem Antiochensis Βῆλον. Ut hinc etiam constet idem esse nomen Βὴλ & Βαάλ. Verba hæc sunt: τούτῳ Θοῦρα προσεκύνησαν οἱ Ἀσσύριοι ὡς θεῷ, καὶ ὠνόμασαν αὐτὸν Βαάλ, ὅς ἐστι κατὰ τὴν αὐτῶν γλῶσσαν Ἄρης, πολέμων ἔφορος. Nino etiam successisse hunc Belum vult. Atqui alii fere omnes Belum Nini patrem tradunt. De altero igitur Nino id accipiendum. Apud alium ἀνέκδοτον de hoc Thura ita invenio scriptum: μετὰ δὲ Νῖνον ἐβασίλευσεν Ἀσσυρίων Θοῦρας, ὃν ἵνα μετεκαλέσατο ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης, ὁ τῆς Ἥρας ἀδελφός, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πλανήτου ἀστέρος Ἄρεα. Ex Africano aut Eusebio hæc desumpta non dubito. Quod ex Hieronymo constat. Ζάμης ille Ninyas Nini filius & Semiramidis. Georgius Syncellus: Νινύας, ὁ καὶ Ζάμης. Hujus filius Ἄρειος. Hieronymo & veteri chronologo *Arius*. Hic est, quem Ἄρεα vocat Johannes & Θοῦραν. Sed illud insigne de nomine Θοῦρας pro Marte, quem & in planetam Martis transcriptum dicit. Quod alibi non invenias. Rem tamen memorandam & notabilem continet. Θοῦρος, vel Θοῦρας Græcum vocabulum, & violentum impetumque significat: idem nempe quod Θοῦρος. Hesychius: Θοῦρις, βάτης. Dorotheus Sidonius poëta antiquissimus in astrologia Martis planetam sæpe Θοῦρον vocat. *Ut de finibus* Arietis dodecatemorii:

> Ὀκτὼ δὲ Στίλβων τελέθει, Πυρόεις δέ τε πέντε,
> Τὰς δ' ὑπολειπομένας ἔλαχεν Φαίνων ἴσα Θούρῳ.

Ubi Θοῦρος est Mars. Idem de Cancri dodecatemorio:

> Ἑπτὰ δὲ τὰς προτέρας ὀλίων μοίρας λάχε Θοῦρος,
> Ἐν τούτῳ, μετέπειτα καὶ ἓξ λάχεν ἡ Κυθέρεια.

Ibi Θοῦρος iterum Ἄρης. Item de Piscibus, quos fines in eo signo possideant singuli planetæ:

> Δώδεκα δὲ προτέρας μοίρας λάχε Κύπρις ἁπάσας,
> Δὶς δὲ δύω Φαέθων, Στίλβων τρεῖς, ἐννέα Θοῦρος,
> Τὰς δ' ὑπολειπομένας δισσὰς Φαίνων λάχε μοίρας.

A Alibi ἐπιθετικῶς extulit, & Θοῦρον Ἄρη dixit, quem alii θούριον appellant. De signo Geminorum:

> Τὰς δ' ἴσας Φαέθων, τελέθει Παφίη λάχε πέντε,
> Ἑπτὰ δὲ Θοῦρος Ἄρης, ἓξ δ' ἂν Φαίνων μετέπειτα.

Et de finibus planetarum in Aquario:

> Πέντε δὲ Θοῦρος Ἄρης, πυμάτας δὲ Κρόνος λάχε πέντε.

Sed quum substantive ponitur, Θοῦρις vel Θοῦρας melius diceretur. Suidas: Θοῦρας, οὗτος ἐβασίλευσε μετὰ Νῖνον Ἀσσυρίων, ὃν μετεκάλεσαν εἰς ὄνομα τοῦ πλανήτου ἀστέρος Ἄρεα. Ita porro appellatum antiquis mathematicis Martis sidus. Testis est nota, qua hodie signatur ab astronomis planeta Martis, ♂. Hæc enim depravata modico flexu

B ab antiquiore, quæ sic pingebatur: [symbol]. In quibusdam libris ita notatur, [symbol]. In aliis ita: [symbol]. In recentioribus Græcorum scriptis sic effictam reperio, [symbol]. Inde facta vulgaris ♂. Eam clypeum Martis cum hasta repræsentare falso persuasum video doctissimis mathematicis. In asterismo Martis nulla clypei forma, nulla hastæ conspicitur. In duodecim quidem signorum asterismis variæ μορφώσεις confictæ sunt in cœlo, quas etiam exprimere & effingere conati sunt in ipsis notis, quibus eorum figuras imitati sunt. Ut nota arietis ♈ caput arietinum repræsentat. Nota tauri

C ♉ caput bubulum. Nota aquarii ♒ aquarum fusionem. Antiqui etiam chimiæ auctores marinas aquas eodem hoc σημείῳ designabant. Ut in libro vetustissimo, quo ea signa explicantur, offendi hoc modo: θαλάσσια ὕδατα, ♒ ὄμβρια ὕδατα, sss. Ad cetera quoque dodecatemoria significanda repertæ sunt notæ, quæ figuras eorum utcunque exprimerent, vel partem aliquam imaginis insigniorem referrent. Pro leone cauda leonis, id est, ἀλκαία exhibetur, quæ sic vulgo pingitur ♌. Ut in veteribus Græcorum libris ita effingitur, [symbol]. In aliis ita, [symbol]. Cauda leonis est erecta & inflexa. Pro Virgine nescio quam hodie

D figuram delineant, quæ nihil habet quod referre possis ad ullam illius asterismi partem, aut προσώπιμον. Sic enim eam fingunt ♍. Scaliger alam esse virginis putat. Non video ego cur magis ala videri debeat quam aliud quidvis. Præterea ab antiqua figura Græca hanc notam fluxisse certum est, quæ nihil habet alæ simile. In libris quippe veterum mathematicorum ita effigiatur [symbol]. Quid sit, aut quid denotet nescio, nisi forte cornucopiæ dixeris esse monogrammum. Nam si lineam super ducas cornu effigiem efficies hoc modo [symbol]. Eam autem Virginem, quæ inter sidera est, Isidem alii, Cererem alii esse voluerunt, quæ

E plerumque pingitur cum cornu copiæ. Hyginus de Virginis signo: *Sed hanc alii fortunam, alii Cererem dixerunt & hoc magis non convenit inter eos quod caput ejus nimium obscurum videtur.* Avienus in paraphrasi Aratea:

> *Aut Pelusiaci magis es dea littoris Isis*
> *Digna tori consors & cura latrantis Anubis.*
> *Seu tu diva Ceres, sic nam tibi fragrat arista*
> *Et ceu Siriaco torretur spica calore*
> *Protentata manu.*

Ita hæc legenda. Intelligit spicam eam quam manu gestat maturam videri, & Siriaco calore tostam. Nam per

F dies caniculares matura præcipue messis. Germanicus:

> ---- *cui plena sinistra*
> *Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.*

Idem prorsus voluit & Manilius his versibus, quos sic ex vestigiis veteris codicis emendo:

> *At quum per decimam consurgens torrida partem*
> *Spica feret præ se squallentes corbis aristas.*

Spicam vocat stellam Virginis majorem, quæ torrida præ se fert *squallentes corbis aristas*. Eleganter ita appellat, quæ arefactæ sunt & maturæ, quales extant quum demetuntur, & in corbem messuariam congeruntur, qui mos fuit apud veteres. Hyginus *spicas* vocat, quasi plures spicas, non unam tantum Virgo manu gestitet. De stel-

G lis Virginis: *quarum una quæ in dextra manu est, major & clarior, ea cum spicis esse dicitur.* Virgo in pictura apud Hyginum non fert olivam manu dextra, sed tres spicas. Anonymus: *Nonnulli autem eam esse Cererem, eo quod spicas teneat.* Pro spicis quidam videntur ei attribuisse copiæ cornu, sicut Cereri, cujus figuram prefert nota illa quam superius posuimus. In veteribus anulis plerumque ad

ad designandam abundantiam tres spicæ erectæ & inter duo cornua Amaltheæ implexæ positæ visuntur. In quibusdam videre est tres quoque spicas in messoria corbe cum aliis fructibus. Isidi etiam spicæ datæ in simulacro. Apulejus lib. XI. *Dextra lævaque sulcis insurgentium viperarum cohibita, spicis etiam desuper cerealibus porrectis.* Virginem illam astrorum quidem Isidem esse arbitrati sunt. In Dactyliotheca Gorlæi in Sarda sculpta mulier conspicitur tres spicas manu dextra tenens, & cornu copiæ sinistra. Isidi gubernaculum datur. Sæpe etiam Fortuna in nummis & anulis veteribus cum gubernaculo, & Cornucopiæ fingitur. Quam Fortunam pro Virgine quidam in sidera retulerunt, ut Hyginus, Anonymus, & Avienus testantur. Hujus versus, quibus hoc dicit, ita legendi sunt:

---- seu qua pernicibus alis
Nec sat certa gradum, viduataque vertice summo,
Fluxa pedum vertit vestigia, lubricum & ævum
Sors agit, ut subitis obrepat mobile fatum
Temporibus.

Hæc Fortuna ab aliis cæca, ab aliis sine capite pingebatur. Ideo dicit:

---- viduataque vertice summo.

Vetus Poëta:

Fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi.
Saxoque instare in globoso prædicant volubili
Id quo saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant,
Cæcam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat quo sese adplicet:
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit:
Brutam autem quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem alii philosophi, qui contra Fortunam negant,
Id magis verisimile esse usus reapse experiundo edocet,
Velut Orestes modo fuit rex, factus est mendicus modo,
Naufragio nempe: ergo id factum forte haud fortuna obtigit.

Sic eos versus emendavimus ac digessimus. Eamdem Fortunam describit Avienus. Sed vix mihi persuaserim veteres hanc fortunam cæcam & instabilem in astra reposuisse pro Virgine illa beati & abundantis sæculi præside, licet Anonymus scribat eam pro Fortuna quibusdam habitam, quod sine capite astris inferretur. Immo eam Fortunam pro Virgine substituisse videntur, quæ felicitatis & abundantiæ habet significationem, quæque eadem cum Iside & Cerere, cui etiam Cornucopiæ & gubernaculum tribuitur. Talis *Fortuna principis* & *Fortuna Regia, Augusta*, in nummis olim ac veteribus saxis exsculpta. Justitia quoque vel Æquitas cum libra & Cornucopiæ pingi fingique solebat, ut in anulo apud Gorlæum, & passim alibi. Virginem autem illam Astricam pro Justitia plerique habuerunt. Nullum igitur dubium quin hæc nota, qua veteres Græci effigiem ejus æmulari voluerunt, sit cornucopiæ. Itaque Cornucopiæ solo gestamine Virginem effinxerunt, ut sagittarum solo arcu. Græcis ita formatur. ♐ vel ♐. Arcus est sine chorda. Latinis ita ♐. Sagittam esse arcui applicatam interpretatur Scaliger. Sed hæc figura ab illa defluxit. Tauri caput Græci ad hunc modum adsimulant ♉ vel sic ♉. corrupta nonnihil hæc figura, quæ melius hoc modo fingeretur ♉. Sic ab initio olim factam fuisse prorsus certus sum. Antiqua etiam est sicut hodie pingi solet ♉. Ad hanc quippe faciem sculpta reperitur in veteri sigillo apud Gorlæum, ut & ♈ pro Ariete. Melius tamen in Græcorum libris ita effigiatus aries ostenditur: ♈. Recta in ea nota cornua, in hac torta & inflexa exhibentur, qualia sunt arietis. Manilius de hoc signo:

---- Ariesque in cornua tortus.

Libram Græci pariter & Latini sic imaginantur ♎. Librile esse cum trutina placet Scaligero. Sed ab antiquo deflexit hæc figura, quæ in vetustis libris integrior apparet hoc modo formata ♎. Duæ lances sunt inversæ librili jacente. Nec enim recta

A fingitur in astris, qualis est quum à libripende tenetur, sed considens, ut abjecta. Manilius lib. II.

Taurus depositis collo sopitus aratris,
Libra sub emerito considens orbe laborum.

Latinis Cancri nota sic habet ♋. At Græcis hoc instar gerit: ♋. Non dubium ex ista corruptam alteram. Græci mathematici & chymici ἡμερονύκτιον ea figura repræsentant, qua Latini signum Cancri. Diem unum sic designant 6. dies plures 66. noctem sic 9. plures noctes 99. Diem vero cum nocte ♋. Capricornum Latini cum hac effigie ostendunt ♑: Græci

B vero sic simulant, ♑. veluti frigore contractum ἐν τῇ ἀςροθεσίᾳ finxere. Manilius:

Tuque tuo Capricorne gelu contractus in astris.

Cum cauda piscis involuta pingitur in veteribus monumentis. Aliquando tamen cum recta piscis cauda, ut in anulo LXXXV Gorlæi, & LXXXVII. Quidam & capri imaginem pro capricorno dederunt. Similis pæne existeret figura hujus Græca Romanæ, si clauderetur hoc modo, ♑. Geminorum nota instar idem habet apud Græcos & Latinos, nisi quod illi non recto situ duas lineas directas inter duas transversas ducunt, sed paululum inclinatas, ut heic videre licet,

C ♊. Latini vero sic eos figurant ♊. Scorpius Græcis hac specie notatur, ♏ melius quam Romani quibus ita placet esse ♏. Sequentem hanc notam pro piscibus iidem Græci volunt haberi, ♓. quos Latini sub ista effigie describunt, ♓. Scaliger scribit ea nota designari duos pisces adversos oppositis dossellis cum vinculo quod λίνον dicitur. In Græca illa figura vetere, ex qua vulgarem hanc manasse constat, duo pisces sunt oppositis capitibus juncti. Plenius planiusque expressam eam notam in multis libris

D sic invenio, ♓ in quibusdam duo pisces graphice depicti & junctis capitibus adversi exhibentur. Duo igitur illa puncta, quæ visuntur in illa prisca notæ figura, oculos piscium ostendunt. Hæc parva sunt discrimina, nec ullius ferme momenti, quæ tamen libuit hoc loco consignare. Nec mirum, si in istis omnibus signis ex asterismi conformatione, qualem eam in cœlo sibi imaginati sunt homines otiosi, in charta figuræ notarum similiter expressæ sunt, quibus eas siderum imagines reddere proposuerunt. In planetis, ut alia res est, ita aliud obtinuit. Singulares stellæ sunt, nec forma inter se differunt, excepto sole & luna, qui multum ab aliis differentem

E imaginem præferunt, & notabilem in primis. Ideo ad eorum sidus designandum notam quoque similem ex sideris conformatione ductam delinearunt, ut in duodecim signis. Pro sole solis orbem, vel clypeum effinxerunt cum radio inde exeunte, & in acumen desinente, ut distingueretur ab orbe lunæ plenæ, quæ sic quoque pingi potest, & hodie solet. Solis figura hæc est in libris Græcorum astronomicis ☉. Quam notam ad solis nomen significandum non solum astronomi usurpant, sed etiam ceteri auctores & inprimis chymici, qui aurum eo insigni semper denotant, quia metallum est solis. Apud Malchum in

F vita Pythagoræ hæc eadem nota pro sole scripta est hunc in modum: εἰ γῦ τις διατρώγων κύαμον, καὶ τοῖς ὀδοῦσι λεάνας ἐν ἀλέᾳ τῆς ☉ βολῆς καταθείη πρὸς ὀλίγον, εἶτα ἀποςὰς ἐπανέλθῃ εὕροι ἂν ὀδωδότα ἀνθρωπείου φόνου. Quem locum non intellexerunt viri docti, & asterisco etiam damnarunt veluti mendosum. Atqui id tantum significat, ἐν ἀλέᾳ τῆς ☉ ἡλίου βολῆς. Ea nota ibi sic facta est θ, quam etiam pro solis insigni usurparunt. Liber notarum: Ἥλιος ↗ θ. Quod ad rem attinet, ita eam attigit vetus interpres Juvenalis ad Sat. XV de Pythagora: *aversatus & fabam quia ex sanguine humano orta esset. Nam flores ejus in sanguinem vertuntur si in sole*

G *ponantur.* Verum de his alibi. Ut lunam autem exprimerent, cornua ejus tantum ponebant, quo solo insigni discernitur ab aliis planetis. Hoc enim ei proprium in cornua curvari. Sic igitur eam spectandam proposuerunt in libris: ☾. At reliquæ quinque planetæ nullum habent insigne, vel notam peculiarem, qua inter se distingui possint, sed omnes quoad formam pares

pares sunt & indiscretæ imaginis. Idcirco ad earum designationem faciendam nihil tale comminisci potuerunt ut in sole & luna & duodecim signis. Quid igitur fecerunt? Primas literas nominis singulorum mutuati sunt, ut notarum vel singularum vicem essent, ad eorum appellationes signandas. Martem igitur, ut initio hujus exercitationis dicebamus, his lineamentis depinxerunt, ♂ vel ♂. Quæ Θȣ̃ρον, vel Θȣ́ραν significant, quo nomine dictus est Mars veteribus mathematicis Græcis & Ægyptiis, qui & Πυρόεντα vocarunt. Hac nota apud omnes Græcos astronomos insigniri solet planeta Martis. Non recens tamen, nec hodierna illa figura, qua mathematici & almanichiarii hodie eum legendum præbent, ♂. Utpote quæ in antiquis etiam monumentis reperiatur, ut in veteris anuli scalptura apud Gorlæum num. CIV. Non dubium tamen esse potest, quin hæc species ab antiqua illa, quam posuimus, immutata sit & depravata. Clypeum Martis cum hasta conspici in hac recenti volunt viri eruditi, non absurda sane cogitatione, sed veritatis vacua. Ecce enim in Jovis sidere exprimendo quis negare queat quin prima litera Græci ejus nominis adsumpta sit, ut etiam hodie proscribitur? Sic enim habet vulgo ♃. vel, ut alii formant ♃. Ζεὺς plane hoc monogrammo declaratur, nec pote planius. In antiquo anulo sic habetur insculptum ♃. In quibusdam veteribus libris ad hunc modum ♃. In vetustis exemplaribus Firmici nudum & simplex zeta ponitur ad stellam Jovis indicandam Z. Græci lineolam addunt, quæ nihil amplius facit. Ita enim scribunt hanc notam ♃, vel sic ♃. Frustra est igitur vir magnus, qui fulmen Jovis eo signo putavit depictum. Nihil vidi χαφικώτερον. Venus dicebatur Φωσφόρος Græcis & Ægyptiis. Firmicus: *Quæ à nobis Venus, ab illis φωσφόρος vocatur.* Nihil notius. Inde manavit ea figura, qua Venerem hodie provulgant ♀. Antiqui Græci literam Φ vel ♀ simpliciter scribebant, ut primo ejus nominis hoc elemento φωσφόρος, id est, Venus intelligeretur. In quibusdam libris ita formatam invenio φ ♀. In aliis vero sic ♀. In aliis corruptiore modo ☿. Non igitur speculum Veneris ea species repræsentat, quod commentum placet viris doctis, sed est prima litera nominis φωσφόρος. Nota, qua Saturnum antiquissimi scribebant, duas primas habuit literas, ex ejus nomine, quo Græcis appellatur. Hac enim effigie primo descriptus est ♄ vel sic Κρ, id est, Κρόνος. Postea ut expeditius ad scribendum esset, omisso altero apice ita depingere incœperunt ♄. Ita enim in multis libris offendi signatum. Postremo ut compendiosius fieret, prætermissa litera ρ, ad hoc instar effictum est ♄ vel ♄. Quod non longe abscedit à figura literæ K. In quibusdam libris ita formatur hæc nota Saturni ♄ pro ♄. Vetus liber: φαίνων ἤτοι Κρόνος ♄. ♄. In Mercurii nomine notando operosior disquisitio, non minus tamen vera, adeo est ex verisimili ducta. Sic vulgo eum pingi moris est ☿. Caduceum volunt esse Mercurii. Id fortasse spectarunt, qui ita eum deformarunt. Depravatam tamen hanc figuram constat ut ceteras, & ab antiqua imagine demutatam. In antiquissimo codice Firmici regiæ bibliothecæ Mercurius omnibus locis hac figura expressus conspicitur ☿, vel etiam hoc modo ☿. Duo prima sunt elementa nominis Στίλβων inter se implexa. Sic Græci & Ægyptii astronomi Mercurium vocarunt. Sed sigma illa effigie Romanum magis quam Græcum, licet in quibusdam nummis pro Græco inveniatur inscriptum, ut in nummo Adriani, ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΜΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ. Antiquum tamen non est. Liquet igitur Græcos veteres pro Mercurii nota hanc eamdem figuram ita exarasse ♀ id est, Στίλβων. Postea clauso circulo ad hanc formam immutata est quæ hodie vulgatur ☿. Hoc verissimum. Notum enim veteribus Græcis literam sigma ita pingi ut Latinum C. Sic c & τ impositum τὸ Στίλβοντα designant. In aliis vocabulis artis has compendiarias notas similiter quæsiverunt antiqui mathematici, qui singularibus literis vel ad summum binis pleraque eorum exprimebant, ut Κ est κέντρον, Χ est χρόνος. ℞ ὡρόσκοπος. Δ διάμετρος. Δ δύνων. Μ μεσουρανῶν. Ζ ζωδιακὸν

A ♈ ἀναβιβάζων. ♉ καταβιβάζων. ⊕ σφαῖρα. Sphæræ hæc forma quadripartitæ. MC τὸ μεσουράνημα. Quod etiam aliter fingebant, ad hunc modum ℳ ℳ vel ⊙ Ἀντιμεσουράνημα vero hoc modo ℧. Sed de his alibi. Medici quoque veteres suas habuere notas, quibus corporis membra compendiose significabant, quarum pleræque in antiquis Græcorum libris Hippocratis reperiuntur, & aliorum. Τὸν ἐγκέφαλον sic designant ♉. κεφαλὴν, sic ⊙. ὀφθαλμὸς ita ☌. Aures hoc modo, ʒ: linguam ista figura ∾. In eorum quoque libris passim ☉ pro sole, & ☾ pro luna scribitur. Sed de his fusius in nostro commentario de notis veterum.

B *Tradidit ipsa religio quæ Deum credit.*] In aliis: *quæ Deum colit.* In aliis: *credit.* Hoc in altera editione scripserat, illud in altera.

In æmulationem hujus urbis Ctesiphontem Parthi condiderunt.] Nescio quid velit quod interserunt quidam veteres libri, iique optimi: *in æmulationem hujus urbis conversum Ctesiphontem Parthi condiderunt.* An *conversum* posuit pro *è converso*, ut *adversum* pro ex adverso? Plinius ita habet: *invicem ad hanc exhauriendam Ctesiphontem juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi.* Condita Seleucia in vicino Babylonis eam

C exhausit. Ad Seleuciam invicem exhauriendam Parthi condidere in propinquo situ Ctesiphontem. Solinus pro *invicem*, quod habetur apud Plinium, videtur scripsisse *conversum*, id est, è converso. Absurde tamen & intempestive. Nihil apud eum præcessit, post quod inferri apte hoc possit. Nec enim meminit Seleuciæ conditæ, quæ Babylonem ad solitudinem redegerit, ut consequenter dicere potuerit è converso ad eam exhauriendam conditam à Parthis fuisse Ctesiphontem. Forte quum in priore editione ita scripsisset, in altera recognita id mutavit. Nam libri plures eam vocem non agnoscunt.

D *Tempus est Oceani oras reverti.*] Ita libri. Et mox pro *represso in Æthiopiam stilo* alii habent *repulso.* Quod ex altera editione est.

Æthiopicum ad Mossylicum promontorium.] Male in libris *Massilicum.* Plinius: *a Mossylite promontorio Atlanticum mare incipere vult Juba.* Ubi rectius legunt antiqua exemplaria: *à Mosylico promontorio.* Et ita etiam supra corrigendum: *promontorium & portus Mosylicus.* Ptolemæo Μόσυλον ἄκρον καὶ ἐμπόριον. Auctor peripli vocat Μόσυλον. Stephano Μόσυλον ἀκρωτήριον καὶ ἐμπόριον Αἰθιοπίας ex Marciano, qui habuit ex Ptolemæo. Apud Marcianum tamen

E in iis fragmentis, quæ extant, Μόσυλοι populi vocantur, quos constat appellatos ab hoc Mosylo promontorio: De sinu Arabico loquitur: παροικοῦσι δὲ τοῦτο οἱ δὲ προειρημένοι Τρωγλοδύται καὶ οἱ Αὐαλῖται, καὶ προσέτι γε οἱ Μόσυλοι τὰ ἔθνη. Sed legendum Μόσυλοι.

Inde rursus Oceanus Atlanticus.] A promontorio nempe Mosylico. Plinius: *A Mosylico promontorio mare Atlanticum incipere vult Juba.* Sed profecto mira hæc Jubæ violentia, ut ita dicam, quæ stat una contra omnium veterum sententiam. Quis enim ex antiquis prodidit ab eo promontorio incipere mare Atlanticum? Tam longe ab Atlante jacens mare quomodo Atlantis no-

F men ferre potuerit, ignoro. Ex vicinis quippe promontoriis, aut regionibus adjacentibus nomina fere semper sinus accipere consuesse palam est. Ab alio autem Æthiopiæ promontorio, quod occiduo mari incumbit, initium habere mare Atlanticum scribit Mela. Nomen ei promontorio Ἑσπέρου κέρας. *Ipsa terra*, inquit, *promontorio, cui Hesperu ceras nomen est, finiuntur. Inde incipit frons illa, quæ in occidentem vergens mari Atlantico adluitur.* Situm sonat de nomine ipso. Hesperium nempe esse clamat & occiduum promontorium. Nam Græcis κέρας promontorium: ut χρυσοῦν κέρας

G Constantinopoli. Plinio ipsi dicitur *Hesperium promontorium* lib. V. cap. II. Et *Hesperion Ceras* lib. VI. cap. XXXI. *Ab ea quinque dierum navigatione solitudines ad Æthiopas Hesperios, & promontorium quod vocavimus Hesperion Ceras, inde primum circumagente se terrarum fronte in occasum, ac mare Atlanticum.* Habet hoc ex Mela. *Caput Palmarum* hodie vocant. Nam inde frons terrarum à meridie in occasum se circumagit. Sed de eo nos infra. Ut ut sit toto

toto orbe diversum hoc promontorium, unde inchoare heîc dicit mare Atlanticum à Mosylico promontorio. Hic ad orientem, illud ad occidentem immani terrarum spatio interjacente. Atlanticus porro Oceanus totus occiduus. A Mosylico autem promontorio non Atlanticus Oceanus exordium sumit, sed potius *Azanius*, vel ipso Plinio teste tradente, Oceanum, qui Persicum & Arabicum sinus facit, *Azanium* vocari, lib. VI. cap. XXIV. An igitur *Atlanticum* pro *Azanico* aliud cogitans audivit, vel aliud agens legit? Nec enim censeam tantopere hallucinatum Jubam ut Atlanticum mare in oriente posuerit, & statim auspicari tradiderit à sinus Arabici angustiis. Plinii esse hallucinationem vel id quod sequitur omni luce clarius evincit: *A Mosylico promontorio Atlanticum mare incipere vult Juba, præter Mauritanias suas Gades usque navigandum coro.* Multa miracula legi, sed nullum hoc mirabilius. A Mosylico promontorio sinus Arabici usque ad Gades perpetuo navigari vento uno eodemque coro flante. Bellus homo Solinus, ut hanc navigationem mirificam elucidaret; brevitatem Plinii more suo expandit & explicavit his verbis, quibus hoc lucratus est, ut garo gerrem, ut dicitur, adderet, & monstra faceret monstrosiora: *Omne*, inquit, *illud mare ab India ad usque Gades voluit intelligi navigabile, cori tamen flatibus, cujus spiritus præter Arabiam, Ægyptum & Mauritaniam evehere quamvis queant classem.* Ventus unus scilicet, idemque caurus ab Arabia vel India Gades classem potest evehere, ab oriente ad occidentem. Atqui flat caurus ab occidente. Citius itaque navem ferret ab occidente in orientem quam contra. Caurus, vel corus inter occidentales ventos à veteribus ponitur. Favorinus apud Agellium eum esse putat, quem Græci ἀργέστην vocant, & adversus aquilonem flare ait, qui aquilo spirat ab oriente æstivo. Eodem capite japygem cum cauro eumdem existimat, & contra eurum flare dicit. Navigantes igitur ab occasu in ortum bene ventus hic veheret. Ab Arabia autem Gades mari petentibus tot flexus faciendi sunt, tot venti mutandi, ut plus quam jocularis insania sit cogitasse uno vento coro hanc navigationem posse peragi. A septentrione primum versus meridiem dirigendus cursus, deinde à meridie ad occasum torquendus, mox circumagendus in septentrionem. Omitto tot circumflectenda promontoria, tot sinus navigandos, qui suos singuli ventos desiderant. Atqui etiamsi recta linea ferretur cursus à Mosylico promontorio ad Gades, contrarius utique cauro ventus secundus esset. Vulturnus, aut eurus invocandus foret. Festivum & illud, quod addit Plinius, à Mosylo Gades petentibus præter Mauritanias navigari. An tantum præter Mauritanias? Hoc saltem vidit Solinus, ac de suo adjecit, *præter Arabiam, Ægyptum & Mauritaniam.* Poterat etiam adjungere, *& præter Æthiopiam.* Quippe Oceanum quoque Æthiopicum in eo cursu enavigandum constat. Verum quidem est ab initio maris Atlantici adusque Gades præter solas Mauritanias navigari, quod tradit Plinius, si modo initium maris Atlantici sumamus ab Hesperi promontorio, ut faciunt omnes scriptores. Quod falsum erit, si, ut facit idem Plinius, à Mosylico promontorio illius maris exordium auspicemur. Verum etiam si forte fuerit coro flante ab illo initio maris Atlantici Gades cursum esse, si Atlanticum accipimus, ut debet accipi, quod occidentale totum est. Nam corum Vegetius inter meridiales ventos reponit, & λιβόνοτον esse vult, qui ad sinistram flat noti, qui meridianum cardinem obtinet. Hic ventus per Atlanticum mare ab Hesperio cornu Gades tendentibus posset velificari. Sed certum est falli Vegetium. Nam omnes Latini scriptores caurum ab occidente æstivo flare faciunt, ut & ipse Plinius alio loco. Nihil igitur veritati, ac locorum rationi consentaneum invenietur, si à Mosylico promontorio ducas principium maris Atlantici. Quod si feceris, ut fecisse Plinius aperte deprehenditur, tum mille consequentur ἄτοπα καὶ ἀδύνατα. Sed omnia absurditatum prodigia longe superant, quæ sequuntur apud Plinium. Ea quasi culmen videtur adjecisse. Quum dixerit quasi ex sententia Jubæ Atlanticum mare à Mosylico promontorio incipere, præter Mauritanias Gades usque coro navigandum, subjicit ex eodem Juba intervalla spatiorum, & mansionum loca, quæ in ea navigatione adeuntur, quam confici scribit à Mosylico promontorio Gades usque. Verba ejus hæc sunt sane perquam memorabilia, & idcirco tota heîc iterum reponenda: *A Mosylico promontorio Atlanticum mare incipere vult Juba præter Mauritanias suas Gades usque navigandum coro: Cujus tota sententia hoc in loco subtrahenda non est. A promontorio Indorum, quod vocatur Lepteacra, ab aliis Drepanum proponit recto cursu præter exusta ad Malchu insulam quindecim* M. *passuum esse. Inde ad locum quem vocant Scheneos* CCXXV. *Inde ad insulam Sadanum centum quinquaginta milia paßuum. Sic fieri ad apertum mare* XVIII. LXXXV. M. passuum. Patet plane Plinium existimasse ea locorum ac stationum nomina esse, ac totius navigationis σταθμόν, quæ conficitur à Mosylico promontorio ad Gades. Atque ita Solinus interpretatus est his verbis: *Omne illud mare ab India adusque Gades voluit intelligi navigabile, cori tantum flatibus, cujus spiritus præter Arabiam, Ægyptum & Mauritaniam evehere quamvis queant classem, dummodo ab eo promontorio Indiæ cursus dirigatur, quod alii Lepten Acram, alii Drepanum nominaverunt. Addidit & loca stationum, & spatiorum modos. Nam ab Indica prominentia ad Malichu insulam affirmat eße quindecies centena milia paßuum, à Malichu ad Sceneon* XV. M. P. Fateor heîc meam me admirationem satiare non posse, adeo multa incurrunt stupenda. Primum quis adcredere queat in tota illa navigatione, quæ ab India Gades usque peragitur, non plures fieri stationes, aut insulas occurrere quam tres? Deinde, cui fiet verisimile universum illum cursum non plus patere quam decies octies centenis octoginta quinque milibus passuum? Postremo super omnia advertendum loca illa, quæ Plinius commemorat, tanquam in illo itinere occurrentia, Arabici sinus esse. Id quod evidentissime immanem Plinii errorem detegit. Drepanum sinus Arabici promontorium in intimo pæne recessu ejus ad latus Troglodyticum. Lepte Acra ejusdem quoque sinus prominentia, diversa utique à Drepano, quum Plinius Drepanum ab aliis *Lepten Acram* vocari scribat, Ptolemæus Drepanum in recessu intimo sinus Arabici collocat: μετὰ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀραβικοῦ κόλπου, Ἀρσινόη, Κλύσμα φρούριον, Δρέπανον ἄκρα. In eodem sinu Λεπτὴν ἄκραν recenset in parte Troglodytarum. Non Indicum igitur hoc promontorium quemadmodum voluit Plinius, sed Arabicum, vel Æthiopicum. *Malichu* quoque insula in eodem sinu teste Ptolemæo, qui Μαλιάχου vocat pro Μαλίχου, & duas insulas hoc nomine facit. *Sadanus* eidem dicitur Ἀδάνου, & haud longe ponitur ab angustiis sinus Arabici. In Solini quoque libris melioribus nominatur *Adanu*. Ex his omnino intelligi datur, Jubam his stationibus & locorum intervallis voluisse describere navigationem, & longitudinem sinus Arabici ab intimo ejus recessu, ubi sinus est Ælaniticus, usque ad ejusdem angustias & fauces, qui locus dicitur Δειρή: vel τὰ κατὰ Δειρὴν στενά. Post eas angustias excipit sinus Aualites, & apertum mare, in quo Mosylum emporium, & Mosylicum promontorium. Ergo à Drepano usque ad apertum mare, quod per illas sinus Arabici angustias Δειρῆς nomine vocatas intrat, taxatione Jubæ confici decies octies centena & septuaginta quinque milia. Quæ longitudo vix tantulum exorbitat ab ea longitudine, quam eidem sinui Arabico veteres tribuerunt, ut de alia sensisse Juba non sit censendus. Plerique autem priscorum differentis esse longitudinis tradiderunt latus Arabicum illius sinus, & Troglodyticum, alii eandem. Strabo Troglodytici lateris longitudinem ab Heroum oppido, quod in intimo sinu est, usque ad Ptolemaïdem stadiûm computat novem milium: à Ptolemaïde ad fauces Δειρῆς quatuor milium & quingentorum. Sic fiunt tredecim milia & quingenta. Hanc Eratosthenis sententiam facit. Plinius lib. VI. cap. XXIX eam Eratosthenis sententiam sic refert de sinus Arabici longitudine: *Timosthenes totum sinum quatridui taxatione in longitudinem taxavit, bidui in latitudinem, angustias* IV. M. *paß. Eratosthenes ab ostio* XIII. *mil. in quamque partem.* Hic numerus tredecies centena milia passuum significat. Sed longe minor est quàm Strabonis. Nam octo milia & septingenta atque quinquaginta

ginta tantum stadia efficit. Falsus heic calculi videtur Plinius: qui totidem centena milia passuum posuit pro millenis stadiis. Idem Strabo latus Arabicum ejusdem sinus taxat, & longitudine quatuordecim milibus stadiûm usque ad fauces Δειρῆς ab Elanitico sinu. Plinius ex Artemidoro: *Artemidorus Arabiæ latere* XIV. *quinquaginta M. Troglodytico vero* XII. LXXXII. *Ptolemaida usque.* Prior numerus quaterdecies centena quinquaginta milia passuum signat, quæ summa colligit stadiûm decem milia & octingenta septuaginta quinque. Sequens numerus, qui duodecies centena octoginta duo milia passuum facit, idem in stadiis efficit novem milia & sexcenta quindecim. Qui calculus pæne convenit cum Eratosthenis calculo, qui ab Heroum oppido usque ad Ptolemaïda novem milia stadiûm in longitudine sinus Arabici. Sequitur apud Plinium: *Agrippa* XIV. XXXII. M. P. *sine differentia laterum*, id est, quaterdecies centenis triginta duobus milibus passuum. Sed ajunt in Chiffletiano haberi, XVII. XXII, hoc est, decies septies centena viginti duo milia. Juba eandem longitudinem æstimavit decies octies centenis & septuaginta quinque milibus, quæ summa stadiûm computat circiter quatuordecim milia & sexaginta. Eratosthenes apud Strabonem longitudinem Troglodytici lateris vult esse tredecim milium & quingentorum. Sed Juba neutrius lateris longitudinem metiri videtur voluisse in assignanda Arabici sinus mensura, sed recti cursus qui per medium sinum agitur rationem habuisse. Nam oræ plerumque sinuosæ sunt ac laciniosæ. Et proinde aliam esse sinus hujus longitudinem in Arabico littore, aliam in Troglodytico tradunt auctores. At Juba rectum cursum proposuit, qui neutram in partem vergit, sed per insulas medii alvei dirigitur, ut ex vero sciretur quid spatii in longum haberet ille sinus. Hoc Plinium fefellit. Id tamen voluisse Jubam patet ex ipsius Plinii verbis: *A promontorio Indorum, quod vocatur Lepte Acra recto cursu præter exusta ad Malichu insulam quindecies passuum esse.* A promontorio Lepte Acra, quod est in intimo sinus Arabici, rectum cursum proponit usque ad insulam Malichu, & quindecies centenis milibus passuum definit hoc iter per medium scilicet alveum sinus. In quo etiam notanda insignis hallucinatio Plinii, qui *præter exusta* vertit, quod apud Jubam Græce enuntiatum reperit, παρὰ τὴν κατακεκαυμένην. Regionem Æthiopiæ hoc nomine dictam accepit, quæ & διακεκαυμένη vocatur. Ex quo errore hariolatus est, præter exusta Æthiopiæ eam navigationem à Lepte Acra usque Gades à Juba monstratam, quum reliqui omnes propter solis ardorem ea maria navigari non posse putarent. Quod portentosum prorsus hominis bene sani delirium est. At Juba intellexit insulam hoc nomine, quæ in sinu Arabico sita est, quam præternavigabant qui à Lepte Acra ad insulam Malichu tendebant per medium sinum pergentes. Ptolemæus inter insulas Arabici sinus & hanc recenset: Κατακεκαυμένη, Μαλίχου, Ἀδάνου. Ergo Malichu insulam petituri præter exustam insulam navigabant. Quod etiam ad plenum ostendit auctor peripli maris Erythræi, qui post recensitam oram sinus Arabici, stationibus & portubus ejus commemoratis, satius esse dicit per medium mare cursum tenere, quia importuosa ora sit, & difficilis aditu, ut cautibus & scopulis infesta & inaccessa. Quin & navigationem medii maris vulgo capessi solitam testatur. Διὸ, inquit, καὶ εἰσπλέοντες μέσον πλοῦν κατέχομεν, καὶ εἰς τὴν Ἀραβικὴν χώραν παροξυνόμεν, ἄχρι τῆς Κατακεκαυμένης νήσου, μεθ᾽ τὴν εὐθέως ἡμέρων ἀνθρώπων καὶ Νομαδιαίων, θρεμμάτων καὶ καμήλων συνεχεῖς χῶραι. Hic est plane μέσος πλοῦς Arabici sinus, quem designavit Juba, qui à promontorio Drepano, quod est in Troglodytico latere, usque ad insulam Malichi præter insulam exustam peragebatur. Post insulam Catacecaumenen excipiebat insula Malichi. Ideo autem aliarum insularum in eo cursu conficiendo non meminit quum plures essent, quia ceteræ fortasse inhabitabiles & inaccessæ, & feris incolis obsessæ, quas tutum adire non erat. Catacecaumene quoque ipsa talis, propter ardorem nempe deserta, in quam propterea navigantes exscensionem non faciebant, sed ea relicta ad Malichu insulam properabant. Nam post exustam omnia pacatiora ac mitiora occurrebant, tam loca, quam homines. Quod diserte testatur auctor peripli. Agebat igitur Juba eo loco de navigatione Arabici sinus recto cursu incipientibus à Drepano promontorio intimi recessus usque ad fauces & angustias quæ Δειρὴ dicebantur, non de ea navigatione quæ ab India conficitur ad Gades. Et hoc Plinium inter cetera in errorem impulisse existimo, quod quum τὰ κατὰ Δειρὴν στενὰ legi audiret, τὰ Γάδειρα perperam intellexit, aut imaginatus est. Hinc navigationem, quæ ab initio maris Atlantici ad Γάδειρα usque coro vento deducit, cum ea navigatione confudit, quæ à Drepano Arabici sinus usque ad Δειρὴν dirigit. Ex utraque porro navigatione unam confecit, quæ ab India Gades usque contendit. Certum quippe est non ignorasse antiquos ab India Gades navigari posse, immo & quosdam Arabico sinu egressos Gades usque pervectos fuisse, ut de Eudoxo narrabat Cornelius Nepos, & post eum Mela, & ex eo Plinius lib. II. cap. LXVII. Hoc quum ille meminisset, & fortasse idem quoque apud Jubam eo loco legisset, ita omnia illa miscuit & Drepanum Indiæ promontorium fecit, quum sit Arabiæ, & stationes insulasque sinus Arabici putavit in ea navigatione reperiri, quæ ab India Gades decurritur. Tum etiam Atlanticum sinum à Mosylico promontorio incipere. Quæ omnia peccasse intra spem veniæ vix mediocriter harum rerum intelligenti concederemus, aut cui aliqua saltem adesset sensus communis particula. Scripserat fortasse Juba Oceanum meridianum, qui dividitur in Indicum & Æthiopicum, cum occidentali & Hesperio, qui est Atlanticus, conjungi. Hinc Atlanticum statim ab illis sinus Arabici angustiis incipere dixit. Forte & quum locum Jubæ præcerpsisset, quo de marium illa conjunctione & continuatione tractabat, & in adversaria sua æque retulisset, ex eodem Juba navigationem à Drepano sinus Arabici usque ad fauces & ostium ejusdem sinus, quod Δειρὴ vocabatur, τὰ Γάδειρα somniavit, & sic à Drepano Gades per loca supra memorata cursum teneri imaginabundus sibi persuasit. Profecto ex omnibus Plinii peccatis, quæ infinita numero sunt, nullum est quod huic conferri queat, adeo multiplici stupendorum errorum serie constat. Plane heic seipsum vicit.

Pag. 63. A. *Omne illud mare ab India adusque Gades voluit intelligi navigabile.*] Et sane hodie navigabile est, & ante Jubam id etiam creditum, traditumque. Sed inexplorata ejus navigatio eo tempore fuit, tantum abest, ut verum sit Jubam & spatiorum modos meminisse, & stationum loca addidisse, quæ in eo cursu adiri solerent. Auctor peripli maris Erythræi, qui recentior Juba, fatetur quidem Oceanum Indicum ad occidentem regyrare, & unum fieri cum Hesperio mari, sed nondum exquisita illa maria navigantibus, & comperta esse. De emporiis Azanii maris loquitur quod in terras irrumpit per freta Arabici sinus & Persici: ὁ μετὰ τοὺς τόπους ὠκεανὸς ἀνερεύνητος ὢν εἰς τὴν δύσιν ἀνακάμπτει καὶ τοῖς ἀπεστραμμένοις μέρεσι τῆς Αἰθιοπίας, καὶ Λιβύης, καὶ Ἀφρικῆς κατὰ τὸν νότον παρεκτείνων εἰς τὴν ἑσπέριον συμμίσγει θάλασσαν. Vivebat scriptor ille eodem ferme, quo Plinius tempore, ut certis indiciis alibi probavimus. Plinius tamen scribit sua ætate magnam partem sinus meridiani navigatam, qua Mauritania cingitur lib. II. cap. LXVII. *Alio latere Gadium ab eodem occidente magna pars meridiani sinus ambitu Mauritania navigatur hodie.* Ea navigatio sinus meridiani quæ tum erat cognita, non penetrabat usque in Arabiam & Indiam. Eam tantum partem meridiani sinus navigari eo tempore solitam tradit, quæ Mauritaniam ambiret. Atqui nulla parte meridiani sinus Mauritania ambitur. Occiduo Oceano tota adjacet ad occidentem Mauritania Tingitana, cui ad orientem collimitat Cæsariensis. Meridiano autem Oceano Æthiopia & Libya interior prætenta est, non Mauritania. Auctor peripli: τοῖς ἀπεστραμμένοις μέρεσι τῆς Αἰθιοπίας, καὶ Λιβύης, καὶ Ἀφρικῆς κατὰ τὸν νότον παρεκτείνων εἰς τὴν ἑσπέριον συμμίσγει θάλασσαν. Meridianus est Oceanus, qui aversa Æthiopiæ & Libyæ interioris alluit, & qui occiduo, vel Hesperio mari miscetur qui Mauritania alluitur. Longe magis excedit orbitam rationis ac veritatis, quod supra scripsit ab Indiæ promontorio præter Mauritanias Gades usque navigari. Addit Plinius

nius de eodem meridiano sinu: *Majorem quidem ejus partem, & orientis victoriæ Magni Alexandri lustravere usque ad Arabicum sinum.* Alexandri victoriæ Indicum Oceanum lustravere usque in sinum Arabicum, non Oceanum meridianum, qui Æthiopiæ & Libyæ interioris aversa lambit ambitque. Sub meridiani maris nomine non tantum Indicum Oceanum, sed etiam Hesperium videtur Plinius comprehendisse, quod scilicet uno protelo continuentur. Quem meridianum vocat sinum quo Mauritania includitur, is est δυτικὸς Oceanus, vel Atlanticus. Idem lib. VI. cap. XVII. *Indorumque gens incipit non Eoo tantum mari adjacens, verum & meridiano, quod Indicum appellavimus.* Quum igitur Atlanticum, sive occiduum mare idem faciat cum meridiano, & meridianum idem cum Eoo & Indico, haud mirum est si Atlanticum mare incipere statuat ab angustiis sinus Arabici. Poterat etiam eadem appellatione involvere, & ipsum sinum Arabicum. Nam idem mare illud est, quod terras ingreditur, ac penetrat longo recessu per illas fauces Arabiæ, ut Atlanticum per Gaditanum fretum in Europæ continentem irrumpit. Unum quidem mare est, quo universus terrarum orbis ambitur, sed nominibus distinctum est, ut regionum, quas circumcingit, situ diversum. Alias Scythicus Oceanus idem esset cum meridiano, eodemque jure dici posset Scythicum mare ab Arabici sinus angustiis incipere quo Atlanticum. Nam & in Scythiam circumflectitur Oceanus occidentalis. Certum quidem est, ut dixi, à Gadibus in Arabiam olim navigatum fuisse & contra, non tamen ea navigatio vulgata fuit & trita. Addit Plinius Caio Cæsare Augusti filio res gerente in Arabico sinu, signa navium ibi agnita ex Hispaniensibus naufragiis. *Et Hanno*, inquit, *Carthaginis potentia florente circumvectus à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidit scripto.* Scriptum illud non videtur innotuisse. Etenim si venisset in notitiam ac manus Græcorum, totam eam meridiani Oceani oram minime reliquissent intactam indictamque, veluti ignotam. Ptolemæus Æthiopiam & Libyam ea parte non meridiano Oceano, quem nullum novit, sed ἀγνώστῳ γῇ terminavit. Mela notavit etiam de Hannone, sed non meminit eum usque ad Arabiæ finem circumvectum, sed cum magnam partem Oceani occidentalis circumvectus esset, commeatibus defectum rediisse: *Verum si Hanno Carthaginensis exploratum missus à suis quum per Oceani ostia exisset, magnam partem ejus circumvectus non se mare, sed commeatum defecisse retulerat.* Vereor igitur ne hic malè fides Plinii ambulet, qui ad Arabiæ usque finem pervenisse Hannonem tradidit. Fortè etiam scripserat Plinius, *Arabiæ adfinem*, unica voce, id est, oram Arabiæ conterminam. *Præterea*, inquit, *Nepos Cornelius auctor est Eudoxum quemdam sua ætate cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque pervectum.* Verba ipsa sunt Pomponii Melæ lib. III. cap. X. *Et Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus cum Lathyrum regem Alexandriæ profugeret, Arabico sinu egressus per hoc pelagus, ut Nepos affirmat, Gades usque pervectus est.* Eudoxum autem ætate Nepotis fuisse non dicit Mela, nec verum est. Obiit Nepos Augusti principatu, ut ipse Plinius alicubi asserit. Etsi enim haud plus quam quadraginta circiter anni ab excessu Lathuri ad initium Augusti intersint, haud dici tamen potest Cornelium vixisse ætate Eudoxi. Nam quum hic fugit ab Ægypto, aut puer aut nondum natus erat Nepos. *Lathyrus* autem pro *Lathurus* perperam in libris Plinii & Melæ scribitur, ut *Thyrii* pro *Thurii*, qui sunt Θέελοι, & *Thyle* pro *Thule*, quum sit Θέλη: Græcis enim Λάθυρ☉ vocatur, non Λάθυρ☉. Et frustra est vir doctus, qui hunc regem Λάθυρον à leguminis genere ita dictum putavit, ut *Ciceronem* à cicere. Strabo, Clemens Alexandrinus, Eusebius & omnes Græci Λάθουρον nominant. Θῦρ☉ significat cum impetu violentum. Λα particula auget significationem. Inde λάθυρ☉ maxime violentus. Forte etiam ita appellatus, quod in venerem concitatus esset. Nam θύρης est ἀφροδισιαςής, & θυεῶ, καταφερὴς ἐρωτικῶς ἔχεσι. Θυρήεις, λαγνός. Hesychius. Hoc verius. Dictus etiam Φύσκων hic Ptolemæus patris ejus cognomine. Ἀπὸ ϐ φυσᾶν deducunt. Inepte. Φύσκη est κοιλία. Unde φύσκων ventriosus. Ut πόσθη muto, πόσθων mutoniatus. Quid si etiam sic appellatus quod propensioris esset naturæ? Φύσκη proprie est botulus, παχὺ ἔντερον quod farciebatur. Suidas: Φύσκη, τὸ παχὺ ἔντερον, εἰς ὃ ἐμβάλλεται ἄλευρα ϗ κρέα, ϗ μάτιον ἐξ ϐ γίνεται ὁ ἀλλᾶς. Ab ejus similitudine pars etiam illa qua viri sunt ita vocata. Hinc *botuli exteriores* Tertulliano adversus Psychicos pro inguinibus: *quomodo enim protegam castitatem & sobrietatem sine taxatione adversariorum? Quinam isti sint semel nominabo, exteriores & interiores botuli Psychicorum.* Quem locum non intellexere interpretes. *Interiores botuli* sunt ventris qui ingluvie implentur, & sobrietati bellum indicunt. *Exteriores botuli*, qui extra ventrem prominent, & operantur castitati contraria. Ut igitur Psychicos taxet parum sobrios, & parum castos, interiores & exteriores botulos Psychicorum eleganter vocat. Botulus est φύσκη. Moschopulo φύσκη, κοινῶς φέσκα. Poscam esse vulgo accipiunt. Certe & *poscam* Græci recentiores vocarunt φῦσκαν. Sed φέσκα etiam illis quæ veteribus Græcis φύσκη. Ut φυκάριον vel φύκαρον dicunt pro φυκάριον. Glossæ: *Botulus*, φύσκη. Ita legendum in aliis Glossis: *Botellus*, φυσκίον. Dioscorides: φυσκία παραπλήσια φυλακίσκοις. Et hæc obiter. Idem Plinius lib. VI. cap. XXX. *Ptolemæum Lathyrum* appellat, qui *Lathurus* scribendus est. Pergit idem & probare intendit navigationem ab Hispania in Æthiopiam veteribus fuisse frequentatam: *Multoque ante eam Cælius Antipater vidisse se qui navigasset ex Hispania in Æthiopiam, commercii gratia.* Sed Æthiopiam hanc non puto intelligi debere illam, quæ vicina Indiæ vel Arabiæ fuit, sed regionem Hesperiorum Æthiopum quam Carthaginenses & Hispani jam olim lustraverunt commercii gratia. Hæc contra sinum Atlanticum, unde & *Atlantia* etiam dicebatur. Et fallitur etiam idem Plinius, qui universam Æthiopiam *Atlantiam* cognominatam asserit lib. VI. cap. XXX de Æthiopum gente: *Universa vero gens Ætheria appellata est, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Æthiope Æthiopia.* Atque hinc fortasse Atlanticum Oceanum cum Æthiopico facit eundem, qui ab Arabico sinu incipit. Gemini, ut notum est, Æthiopes δυτικοὶ & ἑῷοι. Occidentales Æthiopes iidem & *Atlantii* & *Hesperii*. Quod cognominis non convenit orientalibus. Mela de mari Atlantico: *Prima ejus Æthiopes, media nulli, nam aut exusta sunt, aut arenis obducta.* Inde est quod scribit Plinius veteres putasse non posse navigari ab initio Atlantici maris ad Gades propter solis ardorem. Jubam autem ostendisse navigabile illud mare esse. *Quin & commercia ipsa*, inquit, *infestant Arabes, Ascitæ appellati.* Atqui Arabes illi Ascitæ non poterant infestare navigantes per mare Atlanticum, & Gades petentes. Nam rubrum mare accolebant, & ex insulis rubri maris navigantes infestabant. Sic longe dissitas regiones, diversa maria, & navigationes in totum alias misere confudit. Æthiopes continuata populorum, qui hoc nomen gerebant, serie ab usque occidente per oram maris meridiani usque in orientem & Ægypti confinia pertinebant. Scylax Caryandæus auctor vetustissimus de Æthiopibus Hesperiis & Africæ vicinis: λέγυσι δὲ ὧνές τέτυς τὺς Αἰθίοπας παρήκειν συνεχῶς οἰκᾶντας ἐντεῦθεν εἰς Αἴγυπτον, ϗ εἶναι θάλατταν ταύτην συνεχῆ. Hæc constans inter veteres opinio fuit mare occidentale, & meridianum, & Indicum misceri & conjungi, & tria illa maria accolere populos qui Æthiopes dicerentur, sed navigatio ab Indico ad occidentale per meridianum prorsus erat incognita. Quod enim de Eudoxo narratur, qui Ptolemæum fugiens ab Arabico sinu Gades delatus est, una hirundo non facit ver. Nec enim alii eum sequuti. Auctor peripli, qui vixit ætate Plinii, Oceanum, qui ab India in occasum continuus est, ἀνερεύνητον esse prodit. Qui autem Gadibus exibant Hispani & Phœnices mercatores, ut in Æthiopiam commearent commercii gratia, non ultra eam Æthiopiam velificabant, quæ mari Atlantico adjacet, quæ Hesperia est. Maris illius occidui περίπλουν à Gadibus usque ad Cernen insulam Hesperiæ Æthiopiæ dierum duodecim navigatione taxat Scylax. Ultra Cernen non amplius navigabile esse illud mare crediderunt prisci. Idem Scylax: Κέρνης δὲ νήσου ἐπέκεινα ὐκ ἔτι ἐςὶ πλωτὰ διὰ βραχύτητα θαλάσσης, ϗ πηλὸν, ϗ φῦκ☉. Ergo ultra Cernen non pergebant Phœnices institores & Hispani. Scylax: οἱ δὲ ἔμποροι εἰσὶ μὲν

μὲν Φοίνικες, ἐπὰν δὲ ἀφίκωνται εἰς τὴν νῆσον τὴν Κέρνην, τοὺς μὲν γαύλους καθορμίζουσιν ἐν τῇ Κέρνῃ σκηνὰς ποιησάμενοι, τὸν δὲ φόρτον ἐξελόμενοι αὐτοὶ διακομίζουσιν ἐν μικροῖς πλοίοις, εἰς τὴν ἤπειρον: εἰσὶ δὲ οὗτοι Αἰθίοπες, πρὸς οὓς διατίθενται. Ita corrigendus ille locus qui corruptissimus in his verbis: τοὺς μὲν πανδοὺς ἐφ᾽ ὁρμίζουσι. Γαῦλοι naves sunt Phœnicum mercatorum. Cerne igitur ultima insula Atlantici maris contra quam Æthiopes Hesperii colebant. De situ Cernes paria sentit Dionysius, qui ab Eratosthene sumpsit, ut alia omnia:

---- ἐν δὲ μυχοῖσι
Βόσκοντ᾽ ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες
Αὐτοὶ ἐπ᾽ Ὠκεανῷ πυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης.

Africæ continentis ultimos ad occidentalem Oceanum facit Æthiopas & in illo Oceano ultimam insulam Cernen, quia ultra eam tum non navigabant mercatores. Polybius Cernen insulam in extrema Mauritania contra montem Atlantem, & octo stadia à terra abesse prodidit. Cornelius Nepos ex adverso maxime Carthaginis, à continente passus mille. Quod idem est spatium & pæne idem situs. Ptolemæus Libyæ adjacere Cernen tradit in Oceano occidentali: νῆσοι δὲ τῇ Λιβύῃ παράκεινται, ἐν μὲν τῷ δυτικῷ Ὠκεανῷ Κέρνη νῆσος. Hæc quum ita sint, quid ille sibi voluit vir eruditus, qui *Menuthiadem* insulam Æthiopiæ recentioribus geographis narratam credi vult esse antiquorum Cernen? *Hanc Menuthian*, inquit, *ecquid credis geographorum primis Cernen esse? Quidni*, inquit, succinit alter, *cum id invictis argumentis demonstratum sit, ut refelli nequeant.* Profecto invicta sunt argumenta, quæ contrarium probant, & Menuthiadi insulæ situm assignant in contrario salo cæloque. Quippe Menuthias in Barbarico sinu, qui pars est Oceani Indici ad Prasum promontorium, quod hodie *Mozambicum* vocatur, ut ipsa Menuthias ea est, quam vulgo nominant indigenæ *Madagascar*, à Lusitanis *insula S. Laurentii* dicitur. Certe non magis oriens ab occidente distat quam Cerne à Menuthiade. Marcianus de sinu Barbarico: ἐν δὲ τῷ τέλει τοῦ κόλπου κεῖται τὸ μέγιστον ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Πράσον ἄκρον, καὶ ἡ Μενουθιὰς νῆσος οὐ πόῤῥω τοῦ ἀκρωτηρίου τυγχάνουσα. Ptolemæus: τὸ δὲ Πράσον τὸ ἀκρωτήριον ᾧ παράκειται ἀπὸ θερινῶν ἀνατολῶν νῆσος ᾗ ὄνομα Μενουθιάς. Quare apud auctorem peripli corrigendum hujus insulæ pariter & promontorii nomen, quod utrumque in mendo jacet: μετὰ δύο δρόμους νυχθημέρους παρ᾽ αὐτὸ τὸ Πράσον ἄκρον εἰς ἕω Μενουθιὰς ἀπαντᾷ νῆσος, σταδίων ἀπὸ τῆς γῆς ὡσεὶ τετρακοσίων. Non est porro credibile meminisse illius insulæ auctorem illum, nec promontorii mentionem fecisse, cui adposita erat, longe celeberrimi. Emendatio illius loci, quam proponunt, & quam habent pro optima, ea falsissima est: παρ᾽ αὐτὴν τὴν δύσιν, εἶτε Μενουθιὰς ἀπαντᾷ νῆσος. Multo minus tolerari potest expositio, qua eam adstruunt correctionem. Alios nempe ad ortum eam insulam ponere, alios ad occasum. Hoc de Cerne fortasse dici posset, de cujus situ dubitasse scimus veteres. Sed alia est Menuthias à Cerne. Præterea ridiculus esset auctor ille, si exponere ingressus Oceanum Indicum & Eoi Oceani insulas, inter eas reponeret hanc insulam, quæ est occidentalis Oceani. Postquam, inquiunt, Menuthiadem ad occidentem collocasset, seipsum corrigit, & ad orientem ponit. Scilicet occidentalem insulam inter insulas orientis recenseret, & mox recensionis hujus pæniteret, & ab occasu in exortum uno pedato volaret. Quid ille hominis esset, qui ita scriberet? Barbaricus sinus orientalis & Indici Oceani par est. In eo sinu insula Menuthias in occidentali Oceano sita, aut etiam, ut aliis placet, ad orientem. Tale est, quod ex illa correctione eliciunt & asserunt. De situ Cernes insulæ dubitatum ostendit Eustathius ad Dionysium: καὶ ἡ θέσις δὲ αὐτῆς διαφωνεῖται: οἱ μὲν γὰρ ἀνατολικὴν αὐτὴν ὑποτίθενται, ὡς καὶ Λυκόφρων ἐμφαίνει, οἱ δὲ δυτικήν. Sane Lycophron ex insula Cerne oriri facit auroram:

Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῆς Κέρνης πέλας
Λιποῦσαν.

His versibus Κέρνην ibi collocat, ubi omnes alii veteres, Χρυσῆν, ὑπ᾽ αὐτὸν τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα. Hæc Cerne Lycophronis licet ad orientem sit, non potest eadem esse cum Menuthiade. Sed non minus nugatur Lyco-

A phron cubile solis in Cerne insula locando, quam Mimnermus, qui in Colchis constituit:

Αἰήταο πόλιν τόθι δ᾽ ὠκέος ἠελίοιο
Ἀκτῖνες χρυσέῳ κείαται ἐν θαλάμῳ.


Omnes alii scriptores Cernen in occidentali Oceano metantur. Quod etiam Strabo ostendit, licet Cernen inter loca numeret quæ tum non cognoscerentur, & Eratosthenem eo nomine reprehendat, quod fabulosis habeat fidem: πεπίστευκε δὲ καὶ περὶ τῶν ἔξω στηλῶν Ἡρακλείων πολλοῖς μυθώδεσι Κέρνην τε νῆσον καὶ ἄλλους τόπους ὀνομάζων τοὺς μηδαμοῦ νυνὶ δεικνυμένους. Ergo Cerne extra columnas Herculis in Oceano Atlantico, quam
B Polybius gravis auctor etiam agnoscit. Plinius inter insulas Æthiopiæ & huic locum dat. *Cerne nominatur insula adversa Æthiopiæ, cujus neque magnitudo, neque intervallum à continente constat.* Ita hæc legenda, non, ut est vulgo: *Contra sinum Persicum Cerne insula nominatur.* Nam verba illa *contra sinum Persicum*, ad præcedentem clausulam pertinent, ut jam aliis animadversum. Occidentalis Cerne Æthiopiæ adversa non est, sed Hesperiæ. At Plinius ex his, quæ apud eum sequuntur, orientalem eam insulam facere videtur: *Æthiopas tantum populos habere proditur. Ephorus auctor est à rubro mari navigantes in eam non posse propter solis ardores ultra quasdam columnas, ita appellantur parvæ insulæ,*
C *pervehi.* Hæc Ephori sententia Plinio præsertim referente mihi valde suspecta est. Cerne ab omnibus antiquis geographis in Oceano occidentali ponitur, ac terminus statuitur navigationis Phœnicum, qui non navigabant in eam à rubro mari: quî enim id pote, nondum comperta meridiani maris navigatione? Sed per Gades Oceanum illum ingrediebantur, qui etiam in ora illa multa oppida condiderunt. Hanno longe ultra Cernen in ea navigatione Atlantici maris processit, & usque ad Gorgadas insulas & promontorium
D Hesperium pervectus est, non tamen usque ad Arabiæ confinia penetravit, ut perperam autumat Plinius. Hesperion illud Ceras putant hodie esse quod vocatur Caput Viride. Sed eos errare infra ostendam. Cælius igitur ille Antipater, quum vidisse se affirmavit, qui ex Hispania in Æthiopiam navigasset commercii gratia, de Æthiopia illa Atlantico mari adjacente intelligebat, aut certe ille, qui ei hoc dicebat. Quam Plinius perperam pro Æthiopia orientali accepit. Quinetiam si qui Cernen insulam in orientali Oceano collocarunt, videntur decepti Æthiopiæ nomine, & Eoam pro Hesperia intellexisse, non parvo errore.

Ab India adusque Gades navigabile, chori tantum flatibus.]
E Nihil vidi verius. Ab India ad Gades chori tantum flatibus navigari? Sanus non erat homo iste. Sed habet auctorem Plinium. Nec ille sanus. Chori flatibus ab India Gades navigari simpliciter ille dixit. Hic veritus ne pari mensura modoque cum auctore suo erraret, adjecit ad pondus istud *tantum*. In ea navigatione ad omnes mundi partes cursus vertitur, ad meridiem, ad orientem, ad occidentem, & ad septentrionem. Et cui credibile fiet, uno tantum choro flante ac ferente, tot fieri flexus ac velivolos cursus? Vegetius λιβόνοτον corum interpretatur, &
F ad sinistram meridiani cardinis collocat. Hoc vento ab initio maris Atlantici Gades posset navigari. Sed alii auctores omnes dissentiunt, qui hunc ventum à sinistra occidui cardinis faciunt spirare inter favonium & septentrionem, ab occasu nempe æstivo. Vitruvius: *Inter favonium & septentrionem chaurus, quem plures vocant chorum.* In hac quoque sententia Plinius ipse lib. XVIII. cap. XXXIV. *Ex adverso vulturni flabit corus ab occasu solstitiali & occidentali latere septentrionis.* Gratius in Cynegetico:

Verum ubi chaurino perstrinxit frigore vesper
Ire placet.

Ab occidente hic ventus, sed à parte septentrionis.
G Ideo frigidus. Virgilius: *In borean chaurumque.* Græci ἀργέστην appellant. Si vulturnus ex India revertentibus secundus est ventus, ut Plinius ipse auctor est, Indiam petentibus commodior esset chorus, qui eodem teste adversus vulturnum spirat, quam ex India velificantibus, quibus plane contrarius chorus. Opportunior tamen Africus Indos petentibus, qui adversus aquilonem flat. Auctor peripli λιβόνοτον vocat, quem

A quem alii auctores λίϐα appellant: ἐκ τȣ̃ Ὠκεανȣ̃ φυσώντων τῶν παρ' ἡμῖν ἐτησίων ἐν τῷ Ἰνδικῷ πελάγει λιϐόνοτος φαίνεται. Ubi eteſias zephyros, vel favonios intelligit ex Oceano occiduo ſpirantes certo anni tempore, præcipue verno, quibus flantibus in mari Indico libonotus ventus ex Arabico portu egreſſos mercatores, & Indiam petentes vehit. *Hippalum* hunc ventum à gubernatore quodam cognominatum tradit, & ſic in India vocari. B Plinius favonium interpretatur: *Poſtea à Syagro Arabiæ promontorio Patalen favonio, quem ibi hippalum vocant, peti certiſſimum videbatur.* Et paulo poſt: *Inde vento hippalo navigant diebus quadraginta ad primum emporium Indiæ Muzirim.* Eum ventum peripli auctor λιϐόνοτον vocavit, & λίϐα intellexit, id eſt, africum qui ad latus dextrum favonii, quod ad meridiem inclinat. Alii proprium hoc nomen fecere venti meridiani, qui ad ſiniſtram noti locatur. De quo non poteſt C accipi peripli auctor. Nec enim ventus à meridie ſpirans ferre poſſet navigantes in Indiam. Africum aquiloni contrarium flare ſcribit Plinius, chorum vulturno. Favonius contra apud Agellium chorum adverſus aquilonem animas impellere, africum adverſus vulturnum tradit. De ſitu tamen eorum ventorum utrique paria ſentiunt. Certe in recta linea chorus & aquilo invicem oppoſiti ſunt adverſis frontibus. Chorus ab æſtivo occaſu fertur, aquilo ab æſtiva & orientali meta venit. Similiter africus & vulturnus in altera linea ſeſe invicem reſpiciunt, hic ex hiberno oriente, ille ab occaſu brumali oriundus. Hunc ſitum eorum ſpectavit favonius, quum vulturnum africo, aquilonem choro flare contrarium dixit. Ceterum in decuſſata linea chorus vulturno oppoſitus & adverſus, africus aquiloni ex adverſo reſpondet. Quod ex ſubjecto diagrammate apparebit.




D Hos octo ventos ſolos antiqui ut præcipuos norant, tres occidentales & tres orientales inter ſeſe adverſos, unum ſeptentrionalem, & unum meridialem. Agellius lib. II. cap. XXII. *Ea duæ regiones cæli orientis occidentaliſque inter ſe adverſæ ſex habere ventos videntur. Meridies autem quoniam certo atque fixo limite eſt, unum meridialem ventum habet. Septentriones autem habent ob eamdem cauſam unum.* Quod igitur tres occidentales ventos objectos directoſque ex adverſo trium orientalium conſtituerent, idcirco & chorum oppoſitum aquiloni, africum vulturno eſſe voluerunt. Et ſanè chorus in parte occidentali oppoſitus eſt aquiloni in parte orientali poſito, & africus vulturno, non tamen ut ſiti E ſunt, ita flatus ſuos alter in alterum directos mittunt, ſed ex ratione mundi & horizontis, ut χιασμὸν faciunt, hi quatuor venti decuſſantibus lineis africus reſpondet aquiloni, & ex adverſum eum ſpiritus ſuos dirigit, quemadmodum in forma ſupra ſcripta videre eſt, & chorus reflat vulturno. Vereor igitur ne Agellius Favorini mentem non rectè collegerit, nec bene retulerit. Hoc ſi non eſt, tum in culpa erit ipſe Favorinus. Certè prava ea opinione quidam inducti ſitus ventorum permutarunt, & vulturnum in aquilonis F ſede poſuerunt, quia ſcripſit ſcilicet Agellius ex ſententia Favorini, africum contra vulturnum ſtare & flare. Alii autem tradiderunt africum aquiloni contraverſum eſſe. Hinc vulturnum cum aquilone quidam eumdem fecere. Iſidorus: *Subſolanus à latere dextro vulturnum habet, à lævo eurum.* Immo à latere ſiniſtro ſubſolani vulturnus, qui idem pleriſque cum euro. Alii vero medium eurum ſtatuunt in cardine orientis æquinoctiali, ut Favorinus apud Agellium. Vitruvius ſolanum vocat qui aliis eſt eurus, & eurum qui aliis G vulturnus: *itaque ſunt collocati inter ſolanum & auſtrum: ab oriente hiberno eurus.* Preterea quod idem Favorinus in ea partitione octo ventorum, tres orientales facit, tres occidentales, unum ex meridiano axe & unum ex ſeptentrionali, ſciendum eſt non magis numerari poſſe tres occidentales quam tres meridiales, nec merito ſuo locum potius dandum tribus orientalibus, quam tribus ſeptentrionalibus. Nam veteres octo illis ventis totum mundum æqualiter diviſerunt pari intervallo ab invicem diſtantibus. Itaque chorus non magis occidentalis quam ſeptentrionalis, utpote inter utrumque poſitus. Nec africus magis occiduus quam meridialis. Aquilo quoque in ea diſtributione æquè ſeptentrionalis eſt & orientalis, ut vulturnus orienti & meridiei communis. Ea propter Andronicus Cyrreſtes, qui hunc ventorum numerum & partitionem inſtituit, turrim marmoream Athenis collocaverat octagonon, & in ſingulis lateribus octagoni ſingulorum ventorum imagines exſculptas contra ſuos cujuſque flatus deſignaverat, & ſupra eam turrim metam ex marmore poſuerat, cui triton æneus impoſitus ad omnem venti auram verſatilis, virgam manu tenens ac porrigens indicabat quis ventus flaret. Ad hoc exemplum hodie in ſummis ædium faſtigiis & templorum obeliſcis gallus gallinacius ex ære imponitur, qui ſemper roſtrum habet converſum contra ventum flantem, eumque hoc modo indicat. Nam caudam ejus latiorem ventus qui flat verberans & impellens, roſtrum avis adverſum ſe conſiſtere cogit. Ita triton æneus in fabrica Andronici ſic machinatus fuerat, ut cum vento circumageretur, ſemper contra flatum conſiſteret, & ſupra imaginem flantis venti virgam indicem teneret. Eumdem uſum præſtant cognoſcendi flatus qui obtinet in ſummis trichoris nobilium domuum *pinnacella* quæ vocantur vulgo, in modum bandi vel vexilli ductæ ex ære laminæ, quamvis ad ornatum & inſigne addi ſoleant. Quibus reſpondent Græcorum ἀκρωτήρια, hoc eſt, faſtigiorum ornamenta. Nam *pinnacella* eſt ἀκρωτήριον. Victoriolæ & Deorum ſimulacra olim imponi ſolita ornandis faſtigiis. Hodie ejuſmodi *pinnacella* adduntur, quæ parva ſunt vexilla ænea, verſatilia ad ventum indicandum qui ſpirat. *Gyroettas* etiam vocant à gyrandi ſignificatione. Formam octagoni Andronici cum nominibus ventorum heîc ex Vitruvio ſubjiciemus.

C



Græca etiam nomina addidi, quibus usum esse Andronicum pro certo habeo, quæ Latinis illis nominibus reddidit Vitruvius. In hoc octagono, ut vides, chorus contra eurum, sive volturnum flatus suos directos & oppositos habet, africus in aquilonem suos dirigit spiritus. Quia invicem à se longissime distant utpote κατὰ διάμετρον, ideo inter se erunt frontibus adversis contrarii. Nam

A teste Philosopho πλεῖστον ἀπέχει τὰ κατὰ διάμετρον. Quæ plurimum autem loco distant ac dissident, ea maxime κατὰ τόπον contraria & pugnantia. Inde sequitur eos ventos, qui κατὰ διάμετρον invicem disparantur, quæ longissima est loci distantia, inter se contrarios esse. Verba Philosophi: ἀναγκαῖον οὖν, καὶ τῶν πνευμάτων ταῦτα ἀλλήλοις ἐναντία
B εἶναι, ὅσα κατὰ διάμετρον ἐστί. Id ex forma subjecta patebit.



A & B occasus & ortus æquinoctialis, qui κατὰ διάμετρον oppositi sunt, ideo & venti, qui indidem spirant, contrarios & oppositos inter se habent flatus. Similiter H & Θ ex diametro distant, septentrio & auster. Ea propter & flatus indidem venientes ex adversum alter alterum spirant. E & Z occasus & ortus æstivi oppositos quidem situs hadent, sed non κατὰ διάμετρον. Et proinde ex illis regionibus flantes venti non erunt inter sese adversi. Eodem modo Γ & Δ occasus & ortus brumales sese invicem quidem respectant, sed flabra inde orientia non videntur contraversa & ἀντίπνοα, quia linea, qua disjunguntur, non est diametra. Ergo E & Δ inter se contrarios flatus emittunt, *argestes* nempe & *eurus*, qui *chorus* & *vulturnus* Romanis. Z & Γ pariter alter alterum contra nituntur, & reflant, *cacias* & *lips*, vel, ut Romani loquebantur, *aquilo* & *africus*. Aristoteles καικίαν vocat ventum ab ortu solstitiali spirantem, quem Romani *aquilonem* appellabant. Andronicus & alii Græci βορέαν. Aristoteles autem in meteorologicis ἀπαρκτίαν & βορέαν eumdem facit qui ab ipso axe spirat. At auctor libri de Mundo ἀπαρκτίαν quidem vocat qui ab ipso polo venit, cui βορέαν adjungit inter solstitialem exortum & septentrionem. Ut hinc colligi possit opus illud attribui non posse Aristoteli. Sed de his infra. Nugabatur igitur aut plus satis adbiberat in illo suo convivio Favorinus, quum arge-

C sten adversus aquilonem flare, & africum, qui Græce λίψ dicitur, adversus volturnum facere dixit. Ita enim veteres libri scribunt: *Tertius, africus, qui Græce λίψ, adversus volturnum facit.* Ceterum qui octo ventos numerare instituerunt, eorum spatia æqualiter in circuitum orbis descripserunt, ut fecerat Andronicus Cyrrestes in octagono sua turri, ex cujus sententia ita scribit Vitruvius lib. I. cap. VI. *Itaque sunt collocati inter*
D *solanum & austrum ab oriente hiberno eurus, inter austrum & favonium ab occidente hiberno africus: inter favonium & septentrionem chaurus, quem plures vocant chorum. Inter septentrionem, & solanum aquilo. Hoc modo videtur esse expressum, uti capiatur numerus, & nomina, & partes, unde certi ventorum flatus spirent.* Ex his etiam sciri potest, an verum sit, quod post Plinium heic Solinus af-
E firmat, chori tantum flatu ab India Gades usque navigari. Ceterum octo ventos supra scriptos, & æquabiliter orbi terrarum distributos à Romanis observatos fuisse testes Varro & Plinius. Hic octo tantum numerat. Ille similem rationem colligendi, qua ex parte veniret ventus, in ornithone villæ fabricatam, atque eam quam Athenis collocaverat Andronicus, exponit
F lib. III. cap. V. de R. R his verbis: *In eodem hemisphario medio circum cardinem est orbis ventorum octo, ut Athenis in horologio, quod fecit Cyrrestes. Ibique eminens radius à cardine ad orbem ita movetur, ut eum tangat ventum*

qui

qui flet, ut intus scire possis. In his multa notanda. Orbem ventorum vocat circulum, vel polum, in quo octo ventorum nomina eo ordine, ac situ descripta fuerant, ut in octagono Andronici supra habuimus. In machinamento Varronis radius eminens à cardine ad orbem ita movebatur, ut eum tangeret ventum qui flaret. In octagono turri Andronici triton æneus contra ventum, qui flabat, collocatus, supra imaginem venti flantis virgam indicem tenebat. Vitruvius: *& ita est machinatus, ut vento circumageretur, & semper contra ventum consisteret, supraque imaginem flantis venti virgam indicem teneret.* Sed quare *horologium* vocat Varro illam machinam, quæ ventis tantum explorandis noscendisque erat facta? An quia adjectum & horologium ut in ornithone Varronis? Non puto, nec hoc dicit Vitruvius. Præterea divisæ sunt machinæ, & nominibus distinctæ, quæ horas ostendunt, & quæ ventos. Fortasse Varro scripserat: *In aurologio, quod fecit Cyrrestes.* Quod postea mutatum librariorum vitio in *orologium.* Ut *cautes*, cotes: *cauda*, coda. Et similia. Revera αὐρολόγιον fuit illud octogonum μηχανικὸν Andronici, quo indicium fieret quibus ex locis venirent auræ ventorum. Sic ἡμερολόγιον, & μηνολόγιον. Fortasse & ὡρολόγιον etiam dixerunt non ab horis, quarum singulæ duodecimam diei partem constituunt, sed ἀπὸ τῶν ὡρῶν quæ tempora anni significant. Hinc ἡλιοτρόπιον veterum exponitur ὡρολόγιον, quum certum sit in illis ἡλιοτροπίοις non horas diei, sed ὥρας ἔτους signatas fuisse, cum vario signorum ortu & obitu.

Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.

Ut ὥρα duplicem habet significationem, pro diei particula, & pro anni tempestate sumpta, ita & ὡρολόγιον. Venti quoque tempora variant. Unde austrinæ tempestates Suetonio τὰ νότια. Sic boreales τὰ βόρεια, eæ nempe temporis constitutiones, quæ illo & illo vento flante fiunt. Communi autem consensu tam Græcis quam Romanis receptam fuisse octonariam hanc ventorum partitionem, & magis probatum istum numerum quam alium quemlibet, testimonio auctorum utriusque linguæ confirmari potest. Aristoteles in Meteorologicis hos solos esse octo ventos pronuntiat, qui ex diametro invicem sibi respondeant in contrario situ positi. Οὗτοι μὲν οὖν, inquit, οἱ κατὰ διάμετρόν τε κείμενοι ἄνεμοι, καὶ οἷς εἰσὶν ἐναντίοι. Etenim si qui alii inserantur iis suos non dari contrarios. Ἕτεροι δ' εἰσὶν, καθ' οὓς οὐκ ἔστιν ἐναντία πνεύματα. Illum vide lib. II. Meteorolog. cap. VI. Prima & antiqua partitio quaternos tantum ventos habuit ex quatuor partibus mundi. Eam Homerus novit, qui plures non agnoscit, eurum, austrum, aquilonem, favonium. Hos quatuor primos vocat Favorinus apud Agellium lib. II. cap. XXII. *A quatuor cœli partibus, quos quasi primos nominabimus.* Ita legendum, non, ut est vulgo: *quas quasi primas nominavimus.* His additi secundi quatuor, & sic octo facti sunt. Postea adjecti tertii quatuor, & duodecim facti. Verba Agellii, quibus hoc dicit, in vulgatis editionibus corruptissima sic sunt corrigenda: *partim autem sunt, qui pro octo duodecim faciunt, tertios quatuor in media loca inserentes cum meridie septentriones, eadem ratione qua secundi quatuor interjiti sunt inter primores duos apud orientem occidentemque.* Ex vestigiis antiquæ lectionis ita reposuimus. In prisca ac prima distributione quatuor tantum erant venti ex quatuor mundi cardinibus. Hos primos quatuor nominabat Favorinus. In his primis quatuor duo fuere primores apud orientem occidentemque. Unus nempe in cardine orientis æquinoctialis, & unus in cardine occidentis æquinoctialis. Ad illos primores duos orientalem & occidentalem adjecti secundi quatuor qui octonarium numerum fecerunt, duo nempe adjuncti ad latus ortus æquinoctialis, ex ortu solstitiali spirans unus, & ex ortu brumali veniens alter. Et duo item in parte occidentali ex occasu æstivo, & ex occasu hiberno, qui medium æquinoctialem occiduum statuerunt. Hanc rationem sequutus Favorinus orientem & occidentem sex habere ventos dixit inter sese adversos, meridiem autem unum, & septentriones unum, quoniam immutabiles. *Meridies autem quoniam certo atque fixo limite est, unum meri-*

A *dionalem ventum habet.* Vix puto dictionem esse Latinam *meridionale.* Nec enim *meridio* dicitur, ut *septentrio.* Recte igitur optimus liber *unum meridialem ventum habet.* Sic multa tamen vulgi usus introduxit contra legem ac normam loquendi, ut quum *tremissem* pro triente formarunt ad instar *semissis*: & *replum* Vitruvio quod replicatur, ut & *duplum* quod duplicatur, & talia infinita, de quibus nos alibi. Quemadmodum autem sequens ætas ad priorem numerum ventorum quatuor, binos in parte orientis interseruit, & binos in occidentis latere, & octo pro quatuor voluerunt esse: hoc eodem exemplo alii in parte septentrio- B num duos interserunt ventos veluti statores, qui latera tuerentur venti aparctiæ ex ipso poli articulo spirantis, & duos item ad latera austri interjecerunt austrinos flatus. Ita duodecim effecti, tres occidentales, tres septentrionales, tres orientales ac tres meridionales, quum unus tantum esset meridialis, & unus septentrionalis in secunda divisione, in prima etiam unus tantum orientalis, & unus occidentalis. Plinius vero antiquiorem eam vult fuisse rationem, quæ duodecim ventos numeravit quam quæ octo, sed hanc usu receptam & magis probatam. Hæc ejus verba sunt: *Veteres quatuor omnino servavere, per totidem mun-* C *di partes, ideo nec Homerus plures nominat, hebeti, ut mox indicatum est, ratione. Sequuta ætas octo addidit, nimis subtili & concisa. Proximis inter utramque media placuit ad brevem ex numerosa additis quatuor.* In octonaria illa distributione veteres Græci æqualiter totum hemisphærium quod supra nos est, octo ventis diviserunt pari spatio inter se dissitis distantibusque, ut in octagono Andronici supra vidimus. Sic quatuor secundi, qui quatuor primis sunt additi secunda divisione, inter duos cardines positi non magis ad hunc quam illum attinebant, sed utriusque erant communes. Ut chaurus, vel argestes, qui medius septentrionis, & æqui- D noctialis occasus interjectus est, non magis videbatur esse occiduus quam septentrionalis. Et eurus, sive volturnus intersitus meridianum inter cardinem, & æquinoctialis ortus metam, non minus putabatur meridialis quam orientalis. Et sic de duobus ceteris. Favorinus tamen tres orientales & tres occidentales esse in eo numero videri voluit, unum tantum septentrionalem, & unum meridionalem. Plinius vero aliam rationem iniit in horum octo ventorum finibus per cœli regiones tribuendis. Binos ponit in singulis cœli partibus: *Sunt ergo,* inquit, *bini in quatuor cœlo partibus. Ab oriente æquinoctiali subsolanus, ab oriente brumali volturnus. Illum apelioten, hunc Græci eurum appel-* E *lant.* Sed eum plane fugisse ratio videtur. In orientali plaga binos recenset, qui ab oriente æquinoctiali spirat & qui à brumali. Quo jure vero ab orientis regione excludit eum ventum, qui à solstitiali Oriente flat? Dices propiorem esse septentrionibus, & proinde septentrionali oræ merito adscribi potius quam orientali. Atqui non longius distat à meridiano axe eurus, quam boreali aquilo. Nec plus est juris, ut volturnus, qui eurus est, attribui debeat orientis partibus quam aquilo vel boreas. Hoc idem de aliis pronuntiamus. Occiduos duo tantum constituit, ab occasu F æquinoctiali favonium, & ab occasu solstitiali chaurum. Africus, qui ab occasu brumali flat, pari jure potuit accenseri ventis occidentalibus, quem tamen meridianis locis vindicat. Et sic de ceteris. Errat etiam non leviter in his verbis: *à septentrionibus septentrio interque eum & exortum solstitialem aquilo, aparctias dicti & boreas.* Eam tractat dispositionem ventorum, quæ octo tantum computat, & binos singulis regionibus cœli deputat. Atqui ea partitio inter exortum solstitialem & septentrionem nulli vento dat locum. Alioquin novem ex ea dinumeratione pro octo surgerent venti. Boreas autem ille, vel aquilo juxta eorum sententiam qui octo ventos numerabant, non inter septen- G trionem & solstitialem exortum sedes habet, sed ab exortu ipso solstitiali emittitur. Secundum alios vero qui duodenarium in ventis numerum magis probant, cæcias circa exortum solstitialem collocatur, inter eum & septentrionem boreas vel aquilo interjicitur. Auctor libri de Mundo: καὶ τῶν βορέων ἰδίως ὁ μὲν ἑξῆς τῷ

 καικίᾳ,

καικίαν, καλεῖται βορέας, ἀπαρκτίας δὲ ὁ ἐφεξῆς ἀπὸ τοῦ πόλου κατὰ τὸ μεσημβρινὸν πνέων. Cæcian ille flare facit exortu solstitiali, & inter orientales flatus recenset quos tres statuit, ut tres septentrionales, tres occiduos, & totidem meridianos. Sic duodecim novit. Non igitur Aristotelis illud scriptum qui octo tantum posuit. Præterea Aristoteles βορέαν & ἀπαρκτίαν, qui ab axe ipso oritur, eumdem vult esse. Hic boream à septentrione separat, & inter exortum solstitialem & septentrionem eum metatur, quod Plinius sequutus est, licet in alia divisione. Sic breviorem confudit rationem cum numerosa. Verba superius allata ex libro de mundo pessime interpretes ita reddunt: *qui autem hunc à vertice statim excipit per meridianum spirans, septentrio dicitur.* Ἀπαρκτίας δὲ ὁ ἐφεξῆς ἀπὸ τοῦ πόλου κατὰ τὸ μεσημβρινὸν πνέων. Et tamen quod mirandum, Budæus est qui ita vertit. Legendum in Græcis: ἀπὸ τοῦ πόλου κατὰ τὸν μεσημβρινὸν πνέων. Absolute πόλος Græcis vocatur borealis axis. At μεσημβρινὸς etiam πόλος dicitur. Aparctias igitur ab axe septentrionum contra meridianum axem directus flat, κατὰ τὸν μεσημβρινὸν πνεῖ. Sic Aristoteles in Meteorologicis: ἕτεροι δὲ εἰσὶν καθ᾽ οὓς οὐκ ἔστιν ἐναντία πνεύματα. *Alii sunt venti contra quos non spirant adversi flatus.* Geographi passim ita loquuntur: κατὰ τὸν Γάγγην, κατὰ τὸ Ἰνδοῦ στόματα: *contra Gangem, contra Indi ostia.* Sed longe deterrima illius loci versio quem dedit Apulejus in tractatu cognomine. Sic enim dixit: *Et aquilo, qui septem stellarum regione generatur. Huic vicinus est aparctias. Hic propior ad diem medium. Thrascias & argestes sunt indidem flantes.* Ita hæc sunt distinguenda, ac legenda. Aparctias, *propior ad diem medium*, quem κατὰ τὸν μεσημβρινὸν πνεῖν Græcus auctor scribit, id est, contra meridianum axem flare. Hæc monstro pæne similia sunt. Sed talis ubique in illo scripto Apulejus. Quod autem ait, *thrascias & argestes sunt indidem flantes*, in Græcis ita concipitur: Θρασκίας δὲ ὁ ἐξῆς πνέων τοῦ ἀργέστη, ὃν ἔνιοι κερκίαν καλοῦσι. Ita ibi legendum docemus infra, non καικίαν. Mens Græci scriptoris hæc est, aparctian, qui ab axe spirat, collateraneos habere thrascian & borean in septentrionali plaga: post thrascian continenter sequi argesten in occiduis partibus ab occasu æstivo flantem. Non igitur argestes & thrascias indidem sunt flantes. Sed ex occidente æstivo venit argestes: thrascias septentrionalis inter solstitialem occasum & septentriones positus. Non puto tamen tam cæcum mentis fuisse Apulejum, & sensus communis expertem, ut aparctian ab axe septentrionali spirantem ventum ad medium diem pertinere putaverit. Sublevemus igitur hominem & culpam in librarios conferamus. Veteres editiones eo loco sic legunt: *& huic vicinus est aparctias. Huic propiores ad idem diem medium.* Libri veteres habent: *Hic prior est ad idem diem medium.* Scribo: *Hic prior est indidem in diem medium.* Priorem esse dicit aparctian eorum ventorum, qui ab axe boreo flant, & in diem medium dirigi. Pendet autem sermo ex sequentibus, quæ etiam sunt corruptissima. Florentinæ membranæ cum aliis vetustis ita legunt: *thrascias & argestes sunt in Indiam flantes.* Quod rejicere non debuerunt. Hæc enim vera lectio. Totum igitur locum sic constitue: *Hic prior est indidem in diem medium, thrascias & argestes sunt in Indiam flantes.* Ait aparctian in diem medium flare, id est, contra meridiem, thrascian autem & argesten contra Indiam, quod verum est. Sic loquitur Agellius: *Is objectus directusque in austrum.* Ita aparctias in medium diem flat, & thrascias cum argeste in Indiam. Male tamen Apulejus eo loco argesten ab japyge sejungit, quum Græcus auctor diserte prodat argesten ab aliis ἰάπυγα vocari: Ἀργέστης μὲν ὁ ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως, ὃν τινες καλοῦσι ὀλυμπίαν, οἱ δὲ ἰάπυγα. Hic est Latinorum chaurus. Sed hæc paulo post. Prima & antiqua divisio, quæ quatuor tantum ventos cognoverat, & quatuor cæli plagis eos educebat. Κλίματα vocat Dionysius Uticensis: ἀπὸ τῶν τεσσάρων κλιμάτων τέσσαρες αὐθεντικοὶ πνέουσιν ἄνεμοι. *Cæli partes* appellat Plinius. Favonius apud Agellium *limites & regiones cæli*. Inferior Latinitas *cardines* indigetavit. Vegetius de ventis: *à verno itaque solstitio sumimus exordium, ex quo oritur ventus apeliotes.* Ita paulo post: *meridianum cardinem, occidentalem cardinem, & septentrionalem cardinem* nominat.

A Græci κέντρα dicunt: Ἀνατολικὸν κέντρον, δυτικὸν κέντρον, ἀρκτικὸν κέντρον & μεσημβρινὸν κέντρον. Dionysius: ὁ μὲν οὖν ἀπηλιώτης ἀπὸ ἀνατολικοῦ κέντρου φερόμενος. *Apeliotes, qui ab orientali cardine fertur.* Et ita in reliquis. Hinc *ventos cardinales* idem Latinitatis ævum appellavit quatuor illos primos ac præcipuos ventos, qui ex quatuor cardinibus mundi oriuntur. Dionysius αὐθεντικοὺς nuncupat. Vegetius *principales* lib. IV. cap. XXXVIII. *Ita ut ventis principalibus declaratis, eos qui ipsis dextra lævaque juncti sunt, indicemus.* Servius *cardinales* ad illud poëtæ:

Eurum ad se zephyrumque vocat.

B Ubi hæc verba ponit: *pars pro toto, isti enim sunt cardinales.* Ab eadem metaphora quatuor principales virtutes dixere *cardinales*. Sed & presbyteri & diaconi Episcopi urbis olim ob excellentiam dignitatis *cardinales* sunt nuncupati, & *cardinarii* quasi principales dixeris & primos presbyteros diaconosque. Hujus appellationis mentio apud Gregorium Magnum occurrit, nec puto antiquiorem reperiri. Verum de his alibi. Cardo autem pro momento & articulo sumitur, in quo præcipue res vertitur, ab ostiorum cardinibus. Virgilius:

---- *haud tanto cessabit cardine rerum,*

in tanta occasione rei faciendæ haud cessabit. Ibi Servius notat dici *rem in cardine esse*, quum in articulo est. C Ergo cardo ipsum punctum est ac momentum occasionis & opportunitatis, quæ nisi rapiatur, effluit statim. Ceterum proprie loquendo, non quatuor sunt mundi cardines, sed duo tantum, septentrionalis & meridianus axis, super quibus verti mundus fingitur. Æquinoctialis vero occidens, cum oriente æquinoctiali, cardines potius sunt solis quam mundi. Κέντρα Græci appellant. Ea quatuor sunt, solstitium & bruma, & duo æquinoctia. Momenta & puncta sic vocarunt, in quibus solstitia & æquinoctia committuntur. Quum ea sol attigit, *in cardine illum esse* Latini dicebant Servio teste. D Quatuor illa κέντρα solis sex ventos emittunt, ab ortu & occasu æquinoctiali duo, ab ortu & occasu solstitiali iterum duo, ac reliquos duo ab ortu brumali & occasu. Cardinales venti non minus hi possunt appellari, quam qui à mundi cardinibus exoriuntur. Hoc sequutos puto quibus placuit præcipuis octo ventis mundum perflari. Quæ communior ac constantior veterum opinio fuit. Sex à totidem solis cardinibus, sive κέντροις. Et duo à duobus mundi cardinibus vel axibus. Aristoteles κυριώτατα vocat πνεύματα octo supradictos ventos. Non defuere tamen ex antiquis, qui solos hos duos ventos, qui ab utraque mundi meta originem ducunt, recipiendos putarent, veluti principes ac magistros, austrum & aquilonem, reliquos E omnes accessionum vice habendos, & prout inclinatione ac recessione ab hoc & ab illo axe deflecterent, septentrionales aut meridianos esse nominandos. Et sane hi duo venti quum semel occœperunt, diutissime durant, & vehementissimi sunt. Aristoteles in Politicis IV. II. Καθάπερ ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια, τὰ δὲ νότια, τὰ δ᾽ ἄλλα τούτων παρεκβάσεις. *Ut de ventis alii dicuntur septentrionales, alii meridiales, ceteri horum inclinationes ac recessiones sunt.* Juxta hanc sententiam à Lucilio scriptum ex persona Cotys Thracum regis:

F *Rex Cotus ille duo hos ventos, austrum atque aquilonem*
Novisse ajebat solos se demagis, istos
Ex nimbo austellos nec nosse, nec esse putare.

Ita legendi hi duo versus, qui apud Nonium claudicant. Hinc in antiquis philosophorum & medicorum scriptis & præcipue apud Aristotelem, ac Theophrastum, ad designandas tempestatum & aëris constitutiones, quas venti faciunt, τὰ βόρεια solum & τὰ νότια nominantur. Ἐν τοῖς βορείοις, ἐν τοῖς νοτίοις, id est, flantibus aquilonibus & austris. Suetonius *austrinis tempestatibus* dixit, ἐν τοῖς νοτίοις. At nusquam τὰ ἑσπέρια, aut τὰ ἑῷα commemorantur. Et diserte ipse Aristoteles in Meteorologicis, postquam octo principales ventos cum suis lateronibus nominavit, ita infit: ὅλως δὲ τὰ G μὲν βόρεια τούτων καλεῖται, τὰ δὲ νότια. Additque ibidem occiduos flatus, quia frigidiores sunt, accedere septentrionalibus, & orientales è contra ventorum spiritus, quia solent esse calidiores, in censum ac nomen meridianorum cadere. Προστίθεται δὲ τὰ μὲν ζεφυρικὰ τοῖς βορείοις, ψυχρότερα γὰρ διὰ τὸ ἀπὸ δυσμῶν πνεῖν: τοῖς δὲ νοτίοις τὰ ἀπηλιωτικά:

πικά: θερμότερ@ γὰρ τῶ ἀπὸ ἀνατολῆς πνεῖν. Quod caute exponendum reor. Nam aquilo, vel cæcias Aristotelis inter orientales ventos, utpote à solstitiali manans exortu, & propterea ex præscripto philosophi meridianis adnumerandus. Is tamen longe frigidior africo, qui ex eadem definitione septentrionalibus accensendus foret, quoniam ex occasu hiberno effluit, & inter occidentales reponitur. Censeo igitur æquinoctialem lineam quodammodo discriminare ac disterminare debere ventos septentrionales à meridianis, sic tamen ut ab occasu æquinoctiali veniens ventus cedat aquilonibus, & qui ab æquinoctiali oriente emittitur austrorum in numerum redigatur. Ita duo occidentales septentrionibus adgregabuntur, & duo orientales meridianis adjuncti erunt. Sic Aristotelem intelligendum existimo, ubi ait, τὰ ζεφυρικὰ προστίθεσθαι τοῖς βορείοις, & τὰ ἀπηλιωτικὰ τοῖς νοτίοις. Et notandum est eum dicere τὰ ζεφυρικὰ, non τὰ ἑσπέρια & τὰ ἀπηλιωτικὰ, non τὰ ἑῶα. Indicat igitur à zephyro auspicandum, qui ab æquinoctiali occasu exit, & omnes exinde ventos per septentrionum plagam usque ad æquinoctialem exortum septentrionalium in numero esse ponendos, comprehenso ipso zephyro, qui cardinem possidet occasus æquinoctialis. Tum apelioten ipsum, qui cardinem tenet æquinoctialis orientis cum reliquis sequentibus ultra lineam æquinoctialem austris accensendos adusque zephyrum in æquinoctiali occasu situm à quo initium sumunt septentrionales. Ideo autem Philosophus βορέαν eumdem cum ἀπαρκτίᾳ facit & ab ipso polo procedere vult, quia ab eo ut principali ac præcipue septentrionalium τὰ βόρεια denominantur, ut a noto, contra quem directus est, τὰ νότια appellantur. Ceteri omnes τὸν βορέαν collateraneum ventum faciunt, & circa ipsum solstitii æstivi orientem metantur ejus situm, aut inter solstitialem exortum & septentrionem interserunt. Post priscam illam, primamque rationem, quæ ventorum quaternionem ponebat, & quæ antiquissimorum fuit temporum, sequenti ætati duæ maxime receptæ, ut diximus, fuerunt, octonariæ & duodenariæ, aliis hanc, aliis illam magis probantibus. Quod autem duodenariam antiquiorem fuisse octonaria Plinius asserit, in eo falsus est. Aristoteles eam tantum agnoscit, quæ octo ventis principalibus constabat. Κυριώτατ@ illa vocat & διωρισμένα πνεύματα. Sed & ἰθαγενεῖς, id est, legitimos ventos, & reliquos pro spuriis habet, quæ vox non intellecta doctissimo interpreti. Nusquam tamen meminit Εὐρονότου & λιβονότου, quæ ab omnibus aliis agnoscuntur, qui duodecim posuerunt. Eorum sane mentio extat apud auctorem libri de mundo qui duodenaria ratione utitur. Aristoteles vero quum solos octo recipiat ventos principales, à quibusdam duos alios adjunctos commemorat in septentrionali plaga, θρασκίαν & μέσην. Atque ex eo rationem reddere conatur, aut in septentrionis partibus plures sint flatus quam in meridianis. Quod argumentum est euronotum & libonotum ipsi de nomine notos non fuisse, quos posterior ætas in numerum admisit quæ duodecim computavit. Phœniciæ tamen etiam meminit, quem thrasciæ opponi utcunque posse dicit. Thrascias autem ipsi ponitur inter caurum & aparctian, cui alium ex diametro contrarium flatum dari non posse ait, nisi si forte φοινικίαν, quem tenuem esse ventum, atque non diu durantem affirmat. Ει μὴ ἀπ' αὐτοῦ, ᾗ ἐπ' ὀλίγον πνεῖ τις ἄνεμ@, ὃν καλοῦσιν οἱ περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον φοινικίαν. Is omnino est quem alii recentiores εὐρόνοτον appellarunt, inter meridiem scilicet & ortum brumalem locatus. Plinius: *Numerosior ratio quatuor his interjecerat thrascian media regione inter septentrionem & occasum solstitialem. Itemque cæciam media inter aquilonem & exortum æquinoctialem: Phœnician media regione inter ortum brumalem & meridiem: item inter liba & noton compositum ex utroque, medium inter meridiem & hibernum occidentem, libonoton.* Ita legendus hic locus. Perperam interserunt editi: *ab ortu solstitiali phœnician.* Duo verba illa expunximus, *ab ortu solstitiali*, quæ nullo modo ibi hærere possunt. Hi sunt igitur teste Plinio quatuor venti, quos ad illos octo principales addidere illi, quibus placuit esse duodecim, thrascias, cæcias, phœnicias & libonotos. Ex his cæcias Aristoteli non est unus ex additiciis, sed ita vocat quem alii boream, vel aquilonem ab exortu solstitiali flantem. At μέσην vocat, quem aparctiæ & cæciæ interjicit: & phœnician, qui inter eurum & noton spirat, qui aliis euronotus. Hæc quum ita sint, Plinius tamen hos duo ventos veluti diversos ac super numerum adjectos ab aliis dicit. *Nec finis est*, inquit, *alii quippe mesen nomine etiamnum addidere inter borean & cæcian: & inter eurum & noton euronotum.* Dum diversos sequitur auctores, diversa hæc etiam facit nomina. Atqui Aristoteles, qui mesen inter borean & cæcian collocat, longe in alia significatione boreæ & cæciæ nomina sumit, & in alia regione locat quam Plinius qui in finibus eorum statuendis alios auctores exscribit. Aristoteli βορέας idem cum aparctia, qui ab axe boreo flat. Plinio boreas à sinistra aparctiæ flat. Καικίας Aristoteli legitimus & principalis ventus inter apelioten & borean ab exortu solstitiali proficiscens. Plinio cæcias additivus & spurius media regione inter boream & æquinoctialem exortum positus. Adeo autem hæc turbat ac miscet Plinius, ut situs eorum ac regiones nullo judicio commutet. In ratione octonaria recensenda, aquilonem, hoc est, βορέαν metatur inter septentrionem & exortum solstitialem. Atqui in hac ratione boreas in ipso exortu solstitiali poni debuit, ut ab aliis ponitur. Nam octo ventos numerantibus nullus interfluit ventus septentrionem & exortum solstitialem. Aristoteles inter additicios numerat μέσην, quem medium constituit ἀπαρκτίου καὶ καικίου, hoc est, septentrionis & exortus solstitialis. Καικίας enim Aristoteli ab exortu solstitiali manat. E converso idem Plinius ubi additicios ventos commemorat, in his cæcian nominat, eumque media regione locatum ait inter aquilonem & exortum æquinoctialem: μεταξὺ βορέου καὶ ἰσημερινῆς ἀνατολῆς. Atqui ventus hic cæcias, qui inter borean & æquinoctialem exortum sedes habet, unus est ex principalibus Aristotelis, non additicius. Ex supernumerariis tum habetur, cum metatio illi assignatur, inter solstitialem exortum & aquilonem, quem locum occupat meses apud Aristotelem. Has turbas noster dat Plinius, dum varios auctores compilat, quorum sententias in unum concinnat, plerumque pugnantes ac dissitas. Nec ipse scit distinguere varias nominum significantias. Ut heic borean & cæcian Aristotelis cum aliorum borea & cæcia confundit, qui multum diversi sunt. Contra ea phœnician Aristotelis separat ab aliorum euronoto, quum iidem sint. Et miror ipsius ἀβλεψίαν & μετεωρολογίαν, ut ille ajebat. *Inter eurum & noton*, inquit, *euronotus.* Sane accipimus. *Phœnicias inter ortum brumalem & meridiem.* Et hoc verum est. Diversos tamen esse vult. Quis hoc potest pati? Eurus ab exortu brumali exit: notus ab ipso meridie. Diversus tamen erit brumalis ortus ab euri statione, & meridies à noti metatione. Hæc merito in stuporem me dant, quia de stupore Plinii suspicari cogunt. Euronoti & libonoti non meminit Theophrastus in libro de ventis, ut nec Aristoteles. Quare apparet recentiora hæc nomina eorum ætate esse. Et manifestum hinc sumitur argumentum longe posteriorem illorum ævo esse scriptorem libelli de mundo, qui λιβόνοτον & εὐρόνοτον nominat, & partitionem in ventos duodecim agnoscit. Idem adnotat λιβόνοτον qui ad sinistram noti oritur ab aliis vocatum esse λιβοφοίνικα. Videntur etiam quidam eum ventum, qui ad dextram ejusdem noti apparet, appellasse εὐροφοίνικα, quia inter eurum & noton situs est. Profecto is omnino est, quem Aristoteles vocat φοινικίαν. Sic *cercian* dixerunt, qui ad latus chauri. Hinc oppositum ad latus euri, *eurocercian* vocaverunt, ut infra dicam. Cum igitur phœnicias ab aliis dicitur εὐροφοίνιξ, alium, qui est ad latus ejusdem noti hoc eodem exemplo nominarunt λιβοφοίνικα. In Aristotelis fragmento περὶ σημείων quo de ventorum situ & nominibus agebat, εὖρον à quibusdam φοινικίαν vocari scribit, ab aliis κάρβαν à Carbanis Phœnices populis, ἀπὸ τῶν Καρβανῶν. Lubet heic exhibere formam dodecagoni cum duodecim ventorum nominibus Græcis ac Latinis juxta exemplum octagoni ab Andronico editi, quibus adjecimus & nominum aliquot apud Græcos differentias.



A In hac dodecagoni figura thrascias medius inter argesten & aparctian locatur, ut omnium una est sententia, & Aristotelis disertis verbis lib. II. Meteor. cap. v. Meses autem inter cæcian & aparctian ab eodem Aristotele censetur. Quod cum ita sit, vitio non carere oportet, quæ apud Aristotelem eodem capite sic leguntur: ἐστὶ δὲ τῶν εἰρημένων πνευμάτων βορέας μὲν ὅ τε ἀπαρκτίας κυριώτατα καὶ θρασκίας κοινὸς ἀργέστου καὶ μέσου. Non video quomodo thrascias possit esse communis argestæ & mesæ, quum medius argestæ & aparctiæ sit. B Quæ sequuntur nihilo saniora sunt aut veriora: ὁ δὲ καικίας κοινὸς ἀπηλιώτου καὶ βορέου. Nihil in his sinceri. Cæcias non potest esse communis boreæ & apeliotæ, quum meses intersitus sit. Nam βορέας Aristoteli idem cum aparctia. Sic igitur totus locus constituendus est, ut antiquum sincerum recuperet: ἐστὶ δὲ τῶν εἰρημένων πνευμάτων, βορέας μὲν ὅ τε ἀπαρκτίας κυριώτατος, καὶ θρασκίας κοινὸς ἀργέστου καὶ ἀπαρκτίου, καὶ μέσης κοινὸς καικίου καὶ ἀπαρκτίου, ὁ δὲ καικίας κοινὸς ἀπηλιώτου καὶ μέσου. Quatuor hos omnino ventos septen-C trionales constituit, borean qui & aparctias, omnium κυριώτατος, utpote ab ipso axe flans, thrascian, mesen & cæcian. Et sane tradit ibidem plures ventos à septentrione flare quam ab ulla alia cæli regione, rationemque reddit. Meridianos vero duos tantum facit, notum, sive austrum, quem & ἰθαγενῆ vocat, qui ab ipso meridie spirat & africum: νότος δὲ ὅ τε ἰθαγενὴς, ὁ ἀπὸ μεσημβρίας καὶ λίψ. In orientis regione duos etiam ventos collocat, unum ἰθαγενῆ, qui ab æquinoctiali exortu spirat, & eurum ab oriente hiberno. Ita enim legendum: ἀπηλιώτης δὲ ὅ τε ἰθαγενὴς ἀπ' ἀνατολῆς ἰσημερινῆς D καὶ ὁ εὖρος: ὁ δὲ φοινικίας κοινός. Phœnicias communis euri & noti. Ideo æque meridialis atque orientalis. Eidem duo sunt occidentales, ζέφυρος δὲ ὅ τε ἰθαγενὴς καὶ ὁ ἀργέστης καλούμενος. Occiduorum flatuum zephyrus tantum ἰθαγενὴς, qui ab occasu æquinoctiali manat. Ex his constat quatuor tantum ἰθαγενεῖς ventos ab Aristotele constitui ac nominari, qui sunt quatuor priores & cardinales. Quam vocem miror doctissimum Budæum ubique absque interpretatione dimisisse. Eam E fortasse non intellexit quid vellet hoc loco posita. Opponuntur nothis. Hesychius: ἰθαγενὴς αὐτόχθων, γνήσιος. Ἰθαγενέσι γνησίοις καὶ καθαροῖς οὐκ ἐκ παλλακίδος. Adamantius apud Aëtium νόθους ἀνέμους vocat locales & certarum tantum regionum peculiares. Duodenaria autem ventorum ratio, quam plerique posteriorum amplexi sunt, non videtur nata ex octonaria, additis insuper quatuor aliis, ut Plinius & alii sentiunt, sed ex prima prodiit quaternaria, duobus ventis adjunctis dextra lævaque singulorum. Sic octonariam triplicavit Vitruvius adjectis pariter ad latera singulorum duobus aliis ventis, fecitque pro octo viginti quatuor. Neoterici porro duodenariam hoc modo triplam ediderunt, commentique sunt collateros cuique duos alios ventos, & numerum usque ad triginta sex provexerunt. Quid diceret Plinius, si hoc videret, qui rationem duodenarii numeri subtiliorem indicabat & nimis conscissam? Profecto antiqui viri latus cæli quamlibet extentum uni vento possidendum dabant, qui inclinationibus ac flexibus alias atque alias faceret varietates flatuum. Ut in machinamento Andronici singula latera octagoni ventus unus occupabat, qui recessionibus & inclinationibus mutare flatus existimabatur, quum tamen idem esset ventus. Juxta hanc sententiam Aristoteles scribit, cæcian ab æquinoctiali exortu tenere usque ad orientem solstitialem & ultra. Hoc est unum latus octagoni Andronici. Οἷον περὶ ἰσημερίαν τὴν μὲν ἐαρινὴν καικίας καὶ ὅλως τὰ ἐπέκεινα τροπῆς θερινῆς. Ita africos ab æquinoctiali occasu usque ad hibernum occasum detinere pronuntiat. Quod est alterum latus octagoni Andronici. Zephyrus vero ab occasu æquinoctiali usque ad occasum æstivum metas habet, ibique incipit argestes, qui latus aliud octagoni incubat usque ad septentriones ipsos. Ita de ceteris. At recentioribus magis visum est rationabile omnes flatuum mutationes & flexus fluxusque ab uno vento profectos, pro totidem ventis numerare, quibus & sua nomina imposuerunt. Seneca plures nusquam posse ventos esse quam duodecim asserit, & quid sequuti sint qui duodecim constituunt, exponit lib. v. Quæstionum Naturalium. Cælum nempe in quinque circulos dividi. Eos circulos ab horizonte secari & decem partes effici, quinque ab ortu, totidem ab occasu. His accedere & meridianum circulum, qui per polos mundi transit. Sic duodecim discrimina aërem accipere, totidemque fieri ventos, ut in subjecta figura licet videre.

In



In ea duodecim ventorum deſcriptione, ac diſtributione per ſex circulos, ita Seneca ſcribit de tribus ventis ſeptentrionalibus: *A ſeptentrionali latere ſummus eſt aquilo, medius ſeptentrio, imus thraſcias.* Quæ verba in primis notanda. Ad dextram ſeptentrionis eſt thraſcias, ad lævam aquilo. Hunc qui à læva eſt, ſummum eſſe dicit, illum qui à dextra imum: ſeptentrionem inter utrumque medium facit. A lectorum triclinarium diſpoſitione ac ſitu ſumpta hæc loquutio. Tribus lectis cænabant veteres. Is qui ad ſiniſtram erat, dicebatur ſummus lectus, qui ad dextram, imus, inter utrumque medius. Ratio diſcumbendi hoc faciebat. Etenim ut liberam & exertam habere poſſent dextram manum, in ſiniſtrum latus decumbebant. Et qui ordo lectorum, idem etiam fuit in ſingulis lectis accubantium. Summus quippe locus in unoquoque lecto, qui nullum ſupra ſe habebat, imus vero, quem infra medium accumbens occupabat. Medius enim infra primum & ſummum, ut imus infra medium. Quæſivere viri docti quis locus honoratior eſſet apud Romanos in convivii accubitu. Operam omnes hactenus luſere. Effaſcinavit eos Servius, qui apud majores medium locum Domini fuiſſe notat ad illum Virgilii verſum:

--- aulæis jam ſe regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.


Sed alia ratio in privatis, alia in regibus. Reges ſemper honoratiſſimo loco vel ſedere vel accumbere ad menſam ſoliti, quum ſoli non cænarent. Privati in omni ævo, & apud omnes nationes prima loca ſemper ceſſere convivis ſuis, ipſi in poſtremis ſedentes, quod hodieque diligenter apud omnes obſervatur Europæ populos. De loco in convivio honoratiore non idem ſenſus omnium gentium olim fuit, ſed apud alias alius habitus. Apud Perſas medius locus honeſtiſſimus. In eo rex accumbebat. Mediam quoque in ſponda locat reginam Virgilius. Apud Græcos primum locum etiam fuiſſe honoratiſſimum tradit Plutarchus. Primus locus in ſummo ac primo lecto ſummus. Apud Heracleotas Ponticos medii lecti primum, id eſt, ſummum locum, qui nempe ad ſiniſtram, etiam honeſtiſſimum exiſtimatum idem refert. Romanos autem præcipuum locum & maxime honoratum duxiſſe narrat medii lecti ultimum, eum nempe qui infra medium ad dextram lecti triclinaris. Is locus dabatur convivarum honeſtiſſimo & digniſſimo. Ideo & conſularem vocabant. Plutarchus lib. I. cap. III. Sympoſiacῶn: Ῥωμαίοις δ' ὁ τῆς μέσης κλίνης τελευταῖος, ὃν ὑπατικὸν προσαγορεύουσι. Ex tribus lectis duo priores, medius ac ſum-

A mus invitatis cedebant. Dominus convivii cum uxore & liberis in tertio accumbebat, & locum primum in eo occupabat. Clara hæc Plutarchi verba: τῶν δύο κλινῶν ἀποδεδομένων τοῖς παρακεκλημένοις, ἡ τρίτη καὶ ταύτης ὁ πρῶτος τόπος μάλιστα τοῦ ἑστιῶντός ἐστι. Quum hæc verba Latine verteret doctiſſimus Ciacconius in libro ſuo de triclinio, ut qui imbiberat medium locum fuiſſe domini,
B ita reddidit: *ſecundum fuit, quod cum duo lecti invitatis tribuantur, tertius ejuſque primus, hoc eſt medius locus domino convivii congruit.* Hanc interpretationem nullus intelligo, ut primus locus in tertio lecto, idem & medius intelligatur. Atqui medius is proprie dicitur in ſingulis lectis, qui ſupra ſe alium habet, & infra ſe alium: primus, qui ſupra medium: ultimus, qui infra. Ceterum apud Romanos nec medius locus domini fuit, nec
C honoratiſſimus. Locus dignior apud eos habitus ultimus medii lecti. Dominus vero tertii lecti primum locum premebat. Sic fiebat ut Dominus in primo loco accubans tertii lecti, & honeſtiſſimus convivarum in ultimo ſecundi lecti loco poſitus, ſeſe contingerent, in fine uterque ſui lectuli locatus, hic in ſummo tertii, ille in imo medii. Et hanc rationem inter alias reddit
D Plutarchus, cur medii lecti locus ultimus tribueretur convivarum digniſſimo, quia proximus eſſet convivii domino, qui in primo tertii diſcumbebat. Verba Salluſtii hoc manifeſto indicant, quæ leguntur apud Servium, ita interpungenda: *Igitur diſcubuere. Sertorius inferior in medio, ſupra L. Fabius Hiſpanienſis ſenator ex proſcriptis. Antonius in ſummo, infra ſcriba Sertorii Verſius. Alter ſcriba Mæcenas in imo, medius inter Tarqui-*
E *tium & dominum Perpernam.* Tres hîc habes lectos, medium, ſummum & imum. Perperna dominus convivii & invitator erat. Sertorius dignitate ſupra ceteros, & Imperator. Non medius illi locus aſſignatur ut Imperatori, quemadmodum hariolantur, ſed infimus in medio lecto, qui locus conſularis, & imperatorius, atque honoratiſſimo debitus. In medio lecto
F duo tantum diſcubuere, Sertorius inferior, qui ſupra ſe habebat L. Fabium Hiſpanienſem. Quod ſi tres fuiſſent, Sertorius utique infimus diſcubuiſſet, infra eum etiam qui medium locum detineret. Quia duo tantum fuere tum in illo lecto, inferior fuit qui locus ἐντιμότατος. Poſt medium lectum in quo accumbebat convivarum qui præcipua erat dignitate, ſequebatur ſummus lectus. De eo accipiendus Salluſtius in verbis
G ſupra citatis: *Antonius in ſummo, infra ſcriba Sertorii Verſius.* In ſummo lecto apud Perpernam accubuiſſe ſummum Antonium ſignificat, & infra eum alterum ſcribam Sertorii. Sic duo tantum in illo convivio hunc ſum-

ſummum lectum obtinuere; Antonius & ſcriba Sertorii Verſius, hic inferior in dextra nempe lecti parte, ille ſuperior in ſiniſtra. Sequitur tertius lectus & imus: *Alter ſcriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.* Locus non eſt mancus, ut opinatur Ciacconius, qui dicit non plane referri, qui inter Tarquitium & Perpernam dominum convivii accubuerit. Immo nihil pote planius. Alter ſcriba Sertorii Mæcenas in imo lecto accubuiſſe dicitur, medius inter Tarquitium & Perpernam. Imus lectus domini proprius & in eo primus, ſive ſummus locus. Hic eſt, quem in convivio obtinuit Perperna. Inter eum & Tarquitium medius accubuit Mæcenas. In illo tertio & imo lecto plerumque infra dominum accumbebat uxor & liberi. Si uxor una cænarat, umbris is locus deſtinabatur & vilioribus perſonis. Juvenalis:

Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto
Una ſimus ait.

Ex his poſſumus diſtincte colligere quid ſit *infra & ſupra* diſcumbere, quid *in imo & ſummo.* Quæ docti viri diſtinguere neſciunt. In imo diſcumbere & in medio, & in ſummo, dicebatur, qui in ſummo lecto, & medio & imo diſcumbebat. At ſupra & infra, qui ſummus aut imus accumberet, hoc eſt, in primo vel ultimo loco lecti. Miror vero unde Servius exſculpere potuerit ex illis Salluſtii verbis ſuperius adductis, medium locum apud veteres domino convivii proprium ac deſtinatum fuiſſe. Nihil enim minus quam hoc illa tinniunt. Ut clarius hæc in mentem inſinuentur, oculis etiam ſubjicere placuit, ex delineata hac forma.



Aliud fuit, quum ſtibadio accumbebant, hoc eſt, toro continuo ac ſemirotundo quod in ſigmatis literæ figuram factum erat, unde & nomen. Tribus lectis ſtratis, ac diſtinctis veteres ad menſam accubuere: poſteriores unicum ſtibadium pro eo habuere lunæ ſimilitudine in cornua curvatæ. Hoc ſtibadium à forma, ut diximus alibi, *ſigma* dicebatur, & pro numero accubantium, aut *hexaclinon*, aut *heptaclinon*, aut *octaclinon*. Quorum vocabulorum paſſim apud Martialem mentio de ſtibadio octo homines, vel ſeptem, vel ſex capiente. Idem in apophoretis:

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma,
Octo capit, veniat quiſquis amicus erit.

Ὀκτάκλινον στιβάδιον intelligit. In his ſtibadiis quum una ſerie continenter diſcumberent, veriſimile non eſt eamdem rationem obſervatam circa loci dignitatem atque honorem, ut in tribus lectis ſeorſim ſtratis ac ſeparatis. In ſtibadio itaque is primum locum tenere cenſebatur, qui omnium ſummus erat, & qui ſupra omnes accumbebat, ut contra ultimus qui infra ceteros. Is in dextro cornu ſtibadii locum habebat. Qui locus reſpondet ultimo lecto tertii lecti. Contra ea convivarum digniſſimus in ſiniſtro ſtibadii diſcumbebat, & ſupra omnes erat. Sacerdotes hunc ordinem accumbendi in cænis aditialibus tenebant, ſive in lectis diſcumberent diviſis, ſive in ſtibadio, vel ſigmate. Feſtus: *Itaque in conviviis ſolus Rex ſupra omnes accubat: ſed Dialis ſupra Martialem, & Quirinalem: Martialis ſupra proximum, omnes deinde ſupra Pontificem.* Pontifex quinto loco accumbebat infra omnes: Rex ſacrorum primo ſupra omnes, quia potentiſſimus ac digniſſimus habebatur. Hujus ergo locus in ſummi lecti prima parte ad ſiniſtram, vel in ſiniſtro cornu ſtibadii. Sunt qui velint maximum hono-

A rem loci fuiſſe in cornu dextro. Ergo & proximus eum locum accumbens digniſſimus. Hoc enim ſequitur. At contra fuit. Quippe proximus ad cornu ſiniſtrum ſecundus à primo habitus, non proximus decumbenti in cornu dextro. Quare ſi proximus accumbenti in cornu ſiniſtro dignior eſt illo, qui proxime tangit accumbentem in cornu dextro, utique & qui in ſiniſtro cornu locum habet, dignior eo cenſendus qui dextrum premit cornu. Conſequentia hæc neceſſaria. Atqui apud Sidonium Epiſt. XI. lib. I, Imperator in dextro cornu locatur. Certe tanquam dominus convivii. B Morem privatorum & in hoc tum ſervarunt principes, utpote qui & cum pluribus cœnarent invitatis. Quod hodie Reges non faciunt. Arrianus ille apud Gregorium qui dextrum cornu occupat, relicto ſiniſtro hoſpiti ſuo Catholico ſacerdoti, non ludibrio eum hac in re habet, ſed legem ſequitur communem invitantium. Uxores, vel amicæ apud Romanos ſemper in ſinu mariti, vel amatoris diſcumbere ſolitæ, hoc eſt, infra ipſum. Nec enim aliter potuit ex ratione diſcumbendi, qua in ſiniſtrum latus jacuere. Juvenalis:

---- *& gremio jacuit nova nupta mariti,*

C hoc eſt, infra maritum. *Inferiorem* & *interiorem* accumbere de hoc accubitu dicebant. Agellius: *qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore cum tunica chiridota inferior accubuerit.* Peccant, & hunc morem ignorant, qui corrigunt, *interior.* Idem tamen interior alicui & intus accubare dictus, qui infra eum accubabat. Quem maxime amabant, ſive maſculus, ſive mulier eſſet, eum infra ſe ſemper collocabant, id eſt, in ſinu ipſo. Hunc locum diſcipulo ei dabat Dominus noſter, quem maximè diligebat: ἦν δὲ ἀνακείμενος εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. Plinius: *cœnabat Nerva cum paucis, Veiento recumbebat propius atque etiam in ſinu.* D Nempe infra Cæſarem. Hinc ἐπιστήθιος pro amico intimo Græcis, & qui quaſi in ſinu recumbit. Non dignioris hic locus, & magis honorati, ſed magis dilecti. Quis enim credat Veientonem in convivio Cæſaris honoratiore loco quam ipſum Cæſarem fuiſſe? Et notandum familiare illud convivium Principis fuiſſe, & cum paucis. In familiaribus conviviis etiam privati primo, ac ſuperiore loco jacent. At in convivio ſollemni, in quo & ſummos magiſtratus, & celſas, ut vocant, poteſtates paſcebat princeps, civili more, modoque ſicut paterfamilias privatus, priores ſedes videtur reliquiſſe convivis ſuis, ut in illo Imperatoris convivio apud Sidonium videre eſt. E Etenim ibi Imperator in dextro cornu accumbit, eodem prorſus modo, quo apud Gregorium Turonenſem Arrianus conviva dextrum cornu tenet, & ſiniſtrum cedit hoſpiti ſuo Chriſtiano. At in illo eodem Imperatoris convivio conſul, ut omnium digniſſimus, in ſiniſtro jacet. Dominus quoque in conviviis quotidianis, quæ cum diſcipulis ſuis agitabat, ſummum torum ſemper accubuit, quem chariorem ex diſcipulis ſuis habuit, eum infra ſe collocavit, & in ſinu ipſo. Maritus etiam qui ſupra uxorem accubabat, eamque velut amplexus ſinu tenebat, in loco digniore fuit. Suetonius de Caligulâ: *cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſ-* F *ſim collocabat, uxore ſupra cubante.* Uxori ſupra ſe locum dabat ut digniori digniorem. Sorores ſuas quas unice diligebat, & plus quam frater ſororem debeat, infra ſe ponebat. Excepto conſulari loco, qui infimus ultimuſque fuit medii lecti, ſummus locus in unoquoque lecto ſemper honoratiſſimus habitus Romanis. Ideo miratur Plutarchus cur honos & dignitas præcipua data illi conſulari loco apud priſcos fuerit, qui nec medius erat, nec ſummus. Qui ſoli duo loci videri poterant maxime honorem primatus mereri. Rationes hujus rei plures adfert. Male exponit & corrigit vir maximus verſus iſtos ex Epithalamio Catulli, qui ſic ſunt legendi & in- G telligendi:

Aſpice intus & accubans.
Vir tuus Tyrio ut toro
Totus immineat tibi.

Ipſe quem dixi, emendabat, *imus.* At nunquam hoc factum, ut maritus imus accubuerit, hoc eſt, infra uxorem

uxorem. Nec enim in sinu eam subjectam fovere potuisset. Qui locus amicarum & uxorum. Intus igitur accubat mulier, in sinu mariti, cui totus imminet maritus utpote supra accubans. Sic illi versus exponendi. Apulejus: *accumbebat summum torum maritus, Psychen gremio suo complexus.* His recte pensitatis & intellectis, infinita auctorum loca, quæ hunc morem discumbendi veterum spectant, lucem accipere poterunt, in quibus explicandis vulgo cæcutiunt viri magni. Sed nos quoque alibi totam hanc rationem exponemus. Ex isto discumbendi ordine & lectorum triclinarium situ tracta loquutione dixit Seneca in septentrionali latere mundi, *summum* esse aquilonem, *medium* septentrionem, *imum* thrascian. Quod heîc voluimus explicare. Idem Seneca ibidem Varronem in eorum ponit numero, qui duodecim ventos facerent. Hæc verba sunt: *Quidam illos duodecim faciunt. Quatuor enim cæli partes in ternas dividunt, & singulis ventis binos suffectos dant. Hac arte Varro vir diligens illos ordinat, nec sine causa.* Habuimus tamen supra ex Varrone octo ventorum orbem. In ea duodecim ventorum divisione ac denominatione *caciæ* & *thrasciæ* vocabula apud Romanos deesse notat idem Seneca. Item *euronotum* & *libonotum* sine nomine esse apud Latinos. Nondum igitur usitata tum nomina *euroafrici* & *austroafrici*, quæ posteriores invexerunt. In veteri tamen inscriptione Cajetana in turri dodecagono, quæ eumdem usum præbuit olim atque illa octagonos Andronici Athenis, nomina ventorum Græce & Latine scripta habebantur, ex quibus quinque adhuc supersunt, cum his vocabulis: λιβόνοτος *austroafricus*: νότος *auster*: εὐρόνοτος *euroauster*: εὖρος *volturnus*: ἀπηλιώτης *subsolanus*. Ætate Senecæ nondum facta erant hæc nomina Latina. Argestæ vocabulum japygis adjunximus. Ἀργέστην à quibusdam ἰάπυγα appellari scribit auctor libri de Mundo: Ἀργέστης ὁ ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως, ὅν τινες καλοῦσιν ὀλυμπίαν· οἱ δὲ ἰάπυγα. Quare miror Phavorinum in dissertatione conviviali de ventis apud Agellium tanto ambitu, tantoque conatu demonstrare conantem japygem esse eumdem cum choro, vel argeste, idque ipsum tamen cum diffidentia & hæsitatione: *eum*, inquiebat, *esse propemodum chaurum existimo. Nam & est occidentalis, & videtur adversus eurum flare.* Nihil ille dubitat, quin chaurus sit Græcorum argestes: hæsitat tamen an chaurus sit japyx, quum jampridem id assertum esset antiquioribus, & in Græcorum commentariis obvium & expositum. Aristoteles in libro de signis tempestatum, & auctor libelli de mundo, aliique scriptores id jam pridem asseruerant. Aristoteles: Ἰάπυξ, οὗτος ἐν Τάραντι Σκυλλητῖνος, ἀπὸ χωρίου Σκυλλητίου, παρὰ δὲ πολλοῖς δὲ Ἀργέστης. Si argestes chaurus, utique & japyx chaurus, *Nam & occidentalis est, & videtur adversus eurum flare.* Atqui supra dixit argesten, Latinis *chaurum* appellatum adversus aquilonem flare. Si japyx idem cum chauro, utique etiam flabit adversus aquilonem, non contra eurum. Præterea eurus illi eidem cum apeliote, qui æquinoctialis ortus stationem tenet: *Volturnum* autem, qui aliis est eurus, ipse habet pro euronoto. Quod si in eadem assertione & heîc persistit, certe chaurus, vel japyx non erit contrarius euro, sed euronoto, qui volturnus est. Verum est tamen chorum, vel japygem adversus eurum flare, si modo eurum accipiamus de Latinorum volturno, qui inter æquinoctialem ortum & meridiem mansionem suam habet. Mirifice igitur ipse se intricat, & sibi contrarius it, in ea diatriba ventorum Phavorinus. Falsa etiam ratione & invalido argumento probat japygem esse chaurum. *Japyga ex ipsius Apuliæ ora proficiscentem, eodem & ipsi nomine japygem dicunt.* Apuli sunt ac dicuntur Japyges. Ventum ex sua regione proficiscentem eodem quo ipsi sunt nomine japygem dixerunt, id est, Apulum. Ergo *japyx* ventus juxta Phavorinum est Apulus. Sic *Apulum equum* à poëta dici *japygem* notat, à quo petit japygis venti mentionem, nec altius repetit, quasi Virgilius hujus nominis primus auctor fuerit. Hæc non procedunt & à veritate longe absistunt. Nec enim credibile est ipsos Apulos vento ex sua terra nascenti hoc nomen fecisse, sed illos potius populos Apulis vicinos, quibus ex Apulia ve-

A niebat ille ventus. Narbonenses provinciales aquilonem ex Burgundia ipsis flantem quo vexantur, *Burgundicam* appellant, Burgundi ipsi non sic nominant. Cæcias ventus *Hellespontias* etiam vocabatur, non quidem in ipso Hellesponto, sed populis quibus ex Hellesponto spirabat. Argesten ventum Athenienses Σκίρωνα appellitabant, qui à Scironiis saxis ipsos perflabat. Ita in aliis. Exemplo firmat sententiam suam Phavorinus æque absurdo. *Nostri namque Galli ventum ex sua terra flantem, quem sævissimum patiuntur, circium appellant.* Hæc absurdissima ac falsissima. Galli quippe ventum ex terra sua flantem pati ipsi non possunt, sed
B vicini Galliæ populi quibus ex Gallia flabat. Et sane *Gallicus* ventus non ab ipsis Gallis, nec in Gallia terra dicebatur, sed ab illis populis, qui ex Gallia venientem patiebantur. Vitruvius Gallicum ventum ad latus lævum septentrionis collocat: *Circa septentrionem thrascias & Gallicus.* Thrascias latus dextrum tuetur septentrionis. Ergo Gallicus ad lævam. Non igitur idem Gallicus cum circio. Certe si idem est, in Gallia *circius* dictus fuerit, *Gallicus* apud illos populos qui ex Gallia eum excipiebant. Isidorus: *Circius dictus eo quod choro sit junctus. Hunc Hispani Gallicum vocant, propter quod eis à parte Galliæ flat.* Hic certe *Gallicus* Vi-
C truvii, qui ex lævo latere septentrionis spirat, & ex parte Galliæ Hispaniam infestat. Sed in totum alius est à circio, qui ad latera chauri flat, & idem cum thrascia à quibusdam censetur. De quo paulo post. *Japyx* ventus idem & *chaurus*, sive *argestes* peculiari appellatione sic vocatus à Calabris, quod ex Japygia, sive Apulia veniens ipsis infestus esset. Seneca lib. v. Naturalium Quæstionum: *Atabulus Apuliam infestat, Calabriam japyx, Athenas sciron, Pamphyliam catagis, Galliam circius.* Hoc verissimum. *Catagis* in illis Senecæ verbis mendosum. Nec enim specialis, aut localis venti hæc appellatio: sed procellæ, vel turbinis. Ἴδυρις venti nomen
D apud Theophrastum in Pamphylico mari regnantis, & ab amne Idyri venientis. Aristoteli in fragmento de ventis Γαυρεὺς dicitur ventus ex aquilonum genere Pamphyliam infestans: ἐν δὲ Ὀλβίᾳ τῇ κατὰ Μυκάλην Παμφυλίας ἄνεμος Γαυρεύς, ὅστις πνεῖ ἀπὸ τῆς νήσου, ἣ καλεῖται Γαυρίς. Apulejus in tractatu de Mundo, quem ex Græco transtulit, totam illam Favorini dissertationem de ventis inseruit nominatim laudato Favorino, præterito Agellio, qui literis eam mandavit. Is locum de japyge ita retulit: *Ut Galli circium appellant à turbine ejus & vortice. Apuli japygem vero ex Japyge sinu, id est, ex ipso Gargano venientem.* In vulgatis editionibus eo loco
E apud Agellium nulla Japygis sinus, aut Gargani mentio. Verba ipsa sic habent: *Japyga ex ipsius Apuliæ ore proficiscentem eodem & ipsi nomine Japygem dicunt.* Hæc corrupta esse nemini adhuc suboliut, quæ tamen vitium clare tinniunt. Quid enim est *os Apuliæ*? Et qui illi sunt qui Japygem dicunt? Optimus liber scriptus ita scribit: *Japygia ipsius ore proficiscente quasi finibus Apuliæ eodem quo ipsi sunt nomine Japygem dicunt.* Plane legendum, ut legisse constat Apulejum: *Japygiæ sinus ore proficiscentem, qui est Garganus, Apuli eodem quo ipsi sunt nomine Japygem dicunt.* Scribendum etiam in Apuleji verbis supra citatis: *Apuli Japygem eum ex Japygiæ sinu venientem*, ex
F vestigiis veteris lectionis. Perperam Apulejus japygem eumdem cum circio fieri putavit à Favorino. Japyx idem & argestes. Sed *circius*, vel *cercius* alius, inter argesten & thrascian positus, alii eumdem cum thrascia volunt. Male etiam Favorinus, vel Agellius sinum Japygiæ, ex quo japyx in Calabros flabat, de Gargano sinu intelligunt. Melius fortasse acciperetur de eo sinu, in quo Japygia prominentia, Ἰαπυγίαν ἄκραν Græci dicunt. A promontoriis sinus nomina fere semper accipiunt. Ut & ipse *Garganus sinus* à Gargano promontorio appellatus. Qui Garganus tamen etiam Japyx Virgilio dicitur:

---- *Gargani condebat Japygis arvis.*

G Japygia Acra in ipso ore sinus Tarentini, qui etiam *Japygius sinus* ea parte vocatus est. Strabo lib. VI de promontorio Japygiæ: τοῦτο μὲν οὖν στόμα λέγουσι τοῦ Ταραντίνου κόλπου. Plinius *Japygium promontorium* distinguit à Gargano. Ergo & Japygiæ sinus à Gargano sinu differt. Tarentini ipsi dicti Japyges teste Antiocho apud Strabonem

bonem lib. VI. Ab eo Japygiæ sinus ore ventus argestes recta in Calabriam ferebatur, quem Calabri *ἰάπυγα* propterea nuncupabant. Ἰάπυξ igitur peculiaris & localis appellatio venti argestæ, non ipse ventus peculiaris. Ἀργέσης autem generale illius venti nomen, quem Romani chaurum vocitant. Distinguendum igitur inter peculiares alicujus regionis ventos, quos amnes creant, aut montium anfractus, qui aliis locis ignoti sunt, & inter peculiares localesque principalium ventorum denominationes. In quo Plinius cum aliis erravit. *Sunt etiam*, inquit, *quidam peculiares quibusdam gentibus venti non ultra certum procedentes tractum, ut Atheniensibus sciron, paulum ab argeste deflexus, reliquæ Græciæ ignotus.* Immo sciron non est ventus peculiaris Attici soli, sed peculiare hoc nomen argestæ, sive chauri, quo illum vocabant Athenienses quod ex Scironiis saxis eum sentirent: & cum hoc quidem nomine, non alibi notus quam in Attica regione, ut nec japyx hic idem ventus alibi nominatus quam apud Calabros, qui ex Japygia flatum ejus accipiebant. Dicebatur etiam *olympias* in alia regione. Auctor libri de mundo: Ἀργέσης ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως, ὃν ἔνιοι καλοῦσιν ὀλυμπίαν, οἱ δὲ ἰάπυγα. Aristoteles: ὃν καλοῦσιν οἱ μὲν ἀργέσην, οἱ δὲ ὀλυμπίαν, οἱ δὲ σκίρωνα. Falsum igitur, quod addit Plinius de hoc eodem argeste, qui & *olympias*, & *sciron*, & *japyx* localiter appellabatur: *Alibi elatior idem olympias vocatur. Consuetudo omnibus his nominibus argesten intelligi.* Non consuetudo hoc facit, sed situs regionum, quæ apud se ventis ex aliquo loco venientibus nomen fecerunt ex eo ipso loco, unde flatus eorum percipiunt. At consuetudo sæpe ex peculiari ac locali venti alicujus appellatione nomen generale fecit. Ut japyx apud Virgilium pro argeste.

Fecerat ignipotens flammis & japyge ferri.

Æque falsum est, quod ibidem apud Plinium legitur circium ventum esse Narbonensis provinciæ. Eo vento maxime perflatur ea regio. Non proprius ac peculiaris illius provinciæ, sed venti nomen est unius ex principalibus & authenticis: *idem non modo in reliquis cæli partibus ignotus, sed ne Viennam ejusdem provinciæ urbem attingens, paucis ante limitibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercitus.* Ridicula ratio. Quia jugi occursus modici obstat ne circius Viennam urbem attingat, ideo peculiaris ille ventus, nec toti quidem provinciæ cognitus. Hac ratione & aquilo & ceteri quique principes venti pro peculiaribus essent habendi, quod multis in locis non sentiantur monticulo aliquo, vel jugo modico ab eorum flatibus obstante. Nugatur etiam Phavorinus qui *circium* dictum ait a vertigine ejus ac turbine. Recte Agellius huic etymo opponit scripturam antiquam hujus venti nominis, qua *cercius* apud Catonem vocatur, non *circius*. Non igitur a circulari vortice dictus *circius* quem antiqui *cercium* scripserunt. Et sane purum putum Græcum est, sive Siculum hoc nomen. Κερκίαν illi dicebant. Quod nunc primum doceo, & huic vento suum nomen restituo. Theophrastus de ventis: Ἀργέσην δὲ οἱ μὲν ὀλυμπίαν, οἱ δὲ σκίρωνα καλοῦσιν, οἱ περὶ Σικελίαν κερκίαν, τὸν ἀπηλιώτην δὲ Ἑλλησποντίαν, κάρβαν δὲ Φοίνικες, Βερεκυνθίαν δὲ οἱ ἐν τῷ πόντῳ. Ita scribendus ille locus. In editis perperam legitur: οἱ περὶ Σικελίαν Δερκίαν. Quæ unius literæ est mutatio, sed quantivis momenti. Siculis igitur teste Theophrasto argestes dictus κερκίας. Alii tamen thrascian maluerunt hoc nomine appellatum, qui vicinus argestæ. Auctor libri de Mundo: Θρασκίας δὲ ὁ ἑξῆς πνέων τῷ ἀργέσῃ, ὃν ἔνιοι κερκίαν καλοῦσι. Ita correximus. Legitur vulgo: καικίαν καλοῦσι. Quod non potest esse. Meminit jam cæciæ, qui ventus apelioticus & orientalis: τῶν γέμων δὲ βορῶν καικίας λέγεται, ὁ ἀπὸ τῆς περὶ τὰς θερινὰς ἀνατολὰς τόπῳ πνέων ἄνεμος. Quæ Apulejus ita reddidit, ut nos quidem emendamus: *Nam quamvis eurus sit ventus orientis, idem tamen habet cacias nomen, cum eum oriens æstivo efflat.* Florentinæ membranæ legunt: *æstivo effluat.* Inde nostra conjectura *æstivo* pro æstate: ut *verno* pro vere, *hiberno* pro hieme. Cæcias igitur orientalis. In contraria parte ferme thrascias junctus occidentali argestæ. Hinc κερκίαν alii argesten, alii thrascian intellexerunt. Vitruvius ad latera chauri, sive argestæ duos suffraganeos collocat ventos, cercian &

A chorum. Sic enim verba ejus legenda ex antiquissimo codice: *Ad latera chauri cercias & chorus, circa septentrionem thrascias & Gallicus.* In illa minuta sua & numerosa ratione chaurum à choro distinguit, quum tamen idem sit nomen. Legitur in editis: *circius & chaurus.* Græca est appellatio κερκίας, Latina *circius*, antiqua *cercius*. Huic cerciæ in contraria parte κατὰ διάμετρον opponit *eurocercian*. Sic enim eum locum lego ex eodem antiquo codice: *Euri vero medias partes tenentis in extremis eurocercias & volturnus.* Vulgo editur: *euri medias partes tenent. In extremis cæcias & volturnus.* Longe ab illo situ cæcias dissitus. Ille liber, quem dixi, habet:

B *Euri vero medias partes tenentes in extremis euri cercias & volturnus.* Vitruvius ut sibi ratio constaret in illis viginti quatuor ventorum nominibus reperiundis & fingendis, multa commentus est vocabula nova præter rationem, & contra veterum auctoritatem. Ex chauro & choro duo fecit nomina, quod idem est ac si *aurichalcum*, *orichalcum* res esse diversas censeas, & *cotem* & *cautem*, *clodo* & *claudo*, *plostrum* & *plaustrum.* Sic ex euro & volturno, qui unus est ventus, duos fabricavit. Nam eurus Græcorum, volturnus est Latinorum. Argestes autem, sive chaurus euro contra-

C rius. Et quemadmodum duos veluti stipatores dederat chauro, sive argestæ, cercian & chorum, ita quæsivit quos euro similiter statores adjungeret. Et proinde commentus est *eurocercian*, quem cerciæ opponeret chauri adsessori, & volturnum ab euro separavit, ut esset qui dirigi posset adversus chorum, quem pariter à chauro disjunxit. Ita ex borea & aquilone, qui unus est ventus, hic Latinorum nomine, ille Græcorum, duos fecit, *dextra ac sinistra aquilonem supernas & boreas.* Ita ibi scribendum. Vitiosum est quod editur: *dextra ac sinistra circa aquilonem.* Sic paulo supra etiam corrigendum: *Itaque dextra ac sinistra*

D *austrum euronotus & altanus flare solet.* Ubi idem mendum. Sic autem & alibi loquitur Vitruvius, *dextra ac sinistra illam rem.* Quod notavimus alio loco. Ceterum exemplo priorum hoc fecit, ut ex uno venti nomine duplici duos conficeret ventos. In prima divisione quaternaria *aparctias* & *boreas* iidem erant, *apeliotes* & *eurus* idem, qui divisi sunt ac separati in sequentibus partitionibus octonaria & duodenaria. Auctor libri de Mundo, qui duodecim ventos statuit, tres orientales *euros* vocat, & tres septentrionales *boreas*, quorum diversas edit appellationes pro diversa positione in unoquoque latere. Ut ad rem redeam, adeo certum

E est κερκίαν Græcis dici Latinorum circium, ut ne quidem id ignoraverint infimæ ætatis magistri. Glossarum auctor capite de ventis: *Subsolanus*, ἀφηλιώτης. *Circius*, κερκίας. *Chaurus*, χωρός. Ita enim ibi scribendum. Glossæ nostræ nondum editæ: Ἀπαρκτίας, *septentrio.* Κερκίας, *circius.* Χωρὸς, *chaurus.* Eædem glossæ *volturnum* μελαμβορέαν Græce exponunt. An *volturnum* quasi *volturinum*, id est, nigrum dictum earum putavit auctor? Sed hæc expositio convenit aquiloni, qui est μέλας βορέας. Unde & *aquilo*, id est, aquilus ventus casco vocabulo niger. At *volturnus* Romanis appellatur eurus, quia ex Volturno oppido veniens eos adflabat.

F Nam Volturnum oppidum Campaniæ ab oriente hiberno Romæ, unde eurus flat. In ea parte Italiæ *Volturnus* amnis, & *Volturnum* oppidum, & *Volturnum* mare dictum est, cujus mentio apud Plinium lib. XXXVI capite ultimo. Atque inde *volturnus* ventus, qui est eurus Græcorum. Hoc est, quod docui ante ex particularibus ventorum appellationibus sæpe numero factas fuisse generales. Ut hic *volturnus* peculiaris Romanorum ventus cessit in genus nominis, quo eurus vocatus est. Sic euronotus φοινικίας dictus illis, quibus ex Phœnicia oriebatur. Alii hunc cum euro eumdem faciebant. Aristoteles in fragmento περὶ Σημείων de euro: ἐν δὲ Κυρήνῃ

G κάρβας ἀπὸ τῶν Καρβάνων τῶν περὶ Φοινίκην, διὸ καὶ τὸν αὐτὸν φοινικίαν καλοῦσι. Hesychius: Καικίαν à fluvio Καΐκῳ appellatum scribit. Καικίνης, καικίας ἄνεμος ἀπὸ τοῦ Καΐκου ποταμοῦ. Nullus mihi notus fluvius hoc nomine nisi καΐκος trisyllabum. Sed amnis ille, unde nomen habet καικίας, dissyllabum esse debet. Nam καικίας ventus dicitur non καϊκίας, ut ex adagio liquet: Ἕλκων ἐφ' αὑτὸν ὡς καικίας νέφος. Posset tamen legi, ὡς καικίας νέφος. Atque ita

ita plane ſcriptum reperi in antiquiſſimo codice Agellii. Siculum eſſe hoc nomen Theophraſtus prodit, & apelioten ita eos vocare memorat. Ἐν Σικελίᾳ καικίαν καλοῦσιν ἀπηλιώτην, δοκεῖ δὲ οὐχ ὁ αὐτὸς εἶναι ἰσχὺν, ὅτι ὁ μὲν δασύνει τὸν οὐρανὸν, ὁ δὲ οὔ. Et ſane diverſi venti cæcias & apeliotes. Hic ab exortu æquinoctiali, ille ab ſolſtitiali fluit. De apeliote corrigendus Apuleji locus de Mundo inſigniter depravatus in omnibus libris, qui ad hunc modum ſcribunt: *Apeliotes autem vocatur cum meridianis ex montibus procreatur.* Scaliger emendabat, *æquidianis.* Id nimis longe abit à veteris ſcripturæ notis. Legendum potius ajo: *cum medianis exortibus procreatur.* Æquinoctiales exortus eleganter vocat *medianos*, quia medii ſunt inter ſolſtitiales & hibernos. Cæcias ἀνακαμψίπνοος dicebatur, quia reciprocat ſpiritum & ad ſe retrahit, non proflat. Auctor de Mundo: τῶν δὲ ἀνέμων οἱ μὲν εἰσὶν εὐθύπνοοι, ὁπόσοι διεπνέουσι πρόσω κατ᾽ εὐθεῖαν: οἱ δὲ ἀνακαμψίπνοοι, καθάπερ ὁ καικίας λεγόμενος. Quæ verba ſic vertit Apulejus, ut ea reſtituenda opinor: *Excurſores venti habentur qui directo ſpiritu proflant, flabris reciprocis cæcias putatur eſſe.* Ex *proflant flabris* librarii fecerunt *proflabris.* Sic apud Agellium lib. II. cap. XXVIII ſcriptum in omnibus eſt libris: *quamobrem terræ mores fiant.* Unde reſcripſerunt: *terræ motus.* Promptum tamen erat facere, *terræ tremores.* Ut ad cæcian redeam, omnino puto verum ejus nomen eſſe καϊκίαν. A Caïco Myſiæ fluvio ita vocaverunt hunc ventum, quibus à Caïco veniebat. Ita etiam ſcribendum in proverbiali verſu:

Ἕλκων ἐφ᾽ αὑτὸν ὡς καϊκίας νέφη.

Non igitur natum hoc vocabulum in Sicilia, & aliter capienda Theophraſti verba, οἱ ἐν Σικελίᾳ καϊκίαν λέγουσιν ἀπηλιώτην. Siculos ait eum ventum, qui aliis dicitur καϊκίας, ipſos appellare ἀπηλιώτην. Nec moror Latinos *cæcian* ſcribere τελουσυλλάβως. Ita enim *Phæthontem* dixere pro Phaëthonte, & *Laumedontem* pro Laomedonte & ſimilia. Certe omnes hæ nominum in ventis terminationes à locis denominationem ſumpſerunt: ut Ὀλυμπίας, Ἑλλησποντίας, & Φοινικίας, Καυνίας, Καταπορθμίας, Στρυμονίας. Ita ergo & Καϊκίας ἀπὸ τοῦ Καΐκου. Quod & diſerte tradit Heſychius. Nec movere quemquam debet quod καικίας apud Suidam ſcribitur. Nam apud eumdem Καῖκος ὄνομα ποταμοῦ pro Καΐκος. Nec aliud pronuntiandum de θρασκίας & κερκίας. Sed loca, unde vocabula ſumpſerunt, nobis ignota ſunt. Ariſtoteles in fragmento de ſignis tempeſtatum, κιρκίαν nominat, & Siculis Italiſque ita dictum ſcribit thraſcian ventum hunc, quia ex Circæo flaret: ἐν δὲ Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Κιρκίας, διὰ τὸ πνεῖν ἀπὸ τοῦ Κιρκαίου. Quæ tamen mihi mira ſunt. Nam κερκίας apud alios ſcribitur, nec κερκίας, aut κιρκίας fingi poteſt à κιρκαῖον. Alii argeſten eſſe volunt, alii vero inter utrumque collocant. Κάρβας quoque ventus apelioticus, vel apeliotes ipſe à populo ſic nominatus. Quidam caras eo nomine intelligi volunt. Unde καρβάζειν, καρικῶς λαλεῖν. Et καρβατίναι genus calcei à Caribus inventum. Ariſtoteles in Phœnice metatur illos Καρβάνους, à quibus κάρβας ventus. Quod ad chauri nomen attinet, vel chori, originem ejus ex Græcia petendam eſſe indicat adſpiratio, cum qua ſcribi ſolet in omnibus antiquis exemplaribus. Libri certe omnes veteres omnium auctorum *chaurum* & *chorum* cum adſpiratione ſcribunt, qui vulgo *caurus.* Hinc Iſidorus ita appellatum refert: quod circulum ventorum claudat, ac veluti chorum faciat. Χωρὸς Græcum eſt idem quod χωρείτης, vel ἐγχώριος. Græce enim χῶρος locus: mutato accentu χωρὸς, pro χωρείτης: ut δῆμος populus, δημὸς idem ac δημότης. Indigenam ſignificat ea vox & ἐγχώριον: ut apud Sophoclem χωρείτης ὄφις & Æſchylo in Leone Satyrico Tragœdia:

Ὁδοιπόρων δήλημα χωρείτης δράκων.

Apollonius in Canopo:

Θρέψε δὲ νηῶν ὁ γλυκύς σε χωρείτης
Πλόος κομίζων δῶρα πλουσίου Νείλου.

An ergo χωρὸς ἄνεμος argeſtes idem quod ἰθαγενὴς, quod unus eſſet ex illis ventis, quos vocat Ariſtoteles ἰθαγενεῖς. Ut cives dicuntur ἰθαγενεῖς naturales illius loci & αὐτόχθονες, quibus opponuntur οἱ πρόσγραφοι & ci-

A vitate donati. Sic argeſtes unus fuit principalium & ἰθαγενῶν ventorum, non ex adſcripticiis & adſcititiis, ſuffectiſque, quos νόθους Adamantius vocat. Ariſtoteles: Ζέφυρος δὲ ὅ τε ἰθαγενὴς, καὶ ὁ ἀργέστης καλούμενος. Quæ tamen aliter poſſumus interpretari, ut ſolus zephyrus ibi ἰθαγενὴς cenſeatur. Duos ventos ibi occiduos ſtatuit, zephyrum ἰθαγενῆ, qui proprie occiduus, utpote ab occaſu æquinoctiali ſpirantem, & alterum chaurum, ſive argeſten, qui non eſt ἰθαγενὴς ζεφυρικὸς, nam cum ſeptentrione participat ſuos flatus. Sic duos ἀπηλιωτικοὺς & orientales facit, unum ἰθαγενῆ, qui mere eſt orientalis, τὸν ἀπηλιώτην, ab

B æquinoctiali exortu procedentem. Ἀπηλιώτης δὲ ὅ τε ἰθαγενὴς ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἰσημερινῆς καὶ εὖρος. Similiter & binos in parte meridiali agnoſcit ventos, νότον ἰθαγενῆ ab ipſo meridiano cardine proficiſcentem, & λίβα, ſive africum, qui non eſt merus meridianus, ſed inclinat ad occaſum hibernum. Ita omnino præſtat Ariſtotelem intelligere. Χωρὸς autem de vento ἀπὸ τοῦ χωρεῖν habet nomen, quod cum impetu & violentia eat. Sic φορὸς ἄνεμος ἀπὸ τοῦ φορεῖν, quem *ferentem ventum* Latini appellant. Seneca: *Chauri violenta vis eſt & in unam partem rapax.* Thucydides τοὺς ἐντόνως καὶ ὀργῇ

C χωροῦντας vocat, qui in prælio incipiundo cum impetu proruunt & clamore, quibus opponit τοὺς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντας, qui ſedato ac clementi gradu in hoſtem eunt. Inde igitur χωρὸς ventus, Romanis *chaurus*: ut ὀρείχαλκον, *aurichalcum*, & ſimilia. In ea tamen olim fui opinione, quum exiſtimarem χῶνον hunc ventum à Chonibus gente OEnotrica, quorum regionem dictam Χώνην poſtea tenuere Lucani. Ventum ex ea parte flantem Thurii aut Tarentini Χῶνον vocaverunt. Unde Latinum *chorus* & *chaurus*, ut τόνος, *torus.* Sed illud alterum verum eſt. Vetus auctor gloſſarum χωρὸν facit Græcum nomen de eo vento. Id

D prioris etymi veriloquium confirmat. Ἀργέστης vocatur Græcis. Concitatum & velocem ſignificat. Ita exponunt grammatici Homericum illud, ἀργέσταο νότοιο. Quidam interpretabantur λευκόνοτον, quos reprehendit Heſychius: Ἀργέσταο νότοιο τοῦ λεγομένου λευκονότου τινὲς οὐ καλῶς. Ὅμηρος γὰρ τέσσαρας οἶδεν ἀνέμους: ἔστιν οὖν ταχέος. Sed nihil prohibet ἀργέστην νότον apud Homerum accipere pro leuconoto, vel albo noto recentiorum, etiam ſi ille quatuor tantum ventos noverit. Leuconotus quippe non eſt venti nomen peculiare, nec ex iis quos ad priorem numerum addidit ſequens ætas. Λευκόνοτοι auſtri ſunt quaſi anniverſarii, qui cer-

E ta ſtataque anni tempeſtate ſpirant, ut eteſiæ, & nubila detergent ſerenitatemque reddunt. Theophraſtus: Διά τι βορέαι μὲν ἐτησίαι γίνονται. Νότοι δὲ οὐ γίνονται, φαίνεται πῶς συμβαίνειν: οἱ γὰρ ἠερινοὶ νότοι καθάπερ ἐτησίαι τινές εἰσιν, οὓς καλοῦσι λευκονότους, αἴθριοι γὰρ καὶ ἀσυνεφεῖς ὡς ἐπίπαν. Inde illud Horatii:

Albus ut obſcuro detergit nubila cælo
Sæpe notus.

Ὁ λευκόνοτος, qui αἴθριος eſt, ac ſerenificus, ἀπὸ τοῦ λευκαίνειν τὸν οὐρανόν. Noti illi quaſi anniverſarii ſunt. De his intelligit auctor libri de Mundo: καὶ οἱ μὲν χειμῶνος, ὥσπερ οἱ Νότοι δυναστεύοντες, οἱ δὲ θέρους, ὥσπερ

F οἱ ἐτησίαι λεγόμενοι μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων καὶ ζεφύρων. Quem locum ſic reddidit Apulejus: *Equidem hiemales habentur ut noti: eteſiæ frequentiores ſunt æſtate anni: ſeptentriones ac zephyri tempeſtate veris. Ornithiæ venti appellantur aquilonum genus.* Ita ediderunt in poſtrema editione ex membranis Florentinis & aliis libris recognita. Spurciſſime adhuc inquinata illa verba ſunt, nec Græco, unde ſunt accepta, reſpondent. In omnibus libris habetur ſcriptum *annis* pro *anni.* Totum eum locum ſic reſcribo: *Eteſiæ frequentiores ſunt æſtate, animis ſeptentrionis ac zephyri temperati. Veris ornithiæ venti ſunt, Aquilonum genus.*

G Dicit eteſias temperatos eſſe animis ſeptentrionis ac zephyri, quæ Græci ſcriptoris ſententia eſt, plane prodentis eteſias communicare ſpiritus ſuos cum ſeptentrione ac zephyro. Hinc argeſtas & chauros eſſe illos eteſias plerique volunt. Nam chaurus inter ſeptentrionem & zephyrum flat, juxta eam rationem, quæ octo ventos computat. Heſychius: Ἀργέσται οἱ ἐτησίαι. Vitruvius: *Circa favonium argeſtes, &*

certis temporibus eteſiæ. Proinde minime mirum eſſe debet, ſi eteſiæ iſti ab aliis ἀργέσται, ab aliis auctoribus appellantur βορέαι. Ex utroque mixtos ac temperatos habent flatus, ſeptentrione & zephyro. Theophraſtus anniverſarios illos notos vernos facit, quos auctor de mundo hiemales. Puto corrigendum Theophraſtum, & χειμερινοὶ in eo reponendum pro ἠρινοί. Poſt brumam flare incipiunt illi leuconoti, ſed non tam continui ac pertinaces ſunt, ut eſſe ſolent eteſiæ. Ariſtoteles Meteor. Lib. II. cap. V de eteſiis ventis: γίνονται μὲν γὰρ οἱ καλούμενοι λευκόνοτοι τὴν ἀντικειμένην ὥραν, οὐχ οὕτω δὲ γίνονται συνεχεῖς. Eteſiæ poſt ſolſtitium incipiunt. Anniverſarii noti τὴν ἀντικειμένην ὥραν. Ergo poſt brumam. De his capienda Nigidii verba apud Agellium capite de ventis: *Eteſiæ & auſtri anniverſarii ſecundo ſole flant.* Neſcire ſe fatetur Agellius quid iſta ſibi velint, *ſecundo ſole flant.* Quid enim aliud hæc ſignificant quam ignorantiæ confeſſionem? *conſiderandum igitur eſt*, inquit, *quid ſit ſecundo ſole.* Hoc igitur doceamus. *Secundo amne* dicitur homo natare, vel lembis navigare, qui prono amne labitur, & ſecundum curſum & vim fluminis.

---- *ſecundo defluit amni.*

Contrarium eſt *adverſo amni natare*, & lembum adverſo amne remigiis ſubigere, aut remulco trahere, contra curſum ſcilicet & impetum aquæ defluentis. Sic *ſecundo rheumate*, & *ſecundo vento* fertur navis, quæ eo tendit quo fert ventus, & rapit rheuma. Hinc *ſecundus ventus* pro favente ac ferente. Hinc *ſecundæ res* & *adverſæ* per eamdem metaphoram. Ita *ſecundo ſole* ventus flare dicitur, qui contra curſum ſolis non flat, ſed à ſole fertur. Quod clarius explicandum. Ventus, qui cum ſole oritur, & à parte ſolis flat, & cum ſole occidente cadit, is omnino ſecundo ſole ſpirat. Quorumdam hæc fuit opinio omnem flatum à ſole ferri, id eſt, ſecundo ſole: inde nempe flare unde ſol. Seneca lib. V. cap. IX. *Et ideo quibuſdam videtur inde flatus eſſe unde ſol. Hoc falſum eſſe ex eo apparet, quod aura in omnem partem vehit, & contra ortum plenis velis navigatur. Quod non eveniret, ſi ſemper ventus ferretur à ſole.* Aura eſt flatus matutinus, qui cum ſole oritur, ſed non ſemper à ſole fertur, id eſt, ſecundo ſole, vel ex ea parte unde ſol oritur. Nam in omnem partem vehit, non in eam ſolam quam petit ſol. Quibus placebat inde omnem eſſe flatum, unde ſolem, in argumentum advocabant eteſias, qui à ſole flant, hoc eſt, ut Nigidius loquitur, *ſecundo ſole.* Nihil tamen eos argumento illo eteſiarum juvari ibidem oſtendit. Eteſias cum ſole oriente incipere, cadente ponere ſcribit Theophraſtus: μετὰ ταῦτα δὲ οἱ ἐτησίαι: ἐξ ὧν ἅμα τῇ καταφορᾷ τοῦ ἡλίου λήγειν, καὶ νύκτωρ μὴ πνεῖν αἴτιον τὸ τὴν χιόνα τηκομένην παύεσθαι δυομένου, καὶ νύκτωρ μὴ τήκεσθαι δεδυκότος. De auſtris quoque in genere ſcribit, ἄρχεσθαι μὲν ἀπὸ ἀνατολῶν, συμπαραχωρεῖν τῷ ἡλίῳ, id eſt, ſole exoriente incipere flatum, & uſque ad occaſum ſolem durare. Hoc tamen non ſatis eſt, ut dicantur eteſiæ ſecundo ſole flare, quod cum exortu ſolis oriuntur, & cum occidente deſiſtunt, niſi etiam ex ea parte ſurgant, unde oritur ſol. Quod non faciunt eteſiæ, immo adverſo potius ſole flant, quam ſecundo. Eo tempore quippe regnant quo ſol ab exortu ſolſtitiali procedit, ipſi vero prodeunt ex contraria parte, ab occaſu nempe ſolſtitiali. Nam ſunt argeſtæ. Sic contra curſum ſolis pergunt, ab occidente æſtivo in orientem hibernum, tantum abeſt ut ſequantur curſum ſolis, aut inde adveniant unde ſol venit. Agellius loco quo ſupra tradit eteſias ex alia atque alia parte cæli ſpirare, quod tamen haud ſcire ſe profitetur, an ex vulgi opinione temere dixerit. Deinde citat verba ea Nigidii quæ heic exponere ſatagimus. An igitur Nigidius intellexit eteſias ex parte cœli, unde ſol oritur, prodire, quum dixit eos *ſecundo ſole flare*? Non aliter hæc oratio poteſt accipi niſi de eteſiis curſum ſolis ſequentibus, & inde orientibus, unde ſurgit ſol, id eſt, ex oriente æſtivo. Ab ea enim meta tum exoritur ſol, cum eteſiæ ſpirant. Atqui falſum id eſſe aperto pignore probavimus. Et temere loquutus eſt cum vulgo Agellius, qui ex alia atque alia parte cœli flare eteſias pronun-

A tiavit. Hoc ſi verum eſſet, ne ſic quidem huic ſententiæ poſſent accommodari verba Nigidii. Duplex ſolis curſus eſt, quotidianus & annuus. Ille cum mundo communis ab oriente in occidentem, hic ſolis proprius & peculiaris, quem annuo orbe conficit à ſeptentrione in meridiem & è converſo. A ſolſtitio ſpirare auſpicantur eteſiæ, quo tempore ſol deſcendit ex ſeptentrionali circulo. Ab eadem plaga ſunt eteſiæ. Unde *eteſia flabra aquilonum* Lucretio. Ergo ſecundo ſole flant, id eſt, ſecundum curſum ſolis. Auſtri quoque anniverſarii ſimiliter ſecundo flant ſole. Poſt brumam quippe ſpiritus ſuos excitant, à meridie prodeunt,
B quum ſol quoque ex meridie curſu converſo contra ſeptentriones aſcendit. Diverſo intellectu aura, quæ ab ea parte ſurgit, unde ſol, *ſecundo ſole* ſpirare dicitur. Nam de altero curſu ſolis id accipiendum. Nec puto aliter hæc intellexiſſe quibus erat perſuaſum ſolem ſemper nubila ante ſe agere, & proinde flatum omnem inde eſſe unde ſolem. Quod de curſu quotidiano ſolis ſenſiſſe eos manifeſtum eſt. In argumentum hujus aſſertionis eteſias advocabant, qui & ipſi à ſole flarent, & ſecundo ſole, ſed ſecundum illum curſum, qui à ſeptentrione fit in meridiem. Tum enim ſole
C liquefactis in ſeptentrionali parte nivibus impetum inde ſumere eteſias & indidem flare, ex qua parte ſol eo tempore venit. Seneca de eteſiis: *æſtate incipiunt flare, cum & longius extenditur dies & recti in nos radii diriguntur.* Addit de nivibus, quæ tum regelantur in plaga ſeptentrionali, quæ ſpiritus illos efflant qui eteſiæ nominantur: *Sic impetum eteſias ſumere & ob hoc à ſolſtitio illis initium eſt, ultraque ortum caniculæ non valent, quia multum è frigida cœli parte in hanc egeſtum eſt. At ſol mutato curſu in noſtram rectior tenduur, & alteram partem aëris attrahit, aliam vero impellit. Sic ille eteſiarum flatus æſtatem frangit.* His verbis explicat
D eorum opinionem qui argumento eteſiarum nitebantur, eoque pervincere ſtudebant omnem flatum à ſole eſſe & ſecundum curſum ſolis ferri. Hi ſic argumentabantur, communes quidem quotidianoſque flatus diurnam ſequi ſolis orbitam, eteſias vero & anniverſarios ad eam ſe componere ſemitam, quam annuatim peragit. Solem enim poſt ſolſtitium mutato curſu ex aquilone reverti, & frigidum aërem, qui ex reſolutis nivibus effluit, partim adtrahere, partim impellere. Eam cauſam creare eteſias, qui hoc modo ſecundo ſole flant, dum aut ſolem attracti ſequuntur, aut præcedunt impulſi. Hæc fuere exponenda,
E nec paucioribus potuerunt, ut liquida res eſſet. Hos eteſias, ut docui, alii zephyros, alii aquilones interpretati ſunt, quia medii interpoſiti ſunt aquilonis & zephyri, & argeſtæ videntur, vel chauri. Hinc eſt quod Lucanus *zephyros* appellat eteſias, qui oſtiis Nili in mare ingredientis contrarii ſunt, quum ſoli aquilones, non veri zephyri ex adverſum Nili oſtia flatus ſuos directos habeant. Per zephyros igitur non intelligit ἰσημερινὸν ζέφυρον, ut vocat Ariſtoteles, qui ab æquinoctiali occaſu flat, ſed ἀργέστην ventum ζεφυρικὸν, qui inter ſeptentrionem & zephyrum ſpirat. Avienus in paraphraſi Dionyſii ζέφυρον pro chauro accepit in his
F verſibus de Achæis Ponticis:

---- Τορέται τε καὶ ἀλκήεντες Ἀχαιοὶ
Τοὺς ποτ' ἀπὸ Ξάνθοιο, καὶ Ἰδαίου Σιμόεντος
Πνοιὰς νοσφίσαντο νότοιό τε καὶ ζεφύροιο.

Sic legendum ex libris, non, ut vulgo eſt, καὶ βορέαο. Quod ratio non fert, nec ſitus locorum. Dicit Achæos illos raptos fuiſſe vento à Simoente & Xantho aduſque extrema Ponti. At boreas eos illo ferre non potuit, qui poterat inde revertentes vehere. Ab Troia & Helleſponto uſque ad initium Ponti auſter eos vexit: deinde uſque ad intimum Ponti receſſum zephyrus. Sic partim noto, partim zephyro rapti ſunt
G & evecti in ea loca Ponti & Scythiæ quæ nunc tenent. Avienus eum locum ita reddidit:

---- *Indeque Achai*
Ab Xanthi ripis atque Idæo Simoente
Inter Chauricrepas & ſcrupoſas convalles
Tranſvexere larem.

Mentem Græci poëtæ non vidit. Nec enim dicit eos inter convalles à chauro vento percuſſas ſedem poſuiſſe, ſed

sed in eas sedes asportatos esse flatibus austri & zephyri. Hinc tamen liquet ζέφυρον legisse in Græcis versibus, & pro chauro accepisse, qui unus est τῶν ζεφυρικῶν πνευμάτων, ad septentrionem declinans, quia illi Achæi delati sunt in septentrionalem regionem, in qua larem fixerunt. Apulejus: *Zephyrus vero, quem Romana lingua favonium novit, hic quum de æstivis partibus surgit, japygis nomine cieri solet.* Ita omnes libri eo loci legunt. Male corrigunt: *censeri*, alii *efferri* reposuerunt. *Cieri* pro vocari hic usurpavit. Nam inde frequentativum *citare*, quod est nominare & laudare, ut qui *auctorem citare dicitur.* Sic *clamare* pro vocare in lege Salica: *si quis alterum vulpiculam clamaverit.* Et apud Luxurium in epigrammatis: *ad convivium clamare.* Ceterum *ciere* proprie est inclamare & provocare, adhortari, & incitare. Ex Græco κίω, quod est πορεύω, & ad ambulandum provoco. Unde *citus*, ὁ ταχύς. Nonius etiam *citum* divisum exponit, atque ita interpretatur apud Virgilium:

---- *Citæ Metium in diversa quadrigæ.*

Sic etiam Donatum exposuisse notat Servius, qui recte docet eum falli. *Citus* pro divisus ab alia origine. Quod heîc docendum est, quandoquidem ventus huc nos detulit. *Citus* pro celeri, & veloce à verbo *cio*, quod ex Græco venit κίω, τὸ πορεύω. Et prima in eo syllaba brevis est. At *citus* pro divisus primam habet longam: idque ex verbo Græco antiquo descendit, σχίω, quod aliis σχίζω: ut πτίω, πτίζω & similia. Pro σχίω alii dicebant χίω, ut φαιρίζειν pro σφαιρίζειν: μάραγδος pro σμάραγδος: *chasteria* pro *schasteria*: *capisterium* pro *scaphisterium.* Ab illo igitur χίω, quod est divido & scindo, verbum cascum Latinum *chio* & *cio*. Inde quoque appellata novitia litera Ionica Χῖ, quod ipsa sese dividat lineis decussantibus. Hinc *herctum citum* in antiquis legibus Romanis patrimonium divisum. Festi abbreviator: *Herctum citum quod fit inter consortes, ut in libris legum Romanarum legitur.* Sed ibi absque adspiratione legitur *erctum*, quum esse debeat *herctum.* Ergo in ea loquutione *herctum* significat patrimonium, *citum* vero divisum. Glossæ Græco-latinæ: διαίρεσις ὑπαρχόντων, *hercicitus.* Male corrigunt, *herctus citus.* Immo, *hercti citus*, id est, patrimonii divisio. *Citus, ut accitus, rogatus* pro rogatione. Optimæ glossæ: *cienda*, διαιρουμένη. Utriusque vocis notio evidentior in altera ista formula, *hercto non cito*, quod significat patrimonio non diviso. Servius: *Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens citæ divisæ, ut est in jure hercto non cito, id est, patrimonio, vel hæreditate non divisa. Nam citus cum divisus significat ci longa est.* Prisco jure Romano *consortium hercto non cito*, dicebatur de consortibus hæreditatis, qui in societate & communione bonorum manebant, hæreditatem defuncti pro indiviso inter se possidentes & fruentes. Societatem Pythagoricæ familiæ huic cohæredum consortio, quod *hercto non cito* fiebat, Agellius comparat lib. I. cap. IX. *Sed id quoque non prætereundum est, quod omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuit antiquum consortium, quod jure atque verbo Romano appellabatur hercto non cito.* Sed ne fallaris, non hodie ita legitur in Agellii editionibus, quæ sic habent vulgo: *tanquam illud fuerit consortium, quod re atque verbo appellabatur κοινόβιον.* Tuam fidem lector, an non verisimile est ad eam faciem corrupisse verba illius loci monachum aliquem, cui in mentem fuit suum κοινόβιον? Eam, quam posuimus, scripturam liber vetus expressam plane repræsentat, hoc tantum differens quod legit, *erto non cito.* Societas illa *hercto non cito* inter cohæredes proprie fuit qui à communione discedere nolebant. Et sane *consortes* dicebantur quamdiu hæreditas divisa non erat. Glossæ: *consortes*, κοινόβιοι, σύγκληροι. Inde & *consortium* hæc societas & communio cohæredum. Contra *dissortes* postquam diviserant. Glossæ: *dissortes*, διακληρωθέντες. Ex eo *dissortiones* apud Paulum Festi epitomatorem *divisiones patrimoniorum inter consortes.* At *exsortes* ἄκληροι quasi exhæredes. Hinc *exsortium* Apulejo de Deo Socratis, ἡ ἀκληρία. *Incerta vacatione ceu quodam exortio punitur.* Ita sanè ibi legendum ex veteri codi-

A ce, non ut alii habent, *exordio.* In illa igitur antiqua juris formula ac verbo, *hercto non cito*, quum *citum* significet divisum, *herctum* hæreditatem, patrimonium, & bona significare utique debet. Antiqui *forctum* dicebant pro bono, unde *forctis* qui bonus & frugi. Festus: *Forctis frugi & bonus, sive validus.* Ita legendum ex optimo exemplari manuscripto. In XII. Tabulis: *Sanatibus idem quod forctibus jus esto.* Sequens ætas Latii *fortem* dixit pro forcte. At *forctis* proprie bonus & frugi à *forcto*, quod bonum intelligitur. Ex eo *Forctunus.* Unde *Fors forctuna*, id est, bona. Recentiores absolute *fortunam* B de bona proprie ac secunda prosperaque. Hinc *fortunæ* pro bonis. Glossæ: *Fortunæ*, τὰ ὑπάρχοντα.

Quo mihi fortunas, si non conceditur uti.

Hæc omnia ab eadem origine *forcti*, quod etiam *horctum* dixere. Festus: *Horctum & forctum pro bono dicebant.* Sic *forda* & *horda*: *fœdus* & *hædus*: *fariolus* & *hariolus*: *fostia* & *hostia*: *fostis* & *hostis*: *folus* & *holus.* Illud antiquius, hoc posterioris ætatis. Ita *forba* antiquis Latinis quæ Græcis φορβή, recentioribus *herba.* Hesychius: Φορβή, βοτάνη. Ad eumdem modum vetustas *forctum* & *horctum* dixit pro bono, quod sequuta C ætas *herctum* & *hertum* pronuntiavit, atque etiam sine adspiratione *erctum* & *ertum.* Ab eodem fonte manavit & *ferctum* pro genere libi, quod bonum esset, τὸ χρηστόν. Unde πάγχρηστα liba sunt, & χρηστὸν μελίτωμα Homero. Hinc compositum genus libi *struefercium*, quasi *struem bonam* dixeris. *Fertum* alii vocant, & *struefertum.* In veteri inscriptione: *Porcam & agnam struibus & fertis.* Indidem est & *fertilis.* Apud poëtam veterem *fertilitas barbara* pro omnium rerum bonarum copia. Prisci *foro* dicebant pro fero, ut *voto* pro veto. Inde *forctum*, & *fortum*, quod in sequenti ætate *ferctum* & *herctum* appellatum pro bonis & hæreditate, D ut in illa formula *hercto non cito.* De cohæredibus, qui herctum inter se non ciebant, hoc est, hæreditatem & bona defuncti non dividebant. *Hercti citi*, aut *non citi* nulla hodie mentio in Jurisconsultorum libris quos nobis solos esse voluit notos Tribonianus, in cujus Digestis titulus est *Familiæ Erciscundæ.* Qua in voce mirabilis admissa est corruptio, cujus auctor ipse fortasse Tribonianus, quum antiquum verbum non caperet, quo usi Jurisconsulti. Hæc actio *familiæ erciscundæ* ex lege XII Tabularum constituta fuit cohæredibus & consortibus à communione discedere volentibus, qua inter eos res hæreditariæ dividerentur. Qui igitur à consortio *hercti non citi* discedere volebant, & E *herctum citum* habere, id est, hæreditatem divisam, ea actione experiebantur, *familiæ erciscundæ.* Tota hæreditas eo judicio dividi petebatur, non sola familia. Jurisconsulti veteres *familiæ* non hæreditatem universam intellexere, sed eam tantum, quæ in numero servorum consistit. Ulpianus: *Familiæ appellatione omnes qui in servitio sunt continentur, etiam liberi homines qui ei bona fide serviunt.* Nec alius auctorum veterum fuit usus. Glossæ: *familia*, οἰκετία. Hirtius de Bello Hisp. *Familiam & libertos convocavit.* Ibidem: *Scapula totius seditionis familiæ & libertorum caput.* Phædrus:

F *Æsopus cum esset solus domino familia.*

Idem: *hominem nummis, familia exornat*, id est, famulitio. Nam *famuliam* antiqui dicebant famulorum turbam. Neutiquam igitur mihi fit verisimile solius familiæ appellatione eam actionem constituisse duodecim Tabulas, quæ universæ hæreditatis ac totius patrimonii divisionem spectabat. Agellius familiam à pecunia apertè distinguit: *quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant.* Sæpè occurrit apud auctores familia & pecunia junctim posita ad designandas hominis divitias. Atque ita hæc distinguuntur in duodecim Tabulis: *Paterfamilias ut ei super familia, pe-* G *cuniaque sua legasset, ita jus esto.* Familiæ, & pecuniæ nomine tum universa bona comprehendebantur. Nam eorum divitiæ in pecore consistebant. Varro: *A quibus ipsa pecunia nominata est, nam omnis pecunia pecus fundamentum.* Ulpianus, quum legem illam citaret, ita retulit: *uti legasset super pecunia tutelare rei suæ, ita jus esto.* Phædrus.

--- *cupi-*

— cupidissime
Ad se recepit, veste, nummis, familia,
Hominem exornavit.

Agellius lib. xvii. cap. i. *Græcus quispiam dives ex Asia, magno, ut videbamus, cultu paratuque rerum & familiæ.* Idem lib. xviii. cap. i. *Quoniam & corporis integritas sanitasque, & honestus modus formæ, & pecunia familiaque & bona existimatio, ceteraque omnia corporis & formæ bona necessaria viderentur perficiendæ beatæ vitæ.* Sic hæc legenda. Apulejus in Floridis de Cratete: *lectum genus, frequens famulitium, ipse bene vestitus, bene præditus*, id est, bene nummatus. Frustra sunt qui legunt, *bene prædiatus*. Eam nos alibi asseruimus. Præterea *ercisci*, quod pro dividere positum putant in ea loquutione, nihili verbum est, & cœlo ignotum Latino in ea significatione. Vetus tamen, ut dixi, error ab ipso Triboniano, qui non assequebatur priscam illius actionis lectionem. Paulus Festi abbreviator, ubi explicat quid sit in antiquis legibus, *erctum citum*, his verbis: *Erctum à cohercendo dictum, unde & erciscundæ & ercisci. Citum autem à ciendo vocatum.* Nugæ, nugæ. Immo *erctum* significat patrimonium: *citum* divisum. Inde *hercto non cito*, bonis hæreditatis non divisis. Hinc actio illa duodecim Tabularum, quæ dabatur hercto ciundo, id est, hæreditati dividundæ, ita conceptam fuisse liquet: *Familiæ, hercti, ciundæ*, id est familiæ, & reliquorum bonorum, quæ *hercti* nomine comprehenduntur, dividundorum. Hoc loquendi genus quum Tribonianus non caperet, id mutavit in *familiæ erciscundæ*, & putavit id esse familiæ dividendæ. Ab eo Philoxenus in glossis *erciscundæ* exponit διαιρέσεως. Forte etiam in Duodecim Tabulis scriptum fuit, *Familiæ Ercti ciscundæ.* Nam *cisco* idem quod *cio* pro divido: & *ciscunda* pro *ciunda* dividenda. Glossæ: *ciendæ*, διαιρουμένης. Ab antiquioribus id habet: at illud *erciscundæ* ex Triboniano, qui fortasse hanc vitiosam scripturam reperit in libris Jureconsultorum, qui tum extabant, *erciscundæ*, pro *erticiscundæ*, vel *ercicíscundæ*. In ea actione *familiam* præposuerunt Tabulæ duodecim, quia nobilissima hæc pars patrimonii, quæ in servis, qui sunt homines, consistit. Deinde quum dicere deberent, *Familiæ hercti ciscundi*, ad nobilius genus retulerunt quo familia nuncupatur. Sic apud Lucanum lib. i.

---- *Hinc leges & plebiscita coacta.*

Ita Priscianus accepit, leges & plebiscita vi coactas esse. Posset tamen videri scripsisse Lucanus.

---- *hinc leges & plebis scita coacta.*

Plebis coactæ scita. Similes tamen loquutiones priscis usitatæ & Grammaticis notæ. Ut *feminas & pecora ducendas habebat.* Talis in ea formula loquutio: *Familiæ, ercti ciscundæ.* Posset etiam aliquis *circundam*, vel *ciundam* ibi accipere pro divisione. Ut *præbenda* pro præbitione in glossis: *præbenda*, παροχὴ & *subrigenda*, τιμωρία & alia quæ alibi observamus. Idem glossarum auctor *erciscundam* διαίρεσιν interpretatur quod est pro *erticiscunda*, bonorum vel patrimonii divisio. Sed alterum malo, & vetustatem magis redolet. Hæc optima inquies, & memoratu notatuque digna: sed, quæ communio ventorum cum hercto cito? Dicam tibi. Ventis illis multum ac diu jactatus in vasto mari, quum jam ex propinquo portum viderem, ecce me improvisus turbo à recto cursu rapuit transversum, & ad hoc littus ejecit. Nunc idem ventus in altum me refert. Absolvamus locum Apuleji, qui dedit initium huic ἐκβολῇ λόγου. *Hic cum de æstivis occiduis partibus surgit, japygis nomine cieri solet. At ille, qui propior est æquinoctiali plagæ, notus & aquilo.* Hæc non tantum in vitio & corruptela, sed in defectu & lacuna. Desunt enim, quæ de zephyro vel favonio sequebantur, qui plagæ æquinoctiali propior est, & de africo, qui Græcis λίψ dicitur, & ab occasu hiberno ducitur. Tum principium aquilonis consequenter scriptum erat. *Notus* ille hic νοθεὐς & expungendus. Labem ipsam & lacunam farcire ac solidare absque ope vetusti codicis saltem verbis Apuleji non possumus. Quum ceteri fere omnes auctores ἀργέστην eum appellari Græce consentiant, qui Latinis est *chaurus*, Seneca diversos putavit: *Chorus venit, qui apud quosdam*

A *argestes dicitur. Mihi non videtur, quia chori violenta vis est, & in unam partem rapax, argestes fere mollis est, & tam euntibus communis, quam redeuntibus.* Vitruvius quoque distinguit: *Circa favonium argestes & certis temporibus etesiæ. Ad latera chauri cercias & chorus.* Argestes propior favonio: chaurus septentrioni. Indidem tamen veniunt modica tantum inclinatione diversi. Hic est igitur chorus, quo solo flante ab Indiæ promontorio Gades usque navigari Plinius scripsit, & post eum Solinus hoc loco, converso nempe mundi statu, & mutato ventorum situ flatuque.

Dummodo ab eo promontorio Indiæ cursus dirigatur.]
B Ridicule. Dicit Plinius simpliciter in ea navigatione quæ ab India Gades cursum habet, ab Indiæ promontorio, quod Lepte Acra dicitur ad insulam Malichu esse quindecies centena milia passuum. At hic ait eam navigationem omnino fieri solius chori flatibus, dummodo solvatur ab eo promontorio Indiæ. Quod est mirum in modum absurdum ac ridiculum. Promontorium autem illud non Indiæ, sed sinus Arabici in parte Troglodytarum. Stephano Δρέπανον ὄρος Αἰθιοπίας. De hoc intelligendum.

Quod alii Leptam Acram, alii Drepanum nominaverunt.] Ita Plinius: *Quod vocatur Lepte Acra, aliis*
C *Drepanum.* Immo Λεπτὴ ἄκρα & Δρέπανον duo diversa promontoria Arabici sinus.

Ab Indica prominentia ad Malachum insulam.] Scripti omnes Solini libri: *Malichum insulam.* Plinius: *ad Malchu insulam.* Ptolemæo Μαλιάχου. Legendum Μαλίχου. Atque ita reponendum in Plinio: *ad Malachu insulam.* Melius dixisset: *ad Malichæ*, vel *Malichi insulam.* Videtur autem existimasse insulæ illius nomen in ου terminari appellarique Μαλίχου. Atqui subaudiendum νῆσος, ἡ Μαλίχου νῆσος, *Malichæ insula.* Nomen habuit ab aliquo Malicha, sive regulus illius insulæ fuerit, sive alius quicunque. Ita multæ aliæ
D insulæ in illo sinu denominatæ, Αἴνου, Σωκράτους, Πολυβίου, Σιμαγόρους, Ἀδάνου, quæ nomina sunt hominum propria, à quibus eæ insulæ vocatæ sunt. Sic in Erythræo mari Διοσκορίδου νῆσοι, Κοκκηνάγου, Ζηνοβίου. *Zenobii & Dioscoridis insulas* Latine dici oportet, non *Zenobiu* & *Dioscoridu*, nisi ad antiquum illud respiciamus, *Menandru*, *Apollodoru*, quod Plinio in mentem non puto fuisse. Sic Ἀλαλαίου νῆσοι in eodem sinu Arabico, *Alalai insula.* Taprobane insula olim vocabatur Παλαισιμούνδου, subaudiendum νῆσος, *Palæsimundi insula.* Sic ἡ Μούνδου apud auctorem peripli, *Mundi emporium*, ut Μάλεως ἐμπόριον. Pessime hoc loco Solinus *Malichum insulam* appel-
E lavit. Μαλίχας, vel Μάλιχος nomen proprium, & contracte Μάλχος. Quod regem significare notum est. Porphyrius Philosophus, Μάλχος cognominatus. *Malchus* sophista Byzantinus. Μάλχος qui vitam Pythagoræ conscripsit, & alii multi, ut Μάλχον Euangelii prætercam, quem exauriculavit Petrus. Peripli auctor Nabatæorum Regem Μαλίχαν vocat, & proprio suo nomine ita vocatum ostendit: δι' ἧς ἐστιν εἰς Πέτραν πρὸς Μαλίχαν βασιλέα Ναβαταίων. Hirtius de bello Alexandrino *Malchum* nominat regem Nabatæorum: *Equites ab rege Nabatæorum Malcho evocat.* Sic Μαλίχας & Μάλχος idem nomen. Apud Romanos quoque *Rex*
F fuit gentilitium & proprium nomen, ut ille *Rex Rupulus* apud Horatium. *Princeps* etiam nomen tibicinis apud Phædrum:

Princeps tibicen notior paulò fuit.

Hodie quoque sunt qui *Reges, Principes, Comites, Duces & Barones* in suo gentilitio vocantur nomine.

Pag. 63. B. *Ad Malichum insulam affirmat esse quindecies centena milia passuum.*] Perperam legitur apud Plinium: *quindecim milia passuum.* Qui hinc corrigendus est.

A Malacho ad Scheneon.] Libri: *à Malichu*, pro *Malicho.* Nam *Malichum* insulam ante dixit. Nisi ibi sit legendum: *ad Malichu insulam.* Sed rectius scripsis-
G set: *ad Malichi insulam.* Et hoc loco: *à Malichi insula.* Plinium tamen sequutus est ad hunc errorem præeuntem. *Sceneon* in illo sinu non invenio. Forte: Σκηνέων, *Scenæon.* Sed aliter Plinius: *ad locum, quem vocant Scenos*, id est, Σκηναίας. Male Solinus: *ad Sceneon*, qui dicere debuit, *ad Sceneos.*

Inde

Inde ad insulam Sadanum.] Libri: *Adanu.* Hinc Plinius emendandus: *Inde ad insulam Adanu centum quinquaginta milia passuum.* Non recte est: *ad insulam Sadanum.* Ptolemæo νῆσος Ἀδάνου dicitur, id est, *insula Adani*, non *Adanu.* Ἀδανὴς vel Ἀδανὸς Græcum est vocabulum. Hesychius: Ἀδανὲς ἀπερινόητον. Ἀδανὰ εἰς κόρον ἄγοντα παρὰ τὸ ἄδδην ὁ δὲ Σώφρων τὸν ἀηδῆ ἀδανὸν φησί. Inde Ἀδάνης, vel Ἀδανος nomen proprium. Plerisque autem illis insulis Arabici sinus & rubri nomina imposita Græca ab Alexandrinis mercatoribus qui in Indiam navigabant, aut à gubernatoribus, vel etiam ducibus, quos mittebant Ptolemæi reges ad ea maria exploranda, & navigationem Indicam periclitandam. Hinc pleræque earum ab iis cognominatæ sunt, qui primi eas detexerunt, aut navem ad eas adpulerunt, vel in eas descenderunt. Ἀλαλαίου νῆσοι, Διοδώρου, Ἄινου, Τιμαγένους, Σωκράτους, Ζηνοβίου, Διοσκορίδου, Μαλίχου, Ἀδάνου & similia alia nomina, quæ omnino Græca esse palam est.

Sic confici ad apertum mare.] Ab initio scilicet Arabici sinus, ubi intimus ejus est recessus usque ad apertum mare, quod est ultra sinus illius angustias & fauces, unde terras irrumpere auspicatur ille sinus. De longitudine igitur Arabici sinus, quantus patet ab intimo recessu usque ad apertum mare, hanc mensuram accipi par fuit apud Jubam, non ejus esse navigationis, quæ ab India Gades usque conficitur, ut hariolatus est Plinius. Post fauces Arabici maris incipit vastum & apertum mare. Eæ angustiæ τὰ στενὰ κατὰ Δειρὴν dicebantur, cui respondebat ex adverso *Ocelis* in Arabico littore. Nam Δειρὴ promontorium in Æthiopiæ parte. Sed ab illis faucibus adhuc conductum & angustum mare usque ad Mosylum promontorium, ubi trajectus ducentorum ferme stadiûm est. Ultra has angustias Mosylici sinus mare jam expanditur ac aperitur ingens. Angustiæ κατὰ Δειρὴν non plus patebant quam in stadia sexaginta, hoc est, octo milia passuum. Plinius cap. XXIX, quatuor tantum milibus eas angustias taxat, quæ triginta tantum essent stadia. Sed ibi corrigendum: *angustias* VIII. *milibus passuum.* De sinus Arabici angustiis loquitur, quæ στενὰ κατὰ Δειρὴν Græcis dicuntur. Strabo lib. XVI. τὰ δὲ Δειρὴν στενὰ συνάγεται εἰς σταδίους ἑξήκοντα. Tradit ibidem non eas proprie sinus Arabici angustias fuisse habitas, sed alias paulo ulteriores, ubi transitus à continente in continentem ducentûm est stadiûm: οὐ μὴν ταῦτά γε καλεῖται νυνὶ στενὰ, ἀλλὰ προσπλεύσασιν ἀπωτέρω καθὸ τὸ μὲν διάρμα ἐστὶ τὸ μεταξὺ τῶν ἠπείρων διακοσίων που σταδίων. Hæ sunt Mosylici sinus angustiæ, quas pro faucibus Arabici sinus observatas tum & habitas notat Strabo, quum antiqui τὰ κατὰ Δειρὴν observarent & os sinus Arabici inde incipere facerent. Plinius: *promontorium & sinus Mosylicus quo cinnamomum devehitur. Hucusque Sesostris exercitum duxit.* Immo angustias Dires non est prætergressus, & per eas transiit, non per illas Mosylici sinus. Strabo: ποιεῖ δὲ ἄκρα τὰ στενὰ πρὸς τὴν Αἰθιοπίαν Δειρὴ καλουμένη, καὶ φασὶν ἐνταῦθα στήλην εἶναι Σεσώστριος μηνύουσαν ἱεροῖς γράμμασι τὴν διάβασιν αὐτοῦ. Idem Plinius de his angustiis Dires: *faucesque orienti hiberno obversos alii* II. *mil. alii* VII. *alii duodecim mil. passuum patere.* Hæ sunt quas supra docuimus Strabonem dicere in stadia sexaginta patere, hoc est, octo milia passuum. Melius igitur eo loco scriberetur ex codicibus: *alii* VII. *mil. alii* XV. *patere.* Quod tamen non de iisdem angustiis proditum fuisse puto. At Mosylici sinus angustiæ viginti sex milibus patebant cum aliquot stadiis. Scripserat igitur fortasse Plinius: *alii* VIII. *milibus, alii* XXV. *patere*, ut duas illas angustias confuderit. A faucibus autem Mosylici sinus initium capere Arabicum sinum plerique censuerunt teste Strabone, quia primores istæ angustiæ sunt, quibus contrahitur apertum mare, quæque velut ostia habentur ἀρχέθυρα, quibus terras intrat illud mare. Nec obstat quod illæ κατὰ Δειρὴν arctiores sunt, istæ quippe primæ sunt. In Mosylico sinu hæ: illæ in Aualite. Auctor peripli: πρῶτος μὲν ὁ λεγόμενος Ἀυαλίτης, καθ' ὃν καὶ στενώτατός ἐστιν ἀπὸ τῆς Ἀραβικῆς εἰς τὸ πέραν διάπλους. Et paulo ante: ὁ Ἀραβικὸς κόλπος κατὰ τὸν Ἀυαλίτην μάλιστα στενοῦται. In altera parte harum faucium Dire promontorium, in altera versus Arabiam Ocelis. Post Ocelim sinum dilatari

A & in mare apertum pandi scribit idem auctor: μετὰ δὲ Ὄκηλιν ἀνοιγομένης πάλιν τῆς θαλάττης εἰς ἀνατολὴν, καὶ κατὰ μικρὸν εἰς πέλαγος ἀποφαινομένης. Ubi πέλαγος apertum & altum mare significat, cui vox κόλπος opponitur. At Strabo non ab Oceli, sed à Mosylo promontorio sua ætate apertum mare incipere creditum tradit.

Qui ob solis flagrantiam maximam partem istius regionis ferunt inaccessam.] Alia editio: *qui solis flagrantia maxima parte istam regionem.* Vel etiam: *maximam partem istam regionem.* Quod est ἀρχαϊκότερον. Plinius: *Reliqui omnes propter solis ardorem navigari non posse crediderunt.* Nemo quisquam, ut opinor, dixit, sinum Arabicum

B navigari non posse propter solis ardorem, quem jam olim navigationibus & ab utroque quidem latere frequentari solitum constat. Atqui Juba de illius sinus navigatione agebat, quæ non oras legit, sed per insulas & medium sinum dirigit cursum. In eo cursu navigabatur præter Κατακεκαυμένην, quæ insula erat Arabici sinus deserta propter ardorem, & ex eo sic appellata. Plinius pro ea regione accepit, quæ sub zona torrida sita est, quam Κατακεκαυμένην & Διακεκαυμένην prisci geographi vocant, quamque ideo habitari non posse credebant. Hac φαντασίᾳ permotus Plinius τὸν πλοῦν Arabici sinus, in quo oc-

C currebat Κατακεκαυμένη νῆσος, convertit in eam navigationem, quæ ab India Gades usque per mare meridianum olim à quibusdam confecta proditur, in universum vero incognita tum, & inexplorata penitus fuit. Quæ incredibilis est mentis cæcitas, in tanto præsertim viro. Nam de Solino, qui eum sequitur, mirandum minus. Agebat fortasse Juba eo loco de navigatione Arabici sinus, quæ ab ipso intimo ejus recessu initium cursus ducebat. Hæc raro tentata veteribus propter difficultatem navigandi in illo sinu. Ea re qui Indiam ex Ægypto petebant, navigationem suam ab ipso μυχῷ sinus non exordiebantur,

D sed Nilo Copton descendebant, à Copto pedestri itinere camelis ibant per diversas mansiones, atque hydreumata usque ad Berenicen portum sinus Arabici. Ab eo portu navigare per illum sinum incipiebant. Primus Philadelphus viam illam aperuit à Copto Berenicen & mansionibus instruxit. Strabo lib. XVII, quia difficilis esset sinus Arabici ab ipso μυχῷ navigatio: λέγεται δὲ ὁ Φιλάδελφος πρῶτος στρατοπέδῳ τεμεῖν τὴν ὁδὸν ταύτην ἄνυδρον οὖσαν, καὶ κατασκευάσαι σταθμοὺς, ὥσπερ τοῖς ἐμπορικοῖς ὁδεύμασι, καὶ διὰ τῶν καμήλων: τοῦτο δὲ πρᾶξαι διὰ τὸ τὴν ἐρυθρὰν δύσπλουν εἶναι, καὶ μάλιστα τοῖς ἐκ τοῦ μυχοῦ πλοϊζομένοις. Hoc est igitur, quod dicebat

E Juba, eum sinum navigari non posse priscis creditum. Quod Plinius accepit de navigatione ab India ad Gades. Postea πλοῦς ille frequentatus fuit, & magis quidem qui per medium sinum quam qui per oras sumeretur. De hac navigatione Jubam loquutum esse argumentum est quod choro vento fieri dixerat. Chorus autem ventus ab intimo recessu sinus usque ad apertum mare navigantes fert. Sinus quippe Arabicus, ubi terras intravit rubro mari emissus, recta tendit contra chori flatus & Ægyptum. Proinde eum sinum navigantes à parte Ægypti & ab intimo ejus μυχῷ ad fauces, & usque ad mare apertum choro flante

F vehi necesse est.

Ut mercantium ibi transitus infestari ex Arabicis insulis dicat, quas Ascita tenent Arabes.] Plinius: *quin & commercia ipsa infestant ex insulis Arabes Ascitæ appellati.* Præter ardorem, propter quem eam navigationem veteribus celebratam non fuisse, quasi ex Juba tradit Plinius, etiam Ascitas Arabas ex insulis commercia infestare dicit. At Solinus hoc loco in argumentum trahit ea loca navigari solita, quia mercantium transitum infestarent Arabes Ascitæ. Quod reluctari ait plurimorum opinioni, qui maximam partem illius regionis ob solis flagrantiam navigari non

G posse putaverunt. Hæc non est Plinii mens, multo minus Jubæ, quam Plinius non est assequutus, ut iste Plinium non intellexit, nec expressit. In toto eo cursu, qui ab India Gades per meridianum pelagus tendit, præter ardorem zonæ torridæ τῆς κατακεκαυμένης, quo navigantes male habentur, etiam eos infestari ab Arabibus Ascitis tradit Plinius. Mirum tamen

tamen ubi Arabes possint occurrere ab India Gades petentibus. Sed hæc insignis hallucinatio Plinii. Exequebatur Juba navigationem sinus Arabici à promontorio ejus Drepano usque ad apertum mare, eamque tantum, qua cursus tenetur per medium sinum, non eam, quæ utramvis oram legit Æthiopicam aut Arabicam. Arabici igitur sinus μέσον πλοῦν eo loco describebat Juba, non παράπλουν. Ergo qui medium illum cursum teneret Ascitis Arabibus infestari dixit, qui navigantes ex insulis impetebant. Contra ea peripli illius maris scriptor prodit τὸν μέσον πλοῦν Arabici sinus tutiorem & faciliorem esse τοῦ παράπλου. Nam præterquam quod oræ navigatio portubus ferme caret, & scopulis cautibusque inaccessa est, infamem esse latrocinio quorumdam hominum, qui oram accolunt Æthiopicam, ex rapto viventium, à quibus negotiatores qui propius oram navigant, aut ex medio cursu in littus ejiciuntur, expilari solent & in servitutem abduci, Κανραεῖται appellari ait. Idcirco medium πλοῦν eligi, ut præstabiliorem ac tutiorem. Διὸ καὶ εἰσπλεόντων μέσον πλοῦν κατέχομεν, καὶ εἰς τὴν Ἀραβικὴν χώραν μᾶλλον παροξυνόμενοι ἄχρι τῆς κατακεκαυμένης νήσου. Præterea Ascitæ illi populi nihil nocere possunt Arabicum sinum navigantibus, quum in contraria parte maris statuantur à Ptolemæo in Sachalite sinu ad promontorium Syagrum. Indici maris ille sinus, vel Erythræi potius, & longe ab Arabico. Ptolemæus: περὶ δὲ τὸ Σύαγρον ἄκρον μέχρι τῆς θαλάσσης Ἀσκῖται. Idem de sinu Sachalite: ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ καλούμενοις τινὲς ἐπὶ ἀσκῶν διαπλέουσι. De his Ascitis intelligit. Nam inde nomen invenerunt, quod ἐπὶ ἀσκῶν διαπλέουσι, super utribus navigant junctis, & pontili strato tabulatis. Arabes autem sunt & in Arabia colunt, sed longe ab isto Arabico sinu, cujus navigationem scripto prodidit Juba à Drepano promontorio ad fauces usque & apertum mare. Sed Plinius omnia hæc sedibus suis convulsa permiscuit, & turbavit. Promontorium Arabici sinus Drepanum cum Lepte Acra in Indiam jussit concedere. Ascitas ex sinu Sachalite in sinum Arabicum migrare fecit. Δίρην mutavit in Γάδειρα. Insulam Κατακεκαυμένην voluit esse regionem, zonamque Διακεκαυμένην. Navigationem Arabici sinus ab intimo ejus recessu usque ad fauces convertit in eam navigationem, quæ ab India Gades contendit. Chorum ventum, qui ab occidente æstivo in Indiam flat, ferentem favorabilemque esse cogit ab India in occidentem pergentibus.

Nam bubulis utribus contabulatas crates superponunt.] In quibusdam: *supponunt.* Sed illud verius. Plinius: *Arabes Ascitæ appellati, quoniam bubulos utres binos sternentes ponte, piraticam exercent sagittis venenatis.* Vocat Plinius *pontem* tabulas junctas, & utribus superstratas. *Utres ponte sternere* nihil aliud est quam utribus junctis tabulas stratas superponere. Hinc *pontilis stratus* apud Vegetium tabulatum, quo stabuli pavimentum constratum est. Inde Græcia recentior ποντιλῶσαι verbum finxit, pro ponte sternere, vel pontilem stratum facere. Mauricius: ποντιλῶσαι ἤτοι καταστρῶσαι. Et πόντιλον, vel ποντίλιον dixerunt *pontilem stratum*, vel pontem. Nam & *pontem* pro pontili stratu, vel tabulato posuerunt. Glossæ: Ποντίλιον, *pontem.* Ut hoc loco Plinius: *utres bubulos ponte sternere.* Hinc & πόντιλα etiam usurparunt pro quibuslibet tabulatis etiam si ad speciem pontis strata non essent, sed suspensa. Leo in Tacticis: ἢ πόντιλα, ἤτοι ξύλα κρεμάμενα. Sed hæc alibi. *Contabulatas crates* heic vocavit Solinus. Quod absurdum & falsum. Nescivit, quid essent proprie crates. Hæ textitiæ sunt, & diversæ utique a tabulatis, quæ non aliud sunt quam tabulæ junctæ & stratæ. Forte scripserat Solinus: *bubulis utribus contabulatos stratus superponunt.* Hæc recta emendatio fuerit, si modo volumus meliorem eam fuisse quam fuit. Pontium ex utribus factorum usus olim fuit apud diversos populos, fluviis transnatandis, & præcipue in bello. Auctor Anonymus de rebus bellicis, Ἀσκογέφυρον vocat pontem ex utribus junctis factum contabulatumque. Verum de his alio loco. Auctor peripli de navigiis Arabum Ascitarum: πλοῖς δὲ γινωμένοις ἐν τῇ χώρᾳ Λίβανος εἰς αὐτὴν ὥσπερ ἐκδοχεῖον εἰσάγεται καμήλοις τε καὶ σχεδίαις δερματίναις ἐξ ἀσκῶν καὶ

A πλοίοις. Ascitas tamen ille non nominat. Sed non dubium est Ἀσκίτας eos appellatos Arabas, qui hujusmodi ratis genere uterentur.

Prætereuntes impetunt sagittis venenatis.] In aliis codicibus: *infestant.*

Habitari etiam addidit Æthiopiæ adusta Troglodytarum & Ichthyophagorum nationibus.] Immo non ibi fuere Æthiopiæ adusta, ubi Ichthyophagi & Troglodytæ colebant. Nec hoc Plinius dixit: *Gentes Troglodytarum idem Juba tradit Therothoas a venatu dictos, miræ velocitatis, sicut Ichthyophagos natantes ceu maris animalia.* Ichthyophagi illi & Troglodytæ oram accolebant Arabici

B sinus. Unde igitur sumpsit hic noster adusta esse Æthiopiæ, quæ isti populi incolerent? Plinius paulo ante in describenda navigatione sinus Arabici: *a promontorio Indorum præter exusta ad Malichu insulam.* Ea exusta Troglodytis, de quibus paulo post sequitur, & Ichthyophagis habitanda dedit. At *exusta* illa Plinii insula fuit Arabici sinus Κατακεκαυμένη dicta apud Jubam. Peccat heîc etiam Solinus quod Troglodytas & Ichthyophagos velut diversas nationes recenset, quum Plinius inter gentes Troglodytarum Ichthyophagos ponat, ut & Therothoas. Et sane Τρωγλοδυτικὴ multas gentes comprehendebat, variis appella-

C tas nominibus, ut ex Agatharchide, Strabone & Diodoro constat. Gentem Troglodytarum Θηροθόας Plinius a venatu & velocitate dictos putavit. Sed inepta & absurda hæc compositio. Forte θηροθόας scripserat Juba à venandis illis feris, quæ θῶες dicuntur. Nec recta sic tamen compositio. Θωοθῆραι potius dicendi forent, ut ἐλεφαντοθῆραι in eadem Troglodytice. Et sic in aliis. Non enim θηρόσκιος dicitur gnomon, sed σκιοθήρης. Nec θηρολέξεις, sed λεξιθῆραι, qui dictiones aucupantur & verba. Inde verbum λεξιθηρεῖν apud Agellium lib. II. cap. IX. *Nimis minute ac prope etiam subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando λεξιθηρεῖ.* Sic ibi le-

D gendum, non, ut est vulgo, λέξεις τηρεῖ. Apud Epiphanium λεξιθηρεῖν sæpe hoc significatu legitur, qui & λεξιθήρας multis locis vocat vocularum aucupes, & qui omnia πρὸς λέξιν accipiunt, quod vulgo dicimus *ad literam.* Sic ὀρνιθοθῆραι, ἰχθυοθῆραι, σπογγοθῆραι, λεοντοθῆραι, & similia. Sed & θηροθῆραι dicebantur qui feras venantur, ἀπὸ τοῦ θηρᾷν τοὺς θῆρας. Hesychius: θηροθῆραι, θηρευταί. Idem tamen etiam notat θηρολέξην pro eo qui recta compositione dicitur λεξιθήρας. Θηρολέξης, ὁ τὰς λέξεις θηρώμενος. Eodem modo & θηροθόας appellari possent, qui thoas venabantur. Vix tamen aliter mihi persuaderi sivero, quin legendum sit apud Plinium:

E *Gentes Troglodytarum idem Juba tradit theratas à venatu dictos, miræ velocitatis,* id est, Θηρατὰς. Hæ sunt Troglodytarum gentes, qui Κυνηγέται Agatharchidi, Straboni & Diodoro. Agatharchides de populis Æthiopiæ Troglodyticæ: μετὰ τοὺς εἰρημένους εἰσὶν οἱ περὶ τοὺς ἐσχάτους Κυνηγέται. Hi feras omne genus venabantur, & earum carne victitabant. Θηρατὴς autem idem quod Κυνηγέτης. Græci: Θηρατὴς, κυνηγὸς, κυνηγέτης.

Pag. 63. C. *Troglodytæ tanta pernicitate polleant.*] Hoc non de omnibus in genere Troglodytis dicit Plinius, sed de illa Troglodytarum gente, quos Theratas dictos Juba scripsit. Denique nec illud quidem de his me-

F morat Plinius, quod heîc narrat Solinus, tantæ velocitatis esse, ut cursu pedum feras assequantur quas agitant. Ait tantum miræ velocitatis esse. Nec enim pedibus persequebantur feras & assequebantur illi κυνηγέται, sed partim ex insidiis, alias sagittis venabantur. Agatharchides: ἐξ ἐνέδρας δὲ ἀγρεύοντες τὰ θηρία τροφὴν ἑαυτοῖς ταῦτα ποιοῦνται· εἰσὶ δὲ καὶ τοξείας ἐπιστήμονες. Multum hæc inter sese distant, ex occulto sagittis feras interficere, & cursu pedum captare & consequi.

Troglodytæ.] In plerisque libris apud auctores Latinos vocantur *Trogodytæ.* Nam & Τρώγη Græcis idem quod Τρώγλη. Puto etiam Τρωγλίτας quibusdam appel-

G latos. Quippe cum Τρωγλῖτις σμύρνη passim dicta inveniatur apud Oribasium, Aëtium, Myrepsum & alios quæ Τρωγλοδυτικὴ Dioscoridi & antiquioribus vocatur. Et sane Τρωγλίτας & τρωγλοδύτας eadem ratione appellari fecit, quod cavos & specus subirent. Ab eadem causa & τρωγλίτης genus passeris, qui & τρωγλοδύτης potest recte dici, quod cavis & rimis turrium ac mú-

murorum sese inlatebret, & in his nidum congerat. Profecto Τρωγλῖτις myrrha à populis Troglitis nomen habuit, eademque est cum Τρωγλοδυτική. Antiquissimi enim libri Oribasii & Aëtii Τρωγλῖτιν σμύρναν passim indigetant. Sed nec aliter antiquissimus liber auctorum Hippiatricæ præferunt: & Galenus quoque ubique sic nominat. Antiquiores Galeno auctores ita vocasse plane etiam constat, ut ex Damocratis iambis liquet, qui apud eum leguntur in Antidoto Mithridatis:

Σμύρνης Ἀραβικῆς Τρωγλίτιδος δραχμαὶ δέκα.

Eo loco Τρωγλοδυτικῆς non posset hærere. Vixit autem auctor ille paulo ante Plinii tempora. Hinc *Troglitis myrrha* pro optima in vetere hymno Regum:

Thus Deo, myrrham Troglitin humando,
Bracteas regi Chryseas decenti.

Male scriptum est *Trochleten*. Nec melius corrigunt: *Troglodytin*. Infima tamen Latinitas, & barbara *Trocleten*, vel Trochleten scripsit pro Trogliti. Ita semper scriptum reperi in veteri Medicinario Latino, ex Theodosio, Prisciano, Paulo, & aliis compilato. Ut de Empijicis lib. II. *Myrrham Trochiten*. Ubi glossa exponit rotundam. Quasi τροχῖτις esset. Inepte. Myrrham *Troglitin* pro præstantissimo posuit. Talis enim Troglodytice, quæ & Τρωγλῖτις. Isidorus: *Myrrha autem Troglitis ab insula Arabiæ dicta, ubi melior colligitur & purior.* Ita ibi scribendum. Dioscorides: Πρωτεύει δὲ ἡ Τρωγλοδυτικὴ, ἀπὸ τῆς γεννώσης αὐτὴν χώρας, ὑπόχλωρος καὶ δηκτικὴ καὶ διαυγής. Plinii verba de ea ita legenda sunt: *Probatur Troglodytice pinguedine & succo. Adspectu viridior est, sordidaque ac barbara, sed acrior ceteris.* Mirum cur sordidam & barbaram dicat, quam διαυγῆ Dioscorides facit, id est, translucidam. Nihil æque contrarium. Isidorus puriorem eam ceteris esse tradit. Neophytus σμύρναν Τρωγλῖτιν interpretatur πετροσέλινον. Quod in aliis etiam glossariis Græcis Iatricis reperi: Σμύρνα Τρωγλῖτις, τὸ πετροσέλινον. Quod non de petroselino communi & Macedonico est intelligendum, sed de Cilicio, vel Amanico, quod Σμύρνιον vetus Græcia appellavit, media Σμύρνιον, infima Σμυρνοβότανον ab odore myrrhæ. Dioscorides: Σμύρνιον ὅπερ ἐν Κιλικίᾳ πετροσέλινον καλοῦσι γεννώμενον πλεῖστον ἐν τῷ λεγομένῳ Ἀμανῷ ὄρει. Lexicon Neophyti: Σμύρνιον, τὸ πετροσέλινον. Aliæ glossæ Iatricæ & Botanicæ: Σμυρνοβότανον, τὸ πετρόσελινον. Parem autem atque myrrha effectum habebat. Dioscorides: δριμὺ γευομένῳ, σμύρνης ἐν αὑτῷ ἔνοσμον ποιοῦν. Unde quidam id videntur intellexisse σμύρνης Τρωγλίτιδος nomine quod optimum genus fuit myrrhæ. Columella *Achaïcam myrrham* hoc σμύρνιον vocat, & meliorem esse dicit stacte:

Et lacrimas imitata tuas Cinyreïa virgo
Sed melior stacte ponatur Achaïca myrrha.

Τὸ σμύρνιον intelligit, non μυρρίδα herbam. De quo etiam supra docuimus. Lacrimam ex smyrnio myrrhæ similem colligebant, quam quidam pro mera myrrha habuere, immo ipsa myrrhæ stacte meliorem, ut asserit Columella. Theophrastus de smyrnio, quod hipposelinon vocat: γίνεται δὲ καὶ τὸ δάκρυον ἐξ αὐτοῦ ὅμοιον τῇ μύρρᾳ, οἱ δὲ φασὶν ὅλως μύρραν. Proinde non mirum si σμύρναν Τρωγλῖτιν quidam πετρόσελινον interpretati sunt, quod est σμύρνιον. At hipposelinum Dioscoridis ipso teste nonnullis etiam dictum smyrnium: ἱπποσέλινον οἱ μὲν γρίολον, οἱ δὲ ἀγριοσέλινον, οἱ δὲ σμύρνιον καλοῦσι. Ῥωμαῖοι δὲ ὀλέσαθρον. Ita scripsit Dioscorides, ut habet vetustissimus codex literis capitalibus exaratus. Inflexit hanc vocem ad Græcam formationem. Romanis *olusatrum*. Γρίολον autem dictum pro γρίφολον à scripturis quibus caulis ejus notatus est. Γρίφᾶν est ξύειν, γράφειν. Dioscorides: οἱονεὶ γραμμὰς ἔχων. Apuleji Herbarium: *thyrso molli, cavo atque celso veluti scripturis notato, quas Græci γράμματα vocant.* Folia etiam habet albis notis inscripta. Neophytus tamen scripsit ἀγριόλον. Atque ita videri queat dictum quasi ἄγριον. Nam apium agreste quidam nominarunt. Non parum itaque diversum hoc hipposelinum smyrnium à smyrnio petroselino. Utrumque ab odore appellatum *smyrnium*. Apulejus de olusatro, sive hipposelino: *masticatione atque odore aromata simulat.* Theophrastus sub hipposelini nomine non olusatrum Romanorum, ut vulgo putatur, sed verum smyrnium Dioscoridis descripsit. Et sane

A ἱπποσέλινον quodcunque apii genus majusculum significare potest. Tale est smyrnium. Cujus radicem πολόχυλον esse tradit Dioscorides. Et Theophrastus ex radice hipposelini liquorem, sive lacrimam manare dicit, myrrhæ stactæ comparandam. Quod de hipposelino Dioscoridis, sive olusatro non potest capi. Duæ igitur herbæ diversæ uno eodemque nomine ἱπποσελίνου notatæ veteribus. Ἱπποσέλινον Theophrasti quod est σμύρνιον veterum, & ἱπποσέλινον Dioscoridis quod est *olusatrum* Romanorum. Fortasse hinc errandi occasionem sumpsit Dioscorides, quum scripsit ἱπποσέλινον, hoc est, olusatrum Romanorum non- B nullis etiam vocari σμύρνιον. Scilicet ἱπποσέλινον Theophrasti eum accepisse pro olusatro, quum sit verum smyrnium. Hinc Plinius utrumque confundit, dum hipposelinon Dioscoridis unum idemque facit cum hipposelino Theophrasti. Atqui hipposelinon Theophrasti est smyrnium: hipposelinum Dioscoridis olusatrum. Plinius lib. XX. cap. VIII. *Sed præcipue olusatrum miræ naturæ est. Hipposelinon Græci vocant alii smyrneum, è lacrima caulis sui nascitur.* Hipposelinum porro illud, quod lacrimam fundit, & ex cujus radice succus colligitur sapore myrrhæ, non est olusatrum, sed smyrnium. Utrumque ab eo confundi magis etiam C apparet in eo quod sequitur: *Hipposelinum veteres præceperant in locis incultis lapidosis, juxta macerias seri, nunc & repastinato seritur.* Sane præceperant veteres hipposelinum in locis incultis & lapidosis nasci, sed non de olusatro hipposelino, verum de smyrnio intelligebant, sive petroselino Cilicio, quod certum est inculta & lapidosa amare. Unde & πετροσέλινον Cilices vocarunt. Dioscorides de vero smyrnio: φύεται δὲ ἐν πετρώδεσι τόποις, καὶ γεωλόφοις, καὶ ἀνίκμοις, καὶ γωνίαις χερσευούσαις. In antiquissimo codice hæc postrema verba non comparent: καὶ ἀνίκμοις, καὶ γωνίαις χερσευούσαις. Quæ nec Plinius agnoscit, quum hæc verteret vel ex Dioscori- D de, vel ex alio auctore, unde Dioscorides ipse sumpsit. *Nascitur & in saxosis collibus & in terrenis.* Ceterum alterum hipposelinum, quod est olusatrum Romanum in locis opacis & humidis nascitur. Dioscorides: φύεται ἐν συσκίοις καὶ παρ' ἕλεσι. Atque hoc est hipposelinum, quod repastinato seri dicit Plinius longe diversum ab eo, quod veteres in lapidosis & incultis seri præceperant. Nam id est smyrnium. Idem Plinius libro & capite quo supra: *rursus in siccis hipposelinum, pluribus foliis, simile eleoselino.* Hoc hipposelinum in siccis proveniens & pluribus foliis præditum plane est ἱπποσέλινον Theophrasti, & σμύρνιον Dioscoridis, & Cilicium pe- E troselinum. De eo Dioscorides: καυλὸν μὲν ἔχει ὅμοιον σελίνῳ παραφυάδας ἔχοντα πολλὰς, φύλλα δὲ πλατύτερα, τὰ δὲ πρὸς τῇ γῇ καὶ ὑποπερικλᾶται. Ita hic legendus locus ex antiquissimo exemplari. Dicit folia smyrnii, quæ propius terram sunt, in circuitu subinfracta esse. Plinius lib. XXI. cap. XIII cum hunc locum ad verbum verteret, pessime ista reddidit hoc modo: *folia latiora & maxime circa stolones multos, quorum à sinu exiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato.* Alia in ea descriptione restant examinanda quæ alibi eventi- F labimus. Duplex igitur fuit hipposelinum, alterum Latine *olusatrum*, alterum smyrnium. Atqui hoc Theophrasti ἱπποσέλινον. Duplex quoque πετροσέλινον: alterum Cilicium idemque cum smyrnio: alterum Macedonicum quod recentiores Græci vocarunt κοδίμευτον, id est, condimentum, quod in condimentis plurimi esset usus. Neophytus: Πετροσέλινον Μακεδονικὸν, τὸ κοδίμευτον. Ita accipienda hæc vox in geoponicis Eclogis: Μηνὶ Φεβρουαρίῳ σπείρεται κοδίμευτον μετὰ πράσου. Dioscorides: Σέλινον τὸ καὶ πετρόσελινον, τοῦτο φύεται ἐν Μακεδονίᾳ ἐν ἀποκρήμνοις τόποις. Italis *apio Macedonico*. Vir doctus in suo Lexico Græcobarbaro à veteribus Græcis dici notat σμύρνιον. Quod falsum est. Sed de petroselino G Cilicio verum. Male idem τὸ Μακεδονίσιον putat esse idem cum petroselino Macedonico. Suidas veterum σερίδας interpretatur Μακεδονήσια. Ergo intuba sunt, vel amaræ lactucæ, quæ Græcis πικρίδες. Verba Suidæ: Σέρεις αἱ πικρίδες παρ' ἄλλοις, ἢ μᾶλλον παληθέστερον εἰπεῖν Μακεδονήσια. *Macedonensia intuba*, vel Macedonenses lactucas Latine licet dicere. Nam Μακεδονήσιον, *Macedonense* & subauditur λάχανον, vel κιχώριον:

Apud Myrepſum tamen Μακεδονίσιον σπέρμα de Mace- A
donici petroſelini ſemine. Sed nihil prohibet utrum-
que dictum Μακεδονήσιον tam petroſelinum, quam ci-
choreum ex eadem regione. Neophytus: σέρις, τὸ κι-
χώριον, ἤτοι τὸ ἄγριον μαρούλιον, ὃ καὶ πικρομάρουλον λέ-
γεται, καὶ πικρίς. Quidam θριδακίνας ἀγρίας exponunt.
Et certe μαρούλιον vel μαΐουλιον, nam utroque modo ſcri-
ptum reperitur, lactucam Græcis recentioribus ſigni-
ficat. Nicomedes Iatroſophiſta in Lexico: ἀδενία,
θρίδαξ οἷον μαρούλιον. In alio Anonymo: θρίδαξ ἥμε-
ρος, μαΐουλιον. De ſeride ſupra diximus. Hujus ge-
nus agreſte πικρίδα quidam vocarunt, & κιχώριον vel
B intubum agreſte. Πικρὶς etiam genus lactucæ agreſtis
ab amaritudine. Inde confuſio hanc pro illa accipien-
tium. In geoponicis excerptis hæc quatuor diſtin-
guuntur veluti diverſa ἔντυβον, μαρούλιον, πικρίδιον & θρι-
δάκιον. Quod miror quum θρίδαξ & μαρούλιον idem ſit
lib.xii. cap. i. In menſe Februario μεταφυτεύεται δὲ μα-
ρούλιον, πικρίδιον, θρίδακιν, φρυγιατικὸν, πολύκλωνον κωμο-
διάρνον. Sed fortaſſe ibi ſcribendum: δικάρδιν φρυγιατικόν.
Genus lactucæ δικάρδιον à duplici corde. Ita enim ho-
dieque *cor lactucæ* vocamus, quod intus ſpiſſum habet
& coactum. Μαρούλια, id eſt, lactucæ plura ibi ge-
nera memorantur: μαρούλια διάφορα, τουτέστι δικάρδιν,
C φρυγιατικὸν, ῥιγιτανόν. Legendum etiam puto infra in
menſe Martio: μεταφυτεύεται δὲ μαρούλιν πικρίδιν, φρυ-
γιατικὸν πολύκλωνον. Quæ perperam dividuntur diſtin-
ctione. Μαρούλιον πικρίδιον aliis dicitur unica voce πι-
κρομαρούλιον. Diſtinguendum etiam in menſe Octobri:
σπείρεται μαρούλιν πικρίδιν, κωμοδιαρνὸν πολύκλωνον, θρίδακιν.
Ubi etiam habet θριδάκιον pro ſpecie quadam lactucæ.
Fortaſſean vetus nomen quod erat generis, fecerunt
ſpeciei appellationem. Niſi legendum ſit conjunctim:
πολύκλωνον θρίδακιν. Sed ecce in Decembri ſeparat dis-
junctiva particula marulium à picride: Μηνὶ Δεκεμβρίῳ
σπείρεται μαρούλιον καὶ πικρίδιον, πολύκλωνον, θρίδακιν, κω-
D μωδιαρνόν. Sed ultimi iſta imperii Conſtantinopolitani,
& illius urbis climatis propria, ut titulus indicat: γνῶ-
σις τὸ κατὰ μῆνα τί σπείρεται, καί τι φυτεύεται κατὰ τὸ κλίμα
τοῦ Κωνσταντινουπόλεως. Quæ ipſius Caſſiani ſunt earum
ἐκλογῶν collectoris, qui eas alicui Conſtantino Por-
phyrogenetæ dedicavit. In cetera Græcia ſativam la-
ctucam μαρούλιον, aut μαΐουλιον vocarunt. Neophytus:
θρίδαξ ἥμερος, οἱ μὲν μαΐουλιον, οἱ δὲ μαρούλιον, Ῥωμαῖοι λα-
κτοῦκα. Heſychius: θριδακίναι, αἱ παρ' ἡμῖν θρίδακες ἤτοι
μαΐουλια. Sed quoniam huc uſque venimus, Pliniana de
lactucis, quæ animadverſione egent, heîc excutiemus.
Lactucæ Græci tria genera fecere: unum lati caulis adeo ut
E *(hoſtiola olitoria ex his factitari prodiderint. Folium his*
paulo majus herbaceo, & anguſtiſſimum ut alibi conſumpto
alimento. Alterum rotundi caulis. Tertium ſeſſile quod la-
conicum vocant. Hanc lactucæ in genera diviſionem,
quam Græcis tribuit, ex Theophraſtô ſumpſit, & ma-
la fide retulit: nec enim tria tantum genera lactucæ
facit Theophraſtus, ſed quatuor. Quum candidæ
lactucæ mentionem feciſſet, eamque teneriorem &
dulciorem eſſe dixiſſet, ſtatim ſubjungit: γένη δὲ αὐτῆς
ἐστὶν ἄλλα τρία, τὸ δὲ πλατύκαυλον, καὶ στρογγυλόκαυλον, καὶ
F τρίτον τὸ Λακωνικόν. Præter candidam lactucam tria ad-
huc genera habere tradit, unum lati caulis, alterum
rotundi, tertium quod vocatur Laconicum. *Unum la-*
ti caulis adeo ut oſtiola olitoria ex eis factitari crediderint.
Ita optimi libri. Nam in aliis eſt: *urciola.* Theophra-
ſtus: τῶν δὲ πλατειῶν οὕτω τινὲς πλατύκαυλοι γίνονται, ὥστε
ἐνίους φασὶ καὶ θύραις χρῆσθαι κηπευτικαῖς. Polluci κηπαία
θύρα, oſtium olitorium. Addit Plinius de laticaule
lactuca, quæ in Græcis Theophraſti non habentur:
Folium his paulo majus herbaceo & anguſtiſſimum, ut alibi
conſumpto incremento. Ex verbis tamen Theophraſti
male lectis, male intellectis & aliorſum pertinentibus
hæc ſic concepit. Verba Theophraſti: τῶν δὲ πλατειῶν
τινὲς οὕτω πλατύκαυλοι γίνονται, ὥστε ἐνίους φασὶ καὶ θύραις
G χρῆσθαι κηπευτικαῖς: τὸ δὲ ὀπῶδες σφόδρα, καὶ μικρόφυλλον,
καὶ λευκοκαυλότερον ἔοικεν ἀγρίᾳ. Hæc poſtrema quaſi ad
ſuperiora pertinerent, de laticaule genere accepit, &
ποῶδες pro ὀπῶδες perperam legit, vel legi audivit. De-
inde imaginatus eſt lactucam tam vaſti caulis ideo an-
guſtiſſima folia habere & paulo majora herbaceis, quia
alibi inſumeretur incrementum, in caule nempe nu-

A triendo. Atqui hæc Græci ſcriptoris mens fuit, præ-
ter ſupra memorata genera, genus illud quod multo
ſucco manaret & brevi admodum folio eſſet, & cau-
le candidiore, ſimile eſſe agreſti. Nam agreſtis la-
ctuca breve folium habet, & lacte plurimo abundat.
Theophraſtus alio loco, ubi lactucam in ſativam &
agreſtem dividit: θριδακίνη δὲ τό τε φύλλον βραχύτερον
τῆς ἡμέρου, καὶ πλεισμένον ἀκανθοῦται, καὶ τὸν καυλὸν ὁ-
μοίως, τὸν ὀπὸν δὲ δριμύν, καὶ φαρμακώδη: φύεται δὲ ἐν
ταῖς ἀρούραις, ὀπίζουσι δὲ αὐτὴν ὑπὸ πυραμητόν. Et notan-
dum in his verbis θριδακίνη nomen videri eſſe proprium
agreſtis lactucæ. Atqui grammatici veteres obſervant,
B θριδακίνην Atticos vocare quæ ceteris Græcis θρίδαξ
dicitur. Theophraſtus ipſe alibi θριδακίνην de ſativa
lactuca dixit: ὡσαύτως δὲ καὶ θριδακίνης, ἡ γὰρ λευκὴ γλυκυτέ-
ρα καὶ ἁπαλωτέρα. Γένη δὲ αὐτῆς ἐστὶν ἄλλα τρία. An igitur in
ſuperiore loco ſcribendum? πετρακίνη. Heſychius: πε-
τρακίνη, θρίδαξ ἀγρία. Sed Siculi ita vocarunt, quæ
Atticis θριδακίνη. Helladius Byzantinus notat in Lexi-
co ſuo medicos veteres θριδακίνης nomine proprie in-
telligere lactucam agreſtem: οἱ δὲ ἰατροὶ θρίδακα μὲν τὸ
ἥμερον λάχανον, θριδακίνην δὲ τὸ ἄγριον καλοῦσιν. Ita plane
accepit eo loco Theophraſtus. Τετρακίνην vocabant
Siculi. Genus igitur illud lactucæ ſuccoſum & an-
C guſtifolium & candido thyrſo ſimile agreſti. Suſpi-
cor hæc dixiſſe Theophraſtum de ſecundo genere,
quod στρογγυλόκαυλον vocavit. De Laconico enim, quod
tertium eſt, ſtatim adjecit, αὕτη δὲ τὸ μὲν φύλλον ἔχει
σκολυμῶδες, ὀρθὴ δὲ καὶ εὐαυξής, καὶ ἀπαράβλαστος ἐκ τοῦ
καυλοῦ. Mox redit ad πλατύκαυλον, quod primo loco
poſuit, exponendum: τῶν δὲ πλατειῶν οὕτω τινὲς πλατύκαυ-
λοι γίνονται. Ergo quæ ſequuntur, τὸ δὲ ὀπῶδες σφόδρα
καὶ μικρόφυλλον καὶ λευκοκαυλότερον ἔοικεν ἀγρίᾳ, ad ſecun-
dum genus omnino referenda ſunt, quod στρογγυλόκαυ-
λον appellavit. Plinius perperam ad πλατύκαυλον retu-
lit. Dioſcorides duo genera tantum recenſet lactuca-
D rum, ſativam & agreſtem. Et agreſtem quidem καυ-
λωδεστέραν, καὶ τοῖς φύλλοις λευκοτέραν, καὶ ἰσχνοτέραν, καὶ τραχυ-
τέραν. Huic ſimilem ex ſativis eam, quæ rotundi cau-
lis eſt, Theophraſtus eſſe prodit. Hæc lactuca eſt agre-
ſtis, cujus ſuccus colligebatur φαρμακώδης, & quem pa-
rem μηκωνίῳ virtutem habere tradit Dioſcorides. Pli-
nius vero genus quoddam lactucæ μηκωνῖδα vocatum
ait à copia lactis ſoporiferi. Quod vel de agreſti hac in-
telligendum, vel de illa ſpecie ſativæ, quæ στρογγυλόκαυλος
Theophraſto dicitur: *Eſt etiamnum*, inquit, *alia diſtinctio*
atra, quæ meconis vocatur à copia lactis ſoporiferi, quam-
E *quam omnes ſomnium parere dicuntur.* Et mirum atram
eam facere, quum agreſtis illa ὀπώδης & ὀπιζομένη, cujus
ſuccus μηκωνίῳ par, candidior ſit. Item illud genus ὀπῶ-
δες ſativum Theophraſti, quod agreſti ſimile eſt, teſte
eodem λευκοκαυλότερον. Sed & Apuleji Herbarium,
quod totum Plinianis verbis contextum eſt, hanc la-
ctucam meconida albam vocat. Cujus verba hæc ſunt
ex antiquiſſimo codice: *Lactuca alba* μηκωνὶς *vocatur à*
copia ſoporiferi, quamquam omnis ſomnum parere credantur.
In Italia hoc ſolum genus fuit, & ideo à lacte lactuca dicta.
F An igitur corrigendum in Plinio? *Eſt etiamnum alia*
diſtinctio alba, quæ meconis vocatur. Libri tamen omnes
illud *atra* defendunt, ut ſcias quam vetus hæc men-
da ſit. Sequitur apud eumdem Plinium: *Apud an-*
tiquos Italiæ hoc ſolum genus earum fuit & ideo lactucæ
nomen adeptæ. In optimis codicibus ſcriptum: *& ideo*
lactucis nomen adjecta. In Thuanæo: *ajecta.* For-
te: *& ideo lactucis nomen adjectum.* Nullam porro la-
ctucam μηκωνῖδα apud Græcos dictam invenio, ſed
agreſtis, ut dixi, lactuca ſuccum fundit medelis aptum
& virtute parem μηκωνίῳ. Dioſcorides: ὡμοίωται δὲ κα-
τὰ ποσὸν μηκωνίῳ. Ὅθεν καὶ τὸν ὀπὸν αὐτῆς ἔνιοι μίσγουσι τῷ
μήκωνος. De lacte lactucæ agreſtis loquitur, quæ ſola
ὀπίζεται, & cujus ὀπὸς olim ſervabatur ad medelas. Eam
G Plinius confudit cum alia herba multo lacte manante,
quam & μηκώνιον & μηκωνῖτιν, & μηκωνῖδα dixere. Ea
eſt *peplus.* Galenus in Lexico: Μηκώνιον τὸν πέπλον
καλούμενον, ὃν καὶ μηκωνῖτιν ὀνομάζοι. Nunc alius ejuſ-
dem Plinii animadvertendus eſt error inſignis in di-
ſtinctione lactucarum Theophraſtea admiſſus ex pra-
va interpretatione. *Tertium ſeſſile, quod Laconicum*
vocant, τὸ τρίτον Λακωνικὸν γένος, de ſeſſili eſt interpre-
tatus.

tatus. Nihil æque contrarium, si expositionem generis Laconici ex ipso Theophrasto consideremus. Subjicit enim ille protinus: αὕτη δὲ τὸ μὲν φύλλον ἔχει σκολυμῶδες, ὀρθὴ δὲ καὶ εὐαυξής: καὶ ἀπαράβλαστος ἐκ τοῦ καυλοῦ. Hæc necessario intelligenda de illo Laconico genere, quod proxime præcessit. Recto & procero thyrso hanc lactucam esse dicit, & stolonibus carente. Non igitur eadem potest videri cum sessili, quæ sic dicta, quod in altum non surgat, nec in caulem crescat, sed in latitudinem potius, & in plano se spargat. Ita *sessilis obba*, quæ planum ac latum habet fundum, quo in solo sistit, nec pediculum habet, quo statui possit. Sed Plinius quum tria tantum genera lactucæ putaret à Theophrasto relata, totidemque ex eo retulisset, non credidit prætermissam ab eo sessilem, & Laconicum genus de sessili accepit, non consideratis quæ statim apud eum auctorem sequuntur, quibus Laconicam lactucam qualis sit, explicavit. *Sedentem lactucam* dixit Juvenalis: τὴν χαμαίζηλον:

—— Lactuca sedens, & sectile porrum.

Martialis sessilem.

Utrumque porrum, sessilesque lactucas.

Auctor Πελαπείων.

Ad ocimumve cucumeresve humi fusos,
Venire credo, sessilesque lactucas.

Theophrastus sub candidæ lactucæ nomine hanc intellexit, quam ἁπαλωτέραν & γλυκυτέραν esse prodit. Cura autem & cultura sessilem ac candidam reddit lactucam. Florentinus in geoponicis excerptis: εἰ βούλει θρίδακας ποιῆσαι φιαλωτὰς καὶ πολυφύλλους, καὶ μὴ ἐκκαυλεῖν, ἀλλὰ χαμαιζήλους εἶναι, μεταφυτεύσας αὐτὰς πότιζε. Vide reliqua. De sessilibus lactucis loquitur, quas φιαλωτὰς vocat à similitudine. Nam φιάλη patentem & planum sessilemque habet fundum. Unde φιαλοειδῆ ποτήρια, τὰ ἐκπέταλα. Et patula. Hesychius: πατανία, τὰ ἐκπέταλα λοπάδια, καὶ τὰ ἐκπέταλα, καὶ φιαλοειδῆ ποτήρια, ἃ πέδαχνα καλοῦσι. Ita legendum. Idem alibi: πέδαχνα, τὰ ἐκπέταλα καὶ φιαλοειδῆ ποτήρια. Grammatici ἀμφίθετον φιάλην apud Homerum χάλκεόν τι καὶ ἐκπέταλον λεβητῶδες interpretantur. Parthenius ἀπύθμενον φιάλην intelligebat fundo scilicet carentem, quo sisti posset in mensa, & per hoc plane sessilem, ut *sessilis obba*, ἡ ἀπύθμενος. Latine dicitur *patera*. Glossæ: *patera*, φιάλη. Inde igitur φιαλωταὶ lactucæ, quæ in latum crescunt, non in altum. Idem Florentinus paulo post de iisdem: καὶ ἐπίθες ὄστρακον ἀπίασωτον, ὅπως εἰς τὸ πλάτος τὴν αὔξησιν, καὶ μὴ εἰς τὸ μῆκος λαμβάνωσι. Hæ sunt lactucæ, quæ non ἐκκαυλοῦσι, quæ caulem non faciunt, nec surgunt. *Sedentes* & *sessiles* Latini vocant, Florentinus χαμαιζήλους. Sic καθήμενα χωρία Græci dicunt depressa & plana loca. Ibycus Pythagoreus apud Athenæum πετανὴν & ἄκαυλον vocat hanc lactucam: Ἴβυκος δὲ ὁ Πυθαγόρειος τὴν ἐκ κλήσεως θρίδακα πλατύφυλλον, πετανὴν ἄκαυλον ὑπὸ μὲν τῶν Πυθαγορείων λέγεσθαι εὔνουχον, ὑπὸ δὲ τῶν γυναικῶν ἀστυτίδα. Cura & cultu, ut dixi, fiebat sessilis & ἄκαυλος, non omnis tamen ad hoc eligebatur, ut sessilis & candida evaderet, sed major & πλατύφυλλος. Plinius: *Candorem vero putant contingere iis duntaxat, quæ sint seminis albi, si harena de littore à primo incremento congeratur in medias, atque increscentia folia contra ipsas religentur.* Florentinus: εἰ δὲ βούλει καὶ εὐειδεῖς ἔχειν τὰς θριδακίνας, πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ μέλλειν ἀφαιρεῖσθαι αὐτὰς τὰς κόμας αὐτῶν, τουτέστι τὸ ἄνωθεν μέρος δῆσον: οὕτω γὰρ καὶ λευκαὶ καὶ εὐειδεῖς ἔσονται: λευκαίνει δὲ αὐτὰς καὶ ψάμμος ἄνωθεν καταχεομένη. Columella tamen Tartessiacam lactucam thyrso & folio candidam esse ait:

Candida vibrato discrimine, candida thyrso.

Theophrastus λευκὴν quoque recenset: *albas* Plinius. Agrestis quoque λευκόκαυλος Theophrasto. Sed hoc non heîc agimus, ut differentias ac genera lactucarum explicemus. Lactucam latis foliis & sessilem εὔνουχον à Pythagoreis appellari, & mulieribus ἀστυλίδα ex Ibyco tradit Athenæus. Plinius: *Rotundam vero ac minima radice, latis foliis astylida, quidamque eunuchion, quod maxime refragetur Veneri.* Omnes libri Pliniani, etiam optimus Thuanæus legunt *astilida*, & *eunucheon*. In Apuleji quoque exemplari vetustissimo ἀστυλὶς scriptum literis Græcis, & εὐνοῦχιος. Idem scribit: *quod hac maxime refrigeranda veneri est.* Quæ vera est lectio, cujus &

A vestigia obscura in Thuanæo inveniuntur, in quo legitur: *quoniam hac maxime refrageretur veneri.* Ἀστυτὶς tamen, non ἀστυλὶς hæc lactuca dicta. Ἀστύτης, vel ἀστυτὴς qui non arrigit. Unde ἀστυτὶς lactuca, quæ venerem moratur, & nervos laxat. Ἀστυλὶς aliud est. Notat Hesychius ita vocari herbam, quæ viscum fert: Ἀστυλὶς φυτὸν ὅθεν ὁ ἰξός. Sic vocitata illa planta, quod in alieno nascitur, nec suis ipsa nitatur radicibus. Plinius: *quadam enim in terra gigni non possunt, & in arboribus nascuntur: namque cum suam sedem non habeant, in aliena vivunt, sicut viscum.* Præterea caulem non facit, sed spargitur. Hinc ἀστυλὶς appellatur. Theophrasto στελὶς
B vocatur genus visci, quam ἀστυλίδα vocat Hesychius. De his alibi. Haud scio an & sessilem lactucam ea significatione vocaverint ἀστυλίδα, quæ in caulem non assurgeret. Nam στυλὸς etiam caudicem & truncum arboris significat, & columnam. Hesychius: στυλὸς, στέλεχος, κορμός. Græci quoque recentiores φιτρὸν pro herbæ caule ponunt, quum proprie veteribus ea vox significet truncum arboris & caudicem. Contra κορμὸν, qui est caudex, etiam pro cippo usurparunt. Glossæ: *cippus*, κορμὸς λίθινος. Plinius fortasse ἀστυτίδα & ἀστυλίδα confundit. Alias facile potuit irrepere ἀστυλὶς pro ἀστυτὶς.
C Nam τ & λ non multum differunt, & sola inclinatione vel erectione alterum ex altero fieri potest. Florentinus ἀστύδα habet pro ἀστυλίδα lib. XII. cap. de lactuca: συνουσίας ἀποτρέπει: ὅθεν οἱ Πυθαγόρειοι εὔνουχον αὐτὴν καλοῦσιν, αἱ δὲ γυναῖκες ἀστύδα. Græce ἀστυσία morbus est eorum, qui non possunt nervum tendere. Legendum deinde apud Plinium: *Est quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratia.* Ita libri omnes Pliniani & Apulejus legunt. Sequitur locus longe omnium corruptissimus, ita vulgo conceptus: *Divus certe Augustus lactuca conservatus in ægritudine fertur prudentia Musæ Medici. Cum priores caverent, religione nunc omni caret, in tan-*
D *tum recepta commendatione, ut servari etiam in alienos menses eas oxymelite repertum sit.* Quædam editiones habent: *cum priores eam minime ob religionem manducarent.* Hoc sequutus est vir ille eruditissimus, qui ad Athenæum observat veteres Romanos religioni habuisse lactucas edere usque ad Augustum, quo tempore primum edi cœptæ sunt. Quod est falsissimum. Turnebus in pluteariis suis libris refert sese reperisse: *cum priores Cameli religionum die omni manducarent.* Ipse Camillos intelligit sacerdotum ministros, quibus fortasse usus lactucæ præscribebatur: nugæ istæ sunt. Plures vidi codices scriptos. Nullus ita eam nobis lectionem suppeditavit. In Rigaltiano sic illa verba scripta sunt: *cum prio-*
E *res cameli religionum me omne caret.* In Thuanæo antiquiore, & omnium, qui hodie extant, optimo, ita legitur: *cum priores cameli religio nimia omne caret.* In Chiffletiano ajunt esse: *religio nimia omni caret.* Nulla sagacitas quantumlibet divini potuit ex his vestigiis ad verum pertinere. Frustra igitur hîc laborassemus. Sed bene quod Apulejus nobis integram lectionem ac sinceram conservavit, in cujus antiquissimo exemplari de Remediis Salutaribus ita scriptum invenio: *Divus certe hac lactuca conservatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici, cum prioris Cameli religio nimia ei abnegaret.* Omnia plana nunc sunt. Oportet Camelium fuisse nomen
F prioris Medici, quo Divus Augustus usus est ante Musam. Is Camelius lactucarum esum ægrotanti Augusto negabat. Musæ vero opera ex valetudine ancipiti convaluit ope lactucæ. *Camelius* nomen Romanum, ut & *Camerius* & *Camellius*. Quorum omnium mentio occurrit in veterum inscriptionum tomo. In quo nominatim memorantur, *C. Camelius Heracla.* Et *C. Camelius Africanus Fabianus.* Ita ergo vocabatur medicus Augusti, quo ante Musam utebatur. Et *Cameli* scriptum pro *Camelii*, more tralaticio. Sequentia ita etiam corrigenda: *In tantum recepta commendatione, ut servari etiam in alienos menses eas ex oxymeli tum repertum sit.* In Thuanæo scriptum: *ut servari etiam in alienos Men-*
G *ses. Eas oxymeli tum repertum sit.* Apulejus: *Ac tum repertum est etiam in alios menses eas oxymeli reservari.* Post servatum ex morbo Augustum lactucæ usu tanta earum commendatio esse cœpit, ut tum repertum sit eas oxymeli condire ac recondere in alienos menses. Aliud est σέρις, nec ex genere est lactucarum.

carum. Quod igitur πικρομάρουλον Græci exponunt, id est, amaram lactucam, confundunt πικρίδα lactucam, cum ea πικρίδι, quæ cichorium est, vel erraticum intybum. Neophytus: κίχωρα ἡ ζωρτενίκια, τὰ ἄγρια ἔντυβα ἡ τὰ πικρομάρουλα. Græci τρώξιμα vocant. Didymus in Geoponicis: Σέρεις, τὰ πικρὰ, τρώξιμα ἐν ὄξει βαπτόμενα, ἢ ἐσθιόμενα στομάχῳ κατάλληλα. In glossis Græcorum Botanicis reperio lactucam quoque τρώξιμον exponi his verbis: Τρώξιμον, τὸ μαρούλιον. Ita σέρεις interpretantur πικρομαρούλια, id est, amaras lactucas. Isidorus lib. XVII. cap. X. *Lactuca agrestis est, quam serrariam nominamus.* Ita legendum. *Seraria*, vel *serraria* est seris. Sic λαπινάρια pro lupinis. Neophytus σέλιδα exponit λεπίδιον ἢ ἀγριοκάρδαμον. Βερίδα cogitabat pro σελίδι. Βερίς autem pro ἰβερίς, quæ est cardamine, quam & λεπίδιον & ἄγριον κάρδαμον vocarunt. Sic *berula* pro *iberula* Marcello, quæ est ἰβερίς. Sed pro cardamine aquatica posuit, quam *berlam* vulgo nuncupamus, facto nomine ex *berula*, ut *perlam* margaritum quam infima Latinitas *perulam* dixit. Verba Marcelli: *Herba quæ in aqua jugis decursu nascitur quam Latini berulam, Græci καρδαμίνην vocant.* Intelligit sisymbrium cardaminen. Et *berulam* pro iberula posuit, ut Græci βερίδα pro ἰβερίδα. Alia tamen est iberis cardamine, quæ in agris incultis nascitur, & sic dicta, quod habeat folia similia καρδάμῳ. At sisymbrium aquaticum, quod *berulæ* nomine vocavit Marcellus, ab odore nasturcii nomen καρδαμίνης invenit. Sed & κάρδαμον ipsum appellarunt ἰβερίδα. Neophytus: Κάρδαμον, οἱ δὲ κυνοκάρδαμον, οἱ δὲ ἰβερίς. Apulejus de nasturcio: *Græcorum alii cardamon, alii cynocardamon, alii cardaminacam, Itali nasturcium.* Non mirum igitur videri debet si utraque cardamine nomen etiam iberidis tulit apud recentiores, qui passim omnia habent indiscreta. Sic *berula* Marcelli est sion cardamine. Herbarii vero neoterici berulam nostram volunt esse sion Dioscoridis, τὸ σίον ἐν ὕδασι. Quod Plinio *laver* dicitur & *lavario* atque etiam sion. In indice: *Laver, sive sion.* Neophytus: σίον ἐν ὕδασι, Ῥωμαῖοι λάβιε. Hæc *berula*, vel *berla* est recentiorum, quam putant hoc nomen accepisse à *laver*. Sed falluntur. *Berula* pro iberula, ἡ καρδαμίνη. Sion etiam dicebatur. Hanc cardaminen malunt esse *crescionem*. Congeneres sane herbæ *crescio* & *berula*, ut non sit mirum alterius nomen pro altera usurpatum. Pro ὑγρόσιον vel ὑδρόσιον *crescionem* corrupit infima Latii ætas. *Crecionem* legi in antiquo Lexico Latino Saxonico ante sexcentos annos scripto, quod erat penes Freherum. Neophytus τὸ σίον etiam interpretatur νεροσέλινον, id est, aquaticum apium. Quod tamen diversum est. Sic νεροκάρδαμον pro cardamine dixerunt, sive berula, id est, nasturcium aquaticum. Quas voces non intellexit apud Myrepsum Fuchsius. Nec melius eas intellexerunt, qui aquam nasturcii, aut aquam apii exponunt. Quod ἐλειοσέλινον antiquis erat, hoc recentioribus Græcis fuit νεροσέλινον. Sed *acetaria* resumamus. Hæc τρώξιμα Græcis & Latine acetaria, quod ex aceto sumerentur. Hieronymus Mercurialis acetaria ea dici Latinis affirmat, quæ ψυχραὶ τράπεζαι Plutarcho dicuntur. Sed errat plus quam vulgari modo. *Acetaria* sunt omnia olera, quæ cruda ex aceto sumuntur. At ψυχραὶ τράπεζαι cibos omnes comprehendunt, qui crudi esus sunt, quique opera ignis non indigent ut manducentur, ἄπυρον τροφὴν & ἄπυρα Græci vocant, Latini *frigida* & *frigidas mensas*, ut ad Historiam Augustam observavimus. Plutarchus in Symposiacis quæstionibus lib. VIII. cap. IX species aliquot ψυχρῶν τραπεζῶν enumerat, quas priscorum ævo in exitu cænæ sumi solitas, sequens ætas à fine convivii in antecænam traduxit, ut ostrea, echinos, cruda olera, quæ tanquam leves armaturæ à postprincipiis in principia translatæ sunt. Locus Plutarchi, quem satagit emendare Mercurialis, sic est legendus: αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι πρότερον, ὀστρέων, ἐχίνων, ὠμῶν λαχάνων, ὡς ψιλῶν ὁπλιτῶν ἀπὸ οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσιν. Non omnia, quæ ψυχρῶν τραπεζῶν nomine veteribus designabantur, situm mutasse dicit, sed ea duntaxat quæ ibi recenset. Nonnulla in pristino ordine manserunt, ut poma omne genus &

A

tragemata. Hæc proprie etiam ψυχραὶ τράπεζαι. Quæ & secundæ mensæ. Inter illas ψυχρὰς τράπεζας locum olim habuere ostrea, echini & lactucæ crudæ, aliaque acetaria quæ una cum pomis in epilogo cænæ, non in procœmio usurpari consuerant. Illa ordinem suum servarunt, hæc ab extremo agmine in frontem migraverunt, à secunda mensa in primam. *Acetariorum* autem nomen proprium factum τῶν σελίδων, quæ τρώξιμα Græcis appellata sunt. Glossæ: *Acetaria*, τρώξιμα. Aliæ glossæ capite de oleribus: *Atriplex*, ἀδράφαξ. *Escaria*, τρώξιμα. Intelligit σέλιδας. Aliud glossarium: Τρώξιμα, λάχανον, *acetaria*. Glossæ nostræ

B

ἀνέκδοτοι distinguunt τρώξιμα ἀπὸ τῶν σελίδων, & σέρεις vertunt *intyba*, τρώξιμα vero *escaria*. Quod in aliis etiam editis habetur. Sed *scaria* vocantur pro escariis in antiquissimo codice: τρώξιμα, *scaria*. Inde hodieque *scariola* vocamus intyba erratica & agrestem serim. Inde *troximel* Arabibus intybum silvestre. Sic *escaria* & *acetaria* eadem quæ Græcis τρώξιμα & σέρεις. Quæ coctæ edebantur & aceto intingebantur ad stomachum bonum faciendum, ut testis est Dioscorides. Itaque *acetaria* non tantum de crudis oleribus, sed etiam de coctis dicta, quæ ex aceto edi mos erat. Dioscorides: ἱστᾷ δὲ καὶ κοιλίαν ἑφθεῖ, μεθ' ὄξους λαμβανόμενα. Atqui hæ sunt σέρεις, quæ proprie appellata

C

acetaria. Sed cruda etiam mandebatur. Et propterea appellata *acetaria*. Nam & Plinius diserte dicit *acetaria* in herbis appellari, quæ absque ignis opera semper essent parata. Constituamus hæc igitur sic tandem: *Acetaria* appellata Latinis omnia olera, quæ recentia, ac cruda ex aceto vorarentur. *Salgama* quæ sale & aceto condita servarentur. Græci ἁλμαίας vocant. *Oxypora* vero esse ex pluribus speciebus composita una tritis mixtisque, quibus etiam addebatur acetum. Unde & ὀξύπορα dicta. Sic oxyporum moretum Columellæ, cui inter alia ligustici quoque semen indi solebat. Dioscorides ὀξυπόρους δυνάμεις vocat hujusmodi

D

compositiones ex multis seminibus calidis constantes, quæ fiebant juvandæ concoctioni, quibus etiam acetum, & oleum admiscebatur. De ligustico ita scribit: μίγνυται δὲ τὸ σπέρμα, καὶ ἡ ῥίζα χρησίμως ταῖς ὀξυπόροις καὶ πεπτικαῖς δυνάμεσι. Ita legenda hæc verba. Male editur: τοῖς ὀξυπόροις καὶ ταῖς πεπτικαῖς δυνάμεσι. Plinius alio loco videtur *acetaria* posuisse pro Græcorum ὀξυπόροις. Lib. XX. cap. XX. *Stomachum in acetariis sumpta corroborat*, ἐν τοῖς ὀξυπόροις. Ea sunt, quæ Græcis medicis dicuntur ὀξύπορα στομαχικά. Nunc repetamus quod reliquimus, nempe smyrnion. Plinius lib. XIX. cap.

E

XII *smyrnium olus* vocat olusatrum, quod murrham radice resipit. Ibi optimi libri scribunt *zmyrneon*, ut jam ante adnotavimus. Hæc scriptura non Plinii est, sed librariorum, qui usitatam eo tempore loquendi ac scribendi morem sequebantur Z pro S in plerisque vocabulis ponentem ut *zmaragdus*, *zmilax*, *zmyrna*, & similia. Quod damnat Priscianus. *Vitium*, inquit, *faciunt qui Z ante M scribunt, nunquam enim duplex in capite syllaba posita potest cum alia jungi consonante.* Lucanus:

--- testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.

F

Quod si *zmaragdo* scriberetur versus non staret. At Græci Σ subtraxerunt. Asclepiades:

Εὗρεν ἔρως τι καλῷ μῖξαι καλόν, οὐχὶ μάραγδον
Χρυσῷ, ὃ μήτ' ἀνθεῖ, μήτε γένοιτ' ἐν ἴσῳ.

Apud Harpocrationem tamen Alexandrinum in Lexico περὶ δυνάμεων φυσικῶν in litera Z scribitur ζμίλαξ. Et apud Neophytum in eadem litera recensentur ζμίλαξ τραχεῖα & ζμύρνιον. *Zmyrna* in antiquissimis libris sæpe reperitur pro *smyrna*. Quæ scriptura adeo veteribus frequens fuit, ac celebrata: ut vulgo in medicorum libris antiquis duplex zeta pro myrrhæ nota ponatur, ζζ. In antiqua inscriptione *zmaragdus* nomen equi circensis.

G

Quę vitiosa tamen scribendi ratio nec antiqua. *Smyrneon* apud Plinium erit antiquæ Græciæ σμύρνειον, ita enim scribebant quod sequuta ætas σμύρνιον. Sic γλαυκεῖον veteribus quod sequentibus γλαύκιον. Inde *Glaucea* Columellæ τὰ γλαύκεια.

— succoque salubri
Glaucea & profugos vinctura papavera somnos.

Neo-

Neophytus unum tantum ζμύρνιον recenſet, quod & ἱπποσέλινον & ὀλυσαθρον Latinis dictum adnotat. Ita conſtat pleriſque veterum recentiorumque ἱπποσέλινον utrumque confudiſſe Theophraſti & Dioſcoridis: quum illud ſit σμύρνειον, hoc ſit oluſatrum Romanorum. Columella quoque in eo errore lib. XII. cap. III his verbis: *Atrum olus, quod Græcorum quidam vocant ἱπποσέλινον, nonnulli σμύρνειον paſtinato loco ſemine debet conſeri.* Sane olus atrum eſt ἱπποσέλινον, & σμύρνιον etiam ἱπποσέλινον, utrumque ſic dictum quaſi majus apium, ſed diverſum hoc ab illo, ſmyrneum olus ab atro olere. Non igitur duplex fuit ſmyrnium, quemadmodum etiam Galeno poſt Dioſcoridem perſuaſum fuiſſe video, ſed duplex hipposelinum, alterum σμύρνειον Græcis dictum, alterum *oluſatrum* Romanis. Braſavola perperam, quod Itali vocant *Macedonicum apium*, id credit eſſe priſcorum oluſatrum. Sed fallitur. Macedonicum, quod in petroſis & præruptis naſci amat. Oluſatrum ἐν συσκίοις καὶ παρ' ἑλώδεσι provenit, ut ait Dioſcorides. Neophytus: ἐν συσκίοις καὶ παραδείσοις. Hoc idem prohibet ne ſmyrnion ſit hodiernum libyſticum, ut placebat Fuchſio. Nam libyſticum loca humida amare certum eſt: ſmyrnion ſaxoſis & ſiccis gaudet. Unde & πετροσέλινον Cilices vocabant in monte Amano plurimum naſcens. Apulejus ſubditicius in herbario hoc petroſelinum, quod eſt ſmyrnium, temere confundit cum altero petroſelino Macedonico: *Græci petroſelinum, alii ſmyrnion, Itali apium ſilvaticum. Naſcitur in petris. Sed eſt ſummum ac probabile Macedonicum, odoris boni, hoc eſt, aromatici.* Hoc ſollemne eſt veteribus auctoribus, ut omnes ὁμωνύμους plantas licet ἀσυμφύλους confundant. *Leveſticum* autem hodiernum Græce λιβυστικὸν dicitur. Nec recte ſentiunt qui aliud faciunt à liguſtico. Neophytus λιβυστικὸν appellat & ſub hoc nomine deſcribit Dioſcoridis λιγυστικόν. Mutant ſæpenumero Græci Latinique Γ in Β & contra. βλέφαρον, γλέφαρον & ſimilia. Græci recentiores βλησκούνιον dixerunt antiquorum γλήχωνα, id eſt, *pulejum.* Gloſſæ Neophyti: γληχὼν, τὸ βλησκούνιον. Quod & in aliis gloſſis reperitur. *Galbulus* ὁ πυῤῥὸς, recentioribus *valvulus.* Fuit veteribus *zotheca.* Latinitas ultima *jotheca* & *gotheca* ſcripſit. Ita enim in omnibus Sidonii libris antiquitus ſcriptis habetur. Inde noſtrum *botheca.* Sic vocamus pergulas, ſive tabernulas in publicum apertas, in quibus operantur ſellularii opifices, & mercimonia ſua habent expoſita. Quæ vox non ab *apotheca* deducitur: ut quidam volunt. Hoc enim vocabulo ſignificatur horreum, vel interior cella, & in penito ædium repoſta. Quantum igitur ad nomen, idem eſt λιβυστικὸν ac λιγυστικόν. Gloſſæ Botanicæ: λιβυστικὸν, ἡ λεγομένη πανάκεια. Quod hodie tamen *lebeſticum* nominant, plane diverſum eſt à veterum liguſtico, ſive libuſtico, ut vocatur Neophyto. Dioſcorides tradit λιγυστικὸν etiam πάνακες ab indigenis vocari. Nec ſine ratione. Etenim radice & caule ſimile eſſe panaci Heracleotico, & pari virtute cenſeri. Panaces autem Heracleoticum Romani vocabant *oluſatrum majus.* Neophytus: Πάναξ Ἡρακλεωτική, οἱ δὲ Ἀσκληπιάδειον, οἱ δὲ Κορώνιον, Ῥωμαῖοι ὀλισαθροὺμ μαιοὺς. Hinc vice verſa *oluſatrum* priſcorum recentiores nominarunt libyſticum, quia libyſticum etiam panaces dicebatur. *Libyſticum* igitur vulgare idem prorſus cum atro olere veterum & Dioſcoridis hipposelino. De ſmyrnio quærendum opinor, quo nomine hodie vocetur. Sed puto jam reperi. Nam falſi ſunt, qui *maceronium* officinarum putarunt. Hoc igitur ingerendum medicis noſtris aliud curantibus, & currentibus tantum quo quæſtus vocat. Doceamus inquam illos vel gratis, *oſtritium*, ſive *aſtrantiam* herbariorum, quam alii *magiſtrantiam* & *imperatoriam* nominant, eſſe veterum verum ſmyrnium. Ex utriuſque hiſtoria comparata invicem & collata, tanta elucebit ſimilitudo, ut rem unam eamdemque eſſe, qui fateri nollent, non poſſint negare. Hanc comparationem paucis expediamus. Aſtrantiæ caulis fæniculaceus, folia apii in auri colorem langueſcentia. Dioſcorides ſmyrnio tribuit καυλὸν ὅμοιον σελίνῳ, φύλλα πλατύτερα, ὑπομηλίζοντα τῇ χρόᾳ. In pictura aſtrantiæ, ſicut eam nobis deſcribunt neoterici herbarii, umbella viſitur anetho ſimilis. Smyrnium habet auctore Dio-

A ſcoride σκιάδιον ἐπὶ τοῦ καυλοῦ ἀνηθοειδές. Aſtrantia radice eſt craſſa & multa foris nigricante, intus alba. Radix ſmyrnii eodem Dioſcoride teſte φλοιὸν ἔχει ἔξωθεν μὲν μέλανα, ἔνδοθεν δὲ χλωρὸν, ἢ ὑπόλευκον. Theophraſtus: καὶ τὴν ῥίζαν ὥσπερ ῥαφανὶς ἔχει τὸ πάχος, μέλαιναν. Aſtrantia in montibus naſci amat. Montibus æque gaudet ſmyrnium, unde & πετροσέλινον Cilices, apud quos plurimum naſcitur vocabant. Ex aſtrantiæ radice liquorem ajunt profluere lentum ac modice rufum, ſuaviſſimi odoris, & myrrham optimam redolentis, & linguam acrimonia ſua vellicantis. Hic ille ſuccus eſt, quem ex radice ſmyrnii manare & con-
B creſcere veteres omnes affirmant ſtacte myrrha nihilo deteriorem. Quin & radicem ſmyrnii δριμεῖαν, εὐώδη, πολύχυλον, δακνώδη, τὴν φάρυγα tradit Dioſcorides. Talis & ſuccus qui ex ea profluit, quem & myrrhæ nomine priſco donarunt, ut Theophraſtus, qui myrrham diſtillare ex ſmyrnio ſcribit, & quoſdam ea re putaſſe ſmyrnium è myrrhæ ſatu provenire. Et alibi: γίνεται δὲ καὶ δάκρυον ἐξ αὐτοῦ ὅμοιον τῇ σμύρνῃ, οἱ δὲ φάσιν ὅλως σμύρνιον. Hæc eſt myrrha troglitis recentiorum Græcorum, qui πετρόσελινον eam exponunt. Hinc quidam hodie aſtrantiam *herbam Benzuini* vocant, & multi Benzuinum hodie myrrham veterum eſſe credunt.
C Remedia porro, quæ narrantur ex utraque, adeo pariant, ut nihil ne fingi quidem queat ſimilius. Juxta recentiorum traditionem aſtrantia ſtomachum corroborat. Dioſcorides ait ſmyrnium θερμαντικὸν eſſe, & στόμαχον ἐμπνευματώσεις πραΰνειν. Aſtrantia menſes & urinam ciet. Smyrnium ἄγει ἔμμηνα καὶ οὖρα, καὶ δυσουρίαν ἰᾶται. Illa cum polenta trita & impoſita carbunculos ſanat. Hoc καταπλασσόμενον τὰ πρόσφατα οἰδήματα, καὶ φλεγμονὰς, καὶ σκληρίας διαφορεῖ. Aſtrantia ex vino pota rigores diſcutit. Smyrnium facit ἰδίως πινόμενον πρὸς ὕδρωπας καὶ περιόδους. Efficax & illa contra rabioſi canis morſum, & ſerpentis ictus. Et hoc ſmyr-
D nium ἑρπετοδήκτοις ἁρμόζει. Renum & lumborum doloribus utraque auxiliatur. Subductis omnibus calculis id ex ſumma colligitur, aſtrantiam, vel oſtritium eſſe ſmyrnium. Quod enim Fuchſius laſerpitium eſſe credi voluit, non credulum me habebit, etſi nonnulla ſimilia ſint in laſerpitii planta & ſmyrnii, ſive oſtritii, ut folium apii, aureo colore, caulis odor myrrhæ & alia quædam. Sed plura diſſimilia. Umbellam non habet ſilphium ſicut ſmyrnium. Succus ex radice tantum ſmyrnii colligebatur. In laſerpitii ſtirpe è caule & radice colligi ſolebat. Præterea quod majus eſt, priſci
E qui utrumque noverant, ſmyrnium & ſilphium diſtinguunt. At oſtritium per omnia convenit cum ſmyrnio, comparatum vero cum laſerpitio diſſimilitudinem in multis oſtendit. Nomen ipſum, quo hodie vocatur, oſtendit verum eſſe ac legitimum ſmyrnium. Veteres confuderunt hoc ſmyrnium cum oluſatro, quod & ſmyrnium vocarunt. Scribonius Largus & Marcellus Empiricus ſemen oluſatri ſmyrnium dici docent. Ex *oluſatro* igitur, vel, ut etiam loquuti ſunt, *oluſatracio*, factum nomen *oſtrucii*, vel *aſtrantii*, quo hodie appellant hanc plantam. Sic *malvacium* pro malva dixere, *betacium* pro beta, & ſi-
F milia de quibus ſupra. In ſcriptis Græcorum codicibus ſæpe ἀλυσάθρον ſcribitur, pro ὀλύσαθρον, quod eſt *olus atrum.* Hinc infimi Græci dixere ἀλεξάντρη. Gloſſæ hippiatricæ: Ἀλεξάντρη, τὸ πετροσέλινον Μακεδονικόν. Confundit, ut ceteri oluſatrum cum petroſelino, ſive ſmyrnio, quod *aſtrantium* vulgo dicitur. Galenus petroſelinon Macedonicum, ἐστρεατικὸν dictum eſſe notat à loco Macedoniæ, ubi naſcebatur, lib. I de antidotis. Πετροσέλινον Μακεδονικὸν ἐστρεατικὸν καλούμενον ἀπὸ τοῦ χωρίου, καθ' ὃ φύεται τὴν ἐπωνυμίαν αὐτοῦ θέμενοι. Παντελῶς δὲ ἐστὶν ὀλίγον τὸ γεννώμενον ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ. Sed quamvis exigua admodum copia in illo loco naſcere-
G tur, id nomen tamen eidem generi optimo hæſiſſe in aliis locis naſcenti. Utrumque autem petroſelinum, Macedonicum iſtud, & aliud Cilicium, quod eſt ſmyrnium, confudiſſe veteres certum eſt, ut ex Apulejo conſtat, & ex gloſſis hippiatricis. Hinc fortaſſe *oſtricium*, vel *aſtrantium* fecerunt ex ἐστρεατικὸν, quod proprie quidem ſignificat petroſelinum Macedonicum. Sed hoc uſurparunt de Cilicio petroſelino. Hoc igitur pro ſemel

con-

constituto ac definito jam teneatur, germanum smyrnium priscorum nostram esse astrantiam. Smyrnium autem olusatrum, sive hipposelinum Dioscoridis esse hodiernum σμυρνικόν, quod olim erat inter edulia caule & radice. Ex ligustico veterum semen præcipue fuit condimentarium. Excerpta Apicii de seminibus, quæ condimentis serviebant: *De seminibus hoc: papaver, semen rutæ, baca rutæ, baca lauri, semen anethi, semen fœniculi, semen ligustici, semen erucæ, semen coriandri.* Plinius lib. XIX. cap. VIII. *Ligusticum silvestre est, in Liguriæ suæ montibus. Seritur ubique, suavius sativum, sed sine viribus, panacem aliqui vocant.* Scribendum ex veteri codice: *seritur jam ubique*: vel *seritur etiam ubique.* Apulejus noster: *Ligusticum silvestre est in Liguria. Nec minus jam ubique sativum. Panacem vocant*, τὸν πάνακα. Nam & πάναξ dicitur & πάνακες. Dioscorides: ἐπεὶ καὶ ἡ ῥίζα καὶ ὁ καυλὸς ἔοικε τῇ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ πάνακος. Glossæ: *Chironeus*, πάναξ. Inde etiam ὀπόπαναξ succus panacis. At πάνακες Theophrasto ab omnium morborum medela. Callimachus:

Ἡ πάνακες πάντων φάρμακον ἡ σοφία.

Sequitur apud Plinium: *Cratevas apud Græcos cunilam bubulam eo nomine appellat. Ceteri fere conyzoides, cunilaginem: thymbram vero quæ sit cunila.* Hæc sunt mendosissima. Optimi libri Thuanæus & Rigaltianus sic legunt: *Panacem aliqui vocant. Cratevas apud Græcos conelam bubulam eo nomine appellat. Ceteros fere conyzamides conilaginem. Thymbram vero quæ sit cunicula.* Apulejus noster ita scribit: *Cratevas apud Græcos cuniculam bubulam eodem nomine appellat. Ceteri vero conyzamides conilagine. Thymbram vero quæ sit conila.* Omnino scribendum: *Ceteri vero conyzam, id est, cunilaginem: thymbram vero quæ sit cunila.* Jam tenemus, quæ Plinii fuerit sententia in hac hominum indiscreta usurpatione conyzæ & cunilæ. Vult igitur *cunelam* dici Latinis Græcorum θύμβραν, quæ etiam alio nomine vocatur *satureia.* Glossæ: *Cunela*, θύμβρα. *Cunelium*, θύμβρος, εἶδος βοτάνης. *Cuneus*, θεάτρου κερκὶς σφηνῶ. Apparet ex hac serie auctorem glossarum legisse *cunelam.* Etiam in vetustissimis Plinii libris legitur *conela* pro cunela. Eædem glossæ: *Satureia*, θύμβρα. Sic *cunela* & *satureia* Græcè θύμβρα. Columella: *tum etiam thymbra vel nostratis cunelæ, quam rustici satureiam vocant.* At κόνυζαν Græcorum Latine vocari dicit cunilaginem, & eamdem esse cum cunila bubula, quum tamen Cratevas ligusticum eo nomine perperam appellasset. Ita *cunila bubula* & *cunilago* Plinio Græcorum est κόνυζα. *Cunela* vero ἡ θύμβρα, quæ & satureia. Videamus an hoc perpetuum teneat. Lib. XXI. cap. IX eam sententiam Hygino tribuit, cui visum sit κόνυζαν esse cunilaginem: *Cneorum quod casiam Hyginus vocat: & quod cunilaginem, conyza: mellissophyllum, quod apiastrum.* Ita hæc legenda ac distinguenda suprà docuimus. Utramque describit verbis è Theophrasti Græco translatis lib. XXI. cap X. *Et conyzæ duo genera in coronamentis mas ac fœmina. Differentia in folio. Tenuius fœmina, & constrictius angustiusque. Imbricatum maris & ramosius.* Non carent hæc vitio. Folium imbricatum maris & ramosius esse dicit. Ramosum folium vix concoquo. Optimus codex Thuanæus: *Imbricatum mes & ramosior.* In Rigaltiano: *imbricatum mas & ramosior.* Lego: *Imbricatus mas, & ramosior.* Haud scio tamen unde extricaverit, imbricatam esse masculam conyzam, aut quo sensu id dixerit. Apud Theophrastum in Græcis nihil invenio, quod ad hanc significationem accedat. Τὸ δὲ ἄῤῥεν, inquit, μεῖζόν τε καὶ παχυκαυλότερον, καὶ πολυκλωνότερον, καὶ τὸ φύλλον μεῖζον καὶ λιπαρώτερον ἔχον. Quid in his formam imbricis habere possit, non video. Hesychius de conyza hæc habet: Κόνυζα βοτάνη ἄφυλλος. Τινὲς δὲ φυτὸν ἢ εὔφυλλον ἱκανῶς, διὸ καὶ στιβάδας ἐξ αὐτοῦ ἐποίουν: ἐστὶ δὲ ὅτε ἐν ταῖς στέγαις ἐπέβαλον ἐξ αὐτῆς ἀντὶ σωλήνων, ἐχρῶντο δὲ καὶ ἐπὶ τοῖς σκρώμασι. Ita hæc sunt corrigenda, quæ depravatissima vulgo. Fœminam & marem describit. Fœmina esse videtur, quæ ἄφυλλος illi dicitur, quod tenuia & angusta habeat folia. De mare intelligendum quod ait φυτὸν esse ἱκανῶς εὔφυλλον. Ideo & stramenta ex ea farciebant, & scopas faciebant. Sed & imbricum vice tectis tegendis utebantur, ἀντὶ σωλήνων. Σωλῆνες sunt imbrices. Hesychius: σωλῆνες, οἱ στεγαστῆρες. Hoc Plinius cum forte legisset conyzam masculam usum σωλήνων præbere, tegendis casis, imaginatus inde est folia eam habere imbricata. Solet ille sane eamdem historiam sæpe ex pluribus contexere. *Imbrices*, tegulæ vocantur σωληνοειδεῖς, & tubulatæ, quod imbrem derivent in tectis. Glossæ: *Imbrices*, καλυπτῆρες. Idem sunt quod στεγαστῆρες. Simiæ ungues imbricatos esse idem Plinius alicubi prodit, id est, σωληνοειδεῖς. Et Cyprium laurum folio esse per ambitum imbricato. Ita etiam putavit imbricatum folium esse conyzæ, quod auctores quidam scripserint usum præstitisse σωλήνων ad tecta tegenda. Quod est maxime ridiculum. *Imbricatum* alio sensu apud Vitruvium legitur lib. II. cap. VIII. *Incerta vero cæmenta alia super alia sedentia, inter seque imbricata, non speciosam sed firmiorem quam reticulata præstant structuram.* Sed vetustissimus liber eo loco scriptum habet: *Inter seque implicata.* Quod melius est. Ulva palustri, frondibus, harundine, stramentis tegi olim tuguria solita notius est quam ut debeat doceri. Ergo & conyza ad eumdem usum adhibita, & sic intelligenda verba Hesychii: ἐστὶν δὲ ὅτε καὶ ἐπέβαλον ἐπὶ ταῖς στέγαις ἀντὶ σωλήνων. Id confirmat idem Hesychius alio loco, ubi σκόνυζαν vocat, quæ aliis κόνυζα est: Σκόνυζα, ἡ κόνυζα. Ἐστὶ δὲ φύλλον εὔφυλλον ἱκανῶς καὶ στιβάδας ἐξ αὐτῆς ἐποίουν, καὶ ταῖς οἰκίαις στεγάσματα ἐπέβαλλον. Pollux κόνυζαν inter eas spinas recenset, ex quibus sæpes fiebant: τάχα δὲ καὶ χοῖνος βάτος ὀρχάνη, ῥάχος, κόνυζα, κνάφος καὶ πᾶνθ' ὅσα ἀκανθώδη τοῖς καρποῖς ἐπὶ φθορᾷ περιβάλλεται. Sed falsum ipsum puto, aut locum mendosum. De quo tamen paulo post dicam. Κόνυζα herba est, nec illa quidem spinosa. *Cunilaginem* Latine dici & esse cunilam bubulam Plinio placet: at *cunelam* simpliciter pro thymbra Græcorum usurpari. Quid igitur idem κόνυζαν in loco Aristotelis vertit *cunelam?* Aristoteles lib. V, de Hist. Anim. Καὶ οἱ τε πολύποδες οὕτω μὲν προσέχονται ὥστε μὴ ἀποσπασθῆναι, ἀλλ' ὑπομένειν ἀποτεμνόμενοι: Ἐὰν δέ τις κόνυζαν προσενέγκῃ ὡς φασὶν, εὐθὺς ὀσφραινόμενοι ἀφιᾶσιν. Plinius lib. X. cap. LXX hæc ita vertit: *Non potest petris avelli polypus. Idem cunila admota ab odore resilit.* Ergo cunilam ibi reddidit κόνυζαν. Atqui alibi distinguit, ut clare lib. XXI. cap. XIII, ubi herbas & frutices enumerat gratas apibus: *violas, lilium, cythisum, fabam, erucliam, cunilam, papaver, conyzam, casiam, melilotum.* Heic vides aliam esse cunilam à conyza. Cur in hoc loco Aristotelis κόνυζαν reddit *cuniculam?* Non dissimulandum in illis verbis veteres & optimos codices scribere *cuniculam*, non *cunila*: *admota cunicula resilit.* Sic *cunicula* erit κόνυζα, non *cunela.* Et sane *cunelam* esse thymbram ipse alibi dixit. Veteres quoque glossæ *cuniculam* exponunt κόνυζαν. Ita enim legendum: *cunicula*, κόνυζα: *cuniculus*, ὑπόνομος. Apuleji etiam nostri codex antiquissimus, capitalibus literis scriptus, ita habet: *Cratevas apud Græcos cuniculam bubulam eodem nomine appellat, ceteri vero conyzam, id est, cunilaginem: thymbram vero quæ sit cunila.* His adde quod Thuanæus codex in indice lib. XX sic plane scribit: *Ligustico, sive panace* IIII. *Cunicula bubula.* V. *Cunila gallinacea, sive origano* V. *cunilagine* VIII. *cunila molli* III. *libanotide* III. *cunila sativa* III. *cunila montana* VII. Eadem habet Rigaltianus in libro primo, qui est index, nisi quod *cunila bubula* legit pro *cunicula.* Quomodo etiam alibi scriptum est in ipso contextu. Profecto inter ea cunilæ genera, quæ cognominibus additis distinguuntur, recenset & *cunilam bubulam*, sive ea cunicula est. *Cunila* vero per se absque cognomento posita thymbram Plinio significat. Ut lib. XX. cap. XVII. *Origanum quod in sapore cunilæ æmulatur, ut diximus, plura genera in medicina habet.* Id vero dixit lib. XIX. cap. VII. thymbram quæ est cunila, æmulam esse origano. Non igitur cum hac cunila potest esse eadem illa cunicula absolute dicta, quæ κόνυζαν Aristotelis reddidit lib. X. Eam *cuniculam* indigetant libri. Eam porro cuniculam, sive κόνυζαν eamdem facit Plinius cum cunila bubula & cunilagine. Nunc videamus qualem esse dicat eam cunilam bubulam: *Cunila præter sativam plura sunt in medicina genera. Quæ bubula appellatur, semen pulei habet, utile ad vulnera commanducatum impositum ut quinto post die solvatur.* Ita scribendum. Hæc polycnemo examussim con-

conveniunt. Quam herbam auctor ille, unde hæc Plinius sumpsit, cunilæ bubulæ nomine intellexit. *Semen*, inquit, *pulei* habet. Dioscorides de polycnemo: θάμνος ἐστὶ φρυγανώδης ἔχων φύλλα ὀριγάνῳ ἐμφερῆ: τὸν δὲ καυλὸν πολυγόνατον ὥσπερ γλήχων. De semine pulei simili nihil hæc tinniunt: nec mirum, nam mendosa sunt. In optimo codice regio legitur: Πολύκνημον, θαμνίον ἐστὶ φρυγανῶδες, ἔχον φύλλα ὀριγάνῳ ἐμφερῆ, τὸν δὲ καρπὸν πολυγόνατον ὥσπερ γλήχων. Hæc etiam non mendo vacant sed levi, quod & leviter corrigendum mutato ordine: τὸν δὲ καρπὸν ὥσπερ γλήχων, πολυγόνατον. Dicit polycnemum origano folia habere similia, semen vero ut puleium & geniculosum caulem θαμνίον πολυγόνατον. Hæc verissima illius loci scriptura. Alio loco Plinius polycnemum ex Dioscoride, vel auctore, unde habuit ipse Dioscorides, describens ita loquitur: *Polycnemon cunilæ bubulæ similis est, semine pulei, surculosa multis geniculis.* Hæc emendationem nostram prorsus confirmant, Πολύκνημον ὀριγάνῳ ἐμφερὲς, τὸν καρπὸν ἔχον ὥσπερ γλήχων, πολυγόνατον. Notabis eum dicere polycnemon cunilæ bubulæ simile esse. Quod Dioscorides dixit, ὀριγάνῳ. Idem alio loco ὀρίγανον Dioscoridis Latine vertit *cunilam bubulam*. Lib. XXVII. cap. V. *Alum nos vocamus, Græci symphyton petræum, simile cunilæ bubulæ foliis parvis.* Dioscorides de symphyto petræo: κλωνία δὲ ἔχει ὅμοια ὀριγάνῳ, λεπτὰ φύλλα, κεφάλια ὡς θύμου. Idem tamen Plinius supra nomine cunilæ bubulæ ipsum nobis polycnemon plane descripsit. Remedia quoque eadem utraque. Cunilam bubulam ait semen habere, *utile ad vulnera commanducatum impositum ut quinto die solvatur.* Dioscorides de polycnemo: ποιεῖ δὲ καταπλασσόμενον χλωρὸν ἢ ξηρὸν μεθ' ὕδατος πρὸς τραύματα κολλῶν, δεῖ δὲ πεμπταῖον λύειν. Ipse Plinius de polycnemo idem scribit: *quæ ferro factis vulneribus commanducata imponitur, quinta die solvitur.* Addit de eadem: *Corymbo odorato acri, & dulci odore.* Dioscorides: οὐκ ἔχει μέντοι σκιάδιον, μικρὰ δ' ἐπ' ἄκρῳ κορύμβια δριμύ τι μετ' εὐωδίας ἀποπνέοντα. Ita legendum apud Dioscoridem. Auctuarii ad Dioscoridem auctor tradit polycnemon à Romanis *cunilaginem* vocari. Sic enim apud eumdem scribendum: οἱ δὲ ἐχεώνυμον Ῥωμαῖοι κουνιλάγω. Quod est verissimum. Vidimus cunilæ bubulæ nomine polycnemon à Plinio describi. Item ab eodem sed ex alio auctore polycnemon simile tradi cunilæ bubulæ. Quod Græcus auctor dixerat ὀριγάνῳ ἐμφερές. Idem porro Plinius scripsit alibi cunilam bubulam ab aliis appellari *cunilaginem*. Et sane *cunilago* nihil aliud significat quam herbam cunilæ similem. Et omnia vocabula sic facta similitudinem quamdam indicant cum prototypis, unde sunt deducta: ut *lappago*, *cerago*, *farrago*, *citrago*. Sic & *virago*, quæ virum simulat, mulier. Ergo polycnemon *cunilago* Latinis quod cunilæ similis sit. Sed *cunila* Plinio thymbra. Non huic cunilæ, sed origano simile polycnemon tradit Dioscorides. Quinimo & ipse Plinius, qui cunilæ bubulæ attribuit, quæ polycnemi propria sunt, mox de eadem cunila bubula ea dicit, quæ auctores omnes de origano scribunt: *item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt: quidamque in hunc usum panaceam vocant.* Aristoteles, Antigonus Carystius, Plutarchus & alii Græci memorant testudinem, ubi serpentem ederit, ut hoc illi sit impune & sine noxa, origanum manducare. Antigonus: τὴν δὲ χελώνην ὅταν ὄφεως φάγῃ ἐπεσθίειν ὀριγάνου. Aristoteles lib. IX. de Hist. Anim. cap. VI cum viperam ederit: ἡ χελώνη ὅταν ἔχεως φάγῃ, ἐπεσθίει τὴν ὀρίγανον. Quod & in Admirandis reposuit cap. X: τὰς χελώνας φασὶν, ὅταν ἔχεως φάγωσιν ἐπεσθίειν τὸ ὀρίγανον. Ἐὰν δὲ μὴ θᾶττον εὕρῃ, ἀποθνήσκειν. Idem narrat Plutarchus: ἡ χελώνη φαγοῦσα τὴν σάρκα τῆς ἔχεως, ὀρίγανον ἐπεσθίει. Ergo comesa vipera comedunt origanum testudines. Quod nisi faciant, mori eas necessum est. Nulla heîc pugna testudinis cum serpente, quemadmodum voluit Plinius. Nec sese muniunt origano testudines cum serpente pugnaturæ. Hoc enim esset προφαγεῖν, vel προεσθίειν ὀριγάνου. Atqui contra est. Nam post comesas serpentis carnes, ut innoxius sit hic sibi cibus, sumunt origanum. Quod ἐπεσθίειν & ἐπιφαγεῖν Græcis. Antigonus: καὶ ποτέ τινος παρατηρήσαντος καὶ ἐκτίλαντος τὴν ὀρίγανον, οὐκ ἔχουσαν ἐπιφαγεῖν τελευτῆσαι. Mustela autem cum serpente pugnatura munit sese ru-

A ta quam prægustat. De ea statim sequitur apud Aristotelem & Antigonum: τὴν δὲ γαλῆν ὅταν μάχηται μετὰ τοῦ ὄφεως τοῦ πηγάνου προεσθίειν. Habet ex Aristotele, apud quem legendum: ἡ γαλῆ ὅταν ὄφει μάχηται, προεσθίει τὸ ὀρίγανον. Male editum est, ἐπεσθίει. Quod contrarium est. Plinius cum utramque historiam junctim expositam legisset, quod alterius fuit, ad alteram traduxit. Sed nec ejus verba sine vitio sunt, ut ostendunt veteres libri, in quibus omnibus legitur: *Et contra serpentes in vino bibitur, ac tritum plagæ imponitur. Vulnera ab his facta perfrigent. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ.* Ita optimus Thuanæus. In Rigaltiano scribitur:
B *Vulnera ab his facta perfrigentem testudinem cum serpentibus pugnaturæ.* In altero recentiori: *vulnera ab his facta perfricantur. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ.* Nullus liber ea verba agnoscit: *hac se munit.* Quæ à correctoribus adtexta esse liquido mihi constat. Sic autem sarciendam illius loci labem judico: *vulnera ab his facta ibes fricant. Cutem testudines cum serpentibus pugnaturæ.* Aristoteles libro & capite quo supra: οἱ δὲ πελαργοὶ καὶ ἄλλοι τῶν ὀρνίθων, ὅταν ἑλκωθῇ ἐν μαχομένοις ἐπιτιθέασι τὴν ὀρίγανον. Nec dubium ciconias sæpe vulnerari à serpentibus quas venantur: Ibes quoque ab Ægyptiis suis
C contra serpentes invocantur, easque gratissimum habent pabulum, & est πελαργῶδες ὄρνεον. Verisimile autem est & ciconias, & ibes, dum serpentes appetunt & capiunt, sæpe ab his vulnerari. Testudines etiam quæ serpentes comedunt, vix aliter fieri potest, quin sæpenumero ab his vulnera accipiant dum eas captant, & vorare parent. Ideo cutem suam origano fricant. Per *cutem* autem intelligit eam partem testudinis ubi deficit testa, & mollia sunt alvi. Nam tergum testeum & lapideum satis se a morsibus serpentium vindicat. Quod tamen Plinius ab aliquo auctore accepit, qui hodie non extat, ut & alia omnia quæ habet de variis
D generibus ac differentiis conilarum. Propemodum ausim præstare Pliniani illius loci veram eam esse, quam posuimns, emendationem. Ut ut sit, certum est de origano ab auctoribus hæc prodita esse, quæ hic de cunila bubula narrat. *Et contra serpentes in vino bibitur.* Dioscorides de origano: τὸ ἀφέψημα αὐτῆς σὺν οἴνῳ ποθὲν ἁρμόζει τοῖς θηριοδήκτοις. Polycnemon eidem origano foliis simile. Plinio cunilæ bubulæ. Quod contra serpentes valeat, *panaceam* quibusdam vocatam asserit: *quidamque in hoc usum panaceam vocant.* Atqui hoc ipsum est, quod paulo ante in Crateva reprehenderat, quem dixit appellasse cunilam bubulam, quod aliis dicebatur pa-
E naces. Sed de ligustico panace id intellexit Plinius. Lib. XIX. cap. VIII de ligustico: *Panacem aliqui vocant. Cratevas apud Græcos cunilam bubulam eo nomine appellat.* Ex his, quæ supra attulimus, constat *cunilæ bubulæ* appellatione apud Plinium origanum debere intelligi. Nunc ait panacis nomine cunilam bubulam appellasse apud Græcos Cratevam. Cratevas ille Græcè scripsit. Quærendum igitur, quid nominis illud fuerit, quo *cunilam bubulam* appellavit. Origanum Græcè κονίλη dicitur. Dioscorides: Ὀρίγανος Ἡρακλεωτική, οἱ δὲ κονίλην καλοῦσι. Idem de silvestri origano: ἡ δὲ ἀγριορίγανος, ἣν πάνακες, ἢ Ἡράκλειαν, ἢ κονίλην καλοῦσι.
F Ita legendum ex optimo codice. Male vulgo legitur: ἢ πάνακες Ἡράκλειον. Quod omnino aliud est. Hæc omnino est cunila, quam Cratevas *cunilam bubulam* appellavit. An ille Græce dixit κονίλην βοείην? Quod Plinius Latinè vertit *cunilam bubulam*? Immo puto unica voce appellasse βουκονίλην. Major cunila sive major origanus hac dictione designatur. Sic βουλάπαθον pro majori lapatho. Et βουσέλινον pro majore apio. Quod alii ἱπποσέλινον vocarunt. Male Plinius *buselinon* & *hipposelinon* diversa statuit apii genera. Simili errore βουλάπαθον & ἱππολάπαθον distinguit. Ἵππος & βοῦς in compositionibus apud Græcos magnitudinem designant.
G Hinc βόσυκα majores ficus. Ita igitur & βουκονίλη major cunila. Quam perperam Plinius Latine reddidit, *bubula cunila.* Videor tamen reperisse vocabulum, quo hanc cunilam appellavit Cratevas. Βοῦτιν, nisi fallor, nominavit. Hesychius: Βοῦτις ὀρίγανος ὑπὸ τῶν Κυδωνιατῶν καὶ βούκολος. Agreste igitur hoc origanum, & κονίλη Græcis, & πάνακες & ἡράκλεια teste Dioscoride, & βουκονίλη Cratevæ, vel βοῦτις verbo Cydoniatarum.

Hæc ſpecies origani propria virtute pollebat contra ſerpentium morſus. Dioſcorides: ἰδίως δὲ βοηθεῖ θηριοδήκτοις τὰ φύλλα καὶ τὰ ἄνθη σὺν οἴνῳ πινόμενα. Ideo & *panaceam*, inquit Plinius, *quidam appellarunt*. Cratevas vero *panacem*. In quo mirifica hallucinatio Plinii. Scribit ille liguſticum panaces à Crateva appellatum *cunilæ bubulæ* nomine. Hoc falſum. Non liguſticum panaces ille ſic vocavit, ſed Heracleum origanum, quod & πάνακες dicebatur. Liguſticum panaces ſimile panaci Heracleotico, radice, caule, effectu. Rurſus Heracleoticum origanum *panaces* cognominatum & panacea, ut & liguſticum. Sic confuderunt hæc nomina.

B Duplex enim panaces, Heracleoticum unum ſic proprie nominatum, & alterum origanum Heracleoticum, cui cognomen panacis etiam additum. De origano itaque ſilveſtri, quod etiam *panaces* & *heracleum* vocatum eſt, intelligebat Cratevas, quum *cunilæ bubulæ* nomine id donavit, non de liguſtico, quod panaci Heracleotico ſimile eſt. Nam βουκονίλη illa ὀρίγανος, vel κονίλη etiam dicta eſt. Illud etiam addam videri falſum Dioſcoridem, & ſi qui alii origanum ſilveſtre πάνακες & πανάκειαν cognominatum tradiderunt. Fefellit eos ex vicino nominis ſonus. Πάνακτος & πανάκτειος hæc ὀρίγανος, non πάνακες aut πανάκεια appellata. Quod & diſerte teſtantur verſus Nicandri,

C quem auctorem citat illo ipſo loco Dioſcorides.

Κόρχορον ἡμύοεντα πανάκτειόν τε κονίλην
Ἥν τε καὶ Ἡράκλειον ὀρίγανον ἀμφενέπουσι.

Ad quem locum hæc notat vetus ſcholiaſtes. Πανάκτειον τὴν ὁμοίαν πανάκει. Τινὲς δὲ πανάκειον τὴν πάντας ἰωμένην, καὶ ἐπεκτάσει τοῦ τ διὰ τὸ μέτρον, πανάκτειον. Διοκλῆς δὲ τὴν κονίλην φησὶν ὑφ' ὧν μὲν Ἡράκλειον καλεῖσθαι, καὶ ὀρίγανον, ὑφ' ὧν δὲ ἀγρίαν ὀρίγανον, καὶ πανακτίδα. Ita ſcribendum. Sed falſum, quod ait ille grammaticus, πανάκτειον metri gratia poſitum à poëta ἐπεκτάσει τοῦ τ pro πανάκειον. Adjicit ſtatim: καὶ πανάκτειος οὖν καὶ κονίλη ταυτόν ἐστιν: τὸ

D δὲ αὐτὸ καὶ Ἡράκλειον καὶ ὀρίγανον. Vehementer igitur erarunt veteres medici grammatici, qui πανάκτειον pro πανάκειον acceperunt, dictionum ſimilitudine decepti. Πάνακτος quippe dicebatur hæc ὀρίγανος. Heſychius differentiam monſtrat horum nominum, πάνακες & πάνακτος his verbis: Πάνακες βοτάνη τις ἣ πολλοῖς ὀνόμασι καλεῖται. Πάνακτος, ἡ ὀρίγανος καὶ τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ. Locum in Attica ita etiam appellatum indicat Stephanus: Πάνακτον, φρούριον Ἀττικὸν, ὡς Ἀνδροτίων ἐν τρίτῳ Ἀτθίδος. Harpocration: Πάνακτος, πόλις ἐστὶ μεταξὺ τῆς Ἀττικῆς καὶ Βοιωτίας. Thucydidem, Euripidem & Menandrum ejus meminiſſe memorat. Ab hoc oppido

E vix dubium eſt, quin origanum dictum ſit πανάκτειον, quod ibi plurimum naſceretur. Sed & πάνακτος pro panacteo origano abſolute, ut χάλυψ pro chalybico ferro: μάγνης pro magnetico lapide. Ita & θύμβρα pro θυμβραία. Nam *thymbra* dicta eſt à loco Thymbra, in quo naſcebatur plurima. Hinc θυμβραίαν & θυμβρίην vocat Hippocrates hanc herbam, quæ aliis θύμβρη. Galenus in Lexico Hippocratis: Θυμβραίαν, οὕτως ὀνομάζει τὴν θύμβραν. In libro περὶ γυναικείας φύσιος appellat θυμβρίην. Quod vocabulum quaſi πάνακες aut πανάκειαν eſſe veteres grammatici ac medici acceperunt, in-

F ſanum quam magno errore. Κονίλη igitur Græce origanum. Unde Latinis *cunila* & *conila*. Nam ita ſane ſcriptum eſt in antiquiſſimo, unde *conila bubula* Latinis ἡ βουκονίλη Cratevæ, vel βούτις ὀρίγανος Cretenſium. Columella lib. VI. cap. XII de boum medicinis: *Et ad ſcabiem præſentior alia medicina eſt cunila bubula & ſulphur conteruntur.* Dioſcorides origanum ſcabiei ſanandæ optime facere ſcribit. Atque inde fortaſſe βοῦτιν ὀρίγανον Cretes appellarunt, quod ſcabiem pecoris buceri eo curarent bubulci. Nec ab alia ratione *conilam bubulam* hoc genus origani videntur appellaſſe priſci Latini, id eſt, origanum bubulum, quod boves à ſcabie ſanos præſtaret. Sic ὀνῖτις ὀρίγανος cunila

G aſinaria ab eadem fortaſſe cauſa, quod aſinorum ſcabiem emendaret. Ejuſdem eam ferme efficaciæ eſſe cum Heracleotico origano tradit Dioſcorides, ſed minoris. Ὀνῖτιν tamen vetus ſcholiaſtes eam origani ſpeciem eſſe vult quam aſini appetant. Sed ſcimus quam ſæpe, quam libenter à ſcopo aberrent in talibus. Δύο δὲ, inquit, ὄρη ὀριγάνου, ᾧ ἡμεῖς χρώμεθα, καὶ ὃ οἱ ὄνοι ἐσθίουσιν.

A Nicander ὀνῖτιν ὀρίγανον appellat. Alia fuit *conila gallinacea*, id eſt, origanum gallinaceum. Plinius ibidem: *Eſt alia cunila gallinacea appellata noſtris, Græcis origanum Heracleoticum.* Forte quod galli gallinacei ſemen ejus appetant. Apulejus ψευδώνυμος *gallicam cunilam* vocat. *Origanum*, inquit, *à Græcis Heracleoticum, onitis, aſclepion, panaces, conila appellatur. Latini cunilam gallicam & origanum nominant.* Sed Plautus in Trinummo conilam gallinaceam nominat, & ex Ponto afferri indicat:

---- *eſt non illac ubi thus gignitur,*
Sed ubi abſinthium fit atque conila gallinacea.

B Abſinthium ex Ponto. Ergo & indidem conila gallinacea ex Heraclea Pontica urbe. Quæ Græcis Ἡρακλεωτικὴ ὀρίγανος. Sed & Ἡράκλεια eadem eſt cum Heracleotica. Silveſtre origanum ſic etiam vocarunt, ἣν πάνακες, ἢ Ἡράκλειαν, ἢ κονίλην καλοῦσι. Plinius perperam Heraclium origanum ab Heracleotico diſtinguit. Sic Ἡρακλεία λίθος eadem cum Ἡρακλεωτικῇ. Magnetem ita vocarunt. Et papaver Ἡράκλειον Heracleoticum eſt. Dioſcorides quoque in eodem errore, qui Ἡρακλείαν ab Heracleotico origano ſeparat. Ἡρακλεία abſolute ſubaudiendo ὀρίγανος. At Ἡράκλειον cum dicitur, τὸ ὀρίγανον ſubintelligitur. Ἡράκλειον abſolute pro hoc

C genere origani habuimus ſupra ex Diocle apud veterem Nicandri ſcholiaſtem. *Cunila ſativa* apud eumdem Plinium accipi debet pro origano ſativo. Subjicit deinde: *Fit ex ea montana ſerpullo ſimilis, efficax contra ſerpentes.* Hæc montana cunila pro montano origano intelligenda. Sed quiſquis ille fuit auctor, unde hæc ſumpſit Plinius, montanæ cunilæ, ſive montani origani appellatione videtur Græcorum τραγορίγανον deſcripſiſſe. Serpullo ſimilem dicit. Dioſcorides de tragorigano: θαμνίσκος ἐστὶν ἑρπύλλῳ ἀγρίῳ ἐοικώς. Ita legendum ex optimo codice. Certe origanum ſilveſtre, quod etiam monta-

D num dicitur, quidam cum trigorigano idem faciunt. Ut auctor ille, quem Plinius ſequitur in origani generibus recenſendis: *Tragoriganum ſimilius eſt ſerpyllo ſilveſtri, urinam ciet, tumores diſcutit contra viſcum potum, viperæque ictum efficaciſſimum.* Idem narrat de cunila montana, quæ omnino eadem eſt cum tragorigano. Paulo poſt idem ſcribit ad hunc modum: *Heraclium quoque tria genera habet, nigrius latioribus foliis, glutinoſum. Alterum exilioribus, mollius, ſampſucho non diſſimile, quod aliqui praſion vocare malunt.* Alium heic quam Dioſcoridem habet auctorem Plinius. Hæc duo genera Heraclii origani facit, quæ Dioſcoridi

E ſunt tragorigani ſpecies: ἡ μέν τις εὑρίσκεται κατὰ τόπους διερχεστέρα καὶ πλατύφυλλος, κομώδης ἱκανῶς. Ἡ δέ τις λεπτόκλωνος καὶ λεπτόφυλλος, ἣν καὶ πράσιον ἔνιοι καλοῦσι. Notandum eſt Plinium in his verbis Græci ſcriptoris ſui legiſſe κομμώδης ἱκανῶς. Quod vertit *glutinoſum*. Quod eſt abſurdum, licet etiam ita legant quidam Dioſcoridis interpretes, qui vertunt, *efficaci ad glutinandum poteſtate.* Hoc κολλητικὸν Græci vocant, non κομμῶδες. Sed omnino reſcribendum κομώδης, id eſt, folioſum & comoſum, comis vel foliis denſum. Heraclium origanum eſt ſilveſtre. Dioſcorides: ἀγριορίγανος ἣν πάνακες, ἢ Ἡράκλειαν καλοῦσι.

F Ita enim recte à nobis repoſitum. Id genus Græcus auctor, quem ſequitur Plinius, cum tragorigano confudit. Ut proinde mirum non ſit, ſi *montanam cunilam*, ſive origanum montanum Latini quidam ſcriptores pro tragorigano obtruſerunt. Nam tragoriganum montanum. Ideo *montanam cunilam*, quæ eſt montanum origanum, pro tragorigano poſuere. Scholiaſtes Nicandri: τραγορίγανον δὲ ἐστὶν ὄρειον, ὅπερ ἐσθίοντες οἱ τράγοι γίνονται κατωφερεῖς. Sic tres ſpecies origani Nicandro: *aſinaria*, quæ ὀνῖτις: *conila*, vel heraclium, quam Latini *bubulam cunilam* vocarunt: & *hircina*, quæ τραγορίγανος, quam & *montanam* quidam dixerunt. Præterea virtutes cunilæ montanæ eædem aſſignantur,

G quas tragorigano tribuit Dioſcorides: *Concoctionem mire adjuvat & aviditatem ad cibos, utramque vel in cruditate jejunis in potione aſperſa.* Ita hæc reformanda verba ſunt, quæ non ſanam habent faciem, ut hodie leguntur in Plinianis editionibus. Significat origanum id genus in potione ſumptum etiam in cruditate ſtomachi concoctionem juvare, & appetentiam ciborum facere. Dioſcorides de tragorigano hoc ipſum plane prodit:

prodit: ἔστι δὲ τὸ πόσημα ἐπιεικὲς, ὅθεν τοῖς ἀσώδεσι καὶ κακοστομάχοις ὀξυρεγμιῶσι δίδοται. Hoc idem expressit quod Plinius de cunila montana. Κακοστόμαχοι ὀξυρεγμιῶντες, sunt qui oxyregmia laborant ex stomachi cruditate, quam acidi produnt ructus. Hesychius: ὀξυρεγμία, ἀπεψία. Ἀσώδεις vero illi dicuntur, qui ciborum fastidium patiuntur, nec ulla moventur ad edendum orexi, & quos veluti omnium rerum satietas tenet. Nam ἄσαι est satiare. Unde ἄση satietas. Quod & pro animi molestia & ἀκηδία accipitur, ex hominum satietate, & rerum odio concepta. Sequitur apud Dioscoridem de eodem tragorigano: καὶ ἐφ' ὧν ἀλισμός, καὶ ναυτία, καὶ θέρμη ὑποχονδρίων παραλαμβάνεται. In optimo ac fidelissimo codice regio legitur: καὶ ἐφ' ὧν ἀλύση. Scribe: καὶ ἐφ' ὧν ἀλύοση. A verbo ἀλύσσω quod idem est atque ἀλύω. Ἀλύοση, ut ab ὀφείλω, ὀφείλη: ab ἄυξω, ἄυξη. Inde etiam ἀλυχὴ pro eodem, ut ab ἀμύσσω, ἀμυχή. Hesychius: ἀλυχίω, ἀσῶ, χάσμησιν: & ἀλυχὰ ἀδημονία, ἀκηδία: & ἀλύσσοντες, ἀδημονοῦντες, ἢ δυσφοροῦντες. Scribitur & ἀλύκη apud Hippocratem, quod etiam rectum est. Ut enim ab ἀμύσσω, ἄμυξ, ita ab ἀλύσσω, ἄλυξ. Hesychius: ἄμυξ, ἀμυχή. Sed & ἀλύκη ab ἀλύσσω, ut φυλακὴ à φυλάσσω. Psellus de antiquis medicinæ vocabulis: ἀλύκη, ἡ μετ' ἐκλύσεως ἀπορία. Erotianus in Lexico: ἀλύκη, ἀπορία μετὰ χάσμης. Inde *alucinari* Latinum. Ita enim hoc verbum scribunt omnes libri veteres. Glossæ: *alucinatur*, ἀλύει. Cloatius Verus apud Agellium: *Item alucinari factum scripsit ex eo quod dicitur Græce* ἀλύειν. Immo factum ex ἀλύκη. Hesychius χάσμησιν exponit. Quia frequentes oscitationes oboriuntur eis, qui simili tenentur languore & anxietate animi. Quod & *alucinari* Latini dixere. Idem Agellius lib. VII. cap. XVII. *At ille oscitans, & alucinanti similis.* Et lib. IIII. cap. XX de oscitatione eam dicit esse *indicium vagi animi & alucinantis.* Nonius tamen cum adspiratione scribit. Inde etiam *elucum* dictum censebat idem Cloatius. *Languidum, vel semisomnum, & alucinatorem* interpretatur Festus. Alii pro vitio ipso id nomen ponunt. Et *helucum* idem alibi ab oscitatione & hiatu ait appellatum. Sed *elucus* ex Græco ἠλυγός. Tardum & hebetem significat proprie vel tarditatem ac stuporem. Ἤλυγα ὄρη apud poëtam veterem τὰ ἐν σκότῳ κατεχόμενα. Hinc ἠλυγὸς homo *elucus*, ὁ ἐπεσκιασμένος, tarditate ac stupore obsessus & oppressus. Sed & pro ipso affectu sumitur. Agellius definit elucum *tarditatem quamdam animi quæ alucinantibus plerumque evenire solet.* Ab alia tamen origine est quam *alucinor.* Diu est quum eam vocem restituendam vidi apud eumdem Agellium lib. IV. cap. XIX in his verbis: *Pueros impuberes compertum est si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri: advertimusque hinc elici tarditatem.* Immo scribendum: *hebetiores fieri ad veterni usque, aut eluci tarditatem.* Quam veterem mihi conjecturam confirmavit nuper optimus codex regius. Ἀλυχὴ igitur & ἀλύσση & ἀλυσμὸς, & ἄλυς, & ἀλύκη, & ἄση & ναυτία ex eodem pæne affectu prodeunt, & unius rei sunt diversa συνώνυμα, vel effectus ejusdem languoris & anxietudinis. Cui remediatur cunila montana, vel tragoriganum. Κονίλη igitur Græcis origanum. Atque inde Latinum *conila*, vel *cunila.* Inde illæ tot diversæ species origani Latinis cognominibus signatæ, *cunila bubula*, *cunila gallinacia*, *cunila sativa*, *cunila montana*, quæ totidem sunt origani genera, cum Latinis appellationibus. Quæ omnia Plinius ex Latino aliquo scriptore hausit, qui eas origani species ac differentias Romanis vocabulis signaverat, Hygino si forte, aut Celso, quos auctores citat in illo libro. At idem capite sequenti origani discrimina & nomina seorsim exponit prout ea exposita reperit apud Græcos auctores, tanquam si diversa forent Latinorum *cunila* & Græcorum ὀρίγανος. Atqui Græcis etiam κονίλη dicitur origanum. Unde Latini & *cunilam* pro origano dixerunt. Ut *cunila sativa* idem quod sativum origanum. Sed hoc antiquum Plinio & perpetuum, ut ejusdem generis Græcam & Latinam appellationem pro diverso ponat genere. Sic hyacinthum & vaccinium: ebulum & chamæacten: & alia infinita pro diversis numerat quæ eadem sunt. Hic non levis error, sed illi consuetus & sollemnis. Ecce alius

A non levior, quem æque familiarem habet. Solo nominis sono inductus inter cunilarum genera eas species recensuit, quæ nihil habent quod ad origanum pertineat, nec forma, nec genere. *Tertium genus est*, inquit, *quæ à Græcis mascula, a nostris cunilago vocatur, odoris fœdi, radicis lignosæ, folio aspero.* Supra dixit *cunilaginem* ab Hygino vocari Græcorum κόνυζαν. Atqui κόνυζα Græca in totum diversi generis à cunila, sive origano. Et tamen ibi addit: *Vires ejus vehementissimas in omnibus his generibus ad eam rem tradunt*, id est, ad morsus serpentium. Ita legendus hic locus? Ergo cunilago in generibus cunilarum, id est, ὀριγάνων vehementissimas habet vires. Atqui non ex earum genere est.
B Simili quidem pollet effectu, & quidem vehementiore adversus serpentes. Non propterea tamen ὀριγάνῳ ὁμογενής. Græci non distinguunt origanum in marem & fœminam, sed κόνυζαν. Cunilago itaque heic κόνυζα, & quidem mascula. Ea fœdi odoris. Dioscoridi κόνυζα mascula βαρύοσμος. Radix cunilaginis Plinio lignosa. Dioscorides ῥίζας ἀχρήστους conyzæ esse tradit. Ita solet Plinius herbarum radices nulli usui *lignosas* dicere. Enimvero supra docuimus polycnemon, quod origano simile est *cunilaginem* à Romanis vocari. Plinius ipse cunilaginem & cunilam bubulam eamdem esse alio
C loco scriptum reliquit. Cunila autem bubula est origanum. Ipse quoque polycnemon alibi dixit simile esse cunilæ, aliubi sub cunilæ bubulæ censu hoc ipso capite id recensuit. Postremo duo adhuc genera inter *cunilas* refert, & eodem hoc vocabulo donat quæ ἀντίχρημα conyzæ sunt. Denique libro decimo κόνυζαν ex Aristotele vertit *cunilam.* Nam licet libri habeant *cuniculam*, idem tamen est nomen. Sic enim & *cuniculam bubulam* iidem libri indigetant, quæ debet esse cunila, quum sit origanum. Vitiose quoque apud Columellam scribitur *cunicula bubula*, ad scabiem pecorum quæ est *cunila bubula*, hoc est, κονίλη
D βόειος, vel ὀνῖτις, ut eam Græci vocarunt. Certe Marcellus Empiricus cunilam etiam Latine reddit Græcorum ὀνῖτιν cap. XXX. *Nam cunila quam Græci onitin vocant, detrahit aquatiora per vomitum.* Unde igitur hæc indiscreta nominum facies ad rès toto genere dissitas signandas? In plerisque aliis herbis arboribusque hoc casu evenisse notavimus, ut nomen unum idemque duæ vel plures habuerint apud Romanos, cum tamen utrumque ex diversa veniret origine. *Apiastrum*, ut *mentastrum* & *ocimastrum*, ab apio, idem quod silvestre apium, τὸ ἀγριοσέλινον. *Apiastrum* aliud ab apibus dictum, τὸ μελισσόφυλλον. Inde ex hac nominis unitate has duas herbas pro una habuit Plinius,
E & ubique eas confudit. Glossæ: *Apiastrum*, μελισσόφυλλον, ὀλύσαθρον, ἱπποσέλινον. Hoc suprà & in aliis observavimus. Hoc idem nominis concursus & συγκυρία in conyza & origano apud Latinos accidit, qui utramque herbam eodem vocabulo significarunt, sed ex diversis fontibus profecto. Κονίλη Græcis origanum dicitur. Inde & *conila* & *cunila* Latinis pro origano. Κόνυζα alia est herba. Eam Dores κόνυσδαν vocabant, ut παίσδειν pro παίζειν, & similia. Aëoles autem μάδδαν, & παίδδειν dicebant, ut φαιρίδδειν pro σφαιρίζειν. Hesychius: φαιρίδδει, σφαιρίζει, ita & κόνυδδαν pro
F κόνυζαν. Romani veteres pro *conydda*, quia consonantes non geminabant, & D in L mutabant, fecerunt *conylam.* Sic *melicas gallinas* vocarunt quæ Græcis Μηδικαί. *Lacrumam* ex δάκρυον, & *lautium* ex δαῦλον formarunt. Ita ergo & *conylam* ex κόνυδα. Quod & degeneravit in *conilam*, vel *cunilam.* Hæc sunt indubitatissima. Hinc etiam duplex *cunilago.* Polycnemon ita appellarunt, quod simile esset foliis cunilæ, id est, origano. Sed & conyzam masculam, id est, conylam majorem. Nam & μεγάλη κόνυζα dicta est, quæ mascula. Neophytus: κόνυζα ἑτέρα, οἱ δὲ μεγάλη, πλατύφυλλος. Hæc est quam *cunilaginem* Latini nominarunt, quasi majorem cunilam, μεγάλην κόνυζαν. Se-
G quuntur apud Plinium alia genera hujus cunilæ, quæ κόνυζα est: *è contrario quæ mollis vocatur, pilosioribus foliis ac ramis aculeatis, trita mellis odorem habet, digitis tactu ejus cohærescentibus.* In indice hæc *cunila mollis* proscribitur. Dioscorides uriusque conyzæ maris & feminæ folia pilosa esse dicit & pinguia, δασέα καὶ

λιαφῷ. Tertium genus addit, τῷ καυλῷ παχύτερον καὶ μαλακώτερον. In omnibus Plinii exemplaribus scribitur: *quæ mollis vocatur, pilosioribus ramis, & aculeatis.* De odore nullis in conyza nihil Theophrastus & Dioscorides. Sed nec de aculeatis. Certe nec inter aculeatas herbas conyzam refert Dioscorides. Ex Polluce tamen constat loco quem superius adduximus, conyzam è spinulentis unam esse, quibus sepes muniebantur: ῥάχος, κόνυζα, κνάφος: καὶ πάνθ' ὅσα ἀκανθώδη τοῖς καρποῖς ἐπὶ φραγμῶν περιβάλλεται. Sed nescio quomodo id possit verum videri. Masculam conyzam, quæ & major, & *cunilago* Latinis dicitur, aculeatam esse non meminit Plinius. Duûm cubitûm altitudinem ei tribuit Dioscorides. Hæc sola potuit sepis usum præbere. Aculeis tamen caret. Minor vero, quæ fœmina est, vix pedem alta surgit. Dioscorides: ὕψος δὲ τῆς καυλῆς ἡ μὲν μείζων, δύο πήχεων ἔχει, ἡ δὲ ἐλάττων, ποδός. Hinc χαμαιζήλην κόνυζαν eam vocat Nicander. Cum hac proceritate quæ pedem non superat, non video quam idonea potuerit esse faciendis sepibus. Præterea nec spinosam eam esse tradunt auctores. Puto igitur & heic ex nominis errore fraudem factam Plinio, & plerisque aliis veterum. Κνύζα genus spinæ est ἀπὸ τοῦ κνύειν, quod & κνύζειν. Ut πρίειν, πρίζειν & similia. Hesychius: κνύθος, ἄκανθα μικρά. Idem κνύειν, κνήθειν, ξύειν. Sic κνάφον ἀπὸ τοῦ κνῶ, quod est ξύω, dictum notat Harpocration. Κνάφος autem genus spinæ fullonicæ. Certe κνύθος & κνύζα idem ab eadem origine. Nicander κνήθην vocat genus spinæ ἀπὸ τοῦ κνήθειν:

---- κατακνήθην τε χαμηλήν.

Pro urtica accipiunt. Equidem & κνίδη, quæ urtica, ἀπὸ τοῦ κνίζειν. Hesychius κνύζαν καὶ συγκοπὴν dici notat, quæ est κόνυζα. Κόνυζα herba est spinis carens. Κνύζα, κνηθμὸς ἀπὸ τοῦ κνύζεσθαι, ἀπὸ τῶν κυνῶν, ἢ κατὰ συγκοπήν. Profecto κνύζαν apud Theocritum legisse memini pro κόνυζα, qua stramenta fiebant. Liber nunc ad manum non est. Sed nisi fallor, στιβὰς ἑστεῖται κνύζα, apud eum legitur. Κόνυζα hæc, sive κνύζα spinis caret, quæ per syncopen dicta est pro κόνυζα. Alia vero est κνύζα ἀπὸ τοῦ κνύειν, quæ spinæ est species. Reponendum itaque κνύζα pro κόνυζα apud Pollucem quæ inter aculeatas locum habet, aut dicendum κόνυζαν eum accepisse ἀντὶ κνύζας. Quod illi etiam fecere, qui conyzam aculeatos ramos habere dixerunt. Alteram speciem cunilæ, sive conyzæ subjicit. Plinius quæ libanotis dicitur ab odore: *altera thuris, quam libanotidem appellaverimus. Medetur utraque contra serpentes ex vino vel aceto. Pulices etiam contrita cum aqua sparsa necant.* Proprium quidem hoc conyzæ utriusque pulices necare. Dioscorides: κτείνει δὲ καὶ ψύλλας. Neophytus conyzam minorem etiam dictam λιβανωτίδα tradit: Κόνυζα λεπτόφυλλος, οἱ δὲ κόνυζα μικρά, οἱ δὲ πάνιος, οἱ δὲ λιβανωτίς. Eam Nicander λεπτόθριον κόνυζαν vocat. Mirum tamen mihi videtur si ulla conyza thuris odorem spirat, quam omnes mali odoris esse fatentur. Hippocrates lib. II. de morbis mulierum, de conyza: ὀσμὴ δὲ τούτου δύσοιστος. *Odor ejus intolerandus.* Theophrastus masculam ait gravis esse odoris, fœminam vero δριμυτέρας, διὸ καὶ πρὸς τὰ θηρία χρησίμη. Plinius vertit *acutioris*. De conyza: *Mas odore gravior, fœmina acutior, & ideo contra bestiarum morsus aptior.* Immo ad fugandas serpentes aptior, quia odorem habet vehementiorem. Dioscorides de conyza: δύναται δὲ ἡ δύναμις ὑποστρωννύμενος σὺν τοῖς φύλλοις καὶ θυμιώμενος τὰ θηρία διώκειν. Explicat quod dixit Theophrastus feminam conyzam ideo χρησίμην πρὸς τὰ θηρία haberi, quia gravioris sit & acutioris odoris quam mascula. Quod Plinius male accepit de morsibus bestiarum. Τὸ δριμὺ intensionem atque exuperantiam odoris tam boni quam mali significat. Cum igitur dicit Theophrastus masculæ conyzæ βαρεῖαν esse ὀσμήν, fœminæ vero δριμυτέραν, non suaviorem odorem fœminæ adstruit quam masculæ, sed in graveolentia longe acutiorem & penetrantiorem. Hesychius: δριμύς, ὀξύ, σφοδρόν. Dioscorides tamen fœminam conyzam ac minorem εὐωδεστέραν facit: ἡ μὲν ἥν μικρὰ καλεῖται εὐωδεστέρα ἐστι. Quæ non est mens Theophrasti. Idem Dioscorides tertiam speciem adjungit quam dicit utraque priore, βαρυοσμοτέραν δὲ πολὺ καὶ ἀηδεστέραν. Ergo insuavis & ingrati odoris etiam duæ priores. Sane τὴν δριμύτητα separat ἀπὸ τῆς εὐωδίας Theophrastus, ubi de succorum differentiis agit, αἱ δὲ ἤδη δριμύτητά τινα ἔχουσι, καθάπερ ἡ τοῦ θύμου καὶ θύμβρας: αἱ δὲ καὶ εὐωδίαν. Dioscorides ipse de polycnemi foliis: δριμὺ ἢ μετὰ τῆς εὐωδίας ἀποπνέοντα. Quare δριμύτης etiam potest esse absque εὐωδίᾳ. Et sane hæc vox ἐπίτασιν τῆς εὐωδίας καὶ τῆς δυσωδίας ex æquo significat. Myrepsus meminit conyzæ odoratæ, κονύζης εὐώδους. Hæc erit conyza libanotis cognominata. Sane & quidam neoterici baccharim pro conyza obtrudunt. Alii *baccharim Montispellensium* vocant. Potest videri & in Hesychio corrigendum, ubi de conyza loquitur, ἣ καὶ εἰς τὰ ἀρώματα χρῶνται. Ut ut sit, hæc conyza odorata diversa ab utroque genere Theophrasti, quod fœtidum est. Sed de conyza viderint alii utrum mali sit odoris an boni, illud in confesso esse debet, uno eodemque nomine *cunilæ* Latinos duas herbas appellasse nulla inter se cognatione, aut formæ similitudine pariles, origanum & conyzam. His accedat tertia thymbra, quam etiam *cunilam* vocaverunt. Nam etsi Plinius dicat thymbram in odore æmulam esse origano, & similis ambo effectus, ideoque nusquam utrumque addi, non propterea tamen censendum eadem appellatione veteres vocasse origanum & thymbram. Eamdem appellationem intelligo, quæ non tantum soni paritate, sed originis una sit. Κονίλη est origanum, Latine *canila*. Non idem hoc nomen dederunt thymbræ. Quod enim *cunelam*, vel *cunilam* etiam de thymbra dicunt, id oportet aliunde fontes habere, quam ex Græco κονίλη. Thymum longe similius thymbræ, quam origanum, non tamen thymum & thymbram eadem appellatione comprehenderunt, sed nominibus discreverunt. Præterea non omnes omnem thymbram in genere vocarunt *cunilam*, sed certam duntaxat thymbræ speciem, ut Columella lib. IX. cap. IIII. *Thymo deinde proxima thymbra, serpyllumque & origanum. Tertiæ notæ, sed adhuc generosæ marinus ros & nostras cunila, quam dixi satureiam.* Et eodem capite paulo supra: *aut origani, tum etiam thymbræ, vel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici vocant.* Aperte distinguit Romanam cunilam à thymbra Græca. Plinius tamen ubique *cunilam* appellat Græcorum thymbram, ut lib. XIX. cap. VII. *Ceteri ferè conyzam, id est, cunilaginem: thymbram vero quæ sit cunila.* Item cap. X ejusdem libri: *ferroque non expedire tangi rutam, cunilam, mentham, ocimum, auctor est Sabinus Tiro.* Ubi cunila est θύμβρα. Et cap. XI. *Nam quod ad permutationem seminum attinet, quibusdam ex his firmitas major est, ut coriandro, beta, porro, nasturcio, sinapi, erucæ, cunilæ & ferè acribus*, εὐζώμῳ, θύμβρᾳ. In quibus verbis animadvertenda insignis hallucinatio Plinii. *Permutatio seminum*, ἀλλοίωσις & ἐξαλλαγὴ Theophrasto dicitur, quum ex alia in aliam transeunt speciem, ut triticum in lolium, hordeum in avenam. Et fere validiora degenerare dicit in infirmiora. Quæ corruptio seminum est & φθορά. Aliter corrumpuntur semina, cum vetustate deteriora fiunt, & inutilia ad serendum. Quæ ex his firmiora sunt, diutius durant utilia. Quæ infirmiora, citius corrumpuntur. Διαμονὴν σπερμάτων vocat Theophrastus eo loco, quem hic reddit Plinius lib. VII. cap. VI. Τῶν δὲ σπερμάτων τὰ μὲν ἐστιν ἰσχυρότερα, τὰ δὲ ἀσθενέστερα πρὸς διαμονήν. Ἰσχυρότερα μὲν, οἷον κορίαννον τεῦτλιον, πράσον, κάρδαμον, εὔζωμον, θύμβρα, ἄλλως δὲ, δριμέα πάντα. Quæ Plinius ad verbum expressit, & θύμβραν *cunilam* Latine exponit. Forte titulos fecerat in adversariis suis περὶ διαμονῆς σπερμάτων, & περὶ ἐξαλλαγῆς. Imprudens postea sub titulum ἐξαλλαγῆς ea redegit, quæ pertinebant ad titulum διαμονῆς. Certe Theophrastus alio capite simul egit περὶ ἐξαλλαγῆς & διαμονῆς seminum. Quod si heic extra culpam Plinius, profecto librarii ejus in culpa, qui *permutationem* scripsere, quum deberent *permansionem*, hoc modo: *nam quod ad permansionem seminum attinet.* Ad verbum: πρὸς διαμονήν. Idem alio loco: Διαμονὴ θησαυριζομένων πρός τε τοὺς σπόρους καὶ πρὸς τὰς ἄλλας χρείας παραπλήσια καὶ σιτηροῖς γόνιμα μένει εἰς πετραετίαν μάλιστα. Hoc eodem capite insignem errorem commisere librarii ex parva literarum transpositione: *Sed ex his, quæ sunt fortissima, nullum*

nullum ultra quadrimatum utile est. Cunilis & ultra tempestiva sunt. Ita omnes Pliniani libri legunt, etiam antiquissimi. Posteriores editores fecerunt, *& cuniculis.* Ut mendum scilicet tolli difficilius pararent. Scribendum ex Theophrasto: *Culinis & ultra tempestiva sunt.* Semina non durant & permanent utilia ad serendum ultra quadrimatum. At cunilis ultra hoc spatium sunt tempestiva. Πρὸς τὴν μαγειρικὴν χρείαν. Capite sequenti ubi de succorum saporumque differentiis tradit, ita loquitur: *Namque & succorum saporumque dicenda differentia est vel major in his quam pomis. Sunt autem acres, cunilæ, origani, nasturcii, sinapis. Amari, absinthii, centaurei: Aquatiles, cucumeris, cucurbitæ, lactucæ: Acuti, thymi, cunilæ.* Ita legenda hæc postrema docuimus supra ex Theophrasto & veteri codice, in quo scriptum est: *Acuti tumi & cunilæ.* Theophrastus: αἱ δὲ ἤδη δριμύτητά τινα ἔχουσι, καθάπερ ἡ τοῦ θύμου, καὶ τῆς θύμβρας. Sed mirum est Plinium in eadem illa periodo, quam totam ex verbis Theophrasti pertexuit, differentes sapores statuere acrem & acutum, atque utrumque eidem cunilæ attribuere. Hoc cum viderent postremæ editionis auctores, in altero rescripserunt, *cuniculæ*, ut alia sit quam *cunila.* Fugit eos ratio. Liber vetustissimus utrobique habet, *cuniculæ.* De qua paulo post. Præterea *acutus* & *acris* idem sive sapor, sive odor. *Acria* Plinius capite præcedenti vocavit τὰ δριμέα. Alibi passim in odoribus & saporibus τὰ δριμέα vertit *acuta.* Haud scio igitur cur heic distinguere voluerit, quum Theophrastus eo loco, quem Latine heic interpretatus est, voce δριμέος & δριμύτητος in utroque usus sit. Duarum differentiam rerum ibi tractat Græcus auctor: τῶν χυλῶν καὶ τῆς ὑγρότητος. Differentia succorum in fructibus arborum & herbis quæ manduntur præcipue cernitur. Nam χυλὸς proprie Græcis succus, qui expressione elicitur. Hesychius: χυλὸς, πέμμα τῶν ὑγρῶν ἐκπίεσμα. Ita legendum. Quod πέμμα τῶν ὑγρῶν exponit, ex medicorum sententia eam vocem accipit. Sic & χυμὸς apud eumdem, πέμμα τῶν ὑγρῶν. Ita enim corrigendum, eo nempe sensu, quo apud medicos accipitur. At χυλὸς vulgo succus qui exprimitur. Inde χυλίζειν. Manducatio autem idem præstat, quod expressio. Succos ex rebus, quæ masticantur, exprimit. Unde *sapor* sentitur gustu, ac percipitur. Hic Græce proprie χυμός. Græce χυμὸς, γεῦσις, νόσος. Hesychius: χυμὸς, σιελός. Latini etiam *salivam* pro gustu ponunt. Persius:

---- *turdorum nosse salivam.*

Propertius:

Et Methymnæi Græca saliva meri.

Non θαλασσίτην οἶνον intelligit, sed solum vini Græci saporem. Hinc *salivam movere* Latini dicunt, quæ gustum excitant & proritant. Χυμὸς igitur ipse gustus, vel sapor. Χυλὸς succus, ex quo sapor, & cum suo sapore. *Saporatum succum* Latine dicere liceat. Sic *saporatæ offæ* Virgilio. Et *sanguis saporatus* Arnobio lib. V de malis punicis in his verbis, quæ sic corrigenda sunt: *addite huc etiam idcirco esse uvida, idcirco vinosa quod ex sanguine saporato genus ducant, & fabulam convenienter implestis.* Vulgo editur corruptissime: *ex sanguine saburratio.* Antiquus librarius scripserat *saburato*, vel *sapurato.* Inde vitium vulgatæ. *Saporatus sanguis*, quia salsus. Punica mala ideo rubra, quia ex sanguine. Idem paulo ante: *& quia de rubro exorta sunt hæc sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis offectione sublitus.* Ita hæc legenda. Idcirco autem & vinosa uvidaque, quia ex sanguine saporato. Alius tamen sapor sanguinis, qui salsus est: alius in malo granato, qui est acidus & vinosus. Sed cognata res sapori, licet diversus. Hoc voluit Arnobius. Quum Plinius succorum saporumque differentias explicare se dicit, solam χυλῶν διαφορὰν intelligit, hoc est, γευστῶν χυλῶν. Ex fructuum diversis succis hæc saporum discrimina percipiuntur, & aliarum rerum edulium quæ succum habent. Et quo magis succulentiora quæque, eo magis saporata. Ἔγχυλα & εὔχυλα Græci vocant. Et εὐχυλίαν pro bono sapore. Quæ sicca penitus sunt,

A & succo omni carent, ea nec edulia, nec sapida. Theophrastus: τὸ γὰρ ξηρὸν οὔτ' ἐδώδιμον, οὔτ' ἔγχυλον. Διὸ καὶ τῶν καυλῶν ἀκμή τις. Tum quippe ad edendum optimi, cum succum suum nondum amiserunt. Quum pomum succi vinosi aut acidi dicimus, saporem qui ex succo designamus. Et lib. I. Hist. cap. XIX. ubi exequitur succorum, saporumque differentias, quem locum heic Plinius expressit: τῶν δὲ χυλῶν οἱ μὲν εἰσὶν οἰνώδεις, ὥσπερ ἀμπέλου συκαμίνου μύρτου, οἱ δὲ ἐλαιώδεις ὥσπερ δάφνης καρύας ἀμυγδαλῆς πεύκης, πίτυος ἐλάτης. Non succum ipsarum arborum intelligit, sed pomorum, baccarum, & nucum, quæ in illis arboribus

B nascuntur, & cibis commendantur, succus vitis vinosus in uva intelligitur, mori arboris in moris, myrtæ in myrtis, oleosi succi oleæ in oliva, lauri in bacca, juglandis arboris in nuce, piceæ in nucleis pineis, dulces palmæ arboris in palmulis, ficus in ficis, castaneæ in castaneis. Ita enim legendum apud Theophrastum: οἱ δὲ μελιτώδεις, οἷον σύκου, φοίνικος, διὸς βαλάνου. Perperam editur: δρυὸς, βαλάνου. Hanc partem Theophrastei loci, qui de succis ac saporibus pomorum baccarumque agit, idem Plinius transtulit lib. XV. cap. XXIX his verbis: *Ergo succorum vinosi pyro, moro, myrto: minime quod miremur uvis: pin-*

C *gues, olivæ, lauro, nuci juglandi, amygdalis: dulcis, uvis ficis, palmis: aquosus, prunis.* Fructus ipsos & poma dixit, quum Theophrastus arborum nomina posuisset. Illud vero contra Theophrasti sententiam, quod negat vinosum succum uvis inesse, cum id diserte testetur Philosophus: τῶν μὲν χυλῶν εἰσὶν οἰνώδεις, ὥσπερ ἀμπέλου. Exempla πικρῶν & δριμέων χυλῶν, id est, acuti & amari saporis, cum in arboreis frugibus saltem edulibus non haberet Theophrastus ex hortensibus petivit: οἱ δὲ δριμεῖς, inquit, οἷον ὀριγάνου, θύμβρας, καρδάμου, νάπυος: οἱ δὲ πικροὶ ὥσπερ ἀψινθίου, κενταυρίου. Hanc partem de succo hortensium Plinius

D heic prosequutus est, & ex Theophrasto ad verbum mutuatus: *sunt autem acres cunilæ, origani, nasturcii, sinapis. Amari, absinthii, centaurei.* Heic ergo cunilam numerat inter eas herbas, quæ δριμὺν habent χυλὸν cum origano, nasturcio, & sinapi; & *acres* vertit qui Theophrasto δριμεῖς. Quod autem apud eum sequitur, *acuti thymi, cunilæ*, hoc etiam ex eodem Theophrasti loco, sed in alia re quam de succo. Postquam enim succorum ex sapore differentias, quæ gustu percipiuntur, explicavit, quod in fructibus arborum aut hortensibus consideratur, transit ad ipsum arborum & hortensium humorem ex-

E ponendum, qui non gustu, vel sapore deprehenditur, sed tactu, aut visu, aut odore. Ὑγρότητα vocat hunc humorem, cujus persequitur differentias, quæ in ipsa ejus natura & consistentia spectantur, ut alium esse lacteum, alium resinosum, alium aquosum: aut quæ aliqua acrimonia, & odore censentur. Theophrasti verba: ἔχει δὲ καὶ αὐτῶν τῶν δένδρων ὑγρότης διαφορὰς εἴδη. Ἡ μὲν γὰρ ἐστὶν ὀπώδης, ὥσπερ ἡ τῆς συκῆς ἡ τῆς μήκωνος. Ἡ δὲ πιττώδης; οἷον ἐλάτης, τῆς πεύκης, τῶν κωνοφόρων. Ἄλλη δὲ ὑδαρὴς, οἷον ἀμπέλου, ἀπίου μηλέας, καὶ τῶν λαχανωδῶν δὲ, οἷον σικύου, κολοκύνθης, θριδακίνης. Αἱ δὲ ἤδη δριμύτητά τινα ἔχουσι,

F καθάπερ ἡ θύμου καὶ τῆς θύμβρας: ὥσπερ αἱ δὲ καὶ εὐωδίαν ὥσπερ αἱ τοῦ σελίνου, ἀνήθου μαράθου καὶ τῶν τοιούτων. Hæc δριμύτης, quam præferunt humores thymi & thymbræ, non ea est, quam gustus percipit, sed illa, quæ olfactu sentitur, ut & εὐωδία quæ in humore apii, anethi, fœniculi percipitur. Priore loco egit Theophrastus περὶ διαφόρων χυλῶν, & χυλοὺς γευστοὺς, id est, sapores intellexit, qui in frugibus arboreis & oleribus hortensibus gustu discernuntur. Hic de humore ipsarum herbarum & hortensium, qui ad gustum non refertur, sed sub sensum olfactus, aut tactus venit. In saporibus distinguendis dixit succos

G δριμεῖς cerni in origano, thymbra, nasturcio, & sinapi, quæ omnia gustu, ac sapore acria sunt, & acuta. At in humorum discrimine signando thymum & cunilam aliquam habere acrimoniam prodidit. Plinius hæc confudit, τὴν ὑγρότητος διαφορὰν καὶ τὴν χυλῶν. Humoris & succorum saporumque. *Sunt autem acres, cunilæ, origani, nasturcii,*

nasturt... sinapis. Amari absinthii, centaurei. Hæc apud Theophrastum περὶ γλυκέων χυλῶν dicuntur. *Aquatilis cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. Acuti thymi, cunilæ. Acuti & aromati apii, anethi, fœniculi.* Isthæc de humore, sive ὑγρότητι tradidit Theophrastus quæ non gustu intelligitur. Et quum hæc non discreverit Plinius, inepte & absurde acutum ab acri separavit, & inter acres sapores cunilam recensuit, eamdemque etiam inter acutos. Atqui utroque vocabulo τὸ δριμὺ Græcorum explicatur. Hesychius interpretatur ὀξύ. Sed τὸ ὀξὺ aliud est. *Acidum* Theophrastus ita vocat inter genera saporum, πικρὸς, αὐστηρὸς, ἁλμυρὸς, δριμὺς, ὀξύς. Perperam multis locis apud Theophrastum reddiderunt ὀξὺ acutum. Immo acidum: ut lib. VI de Caussis, cap. IV. οἷον ἁλμυρὸς ἢ ὀξύς. *Salsus & acutus.* Immo: *salsus & acidus.* Atque ita passim errant. Inde ὀξάλμη, jus ex muria & aceto; quod simul salsum & acidum. Ut fons in Sicilia, qui utroque sapore habuit aquam temperatam salso & acido. Aristoteles in Meteoris lib. II. cap. IV. Καὶ τὰ μὲν ὀξέα γίνεται καθάπερ ἐν τῇ Σικανικῇ τῆς Σικελίας. Ἐκεῖ γὰρ ὀξάλμη γίνεται ἢ χρῶνται καθάπερ ὄξει πρὸς ἔνια ἐδεσμάτων αὐτῷ. Hujusmodi aquas Latini vocarunt *salinacidas*, ut supra ostendimus. Ibidem apud Aristotelem κρήνη ὀξέος ὕδατος, *fons aquæ acidæ.* Hinc ὀξύπορα, quæ *acetaria* possumus vocare: & ὀξύβαφον acetarium vas. Theophrastus de lapatho: ἐπεὶ ἄγριον καίπερ δυσομώτερον τῆς ἡμέρου: τὸν δὲ χυλὸν ὅμως ὀξύτερον ἔχει. Male vertunt: *succo tamen acutior.* Immo: *acidior.* Succus quippe silvestris lapathi acidus. Unde & ὀξαλίδα & ὀξωίδα Græci vocant. Sed & ὀξυλάπαθον, id est, acidum lapathum, quod alii tamen ab acuto folio ita dictum produnt. Neophytus: ὀξαλὶς, τὸ ὀξυλάπαθον, αἱ ὀξωίδες. Latine *rumex.* Græcis hodie λάψιξ. Sed hæc alibi. Aliquando tamen τὸ ὀξὺ tam in saporibus quam in coloribus τὴν ἐπίτασιν significat rei utriusque. Ideo δριμὺς ὀξὺς exponitur Hesychio. Nam & τὸ δριμὺ generali etiam appellatione vehementiam cujuscunque odoris, aut saporis denotat. Omnia autem illa, quæ Theophrastus περὶ χυλῶν ἢ ὑγρότητος differentiis exequutus est, pro saporibus accepisse Plinium illud indicio est, quod subjunxit: *Salsus autem è saporibus non nascitur: aliquando extra insidit pulveris modo & circulis tantum aquæ.* Nullus in Plinio locus magis prodigialiter depravatus. Boni tamen stomachi fuere, qui hoc modo conceptum potuerunt concoquere, & exponere. Quod enim ex Democriti sententia interpretari conantur, qui singulis saporibus suas figuras adstruebant, tota via errant. Nam salso sapori non circularem ille figuram reddebat, sed angulosam: ἁλμυρὸν δὲ τὸν γωνιοειδῆ ἢ σκόλιον ἢ ἀνισοσκελῆ. Libri veteres nihil variant, nisi quod habent *aque* pro *aquæ.* Sic totum eum locum reficio egregia, sed certa conjectura: *salsus autem è saporibus non nascitur. Aliquando extra insidit pulveris modo, ut cicerculis. Atque ut intelligatur vana ceu plerumque vitæ persuasio, panax piperis saporem reddit & magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine accepto, Libanotis odorem thuris, myrra myrrhæ.* Ex Theophrasto: ὁ δὲ ἁλμυρὸς οὐκέτι. Οὐδὲν γὰρ τῶν φυομένων ἁλυκὸν, ὥστε ἢ ἐν ἑαυτῷ τοιοῦτον ἔχειν τὸν χυλόν. Ἀλλ' ἐν τοῖς περὶ τὰ ἔξω γίνεταί τις ἁλμυρὸς οἷον τοῖς ἐρεβίνθοις. Ceterum ὑγρότητα illam, hoc est, humorem arborum, herbarumque, quam Theophrastus ἀπὸ τοῦ χυλοῦ secernit, alio loco ὀπὸν vocavit, & lib. IX. cap. I. de Historia: ἡ ὑγρότης ἡ οἰκεία μὲν τῶν φυτῶν: ἣν δή καλοῦσί τινες ὀπὸν, ὀνόματι κοινῷ προσαγορεύοντες, δύναμιν ἔχει δηλονότι τὴν καθ' αὑτὴν ἑκάστη. Χυμὸς δὲ τοῖς μὲν μᾶλλον, τοῖς δ' ἧττον ἀκολουθεῖ, τοῖς δ' ὅλως οὐκ ἂν δόξειεν: οὕτως ἀσθενὴς ἢ ὑδαρής τις ἐστί. Hoc igitur etiam differunt ὀπὸς & χυλὸς, quod ὀπὸς plerumque absque sapore sit, χυλὸς semper sit saporatus. Τῶν χυλῶν alii sunt ἐδώδιμοι, alii ἄβρωτοι, alii φαρμακώδεις, alii θανάσιμοι. Nullus vero est quin aliquo sapore imbutus sit. Sic succus, cui χυμὸς quicunque adest, is proprie χυλὸς dicitur. Hinc & χυλὸν pro sapore Græci ponere consuerunt. Plinius porro ὀπὸν, sive ὑγρότητα arborum herbarumque vocat *humorem* lib. XVI. cap. XXXVIII. *Humor & cortici arborum est, qui sanguis earum intelligitur, non idem omnibus. Ficis lactens. Huic ad caseos figurandos coaguli vis: cerasis commosus, ulmis salivosus, lentus è pingui malis, vitibus ac pyris aquosus.* Ita hic locus

A constituendus. Adhuc tamen ibi hæret mendum, quod omnes libri retinent: *Huic ad caseos figurandos coaguli vis.* Non figurat caseos coagulum, sed cogit: forma autem est, è qua figuram accipiunt. Corrigendum igitur: *Huic ad caseos figendos coaguli vis.* Caseus figi dicitur, cum cogitur, πήγνυσθαι. Humorem illum pro sanguine arboribus esse ait Plinius. *Sanguinem* plane vocavit Manilius:

Et viridis nemori sanguis decedit & herbis.

Ad quem locum notat Scaliger Græcis poetis id proprie appellari εἴαρ. Frustra est. Ἔαρ Cypriorum dialecto sanguinem significat. Hesychius: ἔαρ, αἷμα Κύπριοι.
B Hinc poëtæ, quibus γλωσσήματα cordi, oleum vocarunt ἔαρ ἐλαίης, id est, sanguinem olivæ. Ut Nicander:

---- ἢ ὀρχάδος εἴαρ ἐλαίης.

Et Callimachus:

Πολλάκι δ' ἐκ λύχνου πῖον ἔλειξεν ἔαρ.

Latini quoque poëtæ *sanguinem olivæ* appellarunt succum pinguem, hoc est, oleum quod ex olivis exprimitur. Nemesianus:

Nam dum Pallas amat turgentes sanguine baccas.

Eodem modo & *sanguinem uvæ* αἷμα τῆς σταφυλῆς vinum dixerunt: æque & in moris succum sanguineum. Hic
C est succus, quem Græci χυλὸν vocant, qui longe alius est ab arborum humore, qui vocatur ὀπός. Plinius tamen *succum* etiam appellat illum arborum ὀπόν. Et illi capiti titulum fecit, *de succis arborum.* Et eodem capite ὀπὸν, qui elicitur ex sycomoro arbore corticis fractione, *succum* nominavit his verbis, quæ sic legenda sunt: *pro cute cortex. Mirum, is in moro succum quærentibus medicis, vere hora diei secunda lapide incursus manat, altius fractus siccus videtur.* Hæc loquutio Plinio familiaris. Mirum, inquit, is cortex in moro lapide incursus manat. Libri omnes habent, *mirum his.* Incursum hunc corticem lapide dicit, qui in summa superficie lapide læ-
D sus est, levi tantum incursu. Dioscorides de sycomoro hoc tradit, non de moro. Auctor, unde Plinius id accepit, arbores Ægypti peculiares tractabat, in quibus & de moro hæc prodidit, de moro scilicet Ægyptia, quæ est sycomorus. *Vere* reposuimus ex libris. Corrigendus & Dioscorides: ὀπίζεται δὲ τὸ δένδρον πρὶν καρποφορεῖν ἐν ἔαρι. Pessime editur, πρὶν καρποφορεῖν νεαρόν. Dicit vere lacrimam ex sycomoro extrahendam priusquam fructum edat. Consumpto quippe in fructum humore, æstate nullus inde posset exsculpi succus. Prisci Latini *sapam* vocarunt arborum humorem,
E qui vere & autumno abundat. *Sevam* hodie dicimus. Id nomen ex Græco ὀπὸς, addito pro digamma sigmate, ut in aliis sexcentis, ὀπὸς sapa: ut εἰ *si.* Sed & O mutatur in A: ut παροψὶς, *parapsis*: σοφὸς, *sapus.* Sed & *sapor* ex eodem fonte. *Sapa*, & *sapor*: ut *lympha* & *lymphor.* Nam & Lucilius *lymphorem* dixit pro lympha. Posset etiam dici *sapor* ex ὀπὸρ factum. Sane *sapor*, hoc est, ἡ γεῦσις ex succo & humore. Ex eo etiam *saporem* pro succo posuerunt. Tibullus:

---- *tecumque feras quicunque sapores*
Quicunque & cantus corpora fessa levant.

F Ovidius *succum* pro eodem dixit:

Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

Plinius *saporem* vocat, qui è nigro papavere succus incisione manat. Lib. XX. cap. XVIII. *è nigro papavere sapor gignitur scapo inciso, ut Diagoras suadet.* Ita scripsisse Plinium patet ex indice, in quo ita legunt veteres libri: *papavere nigro* VIII: *de sapore de opio* I. Improprie tamen loquutus est. Nam sapor χυλός est, qui expressione colligitur, non incisione manat, quem Græci ὀπὸν dicunt. Etsi autem, ut docui, sapor ex ὀπὸς deductus sit, usus tamen hæc discrevit. A *sapa*, quod est ὀπὸς, verbum *sapio*, cum ad gustum refertur. Glossæ: *Sapio*, χυμίζω. Verbum huic aliud
G ὁμώνυμον, *sapio* τὸ φρονῶ, quod aliam habet originem. Nam à σοφὸς Latinum *sapus.* Unde *nesapus*, ἄφρων. Et verbum *sapio*, φρονῶ. Ab illo *insipidus*, ὁ ἄχυλος. Ab hoc *insipiens*, ἄφρων. Sic multa alia vocabula in Latino ὁμώνυμα sunt, quæ tamen non sunt συνώνυμα, quia diversas habent origines. Βλάση & Æolice βλάτη plantam arboris fecit. Πλάτη plantam pedis. Πίστις & πίστις Æolicum *fidem* apud Latinos, qua creditur, peperit,

peperit. Σφὶς σφιδὸς, quæ chorda est, & φὶς φιδὸς *fidem*, quæ tenditur, formavit. *Vallus* pro vanno & pro ridica. Illud diminutivum est à vannus: ut *cinnus cillus*, *vinnus villus*. Hoc à *varus*, qua voce stipitem, aut furcam appellarunt. Paulo *vari stipites in plaustro*, inde ὑποκθελιστικὸν *vallus*. Ut *rarus rallus*, & similia. Ab illo vallo, quod venit à vannus, verbum *evallare* pro evannare, & foras ejicere. Frustra sunt grammatici, qui à vallo castrorum deducunt. Varro: *donec foras nos intus evallaverunt*. Idem est atque evannare. Unde apud Pomponium *evannetur*, foras ejiciatur, ab eo quod acus & palea evannatur foras extra aream. Festus: *evallatum, eventilatum: unde valli, quibus frumenta eventilantur*. Ita hæc legenda sunt. Atque inde verbum *evallefacere* idem quod evallare apud Varronem: *retrimenta ubi quæ exierant per posticum evallefecerunt*. Et apud Festum *vallefacti* pro vannati: *Valvoli folliculi fabæ quasi vallivoli, quia vallefacti excutiantur*, id est, evannati, vel evallati. Sic enim ibi emendandum. Sed & *vallesit* apud eumdem scribendum pro *vallescit*. Quod ipse perperam à vallo militari dictum autumat. Minus ergo mirum si & *cunilæ* unum vocabulum pluribus designandis herbis factum est, quum non ex uno fonte procedat. *Cunila* origanum ex Græco κονίλη. *Cunila*, κόνυζα. Et *Cunila* ἡ θύμβρα. Quod nunc est explicandum. Plinio, ut dixi, nomen est generis pro omni thymbra. Columellæ certa species est thymbræ. Idque verius. Ea est, quam κεφαλωτὴν θύμβραν Græci vocant. Sammonicus:

Et thymbræ species quam commemorant cephaloten.

Plinius *cunilam capitatam* appellat, quia, ut dixi, *cunilam* pro generis nomine usurpat lib. XXXII. cap. X de percis: *efficacius si cineri earum misceatur & cunila capitata, oleoque subigantur*. Atqui ea thymbra est, quæ cunilæ nomen ex re sibi veluti proprium apud Latinos vindicavit. *Cunela*, vel *conela* in melioribus libris scribitur, à cono scilicet ita appellata, quod ejus capitula conis, vel strobilis similia sint, in acumen pariter desinentia ac turbinata, & ex multis veluti squamis compacta. Hinc Nicander στρομβεῖα vocat capitella hujus thymbræ in Theriacis:

Σὺν ἢ ὄνε πετάλειον ὀρίγανον, ἄνα τε θύμβρης
Στρομβεῖα ψώχοιο.

Στρόμβος autem idem quod κῶνος, vel στρόβιλος. Hesychius: κῶνοι, οἱ θύρσοι ἢ οἱ στρόβιλοι, ἢ οἱ στρόμβοι. Nicander στρόμβες etiam posuit pro nucibus pineis, qui & κῶνοι proprie:

---- ἐδ᾽ ὅσα πεύκης
Ἀχροτέραι στρόμβοισιν ὑπεθρέψαντο ναπαίαις.

Ad quem locum scholiastes exponit στρόμβον, τὸν κωνοειδῆ καρπὸν τῆς πεύκης. Puerorum quoque *turbo* vel *turben* Græcis στρόμβος & κῶνα. Recentioribus στρόμπα. Scholiastes Pindari: ἡ κωνῶς στρόμβα, ἥ τις καὶ βέμβιξ λέγεται ἢ στρόμβος. Scholiastes Aristophanis: βέμβιξ ξύλινος στρόμβος, παίγνιον παίδων, ἐργαλεῖον ξύλινον, ὃ μάστιγι στρέφουσιν οἱ παῖδες. Hesychius: βέμβικος δίκην, στρόμβε τρόπον. Et sane ex illo στρόμβος factus Romanorum *turbo*. Nam τρόμβος dicebant Aeoles. Ut τρύχνον pro στρύχνον, & similia. Hinc *turbo*. Ut *turtur* ex τρυγός. Aliud est trochus, de quo nos alibi. Dicebatur & κῶνα. Idem Hesychius: κῶνα, βέμβιξ. Quum igitur στρομβεῖα θύμβρης capita thymbræ appellavit Nicander, idem est ac si κωνεία vocasset. Inde *conela* hoc genus capitatæ thymbræ. Dixerunt & *coniculam*, quod conicam haberent figuram. Multis certe locis apud Plinium in antiquissimis codicibus *cunicula* pro hac cunila scribitur, quæ est thymbra. In optimo Thuanæo plane ita scriptum reperi lib. XIX. cap. VII: *thymbram vero, quæ sit cunicula*. Alibi vero *coniculam* iidem libri nominant quæ est conyza. Sed Plinius hæc vocabula nescit distinguere, & alterum pro altero invicem usurpat. Conela est thymbra capitata coni instar, à cono: ἡ κωνηλή. Nam κωνηλὸς idem quod κωνικὸς, vel κωνοειδής. Vel *conula* quasi parva cona, & inde *conila*, & *cunila*. Sane & polium *conulam* Latini appellarunt à conico capitello. Apuleius: *Græcis quidem polion, Latinis conula*. Dioscorides de polio: ἔχον κεφάλιον ἐπ᾽ ἄκρε, κορυμβοειδὲς, μικρὸν ὡς πόλιον τρίχα. Thymbra quoque *conila*. Eadem &

A cunicula, vel conicula, à conico capitello. Eam thymbram, quam pro legitima habet Clusius, natam sibi asserit è semine, ab insula Creta misso: Cretenses autem eam thymbram etiamnum hodie θρύμβι & θρύβι vocare. Thymbræ Creticæ mentio apud Marcellum Empiricum, vel quasi optimæ, vel ut specie differentis. Quod autem annotat θρύμβι etiam Cretensibus hodie dici, sciendum est Græcos hodiernos non tantum thymbram hoc nomine significare, sed etiam thymum. Glossæ Iatricæ: θύμος ὁ θρύμβος. Hierophilus Philosophus inter condimenta enumerat, ζίγγιβερ, κάρδαμον σίνηπι ἢ τελωτὸν ὀρίγανον, ἡδύοσμον, θρύμβην, ἢ χαμοδάφνια.

B Ubi θρύμβη non est thymbra, sed thymum, quod in condimentario genere apud lautiores culinas veterum Græcorum habuit locum. Alexis Comicus in recensione condimentorum:

Ὀρίγανον, γήτειον, ἄνισον, θύμον, σφακόν.

Et apud Eubulum:

Καὶ σίλφιον θυμόν τε τῶν ὑμηττίων.

Dioscorides de thymo: εὔχρηστον δ᾽ καὶ πρὸς τὴν ἐν ὑγείᾳ χρῆσιν ἀντὶ ἀρτύματος. Ergo thymo ceu condimento tantum utebantur. Thymbram vero non ad condimenta, sed ad cibos usurparunt, & præcipue rustici, & magis sativam quam agrestem. Dioscorides de

C thymbra: εὐχρηστοτέρα δ᾽ πρὸς βρῶσιν διὰ τὸ μὴ ἐπιτετάσθαι τὴν δριμύτητα. Aliud est sumi aliquid πρὸς βρῶσιν, aliud πρὸς ἄρτυμα. Hinc Attici populares suos rusticos θυμβροφάγες & θυμβρεπιδείπνες joco vocabant. Aristophanes in Nubibus:

Καὶ φειδωλὲ ἢ τρυσιβίε γαςρὸς ἢ θυμβρεπιδείπνε.

Ubi scholiastes θύμβραν εἶδος λαχάνε esse notat, ἀφ᾽ ὃ δῆλον, ὅτι λάχανα μόνον ἤσθιον εὐτελῆ. Olera, sive λάχανα sunt quæ eduntur. Idem scholiastes in Acharnensibus θυμβροφάγον interpretatur ἀγροικικὸν, & θύμβρον esse docet θύμῳ ὅμοιον. Hesychius: θυμβροφάγος ἀντὶ ξ δριμυφάγος: Ἡ γὸ θύμβρα δριμὺ ἐςὶ βρῶμα. Pau-

D periores itaque & rustici in Attico solo inter alia olera thymbra etiam victitabant. Non ab alia re thymbram, vel thymbræ speciem Latini rustici vocaverunt *satureiam*, quod ea saturarentur. Nam *satureius* à saturo, qui saturat: ut *impeteius* ab impeto, qui impetit. Hæc erat sativa. Columella:

Et satureia thymi referens, thymbræque saporem.

Thymum in condimentario tantum genere, quo & sales condiebant. Unde & θυμίτῃ ἅλες Aristophani. Idem tamen in Pluto Comœdia inter tenues victus & agrestes cuppedias thymum commemorat. Quo loco tamen vetus interpres θύμες non de condimentaria her-

E ba accipit, sed bulbos & cepas agrestes exponit. Ἤσθιον θύμες, ὓς οἱ κοινοὶ βολβὲς ἢ ἀγριοκρόμμυα φασίν. Quod profecto mirandum. Nec minus in Hesychio, qui θύμον σκόροδον interpretatur: θύμον τὸ σκόροδον. Locus quoque Aristophanis videtur accipi debere de stirpe ejusmodi cujus radices edules sint:

Δεῦρ᾽ ἦλθομεν πολλῶν θύμων ῥίζας διεκπερῶντες.

At thymi radix lignea, & ad esum inepta. Præterea auctor Auctuarii ad Dioscoridem scribit arum etiam appellatum θύμον. Arum, ut notum est, in genere bulbaceo. Ἄρον, οἱ δ᾽ θύμον, οἱ δ᾽ κολοκάσιον. Glos-

F sæ Iatricæ hujusmodi colocasium σκιλλοκρόμμυον exponunt. An igitur cepas & alia ita vocarunt ab animosa acrimonia? θύμον tamen illud prima brevi apud Aristophanem, quæ longa est in voce θυμός. Hæc viderint alii. Hoc certe constat, θύμον etiam significasse allium vel cæpe. Veteres gallis gallinaceis pugnaturis animos faciebant ab esu allii. Unde ἐσκοροδισμένος pro forti & animoso, ὅτι παροξύνονται οἱ ἀλέκτορες πρὸς τὰς μάχας, ὅταν ἐμφάγωσι τῶν σκορόδων. Eos vocabant σκορδάλες. Inde Latinum *scordalus* pro audaci. Petronius: *reddita scordalo vice*. Glossæ veterum: *Scordalus ferox*. Quæ vox hactenus non fuit intellecta. Ea etiam utitur Seneca. Ut ad thymum redeamus, eum hodie omnis Græcia θρύμβον

G appellat. Neophytus: θύμος, οἱ δ᾽ θρύμβος ἄγριος. Vocant & θρύμβιον & θρύμβιν. Quod non est confundendum cum thymbra. Vetus glossarii auctor: *Cunelium*, θύμβρος, εἶδος βοτάνης. In linea quæ præcedit *cunelam* exposuerat θύμβραν. Ergo θύμβρος, vel θρύμβος pro thymo, non pro thymbra. Sic σκόλυμβρον hæc eadem recens Græcia dixit, qui veteri σκόλυμος.

Glossæ Nicandricæ, Σκόλυμος, ὁ σκόλυμβρος. Cretes hodieque genus cardui, cujus radix & folia edulia sunt priusquam caulescat, *ascolimbron* vocant teste Bellonio lib. I. cap. xvii. Sed ascolymbros ille non potest alius esse præter veterum scolymum. Quod hic non vidit. Dioscorides de scolymo: ἡ δὲ ῥίζα ἀρτιφυὴς οὖσα λαχανεύεται ἑφθὴ ὥσπερ ἀσπάραγος. Ita igitur θύμος, θύμβρος, & θρύμβος, ut σκόλυμος, σκόλυμβρος. Recentioris Græciæ herbarii duo genera θρύμβου constituunt, sativum & agreste. Sativum volunt esse priscorum θύμβραν, agreste vero θύμον. Neophytus: θύμον, ὁ ἄγριος θρύμβος, θύμβρα ὁ ἥμερος. His paria & apud alios reperi. Apud Myrepsum tamen θύμου & θρύμβου sæpe fit junctim mentio, id est, thymi & thymbræ. Dioscorides duas tantum thymbræ species facit, σπαρτὴν & ἀγρίαν. Capitatæ non meminit, quæ proprie meruit nomen *conelæ*, vel *conicula* apud Latinos. Et sane thymbra nulla alia capitata fuit præter thymum Græcum, quod Latini *thymbræ capitatæ* nomine appellarunt, ut distinguerent à thymo sibi noto, quod non erat capitatum, ut infra dicam. Thymbram Dioscorides στάχυν habere dicit ἄνθους μεστόν. Hæc erit spicata thymbra, diversa utique à capitata, quæ κεφαλωτὴ Sammonico, & eadem cum thymo Attico. Dioscoridi describitur cum capitulis in summo extantibus: ἔχων ἐπ' ἄκρου κεφάλια προσπεφυκότα. Hoc nomine multum distat thymum à thymbra vulgari, quod hæc spicam habeat, illud capitula in summitate. Græci idcirco κεφαλωτὸν θύμον appellarunt. Auctuarium Dioscoridis: οἱ δὲ λευκὸς θύμος, οἱ δὲ κεφαλωτὸς, οἱ δὲ θύρσιον. Neophytus addit vulgariter à Græcis tum temporis appellari ματζουκόθυμον. Verba hujus hæc sunt: θύμος οἱ δὲ θρύμβος ἄγριος, οἱ δὲ θύμων, οἱ δὲ θύμος λευκὸς, οἱ δὲ κεφαλωτὸς, κοινῶς ματζουκόθρυμβος. Idem de epithymo: ἔοικε θύμῳ, ὃν καὶ ματζουκόθυμον οἱ πολλοὶ καλοῦσι, πλὴν μακροτέρους τοὺς κορύμβους ἔχει. Ita vocarunt thymum capitatum, quod caput instar massucæ haberet. Græciæ vulgus ματζούκην & ματζούκιον tum vocabat, hodieque vocat clavam, sive baculum in summo capitatum. *Massucam* quoque vulgo dicimus. Hoc genus thymi θύρσιον etiam dicit appellatum, ab eadem utique causa. Nam & Hesychius θύρσους κώνους exponit: κῶνοι, θύρσοι. Et κωνοφόροι in sacris Bacchi iidem qui θυρσοφόροι. Et Plinius papyrum, qui in summo comam habet, fastigatum thyrsi modo cacumen includere dixit. Strabo papyrum χαίτην ἐπ' ἄκρου habere tradit. Dioscorides de alismate: καυλὸς θυρσοειδὴς ἔχων κεφάλια. Idem & θυρσοειδῆ κεφαλὴν tribuit acantho, caput thyrsi. In antiquis monumentis visuntur globi thyrsis impositi in summo. Ceterum κορύμβων θύμου sæpe mentio occurrit apud Myrepsum. Quod autem genus quoddam thymi κεφαλωτὸν & ματζουκόθρυμβον appellavit tam vetus quam recens Græcia, argumentum est aliam præterea notam ipsis fuisse thymi speciem, quæ non esset capitata. Ad illud Dioscoridis caput de thymo notarunt Græci, thymum capitatum ibi intelligendum esse. Quod sane verum est. Nullum quippe ibi describit aliud thymum præter capitatum, cui & flores purpureos tribuit. At Græci addunt, λευκὸν θύμον vocari etiam capitatum illum. Sane Theophrastus thymum in duo genera distinguit, εἰς λευκὸν καὶ μέλαν, candidum & nigricans. Μέλαν θύμον ita accipiendum, ut μέλαν ἴον, μέλας ὑάκινθος, quæ florem habent purpureum, sed nigricantem. Utrumque genus thymi capitatum, & qui flore candido est, & qui nigricante purpureo. Plinius lib. XXI. cap. XXI de thymo: *duo autem sunt genera ejus, candidum radice lignosa in collibus nascens, quod & præfertur: alterum nigrius, florisque nigri.* Perperam hæc ille, nisi *nigrum thymum* eodem sensu dixerit, ut dicuntur violæ nigræ, & vaccinia nigra à colore floris ex purpura nigricantis. Sic μέλαν κρίνον purpureum lilium de hyacintho. Vetus Lexicon: ὑάκινθοι τὰ κρίνα τὰ μέλανα. Quod de hyacintho fabulari, qui est gladiolus, ut supra docuimus, accipiendum. Thymum nigrum Græciæ non differt specie à candido. Nec nigrum dictum est nisi à floris colore. Utrumque autem capitatum. Dioscorides purpureum tantum recensuit. Auctor Auctuarii eadem de candido tradit. Idem Dioscorides scribit de stœchade, eam habere κόμην ὁμοίαν θύμῳ. Atqui stœchas capitata est, non spicata. Tale utique & thymum Dioscoridis. De thymbra vero dicit: φέρουσα στάχυν ἄνθους μεστόν. Neophytus de cestro, sive vettonica: παράμακρον δὲ τὸν καυλὸν, ἐν ᾧ ἐστὶ τὸ σπέρμα σταχυώμενον, ὡς θρύμβη, *caulem prælongum in quo semen spicatum, ut in thymbra.* Aliud est κεφάλιον, vel κόρυμβος, aliud στάχυς. Nullam ergo thymbram novit Dioscorides præter spicatam, nullum thymum præter capitatum. Profecto Græcum thymum, ut testantur qui Græciam perlustrarunt patrum nostrorum ætate, ubique tale nascitur, capitulis in extremo cauliculo turbinatis & acuminatis, flore alibi candido, alibi purpureo, aut cæruleo: est ubi etiam ex candido ac purpura temperato. Hoc thymum Atticum Theophrasti, quod ille negat nasci posse aut durare nisi in afflatu maris. Ideo in Arcadia non provenire. Οὐ γάρ φασι δύνασθαι φύεσθαι καὶ λαμβάνειν, ὅπου μὴ ἀναπνοὴ διικνεῖται ἡ ἀπὸ θαλάσσης: διὸ οὐδὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ γίνεται. Θύμβρα δὲ καὶ ὀρίγανον, καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ καὶ πανταχοῦ. Ita legendus atque interpungendus hic locus, cujus ex vulgari distinctione ille oritur sensus: thymbram & origanum ea de causa in Arcadia nasci non posse, quod thymum ibi non queat durare, quo maris afflatus non perveniat. Quod est ridiculum & falsum. Cum ubique locorum, inquit Philosophus, plurima thymbra & origanum nascatur, thymum in aliis locis crescere non sustinet, quæ longius absint à mari, quam quo afflatus ejus pervadere queat. Plinius ita cepit Theophrasti mentem, ut mirer id non vidisse ejus interpretes. Sed Theophrasti eam sententiam idem eludit de thymo Attico non alibi quam in maritimis nascente, & falsam revincit eo argumento, quod lapidei campi in Narbonensi provincia thymo referti sint. Verba ejus heic subjiciam, ut ea debere legi censeo, ex lib. XXI. cap. X. *Mellis Attici summa laus in toto orbe existimatur. Ergo translatum est ex Attica thymum, & vixit flore, ut docemur, satum. Sed alia ratio naturæ obsistit, non durante Attico thymo nisi in afflatu maris. Erat quidem hæc opinio antiqua in omni thymo, ideoque non nasci in Arcadia. Tunc oleam non putarunt gigni, nisi intra trecenta stadia à mari. Thymo quidem nunc etiam lapideos campos in provincia Narbonensi refertos scimus, hoc pæne solo reditu, è longinquis regionibus pecudum milibus convenientibus, ut thymo vescantur.* Falsum, quod heic asserit Plinius, hanc fuisse antiquam opinionem de omni thymo, non vivere nisi in afflatu maris. De Attico thymo & Græco hoc tantum prodidit Theophrastus, quod capitatum esse constat. At thymum illud, quo referti sunt campi Narbonensis provinciæ, aliud à Græco & capitato. In nostra Gallia passim conspicitur, sponte nascens, & in hortis sativum. Quod thymum appellamus & thymbræ simile est. Eodem nomine & Græci videntur hoc etiam novisse qui genus alterum κεφαλωτὸν ea re cognominarunt, ut ab isto discerneretur quod non est capitatum. Nicander quoque de hoc thymo accipiendus in his verbis:

Ἠὲ νέον βρυόεντα θύμου στάχυν.

Hæc non conveniunt thymo capitato, sed spicato, quod & simile est thymbræ, quæ στάχυν habet. Idem tamen ἀνὰ θύμβρης στρομβεῖα alibi vocat, capitella thymbræ, & intelligit thymum capitatum, quam θύμβρην appellat. Ubi probarem magis θύμβρης legi. Ita enim & θύμον vocarunt vetustissimi Græci. Hinc recentiores θρύμβον pro thymo transpositis literis dixerunt. Idem θύμβρην vulgarem ita describit in Theriacis, & serpyllo similem facit:

---- ἐν δέ τε θύμβρης
Δρεψάμενος βλαστὸν χαμηλύνα δρος, ἥ τε καθ' ὕλην
Οἵας δ' ἑρπύλλοιο περὶ ῥάδικας ἀέξει.

Ita legendus postremus versus. Hæc thymbra, quæ similes serpyllo ramos in silva gignit, diversa est ab illa, cujus στρομβεῖα sumenda esse paulo post monet, id est, conica capitella. Vulgaris igitur illa thymbra, thymo vulgari ac minime capitato similis. Nam thymum istud passivum, serpyllo agresti perquam simile est, ramis & radice. Latinos vero *thymbræ capitatæ* nomine thymum ipsum capitatum & Græcum intellexisse

intellexiſſe conſtat: Hæc eſt thymbra, quam *conelam* appellarunt, id eſt, κωνήλην, vel *coniculam* à conica capitulorum effigie. Hæc indubitata ſunt. Dioſcorides nullam thymbram agnoſcit capitatam, ſed ἀγρίαν tantum & σπαρτὴν. Sativa vero *ſatureia* Latinis dicta. Cunilam noſtratem, id eſt, Romanam eam vocat Columella. Et nomine *cunilæ* abutitur, quod ſolum debetur thymbræ capitatæ, ſive thymo Græco. Satureia quippe capitata non eſt, ſed eſt ſativa thymbra, agreſti ſimilis, quæ στάχυν fert, ut & thymum vulgare. Hoc vulgare thymum ſolum hoc nomine videtur fuiſſe notum Romanis. Hinc Plinio campi Narbonenſis provinciæ thymo referti. Alterum autem thymum, hoc eſt, Græcum & capitatum, ſub appellatione thymbræ capitatæ cognoverunt. Hoc genus univerſæ Galliæ ignotum eſt. In Hiſpaniæ tantum maritimis naſci memorant, nec in mediterraneis conſpici. Quo confirmatur opinio Theophraſti de thymo Attico, quod negat naſci niſi in afflatu maris. Nec mirum porro propter ſimilitudinem & cognationem harum inter ſe herbarum, indiſcretim hæc nomina uſurpaſſe Romanos, & conilam vel thymbram capitatam nominaſſe Græcorum θύμον κεφαλωτόν. Gloſſæ: *cunelium*, θύμβρον, εἶδος βοτάνης. Thymum intelligit quem veteres Græci θύμβρον appellarunt, recentiores θρύμβον. Dioſcorides, quum θύμον deſcribit, Græcum & capitatum tantum proponit. Idem tamen vulgaris thymi etiam meminit, ubi de epithymo agit, his verbis: ἐπίθυμον, θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος. Nulla eſt θύμβρα Dioſcoridi præter eam, quæ fert ſpicam. Ergo thymum, quod ſimile eſt thymbræ, ſpicatum, non capitatum intelligi debet. Quidquid contra ſentiant omnes medici, herbarii critici, certum omnino eſt Dioſcoridem eo loco epithymum non pro illo adſcitivo, vel inſerticio epithymo, quo thymum involvitur, ſed pro flore thymi vulgaris accepiſſe, quod thymbra figura imitatur. Nec enim aliter hæc poſſis, quidquid feceris, interpretari, ἐπίθυμον, θύμου ἐστὶν ἄνθος: *epithymum flos eſt thymi.* Illud enim epithymum, quod circumvolvitur thymo, non poteſt dici flos thymi. Thymum autem iſtud, quod heîc σκληρότερον & ἐοικὸς θύμβρᾳ eſſe dicit Dioſcorides, omnino diverſum eſt ab eo thymo, quod libro tertio recenſuit, cui & κεφάλια attribuit. Quod eſt θύμον κεφαλωτόν. Id etiam Plinius indicat, ubi juxta hanc Dioſcoridis opinionem epithymum florem eſſe è thymo aſſerit, ſed illo, quod ſatureiæ, id eſt, thymbræ ſimile eſt. Lib. XXVI. cap. VIII. *Item epithymum, qui eſt flos è thymo, ſatureiæ ſimili. Differentia quod hic herbaceus eſt, alterius thymi albus.* Hæc plane Dioſcoridis ſententia, epithymum eſſe florem alterius thymi, quod ſatureiæ eſt ſimile. Addit Plinius vel ex ſe, vel ex alio auctore, hanc eſſe differentiam inter utriuſque thymi florem, quod thymum ſatureiæ ſimile florem habet herbaceum, alterum vero thymum flore eſt albo. Sed omnino apud Plinium legendum: *differentia quod hic helvaceus eſt, alterius thymi albus.* Nihil certius. Dicit thymum illud, cui tribuitur epithymum, florem helvaceum habere, id eſt, ex purpureo albicantem. Hic enim *helvaceus* color Latinis, qui inter rufum & album. Flos thymi vulgaris hunc colorem præfert, aut enim purpureus eſt, aut ex purpura albicat. *Herbaceus* ibi non poteſt locum habere. Tradit quidem Dioſcorides ſpicam thymbræ, ſive ſatureiæ eſſe ἔγχλωρον. Sed heîc de flore loquitur, non de ipſa ſpica thymi. Flos autem viridis non eſt, ſed aut purpureus, aut albicans ex rufo. Cephaloti vero thymi, vel Attici flos albus, vel purpureus. Theophraſto λευκὸν καὶ μέλαν. Ex his conſtat hanc fuiſſe quorumdam opinionem, & inter illos Dioſcoridis epithymum florem eſſe alterius thymi, hoc eſt, vulgaris, ſatureiæ ſimilis. Quum dicit Dioſcorides thymum illud θύμβρᾳ ἐοικός, non de thymbra capitata id capiendum, ut vult Scaliger, ſed de vulgari, quæ στάχυν habet. Nec prohibet quod ſequitur apud eumdem: ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ κοῦφα, στελέχους ἔχοντα ὡς τεῖχας. Capitula illa thymi durioris, & ſatureiæ ſimilis, non ſunt capitulis illis ſimilia, quæ in ſummo capitati thymi exiſtunt, ſed qualia in thymbra apparent, ſummos ejus ramos ambientia quibus diſtincta eſt ejus ſpica, inter quæ floſculi purpuraſcentes calyculis emergunt, è quorum medio prodeunt fila candicantia veluti mucrones quidam, vel capilli, in ſummo apice fuſci coloris. Ita thymbram ſuam Cretenſem deſcribit Cluſius, quæ poteſt eadem eſſe cum thymo vulgari, cui ſimilis habetur. Nam Cretes, ut dixi, & alii Græci vulgo θρύμβην vocant, non thymbram, ſed thymum. Ex his patet, non ſollicitandam in Dioſcoride veterem lectionem: στελέχους ἔχοντα ὡς τεῖχας. Nam ita planè legitur in antiquiſſimo codice, niſi quod στελέχους habet. Intelligit plane fila, vel mucrones, capillosque, qui exeunt è medio floſculorum thymi vulgaris ac durioris. Peſſima vero Scaligeri emendatio ὡς στοιχάς. Nec enim hoc thymum capitula habet ad inſtar ſtœchadis in ſummo cacumine extantia, ſed his tota ſpica per intervalla diſtinguitur, in orbem eam cingentibus. Apud Neophytum ſcribitur: ἔχον κεφάλια πορφυρᾶ λεπτὰ κοῦφα, ὡς τείχας πορφυρᾶς. Et ſanè purpurei ſunt flores thymi hujus vulgaris. Magnam iſtius thymi copiam, cujus flos ἐπίθυμον dicebatur, in Pamphylia & Cappadocia plurimum naſci tradit idem Dioſcorides. Sed tamen illum falſum conſtat. Sanè confudit genuina capitula thymi durioris cum capitulis epithymi, quod illi generi thymi innaſcitur, & implicatur. Cuſcutæ ea ſpecies multis veluti filis rubris in glomerem compacta ad inſtar pileoli, quæ ſeſe thymo involvit ſed iſti, quod diximus, vulgari. Neophytus utramque opinionem miſcuit, Dioſcoridis qui pro flore thymi durioris epithymum accipit, & eorum qui epithymum involucrum eſſe hujus generis thymi ſcripſerunt. Ejus verba hæc ſunt. Ἐπίθυμον, οἱ δὲ Κέδης, Ῥωμαῖοι ἰνβολουκροῦμ, ἔοικε θύμῳ, ὃν καὶ ματζουκόθρυμβον, οἱ πολλοὶ καλοῦσι, πλὴν μικροτέρους τοὺς κορύμβους ἔχει. Hæc eſt recentiorum opinio de epithymo, immo etiam vetuſtiorum, quę vera eſt. Epithymum invenitur in thymo vulgari, ſive ſpicato, & ſimile eſt capitulo, vel corymbo thymi capitati, ſed eſt brevius. *Involucrum* Latini vocabant, quod ſeſe thymo involveret. Pallioli formam ei tribuit Plinius, ubi alteram de epithymo ſententiam explicat: *Quidam aliter epithymum tradunt ſine radice naſci, tenue, ſimilitudine pallioli, rubens.* Ita diſtinguendum ac legendum. Fruſtra ſunt, qui quaſi ex veteribus libris proferunt: *ſimilitudine pili.* Quidam habent *paliuri*. Sed in melioribus *pallioli*. Heîc *palliolum* non communi ſignificatione ſumitur à Plinio pro parvo pallio, ſed eſt pileolus. Ut apud Ovidium:

Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.

Quod pluribus alibi aſſeruimus. Hinc *palliolati* & *focalati* apud Senecam ægrotantes, qui palliolo, id eſt, pileo caput tectum habent, & focale circa fauces. Profecto epithymum parvi inſtar glomeris habet, vel pileoli, quali tegere caput ſolebant in valetudine Romani, quod ad modulum capitis factum erat, caputque undique premebat. Ideo κόρυμβον vocat Neophytus, qui poſt illa verba ſtatim è Dioſcoride iſta ſubjicit: ἄνθος ἐστὶ θύμου σκληροῦ καὶ θύμβρᾳ ἐοικός: ἔχει δὲ κεφάλια λεπτά. Quæ opinio eſt Dioſcoridis multum ab illa, quam priore loco expoſuit, diſtans. Plinius priore ſententia expoſita, quæ tradit epithymum eſſe florem è thymo ſatureiæ ſimili, protinus ſubjungit: *quidam hippopheon vocant.* Hoc prorſus pertinet ad epithymum thymi involucrum. In indice libri primi ſcriptum eſt: *Epithymum, ſive hippotheos* VIII. Scribendum: *hippopheos.* Non ſolum ſuper thymum & thymbram, ſed etiam ſuper ſtœben naſcitur, & creſcit hoc genus involucri, vel involuli, ut diſertè teſtatur Aëtius lib. III. Στοιβὴ autem ſpinæ genus, qui etiam φεὼς appellatur, ut ſupra multis probavimus, ubi docuimus errare eos, qui non diſtinguerent inter φλεών & φεών. Pheos ſpina eſt, quæ στοιβὴ etiam vocabatur, ut conſtat ex Theophraſto & Plinio aliquot locis, quæ nos emendavimus. Græcorum vulgus hodie στιβίδα vocitant hanc ſpinam, hoc eſt, στοιβίδα ex Græco antiquo στοιβίς. Nam & στοιβὴ, & στοιβίον, & στοιβὶς olim nominabatur Græcis. Neophytus: στοιβὴ, οἱ δὲ στοιβίον, οἱ δὲ στοιβίδα, οἱ δὲ συβάδιον, Ῥωμαῖοι σίπαν γνάελμον. *Pimpinellam ſpinoſam* quidam hodie nomen illi faciunt. Folia ei carnoſa eſſe tradunt, & in uno pediculo plura utrimque diſpoſita. Theophraſtus στοιβὴν inter σαρκόφυλλα recenſet.

recenset. His foliis fortasse Græci veteres usi pro stipa, quam vasis fictilibus componendis interjiciebant, & inde illi nomen στοιβή. Nisi forte illa στοιβή, quæ vasis fictilibus interjiciebatur, ex phleo palustri herba sumeretur, ut supra tetigimus. Certe ex phleo texta fieri, quæ fictilibus oleariis circumponebantur, tradit Galenus in Lexico Hippocratis: φλεώς, φλοιώδες τι ἐςὶ τοῦτο ᾗ παπυρώδες φυτὸν, ὅπερ ᾗ πλεκόμενον περιτίθεται τοῖς ἐλαιηροῖς κεραμίοις. Hinc exponendus locus Hippocratis de natura muliebri: ἀπ' ἀμφορέως ἐλαιηρ͂ τὸ περίθεμα τὴν στοιβὴν ὑποκαίων. Eam stœben, sive stipam succendendam esse ait, quæ amphoris oleariis circumponitur. Legendum autem περίθεμα, non ἐπίθεμα. Hæc στοιβή ex phleo, non ex spina stœbe. Et *stipam* ibi significat ea vox, non *stœben*, quæ spinæ est species. Inepte eo loco vertunt: *Super oleariæ amphoræ operculo stœben succendito.* Et male corrigunt: ἐπ' ἐλαιηρ͂ ἀμφορέως. Sic alia ratione φλεὼς dicta στοιβή, quæ planta est palustris, & φεὼς spina fullonia quæ & ipsa στοιβή cognominata est. Gnaphalium quoque στοιβή vocata. Vetus Lexicon: γναφάλιον στοιβή. Quod ejus folia tomentis servirent inculcandis. Eumdem usum præbuerunt & phlei papyri paniculæ. Etiam folia phei spinæ, quod carnosa esset, & pinguia ad eamdem rem videntur usurpata. Epithymum supra eam inveniri etiam neoterici asserunt. Dicebatur ἐπιστοιβή ut ἐπίθυμον quod superarescit thymo. Quibusdam veterum etiam ἐπίφεως, ut apparet, dictus est. Nam στοιβή & φεὼς idem. At Plinius pro *epipheo* nominavit *hippopheon*. Forte ὑπόφεων quidam vocarunt hoc genus epithymi, quod sub pheo, vel stœbe nasceretur. Quod ille confudit cum hippopheo. Atqui longe aliud *hippopheos* quam *epistœbe*, vel *epipheos*. Genus est phei, vel stœbes, quod à magnitudine dicitur ἱππόφεως. Ut ἱππομάραθρον est majus μάραθρον, & ἱπποσέλινον majus apium & similia. Theophrastus lib. VI. cap. V. de cappari: τὸν ᾗ καυλὸν ἐχ ὥσπερ ὁ φεὼς καὶ ἱππόφεως. Ergo hippopheos phei species, sed majoris. Ἱπποφαὲς etiam dictum hoc hippopheos, atque ita vocat Dioscorides. Galenus in Lexico: Ἱππόφεως, τοῦτο ἐ μόνον ἱπποφαὲς ὀνομάζεται, ἀλλὰ ᾗ κνάφ@, ᾗ στοιβή. Idem alio loco: στοιβῆς καρπὸν, τὸ ἱπποφέω σπέρμα. Apud Hippocratem legitur στοιβῆς. Dioscorides tamen στοιβὴν & ἱπποφαὲς seorsim describit, & diversa facit. Virtutes etiam utriusque longe diversæ. Hippophaes alvum solvit, & bilem pituitamque detrahit. Stœbe adstringit. Unde & δυσεντερικῶν utiliter dabatur. Eadem facultate & στοιβίδα vulgarem Græcorum hodie præditam tradunt. Sed στοιβή est φεώς. At ἱππόφεως majus aliquod genus. Galenus tamen ἱππόφεως στοιβὴν interpretatur. Satis belle tamen hippophaïs descriptio, quæ apud Dioscoridem habetur, congruit cum descriptione stibidæ, vel stœbes recentiorum. A similitudine igitur, quam habet cum pheo, sive stœbe videntur hanc plantam Græci appellasse ἱππόφεων. Ut ut sit, quod super stœben, sive pheon, nascitur non magis potest esse pheos, vel hippopheos, quam epithymum idem est cum thymo. Id quod super pheon, vel stœben crescit, id ἐπίφεως & ἐπιστοιβή, & simile est epithymo, quod suprà thymum nascitur. Ἱππόφεως vero est spina, vel pheos major. Alia spinæ species Græcis vocatur ἱππόφαιστον, quam & quidam ἱπποφαὲς vocarunt. Quod cognominis esset hippophai, & quod eumdem usum præberet fullonibus atque hippophaes, ejus historiam Dioscorides statim post hippophaïs descriptionem adjunxit. Præterea in iisdem locis eam nasci ait, in quibus hippophaes. Plinius eam spinam inter eas stirpes recensuit, quæ in aliena sede viverent, nec propriis radicibus niterentur lib. XVI. cap. XLIV. *Oleastro quoque deputato, quod gignatur, vocant phaunos. Quod vero in spina fullonia hippophæston, caliculis inanibus: foliis parvis, radice alba, cujus succus ad detractiones in comitiali morbo utilissimus habetur.* Non possum satis mirari Plinii indiligentiam & ἀβλεψίαν. Pheos, vel stœbe spina est fullonia, in qua gignitur id genus epithymo simile, quod ἐπίφεως & ἐπιστοιβή appellatur. Hoc epithymum *hippopheon* etiam dictum dicit. Et manifesto hippopheon cum epipheo confudit. Ita etiam hoc loco *hippophæston* pro eo epithymo accepit, quod alibi vocavit *hippopheon*.

Quia enim ἱππόφαιστον nonnullis etiam dicebatur ἱπποφαὲς, quod idem est cum hippopheo, ideo & hippophæston de eo quoque epithymo accepit, quod innascitur stœbæ, vel pheo, quasi idem sit hippopheos & hippophæston, & utrumque idem cum epithymo, quod gignitur in fullonia spina. Mirum porro qui potuerit id Plinius hariolari de hippophæsto, cum radicem ei det albam. Dioscorides vero παχεῖαν ᾗ μαλακήν. Epithymum ipse sine radice esse dixit, ut sunt pleræque eorum, quæ alienis stirpibus innascuntur, ut casytas & alia. Ex Dioscoridis verbis male intellectis eam mentem incidisse Plinio de hippophæsto in spina fullonia nascente suprà ostendimus. Totum eum locum, ubi hoc dicit, ex Theophrasto adumbravit, quo varias stirpes enumerat, quæ in solo sedem non habent, sed in alienis arboribus & plantis crescunt. Inter eas recenset semen quoddam, quod in spina satum circa ortum caniculæ, in Babylonia eodem die surgit, crescitque ad eam amplitudinem, ut spinam ipsam amplectatur totam. Verba Theophrasti habentur lib. II de causis, cap. XXII. Et hæc sunt: εἰ ᾗ καὶ σπέρματα τοιαῦτα ἐςὶν, οἷον τὸ περὶ Βαβυλῶνα, τῇ ἀκάνθῃ περὶ τὸ ἄςρον ἐπισπειρόμενον φασὶν αὐθημερὸν ἀναβλαςάνειν ᾗ ταχὺ περιλαμβάνειν, καὶ τὴν ἄκανθαν. Plinius hæc de epithymo interpretatus est, quod innascitur spinæ fulloniæ, stœbæ vocatæ. Idque epithymum ἱππόφαιστον esse hariolatus est, quia ἱππόφεων alibi vocaverat, quum sit ἐπίφεως vel ὑπόφεως. In paucis verbis plura peccata. Stœbe, vel pheos spina vulgaris, cui epithymum innascitur & involvitur. Spina illa, de qua illud memorat Theophrastus, Babylonia est. Præterea ex semine sato illud nescio quid provenit, quod in spina illa nascitur. Epithymum supra thymum, thymbram, & spinam stœben sponte crescit. Denique stato tantum anni tempore seritur illud semen in spina Babylonia, quod tam citum capit incrementum, circa ortum nempe caniculæ, περὶ τὸ ἄςρον. Tum enim spina veluti & in ὀργασμῷ est. Ideo tam celeriter augescit id semen, quod in ea serunt Babylonii. Theophrastus capite sequenti hanc causam affert adeo subiti illius incrementi: ἀλλὰ τὸν καιρὸν δηλονότι λαμβάνουσι τῆς ἐπισπορᾶς, ὅταν ὀργᾷ τὸ ὑποκείμενον, ὥσπερ ἡ ἄκανθα φαίνεται περὶ τὸ ἄςρον. Horum nihil convenienter potest cadere in epithymum spinæ stœbes. Sed ubique ejusmodi est genius Plinianus. Idem spinam Babyloniam verbis his Theophrasti descripsit lib. XIII. cap. XXIV. *Non omittendum est, & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alibi vivit, sicut & viscum in arboribus. Sed illud in spina tantum, quæ regia vocatur. Mirumque, eodem die germinat quod injectum est. Injicitur autem ipso canis ortu, & celerrime arborem occupat. Condiunt eo vina & ideo serunt.* Ita hæc legenda. Meminit spinæ regiæ Theophrastus lib. I. cap. X. de causis, quam ἄκανθαν βασιλικὴν vocat, sed non eamdem facit cum spina illa Babylonica. Immo diversas esse liquet, quod seorsim de his tractavit. Sed Plinium hoc movit, ut putaret spinam βασιλικὴν & Βαβυλωνίαν eamdem esse, quod Attici ceterique tum Græci βασιλικὸν de regibus tantum Persidis dicerent. Sic βασιλικὰ κάρυα, quæ ex Perside lata primum. Ea & Περσικά. Βασιλικὸν tamen etiam pro grandi & magno. Adde quod longe ante Plinii ætatem βασιλικὸν, & βασιλεῖς de regibus Ægypti etiam Græci proprie usurparunt. Spina itaque Ægyptia etiam βασιλικὴ juxta hanc Plinii rationem cognominari posset. Doctissimi herbarii *cuscutam* esse volunt semen illud quod Babylone in spina serebatur. Falsi sunt. Cuscuta sponte nascitur, nec spinis tantum, sed etiam aliis herbis & arboribus circumvolvitur. Semen illud satu provenit, & in spina tantum injicitur, idque certo tempore anni, circa exortum caniculæ. Præterea eodem die, quo satum est, germinat, ipsamque spinam occupat. Postremo Theophrastus κασύταν, quæ cuscuta est vulgaris, ab illo semine separat: τὸ συελακὸν βοτανίον ὁ καλέμεν@ κασύτας, καὶ δένδροις, καὶ ἀκάνθαις ἐμφύεται, καὶ ἄλλοις πόαις. Arabice *casuth*, quod ex κασύτας factum est. Nec dubium, quin epithymum, & quod stœbæ spinæ innascitur hoc nomine venire possit. Serapio: *Casuth, id est,*

est, cuscuta, & in Latino dicitur thyma. Plinius: *Casytas, non tantum arboribus, sed etiam spinis circumvolvens sese. Item circa Tempe Thessalica: quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos & serpyllum.* Nulla mentio Τεμπῶν Θεσσαλικῶν apud Theophrastum, quo loco illa scribit de polypodio, quæ heic Plinius Latine vertit: ἔτι γὰρ ὃ τὸ παραδοξότερον, ὅτι καὶ ἐν ἐλάφου κέρασιν ὤφθαι, καὶ ἡ τέρμινθος δ' ἐν ἐλαίᾳ, καὶ τὸ πολυπόδιον ἐπὶ τοῖς δένδροις. Plane mihi constat audisse Plinium legente anagnoste, ἐπὶ τοῖς συνδένδροις, pro ἐπὶ τοῖς δένδροις. Et τὰ σύνδενδρα interpretatum esse Tempe. Nam ita Græci exponunt, Τέμπη, τὰ σύνδενδρα χωρία. Quia maxime autem celebria Tempe Thessalica, ideo ea sumpsit. Dioscorides: Πολυπόδιον φύεται ἐν πέτραις βρύα ἐχούσαις, καὶ ἐν τοῖς γεράνδρύοις πρέμνοις ἐπὶ τῶν βρύων. Ita legendus ille locus. Ridiculum igitur, quod ait Plinius circa Tempe Thessalica nasci polypodion. In quibusdam arboribus gigni dicit Theophrastus, & alibi ἐν πέτραις. *Phaunos* vocari, quod in oleastro deputato gignatur ait Plinius. Ita enim omnes libri. Ridiculus Dalecampius, qui *Faunos* legebat & silvarum Deos intelligebat. Nescio unde *phaunos* expiscatus sit Plinius. Pro eo apud Theophrastum habetur, καὶ ἡ τέρμινθος δ' ἐν ἐλαίᾳ. De terebintho accipere etiam absurdum. Quippe veterum nemo terebinthum inter eas plantas numeravit, quæ in aliis nascerentur, ac viverent plantis. Nec quisquam meminit terebinthum arborem Syriæ peculiarem in olea nasci. In glossis Hesychii reperio: Τέρμινθος, φυτὸν ἐμφερὲς τῷ λίνῳ, ἐξ οὗ πλέκουσιν Ἀθηναῖοι τὰς ὁρμιάς. Non dubito quin de hac termintho locus Theophrasti sit exponendus. Thymelæa frutex est, quem lino etiam similem esse scribit Dioscorides, quique adeo ab olea nomen accepit. Vocabatur etiam λῖνον. Quod de semine ipsius dixit Plinius. *Et in quo nascitur granum Cnidium, quod aliqui linum vocant, fruticem vero thymelæam.* Non granum tamen thymeleæ semini lini simile est, sed frutex ipse. Dioscorides etiam semen ipsum thymelææ linum vocatum asserit: ἐκ τῆς ὁ κνίδιος κόκκος καρπὸς ὢν αὐτῆς συλλέγεται, ὃν Εὐβοεῖς μὲν Ἀιτώλιον καλοῦσιν, οἱ δὲ λῖνον, διὰ τὸ εἶναι τῷ σπαρτῷ λίνῳ τὸν θάμνον τῇ φύσει παρόμοιον. Neophytus: θυμελαία, οἱ δὲ πυρὸς ἄχνην καλοῦσιν, οἱ δὲ ἄγριον λῖνον: ἐκ ταύτης ὁ κνίδιος κόκκος καρπὸς ὢν αὐτῆς συλλέγεται, ὃν Σύροι μὲν ἀπόλινον καλοῦσιν, οἱ δὲ λῖνον διὰ τὸ εἶναι τῷ σπαρτῷ λίνῳ τὸν θάμνον παρόμοιον τῇ φύσει. Sic non solum frutex, sed etiam cognominatum est linum, non quod simile esset grano lini, sed quod in frutice proveniret lino simili. Unde & ἀπόλινον Syri vocarunt. Frutex ipse ἀγριόλινον dicebatur teste Neophyto, hoc est, silvestre linum. Vera itaque fuerit lectio in Dioscoride, τῷ σπαρτῷ λίνῳ ὅμοιον, id est, sativo lino. Thymelæa, linum agreste, quia similis lino sativo. Recentiores herbarii plura agrestis lini genera recensent à thymelæa diversa. Marcellus Empiricus aliter hoc λῖνον interpretatur, quam de lino frutice. *Chamelæa*, inquit, *quæ dicitur restis olivæ, aquam detrahit.* Thymelæam intelligit, quæ etiam chamelæa dicta. Λῖνον Græce etiam restem significat, ac rete. Hesychius: λῖνον σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἁλιευτικὸν δίκτυον, καὶ τὴν ὁρμιάν. Terminthos apud Atticos etiam frutex lino similis: quem in olea nasci tradit Theophrastus, & inter eas stirpes reponit, quæ sedem habent natalem in aliis arboribus ac plantis. Hæc tamen à thymelæa diversa. Mirum porro cur Plinio libuerit pro termintho phaunos substituere in illo Theophrasti loco, & pro olea oleastrum. Nam oleaster Græce κότινος, olea ἐλαία. Præter hæc dicit in oleastro deputato quod gignatur appellari phaunos. In olea simpliciter gigni τέρμινθον prodit Græcus auctor. Hoc igitur quod narrat heic Plinius de phaunis in oleastro deputato nascentibus, in totum aliud. Et videtur ex alio loco Theophrasti in hunc id transtulisse. Ut serpyllum & dolichon, quæ tamen huc non pertinent. Tractat Theophrastus eo capite de herbis, ac plantis, quæ in solo sedem non habent, sed in aliis arboribus crescunt, ut viscum, polypodion, casytas & alia, ut & terminthos quam in olea nasci memorat. In hunc censum referri non possunt, serpyllum aut dolichos. Quæ adminicula quidem opus habent, ut crescant, sed in solo radices habent, non in aliqua alia arbore. De dolicho

A scribit hæc lib. VIII. de Hist. Plantarum: ὁ δὲ δόλιχος ἐὰν μὲν παρακαταπήξῃ ξύλα μακρὰ ἀναβαίνει, καὶ γίνεται κάρπιμος: εἰ δὲ μὴ φαῦλος καὶ ἐρυσιβώδης. Serpyllum quoque in hoc genere & præsidium sibi adsciscit ex adsitis. ut & hedera, cucurbita, & multa alia. Idem Theophrastus: ταῦτα γὰρ τὰ πρὸς ἑτέρῳ διώκει, καθάπερ ὅ τε κιττὸς, καὶ ἡ σμίλαξ, καὶ ἡ σικύα, καὶ ἄλλ' ἄττα, καὶ τῶν ἐλαττόνων ἕρπυλλον, καὶ ἡ ἀλσίνη. Ita legendum. At polypodion non adsitas requirit arbores, aut alia pedamenta, quibus fultum ascendat, sed in ipsis arboribus nascitur: ἐπὶ τοῖς δένδροις, non παρὰ τοῖς δένδροις. Male itaque Plinius hæc miscuit. *Item circa Thessalica Tempe quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos ac serpyllum. Oleastro quoque deputato quod gignatur, vocant phaunos.* Theophrastus: καὶ ἡ τέρμινθος δ' ἐν ἐλαίᾳ. Hæc quum non caperet Plinius, nec sciret, quænam esset ista terminthos, ex alio Theophrasti loco supplevit, ac supposuit id, quod in oleastro deputato gignitur. Miram heic spectabis Plinii incogitantiam & judicii defectum si ita loqui fas est de illo viro. Theophrastus lib. I. cap. III Historiarum scribit ex oleastro nulla arte posse fieri oleam, ut neque ex pyrastro pyrum, neque ex caprifico ficum: οὐ γὰρ, inquit, ἐπὶ δὲ κοτίνου συμβαίνειν φασὶν, ὥστε ἂν περικόπτῃς τὴν θαλίαν, ἢ ὅλως μεταφυτευθῇ φέρειν θαλλὸν, μεταχίνησις γίνεται μεγάλη. Quæ de oleastro deputato habet Plinius, & phaunis in ea nascentibus, hinc sumpsit. Sed verba Theophrasti contaminatissima sunt. Omnino rescribendum: οὐ γὰρ ἐπὶ δὲ κοτίνου φασὶ συμβαίνειν, ὥστε ἂν περικόπτῃς τὴν θαλίαν ἢ ὅλως μεταφυτευθῇ, φέρειν φαυλίας, οὐ μετακίνησις τις γίνεται μεγάλη. Negat ex oleastro, hoc est, κοτίνῳ oleam posse fieri, & naturam illam silvestrem mitigari. Quod enim in oleastro deputato contingere ajunt, aut translato, ut olivas ferat φαυλίας dictas, non magnam hanc mutationem censeri debere. Nam φαυλίαι pessimum olivarum genus, quales fert translatus oleaster, vel deputatus. D Pollux κολυμβάδας ἐλαίας interpretatur. Τὰς δὲ κοτινάδας ἐλαίας τραμβήλους ὠνόμασε Φερεκράτης: ἐκαλοῦντο δὲ αὗται καὶ φαυλίαι. Olea decacuminatione proficit. Idem Theophrastus lib. IV. cap. XIX. Τὰ δ' ἄλλα πάντα καὶ περικοπέντα βλαστάνει, καὶ ἔνια καὶ κάλλιον γίνεται, καθάπερ ἡ ἐλαία. Ergo etiam oleaster melior fit περικοπῇ τῆς θαλίας. Sed hactenus tantum proficit, ut olivas ferat φαυλίας. Quæ de nomine ipso pessimas & viliores olivas sonat, τὰς φαύλας. Rami oleæ & oleastri proprie θαλλοὶ Græcis. Unde θαλία, frondes oleastri. Alibi θαλίας idem auctor vocat. Certum itaque est in Plinio reponi debere: *oleastro quoque deputato, quod gignatur, vocant phaulios*, id est, φαυλίας ἐλαίας. Pro quo perperam in libris scriptum, *phaunos*. Nunc vides quam bene Plinius phaulias, quæ in deputato oleastro gignuntur, inter ea stirpium genera retulerit, quibus in alieno natales, quia sedem suam non habeant. Pæne stupidus factus sum hæc legendo. Ceterum meminit etiam Aristoteles hujusmodi plantarum, quæ in terra non gignuntur, sed in aliis plantis vivunt, ut viscum lib. IV. cap. V de partibus anim. Ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς ἐπιγείοις φυτοῖς ἔνια τοιαῦτα, ἃ καὶ ζῇ καὶ γίνεται τὰ μὲν ἐν ἑτέροις φυτοῖς, τὰ δὲ καὶ ἀπολελυμένα, οἷον καὶ τὸ ἐκ τοῦ Παρνασσοῦ καλούμενον ὑπό τινων ἐπίπετρον. Ait herbam quamdam in Parnasso monte nascentem, & quibusdam ἐπίπετρον dictam, etiam evulsam, & à solo, vel saxo natali separatam, paxilloque suspensam vivere. Hoc idem de aliis multis narratur. Cepitia locis humidis condita sæpenumero germinant. Theophrastus scillam suspensam vivere, & diu durare dicit: Μάλιστα δὲ ἡ σκίλλα. Καὶ γὰρ κρεμαμένη ζῇ, καὶ πλεῖστον γε χρόνον διαμένει. De sempervivo idem memoratur. Lignum oleaginum in opere positum interdum pullulare testatur Theophrastus. Ἐπίπετρον autem vocatum, quod ἐπὶ πέτραις nascatur. Hoc nominis convenit omnibus herbis, quæ in saxosis & petris proveniunt. Peculiare id genus fuit, cujus id nomen proprium factum. Ἐπιπέτρου meminit Theophrastus lib. VII. cap. VIII. Ἔνια δὲ καὶ ὅλως ἀνανθῆ καθάπερ τὸ ἐπίπετρον. Hesychius: ἐπίπτερον, εἶδος βοτάνης παρὰ Θεοφράστῳ. Lege: ἐπίπετρον. Sed quæstionis est an epipetrum Theophrasti idem sit cum epipetro Aristotelis. Locum Theophrasti vertit Plinius lib. XXI. cap. XV. *Aphace, acinos, quam epipetron vocant, quæ nunquam floret.* Hinc eruditi

diti medici notarunt *acinon* vocari epipetron. Nota ἄκινος ex Dioſcoride. Sed advertere debuerant verba illa Plinii peſſime corrupta eſſe, quod jam obſervaverat Turnebus. In optimis libris legitur: *Aphace, achinopos, epipetron vocant, quæ nunquam floret.* In indice manuſcripto: *Apace, acynopos, piretron*, pro *epipetron.* In vetuſtiſſimo Thuanæo: *Achynopos, ipipetron.* Omnino emendandum: *Echinopus. Epipetron vocant quæ nunquam floret.* Corrigendus & Theophraſtus in hac voce capite quo ſupra: οἷον ἀφάκη καὶ ἐχινόπους. Perperam ſcribitur: καὶ τὸ οὐ κύνωπος. Nulla eſt *cynops* in cenſu herbario. Quare etiam expungendum ex ſcriptis Plinii lib. XXI. cap. XVII: ubi male adhæſit in his verbis, correctorum factione: *Aliud rurſus ſpicatarum genus, ex quo eſt cynops, alopecuros, ſtepheluros, quam quidam ortygem vocant.* In Rigaltiano legitur: *ex quo eſt ſtanypi alopecurus.* In regio ſimilis ſcriptura, & adſcriptum ſupra *ſtanopos.* In indice Rigaltiani codicis: *Spicarum genera, ſtantops, alopecuros ſellepyrus.* Longe magis diverſa apud Theophraſtum ſcriptura: σαχυώδη μὲν οὖν ἐστὶν ὅ τε χλώων ὑπό τινων καλούμενος, πλείους ἔχων ἰδίας ἐν ἑαυτῷ. Quæ ſtupenda depravatio eſt. Nam locus ille Plinii ex hoc Theophraſti ad verbum expreſſus. Ex *ſtanyps*, vel *ſtantops*, ut præferunt meliores libri, fieri poſſet *tanyops*, aut *ſtachyops.* Τανύοψ a ſpicæ longitudine: ut τανύσφυρος, τανύπους. Nihil nunc melius ad mentem occurrit. Ut ut eſt, illud conſtat, *cynops* ibi locum habere non poſſe, quæ in rerum natura non eſt. *Echinopodis* etiam alio loco mentio apud Plinium lib. XI. cap. VIII. *Ceras ex omnium arborum ſatorumque floribus confingunt excepta rumice & echinopode.* Ita enim habent veteres omnes libri, quod jam obſervatum eſt. Ἐχινόπους Græcis hodie dicitur. Et frutex eſt, non carduus. Non igitur epipetron eſt acinos, ut perſuadere nobis volunt. Idem nomen eſt ἔμπετρον. Ut enim ἐπὶ πέτραις, & ἐν πέτραις idem eſt, ita ἔμπετρον & ἐπίπετρον herba in petris naſcens. Ἔμπετρον habet Dioſcorides. Plinius quoque deſcribit *empetron* lib. XXVII. cap. IX. *Empetros, quam noſtri calcifragam vocant, naſcitur in montibus maritimis, fere in ſaxo.* Dioſcorides: ἔμπετρον, οἱ δὲ φακοειδὲς, ἐν ὀρεινοῖς καὶ παραλίοις πέτραις φύεται. Ita legendum ex optimo codice. Nam pleriſque editionibus abeſt vox πέτραις. Atqui nomen à petris habet. Plinius ita legit, qui ex Dioſcoride ſumpſit deſcriptionem empetri, aut ex alio auctore, unde ipſe Dioſcorides. *Calcifragam* à Romanis vocari dicit. Certe quod calculos frangat, & expellat. Non tamen ea virtute præditam meminit τὸ ἔμπετρον Dioſcorides, ſed bilem tantum, ac pituitas, & aquoſa trahere dicit in jure aut hydromeli ſumptam. Plinius addit, & *urinas ciere, calculoſque frangere.* Sane quia & *calcifragam* Latinorum putavit eſſe, ideo hanc illi poteſtatem vimque attribuit. Sed unde ſomniavit Plinius, τὸ ἔμπετρον calcifragam eſſe? Nam ita etiam in indice ſcripſit: *Empetros quam noſtri calcifragam* IV. Ex Græco id videtur ſumpſiſſe, ἔμπετρον οἱ δὲ φακοειδές. Genus adianti φακοειδὲς, quod & τριχομανὲς proprie dictum, a foliis lenticulæ ſimilibus. Neophytus: τὸ δ᾽ ἕτερον ἀδίαντον τοῖς φύλλοις φακοειδὲς ἐναντίοις ἀλλήλων ἐπὶ τῶν ῥαβδίων. Dioſcorides de trichomane: στοιχηδὸν ἐξ ἑκατέρου μέρους τὰ φύλλα ἔχον λεπτὰ, φακοειδῆ ἐναντία ἀλλήλοις. Trichomanes illud, ut & adiantum calculos in veſica frangit, Unde & *calcifragam* Latini appellarunt, & *ſaxifragam.* Plinius lib. XXII. cap. XXII de adianto, vel trichomane: *Calculos e corpore mire pellit, frangitque utique nigrum. Qua de cauſa potius quam quod in ſaxis naſceretur a noſtris ſaxifragum appellatum crediderim.* Eadem ergo *calcifraga* & *ſaxifraga.* Scribonius Largus ſcolopendrion Latine *calcifragam* vocatam tradit, quia calculos etiam pellit. Marcellus Empiricus *ſaxifragam* eamdem nominat. Calculi tamen, qui in corpore ſunt, non dicuntur ſaxa, & ſaxifraga potius videtur dicta, quod è ſaxis erumpat, & naſcendo veluti ea rumpat. Sic herbas quæ è terra exeunt, cacumine ſuo terram rumpere poëtæ dicunt. Ut ut ſit, Plinius φακοειδὲς *calcifragam* interpretatus eſt, quia trichomanes φακοειδὲς quod calcifragum eſt. Lata tamen inter ἔμπετρον φακοειδὲς, & inter ἀδίαντον φακοειδὲς differentia eſt. Empetrum in maritimis tantum ſaxis naſcitur, & ſaporem

A ſalſum habet. Dioſcorides: ἁλυκὸν ἐν τῇ γεύσει. At adianton φακοειδὲς, quod & trichomanes vocatur, ubique provenit, & guſtu quidem adſtringenti non tamen ſalſo. Præterea trichomanes lapillos veſicæ frangit, qua facultate caret empetron. Sic ἔμπετρον φακοειδὲς eſt non etiam calcifraga. Alias lens paluſtris etiam calcifraga eſſet, quia φακοειδής. Pari genio idem Plinius adianton facit topiarium fruticem: *aquas reſpuit, perfuſum merſumque ſicco ſimile eſt. Unde & nomen à Græcis, alioquin frutici topiario.* Quæ verba ſic accipiunt docti, quique Plinio favent vel contra jus, ut adianto margines puteorum fontiumque veluti topiario opere veſtiri intelligamus. Non hæc ejus mens fuit. *Fruticem topiarium* plane vocavit adianton. Quis vero fruticem eſſe illi dixit, quæ herbula eſt ſine caule? *Achanton* omnino cogitavit in adianto. Nam achantos frutex topiarius. Non leviora ſunt, quæ peccavit in hiſtoria adianti, quam partim verbis Theophraſti, partim Dioſcoridis pertexuit, & diſparia prorſum ſociavit. Theophraſtus duo genera ſtatuit ἀδιάντου nigrum & candidum, nulla alia re niſi colore diſcreta. Tertium genus addit τριχομανὲς proprie appellatum. Theophraſti clara hæc ſunt de adianto: γένη δὲ αὐτοῦ δύο, τὸ μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν, χρήσιμα δὲ ἀμφότερα πρὸς ἔκφυσιν κεφαλῆς τριχῶν: φύεται δὲ μάλιστα περὶ τὰ ὕδρηλά. En duo adianti genera nigrum & candidum, circa rigua & aquas naſcentia. Subjicit ſtatim de trichomane: ὡς δὲ οἴονταί τινες καὶ πρὸς στραγγουρίαν τὸ τριχομανὲς ποιεῖ, ἔχει δὲ τὸν καυλὸν ὅμοιον τῷ ἀδιάντῳ τῷ μέλανι, φύλλα δὲ μικρὰ σφόδρα καὶ πυκνὰ, καὶ πεφυκότα καταντικρὺ ἀλλήλων: ῥίζα δὲ οὐκ ὑπέστη: χωρία δὲ φιλεῖ σκιερά. Et foliorum figura, & loco natali diſcernit hoc trichomanes ab utroque adianto. Umbroſa & opaca loca amare dicit. Adiantum vero utrumque aquaticum. Folia brevia admodum ac denſa trichomani eſſe, & contrariis pediculis invicem oppoſita, ut in filice cernere eſt. Ergo talia non habet adiantum, quod folia coriandro ſimilia habere tradit Dioſcorides. Trichomanes vero apud eumdem Dioſcoridem filici ſimile, & foliis φακοειδές. Quod idem omnino eſt cum trichomane Theophraſti. Hæc cum ita ſint, Plinius adianti genera, ac differentias percenſet ad hunc modum: *Duo ejus genera candidius & nigrum breviuſque. Id quod majus eſt polytrichon: aliqui trichomanes vocant. Utrique ramuli nigro colore nitent, foliis filicis ex quibus inferiora aſpera ac fuſca ſunt, omnia autem contrariis pediculis denſa inter ſe ex adverſo, radix nulla.* Ita ſcribunt veteres libri. Ex variis auctoribus hæc contexuit, & mirifice conturbavit. Duo genera facit adianti ex Dioſcoridis ſententia, qui ἀδίαντον unicum recenſet, & τριχομανὲς, quod illi alterum eſt adianton. Quod in candidum & nigrum dividit, id ex Theophraſto mutuum ſumpſit. Quod nigrum brevius eſſe ait, id ex alio auctore habet. Theophraſtus ſcribit trichomanes caulem habere nigro adianto ſimilem. Breviſſimum utique trichomanes. Ergo & nigrum adianton brevius candido. Falſum itaque, quod ſequitur apud Plinium: *Id quod majus eſt polytrichon, aliqui trichomanes vocant.* Sic enim legitur in vetuſtis codicibus. Trichomanes Plinio majus eſt adianton, idemque cum polytricho. Certe adiantum etiam πολύτριχον vocatum, quod criſpum, denſumque capillum faceret. Theophraſtus de utroque adianto: χρήσιμα δὲ ἀμφότερα πρὸς ἔκφυσιν κεφαλῆς τριχῶν. Dioſcorides in antiquiſſimo codice: Ἀδίαντον, οἱ δὲ πολύτριχον, φυλλάρια ἔχει ὅμοια κοριάνδρῳ ἐπεσχισμένα ἐπὶ ἄκρου. Reliqua, quæ in vulgatis adduntur, ſpuria ſunt. Diverſum ab hoc polytricho trichomanes. Si illud majus adianton, iſtud minus. Sed error ille non tralaticius, quod utrique adianti generi folia filicis tribuit, & contrariis pediculis inter ſe denſa ex adverſo. Hoc proprium trichomanis. Nam adianto folia coriandro ſimilia. Unde & κόριον ἔνυδρον quidam vocarunt teſte Neophyto: οἱ δὲ κόριον ἔνυδρον, id eſt, *coriandrum aquaticum.* In deſcriptione adianti apud Dioſcoridem delenda illa ex editionibus verba: σίλβοντα φύλλα ὅμοια πτερίδι μικρὰ λίαν. Quæ nulla comparent in vetuſtiſſimo exemplari, & pertinent ad hiſtoriam trichomanis. Simile quidem filici trichomanes, quantum ad foliorum ordinem ex adverſo ſibi reſpondentium contrariis pediculis. Hinc &

& πτέριον & ὄπτερις Græci dixerunt, Latini *pinulam*, & *filiclam*, ut ex Apulejo & Neophyto discimus, foliorum tamen ipsorum figura non filici similia, sed lenticulæ, ex quo & φακοειδὲς appellatum. Recte Dioscorides de trichomane: πτέριδι ὅμοιον, τὰ φύλλα ἔχον φακοειδῆ. Non recte Plinius foliis filicis adianton esse prodit. Ex hoc tamen errore Neophytus adiantum unum facit, quod folia filici similia habet, alterum quod lenticulæ. Quibus si tertium addas cum foliis coriandri, tria erunt adianti genera. Totidem sane ille constituit. Ἀδίαντον, inquit, οἱ δὲ πολύτριχον, οἱ δὲ κόριον ἔνυδρον. Ἀδίαντον ἕτερον, οἱ δὲ πτέριον, οἱ δὲ ὄπτερις. Ῥωμαῖοι καπιλλάρε, οἱ δὲ πιννῦλαν, οἱ δὲ φιλίκλαν, φύλλα ὅμοια πτέριδι: τὸ δ᾽ ἕτερον ἀδίαντον, τοῖς φύλλοις φακοειδὲς ἐναντίοις ἀλλήλοις ἐπὶ τῶν ῥαβδίων. Atqui hæc duo unum sunt, quod filici simile est foliorum situ, folia autem ipsa faciē φακοειδῆ. Adianton majus proprie πολύτριχον. Trichomanes autem καλλίτριχον. Plinio alibi recensentur πολύθριξ & καλλίθριξ veluti diversæ ab adianto herbæ, quum tamen πολύθριξ idem sit cum adianto polytricho. Et καλλίθριξ cum trichomane callitricho. Sed ex alio auctore hausit illa, qui πολύτριχα vocaverat adianton, trichomanes autem καλλίτριχα. Lib. xxv. cap. xi. *Polytricha distat à callitricha, quod juncos albos habet, & folia plura majoraque, frutice quoque major est, defluentem capillum confirmat & densat.* In veteri codice habetur: *Polytria distat à callitrice.* Lege, *Polythrix distat à callitriche*: ἡ πολύθριξ διαφέρει τῆς καλλίτριχος. In indice manu exarato *polythrix* & *callithrix* recte scribitur. Et paulo post eodem capite: *Fit ex callitriche sternutamentum, folia sunt lenticulæ similia. Caules juncis tenuissimis radice minima.* Τριχομανὲς, sive ἀδίαντον φακοειδὲς auctor ille plane intellexit, ut per πολύτριχα adiantum majus coriandri simile. De trichomane idem narrat quod de callitriche lib. xxvii. cap. xiii, sternutamentum movere gustatum, adianto simile esse, foliis lenticulæ densis, amaris, adversis inter se. *Juncos* vocat tenuissimos caules trichomanis, quibus adhærent foliola. Καυλία, & ῥαβδία Dioscorides appellat. Sic adiantum proprie πολύτριχον. Trichomanes autem καλλίτριχον. Sed omnia hæc cognomina confuderunt. Plinius in indice: *Adianto, sive callitricho, sive trichomane, sive polytricho, sive saxifraga genera* ii. *Medicinæ* xxviii. Posteriores auctores Græci Latinique his quoque nominibus sine discrimine usi sunt, ut Apulejus, Auctuarii ad Dioscoridem auctor, Neophytus & alii. Quos omnes puto, dum Plinium ducem sequuntur, aberrasse. Apulejus capite de polytricho: *Græcorum alii adianton, alii polytrichon, alii trichomanes, alii ebenotrichon, alii hopterin.* Idem capite de callitricho splenion etiam, sive scolopendrion sub eadem appellatione involvit, & cum adianto & trichomane idem esse vult? Scolopendrion saxifraga. Trichomanes etiam saxifraga. Ideo utrumque confudit. Et sane alio capite, quo saxifragæ virtutes & nomina exponit, scolopendrion & adianton ita appellata docet: *A Græcis dicitur saxifragos, aliis adiantos, aliis scolopendrion, quibusdam scolymos.* Fortasse etiam ab aliqua similitudine, quam inter se habent, scolopendrion cum adianto trichomane facit idem esse. Scolopendrion Dioscoridis ita dictum, quod folia habeat scolopendræ animali similia, quæ centipeda Latinis dicitur. Folia illi incisa esse dicit Dioscorides, ὡς τὰ τοῦ πολυποδίου. Qui ab hac eadem causa dictum πολυπόδιον. Theophrasto teste polypodium folia majoris habet filicis. Trichomanes adiantum πτέριδι ὅμοιον Dioscorides tradit. Unde & πτέριον & ὄπτερις Græcis recentioribus appellatur. Latinis *pinnula* & *filicula*. Scolopendrion Dioscoridis etiam πτέρυξ ob eam rem vocabatur. Dioscorides: Ἄσπλωνος, οἱ δὲ σκολοπένδριον, οἱ δὲ ἡμιόνιον, οἱ δὲ σπλήνιον, οἱ δὲ πτέρυγα. Ex hac voce *pteryga* factum *ceterach*, quo hodie nomine hoc genus scolopendrii vocant officinæ. Nam ut P & C sæpe invicem mutari supra docuimus, ex *peteryga* & *ceteryga* corruptum *ceterac*. At quam *scolopendriam* hodie appellamus, multum ab illa scolopendria Dioscoridis diversa, eadem tamen quod mireris, cum σκολοπενδρείῳ Theophrasti. Quod nostri herbarii non adverterunt. Scolopendrion nostras vulgo *lingua cervina* dicitur à figura. Theophrastus lib. ix. cap. xix. hemionii herbæ folium scolopendrio simile tradit: τὸ δὲ φύλλον ὅμοιον σκολοπενδρείῳ. Quod non potest nisi de nostro vulgari scolopendrio accipi. Ἡμιόνιον Theophrasti est ἡμιονῖτις Dioscoridis, qui etiam ἡμιόνιον appellat. Hesychius: ἡμιόνιον πόας εἶδος. Hæc Dioscoride auctore folium emittit ὅμοιον δρακοντίῳ, μηνοειδὲς, per μηνοειδὲς intelligit corniculatum. Et sane ex parte pediculi lunam in cornua curvatam refert, quod Græci proprie vocant μηνοειδὲς, id est, lunæ corniculatæ figura. Si hemionitis folium habet scolopendrii, non id potest esse scolopendrii genus, cui folia sunt polypodii, vel filicis majoris. Erit igitur scolopendrion vulgare, quod phyllitin esse constat. Nihil tam simile quam folium phyllitis & hemionitis. Nihil tam dissimile quam hemionitis & scolopendrii Dioscoridei folium. Dioscorides quidem ait scolopendrion suum etiam dictum esse ἡμιόνιον. Non ab ulla formæ similitudine hoc factum, sed ab effectus pari potestate. Nam & ἡμιόνιον etiam in asplenis medicamentis ad lienosos æqualis efficaciæ atque scolopendrion ipsum. Neophytus hemionitin etiam scolopendrion dictam ostendit. Unde & σπλήνιον quoque cognominatum. Dioscorides: ἡμιονῖτις, οἱ δὲ σπλήνιον. Theophrastus de hemionio: ὅμοιον δὲ φύλλον σκολοπενδρείῳ, χρήσιμη δὲ καὶ πρὸς τὰς σπλῆνας, ὥσπερ τῷ κλυμένῳ. Mirum, cur non potius dixerit, ὥσπερ τῷ σκολοπενδρίῳ. Cujus hæc propria virtus, & proinde nomen ἄσπληνος & σπλήνιον. Sed hæc ratio est manifesta. Theophrasti σκολοπένδριον non est idem cum scolopendrio Dioscoridis aspleno. Nostras est scolopendrion quæ phyllitis est. Hæc nihil ad lienem curandum conducit. Longe itaque distat σκολοπένδριον Theophrasti à Dioscoridis σκολοπενδρίῳ. Nominis etiam ratio in utroque diversa. Dioscorideum scolopendrium à forma folii sic appellatum: φύλλα ἔχει σκολοπένδρῃ τῷ θηρίῳ ὅμοια. Multis nempe incisuris, veluti pedes scolopendræ referentibus. Hinc & λογχῖτις etiam appellata. At scolopendrion Theophrasti, quæ est phyllitis, quod contra morsus scolopendræ valeret, & aliorum ἑρπετῶν, videtur nomen invenisse. Sane φυλλῖτιν, quæ est σκολοπένδριον Theophrasti & nostrum, πρὸς ἑρπετοδήκτους ποιεῖ, ut testis est Dioscorides. In his ἑρπετοῖς etiam scolopendra. Sic σπλήνιον appellatum à curando splene. Thapsia ὑπώπιον etiam dicebatur quod suggillata sanaret. Theophrastus de thapsia: ὑπώπια δὲ ποιεῖ ἐκλευκα. Ita scribenda hæc verba, quæ sic leguntur vulgo: ὑπώπια δὲ ποιεῖ ἀλλὰ ἔκλευκα. Suggillationes ajunt facere succum thapsiæ, verum plane albæ quod ineptum est. Ὑπώπιον est ἐρυθρὸν, ut ait Aristoteles de Rhetorica. Thapsiæ succus illitus, ea in pallorem dabat ac curabat. Ita ergo & σκολοπένδριον Theophrasti dictum à curandis morsibus scolopendræ. Ceterum hemionitis apud veteres ea proprie fuit, quam ἄσπληνον vocarunt & σπλήνιον, non scolopendrion Dioscoridis. Vitruvius lib. i. cap. iv de flumine quodam Cretæ, quod est inter Gnoson & Cortynam: *Dextra & sinistra ejus fluminis pascuntur pecora, sed ex his quæ pascuntur proxime Gnoson splenosa. Quæ autem ex altera parte proxima Gortynam non habent apparentem splenem. Unde etiam medici quærentes de eadem re invenerunt in his locis herbam, quam pecora rodendo imminuerunt lienes. Ita eam herbam colligendo curant lienosos hoc medicamento, quod etiam Cretenses asplenon vocitant.* De scolopendrio aspleno Dioscoridis vix possunt intelligi, quod in illis locis, nascitur, in quibus nulla pecora pasci queant, in muris quippe & saxis ipsis. Dioscorides: φύεται ἐν πέτραις ἢ τοίχοις τοῖς ἀπὸ τῶν κοχλάκων παλαιοῖς. Ita legitur in optimo libro. Intelligit parietes ex lapillis rotundis fluviatilibus factos, in quorum commissuris nascitur scolopendrion. Inde Latinis *cochlacæ* dicti. Festus: *Cochlacæ dicuntur lapides ex flumine rotundi ad cochlearum similitudinem.* Galenus in Lexico: λίθος μέλας, μυλίτης, κόχλαξ. Hemionion vero in saxosis & montosis locis provenit. Hoc *asplenon Cretense*. Ac fortean ab illa parte fluminis, quæ proxima Cortynam erat, montana fuere, in quibus nasce-

batur plurimum hemionium, quod capræ & muli rodebant. Mulos hujus herbæ appetentissimos esse tradit Theophrastus, & inde nomen. Ὀρέγονται δὲ, inquit, χωρία φιλεῖ καὶ πετρώδη. At scolopendrion asplenon in ipsis saxis & muris. Scolopendrion ἄσπληνον, hemionion ἄσπληνον. Inde utrumque confuderunt. Plinius lib. XXVII. cap. V. *Asplenon sunt qui hemionon vocant, foliis trientalibus multis radice limosa cavernosa sicut filicis candida hirsuta. Nec caulem, nec florem, nec semen habet: nascitur in parietibus opacis, humidis, laudatissima in Creta.* Hæc descriptio partim scolopendrio, partim hemionio convenit. Ita autem scribendus ille locus. *Asplenon sunt qui vocant hemionon.* Et in indice: *Asplenos, sive hemionos.* Ἡμιόνιον quoque Theophrasto appellatur: τῆς δ' ἡμιόνης τὸ φύλλον εἰς τὸ ἀγονεῖν. Teucrion quoque ἄσπληνον & σπλήνιον. Et quæcunque aliæ herbæ vim habent curandi splenis ἄσπληνοι & σπλήνιοι dici queunt. Ex eo & scolopendrion τεύκριον quoque dictum annotat Neophytus: Σκολοπένδριον, οἱ δὲ ἄσπληνον, οἱ δὲ σπλήνιον, οἱ δὲ πτέρυγα, οἱ δὲ ἡμιόνιον, οἱ δὲ ἀτεύκριον pro τεύκριον. Male pro eo in Auctuario Dioscoridis scribitur: Ἀτέριος. Apud Plinium lib. XXV. *Teucria quam hemionion quidam vocant.* Libri tamen meliores habent: *quam hermionen.* Et in indice: *Teucria, sive hermione, sive splenios.* Nullam hæc profecto habet cognationem cum hemionio, nisi solam facultatem tumidi lineis imminuendi. Quod ad calcifragæ, aut saxifragæ appellationem attinet, ea similiter omnibus herbis competere potest ex æquo, quæcunque aut in saxis nascuntur, aut calculi frangendi vim habent. Harum in numerum quæ calculum expellunt, venire non quit empetron, cujus sapor salsus. Salis quippe usus immodicus etiam calculosis nocivus. Ergo & quæcunque salso sapore sunt, parum iis accommoda. Sed nec Dioscorides hac facultate valere ἔμπετρον meminit. Nulla porro ex iis, quæ aut saxifragæ à veteribus, aut hodie hoc nomine recensentur à neotericis herbariis cum empetro Dioscoridis facere deprehenditur. Apulejus plures herbas, easque diversi generis ita dictas commemorat. Neophytus σαξίφραγον quandam speciali appellatione sic vocatam in herbario suo meminit his verbis: Σαρξίφαγον οἱ δὲ πετραῖαν, οἱ δὲ βρόχον, Ῥωμαῖοι σαξιφράγαν θαμνίον ἐστὶ φρυγανῶδες ἐν πέτραις καὶ τραχέσι τόποις φυόμενον. Hujus saxifragæ mentio etiam apud auctores Artis Veterinariæ Græcos, sed σαρξίφαγον omnes vocant, more suo, quia sic magis ad Græcum sonum accedit, quam σαξίφραγος. Ita scribitur apud Apsyrtum, Neophytum & alios etiam vetustiores in libris manu exaratis. Ita scripsisse Paulum Æginetam series literarum prodit lib. VII. Σαρκοκόλλα, Σαρξίφαγος, Σατύριον. In quibusdam additur etiam ἔμπετρον vocari. Non nego ita vocari posse, aut etiam ἐπίπετρον: sed esse ἔμπετρον Dioscoridis, aut ἐπίπετρον Aristotelis & Theophrasti, id vero nego ac pernego. Fortasse hæc saxifraga est, quam vulgo *salviam vitam* dicunt. Alias & scolopendrion saxifraga, & trichomanes & aliæ pleræque. Caput de saxifrago apud Dioscoridem non ipsius auctoris est, sed ex recentioribus adtextum, ut Neophyto & aliis. *Petræam* etiam dictam notat Neophytus. Πετραῖον apud Theophrastum, quod diversum ab epipetro ejusdem. Idem Neophytus inter lentis palustris cognomina τὸ ἐπίπετρον etiam refert. Φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, οἱ δὲ φακὸς ἄγριος, οἱ δὲ ἐπίπετρον. Ita legendum non ἐπίππετρον. Nihil tamen tam contrarium quam petra & palus. Sed lens palustris videtur hoc nomine ἐπιπέτρυ à quibusdam donata, quod sic aquis innatet, ut epipetron saxis maritimis innascitur. Nam & ἐπίπετρον φακοειδές. Viderint herbarii, an ex hac similitudine & nominum commutatione perveniri possit ad notitiam epipetri Dioscoridei. Etiam illud inquirant ecquod illud genus ἐπιπέτρυ fuerit in Parnasso nascentis, quod è saxo natali avulsum, paxilloque suspensum diu adhuc vivere possit. Aliud utique hoc ἐπίπετρον ab illo Dioscoridis ἐμπέτρῳ, & aliorum ἐπιπέτρῳ. De hoc empetro Dioscoridis, quod etiam φακοειδὲς appellatum dicit, magis mirum est à Galeno, & Paulo etiam in antiquissimis libris vocari πρασοειδές. Paulus: Ἔμπετρον, ἢ πρασοειδές. Et sane Dioscori-

A des, non φακοειδὲς esse hoc empetrum scribit, sed vocari etiam φακοειδὲς à quibusdam: ἔμπετρον, οἱ δὲ φακοειδές. Pro eo Galenus, & Paulus scripsere πρασοειδές. Sed quæro, quæ similitudo sit πράσυ, id est, porri, & lenticulæ. Vereor certe, ne aliud sit sentiendum de hoc empetro, quam quod hactenus ab omnibus existimatum est. Puto omnino reponendum in Dioscoride esse unius literæ mutatione ἔμπετρον, οἱ δὲ φυκοειδές. Hoc empetrum in saxis maritimis nasci ait. Et propterea a quibusdam dicebatur φυκοειδές. Quod fuco marino similis esset, & similiter ut ille in petris maritimis nasceretur, & quidem πρὸς τῇ γῇ, ut fucus Cretensis. Galenus, & Paulus vocant πρασοειδές. Quod idem est. Nam πράσον

B est fucus. Hesychius: Πράσα, τὰ βρύα, καὶ τὰ φυκία. Idem alio loco: φῦκος τὸ προσβρασσόμενον ἀπὸ τῆς θαλάσσης τῇ γῇ, ὅπερ ἔνιοι δὲ πράσον καλοῦσι. Videndus & Theophrastus. Idem igitur φυκοειδές, & πρασοειδές. Tradit autem Dioscorides φῦκος ἄσηπτον esse, hoc est, immarcescibile. Tale etiam fortasse empetrum, vel epipetrum φυκοειδές, quod Aristoteles vivere etiam memorat desectum. Sic scilla κρεμαμένη ζῇ apud Theophrastum. Hoc modo idem fuerit Aristoteli ἐπίπετρον Parnassium, & ἔμπετρον Dioscoridis. Aristoteles qui meminit herbarum ἐν ἄλλοις φυτοῖς nascentium viventiumque, nul-

C lam nominavit ἐπίθυμον inter illas præcipue memorandam. Cujus tamen nec Aristoteles, nec Theophrastus mentionem fecere, nisi hic sub nomine κασύτας illud intellexerit: quod non puto. In thymo nascitur spicato. At thymum Theophrasti capitatum est. Isidorus: *Epithymum Græcum nomen quod Latine dicitur flos thymi. Nam flos Græce thymum vocatur. Est autem flos thymbræ similis.* Hoc est, quod supra notabam, quosdam ἐπίθυμον accepisse pro flore alterius thymi, quod est thymbræ simile. E contra *thymum* pro ἐπιθύμῳ apud Serapionem: *Casuth, id est, cuscuta in Latino dicitur thyma.* Dioscori-

D des igitur ἐπίθυμον tradit esse florem thymi durioris, & thymbræ similis, ei tamen κεφάλια atribuit. Eo errore inductus Oribasius ἐπίθυμον & θύμον κεφαλωτὸν idem esse scribit: θύμον κεφαλωτὸν ἔνιοι, ἄλλοι δὲ ἐπίθυμον καλοῦσι, θαμνίον πᾶσι γνώριμον. Hinc inter thymi capitati cognomina τὴν ἐπιθυμίδα recenset Neophytus: οἱ δὲ θύμος κεφαλωτὸς, κοινῶς ματζεκόθρυμβος, οἱ δὲ ἐπίθυμος. Ex his constat epithymum pro thymi flore nonnullos intellexisse. Aliud tamen epithymum Dioscoridis, aliud Oribasii. Illud flos est thymi spicati. Hoc flos thymi capitati. Diversum ab utroque epithymum cuscuta, quod thymo spicato innascitur & circumvolvitur. Quæ omnia confuderunt

E auctores. Duo genera thymi: unum Italiæ & Galliæ notum quod est spicatum & thymbræ simile. Quod Romani olim propriè *thymum*, Italique hodie sic vocant, & sic nos vocamus. Aliud capitatum Græciæ familiare, quod in duo genera iterum dividitur, alterum quippe flore candido, alterum purpureo. λευκὸν & μέλαν Theophrastus nuncupat. Hoc thymum Latini veteres *thymbræ capitatæ* nomine indigetarunt. *Cunila capitata* Plinio. Hermolaus ὀρίγανον κεφαλωτὸν Hippocratis esse censebat. Cui non assentior. Origanum κεφαλοειδὲς est onitis, quæ κεφάλια habet, non σκιάδια, ut ceteræ. Dioscorides de oniti: καὶ τὸ σπέρμα ὥσπερ κορύμβους συνεχῆ ἐπικειμένους ἔχει. Hæc origani species κεβλὴν dicta antiquis Græcis, id est, capitata. Hesychius: κεβλήνη ὀρίγανος. Nam κέβλη est caput. Atque hæc hacte-

F nus, quæ omnia à Troglodytis reveximus. Quid opus erat inquies tam longinque petere quæ prope nos nascuntur? Ratio hæc est. Quum inibi essem propter myrrham, libuit etiam hæc parata vulgarium herbarum παρεμπορεύματα in naves onerare, quod vulgarem mihi saporem non habere viderentur.

Itaque exquisito Atlantico mari usque in occasum] Nempe ab India & oriente ipso usque in occasum exquisito Atlantico mari. Quod ἀτοπίαν omnem superat, estque maxime ridiculum. Plinianum tamen est, ne So-

G linianum tantum censeas. Id quod minus mirum esset.

Etiam Gorgadum meminit insularum.] Ita reposuimus ex libris. Vulgo erat: *Gorgonum:* Apud Plinium sunt *Gorgades* etiam in antiquitus editis, quas male *Gorgatas* esse voluerunt in postremis editionibus. In libris quoque Martiani scribitur: *Sunt & Gorgades insulæ obversæ promontorio, quod vocatur Hesperuceras.* Incertus auctor

ctor in scripto exemplari vocat *Gorgodes* pro Gorgades: *Fortunatæ atque Gorgodes Hesperidesque. Insulæ quod sunt in occidentali pelago Africæ multi nuntiant. Longius ab Africa Gorgodes quam Fortunatæ, & Hesperides quam Gorgodes.* Sed rectum *Gorgades:* αἱ Γοργάδες. Ita vocatæ insulę Gorgonum. Ex Γοργῶ, Γοργὰς, & Γοργίς. Nam & Γοργίδες dictæ. Hesychius: Γοργίδες, αἱ ὠκεανίδες. Sophocli in Dædalo Γοργάδες erant Celoces, à celeritate. Nam γοργὸς citus & celer. Hesychius: Γοργάδες, ἁλιάδες. Σοφοκλῆς Δαιδάλῳ. Idem: Γοργὸς, εὐκίνητος, ταχύς. Qui Gorgadas eas insulas incolebant miræ fuisse pernicitatis traduntur: Plinius: *Penetravit in eas Hanno Pœnorum Imperator, prodiditque hirta fœminarum corpora viros pernicitate evasisse.* Eas feminas vocat *Gorgadas.* Ita enim legendum ex libris: *duarumque Gorgadum cutes argumenti & miraculi gratia in Junonis templo posuit.* Sanè Gorgades feminæ, αἱ γοργάδες sunt veloces fœminæ, ut γοργάδες ἁλιάδες, cita navigia. An ex hac nominum similitudine, has Gorgadum insulas, id est, pernicium fœminarum, easdem fuisse, quas olim à Gorgonibus habitatas finxit vetustas, interpretati sunt? Sed in talibus nihil affirmare longè tutissimum. Illud constat fœminas illas quas miræ pernicitatis fuisse tradidit Juba, recte Græco vocabulo dictas Γοργάδας.

Obversæ sunt promontorio, quod vocamus Hesperion ceras.] Libri habent: *Hesperu ceras.* Atque ita apud Plinium: *& promontorium quod vocamus Hesperuceras.* Item paulo post: *ab iis ad Hesperu ceras unius.* Nec aliter Martiani Capellæ codices legunt. Ἑσπέρυ Κέρας volunt esse promontorium, quod vulgo dicitur *Caput viride.* Sed magis est ut sit illud promontorium, quod vocatur à Lusitanis *Cabo de las Palmas.*

Prodidit denique Xenophon Lampsacenus Hannonem Pœnorum regem in eas penetravisse.] Hoc obtinere vult Solinus, ut finis illi respondeat principiis, & toto in cursu sibi constet. Hanno vetustior Xenophonte Lampsaceno. Quomodo igitur hic de illo prodere potuit? Sed nec Plinii hæc mens, quam nec hic vidit noster, nec in somniis. Verba ejus sic habent: *Contra hoc promontorium Gorgades insulæ narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui navigatione distantes à continente, ut tradit Xenophon Lampsacenus. Penetravit in eas Hanno Pœnorum imperator, prodiditque hirta fœminarum corpora viros pernicitate evasisse.* Diversæ hæ sunt res, & diversi auctores. De Gorgadibus insulis tradidit Xenophon Lampsacenus contra promontorium Hesperu ceras obversas esse, & distare à continente bidui navigatione. At Hanno Pœnorum imperator scripto prodidit sese in eas penetravisse, & fœminas ibi invenisse toto corpore hirtas, quæ viros pernicitate evaserint. Hoc igitur ipse de se narravit Hanno, non Xenophon de eo dixit.

Pag. 63. D. *Hesperidum insulæ, sicut Sebosus affirmat, dierum quadraginta navigatione in intimos maris sinus recesserunt.*] Nec hoc dixit Sebosus, nec id illum dixisse refert Plinius in his verbis: *Ultra has etiamnum duæ Hesperides insulæ narrantur. Adeoque omnia hæc incerta sunt, ut Statius Sebosus à Gorgonum insulis prænavigatione Atlantis dierum* XL *ad Hesperidum insulas cursum prodiderit, ab his ad Hesperu ceras unius.* Hesperides insulæ longe νοτιώτεραι Gorgadibus. Nam Gorgades magis ad septentrionem. Sebosus Hesperidas ab insulis Gorgonum quadraginta dierum navigatione ad meridiem distare prodiderat, quo in cursu prænavigabatur Atlas. Per quæ significat à septentrione in meridiem ea navigatione procedi. At Solini sententia est Hesperidas à continente distare quadraginta dierum velifico cursu. Nihil enim aliud potest significare, quod ait eas dierum quadraginta navigatione in intimos sinus maris recessisse. Mens autem Sebosi ac Plinii fuit tot dierum numero abesse à Gorgadibus, quæ magis sunt septentrionales. Ab Hesperidibus porro ad Hesperu ceras unius diei cursum esse idem Sebosus tradidit, versus meridiem tendenti.

Fortunatas insulas contra lævam Mauritaniæ tradunt jacere.] Plinius: *Sunt qui ultra eos Fortunatas putant esse, quasdamque alias, quorum numero idem Sebosus etiam spatia complexus, Junoniam abesse a Gadibus* DCCL. M. *passuum tradidit.* De Autololibus intelligit, ultra quas Fortunatas esse quibusdam proditum scribit. Et totus ille locus

A sic junctim uno protelo legendus: *Nec Mauritaniæ insularum certior fama est. Paucas modo constat esse ex adverso Autololum à Juba repertas, in quibus Getulicam purpuram tingere instituerat. Sunt qui ultra eos Fortunatas putant esse, quasdamque alias, quarum numerum idem Sebosus, etiam spatia complexus Junoniam abesse à Gadibus* DCCL. *tradit.* Duas ibi sententias de Fortunatis insulis refert Plinius, unam Statii Sebosi, alteram Jubæ, satis inter se dissitas. Juba sex numero eas esse tradidit, Ombrion, duas Junonias, Caprariam, Nivariam, & Canariam. Ptolemæo quoque sex recensentur istis nominibus: Ἀπρόσιτος νῆσος, Ἥρας νῆσος, Πλουϊτάλα, Κασπειρία, Κεντουρία, Καναρία. B Sed Πλουβιαλία legendum pro Πλουϊτάλα, & Νιουαρία pro Κεντουρία. Vetus interpres legit Πιντουρία: & pro Χασπειρία, Καπραρία. At Sebosus meminit quidem Pluvialiæ, & Caprariæ, & Junoniæ insularum, sed eas à Fortunatis separavit: *Junoniam abesse à Gadibus* DCCL. *tradit. Ab ea tantumdem occasum versus Pluvialiam, Caprariamque. Ab his* CCL *Fortunatas contra lævam Mauritaniæ* VIII. M *passuum. Oram Solis vocari in convalle à convexitate, & Planariam à specie, convallis circuitu* CCC. M *passuum.* Non dubium est Pluvialiam Sebosi eamdem esse cum Jubæ Ombrio. Sed ille à Fortu- C natarum eam numero censuque segregat, Juba & Ptolemæus Fortunatis adnumerant, ut & Caprariam, Junoniamque. Quænam igitur erunt Fortunatæ Sebosi? Locus Plinii, quo eas commemorat, prodigialiter deformatus. Eam libri sic legunt: *Ab his* CCL. *Fortunatas, contra lævam Mauritaniæ in* VIII. *Oram Solis vocari in valle, à convexitate, & Planasiam à specie, convallis circuitu,* CCC. Apparet Sebosum duas tantum insulas Fortunatas agnovisse, idque non obscure ex verbis ejus elucet, etsi mirum in modum vitiatis. Pincianus corrigebat ex illis veteris scripturæ vestigiis: *contra lævam Mauritaniæ in* IX *horam Solis.* Acute quidem, D sed dubito an vere. Quid enim faciemus sequentibus verbis? planum est duas velle Fortunatas Sebosum: unam in valle sitam, & à convexitate appellatam: alteram Planasiam à specie, plana scilicet ac supina. Adde quod vetus liber scribit: *in* VIII, quod est, *in octo milibus.* At *octavam* planis plenisque literis scribi oportuit. Præterea in his loquutionibus, *horam Solis* non dicunt auctores, sed simpliciter *horam.* Atque ita sæpe Plinius loquitur. Agrimensor Innocentius: *à sexta hora, & à sextanea.* Videndum itaque quid voluerit Sebosus, aut potius quomodo scripserit Plinius. Mendosa etiam illa sunt: *& Planasiam à specie convallis circuitu* CCC. Patet dilucide illud *convallis* additum esse à sciolo, qui E putarit dictam à specie convallis, quia præcesserat in valle esse. Existimavit ergo de una tantum insula loqui auctorem. Atqui certum est duas Fortunatas facere Sebosum cum plerisque aliis veterum. Nec enim numero multitudinis eas concepisset, si unam tantum constitueret. Harum igitur altera Planasia, vel Planaria, à specie plana nempe ac supina. Sic supra de alia Planaria Corsicæ vicina: *Planaria à specie dicta, æqualis freto, ideoque navigiis fallax.* Plane hoc loco etiam legendum: *& Planariam à specie, circuitu* CCC. Ita enim solet de omnibus insulis: *Ilua cum ferri metallis, circuitu* C. Atque ita semper. Poterat etiam legi, *Planaria à specie æquali.* F Ex quo corruperunt, *convallis*, propterea quod de valle aliquid præcessisset. Nunc investiganda altera Sebosi Fortunata. Latet sane sub illis: *Oram Solis in valle à convexitate.* Ut Planaria à specie plana & æquali freto nomen habuit: ita oportet alteram illam in valle sitam à convexitate appellationem tulisse. An scribendum: *Cœlen in valla?* Sed Latinis vocabulis omnia illa insularum nomina extulisse videmus Sebosum: *Junonia, Capraria, Pluviaria, Planaria.* Proinde & in hac nomen etiam Latinum requirendum. Quare puto illum scripsisse: *Soliam in valle à convexitate, & Planariam à specie.* Verisimile prorsus *Soliam* vocatam à solii figura, id est, alvei balnearis: Græci ἔμβασιν dicunt. G Hæc in convalle sita solii balnearis faciem belle referebat. Ideo *Soliam* appellavit, ut *Planariam* à specie plana. Quemadmodum autem circuitum adscripserat Planariæ, sic videtur non debuisse tacere de circuitu Soliæ. Hoc dixerat in istis verbis, quæ sic legenda aio: *in* VIII. *ora Soliam, in valle à convexitate.* Dicit

oram ejus, id est, circuitum octo milia passuum collegisse. Quod si nimis arctus hic videtur numerus, potest ampliari non renuente veteri scriptura optimi libri, quæ habet expressum: *in* VIII. *oram.* Scripserat fortasse auctor: *in* LIIII, id est, in quinquaginta quatuor milibus. Potest & aliter reformari. Hoc voluisse Plinium pæne certus sum. Duæ tantum Fortunatæ priscis agnitæ. Sallustius in Fragmentis: *Cujus duas insulas propinquas inter se, & x stadiûm procul à Gadibus sitas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.* De Sertorio ibi loquebatur Sallustius, quem secedere in illas insulas voluisse produnt auctores. Plutarchus in Sertorii vita hunc ipsum locum Sallustii de Fortunatis insulis hunc in modum latius diffudit: Ἐνταῦθα ναῦταί τινες ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ νέον ἐκ τῶν Ἀτλαντικῶν νήσων ἀναπεπλευκότες, αἳ δύο μέν εἰσι λεπτῷ παντάπασι πορθμῷ διαιρούμεναι, μυρίους δ' ἀπέχουσι Λιβύης σταδίους, καὶ ὀνομάζονται Μακάρων. Vide reliqua. Decem milibus stadiûm abesse eas à continente Libyæ tradit. Corrigendum itaque in verbis Sallustii: *& x stadiûm procul à Gadibus sitas constabat*, id est, decem milibus stadiûm. Hodiernas Canarias veterum Fortunatas esse non nemini hodie placet. Situs tamen repugnat, quippe priscæ Fortunatæ longe magis meridiales. Paulo post edi voluimus: *de harum nominibus exspectari magna non miror.* Vel *exspectari magnum non miror.* Placebat Delrio: *exspectari magnum reor.* In scriptis plerisque est: *magnum miror.* Unde nos fecimus: *magna non miror.* Non miror inquit, exspectari magna de Fortunatis, ex nominis ipsius spectatione, sed res est intra famam vocabuli. Non respondet famæ vocabuli res ipsa.

In prima earum, cui nomen est Ombrion.] Melius scripsisset: *cui nomen Ombrios.* Plinius: *primam vocari Ombrion, nullis ædificiorum vestigiis.* Non τὸ ὄμβριον hujus insulæ nomen, sed ἡ ὄμβριος subaudiendo νῆσος. Videtur hæc esse quam *Pluvialiam*, vel *Pluviariam* vocabat Sebosus, licet eam Fortunatis non adnumeraret. In plerisque tamen libris Solini scriptum vidi, *cui nomen est Norion.* In aliis: *Nozion.* An *Orion*? Ὄρειον, quod montosa? De illa heic Solinus: *juga montium stagnis madescunt.* Plinius tantum dixit, *in montibus eam stagnum habere.* An *Nerion* ab illis stagnis quæ in montibus habet? νηρὸν τόπον apud Lycophronem grammatici exponunt, τὸν κοῖλον καὶ κάθυγρον. Et apud Galenum in Lexico τὸ ὑγρὸν νηρῶδες. Inde recentioribus Græcis νηρὸν pro aqua: de quo nos alibi. Auctor vetus Artis veterinariæ cap. DLXIV. νηρὸν vocat: καὶ ποτιζόμενος τὸ νίτρον σὺν τῷ νηρῷ. In Martiani libris qui sumpsit à Solino legitur: *Membrion dicitur.* Verum itaque *Ombrion.* Ptolemæo Πλουβιαλία.

Pag. 63. E. *Quæ candidæ aquas revomunt etiam potui accommodatas.*] In altera editione scripserat: *succis manant etiam potui accommodatis.* Non potui tantum idoneam, sed jucundam esse aquam, quæ exprimitur ex harum ferularum candido genere dicit Plinius: *arbores similes ferulæ, ex quibus aqua exprimatur, ex nigris amara, ex candidioribus potui jucunda.* De cannis saccharinis hæc intelligenda notare supra memini. Nec dum sententiæ pœnitet. Earum hodieque fertiles Fortunatæ. Et usum ex his hactenus tantum novisse apud quos nascerentur notavimus, ut succum exprimerent potui accommodatum, non ut coctione perficerent, & in panes cogerent, qua paratur hodie arte saccharum vulgare. Lucanus:

Quique bibunt tenera dulces ab harundine succos.

Indicam intelligit harundinem ex qua hodie fit saccharum, quod olim non fiebat, sed aqua duntaxat exprimebatur ad potum. Itaque saccharum priscis celebratum alius generis, & ex alia harundine. Harundo ea, quę saccharum veteribus cognitum fert, arboreæ est magnitudinis, & *mambu* ab Indis vocatur, & *saccharum mambu* hac ætate quoque appellant, quod in his harundinibus gignitur & colligitur. Cui notæ omnes ad amussim conveniunt, quas saccharo suo veteres adscribunt. De quibus satis supra dictum. Hoc μέλι καλάμινον eorum, & ἅλας ἰνδικὸν quod dentibus est friabile. Theophrastus in fragmento de melle, quod apud Photium extat, tria genera mellis facit, & triplicem generationem. Quam apes conficiunt, quæ ex aëre cadit, & manna est liquida recentiorum. Ἄλλη δὲ, inquit, ἐν τοῖς καλάμοις. Hæc generatio tertia mellis, quæ in harundinibus con-

A crescit, de melle calamino, sive saccharo antiquorum accipienda. Incertum habuere veteres, utrum ex harundine ipsa prodiret, an de cœlo in eam decideret. Plerique videntur existimasse de cœlo in harundinem labi. Hinc easdem illi virtutes attribuunt Dioscorides, & alii veterum, quas posterior ætas mannæ assignavit, in ventre solvendo præcipue. Hodie ejusmodi saccharum internis & externis ardoribus convenire asserunt, & biliosis febribus dysenteriisque bonum esse. Vetus auctor, qui περιήγησιν orbis scripsit sub Constantio, mella illa calamina de cælo originem habere innuit, & mannam plane putavit, ut ex versione Latina liquet, quam

B ex membranis Jureti olim descripsimus. De Seribus, & vicinis aliis gentibus ita loquitur: *prædicta autem gentes vivunt pomis, & piper & mella calamina: panem enim cælestem cottidianum accipiunt.* Sic enim erit scribendum: non, ut erat in membranis: *mella Camarina.* At Arabiæ insulæ Καμαρηνοὶ longius ab his locis absunt, quam ut *Camarina poma* inde nomen acceperint. *Camerinorum malorum* mentio apud Plinium lib. XV. cap. XIV. Sed heic locum habere nequeunt: *Patrias nobilitavere Camerina & Græcula.* Libri veteres optimi ibi legunt *Temeriana.* In aliis *Demeriana*, pro

C *Amerina.* Nam ita scribendum, ut cap. XVI. *Amerina maxime durant.* Alias *Camerina*, vel *Cameriana* dici etiam possent à Camaria Italiæ vel Siciliæ. *Camara* promontorium Indiæ nihil etiam huc facit. Quod Κομαρεὶ melius scribitur, hodie *Comorim* vocatur. Calamina igitur mella sunt, τὰ καλάμινα. Pro mannæ genere ea accepisse videtur auctor ille cum veterum plerisque. Ideo dicit populos illos, apud quos hæc mella reperiuntur, panem quotidianum cælestem accipere, quod de manna intelligendum cælo decidua. Sed pro comperto, ac certo hodie habetur, ex ipsa harundine generari id genus mel, & aliud esse à man-

D na. Græci quoque recentiores hoc saccharum μάννα Ἰνδικοῦ καλάμου vocarunt. Charito in compositione ἐφήμαντος ventri solvendo, & hepati juvando: καὶ λύσον ἐν αὐτῷ μάννα καλάμου Ἰνδικοῦ ἡ: καὶ ὀξυφοίνικον οὐγγία α'· καὶ μάννα ἁπλοῦν. Vides mannam vulgarem distinguere à manna harundinis Indicæ. De hac harundine mambu eadem tradunt recentiores, quæ prisci de harundine Indica, nempe in tantam crescere amplitudinem, ut singula internodia fissa lembunculum trium hominum capacem facile efficiant. Longe alia illa altera harundo Indica, quæ expressa succum reddit, unde saccharum conficitur. Hæc quippe multo mi-

E nor, nec vacua, aut concava, ut communes sunt cannæ. Hinc Ἰνδικοὺς καλάμους vocavit Democritus suppositivus in Eclogis Geoponicis, quos μεσοκαλάμους alii appellabant, qui locis illis, in quibus nascuntur, aquam subesse indicio sunt: καλάμους τε τοὺς καλουμένους Ἰνδικοὺς, ὑπὸ ἐνίων δὲ μεσοκαλάμους, ὑπὸ ἐνίων δὲ βαλίτας. Forte scribendum: ὑπ' ἐνίων δὲ βέλιτας. Ut eos calamos intelligat, ex quibus sagittæ fiunt. Non alius ad hoc idoneus quam qui est plenus intus ac solidus. Dioscorides: καλάμων δὲ ὁ μέν τις καλεῖται ναστὸς, ἐξ οὗ τὰ βέλη γίνεται. Ὁ δέ τις θῆλυς, ἐξ οὗ αἱ γλωσσίδαι τοῖς αὐλοῖς κατασκευάζονται. Utriusque harundinis meminit etiam Theo-

F phrastus plenæ & inanis: καὶ ὁ μέν κοῖλος, ὃν καλοῦσι συριγγίαν, ὁ δὲ στερεὸς καὶ συμπληρὴς μικροῦ. Democritus quoque eo loco utramque harundinem convinxit, solidam, plenamque, & concavam, quam συριγγίαν appellavit: καλάμους τε τοὺς καλάμους Ἰνδικοὺς, ὑπό τινων δὲ μεσοκαλάμους, ὑπ' ἐνίων δὲ βελίτας, καὶ συριγγίας δασεῖς καὶ ἁπαλοὺς, σημαίνειν φασὶν ὡς ἔχοντας ὕδωρ τοῦ τόπου. Ubi notabis συριγγίας ab eo dici concavas harundines, ut Theophrastus etiam dictas ostendit, easque distingui ἀπὸ τῶν μεσοκαλάμων, ex quibus fiebant sagittæ. Ita enim legendum in illis Democriti verbis: καὶ συριγγίας δασεῖς καὶ ἁπαλοὺς, non σύριγγας. Nec recte etiam apud Theophra-

G stum scribitur: ὃν καλοῦσι τινες σύριγγα. Plinium constat legisse συριγγίαν: *Calamus vero totus concavus, quem vocant syringiam, utilissimus fistulis.* Putavit appellatum συριγγίαν, quod ex eo fierent fistulæ. Hinc & *fistulatorium* vocat in indice: *De sagittariis, & scriptoriis, & fistulatoriis calamis.* Sed in eo falsus. Nam diserte ita dictum testatur Philosophus, quod totus esset concavus ad fistulæ instar, minimumque haberet carnis & ligni: καὶ ὁ μὲν

μϑ̀ κοῖλος, ὃν καλοῦσι τινὲς συρίγγιαν, οὐδὲν γὰρ ὡς εἰπεῖν ἔχει σαρκὸς ἢ ξύλου. Certum tamen est fistulas ex calamis compingi solitas. Unde & καλαμίνη σύριγξ. Sed idem calamus, qui tibiis erat idoneus, idem & fistulis utilis. Sed cur harundines illas faciendis aptas sagittis, Ἰνδικὰς vocat? nec enim saccharinas cannas censendus hoc nomine designasse. An à similitudine Indicæ harundinis saccharinæ, quod plenæ similiter essent intus ac solidæ? Recens sane auctor ille, ac falso nomen Democriti præfert. Alii auctores simpliciter scribunt signa capi, quibus locis suberunt aquarum scaturigines, si in iis locis nascantur harundines. Vitruvius: *Si invenientur nascentia tenuis juncus, salix erratica, alnus, vitex, harundo.* Paxamus in hydroscopico: ἔνθα πεφύκασι λύγοι, αἱ ὑπό τινων λεγόμεναι ἄγνοι, ἢ κόνυζα, ἢ ὄθλεις, ἢ κάλαμοι. Alio loco inter ea aquilicum indicia λεπτοὺς καλάμους recenset. Cassiodorus in eadem re significanda: *ut est juncus aquaticus, canna levis.* Democritus ille Pseudonymus utrumque genus harundinis expressit, τὸν μεστοκάλαμον καὶ τὸν συρίγγιαν. Sed ille proprie Indica. Τοξικὸν κάλαμον & Κρητικὸν quidam vocarunt. At Indica harundo sic proprie dicta nulla idonea sagittis memoratur apud veteres. Plinius tamen inter calamos sagittis aptas, etiam ponit *Indicos* lib. XVI. cap. XXXVI de calamis τοξικοῖς. *Quippe non eadem gratia Belgicis. Hac & Creticis commendatioribus. Quamquam præferuntur Indici; quorum alia quibusdam videtur natura, quando & hastarum vicem præbent additis cuspidibus. Harundini quidem Indicæ arborea amplitudo, quales vulgo in templis videmus.* Hac amplitudine non video quomodo usum sagittarum potuerint præbere, ne hastarum quidem tam amplæ præbuerint. Sed ex prava lectione Theophrasti id hausit, apud quem aut male legit, aut legi audivit ἀκοντίοις pro ἀκατίοις in his verbis de Indicis calamis: τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ εὐπαχεῖς ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι. Immo: ἀκαντίοις, ut supra pluribus probavimus. Hæc Indica est harundo *Mambu*, vel *Bambu*, inutilis prorsus sagittis præ magnitudine. Scio plane juxta cum ignarissimis, cur sagittarius calamus in Græcia & ubique nascens Indici cognomine vulgo notus fuerit, ut Democritus ille testatur. Ad hoc calamus iste Indicus, qui aliis Creticus, & τοξικὸς, quod habilis esset sagittis, in amnibus & aquaticis fere nascitur, ut & syringias. Verum enimvero auctor ille tradit eos calamos in argumentum trahi ab aquilicibus, ubi nascantur, ibi subesse aquam. Quod de aqua non apparente, sed intra venas terræ latente utique accipiendum. Ergo nec de amnica, aut stagnensi harundine hic μεστοκάλαμος & συρίγγιας exponendus, sed de ea, quæ in agris humidis provenit, & indicium facit aquæ latentis. Talis harundo vineatoria, quam serebant in agris humidis, solo bene subacto, ut esset quæ suppeditare posset juga ac pedamenta vineis. *Canna campestris* dicitur Columellæ. Ceteri auctores non ex sagittaria, aut syringia harundine signum peti dixere de aquæ copia sub terra manantis, sed ex tenui ac levi canna. Λεπτὸν κάλαμον vocat Paxamus. Vitruvius simpliciter *harundinem* nominat, & vulgarem, sive communem intelligit, cujus usus in Italia ad vineas. Dioscorides inter harundinum genera λεπτὸν illum, & omnibus notum φραγμίτην appellat: ὁ ἕτερος φραγμίτης, πᾶσι γνώριμος. Græcis hodiernis vocatur βάλεεις. Neophytus in glossis iatricis: κάλαμος φραγμίτης, ὁ βάλεεις. Quod & apud alios reperi. *Vulgaris harundo* est Plinio lib. XXIV. cap. XI. Is esse videri posset, qui & χαρακίας Theophrasto dicitur. Nam χαρακίας idem & φραγμίτης. *Characias* autem appellatur, quod χάρακας præbeat vineis, & pali perticæque ex eo fiant. Ἰσχυρὸν & παχὺν eum facit Theophrastus. E contra Dioscorides λεπτὸν καὶ ὑπόλευκον. Non hæc concordant. Et tamen idem φραγμίτης & χαρακίας. Idem Theophrastus maxime vulgarem harundinem δόνακα vocari tradit: κοινότατον δέ πως ὁ δόναξ. Sed in aquaticis tantum nasci scribit juxta amnes & stagna. Dioscorides hunc concavum totum esse vult, & crassum: ὁ δέ τις παχὺς καὶ κοῖλος καλούμενος παρὰ ποταμοῖς φυόμενος. Ὃς καὶ δόναξ καλεῖται, ὑπό τινων δὲ κύπριος. Nec in eo rursus conveniunt quod Dioscorides συρίγγιαν carnosum, & Theophrastus prorsus carne ac medulla

A vacuum tradit: ἄλλος δὲ συρίγγιας πολύσαρκος, πυκνογόνατος, εἰς βιβλιογραφίαν ἐπιτήδειος. Theophrastus contra: ὁ μὲν κοῖλος, ὃν καλοῦσι συρίγγιαν: οὐδὲν γὰρ ὡς εἰπεῖν σαρκὸς ἔχει ἢ ξύλου. Theophrasto suffragatur nomen ipsum συρίγγίας, quod concavum significat, ut est σύριγξ. Dioscorides eo nomine fortasse intellexit, qui faciendis fistulis optimus esset. Τὸν κοῖλον ἀπὸ τοῦ συρίγγίου plane distinguit. Ad scribendum utilem τὸν συρίγγιαν hunc esse narrat; qui multum habet cartilaginis atque carnis. *Cnidium calamum* ad hunc usum Ægyptiumque probarunt veteres. Plinius: *Chartisque serviunt calami Ægyptii maxime cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Cnidii,*
B *& qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. Nostratibus fungosior subest natura, cartilagine bibula quæ cavo corpore intus, superne tenui inarescit ligno, fissilis præacuta semper acie, geniculata cetero gracilitas nodisque distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina crassiore panniculæ coma.* Ita hæc legenda ac distinguenda. *Fissilem præacuta semper acie* dicit, quæ cùm finditur, semper in præacutam aciem assulæ ejus desinunt. *Cnidiæ harundinis* pro calamo scriptorio passim mentio apud Poëtas Græcos Latinosque. Ausonius: *Cnidiæ sulcus harundinis* de calamo scriptorio. Epigramma vetus in supellectile librarii:

Καὶ σπόγγον καλάμων φάισορ' ἀπὸ Κνιδίων,

C id est, σπόγγον ἀποψαίστορα καλάμων Κνιδίων, *spongiam qua extergentur calami scriptorii.* Ita ille versus legendus. Multa alia harundinum genera exequitur, de quibus nos alibi. De harundine quadam Indica circa Acesinem nascente scribit Theophrastus, non in erectum eam surgere, sed in humum spargi vice graminis: γένος δέ τι καλάμου φύεται καὶ ἐπίγειον, ὃ οὐκ εἰς ὀρθὸν, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἀφίησι τὸν καυλὸν, ὥσπερ ἡ ἄγρωστις, καὶ οὕτω ποιεῖται τὴν αὔξησιν. Circa Acesinem amnem gigni paulo post meminit, & in marem ac fœminam dividi. Marem esse plenum ac solidum, fœminam inanem & concavam. Hanc par-
D tem de concavo & solido genere Indicæ harundini recte attribuit Plinius, ubi & mari spissius corpus, fœminæ capacius esse dicit, non recte exprimens auctoris Græci sententiam. At priorem partem, quæ tractat de modo crescendi per terram, qui proprius est illius harundinis Indicæ, hinc separavit & ad genus aliud translulit. Sic autem locum illum reddidit: *Est & obliqua harundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens, suavissima in teneritate animalibus. Vocatur à quibusdam elegia.* In paucis verbis plura errata. Putavit illius harundinis proprium esse nomen ἐπίγειον. Ita enim legi debet: *Vocatur quibusdam epigea.*
E Theophrastus vero ἐπίγειον vocat hanc harundinem, quia per humum serpit, nec attollitur in aërem subrecta. *Juxta terram fruticis modo se spargere* dicit Plinius, quod longe est à mente Theophrasti, qui ἐπὶ γῆς καυλὸν ἀφιέναι, memorat ὥσπερ ἄγρωστις, per terram caulem emittere instar graminis. Ἄγρωστις, sive gramen non est frutex, sed herba. Non juxta terram se spargit, sed in terra ipsa, ac per humum funditur. Credidit harundinem id genus non in excelsitatem crescere, sed humilem manere, fruticis modo, qui non alte è terra surgit, verùm juxta eam se spargit in plures stirpes. Hoc quippe proprium τοῦ θαμνώδους generis. Cete-
F rum illæ arundines prorsum χαμαικλινεῖς, & per terram fusæ, & sic incrementum capiunt, ut supra ostendimus ex Strabone in exercitatione de saccharo. Sic de gramine dixit Dioscorides: κλήματα γονατώδη ἕρποντα ἐπὶ τῆς γῆς. Quod autem suavissima teneritate harundinem illam animalibus esse idem Plinius ait, id in Græcis non comparet, sed ex Græcis tamen hausit. Verba ille ὥσπερ ἡ ἄγρωστις non ita accepit, ut par fuit de natura harundinis & crescendi indole, quæ per humum serperet graminis modo, sed hariolatus est dicere Theophrastum, caulem hujus harundinis æque dulcem esse animalibus ut est gramen: ἀφίησι καυλὸν ὥσπερ
G ἄγρωστις. *Caulem emittit graminis modo dulcem animalibus.* Hæc Plinii imaginatio fuit. Gramen appeti ab animalibus plus notum quam ut debeat indicari. Sequitur statim apud Plinium: *Est & in Italia nascens adarca nomine, palustris, sed ex cortice tantum, sub ipsa coma, utilissima dentibus, quoniam vis eadem est quæ sinapi.* Cur huic adarcæ inter harundines locum esse voluerit, nescius sum. Ita autem illa legenda sunt. Probarem etiam

Hhhh 3 scribi:

ſcribi: [illegible] & *in Italia naſcens adarca, calami paluſtris ex cortice tant[illegible] ſub ipſa coma.* Quod eſt veriſſimum. Ex cortice cala[illegible] paluſtris ſub ipſa coma naſci vult adarcam. Quaſi de herba loquitur ita naſcente. Heſychius: Ἀδάρκης, βοτάνη. Pro *utiliſſima dentibus*, optimus liber habet, *utiliſſime dentibus.* Scribe: *utilis medentibus.* Idem lib. xx. cap. xxii de ea ita verba facit, quæ vulgo depravatiſſima ſunt, ad hunc modum reſtituenda: *Sinapis naturam effectuſque eoſdem habere traditur adarca inſtar ſalis coacta, in cortice calamorum naſcens.* Vulgo eſt: *inter ſilvas tacta.* Quod nihil ſignificat. Dicit inſtar ſalis coactam & concretam in cortice calamorum naſci adarcam. Dioſcorides ἐπίπαγον ὑφαλμυρίζοντα vocat περιπηγνύμενον καλάμοις καὶ χορταρίοις. Poſſet etiam legi: *Adarca inter ulvas, atque in cortice calamorum naſcens.* Dioſcorides χορτάρια vocat ſubintelligendo paluſtria. Paulus Ægineta φορυτοὺς appellat: Ἀδάρκη, οἷον ἀφρός τις ἐστὶν ὕδατος ἁλμυροῦ περιπεπηγὼς φορυτοῖς τε καὶ καλάμοις. Ita enim eo loco legunt libri vetuſtiſſimi: περιπεπηγὼς φορυτοῖς. Plinius vertit: *inter ulvas naſcens*, immo debuit: *circa ulvas paluſtres concreſcens.* Concreta eſt ſalſugo ex ſpuma aquæ dulcis & marinæ, quæ adhæreſcit calamis & ulvis, ubi ſiccatæ ſunt paludes. Idem lib. xxxii. cap. xi ex alio, ut videtur, auctore: *Inter aquatilia dici debet & calamochnus, Latine adarca appellata. Naſcitur circa harundines tenues è ſpuma aquæ dulcis & marinæ, ubi ſe miſcent.* Non ſinapi jam comparatur, nec ex cortice calamorum naſcitur. Sed miror illi placere Latinum eſſe *adarca.* Certe ſic Latinum eſſet ut *charta.* Ὁ ἀδάρκης, hæc *adarca*: ut ὁ χάρτης, hæc *charta.* In libris tamen Græcorum omnibus ſcriptis & editis ἀδάρκη ſcribitur, & fœminino genere enuntiatur, ἡ ἀδάρκη dicitur, & τὸ ἀδάρκιον. Καλαμόχνους, quaſi concreta lanugo calamorum. Æque rectum eſſet καλαμάχνη. Nam ἄχνη proprie eſt ἀφρὸς τῆς θαλάσσης: unde ἁλὸς ἄχνη. Sed idem eſt χνοῦς. Libri habent *calamachnus.* In vetuſtis codicibus ſcribitur *calamochanus*, & de *calamochano.* In indice lib. xxxii. *Adarca, ſive calamochnus* iii. Græci etiam λιμνῆτιν, aut λιμνῆσιν eam vocarunt. Neophytus in Lexico: λιμνῆσις ἡ ἀδάρκη. Galeno de antidotis primo, λίμνηστρον & περικαλαμῖτις, quod circa calamos concreſcat. Apud auctores veterinariæ Græcos in malagmate κλῃνῶν vocatur ἀδάρκη καλαμῖτις, eodem ſenſu στύραξ καλαμῖτις, quod circa calamos concreſcat. Calamus etiam Indicus dictus aromaticus. In campis hic & hortis ſeritur, non provenit in aquaticis. An cannam campeſtrem, quæ ſimiliter in agris ſerebatur, ideo vocarunt cannam Indicam? Certe de ea campeſtri harundine capiendum eſſe Democriti locum palam eſt. Non tamen ille calamus plenus & ſolidus, craſſior tamen quam ceteri. Calamum aromaticum hodiernum eſſe acorum veterum dubitari non poteſt, quia Græci omnes recentiores id teſtantur, & calamum aromaticum exponunt ἄκορον. Neophytus & alii: Κάλαμος ἀρωματικὸς, ὁ ἄκορος. Item: Ἄκορον ὁ κάλαμος ἀρωματικός. Meminit & Theophraſtus in libro de lapidibus. Ἰνδικῶν καλάμων ἀπολελιθωμένων, cum corallio. Lapideorum hujuſmodi calamorum etiam apud neotericos mentio, ut in epiſtola quadam Mathioli, niſi memoria injuriam mihi facit, quos pro calamo aromatico quibuſdam acceptos narrat. Forte corallium inane & concavum, τὸ συριγγῶδες calamos eſſe Indicos in lapidem duratos quidam interpretati ſunt. Vide Plinium. Redeamus ad harundinem Indicam, quæ & ſaccharina. Græci recentiores γλυκυκάλαμον vocant genus harundinis, cujus nomen ob dulcedinem recte quadraret in hanc harundinem, de qua hodie ſaccharum elicitur & conficitur. Non eſſe tamen conſtat. Hujus crebra mentio apud Myrepſum. Ibique in omnibus locis γλυκυκάλαμον. Fuchſius pro caſia purgante accipit. Quod videtur ratione carere. Hæc caſia non eſt harundo. Nec adeo dulcis eſt, ut nomen ex dulcedine compoſitum vindicare ſibi veluti proprium debeat. Latinitas infima, aut potius Arabum Latini interpretes *caſiam fiſtulam* huic ſolique nomen fecere. Sed fiſtula non eſt proprie κάλαμος. Miratus ſæpe ſum, nec abſtiti adhuc mirari cur *caſiam fiſtulam*, aut cur omnino *caſiam*, id genus ſiliquæ Ægyptiæ recentiores vocaverint. Nam

A caſia fiſtula etiam Græcis infimi ævi, pro caſia veterum ſumitur, quæ κασία σύριγξ illis dicitur. *Canellam* hodie vocamus, vel *cinnamomum.* Magnopere autem errant medici omnes neoterici, qui ubicunque apud Myrepſum, aut alios Græcos recentiores mentio occurrit *caſiæ fiſtulæ*, quam κασίαν φίστουλαν dicunt, de caſia hac vulgari, quæ ſiliqua eſt, capiendum contendunt. In multis compoſitionibus apud Myrepſum caſia lignea, id eſt, ξυλοκασία, & caſia fiſtula ſimul ingrediuntur. Ex eo colligunt per caſiam fiſtulam debere intelligi ſiliquam Ægyptiacam, ut diſtinguatur à zylocaſia, quam accipiunt pro caſia aromatica. Ut
B in Adrianea antidoto Myrepſi ξυλοκασία, & κασία φίστουλα ſimul locum habent. Et in antidoto achariſto alia apud eundem: ξυλοβαλσάμου, κασία φίστουλα, ξυλοκασία, καλάμου ἀρωματικοῦ. Quia inquiunt in his ligneæ caſiæ mentio eſt, quæ aromatica eſt caſia ſupervacaneum eſſet κασίαν φίστουλαν de eadem caſia aromatica intelligere. Ergo *caſia fiſtula* in his & aliis pleriſque compoſitionibus, ubi cum zylocaſia adhibetur, de ſiliqua Ægyptia purgante accipi convenit. Apud Charitonem in compoſitione Αἰγυπτία, quam ex Oribaſio ſumpſit, κασία ſimul & ξυλοκασία ingrediuntur ἑλενίου ἀνὰ ἑξάγια ιδ. Ἀρτεμισίας ἑξάγια ιε. κασίας ἑξάγια θ. ξυλοκασίας ἑξάγια ι. Nemo hic
C poſſit κασίαν de purgativa caſia accipere. Nunquam enim Græci recentiores eam κασίαν abſque adjuncto nominant. Nec hilum facit, quod ſimul cum zylocaſia ponitur. Eadem ratione poſſent & cinnamomum expungere ex illis omnibus antidotis & unguentis, in quibus una cum cinnamomo inditur. Dicerent quippe κιννάμωμον ſupervacaneum eſſe, ubi ξυλοκιννάμωμον habetur. Certe differentia par eſt inter κασίαν & ξυλοκασίαν, quæ inter κιννάμωμον & ξυλοκιννάμωμον. Nec enim hoc nomen ξυλοκασίας factum eſt, ut diſcerneretur à caſia vulgari ſiliquacea, ſed ut eodem modo diſtingui poſſet ab alia ſpecie caſiæ, ut zylocinnamo-
D mum à cinnamomo diſtinguitur. *Macer* cortex eſt arboris aromaticæ. Ξυλομάκερ aut craſſior cortex ejuſdem arboris, aut lignum ipſum concedunt, nec ſane aliter poſſunt φίστουλαν & κασίαν φίστουλαν apud Myrepſum aliquando poni pro caſia aromatica; ut in antidoto clv. Δρακοντείου αἵματος, φιστούλας, χαλβάνης. Notant eo loco adjiciendum eſſe κασίας φιστούλας, ut intelligatur caſia lignea, quam Græci etiam *fiſtulam*, id eſt, σύριγγα vocant. Nihil opus ea additione. Nam & *fiſtula* ſimpliciter appellatur hæc caſia, ut in Canticis: *Nardus & crocum, fiſtula & cinnamomum.* Ubi *fiſtula* eſt, quæ Græcis κασία σύριγξ, Myrepſo multis locis *caſia fiſtula*,
E quæ eſt caſia aromatica. Ut in Athanaſia ad dyſentericos: Κασία φίστουλα, κιννάμωμον ἀνὰ δραχμὰς τρεῖς. Ibi κασία φίστουλα, de caſia aromatica, id eſt, de caſia ſyringe intelligenda. Sic ubi κασίαν φίστουλαν cum zylocaſia jungit, in eadem compoſitione nihilo ſecius de hac ſyringe caſia accipiendum, non de cathartica, ut vocant. Apud Vegetium de arte veterinaria ſexcentis locis caſiæ fiſtulæ fit mentio de aromatica caſia utique intelligendæ, quam Græci ſcriptores veterinarii ubique κασίαν σύριγγα appellant, quidam etiam κασίαν αὐλὸν, quod idem eſt. Ut capite ccclviii. Πρὸς κολικοὺς καὶ δυσεντερικοὺς: ὑσσώπου Γο β'. κασίας αὐλοῦ Γο α'. κόψας
F καὶ σήσας ἀνάλαβε ὄξει δριμεῖ. Ubi κασία αὐλὸς eſt caſia fiſtula aromatica. In antidoto Adriani iii. ξυλοκασίαν & κασίαν una ingredi facit Myrepſus, & κασίαν ibi appellat, quam in præcedente antidoto κασίαν φίστουλαν dixerat. Græci vero κασίας nomine, etiam qui infimo ævo vixere, non aliud intelligunt quam aromaticam caſiam. Confitendum tamen eſt multas apud Myrepſum compoſitiones occurrere, in quibus κασίαν φίστουλαν de cathartica vulgari caſia interpretari debemus. Ut in antidoto *alcancali*, & διὰ ταμάρων, & aliis quam pluribus. In antidoto διὰ Δαμασκηνῶν, ubi Fuchſius notat in Græco exemplari, quo uſus eſt,
G fuiſſe γλυκοκαλάμου, in omnibus Græcis exemplaribus, quæ vidi, plane ſcriptum eſt, κασία φίστουλα hoc modo: εἶτα λαβὼν ὀξυφοίνικον οὐγγίαν μίαν, κασία φίστουλα κεκαθαρμένη οὐγγίων μίαν, μαλάξας μεθ' ὕδατος θερμοῦ σκεύαζε. Et Latina Nicolai exemplaria habent, & *caſiæ fiſtulæ medullæ unciam unam.* Aliud eſt γλυκυκάλαμος. Quoties de caſia cathartica loqui vult Myrepſus non *caſiam fiſtulam*

fistulam simpliciter nominat, sed κασίαν φίσυλαν κεκαθαρμδύλυ, ut distinguat à casia fistula, sive casia syringe aromatica. Alii medici recentiores in lingua vulgari Græca κασίαν καθαρισμένlω vocant. Actuarius de methodo medendi lib. v. cap. 11 κασίαν μέλαιναν appellat, & fructum ejus, hoc est, siliquam συριγγώδη esse καὶ πρόμακρον scribit. Inde *casiam fistulam* vocarunt. Quod idem Actuarius *casiam nigram* eam indigetat, non id satis ad faciendum discrimen à casia aromatica, cujus species quædam nigra etiam casia dicebatur. Mentio apud Scribonium Largum cap. XLII. *casiæ rufæ fistularis*, & *casiæ nigræ*. De ea Dioscorides: ἡ καλουμένη ἀσυφήμων μέλαινα ἢ ἀηδὴς, καὶ λεπτόφλοιος. Nigræ etiam mentio apud Plinium. Sic diversissima genera habemus, iisdem nominibus nuncupata, casiam nigram catharticam, & casiam nigram aromaticam. Item *casiam fistulam* similiter catharticam, & casiam *fistulam* aromaticam. Hæc casia fistula aromatica diversa à xylocasia, sive casia lignea, ut vocant, quam Græci etiam κασίαν ξυλικlω dicunt. In Digestis de Vectigal. & Publicanis leg. XVI ita distinguuntur: *Nardus, casia surinx, xylocasia.* Quæ crassior esset, & magis lignea, ita videntur vocasse. Dioscorides etsi admodum incertà & obscura tradat de casiæ generibus ac differentiis, utriusque tamen meminit. Ἐκλέγου δὲ, inquit, τlὼ ἔγκιρρον, εὔχρουν, κοραλλίζουσαν στενlὼ λίαν, μακρὰν, ἢ παχεῖαν, ἢ συρίγγιοις πλήρη. Quæ crassa est, & fistulis plenis, hæc ξυλοκασία censeri debet. Auctor peripli σκληροτέραν κασίαν appellat: καὶ λίβανος ὁ περατικὸς ὀλίγος, καὶ κασία σκληροτέρα, ἢ δύακα, ἢ κάγκαμον. Dioscorides hanc *daphnitin* à mercatoribus Alexandrinis vocatam tradit, à barbaris indigenis ἄχυ. Plinius: *His addidere mangones, quam daphnitin vocant, Isocinnamon cognominatam.* A similitudine cinnamomi sic cognominata, ἰσοκίνναμον. Sic ἰσόπυρον herba à similitudine tritici: ἰσόθεος vir divinus: ἴσαρον herba aro similis. Aliqui δρακόντιον, alii ἀρίδα sic vocarunt. Unde in libris Dioscoridis ἀρὶς ἢ ἴσαρον, pro quo ἀρίσαρον perperam inolevit. Sic ἰσόπτερον multipeda, quem Græci ἴουλον, & κατοικίδιον ὄνον vocant, quia tactus in orbem pilulæ, vel piso simillimum sese convolvit. *Clausiportam* vulgo appellamus. Sed male ita pronuntiamus pro *clausiporca.* Nam porcæ sunt clusiles. Græci σκρόφας & σκρόφας vocant. Et duorum sunt generum, quæ ad tactum sese claudunt, & comprimunt: & quæ non id faciunt. Neophytus: ὄνοι κατοικίδιοι, οὓς κοινῶς κουβαρίδας, καὶ σκρόφας καλοῦσι. Sic *porta* pro *porca* in glossis: *porta*, τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. *Porcelliones* vocantur Cælio Aureliano de tardis passionibus lib. I. cap. IV. Hesychius: ὄνος ἰσόπτερος ἐστὶ δὲ ζῶον πολύπουν σκώληκι ὅμοιον, ὃν ἢ ἴουλον τινὲς φασί. Respexit ad hunc versum Sophoclis ex Κωφοῖς Σατύροις tragœdia:

---- κυλισθεὶς ὡς τις ὄνος ἰσόπτερος.

Ita igitur & casia ἰσοκίνναμον, cinnamo similis. Non igitur hæc in fistulaceo cortice, sed in surculis afferebatur, ut cinnamomum. Ideo & surculis lauri adulterari solitam scribit: *Adulteratur styrace, & propter similitudinem corticum, lauri tenuissimis surculis.* Hoc differebat veterum cinnamomum à casia. Quippe hæc cortice tantum constabat, in fistulæ modum complicato, cinnamomum in surculis & ramulis ipsis adferri solebat. Hinc ῥάβδων meminit Dioscorides in cinnamomi historia, at συρίγγων in casiæ descriptione. Nam cortex solus è casia fistulaceus adportabatur. Plinius de casia: *tenui cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamo, abire & exinaniri pretium est.* Ita legendum. Cinnamum enim damnabatur, cujus cortex abiret. Idem ex nostra correctione: *damnatur in primis molle, aut cui abit cortex.* Cinnamomum igitur in surculis & ramulis cortice suo vestitis veniebat. Theophrastus ῥάβδους vocat. Dioscorides ῥαβδία, qui optimum cinnamomum debere esse ait, λεπτὸν τοῖς ῥαβδίοις καὶ λεῖον, ὄζοις συνέχεσι κεχρημένον. Galenus de antidotis lib. I. κλωνία, id est, ramulos. Herodotus antiquissimus auctor κάρφεα vocat, id est, surculos Musa tertia: ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα, τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κιννάμωμον καλέομεν. Grammatici κάρφεα interpretantur ξύλα λεπτὰ ἢ ξηρά. Non de cortice hæc vox capienda, sed de ramulis ac cremiis

A cum suo cortice. Ea virgulta ex nido certarum avium decuti persuasum antiquitati jam inde ab Herodoto. Sed phœnicem esse è cujus nido deferentur, creditum miror plerisque veterum. Statius:

---- *Phariaque exempta volucri*
Cinnama.

Martialis:

Quod semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbæ
Flagras plumbea Nicerotiana.

Palam est per *alitem superbam* dicere velle phœnicem. Hæc supra jam ventilavimus. Cinnamomum à casia
B sunt qui hodie diversum velint, nec tamen sciunt, qua in re fuerit differentia. Alii omnibus modis, & quovis pignore contendunt cinnamomum & casiam idem esse. In his est Garcias ab Horto. Scaliger Julius hoc solum distare putat casiam à cinnamomo, quod casia cortex sit ligni crassioris, cinnamomum ex virgultis tenuioribus sumatur. Atqui pro certo jam obtinere debet corticem ligno suo exemptum cinnamomi nomine veteribus notum non fuisse, qui surculos ipsos cum suo cortice ita vocarunt. Herodotus: τὰ κάρφεα ταῦτα, ἅπερ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες, κιννάμωμον καλέομεν. Certe Hebræis dicitur קנמן κίνναμον. Quod à Phœ-
C nicibus habuere, ut & Græci, qui tamen frequentius κινάμωμον dixere quam κίναμον. Nicander tamen in Theriacis κίναμον posuit:

---- ἀμφὶ δὲ ἄγνου
Σπέρματα βαλσαμόεντε ἢ ἐν κινάμοιο βάλησθα.

Sic Græcum κασία ex Hebraico קציעה *keziach.* Vocabulum κίναμον apud alium Græcum auctorem non legi, quam Nicandrum, sed omnes vocant κινάμωμον. Inde pro amomo quidam olim accepere. Sed ridiculus Garcias, qui cinnamomum voluit esse amomum Chinense. Idem porro Scaliger in Zeilam, quæ est Taprobane veterum, & Mutir, quæ una est ex Mo-
D luchis, plurimum gigni cinnamomum notat, æstu corticem findi ac deglubi, ibique vocari *caunama*, id est, lignum dulce. Nam *cau* significare lignum in illa lingua: *nama* dulce. Atque inde, ut putat, cinnamomum. Ego non puto. Deterior casiæ species in Malaïo vocatur *cais manis* teste Garcia, quod significare ait lignum dulce, pro quo corrupte apud Scaligerum *caunama.* In Malavar *cameaa* dicitur. Ab his vocabulis *cais mais* & *cameaa* non longe abludit Hebraicum קנם *chanam*, quod etiam cinnamum significat, non tamen ut huic illa dedisse originem credam. Ex illo *chanam*, kinnamon. Andreas Bellunensis in Arabica
E interpretatione nominum Avisenæ notat *kamaha* juxta quosdam significare calamum aromaticum. Id vocabulum idem videtur cum illo *cameaa*, quo in Malavar casia appellatur. Sic vocem Hebraicam קנה, quæ cannam significat, quidam magistri calamum aromaticum interpretantur, alii *canellam*, sive casiam. In Zeilam *cuurdo* appellatur casia, quæ in Malayo *caismanis*, unde *casiam* dictam hariolatur Garcias. Infima ætas Græci Latinique imperii κιννάμωμον & κανέλαν confundit, & illud per hanc exponit. Arabes quoque cinnamomum vocant, quæ aliis κανέλα. Glossæ Græcobarbaræ: κανέλλα, κινάμωμον. Atqui canella casia est
F fistula in totum diversa à cinnamomo veterum. Nam canella est *cannella*, parva nimirum canna. Quæ est κασία σύριγξ. Hinc Hebraicum קנה, quod calamum significat, Rabbi David interpretatur canellam. Canna est σύριγξ. At cinnamomum veterum non in cortice cannaceo fistulari, sed in surculis. Casia cortex merus, cinnamomum surculus. Dioscorides casiam esse, quæ cinnamomum simulet, & vicissim genus cinnamomi haberi casiæ simile dicit. Ut cinnamomum Mosylicum, quod similitudinem habere ait cum Mosylitica casia. Mosyliticam vero casiam βλαστὸν vocat μοσυλῖτιν, id est, *Mosylicum germen.* Τρίτη δὲ ἐστὶ ἡ καλουμένη βλαστὸς μοσυλῖτης: Αἱ δὲ λοιπαὶ εὐτελεῖς ὡς ἡ καλουμένη ἀσύφη, μέλαινα
G ἢ ἀηδὴς ἢ λεπτόφλοιος ἢ φλοιορραγής. Ita hæc legenda. Male legitur ἀσυφήμων. Quod alii mutant in ἀφυσήμων, alii ἄφημον quasi Græca sint vocabula. Ἀσύφη nomen est casiæ, ut constat ex auctore peripli rubri maris, ubi plures casiæ species recenset. Γίνεται δὲ τὰ ἐν αὐτῷ κασία καὶ γίζειρ, καὶ ἀσύφη, καὶ ἄρωμα, καὶ μάγλα,

γλα, ἢ μ[illegible]. Quæ omnia sunt nomina variarum casiæ specierum. Galenus lib. I. de antidotis, ubi plura enumerat casiæ genera: ἐπειδὴ τὴν μὲν γίζειρ μάλιστα ἐπαινοῦσι, ἐφεξῆς δὲ τὴν μωτὼ καλουμένην. Ita quoque legendum apud Dioscoridem: περὶ ταύτης δὲ ἐστὶν ἡ μέλαινα καὶ ἐμπόρφυρος παχεῖα γίζειρ καλουμένη. Non recte ζίγιρ in vulgatis. Neophytus: γίζειρ, κασία, in littera Γ. Vix dubium habeo quin Plinius ex duobus barbaris casiæ nominibus conflarit illud nomen *balsamodes*, quo speciem quandam casiæ appellatam asserit ab odore simili. Fortè in auctore legerat βάγλα μωτὼ, ex quo illæ balsamodes somniavit. Mirum verò supra omnia quæ mira sunt, auctorem peripli, qui diligentissimè merces omnes Indicas & Arabicas recenset, & inter has omnes casiæ species commemorat, nusquam cinnamomi mentionem fecisse. Galenus narrat verum cinnamomum propter raritatem & excellentiam solitum servari in thesauris Imperatorum, nec vulgo notum fuisse. Sanè hodie nusquam tale affertur, quale à veteribus describitur. Volunt tamen, & validè volunt neoterici eandem esse arborem, è qua cinnamomum sumitur, & ex qua casia. Potest fieri ut verum sit. Summi surculi deputati, vel virgultorum tenuissimæ partes recisæ, ex frutice casiæ pro cinnamomo veteribus veniebant. Plinius de cinnamomo: *Præcipua bonitas virgultorum tenuissimis partibus ad longitudinem palmi. Secunda proximis, breviore mensura atque ita ordine. Vilissimum quod radicibus proximum.* Et paulo post: *qua de causa præferuntur cacumina, ubi plurimus cortex.* Galenus cacumina illa ἀκρέμονας vocat, ubi de carpesio agit, cujus festucas similes esse ait τοῖς κινναμώμου ἀκρέμοσι. Ergo nihil aliud verum cinnamomum veteribus quam extremitas sarmentorum in arbore amputata. Et sarmenta illa sic recisa, surculique tenues pro cinnamomo venum ibant. Ex eo videtur fuisse rarum cinnamomum earumque, quod fortasse raro usurparetur ejusmodi fruticis amputatio, utpote in perniciem casura ejus. Casia autem, sive cortex, qui ex eadem arbore eximebatur, ea re vilior communiorque, quia arbores illæ sæpius solerent deglabrari renascente subinde cortice. Quippe hodie narrant detracto cortice arboris canellæ, sive cinnamomi post triennium alium suffici, & iterum deglubi. Cortex ille in fistulam convolutus, qui nobis est pro canella, quique antiquis pro casia fuit, integri rami, vel surculi superficies videtur, quum tamen fragmentum sit majoris corticis in plures partes dissecti, & in tubulos digiti crassitudine complicati. At truncum, qui deglabratur sæpe numero, crassiorem femore inveniri memorant. Vetustas vero omnis credidit, hos fistularum modulos quos in casia videmus, totidem esse surculorum integros cortices, qui admodum difficulter eximerentur, adeo ut vermium opera requiri oporteret lignum intus corrodentium, & corticem præ amaritudine intactum relinquentium. Nimirum ignorarunt quomodo pararentur fistulæ casiæ ex cortice illius arborei fruticis. Plinius: *Frutex & casia est, juxtaque cinnami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento tenui cute verius quàm cortice.* Diversum facit fruticem casiæ à frutice cinnami. Sed nihil prohibet, ut dixi, eumdem esse. Et verò non esse diversos comprobatum est ætate nostra, si vera narrant Lusitani, qui loca illa navigationibus perlustrarunt. Cutem verius quam corticem esse dicit Plinius. Et rectè sane. Nam ex interiore libro parantur illi tubuli fistularum. Memorat Plinius vidisse se in Palatii templo quod Divo Augusto fecerat conjux Augusta, radicem cinnamomi magni ponderis, ex qua guttæ editæ quotannis in grana durabantur. Cui congruere videtur quod hodie traditur ex radice casiæ arboris liquorem stillare, qui caphuram resipit, sed vetitum esse ne ad eliciendum hunc liquorem vulneretur, quia periret arbor. Hac eadem ratione cautum est, ne amputetur. Quo fit ut hodie careamus cinnamomo. Olim raro amputabantur. Hoc faciebat raritatem caritatemque cinnamomi, quod in isto tempore nullum visitur. Quod virtus cinnamomi bis tanto major quam casiæ veteribus proditur, inde etiam est. Quo vetustior cortex, eo deterior & viribus infirmior. Hæc casia erat. In tenellis ramis longè vi-

A vidior & efficacior. Hoc cinnamomum erat. Huic opinioni suffragatur, & probabilem videri facit, quod scribit Galenus adeò non diversi generis esse frutices casiam & cinnamomum, ut sæpè illa in hoc transeat, & optima casia non multum differrt à cinnamomo. Lib. I de antidotis: ἐθεασάμην γὰρ ἤδη πολλάκις ὑψηλοὺς καὶ διθαλεῖς κασίας ὡς εἰς θάμνου μέγεθος ἀνήκειν, ἀκρέμονάς τινας ὁμοίους κινναμώμῳ κατά τε τὴν ὄψιν καὶ τοῦ φλοιοῦ τὴν λεπτότητα: καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τὰ βεβαιότατα γνωρίσματα κινναμώμου διὰ τῆς γεύσεώς τε καὶ ὀσφρήσεως γινόμενα. Clarè dicit vidisse se summos casiæ fruticis surculos, cinnamomo pares forma, cortice, sapore, odore. Ergo ex illa casia surculi
B dempti & amputati cinnamomum efficerent, cortex vero detractus casiam, sive canellam nostram. Ex quibus colligitur ejusdem fruticis recisa summa sarmenta fuisse veterum cinnamomum; corticem vero exemptum, paratum, & tubulos fistulares complicatum veram & genuinam casiam. Idem Galenus eodem libro: ἐστὶ δὲ ἡ κασία πλησίον τοῦ κινναμώμου τῷ φύσει, καὶ γὰρ καὶ γίνεται πότε κιννάμωμον ἐκ μεταβολῆς αὐτῆς, ὥστε ὅλον μὲν ὁρᾶσθαι τὸ οἷον δένδρον ἀκριβῆ κασίαν, ἀκρέμονας δέ τινας ἐν αὐτῷ τῷ κινναμώμῳ, συγγενεῖς τοῖς κλάδοις, τῆς κασίας εὑρίσκεσθαι. Dixerat suprà casiæ fruticem inveniri, qui virgulta haberet prorsus cinnamomi surculis similia,
C heîc verò ait etiam cinnamomi arborem integram conspici planè similem casiæ, & parcs cinnamomo ramos præferentem. Idem porro Galenus eodem libro de antidotis primo, narrat Marco imperante allatam fuisse ex regione Barbarica arcam, sive capsam quatuor cubita & pedem longam, in qua arbor integra erat optimi cinnamomi. Ea fuisse proceritate arborem illam verisimile est. Non tamen ipse sibi contradicit Galenus, quum paulo post narrat vidisse se aliàs ligneas capsas repositas in horreis Imperatoris, in quibus plures arbusculæ cinnamomi servabantur, quæ omnes ex eadem radice sex aut septem virgulas emittebant, non
D paris altitudinis, sed maximam earum non excessisse semipedis Romani mensuram. Πολλὰ μὲν οὖν ἐστὶν αὐτοῦ καὶ νῦν ἔτι τὰ σωζόμενα ξύλινα σκεύη, πάντα δ᾽ ἔχει τῶν πολυῤῥίζων ἢ πολυκλάδων, ἢ ὅπως ἄν τις ὀνομάζειν ἐθέλει κινναμώμων τὰς διαφορὰς. Non pronuntiat ibi Galenus in universum, ut vulgo viri putant doctissimi, omnem cinnamomi speciem ex una radice, ceu parvum fruticem attolli, cujus virgulta non excedant semipedem Romanum, sed hoc tantum dicit de illis cinnamomi generibus, quæ reliqua erant in capsis ligneis Imperatoris: ἕκαστον δ᾽ αὐτῶν ἐστὶν ἐξ ἑνὸς πυθμένος φυόμενον, οἷον θαμνίσκος τις, id est, singula eorum generum, quæ ad-
E huc servabantur in horreis Cæsarum. Quod si hoc in genere dixisset de omni cinnamomi specie, ipse sibi contrarius iret, qui in eadem narratione scribit, aliquando allatam arborem cinnamomi ἐκ τῆς βαρβάρου, id est, ex Barbaria, quæ in arca erat condita quatuor cubita & dimidium longa. Plinius scribit præcipuam bonitatem fuisse cinnamomi virgultorum tenuissimis partibus ad longitudinem palmi. Hæ summæ sunt partes. Secundam, proximis partibus breviore mensura, atque ita ordine. Vilissimum vero quod radicibus proximum. Sic surculi cinnamomi maximi non majores erant palmo. Tradit ibidem casiæ fruticem
F tria cubita amplitudine non superare. Concludit tandem eo loco Galenus cinnamomi naturam prorsus similem esse optimæ casiæ. Eandem itaque esse arborem, idque minime cognitum fuisse veteribus adstrui potest. Galenus ex omnibus casiæ generibus unum commemorat, cui cognomen συριγγίδος. Eam notissimam & vulgarem facit casiam atque adeo minimi. Talis ergo canella nostra. Hæc enim propriè συριγγίς. In Andromachi theriacam casia ingrediebatur. Quærendum Galenus ait de qua intellexerit casia: τούτων ἁπάντων ὧν περὶ κασίας εἶπον ἀναγκαιότατον διορίσασθαι ποίαν ἐμβλητέον ἐστὶ κασίαν. Quatuor ibi recenset genera ac nomina casiarum optima, gizi, moto, arebo & da-
G phnitin. Ἐπειδὴ τὴν μὲν γίζι, μάλιστα ἐπαινοῦσιν: ἐφεξῆς δὲ τὴν μωτοῦ καλουμένην. Εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τὴν ἀρηβὼ καὶ τὴν δαφνῖτιν. Ex his gizi, vel gizir similem esse dicit cinnamomo. Ergo ea in surculis, non in cortice. Ὅτι μὲν οὖν ἡ γίζιρ προσέθεν. παραπλήσιον κινναμώμῳ κατὰ πάντα ἐστὶν εἴρηται μοι καὶ πρόσθεν. Daphnitis quoque Plinio teste similis cinnamomo: unde

de & ἰσοκίνναμον dicebatur. Addit Galenus: ἡ γοῦν συνεχεστάτη παρ' ἡμῖν τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα δεινῶν ὡς κιννάμωμον πιπρασκομένη ἐκ ταυτοῦ γένους ἐστίν. Vocat συνεχεστάτην, cujus cortex adhæret ligno, quam & pro cinnamomo vendi solitam docet. Nam tale cinnamomum. Surculi sunt cum suis corticibus. Quippe cinnamomum optimum cujus cortex non abiret. Talis & pseudocasia Dioscoridis mirum in modum similis, προσεχόμενον τε ἐκ φλοιοῦ ἔχουσα τῇ ἐντεριώνῃ. Hæc est συνεχὴς κασία Galeni, quæ contiguum habet cum cortice lignum, non separabile. Quæ & tam bene cinnamomum imitabatur, ut pro eo venderetur. Profecto supradicta omnia casiæ genera, quæ inter præstantissima numerat Galenus, B cinnamomo similia erant. Quid hoc velit satis supra docuimus. Nempe surculos ipsos cum cortice fuisse certum est. De casia id genus videtur voluisse loqui Dioscorides cum συριγγίοις πλήρη dixit. Plenam & solidam intellexit. Præter genera suprascripta fuit & συριγγὶς κασία, sic appellata, quod fistulæ in morem concava esset, ac inanis, non plena, ac solida, ut superiores. Ea erat, quæ in Andromachi senioris indebatur. Nam junior eam describens κασίαν σύριγγα nominaverat. Galenus: ἀλλά γε τῆς συριγγίδος ὑπό τινων ὀνομαζομένης ὁ νεώτερος Ἀνδρόμαχος ἐμβάλλειν ἀξιοῖ. Πᾶσι δὲ αὕτη γινώσκεται: καὶ γὰρ καὶ εὐωνοτάτη πάντων ἐστί, τῶν μὲν ἔξωθεν φλοιόν, ὅνπερ καὶ σύριγγα καλοῦσιν, ἰσχυρὸν ἔχουσα κατ' ὀσμὴν C τε καὶ γεῦσιν, τὸν δ' ἔνδον ἀσθενέστατον, ὡς μηδεμίαν αὐτοῦ χρείαν γίνεσθαι. Ergo cetera genera cariora rarioraque: hæc vero κασία συριγγὶς, vel σύριγξ communis à vulgo nota nec adeo pretiosa. Canella ut dixi nostra. Συριγγὶς autem dicta est, ut distingueretur ab aliis generibus, quæ solida erant & plena, quæque adeo cinnamomo similiora, quod in surculis integris ac solidis afferebatur. Hæc erat ξυλοκασία veterum. Notandum etiam illud, quod varia illa nomina casiarum Galeni auctor peripli separat à casia sic proprie vocata. Γίνεται δὲ τὰ ἐν αὐτῷ κασία καὶ γιζείρ, καὶ ἀσύφη, καὶ ἄρωμα, καὶ D μάγλα, καὶ μοτώ, καὶ λίβανος. Casia ibi de syringide, sive fistulari proprie accipiendum, quæ mero constabat cortice, nullo ligno. Μοτώ, γιζείρ, & ἀσύφη Galeno & aliis casiarum sunt genera. Auctor peripli non hoc nomine donavit. Quod in primis animadvertendum. Ἀρηβώ inter genera casiarum, quæ cinnamomum æmulantur, recenset Galenus. An legendum, Ἀρναβώ? Certe videtur. Ita vocatur Paulo, Aëtio & aliis. Non tamen refertur inter casias. Nec mirum. Posterius ævum nullam aliam novit casiam præter συριγγίδα. Reliqua alia genera non pro casia habuit. Sic E ex vetustioribus peripli auctor nec inter casias numerat, nec isto nomine donat, moto, gizir & asyphe, quæ Galeno & Dioscoridi in hunc censum referuntur. Arnabo Avisenæ dicitur *zarneb*: & virgulta esse dicit aromatica ex arbore magna. Galeno ἀρναβὼ inter eas species casiæ non vulgares reponitur quæ cinnamomum referunt. Quidam *zarneb* Avisenæ pro carpesio sumunt. Sane & καρπήσιον simile esse festucis, ac virgultis cinnamomi tradit Galenus. Dioscorides corallium optimum probat, τῶν πολύοζον καὶ κινναμωμίζον κατὰ τῷ τύπῳ τῶν θαμνίσκων. Cinnamomum igitur, quod toties jam F diximus, in surculis & virgultis consistebat. Omnis autem casia κινναμωμίζουσα etiam in virgultis plenis ac solidis cum suo cortice adhærescente advehebatur. Cujus plura genera recensentur à Galeno. Xylocasia hæc proprie appellata. Altera in nudo cortice complicato in tribulos adferri solebat. Hæc κασία συριγγὶς, vel σύριγξ. Potuit itaque ex eadem arbore utraque sumi, hæc ex cortice detracto, illa ex surculis & virgultis amputatis. Profecto nisi hoc sit, aliud video nihil, quod dici possit ut credibile fiat cinnamomum, & casiam ex eadem arbore esse, sed diversis ejusdem partibus parari, casiam ex cortice fieri, cinnamomum ex virgultis & sar- G mentis amputatis. Rem non eandem fuisse fidem abunde fecerit nominum differentia, facultatis, formæ, coloris, odoris, pretii quod olim utrique fuit. Nominibus semper distincta fuere Græcis Latinisque etiam vetustissimis κασία & κιννάμωμον. Latini casiam & cinnamum junctim nominant. Martialis:

---- *Casiaque cinnamoque.*

Persius:

---- *ceu spirent cinnama surdum*
Ceu ceraso peccent casiæ.

Hebræi quoque ea separant appellatione. Cinnamomi efficacia duplo major quam casiæ proditur. Cinnamomum in surculis constabat. Casia in cortice mero. Color cinnamomi teste Galeno leucophæus in cæruleum quadamtenus vergens. Optima casia colore purpureo, ἔγκιρρος, ἐμπόρφυρος. Odor in cinnamomo omnium odorum, qui bene olent, flagrantissimus. In casia ἀρωματίζων quidem, sed tenuis levisque. Pretium cinnamomi immane quantum superabat casiæ pretium. Optima libra non carius emebatur quam denariis quinquaginta. Plinius de casia: *Pretia nulli diversiora. Optimæ in libras* * L. *ceteris* * V. At cinnamomo olim in libras pretium fuisse dicit denarios mille. *Auctum id parte dimidia esse incensis silvis ira barbarorum.* Sic Plinii ætate usque ad denariûm duo milia processerat pretium unius libræ cinnamomi. Quæ summa denariûm in aurum conversa aureos efficiebat quales tunc erant centum, nostratium verò ducentos quinquaginta. Ita duplo auro rependebatur cinnamomum: Nam libra cinnamomi duplex libra auri fuit, & paulo plus. Proinde non mirum si vulgo hæc merx minime cognita, solis Regum & Imperatorum thesauris reservabatur. Galenus etiam tradit solis divitibus eam habere licuisse, quod impenso pararetur pretio, vel Imperatorum amicis, quibus è domo Augusta ultro gratisque daretur. Nec sanè magnopere ad usum requirebatur, quum casiæ pondus duplicatum idem efficeret. Quippe in medicina duæ partes casiæ unam cinnamomi æquiparabant, ipsis prodentibus medicis. Ἀντὶ κινναμώμου κασίας τὸ διπλοῦν, ἢ καρπήσιον. De virtute cinnamomi mira hæc in Græcorum commentariis reperi: ὅτι ζέοντος φασὶ ἐκ ἐν λέβητι ὕδατος εἴπερ θίγοι μόνον τὸ κιννάμωμον, εὐθὺς καταψύχειν τὸ ὕδωρ, καὶ λουτρῷ ἐπεισενεχθὲν διαπύρῳ μεταποιεῖν τὸν ἐν τῷ ἀέρα φλογμὸν εἰς ψυχρότατον, καὶ ἀφανιστικὴν τῶν ἐκ φθορᾶς τινος ζωογονουμένων τὴν φύσιν ἔχειν. Ferventem aquam solo tactu refrigerat, illatum thermis calentibus, vaporem earum summo frigore mutat. Nata ex putredine animalia, quocunque infertur, exterminat. Hæc magna sunt, & maxime indicant auctorem illum de re incognita sibi & incomperta id prodidisse. Regio κινναμωμοφόρος in Æthiopia veteribus geographis in tantum celebrata, à qua & parallelus διὰ κινναμωμοφόρου nomen accepit, navigationibus Lusitanorum reperta nulla est. An dicemus id in causa esse, quod cinnamomum defecerit. Hoc necessario dicendum, siquidem cinnamomum non est idem cum casia. Nec magis id mirum fuerit, quam de σιλφιοφόρῳ, quæ hoc quoque tempore nulla est, propterea quod silphium illud Cyrenaïcum jam pridem in rerum natura esse desiit. An aliquid tale circa cinnamomum acciderit, aliis æstimandum & quærendum relinquo. Profecto si cinnamomum idem cum casia, quod tantopere placet quibusdam neotericis, valde ridiculos fuisse oportet, & vanos recentiores omnes Græciæ medicos & pigmentarios, qui in plerisque compositionibus cinnamomum una cum casia ingredi faciunt. Quod ex præscriptionibus antiquorum videntur retinuisse. Eam speciem casiæ, quæ proximè accedebat ad cinnamomum, & ἰσοκίνναμον ob id dicebatur, Plinius *daphnitim* vocat, eique pretium à mangonibus factum scribit ad trecentos denarios. Hujus mentio apud Scribonium Largum, I. cap. XXXIX. *casiæ daphnitis, cinnami, nardi.* Auctores quoque veterinarii Græci passim mentionem faciunt κασίας δαφνίτιδος. Isocinnamum eam dictam volunt docti, quod viribus & facultate æquaret cinnamomum. Immò dicto ipsa ostendit, ita appellatum à similitudine cinnami, ut ἰσόπυρον, ἴσαρον, & similia. Et planè id probatur testimonio Plinii, qui surculis lauri solitam adulterari prodit. Ergo ea in surculis constabat ut cinnamomum, non in cortice nudo, ut casia. Galenus καρπήσιον genus aromatis memorat, quod festucas ait esse tenues surculis summis cinnamomi similes. Λεπτὰ κάρφη παραπλήσια τοῖς κινναμώμου ἀκρέμοσι. Cinnamomum itaque in surculis, ut & carpesium quod virtute pari præditum facit cum cinnamomo. Ἀντὶ κινναμώμου καρπήσιον. Item: ἀντὶ κινναμώμου κασίας τὸ διπλοῦν, ἢ καρπήσιον. Proinde falli constat qui carpesium *cubebam* esse opinantur

κίαν legi pro *ἀκακία*. cap. CIↃCVIII. *ἢ κακίας τῆς πυῤῥᾶς.* Deinde ut distingui posset à casia aromatica, quæ absolutè etiam casia dicebatur, cognominarunt istam *casiam fistulam*, à fistulacea siliqua. Quo tamen cognomine etiam gaudet species casiæ aromaticæ. Nos *cassam* vocamus, pro cacia, ut *vessam* quæ vicia est. Non primus itaque Gerardus Cremonensis hoc nomen confinxit, sed quum ita in Europa tum passim vocaretur hæc siliqua Ægyptia, Arabicam vocem sic expressit, *chiarxamber*, aut *chiarianber* Arabes vocant. Lexicon Græco Arabicum: *Χιαρσάμβερ ἡ κασία μέλαινα.* Marinus Sanutus de bello Sacro longè antiquior Gerardo Cremonensi *cassiam fistulam* appellavit id genus siliquæ Ægyptiæ. Eam *γλυκυκάλαμον* Græcè dici putavit Fuchsius. Sanè video ita accepisse ultima Græciæ tempora, ut testatur Lexicon Græco barbarum quod in scriptis codicibus subjicitur Hippiatricæ Apsyrti. Ita enim in eo lego: *Κασία Ἀσυρία, ἐστὶ κάνα φίστουλα, γλυκοκάλαμον.* Hodieque Hispanis *canna fistula* hæc casia vocatur. Corrupta tamen illa verba Lexici, & legendum, *Κασία σύριγξ ἐστὶ κάνα φίστουλα.* Et videtur de casia syringe vel canella intellexisse. Nam & *casiam solutivam*, *Κασίαν Σολουλέβαν* statim nominat, quam ab hac distinguit, eamque quod mirandum, *ξυλοκασίαν* interpretatur, quæ xylocasia est, vel lignea casia in totum diversa à solutiva. Sed illi homini parva apud me fides. Myrepsus *γλυκυκάλαμον* vel casiam fistulam purgativam cum oxypœnico sæpe jungit in plerisque medicamentis. Sic Charito medicus *κάλαμον Ἰνδικὸν*, & *ὀξυφοίνικον* in multis decoctis unà ingredi facit. Ut in decoctione ad febres acutas: *κάλαμον Ἰνδικὸν κεκαθαρισμένον Γο α΄. ὀξυφοίνικον ἄνευ τῶν ὀστέων Γο α΄ ς΄.* Item in sequenti decoctione ad purgandum corpus, *κάλαμον* simpliciter vocat: *καὶ τὸ πρωῒ διΰλισον καὶ ἐπίβαλε ὀξυφοίνικα καὶ τὸν κάλαμον: καὶ διυλίσας αὐτὰ καὶ θερμάνας, καὶ θὲς ὀλίγον σάκχαρ, καὶ πάρεχε πίνειν.* An ergo *κάλαμος Ἰνδικὸς* & *γλυκυκάλαμος* idem, & uterque pro casia purgativa, quam & fistulam dixere? Sanè videtur. Atqui videri etiam posset idem Charito *μάννα καλάμου Ἰνδικοῦ* usurpasse pro medulla casiæ catharticæ, quam & pariter junxit cum oxyphœnico sive tamarindo in compositione *ἐψήματος*, ad solvendam alvum: *καὶ λύσον ἐν αὐτῷ μάννα καλάμου Ἰνδικοῦ ∠ η΄. καὶ ὀξυφοίνικον καὶ μάννα ἁπλοῦν.* Sed mira profecto hæc forent. De saccharo mambu id suprà accipiebamus, quod esse manna Indicæ harundinis crediderunt nonnulli veterum. Et quis aliter posset interpretari? Non rara apud eum occurrit Indicæ mannæ mentio, quæ videtur de saccharo Indico mambu accipienda, quod saccharum mannam esse veteres tradiderunt. Sed ecce alius locus ejusdem Charitonis, quo vinci potest *κάλαμον Ἰνδικὸν*, & *μάννα καλάμου Ἰνδικοῦ* pro manna posuisse. *Περὶ ἀποβρεγμάτων*, in apobrechmate *πρὸς δίψαν καὶ ξηρότητα φάρυγος, καὶ τοῦ στόματος ἀπὸ τῆς χολῆς*, ita scribit: *λαβὼν φύλλα ῥόδων ἐρυθρῶν Γο ε΄. καὶ ὀξυφοίνικα κεκαθαρισμένα Γο ι΄. καὶ τὸ μάννα τὸ ἐντὸς τοῦ καλάμου, τοῦ μέλανος, τοῦ Ἰνδικοῦ Γο γ΄.* Hæc aliter exponere nequeas nisi de pulpa casiæ purgativæ, quæ intra fistulam nigram habetur. *Ἰνδικὸν* vocat *κάλαμον* quia in India quoque reperitur. Alias nihil prohiberet, & *κάλαμον Ἰνδικὸν* de canna saccharina intelligere. Idem Charito & Persicæ mannæ meminit: *θὲς ἐν τῷ διυλισθέντι μάννα Περσικὸν, ὀξυφοίνικον, κάλαμον Ἰνδικὸν ἀνὰ ∠ γ΄.* item Indice: *εἰ δὲ οὐχ εὑρεθῇ μάννα τὸ Ἰνδικὸν θὲς ἀντ' αὐτοῦ μάννα τὸ ποιόν.* Mentio apud eundem & *μάννα τοῦ Σικελικοῦ.* Quæ videtur esse manna Calabra. At *κάλαμος μέλας Ἰνδικὸς* intra quem mannam ait reperiri, fistula est nigra casiæ catharticæ. Alia Indica est, alia Ægyptia. Avisena: *Casia fistula quid est? Alia Kebulia est, alia Ægyptia.* Kebuliam vocat Indicam ab urbe Indiæ *Kabel*, vel *Kebul*. *Αἰγυπτίας κασίας* mentio apud Charitonem. Hic etiam *γλυκυκάλαμος* & *κάλαμος Ἰνδικὸς* Græcis infimi ævi. Ceteri ferè omnes Græci in suis Lexicis *γλυκυκάλαμον* exponunt *λωτόν*. In glossis recentiorum ita expositum reperi: *λωτὸς, τὸ γλυκυκάλαμον.* Sed in tanta varietate stirpium quæ hoc nomen gessere haud facilè dictu est de qua sit intelligendum. Nisi quod facilius statui datur, de quo genere loti id non possit accipi. Lotos est arbor, herba & frutex palustris Ægyptius. Arbor dulcem fructum edit, sed *κάλαμος* dici non quit. Herba *λωτὸς*, nec dulcis est, nec harundo. Restat frutex Ægyptius qui *λωτὸς* etiam dicebatur. Huic caulis instar calami geniculis carentis, ut & faba Ægyptia cui similis est, quæ & ipsa lotos etiam dicta teste Athenæo. Lotus ille dulcis est. Tradunt hodieque caules loti ab Ægyptiis crudos mandi, & dulces esse ac humidos, & proinde per æstus sumptos valde refrigerando esse & humectando. Hic Græcorum *γλυκυκάλαμος*. Et calami quidam Ægyptii dulces edulesque apud Theophrastum. Recentiores Græci de quovis loto id nomen usurparunt. Hinc Nicetas *γλυκοκάλαμον* dixit pro loto Lotophagorum in Alexio Angelo lib. I. *ἀλλὰ καὶ βασιλεὺς αὐτὸς ὡς ἀπὸ λωτοῦ καὶ σειρήνων τῶν τρυφερῶν χωρίων τῆς προποντίδος μόλις ἀποσπασθείς.* In Codice Græcobarbaro pro eo scriptum habetur: *ὡς ἀπὸ γλυκοκαλάμου καὶ σειρήνων.* Fructum loti arboris intelligit cui *γλυκοκαλάμου* notio neutiquam convenit. Non dissimile est quod de casiæ nomine paulo ante dicebam. Lotus ille Ægyptius nymphæa est Nilotica. Cui similem faciunt auctores alium fruticem æque palustrem fabæ Ægyptiæ nomine & colocasiæ dictum, quem loton etiam appellatum ostendit Athenæus, & *λωτὸν ῥοδίζοντα* vocat à colore floris, quum Lotus alter florem candidum præferret. Sed præcipuè mirum est eam fabam Ægyptiam sive colocasiam qualis ab auctoribus describitur, nusquam hodie in Ægypto comparere. Hoc eodem nomine radix bulborum genere per Ægyptum frequens hodie visitur, cujus plurimus in cibis usus apud Ægyptios. *Culcas* vocant. Mentio ejus apud Serapionem, & radicem tantum nominat. *Kulcas id est culcasia.* Græci recentiores hanc quoque radicem novere, ut Aëtius, qui *κολοκάσιον* vocat, & Neophytus, qui *κολοκάσιον* exponit *βόλβον* & *σκιλλοκρόμμυον*. Hæc radix, nec caulem, nec florem, nec semen ferre dicitur. Genus esse ari Ægyptii supra ostendimus. Sane Theophrastus *ἄρον ἐδώδιμον* sine caule esse sine flore & fructu tradit. Tale plane est illud colocasium Ægyptium. Et sane vetus auctor Claudius Julius *ἐν Φοινικικοῖς* sub nomine *κολοκασίου* dracontium arum planè describit apud Stephanum in voce *Ἄκη*, quo loco omnes libri scribunt *κολοσσάφον* non *κολοκάσιον*. Fortasse scripserat, *κολοσσάγιον* quod idem est ac *κολοκάσιον*. A latitudine foliorum hoc nomen invenit, unde & *mantifolium* Latinis appellata. *Σάγος* autem idem quod *κάσος*: mantum vel sagum. Sic *κολοσσάγιον* & *κολοκάσιον*, breve mantum significat, ut *κολοκάννοι*, breves *κάνναι*, quo nomine & improceri homunciones dicti sunt. Dioscorides radicem fabæ Ægyptiæ *κολοκασίαν* appellatam asserit. Verissimum est quod supra demonstravimns super radicem illam bulbaceam Ægyptiam *colocasiam* appellatam, caulem & caput fabæ Ægyptiæ inseruisse veteres auctores, & ex diversis plantis unam conflasse. Quod nominum errore accidisse facile mihi persuadeo. Potuit quidem fieri ut fructus ille quem fabam Ægyptiam vocaverunt in Ægypto non nasceretur, sed propter illud cognomen & ex nominis similitudine, quod utraque planta *colocasia* diceretur ob foliorum amplitudinem, in Ægyptum hanc transtulerint, & radici Ægyptiæ superposuerint. Sic *Ceroniam* sive siliquam arborem Græci *Αἰγυπτίαν συκῆν* nominarunt, quæ tamen in Ægypto non nascebatur, uti diserte testatur Theophrastus lib. IV. cap. II historiarum. Qua facie describitur faba Ægyptia in antiquis: certum est talem extitisse in rerum natura, & olim talem visam, cognitam, tractatam passim illis fuisse. Hodie quod fructus hujusmodi visitur adeo par similisque capiti illi in quo semen fabæ Ægyptiæ inclusum esse auctores scribunt, ut nihil aliud possit fingi similius, nisi sit idem. Hujus effigiem lubet heic subjicere ex Neotericorum libris depromptam.



Hoc κιβώριον antiquorum. Ita enim vocarunt receptaculum quo continebantur grana fabæ Ægyptiæ, prægrandis inſtar papaveris capitis, in quo ipſa grana ſuis quæque loculamentis ac capſis incluſa, paulum ſupra cellulas ſuas extantia. Σφηκίον vocat Theophraſtus à ſimilitudine favi veſparum. Dioſcorides φυσίον. Dictum & κιβώριον vel à ſimilitudine poculi ea forma appellati, quod ab ambitu latiore ſenſim decreſcebat uſque ad imum pediculum. Vel poculum ipſum potius ab illo ciborio fabæ Ægyptiæ meruit appellari, ob ſimilem figuram. Quod vocabulum hodieque retinemus eodem ſenſu. Et notum illud Horatianum: *Ciboria exple.* Ait Athenæus: κιβώρια τὰ λεγόμενα σκύφια, διὰ τὸ κάτωθεν εἰς στενὸν συνῆχθαι, ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια. Quin & illud ipſum ciborium fabæ Ægyptiæ, granis excuſſis & membranaceis diſſepimentis ejectis poculi vicem & uſum præbebat. Et hic ſenſus eſt horum verſuum Nicandri de faba Ægyptia, ſicut illos ſupra explicavimus & emendavimus:

Ἄνθεα μὲν στεφάνους ἀνύης, τὰ ἢ πεπηῶτα
Ἀκμαίης κάρποιο κιβώρια δαινυμένοισι
Ἐς χέρας ἠϊθέοισι πάλαι ποθέουσιν ὀρέξης.

Plane dicit exinanita ciboria, fructu maturo ac decuſſo, præſtare poculorum uſum. Scyphi formam graphice habes expreſſam in ſuperiore ciborio. Aliud eſt quod Strabo & Plinius memorant, ex foliis colocaſiæ implexis vaſa varia ſpecie formari. Colocaſiæ non meminit Theophraſtus. Poſteriores ejus ætate auctores radicem fabæ Ægyptiæ κολοκάσιον vocari prodiderunt, ut Nicander, Dioſcorides, alii. Sed radix fuit alia eo nomine in eadem Ægypto naſcens, quæ nihil ad fabam Ægyptiam pertinebat, nullaque illam cognatione contingebat. Eam radicem ſubjecerunt cauli fabæ Ægyptiæ, ut pluribus ante oſtendimus. Radix illa rotunda, craſſa, multis adnatis nucleorum ſobolibus ſeſe propagans. Muſæ quoque arbor apud Ægyptios talem radicem habet, de qua arbore propterea vulgo jactant Ægyptii, cannam eſſe ſaccharinam radici culcaſiæ inſitam. Radix vero fabæ Ægyptiæ auctore Theophraſto ad inſtar calami craſſioris, & ſpinis aculeata. Faba illa Ægyptia κολοκασία etiam appellata videtur à foliorum amplitudine, ut & κολοκάσιον arum. Inde extitit error auctorum utraque paſſim confundentium. Ceterum nominis utriuſque facies uſque ad poſteros paulum mutata pervenit. Arabes Ægyptiique bulboſam illam radicem ari Ægyptii hodie vocant *culcas.* Garcias vero ab Orta ſub nomine *curcas* nucleum ciborii Ægyptii, quem ſupra exhibuimus, ita deſcribit lib. II. cap. XXI. *Naſcitur in Malavar fructus quidam magnitudine avellanæ cum ſuo putamine non tamen adeo rotundus: candidus eſt, guſtu quali ſunt tubera cocta: hunc chiviquilenga vocant, id eſt exiguum inhame. In Cairo ubi frequens eſt, & quibuſdam Malavar locis curcas, in Cambaya Carpata. Dependet ex ramis cujuſdam plantæ quæ ſeritur.* Non dicit qualis illa planta, quomodo fructus ille naſcatur, ſed tam certum eſt quam me hæc ſcribere, de faba Ægyptia veterum debere intelligi. *Curcas* appellari ait in Malavar. Hoc nomen quoque depravatum ex κολοκασία. Fabam Ægyptiam in Indiæ amnibus etiam naſci tradit Strabo. Quod *curcas* in Caïro vocari pariter tradit, ubi frequens eſt, confundit illud curcas Indicum cum Ægyptio hodierno *culcas*, quæ mera eſt radix caule, & fructu carens. Nucleum iſtum curcas ab Indis aliis vocari *chiviquilenga*, B & exiguum inhame interpretatur, per hoc indicat majus eſſe inhame ab exiguo iſto diverſum. Inhame porro Luſitani Maurique vocant radicem colocaſio bulbo parem, quam à Bæticis ajunt vocari *alcoleas*, id eſt, colocaſium. Parvum igitur & magnum inhame *colocaſium* olim ab amplitudine foliorum appellatum. Utrumque etiam *culcas*, vel *curcas*. Sed colocaſio bulbo nec caulis, nec flos, nec fructus. Faba Ægyptia colocaſia, & caulem, & florem edit, & mox fructum in calice, qualem nobis depinxit Garcias. Calicem ipſum ſupra repræſentavimus. Nucleum illum magnitudine avellanæ eſſe cum ſuo putaC mine, non tamen adeo rotundum. Tales nuclei, vel nuces parvæ, quas ſupra ſub ſuo calice poſuimus. Fabæ Ægyptiæ nucleum κύαμον Græci vocarunt quod eſſet ἡλίκον κύαμον. Strabo de faba Ægyptia: τὸν καρπὸν ὅμοιον τῷ παρ' ἡμῖν κυάμῳ, μεγέθει μόνον καὶ γεύσει διαφέροντα. Herodotus ſcriptor antiquiſſimus olivæ nucleis ſimilia facit hæc Ægyptiæ fabæ grana: ἐξ ὧν ὁ καρπὸς ἐν ἄλλῃ κάλυκι παραφυομένῃ ἐκ τῆς ῥίζης γίνεται, κηρίῳ σφηκῶν ἰδέην ὁμοιότατον. Ἐν τούτῳ τρωκτὰ ὅσον τε πυρὴν ἐλαίης ἐγγίνεται συχνά. Recentia & cocta mandi ſolita adjicit. Formam nuclei olivæ plane gerunt nuces illæ, D quas ſupra dedimus. Dioſcorides meminit fabam illam, Ponticam etiam cognominatam, & in Aſia Ciliciaque inveniri. Mirum adeo ignorari hodie quum tot locis naſci prodiderit antiquitas, cui tam bene fuit nota. Sed magis mirum, quod negant talem reperiri in Ægypto, apud quam ſolum bulbum colocaſium, & nymphæam loton conſpici in amne Nilo memorant qui regionem illam perluſtrarunt, & moram etiam fecerunt. Atqui ab Ægypto eam cognominarunt veteres. Qui tamen videntur colocaſiam hanc fabam confudiſſe cum colocaſio bulbo Ægyptio. Fabam colocaſiam puto hodie vocari *culcul*, nomine etiam fortaſſe corrupto ex Græco κόκκαλος, quod granum magnum, E vel nucleum ſignificat, & idem eſt quod κόκκος. Ita fabæ Ægyptiæ nucleum appellarint κατ' ἐξοχήν. Nam & fabam communem Græci recentiores abſolute κοκκίον, & κουκίον appellarunt: pro quo & κούκιν hodie dicunt. Vetus Lexicon: κούκιν ὁ κύαμος. Idem: κιβώριον, χλωρὸς κύαμος μέγας. *Culcul* in urbe Conſtantinopoli venale proſtare narrat Bellonius lib. I. cap. LXXVI. *Hebulben ſemina venalia habent, quæ nobis in uſu non ſunt quemadmodum nec nux quædam gemini pugni magnitudine parvis granis eſui aptis atque avellanæ inſtar, dulcibus plena, quam culcul, id eſt, nucem de culcul nominant.* Nucem vocat, quia multa grana veluti exiguas nuces contineF ret. Et videtur calicem illum fabæ Ægyptiæ pro dimidiata nuce accepiſſe. Magnitudo fere convenit. Pugnus geminus junctus non plus habet in circuitu quam pedem unum. Calicem, quem ante appoſuimus, novem uncias, id eſt, duodecim digitos per ambitum habuiſſe refert Cluſius. Majores ſi forte reperiebantur: & majores, ut par eſt, ſunt adhuc recentes. E Ponto vicino & Aſia Conſtantinopolim hæ nuces deferuntur. Nam & *Ponticam fabam* vocatam tradit Dioſcorides. Alii qui Conſtantinopoli fuerunt, tradunt grana *coulcoul* in deliciis iſtic eſſe, præſertim recentia, & ex Ægypto advehi. Mathiolus vult ea grana naſci in G Plinii ſtaphylodendro. Sed non perſuadet. Staphylodendrum Plinius ſiliquas ferre dicit, & in his nucleos ſapore nucis avellanæ. Bellonius nucem eſſe gemini pugni amplitudine ſcribit, quæ fert grana culcul. Non hæc conveniunt. Serapio *habel culcul* appellat, calidumque & humidum facit. *Habel culcul, id eſt, granum culcul.* Quod eſt *hab alculcul*, id eſt, magnum ſemen cul-

 cul-

cul. Hæc ſane Garciæ ſententia eſt, culcul Serapionis idem eſſe cum Indico culcas, ſed vereor ut ſatis vera ſit. Immo fallitur. *Hab alkulkul* Serapionis idem plane cum Aviſenæ *hab alchalchel*. De quo ſcribit cap. CCCIX. Gerardus Cremonenſis vertit granum *alkilkil*. Idem granum eſt quod apud Rhazem dicitur *kilkil*. Aviſena tradit illud ſemen eſſe ſicut piper album, majus cartamo, ſive checi ſemine, non plene rotundum, & ſuavis odoris dum frangitur, unctuoſumque. Quoſdam autem ait dicere ſemen eſſe granati ſilveſtris. Bellunenſis in Lexico notat *alkalkal*, ſive *alkilkil* ſemen eſſe granati ſilveſtris. Negat id tamen Aviſena ipſe, & falli aſſerit qui ita ſentirent cap. CCCCLXVI de *mugalb*, quæ radix eſt hujus arboris, quæ fert ſemen *alkakel*, quam etiam quidam tradidere eſſe radicem granati ſilveſtris. Hoc argumento eos revincit, quod ea radix veneri ſuffragaretur, & coitum juvaret. Semen quoque ipſum veneri convenit, & valentes in coitum facit. Non dicit tamen Aviſena, ex qua arbore, vel frutice, vel herba fuerit illud ſemen, ut plane videatur neſciviſſe. Nec proinde mirum, ſi hodie *coulcoul* ignoratur. Non dubium eſt autem, quin coulcoul Bellonii ſit *chalchel* Aviſenæ. Sic ſaccharum *tabarzed* Græcis recentioribus dicitur σάκχαρον ταβαρζέδ. Semen *kakela*, iidem vocant κάκυλαν & τέρπετ, quod Arabibus περβέδ. Sed hæc alibi. Facilius igitur pronuntiari poteſt, quid non ſit quam quid ſit granum *culcul*. Haud ſatis certum habeo an Αἰγύπτιος κύαμος, quo in ponderibus uſi ſunt antiqui medici, de hac faba Ægyptia ſic intelligendus. Notiſſimum tunc hoc granum fuiſſe oportet. Nobis antea placuit de vero legumine Ægyptio accipere, quod faba Græce communi majus eſſet. In ea ſententia videtur eſſe Aviſena, qui in deſcriptione fabæ leguminis, *Ægyptiam* ſpeciem ejus facit. Sed & capite CCCCXLV. lib. II lupinum fabam eſſe Ægyptiacam dicit. Bellunenſis ex ſententia Ebenbitar notat fabam Ægyptiacam vere eſſe fabam, in qua res viridis invenitur. Hoc quid ſit neſcio. Nunc addubito. Strabo ſcribit hanc fabam colocaſiam magnitudine differre à communi & guſtu. Hinc Αἰγύπτιος κύαμος in gloſſis Iatricis Græcorum μεγάλος κύαμος exponitur. Andromachus hoc pondus fabæ Ægyptiæ de planta illa paluſtri Ægyptiaca, & in Nilo naſcente plane interpretatur, qualem eam deſcribunt veteres. Ita enim ſcribit in ſua Theriace:

Τῆς δήτοι κυάμοιο τὸν ἔτρεφεν ἰλύσιον ὕδωρ
Τέλμασι, καὶ πολλοῖς κρυπτόμενον πετάλοις
Νειλώου κυάμοιο.

Hæc habui, quæ debere addi judicarem ad exercitationem noſtram de colocaſia, quæ tamen in medio relinquo. Γλυκυκάλαμος eſt lotos Ægyptius. Cannam ſaccharinam poſſumus ita vocare. Tradit Solinus, quæ paluſtria ſunt in India, *harundinem creare ita craſſam, ut fiſſis internodiis lembi vice vectitet navigantes, è cujus radicibus humor dulcis exprimitur ad melleam ſuavitatem.* Hæc eſt harundo mambu, ſuper quam concreſcit ſaccharum mambu, vel *tabaxir*, quod fuit veterum σάκχαρ. Non ex hujus radice humor dulcis exprimebatur. ſed ex alia minore, cujus humor expreſſus, & coctione denſatus ſaccharum hodiernum dat. Poëta vetus:

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui ſucco nequeunt contendere mella.

Cannam ſaccharitin intelligit, ut ſupra expoſuimus. De hac canna etiam interpretari debemus ferulam illam arboream inſularum Fortunatarum, quæ expreſſa reddebat aquam potui jucundam & dulcem. Ne quis autem fallatur, aliud eſt ſaccharum *tabarzed* apud Arabes quam *tabaxir*. De illo videndi Arabes. Charito vocat σάκχαρ ταβαρζέδ. At *tabaxir* eſt ſaccharum priſcorum. Locus hic etiam poſtulat, ut aliud genus ſacchari explicemus, cujus hiſtoria non caret ambiguitate, & incerte admodum traditur. Scaliger Julius exercitatione CLXV contra Cardanum inter ſpecies ſacchari vulgo ignotas & hanc recenſet. *Tigala* herbæ nomen eſſe apud Arabas & Ægyptios, ex qua ſaccharum exturgeſcit concreſcitque in minutas grandines. Saccharum illud reſtinguere ſitim, pectori accommodum eſſe, & tuſſim tollere. Herbam eam *albuſar* vocari ab Aviſena, ab aliis *alhoſor*. Idem eodem capite velut aliud genus ſacchari, & in totum differens ab illo ſaccharo alhuſar, ex Serapione commemorat, quod vocatur *haoſcer*, ex arbore Indica ſic appellata, quæ inciſa manat lacte calidiſſimo & καυστικωτάτῳ. Hujus lactis partem tenuiorem calore denſari & concreſcere, gummi modo. Hoc eſſe ſaccharum hoaſcer. Alios putare eſſe manna cadens ſuper ejus folia. Id falſum. Nam erumpere indidem unde & folia. Hæc Scaligeri ſententia. Facultates itaque utriuſque ſacchari multum diverſæ. Saccharum alhuſar ſitim ſedat, tuſſim levat, hepati conducit. Cum his facultatibus temperatum quoad calorem, ſed humidum in aliquo gradu eſſe oportet, & eaſdem habere cum manna vires. At ſaccharum hoaſcer contrariæ plane virtutis, calidum utpote & amarum ſiccumque. Quippe concretum lac eſſe volunt, quod ex planta ipſa exſudat, & coit calore ſicut gummi. Lac autem illud, quod ex frutice hoaſcer colligitur, adeo fervidum eſt, ut eo utantur vulgo tanquam efficaciſſimo pſilothro ad coria depilanda. Quæ ad eum modum ſunt καυστικὰ, in quarto ordine calida & ſicca eſſe neceſſe eſt, ſi ſaccharum illud par eſt ejus lactis, quod ex arbore exit, & calore denſatur, nihil aut parum deperdet facultatis ejus quam lac ipſum obtinet. Atque hoc ſaccharum hoaſcer idem eſſe cum ſaccharo alhuſar, quod ex herba tigala reſudat, prorſus inter omnes omnino convenit, & eandem eſſe platam *hoaſcer*, & *albuſar*. Ergo idem ſaccharum quod *albuſar* dicitur, & quod *hoaſcer*, idemque *tigala*. Bellonius lib. I obſervationum cap. LXXVI, ubi exponit quæ ſpecies quibus nominibus in officinis pigmentariorum Conſtantinopoli vulgo appellentur, pro ſaccharo alhuſar *tigala* eſſe petendum ſignificat: *Ammi, ameos: napellus, biſch: ſaccharum albaſos, tigala: harmel, armala.* Sed ibi legendum, *albaſor*, non *albaſos*. Ad eum locum alter Scaliger notavit deeſſe vocem Arabicam *eſſachar*. Sed male divinavit. Non enim ea Bellonii mens, ut pro ſaccharo *eſſachar* requirendum eſſe dixerit, ſed pro ſaccharo alhuſar *tigala* nominandum eſſe, quia non aliter intelligerent quid ſibi vellet petens ab ipſis ſaccharum alhuſar, quam ſi *tigala* vocet, quoniam his notum ſit duntaxat iſto nomine. Quod addit de ammi, vocari *ameos*, Græci quoque recentiores ita nuncuparunt, ἄμεος & ἀμαῖος, & ἀμέον. Neophytus: Ἄμαιος, οἱ δὲ ἄμι, Ῥωμαῖοι, ἄμιουμ Ἀλεξανδρινῶν. In antiquiſſimo codice Dioſcoridis & apud Plinium in ſcriptis paſſim ſcribitur ἄμι, *ami*, non, ut vulgo vocant, ἄμμι. Cujus prima etiam ſyllaba producta reperitur apud medicos poëtas Andromachum & Damocratem, apud quos perperam ἄμμι aliquot locis ſcribitur pro ἄμι. Inde ἄμεος genitivus qui in rectum caſum tranſiit. Et ἄμεον gloſſæ iatricæ: ἄμεον, τὸ λαγοκύμινον, id eſt, *leporinum cuminum*. Idem Bellonius lib. I. cap. XXVI, quo tractat de ſtirpibus in Lemno inſula naſcentibus, tradit herbam quamdam *lagochymeni* ab incolis vocari, quæ tractata & guſtata verum ami referret. Ipſe *leporis cubile* exponit. Immo λαγοκύμινι illi dicunt, quod ipſe male ſcripſit, λαγοχύμενι, eoque & male interpretatus. Ad ſaccharum alhuſar redeamus. Hoc *tigala* etiam dicebatur, non ipſa herba, ut poſuit Scaliger. Nulla apud Aviſenam *tigala* mentio, ſed ſacchari tantum *albaſſer*, quod eſt tigala. Videtur hæc vox facta ex τὸ γάλα. Nihil enim aliud eſt quam lac concretum. Sic *olibanum* dixere pro thure ex Græco ὁ λίβανος. Non dicit Aviſena ſaccharum alhaſſer ſedare ſitim, ſed ſimpliciter non facere ſitim, ſicut reliquas ſpecies ſacchari. Rationem addit quia parum dulce ſit. Subamarum eſſe hoc ſaccharum omnes tradunt. Stomacho, ut hepati, bonum eſſe cum Aviſena ſcribit etiam Serapio. Non igitur ſiti ſedandæ eſt, ut tereniabim, vel trongibim, ſed διψῶδες tamen non eſt, ut ſaccharum vulgare. Tuſſim levare nec dicit Aviſena. Hoc ille de manna tereniabim tantum memorat, non de manna alhuſar. Mannam eſſe, quæ de cælo cadit ſuper fruticem alhuſar, inter pleroſque Arabes convenit. Hic frutex *oſſar* hodie dicitur

citur ab Ægyptiis. Hinc *saccharum alossar*, vel *alhassen*, quod super offar coagulatur. Alii ex ipso frutice prodire volunt, & partem esse lactis, quod indidem manat, calore densatum, quæ Scaligeri opinio est. Sed quum lac illud offaris adeo sit καυστικὸν, ut coria eo depilentur, & potum pondere sesquidrachmæ interficiat solvendo & excoriando, ut traditum est, eadem plane aut non multum diversa facultate censeri debet, quod ex eo lacte in frutice ipso cogitur & concrescit. Sic quod ex cannis saccharinis exit, & densatur calore, ejusdem plane facultatis, immo aliquanto etiam majoris, cum succo ipso cannæ, quo expresso & decocto facticium saccharum paratur. Illud est *saccharum candi* nativum, & longe quidem præstantius illo, quod arte fit. Profecto non video, quomodo lac alhusar inter καυστικὰ principatum obtinere dicatur, & pars ejusdem lactis concreta in ipsa planta sitim sedare, tussim tollere credatur, ut voluit Scaliger. Ideo Arabes non ex ipso frutice oriri, sed de cælo cadere in eam plantam hoc saccharum voluere. Atqui manna omnis dulcis est, hæc vero subamara. Docet idem Avisena mannam omnem assumere naturam ejus arboris, super quam decidit, & de sua adjungere lenitatem ac dulcedinem. Hinc ergo fit, ut manna alhusar aliquantum amara sit, quia cadit in fruticem amarissimi succi. Fructus vocatur *beyd el ossar*, id est, ovum offar. Prosper Alpinus vocat *beydelsar*, quasi *sar* etiam dicatur ipse frutex. Lac ejus siccatum corpora supra modum solvere refert, & dysentericos fluxus letales facere. Alii scribunt pondus sesquidrachmæ epotum necare. Nec disparis ad nocendum effectus saccharum ex eadem planta vi solis concretum. Multa tamen sunt, quæ non parem virtutem exerunt intus sumpta & extra, ut silphium quod ἔξωθεν esse δραστικώτερον veteres tradunt. Exemplo sit & sinapi, quod & ipsum quarto gradu calfacit & exsiccat, inter condimenta sumptum nihil nocet. Extra impositum cutem adurit, unde σιναπισμός. Interpretantur, ἐκ νάπυος κατάπλασμα. Doctus interpres Dioscoridis pro intinctu accipit, quo languens stomachus reficitur. Quo sensu hanc vocem nusquam legere est apud antiquos, nec sane potest. Ὀξύπορον potius sinapicum dicerent, aut ἔμβαμμα σιναπικόν. Latini *moretum*, vel *oxyporum*, vel *intritum* ex sinapi. Hierophilus inter ἐμβάμματα recenset σίνηπι, ἀλόην, κύμινον, καὶ οἰνόγαρον. Attici νάπυ dicebant. Quod inter condimentaria refertur à comicis:

> Καὶ νάπυ Κύπριον καὶ σκαμωνίας ὀπὸν,
> Καὶ κάρδαμον Μιλήσιον καὶ κρόμμυον
> Σαμοθρᾴκιον.

Nihil igitur prohibet, quin saccharum alhusar ex ipso frutice manet, quod & diserte testatur Serapio, qui scribit ex oculis ac sedibus foliorum exire. Sic *tigala* & *saccharum alhusar* eadem res, contra ac putarunt ambo Scaligeri. Ex genere tithymallorum esse hanc plantam plerique tradunt. Serapio dicit aliud esse *haoscer*, quod ex genere est tithymallorum. Avisena *alascir* inter species tithymallorum numerat. Scaliger Julius saccharum ab Indis hodie *jagara* vocari notat exercitatione CLXIV. Sed fallitur. Solam speciem vocant sacchari ejus, quod ex liquore tengæ conficiunt, *jagara*, aut *jagra*, ut fere omnes scribunt. Saccharum in genere appellant *sacar*.

In qua pauxillæ ædes.] Immo legendum: *in qua pauxilla ædes ignobiliter ad culmen fastigata.* Unam tantum ibi ædem fuisse meminit Plinius: *Alteram insulam Junoniam, in ea ædiculam esse tantum lapide extructam.* Sic mentem Plinii, ut solet, non attigit Solinus. Ille ædiculam illam lapide tantum structam dicit, hic ignobiliter ad culmen fastigatam. Quid vellet Plinius, non assequutus est noster. Omnium fere ædium sacrarum hæc forma fuit, ut fastigatæ essent, hoc est, fastigium haberent, vel fastigatum culmen, quæ τελγωνοειδὴς erat ἐπικνάστασις, de quo supra diximus. Ædificiorum vero communium tecta, non fastigata, sed plana fieri solita.

Tertia huic proximat eodem nomine.] Plinius: *ab ea in vicino eodem nomine minorem.* Distingue: *ab ea in vicino eodem nomine minorem.* Ptolemæus insulam illam alte- A ram Junoniæ vicinam vocat ἀπρόσιτον. Ri[...]cula vero ac jocularis Martiani Capellæ hallucinat[...], qui apud Solinum hoc loco legit: *Tertia huic pro[...]ma, Teodem nomine.* Atque hinc putavit nomen i[...]sulæ fuisse *Teodem.* Ita enim scribit, ut omnes habent ejus libri: *Quarum prima Ombrion dicitur: secunda Junonia: tertia Teode: quarta Capraria.*

Quarta Capraria appellatur enormibus lacertis plusquam referta.] Ex his insulis Junonia appellata à Junonis æde: *Nivaria* ab aëre nivoso & nebuloso: *Pluviaria* à frequentibus pluviis: *Canaria* à canibus ingentibus, quibus repleta est. *Capraria* unde nomen habere po- B tuit nisi à capris, quæ in ea abundent? Hoc tamen non dicunt, sed lacertis grandibus esse refertam. Plinius: *Deinde Caprariam lacertis grandibus refertam.* Non convenit hæc res nomini insulæ. An *Saurariam* hanc insulam dicemus appellatam? Ita sane debuit. *Sauras* etiam Latini pro lacertis dixere. Lælius in Erotopægnio: *Sauræ, illices bicodulæ.* An Plinii error est, qui cum Σαυραρίαν legisset, vel Σαυρίαν pro *Capraria* intellexit. Nam Græcum sigma antiquum in libris eadem figura signatur ut C Latinum. Hoc verum non præsto, sed verisimile ajo, & ceteris Plinii halucinationibus congruens.

C *Palmeta caryotas feritantia.*] Ita libri. *Feritare* pro ferre, ἀρχαϊκόν. Ut *coquitare*, *habitare* pro coquere, habere, & similia. Plinius: *hanc & palmetis caryotas ferentibus, ac nuce pinea abundare.* Non de nihilo additum palmeta illa caryotas ferre. Indicare voluit certum palmæ genus. Non communis autem aut vulgaris, quæ fert caryotas. Integrum est *caryota palma*; ut Græcis καρυωτὸς φοῖνιξ. Scribonius Largus cap. XXXVI. *Palmas caryotas viginti.* Et absolute *caryota.* Ovidius:

> *Hoc linitur sputo Jani caryota calendis.*

Sic *Thebaïca* subaudiendo palmæ. Statius:

> *Chartæ, Thebaïcæque caricæque.*

D Thebaïcæ palmæ intelligendæ. Plinius passim ita vocat. Latini *nucatas* etiam vocavere, qui Græcis καρυωτοί. In veteri inscriptione ita dicuntur. NUCATÆ DE SELECTIS EX X. L PROFUNDANTUR. Male scriptum est: MICATAS. Nucum sparsionis in dedicationibus statuarum & tumulorum sollemnibus passim fit mentio. Hîc *nucatas*, id est, caryotas palmas ex denariis quinquaginta profundi spargique jubetur. Isidorus *nucales* appellat de palma: *fructus autem ejus dactyli à digitorum similitudine nuncupati sunt. Quorum etiam & nomina variantur. Nam alii appellantur palmulæ similes myrobalanis. Alii Thebaïci, qui & Nicolaï.* E *Alii nucales quos Græci καρυωτοὺς vocant.* Hæ sunt in veteri inscriptione *nucatæ.* Ita solent Latini terminare, quæ apud Græcos formantur in ωτός. Sic κηρωτὸν, *ceratum*: συκωτὸν, *ficatum.* Ætas infima Latii Græciæque omne jecur sic appellavit, cum veteres hoc nomen fecerint jecori anseris fartilis, aut porculi ficis saginati. Hinc *aloe sycotina* recentioribus, quæ ἡπατὶς, vel ἡπατῖτις vetustioribus. Et συκώλινα κοκκία Myrepso pilulæ in quibus aloë indebatur. Ita malo quam quomodo volunt Arabes à *Succotora* insula. Sic igitur & καρυωτὸς φοῖ- F νιξ, Latine *nucata* palmula, & *nucata.* Nec sane dubium est ita vocatam esse à nucis forma, ut *dactylus* à digiti longitudine, βάλανος à glandis. Talis erat fructus ejus palmæ, quæ myrobalano, id est, balano myrepsicæ pomum simile gignit. De quo infra. Plinius καρυωτὸν quasi καρωτὸν dictum putavit, quod capitis gravedinem pariat. Ut solet, nugatur. In errore etiam plerique hodie homines docti medicique, quibus *caryota* nihil aliud significat, quam palmulam quamlibet, sive dactylum, qui ad nos adfertur. Hunc errorem jam supra exagitavimus, iterumque heîc ventilabimus. Plinius tria genera facit φοινικώτατα, *palmas*, *caryotas*, & *Thebaïcas* lib. XV. cap. XXVIII. G *Carne palmæ placent, crusta Thebaïcæ, succo uvæ & caryotæ.* Eamdem differentiam & alibi inculcat. *Palmas* vocat communes dactylos. Dioscorides quoque tres species recenset, palmulam, quam in Ægypto nasci ait, & καρυώτιδας, & Θηβαϊκούς. Isidorus nomen generale statuit *dactylos*, quorum tres differentias nominibus distinctas exponit, *palmulas* myrobalanis similes, *Thebaïcas*, & *nucales*, sive καρυωτούς. *Palmulas* vocat quas

Plinius palmas, easque separat à Thebaïcis & caryotis. Dioscorides φοίνικα, id est, palmulam in Ægypto nasci tradit, & esse παρεμφέροντα τῇ μυροβαλάνῳ. Plinius immani hallucinatione palmam Ægyptiam interpretatur, quæ fert myrobalanum. Apparet itaque παρεμφέροντα τῇ μυροβαλάνῳ accepisse pro φέροντα τὴν μυροβάλανον. Rectius vertit Isidorus: *Palmulam appellant myrobalano similem.* Galenus distinguit Αἰγύπτιον φοίνικα, palmulam Ægyptiam à palma caryota, lib. II de aliment. facult. ἔστι δ' ἐν αὐτοῖς οὐ μικρὰ διαφορά. Τινὲς μὲν γὰρ ξηροί τε εἰσὶ καὶ στύφοντες, ὥσπερ οἱ Αἰγύπτιοι, τινὲς δὲ μαλακοί, καὶ ὑγροί, καὶ γλυκεῖς, ὥσπερ οἱ καρυωτοὶ καλούμενοι. Hoc est, quod ait Plinius, caryotas succo placere, ut uvas. Succulentæ ergo & dulces, ὑγροὶ, καὶ γλυκεῖς, καὶ μαλακοί. Ceterum differentia illa, quam notat Galenus inter palmulam Ægyptiam & caryotam, non siccam & recentem discernit, ut putant eruditissimi medici. Satis enim habuisset dicere, saltem debuisset, palmulam siccam adstringentis esse saporis & austeri, recentem vero uvidam & dulcem. Cum distinguat inter Ægyptiam & caryotam, aperte indicat tam siccam quam recentem Ægyptiam sejungere à sicca & recente caryota. Varro apud Agellium palmæ Ægyptiæ palmam dabat supra ceteras in ea satyra, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripserat: *Scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia.* Optimam facit palmam Ægyptiam. Contra ea Strabo lib. XVII palmas per omnem Ægyptum degeneres & vix edules nasci scribit excepta Thebaide, in qua sunt præstantissimæ. Hæ sunt Thebaïcæ palmæ. Eas igitur intelligit Varro, cum palmam Ægyptiam inter palmas principalem asserit. Hoc modo Ægyptia palma à Thebaïca non debet discerni. Nam & Thebaïs Ægypti. Thebaïcam autem illam palmam etiam caryotam facit idem Strabo. Quippe in Thebaide utrumque genus nasci memorat, caryotam & communem palmulam: διττὸς δ' ἐστὶν ὁ, τε ἐν τῇ Θηβαΐδι καὶ ὁ ἐν Ἰουδαίᾳ, ὅ τε ἄλλος καὶ ὁ καρυωτός. Σκληρότερος δ' ὁ Θηβαϊκός, ἀλλὰ τῇ γεύσει εὐστομώτερος. Duplex itaque palma in Thebaide, communis & caryota. Communis palmula Thebaïdis non differebat ab ea quæ per reliquam Ægyptum nascebatur. Caryota vero Thebaïca ejusdem generis cum caryota Judææ. Quærendum igitur, cur caryotas à Thebaïcis distinguat Plinius, quandoquidem & Thebaïcæ caryotæ. Aut cur Ægyptias palmulas à caryotis separet Galenus, quum & Thebaïcæ Ægyptiæ sint, & caryotæ quoque. Idem Strabo ibidem de Judæa: ἐκείνης πρὸς ἄλλῳ φοίνικι καὶ τὸν καρυωτὸν γεννώσης. Duo tantum genera constituit in palmæ fructu, communem & caryotam. Idem Strabo sibi ipsi videtur contradicere. Nam lib. XVI de palmeto Judææ loquens, narrat ibi tantum caryotam palmulam inveniri, & alibi nusquam, excepta, quæ Babylone nascitur, & ultra ad orientem: καὶ ὁ φοινικὼν δὲ τοιοῦτος, ἔχων τὸν καρυωτὸν φοίνικα, ἐνταῦθα μόνον πλὴν τοῦ Βαβυλωνίου καὶ τοῦ ἐπέκεινα πρὸς τὴν ἕω. Hoc si ita sit, non erit caryota, quæ in Thebaïde gignitur, sed alterius generis. Et sane omnes scriptores Thebaïcas à caryotis secernunt. Non ergo Thebaïcæ caryotæ. Quod diserte Strabo affirmat lib. XVII, qui tamen aliquod discrimen agnoscit inter caryotam Judææ, & caryotam Thebaïdis. Etenim Thebaïcam caryotam duriorem esse ait Judaïca, gustuque jucundiorem. Hoc est quod Plinius dicit crusta placere Thebaïcas, quia parum carnis habent, qua maxime placent palmulæ communes, & minimum succi: quæ dos est caryotarum Judææ. Ideo & succo eas commendari prodit. De Thebaïcis idem ita scribit lib. XIII. cap. IV. *In totum arentes Thebaïdes atque Arabicæ, macroque corpore exiles, & assiduo vapore torrente crustam verius quam cutem obducunt.* Thebaïs Arabiæ contermina. Ceterum Arabiæ caryotas etiam dat Diodorus Siculus. Caryotæ itaque Thebaïcæ & Arabicæ arentes & sicciores, crusta verius quam cute obductæ. Hæ sunt Ægyptiæ Galeni, quas ξηρὰς tradit καὶ στυπτικάς. Non de siccatis intelligit, sed de recentibus, in quibus parum succi, eoque nomine eas distinguit à karyotis multo succo refertis, & eximiæ jucunditatis. Et caryotas significat Judææ, quæ per excellentiam proprie sic dictæ. Plinius: *ab his caryotæ maxime ce-*

A *lebrantur, & cibo quidem sed & succo uberrimæ.* Galenus ὑγροὺς, γλυκεῖς & μαλακοὺς καρυωτοὺς vocat. In eodem genere sicciores erant Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, eodem Plinio teste. Nicolai ergo etiam ex caryotis, sed amplissimi & minus uvidi. Isidorus Nicolaos eosdem cum Thebaicis facit: Certe & Thebaïci καρυωτοὶ, & minus succosi quam Judaïci. Vetus geographus, qui sub Constantio vixit, caryotas Judææ *Nicolaos* indigetat. De Judæa & Syria. *Hi & omnibus bonis abundant. Nicolaum itaque palmulam in Palæstines regione loco, qui sic vocatur, Jericho similiter, & Damascena, & alteram palmulam minorem, & pistacium*
B *& omne genus pomorum habent.* Per alteram palmulam minorem eam intelligit, quam Strabo ἄλλον φοίνικα, & discernit à caryota. De hac ipsa Judæa ita loquitur: πρὸς ἄλλῳ φοίνικι καὶ τὸν καρυωτὸν γεννώσης οὐ πολὺ κρείττονα τοῦ Βαβυλωνίου. Ex his verbis colligas Judaïcam caryotam quadamtenus meliorem fuisse Babylonica, non tamen multo inferiorem hanc. Plinius certe nobilitatem caryotarum in Judæa censet, copiam & fertilitatem in oriente, id est, Babylonia & Perside. Majores erant Babylonicæ, non tamen meliores. Diodorus Siculus lib. II. Τῆς δὲ Συρίας κατὰ μὲν τὴν κοίλην οἱ καρυωτοὶ προσαγορευόμενοι γεννῶνται διάφοροι
C κατά τε τὴν γλυκύτητα καὶ τὸ μέγεθος, ἔτι δὲ τοὺς χυμούς. Τούτων δὲ πολὺ μείζους κατὰ τὴν Ἀραβίαν καὶ τὴν Βαβυλωνίαν ὁρᾶν ἐστι γινομένους. Plinius clarissimas omnium fuisse dicit ex Theophrasto, quas *regias* appellabant, quæ in horto Bagoi eunuchi nascebantur. Corrigendus ex Plinio Theophrastus: σπάνια δὲ εἶναι ταῦτα λέγουσι. Σχεδὸν γὰρ ἐν μόνῳ τῷ Βαγώου κήπῳ τοῦ παλαιοῦ περὶ Βαβυλῶνα. Summa igitur hæc divisio palmarum in majores, quæ *caryotæ* dicebantur, & minores, quæ communes, & dactyli. Ἄλλον φοίνικα vocat & distinguit ἀπὸ τοῦ καρυωτοῦ. Geographus vetus *alteram palmulam minorem* nuncupat, & pariter aliam statuit à Nicolao & majore
D quæ est caryota. Ex his omnino constat caryotam palmulam fuisse amplissimam, & à forma nucali sic appellatam. Theophrastus: διαφέρειν δὲ καὶ κατὰ μεγέθη καὶ κατὰ σχήματα. Καὶ γὰρ σφαιροειδεῖς ἐνίους ὡσανεὶ μῆλα καὶ τὰ μεγέθη τηλικούτους ὡς τέτταρας εἰς τὸν πῆχυν εἶναι. Et figura rotundas esse ait & magnitudinis ejus, ut quaternæ cubitum efficerent. Plinius ita reddidit; & Nicolaïs hanc mensuram tribuit: *Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ. Quaterni cubitum longitudine efficiunt.* Ita legendum. Paulo post de palmulis in genere: *distant & magnitudine prout multi cubitum effecere. Quidam sunt non ampliores faba.* Scribitur apud Theophra-
E stum: ὥστε τέτταρας εἰς τὸν πῆχυν εἶναι. Ἑπτὰ δὲ πῆχυν δίποδας. Ἄλλους δὲ μικροὺς ἡλίκους ἐρεβίνθους. Verba illa non agnoscit Plinius, ἑπτὰ δὲ πῆχυν δίποδας. Et profecto spuria videntur & expungenda. Præterea mendosa sunt. Scripserat aliquis ad oram, εἷς δὲ πῆχυς, δύο πόδες. Quod postea in textum recepere cum vitio. Cubitus alias duûm pedum traditur, alias sesquipedis. Studiosus notaverat ad marginem de cubito bipedali intelligendum esse. Diodorus scribit maximas caryotas sex pedes in longitudine efficere, τοὺς μὲν μείζους κατὰ τὸ μέγεθος ἓξ δακτύ-
F λων ὄντας. Sic quaterni juncti viginti quatuor digitos explent, quæ mensura quidem est cubiti, sed ejus cui pes tantum unus cum semipede tribuitur. Grandiores hujusmodi palmæ, quæ & *caryotæ*, non hodie ad nos importantur, sed minores tantum, quos vocabant dactylos. Quo magis ignoscendum nostris medicis reor, qui caryotas esse censent quas solas vident, nec alias putant fuisse veteribus cognitas præter eas quæ afferuntur. Xenophontis temporibus, ne in Græciam quidem majores illæ, & caryotæ invehebantur, sed solæ minores. Quod hæc ejus verba ostendunt in expeditione Cyri, de palmis Babyloniæ, αὐτοῦ δὲ αἱ βάλανοι τῶν φοινίκων, οἵας μὲν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἔστιν
G ἰδεῖν, τοῖς οἰκέταις ἀπέκειντο. Αἱ δὲ τοῖς δεσπόταις ἀποκείμεναι ἦσαν ἀπόλεκτοι, θαυμάσιοι τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος. Per majores & eximias palmulas designat caryotam. Per eas vero, quales in Græcia videri solitas ait, minorem palmulam & communem, quam vulgo dactylum appellarunt. *Caryota palma* de omni palma majuscula: proprie tamen sic vocarunt eam, quæ formam nucis habebat amplissimæ, quæque multo succo

succo abundabant. Nam, ut scribit Plinius post Theophrastum, *differunt figura rotunditatis aut proceritatis.* Ergo, quæ nucis instar præferebant, καρυωτοὶ appellatæ. Improprie tamen & καταχρηστικῶς palmam omnem majorem sic dixerunt, ut recentior ætas *dactylum* vocavit quamcumque palmulam, licet similitudinem digiti non haberet. Ita Græci βάλανον de omni palmæ fructu dicunt, quum certa tantum species, eaque Ægyptia, glandis figuram ostenderet. Thebaïcas Plinius macro corpore exiles fuisse refert. Hæ non possunt de facie καρυωτοὶ videri. Strabo tamen καρυωτὰς in Thebaïde nasci testatur. Sed quum ceteri auctores Thebaïcas à caryotis segregent, & genus utrumque proveniat in Thebaïde, fortassean Thebaïcas proprie nuncuparint minores palmulas in Thebaïde nascentes, quæ hoc speciale habuerunt, quod sicciores ceteris essent. Plinius caryotas soli Judææ & orienti vindicat, id est, Babyloniæ & Persidi: *Ab his caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem sed & succo uberrimæ. Ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti unde primo nomen. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Judæa, nec in tota, sed Hierichunte maxime. Quamquam laudatæ & Archelaïde, & Phaselide, atque Liviade, gentis ejusdem convallibus.* Dalecampius legebat: *ex Cappadociæ Archelaïde.* Sed tam hebetem fuisse Plinium non par est putari, ut ex Cappadociæ Archelaïde convallem Judææ fecerit. *Archelaïs* etiam urbs Judææ, cujus mentio in tabula Peutingeri, non longe ab Hierichunte: *Hierichonte* XII. *Archelaïs* XII. Phaselis quoque Judææ, non tantum Lyciæ, sed Φασηλίδα Judææ vocat Stephanus. Φασηλὶς, πόλις Ἰουδαίας ἀπὸ Ἡρώδου κτισθεῖσα. Josephum citat auctorem. At Φασηλὶς apud eumdem πόλις Παμφυλίας. *Livias* etiam Judææ, sed & *Julias.* Caryotæ non in tota Judæa nascebantur, quia Judæi non ubivis nasci nec multas sinebant, ut raræ cariores essent, & annonam earum incenderent. Strabo lib. XVII de papyro: κἀνταῦθα δὲ τινὲς τῶν τὰς προσόδους ἐπιτείνειν βουλομένων μετήνεγκαν τὴν Ἰουδαϊκὴν ἐντρέχειαν, ἣν ἐκεῖνοι παρεῦρον ἐπὶ τοῦ φοίνικος καὶ μάλιστα τοῦ καρυωτοῦ, καὶ βαλσάμου: οὐ γὰρ ἐῶσι πολλαχοῦ φύεσθαι, τῇ δὲ σπάνει τιμὴν ἐπιθέντες τὴν πρόσοδον αὔξουσι. Non in omni palma hoc monopolium exercebant, sed in caryotica præcipue. Orientis nomine Babyloniam intelligere Plinium palam est. Hæc enim magis meridiana quam Judæa. Ideo ad orientem Romanis magis fuit. Qui Indiam designari putant, errant. Caryotam & alteram palmulam communem non fert India. Indica autem palma, cujus fructum Lusitani vocant coccos, non fuit veteribus nota. Id ex eo intelligitur, quod amplissimas palmulas sex digitos longas esse, & quaternas cubitum efficere tradunt. At palmæ cocci binæ facile cubitum expleant. Præterea palmam sibi cognitam veteres pomi & uvæ naturam participare scribunt. Palmæ vero Indicæ fructus nucibus potius adnumerari debet, quam pomis aut uvis. Ideo & *nuces Indicas* eas vulgo vocant, quod de palma antiquorum sive caryotica, sive alia dicere non queas. Græci recentiores κάρυα Ἰνδικὰ dicunt. Caryotas Lusitani hodie vocant *caryossos*, vel *caryoces* non obscuris vestigiis prisci nominis immo plenis & expressis. In insulis occidentalibus tales repererunt, ut in insula D. Thomæ. Forma & magnitudine citrii mali ferunt esse, quod *limonium* vulgo vocitant, colore luteo. Plinius in Fortunatis insulis caryotas etiam inveniri post Jubam scripsit. Ad colorem quod attinet, etiam luteas caryotas extare meminit Diodorus: τῇ δὲ χρόᾳ τοὺς μὲν μηλίνους, τοὺς δὲ φοινικοῦς, τοὺς δὲ πορφυρίζοντας: *alias luteas, alias puniceas, partim vero purpurascentes videri.* Xenophon de caryotis palmulis Babylonicis, colorem earum ab electro nihil differre ait: ἡ δὲ ὄψις ἠλέκτρου οὐδὲν διέφερε. Color electri aureus. Et fortean de his palmulis aurei coloris intelligenda Galeni χρυσοβάλανος, ignorata nostris medicis. Βάλανος est palmula, χρυσοβάλανος aurea palmula. Ut χρυσόμηλον, aureum malum. Certe halucinantur, qui de nuce myristica interpretari volunt. Galeni ævo eam incognitam fuisse satis constat. Χρυσοβαλάνων porro etiam mentio extat apud Charitonem in xerio carthartico flavæ bilis & nigræ: λαβὼν μυροβάλανον ξανθὸν, καὶ Ἰνδικὸν δαμασώνιον καὶ χρυσοβαλάνους, πιτύουσαν, ἀνὰ < ς. ἐπίθυμον Κρητικὸν, &c. Meminit etiam χρυσοβαλάνων Myrepsus ex recentioribus. Virtutes autem chrysobalani non mirum discrepant à facultatibus caryotarum & Thebaïcarum. Succum decoctarum antiqui dabant ad recreandas vires renum, vesicæ ac viscerum vitiis medendis. Stomacho etiam proderant, & internis ardoribus. Non nescivisse Galenum, quid esset χρυσοβάλανος, sciri ex eo potest, quod eam non ignorarint recentiores medici. Fortean & præter ceteras balanos palmarum, peculiaris hæc virtus fuerit balani aureæ, qualem Babylonicam fuisse dicit Xenophon. Verum de his alibi plura. Hæc de majoribus caryotis. Alia multa nomina refert Plinius. *Margaridas, regias, syagros, adelphidas, patetos,* de quibus aliud nihil nosci notarique potest. Ex summa divisione, quæ in caryotas & vulgares palmarum genera dispartit, restat explicanda species minoris & communis palmulæ. Strabo ἄλλον φοίνικα simpliciter vocat. Geographus *alteram palmulam minorem.* Plinius sic absolute *palmam* sine adjuncto. Græcos recentiores video δάκτυλον vocasse hanc palmulam, à quibus Latini accipientes dixerunt *dactylum.* Apud veteres Græcos nusquam lego δάκτυλον in hac significatione, qui φοίνικας, & βαλάνους & φοινικοβαλάνους passim vocant fructus palmarum, nunquam δακτύλους. Apud Plinium capite de palmis mentio fit *dactylorum,* de quodam genere prælongæ gracilitatis & curvatæ, quo tamen loco veteres libri non agnoscunt vocem *dactylis.* Sic enim vulgo legitur: *Suum genus de sicciore turba dactylis, prælonga gracilitate curvatis interim.* In omnibus libris, quos quidem viderim, absque ulla varietate scribitur; *suum genus sed sicciore turba jacens, prælonga gracilitate.* Ita notant & in suis invenisse viri docti. Quid melius substitui possit, non video. Movet me tamen, quod dactylorum nec volam, nec vestigium apud sæculum illud invenio, nec in Græcia, nec in Latio. Sed non dubito quin illi generi palmarum nomen indiderit dactylorum sequens ætas Græciæ ab illa prælonga gracilitate. Posset æque convenire, nec remotius esset à veteri scriptura, si legamus: *Suum genus è sicciore turba Ægyptiis.* Prisci *Ægyptiam palmam* hanc proprie vocarunt, quæ postea δακτύλου nomen nacta est. Galenus Αἰγυπτίους φοίνικας ἀπὸ τῶν καρυωτῶν ea re discriminat, quod Ægyptiæ palmulæ sicciores sint, caryotæ succo manantes. Dioscorides: φοῖνιξ ἐν Αἰγύπτῳ γίνεται, de communi & minore hac palma. Dicit quidem ibidem palmulam eam ferre myrobalano Arabicæ similem, sed de eo tempore loquitur quo nondum attigit perfectam maturitatem, quum adhuc in medio cursu est. Τρυγᾶται δὲ μεσοπορούσης τῆς κατὰ τὴν ὀπώραν ἀκμῆς παρεμφέρων τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ. Pessime vertunt, *autumno colligi paulo antequam maturescat.* Immo viridem adhuc colligi intelligit, quum in medio tantum cursu maturitas pomi est, quo tempore glandis unguentariæ magnitudinem non excedit, & formam imitatur. Glandem unguentariam avellanæ similitudinem habere alibi tradit. Palmula illa viridis & immatura non major est glande myrepsica. Crescit postea, si sinatur maturescere, & grandescit. Tum φοινικοβάλανον fieri & nominari idem asserit: ἐὰν δὲ ἀφεθῇ πεπαινόμενος, γίνεται φοινικοβάλανος, id est, palmæ glans. Vocabantur & βάλανοι simpliciter. Suidas: Βάλανος, καὶ βάλανοι φοινίκων: οἶνον ἔπινον ἀπὸ τῆς βαλάνου τῆς ἀπὸ τοῦ φοίνικος. Pollux de palma arbore: ὁ δὲ καρπὸς ὁ μὲν τοῦ ἄρρενος, ψήν. Ὁ δὲ τῆς θηλείας, βάλανος: ἐξ οὗ δὲ κρέμανται οἱ βάλανοι σπάθη. Herodotus βαλανηφόρους vocat palmas feminas, quæ βάλανον ferunt. Ægyptii hodieque maturum palmæ dactylum nominant *bellan.* Quod manifesto corruptum ex *balanus.* Quare omnino legendum apud Plinium loco superius citato: *Suum genus è sicciore turba balanis, prælonga gracilitate, curvatis interim.* Id longe propius assimilat priscam scripturam, quam quod vulgo reposuerunt. *Dactylis* idem plane significat, sed illud nomen vetustius. Plinii ætate *dactyli* inauditi hac notione. Vulgus Græciæ recentioris hoc nomen usurpavit de balanis palmæ. Suidas: δάκτυλοι, παρὰ πολλοῖς οἱ βάλανοι τῆς φοίνικος. Ita proprie dicti palmæ communis fructus. Abusive postea quamlibet palmulam sic dixerunt. Isidorus nomen generis facit dactylos. Idem in glossis: *Nicolaï, dactyli.* Ægyptii hodie arborem, quæ dactylos fert, appellant *dachel,* quod ex δάκτυλος deflexum est. Proprie igitur hujus communis palmæ & Ægyptiæ pomum appellarunt βάλανος &

& δάκτυ[illegible]. Nam caryotæ palmæ nullo modo convenit hæc appellatio. Glans palmæ exilior & procerior ad instar digitorum hoc nomen ex merito ferat. Pomum vero caryotiferæ palmæ citrium malum maximum exæquans forma & magnitudine, longe ab hac glandis & dactyli imagine & significatione recedit. Plinius: *Ex reliquo genere plebejæ videntur. Syri & Juba tragemata appellant. Nam in aliqua parte Phœnices, Ciliciaque populari etiam nomine à nobis appellantur balani.* Mirum quod heîc legimus *balanos* populari nomine à Latinis vocari dactylos. Græcam esse vocem quis ignorat? Sed locus mendo non caret, quod tamen auxilio librorum frustra postules expugnare. B Tunc igitur locus conjecturæ, ubi nulla spes in exemplaribus. Audacter itaque scribe: *Nam in alia parte Phœnices, Græciaque populari etiam nomine à nobis appellantur balani.* Qui in his verbis *Phœnices* pro regione Phœnices Syriæ acceperunt, *Ciliciæ* etiam pro Græciæ supposuerunt, quia Cilicia vicina Syriæ. Sed *phœnices* heîc sunt φοίνικες, id est, palmulæ. Sic enim etiam vocarunt palmæ fructus, qui Græcis quoque βάλανοι dicuntur. Vult ergo Plinius *tragemata* à Syris vocari palmulas. In alia parte *phœnices*, id est, φοίνικας. Populari etiam Græciæ nomine à Romanis dici *balanos.* C Nam βάλανοι nomen Græciæ populare, de palmæ dactylis, quod etiam Latini usu suum fecere. Φοίνικας autem etiam appellatos fructus palmæ veteribus notavit Athenæus lib. XIV. Φοίνικα δὲ τὸν καρπὸν καὶ Ἑλλάνικος κέκληκεν ἐν τῇ τοῦ Ἄμμωνος ἀναβάσει. καὶ Φόρμις ὁ κωμικός. Aristotelem quoque citat ibidem περὶ φυτῶν, qui sic appellat, φοινίκων ἀνόρχων, οὓς τινὲς εὐνούχους καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀπυρήνους. Hesychius: φοῖνιξ, τὸ δένδρον καὶ ὁ καρπὸς, καὶ ὁ πυῤῥὸς τῷ χρώματι. Quod ait idem Plinius *tragemata* à Syris, & Juba appellari, de Syris Hellenistis id accipiendum. Nam τράγημα Græcum vocabulum. Libri non agnoscunt *Jubam* hoc loco, sed legunt: *è reliquo genere plebejæ videntur. Syris tragemata appellant.* D An scribendum: *è reliquo genere plebejæ videntur Syris. Tragemata appellant.* Ceterum non omnis palmæ balanus *tragema* dicebatur, sed is duntaxat, qui siccatus erat. Nam hoc proprie significat τράγημα. Xenophon de balanis palmarum: τὰς δέ τινες ξηραίνοντες τραγήματα παρετίθεντο. Fuit itaque cum legerem: *Siccas tragemata appellant.* Hesychius: φοινικοβάλανος τὸ τράγημα. Hierophilus in libro πῶς ὀφείλει διαιτᾶσθαι ἄνθρωπος ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, sub nomine τραγημάτων hæc tantum comprehendit, amygdalas, pistacia, nuces minutas, palmulas, sive dactylos siccos, & quæ ex his conficiebantur, coptæ. Ita etiam Alexander Trallianus lib. VII. E Apud Myrepsum ἀντίδοτος διὰ τραγημάτων componitur ex uvis passis, nucleis pineis, semine cucumeris, myrtis, semine apii, & palmulis. Quæ post cænam dabantur, partim siti redintegrandæ, partim ad oris suavitatem faciendam, ita vocarunt, sed sicca fere & dulcia. Strabo: γίνεται δὲ καὶ τὸ κόρσιον, ὅμοιον τῷ πεπέρει τράγημα, μικρῷ αὐτοῦ μεῖζον. Videtur plane cubebam designare. Et plane ita est. In Ægypto tamen non nascitur. Sed hoc putavit Strabo. Κόρσιον Theophrasto aliud est, radix nempe loti Ægyptii, magnitudine mali cydonii & figura. Hesychio κόρσιον ῥίζα τις. Diodorus κορσέον Ægypti à loto diversum facit. Sed hæc alibi. F Agellius lib. XIII. cap. XI. *Nam quæ πέμματα Græci aut τραγήματα, ea veteres nostri bellaria appellarunt.* Aliud tamen proprie πέμμα aliud τράγημα. Pemma compositum quid & coctum. Unde nomen. Τράγημα simplex, & sic siccatum, ut uvæ passæ, caricæ, palmulæ & similia. Hierophilus etiam coptas, sive placentas τραγημάτων appellatione complectitur. Sic πέμμα etiam esset. Sane *tragæa* nostra inde nomen invenit. Τράγη à τράγω, ut αὔξη ab αὔξω: βλαστη à βλαστῶ. Recentiores Græci τραγαίαν pro τράγη, ut ἀκτέαν quæ veteribus ἀκτὴ, & alia infinita ad hunc modum. Δραγαία scribitur apud medicos Græcobarbaros, & compositio est pluribus rebus constans. G Cum plures alii fructus sicci nomen τραγήματος habuerint, palmula sicca κατ' ἐξοχὴν sic appellata. Prosper Alpinus tradit in Ægypto dactylum palmæ maturum vocari *bellan*, siccum *tamar.* Procul dubio ut *bellan* factum ex βάλανος, ita *tamar* videatur ex τράγημα, *trama* & *tamar.*

A Non tamen ignoro vocem esse Hebraicam תָּמָר, quæ palmam arborem significat. Inde omnibus Arabibus *tamar* pro palma. Inde *tamarindi* dactyli Indici, quos tamen arbor fert nulla cognatione aut similitudine palmam attingens. Hi *tamarindi* veteribus ignoti. Græci infimæ ætatis ὀξυφοίνικας appellant, id est, acidas palmulas. Charito φοινίκια Ἰνδικὰ vocat, *palmulas Indicas.* Myrepsus modo ταμαρίνδι, modo ὀξυφοίνικον pro eadem re nominat. Glossæ Græcoarabicæ: ταμαρχένι, τὸ ὀξυφοίνικον, ita ὀξεία ῥοὰ malum punicum silvestre, quod nunquam maturescit & semper est acidum. Scribonius Largus cap. V. *Mala granata quibus coriarii utuntur,* B *quia semper acida sunt, nec unquam maturescunt,* ῥοιὰς ὀξείας *Græci dicunt.* Quæ maturescit, & dulcis est, γλυκεία ῥοιὰ Hippocrati vocatur. Ita ergo & ὀξυφοίνιξ, acida palmula ad differentiam dulcis. Non tamen, ut dixi, ex genere palmarum est, arbor, quæ dat hunc fructum. Hujus descriptionem apud Garciam vide. Auctor Lexici Græcobarbari, quod extat in scripto codice regio post Apsyrti hippiatrica hunc fructum cum prunis Damascenis eumdem facit: Ὀσπφινίκια ἐστὶ ταμαρένδι τὸ λέγουν πρέυνα Δαμασκηνά. Nugæ. Ὀσπφινίκια autem pro ὀξυφοίνικα. Sic myrobalana Græci recentiores, quæ in genere sunt prunorum potius quam palmarum, C nomine eodem quo palmulas vocarunt. Zosimus Panopolitanus capite περὶ ποιήσεως χαλκοῦ ξανθοῦ, planis ac disertis verbis φοινικοβάλανον vocat τὸ ἐλιλὲγ Arabum, quod est myrobalanum: καὶ λαβὼν φλοιὸν φοινικοβαλάνου τοῦ λεγομένου ἐλιλὲγ ἐν Ἄραψι. Serapio: *Halilig, id est, myrobalani.* Sed legendum *helileg*, vel *halileg.* Falsum igitur quod asserit Garcias omnia myrobalana ab Arabibus dici *delegi.* Quem jam refutavit vir magnus, qui *halilegi* vocari docet omne myrobalanorum genus. Quod nunc confirmatur auctoritate Zosimi, qui speciem myrobalani vocatam ostendit ἐλιλὲγ ab Arabibus. Sed quod mirum est Græcè φοινικοβάλανον indigetat, D id est, palmulam. Oportet à similitudine fructus hoc evenisse. Neutiquam enim palmæ arbori similis est, quæ myrobalana edit, sed potius pruno. Hæc similitudo igitur in fructu. Et profecto myrobalanum flavum magnopere simile est palmulæ. Hoc vero est quod Zosimus ἐλιλὲγ vocatum Arabibus dicit, & ipse φοινικοβάλανον vocat. Lexicon vetus Græcoarabicum: χαλιλὲγ, τὰ ξανθὰ μυροβάλανα. Plane appellat χαλιλὲγ, quod est aliis *halileg*, & ἐλιλὲγ Zosimo. Nam ח & ה sæpe invicem mutantur. Sic apud Charitonem χαρμὲλ pro ἁρμὲλ: τὸ μῶλυ ὅπερ ἐστὶ χαρμὲλ. *Harmel* apud Avisenam. Græcis ἅρμαλα. Paulo Æginetæ in antiE quissimo codice ἅρμανα. lib. VII. Μῶλυ, τινὲς δὲ πήγανον ἄγριον, ἄλλοι ἁρμανᾶν, Σύροι δὲ Βησάσαν. Sic σάνδαλα quæ aliis σάνδανα. Eidem Charitoni πεχὲμ, quod aliis *behen.* In compositione magnæ trypheræ: καὶ πεχὲμ λευκὸν καὶ ἐρυθρόν. *Behen album & rubrum.* Posset ex his aliquis adstruere de hoc myrobalano capienda esse verba Plinii lib. XXIII. cap. V. *Palma, quæ fert myrobalanum, probatissima in Ægypto.* Sed ne cui hæc imaginatio in mentem cadat, non potest sic accipi. Mera est Plinii hallucinatio, qui φοίνικα παρεμφέροντα τῇ μυροβαλάνῳ interpretatus est immani errore, *palmam ferentem myrobalanum.* Illo ævo nomen myrobalanorum F eo sensu, quo hodie nobis nota sunt, prorsus inauditum, ut res ipsa in totum incognita. Vetus interpres Alexandri Tralliani Iatrosophistæ, qui ante sexcentos annos vixit, *myrobalanum* vertit τὸ φοινικοβάλανον, lib. VII. cap. VIII. Ἀλόης ἡπατίτιδος ἀκακίας, κηκίδος, βαλαυστίων, ῥοιᾶς, φοινικοβαλάνου, κηροῦ τερχτοῦ. Ita hæc reddidit ille, quem dixi, vetus interpres, qui in membranis scriptus extat: *Aloæ hepaticæ, gallæ Asianæ, acaciæ, balaustii, cytinorum rias, myrobalani aut phœnicobalani, ceræ punicæ.* Vides hæsitasse utrum myrobalanum diceret an phœnicobalanum. Ergo myrobalanum ibi τὸ φοινικοβάλανον. Sed ne Zosimi quidem G ætas, recentissimi auctoris, hoc nomen μυροβαλάνων agnovit, quum tamen ipsius fructus notitiam haberet. Si μυροβάλανα tum vocata essent, non ipse vocasset φοινικοβάλανα. A similitudine, quam habent cum palmula, sic ea appellavit. Posteriores Zosimo Græci μυροβάλανα nominarunt. Qua re nescio. Fortasse, ut apparet, à similitudine balani unguentariæ, quæ

quæ Græcis vetustioribus dicta μυροβάλανος. Longe tamen similius palmulæ myrobalanum flavum, quam Myrepsicæ balano. Ceterum non assentior Garciæ, nec viro illustri, qui putant myrobalanis nomen impositum Latine ab interprete Serapionis & Avisenæ. Longe verisimilius à Græcis factum fictumque hoc vocabulum, quod mere Græcum est. Passim apud Myrepsum occurrit mentio τοῦ μυροβαλάνου Ἰνδικοῦ, κιτρίνου, ἐμπελυρίκι, ἔμπληκι. Item apud Actuarium. Qui ab interprete Serapionis non acceperunt. Neophytus in collectione ὕλης iatricæ: μυροβάλανα, τὰ λεγόμενα, ξανθὰ, μέλανα, σχιστὰ, τουρπέτ. Quo loco miror ab illo τὸ τουρπὲτ inter myrobalanorum genera recenseri. Id enim est turbith longe distans à myrobalanis. De quo maxima est inter auctores dividia. Et nos alibi. Myrepsus antidoto CLXXX, τὸ τουρπὲτ junctim posuit cum flavo myrobalano, non tamen ex myrobalanis est. Græci recentiores hunc fructum Græcis veteribus incognitum, ab Arabibus acceptum, quum eum quo nomine appellarent, non invenirent, ab aliqua similitudine, quam visus est habere cum palmula, aut myrobalano, alii φοινικοβάλανον, alii μυροβάλανον, in genere indigetarunt, ad species ipsas designandas Arabica nomina retinuerunt aliquantum depravata. Zosimus idem capite eodem: καὶ σταθμὸν μ̄ δ΄ βελιλὲγ ὁμοίως κεκαθαρμένου ἀπὸ τῶν ἐντὸς, ἤτοι τὸν φλοιὸν μόνον. Καὶ ἀμβλὲγ ὁμοίως κεκαθαρμένου μ̄΄. δ΄. Ubi βελιλὲγ est myrobalanum, quod vulgo dicitur *bellirici*. Ἀμβλὲγ quod ἔμπληκι, vel ἔμπλιτζι, vulgo *emblicum*. Lexicon Græcoarabicum: χαμβλὲγ τὰ μυροβάλανα. Melius fortasse χαλιλὲγ pro ἁλιλὲγ. Ut χάμαμα in eodem Lexico exponitur, περιστερεὼν pro ἄμαμα. Columbam Arabice id significat. Sed περιστερεὼν auctor ille exponit. Græci herbam eo nomine vocant, quæ περιστέρειον etiam dicitur. Recentioribus etiam Græcis περιστερά. Cujus duo genera faciunt, ὀρθὴν περιστερὰν, & ὑπτίαν. Latini *verbenacam* dicunt. Verum aliam herbam auctor illius Lexici περιστερεῶνος nomine intellexit, eam nimirum quam vulgo *pedem columbinum* nominant, quam & amomum esse quidam propterea existimaverunt, quod Arabes id *hamama* quoque appellant, corrupta voce ex Græco ἄμωμον. Χάμαμα igitur pro *hamamah*, ut χαλιλὲγ pro *halileg*. Nisi χαμβλὲγ scripserit pro ἀμβλὲγ, ut χάλκαννα pro ἄλχαννα. Sic enim apud eum legitur: χάλκανα, τὰ φύλλα τῆς κύπρου. Charito sic numerat nominatque genera myrobalanorum: ξανθὸν μυροβάλανον, χελιλεζὶ, κήβουλε, βελιλὲζ καὶ ἐμβλὲζ. Sic βουρουνὶζ vocat quod Avisenæ *duronegi*, doronicum. Myrobalana σχιστὰ non alibi invenio, nisi in alio Lexico, cujus testimonium supra adduxi: Μυροβάλανα γλωσσικῷ λόγῳ τὰ λεγόμενα, κοινῶς, μέλανα καὶ ξανθὰ, καὶ σχιστὰ, καὶ ἔμπλιτζα λέγονται. Ita vocarunt Græci scissa ac striata divisionibus. Belilegi, sive bellirica hoc nomine videtur intellexisse Neophytus & ille alter. Nam τὰ ξανθὰ commemorarunt nominatim, de quibus etiam poterat cogitari. Sed magis est, ut emblica hoc nomine vocaverint. Talia enim revera sunt, pulvinatis divisionibus scissa. Atque ita scribendum in Lexico: καὶ σχιστὰ τὰ καὶ ἔμπλιτζα λέγονται. Quæ *chepula* vulgo vocantur apud Avisenam *kebuli*, à loco ita dicta sunt: ut *casia kebulia* apud eundem: & *albrengi kebuli* genus seminis Indici ab urbe Indiæ *kebul*, vel *kabel*. Ita dicitur geographo Arabi in octava parte climatis secundi, qui & *myrobalanorum kebulensium* ibi meminit, qui in montibus illi urbi vicinis plurimi nascuntur. Sunt qui in censum palmarum referant arborem Ægypto familiarem, cui nomen hodie *musa*. Nonnulli etiam volunt eam palmæ speciem esse, quam Theophrastus in Cypro insula nasci memorat, cui folium quam ceteris latius, pomum rotundius, & oblongum, mali punici magnitudine. Sed hoc genus peculiare Cypri facit. *Musa* vero in Ægypto abundat, & in India passim gignitur. Alpino *mauz*, vel *musa* vocatur. Avisenæ *mauz*, vel *muzi*. Nunc primi docebimus, quod hactenus ignoratum est, *musa* esse μύξα Græcorum veterum. Heic cachinnum multi tollent, quibus persuasum myxa esse, quæ vulgo dicuntur *sebesten*. Pruni id genus. Expecta paulisper, & quod dicturus sum, specta. Non inficias ire possum quin *myxa* pruna sint sebestena: quin *myxa* pro prunis quidam ex veteribus usurparint. Isidorus *nixa* vocat pro myxis, & cum damascenis confundit. Hispanos audio *ameyxas* pruna vocare quælibet, voce ex myxis detorta. Nec nego μύξα Paulo Æginetæ non aliter esse sumenda, & quæ Græcis recentioribus memorantur. Glossæ quoque Græcorum iatricæ μύξα passim προῦμνα & δαμασκηνὰ interpretantur. Nec fortasse alia Plinii *myxa*, qui eorum cum damascenis meminit, Syriæ peculiaria asserit, & Italiæ jam utraque familiaria affirmat. Non nescio illud etiam dici, muccoso & lento succo hunc fructum refertum esse, unde viscum conficitur optimum. Atque inde pruno nomen, μύξα vel μυξάρια. Sed ut in plantis & fructibus infinita sunt Græcis ὁμώνυμα nomina, quorum & plura in præcedentibus exercitationibus notavimus, eadem quoque ὁμωνυμία in myxis deprehenditur. Pruni genus peculiaris Syriæ hoc nomen invenit, à lentore mucci simili. Alia fuere μύξα, sive μυξάρια Ægypti, quæ sunt ea quibus hodie *musa* nomen est ex antiquo illo nomine mutatum. Hesychius μυωξάρια vocat quæ aliis μυξάρια his verbis: Μυωξία, ὑβριστικὸς λόγος. Ἐστὶ δὲ καὶ τινὰ εἴδη ὡς σῦκα, βιβρωσκόμενα μυωξάρια. Hanc speciem ficis esse similem tradit. Quæro an pruna sebesten aliquid habent cum ficubus simile? Immo pruna sunt, & nucleum habent. *Musa* vulgaria ficis proxima. Unde Hispani vulgo musæ arborem vocant *figuera banana*, id est, ficum bananas ferentem. Alpinus fructum ipsum parvo cucumeri similem esse scribit, nucleis carentem. Et videtur nomen μυξαρίου à forma oblonga adeptus. Nam myxæ lychnorum tales sunt. Unde lychnus bimyxus, trimyxus à totidem myxis. Græci quoque μύξας vocant nares, τοὺς μυξωτῆρας. Hesychius: μύξαι, μυξωτῆρες. Qui stupas lychni producit, προβύειν λύχνον dicitur, & προμύττειν. Ut apud Plutarchum. Apud Heronem in pneumaticis ratio traditur, qua lychnus fieri queat ἑαυτὸν προβύσων. Cujus ellychnion sponte promoveatur & producatur. Προωθεῖσθαι ἐλλύχνιον hoc dicit ibidem Aristophanes:

Κάρφος χαμάθεν σὺ νῦν λαβὼν, τὸν λύχνον πρόβυσον.

Moreti auctor de lucerna.

Et producit acu stupas humore carentes.

Idem intelligit τὸ ἐλλύχνιον προωθεῖ, προβύει. Pollux: τὸ δὲ προμύξαι τὸν λύχνον, προβύσαι λέγουσιν. A longitudine myxæ, sive ellychnii dictus myxæ fructus Ægyptiæ. Diodorus inter fructus Ægypti peculiares recenset & μυξάρια, quæ vocat βάτα, id est, mora. Cave itaque censeas illa μυξάρια Ægypti eadem esse cum myxis Syriæ, quæ sunt ex prunorum genere. At nulla in re cognata sunt pruna moris, nec sane myxa Ægypti aliis myxis. Verba Diodori lib. I. Τὰ δὲ βάτα καλούμενα μυξάρια, συνάγεται μὲν κατὰ τὴν ἀποχώρησιν τοῦ ποταμοῦ, διὰ δὲ τὴν γλυκύτητα τῆς φύσεως αὐτῶν ἐν τραγήματος μέρει καταναλίσκεται. Non possunt hæc myxaria eadem videri cum myxis prunis. Βάτα vocat mora, quæ aliis μόρα βάτινα, mora ruborum. Alia etiam mora sic vocarunt, quæ συκάμινα Græcis. Athenæus: Παρθένιος δὲ ἄβρωνα φησὶ συκάμινα, ἃ καλοῦσιν ἔνιοι μόρα. Σαλμώνιος δὲ τὰ αὐτὰ ταῦτα βάτια. Δημήτριος δὲ ὁ Ἰξίων τὰ αὐτὰ συκάμινα καὶ μόρα, οἷον αἱμοῤῥία καὶ σύκων ἀμείνω. Hesychius: Βάτια, τὰ ἄβρυνα, ἢ μόρα. Idem: ἄβρυνα, συκάμινα. Melius itaque legatur, τὰ δὲ βάτια καλούμενα μυξάρια. Hæc myxa Ægyptia alii in genere ficuum reponebant, alii ἐν τῷ μόρων. Hinc discant, qui utraque myxa eadem facere parati erunt, ut hactenus ab omnibus factum, quantopere à via veritatis aberrent. Utriusque mentionem apud Plinium extare, sed ab illo, ut ejus mos est, confundi, perfacile factum est probare. Lib. XV. cap. de prunis, myxas Syrorum peculiares facit, quas & ipsas Romæ tum nasci cœpisse indicat, insitas sorbis. Hæ sunt myxæ sebastenæ, ab urbe Syriæ Sebaste. Hinc *sebastena*, ut *damascena*, & *kebula* ab urbe Kebul. Inde Arabibus *sebesten* appellata. Vocarunt & *mukeita*. Inde Græci recentiores μυχαΐτας nominant. Charito: ἔχει δὲ οὕτως. Λαβὼν ζίζυφα ε̄, καὶ μουχαΐτας ε̄ καὶ ἴα γο β ξηρὰ καὶ φούφελ γο α. Ubi μουχαῖται sunt sebastena myxa. Eodem capite perseam Ægyptiam myxis rubentibus similem esse

ait Plin[ius]: *Id enim de persea diligentiores tradunt, qua in totum al[i]est, myxis rubentibus similibus.* De fructu myxarum, [no]n de arbore id accipiendum. Hæc myxa rubentia diver[sa] sunt ab illis myxis Syriacis, quorum paulo ante meminit. Ideo & colore eos discrevit. Perseæ autem fructus non potest similis dici illis alteris myxis. Magnitudinem pyri habet, prælongus est, colore herbaceus. Theophrastus: ἔςι δὲ μέγεθ☉ ἡλίκον ἄπι☉, τῷ σχήματι δὲ περίμακρ☉, ἀμυγδαλώδης, χρῶμα δὲ αὐτοῦ ποῶδες. Hæc ad plenum forma est fructus musæ, vel myxæ Ægyptiæ, à qua longe discrepat facies myxæ sebastenæ. Color fructus musæ aureus est. *Rubentem* Plinius vocat, ut *rubens crocum* dicitur. Idem lib. XIII. cap. V è myxis in Ægypto vina fieri prodit. Quod de myxis musæ intelligi debet, non de sebastenis. Sed ea, ut dixi, Plinius confundit. Paulus Ægineta dicit myxa sebastena prunis esse amariora, potestate paria. Μύξα δένδρου καρπὸς ἐςὶ πικρότερ☉ μὲν τῶν κοκκυμήλων, δυνάμει δὲ παραπλήσι☉. Ita enim omnes scribunt libri apud Æginetam etiam antiquissimi, non, ut vulgo est, μικρότερ☉. Nec aliter habetur apud Neophytum & alios iatricos glossographos. At μυξάρια Ægypti Diodoro teste prædulcia erant, ac proinde tragematum vice sumebantur. Non igitur possunt esse eadem cum myxis sebastenis. De musæ arbore vulgo jactitant Ægyptii cannam saccharinam insitam esse radici colocasiæ. Sic de sycomoro ficum esse insitam moro. Græci recentiores μοῦσα dixerunt cum Arabibus, quæ priscis Græcis & Ægyptiis fuere μύξα vel μυξάρια. Myrepsus multis locis mentionem habet μούσινε ἐλαίε & μοσελαίε, quod ex musis istis factum est, sive myxis. Non intellexit bonus Fuchsius: ea re semper in aliud mutat, aliubi σύσινον pro eo hariolabundus, aliubi *moschatum oleum* & *muscellinum*. Certe hoc *muscellinum* unguentum Græcorum esse recentium μοσχέλαιον constat, & veterum βαλάνινον, ex myrobalano nempe factum, quam & μοσχοκάρυον recentiores vocarunt: Πίεσμα μυροβαλάνε, τὸ μοσχέλαιόν ἐςιν, ὅπερ ἐςὶ σύνθετον ἐκ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων, ἔτι δὲ καὶ ἐκ τοῦ μοσχοκάρυε, ὅπερ ἐςὶν ὁ καρπὸς τῆς μυροβαλάνε. Sic nucem myristicam μοσχοκάρυον vocarunt, & κάρυον μυρεψικὸν, & μυρεψικὸν, & ἀρωματικὸν, vulgo *muscata nux*. Ergo & *muscata glans* dici potest veterum μυροβάλαν☉. Ex qua μοσχέλαιον. Aliud μουσέλαιον. In antidoto διὰ κινναμώμε, quod ad stranguriam & vesicæ mala paratum est, etiam μούσινον ἔλαιον ingreditur. Avisena lib. II. cap. CCCCXCI. musam renibus utilem esse & urinam ciere monstrat. Musa igitur ex Græco μύξα, ut *selica*, vel *salica* ex ξυλική, & *sebram* ex ὀξύπορον. Arabes ita appellarunt genus tithymalli, quod Græcis recentioribus ὀξύπορον dictum est. Alii tamen *scebram* scribunt, & *alscebram*, ut apud Avisenam. Neophytus: τιθύμαλλον χαρακίαν εἶδ☉ καὶ ὀξύπορον λέγουσι τὸν φλοιὸν τῆς ῥίζης γαλακτίδ☉. Δεῖ γοῦν τοῦτον μετὰ τὸ πλυθῆναι καλῶς ἅλατι, βρέχεσθαι ὀξεῖ δριμεῖ καὶ ξηραίνεσθαι ἐν σκιᾷ, καὶ εἶτα ἀποτίθεσθαι ἐν ἀερώδει καὶ ἀποσκίῳ τόπῳ, καὶ ἐν καιρῷ χρῆσθαι. Omnia, quæ ex aceto sumuntur, aut in aceto servantur, Græcis ὀξύπορα dicuntur. Inde κατ' ἐξοχὴν hoc genus tithymalli ὀξύπορον nuncupatum. Arabes detorta indidem voce *scebram*, vel *sebram*. Latini *esulam*, quæ dictio idem significat quod Græcum ὀξύπορον ab esu, herba scilicet, quæ ex aceto editur. Nam *acetaria* etiam escaria vocarunt. Vetus Lexicon Græco Arabicum: Τιθύμαλλ☉ χαρακίας, τὸ ὀξύπορον. Idem: ἔζελα, τὸ ὀξύπορον. Interpretes Serapionis & Avisenæ *sebram* reddunt *esulam*, de qua non parva est inter medicos & herbarios controversia. Sed de his alibi. Pergamus hanc spartam exornare, immo hanc sportam de palmis pertexere, & omnem istam operam præcipue Plinio navare. Sic ille scribit: *Nam quos ex his honori Deorum damus, chydæos appellavit Judæa, gens contumelia numinum insignis.* Peream si sciam quid velit. Græci erant, non Judæi, qui χυδαίους φοίνικας nominabant. Sed de Judæis Hellenistis loqui voluit. Quid tum postea? An in contumeliam numinum ita eas vocarunt? Plebeias & vulgares palmas id nomen significat. In Judæa duo genera palmarum nascuntur, τὸ καρυωτὸν, quod erat rarissimum carissimumque, & commune dactyliferum. Hoc fortasse χυδαῖον appellarunt ad differentiam eximii & selecti, τοῦ καρυωτικοῦ.

A Sic Xenophon duo genera constituit nascentium Babylone, τὸ ἀπόλεκτον præcipuæ magnitudinis, id est, καρυωτὸν, & vulgare, quale per Græciam visebatur. In Thebaïde quoque genus utrumque eximium illud caryotarum, & plebejum dactylorum. Quod etiam ipse Plinius innuit, ubi de Thebaïcis agit: *Thebaidis fructus extemplo in cados conditur, cum sui ardoris anima in ita fiat, celeriter expirat, marcessitque non retostus furnis. E reliquo genere plebeja videntur.* Duo heic genera Thebaicarum agnoscit, quæ in cados conduntur, & plebejas. Hæ sunt χυδαῖοι Judæorum. Illæ optimæ eximiæque, utpote quæ & possent condi servarique. Istæ ætatem B non ferebant. Ideo statim recentes consumi expetebant. Theophrastus: θησαυρίζεσθαι δὲ μόνους δύνασθαί φασι τῶν ἐν Συρίᾳ, τοὺς ἐν τῷ αὐλῶνι, τοὺς δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Κύπρῳ, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις χλωροὺς ἀναλίσκεσθαι. Plinius: *Servantur hi demum, qui nascuntur in salsis & sabulosis, ut in Judæa, & Cyrenaïca Africa. Non item in Ægypto, Cypro, Syria, & Seleucia Assyria. Quamobrem sues & reliqua animalia ex his saginantur.* Istæ igitur χυδαῖοι, quæ non poterant servari, quibus & sues, reliquaque animalia saginabantur. Dioscorides scribit vinum palmeum ex chydæis maturis fieri solitum. Λαβὼν φοίνικας τοὺς χυδαίους πεπείρους: *cape palmulas chydæas maturas.* C De his, quas dixi, capiendum, quæ non poterant θησαυρίζεσθαι. Ex his maturis vinum fiebat. Plinius aliter accepit lib. XIV capite quo genera vinorum exequitur: *Primumque è palmis, quo Parthi & Indi utuntur, & oriens totus, maturarum quas vocat chydæas.* In optimo Thuanæo legitur: *mitearum quas vocant chydæas.* Palam est legi debere: *mitiorum quas vocant chydæas.* Vocat *mitiores* quæ maturæ sunt, easque vocari chydæas ait, quasi tum viliores. Sic olivæ maturiores pessimæ. Oleum ex immaturis & acerbis optimum, ipsæque longe ad usum meliores, quæ decerptæ inter bonitatem copiamque. D Non tamen hic sensus Dioscoridis. Ex his palmis, quæ inveterari servarique negabant, aliæ ad cibum sumebantur, aliæ ad vinum faciendum. Ex quibus vinum fieret, maturas esse oportebat. Ex his quæ ad cibum recentes usurpabantur, quædam viridiores colligi solebant antequam maturescerent. Dioscorides: φοίνιξ ὁ ἐν Αἰγύπτῳ γίνεται· τρυγᾶται δὲ μεσοπωρούσης τῆς κατὰ τὴν ὀπώραν ἀκμῆς, χλωρὸς τὸ χρῶμα. De hoc genere chydæorum loquitur. Addit protinus: εἰ δὲ ἀφεθῇ πεπαινόμεν☉ γίνεται φοινικοβάλαν☉. Inebriabant tales, & caput gravabant. Tales tamen etiam recentes edebantur. Theophrastus: τοὺς δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις οὐ διαμένειν, ἀλλὰ σήπεσθαι, χλωροὺς δὲ ἡδέως εἶναι καταναλίσκειν οὕτως. *Virides* heic male E reddunt interpretes. Nam virides proprie de immaturis. Χλωροὺς vero heic intelligit recentes. Ut σῦκα χλωρὰ recentia, quæ siccatis opponuntur, ξηροῖς: ita χλωρὸς τυρὸς, recens caseus, & mollis, ξηρὸς durus & siccus. Licet autem immatura palmula colore viridis sit, id est, χλωρὸς, non tamen χλωρὸς acerbam significat, sed maturam quæ recens editur, non siccam. Præstat igitur ubique apud Theophrastum capite de palmis χλωροὺς φοίνικας, *recentes* vertere quam virides, aut immaturos. Qui servari non possunt, ita vocat, & recentes edi debent, quos opponit θησαυρίσοις καὶ ξηροῖς. Immaturas palmulas eodem capite ὠμοὺς vocat. Ἐν Κύπρῳ δὲ ἴδιόν τι γένος φοινίκων ἐςὶν F ὃ οὐ πεπαίνει τὸν καρπὸν, ἀλλὰ καὶ ὠμὸς ὢν ἡδὺς σφόδρα ἐςί. *Sed licet viridis, summopere tamen dulcis.* Ὁ ὠμὸς opponitur τῷ πεπείρῳ, viridis maturo. At χλωρὸς ξηρῷ, recens siccato. Et cap. V. lib. IV. Ἀποπνίγεσθαι δὲ καὶ ἀπὸ φοινίκων, τῶν ὠμῶν εἴποι φάγοι. Plinius *virides* reddidit: *Alexandri milites palmis viridibus strangulati sunt.* Porro chydææ palmulæ de communibus dactyliferis exponendæ, quas Romani Græcique honori Deorum dabant, quibus & victores coronabant. Quas χυδαίους Judæi Hellenistæ vocabant, non ut Deos Gentilium contumelia hac afficerent, ut argutatur Plinius, sed ad differentiam τῶν καρυωτῶν, quæ apud se quoque nascebantur. Vulgaris G autem illa & plebeia in Græcia nascebatur, non item caryotifera. Et fortasse hæ sunt, quæ πατητοὶ dicebantur, ex quibus calcatis vinum exprimebatur. Πατητῶν φοινίκων mentio apud Alexandrum Trallianum lib. VII. cap. VIII. Φοινίκων πατητῶν Γο γ'. οἰνάνθης, κηροῦ. Ubi vetus interpres retinuit vocem Græcam: *Dactyli patiti* ℥. III. *Oenanthii, ceræ ana l. I.* Certe non alio sensu σαφυλαὶ πατητοὶ, uvæ calcatæ, quibus

quibus vinum exprimitur. An ita vocarunt siccatas quæ in cadis condebantur & inculcabantur? Ita puto. Sic κόπτειν de prunis dixit Theophrastus quæ calcata in cados condebantur: διὰ τὴν ἀφθονίαν τῶ δένδρυ ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιρῦντες κόπτουσι καὶ ποιῦσι παλάθας. Hoc idem & in loti fructu fiebat. Baccas ejus contusas doliis condebant. Polybius: μετὰ χόνδρυ κόπτοντες σάττουσιν εἰς ἀγγεῖα. Agathocles πατεῖν de prunis dixit in eadem re exponenda apud Athenæum. Πατηταὶ igitur palmulæ sunt contusæ, & in cados conditæ & inculcatæ. Quodcunque sit, ridicule Plinius genus palmularum ex hoc nomine fecit, quæ proprie sic vocarentur. Quod non magis verum videtur, quam si ficus recentes & siccas diversi generis esse dicas, nec ex eadem venire arbore. Quæ calcatæ fuerant, & è quibus vinum expressum erat, ita vocarunt. Idem Alexander ibidem: κηρῦ νάρδυ, φοινίκων πατητῶν, ἀνὰ λί α' ς'' οἴνυ ἀδριανῦ τὸ αὔταρκες εἰς τὴν τῶν φοινίκων ἀποβροχὴν. Vetus interpres: *Cera oleo nardino, dactylis patitis* ℔ I. *vino Adriano, quod sufficit ad dactylos infundendos.* Planum est intelligere palmulas siccas & in cadum inculcatas aut sane pressas ac calcatas, vino inde expresso. Glossa vetus ad illum locum *patitos* à loco dictos nugatur. Nunc ad alia genera transeamus. Plinius: *Sunt & cædua palmarum quoque silvæ, germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis earum medulla in cacumine, quod cerebrum appellant, exemptoque vivunt, quod non aliæ. Vocantur autem chamæropes.* Vitium in hoc nomine, quod sic editum Græcum non est. Lege: *chamærepis*, vel *chamærepes*, id est, χαμαιρρεπεῖς. Apud Theophrastum, unde hic locus ad verbum expressus, male etiam scribitur, χαμαιρρίφεῖς. Lege: χαμαιρρεπεῖς. Aliud quippe χαμαιρριφὲς, aliud χαμαιρρεπὲς, genus hoc palmæ humile & improcerum, & recte dicitur χαμαιρρεπές. Dioscorides vocat χαμαίζηλον, quod idem est: οἱ ἐκ τῶν χαμαιζήλων φοινίκων. Hesychius: χαμαιρρεπής, χαμαίζηλος, ἢ εἰς τὰ γήϊνα ῥέπων. At χαμαιρριφὴς, humi abjectus, & sparsus. Scribenda igitur sic verba Theophrasti: οἱ δὲ χαμαιρρεπεῖς καλέμενοι τῶν φοινίκων, ἕτερόν τι γένος ἐστὶν ὥσπερ ὁμώνυμον: καὶ γὰρ ἐξαιρεθέντος τῦ ἐγκεφάλυ ζῶσιν. *Exempto cerebro vivunt quod ceteræ non faciunt.* Cæsas etiam dicit repullulare. Neoterici de his tradunt cerebrum habere in parte, quæ radici proximior est. Quod secus est in aliis palmis. Haud mirum igitur fuerit, si cæsæ repullulant, nec enim læditur earum cerebrum. Aliæ vero palmæ quibus cerebrum in summo trunco, cædi non possunt nisi cum nece arboris. Nam summa parte amputata cerebrum etiam simul in his præciditur, in quo tota vis ac vita. Hoc videtur ignorasse Theophrastus, pumilum id genus palmarum juxta radicem cerebrum gerere, non in summitate trunci, sicut habent aliæ. Hæc aliis examinanda relinquo. Plinius etiam videtur propriam facere hanc teneram medullam, quæ cerebri nomine censetur, hujus generis palmarum. Scribit enim: *Dulcis earum medulla in cacumine, quod cerebrum appellant.* Atqui omnes palmæ hoc cerebrum habent, & hanc medullam dulcem. In eodem errore deprehenditur vir eruditus apud Athenæum lib. II ad hæc verba Theophrasti ab Athenæo citata de cacto: τὸ δὲ περικάρπιον ἀφαιρεθέντων τῶν παππωδῶν, ἐμφερὲς τῷ τῦ φοίνικος ἐγκεφάλῳ. Primum ibi sic vertit: *Detractis pappis tenellisque seminibus, edulis est gustu, qualis est cerebro palmarum*: ad marginem notat, *chamæriphon, silvestrium.* Quasi scilicet solæ chamærepes & silvestres cerebrum illud habeant, cui Theophrastus adsimilat medullam cacti detracta lanugine & cortice. Deinde male similitudinem illam medullæ palmæ cum medulla cacti in gustu putant constare. Quod falsum est. Medulla cerebri palmei dulcis est, & vescentes inebriat. Nihil tale facit aut sapit medulla cacti. Plinius *teneritate similem* dixit. Nec id ex mente auctoris, qui simpliciter ἐμφερὲς ἐγκεφάλῳ φοίνικος autumat. Substantiam itaque in utroque parem intelligit. Dioscorides ἐγκάρδιον appellat cerebrum palmæ, & album esse ait: τὸ δὲ ἐγκάρδιον τῦ φοίνικος τεμνόμενον λευκὸν καὶ αὐτὸ πρόσφατον βιβρωσκόμενον. Theophrastus negat palmæ καρδίαν inesse. Καρδία in arboribus ab imo ad summum stipitis extenditur. In palma nulla ejusmodi καρδία. Sed in summo trunco

A cerebrum habet, quod ἐγκάρδιον Dioscorides vocat, quia vis vitalis palmæ in illa parte tota consistit, ut hominis in corde. Serapionis vetus interpres *ciphilionem*, & *cor* in palma eamdem rem statuit. De bdellio: *Sed cifilio est cor istius arboris, & natura ejus est, sicut natura palmarum.* Item de palma: *Et est cifilio, & est cor palmæ interius album.* Vocat *cifilionem* pro cephalione. Ita enim Latini vocarunt recentiores ex Græco κεφάλιον, quod est capitulum. Κεφάλιον, *cephalio*: ut Δαμάλιον, *Damalio*, Damalionis. Palladius plantam palmæ *cephalionem* vocat, non *cephalonem*. Quia ea parte trunci, qua caput est, seritur & plantatur palma. Humi-
B les palmas & χαμαιρρεπεῖς Siculi hodie vocant *cefalogni.* Cerebrum in capite, quod est totius corporis summum. Ita palmæ cerebrum in summo trunci vertice, quem & κεφάλιον dixere, Latini *cephalionem*, id est, caput. Vetus epigramma κράδα appellat. De matre sua, & palma arbore ita loquitur Dactylus:

Ἄβρωτος κείνη πᾶσιν κράατος, εἰμὶ δ' ἔγωγε
Τρωκτὸς ἅπας μοῦνον δ' ἔντερ' ἄβρωτα φέρω.

Et sane ipsa palma nihil habet edule præter caput, id est, summum truncum, in quo cerebrum. Τὸ ἄνω, τὸ ἄκρον τῦ φοίνικος Theophrastus semper vocat. Ea
C pars est, unde rami omnes, & coma palmæ oriuntur, ac sese spargunt. In ea cor palmæ, idemque cerebrum, quod Dioscoridi ἐγκάρδιον dicitur. Male Guillandinus ἐγκάρδιον quasi ἔγκαρον dictum putavit, quo nomine veteres cerebrum vocarunt. Quæ summa est imperitia Hellenismi. Plinius lib. XVII. cap. XXIV. *Quibusdam debilitas sterilitatem, non necem adfert, ut si quis pino cacumen auferat, vel palmæ. Sterilescunt enim, nec moriuntur.* Theophrastus: Ἴδια δὲ τὰ περὶ τὸν φοίνικα καὶ τὴν πίτυν: ὅταν γάρ τι κολυσθῇ, ταῦτα οὐκ ἀπόλλυται μέν: ἄκαρπα δὲ γίνεται. Non dicit Theophrastus, si cacumen palmæ auferatur sterilescere, sed si quid ex ea am-
D putetur & mutiletur. Ceterum de ea tantum palma loqui se profitetur, quæ in Græcia nasceretur. Quod enim ibi tardos & raros fructus ferat, ideo vel modica mutilatione, ne fructificent, impediri posse, quoniam in solo non suo veniunt. At in illis locis, ubi nasci amant, id fortasse non fieri, nec ramorum mutilatione sterilescere ibidem asserit: ἐν δὲ ταῖς οἰκείαις χώραις ἴσως οὐκ ἄκαρπα. Οὐδὲ θαυμαστὸν εἰ μὴ ἀκαρπεῖ ταύτῃ ἐκεῖ κολυόμενα. In natali solo non sterilescit recisa & deminuta. Immo alibi scribit, ubi de cultura palmæ agit, novellas quidem ferro non attingi, sed robustiores ramos circumcidi. Lib. II. cap. VIII. Hist. Νέυς
E μὲν ὄντας οὐχ ἅπτονται, πλὴν ἀναδοῦσι τὴν κόμην, ὅπως ὀρθοφυῆ καὶ ῥάβδοι μὴ ἀπαρτῶνται, μετὰ δὲ ταῦτα περιτέμνουσιν, ὁπόταν ἁδρὸς ἤδη γένηται καὶ πάχος ἔχῃ, ἀπολείπουσι δὲ ὅσον σπιθαμὴν τῶν ῥάβδων. Quæ Plinius sic reddidit: *Nec ferro attingunt ibi novellas, sed religant comas, ut in altitudinem exeant. Robustas deputant crassitudinis gratia semipedales ramorum relinquentes truncos, qui alibi decisi necant matrem.* Non dicit Græcus auctor ramos gratia crassitudinis deputari, & ut crassiores evadant, sed tum demum quum crassiores facti sunt: ὁπόταν ἁδρὸς γένηται καὶ πάχος ἔχῃ. Cum robustior extiterit, & crassior factus sit. Plinius legisse videtur, saltem intellexisse quasi esset scriptum,
F ὡς πάχος ἔχῃ, ut crassitudinem accipiant. Σπιθαμὴν heic pro semipede accipit, quum duodecim digitorum mensura sit. Ita tamen etiam alias σπιθαμαῖον *bipedalem* vertit. Alibi rectius *dodrantalem.* Vides palmæ cacumen auferri, & comam circumcidi relictis ramorum truncis dodrantalibus tantum, & in culturæ parte hoc poni. Non igitur sterilescunt palmæ dempto cacumine. Addit Plinius: *Qui decisi alibi necant matrem.* Certe si propius summitatem trunci decidantur, ita ut cerebrum attingatur, arbor tota emoritur. Duplici itaque modo cacumen in palma intelligitur, aut de comæ cacumine, quod absque pernicie arboris circum-
G ciditur ac deputatur, quæ etiam hac deputatione proficit: aut de cacumine trunci, in quo cerebrum est. Quæ sola decacuminatio necem adfert arbori. Hæc est ἐπικοπή, de qua loquitur Theophrastus lib. V de causis cap. XXIV, quam palmæ exitialem esse fatetur: περὶ δὲ τῆς ἐπικοπῆς καὶ τῆς κολύσεως ἐν ὀλίγοις, ἢ σκέψις, ὀλίγα γὰρ τὰ φθειρόμενα: κατὰ μὲν τὴν ἐπικοπὴν, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς, φοῖνιξ. Statim explicat de qua ἐπικοπῇ intelligat:

καλῦσι

καλοῦσι ἐπικοπὴν ὅταν ἀφαιρεθείσης τῆς κόμης ἐπικόψῃ τις τὸ ἄκρον. Ubi comam abstuleris, si summum trunci cacumen præcidas, hæc ἐπικοπὴ perniciosa palmæ, & interitum fert. Cacuminis vero comæ amputatio nihil illi nocet. At κόλουσις, de qua sequenti capite tractat, alia est tam ab ἐπικοπῇ comæ, quam ab ἐπικοπῇ trunci. Mutilatio arboris ea voce significatur, quum rami ex trunco arboris defringuntur, & vi avelluntur vel cæduntur. Ista κόλουσις steriles reddit palmas, sed in Græcia tantum. Perperam Plinius de hoc genere κολούσεως *cacumen ablatum* interpretatus est, quod de cacumine comæ deputato, vel de trunci cacumine præciso tantum dici convenit. Deputatio comæ arborem juvat, & culturæ pars est. Præcisio trunci ea parte, qua cacumen est & cerebrum, arborem necat. Hoc est τὸ ἄκρον palmæ, & τὸ ἄνω & κεφαλή, vel κεφαλίων. In quo ἐγκάρδιον & ἐγκέφαλον. Corrigam heic insignem ejusdem Theophrasti locum ex lib. I de causis cap. II: ubi plures prosequitur modos, quibus palma seratur: καὶ ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις ἐὰν ἀποκόψας τις ἄνω φυτεύσῃ, καὶ βλαστάνειν οὐκ ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου μόνον, ἀλλὰ καὶ κάτωθεν αὔξειν τὰς ῥίζας. Hæc nullum sensum, qui probari possit, efficiunt. Ait in Græcia præcisa summitate palmam solere seri. Hæc summa trunci pars est, qua cerebrum continetur, in quo vis vitalis omnis palmæ. Eoque præcisam plantabant, capite vel cerebro deorsum infosso. Ex ima autem illa parte ideo fruticabat potius, quia in cerebro virtus genitalis, & ex eo germina primum pullulant, & virgæ ramique emicant. Scribendum igitur: ἐὰν ἀποκόψας τις ἄνω φυτεύσῃ, βλαστάνει ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου μόνον καὶ κάτωθεν αὔξει τὰς ῥίζας. Nihil verius. In Græcia hoc tantum modo serebatur, trunci ea parte, cui cerebrum inest, defossa. In Babylonia, quæ regio apta palmetis, etiam tenerrimis surculis plantatis fruticabat. Eodem capite: ὁ δὲ φοῖνιξ ἀπὸ τῶν ῥάβδων βλαστάνει χώρας εὐβοσίᾳ καὶ εὐφυΐᾳ, ἀπὸ δὲ τοῦ ἐγκεφάλου, διὰ τῶν ὑποκάτω μᾶλλον ἐστὶν εὔλογον. Ἐντεῦθεν γὰρ καὶ ἡ τῶν ῥάβδων φύσις. Sed conjecturam nostram plane stabilit locus ex Historiæ lib. II. cap. VIII: ubi loquitur de φυτείᾳ palmæ, quæ trunco ipso fit: ἡ δὲ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ στελέχους, ὅταν ἀφέλωσι τὸ ἄνω, ἐν ᾧπερ ὁ ἐγκέφαλος. Ἀφαιροῦσι δὲ ὅσον δίπηχυ σχίσαντες τοῦτο, κάτω τιθέασι τὸ ὑγρόν. Spectas truncum præcidi in summo, ubi cerebrum est, eumque findi, ac depangi deorsum, in qua parte teneritas & humor cerebri. Plinius sic vertit: *Seruntur autem palmæ trunco duorum cubitum longitudine à cerebro ipso arboris fissuris diviso atque defosso.* Ita legendus hic locus ex veteri codice. Cerebrum ipsum arboris trunci summum est. Truncum præcidunt duorum cubitûm longitudine à summo: id defodiunt cerebro deorsum verso, & fissuris diviso. Longe corruptissima apud eundem Plinium eodem capite hæc verba de palma arbore: *Reliqua teretes atque proceræ, densis gradatisque corticum pollicibus, ut orbibus, faciles se ad scandendum orientis populis præbent, utilem sibi arborisque induviis circulum mira pernicitate tum homine subeunte.* Vitium lectionis & malam manum correctorum testatur vetus scriptura, quæ sic habet: *Densis tradatisque corticum pollicibus auctioribus faciles ad scandendum orientis se populis præbenti utilem sibi arboremque inductis circulum, mira pernicitate cum homine subeunte.* Palmæ arboris caudex totus scaber est, & asper densis squamis per gradus dispositis & extantibus. *Pollices* vocat *acutiores* Plinius. Ita enim scribendum: *pollicibus acutioribus*: vel certe, *auctioribus*: id est, grandioribus. Nam *auctiorem* Plinius, Florus, Solinus pro ampliori ponunt & majori. Pollux: περὶ δὲ τοῦ φοίνικος ἐρεῖς, ὄρθιος, ὑψηλός, τραχύς. Propter illam corticis asperitatem & eminentes squamarum pollices faciles ad scandendum erant illæ palmæ. E contra Indicæ palmæ, quia leves sunt, difficiles admodum scandendo se præbent. Idcirco incisuris per corticem in orbem factis, & laqueis ad pedes aptatis eas scandunt indigenæ. Sequitur in verbis Plinii: *Faciles ad scandendum orientis se populis præbent utilem sibi arboremque inductis circulum mira pernicitate cum homine subeunte.* Ita veteres libri. Scriptum fuit *arboreque* pro *arborique*. Inde corruptum à librariis: *arboremque*. Totum locum sic scribo: *Faciles ad scandendum orientis*

A *se populis præbent, utilem sibi arborique inductis circulum, mira pernicitate tum homine subeunte.* Præter illam facilitatem, quam præbet scandentibus palmæ caudex ex illis unguibus squamatis per corticem dispositis gradatim, circulum etiam pedibus inducunt homines illi, qui eas scandunt, non tantum sibi utilem, sed arbori. Quod cum fecerunt, tum mira pernicitate subeunt: *Inductis circulum*, ut *soleam inductus*, & Apulejo: *pedes soleis palmeis inductus.* De circulo, quem pedibus inducunt, qui palmas arbores scandunt, omnino accipiendum. Et veram ausim præstare Plinii lectionem. Cetera non præsto. Vereor quippe ne palmas Indicas cum Judaïcis

B & Ægyptiis confundat. Istæ asperæ squamis gradatis densisque, ideo faciles scansioni. Nam gradus veluti dispositos habent. Quid igitur opus circulo inducto pedibus? Illæ contra totæ leves, & propterea admodum ardui & impediti ascensus. Quem ut expediant, laqueos pedibus inducunt, & corticem incisuris asperant in circuitu. Indicæ palmæ meminit Plinius, qui & Indos ex ea vinum conficere tradit. Sed eam ille non describit, nec quisquam veterum. Immo videntur putasse eandem cum Judaïca. Quod falsum. Certum quippe in tota India non nasci palmam dactyliferam,

C nec caryotiferam. Modus scandendi dactyliferas longe diversus ab eo, quo scanduntur cocciferæ Indicæ. Plinius non discrevit. Pergamus in eo capite illustrando, palmisque demerendis. Plinius: *Mas in palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum spinæ modo.* Legendum est, ut habetur in melioribus libris, *spicæ modo.* Nihil de spica habet Theophrastus eo loco, quem heic vertit Plinius, sed ex altero id adtexuit, qui extat lib. I de causis, cap. XXIV: ubi dicit palmam arborem germen emittere veluti spicam, cui fructus adpensus: Οὐ γὰρ φέρει ἀπὸ τῶν ἔνων ἢ νέων ἀλλὰ τῶν κυημένων πρότερον ὥσπερ τὰ σταχυηρὰ τῶν σπερμάτων

D ἐκφαίνει. Ἐκ γὰρ τῶν ὁμογενῶν ἐκφαίνεται καθάπερ στάχυς, ἡ ῥάβδος ἔχουσα πρὸς ἑαυτῇ καρπόν. Hic palmes spicatus non ex annotinis, aut novellis palmæ ramis emanat, sed ex vetustis, & primo fructu racemosum totum involvit, deinde sese aperiens in solem prodit, & ejicit. Hæc ea, quam σπάθην & ἐλάτην Græci vocant, & φοινικα. *Corticem palmæ* Latini appellant hanc elaten, quod est, corticeum palmulæ involucrum, dum in flore est. Diodorus φλοιὸν nuncupat, lib. II de palma loquens: τὰ μὲν γὰρ πάντη τοὺς σπάδικας ἔψει περικεχυμένους καὶ κατὰ μέσον ἔκ τινος περιερρωγότος φλοιοῦ βοτρυώδη καρπὸν

E ἀνίησι. Disrupto illo cortice panditur ad solem fructus palmæ racemosus. Hesychius φλοιῶδες appellat, & σεβέννιον notat appellari: Σεβέννιον τὸν ἐπ' ἄκρῳ φοίνικι φλοιῶδες γινόμενον. Quidam μασχάλην dixerunt. De eo enim puto intelligendum apud eundem Hesychium: Μασχάλιον κάνεον φοινίκιον, μασχάλη γὰρ ἡ τοῦ φοίνικος ῥάβδος. Et μάσχαλος χιτὼν apud eundem. Panopolitano Zosimo τὸ κωβάθιον τοῦ φοίνικος dicitur. Horum κωβαθίων palmeorum fumo ad dealbandum utebantur chymici. Zosimus: ἡ δὲ κάμινος καιέσθω ξύλοις καὶ λεπύροις φοινίκων, κωβαθίων τῶν φοινίκων. Et paulo post: ὁ γὰρ καπνὸς τῶν κωβαθίων, τῶν φοινίκων πάντα λευκαίνει. Ex cinere etiam foliorum palmeorum, θαλλοὺς vocat, idem usus: καὶ ἡ σποδία τῶν θαλλῶν τῶν φοι-

F νίκων. Paulo infra τὰ θάλια τῶν φοινίκων appellat. Polluci θαλλὸς, τὸ φύλλον τοῦ φοίνικος. Nicomedes iatrosophista in Lexico: θάλια, τὰ φύλλα τῶν φοινίκων. Aliud θαλλὸς de oleæ fronde. Ægyptiis hodie *talla* appellatur dactylus recens enixus & viridis. Cujus involucrum σπάθη, vel ἐλάτη Græcis veteribus, atque etiam φοῖνιξ, palmes nempe vel scapus spicatus, cujus usus unguentariis olim fuit ad spissanda unguenta, dum clausus adhuc erat, fructu cum maxime florente. Μεμνῖαν probat Dioscorides: Φοῖνιξ ἣν ἔνιοι ἐλάτην ἢ σπάθην καλοῦσιν, παρακάλυμμα ἐστὶ τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων νέων ἀνθούντων. Hæc σπάθη & ἐλάτη etiam Theophrasto. Alii σπάθην etiam vocarunt robustiorem ramum, ex quo

G prodibat σπάθη, qui aliis σπάδιξ indigetatur. Apud Herodotum Arabes arcus sibi faciunt ἐκ φοινικίης σπάθης. Hæc σπάθη non est spica illa, de qua diximus, vel involucrum palmulæ, sed validior ramus, ex quo palmes fructifer exit. Fructus ipse idem quoque nomen habuit cum spathæ involucro Dioscoride teste: καὶ ὁ περιεχόμενος δὲ ὑπ' αὐτῇ καρπὸς ἐλάτη καλεῖται, ὑπ' ἐνίων δὲ βόρασσος. Transpositum videtur pro βόσαρος. Arabice *besser*, vel *bussar*. Interpres Avisænæ

Avisenæ *busurum* vocat. Ex Hebraïco est בסר *boser*, quod uvam acerbam, vel fructum immaturum significat. Arabes ita vocarunt palmulam nondum maturam. Ceterum à colore palmitis palmei, qui φοίνιξ dicitur, color in equis *phœniceus* Latinis appellatus, idemque *spadix* & *badius*. Nam & σπάδιξ termes palmæ Græcis. Hic color φοίνιξ etiam Græce dictus & equus φοίνιξ Homero, qui Latinis spadix & phœniceus, sive badius:

Ὁ ἰ τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν.

Ita etiam vocat Apsyrtus capite περὶ δυσπόδων καὶ μαλακοπόδων: καὶ οἱ λευκομέτωποι, καὶ οἱ λευκόρυγχοι, μάλιστα δὲ οἱ φοίνικες, ὅταν τι τούτων ἔχωσι, πονηροί. Item Hierocles in proœmio: Οὐδ᾽ αὐτοῖς διακελεύεται μέλας ἀπὸ τοῦ φοίνικος. Ita legendum non φοινικοῦ. De coloribus equorum loquitur. Color huic ὁμώνυμος alius Græce quoque φοίνιξ appellatus, Latine *puniceus*, qui exsuperantiam, ut loquitur Agellius, splendoremque ruboris significat. Ut diversus hic puniceus ab illo phœnicio, ita longe aliam habet originem. Utrumque tamen eodem nomine nuncupant Græci φοίνικα. *Puniceum* vero etiam φοινικοῦν. Sed mirum omnibus ferme auctoribus antiquis hos duos colores ex ὁμωνυμίας vocabuli confundi quum tantopere distent. Quis enim vidit *puniceos* equos, sive coccineos, nativo ac suo colore? At *phœniceos*, sive spadices, quos *badios*, vel βαΐος vocamus, passim videre est. Agellius, sive Phavorinus apud Agellium utrumque eumdem facit lib. II. cap. XXVI. *ξανθὸς autem & ἐρυθρὸς, & πυῤῥὸς, & φοίνιξ habere quasdam distantias coloris rufi videntur, vel augentes eum, vel remittentes.* Hic est Græcorum φοινικοῦς. Latinorum *puniceus*. Hunc ipsum colorem eodem capite cum spadice & phœniceo eundem esse statuit: *Nam phœniceus, quem tu Græce φοίνικα dixisti, noster est & rutilus & spadix phœnici συνώνυμος, qui factus Græce noster est. Exsuperantiam splendoremque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, unde spadici & phœniceo nomen est. Σπάδικα enim Dores vocant avulsum è palma termitem cum fructu.* Ita hæc legenda. Colorem equorum badiorum, qui phœniceus & spadix vocatur, eumdem cum puniceo & φοινικῷ facit. Et male utrumque à colore fructus palmæ nondum maturi dictum scíscit. Certe Libanius in comparatione palmæ arboris, & mali, palmulam nondum maturam phœnicei coloris esse dicit, hoc est, spadicis: maturam vero non unius coloris existere. Nam aliæ puniceæ fiunt, aliæ succinæ, aliæ purpureæ, aliæ etiam candidæ. Οἱ μὲν γὰρ φοίνικες παντοδαποὶ τῷ χρώματι, καὶ τὸ πρῶτον μὲν τοῦ πεπάνθαι εἰσὶν ἐπώνυμοι. Ἔπειτα δὲ περιόντες ἐρυθραίνονται, καὶ παρ᾽ αὐτῶν φοινισσόμενοι. Clare distinguit colorem immaturæ palmulæ, qui φοίνιξ est, id est, phœniceus, vel spadix, à colore maturæ rubro & puniceo τῷ φοινισσομένῳ. Non tamen omnes maturæ puniceæ evadunt. Immaturas dicit esse τοῦ πεπάνθαι ἐπωνύμους, id est, nomine φοίνικας dici & reapse esse, phœniceas nimirum. Sed errare etiam puto, quod palmulas immaturas primo suo colore phœniceas esse vult. Siquidem virides sunt primum, non phœniceæ. Fefellit illum vox φοίνιξ, qua fructus palmæ etiam vocatur. Atqui non sic dicitur quod sit colore phœniceo vel puniceo, sed cognominis est ipsius arboris, quæ φοίνιξ appellatur, ut *ficus* tam arbor quam fructus solet nominari. A palmite igitur palmæ colorem φοίνικα, vel phœniceum dictum constat. Φοίνιξ Græce etiam termitem palmæ significat, vel σπάθην, ut ex Dioscoride constat. Pollux: ὁ μέντοι φοίνικος ὁ κλάδος ὁμώνυμος φοῖνιξ καλεῖται. Idem ergo & σπάδιξ. Unde & spadix equus, idem & φοίνιξ. Sed & badius, quasi βάϊος à βαΐς, quæ ramulum palmæ significat. Philargyrus: *Spadix & phœniceus est, quales sunt fructus palmarum, neque diluti satis coloris, neque nimium pressi.* Hinc tamen apparet phœniceum spadicem alium esse à puniceo. Nam phœniceum hic dicit neque diluti coloris esse, neque nimium saturi. At puniceus coloris rubri vegetissimi & exsuperantissimi, id est, ὀξυτάτης vel teste Agellio, qui tamen de phœniceo hoc tradit, quod unice convenit puniceo lib. III. cap. IX de equo Sejano: *Eum equum fuisse dicunt magnitudine invisitata, cervice ardua, colore phœniceo, flora &*

A *comanti juba.* Sic legendum ex optimo codice. Sub finem capitis colorem eum explicans ita habit: *Hunc equum Gabius Bassus vidisse Argis refert haud credibili pulchritudine, vigoreque, & colore exsuperantissimo, quem colorem nos, sicuti dixi, phœniceum dicimus, Græci partim φοίνικα, alii σπάδικα appellant: quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu avulsus σπάδιξ dicitur.* In omnibus coloribus suus est vigor, & exsuperantia. Itaque & phœniceus equorum color alius est dilutior, alius saturatior, quem vulgo *badium obscurum* nominamus. Sed plane patet heic Agellium de phœniceo hujus equi colore idem omnino pronuntiare, quod de illo phœ-

B niceo, quem in differentiis & gradibus rubri coloris signandis summum tenere locum fecerat. His enim gradibus rubrum colorem Græcis vocabulis percensuit, ξανθὸν, ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, φοίνικα. Atqui hunc φοίνικα, *phœniceum* & *spadicem* esse Latine voluit, vigore & exsuperantia rubri coloris ceteris omnibus præstantem. Quod longe secus habet. Quippe hic *puniceus* & φοινικοῦς Græcorum, quo colore nullus unquam equus natus aut visus est nisi pictus fuerit, haud magis sane quam coccineus. Nam cocci color puniceus, hoc est, coloris rubri acutissimi. Purpuræ quoque ru-

C bræ tale lumen ad cocci nitorem accedens. Eam purpuram dicit Pollux Φοινίσσεσθαι ἐκ τοῦ ἄνω πυρὸς, id est, splendorem cocci ex alto recipere dum radiis solis incenditur. Et φοίνισσαν βαφὴν vocat Tyriæ purpuræ tincturam. Hesychius: Φοινικοῦν, πυῤῥὸν κόκκινον, αἱματῶδες. Profecto, ut puniceam vestem nemo spadicem, aut badiam diceret, ita qui badium equum punicei & coccinei coloris traderet, ludos omnibus præberet. Colores fructus palmarum varii sunt: alii lutei, alii punicei, alii purpurei. Sunt & candidæ palmulæ, sunt & nigræ. Et, ut Plinius cum Theophrasto prodit, non pauciores palmæ quam fico traduntur

D colores. Non igitur, quod quidam putare possent, puniceus color & φοινικοῦς à fructu palmæ puniceo & rubenti nomen invenit. Alias candidum quoque & nigrum colorem, sed & luteum eadem ratione φοίνικα & φοινικοῦν nuncupare quis posse videatur, quia his coloribus reperiuntur palmulæ. Duo sunt colores ὁμώνυμοι multum diversi φοίνιξ *phœniceus*, & φοίνιξ *puniceus*. Ita enim nominibus Latini discreverunt, qui Græce sunt indiscreti, nisi quod φοινικοῦν frequentius Græci dicunt & præcipue oratores, qui Latinis est *puniceus*. Sed poëtæ Græci & antiqui φοίνικα utrumque colorem indifferenter appellant,

E ut φοίνικι φαεινὸν apud poëtam τῷ φοινικῷ χρώματι λελαμπρυσμένον. Hesychius: Φοίνικι, ἐρυθρῷ βάμματι. & φοῖνιξ ἵππος, *phœniceus* & *spadix*. Diversa tamen, sicut supra dicebamus, utriusque vocabuli origo. Φοίνιξ, cum pro phæniceo & badio sumitur equorum colore, à palmulæ termite deducitur, qui & φοίνιξ & σπάδιξ, & βαΐς Græce vocatur. Isque color est, aut ei admodum adfinis, quem in aliis rebus, quam in equis *castanatum* nuncupamus, à colore castaneæ. Quidam ex Latinis inferioris ævi *castaninum* dixere. In capillis præcipue hic color obtinet, qui rufi sunt coloris, non nimium pressi, nec ultra modum saturi. Φοίνιξ vero color, vel φοινικοῦς, qui *puniceum* Latinis dedit, lon-

F ge aliam habet originem. Φοινὸς & φοίνιος, idem quod cruentus & sanguineus à φόνος, quod cædem significat. Hinc & φοίνιον pro rubro dixerunt. Hesychius: Φοινὸν, πυῤῥόν. Suidas: Φοινὸς, πυῤῥὸς, φόνιος. Idem & φοίνιος. Hesychius: Φοίνιον, πυῤῥὸν, ἐρυθρόν. Idem: Φοινία κύναρος, πυῤῥά. Dosiades: λιβάδεσσιν οἷα χάλκην ἀπὸ φοινικῆσι πηγαῖς. Idem & φοινήεις. A nomine autem φοινὸς verbum φοινίσσω, quod est cruento, & sanguine inficio. Homerus:

——— φοινίσσετο δ᾽ αἵματι γαῖα.

Hinc & pro rubro colore inficere passim accipitur. Suidas: Φοινίξω, αἱμάξω, βάψω, πυῤῥώσω, ἀπὸ τοῦ φόνου,

G ἢ ἀπὸ τοῦ φοίνικος, ὅτι πυῤῥός. Sed falsum de palma, & errat cum aliis, qui spadicem *phœniceum* cum *puniceo* coccino confundunt. Præterea verbum φοινίσσω non factum est à nomine φοίνιξ, sed contra. Nam à φοινίσσω φοινίξω, φοίνιξ. Ut ἀμύσσω; ἀμύξω, ἀμύξ: φυλάσσω, φυλάξω, φύλαξ, χαράσσω, χαράξω, χάραξ, & infinita hujus generis. Ergo φοινὸς & φοίνιξ omnino idem.

idem. Ex φοινία, ἐρυσίβη, *rubigo*. Græci quoque veteres eam Syriæ partem, in qua purpura optima tingebatur, φοινίκην ab eadem ratione videntur appellasse, & φοίνικας Tyri & Sidonis incolas, unde præstantissima purpura Tyria, quæ & *Sarrana* Latinis, quia *Sar* olim Tyrus. Ennius *Pœnos Sarra oriundos* dixit, id est, Tyro. *Pœni* origine sunt Phœnices, ut satis omnes sciunt. Græci sane veteres φοινὸς etiam videntur vocasse populos illos, qui aliis φοίνικες. Nam idem prorsus nomen φοινὸς & φοίνιξ. Inde *Phœnices* populi quibusdam dicti Φοινοί. Ex quo *Pœni*, qui oriundo Phœnices. Servius: *Pœni κατ᾽ ἀντίστοιχον Φοινοί*. Immo plane Φοινοί, ut φοινίκεον, *pœniceum*. In veteri inscriptione: BELLO POENICIO, id est, Punico. Nam *Punicum* pro *Pœnico*, ut *punio* pro *pœnio* à pœna. Glossæ: *Pœni*, Ἄφροι, Φοίνικες. Inde Φοίνιξ διάλεκτος lingua Punica apud Apsyrtum cap. λ ις. περὶ παθῶν βοῶν: τὰ δὲ περὶ τὰς βόας συμβαίνοντα πάθη, καὶ τὰ πρὸς αὐτὰ βοηθήματα, ἄριστα γέγραπται Μάγωνι τῷ Καρχηδονίῳ τῇ φοίνικι διαλέκτῳ. A colore igitur tincturæ, quæ ibi primum reperta est, φοίνικας Græci appellavere, ut Λίβυας & Μαύρους à colore vultus, quod nigri essent. Etenim Λίβυς antiqua lingua Græca niger, ut & Μαυρός. Sic Αἰθίοψ nomen quoque Græcum idem significans. Sed & Αἴγυπτος. At *purpureum* dices à *puniceo* distat, purpureo autem Tyros & Phœnice laudata. Tibullus:

Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Africæ proprium facit *puniceum* & Tyri *purpureum*. Illud puniceum Africanum coccinum est ex cocco Africæ. Plinius de cocco: *Gignitur & in Galatia, Africa, Pisidia.* Idem ergo plane puniceum τὸ φοινικοῦν cum coccineo. Sed & puniceum in purpura cernitur præcipue Tyria ac rubente. Tyrio *laus summa in colore sanguinis concreti*, Plinio teste. Sanguinis color φοίνιξ vel φοίνιος. Nam id proprie significat. Apud poëtam *vellera Tyrios incocta rubores* leguntur. Et Homero *purpureus sanguis* dicitur eidemque terra rubet sanguine: φοινίσσετο δ᾽ αἵματι γαῖα. Hesychius φοινικοῦν interpretatur αἱματῶδες. Præterea purpuræ, quæ colligebantur in orientalibus littoribus, rubri coloris erant. Tales Tyriæ. Vitruvius: *Quod vero meridianis regionibus excipitur rubra procreatur potestate, & ideo hoc Rhodo etiam insula procreatur, ceterisque ejusmodi regionibus, quæ sunt proximæ solis cursui.* Pollux de Tyria purpura φοινίσσεσθαι dicit, & φοίνισσαν βαφὴν vocat: ὁ δὲ λύθρος ἄρας τὰ χείλη τοῦ κυνὸς αἱμάξας ἐφοίνιξεν. Et paulo post: ὁ μὲν τοίνυν Ἡρακλῆς πρῶτος γνώμων τῷ Τυρίῳ λόγῳ τῆς φοινίσσης βαφῆς. Et sub finem capitis de excellenti purpuræ colore, quæ radiis solis percussa splendorem nitoremque cocci acquirit: καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει, καὶ πλείω ποιεῖ, καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγὴν ἐκφοινισσομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρός. Vetus Poëta apud Hesychium: Φοινίκης ὅπλον, ipse interpretatur ἐρυθρόν. Non dubium inde nomen invenisse Φοίνικας, eosdemque antiquitus quoque appellatos Φοινός. Quod satis testantur in Africa *Pœni*, qui Phœnices fuere, id est, Φοινοί. Nec moror Græcos, qui ab auctore Phœnice Agenoris filio gentis nomen hujus deducunt. Ita solent in omnibus. Quæ nesciunt, ea fingunt. Eodem modo & Καρχηδόνα, cujus nominis evidentissime alia causa est, à quodam Tyrio Carchedone conditam voluere. In his commentis priscos imitantur etiam recentiores Græculi, qui Αἱμίμοντον vocabulum mere Romanum ab Aemo monte factum, ipsi ab Αἱμιμόντῳ quodam eam provinciam tradunt appellatam, qui primus in illis locis regnarit. Zosimus Panopolitanus φοινικοπάστελλον nominavit in ea aëris temperatura, quam ποίησιν χαλκοῦ ξανθοῦ vocat: εἶτα λαβὼν ἀπὸ τοῦ φοινικοπαστέλλου, τοῦ ἐρυθροῦ, τοῦ λεγομένου Νατὴφ ἐν Ἀραβίᾳ. Id vocabulum de nomine ipso *puniceum pastillum* videtur sonare. Nam Græci posteriores πάστελλον, vel παστέλλιον appellant, qui Latinis pastillus. Videtur ea voce intelligere colorem illum quem vulgo vocitamus *Aurantiatum pastellum*, *orange pastel*, qui croceus est color in rubrum vel coccinum vergens. Alias *pastellum* simpliciter dicimus aliud genus coloris, quo cæruleum tingitur, is conficitur ex herba isatide, quam & ipsum vulgo *pastellum* appellant, quod contusa in pastillos digeratur. Græcis quoque recentioribus πάστελλος pro isatide ponitur. Græci Veterinarii capi-

A te DXXIII ad tussientes equos: ἀβροτόνου γο ς΄. ἴσωπος Κρητικοῦ γο ς΄. ὀπίου ὀβολὸν α΄. κόστου γο β΄. νάρδου στάχυος γο β΄. πάνακος ῥίζης γο α΄. παστέλλου κεκαυμένου γο ς΄. κινναμώμου γο α΄. Ubi πάστελλος est isatis, quam vulgo Europæi fere omnes *pastellum* vocant. Arabes vocant *nil*, quo nomine & cæruleum colorem nuncupant. Inde & aliam herbam, quæ simili modo præparata similem colorem efficit, eadem appellatione impertiunt. In Gusaratte, ubi plurimum celebratur hujus herbæ ad tincturam σκιάσια, vocari ferunt *gali*. Eam rori marino similem de facie faciunt Linscotus & Paludanus: ocimo Garcias ex versione Clusii. Isatis nostra plantagini similia

B habet folia. Nec dubium porro quin veterum Ἰνδικὸν quod hodie ajunt inexploratæ inventionis esse, ex illa herba Indica parari solitum sit. Harundinum Indicarum esse prisci credidere. Nempe nesciebant quomodo fieret, aut unde sumeretur. Ex India allatum, & limo indurato simile, quum viderent, putarunt spumam esse harundinum adhærescente limo. Sic sericum quotidie videbant, atque utebantur, nec tamen ejus conficiendi rationem qualis esset, tenuerunt. Isatidem & Indicum eodem colore inficere ostendit Zosimus, ἐπὶ ὑακίνθου δὲ πᾶν ὑάκινθον καὶ μέλαν Ἰνδικὸν καὶ ἰσάτιδος ῥίζαν. Il-

C lud μέλαν Ἰνδικὸν est nil Indicum. Isatis nostras nil. Hoc *pastellum* cæruleum Narbonensium. Aliud pastellum luteum vel rubrum, quod φοινικοπάστελλον Zosimo dicitur, Arabibus νάτηφ vocari ait. An ex voce Latina *nativus*? Latini rubrum colorem κατ᾽ ἐξοχὴν dixere verum & nativum. Ut Græci ἀληθινὸν, unde *holoveræ* vestes & *verantia* rubia. Plinius inter nativi coloris lanas etiam rutilas, id est, ἐρυθρὰς recenset. Epiphanio inter genera hyacinthi ὀνάλιος refertur, qui inter roseum est & dilutiorem: ὁ δεύτερος ῥοδίζων, ὁ τρίτος νάτιος, ὁ τέταρτος ὑδαρέστερος. Hic proprie color pastelli rubri: ἀπὸ φοινικοπαστέλλου τοῦ ἐρυθροῦ, τοῦ λεγομένου νατὴφ

D παρ᾽ Ἀραψί. *Natef* tamen, vel *natif* Arabibus idem quod pastillus. Apud Avisenam lib. V. Tract. V. *Natif ad tussim* dicitur quod Galeno est κοπτάριον βηχικόν. Bellunensis *nataf*, vel *natif* interpretatur rem condensatam in modum dactyli quæ deglutitur. Hoc erit ad verbum φοινικοπάστελλον Zosimi, id est, pastillus in modum dactyli conformatus. Nam φοίνιξ Græcis dactylus, fructus nempe palmæ arboris. Quod nomen hoc sensu tam vetustis quam recentioribus in usu fuit. Glossæ veteres, *palmula*, φοίνιξ. Glossarium Græcobarbarum: Νικόλαοι, φοίνικες. Apud Apsyrtum & alios Hippiatros Græcos sæpe φοίνικες occurrunt pro

E palmulis, sive dactylis palmarum. Non igitur φοινικοπάστελλον rubeum significat, sed oblongum instar dactyli pastillum. Ideo φοινικοπάστελλον ἐρυθρὸν vocat Zosimus, id est, *pastellum rubrum*, qua adjectione non opus fuisset, si φοίνιξ in eo composito significaret puniceum aut rubrum. Sic pastilli varia forma facti, rotundi qui τροχίσκοι, & κυκλίσκοι, & τροχοειδέες ἄρτοι Andromacho in theriace, alii ἀρτίσκους vocant. Sunt item oblongi, ut dactyli palmarum, vel ovali figura. Theomnestus ὑπομήκεις κολλύρας vocat de re Veterinaria. Pelagonius in eodem libro; κόψον καὶ ποίησον παστέλλας ὡσεὶ

F ᾠά. Hoc idem & *turunda* ex Græco τυροῦντα, τυροῦντα, quod est placenta caseata. Offas oblongas, quibus farciuntur gallinæ altiles, ita vocat Varro lib. III. de R. R. *Farciunt turundis ordeaceis.* Cato pro balanis ponit, vel ejusmodi κολλυρίοις longis & rotundis, quæ fistulis immitti possint. Cap. CLXVII. *Et si fistula erit, turundam introtrudito.* Hinc turundæ pro balanis, qui sedi supponuntur apud Marcellum Empiricum. Largus Scribonius *turundos*, ita enim legendum, non *rutundos*, similes esse ait illis offis, quas μαγδαλιὰς Græci vocant. Auctores Veterinarii μαγδαλιὰς sæpe vocant pastillos, ovi magnitudine & figura, quæ dantur equis transglutiendæ. Glossæ: *turunda*, κολλύρια, & κογχύλιον. Confundit more illius sæculi κολλύρια & κολλύρια. Græcis κολλύραι & κολλύρια, parvi panes, sive

G pastilli. Ocularia medicamenta, sive ex metallicis fierent, sive ex succis & seminibus, in mortario trita ea forma redigebantur ac servabantur. Anthyllus capite de collyriis: ἀποτίθεσθαι δὲ χρὴ μετὰ τὸ ἀναπλάσαι τὰ κολλύρια ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ. Quæcunque ἀναπλάσσεσθαι apud Græcos dicuntur medicamenta, ea in pastillos conformata

mata intelligi par est. Hinc ὀφθαλμικὰ medicamenta A dicta κολλύρια, quod in panes essent formata, vel à colore cineris, quo plerumque obsiti sunt panes. Nam σποδια pleraque oculis proficiunt, & ex his medicamenta ad oculos componuntur. Sed illud nunc magis probo. Sic dicebantur & ἀκόλια, quæ eadem sunt atque κολλύρια. Etenim ἄκολος idem quod κολλύρα, exiguus nempe panis. Dioscorides de ebeno: εἰ δὲ τις ποιήσας ἐξ αὐτῆς ἀκόλιον χρῷτο εἰς τὰ κολλύρια, βέλτιον ἐνεργήσει. Ita scribendum, non ἀκόνιον, ut vulgo, quod nihili est. Et frustra se torquent medici nostri in ea voce exponenda. Si quis inquit ex ebeno trito pastillos fecerit, ad ocularia medicamenta efficacius proderit. B Hîc κολλύριον proprie dixit pro medicamento oculario. Ἀκόλιον vero est pastillus compositus ex ebeno trito in mortario. Similiter hæc vox corrigenda apud eumdem Dioscoridem in hæmatite: γίνεται δὲ καὶ κολλύρια ἐξ αὐτοῦ καὶ ἀκόλια πρὸς τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς πάθη ἐπιτήδεια. Alibi dixit ἀκόλια ex ebeno fieri ad collyria, id est, oculorum medicamenta. Hic collyria & ἀκόλια ex hæmatite confici scribit oculorum malis proficientia. Certe κολλύρια & ἀκόλια eadem. Ridiculum est quod de aconio medicamento nugantur, ad cotem attrito, quasi peculiari virtute polleant, quæ ad cotem attrita sunt. Sed nec satis scio quid sit *ad cotem atterere*. C Ἀκόνη Græcis cos est. Ceterum ἀκόνη etiam pro mortario medicinali passim apud auctores sumitur, terendis collyriis idoneo. Hoc sensu nullum non collyrium dici deberet ἀκόνιον, quia omnia teruntur in mortariis medicinalibus. Galenus in Hippocratem notavit ἀκόνην eidem Hippocrati significare mortarium, item Theophrasto lib. VIII de plantis: Ἀκόνην ἐν τοῖς προσκειμένοις τῷ περὶ διαίτης οὕτως ὠνόμασε τὴν θυΐαν, ὡσαύτως καὶ ὁ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ φυτῶν ὀγδόῳ. Locus Theophrasti hodie extat lib. IX. Historiarum de ebeno: χρήσιμον δὲ πρὸς ὀφθαλμίας ἀκόνῃ τριβόμενον. Nescio cur placuerit interpretibus vertere: *ad cotem tritum*. D Nimirum intellexerunt ita ebenum ad cotem teri debere, ut oculis proficiat, quemadmodum attritu cotis exacuuntur ferramenta. Quod est ridiculum. Reddendum Latine fuit illo loco: *utile est oculorum medicamentis, mortario tritum*. Nec alio sensu censendus posuisse hoc vocabulum Dioscorides, quum de eodem ebeno scripsit: τριφθεῖσα δὲ ἐπ᾽ ἀκόνης ὑπόκιρρος γίνεται, id est, *in mortario tritum rufescit*. Non, ut vulgo vertunt, *ad cotem trita*, vel in cote. Nec enim Latini *cotem* eodem significatu usurparunt, ut Græci ἀκόνην pro mortario. Atqui in ea etiam notione apud Græcos recentiores accipitur. Epiphanius de topazia: ἔχει δὲ ὁ λίθος δοκιμὴν τοιάνδε. τριβόμενος ἐν ἰατρικῇ ἀκόνῃ, οὐκ E ἐρυθρὸν ἀποδίδωσι κατὰ τὸ χρῶμα τὸν γλοιόν: *trita in mortario medicinali*. Ita enim vertendum. Sic Plinio lib. XXXV. cap. XXII. *Auctoribus curæ fuere lapides mortariorum quoque nec medicinalium tantum, aut ad pigmenta pertinentium.* Ubi mortaria medicinalia sunt ἰατρικαὶ ἀκόναι. Hoc etiam Plinium fefellit, qui ἀκόνην apud auctores Græcos ubi mortarium designat, ipse pro cote aquaria accepit, qua gladii acutiantur lib. XXXVI. capite de hæmatite: *Experimentum ejus esse in cote ex lapide basanite. Reddere enim succum sanguineum.* In Græco Sotaci fuit: ἐν ἀκόνῃ ἐκ λίθου βασανίτου. Ex eo enim lapide mortaria fiebant, ut idem Plinius asserit cap. XXII ejusdem libri. F Idem paulo post de genere quodam hæmatitis: *Tertium genus Arabici facit vix reddendis succum ad cotem aquariam.* In Græco erat: πρὸς ἀκόνην, id est, ad mortarium, vel in mortario tritum. Ipse accepit pro cote aquaria. Et paulo infra: *Nasci in Africa nigrum, attritum aquariis cotibus reddere ab ea parte quæ fuerit ab radice nigrum colorem, ab altera croci.* Palam est in Græcis Sotaci fuisse: τριφθέντα ἐν ἀκόναις, id est, *tritum in mortariis*. Quod Plinius *attritum cotibus aquariis* esse voluit. Quod est ridiculum. Aquariæ cotes acuendo ferro erant, quæ aqua adspergi inter acuendum postulant. In his optimæ Naxiæ. Aliæ fuere oleariæ, quæ oleo G tangebantur. Omnes attritu ferrum acuunt. Galenus ἀκόνην & θυΐαν jungit lib. IX de simplicibus medicamentis: περὶ πρώτων οὖν ἐρῶ λίθων, ὅσοι τριβόμενοι θυΐαις ἢ ἀκόναις, ἰσχυλὸν ἀναλύονται. Auctores Veterinarii Græci cap. CCCLXXXIII. Καὶ ἀναπλασσόμενον οὕτω ποιεῖ καλῶς ἀνιέμενον ὕδατι ἐπ᾽ ἀκόνης καὶ οὕτως ἀπαλειφόμενον. Item capite CCCLXXXVII. Καὶ ἀνιεὶς ἐν ἀκόνῃ δι᾽ ὕδατος ἐνάλειφε. CCCLXXXIX. Καὶ ἀναπλασσόμενον ἐπ᾽ ἀκόνης καὶ οὕτως ἐναλειφόμενον ὠφελεῖ. Planum est ἀκόνης nomine omnibus his locis mortarium intelligi ex cote lapide factum, vel certe cotem mortarii vice terendis collyriis aptum, ut sunt hodie, ac vocantur marmora, quibus colores suos terunt ac diluunt pictores. Sed & ἀκόνην pro omni mortario usurparunt. Non tamen etiam Latini. Idem Plinius *coticulas terendis collyriis* alibi nominavit. Quo loco docuimus legendum esse *tuticulas* pro tudiculis. Glossæ: *Tuticula*, τορύνη: *tuticulo*, τορυνῶ. Aliud tamen τορύνη quam ἀκόνη vel mortarium. Plinius in Græco auctore legit ἀκόνια fieri ex lapide Thebaïco, id est mortariola. Ipse ad verbum vertit coticulas. Hoc verum. Hæc de collyriis, sive acoliis ocularibus in mortario tritis, & in panes formatis. Alia κολλούρια certa forma figurata medicamenta, quæ in fistulas introduci possent, ex κόλουρος voce facta, oblonga erant & rotunda. Certam eorum fuisse formam ostendit clare Dioscorides his verbis de chalciti: σύριγγας δὲ αἴρει ἐν κολλουρίου σχήματι ἐντιθεμένη. Hoc κολλούριον turunda est Catonis, & diversum ab ocularibus collyriis, quæ formam tantum panis vel collyræ accipiebant, ut servarentur. At κολλούρια illa locis, quibus indebantur, prodesse non poterant, nisi ea specie facta essent, quæ facile in fistulam immitteretur. Quidam ea κολλούρια συριγγιακὰ dixerunt, ut distinguerentur ab ocularibus collyriis, quæ & ipsa quoque κολλούρια vitiosè appellata. Apsyrtus de re veterinaria capite τG κολλούρια συριγγιακά. Vegetius vertit *collyria fistularia*, quæ ad mensuram fistulæ, in quam erant immittenda, semper aptabantur. Alia erant ὀφθαλμικά, quæ proprie κολλούρια, diversi generis & formæ. Fistularia coluria formam plane referebant caudæ muris amputatæ, atque inde κολλούρια. Auctores Veterinarii cap. CCCXCI de coluriis fistularibus: ἀνάπλαττε κολλούρια τὰ μὲν ἐπιμήκη μύουρα, τὰ δὲ τροχοειδῆ. Illa ἐπιμήκη & μύουρα proprie dicta κολλούρια. At quæ τροχοειδῆ fiebant, similia erant collyriis, quæ vere sunt κολλύρια. Confudere hæc nomina recentiores, & κολλούρια tam oculorum quam fistularum medicamenta appellarunt. Idque ut facerent eo magis invitati sunt, quod recens Græciæ ætas κολλούρια appellavit etiam parvas illas placentulas, sive panes, quæ antiqua Græcia κολλύρας vocabat. Suidas: κολλούρια τὰ κολοβὰς ἔχοντα οὐράς. Τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ ἄρτων καὶ ἐπὶ ἰατρικῶν φαρμάκων λέγεται. Manifesto confundit κολλούρια & κολλύρια quæ panes sunt. Idem κολλουραίαν πέτραν στρογγύλην exponit, & κόλουρα τὰ μὴ κέρκον ἔχοντα. Et Sidonio lib. II. Epist. II. *Magis rotundatis fulta coluriis, quam columnis invidiosa voluminibus.* Ubi omnes libri habent *collyriis*, scribendi ac loquendi more tum usitato, quo κολλύρια & κολλούρια indiscriminatim dicebant. At κολλούρια, pilæ sunt, & *rotunda coluria* ex multis lapidibus compositæ rotundæ pilæ, non monolithæ ut columna. Ab ea forma & medicamenta κολλούρια. Idem κολλύραν εἶδος ἄρτου & πλακοῦντος esse ait quæ & λάλαγγες dicebantur. Et vulgari lingua eadem esse κολλούρια dicit: καὶ ἐπιχωρίως λαλάγγια τὰ κολλούρια. Ceterum pastilli & turundæ & coptaria eadem, & forma illa longiore & rotunda plerumque fiebant. Ut instar haberent dactyli, vel balani, κόλουρα ὑπομήκη dicuntur Theomnesto Hippiatro, pro κολλύρια. Hæc φοινικοπάστελλοι Zosimo, & Arabibus νατήφ. Quod tamen pro certo coloris genere ponitur in speciem pastilli ejusmodi conformato. Sed unde illud *natef*, aut quid proprie significat Arabibus? Hebræis נָטַף *nataf* est stillare. Unde נָטָף σακτή, quæ ex arbore myrrhæ stillat. Quidam gummi interpretantur. Et sane myrrha concrescit in arbore, sicut gummi. Hinc נְטִיפָה & in numero multitudinis apud Esaiam cap. III. XIX. הַנְּטִפוֹת. Quod alii torques, alii margaritas, alii vasa interpretantur, in quibus stacte reponitur, vel opobalsamum. *Stalagmia* possumus ad verbum accipere, qua forma etiam reperiuntur uniones, velut guttæ aquæ cadentes, & tractim pondus suum sustinentes. Inaures hac facie Græci vocarunt σταλάγμια. Alabastri quoque unguentorum haud longe abeunt ab ea figura. Profecto non male referunt formam balani productioris, vel φοι-

φοινικοπαστεῖλον Zosimi, quod Arabibus dici ait *natef*. David Kimchi ad illum locum Esaiæ, ut me nuper monuit ἐξοχώτατος Grottius, notat Arabicam vocem *natef* cum articulo Arabibus esse margaritum purum, aut bdellium purum, אַלְנַטָף. Magis est ut à figura hoc nomen factum sit. Nam bdellium ex genere gummium est, quæ dum guttatim ex arbore fluunt, nunc rotundiore forma, nunc longiore & cylindrata concrescunt. Bdellium in offas convolutum erat, quod ἀδρόβωλον mercatoribus dicebatur. Thus masculum, quod in rotunda grana suapte natura cogitur & concrescit ab eadem causa vocitarunt Græci σταγονίαν. Hebræi *nataf* dicerent, Arabes *natef*, aut *alnatef*. Sane bdellium & margaritas etiam ita nuncuparunt, quæ & ipsæ rotundæ, & forma interdum oblongiore. *Natef* vero apud Avisenam nomen est turundæ, vel coptarii longioris & rotundi ad instar dactyli, vel phœnicobalani. Νατὴφ quoque eo sensu apud Zosimum, qui φοινικοπάστιλον vocat, id est, pastillum instar palmulæ. Sed hæc hactenus. Nunc persequamur historiam palmarum ex Plinio. Sequitur apud illum: *Utrisque autem prima nascitur pomi caro, postea lignum intus, hoc est, semen ejus.* Marem in palmite florere: fœminam autem citra florem germinare, tantum spicæ modo dixerat planè juxta Theophrasti sententiam. De suo est quod heîc addit: *Utrisque autem prima nascitur pomi caro.* Hoc falsum de mascula palma, nec Theophrasto proditum, cujus hæc verba: διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων καθὸ ὁ μὲν ἄῤῥην ἄνθος πρῶτον φέρει ἐπὶ τῆς σπάθης, ἡ δὲ θήλεια καρπὸν εὐθὺς μικρόν. Nihil ultra memorat, nec primam utrisque nasci pomi carnem ait. Quod nec in mascula verum videtur ex toto. Quippe carnem non facit, utpote quæ nec βάλανον. Ideo Herodotus solas fœminas palmarum βαλανηφόρους appellat. Non ergo & mares. Et quamvis Theophrastus illo capite κάρπιμον statuat tam marem quam fœminam, sequenti tamen capite solam fœminam καρποφόρον agnoscit: φαίνεται δὲ ἀμφοῖν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος τῇ θηλείᾳ βοήθειαν γίνεσθαι· θῆλυ γὰρ καλοῦσι τὸ καρποφόρον. De palma & ficu loquitur. Sed hic magis in palma obtinet, fructus non ultra florem procedit, aut inutilis est. Major cedrus in duo genera dividitur: quæ floret, fructum non fert Plinio referente, frugifera non floret, sed fructum statim fert. Hæc fœmina, illa mascula. Hoc idem & in palmis usu venit. Mas qui floret, infrugifer: fœmina citra florem producit fructum. Pollux notat fructum maris palmæ vocari ψῆνα, fœminæ βάλανον lib. I. cap. XII. Ὁ δὲ καρπὸς ὁ μὲν τοῦ ἄῤῥενος ψὴν, ὁ δὲ τῆς θηλείας βάλανος. Herodotus, à quo habet, non hoc dicit, sed marem palmam in fructu ψῆνας habere, sicut caprificum. Ψῆνες autem culices: ψῆνας γὰρ δὴ φέρουσι ἐν τῷ καρπῷ οἱ ἄρσενες καθάπερ δὴ οἱ ὄλυνθοι. Ineptum igitur dicere culicem fructum esse maris palmæ, quæ in fructu culices gerit. Heychius: ψῆνες, τὰ σπέρματα τῶν ἀῤῥένων φοινίκων: *semina mascularum palmarum.* Quid velit nescio, nisi hoc sit. Culices qui in caprifici fructu sunt, ex seminibus ejus nascuntur. Græci κεγχραμίδας vocant. Theophrastus de caprifici culicibus, qui ψῆνες dicuntur: γίνονται δὲ ἐκ τῶν κεγχραμίδων: σημεῖον δὲ λέγουσιν ὅτι ἐπειδὰν ἐκδύωσιν οὐκ ἔνεισιν κεγχραμίδες. Ubi ex caprificis exierint culices, nulla in eis semina reperiuntur. Quod signi est ex illis seminibus eos nasci. Hi ψῆνες pariter in palmæ fructu gignuntur. Ergo & similia habet semina, quibus isti edantur. Inde Hesychius semina ipsa pro culicibus, qui ex his oriuntur, accepit. Certe Herodotus eodem prorsus modo curari palmas fœminas, ut ficus asserit, & culices evolantes è maris palmæ fructibus inire fructus fœminæ palmæ, eosque ad maturitatem perducere, ac ne decidui fiant præstare, ideo fructum è masculis in arbore feminæ alligare. Verba ejus ita legenda ac distinguenda ex prima Musa, quæ vulgo non recte habent. De palmis Babyloniis loquitur: τοὺς συκέων τρόπον θεραπεύουσι τά τε ἄλλα, φοινίκων τοὺς ἄρσενας καλέουσι, τούτων τὸν καρπὸν περιδέουσι τῇσι βαλανηφόροισι τῶν φοινίκων, ἵνα πεπαίνῃ τέ σφι ὁ ψὴν τὴν βάλανον ἐσδύων, καὶ μὴ ἀποῤῥέῃ ὁ καρπὸς ὁ τοῦ φοίνικος. Prorsus eamdem rem facit palmam cum ficu, & eodem modo fructum ejus maturescere vult opera culicum, qui è mare palma egressi penetrant se in fœminæ fructum, præstantque ne decidat, atque ut citius maturescat. Theophrastus

A ὁμοιότητα agnoscit, non ταυτότητα. Ficus quidem beneficio culicum, qui è caprifico exeunt, juvari affirmat, tum ad maturitatem fructus, tum ut tenax sit. In palma vero id perficere sexus rationem, & veluti coitum maris cum fœmina. Quod & ipsum tamen ὀλυνθάζειν dicebatur, ob analogiam quamdam. Ἀλλὰ γὰρ δὴ, inquit, τῆς μὲν συκῆς αὕτη βοήθεια: τοῖς δὲ φοίνιξιν αἱ ἀπὸ τῶν ἀῤῥένων πρὸς τὰς θηλείας: οὗτοι γὰρ εἰσὶν οἱ ἐπιμένειν ποιοῦντες καὶ ἐκπέττειν ὃ καλοῦσί τινες ὀλυνθάζειν. Mas palma fœminæ hoc tribuit, ut fructus ejus non labatur, & maturescat. Ficis vero hoc dant culices è caprifico. Idem in utroque effectus, non ab eadem causa. Utrumque autem vocabant ὀλυνθάζειν ἐκ τῆς ὁμοιότητος.

B Sed hæc similitudo in effectu, non in causa. Nulli ergo ψῆνες in mare palma, ut in ea caprifico. Nec culices fructum fœminæ palmæ pertundunt & aperiunt insinuandi se gratia. In palmis quomodo id fieret explicat Theophrastus. Abscisso palmite ex mascula dum in flore est, florem ac lanuginem cum pulvere ipso concutiunt adversus fœminæ fructum, & eum veluti inspergunt. Quo facto non decidit fructus ac maturescit: ὅταν ἀνθῇ τὸ ἄῤῥεν, ἀποτεμόντες τὴν σπάθην ἐφ' ἧς τὸ ἄνθος, εὐθὺς ὥσπερ ἔχει τόν τε χνοῦν καὶ τὸ ἄνθος καὶ τὸν κονιορτὸν κατασείουσι κατὰ τοῦ καρποῦ τῆς θηλείας. Quæ Plinius ita reddit:

C *Adeoque est veneris intellectus, ut coitus etiam excogitatus sit ab homine ex maribus flore ac lanugine, interim vero tantum pulvere inspersо fœminis.* Non id tradit eo loco Theophrastus, interdum solum pulverem inspergi. Hoc sane μίξιν ibidem vocat. Non defuere tamen, qui caprificos mares esse crediderint, & ficus fœminas, & ficus à caprificis sexus quoque ratione haud secus quam palmas ad fructum perficiendum ac retinendum juvari. Hesychius, ἐρινάδες, ὄλυνθοι ἢ συκαῖ ἄῤῥενες. Idem: ἐρινὸς θεὸς, ἢ σῦκον ἄῤῥεν. Quod etiam indicare non obscure videtur Theophrastus de ficu & palma loquens: φαίνεται δὲ ἀμφοῖν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος τῇ θηλείᾳ βοήθειαν γίνεσθαι. Θῆλυ γὰρ γίνεσθαι τὸ καρποφόρον. Ἀλλ' ἡ μὲν

D οἷον μίξις, ἡ δὲ κατ' ἄλλον τρόπον. In palmis mare & fœmina veluti coitus fit. In caprifico & ficu alio modo idem curatur. Quemadmodum autem Herodotus ψῆνας in palma mascula vocat, qui flores sunt, ita è contra quidem caprifici ψῆνας qui culices sunt, flores esse voluerunt. Hesychius: ψῆνες δὲ εἰσὶ τὰ ἄνθη τῶν ἐρινῶν, γίνονται δὲ ἐπὶ τῶν φοινίκων ἐρινοί. Fructus palmæ masculæ, qui nunquam maturescunt, videntur etiam quidam ἐρινοὺς appellasse à similitudine, & quod idem facerent, ad maturandum fœminæ fructum, ut ἐρινοὶ caprificorum in ficis fœminis. Plinius: *Caprificus vocatur è silvestri genere ficus nunquam maturescens, sed quod ipsa non habet alii tribuens.*

E *Quoniam est naturalis causarum transitus atque vis, ut è putrescentibus gignatur aliquid, ergo culices parit.* Ita legendum ex vestigiis veteris codicis. Theophrastus: ὥσπερ γὰρ καὶ τῶν ἄλλων σηπομένων, καὶ ἐν τούτοις ζωοποιὸς ἡ φύσις. Ad verbum hæc Græca convertit. Sequitur: *Hi fraudati alimento in matre, putri ejus tabe, ad cognatam evolant.* Sic quoque legendum ex optimo exemplari, in quo est: *ad cognatæ volant.* Alimento fraudati in matre, quoniam tota intus tabe putrefacta est. Græca Theophrasti: οὐκ ἔχοντες δὲ τροφὴν, ζητοῦντες τὴν οἰκείαν, φέρονται πρὸς τὸ ὅμοιον. Plinius mox: *morsuque ficorum crebro, hoc est, avidiore pastu aperientes ora eorum, usque ita penetrantes intus solem*

F *primo secum inducunt, cerealesque auras immittunt, foribus adapertis.* De sole nihil Theophrastus, sed de aëre tantum. Quid sint cereales auræ nescio. Græca sic habent: διοιχθέντος δὲ τοῦ μέσου τὴν ὑγρότητα ἐκβόσκονται τὴν πλείω καὶ τῷ ἔξωθεν δίοδον διδόασι, καὶ τὸ ὅλον διαπνέειν ποιοῦσι. Libri omnes meliores legunt, *ceriales.* Puto scribi oportere: *aerialesque auras immittunt.* Vel certe: *aeralesque auras.* Idque certum. *Aeralis*, ut *sideralis* apud eumdem Plinium, *sideralis scientia.* Aliud enim *sidereus.* Sic *temporalis.* Per *aerales auras* aerem simpliciter intellexit. Non probo etiam qui corrigunt, *aperientes coria eorum.* Libri omnes *ora.* Theophrastus κορυφὰς alio loco dixit:

G ἐκ γὰρ τῶν ἐκεῖ κρεμαννυμένων ψῆνες ἐκδυόμενοι κατεσθίουσι καὶ περαίνουσι τὰς κορυφάς. Sed ibi scribendum aio πειραίνουσι, id est, pertundunt: à πειρῶ, quod est, κεντῶ πειραίνω, ut φορῶ, φοραίνω; πτῶ, τεκταίνω; περῶ, περαίνω: πυρέσσω, & πυρεταίνω, & similia. Inde ψηνίζεσθαι de his qui muliebria patitur, quos *percidi* Romani dicunt,

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψηνίζεται.

Meta-

Metaphora à culicibus caprificorum, qui ficus pertundunt, & ineunt. Nescio quare Turnebo placuerit vertere *caprificari*. Qui *culices rotundos* in versibus Adriani de Floro perperam de his ψῆνι accipit, quum sint culices tabernarum, ut alibi docuimus. Plinius eodem capite de caprificatione: *Hoc quoque præstat ne decidant absumpto humore tenero, & cum quadam fragilitate ponderoso.* Innuit his verbis ficis ea de causa fructum labi ac fluere, quod nimio humore ponderosus sit. Ex verbis Theophrasti male acceptis eam hausit mentem. Philosophus lib. II de causis cap. XI agit de arboribus, quæ fructus amittunt ante maturitatem. In hoc censu refert ficum, palmam, amygdalam, malum, pyrum, & diversas omnibus assignat causas. Ficum id pati propter humorum intus conceptum, & spiritus cujusdam. Aliis id accidere propter nimiam fructus molem, pondusque fragili pediculo appensum, ut malo & pyro. Verba ipsa sic concepta: καὶ διὰ τὴν ἐναπόληψιν ὑγρότητός τινος καὶ πνεύματος ὥσπερ συκῆ, τὰ δὲ τῷ τὴν προσάρτησιν ἔχειν ἀσθενῆ, τοὺς δ' ὄγκους μείζους, ὥσπερ μηλέα καὶ ἄπιος. Plinius non consideratis his quæ adjecta sunt, ὥσπερ μηλέα καὶ ἄπιος, quæ præcedunt ad ficum transtulit, quasi propter humorem tenerum & cum quadam fragilitate ponderosum fructus deciduos habeat. At illud de pondere, & fragilitate pediculi amygdalæ mali & pyri proprium facit Theophrastus. Sed talis ubique Plinius. Unum adhuc addam de palmis Plinii locum, quem interpretes perperam sollicitant: *Cetero non sine maribus gignere fœminas sponte edito nemora confirmant: circaque singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu visuque ipso, & pulvere etiam reliquas maritare.* Corrigunt in his postremis verbis: *& pulvere etiam illis maritari.* Poterant melius abstinere. Mens est Plinii, unum marem inter plures fœminas stantem, propiores quidem pæne ipso tactu maritare, quæ pronæ in eum nutant atque incumbunt blandioribus comis, reliquas vero longius scilicet remotas, afflatu visuque & ipso etiam pulvere, quem ventus indidem in eas defert, sibi maritas facere. Rectius etiam legeris ex optimo codice: *Cetero sine maribus non gignere fœminas.* Quas autem Plinius narrat blandioribus comis in marem pronas nutare, eæ sunt quæ in unam partem comas habent totas inclinatas, quas Diodorus eleganter faci comparat eventilatæ, & flatu percussæ, cujus in unam partem tota flamma convertitur: τὰ δ' ὑφ' ἓν μέρος ἔχοντα κεκλιμένας τὰς ἐπὶ τῆς κορυφῆς κόμας, σχηματισμὸν ἀποτελεῖ λαμπάδος ἀπαιθυσσομένης. Ubi doctus interpres vertit: *ardentis formam lampadis ostentant.* Atqui si lampas sponte sua ardere sinatur, in rectum surgentem mittet flammam, nec instar efficiet palmæ comas suas in alterum latus nutabundas inclinantis. Λαμπὰς ἀπαιθυσσομένη fax est, sive lampas, quam ventus percellit, aut flatus hominis eventilat, ita ut flammam ejus in alteram partem compulset. Hesychius: αἰθυσσομένη, ῥιπιζομένη. Ἀιθύσσειν, ἀνασείειν. Σοφοκλῆς Σίνωνι. Motu ipso ventilabantur faces, ut magis arderent, & intermortuæ excitarentur. Poëta:

—— utque solent mota face crescere flammæ,

Quas videas nullo concutienti mori.

Hoc proprie αἰθύσσειν & ἀπαιθύσσειν λαμπάδα. Hinc illæ loquutiones crebræ apud poëtas, *quatere facem*, *quassare lampada*, quoniam moveri subinde & concuti debet, ne extinguatur. Quo motu ad eventilandam facem facto necesse est, modo in hanc, modo in illam partem flamma flatu pulsa procumbat. Talis forma illius palmæ.

Multa nux pinea, larga mellatio.] Ita reposuimus ex libris, vulgo erat: *Larga mella.* Plinius: *esse & copiam mellis.* Ubi copia mellis, ibi & mellatio. Nam sic dicitur *mellatio*, ut *olivatio* apud Columellam, pro olivarum collectione. Græci ἐλαίωσιν dicunt & ἐλαιοῦν, *olivare*, id est, olivas legere, vel stringere. Pollux: τὸ μέν τοι δρέπεσθαι τὸν τῆς ἐλαίας καρπὸν, καὶ τοὺς τοῦτο ποιοῦντας ἐλαιωτῆρας, id est, *olivatores*. Sic *frondator*, qui frondes putat ac stringit. Plinius *mellationem* etiam dixit lib. XI. cap. XVI. *Quidam æstivam mellationem ad Arcturi ortum proferunt.* Et alibi passim. Græci μελίτωσιν dicunt, ut de ipsis apibus, quæ mel prolixe faciunt εὐμελιτεῖν. Theophrastus lib. VI. cap. II de thymo loquens: καὶ τοῦτο

A φασὶν οἱ μελιτουργοὶ δῆλον εἶναι πότερον εὐμελιτοῦσιν ἢ οὔ: ἄλλως γὰρ ἀπανθήσαντος οὐκ εὐμελιτεῖ. Ita legendus ille locus. Florente thymo magna mellis est copia apud Atticos, quia ex ejus flore mel colligunt apes. Alias ubi defloruit, non æque felix proventus. Ita illa exponenda sunt verba. Plinius de thymo: *Floret autem circa solstitia, cum & apes decerpunt, & augurium mellis est. Proventum enim sperant apiarii large florescente eo.* Ἐυμελιτεῖν de larga mellis copia, ut εὐετεῖν. Et εὐμελιτία, ut εὐετία, larga mellis annona. At *mellatio*, ἡ μελίτωσις, est vindemia mellis. *Larga mellatio*, εὐμελιτία.

Pag. 63. F. *Amnes siluris piscibus abundantes.*] Non
B satis dixit, & perperam omisit, quod ad rem plurimum facit. Plinius: *Papyrum quoque & siluros in amnibus gigni.* Per hoc innuere voluit auctor, eadem omnia in illis amnibus gigni quæ in Nilo. Nam papyrus Nili amnis peculiaris frutex: æque & silurus illius amnis piscis proprius. Idem Plinius lib. V. cap. IX in lacu Æthiopiæ Nilide pisces reperiri ait alabetas, coracinos, siluros, crocodilum quoque, & eo argumento probatum ostendit ex illo lacu ortum habere Nilum, quia omnes illi pisces Nili familiares. Strabo lib. XVII inter Nili pisces, quos ἴδιον καὶ ἐπιχώριον χαρακτῆρα habere scribit, etiam σίλουρον recenset: ἔτι δὲ σίλουρος, κίθαρος, θρίσσαι κεστρεῦς.
C Ubi notabis σίλουρον Græce vocari, quod ita scilicet ab Alexandrinis nominaretur. Dioscorides quoque σίλουρον Græce dixit. Juvenal. Sat. IV de Crispino Alexandrino:

Nunc princeps equitum, magna qui voce solebat

Vendere municipes Pharia de merce siluros.

Sic legendus hic versus. Antiquum hujus loci mendum est, *Farta de merce* pro *Faria de merce*. Hinc omnes libri partim *farta* legunt, partim *fracta*, aut *farcta*. Vetus interpres agnoscit *fracta*, & interpretatur *fracto vase sardarum*. Quod est ridiculum. Faria merx, siluri, Nili pisces. Eos vocat municipes Crispini, quia is
D Alexandrinus. Sic eadem Satyra *patriam Crispini papyrum* vocat, id est, municipem:

Succinctus patria quondam Crispine papyro.

Et alibi Creticas lagenas *municipes Jovis* appellat Sat. XIII.

---- de littore Cretæ

Passum, & municipes Jovis advexisse lagenas.

Ita plane hoc loco de Faria merce siluri, *municipes Crispini*. Martialis:

Cadmi municipes ferat lacernas.

Tyrias lacernas intelligit. Plinius lib. IX. cap. XV silurum Nili inter eos pisces amnicos, qui maximi evadunt, numerat. Locus autem sic legendus est, qui distinctis
E capitibus vulgo secatur ac diducitur, pravaque insuper laborat interpunctione ac lectione: *De singulis alias dicemus. Nunc enim naturæ tractantur insignium præcipua magnitudine. Thynnum invenimus talenta quindecim pependisse. Ejusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum. Fiunt & in quibusdam amnibus haud minores. Silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado inertia pinguescens ad mille aliquando libras.* Silurum Nili inter pisces fluviatiles ponit, qui in spatium enorme grandescunt. Mirum cur non potius *latum*. Sane & λάτος Nili piscis, quem in tantam magnitudinem excrescere produnt, ut ducentas pendat libras. Athenæus lib. VIII. Οἱ δ' ἐν τῷ
F Νείλῳ ποταμῷ γινόμενοι λάτοι τὸ μέγεθος διεγείροντες καὶ ὑπὲρ διακοσίας λίτρας ἔχοντες. Simillimum esse ait ibidem glani Danubii: ὁ δὲ ἰχθὺς οὗτος λευκότατος ὢν καὶ ἥδιστός ἐστι, παραπλήσιος τῷ κατὰ Ἴστρον γινομένῳ γλάνιδι. Plinio γλάνις semper vertitur Latine *silurus*. Nam quem Aristoteles γλάνιν appellat, ubique Plinius *silurum* vertit. Sequenti cap. ejusdem libri: *Fluviatilium silurus caniculæ exortu sideratur, & alias fulgure sopitur. Hoc & in mari accidere Cyprino putant.* In Rigaltiano codice scribitur: *& alias semper per fulgure.* Scribe: *& alias semper per fulgura sopitur*, id est, fulgurante & tonante cælo. Aristoteles: οἷον γλάνις, ὑπὸ κύνα μάλιστα διὰ τὸ μετεώρως νεῖν ἀστροβλὴς τε γίνεται καὶ
G ὑπὸ βροντῆς νεανικῆς καροῦται, id est, *& à majore tonitru soporatur.* Hæc enim est νεανικὴ βροντή. Eodem capite νεανικὸν νόσημα, gravis & impetibilis morbus. Non igitur quolibet tonitru soporatur glanis, sed vehementiore tantum ac majore. Quod Plinius non reddit. Idem cap. LI. *Silurus masculus solus omnium edita custodit ova,*

ſæpe & qu… quagenis diebus, *ne abſumantur ab aliis.* Hoc Ariſtoteles … e glanide tradit lib. VI. cap. XIV. Διὸ παρεδρεύει ὁ ἄρρην … πετλαράκοντα ἢ πεντήκοντα ἡμέρας, ὅπως μὴ κατεσθίηται … ὄν@ ὑπὸ τῶν παρατυχόντων ἰχθύων. Ergo Græcorum γλάνις Plinio *ſilurus* dicitur. Gloſſæ capite περὶ ἰχθύων: *ſilurus*, γλάνις. Aliæ gloſſæ anecdotæ; γλάνι@, *ſilurus*. Diverſi autem σίλουρ@ Græcis & γλάνις. Athenæus loco ſupra citato, ubi meminit Nilotici lati, qui glanidi Danubii ſimilis eſt, mentionem addit Nilæorum piſcium inter quos & σίλουρον nominat. Silurus itaque Plinii, quem in Nilo maximum exiſtere dicit, latus eſt glanidi ſimillimus, quem glanidem ſemper ſilurum ille interpretatur. De eodem ſiluro, qui glanis eſt, ibidem hæc ſcribit: *Silurus graſſatur ubicunque eſt, omne animal appetens, equos innatantes demergens, præcipue in Mœno Germaniæ amne. Protelis boum in Danubio extrahitur, porculo marino ſimillimus.* Ita hæc legenda & interpungenda. Vulgo corrigunt: *Et in Danubio mario extrahitur.* Ut mario ſit nomen piſcis, qui in Danubio extrahitur protelis boum. Sane in optimo codice ſcribitur: *In Danubio mari extrahitur.* Sed illud *mari* repetitum ſuſpicor ex ſequenti, *porculo marino ſimillimus.* De eodem ſiluro loquitur, qui Danubii familiaris, & extrahitur protelis boum. Qui Athenæo ἴςρȣ γλάνις vocatur. Longe alius σίλουρ@ Nili. Utrumque Plinius confundit, & latum Nili pro ſiluro accepit, quia ſimilis eſt glanidi ſiluro. Diverſus porro ab utroque Auſonii ſilurus in Moſella, innoxium animal, ut hi verſus oſtendunt:

Hic tamen hic noſtræ mitis balæna Moſellæ
Exitio procul eſt: magnoque honor additus amni.

At ſilurus Danubii, qui eſt glanis, innatantes equos ſæpe demergit. Ariſtoteles glanim ἀγκιςρόφαγον facit, cui & ὀδόντας σκληροτάτους tribuit. Subſcribo autem ſententiæ doctorum hominum, qui ſturionem eſſe volunt Auſonii ſilurum. Vox *ſturio* transpoſita una litera fortaſſe deflexa ex *thurſio*. Licet non idem ſit ſturio, qui veterum thurſio. Plinius delphinis ſimilem ait: *Delphinorum ſimilitudinem habent qui vocantur thurſiones. Diſtant & triſtitia quadam adſpectus. Abeſt enim illa laſcivia. Maxime tamen roſtris canicularum maleficentiæ aſſimilati.* Sturioni quoque roſtrum porrectius. Male phocænam Scaliger putat eſſe thurſionem. Delphinorum hic habet ſimilitudinem. Auſonius ſilurum ſuum, qui putatur eſſe ſturio, delphini aſſimilat, & vocat amnicolam delphina:

Nunc pecus æquoreum celebrabere magna ſilure,
Quem velut Actæo perductum corpora olivo
Amnicolam delphina reor.

Sturionem corium habere ſignificat ita læve, & ejus ferme coloris, quaſi ſi oleo unctum eſſet. Non tamen delphini ſimilis ſturio. Silurum ab Hiſpanis ajunt *ſuillo* vocari hodie. Iſidorus Hiſpalenſis tradit porculum marinum vulgo appellatum ſua ætate *ſuillum.* Idem nomen eſt. *Suillum* etiam vocarunt ichneumonem, ut ſupra oſtendimus. Plinius ſilurum Danubii porculo marino ſimillimum eſſe prodit. Diverſi tamen ſilurus Plinii, quem glanin eſſe conſtat, à ſturione qui ſilurus eſt Auſonii. Glanis maleficus piſcis rapto vivit. Os illi vaſtum ac robuſtis armatum dentibus. Sturioni contra parvum ac pæne nullum, inter piſces maxime innocens. Loco oris exiguum foramen habere ſcribit Cardanus, quo udum ſugit. Scaliger Julius exercitatione CCXVIII ſturionem veteribus eſſe dicit oxyrynchum, eo argumento quod Circaſſi ceterique Mæotidis accolæ oxyrynchum nominent, glutenque quod eo fit, *collaxyrychi* ab illis dicitur. Idem tamen eodem loco aſſentitur Rondelettio exiſtimanti ſturionem eſſe acipenſerem. Sic acipenſer idem eſſet cum oxyryncho, uterque idem cum ſturione noſtro. ὀξύρυγχ@ dictus ab eo acumine roſtri. Si roſtrum tale ſturioni, non tamen inde ſequitur ſturionem eſſe oxyrynchum. Omnes piſces acuto roſtro vocari poſſunt ὀξύρυγχοι. Hac ratione ſturio etiam ὀξύρυγχ@. Sed non ille oxyrynchus, qui hoc nomen proprium habuit. Maleficum quippe animal, ut ex hoc verſu patet:

---- σὺκ ἀδαλὲς γῆρας ὀξυρύγχȣ.

At ſturio prorſus innox. Scaliger filius vult eſſe lu-

A cium noſtrum. Et ille etiam ὀξύρυγχ@, non tamen veterum *oxyrynchus* ſic proprie dictus. Inter piſces Nili peculiare ὀξύρυγχον Strabo & Athenæus recenſent. Hoc ſcimus tantum. De ejus jecore mira tradit Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *Jecur vetuſtatis maxime patiens. Centenis durare annis oxyrynchon exempta prodidere.* Verba illa in vulgatis corruptiſſima. Sturionem autem non eſſe veterum acipenſerem, quæ Rondelettii ſententia eſt, præter alia argumenta, hoc etiam vinci poteſt. Acipenſer marinus tantum, at ſturio marinus & fluviatilis. Plinius lib. XXXII. cap. XI. *Amni tantum ac mari thynni, thynnides, ſiluri, coracini, percæ. Peculiares au-*
B *tem mari, acipenſer, aurata*, &c. Præterea quidam veterum ἔλοπα Græce dici acipenſerem tradiderunt. Elops autem ſquamis tectus, ſturio corium habet, ſquamiſque caret. Fac acipenſerem non eſſe elopem, & falli qui eumdem faciunt, non uſque eo tamen proceſſiſſe hanc hallucinationem putandum eſt, ut piſcem ſquamoſum, & ſquamis carentem eumdem crediderint. Oportet igitur aliquam ſimilitudinem fuiſſe inter ἔλοπα & acipenſerem. Si elops non eſt ſturio, ne acipenſer quidem erit. Plinius lib. IX. cap. XVII. *Apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus acipenſer, unus omnium ſquamis ad os verſis, contra aquam nando meat.* Hæc mendoſa, quod ait
C contra aquam nando meare. Si maris tantum peculiaris hic piſcis, in mari ſi forte locum non habet hoc *contra aquam*, ſed in amnibus magis. Deinde piſces omnes amnium, ut plurimum contra aquam nando meant. Non igitur hoc proprium eſſet acipenſeris unius. Omnino legendum, ut etiam in libris habetur: *ſquamis ad os verſis contra quam in nando meat.* Piſces omnes ſecunda ſquama natant. Solus acipenſer in nando meat contra quam habet ſquamam. Nam ad os verſa eſt. Nigidii verba de acipenſere in mente habuit Plinius, quæ apud Macrobium extant citante Sammonico: *Cur aliis piſces ſquama ſecunda, acipenſer adverſa ſit.* Sic idem Nigidius
D apud Agellium eteſias *ſecundo ſole flare* dixit, qui non flant contra ſolem, ſed ex ea parte unde ſol, veniunt. Ita acipenſer qui verſis ad os ſquamis tectus eſt, non ſecunda ſquama natat, ſed adverſa. Rarum inventu acipenſerem ætate ſua ſcribit Plinius, & tamen in pretio non fuiſſe miratur. Cicero raro admodum capi hunc piſcem tradit de Fato: *allatus eſt forte Scipioni acipenſer, qui admodum raro capitur, ſed eſt piſcis, ut ferunt, inprimis nobilis.* Martialis quoque rarum facit hunc piſcem, & ſolis Imperatorum menſis dicatum:

Ad Pallatinas acipenſem mittite menſas:
E *Ambroſias ornent munera rara dapes.*

Non longe ille ab ętate Plinii, immo ferme eadem vixit. Acipenſer quantopere tum commendaretur, illi verſus indicant. Mirum igitur qui Plinius ſcripſerit nullo in honore fuiſſe ſuo tempore. Sammonicus apud Macrobium teſtatur præcipuam huic piſci auctoritatem fuiſſe in convivio Cæſaris, & à coronatis miniſtris cum tibicine introferri ſolitum dicit. Plinii etiam meminit; nec in dubium revocat quin verum ſit, quod ab illo dicitur de hoc piſce, parvum ei honorem habitum ſuo ævo. Verba Sammonici: *Plinius, ut ſcitis, adusque*
F *Trajani Imperatoris venit ætatem. Nec dubium eſt quod ait nullo honore hunc piſcem temporibus ſuis fuiſſe, verum ab eo dici. Apud antiquos autem in pretio fuiſſe ego teſtimoniis palam faciam, vel eo magis quod gratiam ejus video ad epulas quaſi poſtliminio rediſſe.* Immo non rediit, ſed ſemper fuit. Diſerte quippe teſtatur Martialis, qui Trajani imperio vixit, hunc cænis imperatoriis ablegandum eſſe, utpote qui plebei palati non eſſet, qui & rarum fuiſſe innuit. At ſturio noſter minime rarus. Apparet acipenſerem parum cognitum vulgo fuiſſe Plinii temporibus. Dubitatum porro etiam veteribus, quomodo Græce vocaretur Latinorum acipenſer. Archeſtratus apud Athenæum galeum Rhodienſem eſſe voluit.
G Lib. VII. Ἀρχέςρατ@ δ᾽ ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδαναπάλῳ ζήσας βίον περὶ τȣ̃ ἐν Ῥόδῳ γαλεȣ̃ λέγων, τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγεῖται τῷ παρὰ Ῥωμαίοις μετὰ αὐλῶν καὶ ςεφάνων εἰς τὰ δεῖπνα περιφερομένῳ ἐςεφανωμένων καὶ τῶν φερόντων αὐτὸν, καλȣ́μενον δὲ ἀκιπήσιον. Ita legendum. Ἀκίπησι@ eſt *acipenſis.* Sic vocat Martialis. Ita λαρήσι@ apud eumdem eſt *larenſis*: λȣκήσι@, *lucenſis*: κιρκήσιον, *circenſe.* Et paulo poſt: Ἀπίων δ᾽ ὁ γραμματικὸς ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀπικίȣ τρυφῆς τὸν ἔλλοπα καλȣ́μενον τȣ̃-

τον

τὸν φησὶν εἶναι τὸν ἀκιπήσιον. Hunc acipensem esse ait. Duæ igitur hæ veterum opiniones super acipensere Romano, Apionis & Archestrati. Hic galeum esse Rhodiensem, ille elopem. Apionem plerique sequuti sunt. Ovidius:

Et pretiosus elops nostris incognitus undis.

Elops Rhodi optimus, ut & galeus. Plinius cap. LIV. *Rhombus Ravennæ, murena in Sicilia, elops Rhodi.* Varro in Satyra περὶ ἐδεσμάτων. *Ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius.* Archestratus elopem etiam commendat Syracusis captum:

Τὸν δ' ἔλοπ' ἔσθε μάλιστα Συρακούσαις ἐνὶ κλειναῖς
Τόν γε κράτιστον ὄντα.

Ennius Surrentinum laudat in Hedypatheticis:

Surrentia elopem fac emas.

Cur igitur dixit Ovidius elopem mari Romano incognitum? Hoc argumento Plinius probat elopem non esse acipenserem, lib. XXXII. cap. XI de Ovidiano illo versu: *elopem quoque esse dicit nostris incognitum undis, ex quo apparet falli eos, qui eumdem acipenserem existimaverunt.* Ἔλοπα quidam Græcorum eumdem esse cum anthia, & sacro pisce cognominato volunt, alii diversum. Athenæus sententiam Archestrati non probat censentis acipenserem galeum esse Rhodiensem, quia acipenser parvus sit & porrectiore rostro: ἀλλ' οὗτος μὲν μικρὸς καὶ μακρορυγχότερός ἐστι, καὶ τῷ σχήματι τρίγωνος, ἐκείνων μᾶλλον. Non igitur potest esse noster sturio, qui facile maximus est omnium piscium amnicorum. Et ex mari venit, unde *æquoreum pecus* Ausonio dicitur. Acipenser vero marinus tantum piscis, & minor galeis. Cum multa sint galeorum genera, Archestratus galeum alopecian pro acipensere accipiebat, ut hi versus ejus declarant:

Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπασον αὐτὸν
Ὃν καλέουσι Συρακόσιοι κύνα πίονα.

Dicit à Syracusanis vocari pinguem canem, hunc galeon. Sane Latini *catellos* vocarunt γαλεοὺς pisces, ut mirer cur Gazæ placuerit *mustellos* reddere. Optimæ glossæ nondum editæ capite de piscibus: γαλεοί, *catelli*: γαλεός, *catellus*: πετραῖος, *saxatilis*. Glossæ editæ: *rubri*, ἐρυθρῖνοι: *catelli*, γαλεοί: *oclata*, μελάνουρος. Item in aliis: γαλεὸς ἰχθύς, *catella*. Ridiculi etiam illi, qui γαλεὸν apud Athenæum Latine verterunt *squalum*. Quod vocabulum nihili est ex Plinii mendoso loco sumptum lib. IX. cap. XXIV de piscibus marinis, qui pro spina cartilaginem habent, his verbis: *quo in numero sunt squali quoque, quamvis non plani.* Turnebus legebat *galei* ex veteri libro, quem dicit habuisse *squalii*. Nihil variant nostri, sed tamen scribendum: *quo in numero squilli quoque.* Ita scriptum fuit antiquitus pro *scylli*, οἱ σκύλλοι. Sic *Quitini* pro Cytini. *Quizicus* pro Cyzicus: *triquinon* pro tricynon τρίκυνον, & *quibiarii* apud Arnobium pro *cybiarii* qui cybia vendunt: & alia sexcenta. Scylli, vel σκύλλοι sunt galei, quos Latini *catellos* vocarunt, ut Græci σκύλακας. Hesychius: σκύλλον τὸν κύνα λέγουσι. Inde diminutivum σκύλαξ, & σκυλάκιον. Ita enim sæpe scriptum offendi in libris antiquis pro eo quod vulgo scribunt σκυλάκιον. Cap. CIↃLXXXVI. Σκύλακα ἀρξάμενον ἐσθίειν. In sequentibus σκύλλον vocat, & σκύλλιον. Ita enim libri. Aristoteles lib. VI. cap. X. Hist. Animal. inter genera galeorum numerat & σκύλια. Sed reponendum σκυλλία, id est, catellos. τὰ μὲν οὖν σκυλλία καὶ αἱ βατίδες. Et paulo post: τοῖς μὲν οὖν σκύλλοις οὓς καλοῦσί τινες νεβρίας γαλεούς. Sic etiam legendum apud Athenæum, ubi ex eodem Aristotele enumerat species galeorum: Ἀριστοτέλης δὲ εἴδη αὐτῶν φησὶν εἶναι πλείω, ἀκανθίαν, λεῖον, ποικίλον, σκύλλον, ἀλωπεκίαν. Atqui alopecian galeon etiam canem, hoc est, σκύλλον vocabant Syracusii, κύνα πίονα. Latini omnes galeos *catellos* dixerunt. Aristoteles loco, quo supra, ἀλώπεκα simpliciter appellat galeon alopecian: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον συμβαίνει ἡ φύσις καὶ ἐπὶ τῶν ἀλωπέκων. Male & ambigue reddunt: *Idem & generandi modus est, & vulpeculis.* Immo: *Galeis vulpeculis.* *Squalli* vero apud Plinium alio loco leguntur, ubi debeat legi *squati* lib. IX. cap. LI. *Squali circa æquinoctium.* Scribendum: *squati*. Ita libri. Quod jam vidit & Turnebus. Intelligit rhinam Græcorum. Idem Plinius lib. XXXII. *Rhina, quem squatum vocamus.* Atque ita exponunt glossæ. Hi sunt galei, sive catelli, quos acipenses esse Romanorum sanxit gulæ magister

A Archestratus. De acipensere non est dubium, nomen hoc ab acumine rostri factum esse. Antiqui teste Festo *pesnas* dicebant pro pennis. Et *pennam* pro quacunque re in acumen desinente. Unde *pennata agna* pro spicis aristatis. *Aquipesner* igitur primo dicebatur, postea *aquipenser* & *acipenser*. Sic *aquipes* & *acupes* ὀξύπους, *acimanus* ὀξύχειρ: *agimanum* alii perperam scripserunt. *Aquifolium*, ὀξύφυλλον: *aquifolia ilex*, τοῖς φύλλοις ἐπακανθίζουσα. Quod ad *sturionem* attinet, plane certus sum, non esse acipenserem. Nomen hoc ipsum videtur corruptum ex *thursione*, licet aliud sit *thursio*. Genus esse delphini simile tradit Plinius. Athenæus θυρσίωνα à Romanis vocari notat partem quamdam salitam B caniculæ piscis, quam Græci κορχαρίαν nominant: τοῦτο δὲ ἰχθύος μέρος ἐστὶ καὶ ὁ ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενος θυρσίων, ἥδιστος ὢν καὶ τρυφερώτατος. De canicula carcharia loquitur. Vides idem esse nomen. Nam libri apud Plinium *thursionem* plane scribunt, hoc est, θυρσίωνα. Plinius ait hunc thyrsionem rostris canicularum maleficentiæ assimilari. Mirarisne Plinium pro frusto caniculæ piscis dedisse nobis piscem integrum, qui rostrum habeat caniculæ simile? Hoc profecto non est magis stupendum quam cybium ab eodem Plinio inter piscium nomina referri, quod salsamentum est, & pars piscis in quadram concisa, ac tesseræ figura. Lib. XXXII. cap. XI. C *Cybium ita vocatur pelamis, quæ post quadraginta dies à Ponto in Mæotim revertitur.* Abbreviator Festi *cybium* piscis genus esse scribit, ita dictum, *quia piscantes id genus piscium velut aleam ludant.* Atqui κύβιον quadratum salsamenti frustum. Inde κυβιοσάκτης cognomen Ægyptii Regis turpissimarum sordium. Athenæus lib. III. Ἱκέσιος δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ ὕλης πηλαμίδας κύβια εἶναι φησὶ μεγάλα. Quis non ex istis sumeret pelamydas etiam cybia appellari? Pelamis nomen piscis, ergo & cybium. Inde & Plinius errandi ansam arripuit. Sane pelamis ibi apud Icesium salsamentum est, non vivus piscis. Idem Athe- D næus: Ἱκέσιος δὲ ἱστορεῖ οὐκ εἶναι διεκκρίτους οὔτε πηλαμίδας οὔτε τὰ ὡραῖα: τὰ δὲ νεώτερα τῶν θυννίων τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν ἔχειν τοῖς κυβίοις. Ut hinc apparet, τὰ κύβια ex pelamide parabantur in formam cubi concisa. Inde πηλαμίδας & κύβια eadem vocat. Hesychius τὰ ὡραῖα interpretatur ταρίχη, τὰ τὸ ἔαρ συντιθέμενα. Plinius illo ipso capite tomum thurianum inter piscium genera recenset: *Turdus inter saxatiles nobilis. Tomus thurianus, quem alii xiphian vocant.* Hæc mirum in modum stupenda. Xiphias est canicula. Frustum ejus, sive τόμος concisæ & salitæ pro integro pisce & vivo descripsit. Moris habent Græci partes salsamentorum magnorum eodem nomine ap- E pellare quo piscem, unde sumptæ sunt. Sic Icesius κύβια, quæ frustra sunt quadrata pelamidis, vocavit pelamidas. Sic τόμος θουριανὸς frustum caniculæ, quam & ξιφίαν dixere. Meminit hujus θουριανοῦ salsamenti Athenæus lib. VI sub finem: ὁ δὲ Ῥουτίλιος παρὰ τῶν ἁλιευόντων αὐτοῦ δέλων τριωβόλου μνᾶν δὲ ὄψου, καὶ μάλιστα δὲ θουριανοῦ καλουμένου: μέρος δὲ ἐστὶ τοῦτο θαλασσίου κυνὸς οὕτω καλούμενον. *Thurianus* à populis Thuriis dictus. Canis marinus est ξιφίας ab acumine rostri. Aper ξιφίας in Constantii gemma. Accipiter quoque ξιφίας ab impetu vel rostro. Cœranus & Harpocration vocant ξίφος in Lexico de antipathiis & sympathiis: ξίφος πλωόν ἐστιν ἰέραξ, ὁ καλεῖται κίρκος. *Thyr-* F *sio* quoque pars ejusdem caniculæ salitæ, quam Romani sic vocarunt à similitudine capitis thyrsi. Omnibus thyrsis globus imponebatur. Frustum salsamenti ea forma concisum θυρσίων dicebatur. Eadem ratione & thymum θυρσίων appellatum à capitulorum thyrsi similitudine. Plinius more suo thursionem nobis finxit piscem rostris canicularum similem, pro frusto caniculæ. Non placent igitur qui pro θυρσίων corrigunt apud Athenæum θουριανός. Vocem θυρσίων plane tuetur Plinius cum suo thyrsione quem ex genere delphinorum facit. An non eadem prorsus methodo *apolecton* inter genera pelamydum refert, & quidem omnium G maximum, quum ἀπόλεκτον τάριχος diceretur pars pelamidis salsamenti selecta? Nam ἀπόλεκτον idem quod ἐκλεκτόν. Verba Plinii: *Phager, phycis saxatilium, pelamys, earum generis maxima apolectas vocatur, durior tritone.* Atqui ἀπόλεκτος subaudiendo τόμος pars grandior & selectior pelamidis confectæ. Et recte idem Plinius lib. IX. cap. XV, si scripserat pelamides in apolectos

& partic[ul]atim confectas in genera cybiorum dispartiri. Sic enim h[æ]c distinguenda: *Pelamides in apolectos, particulatimque [co]nfecta in genera cybiorum dispartiuntur.* Ergo ἀπόλεκτοι [τό]μοι grandiores pelamidum partes, quæ in cybia deinde quadrata particulatim concidebantur. Hesychius: ἀπόλεκτον, ἔκλεκτον. Sic & ἀπόλεκτος τόμος, vel ἀπόλεκτον τέμαχος, & absolute *apolectus*, vel *apolecton*. Apud Xenophontem ἀπόλεκτοι φοίνικες, eximiæ palmulæ. Μελάνδρυον etiam sumitur pro segmento salsamenti ex dorso fere, & duriore thynni, vel orcyni carne sumpti. Nam Græcis μέλαν δρυὸς, vel μελάνδρυον mediale roboris significat, quæ pars est firmissima ac nigerrima ligni, alburno dempto. Inde μελάνδρυα, vel μελανδρύαι thynni pulpamentum durius, cervice, cauda, abdomine & clidio demptis. Plinius lib. IX. cap. XV de thynnis: *Si membratim cæsi cervice & abdomine commendantur, atque clidio, recenti duntaxat, & tum quoque gravi ructu. Cetera carne plenis pulpamentis sali asservantur. Melandrya vocantur, quercus assulis similia.* Ita scribendum. Assulæ secantur ex mediali quercus. Extitere tamen qui ex frusto salsamenti nomen commenti sunt, quo thynni genus appellatum dixerunt. Athenæus: μελάνδρυς δὲ τῶν μεγίστων θύννων εἶδός ἐστιν, ὡς Πάμφιλος ἐν τῷ περὶ ὀνομάτων παρίστησι: καὶ ἔστι τὰ τεμάχη αὐτοῦ λιπαρώτερα. Sed nugatur ille Pamphylus. Μελάνδρυ pro thynno dicere idem est, ac si pro sue vivente, *tomaculum* voces, aut *petasionem*. Eadem tamen prorsus ratione ex *spondylo*, vel *trachelo*, quæ pars est in ostreis, speciem ostreæ fecerunt. Hesychius: τραχήλους τοὺς περφέρεις: ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. Immo & pro spondylis conchyliorum formarunt genus conchylii eodem nomine. Utroque sensu apud Plinium legitur; Ubi dicit ostreas debere esse *spondylo brevi & carnoso*, partem ostreæ intelligit. Alibi *spondylum* commemorat inter genera piscium & ostrearum: *Spondylus, smarides, stella, spongia.* Idque etiam usus auctorum confirmavit, ut supra docuimus. Sic θυρσίων pars caniculæ marinæ sale durata, à forma thyrsi, qui in summo capitatus est, ut sunt quas vulgo massucas dicimus: Græci ῥόπαλα. Inde ματζηκόθρυμβος thymum capitatum quod & θύρσιον vocabatur. Inde *rhopalici* versus dicti qui à monosyllabo incipiunt, & sensim crescendo per syllabas, in pentesyllabam desinunt, quod est veluti caput massucæ. Ut in hoc versu:

Spes Deus æternæ stationis conciliator.

Longum itaque segmentum piscis salsi ab una parte crassius appellarunt *thursionem*. Ex eo genus piscis fabricarunt rostrum habentis marinis caniculis simillimi. Plinii hic fortasse error est. Fieri tamen potest, ut auctorem habuerit, aut vulgus ita usurparit, qui & postea *sturionem* pro siluro appellarit, depravato inde vocabulo. Sed melius sturionem ex Gottico esse *stur*. Ita enim hodie vocare ajunt. Potuit etiam Plinius æque in isto errare, ut in cybio & apolecto, quæ pro piscibus reponit. Haud dispar est quod alio loco ex voce, quam mittunt ranæ masculæ, quum in venerem incitantur, ranas ipsas ita vocari asserit. Lib. XI. cap. XXXVII de lingua: *Ranis prima cohæret, intuma absoluta à gutture, qua vocem mittunt mares, cum vocantur ololygones. Stato tempore id evenit cientibns ad coitum fœminas.* Ita interpungendum ac legendum auctoribus omnibus libris. Aristoteles vero unde hæc sumpta sunt, ita habet: τὸ μὲν γὰρ ἔμπροσθεν προσπέφυκεν ἰχθυωδῶς, ὃ τοῖς ἄλλοις ἀπολέλυται. Τὰ δὲ πρὸς τὴν φάρυγγα ἀπολέλυται καὶ ἀπέπτυκται, ᾧ τὴν ἰδίαν ἀφίησι φωνὴν ἀεί: καὶ τὴν ὀλολυγόνα δὲ τὴν γινομένην ἐν τῷ ὕδατι οἱ βάτραχοι οἱ ἄῤῥενες ποιοῦσιν, ὅταν ἀνακαλῶνται τὰς θηλείας πρὸς ὀχείαν, Aristoteles ait primorem linguam cohærere ranis: intimam vero, quæ ad fauces est, solutam esse & explicatam, qua vocem sibi propriam semper mittunt. Certam vero vocem, qua mares ad coitum cient fœminas, & quæ in ipsa aqua fit, vocari *ololygonem*, id est, ululatum. At Plinius vult ranas tantum masculas lingua intuma à gutture absoluta vocem mittere, cum vocantur *ololygones*. Quod longe abit ab Aristotelis mente & rei veritate. Σταλαγμὸς vox est certa, quam corvi edunt, quum aquæ stillantis cadentisque sonum imitantur. Posset dici, & corvos tum vocandos σταλαγμοὺς, cum illam vocem

A emittunt. Quod est ridiculum. Ὀλολυγὼν autem in prognosticis Arati avis est non rana:

Ἡ τρύζει ὄρθρινον ἐρημαίη ὀλολυγών.

Nam apud Theophrastum, ex quo sumpsit Aratus, non aliter potest quam de ave accipi: καὶ ὀλολυγὼν ᾄδουσα μόνη ἐπὶ ἀκρωρείας, χειμέριον. Ranæ quippe in summis montibus non canunt. *Ululas* vertit Avienus:

Si matutinas ululæ dant carmine voces.

In Græco epigrammate ὀλολυγὼν avis intelligenda in veris descriptione:

Καὶ λιγυρὸν βομβεῦσιν ἀκανθίδες, ἡδ' ὀλολυγὼν
τρύζει τρηχαλέαις ἐνδιάγουσα βάτοις.

B *Ululam* Latini pro ave nocturna ponunt, quam vulgo *cattam ululantum* appellamus. Inauspicati ominis est avis, ut & bubones. Varro apud Nonium: *saltem infernus tenebrio κακὸς δαίμων, utque habeat homines sollicitos, quod eum pejus formidant quam fullo ululam.* Cur fullo timeat ululam explicare conatus est Turnebus, sed longe arcessita & frigida, ita me Deus amet, ratione. In optimo codice scriptum fuit: *quam sollis ulula.* Promptum est scribi debere: *Pejus formidant quam soles ulula.* Avis plane lucifuga est, & solem formidans, ut bubo, noctua & similes. Eam avem etiam ὀλολυγόνα Græci dicunt. Glossæ: *ulula*, ὀλολυγών.
C Non potest tamen de ea accipi in illo epigrammate Græco. Nam pro avicula ibi sumitur quæ in spinis cantillat. Aliquid esset, si pro βάτοις legeretur πάτοις. Ita vocant Græci saltus, & montes, sive potius calles saltuum, ut Latini *tramites*. Propertius:

—— *quique meo tramite quæris avem.*

Quod in Græco est, unde vertit: τοῦθ' ὑπὸ δισσὸν ὄρος. Sic in Græco epigrammate πάτος Ἀρκαδίας, pro saltu & monte Arcadiæ. Ululæ vere ineunte canere incipiunt, & in desertis saltibus degunt. *Acredula* Ciceronis eadem videtur cum ulula, qua expressit ὀλολυ-
D γόνα Arati:

Et matutinis acredula vocibus instat.

Ὀλολυγὼν sane Theophrasti, quæ in summis jugis sola canit, ulula est. *Ulucos* vulgo vocari notat Servius. Isidorus *agredulas* exponit ranas parvas, in sicco, vel in agris commorantes. Ab agris dictas putavit. Alibi *acredulam* lusciniam esse scribit. Nusquam verum tetigit. Hesychio ὀλολυγὼν ζωΰφιον γινόμενον ἐν ὕδασιν ὅμοιον ἐντέρῳ. *Acredula* dicta ab acri & acuta voce, quam edit, qualis est mulierum ejulantium, ἡ ὀξεῖα φωνὴ ὀλολυζουσῶν. Apud Strabonem inter aquatilia Nili
E peculiaria numerantur κοχλίαι μεγάλοι φωνὴν ὀλολυγόσι ὁμοίαν φθεγγόμενοι, *vocem mittentes ut ululæ.* Sic enim ibi legendum. Vulgo est ὀλολυγοῦσιν. Quod vitiosum est. Apud Aristotelem ὀλολυγὼν vox est ranarum masculorum, id est, *ulula*. Nam & *ululam* Latini pro ululatu posuerunt, ut *resonam* pro echo, vel resonatione. Glossæ: ὀλολυγὴ, *ulula*. Atque hæc hactenus. De siluro non mirum est, ut è diverticulo viam repetamus, & glanin, & sturionem, & proprium Nili piscem significare. Juvenalis Sat. XIV silurum pro piscis genere vulgaris, atque non magni videtur posuisse in characterismo hominis deparci:

F —— *nec non differre in tempora cænæ*
Alterius conchem æstivam cum parte lacerti
Signatam vel dimidio putrique siluro.

De Nili siluro heîc non pote accipi. De glanide etiam non pote. Sed nec de siluro, qui sturio est. Nec enim magnæ hoc parsimoniæ indicium esset, ingentem piscem, qualis est sturio, dimidium servare in alteram cænam, præsertim in patrefamilias & homine privato. Vetus scholiastes *sardinam* heîc interpretatur: *Fabam coctam quæ illi remansit, in alium diem cum sardina servat.* Idem alio loco apud Juvenalem siluros quoque *sardas* interpretatur. Sane in hoc versu de exiguo pisce videtur intelligendum. Hoc enim facit ad
G exaggerandas sordes hominis ultra modum parci, qui dimidiatos pisciculos minutos in alterum diem servat ac mensæ reponit, ut lacertum vel sardinam, cum æstiva conche qui vilis est cibus pauperculorum hominum. Præterea silurus ipse, qui sturio est, vel glanis, non videtur admodum familiaris hujusmodi fuisse mensis quales ibi describit Satyricus, hominum mediocris sumptus & μικροψύχων. Recte autem correxerunt in Plinio

Plinio viri docti: *Protelis boum, & in Danubio extrahitur.* Paulo ante pro eodem dixit, *jugis boum*, de Attilo Padi: *Catenato captus hamo, nec niſi jugis boum extractus.* Aliter tamen ea voce uſi veteres qui dixiſſent: *protelo jugis boum extrahitur.* Nec enim *protelum* jugum eſt, ſed tenor in ducendo quidam, tractuſque longus, & continuatus. Lucillius:

> *Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri*
> *Ducere protelo validis cervicibus poſſent.*

Quo loco iſtud *protelo* abverbialiter poſitum videtur, & *ducere protelo* idem eſt atque uno tenore, & continuo tractu ducere. Cato in originibus: *Sed protelo trini boves unum aratrum ducent*, id eſt, tres boves juncti facili, & continuo tractu unum aratrum ducent. Etenim quæ difficulter trahuntur, non continenter, & uno tenore ducuntur, ſed ſaltuatim, & crebris intermiſſionibus repetito veluti impetu, Huic contrarium eſt, *protelo ducere.* Lucillius:

> *Hunc juga mulorum protelo ducere centum*
> *Non poſſunt.*

Vides juga mulorum *protelo ducere*, id eſt, continuatim & uno tenore. Non igitur *protela* juga ſunt. Et ſi recte & ex veterum uſu loqui vellet Plinius, ita ſcribere debuiſſet, *protelo jugis boum extractus.* Lucretius:

> *Undique protelo plagarum continuato.*

Donatus exponit, *tenore.* Hinc *protelare* verbum pro longe pellere, vel inceſſanter perſequi. Sic tamen etiam alibi loquutus idem Plinius lib. XVIII. cap. XVIII. *Protelis biniſ terniſque ſic arant.* Ita libri. Perperam Nonius in verbis Varronis, quæ citat *protelo* legit una voce: *Remotiſſimum ad diſcendum formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi, contra delectatio protelo ad diſcendum.* Non poteſt heîc locum habere *protelo* eo ſenſu, quo in ſuperius citatis locis ponitur. Sed omnino ſcripſerat Varro: *contra delectatio pro telo ad diſcendum.* Quodlibet inſtrumentum & ὅπλον Latini *telum* dicunt. Ut *magnum telum neceſſitas*, μεγάλον ὅπλον. Sic *pro telo ad diſcendum eſſe delectationem*, id eſt, pro adjumento & inſtrumento, Varro eleganter poſuit, pro quo perpe- A ram junctim legit Nonius, *protelo.* Eaque res illi cauſa fuit, ut *protelare* exponeret adjuvari. *Protelare, rurſus adjuvare.* Non recte viri docti ibi correxerunt *adjugare*, contra omnium librorum auctoritatem, qui retinent, *adjuvare.* In omnibus porro locis, quæ ſtatim adduxit, in quibus *protelo ducere* poſitum eſt, putavit B illud *protelo* eſſe adjumento, quia in verbis Varronis ibidem allegatis ita quoque accipiendum judicavit. Atqui *pro telo* ſeparatim ibi ſcribendum. Sic aliquis diceret, *parſimoniam non mediocre eſſe telum ad virtutem*, id eſt, non mediocre adjumentum. Ita ergo Varroni C delectatio pro telo, vel telum ad diſcendum. Cicero de Amicitia: *Nec mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet, benevolentiam civium*, id eſt, adjumentum. Apud eumdem lib. VII. Epiſt. ad Trebatium, hic verſus ex veteri poëta citatur:

> *Uſquequaque ſapere oportet, id erit telum acerrimum,*

D ὅπλον ἰσχυρώτατον. Gloſſæ veteres *protelum* ἔξαμπτον interpretantur, id eſt, funem, quo currui junguntur ad trahendum jumenta. Sed in hac ſignificatione nuſquam *protelum* uſurparunt antiqui. Atque hæc hactenus. Poteram hac eadem tumultuaria opera, & alia nonnulla congerere, quæ in illo capite reſtant animad- E verſione digna, ſed omnia heîc perſequi & pulviſculum ipſum corradere non fert animus, nec ſi eſſet, tempus id patitur & libri jam nimia moles. Infinita adhuc ſuperſunt in Plinio caſtiganda, emendanda & illuſtranda, quæ labor alius exhauriet OBSERVATIONUM PLINIANARUM, ſi Deus vitam de- F derit, aliquando edendarum. In his autem confuſis & indigeſtis EXERCITATIONIBUS ea tantum placuit arripere excutienda, quæ inter eundum obvia facta, dum Solinum ſequimur, in conſpectum ſeſe nobis, ac pæne in manum dederunt, aut quæ ſaltem non magno diverticulo commode ex deviis locis peti poſſe G viſa ſunt. Sed quoniam longius ire negat ille, quo duce uſi ſumus, in illo vaſto Pliniani operis pelago enavigando, ubi curſum terminavit, ibi & nos portum capere, ac longæ finem navigationis invenire oportet.

Τῷ Θεῷ δόξα.



INDEX

INDEX I.

AUCTORUM,

qui in hoc opere laudantur, illuſtrantur, aut emendantur.

B.

C.

E.

Eupolis.

F.

G.

H.

O.

P.

Alexandrinus.

T.

V.

X.

Z.

FINIS.

INDEX II.

RERUM ET VERBORUM.

Acorum

Adco

Ambusta,

Apamea

Ἀργαλι-

χρῶμα

Buccina

Cibyrati

Circli.

Croto;

Dere-

Divi

Dysaules

Ἡλίωσις.

Furinalia

Heretum,

Hydaspe

I.

Immanis,

Laserata

Lemures,

Lia-

Lomentium

λυχνὶς

Mareotis

Muoxus,

Myriza

Nantes

P

parata

πάττυλ@

pexæ

Φυσήμα.

πρόθυρα,

ψύγμα,

[Quisqui-

R.

Remiſſa

Saccire,

Saturus

Semen-

Syrtites

Tenuia.

Τραχῆα,

Trocmi,

V.

Xuota

X

Y.

ὑπαγάλη

F I N I S.



ULTRAJECTI,
Apud ERNESTUM VOSKUYL,
MDCLXXXVIII.

E R R A T A

operarum, quæ, quamvis pauca, irrepſerunt tamen, ad hunc modum corrigenda.

PAg: 12. a. 3. ὀύρτποντος: 45. Πορφυρίων: 13. 45. locum: 20. b. 46. ſpeculorum: 32. b. 15. exſtinctum: 43. b. 48. VIII. Æn: 44. b. 49. περιπεπλωκότος: 51. b. 8. dele *ges*: 78. b. 2. φίλαθς: 80. b. 13. in ora: 82. a. 56. ἐπὶ τρεῖς: 85. a. 35. dextris Dorius: 88. b. 37. & CVII: 95. a. 22. μέλανος: 70. eſt: 97. a. 20. χρῶνται: 109. a. 6. Boreas: 18. Biſtones: 115. b. 22. Pontum: 125. b. 1. dele apud: 127. a. 16. Ferrea: 128. a. 69. dele eam: 129. a. 79. νήσους μία: 148. a. 3. inſ: ἀτὰρ: 155. b. 30. Ita legenda: 164. b. 69. Ἰλλυαίωνες: 167. a. 13. ἐνδεικνύμενα: 171. a. 71. πηγαὶ: 172. a. 42. dele βασίλη pro πρέσβεια: 173. a. 39. Flos: 200. b. 22. ἀμέλγεσθαι: 203. a. 76. Barbaro: 226. a. 30. inſ: μέχει: 228. a. 8. Cæterum: 229. a. 55. ſolitæ: 234. a. 54. ἐπιμηκέστερος: 237. a, 40. non: 238. a. 65. ὀρθοσχόενοι: b. 62. corocottæ: 69. Ἀλκημήνη: 240. b. 41. κέγχρη: 242. a. 34. quouſque: 254. b. 68. ἐξαλλάττειν: 256. a. 72. alterum: 264. a. 29. Λιβύης: 274. b. 11. avena: 280. b. 71. caliculis inanibus: 292. b. 31. Ἄιγιλα: 298. a. 18. diſpeſcit: 307. b. 27. αὐτῶ: 342. b. 42. Ἔλανα: 348. b. 19. regiones, quæ: 349. b. 4. ἐν ᾗ: 354. b. 68. ἀρειήντε: 377. b. 5. Ægyptiacis: 402. a. 75. Χαλδαῖος π: b. 63. Machinamentum: 413. b. 48. parte: 424. b. 8. ἀνάκανθος: 425. a. 42. nucum: 494. b. 26. ſtadia: 502. b. 57. Hinc: 504. a. 71. ὅταν τέκωσι: 517. b. 11. æqua: 521. b. 65. defectuum: 525. b. 52. Græcis: 528. b. 78. Δημήτρια: 535. b. 46. ingenti: 541. a. 24. eſt: 544. b. 66. mare: 545. a. 61. ὁ ἢ: 551. b. 73. Μασίκυτος: 554. b. 77. ἐκδιδόασιν: 558. a. 14. miſcuit: 559. a. 34. poſt oppidum inſer: ab occidente jam ad orientem: 565. b. 57. juriſdictione: 569. b. 62. Λυκίας: 574. a. 60. verum: 599. b. 50. κε: 602. a. 9. dele &, & L. aliud: 35. κύκλου: 604. b. 51. ἐγκείμεναι: 56. βηρύλλου: 607. a. 61. ἀμφιδέρου: 613. a. 29. σώματος: 616. b. 27. Ζήλα οὐ: 629. a. 1. ante vulgo inſer: contaminatus habetur, quum tamen inſignis ſit. Ita: 631. b. 76. Loquutio: 639. a. 22. inferiori: 645. a. 72. ſpectacula: 647. a. 21. τύπον: 660. b. 46. σπουδάζεται: 662. a. 43. vibranda: 696. a. 18. temperiei: 708. b. 49. τὴν: 709. b. 18. cui: 710. a. 65. ὅμοιον: 738. a. 20. dele de: 746. a. 2. libro: 756. a. 6. ruro: 758. b. 56. confectione: 768. b. 2. evocare: 801. b. 63. fuit: 806. b. 78. χροιὰν: 824. b. 21. quos: 829. b. 2. κῶμαι: 832. b. 2. Ἄνδανις: 833. a. 68. ut: b. 14. dicuntur: 837. a. 57. Πρῶτα: 848. a. 20. foliis: 25. ἢ: 877. b. 16. Moſchopulio: 880. a. 14. habent: 887. b. 2. ſuboluit: 914. a. 78. παρασειδὲς: 920. b. 5. differat: 921. a. 2. τοιαῦτα: 926. b. 30. plantam.

CLAUDII SALMASII

EXERCITATIONES

DE

HOMONYMIS HYLES IATRICÆ

nunquam antehac editæ,

UT ET

DE MANNA ET SACCHARO.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud JOHANNEM vande WATER, JOHANNEM RIBBIUM, FRANCISCUM HALMA, & GUILIELMUM vande WATER, Bibliop.

M. D. C. LXXXIX.

lam naturalis Historiæ Partem pertineat, quæ in Herbariæ rei ac remediorum cognitione versatur. In qua, quæcunque nobis a veteribus tradita & relicta sunt, ea plurimis ac periculosissimis erroribus expurgata, retinendi certam rationem liber hic ostendit. Quem ut splendore Vestro non indignum esse mihi persuadeo, ita nullo magis celebritatem adepturum esse confido, quam quod Vobis consecratus & acceptus prodeat. Quippe tanta est Illustrissimæ ac Potentissimæ Reipublicæ claritas, tanta gentis vestræ & patriæ, rebus bello & pace, terra marique gestis, hominum fortitudine & industriâ, doctrinâ & sapientiâ insignium, quos protulit, copiâ, propensâ erga bonas artes & litteras voluntate parta & ubique terrarum diffusa gloria, ut non arctioribus ævi & temporum, quam locorum & Regionum metis definiri unquam posse videatur. Quare nullum a me patris optimi memoriæ luculentius officium præstari posse existimavi, quam si eum, dum viveret, beneficiis Vestris ornatum, mortui scripta & nomen Vobis in pretio & commendatione fuisse notum facerem. Itaque hoc quidquid est muneris, Illustrissimi ac Potentissimi Domini, Vobis gratum & acceptum fore, sperare fas est: quod, ut cæteræ causæ abessent, vobis jure optimo deberetur, pro singulari humanitate ac propensa voluntate, qua nos nuper excepistis, postquam ad Vestros portus delati sumus, qua jactati benignitatem, ac potius pietatem Vestram experti sunt ii, quibus patriâ ac fortunis omnibus potior fuit purior Dei cultus. Cujus Supremum Numen supplex oro & veneror, ut Rempublicam Vestram, communem omnium gentium patriam, totius humanæ societatis vinculum, religionis, virtutis ac bonarum artium certissimum perfugium, diutissime conservet, augeat, tueatur. Hagæ Comitis M DC LXXXVIII.



JOANNIS BAPTISTAE LANTINI
Senatoris Divionensis
AD COMMENTARIUM
DE HOMONYMIS HYLES JATRICÆ
PROLEGOMENA.



Uodnam sit hujus operis propositum, quæ materies, qui tractandi modus; jam ante aliquot annos innotuit eâ ipsius auctoris Præfatione, quam nos, Doctissimusque & Nobilissimus Senator PHILIBERTUS de la MARE, nobis Reique publicæ & Litterariæ nuper ereptus, Divione typis mandari curavimus. Cujus editione factum est; ut summâ omnium eruditorum expectatione, multis undequaque poscentibus; tandem liber hic in publicum prodeat. Huic autem, etsi eadem auctoris Præfatio præposita sit, supersunt tamen nonnulla, quæ hîc præmittere operæ pretium esse duximus, tum circa ipsius operis editionem, tum ad ejus commendationem spectantia. Atque ea quidem, quæ ab auctoris nomine celeberrimo, partâque editis doctissimis & præstantissimis voluminibus famâ commendatio duci poterat, minime necessaria videtur esse: Cum nemini docto ignotum sit, quantum in omnibus doctrinis, ac in iis maxime, quæ ad rerum antiquarum cognitionem pertinent, SALMASIUS excelluerit. Nec vero quibus eum, dum viveret, scriptis impetere studium fuit, laudes ejus deterere potuerunt; nec, si quæ alii post ejus obitum protulerunt ad tanti viri non responsuri gloriam imminuendam, ea sunt ejusmodi, ut qui eam sartam tectam volunt, de iis refellendis magnopere laborent. Etenim (quod me ipsæ de quibus hîc agitur plantæ admonent) quemadmodum vix ulla in sylvis arbor eximia nascitur, cujus incremento non obstitura videatur veprium ac virgultorum adnascentium copia, quæ tamen exscindere aut etiam exstirpare inutilis labor fuerit, surgente & obumbrante arbore sponte suâ interitura nec impeditura quidquam, quo minus suam proceritatem assequatur & retineat: Sic SALMASIO, qui, ut neque aliis, quibuscunque supra cæteros eminere contigit, defuerunt unquam obtrectatores, non efficient, quin honos illi suus constet, scriptisque & famâ, levibus adversariorum libellis superstes, floreat apud posteros, quamdiu vigebunt bonarum litterarum studia, artesque præclaras a Græcis Romanisque profectas nobis retinendi cura, & in pristinam superiorum ætatum barbariem & ignorantiam relabendi metus adfuerit.

Verum enimvero, ut pauci sunt qui eum in his litteris Principem non agnoscant; Ita plurimos hodie reperias, quibus, conversis ad Philosophiam naturalem ingeniis, to-

tum hoc rerum antiquarum ſtudium, anxia in ſcriptis veterum intelligendis atque emendandis cura, omniſque in antiquitate inveſtigandâ labor, negligenda videntur, putantque in ἀυτοψίᾳ rebuſque ipſis in ſe conſiderandis, melius operam collocari. Jam ferè ubique refrixit ardor ille, quo ad Criticam, priore ſæculo & hujus initio, multa maximaque ingenia ferebantur. Nunc abjectis veterum libris experimentis incumbitur. Quorum is (fateor) ſucceſſus fuit, multa ut pulcherrima utiliſſimaque inventa noſtrâ ætate prodierint; ideoque minus de commutatâ ſtudiorum ratione conquerendum exiſtimo. Attamen, qui ſpretis iis quæ ad nos a priſcis ſcriptoribus tranſmiſſa ſunt, novam Philoſophiam moliuntur, non abſimiles iis hominibus videri poſſunt, quibus cum hæreditas a majoribus obvenerit ampla quidem & locuples, ſed litibus & negotiis implicita, malint ingenti ſpe ducti, ſuo Marte & induſtriâ, incerto exitu rem quærere; quam relictam ut explicent & augeant operam ſumere. At qui tueri parta quam nova quærere non minoris virtutis eſſe ducunt, tutiorem ſane viam inire merito cenſendi ſunt, ejus nempe periculi expertes, ne veluti canis Æſopicus, amittant quod habent, dum quod non habent ſectantur. Quam multa & quam præclara in omni diſciplinarum genere, quam uberem & copioſam in Hiſtoriâ præſertim naturali, materiam & ſuppellectilem, nobis veteres reliquerint, ſciunt omnes eruditi. Quæ quamquam ſæpe non ſatis diligenter, imo & nonnunquam falſo tradita, vetuſtate etiam & librorum depravatione obſcura, diverſis præterea doctorum ſententiis & altercationibus incerta & involuta habeamus; nihilominus tanti ſunt momenti, ut ii non ſolum qui receptas artes colunt & exercent, ſed etiam qui eas, aut de novo procudere, aut novis inventis augere certant, illis carere nullo modo poſſint. Itaque præclariſſimè Academia, & Societas Regum Maximorum auſpiciis & munificentiâ ad promovendas ſcientias inſtitutæ, ut hiſtoriam naturalem integram & rerum naturæ parem conficiant, non modo remotiſſimas regiones luſtrari & quæcunque huic operi conducunt illinc transferri & explorari curant, ſed & quidquid ab omni retro antiquitate, quod ad hanc rem pertineat, litteris proditum eſt inquirere & perpendere inſtituto ſuo conſentaneum exiſtimant. Quin & ipſa novarum rerum & artium inventio, quam ſibi maximè propoſuiſſe videntur Londinenſes Philoſophi, nullâ re magis adjuvari queat, quam fidâ & integrâ, qualem deſiderabat Princeps eorum Franciſcus Bacon, omnis generis artium, totiuſque rei litterariæ hiſtoriâ. Tenues quoſdam & exiles tractatus habemus de Rerum inventione & artibus; quod argumentum, ſi quis tractaſſet, eâ facultate inſtructus, qua SALMASIUS fuit, jam nihil eorum nos lateret quæ de artium omnium origine, progreſſu, mutationibus, variiſque inſtrumentis & exercendi modis apud varias gentes diverſiſque temporibus ſciri poſſunt. Fuit enim horum, tum in minimis, tum etiam in maximis artibus ſupra modum peritus, quod nos, & quibus ejus conſuetudine & colloquio familiari frui licuit, ſæpius olim mirati ſumus, & variis ſparſim locis ejus ſcripta teſtantur, tum etiam apertius oſtendent, *de Militia Romana & de Re Veſtiaria* commentarii, brevi, ut ſpero, prodituri. Quanta autem ſit utilitas excolendis perficiendiſque artibus & diſciplinis ejus, quam dixi Hiſtoriæ litterariæ, atque adeo, qui ad illam neceſſarii ſunt, librorum veterum, planum fiet Hiſtoriâ Medicinali quam Dodartius parat; doctiſſimus Medicus, & in Academia, Auguſtiſſimi & Chriſtianiſſimi Regis noſtri non minus gloriæ, quam humani generis commodis inſerviente, ad artem ſuam promovendam & illuſtrandam jure merito delectus. At qui neque libris veterum uti licet non intellectis, nec eos plane intelligere abſque Critices ope plurimis in locis corruptos, nec adhuc ſuperioris ſæculi induſtria, doctorumque virorum laboribus, penitus emendatos, quod ex hoc, cui hæc præmittimus,

timus, opere perſpici poterit. Verum ea, non modo Critices, ſed & linguæ, qua veteres Philoſophi ſcripſerunt, major vulgari cognitio defuit maximis noſtra ætate Philoſophis; quorum alter, unam de veteribus Philoſophorum ſectis revocare, cæteras illuſtrare aggreſſus, quæ Judicii erant, ſubactique in rebus Philoſophicis ingenii, tum etiam variæ & multiplicis lectionis & experientiæ, abunde præſtitit, in his, quæ a linguæ & antiquitatis Græcæ notitia pendent longe ſe ipſo inferior deprehenditur: alter ſummo ingenio & Sectatoribus celeberrimus cum a Græcarum literarum ſtudio cæteros deterreret, ipſe earum peritus videri voluit, dum in Geometria ſua Galliæ edita, ad Pappi Alexandrini Problema Paginæ CCCIV ad oram hæc ſcriberet. *Latinam verſionem hic potius cito, quam textum Græcum ut facilius intelligar*: quaſi Græca Pappi vidiſſet, quæ nondum edita latent in pauculis Bibliothecis, inter Manuſcriptos Codices, quorum ſe lectioni non admodum operam dediſſe ipſe profitetur. Sed hæc illum negligere ſiverit ſua, quam inſtituit Philoſophandi ratio. At quibus propoſitum eſt Philoſophiam condere, quæ Naturali Hiſtoriæ innitatur, neceſſario pervolvenda ſunt monumenta veterum, cum in cæteris Phyſicę partibus, tum in hac pręcipuè, quæ hoc libro tractatur, *Hyle Jatrica*.

Totum rei Herbariæ ſtudium, cæterarumque, ad remedia utilium, eo præcipuè debet tendere, ut earum poteſtates cognoſcere, cognitas ad uſum medendi, & alios quibus vita indiget, adhibere poſſimus. Has, poſtquam, in multis, longiſſimo temporis decurſu, per fortuita experimenta caſus oſtendit, reliquarum, quæ longe plures ſunt, effectus ut prænoſcerent, veteres novique Medici & Philoſophi plures vias ac methodos excogitarunt, variis ſignis & conjecturis uſi ſunt, partim ab odore & ſapore ductis, cæteriſque adjunctis, ſeu (ut vocant) ſecundis qualitatibus, quas primarum, quibus omnia Galenici tribuunt, indicia volunt eſſe, & alii a ſignaturis, ſive herbarum cum certis humani corporis partibus ſimilitudine, nonnulli chymica per ignem reſolutione, modiſque aliis pluribus, ac iis inprimis, quibus Galeno teſte, veteres Emperici utebantur. Quo ſucceſſu hactenus & quam tuto, non omnino conſtat. Illud in comperto eſt, plurima in hoc genere utiliſſima certiſſimaque, rudi experientiæ & indoctorum obſervationibus deberi. Quis Theiæ, quæ veterum *Alimo*, de qua Proclus ad Heſiodum, pares ad inediam tolerandam vires obtinet? Quis corticis Peruviani, tam præſentis adverſus febres remedii, facultates a medico vel Philoſopho quopiam detectas fuiſſe commeminit? Innumera ſunt alia, è plantis cæteriſque rebus petita medicamina, quorum inventio nulli arti aut induſtriæ adſcribi poteſt, ſolo caſu reperta, ſola traditione quę in libris habetur conſervanda, quibus, ſive ut certis & cognitis uti velis, ſive ea novis experimentis explorare, maximus ac pene immenſus occurrit labor, multiplex errandi occaſio & periculum; dum una eademque planta pluribus nominibus indigetata pro pluribus habetur, aut plures ac diverſæ idem nomen habentes pro una eademque accipiuntur. His difficultatibus ſubvenire, duplici ſcripto SALMASIUS inſtituit, quorum uni de *Synonymis* alteri de *Homonymis Hyles Jatricæ* nomen fecit. Primi quidem, ſi modo extaret, is uſus eſſet, ut irrito labore Botanici levarentur, quo herbas jam notas pergunt quærere, quia ſub alio nomine aliæ eſſe videntur. Sed ejus operis, de *Synonymis* præter paucula quę in Pręfatione allata ſunt, nihil ſupereſſe arbitror, ſive animo tantum auctoris conceptum fuerit, ſive cum aliis ejus ſcriptis, quorum multa deſideramus, perierit. Alterius vero de *Homonymis*, qui nunc prodit, quanta ſit utilitas facile eſt intelligere Qui hodie medentur, plerique herbarum vires, quas ad remedia uſurpant, non propria experientia cognitas habent, ſed Dioſcoridis, Galeni, Plinii cæterorumque antiquorum, & qui ab iis acceperunt recentiorum fide & autoritate receptas: quibus ſi homonymia deceptis,

ceptis, aliud pro alio ſumere contigerit: quod ſæpe contigiſſe liber hic evincet; neceſſe eſt non rare inutilia pro utilibus, noxia pro ſalutiferis, imo etiam aliquando venena pro remediis ægrotantibus præbeantur; Cui rei abunde fidem facient allata hic exempla, in *eryngio, elleboro, radice Behem* & *Chamelæa.* Verum hujuſmodi errores quantum periculoſi noxii, tantum in iis detegendis corrigendiſque difficultatis reperitur. Qui eo munere digne defungi valeat; huic adſint ea omnia oportet quæ in Præfatione auctor enumerat; *judicium acerrimum, ingenii præſens acumen, lectio aſſidua, linguarum ac totius antiquitatis ſumma cognitio, naturalis præterea quædam* εὐστοχία, *ac ea maxime Critice, quæ adjuta ſcientiarum omnium comprehenſione judicium exercet in omnibus diſciplinis.* Quæ quidem ſi in uno quopiam mortalium conjuncta mirari decuit, is certe Salmaſius fuit, quod & præſtantiſſima viri volumina teſtantur, & facilius inveniet fidem, ſi quædam de ſtudiorum ejus ratione, quæ ab ipſo audivi, retulero.

Erat illius inſtitutum hujuſmodi. Quidquid ſupereſt de veterum libris cæteriſque monumentis, diviſo in certa ſpatia omni ævo, ætatum & temporum ordine pervolvere, initio ab antiquiſſimis ducto, ita ut omnes unius ætatis ſcriptores prelegeret conferretque, donec illius ſæculi linguam, mores, ritus, artes, & quidquid ex iis, quæ reſtant monumentis colligi poteſt, in numerato, & ſub uno aſpectu poſita haberet: Inde ad conſequentia tempora, ad uſque ultima, ſimili ratione progredi ſolitus, & obſervare quodcunque novi in linguis, artibus cæteriſque prædictis, ſuccedens ætas invexiſſet, quidquid a prioribus poſteriores ſcriptores accepiſſent, id aſſecutus eſt, nihil ut illum fugeret, quod ad hiſtoriam omnis generis ſpectare poſſet & unam antiquitatis cognitionem profeſſus, omnes artes & diſciplinas complecteretur. In omnibus autem & ſingulis nihil æquè curabat, ac rei geſtę & facti veritatem pernoſſe; quod ab ejus ignoratione omnes fere errores apud vulgus omneſque inter doctos controverſias ortum habere diceret; Ad hanc factorum ſcientiam ſingularem & eximiam, qualem ejus ſcripta exhibent, ſine his, quæ dictæ ſunt, tum naturæ dotibus, tum artis, laboris & induſtrię pręſidiis pervenire non potuiſſe manifeſtum eſt. Quibus mirum in modum munitus & inſtructus, cum ſe ad rem herbariam tractandam contuliſſet, quid in hoc opere præſtiterit, judicabunt harum rerum periti. Dolebunt, credo, non exhiberi opus integrum, cum auctor ipſe teſtatus ſit, nullam eſſe plantam alicujus in medicina uſus, cui diſcutiendę operam non dederit, pluraque deſiderari, tum ex aliquot ejuſdem libri locis conjicient, tum è titulorum numero ſuſpicabuntur; quæ tamen pauciora ſunt, cum ſub uno titulo de pluribus egerit. Illud etiam requirent forſitan & objicient, quod ſæpe ὁμωνυμίαν & errorem oſtendere ſat habuerit, quęnam ſit planta hodie cognita quę antiquo nomini reſpondeat, non edoceat, Botaniciſque negotium faceſſat & ſpinas ſerere videatur; dum quod ſe ſcire putabant, erroris admonitos iterum jubet quærere. At non parum eſt, qua in re fallantur, indicaſſe, & induſtriam ad amplius quærendum acuere; Illud vero maximum, eam compluribus exemplis aperuiſſe viam & complanaſſe, qua poſſint ad veram quæſitæ plantę notitiam pervenire: quam qui tenuerit longam licet, &, ut ipſe ait, lacinioſam, non ſolum quæ hic deſunt ſupplere poterit, ſed & alia plurima nunc ignota, de quibus apud veteres mentio, feliciter inveſtigare & eruere. Neque tamen ſperandum eſt, poſſe omnia *vetera deperdita* præſertim in hoc genere quantâvis peritiâ aut induſtriâ ad notitiam noſtram revocari. Obſtat enim primo, librorum & veterum monumentorum interitus & quamquam unus fere omnia Plinius collegerit, quæ ab antiquioribus prodita erant, tot tamen tantiſque partim ſuâ, partim librariorum culpâ ſcatet erratis, ut illi penitus emendando plures Salmaſii vix ſuffecturi eſſent; cum eorum ſcriptis, a quibus ſua accepit, pene omnium deſtituamur. Ipſæ præterea notæ, ab odore & ſapore grato vel ingrato plan-

tarum

tarum ductæ, quibus sæpe uti necesse est, ad comparandum quæ tradita sunt, cum his quæ hodie visuntur, adeo temporum decursu mutatis hominum sensibus, immutatæ sunt, ut qui nunc suavis, *mali citrei* succus & odor, tristis olim & teter. *Assæ* autem, quam *fœtidam* vocamus, odor priscis jucundus fuerit, quod pluribus in *citrea* & *silphio* Salmasius ostendit, & aliis exemplis confirmari posset. Facultates quoque simplicium medicamentorum quas hodie obtinent, si quis ad ejusmodi comparationem velit expendere, fortasse non easdem usquequaque reperiet, quibus olim prædita censebantur; cum multa a prioribus medicis commendata, posteriores usu edocti respuerint; sive ea mutatio cæli & regionum diversitati, mutatisve hominum temperamentis & victus rationi tribuenda sit; sive, ut in morbis, sic in remediis, nova quædam molienti Naturæ. Quin etiam fieri potest ut plures plantæ priscis cognitæ hodiè frustra quærantur a Botanicis, quia earum nihil præter nomen superest in libris, ipsæ in rerum naturâ perierint: quamvis id absurdum videatur illis, qui rerum species æternas esse volunt, & sapientissimi rerum conditoris providentiæ minime consentaneum, qui mirabili artificio, cuncta quæ creavit, iis instruxit omnibus, quibus se & genus suum tuerentur & conservarent. Verum hæc sententia probabili tantum rationi innititur. Neque enim prohibet quidquam, quo minus quædam rerum species conditæ sint ad certam usque temporis metam permansuræ, donec a causis aliquibus externis destruantur: nec si quæpiam animalium genera funditus ubique terrarum deleta essent ab hominibus, quomodo leonum genus defecit in Europâ, teste Dione Chrystomo; luporum in Britanniâ; Idcirco minus suspicienda foret summi artificis in fabricandis ejusmodi animalibus sapientia. Sed hæc Philosophis disquirenda relinquantur. Quibus, qui nullius in verba addicti, rerum naturam consulunt, Historiamque naturalem, omnium gentium & omnis ævi experimentis locupletare student, hunc librum præcipue commendatum esse cupio. Unde hoc illis præter cætera commodi accedet; ut perspectis veterum, & inprimis Plinii, erratis & oscitantiâ, recentiorumque credulitate, summa cautione & diligentiâ in laudatissimis ceptis perficiendis versari pergant. Cæteris vero, qui humaniores litteras tractant, Philologis, Antiquariis, linguarumque studiosis quid referam? quam multa legentibus occursura sint scitu utilia & jucunda, quibus in suis quique studiis proficiant, multa quibus adjuvari queat, si quis Historiam translationis plantarum scribere velit, non minus utilem Philosophis futuram, quam jucundam Philologis, quam a quoquam scriptam nondum comperi, cum tamen in multis regionibus, vites, fruges, permultasque alias herbas & arbores adventitias esse constet, nec pauciores plantarum, quam gentium transmigrationes: quam multi ritus antiqui, multarum vocum incompertæ prius etymologiæ. Plurima item variorum omnis generis scriptorum loca emendata, aut explicata & illustrata, aut etiam è Manuscriptis Codicibus eque Bibliothecarum forulis, ad communem usum litteratorum producta. Horum unum Dicæarchi in Fragmento ἀνεκδότοις *de Monte Pelio*, quia insignem utilitatem continet, & Græcè solum citatur a SALMASIO in *Ligno Colubrino*, & in ejusdem autographo transpositione aliquot vocum laborat; hic etiam Latine, sublatâ transpositione emendatum, referendum censui. Γίνεται δὲ ἐν αὐτῷ καὶ βοτάνη ἐν τοῖς χερσώδεσι μάλιστα χωρίοις, καὶ ῥίζα δένδρου, ἥ τις τῶν ὄφεων δήγματα ἰᾶται, τοὺς μὲν ἐκ τῆς χώρας, ἐν ᾗ πέφυκε μακρὰν ἀπελαυνῇ, τοὺς δὲ ἐγγίσαντας ἀργεῖοι κάρον ἐπιχέασα, τοὺς δὲ ἀψαμένους αὐτῆς ἀναιρεῖ; τῇ ὄσμῃ τοιαύτην τὴν δύναμιν δοκεῖν ἔχειν ἐπικίνδυνα, τοῖς δὲ ἀνθρώποις ἡδεῖα καταφαίνεται. τῇ τοῦ θύμου γὰρ ἀνθοῦντος ἡ ὀσμὴ παραπλήσια. τοὺς δὲ δηχθέντας ὑφ' ὁποτοῦν ὄφεως ἐν οἴνῳ δοθεῖσα ὑγιάζει. *Nascitur autem in ipso* (Pelio) *& herba in locis maxime incultis, & radix arboris quæ serpentium morsibus medetur; hos quidem a regione, in qua oritur, procul abigit, qui accesserint torpore infuso alligat, qui autem ipsam tetigerint occidit; talem vim odore habere videri potest;*

homini-

hominibus autem suavis videtur, thymi enim florentis odorem refert, ictos autem a quocunque serpente sanat in vino præbita.

Mira hæc & salutifera potestas non difficilis creditu, si vera sunt quæ de fraxino scripsit Plinius libro XVI capite XIII. *Folia earum contra serpentes succo expresso ad potum & imposita ulceribus opifera ac nihil æquè reperiuntur. Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras, cum sunt longissimæa, serpens attingat. Experti prodimus, si fronde ea claudatur ignis & serpens, in ignem potius quam in fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, priusquam hæ prodeant florere fraxinum,* nec ante conditas *folia dimittere.* Quæ Plinio prodente & experto nostri auctores referunt & vulgo ut certa narrantur, haud scio tamen, an experimento recentiore comprobata. Certè Dioscorides eadem habet de succo foliorum fraxini expresso ad potum, de cæteris tacet. De herbâ vero & radice, quæ in monte Pelio, aliisque salutaribus plantis, quarum ferax esse ab eodem Dicæarcho perhibetur; perviâ nunc victricibus Venetorum armis Græciâ, nostris medicis inquirendi & experiendi facultas erit.

Tot perspectis utilitatibus, quæ ab hoc libro proventuræ essent, nos ad ejus editionem promovendam & adjuvandam impulit communis boni studium, tum etiam privati officii ratio. Cum enim ad me pervenisset testamento Præstantissimi juvenis CLAUDII SALMASII, auctoris Filii, quo Virum Clarissimum D. de la MARE, meque honoris & amicitiæ causâ libris suis donatos voluit; id mihi negotii incumbere censui, pro eo munere, proque eâ, quæ mihi cum ejus Fratre nobilissimo LUDOVICO SALMASIO intercedit, necessitudine, ut eorum parentis, quem pro summis virttiubus & incomparabili doctrinâ maximè semper colui, scripta quâ possem vindicarem ab interitu, & publica luce donari curarem. In quâ pridem versaretur hic commentarius, si nostri in Gallia typographi ullo pacto adduci potuissent ut Latina, nedum Græca aut Arabica prælo subjicerent. Tandem apud Batavos, eodem LUDOVICO SALMASIO sedulo procurante, typis excuditur. Quod ad me attinet, eum laborem suscepi longum sanè & operosum, sine quo nulla unquam editio, aut omnino incondita, futura fuisset, ut folia Sibyllæ colligerem, hoc est, ut sparsa nullo ordine & disjecta volumina (in quibus auctor, more veterum, non ut nos, expansâ chartâ scribere solitus erat) in eam seriem digererem, quæ aptissima, & ipsius proposito maximè convenire visa est: nec tamen præstare ausim, eundem me in omnibus, quo SALMASIUS scripsit, ordinem esse assecutum. A quo si forte in paucis quibusdam aberravero non admodum in re herbariâ versatus, haud magni referre arbitror; cum ipse in *myrobalano* scripserit, *nullum in his sequimur ordinem*, & eorum quæ hic tractantur ea natura sit, ut posteriora minime a prioribus pendeant. Cæterum in reliquis ejusdem sive operibus sive operum fragmentis, quæ penes nos sunt, recensendis, & ut edi possint parandis, eandem operam & diligentiam, quantumvis interpellantibus aliis curis & negotiis, impendere constitui; nihil ab instituto meo alienum putans, quo & amicos demereri queam, & eruditos bonarumque artium cupidos juvare, & qui potissimus studii litterarii fructus est, humanis commodis conusulere.

CLAU-

CLAUDII SALMASII PROLEGOMENA IN LIBRUM DE HOMONYMIS HYLES IATRICÆ.



QUI primi nomina in Græcia plantis impoſuerunt, ut non una eademque ætate hoc ab illis factum (nec enim omnes ſimul in hominum notitiam pervenêre) ſic non unam eamdemque rationem in illis denominandis ſequuti ſunt. Nec enim omnes plantæ, exempli gratiâ, à proprietate ac facultate ſua naturali appellationem ſortitæ ſunt. Sed nec omnes à loco, unde primum allatæ ſunt, nominatas conſtat. Quid etiam apertius, quam omnibus pariter haud fuiſſe inditum nomen à figura folii, floris, ſeminis, nec etiam ab odore aut colore horum trium? Certè nunc hoc, nunc illud in illis nomine ſuo ſignandis obſervarunt, qui primitus eas invenerunt, cum & pleriſque nomen inventoris ſui hæſerit. Quædam à loco, ubi primum repertæ ſunt, nomen acceperunt, ut Λύκιον, Μήδιον, Σκυθίον, Περσίον, Περσικὸν, Ἰδαία ῥίζα, ῥίζα Ῥοδία. Aliæ à loco, ubi naſci gaudent, ut λειμώνη, κηπαία, ποταμογείτων, ὀρείγανον. Nonnullæ ab odore ut μυῤῥὶς, λιβανωτὶς, ἡδύοσμον. Sunt, quibus nomen aſſignavit foliorum figura, ut βούγλωσσον, ξιφίον, πλατύφυλλον, ἵπουρις, πτερὶς, μυὸς ὠτίς. Aliis hoc dedit numerus foliorum, ut τρίφυλλον, πεντάφυλλον, χιλιόφυλλον, μυριόφυλλον. Multæ etiam à colore floris vocatæ, ut λυχνὶς, λευκάνθεμον, χρυσοκόμη. Una à varietate colorum, ut ἶρις. A ſeminum forma, λογχῖτις, ἔχιον. A colore ſeminis μελάνθιον. A duritie λιθόσπερμον. A ſucco viſcoſo ἰξίας vel ἰξίνη. A ſucci ſapore γλυκύῤῥιζα. A tempore, quo prodire incipit, χελιδόνιον, quia cum hirundinibus apparet, cum his abeuntibus deficit. Ab uſu, quem tincturæ præſtant, nonnullæ dictæ ſunt, ut ἐρυθρόδανον & κόκκος βαφικός. Plures verò ab uſu, quem habent in medicina, variis morbis aut leniendis, aut curandis, βήχιον, ἄσπληνον, ἀριστολοχία. Ab omnimoda medela, πανάκεια. Quædam, quod appetantur certis animalibus, ab iiſdem nuncupatæ ſunt, ut μελισσόφυλλον & ἐλαφόβοσκον. Quæ ab inventoribus ſuis appellationem induerunt, plures eæ numero ſunt, ut Λυσιμαχία, Γεντιανὴ, Ἀχίλλειος σιδηρῖτις, Τηλέφιον, Εὐφόρβιον, & aliæ, quæ nunc non ſuccurrunt. Longe verò major eſt earum copia, de quibus non conſtat, quare ita appellatæ ſint, propterea quod ab imperitis aut ruſticis ea nomina primum excogitata ſunt, ac nulla ratione data, quæ eruditi Herbarii nihiloſecius retinuerunt. Multa præterea, ut ſolet fieri, temerè ac fortuitò indita. Quorundam, ac fortaſſe plurium imponendorum certam fuiſſe auctoribus ſuis rationem non negaverim, ſed nobis prorſus incompertam, vel quod antiquiſſimis Græciæ temporibus, cum alia lingua uterentur, impoſita ſint, vel quod dialecto ſolis illis populis peculiari, apud quos naſcerentur ipſæ plantæ, concepta fuerint earum nomina. Quod non ſolum in plantarum appellationibus, ſed etiam animalium uſu venit, ut alias eas uſurpaverit vetus Græcia, alias recens. Πόρκον antiqui Græci dixerunt, teſte Varrone, quem recentiores χοῖρον. Item λέπορις Æolibus appellatus vetuſtioribus, qui λαγωὸς poſtea dictus. Quam multa porrò extant in ſcriptis Hippocratis herbarum nomina, in quibus explicandis laborarunt antiqui γλωσσογράφοι ac medici, & fruſtra quidem laborarunt? Non hodie atque heri diſputant, utrum ἐλοκωνῖτις, an ὀροκωνῖτις apud eum legendum ſit, & quod genus ſit herbæ. De cammaro ſimiliter non inter ſe conveniunt antiqui ejus interpretes, utrum de aconito, an cicuta intelligi debeat; vel alio quo ultra modum refrigerante medicamento. Etſi verò in multis, quid velit, intelligatur, certum tamen eſt, ea legi apud illum nomina herbarum, quæ penitus ab uſu receſſerant, quo tempore ad eum commentarios, aut gloſſarum expoſitiones ſcribebat Galenus. Ut cum ἑχέτρωσιν vocat quæ Galeni ætate dicebatur λευκὴ βρυωνία. Sic βοάνθεμον illi eſt, quæ Græcis poſterioribus βουφθάλμου nomine venit. Et διδύμη ῥίζα, gemina radix, quam ὄρχιν, aut κυνόσορχιν Neoterici appellarunt. Certè & δίδυμοι Græcis appellati teſticuli. Atque inde διδύμη radix illa Hippocrati dicta. Sic idem σικύωνην indigetat, quæ aliis ἀγρία κολοκύνθη, vel unico nomine κολοκυνθίς. Neſciretur hodie, quid appellet ἔκτομον, niſi veteres Gloſſographi nigrum elleborum ita ab eo vocari docerent. Quid intellexerit nomine Ἰνδικοῦ, dubitarunt olim doctiſſimi ejus interpretes ac Medici, dum alii zingiber, alii radicem piperis, quidam etiam peculiarem plantam Indiæ putant, cujus fructus vocaretur μυρτίδανον, piperi ſimile. Quod κάχρυν nuncupet, quæ ſequenti Græciæ ævo dicta eſt λιβανωτὶς, divinandum eſſet nobis, niſi veteres indicaſſent. Non eſt minus obſcurus, cum λευκὴν ῥίζαν appellat dracontii radicem. Alia omitto plurima, ne longior ſim in re non nimium difficili.

ficili. Quæ res πολυωνυμίαν ac συνωνυμίαν plantarum peperit, non solum veteribus, sed etiam nostris Herbariis sæpe inextricabilem. Horum συνωνύμων triplex differentia est. Aut enim uno eodemque sæculo, variæ civitates eadem lingua usæ, unam eamdemque plantam variè vocitarunt: Aut diversa sæcula ejusdem plantæ diversas habuere appellationes: Aut gentes lingua differentes, suo quæque idiomate aliquam plantam insignivit. Sic ἰσάτις Græcis est, Latinis *vitrum*, Gallis *glastum*, & Arabibus *nil*, una eademque herba, qua cæruleus color tingebatur, quam hodie *guadum* dicimus. Secundæ differentiæ exempla supra habuimus, cum Hippocratis Glossas excuteremus. Primæ etiam plurima dari possunt exempla, sed unum aut alterum sufficiet. Græci cæteri πήγανον vocabant, quam majoris Græciæ incolæ ac Siculi dixere ῥύτην. Inde Romanorum *ruta*. Iidem Græci Siculi κονίλην appellarunt, quæ reliquis Græciæ populis ὀρίγανος. Trina hæc Synonymorum ratio Plinio præcipuè occasionem præbuit in quamplurimis errandi, ex inscitia nimirum rerum ipsarum, ac differentiæ vocabulorum, quibus eas Græciæ diversi populi, aut Græci Latinique scriptores, aut etiam prisci ac recentiores expresserunt. Hinc enim sæpe factum, ut eamdem herbam, ex Græci ac Latini vocabuli diversitate, putaverit quoque diversam, & seorsim utramque retulerit. Hyacinthum & vaccinium veluti diversas herbas recenset, cum certum sit vaccinium vocasse Latinos, qui Græcis est ὑάκινθος, & deminutivâ formâ ὑακίνθιον. Æoles porro scribebant ϝακίνθιον & ϝακίννιον. Nam litteram Υ per ϝ efferebant, ut φϝσα & φϝς pro φὺς & φῦσα, θϝγάτηρ pro θυγάτηρ, & similia. Præterea Grammatici veteres consentiunt, vaccinium esse hyacinthum; atque ita Virgilius reddidit ὑάκινθον Theocriti. Ebulum Latinorum, & χαμαιάκτην Græcorum eamdem esse, neminem latet: Plinius, quasi aliæ essent, diversis locis eas reddidit. Æram & lolium quoque diversis, cum satis liqueat αἴραν Græcè dici, quod Latinè lolium. *Cunilam bubulam* Romani appellarunt, quam Græci ὀρίγανον. Plinius ipse non uno loco ita vertit, ut in symphyti petræi descriptione lib. XXVII. cap. VI. *Alum nos vocamus, Græci symphyton petræum, simile cunilæ bubulæ.* In Græco est, ὅμοιον ὀριγάνῳ. Item lib. XXVI. cap. VII. *Halus, quam Galli sic vocant, Veneti cotoneam, similis est cunilæ bubulæ, cacuminibus thymo.* Vide ἀβλεψίαν. *Halus* ea Gallorum similis cunilæ bubulæ, cacuminibus thymo, idem prorsus cum illo *alo* Romano, quod pariter simile esse tradidit cunilæ bubulæ, & cacumina thymi habere. Hoc symphytum est petræum, quod Gallis *halum* quoque nominatum meminit Marcellinus cap. XXXIII. *Symphyti radix, quæ herba Gallicè halus vocatur.* Sed & de hoc paulo post. Alterum ab altera divisit aspiratione & genere. Nam in indice de posteriore sic habetur: *Halus sive cotonea.* De priore sic, *alum quod symphyton petræum.* Atqui utraque eadem, ut ex descriptione & facultate constat. Cunilam quoque bubulam perperam ab origano sejunxit lib. XX. & divisis capitibus de utraque tractavit. Colocasiam *& fabam Ægyptiam* separatis quoque libris, tanquam hæc illa non esset, commemoravit. An non pari halucinatione φῦκος θαλάσσιον Theophrasti, cujus nomen aliam linguam non habere autumat, diversum facit à *fuco marino* vel *alga marina* Dioscoridis? Sic locis diversis Scythicam herbam & glycyrrhizam veluti duas differentes herbas posuit. Atqui isto nomine recentioribus nota fuit, ut Dioscoridi: illo antiquioribus ut Theophrasto. *Phœniceam herbam* Græcis vocari ait lib. XXII. cap. XXV. quæ Romanis diceretur *hordeum murinum*. Hæc est φοῖνιξ Dioscoridis à puniceo spicæ colore sic appellata. Facile ignosco Plinio, quod nesciverit, eam esse antiquiorum Græcorum ἀγχύνωπα, & quod hujus ἀγχύνωπος mentionem ex Theophrasto habeat, ignarus eandem cum Phœnicea alibi ab ipso relata. Sed corruptum hujus nomen apud Theophrastum lib. VII. cap. VIII. οἷον ἀφάκη καὶ τὸ τοῦ κύνωπος, legendum ἀχύνωψ vel ἀγχύνωψ. Ita enim vocatur in veteri codice. Similiter corrigendum in Plinio lib. XXI. cap. XV. *& æquinoctio nascens aphace, anchynops.* In indice habetur: *apace acynopos.* Volebam aliquando *echinopus*. Sed propius ad veritatem *achynops* vel *anchynops*. Dioscorides in vetustissimo codice: φοῖνιξ, οἱ δὲ ἐξὸν, οἱ δὲ ἀγχύνωπα καλοῦσι. Atque ita etiam apud Neophytum scribitur, qui notat Græcos vulgari lingua ἐρυθρόσταχυον vocare, id est, russam sive puniceam spicam. Dixere & φοινικόπτερον. De ea capienda hæc Hesychii verba, φοινικὶς εἶδος ἀνεμώνης ἢ πόα τις. Videamus alia. Ixias, chamæleon albus Dioscoridi indigetatur, quod in quibusdam regionibus viscum circa radices funderet. Hoc viscum pro mastiche mulieres usurpabant, ad oris suaveolentiam commendandam. Theophrastus ἀκάνθαν ἰξίνην, vocavit hunc carduum. Idem quippe est χαμαιλέων ἰξίας, & ἀκάνθη ἰξίνη. Plinius hæc pro diversis habuit, & *helxinen* pro *ixine* substituit, cum illam *ixinen* ignoraret. Alio item loco herbam quamdam recenset ab utraque quasi diversam, radice folia emittentem & carduum similem malo, de qua incisa lachrima erumpat tam similis mastichæ, ut discerni non queat. Atqui hæc herba, quæ mastichen dat, prorsus eadem est cum ἰξίνῃ ἀκάνθῃ Theophrasti, & cum chamæleonte ixia Dioscoridis. Sic Σκυθικὴν ῥίζαν Theophrasti diversam facit à glycyrrhiza recentium Græcorum, cum eadem prorsus res sit, non uno nomine nota. Hæc planè omnia συνώνυμα sunt, quæ & πολυώνυμα vocari Grammatici ostendunt, quod ut ipsi definiunt pluribus loquelis una res significetur. De his nos alio tractatu. Nunc de Homonymis nobis agendum est, quæ contraria ratione, ac συνώνυμα dicuntur. Hæc enim locum habent, cum res diversæ una loquela signantur. Inter eas porro labes ac vitia, quibus obnoxium se in magno opere magnus præbuit Plinius, quæ genere numeroque pæne infinita sunt, frequentiora nulla occurrunt, quam ex ὁμωνυμίᾳ nata sunt. Quod erroris genus plerosque etiam transversos abstulit hodiernorum Herbariorum. Sed in Plinio id nunc animadvertendum. Ut autem antea docebamus, res easdem cum diversis notatas vocabulis, idcirco diversas etiam credidisse, ita è contra res quamplurimas toto genere invicem distantes iisdem signatas nominibus easdem passim habet traditque. Quod in aliis fecimus, etiam heic faciemus, ut quo clarius id fit, pauculis subjectis exemplis hanc commissorum speciem atque indolem demonstremus. Ἀδάμαντα Græci vocarunt spumam auri, quam expuit, dum excoquitur, ἄνθος χρυσοῦ alii dixere. Ea quod ex auro argentoque plurimo mixta sit, Electri colorem habet, & secundum quosdam ipsissimum Electrum, magnitudine interdum cucumeris

meris seminis nec dispari colore, interdum & milii grano non majore. Adamas etiam gemma notissima. Plinius ex illo adamante, qui flos est, & spumâ auri pretiosissimum genus adamantis gemmæ condidit, in auri tantum metallis inveniundæ, quique non amplior sit cucumeris semine, nec colore dissimilis. Aliud genus in Arabia reperiri milii magnitudine, eoque κέγχρον appellatum. In quo animadvertenda summa absurditas in sensus communis capacem vix casura, ut adamas pretiosissimus & in summa olim dignitate habitus, grano milii non fuerit amplior, & colorem habuerit cucumeris seminis, quod ὠχρόλευκον esse constat, id est, luteum albo dilutissimum. Κυανὸς gemma est ex genere ut quidam olim rati sunt, sapphirorum. Κυανὸς item pigmentum, quod Latini *cærulum* dixerunt. Arena ea est cærulei coloris, partim nativa, partim factiva ex invento cujusdam Regis Ægyptiorum. Plinius gemmam cum pigmento confudit, & quæ hujus sunt propria, transcripsit illi. *Lydium lapidem* dici quo probatur aurum, à nemine ignoratur. Lydius etiam lapis dicebatur Magnes, qui ferrum trahit. Hic *Heraclius* proprie appellatus. Inde Plinius Lydium illum lapidem, quo auri probatio fit, Heraclium etiam cognominatum tradit, quod est cognomen Lydii lapidis Magnetis. βούπρηστις genus est animalculi cantharidi similis, quod si forte comederit bos, inflatur protinus & moritur, atque inde nomen. Βούπρηστις etiam oleris species, Hesychius βούπρηστις, λαχάνου εἶδος. Sic dictum hoc olus, non quod boves eo inflentur, sed quasi magna πρῆσις, quod nomen etiam oportet esse oleris nescio qua de causa sic appellati. Ita βουλάπαθον magnum lapathum; & βουσέλινον, magnum apium; & βούσυκα, grandiores ficus. Plinius non diversarum rerum putavit unum hoc esse nomen, sed Græcorum inconstantiam demiratur, qui βούπρηστιν nunc pro cibo laudent, nunc tanquam venenum describant. lib. XXII. cap. XXII. *Buprestim magna inconstantia Græci in laudibus ciborum etiam habuere, iidemque remedia tanquam contra venenum prodiderunt. Et ipsum nomen indicio est, boum certè venenum esse, quos dissilire degustatâ fatentur.* Miranda hic potius Plinii incogitantia, qui Græcorum in hoc nomine inconstantiam exagitat. Buprestis, quæ venenum est boum, longe diversa ab ea bupresti, quam in cibos receperunt Græci. Hoc olus est, illud animal venenatum. Cum igitur remedia produnt, tanquam contra venenum, de animali intelligunt; cum vero in cibis commendant, de herba vel olere accipiunt. Idem quidem nomen est, sed non eadem res, nec idem fortasse nominis Etymum. Et clare utramque buprestim iidem Græci distinguunt, quorum sunt hæc verba: Βούπρηστις ποτὲ ζῶον τι τῇ κανθαρίδι ὅμοιον, ἔτι δὲ καὶ λάχανον ἄγριον. Interdum non tantum, quæ ὁμώνυμα vere sunt, confundit, sed etiam in quibus modo est aliqua nominis similitudo, aut quæ solo accentu differunt. Sic ἀδίαντον herbam esse topiariam tradidit, cum ἄκανθον cogitaret. Ἑλξίνην herbam eandem cum ἰξίνῃ Theophrasti statuit. Et alia hujusmodi infinita. Τὸ ἅλιμον *halimum*, quod est olus salsum, idem cum *alimo* facit, qui famis sedandæ habet significationem. In quo sola est accentus differentia. Ubi de halimo tractat, asphodelon ab Hesiodo *alimon* id est, ἄλιμον, appellari quosdam existimasse refert, idque falsum arbitrari ait; esse enim halimon, suo nomine, non parvi & ipsum inter auctores erroris. Sic τὸ ἅλιμον quæ herba est sui nominis ac generis, putavit eamdem cum τῷ ἀλίμῳ Hesiodi, quo nomine constat veteres appellasse asphodelon, quod adversus famem valeret. Ἄλιμος proprie compositio est adversus famem faciens. Ex malva & asphodelo talem ἄλιμον compositam habuisse Epimenidem Cretensem asserit Plato in legibus, quæ ipsum à fame & siti diu vindicaret. Sed & ipsa asphodelus ἄλιμος propterea appellata, ut scimus Hesychii doctissimi Grammatici testimonio. Τὸ πόλιον, & τὸ πολιὸν solo accentu distant quod ad nomen attinet, cæterum genere ipso in totum differunt. Τὸ πολιὸν cum accentu in ultima, à cana corymborum sive capitellorum, quæ in summo habet, capillatura dictum est. At πόλιον, cujus prima acuitur, idem ac τριπόλιον, sic appellatum, quod floris colorem ter in die verset. Plinius utrumque *polium* appellat, & quæ alterius sunt propria, in alterum transfert. *Tiniariam* Latini vocarunt, ut ex Scribonio Largo discimus, id genus polii quod à canitie appellatum est. cap. XX. *Ad sanguinis eruptionem prodest & herba, quam Græci πολιὸν, vocant, nos, ut opinor, tiniariam.* Hoc non affirmat, sed opinari se dicit. Apud Neophytum, Apulejum, Auctuarium Dioscoridis non reperio Latinè sic vocatam. Causa tamen nominis in aperto, quod tineas necaret vestibus interpositum. De polio id narrat Theophrastus: τοῦτο δὲ καὶ πρὸς σῆτας τὰς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν. Glossæ: *Tinia*, σής. Inde *Tiniaria herba* τὸ πολιόν. Interponi vestibus solitum tradit idem Plinius, ut & saliuncam lib. XXI. cap. VII. mox subjungit, *folia ejus mane candida, meridie purpurea, sole occidente cærulea aspici.* Quæ ad polion pertinent, quod ἀπὸ τοῦ πολεῖν habet nomen, & τριπόλιον vel τρισπόλιον etiam dicitur, ut Hesychio. Addit statim ibidem: *folia canis hominis similia, à radice protinus nunquam palmo altiora.* Hæc alterius polii propria, non tripolii. Sed & illud falsum, folia habere canis hominis similia, à radice protinus. Capitula in summo habet cum capillatura canis hominis simili. Non folia ipsa herbæ talia. Quæ major potest aut imperitiæ propior reperiri hallucinatio, quam qua malum punicum cum papavere rhæade confusum exhibet. Quia enim malum Punicum ῥοιὰ dicitur & μήκων ῥοιάς, ex utroque monstrum confinxit noster Punici silvestris, cujus radicis cortices rubri, denarii pondere poti somnos faciant. Lib. XXIII. cap. V. *Est & silvestre Punicum, à similitudine appellatum. Ejus radices rubro cortice, denarii pondere, ex vino potæ somnos faciunt. Semine poto. aqua quæ subierit cutem, siccatur. Mali punici corticis fumo culices fugantur.* Papaver erraticum dicitur Græcis μήκων ῥοιάς. Nam τὴν μήκωνα illi plerumque isto genere enunciant. Unde & ῥοιὰς μήκων. Plinius papaver *rhæan* perperam appellavit quasi ὁ ῥοιὰς diceretur. Inde & cum ῥοιᾷ, quæ Punicum malum significat, errore nominum idem statuit. Est ἀγρία ῥοιὰ malum Punicum silvestre. Est & ἀγρία μήκων quæ & ῥοιάς. quæ Plinio *rhœa* etiam vocatur. Hinc illæ lacrimæ. Ita etiam in aliis passim solet perpetuo more. Neotericorum porro errata ex ὁμωνύμων confusione orta, hoc opere passim castigamus. In quo notabit lector à nobis in classem Homonymorum etiam referri aliquando, quæ sub eodem nomine veteres ac recentiores aliter retulerunt, etiamsi revera ὁμώνυμα non sint, Sed descriptio parum accurata ab his aut illis tradita, ὁμώνυμα eà plane facit videri. Quo in genere sæpe coacti sumus veterum interdum, immo & recentiorum non rarò, præcipue Arabum negligentiam incusare. Quis non diceret Euphorbium, quo hodie utuntur, ex alia planta capi quam quæ olim eam tulit appellationem. Res insignis est. Euphorbium Dioscorides esse succum δένδρου ναρθηκώδους, arboris speciem

ſpeciem ferulæ habentis. Plinius ſimiliter ex noſtra emendatione, *ſpecie thyrſi*, hoc eſt, ναρθηκος eſſe dicit, ſed herbam vocat, non δένδρον. Præterea folia habere acanthina: *ſpecie thyrſi, foliis acanthinis*. Quo ſenſu vocet *acanthina*, neſcio. Si ſpinis horrida intellexit, Latino vocabulo id exprimendum fuit. Non enim *acanthinum* dicunt pro ſpinoſo. Folia acanthi ſive topiarii ſive agreſtis poſſunt deſignare Latinè, nec aliud poſſunt. Dioſcoridem de foliis tacuiſſe miror. Ambos tamen ab eodem fonte hauſiſſe conſtat. Jubæ volumen extabat de Euphorbio. Idem invenerat eam in monte Atlante. Cui potius credendum de hac herba quam Jubæ inventori ejus? Ab illo, ut veriſimile eſt, tam Dioſcorides quam Plinius accepit. Unde igitur illa primum diverſitas, ut alter herbam faciat, alter arborem: folia acanthina hic illi tribuat, ille de his nihil dicat? Sed hæc parva ſunt præ his, quæ ſequuntur. Jubam Mauritaniæ Regem optime cognitam perſpectamque hujus herbæ faciem ac naturam habuiſſe, pluſquam credibile eſt, utpote in regno ſuo naſcentis, & quam invenerit ipſe. Sed Mauritano opponemus Mauritanum, antiquo neotericum, ut vetuſtatem deſtruat novitas, vel hanc illa. Is eſt Johannes Leo Africanus, qui de Euphorbii plantæ facie longe alias narrat hiſtorias. Silveſtris cardui ſimilem eſſe ſcribit, ſpinoſam totam: fructum inter folia gignere cucumeribus ſimilem. Protinus tamen addit, fructum ex radice ſtatim prodire caulis inſtar, & aliis ſimilibus ad latus enatis propagari uſque ad vicenos aut vicenos quinos numero. Ergo fructus illi pro caule eſt oblongus, & cucumeri ſimilis. Atqui paulo ante dixerat, inter folia fructum gerere, hic ait è terra ipſa exire protinus & habere inſtar caulis, qui alios ſimiles caules à lateribus ſubinde producit quamplures. Ubi maturuerint illi fructus, ferro aperiri, & lacteum humorem manare, qui utribus conditur. Si vera eſt illa Euphorbii effigies, quam Dodonæus & Lobelius propoſuere, multa habet cum hac deſcriptione ſimilia, quæ partim eam adſtruunt, partim deſtruunt, ſed quod mirabile eſt in hac varietate, patrocinium ſibi ad veritatem invicem commodent. Quod Leo Africanus habet pro fructu, folium eſt. E radice erectum naſcitur, oblongum, craſſum, tereti ac rotunda figura, ſed anguloſa, cucumeris facie, ad ſingulos angulos duplici ſpinarum ordine rigente ab imo ad ſummum. Ex his foliis ferro inciſis liquor defluit lactis in morem, qui facile concreſcit, acerrimæ mordacitatis. Folia ejuſmodi terræ mandata radicem agunt ſicut opuntiæ herbæ, & ſic naſcitur planta. Præter folia fructum etiam gignere dicitur in trifido folliculo trinis conjunctum loculamentis. Hunc fructum confudit Leo cum ipſo folio, quod & ipſum veluti inſtar fructus obtinet, quia rotundum eſt, cucumeris effigie. Hæc vera deſcriptio Euphorbii plantæ. Nec aliam fuiſſe auſim dicere, quam Juba reperit. Sed ſpecta negligentiam veterum auctorum. Aut Juba ipſe in culpa eſt, qui parum diligenter eam herbam poſteris tradidit: aut incuſandi qui ab eo acceperunt, quæ exactè ille exequutus fuerat, non pari fidelitate & cura referentes. Euphorbium ναρθηκοειδὲς eſſe δένδρον, non puto, ſcripſerat Juba. Sed folium ipſum, quod pro thyrſo eſt & caule, intus fortaſſe ferulaceum, hoc eſt, inane & concavum inſtar ferulæ vel arundinis. Totum denique ſpinis riget & aculeis duplici ſerie per ſingulos angulos horrentibus. Quod male acanthinum Plinius reddidit, cum ἀκάνθινον Græcè dixiſſet Juba pro ἀκανθῶδες, id eſt, ſpinoſum. Nunc aliud occurrit, de quo monere dignum duximus circa hanc eandem herbam. Inventionem ejus omnes tribuunt Jubæ Regi, quem & illi hanc appellationem volunt indidiſſe de ſui medici nomine, fratris Muſæ, qui medicus Auguſti. *Euphorbus* itaque illi medico nomen fuerit, quod eſt Græcum proprium Ἔυφορβος, à quo Ἐυφόρβιον. Plinio *Euphorbia herba* dicitur. *Euphorbium* illum medicum quidam perperam vocant. Sed majus eſt, quod heic inferam. Ἐυφόρβης ἀκάνθης mentionem invenio apud auctorem longè, quam Juba eſt, antiquiorem. Non paucis ſane ſæculis illum anteceſſit Meleager, æqualis Menippi Cynici, qui in poëmate inſcripto Στέφανος, in quo poëtas antiquiſſimos, ex quibus collectionem Epigrammatum compilavit, ſingulis floribus ſingulos comparat; is, inquam, Ἐυφόρβης ἀκάνθης meminit eo verſu, quo Archilochi poëmata Euphorbio videtur comparare.

Ἐν δὲ καὶ Ἐυφόρβης σκολιότριχος ἄνθος ἀκάνθης,
Ἀρχιλόχου σμικρὰς ςράγγας ἀπ' ὠκεανοῦ.

Ita liber antiquiſſimus legit. Quam tamen lectionem alibi inquietare ſum conatus, quia non videretur ejus temporis Euphorbium, quo Meleager vixit, ſiquidem hoc nomen accepit ab Euphorbo Jubæ medico. Sed nunc ægre aliter ſenſerim quam non de Euphorbio accipiendum, ut priſca ſcriptura maneat in ſua ſede. Ἐυφόρβη ἀκάνθη ſpina eſt Euphorbii. Quam bene hæc interpretatio conſtet, quæ ſuperius notavimus, arguunt. Cæterum quid Euphorbium, dixeris, ad coronas? Alias ibi ſpecies externas numerat, quæ parum coronis idoneæ, ſed aptæ ad genium poëtarum exprimendum, quos ſuæ coronæ intexuit. Præcedenti diſticho Anacreontis poëmatum ſuavitatem cum nectare in æquo ponit:

Ἐν δ' ἄρ' Ἀνακρείοντα τὸ μὲν γλυκὺ κεῖνο μέλισμα
Νέκταρος, εἰς δ' ἐλέγους ἄσπορον ἀνθέμιον.

Melica ejus poëmata nectar eſſe dicit. Sic jucundum canticum Phanodemus μύρον vocat, τὸ γλυκὺ μέλος. Item in Græco Epigrammate, νέκταρ ἀειδόμενον de jucundo carmine quod cantetur. Quæ omnia aſſerunt veterem in Perſio lectionem.

Cantare credas Pegaſeium nectar.

Pro quo hodie contra legem verſus & ſyllabæ modulum, legunt ac defendunt, *Pegaſeium melos*. Sed hæc obiter. Ut nectari comparat ſuaviſſima Anacreontis mele, ita contra virulenta & mordacia Archilochi carmina Euphorbio exæquat, ſpinoſæ plantæ & ſuccum fundentis mordaciſſimâ acrimoniâ. Eodem fortaſſe ſpectant & ςράγγες, quia ſtillatim fluit ille liquor; & ἀπ' ὠκεανοῦ, quod in Atlante prope oceanum hæc herba legi ſuccuſque ex ea colligi ſoleret. Sic alios ex poëtis, quibus

quibus coronam Epigrammatum contexuit, nardo, alios myrrhæ, alios ſchoeno Aromatico adſimilat. Archilochum igitur Euphorbio vel Euphorbæ ſpinæ, quam & σκολιότειχα vocat. Et certe ſpinæ in Euphorbio incurvæ apparent. Εὐφόρβη autem ipſa planta potius dicenda ſicut eſt apud Meleagrum, Succus vero Εὐφόρβιον. Sic μήκων herba, μηκώνιον ſuccus. De ætate Meleagri non eſt dubitandum, quin aliquot ſæculis Jubam præceſſerit. De auctore poëmatis, quin Meleager ſit, nullus dubito. De veritate lectionis & explicatione, quam poſuimus, ambigi non poſſe cenſeo. Quæ cum ita ſe habeant, manifeſtum eſt, ea fidem derogare receptæ de Euphorbio perſuaſioni, quam veterum fundavit auctoritas, de inventore Juba & medici ſui nomine hanc herbam appellante. Hæc merito in magna me admiratione conſtituunt. Sed expertus tam multis rebus fidem veterum fallacem eſſe, plurimum remitto de illa pertinacia, qua quidvis illis credendum arbitrantur. Potuit fieri ut medico Jubæ, fratri Antonii Muſæ, Euphorbus nomen eſſet, idque etiam nomen multo ante fuerit Euphorbæ ſpinæ κατὰ συγκυρίαν quamdam, ut & in aliis fit. Cum ejus uſum Juba maximè celebraſſet, edito de ea volumine, non alienum eſt videri voluiſſe è ſe inventam & de nomine medici ſui nuncupatam. Mauritanum hæc vanitas non dedecet. Sic Themiſo medicus, quod uſum plantaginis præconio ſuo præcipuè commendaſſet, etiam edito libro tanquam ejus inventor videri voluit. Plinius: *celebravit & Themiſo medicus vulgarem herbam plantaginem tanquam inventor, volumine de ea edito.* Hoc idem Jubam circa Euphorbium feciſſe, non eſt ſupra fidem. Certe auctoritatem ejus magnopere elevat Democritus apud Athenæum lib. III. Εἰ δὲ τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ, χαιρέτω Λιβυκαῖσι βίβλοις, ἔτι δὲ ταῖς Ἄννωνος πλάναις. Græcis recentioribus ut & Arabibus φόρβιον dictum pro Euphorbium. Gloſſæ Nicomedis: Εὐφόρβιον, φόρβιον. Aliis etiam φόλβιον, vox non intellecta doctis in Hieracoſophio Demetrii, φολβίου, κεσου, σμύρνης. Item apud Georgium Logothetam in Chronico: καὶ φόλβιον ταῖς αἱμο...αις ἐνέβαλλον. Hæc & alia multa ad hunc modum examinata documento ſunt & viam ſternunt, qua pergendum ſit rectè rem ſibi procedere volentibus in herbarum inquiſitione, quæ hactenus quam plurimis tentata, paucis ſucceſſit, & auſim addere nemini. Pleroſque magno animo hoc propoſitum ingreſſos pro terriculamento objecta quaſi quoddam μορμολυκεῖον veneranda veterum auctoritas à recto itinere deflexit, dum ignavis aſſenſibus ſeducti verentur non credere, quidquid temerè tradidit antiquitas. Quam multos egit tranſverſos Plinius, qui nimia erga illum fiducia occupati, quæcumque dixit, totidem eſſe oracula, ſibi primum, deinde aliis perſuaſum voluere. Nos tam magna ejus, tam multa, & in rebus non parvi momenti peccata oſtendimus, ut pro diſciplina & præceptis haberi poſſint ad reliquos ejus cavendos errores, qui infiniti ſunt. Nulla fere eſt planta alicujus uſus in materia medica, aut inter doctos controverſiæ, cui diſcutiendæ operam non impenderim, nec eam ut ſpero inutilem. Multis etiam quaſi in tuto poſitis & quarum notitia dubia non videbatur, ſtatus controverſiam movimus ac de certis incerta reddidimus. Quam partem eſſe ſcientiæ non minimam eruditi fatentur, certo ſcire, te neſcire id, quod ignores. Si quis enim putet ſe tenere, quod non teneat, non putem ego aliquod genus ignorantiæ gravius aut expugnatu difficilius poſſe reperiri. Procliviores quippe ſumus omnes ad diſcendum quam ad dediſcendum. Sed totam hanc nobis curam, quæ ſpectat herbarum naturam, intra ſola ὁμώνυμα hoc opere conſiſtere volumus, tam ea quæ tempus invexit longo vetuſtatis abuſu, quam quæ ex vario diverſarum gentium ſermone nata ſunt. Hæc enim maximè cauſa præſtitit, ut Plinius noſter ſeſe in laqueos inextricabiles paſſim induerit, qui & poſteros parum caventes iiſdem vinculis impeditos attinuerunt. Hæc eadem ὁμωνύμων ratio, ut jam diximus ante, non recte nec quibus decuit diſtinctionibus proviſa, viros ſæculi hujus doctiſſimos pariter & antiquiores in fraudem induxit. Ad hæc porro diſcernenda & perite diſtinguenda quam mihi facultatem comparavi, non ex ulla herbariæ rei ſcientia, quam nec præ me fero, adhæſiſſe velim exiſtimari, ſed ex aliis præſidiis quæ conatus ſum acquirere, ſine quibus incaſſum huic labori incubuiſſe multos ſæpe ipſe cognoveram. Profecto ut meam ipſemet in his negotiis inſcientiam palam profitear, nec agros unquam pererravi, nec prata rimatus ſum, nec profunda vallium ſcrutatus, non collium denique clivos ereptavi, aut in montium prærupta eniſus ſum, ut naſcentes paſſim herbulas & radiculas eruerem, explorarem, coramque cernerem. Poſtremo nec in longinquas me penetravi regiones, eo ſolo ſtudio accenſus, ut ignotas noſtris ſtirpes atque inviſitatas ſpecies inde referrem. Unde igitur, inquies, hæc tanta in te inceſſit confidentia, ut judicandi de his tibi licentiam ſumas, quorum cognitionem vel modica minorem, & uſum nullum te habere ipſe agnoſcas? Quo magis hoc ita eſſe mireris, addam etiam non ſolum concedere me, ſed etiam contendere, in herbarum & ſatorum exploranda natura ſolam αὐτοψίαν dominari. Quam cum mihi deeſſe fatear, non ea gratia ſinam eripi ſimul poteſtatem arbitrandi, quid recte in hoc genere, quid ſecus à veteribus relictum ſit. Sane nec illi majore hujus rei ſcientia præditi acceſſerunt ad componenda de his volumina, quæ non minus ignorabant, quam ego aut alius æquè imperitus. Hoc ipſum eſt quod in diſceptationem mihi dari poſtulo, an id cognoverint de quo ſcripſerunt. Si poſſum id præſtare, cur quiſquam à me præſtari nolit? Si non poſſe aliquis pertendit, hoc ipſum exploret, & ſic judicet. Namque & illud mihi permiſi exquirere, an quod ipſi in ſcriptis veterum eamdem continentibus ſtirpium tractationem ad examen revocarunt, rectè perpenſum ſit & ſatis ſpectatum. Ut ſciatur, quali facie ſit hæc aliqua vel herba vel arbor, qua de quæritur, eam oculis uſurpaſſe, manibus etiam tractare opus eſſe, dederim non coactus. Niſi ſatis habeas, alienis oculis videre, & aliena fide, quod non videris, referre. Quo uno contentos pleroſque veterum, qui de herbis tractarunt, fuiſſe conſtat, & Plinium in primis. Verum non adeo neceſſariam αὐτοψίαν mecum ſentiant omnes neceſſe eſt, ubi hoc ſolum agimus, ut in contendendis veteribus herbarum nominibus cum noſtris laboremus. In quæſtione eſt, hæc herba hoc nomine hodie vulgata, quod nominis

nominis habuerit apud veteres; vel conversa disputatione, quæ tamen eodem recidit, quo nomine nobis hæc planta dicatur, quæ sic antiquitus vocabatur. Quærenda itaque inter nostras nobisque nunc cognitas, quæ omnibus rebus respondere queat illi alicui, quam prisci tradunt. Longum esset ire per omnes hortulos, campos omnes perambulare, ut similis aliqua & omnibus concinens notis cum illa vetere reperiatur. Cum omnia feceris, vix tandem hoc extricabis. In rem præsentem ubi veneris & disquisitionem ingressus fueris, multa te fallent. Ex parte antiquitatis meram semper habes descriptionem, interim falsam, interim nec tibi satis intellectam. Ex tua præstas id quidem, quod utique ad plantam cognoscendam necessario debet adhiberi: eam oculis subjicis, inspicis, etiam in manus sumis. Sed instituta comparatione, tum plurima ibi claudicant. Sæpe cum plura indicia conciliaveris, in uno offendes. Interdum ex una simili & convenientenota, de tota similitudine & facie pronuncias. Quod legis in libro, & quod vides in horto, non similiter afficit. Magis ex æquo rem gerere mihi videntur, qui descriptionem cum descriptione comparant, recentem cum vetere. In pari lance hoc examen cernitur. Rem ipsam spectantes oculi nihil prævalent legentibus tantum. Signa utrimque prodita consideranda sunt, ea conferenda invicem. Hoc judicii opus, hic labor; quod & ipsum nisi adhibeatur acerrimum, nihil agit, aut non omnia. Atque ut tale sit, quale exigimus, multæ aliæ res subsidio venire debent, ingenii præsens acumen, lectio assidua, linguarum ac totius antiquitatis summa cognitio, & quæcumque alia judicium, si natura desit, faciunt; si adsit, augent ingenitum firmantque. Hoc quidem in omnibus regnat, sed illa adjumenta etiam per se ac singula multum efficiunt. In inveniendis herbis quædam explicabit ingenii ἀγχίνοια. Non pauca eruet auctorum lectio, notitia sermonis quo descriptæ sunt, quis dubitet, quin pleraque quasi illata face illuminet? Antiquitatis autem scientiam non parum collaturam huic instituto, solis inficiari imperitis permiserim. Qua forma fuerint olim thyrsi bacchantium arma, qui ignorabit, quomodo utiliter versari poterit circa illas plantas explorandas, quibus θυρσοειδῆ κεφαλὴν tribuunt antiqui Herbarii Græci? Ex hujus rei imperitia pro vero alismate, quod capitulum, quale fuit antiquis thyrsis, habere debuit, aliam stirpem hujusmodi carentem capite nobis supposuerunt. Betulam esse, quæ σημύδα dicitur Theophrasto, non sustinerent affirmare, si quid esset καρύα scirent. Cirsion florem habere in summo purpureum non dicerent, si vim vocis Græcæ ἀκροπορφυρῶν tenerent, quæ leviter & summatim purpureo colore imbutum significat. Pluribus exemplis id evincere supersedeo, quæ infinita promi possent, si locus hic exigeret reponi denuo, quod in superioribus abunde præstitum. Sic ex falsis interpretationibus non veræ productæ herbarum notæ, laborem quærendi pariunt irritum, dum id quod non est in rerum natura, magnis opibus & sudoribus investigandum sibi putant. Dici vix potest, quantum & quoties non satis exacta linguæ Græcæ peritia Plinium falsa & inconcinna de plerisque herbis pronunciare adegerit. Duplicatus porro nostris Herbariis labor ex utriusque loquelæ necessaria eruditione, quam multi promittunt, pauci exhibent, satis beati, si alteram mediocriter consequantur, quam sine altera certum est obtineri non posse ad plenum & perfectum modum. Alia insuper ars est, quam in illis requiro, qui hactenus professi sunt rei plantariæ prudentiam. Ea adeo ex toto deficiuntur, ut nec polliceri audeant, plerique etiam contemnant, qui assequi desperant. Critice est, quæ solo judicio exercetur, invicemque id exercet, adjuta scientiarum omnium comprehensione, absque quarum ope vix opus suum perficere posse postulet: ea, ut in aliis disciplinis, sic in natura plantarum exquirenda pensitandaque multiplicem habet usum & latissimè vagatur. Nunc dissocianda sunt, quæ ex nominum unitate indiscreta errorem facere possunt; nunc redigenda in unum ac veluti compellenda, quæ variis appellationibus idem exprimentibus diducta sunt atque dispersa. Operosum sane negotium, quod circa ὁμωνύμων & συνωνύμων rationem totum expenditur, superius ostensam tantum, sed uberius alibi prosequendam. Utcumque in his tamen conatus suos multi mihi adprobarunt, etsi multa adhuc desiderem. Quod reliqui est, plus est, quam quod effectum. Tota vero pars illa Critices, quæ in veritate sinceræ lectionis, partim ex libris, partim ex ingenio asserenda versatur, ita hactenus spreta jacuit ab Herbariis nostris, ut non alio magis argumento inutilem existimasse videantur, quam quod nusquam ejus utantur auxilio: ceterum nullo evidentius utilitatem ejusdem monstrarim, quam ex erroribus prope innumeris, quos committunt ab hujus unius industriæ defectu. Quam si in consilium advocassent, non hodie quærerent de arbore *bruta* apud Plinium, de *codiamino*, de *aurione* herba, & aliis nominibus, quæ nusquam sunt nisi in vitio, & corrigi potius quam explicari debent. Profecto in percurrendis Theophrasti, Dioscoridis & Plinii voluminibus nusquam securus ambulabis sine hac comite, vel etiam duce, quæ vias exploret, salebrosa complanet, corrupta reficiat, hiantia expleat, difficilia enodet, & per singula deducat inoffenso pede. Laudes ejus atque utilitates non extollam prolixius, quia satis patent vel una opera, quam in Plinii scriptis castigandis atque illustrandis posui. Cui Viro si quisquam ex antiquitate in hoc numero, certe hæc de qua agimus Critica maxime defuit. Adeo nullo judicio usus est in his, quæ tractavit ad rem Herbariam pertinentibus. Nec melius illi successit in aliis, aut magis dictæ Divæ litavit. Sed eam potissimum partem sumpsimus examinandam, quia plura hujus & majora in ea parte peccata emicuere, quia fusior ac difficilior est, & etiam nunc, quæ peccavit in isto genere, conspicua sunt ex comparatione auctorum à quibus accepit, quorum libri hodie extant. Integra Theophrasti de plantis opera, sive quibus historiam narravit, sive quibus eorum causas aperit, quæ tota Plinius in opus suum Latine conversa transtulit variisque locis disposuit, beneficio fortunæ nobis conservata lætamur. Etiam Dioscoridis eadem de re tractatus salvi supersunt ex naufragio edacis omnium temporis, qui reliquorum in eo argumento jacturam levius ut feramus efficiunt, immo vel soli farciunt, atque etiam si verum dicere liceat, ut ne quidem desiderandi sint, præstant. Ut enim post cæteros, qui eidem curæ incubuerant, prodiit ejus labor, nec quisquam post eum extitit ex Græci generis hominibus

hominibus qui accuratius de his tradiderit, non immerito maximam ei diligentiæ laudem, cum pari ſcientiæ experientiæque teſtimonio conjunctam, ſummo conſenſu veteres tribuerunt. Nihil autem ferme in libris ejus habetur, quod non in Plinio Latinis verbis expreſſum conſpiciatur, adeo ut quidam inde credere inducti ſint, aut Plinium ex Dioſcoride aut Dioſcoridem ex Plinio tranſcripſiſſe. Nihil his reſponſum velim, qui Dioſcoridem ex Plinio furatum eſſe quæ ſcripſit, arguunt. Refelli non merentur & tantam imperitiam produnt, ut digni ſint miſericordia potius quam reprehenſione. Ne illis quidem accedo, qui Plinium ex Dioſcoride volunt ſumpſiſſe, quamvis majorem hanc videam turbam numero minantem nos cogere, ut in ſuam concedamus ſententiam. Habemus his quod reſpondeamus, & rationem in ſolutum accipere poſſunt, quia ratione ſolvunt. Non ut depellam furti crimen à Plinio, idcirco nego Dioſcoridem ab eo compilatum. Hoc vertere crimen eſſet, non avertere. Si furtum non fecit Dioſcoridi, alii factum oportuit, à quo id omne quod habet, accepit. Sed furtum non eſt, inquiunt, cum nominatur auctor. Dioſcoridem nuſquam nomine laudavit, cum ab eo omnia ſumeret. Itaque ergo inſimulatur. Sed nihil cauſæ eſſe perſpicio quamobrem tam ſedulo ceteros omnes ſcriptores, per quos profecit, laudaverit, uno Dioſcoride prætérito. Cur candorem hoc ſolo ſuum deſiderari voluerit quem in aliis adeo ingenue declaraverit, rationem aliquam probabilem dici mihi vellem. Quod enim audio jactari, ſic illi placuiſſe facere, ut nomen Dioſcoridis taceret, quia recentior eſſet, nullo modo ſatisfacit. Vitruvium & Celſum inter ſuos auctores recenſet, qui Dioſcoride non multo antiquiores eſſe potuerunt. Servilium Damocratem nominatim citavit in mentione hiberidis herbæ, cujus deſcriptionem ab eo mutuatus eſt, quem tamen nuper ſcripſiſſe autumat. Alios plures omitto Græcos Latinoſque, quos aut Dioſcoridis æquales, aut non longo tempore anteriores non eſt dedignatus allegare, & in numero ponere eorum auctorum quibus ſe adjutum profitetur. Scio pleriſque veterum hoc in more fuiſſe, ut in citandis pro teſtimonio auctoribus eos ſolos nominarent, qui vetuſtate aliquam ſibi demum auctoritatem comparaſſent. Reliquos qui nondum inveteraverant, ſi quando eorum allegationibus utendum haberent, nominatim non appellarent, ſed *incertos* & *dubios* auctores vocarent. „Sic Nonius quoties Agellii teſtimonio utitur, quod ſæpe facit, nunquam eum nominat, ſed „incertæ dubiæque auctoritatis ſcriptorem ſemper appellat. Hinc apud Servium & alios Gram„maticos antiquos *idoneis* auctoribus neotericos opponi legimus. Ut ad Georgicôn quartum: „*Sane hic cucumis, hujus cucumis declinatur, ſicut agilis ſecundum idoneos. Nam neoterici hujus* „*cucumeris dixerunt.* Nempe *idoneos* appellarunt probatos & receptæ auctoritatis ſcriptores, ut „*idonei* teſtes dicuntur, qui & *locupletes*. Et apud Ciceronem in libro II. offic. *idonei homines*, „locupletes & qui gratiam referre poſſunt, apud quos recte beneficium ut nomen locatur. Nam *idonei* proprie qui ſolvendo ſunt, quos ἀξιοχρέως Græci vocant, quibus tuto pecunia credi poteſt, bonæ fidei nomina. Inde teſtes & auctores *idoneos* vocatos conſtat τὰς ἀξιοπίςυς. Pro talibus duxere vetuſtiores, & qui ætatem tulerant, digni vel ob hoc fide habiti, quod jam multi fidem illis habuiſſent. Quippe credibile eſt, qui in mendacio deprehenſus non ſit per aliquot ſæcula, cum veritatis eorum, quæ dixerit fiducia, tranſire ad poſteros debere. At Plinius idoneos habet tam recentes quam veteres, eorumque auctoritatibus indifferenter utitur, quem nec piguit ſententias referre illorum, qui nuperrimè ſcripſerunt, ut facit lib. XXXVI. cap. XX. de hæmatitis: *Hæc eſt ſententia eorum qui nuperrimè ſcripſerunt. Sed Sotacus è vetuſtiſſimis auctoribus, quinque genera hæmatitarum tradit.* Quæ fortaſſe de Dioſcoride intelligenda, ut aliquando opinati ſumus. Certè quæ de remediis hæmatitis ibi explicat Plinius, non ſecus habent quam ſi expreſſa eſſent ex illis quæ Dioſcorides eadem de re perſcripſit. Sed in indice illius loci eum non nominavit. Et poteſt fieri ut de alio loquutus ſit. Nec ab re eſt ut Damocratem deſignarit, de quo & alibi ſic loquitur in iberide: *Invenit & nuper Servilius Damocrates è primis medentium.* Scripſerat ille omnem ὕλην ἰατρικὴν, & multa remedia ab eodem verſibus jambicis compoſita apud Galenum reperire licet. Quin & apud Aëtium ſub nomine Damocratis, aëtitis lapidis hiſtoriam iiſdem prorſus verbis relatam invenio, quibus à Dioſcoride refertur, ut proinde neceſſe ſit alterum ab altero honeſto furto mutuatum. Sed cum Plinius Damocratem nominare veritus non fuerit, aut æqualem Dioſcoridis aut etiam ævo inferiorem, non videre me fateor, qua religione impeditus Dioſcoridis nomini parſerit. Damocratem autem Dioſcoride poſteriorem arguit iberidis herbæ hiſtoria quæ inventa traditur à Damocrate, non memorata cernitur à Dioſcoride. „Nam quæ „de iberide herba apud Dioſcoridem habetur mentio, non eſt germana auctoris, ſed ex Neophy„to adtexta eſt, & alieno loco poſita inter arbores. Atqui non prætermiſſurus fuit tam notabilem & in re medica commendabilem herbam Dioſcorides, ſi aliquis ante illum ejus meminiſſet. Quo ſolo argumento probari fortaſſe non nimis incredulis poſſit, Dioſcoridem vixiſſe ante Damocratem, vel certè circiter eadem tempora. Ceterum alium potius quemlibet quam Dioſcoridem ſumptum Plinio, quem exſcriberet in materia medica perſcribenda, non pauca ſunt quæ fidem poſſunt adſtruere. Inter alia illud validiſſimum telum, quod ex deſcriptionibus ejus quamplurimarum ſpecierum ſæpe abit diverſus à Dioſcoride. In aloës hiſtoria narranda, fuiſſe, qui traderent, ait, metallicam ejus naturam in Judæa ſupra Hieroſolymam, ſed nullam magis improbam eſſe, neque aliam nigriorem & humidiorem. Nuſquam de aloë hoc traditum Dioſcoridi, ſed Sextio Nigro, quem iſto nomine carpit Dioſcorides in præfatione ſua, quod putarit, aut ita exſtimantibus aſſenſus ſit, foſſilem in Judæa aloën reperiri. Si Dioſcoridem in ponenda aloës deſcriptione ſequutus fuiſſet Plinius, aut nihil omnino de aloë metallica & foſſitia dixiſſet, aut falſitatis admonuiſſet exemplo Dioſcoridis. In Euphorbio commemorando, cum pleraque habeat cum Dioſcoride communia, illud privum habet quod foliis acanthinis eſſe facit, de quibus nihil Dioſcorides: illud etiam melius quam ille, quod herbam vocat, quæ Dioſcori-

di

di δένδρον. Galenus ſpinoſam eſſe plantam Euphorbium ſcribit. Unde apparet ex eodem hauſiſſe ſcriptore quo Plinium, qui folia ei dat ἀκάνθινα. Ubi de Euphorbio tractat, addit etiam ſuccum ſimilem in Gallia fieri ex herba chamelæa, qui tamen multum ſit infra Euphorbii ſuccum. De chamelææ ſucco nihil Dioſcorides in Euphorbii mentione, ſed in præfatione reprehendit Nigrum, quod Euphorbium in Gallia ex chamelæa fieri prodiderit. Sextium itaque Nigrum potius quam Dioſcoridem in Euphorbii hiſtoria æmulatus videatur Plinius. Deſcriptis alyſſi forma & remediis, ſubjicit noſter: *mirum eſt quod additur, ſaniem, conſpecto omnino eo frutice, ſiccari.* Hoc additum nimirum legit apud eum, cui acceptam refert eam alyſſi hiſtoriam. Apud Dioſcoridem nihil tale. Non is eſt igitur. Scribit quidem ille vel conſpectum Alyſſum ſingultus ſedare, qui ſine febre accidunt. Sic enim legitur in optimo codice: καὶ κρατηθὲν καὶ ὀφθὲν τὸ αὐτὸ δρᾷ, in vulgatis extat, ἢ ὀσφρανθέν. Coccum baphicum ex ilice noſter capi dicit, cum ilicis nuſquam meminerit Dioſcorides in tradenda fruticis illius hiſtoria, qui coccum tingendo ſubminiſtrat. Fruticem illum κόκκον βαφικὴν vocat, cujus nullum apud Plinium extat veſtigium ea facie, qua deſcribitur ab illo auctore. Sexcenta hujuſmodi in manu ſunt, quæ producerem, ſi vellem, & niſi æque ex his paucis ſolidam probationem quam ſi plura afferrem, conſiſtere crederem. In externis quoque tam multa mutat à Dioſcoride, ut nemo ſanus ex illo mutuata ſuſpicari ſeſe exiſtimari velle debeat. Malabathrum Plinius, quod alii *folium* abſolute vocabant, eſſe folium nardi Indicæ ſcripſit. Qui in ea ſententia eſſent, errare Dioſcorides affirmat, lentis modo aquaticæ ſtantibus aquis innatare idem aſſerit. Cujus opinionis mentionem ullam apud Plinium non reperias, qui alio loco memorat arborem eſſe in Syria convoluto folio, idque malabathrum haberi, de quo magnum apud Dioſcoridem ſilentium. Amomum Plinium ait uvam eſſe, quæ carpitur ex Indica labruſca, alios vero ſcribere, fruticem eſſe botryoſum, hoc eſt, implexum, involutumque racemi modo. Priorem de uva ſententiam non poſuit Dioſcorides. Cypron Plinius zizyphi folia habere refert, Dioſcorides oleæ ſimilia facit. In hoc curſu ad metas nunquam venirem, ſi omnia, in quibus diſſentiunt invicem alter ab altero, ſublegere ac notare conſtituerem. Multa hic habet, quæ apud illum non leguntur, & contra. Multa aliter hic quam ille narrat. In exoticis præcipue ac peregrinis in diverſa uterque abeunt. Caryophyllorum meminit Plinius, quæ nulla extant in illius ſcriptis. Quis porro toleret ſibi perſuaderi quædam ex hoc, alia ex aliis decerpſiſſe, cum liceret ex uno hæc omnia? Atqui plures excerpſit. Verum hoc quidem eſt, ac ſcio ita ſe habere. Sed ſi Dioſcoridem evolviſſet, ſi ex eo adnotaſſet quæ in opus ſuum transferret, non in illis ipſis quæ videri poſſunt ex Dioſcoride ſumpta, & adeo ſimilia ſunt, ei auctori quem ſequitur, & in eadem narratione contrarius iret. In quamplurimis ita eſſe obſervavi, & quivis alius hoc idem poterit obſervare, cui tanti fuerit. Aliud etiam habemus argumentum longe fortiſſimum, quo omnes victi nobis concedant oportet, ex Dioſcoride, quæ compoſuit de herbis, Plinium non accepiſſe. Ordo eſt, quem in his exponendis ambo diverſum ſequuti ſunt. Dioſcorides reprehendit priores, quod malo uſi eſſent ordine in ſtirpium naturis exequendis, quorum alios ſpecies junxiſſe ait inter ſe, quæ toto genere diſſiderent, nonnullos qui per ſeriem litterarum eas deſcripſerant, multum etiam hoc modo conturbaſſe rationes earum, diſparatis ac dijunctis quæ unius erant generis. Plinius in utrumque incidit vitium, dum partim eas alphabetico ordine proſequitur, partim ex remediorum facultatibus tradit, quo pacto & congeneres pleraſque ſeparavit, & quæ genere diviſæ ſunt, ut eſſent ex ipſa loci vicinitate affines, perfecit. Quod factum ab illo videtur imitatione antiquorum, à quibus divertit Dioſcorides & propriam ſibi viam ſecuit, quæcumque ὁμογενεῖς viſæ ſunt, aliqua naturæ affinitate inter ſe junctæ, eas invicem ſcriptione quoque jungendo. Quem ſi Plinius ordinem à quoquam monſtratum ſciſſet, non dubium eſt, quin & imitatus eſſet. Niſi velimus ex illorum ingenio eum æſtimare, qui meliora vident, & ſequuntur deteriora. Quod in illum hominem non cadit, etſi in graviores inciderit culpas, vel humani ingenii imbecillitate, vel occupationum multitudine, vel etiam nimia feſtinatione. Nihil horum poſſit eum excuſare, tantulo parcentem labori, quem tantum deligendus ordo melior exigebat. Sed dum per varios tramites circumducimur, aliam adhuc viam proſpicio, quæ nos breviore compendio ducat, quo volumus pervenire. Quis tam iniquus Plinio, qui tali perſuaſione de illo poſſit imbui, ut alios habuerit auctores, alios habuiſſe dixerit? Qui tanta cum cura omnium ſcriptorum nomina ſtuduerit declarare ac profiteri, quorum opera adjutus in ſcribendo fuit, ut librum primum operis huic fermè rei dederit, an credibile ſit, eundem ſilentio obliteraſſe, ſi quem unum præcipue ex tanto numero ambiit, cui omnia, quæ de herbis medicis in litteras miſit, referret accepta? Sextium ſcilicet Nigrum nominaverit, aut Julium Baſſum, aut Diodotum, Petroniumve, ex quorum libris nihil omnino aut parum videatur hauſiſſe, quod ad βοτανικὴν πραγματείαν pertineat, unum Dioſcoridem totum tranſcripſerit, eumque ſolum ex omnibus dimiſerit illaudatum? Neſcio an cuiquam hoc fiat veriſimile, mihi ſane non fit, nec cuiquam temere credulitatem meam id affirmanti commodavero. Auctores ſupra ſcriptos neotericos recenſet Dioſcorides quos non fraudat teſtimonio accuratæ & exactæ circa plantarum hiſtoriam eruditionis & ſcriptionis, ſed laudem eis detrahit remediorum probe cognitorum & cum cura traditorum, utpote quæ in tranſcurſu tantum attigerint, nec medicas herbarum facultates ad diſtrictum magiſtræ experientiæ examen revocarint: Τοῖς μέν τοι νέοις οὐ συγκαταθετέον, ὧν ἐστι Βάσσος ὁ Τυλαῖος καὶ Νικήρατος καὶ Πετρώνιος, Νίγερ τε καὶ Διόδοτος Ἀσκληπιάδαι πάντες. Per Nigrum intelligit Sextium Nigrum, qui de medica materia Græcè ſcripſerat, quamvis Romanus eſſet. Eum inter ſuos auctores omnibus libris, qui de herbarum ſcientia tractant, indicat Plinius. Huic & palmam ſuper cæteros, qui eodem argumento inclaruere, defert Dioſcorides: ὁ γοῦν διαπρεπὴς δοκῶν εἶναι ἐν αὐτοῖς Νίγερ. Eum etiam commendat cum primis Galenus. Alius ab eo Petronius, ut male Ruellius in verſione ſua reddiderit: *& Petronius Niger,*

Niger, & *Diodotus*, *Asclepiadæ omnes*. In Indice lib. xxv. cum auctoribus Romanis, qui Græco scripserant sermone ponitur: *Sexto Nigro qui Græcè. S. Julio Basso qui item. Petronio, Diodoto qui item. Antonio Castore, Cornelio Celso*. In aliorum tamen librorum indicibus Petronius ac Diodotus recensentur inter externos & medicos auctores. Πετρώνιον sæpenumero citat interpres Nicandri vetus. *Julium Bassum* scripta Plinii exemplaria Indicis ferè semper scribunt. Semel aut bis tantum *Tullium*, quam in partem tamen magis inclinat scriptura Dioscoridis Βάσσος ὁ Τυλλιος, Τύλλιος. Sed Julius etiam Bassus vocatur Scribonio. Hi fuere præcipui ex recentibus Herbariæ rei scriptores, quos νέες vocat Dioscorides. Et sane vixisse omnes in confesso est post eversam Rempublicam & Julii dictatoris necem, sub imperatoribus qui successerunt, ut non multo tempore videantur antecessisse ætatem Dioscoridis aut Plinii. Non ab aliis credendum auctoribus accepisse Plinium, quæcumque de Herbarum medicinis commentatus est. Quod si in plerisque ea incurrunt similitudine cum his, quæ tradidit Dioscorides, non alia potest assignari causa, quam quod & ipse Dioscorides ex iisdem fontibus sua derivavit. Eos quidem ille carpit ac vitii hujus insimulat, quod alia pro aliis sæpe retulerint & multa confuderint, & pravo ordine institutum suum prosequuti sint. Demus hoc illi, ut judicio limatiore, & ordine meliore versatus sit in eodem argumento pertractando, & quædam addiderit quæ usu experintiaque propria didicerat, cetera omnia verbis ferme iisdem quibus ab illis prodita sunt, composuisse videtur, circumcisis tantum quæ improbabat. Ut in Euphorbio, quæ de chamelææ succo adjecerat Niger: in aloe, quæ de fossitio aloës genere idem adscripserat. Quæ tanquam falsa comperta recidit Dioscorides nec memoriæ mandare voluit. Non curo, quid ille de se prædicet. Res ipsa clarius loquitur. In multis fabulas etiam veteres illum recoctas posuisse & incomperta sibi digessisse, item falsa in litteras retulisse alibi ostendimus. Quæ de Malabathro & Nardo Syriaca in monte Indiæ nascente qua parte Syriam prospectat, quid in ceteris potuerit proferre nugarum, indicio sunt. Quod scriptum reliquit de pipere longo & nigro in eodem frutice nascentibus, ex eadem veniunt incuria. Nam Theophrastus tanto antiquior auctor duplex genus piperis agnoverat longi & nigri, ex diversa ut puta arbore. Mirum tamen posteros omnes suam fidem addixisse Dioscoridi nec ab ejus orbita discessisse. Magis etiam mirum, nec illi contradixisse Arabes & bona conscientia heîc quoque illum expressisse. Etenim & Avisena & Rhasis in eadem sunt opinione de pipere longo, primum nempe esse fructum arboris, qui ad terram cadit, ut ferme solent corylorum fimbriæ. Ex veteribus, qui in plantarum scientia scriptis prodenda enituere, Cratevæ Herbario ac Andreæ medico primatum dat idem Dioscorides. Quos etiam scriptores in suis auctoribus habuit Plinius, cum aliis plerisque ne Dioscoridi quidem ipsi nominatis. Quos tamen visos ac lectos compilatosque etiam Dioscoridi, nullus dubito. Quippe cum & Nicandrum multis locis soluta oratione sæpe ad verbum in sua transtulerit, sæpe etiam nec intellexerit, ut in Aconito luce liquidius demonstravimus. Andream, quem tontopere laudibus effert cum Crateva, fidei ac diligentiæ exquisitæ nomine circa disquisitionem ac traditionem plantarum, non magnopere Galenus laudat, sed mendacem arguit, & propterea vitandum monet medicinæ studiosis. Sextium vero Nigrum, quem parum commendat Dioscorides, atque etiam vellicat, ut probatum auctorem & magni in re Herbaria ac medicina nominis prædicat Galenus: Plinius vero etiam ornat elogio diligentissimæ medicinæ auctoris. Libros ejus de medicina inscribit, ut sæpe in Indice: *Sextio Nigro, qui de medicina Græcè scripsit*. Pleraque ex illo Sextio sumpsisse Dioscoridem, etsi dissimulet, unica historia fidem faciam. Recepta erat vulgo fabula castorem sive fibrum, cum premeretur à canibus, ipsos sibi testes avellere solitum & jacere evadendi gratia, quia sciret eos expeti venatoribus & medicinæ utiles esse, ac propter eos se peti. Dioscorides id falso jactari asserit. Quod enim substrictos adhærentesque corpori habeat testiculos castor, non posse fieri, ut eos sibi morsu demetat. Μάτην δὲ, inquit, τοῦτο ἱστρεῖται, ὅτι διωκόμενον τὸ ζῶον ἀποσπᾷ τοὺς διδύμους καὶ ῥίπτει. Ἀδύνατον γάρ ἐστιν ἅψασθαι αὐτῶν προσεσύπων ὄντων ὥσπερ ὑός. Hoc ipsum ex Sextio refert Plinius, qui ante Dioscoridem hanc opinionem vulgi damnaverat. Lib. xxxii. cap. iii. *Sicut & fibris, quos & castoras vocant & castorea testiculos eorum. Amputari hos ab ipsis cum captantur, negat Sextius diligentissimus medicinæ, quinimmo parvos esse substrictosque & adhærentes spinæ*. Ita legenda hæc verba. Nam vulgo male legitur, *cum capiantur*. Hæc tamen differentia in Dioscoridis & Sextii observatione. Negabat Sextius testiculos sibi amputare castorem, quod eos sibi adimere non posset absque vita, quoniam substricti, & adhærentes spinæ forent. Atqui hoc facere credebatur, ut redimeret se à venatoribus projecta ea parte, propter quam captabatur. At Dioscorides ideo negabat id fieri, quod suos sibi testiculos morsu contingere non daretur castori utpote nimium adhærentes corpori, nimiumque substrictos. Puto tamen nec sine ratione interpretamentum illud esse Plinii *absque vita animalis*. Certus quippe sum, scripsisse tantum Sextium, falsum esse castorem sibi testiculos dentibus præcidere, quia parvi essent substrictique & adhærentes spinæ, nec adimi possent. Quam sententiam Sextii planè expressit Dioscorides. Sed & vocem προσύπυς de testiculis castoris non dubito, quin pariter eam usurpaverit Niger, quod ex Plinii versione colligitur, qui *substrictos* reddidit. Sed quod addidit Plinius idem *adhærentesque spinæ*, valde vereor, ne hoc sit ex eadem ejus interpretatione, qua finxit, testiculos adimere sibi ipsi non posse castorem absque vita. Immo hæc ex illa dependet. Nam si spinæ adhærent testiculi castori, certum est non posse inde avelli absque certa animalis pernicie. Animalia quibus testiculi spinæ adhærescunt eos intus habere dicuntur Aristoteli, ἐντὸς ἔχειν. Atqui non ea mens Sextii fuit, qui simpliciter dixit castorem προσύπυς habere testiculos, id est, substrictos & conjunctos corpori, non pensiles, ut sunt equo, asino, homini. Sunt etiam πρόσυποι sui, ut castori. Quod & Dioscorides recte adjecit: προσύπων ὥσπερ ὑός. Atqui sus non habet testiculos adhærentes spinæ. Philosophus testiculos suis συνεχεῖς ἐκ τοῦ ὄπισθεν καὶ οὐκ ἀπηρτημένους esse docet, hoc est, conjunctos & adhærentes à posteriori parte nec pendentes. Πρόσυποι tales sunt. Cujus vocis cum vim minime perciperet

peret Plinius, apud Sextium *adhærentes spinæ* interpretatus est. Atque ex eo in falsum sensum prolapsus est & sententiæ Sextii contrarium, castorem ideo sibi testiculos non amputare, quia sine vita adimi non possent, utpote adhærentes spinæ. Non hoc ille voluit, sed quod πρόσυπτι essent atque non pensiles, idcirco dentibus eos non posse apprehendere, recedentes & nimis posterioribus adplicitos. Atque ita rectè cepit Dioscorides. Πρόσυπτα quid essent in fictilibus & alibi diximus, extantes nimirum minus quam dimidia sui parte facies in cælaturis, & prorsum adhærentes. Cui opponebantur ἔκτυπα, magis eminentia simulacra. Ut περιφανῆ erant, quæ tota erant expressa & conspicua. Plinius alio loco in historia animalium persuasionem vulgarem de castore sequutus fuerat, lib. VIII. cap. XXX. *Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri periculo urgente, ob hoc se peti gnari.* Primus itaque Sextius de hoc errore monuit. Post eum cum idem admonuerit Dioscorides, non potest fugere quin credatur ab illo habuisse; & quia non eum nominat, unde habuit, ne hoc quidem fugerit, quin candoris habeatur non nimium sinceri, sed loliginis succo perfusi. Ex uno crimine disce reliqua. Ubicumque igitur Dioscoridem ac Plinium concordes in aliqua describenda planta convenire animadvertes, tuto credere potes ab eodem fonte hausisse utrumque, sive hic sit Sextius, sive Diodotus, sive Julius Bassus, aut quicumque alius veterum recentiorumve. Nunc alia superest movenda quæstio, & fortassean solvenda, de ætate qua vixere Dioscorides & Plinius, uter alterum anteivit, & an eodem tempore fuerint aut scripserint. Nihil pro certo in re obscura statuere volumus, sed conjecturæ fieri possunt. Et sic inquirendum est. Tres fuisse Dioscorides comperio alicujus nominis in arte medendi aut herbarum scientia. Primum Alexandrinum, secundum Anazarbensem, tertium his duobus juniorem, quem à patria cognominatum non reperio, sed à scriptionis genere dictum γλωττόγραφον, quod glossas composuisset ad rem medicam aut herbariam pertinentes, & sæpe alterutro cognomine citatur à Galeno in Lexico Hippocratis, Διοσκορίδης γλωττόγραφος, aut Διοσκορίδης νεώτερος, hoc cognomine ætatis adjecto distinguitur ab alteris duobus Alexandrino, & Anazarbensi, quorum etiam meminit idem Galenus, cum alibi, tum in eodem Hippocratis Lexico. Vetustiores igitur illi, atque etiam professione, ut apparet, medici. Quod non videtur fuisse hic tertius, ideoque γλωσσόγραφον indigetat, quoniam Grammatici studio, glossas in antiquorum scriptis medicorum repertas, libro expedito explicasset. Διοσκορίδης, inquit, ὁ νεώτερος τὸ Ἰνδικὸν φυτόν φησιν εἶναι ἐν Ἰνδίᾳ παραπλήσιον τῷ τοῦ πεπέρεως, οὗ ὁ καρπὸς ὀνομάζεται μυρτίδανον, ὅτι μύρτῳ ἔοικεν. Alibi γλωττόγραφον appellat. Hujus Indici mentionem in libris Dioscoridis qui extant nusquam invenias. Et certe Ἀναζαρβέα vocat hunc nostrum Galenus in voce Μυρτίδανον: οἱ πλεῖστοι μὲν τὸ πέπερι, Διοσκορίδης δὲ Ἀναζαρβεὺς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ὕλης ἐπίφυσιν ἀνώμαλον καὶ ὀχθώδη περὶ τὸ τῆς μυρσίνης πρέμνον. Locus hodie hic extat apud Dioscoridem qui vulgatus est, in libro primo περὶ ὕλης cum eadem myrtidani explicatione & iisdem verbis, quæ à Galeno relata sunt: τὸ δὲ μυρτίδανον λεγόμενον ἐπίφυσίς ἐστιν ἀνώμαλος καὶ ὀχθώδης περὶ τὸ τῆς μυρσίνης πρέμνον. Jam hinc nullum potest intervenire ambiguum, quin Dioscorides, cujus opus habemus περὶ ὕλης ἰατρικῆς, domo Anazarbensis fuerit, de quo frustra dubitant quidam. Nam & in omnibus antiquis exemplaribus Græcis, & omnium antiquissimo Regio, hoc nomen patriæ appositum legitur: Πεδανίου Διοσκορίδου Ἀναζαρβέως περὶ ὕλης λόγος πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, atque ita deinceps. Hic igitur est ille medicus celeberrimus Anazarbeus, de quo Stephanus in oppido Ἀνάζαρβα, ἀφ᾽ ἧς ἦν Διοσκορίδης ὁ διασημότατος ἰατρὸς, χρηματίζων Ἀναζαρβεύς. Alius fuit Alexandrinus, quem aliquoties etiam nominat nominat Galenus & Διοσκορίδην Ἀλεξανδρέα vocat. Vixit hic Cleopatræ illius tempore, quam Augustus ad voluntariam adegit mortem, cui & convixisse dicitur, cognomento Φακᾶς ab ore lentibus sparso. Eum tamen Suidas eumdem facit cum hoc noc nostro Anazarbeo, magno errore: Διοσκορίδης Ἀναζαρβεὺς ἰατρὸς, ὁ ἐπικληθεὶς Φακᾶς διὰ τοὺς ἐπὶ τῆς ὄψεως φακούς. συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπὶ Ἀντωνίου. Γέγραπται αὐτῷ βιβλία κδ΄ τὰ πάντα ἰατρικὰ περιβόητα. Atqui hic Ἀλεξανδρεὺς fuit, non Ἀναζαρβεύς, cui & cognomentum φακᾶ quod ore esset lentiginoso, quos & φακόψεις Græci dicunt. At noster Πεδάνιος cognominatus de nomine fortasse patris, qui mos fuit plerisque Græcis, ut Ἀττικοῦ Ἡρώδης, quem *Herodum Atticum* Latini vocant. Sic *Apion Plistonices* Agellio, qui Plistonicem habuit patrem, & *Apollonius Molon* Suetonio & Quintiliano qui Ἀπολλώνιος Μόλωνος Græcis, utpote Molonis filius. Ita ergo & Πεδανίου Διοσκορίδης, quem alii Πεδάνιον Διοσκορίδην vocarunt cui pater Πεδάνιος dictus. Ut ut sit, diversus hic ab Alexandrino Dioscoride, qui in Cleopatræ contubernio medicinam fecit. An & diversæ ætatis, videndum. Haud longe à Plinii ævo abfuisse Anazarbensem crediderim: ultra an citra, incertum. Possem colligere, post Plinii tempora scripsisse, eo maxime argumento, quod inter auctores suos non illum numerat. Atqui tam celebris auctor & diligentiæ in tradendis medicis herbis singularis, non illi ignotus fuisset, siquidem ante scripsisset. Nec dicere possis, auctoritatem ejus aspernatum esse quod recentior esset. Huic objectioni jam supra occursum est. In Plinio hanc non valere vel ex eo scias, quod viventium adhuc auctoritate non abnuerit uti. Antonium Castorem sæpe nominatim laudat, & inter suos auctores omnibus librorum indicibus qui de herbis agunt, recenset. Atqui eum suo ævo vixisse & ejus operâ herbas plerasque medicas se contemplatum esse testatur lib. XXV. cap. II. *Nobis certe*, inquit, *exceptis admodum paucis contigit reliquas contemplari scientiâ Antonii Castoris, cui summa auctoritas erat in ea arte nostro ævo, visendo hortulo ejus, in quo plurimas alebat, centesimum ætatis annum excedens.* Satis scio, & omnes hoc mihi donabunt, non temperaturum fuisse Plinium à Dioscoridis mentione, si aliquod nomen habuisset in hac scientia. Nec sine nomine tum fuisset, si scripta ejus in ea materia prodiissent. Certe Plinium ea non vidisse plusquam certum, nec de nomine auctorem notum habuisse. Potuit fieri, ut circa idem tempus scriptioni uterque vacaret, ac proinde Dioscoridis opus Plinio non potuerit innotescere. Non longe alterum ab altero ævum agitasse, alia etiam colligas via. Cratevan Dioscorides inter scriptores antiquos commemorat, qui de herbis medicinæ utilibus aliquid ediderant. Cratevan autem illum Herbarium, Mithridatis ac consequenter Pompeji Magni temporibus fuisse constat ex Plinio, ubi *Mithridatiam* herbam à Crateva de nomine Mithridatis vocatam dicit lib. XXV. cap. VI. *Ipsi Mithridati Cratevas adscripsit unam, Mithridatiam vocatam.* Hic Cratevas, qui Mithridatis & Pompeji

Pompeji ævo in vivis erat, non antiquus foret nec ita diceretur, illi Dioſcoridi, quem Cleopatræ & Antonio volunt convixiſſe. Longe itaque infra hæc tempora propius ætatem Plinii acceſſiſſe, aut etiam paulo infrà deſcendiſſe oportet hunc Dioſcoridem Anazarbenſem, qui antiquioribus Cratevan adnumerarit. Profecto quocunque tempore vixerit aut ſcripſerit, non viſa Plinio, quæ ſcripſerit, indubitatum eſt. Cratevan Græci ῥιζοτόμον vocant & à medicis ſegregant, ut Dioſcorides fecit, Κρατεύας ῥιζοτόμος καὶ Ἀνδρέας ἰατρός. Plinius tamen eum retulit in cenſum & album Medicorum. Non ipſi quidem medici, ſed medicis ſubſerviebant, herbas medicas ſecando, & radices eruendo, quarum tempus colligendarum noverant. Nam aliæ aliis temporibus anni quæri debent ac legi. Nicander:

Ῥιζοτόμον ἢ δίειπομαι ἀνδράσιν ὥρην.

A nobiliori autem & utiliori herbarum parte dicti ῥιζοτόμοι. Theophraſtus: τῶν ἢ ῥιζῶν πλείους εἰσὶν αἱ δυνάμεις καὶ πρὸς πλείω. Quos Latini dixere *herbarios*, ita Plinius vocavit lib. XXI. cap. XX. de xyride: *Scelus herbariorum aperietur & in hac mentione. Partes ejus ſervant, & quarumdam aliarum herbarum, ſicuti plantaginis: & ſi parum mercedis tuliſſe ſe arbitrantur, rurſuſque opus quærunt, partem eam, quam ſervavere, eidem loco infodiunt; credo, ut vitia quæ ſanaverint, faciant rebellare.* Hi ſunt Græcorum ῥιζοτόμοι, de quorum fraudibus & impoſturis etiam conqueritur Theophraſtus, qui cærimonias & ſuperſtitiones pleriſque herbis legendis adſtruebant, ut artem facerent commendatiorem religione arceſſita. Ἐπιθέτως hoc ab illis fieri dicit, voce non intellecta interpretibus, quæ impoſturam ſignificat. Cum enim aliquid extra rem arceſſitur ad fucum faciendum hominibus, id omne ἐπίθετον. Lib. IX. cap. IX. de rizotomis: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὥσπερ ἐπίθετα καὶ πόῤῥωθεν. Et ſub finem capitis: Ταῦτα μὲν οὖν ἐπιθέτως ἔοικεν ὥσπερ εἴρηται. Τρόποι δ' οὐκ εἰσὶ τῶν ῥιζοτομιῶν, πλὴν οὓς εἴπομεν. Simplex illa ratio ῥιζοτομίας, id eſt; herbarum ad uſum medicum legendarum, præter quam non dari aliam dicit Theophraſtus, conſiſtit in tempore captando, quo aptæ ſunt legi, & aliis modis obſervandis, qui pro genere herbarum, quæ leguntur, neceſſarii ſunt, ut averſo vento quaſdam ſecandas, alias nondum orto ſole & ſimilibus. Quæcumque alia inducuntur ab herbariis magis myſtica, ἐπίθετα omnia pronuntiat Philoſophus, ad fucum faciendum fieri ſolita, ut imponant imperitis. Ut cum pæoniam præcipiunt noctu eruendam. Nam ſi interdiu quis eruens conſpiciatur à pico Martio, periculum oculorum incurrere, ſi ſemen colligat; aut ſedes illi procidet, ſi radicem effodiat. Hæc ἐπίθετα. Multa alia ibi ſimilia narrat, quæ paratragædiabant tunc locorum ῥιζοτόμοι. Hæc ἐπίθετα ſunt. Heſychius ἐπίθετον στιβάς interpretatur. Quod nempe interponitur vaſis fictilibus, ne invicem atterenda colliderentur. Quidquid extra rem, ſic vocarunt. Sed & quæ imponunt & fucum faciunt, quia nihil ad rem pertinent, propter quam fiunt, ſed accerſuntur & veluti imponuntur illi, quem decipere vis. Hinc ἐπιθέτης impoſtor, ἐπίθεσις *impoſtura*. Et notum illud veteribus objectum Chriſtianis palliatis, οὗτος Γραικὸς ἐπιθέτης, Græculus impoſtor. Hoc ſenſu ἐπιθέτως capiendum apud Theophraſtum, quod fit imponendi ac fallendi animo. Ex eo genere eſt quod tradit ibi Plinius de xiride herba, *Strumas & panos eam diſcutere, ſed præcipi, ut ad hos uſus eruatur, colligenteſque dicant, cujus utique cauſâ hominis eximant.* Hoc ἐπίθετον Theophraſto & præter legitimum herbas eruendi modum. Plinius tamen occaſionem inde accipit invehendi in fraudes herbariorum, quaſi parum in hac radice effodienda obſervarent, quod præciperetur. *Partem*, inquit, *ejus ſervant & aliarum herbarum, & ſi parum mercedis ſe tuliſſe crediderint, rurſus infodiunt eam partem quam ſervavere.* Quorſum hoc attineat neſcio, niſi quia ſic duplex ferunt pretium ex una radice, quæ nec vim eam habere poteſt quam recens eruta. At xiris hoc modo ſuum etiam effectum idcirco non habet, quod non ad hoc eruitur, nec dicitur, *cujus hominis cauſâ eximatur*, ſicut præceptum eſt. Nugæ iſtæ ſunt, quas heic probare videtur Plinius, & ineptum eſt quod addit, *credo, ut vitia, quæ ſanaverint, faciant rebellare.* Quorum verborum quis ſit ſenſus aut quo pertineant, non percipio. Hoc video, ad herbarios illos recurri ſolitum, ut herbæ haberentur ad medelas utiles. Eas legebant, ſervabant, vendebant, profitebanturque ipſi, quem ad uſum ſumendæ forent, quando, & quomodo. Quod & Ῥιζοτόμοι veteres factitarunt. Firmicus lib. VIII. *Quod ſi Mercurius hunc locum viderit, herbarios faciet, qui ſcilicet herbas ſollerti arte collectas ad medelam laborantium ſervet.* Ratione itaque non caruit Plinius, cum Cratevan ῥιζοτόμον inter medicos locavit. Sæpe ῥιζοτόμους & φαρμακοπώλας conjungit Theophraſtus, ſed hoc diſcrimen erat, quod iſti componebant medicamenta ex herbis, quas accipiebant à rhizotomis vel herbariis. De utriſque alibi diximus, quæ non heic repetam. Herbarios Latini à toto, ῥιζοτόμους à parte præcipua Græci vocarunt. Βοτανισταὶ alii ſunt Græce, ii nempe qui malas herbas è ſegete vellebant. Unde & βοτανίζειν runcare: quod & ποάζειν dicebant. Unde ποάστριαι mulieres, quæ hoc munere fungebantur. Πόας vero Græci rhizotomi appellabant non quaſlibet herbas, ſed eas tantum, quæ ex foliis ſuccum ad medicinam idoneam præberent. Theophraſtus φυλλώδεις δυνάμεις vocat: Σχεδὸν δὲ τὰς φυλλώδεις δυνάμεις, τὰς πόας καλοῦσιν οἱ ῥιζοτόμοι. Hoc titulo etiam fuit una ex tragœdiis Sophoclis, quam Latine dixeris Herbarios. In ea inducebat Medeam herbas potentes ſecantem ad maleficia ſua. De qua videndus Macrobius. Plerique veterum Græcorum, qui de herbis medicis ſcripſere, libros ſuos inſcribere ſoliti ſunt, περὶ ῥιζοτομουμένων, aut Ῥιζοτομικά. Ut Amerias Macedo apud Athæneum lib. XV. citatur ἐν τῷ Ῥιζοτομικῷ. Eumachus Cyrenæus ἐν Ῥιζοτομικῷ. Latine liceat vertere *herbarium.* Ita enim in veteribus libris, *Herbarium Apulei Madaurenſis Platonici*, inſcribiur. Miccionis Ῥιζοτομούμενα memorantur Plinio lib. XX. cap. XXIII. *Petridius qui Ophiaca ſcripſit, & Miction, qui Rhizotomumema.* Lege *Petrichus* & *Miccion.* Uterque in indicis libro locum habent. Μικκίων & Πέτριχος. Nicandri ſcholiaſtes vetus Πέτριχον ἐν ὀφιακῷ citat, qui hic eſt. Hi vero, qui non tantum eam partem tractarunt, quæ ex herbis remedia conquirit, ſed etiam ex animalibus, lapidibus, metallicis, titulum fecere περὶ ὕλης. Quo nomine comprehenderunt univerſam materiam medicinæ competentem. Hiceſius citatur Athenæo περὶ ὕλης. Qui unus ex auctoribus Plinii.

Libri

Libri quoque Dioscoridis in antiquissimis exemplaribus solum hunc habent titulum περὶ ὕλης, nec additum ἰατρικῆς. Eam ὕλην Plinius totam complexus est libris octodecim, ex variis concinnatam auctoribus, quorum plurimi singulas ejus partes executi fuerunt. Hæc longe maxima pars est Naturalis Historiæ, quæ à nonodecimo libro incipit & desinit ultimo. Ab eodem nonodecimo verus Apulejus exorsus erat libros suos *de Remediis Salutaribus* inscriptos, quos totos Plinii verbis contexuerat in Epitomen redacti. Grande fragmentum hujus Apulejani tractatus penes me est, in antiquissimis membranis descripti litteris majusculis, quod nobis magno usui fuit ad veram eruendam lectionem in aliquot Plinianis pæne desperatis, & quæ nec ipse sanasset Æsculapius absque hujus fragmenti ope. Ita sinceriorem ubique scripturam conservavit codex ille, quam Pliniana exemplaria, quia vetustior est omnibus Plinianis exemplaribus. Apulejum de arboribus etiam laudat Servius, quod opus illius non dubitarim verbis ejusdem Plinii pariter compositum fuisse, & ex illis libris sumptum, qui arborum naturam exponunt, quales sunt decimus quartus, & sequentes usque ad decimum octavum, qui τὰ γεωργικὰ continet. Duodecimus autem & decimus tertius, qui peregrinas etiam arbores fruticesque cum odoribus & unguentis commemorant, ad materiam quoque Medicam spectare videntur, quamvis remedia in alios libros reservarit. Sanè tractatus de arboribus, quem Apulejus ex Plinio mutuatus est, ab ipso libro duodecimo initium capere videtur. Libri quidem illi omnes, partim ex medicis, partim ex aliis, qui non erant medici, compilati sunt. Hujus ὕλης, quæcumque medicinæ subjecta est, nobilissima pars, saltem antiquissima, ἡ ῥιζοτομικὴ vel herbaria, cujus si quis majorem adfuisse notitiam, aut usum magis peculiarem Plinio putat, quam aliarum, quæ de animalibus, de lapidibus, de metallis medicinas exposcunt, næ is multum fallitur. Nec est quod quisquam objiciat, sicut jam fecere quidam, in horto Antonii Castoris omnes eum herbas, de quibus scripsit, paucis exceptis, contemplatum esse, quod ipse de se narrat. Non illi hanc fidem abnuam, quia vult sibi credi, & velim ego credere, nec animum ei nec causam fuisse mentiendi. Res tamen ipsa indicat, quid profecerit illa αὐτοπτικῇ contemplatione. Sic enim eas vidisse plantas apud Castorem auguror, ut pueri nondum legendi gnari litteras in libro vident. Formas earum intuentur, non tamen ut sciant, quid valeant singulæ, quid invicem junctæ efficere possint, quomodo jungendæ, efferendæ, pronuntiandæ. Syllabam unam inde conficere, ac dicere nequeunt, quantumvis paginas volvant ac revolvant. Talis ad animum mihi occurrit Plinius hortos Castoris perambulans, & singulas stirpes contemplans, quarum nec naturas nec effectus aliunde noverat, sed nec facies alibi inspexerat. Quantum sane progressum fecerit in herbaria scientia ex illa hortulorum inambulatione nescio, sed illud scio, nihil ex hortis illis in libros suos transfudisse. Quæcumque enim commentatus est de herbaria, ex Græcis ea scriptoribus transtulit, & verbis eorum in propriam linguam conversis descripsit. Ita parum profuit illi αὐτοψία plantarum, quas in horto alebat Castor. Duobus tamen aut tribus ad summum, si bene memini, locis Castoris mentionem nominatim facit, & herbarum ab eo demonstratarum. Quod ex libris ejus potius quam ex horto traxisse videtur. Nam & Castor ille Antonius medicus, qui hortum habuit salutaribus herbis quam plurimis consitum, idem & de earum natura ac remediis libros conscripserat. Lib. xx. cap. XVII. *Piperitis, quam & siliquastrum appellavimus, contra morbos comitiales bibitur. Castor & aliter demonstrabat, caule rubro & longo, densis geniculis, foliis lauri.* Demonstrabat, inquit, aliam piperitin Castor præter vulgarem, quæ dicebatur siliquastrum. Sed utrum in horto, an libro? In libro potius. Fortasse & in horto etiam. De libro ut accipiamus, suadet locus, qui infra habetur cap. XXII. *Castor marrubii duo genera tradit, nigrum, & quod magis probat, candidum.* Prodit in his maxime ignorantiam suam in re herbaria Plinius. Nam Castoris divisio marrubii in nigrum & candidum non ipsius est peculiaris, sed ab aliis etiam tradita fuit. Theophrastus ex antiquis duo marrubii genera facit. Posteriores quoque Græci omnes πράσιον & μέλαν πράσιον ponunt, quod nigrum est Castoris marrubium. At candidum, vulgare est πράσιον, quod & ipse Castor magis probabat. Πράσιον, θάμνος ἐστὶ ἀπὸ μιᾶς ῥίζας πολύκλαδος, ὑπόδασυς, λευκός. Hoc candidum marrubium. Alterum βαλλωτὴ Græce dicebatur & μέλαν πράσιον. Dioscorides: Βαλλωτή, οἱ δὲ μελαμπράσιον καλοῦσι, καυλοὺς ἀνίησι τετραγώνους, μέλανας. Ita hæc legenda. Quod adeo Plinius ignoravit, ut seorsim balloten à marrubio in librum vigesimum septimum rejecerit, & μελαμπράσιον Latine verterit *nigrum porrum.* Sic enim omnes codices eo loco legunt, cap. VII. *Balloten alio nomine nigrum porrum Græci vocant.* Quod etiam confirmat index manuscriptus, in quo legitur: *absinthium marinum sive seriphium. Ballote sive nigrum porrum.* Immo nigrum est marrubium τὸ μελαμπράσιον, genus alterum marrubii ab eodem Plinio notati ex Castore lib. xx. cap. XXI. Nescivit etiam, piperitin illam Castoris alteram lepidium esse Græcorum, quod ipsa descriptio abunde monstrat. Notandum denique hoc de Plinio, si quando aliquam plantam oculis usurpavit, non id involvere silentio, sed diligenter indicare consuevit, ut de lithospermo, & de moly radice in Campania effossa & sibi allata. Ubicunque igitur de visu proprio nihil affirmat, intelligendum, id habere de libris & auctoribus, ut fere omnia. Quod etsi nullus monerem, satis clarum res ipsæ testimonum dicunt. Profecto hæc consideranti mihi, succurrit verissima cogitatio, medendi scientiam & herbariæ rei, eumdem apud Romanos exitum habuisse, ut ipsæ fermè sunt adeo cognatæ res, & sic junctis passibus incedunt, ut illa sine hac propemodum sit nulla. Vetus certe medicina quærebat ex herbis prope solis, unde hominum salutem constantem retineret, & amissam reficeret. Hinc doctissimus poëtarum, cum medicorum artem designare vellet ac definire, scientiam herbarum eam esse pronuntiavit cum usu medendi conjunctam:

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Et præposuit quidem herbarum scientiam. Quia autem multi potestates herbarum tenent, quibus tamen nullus medendi usus, ut sunt ῥιζοτόμοι & herbarii, ideo experientiam remediorum adjunxit, & sic totum medicum instruxit. Ut enim usus medendi nullus absque herbis per quas explicatur, sic

sic vana est cognitio potestatis herbarum absque manu medica & usu remediorum. Inde alibi sic cecinit:

Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis.

Sed quare *mutas artes* appellare poëtæ libuerit medicinam & rem herbariam, Grammatici ibi quærunt. De vetere loquitur medicina, quæ in opere tantum consistebat & manu sola agebat. Unde & χειρουργικὴ omnium antiquissima medendi ratio. Herbas legere, succum ex his parare, ægro propinare, vulnera deligare, sanguinem sistere herbis impositis, urere, secare, & quæcunque alia manu fiunt, munus olim medici unius fuit, artem suam non lingua exercentis, sed opere. Postea muta illa & elinguis scientia, loquax admodum facta, & in varias divisa sectas, λογικὴν sive κλινικὴν, μεθοδικὴν, ἐμπειρικὴν, χειρουργικὴν, ἰατραλειπτικήν. Sic ab antiqua illa ratione discessum est, *paulatim*, ut Plinii verbis utar, *usu efficacissimo rerum magistro, peculiariter utique medicinæ, ad verba garrulitatemque descendente. Sedere namque his in scholis auditioni operatis gratius erat, quam ire per solitudines, & quærere herbas, alias aliis diebus anni.* Hæc medicinæ ars solos habuit Græcos auctores & professores, etiam cum Romanis recepta fuit. Sero fuisse ab illis receptam testatur idem Plinius, quinetiam damnatam ab expertis. De quo illustria sunt apud eum verba Catonis posita, heic etiam ponenda, ut illis medicinam adhibeam male sanis, ut vulgo concepta sunt: *Dicam de istis Græcis suo loco, Marce Fili, quid Athenis exquisitum habeam: & quod bonum sit litteras eorum inspicere, non perdiscere, vincam. Nequissimum & indocile genus illorum. Et hoc puta vatem dixisse. Quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina. Et hoc ipsum mercede faciunt, ut fides his sit & facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos quam alios, Opicos appellatione fœdant. Interdixi tibi de medicis.* Explicat deinde Plinius ex suo sensu, quid Cato urbi timuerit à medicis, *eumque se non deserturum profitetur*, cum ex his verbis ejus allatis *objectum invidiæ tam ambitiosæ artis præsentiat. In patrocinium Catonis non se arrepturum* dicit *artis crimina, testamentorum insidias, adulteria, venena, quæ hominum esse, non artis vitia videri possunt.* Quid igitur ex medicina Romanis suis metuebat Cato? *Non sint*, inquit, *artis ista, sed hominum. Non magis hæc urbi timuit Cato, quam Reginas.* Testamenta supposita, venena propinata, adulteria medicorum deprehensa non timuit Cato. Quid ergo? *Reginas.* Quænam, malum, istæ Reginæ fuere, propter quas tantopere Cato ille timere visus est, ne Græcia medicos suos Romam mitteret. Ut nihil boni ex istis Reginis feceris, ita nihil mali ab illis Catoni metuendum fuit. Cur non potius Reges eum terrebant? Sed cur Reges in medicis? Vidi tamen, qui in ea lectione sensum aliquem captarint, viros doctissimos. Atqui mutatio unius litteræ *Reginas* istas decollabit, & eas efficiet, quas ex parte medicorum expavit Cato, nempe *resinas*. His resinis, ex præcepto medicorum paratis, instituta depilatio parum virilis, atque inter mollitiei & morum effœminatorum argumenta præcipua semper habita, & vitio data. Hinc *resinata juventus* apud Satyricum, resinis depilata, & vulsa. Hunc sensum Plinii fuisse atque ita scripsisse ipse clarissime ostendit verbis, quæ paulo post sequuntur: *Illa autem, quæ timuit Cato atque providit, innocentiora multo & parva opinatu, quæ proceres artis ejusdem in semetipsis fateantur, illa perdidere imperii mores: illa quæ sani patimur, luctatus, ceromata ceu valetudinis causâ instituta, balineæ ardentes, quibus persuasere in corporibus cibos coqui, ut nemo non minus validus exiret, obedientissimi vero efferrentur. Potus deinde jejunorum ac vomitiones, & rursus perpotationes ac pilorum eviratio instituta resinis eorum. Itemque pectines in fœminis quidem publicati. Ita est profecto. Lues morum, nec aliunde major quam è medicina, vatem prorsus quotidie facit Catonem, & oraculum: Satis esse Græcorum ingenia inspicere, non perdiscere.* Timuit itaque Cato resinas medicorum, id est, evirationem institutam resinis eorum. Nam πιττώσεις, παρατιλμοὶ, & δρώπακες, quorum omnium modos methodosque docent medici & scriptis suis produnt. Cum medicinâ igitur simul & illa invecta, quæ mores perdiderunt, & viros effœminarunt. Inde est, quod in eorum hodieque libris rationem traditam invenimus medicamenti faciendi, quo pili optimè vellantur ex omnibus corporis partibus. Hic illi tituli περὶ δρωπάκων καὶ πιττωσέων, qui auctores Archigenas & alios celeberrimos olim artis illius proceres inscriptos gerunt. Præcipiunt quoque eorum disciplinæ, quomodo conficienda sint smegmata, sapones, fuci, diapasmata, unguenta, & aliæ hujusmodi deliciarum ac mundi muliebris illecebræ, quæ vitam enervant, & luxui velificantur. Ceterum ut vehementer ad medicinam pertinet herbaria, quasi quæ materiam illi subministret, ita non melioribus auspiciis ad Romanos deducta, nec ab his majore studio culta fuit. Desertam diceres, si bona fide recepta unquam fuisset, ipso Plinio fatente, minus quam par erat celebratam hanc scientiam à suis Romanis, qui alias omnium virtutum & utilitatum rapacissimi essent. Heic non disjungit medicinam ab herbaria, additque, *Catonem primum, ac diu solum, paucis eam attigisse, boum etiam medicinâ non omissâ.* Simplicem illam intellexit medendi rationem, quæ herbis ubique nascentibus & ad manum paratis usa, præsidia sanitati conciliabat, quam privatus quisque propriis olim experimentis aut alienis edoctus, sibi faciebat ac suis. Hæc est medicina, qua Cato se & conjugem usque ad longam senectam perduxerat, professus & *commentarium sibi esse, quo medebatur filio, servis, familiaribus:* hæc adeo conjuncta cum herbaria scientia, ut eadem sit. Nec divelli sane possunt. Ad hoc enim celebratur herbarum cognitio, & potestatis earum disquisitio, ut in remedium convertatur, quod inde excerpserit. Sic nata medicina. At ea quam damnabat Cato, & cujus resinas urbi metuebat, ars est, quæ quæstum facit ex hominis vita, ægros habet in reditu, fata sub titulum pendentia nundinatur, & pretium doloribus ponit. Quæ non contenta remediis indigenis & inventu facilibus, officinas capturæ suæ instituit, & instruit, petitis ex Arabia atque India mercibus, insalubri annona præstinandis, quo carius homines pereant, quibus non licet jam mori gratis. Rudiorem illam & antiquam medendi methodum, quæ simplicibus constabat

bat medicamentis & parabilibus, nec compositiones & mixturas externorum inexplicabiles agnoscebat, eamdem ubique Plinius constituit cum herbaria, & distinguit ab illa quæstuaria arte, quæ per morbos & mortes salutem sibi petit. De hac pluribus agit lib. XXIX. cap. I. & docet, quo primum tempore medici è Græcia Romam venerint. De illa loquitur lib. XXV. cap. II. & Pompeji Magni ætate hanc scientiam ad Romanos primum pervenisse ostendit, Asclepiadis de medicina voluminibus per Pompejum Lenæum, Magni libertum, grammaticum, translatis in Latinum sermonem jussu ejusdem Magni, qui eorum exemplaria inter reliquam prædam Mithridatis Regis in urbem detulerat. Sed miror Plinium hæc discrevisse. Nec enim libri illi Asclepiadis Mithridati Pontico Regi dedicati, & à Lenæo Pompeji liberto in latinum conversi, de alia medicina pertractabant, quam quæ Catoni & illius temporis Senatui damnata est. Jam tum venerat ad summum ars illa, nec multum postea progressa est. Quod enim in plures sectas procedente ævo dilapsa est, non diversam videri facere id possit. Alioquin & fons non esset idem, qui in plures rivos carptus & diductus iret, & aquas non uno eveheret alveo. Ab antiqua simplicitate & sola herbarum medela passim provenientium jam tum quoque desciverat, adscitis in usum peregrinis & externis. Quæ & ipsa adsumpta non efficere poterant, ut alia videretur scientia. Operosiorem hæc faciunt, difficiliorem, quæstuosiorem, atque etiam, ut ita dicam, pompatiorem, non tamen aliam. Ut alia mulier non est, quæ omni ornatu caret, & quæ gemmis suis auroque onerata incedit. Profecto res herbaria utrique medicinæ communis est, antiquæ illi ac simplici, & isti ambitiosæ sumptuosæque. Sed illa præter herbas, soli sui cœlique proprias, nihil noverat: ista in Arabia & India petiit, quæ adderet arti & quæstui. Profecto herbariæ rei ratio, sicut eam tractat medicus, non potest sejungi à medicina. Tolle suas herbas illi aut quibus utitur herbarum loco, artis κατάλυσιν eidem imperabis. Nec secus id erit quam si coria subtrahas coriario, aut ligna fabro lignario. Ego vero herbarum inquisitionem à medendi professione non separaverim, quatenus hanc ipsam profitetur quoque, nec sine hac munus suum tueri potest. Sed ita rem istam tantisper à medicis abductam seorsim ac per se considerabo, quatenus & eam suscipit considerandam philosophus, & quicunque alius naturæ curiosus est. Ut hujus excellentiam in omnibus admiratur, in singulis rimatur, ita etiam in herbis eam contemplatur. Nec faciem earum inspicere tantum, sed etiam effectus scire desiderat, non ut ad usum eum revocet, quem poscit medicus, sed ad finem suum. Ab effectibus inquirit in causas, quas plerumque medicina negligit, cui abunde est solas facultates exploratas habere, quia præter usum nihil aliud quærit. Sic ultra pergit medicinæ professor, in partes Philosophi invadit, & tanto quidem melior, sed hoc ab eo non requirit ars sua. Satis est, si in morbis id præstat, quod in herbis etiam præstare conandum est Philosopho. Hinc illa præclara Theophrasti volumina, quæ extant, περὶ φυτῶν ἱστορίας & φυτικῶν αἰτιῶν. Quibus simile nihil unquam procuderunt Romana ingenia. Plinium sat scio fore, qui excipiant: quos ne habeam iratos, hoc vicissim mihi concedant interim, solum posse excipi. Hoc mihi tamen non magnum videtur, quod egit ille, functus ubique interpretis officio, ac sæpius mali. Nec Theophrasti libros tantum, quibus tractatum herbarum peregit, ut decuit Philosophum, sed omnium etiam aliorum, qui idem egerunt, sicut medici solent, libris suis infudit. Deus bone! quam male hæc omnia, quam confusè, quam indigeste! Sed huic reprehensioni, quæ hominem tangit, jam satis supra fecimus. Pergamus hæc generatim persequi, quæ rem herbariam spectant, & quam male habita sit incultu & incuriâ hominum Romanorum, ostendere. Eam, ut dixi, non solum Philosophi Græci, separatam à medicina, indagandam sumpserunt contemplationis gratiâ, & ob secreta naturæ hac quoque parte curiosius pernoscenda, sed etiam recepto jam olim in Græcia more, rhizotomi, id est, herbarii, & medici officia divisa sunt. Sic ῥιζοτομικὴ distincta ab ἰατρικῇ non re, sed munere. Hæc ab illa mutuabatur herbas, quibus medicamenta componeret. Indidem sumebant & pharmacopolæ, qui & medicos ipsi imitabantur, quale genus hodie sunt empirici nostri. Totos dies in foro desidebant cum pyxidibus suis & cistis ad prædicanda & vendunda sua mercimonia populo. Ἐπιδιφρίους ἰατροὺς Græci eos vocarunt, quasi dicas *sellularios medicos*. Contra venena præcipuè suam opem promittebant. Atqui ῥιζοτομικὴ ne à medendi quidem arte officio diversa est, ubi medicus hanc etiam exercet. Quod primis temporibus solemne fuit, ut etiam medicus herbas quæreret salutares, quibus remedia ipsemet conficeret. Postea tempus extitit, quo non solum de rhizotomis illas sumerent, sed etiam pleraque medicamenta composita de pigmentariis emere non dubitarent. Qua de re conqueritur alicubi Plinius. Ad extremum eo pervenerunt, qui mos hodie obtinet, & satis diu est, cum id pervulgatum, ut præscribant remedia, apud pharmacopolam sive pigmentarium terenda ac miscenda. Pharmacopolas autem nostros esse constat diversos à veterum Græcorum pharmacopolis. Iidem quippe cum pigmentariis Romanorum, qui omnium rerum institores erant, quæcumque ad medicinam pertinet. Herbas medicas colligebant, condiebant, servabant, succos ex his eliciebant, medicamenta etiam plerumque componebant, quæ medicis venderent. Largus Scribonius *institores pigmentarios* vocat cap. III. *Verum adjicere oportet, quod ex lacte ipso sylvatici papaveris capitum fit, non ex succo foliorum ejus, ut pigmentarii institores lucri & compendii faciunt.* Ita hæc legenda. Glossæ veteres *pigmentarium* exponunt Φαρμακοπώλην. Item & Firmicus, *pigmentarios seu pharmacopolas*. Sed de his alibi. Ceterum præter medicos & philosophos, quorum isti scientiæ gratiâ; illi sanitatis, naturam herbarum investigant, alii etiamnum extitere, qui alio fini quam utrique supradicti, stirpes ad victum tantum utiles exponendas arripuerunt. Ad quod propositum non modo attinuit naturas dicere, sed etiam culturas arborum, fruticum, herbarum. Cujus operis promissio titulo τῶν γεωργικῶν impletur. In quibus exequendis non utilitatis tantum, sed etiam voluptatis habenda ratio. Nam & τὰ κηπευτικὰ sive hortensia partem agricolationis faciunt. Quæ dividuntur rursus in duas pates τὰ ἐδεστικὰ & τὰ στεφανωματικά: Latini veteres *pomalia* & *floralia* dixere. Pomalium nomine, quidquid esui esset idoneum, comprehendentes. Nam & Plinius in papyris & ferulis & spina alba cauliculos, qui manduntur, *poma*

poma appellavit, & in siliquis, id quod editur. Varro sub titulo servandorum pomorum, rapa complexus est. Martialis tubera vocitavit poma. Nicander γεωργικῶν nomine genera illa omnia ad agriculturam pertinentia descripserat. Quem frustra sequutos esse Virgilium & Macrum bonus auctor Quintilianus asserit. Speciale opus Macri videtur fuisse de herbis, & τὸ ἰατρικὸν potius quam τὸ γεωργικὸν spectabat, ut auctorum testimoniis cognoscimus.

Quæque nocet serpens, quæ juvat herba, Macer.

Ergo τὰ θηριακὰ & ἀλεξιφάρμακα Nicandri potius quam γεωργικὰ expresserat. Nam herbarum vires, hoc est, τὰς δυνάμεις tradiderat. Quod medici est proprium. Catonis disticha:

Herbarum vires Macer tibi carmine dicit.

In hoc nomen ac titulum operis invasit nescio quis ante aliquot sexcentos aut quingentos plus minus annos, qui adeo voluit verus videri Macer, ut versum illum Catonis pro exordio operis sui adumbraverit:

Herbarum quasdam dicturus carmine vires,
Herbarum matrem, justum puto, ponere primam,
Cui Græcus sermo facit artemisia nomen.

Atqui meminit Strabi Galli sive Strabonis, qui vel longe recentior est auctore illo, qui carmen de moribus composuit quod hodie extat Catonis sub nomine. De aliquot herbis hortensibus ille Strabus scripsit. At Macer pseudonymus librum suum de herbis bipartitum fecit, de Herbis & Speciebus. Ita enim in codice antiquo scriptum est: *Explicit tractatus Herbarum, incipit de Speciebus:* Et per *species* intelligit aromatica & externa. Hoc quippe sensu hanc vocem illud sæculum usurpavit, atque etiam paulo vetustior ætas Græca & Latina. Inde in Glossis: *Chironium* ὀποπάναξ, εἶδος: & apud Hesychium, οἱ δὲ εἶδος τι τῆς Λιβύης τὸ σίλφιον λέξουσιν. Absolute εἶδος & speciem vocarunt arborem quamcunque vel herbam. Postea ad solas species aromaticas & externas id restrictum. Ut in Macri nomen insulsit se quidam recentioris sæculi scriptor, ita in Apuleji alius, cujus Herbarium extat. Et judicium requiro in Viro docto, qui Apuleji Celsi esse hoc scriptum sibi persuasit. Si Madaurensis non potuit videri genuinum opus, multo minus tribuatur Apulejo Celso qui aliquot sæculis Madaurensi fuit antiquior. Eum Scribonius præceptorem suum & Valentis fuisse dicit. Atque is Vectius Valens, quem Neronis temporibus medicinam fecisse discimus ex Plinii ea declamatione, qua in Medicos invectus est lib. XXIX. Falsa omnino illa inscriptio hominis fallacis, qui latere voluit sub umbra magni nominis. Similes multos impostores extitisse meliore atque etiam antiquiori ævo, & in rebus quidem majoris momenti, nos alibi patefaciemus. Potuit etiam contingere, ut culpa non penes auctores ipsos hæserit, sed in librarios conferenda sit, qui tractatus illos de Herbis sine nomine inventos, auctoribus illis adscripserunt quorum scripta in fama erant sub simili titulo. Sed de his alibi. Distinguenda autem hæc Plinio fuere in tanta auctorum turba, quos citavit, quique de herbis commentati sunt, quinam ex his τὸ ἱστορικὸν & τὸ φυσικὸν litteris mandarint, qui τὸ ἰατρικὸν & τὸ δυναμικόν, qui ultimo τὸ βιόχρηστον & τὸ γεωργικόν. Hoc ultimum genus non parum multi ex Romanis in litteras miserunt. Reliqua duo priora vel duo vel nemo. Et quod de medicina ipsa narrat Plinius, solam hanc artium non exercuisse Romanam gravitatem, & paucissimos Quiritium attigisse & ipsos statim ad Græcos transfugas, hoc ipsum & de herbaria dici convenit medicinæ appendice, vel parte præcipua silvæ medicinalis. Quod si aliquis Celsum nobis objicit, repercutiendus erit hoc responso, ἰατρικὰ illum scripsisse, qui prorsus esset ἀνιατρολόγητος, quod arguunt innumeri errores, quos incurrit, dum Græca in suam linguam traducit. Idque etiam de Plinio verissimè potest dici, qui universam rei medicæ materiam componere agressus est, cum herbarum & omnium aliarum rerum, quibus illa constat, esset imperitissimus. Utinam extarent Lenæi illius opera, qui Romano sermone transtulit Asclepiadis de medicina commentarios. Quantumlibet fuerit artis grammaticæ doctissimus, haud scio an hac arte sola consequi poterit, ne infinitis erroribus versionem suam refertam daret. Nec dubito partem aliquam ei debere imputari eorum, quos admisit Plinius, dum ejus auctoritatem sequitur. Nam & hic inter auctores Plinianos, quem ait non minus vitæ profuisse versione illa, quam Pompejum Reipublicæ victoriâ, qua libros Asclepiadis potitus est, Romamque attulit. *Præter hos*, inquit, *Græci auctores medicinæ prodidere quos suis locis diximus. Ex his Evax Rex Arabum, qui de simplicium effectibus ad Neronem scripsit, Cratevas, Dionysius, Metrodorus.* De Evace illo Rege Arabum nihil legi. Et mirum, nullum in indice & laterculo auctorum, quibus usus est Plinius, fieri mentionem. Tota hæc clausula desideratur in antiquis libris. Et vero abesse velim, quam pulcrè scio non esse legitimam. Scribunt omnes libri: *Præter hos Græci auctores medicinæ prodidere, quos suis locis diximus: Ex his Cratevax, Dionysius, Metrodorus.* Quæ verissima est scriptura, *Cratevax* pro Cratevas veteri & vitioso scribendi more, sic *Tigrix* in antiqua inscriptione pro Tigris. Ex illo *Cratevax* inepti correctores suum illum Arabum Regem eduxere, cujus etiam meminit Mardobæus de Gemmis, sed liber nunc ad manum non est. Orationem autem illam de Evace adtextam fuisse, satis indicat impura loquutio *de simplicium affectibus*, quæ nec Pliniana est, nec illorum temporum, sed infimæ ætatis *fætutinas* olet, qua *simplicia* vocarunt absolute omnes herbas medicas, subaudiendo medicamenta. Quæ Græcis dicuntur ἁπλᾶ φάρμακα. Græci quippe φάρμακον appellant, etiam unamquamque herbam quæ vi aliqua pollet medica, non medicamenta tantum composita. *Droguam* vulgo dicimus usitato fermè toti Europæ nomine, quod ex Persico factum videtur, quo *drog* fraus & impostura vocatur. Nulla quippe in re fraudes & adulteria magis sollemnia. Hinc Homerus Ægyptum ferre dixit, φάρμακα πολλὰ λυγρὰ καὶ ἐσθλά, multas bonas herbas & malas. Grammaticis, φάρμακον ἡ βοτάνη. Non simpliciter est βοτάνη, sed βοτάνη ἰατρική, ut alii appellant, vel φαρμακώδης βοτάνη, ut Theophrastus vocat, cui & φαρμακώδεις τόποι & πολυφάρμακοι, in quibus hujusmodi medicinales herbæ nascuntur plurimæ. Item Dicæarchus in fragmento ἀνεκδότῳ de

de Pelio monte, πολυφάρμακον eum nuncupat: τὸ δ᾽ ὄρος πολυφαρμακόν τε ἐστὶ καὶ πολλὰς ἔχον καὶ παντοδαπὰς δυνάμεις. Ubi etiam notabis δύναμιν dici herbam quamlibet medica facultate pollentem. *Potentes herbas* Latini poëtæ appellant.

Multa manu medici Phœbique potentibus herbis.

ταῖς δυνάμεσι. Nam ut ait Servius, *in herbarum natura vis est, quæ* δύναμις *dicitur.* Hinc herba ipsa vi aliqua salutari prædita, δύναμις dicta. Quo sensu & apud Theophrastum aliquando accipi, notavimus alibi. Idem Dicæarchus de quadam in Pelio monte nascente: Ταύτην δὲ τὴν δύναμιν ἓν τῶν πολιτῶν οἶδε γένος, ὃ δὴ λέγεται Χείρωνος ἀπόγονον εἶναι. παραδίδωσι δὲ καὶ δείκνυσι πατὴρ υἱῷ καὶ οὕτως ἡ δύναμις φυλάττεται ὡς οὐδεὶς ἄλλος οἶδεν τῶν πολιτῶν. At δύναμις etiam apud Græcos medicos significat medicamentum ex pluribus mixtum & compositum. Unde πεπτικαὶ δυνάμεις Dioscoridi medicamenta concoctionem adjuvantia, & νεφριτικαὶ δυνάμεις Paulo, medicamenta ad renum dolorem efficacia. Et apud Galenum τετραφάρμακος δύναμις, medicamentum tetrapharmacum, ex quatuor generibus compositum. Hinc δυναμηρὸν Græcis recentioribus medicis pro libro, qui continet medicamentorum & antidotorum mixturas & compositiones. Quod Latini barbari *antidotarium* verterunt. Ita enim vocatur, quod ab illis translatum est ex Græco opere Nicolai Myrepsi, quod inscribitur μέγα δυναμερόν. Sic δύναμις & φάρμακον tam de singulis herbis medica potestate præditis, quam de synthesi medicamenti sumitur. Ex eo ἁπλᾶ φάρμακα herbæ medicinales appellatæ sunt ad distinctionem τῶν συνθέτων φαρμάκων, quæ medicamenta sunt composita. Inde Latini barbari *simplicia* absolute dixerunt herbas ἰατρικὰς, quæ medicamentorum simplicium instar singulæ obtinent. Quod vocabulum hac notione longè ab ætatis, qua vixit Plinius, usu ac sermone abscedit. Ceterum Cratevas, Dionysius, & Metrodorus lepida ratione herbas tradiderant, referente Plinio. Pinxerant enim effigies herbarum subscriptis effectibus. Et sane Cratevæ multa leguntur apud Neophytum, quibus potestates tantum & effectus herbarum proponit, non etiam facies. Quia nimirum in libro eas picturâ curaverat exprimendas. Vetus hic mos plantarum effigies graphicè delineandi cum descriptione, aut sine descriptione, ut instar ejus habeat pictura. In codice Dioscoridis Græco ante mille annos scriptas herbarum omnium icones pictura ostendit, elegantius tamen quam verius expressas. Ex verbis quippe Dioscoridis adumbratas ab antiquario potius constat, quam ex αὐτοψίᾳ ad fidem exhibitas. Hanc consuetudinem apud Sinenses etiam servari audio, & Hollandicis navigationibus interceptos libros cum mercibus aliis Sinensibus, in quibus characteres multarum herbarum erant representati in ea regione nascentium. Quanta autem negligentia Latinorum circa herbarum scientiam fuerit, vel ex eorum antiquis grammaticis colligi potest, qui in illarum expositione eam ubique imperitiam produnt, ut omnia misceant & indiscreta habeant. Quod præcipuè faciunt, cum Græca nomina florum per Latina quæ respondeant interpretari conantur, aut cum in Græcia quærunt vocabula, quibus Latinæ appellationes conveniunt. Inde est, quod veterum glossarum auctores *ligustrum* exponunt κυνόῤῥοδον aut λευκόῤῥοδον, cum sit κύπρος; *vaccinium*, ἄγχουσαν, cum ὑάκινθος; *saliuncam*, rosam agrestem, quæ nardus est montana sive Celtica. *Ebulum*, quam Græcè χαμαιάκτην esse constat, & ἄγχουσαν & ἐρείκην & ἀσφόδελον explicant. Servio probatissimo grammatico *ligustra* flores sunt papaverum. Acanthus topiaria herba est in Ægypto nascens, eadem nimirum cum acantho Ægyptia: Amomum genus est floris. Casia herba apibus grata eadem cum casia aromatica. Hyacinthus poëticus & fabularis, lilium rubrum. Et talia infinita, prodentia inscitiam temporum illorum circa rem herbarum. Sic non majore peritia plantarum Sosipater Charisius κύπειρον Græcorum, *siler* esse putavit. Quem sequuti sunt reliqui veterum glossarum compilatores, quibus κύπερον siler exponitur: κύπερον, βοτάνη, *siler*. Argumentum etiam eorum imperitiæ maximum duci potest ex herbario Apuleji, cui chamelæa & chamæleon eadem planta: petroselinon Macedonicum idem cum petroselino Smyrnio: heliotropium quod est intybum silvaticum, cum heliotropio scorpiuro: diversa splenii genera lonchitis & hemonion pro eodem habentur, & alia hujusmodi, quæ hîc libens prætereo. Non minore inscientia in commemorandis herbis versati sunt Græci recentiores, ut ex Neophyto, & auctore Synonymorum, quæ Dioscoridi inserta sunt, constare potest. Pro synonymis plerumque habent, quæ homonyma sunt, & pro homonymis synonyma passim proponunt. Quibus duabus rebus longe maximos & plurimos errores in historia plantarum admissos ab antiquis pariter & neotericis docuimus. Sed putet aliquis Arabes multum contulisse in hanc scientiam. Si quis ita arbitratur, ab opinione faxo deduci se sinat, ubi scierit quæcunque de herbarum generibus aut remediis scripta reliquerunt, ea de Græcis auctoribus omnia, paucis exceptis, transtulisse, quibus de suo cumuli vice multos aggesserunt errores, dum Græca non adsequuntur, & dum ex una aliqua nota sæpe judicant in conciliandis plantarum Græcis nominibus cum suis Arabicis. Proinde hallucinantur non raro, & ὁμωνυμίᾳ præterea decepti diversissima genera in unum sæpius compellunt genus, ut κίσθον & κισσὸν hederam & cisthum, quia utrumque describunt sub eodem nomine *kissus*. Item chamæleontem & chamelæam exitiali errore pro eadem planta tradunt, vocantque utramque *mazeriun*. Quod etiam peccatum admisit cum aliis sexcentis futilis auctor, qui sub nomine Apuleji herbarium conscripsit. Quid vero magis ridiculum quam quod iidem Arabes distinguere nescierunt inter ὕσσωπον & οἴσυπον Græcorum? Ecquid enim tam genere diversum? Ne ulla quidem in his duabus vocibus est ὁμωνυμία; quæ profecto esset, si utrumque diceretur οἴσυπον aut ὕσσωπον. Atqui ipsi utrumque vocaverunt *elzuf*. Quo nomine propriè hyssopum herbam indigetant. Non audio, qui deceptos putant librariorum veterum errore ὕσσωπον, quæ erat οἴσυπον, scribentium. Nec enim in melioribus libris & illa quidem scriptis ætate, qua Arabes scripserunt, hoc vitium offendas, sed in recentioribus, & qui post Arabum ætatem exarati fuere. Certe & Græci, qui ab illis sumpserunt, hunc quoque errorem cum illis errant. Nam & Nicolaus Myrepsus ὕσσωπον ὑγρὸν & ὕσσωπον ξηρὸν nominat similiter, cum Arabibus per *hyssopum humidam*, τὸν οἴσυπον intelligens, per *hyssopum siccum*, herbam hyssopi. Ita quippe Arabibus distinguere his notis utrumque placuit,

placuit, & ὁμωνυμίαν vitare. Quæ ineptiſſima diſtinctio. Cur enim hyſſopum humidam de œſypo dixerunt, aut cur ſiccam de hyſſopo? Οἴσυπος proprie ſordes ſunt, quæ villis adhærent ovium lanæ. Non lana ſic dicitur, ut viris doctis ferè perſuaſum video, ſed lanæ ſordes. Lana vero his ſordibus coinquinata, Græcis vocatur οἰσυπηρὸν ἔριον, Latinis *ſuccida lana*, quaſi ſucco ſordido imbuta. Non tamen humidum illud œſipum, ſed etiam aliquando ſicciſſimum, adeo ut vix velli queat ab ipſa lana. Sed compoſitionem habuere Græci medici antiqui, quam ὑγρὸν οἴσυπον vocarunt, quæ alia quædam ſimplicia pharmaca recipiebat, & cum his etiam ἐρίων ῥυπαρῶν uncias ſex. Meminit Paulus Æginetа hujuſmodi ὑγροῦ οἰσύπου τοῦ φαρμάκου σκευῆς lib. VII. quem vide & ex eo diſce, quomodo humidum fieret illud medicamentum. Ὑγρὸν illud οἴσυπον in errorem induxit Arabes, qui pro ſimplici œſypo ſive lanæ ſordibus acceperunt, & œſypum ſimul cum hyſſopo confuderunt. Quia autem hoc humidum, ideo alterum, quod idem nomen gerebat, ut diſcerni poſſit, ſiccum dici oportuit. Sic etiam ſchœnum aromaticum congenerem fecerunt junco paluſtri, cum quo nihil habet commune niſi nomen. Hinc Abenſina duo genera junci facit, alterum paluſtrem, *agiami*, alterum aromaticum. De quo nos in hoc libro pluribus. Ideo enim & hîc plura parcam exempla Arabum ἀκελασίας & ἀβλεψίας in negotio plantarum adferre, quia paſſim toto hic opere occurrunt. Aliquot ὁμώνυμα in plantarum hiſtoria attigit Theophraſtus. Sed tam multa tunc temporis non erant. De dictamno Cretico, quod pulegio ſimile eſt cum tradidiſſet, aliud dictamnum huic ὁμώνυμον, æquè Creticum, adſcribit, genere diverſum, ut facie. Ἔστι δὲ, inquit, ἕτερον δίκταμνον ὥσπερ ὁμώνυμον, οὔτε τὴν ὄψιν ἔχον, οὔτε δύναμιν τὴν αὐτὴν. Si nec facultatem eandem habet nec faciem cum priore, ſane & genere toto ab illo diſtat, ideoque ὁμώνυμον. Quæ cauſa igitur fecit, ut idem illi nomen imponeretur? Ratio ὁμωνυμίας in plantis non ubique reddi poteſt, cum incerta ſit, & ab imperitis ac ruſticis plerumque nomina profecta fuerint, qui nullo certo conſilio aut fixa ratione, ſed ad libitum ſuum eas appellationes indiderunt. Aliquando tamen apparet, cur hoc factum ſit, ut plures plantæ genere diſpares, par nomen tulerint. Ecce enim duæ plantæ virtute ac forma diverſæ, in una aliqua tamen ex pluribus qualitatibus convenient, odore ut puta, vel floris colore aut ſpecie, aut alia re ſimili. Sic quatuor plantæ nomen nardi geſſere, ac nardo Indicæ cognomines extitere, cum tamen nihil haberent cum illa nardo ſimile niſi odorem, ſaliunca, neris, phu, & aſarum. Prima ex his *Celtica nardus* appellata, ſecunda *montana nardus*, duæ ſequentes *agreſtis nardi* appellationem nactæ ſunt. Quatuor etiam herbæ ἑτερογενεῖς nomen habuere apud Græcos παρθενίου, ἡ ἄνθεμις, ἡ ἑλξίνη, ἡ λινόζωστις καὶ τὸ ἀμάρακον. Sic multis herbis τοῦ λευκανθέμου, aut χρυσανθέμου nomen inditum à flore candido & luteo, cum cetera tamen genere diſcreparent. Ita etiam à ξίφος non unius generis Græcis proditæ, ob acumen foliorum gladii aciem referentium. Hinc φασγάνιον, μαχαιρώνιον, ξίφιον, ξιφίδιον ſynonima, quæ unico nomine gladioli Latinis appellata ſunt, pluribus herbis ſpecie differentibus attributo. Nam ξυρὶς Græcorum diverſa ab eorum ſparganio, ac ξιφίῳ & iride; quibus omnibus tamen à folii figura *gladioli* nomen impoſitum. Sæpe etiam accidit, ut Herbarii aliqua ſimilitudine inducti, dum plantæ alicujus à ſe repertæ nomen ignorarent, id ei ponerent, quod jam alteri plantæ datum ſcirent, cui ſuam ſimilem eſſe volebant, & fortaſſe eamdem. Ex hac cauſa multas quoque ὁμωνυμίας prorepſiſſe certum eſt. Sic ἑλένιον Ægyptium Crateyæ diverſum à Græco Dioſcoridis. Sic ὀξυάκανθος Theophraſti longe alia ab oxyacantha Dioſcoridis. Myrtidanum quoque, quod habet Dioſcorides, non eſt idem cum myrtidano Hippocratis. Sexcenta talia afferri poſſunt: ſed & cauſæ quoque longe plures ὁμωνυμιῶν fingi ac ſtatui præter eas, quas retulimus. Cæterum nos his, quas poſuimus, erimus contenti, ut ad ὁμώνυμα ipſa diſcutienda pergamus, atque errores circa hæc commiſſos caſtigandos. Ab herbis ad arbores progrediemur, quæ in noſtro orbe proveniunt. Deinde ad Exotica & aromata gummiumque genera alieni orbis: poſtremo Metallica perſequemur. Non unius autem modi homonyma. Nec enim herba tantum herbæ cognominis, frutex frutici, arbor arbori, lapidique lapis deprehenditur, ſed etiam herbæ arborem ὁμώνυμον invenire eſt. Quod genus apud Græcos veteres frequentiſſimum. Ideo ab hoc incipiemus, & proximum primumque caput huic rei dabimus. Nam & inde non rara peccandi veteribus occaſio.

CLAUDII SALMASII

DE

PLINIO

JUDICIUM.



NUNC de Plinio primum dicere aggrediar quid judicii noſtri ſit, cujus gratia hic omnis incœptus labor & opera ſumpta, ut de Solino ſimiliter reddidi. Tum de inſtituti noſtri ratione quam pauciſſimis potero, abſolvam. De Plinio multa ſunt præfanda, quæ non poſſunt expediri paucis, quia partim inquirendum eſt in ſæculi veteris memoriam, partim præſens ætas inſtrui, ac veritatis honos contra antiquitatem aſſeri debet. Quod ſi repetimus uſque à principio renaſcentium litterarum (nec enim altius poſſumus, propter eas quas infra exponam cauſas) ab illo tempore diverſa ſemper hominum doctorum de Plinio, ac Naturali ejus Hiſtoria judicia extitiſſe deprehendemus, eoſque homines in duas ferè tantum claſſes diſtribui poſſe. Una eſt eorum, qui Plinium ſummo opere admirantur, & maximam ſcriptis ejus auctoritatem adſtruunt, quæcunque ab eo dicta ſunt, haud ſecus ac ſi ab oraculo profecta eſſent, pro veris ac certis habent. Altera eſt in contrariam partem diſcedentium, qui hunc auctorem adeo contemptim conterunt, ut infra omnes etiam infimos ſcriptores ponant: quod ad fidem attinet rerum earum quas narrat, eam omnimodis elevent, mendaciſſimum omnium bipedum eſſe, nihil veri ſcripſiſſe autument. Adeo rari ſunt qui in medio conſiſtant, ut propter eos tertia aliqua claſſis conſtituenda videatur. Si qui tamen ſunt, in his nomen profiteor meum. Si non ſunt, eum me eſſe palam teſtor, & tam ab his quam ab illis diſſentire profiteor, qui in extremis utriſque reſederunt. Longe tutius, mediâ viâ incedere. Non omnia condemnare, nec omnia rurſus adprobare rectiſſimum eſt. Difficillimum porro factu eſt hoc iter ſic inſiſtere, ut nunquam aberres. Ingenio acutiſſimo opus eſt, judicio exactiſſimo, doctrinâ perfectiſſimâ, ad ea diſcernenda in Plinio, quibus nigrum theta præfigendum eſt, & quibus faventia plauſuſque dandus. Non eſt cujuſlbet, fidem falſis ejus derogare, vera defendere, & hæc ab illis diſtinguere. Infinita vero ſunt, in quibus nemo unus hoc præſtare queat. Examen utcunque patiuntur illa, quæ ab auctoribus illis mutuatus eſt, quos fortuna nobis reliquos fecit. Ad auctorem ipſum ut ad fontem licet recurrere, ut ſciri poſſit, quæ cauſa turbidum rivuli hauſtum fecerit. Hæc obruſſa eſt, ad quam exigi convenit plumbum illud, quod pro auro nobis plerumque obtrudit, dum pro genuino auctoris ſenſu falſam ac depravatam interpretis ſententiam ex verbis alioverſum acceptis recipere cogimur. Ubi melior moneta præſto eſt, deteriorem hanc refutare facile eſt. Græca Theophraſti, aut Ariſtotelis, aut Dioſcoridis, quæ in promptu ſunt, cum Plinianis comparata, quid in iſtis mendoſum tinniat, quid ſubæratum ſit, aut adulterinâ formâ percuſſum, vel primo oculorum conjectu intuentem & intentum advertunt. Multi quidem heîc falluntur, & rarus eſt in hoc genere probi ac ſequioris nomiſmatis idoneus ſpectator. In tuto tamen ſic veritas locari poteſt, ubi vel unus aliquis reperitur, qui latentem eruat, atque in lucem protrahat è tenebris. Hæc ratio probatioque tanquam obruſſa, facile à periculo falſi approbandi vindicat, ſed in his dumtaxat auctoribus, quos ſupereſſe voluit temporum injuria, vel iniquitas fati. In cæteris, qui interciderunt, non arduum tantum negotium, ſed omnino inexplicabile. Ab iſta parte cæca omnia & incerta, nihilque penitus lucis admittentia, ſed quæ interim ſuſpicioni doctiorum pateant, interim credulitati imperitorum obnoxia ſint. Quod illos ſpectat, quibus ingenium natura dedit, aut doctrina fecit, magnum eſſet, ſi quis mediocriter intelligens credere poſſet, Plinium meliori fide aut majori diligentia uſum fuiſſe, dum excerperet ac verteret auctores, qui deſiderantur, quam uſus eſt in his, quorum ſcripta extant. Adverſum hos & illos eumdem prorſus ſe geſſiſſe oportet, nec alios adjeciſſe oculos, aut aliam mentem intendiſſe, cum hos quam cum illos legeret. Qui igitur non ignorant, quali fide verſatus ſit vertendis in Latinum ſcriptorum locis quos habemus, in reliquis quos deſideramus, parem negligentiam ac ſupinitatem ejus fuiſſe, merito ſuſpicari coguntur, ac parem ſententiam de omnibus ferre. Hæc profecto magna crux docto & acuto lectori, ubique cum diffidentia in opere illo ambulanti & nuſquam ſecuro, niſi cum pedem fert per explorata & cognita. In aliis quæ adhuc ſunt incomperta, qualis major pars eſt, non tutum ſeſe ſperat, niſi ſuſpenſo gradu incedat, ſemper vada prætentans, & foſſas latentes explorans, aut cæcorum more manus ſæpe obtendens, ne capite in parietes incurrat, aut crura deſcobinet, aut in præcipitium aliquod inſcius labatur. Cum omnia fecit cavitque, vix tamen effugere poteſt, quin in errorem aliquem incidat, & poſt

plures

plures inoffenso vestigio præteritos casus ex tot circumstantibus, in unum tandem maximè pœnitendum præceps devolvatur. Si necesse est talia multa accidere Plinium legentibus, etiam cum cura & examine, quid illis usu venturum putamus, qui ad eum evolvendum accedent absque illa suspicione, quæ stultam credulitatem ab errore & lapsu defendere calleat? Atqui hæc longè maxima turba est. Hi sunt qui Plinium in amoribus & deliciis habent: quorum in numero me haberi sane non nolim, sed ea conditione, ne unus existimer eorum amantium verè amentium, qui faciem quamcunque semel deperire cœperunt, egregiam eo ipso ducunt, & omnibus pulcritudinis atque venustatis numeris absolutam. Nihil vident in ea, nisi quod placet: ad alia omnia cæci sunt. Quod amo, id amare volo, etiam cum suis nævis. Hic amor cultu optimus, qui non oculos excæcat, nec nævos ex amato vultu subtrahit, sed amabiles reddit. Nemo perfectus est. Ergo nemo amandus est. Hoc non procedit. Ipsi qui amant, non carent vitiis, nec propterea semetipsos oderunt. In his qui amantur, vitia ipsa si non amanda sunt, certè toleranda sunt. Sic adversus Plinium animatos esse oportet, qui magnum eum virum fuisse non ideo desinent credere, quia multa peccasse in Historiis Naturalibus deprehendere incipient. Sic planè erga illum affectus sum. De opere hoc ejus generatim id debet statui, quod olim alter Plinius nepos ejusdem pronuntiavit, *opus esse diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsam naturam.* Atqui hæc ipsa natura sæpe abortus facit, sæpe monstra gignit. Non minus tamen in his quæ perficit, & quibus suam & ordinariam formam reddit, admirabilem undiquaque se prodit. Volumina illa Plinii, quibus rerum naturam explicavit, suis & ipsa scatent monstris, & plurimos ostendunt abortivos fœtus. Quod si nihil aliud haberent stupendum præter prodigia & carcinomata, propter hæc sola profecto nec amorem nostrum illiceret, nec admirationem provocaret. Sed alia sunt infinita, quibus magnus occurrit, & merito suspiciendus ac fovendus. Hoc solo nomine gratiam meretur præcipuam, quod deperditis auctoribus unde accepit, diligentiâ illâ suâ legendi ac colligendi, qua omnes vicit, res innumerabiles nobis transmisit, quarum memoria hodie omnis, absque illo esset, funditus intercidisset. Operis ipsius conceptio, ac conformatio dispositioque tota, grandis & capacis ingenii opus. Idque eo grandius & magnificentius existimari par est, quod nemo unquam ex omni ævo præter eum repertus sit, ne apud Græculos quidem illos loquaces & otiosos, qui universam Naturalem Historiam unius laboris & operis monumento consignarit. Alius scripsit περὶ κόσμου, & τὰ μετεωρολογικά. Alius γεωγραφικὰ composuit. Alius περὶ φύσεως ἀνθρώπου. Alius περὶ ζώων. Alius περὶ φυτῶν. Sunt qui μεταλλικὰ scripsere: sunt qui κηπουρικά. Alii γεωργικά. Quidam περὶ λίθων. Nonnulli omnem ὕλην ἰατρικὴν libris editis comprehenderunt. Plures plura ex his simul, & singula seorsim, scriptis voluminibus condidisse constat. Nemo unus hæc omnia. De stili ipsius, quo ista condidit, elegantia, gravitate, granditate tacere satius puto quam parum pro dignitate ejus ac merito dicere. Ἐν τῷ ἠθικῷ planè regnat, & in parte, quæ meliores, non doctiores dimittit. Ita efficacibus exemplis vitam commonefacit, utilibus præceptis instruit, vibrantibus sententiis extimulat, ut videri non possit aliter vixisse, quam dixisse, qui hoc modo vivendum esse monstrat. Nullam occasionem dimittit medicinam faciendi moribus. Quocunque loco, & sermone id facit, qui convenienter ad rem potest inseri. Bonos ubique inculcat, atque imprimit; pravos deprimit & gravat. Quoties in luxum perorat, in libidinem, & alia animi mala, tam potenter hoc agit, ut vitia ipsa pudeat non erubescere, quæ verecundiam primam de homine exterminant. Nemo acerbius reprehendenda coarguit, nemo altius laudanda evexit. Nemo disertius, quæ simpliciter exponenda fuere, narravit. Atque utinam, sicut huic parti satis superque ab illo esse factum videmus ita reliquas implesset, haud minus necessarias ei, qui studuerit omnium rerum divinarum, atque humanarum vim, naturam, causasque animo comprehendere, & oratione persequi. Quorum alterum abunde habuit ac præstitit, ut rerum magnitudinem, & varietatem, quas tractandas sumserat æquaret eloquio: In altera adeo infra mediocritatem substitit, ut potius inter infimos consistere jure censeri debeat. In scientiis dico, & cognitione earum artium, quas pertractat. In his usque adeo rudem, ac tironem ubique se fatetur, ut manifesto appareat, eum ante ad scribendum de his, quam ad cognoscendum venisse. Hoc illi commune cum veterum plerisque fuisse miror, quos ea litteris mandasse sæpe constat, quæ ipsi nescirent. Sane inter omnes ferè convenit, Aratum de cælo stellisque scripsisse, cum ignarissimus Astrologiæ esset. Nicandrum similiter aiunt, nulla rei rusticæ scientia præditum, ad Georgicôn libros versibus componendos se contulisse. Possem & alios recensere non paucos è Græcis Latinisque scriptoribus, qui res eas artesque memoriæ prodiderunt, quarum notitiam nullam perceperant. Qui fieri id pote, inquies? Immo potest. Nihil quippe facilius more illo pervagato ac tralaticio veterum, quo alii alios magna cum libertate impune exscribebant, & alienum laborem pro suo venditabant. Si imperitus itaque è perito sumat, qui de aliqua re prius tradiderit, & quod ab illo traditum sit transcribat, ut fecere multi; nimirum hic quod ipse ignorat, præcipit, & docere alios vult, quod nunquam didicit. Qui post Dioscoridem universam rei medicæ materiam, herbarumque vires & naturas è Græcis memoriæ tradiderunt, in verba ejus ita videntur jurasse, ut ab his latum unguem non discedant. Magni tamen illi Viri, & Medicinæ apud Græcos principes, Galenus, Oribasius, Aëtius, Paulus Ægineta, & alii. Dioscoridem quoque ipsum omnia ferè ab anterioribus accepisse certa apud me fides, ut Sextio Nigro, Tullio Basso, & aliis plerisque. Quamvis enim multam operam huic studio dedisse se jactet, & Sextium Nigrum in quibusdam reprehendat, quod ex aliorum relatione, non ex propria experientia & αὐτοψίᾳ herbas cognosset, infinita tamen illum ex eodem mutuatum esse video. Quod ex Plinio facile conjectare est, qui cum in omnibus ferme Sextii Nigri scrinia compilarit, in plerisque plantarum descriptionibus, quas è Sextio hausit, pares eas omnino cum his habet, quæ apud Dioscoridem habentur earumdem herbarum historiæ, iisdem verbis descriptæ. Sed de hac furtorum apud Græcos licentia & impunitate dicam infra suo loco.

CLAUDII SALMASII
DE
PLINIO
JUDICIUM.



NUNC de Plinio primum dicere aggrediar quid judicii nostri sit, cujus gratia hic omnis incœptus labor & opera sumpta, ut de Solino similiter reddidi. Tum de instituti nostri ratione quam paucissimis potero, absolvam. De Plinio multa sunt præfanda, quæ non possunt expediri paucis, quia partim inquirendum est in sæculi veteris memoriam, partim præsens ætas instrui, ac veritatis honos contra antiquitatem asseri debet. Quod si repetimus usque à principio renascentium litterarum (nec enim altius possumus, propter eas quas infra exponam causas) ab illo tempore diversa semper hominum doctorum de Plinio, ac Naturali ejus Historia judicia extitisse deprehendemus, eosque homines in duas ferè tantum classes distribui posse. Una est eorum, qui Plinium summo opere admirantur, & maximam scriptis ejus auctoritatem adstruunt, quæcunque ab eo dicta sunt, haud secus ac si ab oraculo profecta essent, pro veris ac certis habent. Altera est in contrariam partem discedentium, qui hunc auctorem adeo contemptim conterunt, ut infra omnes etiam infimos scriptores ponant: quod ad fidem attinet rerum earum quas narrat, eam omnimodis elevent, mendacissimum omnium bipedum esse, nihil veri scripsisse autument. Adeo rari sunt qui in medio consistant, ut propter eos tertia aliqua classis constituenda videatur. Si qui tamen sunt, in his nomen profiteor meum. Si non sunt, eum me esse palam testor, & tam ab his quam ab illis dissentire profiteor, qui in extremis utrisque resederunt. Longe tutius, mediâ viâ incedere. Non omnia condemnare, nec omnia rursus adprobare rectissimum est. Difficillimum porro factu est hoc iter sic insistere, ut nunquam aberres. Ingenio acutissimo opus est, judicio exactissimo, doctrinâ perfectissimâ, ad ea discernenda in Plinio, quibus nigrum theta præfigendum est, & quibus faventia plaususque dandus. Non est cujuslbet, fidem falsis ejus derogare, vera defendere, & hæc ab illis distinguere. Infinita vero sunt, in quibus nemo unus hoc præstare queat. Examen utcunque patiuntur illa, quæ ab auctoribus illis mutuatus est, quos fortuna nobis reliquos fecit. Ad auctorem ipsum ut ad fontem licet recurrere, ut sciri possit, quæ causa turbidum rivuli haustum fecerit. Hæc obrussa est, ad quam exigi convenit plumbum illud, quod pro auro nobis plerumque obtrudit, dum pro genuino auctoris sensu falsam ac depravatam interpretis sententiam ex verbis alioversum acceptis recipere cogimur. Ubi melior moneta præsto est, deteriorem hanc refutare facile est. Græca Theophrasti, aut Aristotelis, aut Dioscoridis, quæ in promptu sunt, cum Plinianis comparata, quid in istis mendosum tinniat, quid subæratum sit, aut adulterinâ formâ percussum, vel primo oculorum conjectu intuentem & intentum advertunt. Multi quidem heîc falluntur, & rarus est in hoc genere probi ac sequioris nomismatis idoneus spectator. In tuto tamen sic veritas locari potest, ubi vel unus aliquis reperitur, qui latentem eruat, atque in lucem protrahat è tenebris. Hæç ratio probatioque tanquam obrussa, facile à periculo falsi approbandi vindicat, sed in his dumtaxat auctoribus, quos superesse voluit temporum injuria, vel iniquitas fati. In cæteris, qui interciderunt, non arduum tantum negotium, sed omnino inexplicabile. Ab ista parte cæca omnia & incerta, nihilque penitus lucis admittentia, sed quæ interim suspicioni doctiorum pateant, interim credulitati imperitorum obnoxia sint. Quod illos spectat, quibus ingenium natura dedit, aut doctrina fecit, magnum esset, si quis mediocriter intelligens credere posset, Plinium meliori fide aut majori diligentia usum fuisse, dum excerperet ac verteret auctores, qui desiderantur, quam usus est in his, quorum scripta extant. Adversum hos & illos eumdem prorsus se gessisse oportet, nec alios adjecisse oculos, aut aliam mentem intendisse, cum hos quam cum illos legeret. Qui igitur non ignorant, quali fide versatus sit vertendis in Latinum scriptorum locis quos habemus, in reliquis quos desideramus, parem negligentiam ac supinitatem ejus fuisse, merito suspicari coguntur, ac parem sententiam de omnibus ferre. Hæc profecto magna crux docto & acuto lectori, ubique cum diffidentia in opere illo ambulanti & nusquam securo, nisi cum pedem fert per explorata & cognita. In aliis quæ adhuc sunt incomperta, qualis major pars est, non tutum sese sperat, nisi suspenso gradu incedat, semper vada prætentans, & fossas latentes explorans, aut cæcorum more manus sæpe obtendens, ne capite in parietes incurrat, aut crura descobinet, aut in præcipitium aliquod inscius labatur. Cum omnia fecit cavitque, vix tamen effugere potest, quin in errorem aliquem incidat, & post plures

plures inoffenſo veſtigio præteritos caſus ex tot circumſtantibus, in unum tandem maximè pœnitendum præceps devolvatur. Si neceſſe eſt talia multa accidere Plinium legentibus, etiam cum cura & examine, quid illis uſu venturum putamus, qui ad eum evolvendum accedent abſque illa ſuſpicione, quæ ſtultam credulitatem ab errore & lapſu defendere calleat? Atqui hæc longè maxima turba eſt. Hi ſunt qui Plinium in amoribus & deliciis habent: quorum in numero me haberi ſane non nolim, ſed ea conditione, ne unus exiſtimer eorum amantium verè amentium, qui faciem quamcunque ſemel deperire cœperunt, egregiam eo ipſo ducunt, & omnibus pulcritudinis atque venuſtatis numeris abſolutam. Nihil vident in ea, niſi quod placet: ad alia omnia cæci ſunt. Quod amo, id amare volo, etiam cum ſuis nævis. Hic amor cultu optimus, qui non oculos excæcat, nec nævos ex amato vultu ſubtrahit, ſed amabiles reddit. Nemo perfectus eſt. Ergo nemo amandus eſt. Hoc non procedit. Ipſi qui amant, non carent vitiis, nec propterea ſemetipſos oderunt. In his qui amantur, vitia ipſa ſi non amanda ſunt, certè toleranda ſunt. Sic adverſus Plinium animatos eſſe oportet, qui magnum eum virum fuiſſe non ideo deſinent credere, quia multa peccaſſe in Hiſtoriis Naturalibus deprehendere incipient. Sic planè erga illum affectus ſum. De opere hoc ejus generatim id debet ſtatui, quod olim alter Plinius nepos ejuſdem pronuntiavit, *opus eſſe diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſam naturam.* Atqui hæc ipſa natura ſæpe abortus facit, ſæpe monſtra gignit. Non minus tamen in his quæ perficit, & quibus ſuam & ordinariam formam reddit, admirabilem undiquaque ſe prodit. Volumina illa Plinii, quibus rerum naturam explicavit, ſuis & ipſa ſcatent monſtris, & plurimos oſtendunt abortivos fœtus. Quod ſi nihil aliud haberent ſtupendum præter prodigia & carcinomata, propter hæc ſola profecto nec amorem noſtrum illiceret, nec admirationem provocaret. Sed alia ſunt infinita, quibus magnus occurrit, & merito ſuſpiciendus ac fovendus. Hoc ſolo nomine gratiam meretur præcipuam, quod deperditis auctoribus unde accepit, diligentiâ illâ ſuâ legendi ac colligendi, qua omnes vicit, res innumerabiles nobis tranſmiſit, quarum memoria hodie omnis, abſque illo eſſet, funditus intercidiſſet. Operis ipſius conceptio, ac conformatio diſpoſitioque tota, grandis & capacis ingenii opus. Idque eo grandius & magnificentius exiſtimari par eſt, quod nemo unquam ex omni ævo præter eum repertus ſit, ne apud Græculos quidem illos loquaces & otioſos, qui univerſam Naturalem Hiſtoriam unius laboris & operis monumento conſignarit. Alius ſcripſit περὶ κόσμου, & τὰ μετεωρολογικά. Alius γεωγραφικὰ compoſuit. Alius περὶ φύσεως ἀνθρώπου. Alius περὶ ζώων. Alius περὶ φυτῶν. Sunt qui μεταλλικὰ ſcripſere: ſunt qui κηπουρικά. Alii γεωργικά. Quidam περὶ λίθων. Nonnulli omnem ὕλην ἰατρικὴν libris editis comprehenderunt. Plures plura ex his ſimul, & ſingula ſeorſim, ſcriptis voluminibus condidiſſe conſtat. Nemo unus hæc omnia. De ſtili ipſius, quo iſta condidit, elegantia, gravitate, granditate tacere ſatius puto quam parum pro dignitate ejus ac merito dicere. Ἐν τῷ ἠθικῷ planè regnat, & in parte, quæ meliores, non doctiores dimittit. Ita efficacibus exemplis vitam commonefacit, utilibus præceptis inſtruit, vibrantibus ſententiis extimulat, ut videri non poſſit aliter vixiſſe, quam dixiſſe, qui hoc modo vivendum eſſe monſtrat. Nullam occaſionem dimittit medicinam faciendi moribus. Quocunque loco, & ſermone id facit, qui convenienter ad rem poteſt inſeri. Bonos ubique inculcat, atque imprimit; pravos deprimit & gravat. Quoties in luxum perorat, in libidinem, & alia animi mala, tam potenter hoc agit, ut vitia ipſa pudeat non erubeſcere, quæ verecundiam primam de homine exterminant. Nemo acerbius reprehendenda coarguit, nemo altius laudanda evexit. Nemo diſertius, quæ ſimpliciter exponenda fuere, narravit. Atque utinam, ſicut huic parti ſatis ſuperque ab illo eſſe factum videmus ita reliquas impleſſet, haud minus neceſſarias ei, qui ſtuduerit omnium rerum divinarum, atque humanarum vim, naturam, cauſaſque animo comprehendere, & oratione perſequi. Quorum alterum abunde habuit ac præſtitit, ut rerum magnitudinem, & varietatem, quas tractandas ſumſerat æquaret eloquio: In altera adeo infra mediocritatem ſubſtitit, ut potius inter infimos conſiſtere jure cenſeri debeat. In ſcientiis dico, & cognitione earum artium, quas pertractat. In his uſque adeo rudem, ac tironem ubique ſe fatetur, ut manifeſto appareat, eum ante ad ſcribendum de his, quam ad cognoſcendum veniſſe. Hoc illi commune cum veterum pleriſque fuiſſe miror, quos ea litteris mandaſſe ſæpe conſtat, quæ ipſi neſcirent. Sane inter omnes ferè convenit, Aratum de cælo ſtelliſque ſcripſiſſe, cum ignariſſimus Aſtrologiæ eſſet. Nicandrum ſimiliter aiunt, nulla rei ruſticæ ſcientia præditum, ad Georgicôn libros verſibus componendos ſe contuliſſe. Poſſem & alios recenſere non paucos è Græcis Latiniſque ſcriptoribus, qui res eas arteſque memoriæ prodiderunt, quarum notitiam nullam perceperant. Qui fieri id pote, inquies? Immo poteſt. Nihil quippe facilius more illo pervagato ac tralaticio veterum, quo alii alios magna cum libertate impune exſcribebant, & alienum laborem pro ſuo venditabant. Si imperitus itaque è perito ſumat, qui de aliqua re prius tradiderit, & quod ab illo traditum ſit tranſcribat, ut fecere multi; nimirum hic quod ipſe ignorat, præcipit, & docere alios vult, quod nunquam didicit. Qui poſt Dioſcoridem univerſam rei medicæ materiam, herbarumque vires & naturas è Græcis memoriæ tradiderunt, in verba ejus ita videntur juraſſe, ut ab his latum unguem non diſcedant. Magni tamen illi Viri, & Medicinæ apud Græcos principes, Galenus, Oribaſius, Aëtius, Paulus Ægineta, & alii. Dioſcoridem quoque ipſum omnia ferè ab anterioribus accepiſſe certa apud me fides, ut Sextio Nigro, Tullio Baſſo, & aliis pleriſque. Quamvis enim multam operam huic ſtudio dediſſe ſe jactet, & Sextium Nigrum in quibuſdam reprehendat, quod ex aliorum relatione, non ex propria experientia & αὐτοψίᾳ herbas cognoſſet, infinita tamen illum ex eodem mutuatum eſſe video. Quod ex Plinio facile conjectare eſt, qui cum in omnibus ferme Sextii Nigri ſcrinia compilarit, in pleriſque plantarum deſcriptionibus, quas è Sextio hauſit, pares eas omnino cum his habet, quæ apud Dioſcoridem habentur earumdem herbarum hiſtoriæ, iiſdem verbis deſcriptæ. Sed de hac furtorum apud Græcos licentia & impunitate dicam infra ſuo loco.

De

De Celso celebre in primis fertur celeberrimi viri Quintiliani judicium, quo eum de omnibus scientiis & artibus conscriptis libris, dignum vel ipso proposito dicit, ut omnia illa scisse crederetur. Dignum nempe intelligi vult ea scisse, quæ nesciret, quia de omnibus scripserat. Plinium jure optimo in hac turba numerare vel principe loco licet, quæ ex aliorum suppellectili convasare & converrere, quod in sinum vertat, & unde suum aliquod opus condat atque concinnet. Enimvero dicat heîc aliquis, cum nihil de suo præbeat, sed omnia sua aliis debeat, professusque hoc ipsum sit, peculiari Indicis libro adscriptis nominibus omnium, per quos profecerit, si quid titubavit, cur alienam culpam sustinere eum volumus, quæ conferenda est in auctores suos? Profecto vel idipsum tenebitur præstare, quod malos male sequutus sit. Quorsum enim eos elegit, aut eorum recepit auctoritatem, quos debuit scire rejici posse, & fidei sublestæ condemnari? Si nesciit & falsus ipse est, hæc ejus quoque culpa fuerit. An non hoc erit, quod diximus, tradidisse illum posteris, quæ ignorabat, quæ perspecta nunquam habuerat, & in quibus prorsus cæcus erat? Ceterum non in hac tantum parte peccavit, quod eorum fidem sequi ausus sit, qui ipsi peccassent. Derivemus ab eo hunc errorem in eos, qui ipsi auctores ac duces fuere. Longe alia sunt, & ea quidem innumerabilia, quæ suo nomine præstabit. Ligna, lapides, cæmenta, lateres, arena, aliorum sunto. Judicium, & spectatio nonne penes ipsum, qui meliores materias assumere ad hoc ædificium debuit? Sed illud majus. Ipse architectus, ipse ædificator, ipse inspector operis fuit. Planities areæ non recte librata, non bene jacta fundamenta, perperam locata cæmenta, nimis parcè farti parietes, tectoria rimosa, lumina non suo loco aperta, longitudines ad lineam non respondentes, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam non exacti, & quæcunque alia in fabrica parum emendatâ cernuntur, fabrum respiciunt, & imperitiam ejus arguunt. Etiam in minimis artificis ingenium & prudentia elucescunt. Plinio in summa operis constituenda nec ingenium fortasse, nec sollertia defuit. Materia etiam perbona usus est, & instrumentis ad ædificandum probis & idoneis. Universa totius ædificii figura satis decentem & convenientem habet speciem. At in singulis membrorum partibus non pauca claudicant, nec respondent ad summam suæ symmetriæ. Interiora præcipuè laborant, multa in his dissonant, multa vitium sonant. Quamplurima perverso ordine collocata, plurima inversa, & contrario situ resupina. Interdum ibi fores sunt, ubi fenestræ esse debent, columnæ Doricæ pro Ionicis statutæ. Lecti cubitorii sedem occupant tricliniarium: mensa pro abaco strata, abacus positus loco mensæ. In universum consideratus hujus fabricæ conspectus, sumptuosum, magnificum, & ingeniosum ostendit architectum: per partes vero ad spectandum sumptus, magnum in eo judicii doctrinæque defectum ubique prodit. Nec sane mirandum est unum aliquem hominem, qualis extitit Plinius, non omnia exhibuisse, quæ desiderabantur ad tantam illam molem, quantam animo conceperat, perficiendam, cui digne & ex merito consummandæ vix multorum talium suffecturam industriam nemo non agnoscat. Tot scientias, quot libris illis concludere voluit absolutas, non unum pectus capit, vix una plurium ætas percipit, vix plura sæcula perficiunt. Ut summus vir in plerisque earum fuerit, quod non negamus, non in omnibus fuit; certè homo fuit, quod nemo potest negare. Fuisse diligentissimum credimus, sed eundem occupatissimum quoque fuisse discimus, districtum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum; deinde nec vitam illi contigisse longam. Postremo cogitandum, non hæc sola volumina, quibus omnes naturæ partes & opera scrupulosè exposuit, sed alia innumera hominem alias occupatum & ævi brevis absolvisse. Non hæc tot ac tanta peragere, quin interdum nimis properaret, & nimia festinatione propositum urgeret, potuit. Quod illi sæpe fraudi fuisse, præcipuè in his de Natura historiis, animadverti passim datur. *Super cænam*, inquit ejus Nepos, *liber legebatur, adnotabatur & quidem cursim.* Ex adnotationibus hujusmodi cursim & properanter excerptis hos libros Naturalis Historiæ compositos liquet. *Post cibum, sæpè*, ut scribit idem Nepos, *æstate, si quid otii, jacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque. Nihil enim unquam legit, quod non excerperet.* Videtur igitur, priusquam manus admoverit institutæ scriptioni, quidquid ad eam rem pertinere intelligeret, quam in animo & cogitatione formatam præceperat, ex variis auctoribus id adnotasse, excerpsisse, & in opistographos commentarios sive Adversaria retulisse, sub certis titulis digestum: ex quibus postea quod voluit sumpsit, quasi materiam paratam ad illud ædificii corpus excitandum, quale nunc videmus extare. Ad hunc usum Adversaria nota veteribus, in quibus tumultuariâ & confusaneâ operâ perscribebant omnia, quæ memoriæ suæ subsidio esse volebant, eo consilio, ut eadem postea in ordinem digererent, & in tabulas aut alias chartas referrent. Adversaria enim propriè chartæ etiam in aversa parte scriptæ, cum de more esset chartas in altero tantum latere scribi. *Aversaria* itaque potius quam *Adversaria* debere dici crediderim, quod in aversa etiam parte notari solerent, quæ Græcis ab eadem ratione ὀπισθόγραφα. Multis autem locis apud auctores librariorum culpa, *adversum* pro *averso* legere est. Non igitur *Adversaria* dicta, quod advertant memoriam, ut placere video viris doctissimis; sed *Adversaria* erant opistographæ chartæ & commentarii, studiosis præcipuè usitati, ut essent in quibus excerpta ex auctoribus, quos legebant, adnotarent. Qualia confecisse Plinium verisimile est earum materiarum, quas selegerat ex varia scriptorum lectione, condendis ingentibus de Natura voluminibus destinatas. Hujusmodi opistographos Electorum commentarios, usque ad centum sexaginta, sibi reliquisse Avunculum suum tradit Plinius, & minutissimè quidem scriptos. Hæc erant veterum *Aversaria*. Sub certis posuisse titulis in Aversariis suis, quæcunque lectitasset ac notasset, uno sed illustri exemplo patefaciam. Theophrastus lib. IX. de Historia Plantarum cap. IX. morem superstitiosum tangit in certis colligendis herbis apud medicamentarios & herbarios usitatum, præsertim in panace Asclepieo, & xyride. De his hæc verba scripsit: οἷον τὸ πανακὲς Ἀσκληπίειον τέμνοντες ἀντεμβάλλειν τῇ γῇ παγκαρπίαν μελιτοῦταν: ὅταν δὲ τὴν ξύριν, τριμήνους μελιτοῦτας ἀντεμβάλλειν

βάλλειν μισθόν. τέμνειν δὲ ἀμφήκει ξίφει περιγράψαντες εἰς τρεῖς. Ratio & ſimilitudo ſuperſtitionis in utraque hac herba legenda ſolemnis, poſtulare videbatur, ut locus non divelleretur, ſed totus & integer afferretur. At Plinio dividuum facere, ac ſcindere placuit. Alteram partem, quæ de panace eſt, retulit lib. xxv. cap. iv. Alteram de xyri expoſuit lib. xxi. cap. vii. ubi de iridis herbæ generibus, ac differentiis agit, & in verbis Theophraſti τὴν ἶριν pro ξίριν legit. Sub titulo igitur *de iride*, verba Philoſophi de modo evellendæ xiris adſcripſit. Sub titulo *de panace*, locum illum alterum, qui methodum legendi panacis continet, repoſuit. Nullum tamen heîc Plinii peccatum, quod diſcerpſit quæ ſententiæ moriſque quadam cognatione cohærebant, ſed quod ſenſum ex eadem ſententia diverſum elicuit. Nam in panace id aliter interpretatus eſt, quam xiride, cum res eadem ſit. De panace ita poſuit: *Hac evulſa ſcrobem repleri vario genere frugum, religio eſt ad terræ piamentum.* Hæc mens utcunque Græcorum eſt, niſi quod non vario genere frugum ſcrobem repleri ſimpliciter dicunt, ſed placenta ex vario frugum genere facta. Hæc παγκαρπίας μελιτοῦττα. Sic enim in Græcis legendum. Παγκαρπίαν Grammatici exponunt πανσπερμίαν. Plinius ita accepit, quaſi παγκαρπία tantum ibi legeretur. In ſcrobe igitur, unde effoſſa fuerat radix panacis Aſclepiei, quaſi ad terræ piamentum, placenta ex vario frugum genere compoſita, vice ejus reponebatur. Hoc eſt proprie ἀντεμβάλλειν, nimirum in locum alterius aliquid injicere ac ſubſtituere: unde ἀντεμβαλλόμενα Medicorum. Eadem planè conſuetudo ac religio in effodienda xyri invaluit, & ſimiliter placentas in effoſſæ locum poni ſuperſtitio ſuaſit. Idem verbum ἀντεμβάλλειν pariter & in hac Auctor uſurpavit. Hôc tantum in utraque differens, quod placenta quæ in ſcrobem evulſi panacis injiciebatur ex omni frugum genere compoſita erat: placenta vero illa, qua replebant effoſſæ xiridis locum, ex trimeſtri frumento fiebat. Verba Theophraſti: ὅταν δὲ τὴν ξίριν, τριμήνους μελιτούττας ἀντεμβάλλειν μισθόν. Ubi corrigendum conſtat, τριμήνου μελιτούττας, id eſt, *placentas ex trimeſtri ſemine.* Plinius tamen longè alium his ſenſum dedit, quam dederat ſuperioribus. Ita enim reddidit: *& foſſuri tribus ante menſibus mulsâ aquâ circumfusâ, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumſcripto mucrone gladii orbe triplici.* Atqui non foſſuri, ſed poſtquam effodiſſent hoc facere ſoliti. Nec mulſam aquam circumfundebant, ſed mellitam placentam imponebant loco, ubi fuerat xiris, atque unde eruta erat. Μελιτοῦτταν ſanè aquam eſſe mulſam nemo Græcè peritus dixerit, nemo legit. Sed Grammatici omnes μελιττοῦταν exponunt, μάζαν μέλιτι δεδευμένην, & πλακοῦντα. Ridiculum etiam illud, quod τριμήνου μελιτοῦτταν, Latinè vertit, *aquam mulſam quæ cribus ante menſibus circumfunderetur* Τρίμηνον nemo neſcit genus eſſe frumenti, quod *trimeſtre* Latini dixere, cujus etiam apud Theophraſtum aliis locis occurrit mentio. In paucis verbis vides plura peccata. Si μελιτοῦττα heîc aquam mulſam ſignificat, profecto & in ſuperiore membro idem ſignificaverit, ubi μελιτοῦττα παγκαρπίας dicitur. Si ἀντεμβάλλειν heîc poſitum pro circumfundere, ut accepit Plinius, illic quoque eumdem ſignificatum recipere debeat. Cur ergo tam diversè utrumque expreſſit, quod eumdem utrobique ſenſum habebat, & in eadem quidem periodo? Non poterat iſtic offendere, ſi totum locum, ſicut eſt apud auctorem, oculis ſuis ſubjeciſſet. Sed eum diſparatum ſejunctumque diverſis libris & capitibus, ſicut in Averſaria eum regeſſerat, diverſis quoque temporibus relegit, cum ad ſcribendum ſe comparavit. Ideo quando de panace ſcripſit, oblitus jam erat, quid de xiride dixiſſet. Magis mirum in re eadem, quam bis deſcripſit, hoc ipſum incurriſſe, ut alio ſenſu alibi reponeret. De valvis templi Dianæ Epheſiæ tradidit idem Theophraſtus, eas jacuiſſe reconditas τέτταρας γενεάς. Plinius lib. xvi. cap. xl. *quandringentos annos* vertit, quia multi γενεὰν centum annis determinarunt. Ubi etiam falſa interpretatione colligit, templum illud Epheſiæ Dianæ quadringentis annis peractum fuiſſe, totâ Aſiâ extruente. Quæ ſententia ab auctoris mente maximo diſtat intervallo, ut alibi docuimus. Idem alio libro, τέτταρας illas eaſdem γενεὰς Theophraſti pro centum viginti annis accepit, quod γενεὰν rurſus quidam Græcorum triginta tantum annorum ſpatio circumſcripſerunt. Notavi mihi parem ejus in aliis inconſtantiam, & præcipuè in nominibus menſurarum ex Græco expreſſarum. Σπιθάμην in ariſtolochia quatuor digitorum longitudinis facit. In trago, helioſcopio, tithymallo, & elatine ſemipedalis altitudinis conſtituit. In agerato duûm palmorum, quod idem eſt. Alibi reddit dodrantem. Nuſquam ſibi conſtat. Apparet ex tumultuariis illis commentariis, quibus materiam ad ſcribendum deſtinatam commiſerat, omnia illa deprompſiſſe, quæ poſtmodum miſit in litteras. Hinc factum, ut multa ordine turbato temerèque congeſſerit, dum ad fontes non revertitur, ſed titulis interdum malè conceptis fidit, interdum aliena ſede poſitis. Quinimo verba auctorum plerumque dimidiata, locata ſub his aut lemmati non reſpondentia, immemorem jam, quid ſequeretur, quid præcederet, in falſas & abſurdas ſententias ire coëgerunt. In his quæ per ſeriem Alphabeti digeſſerat, βράβυλα nomine tenus commemoraverat, adjecto ſpiſſandi vim ea habere cottonei mali modo. Cum ea ex Averſariis repeteret, nec meminiſſet, arborne eſſet, an herba, inter herbas illa repoſuit, additque nihil amplius de ea tradere auctores. Atqui βράβυλα veteribus Græcis pruna ſunt, quæ alii Græci κοκκύμηλα & Δαμασκηνὰ vocarunt. Rhodienſium præcipue & Siculorum eam eſſe vocem Grammatici adnotant, & ſilveſtria pruna eſſe quidam volunt. Heſychius βράβυλον κακοῦ φυτοῦ εἶδος eſſe dicit. Theocritus:

Ὅσον μῆλον βραβύλοιο ἥδιον.

Videndus de his Athenæus. Galenus quoque τὰ βράβυλα commemorat, & ſpiſſandi vim habent, ſuntque Dioſcoridis ἀγριοκοκκύμηλα. Florentinus in Geoponicis, βράβυλον propriè dici aſſerit arborem, quæ provenit ex oſſe Perſici. Leucographidem ſimiliter idem Plinius inter herbas quas per ſeriem litterarum diſpoſuit; numerat, quam tamen eſſe lapidem conſtat, & alibi locum ei inter lapides dedit. Sed cum nomen λευκογραφίδος ſic nudè poſitum ex auctore aliquo, qui inter lapides eam recenſuerat, in commentarios retuliſſet, oblitus eſſe lapidem, voluit eſſe herbam. *Leucographis*, inquit, *qualis eſſet, ſcriptum non reperi: quod eo magis miror, quoniam utilis proditur* ſan-

ſanguinem excreantibus. Immo reperiſti, ſed in Averſariis nomine ejus ſolo invento cum facultatibus, quas in medicina habet, pro lapide herbam ſomniaſti. Auctor vero ille, unde ſumſit, in latercu[illegible] lapidum vi medica præſtantium ſcripſerat: λευκογραφὶς παρεμπλάσσει, ἁρμόζουσα ἐπὶ αἱμοπτοϊκῶν, ϗ κοιλιακῶν. Atqui ea ipſa eſt leucographis; quam & *galactiten* alibi vocatam aſſerit, & inter gemmas ordine alphabetico recenſitas ponit: *Galactites, ſive leucogæas, ſive leucographis, ſive ſmectis.* Ita legenda verba Indicis manu exarati. Ex eadem cauſa & origine manavit error, quo loton Ægyptiam, quæ ſpecies eſt nymphææ, confundit cum loto communi. De illa vulgari loto agens lib. XXII. cap. XXI. ita ſubjunxit: *Eſt & lotometra, quæ fit ex loto ſata, ex cujus ſemine ſimili milio panes fiunt in Ægypto à paſtoribus.* Lotos illa, de qua apud eum præceſſit, eſt λωτὸς ἥμερος Dioſcoridis, quam & Homerus inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati, primam nominavit. Atqui ex illa loto ſata neutiquam fieri poteſt lotometra Ægyptia, qui frutex in totum diverſus, & paluſtris ex nymphæarum genere. Fit illa lotometra, ex loto Ægypria ſata. Auctor Græcus, à quo hæc tranſtulit, herbas in Ægypto naſcentes tractabat, & inter eas loton paluſtrem fruticem Nili memorabat. Ex ea porro loto, quæ ſata eſſet, lotometram fieri dixerat, id eſt, grandiorem loton, utpote quæ ſatu major exiſteret. Hæc enim hujus nominis ſignificantia, ut *echinometra*, & *ortygometra.* Inſignem heîc Plinii ablepſiam liceat animadvertere, qui loton iſtam faciat eamdem cum trifolia loto: ſed & inconſtantiam non minorem, quum alibi rectè diſtinxerit. Lib. XIII. cap. XVII. de arbore loto: *Eſt autem eodem nomine & herba & in Ægypto caulis paluſtrium genere. Reſidentibus enim aquis Nili riguis, provenit ſimilis fabæ, caule foliiſque denſa congerie ſtipatis.* Et hoc loco geminus error priori. Loton Ægyptiam ſimilem eſſe dicit caule, & foliorum congerie, fabæ. Hoc falſum de faba communi, à qua toto genere differt lotos illa Ægyptia. Scriptor, unde hæc exſcripſit, agebat de fruticibus & herbis Ægyptii ſoli peculiaribus. Inter eos & faba fuit Ægypti propria, quam & colocaſiam dixere. Huic ſimilis lotos. Immo & fabam illam, loti alterum genus tradidere quidam. Κύαμον igitur auctor ille neſcio quis ſimpliciter nominarat, & Ægyptium intelligebat, quia res Ægypti ibi erant in narratione. Quod non poteſt apud Plinium intelligi, nec datur aliter ſumi, niſi de faba vulgari. Palam eſt itaque ex commentario ſuo, in quo præcerptum auctoris locum adnotaverat, hæc verba tranſtuliſſe, non ex auctoris ipſius libro. Ecce alia non ferenda incogitantia ex titulo, ut apparet, malè locato, & ſubjecta materia ad rem tituli non faciente. Lib. XIX. cap. XI. ita ſcribit: *Nam quod ad permutationem ſeminum attinet, quibuſdam ex iis firmitas major eſt, ut coriandro, betæ, porro.* Permutatio eſt ſeminum, cum alia ſpecies in aliam degenerat ac permutatur, ut frumentum in lolium, & ſimilia. At *firmitas* dicitur, qua diu incorrupta durant ſemina. Hæc διαμονὴ in Græco ſcriptore vocatur, illa ἀλλοίωσις, & de utraque tractat eodem capite. Plinius ſtupendâ μετεωρολογίᾳ, cum de altera propoſuiſſet, de altera exemplum attulit, mirabili prorſus ἀλλοιώσει. Non difficile mihi eſſet hujus generis alia producere, ſed crimine ab uno cetera damus noſcenda; quæ etiam peti poterunt, cum ex his Exercitationibus, tum ex Obſervationibus, quas in eum dabimus. Profecto verum magis eſt quam veriſimile, dum ſequitur calorem & impetum ingerendi chartis, quidquid occurreret inter legendum excerpi dignum, & quod faceret ad inſtitutum, ordinis ſæpe præ feſtinatione non magnam habuiſſe curam. Hanc illi fuiſſe ſylvam ad deſtinatum opus. Mox dum eam repetit, ut componeret ac ſtilo indueret, quæ nuda notaverat, nonnulla quidem meliori ſitu ac ſerie diſpoſuiſſe, ſed magnam partem, ſicut erat in excerptis, indigeſtam & inordinatam reliquiſſe, oratione modo perpolitam & verborum ſplendore illuſtratam. Cui parti eum magis attendiſſe quam rerum veritati, indubitata fides. Præterea quod erat neceſſe in tanto labore & tam operoſa tot rerum coacervatione, alienâ operâ uſum eſſe, credi par eſt. Proinde ſæpiſſime conſtat deceptum ab his, quibus aliquid quærendum injunxerat. Aliquando etiam video illum non rectè audiſſe, quæ pronuntiarat Anagnoſtes, atque ex aurium vitio non raro prolapſum in plures pœnitendos errores. Tales ſanè frequenter commiſit, in quos non poterat cadere, ſi oculos ſuos lectioni ipſe commodaſſet. Sed & ex Plinio nepote diſcimus, Lectori ſolitum illum dare operam, quo legente ipſemet excerpebat adnotabatque, quæ ad propoſitum facerent, & memoratu digna viderentur. Sic dum non legit, ſed legenti præbet aurem, ἄσφαλτον pro ἀσπάλαθον perperam audivit, & bitumen loco aſpalathi in compoſitione vini aromatitis addidit. Ita enim codices omnes ſcribunt lib XIV. cap. XVI. *Aromatiten quoque invenio factitatum tantum non unguentorum compoſitione, primo ex myrrhâ, ut diximus, mox & nardo Celtico, calamo, bitumine.* Alibi ῥυπαρὰ φύλλα ἀντὶ τῶν λιπαρῶν accepit ex mala auditione, & *ſordida folia* pro pinguibus reddidit. Ex harundine Indica prodigioſæ magnitudinis, cujus fiſſa internodia, ſingula lembum dabant vel trium hominum capacem, jacula fieri apud Indos inde commentus eſt, quia ἀκόντια, non ἀκάτια lector non bene intellectus auribus ejus inſinuaverat. Ex eodem genere eſt κατὰ τὰ ἁλμυρὰ perperam, vel pronunciatum, vel auditum pro κατὰ Πάλμυρα. Hinc illa hallucinatio lib. XV. cap. VII. *Sponte naſcitur in Syriæ maritimis, quod Elæomeli vocant.* Nimirum putavit Lectorem dixiſſe, Ἐλαιόμελι κατὰ τὰ ἅλμυρα τῆς Συρίας. Apud Dioſcoridem habetur, κατὰ Πάλμυρα τῆς Συρίας. Atque ita legit, aut legere utique debuit Anagnoſtes, quem non aſſequutum eſſe manifeſto pignore probatur. Sic alibi folia glycyrrhizæ ἐχίνῳ ſimilia audivit, Anagnoſte legente ὅμοια σχίνῳ. Atque hanc ſolum habuit cauſam, cur eam herbam inter ſpinoſas referret, quam ſpinis carere conſtat. Aurium etiam ejus culpa eſt, quod εἰς τύψιν ἐλαίου quodam loco legi putavit pro εἰς σύψιν ἐλαίου. Quod reddidit Latine *ad domandum oleum*, cum ſententia flagitet *oleum ſpiſſari*, non domari. Ex ſimili errore deſcendit, quod florem ſmilacis lilium olere ſcripſit. Auribus utique ſuis id imputabit, quæ λείρινον pro ἠρινὸν ſuggeſſerunt. Florem ſmilacis vernum eſſe & veris tempore prodire Græca indicant, non lilium olere. In quo ſignificatu non poſſe capi λείρινον, ſcire potuiſſet, ſi Græcè ſciſſet. Unguentum λείρινον, ut ῥόδινον, & κρίνινον Græci dicunt. At quod lilium

lium oleat, nunquam λείρινον dixerunt, sed λειριῶδες τῇ ὀσμῇ, aut τὴν ὀσμὴν λειριώδη ἔχον. Prætermissis de genere hoc ceteris, quæ numerus non capit (adeo multa sunt) quæque ad manum prompta, unum adhuc adferam notabile in primis, in quo hæc illi ratio imposuit. Theophrastus inter herbas, quæ in alieno sedem habent, polypodion quoque meminit ἐπί τισι δένδροις, in quibusdam arboribus nasci. Plinius male purgatis auribus ita cepit, quasi dictum esset, ἐπὶ τοῖς συνδένδροις. Græci Tempe vocant τὰ σύνδενδρα χωρία, Hesychio & aliis Grammaticis exponentibus Τέμπη, τὰ σύνδενδρα χωρία. Quia autem ex locis hujusmodi celebratissima Tempe Thessalica, ea re Plinius, cum locum illum Theophrasti converteret, polypodium dixit circa Thessalica Tempe nasci. Vix fieri poterat, ut istic offenderet, si librum ipsum consuluisset, ac non oculis alienis credidisset. Sed ne sic quidem errandi ex eo occasionem cum venia traheret, si rerum intellectum ullum, quæ legebantur, habuisset. Muneris ejus fuit, Lectorem corrigere non rectum tenentem cursum: si quid dubitationis ex prava lectione oriretur, cogere ut relegeret. Sed tanta parsimonia erat temporis, ut amicum vehementer aliquando increpuerit, quod lectorem quædam segniùs pronuntiantem coëgisset relegere. Non mirum itaque, si isti properantiæ multa objecta, quæ lentè festinans non incurrisset. In postremo certè exemplo citra excusationem probabilem lapsus est. Si scisset, quid esset polypodion; si attendisset, qua de re ibi ageretur apud Philosophum, talis hallucinationis moram non habuisset liberam. Nempe ibi loquitur Theophrastus de herbis in aliena sede nascentibus, ac viventibus. Exemplum inter cetera affert de polypodio herba quam ἐπί τισι δένδροις nasci ait. Et certe eam in vetustis quercuum truncis ac multo musco circumlitis crescere tradit Dioscorides. Quid igitur in mentem venit Plinio dicere polypodium circa Tempe Thessalica nasci, etiam si centies audisset ἐπὶ τοῖς συνδένδροις, pro ἐπί τισι δένδροις? Ex absurditate rei suspicari debuit, perperam oculis suis usum esse bellum illum Analecten, & ex ea suspicione jubere ad locum male lectum reverti, vel ipse librum inspicere. Tale est, quod eodem capite scripsit, hippophæston nasci in spina fullonia. Unde hoc sumptum? Hippophaës, spina fullonia. Huic adjungit hippophæston Dioscorides, spinam & ipsam adæque fullonum usibus servientem, quam & iisdem locis provenire memorat, quibus hippophaes: φύεται ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις, ἐν οἷς καὶ τὸ ἱπποφαές. Plinius ita videtur hæc accepisse, quasi hippophæstum in hippophaë spina fullonia nasceretur. Certe etiam hippopheos alibi recenset, quod cum epithymo idem esse prodit. Sed hippopheos idem quod hippophaës, diversum omnino ab epithymo. Epipheos autem epithymi vel casytæ genus, quod in pheo spina sive stœbe innascitur. Alii vocant ἐπιστοίβην. Illud epipheos confundere imperite Plinium cum hippopheo, alibi docuimus. Quibus omnibus & aliis innumeris paulo post exponendis, clarius luce liquidâ fit, nihil eorum, quæ litteris mandavit, arte aliqua aut scientia sibi ab aliis traditum, vel experientiâ propriâ compertum tenuisse, sed omnia quæ in scriptis aliorum reperit, qua Græcis, qua Latinis, in sua transtulisse. Ac de Græcis quidem eo difficilior, & operosior ei fuit sumendi ratio, quod convertenda fuēre. Non igitur heîc scientia rerum percipienda modo ad plenum fuit, ut nihil peccaretur, sed etiam lingua examussim perdiscenda. Duplex sane labor. Neutri satisfecisse Plinium, faciam planum. Scientiæ singulæ sua habent vocabula τεχνικά, quæ nisi artis peritis, vix aliis quantumvis in eodem sermone doctis, nota sint. Durum esset exigere, ut in his Noster rectè vertendis aliquantum saperet, quandoquidem rerum ipsarum, quibus exprimendis facta sunt vocabula, cognitionem ei omnem jure meritoque abstulimus. Ferrem itaque libenter eum, si in his τεχνικοῖς duntaxat aliquid admisisset, quod reprehendi posset. At quis ferat vel patientissimus, quod non in remotis tantum ac reconditis, quibus artium arcana constant, sed in protritis & obviis, vulgique sermone atque usu promiscuis, sæpissime errat. Propter quæ nec fautoribus ejus spes ulla relinquitur ad obtinendum, ut ne Græcæ linguæ imperitia ei impingatur. Rationem ducamus, & sedeamus ad calculos. Ἄκρεον Græcis idem quod ἄκρον, summitas cujusque rei vel apex. Hoc sensu non solum usurpata hæc dictio Hippocrati, Theophrasto, aliisque veterum, sed etiam Dioscoridi, & Galeno, & quibusdam recentiorum. Avenæ semen bifidis apicibus divisum in summo, quæ dicuntur Dioscoridi ἄκρεα δίκωλα, in his verbis: καρπὸν ἢ ἔχει ἐπ' ἄκρῳ ὥσπερ ἄκρεα δίκωλα. Quasi *bicrures pediolos* liceat vertere. Plinius *locustas* esse maluit, quasi ἀκρίδας scriptum esset. Quomodo hodie ediderunt ex auctoritate Plinii contra librorum fidem. Nihil ego in avenæ semine video, quid sit parvis locustis comparandum. Nemo ignorat, λιθόκολλα Græce dici vasa gemmis intexta, quæ & λιθοκόλλητα vocantur, ut χρυσόκολλον idem quod χρυσοκόλλητον. Theophrastus narrat, Bactrianas smaragdos intexi solitas calicibus & vasis, quæ *gemmata* Latine appellantur, id est, λιθόκολλα, οἷς ἢ εἰς τὰ λιθόκολλα χρῶνται ἐκ τῆς Βακτριανῆς εἰσὶ πρὸς τῇ ἐρήμῳ. Colligi vero eas in arena tradit, flantibus maxime etesiis, quia venti illi arenas movent, & internitentes tellure detersa smaragdos aperiunt: Συλλέγουσι δὲ αὐτοὺς ὑπὸ τοὺς ἐτησίας ἱππεῖς ἐξιόντες. Τότε γὰρ ἐμφανεῖς γίνονται κινουμένης τῆς ἄμμου. Plinius λιθόκολλα illa *commissuras saxorum* interpretatur, & in his inveniri smaragdos Bactrianas refert: *Proximam laudem habent, sicut & sedem Bactriani, quos in commissuris saxorum colligere dicuntur, etesiis flantibus tunc enim tellure detecta nitent, quia iis ventis maximè moventur.* Si non vis verbi, saltem sensus communis debuit abducere Plinium ab ea sententia, quam loco illi tribuit. Quippe si in arenis reperiuntur, quas vis ventorum moverit, certè in commissuris saxorum inveniri non potuit dicere. Utrumque vult, & arenas motas eos ostendere, & tamen etiam in saxorum rimis hærere. Quod nescio, an conveniat. Certe non hæc est mens Græci scriptoris. Deinde non ait ille, ἐν τοῖς λιθοκόλλοις inveniri, sed οἷς χρῶνται εἰς τὰ λιθόκολλα, *quibus utuntur ad vasa gemmata*, quos illigant & intexunt poculis. Cui Græce docto poterit persuaderi, λειώματα esse lomenta, sicut Plinius reddidit, cum sciat, sic dici colores tritos, & dilutos ad tabulas pingendas, aut inducendas tectoriis? Politiones ipsas tectoriorum ita vocare possis. Nam & *liare* Latini dixerunt

facto

facto inde vocabulo, quod est, tectorio inducere: τὸ λειοῦν. Sed apud Theophrastum λειώματα sunt colores triti, & ad pingendum præparati. De cæruli pigmenti generibus: βέλτισος δὲ ὁ Αἰγύπτιος εἰς τὰ ἀκρατέσερα λειώματα. Meraci coloris cæruleum ita vocat. Ὁ δὲ Σκυθικὸς εἰς τὰ ὑδαρέσερα. Ut vinum ὑδαρὲς opponitur τῷ ἀκράτῳ, ita quoque colores meraci dilutioribus. Nam vini color, qui aqua temperatur, ex austero colore remittitur. Inde metaphora ad colores intensiores & remissiores, ut illi meri, hi diluti dicantur. Plinius vero sic reddidit: *Scythicum hoc diluitur facile.* Non vult Theophrastus Scythicum cæruli genus facile dilui, sed optimum esse ad colores dilutiores temperandos, ut contra Ægyptium melius temperaturis austerioribus. *Lomentum* paulo post interpretatur, τὸ λείωμα Theophrasti. At λείωμα proprie quod teritur ac diluitur, ut colores pictoribus. Unde λειοτειβεῖν. Hesychius: λειοκώνητος, ἡ λείωσις, κόνις διαλελυμένη. Lomentum vero est σμῆγμα. Ut lomenta balneorum. Lomenta & aphronitra apud Ciceronem in Epistolis. Explicare id etiam voluit Plinius & λείωμα κυανοῦ lomentum quod ex cærulo fit, lavando terendove perfici dixit. Apparent, quid λείωμα significaret, non intellexisse. Ne illud quidem Græce intelligentis fuit, quod φοίνικα παρεμφέροντα τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ, palmam exposuit, *ferentem myrobalanum.* Nec uno tantum loco prodere contentus fuit, palmæ Ægyptiæ genus esse, quæ ferret myrobalanum, quam & *palmam myrobalanum* propterea indigetavit. Inde nostris herbariis objecta cura quærendi de genere illo palmæ apud veteres, ex qua myrobalanum nasceretur, & quod genus esset myrobalani. Quis vero tam imperitus in Græcis literis, qui non videat Græcum scriptorem loqui de palma quæ fructum gestitet myrobalano Arabicæ similem? παρεμφέρων idem quod παρεμφερὴς, similemque, non feracem designat. Huic simile est, quod διαφέρειν multis auctorum locis, ubi excellentiæ ac præstantiæ habet significationem, Noster hic idem pro differentiæ ratione positum putavit. Ut apud Dioscoridem de balsamo, ubi narrat, balsami arborem διαφέρειν αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι καὶ μήκει καὶ ἰσχνότητι, hoc est, præstare & semetipsam vincere, quæ asperitate, proceritate, & gracilitate excellerent. Plinius tria genera balsami ex illis verbis constituit, unum tenui & capillacea coma: alterum scabro aspectu, quod τραχὺ appellaretur: tertium εὐμηκες, quod reliquis esset procerius. Nec cepit usitatissimum loquendi genus Græcis de re, quæ ad summum, quo possit ire, excellendi finem pervenit, διαφέρειν αὐτὸ ἑαυτοῦ dicunt. Hominem etiam, qui in aliquo negotio ac functione semetipsum superat, ut nunquam talem se præstiterit, nec unquam quidquam tam bene egerit, αὐτὸν ἑαυτοῦ κρείττονα in eo fuisse ferunt. Quam multa inde in illa historia falsa & absurda exierunt ex una perversa interpretatione? Tres esse balsami species inde finxit: & unam quidem capillaceo folio. Quod hausit ex sequentibus æque male acceptis: λέγεται γὰρ τὸ λεπτὸν καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου θερισόν. Non capillaceam comam ulli generi balsami tribui inde certum est, sed virgulta tenuissima & pæne capillaceæ gracilitatis dici θερισά, quod ea tonderi solita essent. Haud scio, an ex hac Pliniana expositione Justinus Trogi abbreviator balsami arborem piceæ arboribus similem esse tradiderit, propter illam nimirum capillaceam comam, qualis in piceis. Certe folium τριχόφυλλον piceæ dat Theophrastus, & idem Plinius *capillata pino folia* esse alibi scribit. Alias nihil tam dissimile, quam picea & balsami arbor. Quid notius Græce scientibus, quam ἀτέραμνα vel ἀτεράμονα appellari legumina prædura, & quæ percoqui non possint? Alii δυσέψανα vocant. Ut contra τέραμνα, quæ facile conquuntur. *Coctilia* vulgo, nescio quare vertunt. Nam *coctile* est τὸ ἑφθὸν, quod coctum est: ut *coctilis later*, qui coctus est, non qui coqui potest. *Coquile* vel *coquibile* potius Latini illo sensu dicerent, si dicere fas esset. Ergo circumloquendum est. Magis mirum in vocabulo vulgaris notionis id nescisse Plinium, quod nemini liceret nescire. Lib. XVIII. cap. XVII. *Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit.* Hic locus ex Theophrasto, immane quantum delirante sententia. Si caput integrum consuluisset cum hæc scripsit, facile hunc errorem declinasset. Pauca verba in adversariis adnotaverat, ex quibus compulsus est in hanc hallucinationem. Verba ea videamus: Μαρτυρεῖ δὲ τὸ περὶ Φιλίππους συμβαῖνον περὶ τοὺς κυάμους. Ἐκεῖ γὰρ σφόδρα ψυχὸν πνεῦμα, καὶ ἀτεράμονές τινες γίνονται. Circa Philippos fabas existere ἀτεράμονους, id est, ad coquendum difficiles propter auram quamdam frigidam, qua locus adflatur. Τὸ περὶ κυάμους συμβαῖνον interpretatus est Plinius, de herba circa fabas nascente, quæ ipsas enecaret. Quod est maximè ridiculum. Δι᾽ ἣν ἀτέραμνα γίνεται, μαρτυρεῖ καὶ τὸ περὶ Φιλίππους συμβαῖνον περὶ τοὺς κυάμους. Inde hariolatus est herbam illam in faba nasci, & fabam circumligando se necare, quæ *ateramnon* appellaretur. Quâ inscitiâ non scio, an alia major fingi queat. Τὸ ἀτέραμνον vitium quidem fabæ, quo evadit coctu difficilis, sed non eodem modo vitium est ejus, ut lolium tritici, ciceris & ervi orabanche, hordei ægilops, & similia, quorum alia complexu suffocant, partim aliis modis nocent. Præterea τὸ ἀτέραμνον non fabæ tantum peculiare vitium, sed aliorum etiam leguminum, ut lentis, & pisi. Cæterùm si ἀτέραμνα legumina deteriora, oportet meliora utique existimari τὰ τέραμνα, tenera nempe, & coctioni non contumacia. At Plinius tam *teramnon*, quam *ateramnon* inter vitia fabæ numerat, istud in pingui solo venire, illud in macro. Herbas postremo facit ad perniciem fabæ nascentes, cum ipsa faba pro soli natura, in quo seritur, aut ἀτέραμνος aut τέραμνος evadat. Ex eodem genere est, ac de eadem inscitiæ nota (nec enim aliter possum nominare) quod *Adonium* finxit nomen herbæ pro hortis Adonidis, in loco Theophrasti perperam intellecto. Lib. XXI. cap. X. de abrotono sic loquitur: *Seritur autem semine melius, quam radice aut surculo: semine quoque non sine negotio, plantaria transferuntur. Sic & Adonium utrumque æstate. Alsiosa enim admodum sunt, & sole nimio læduntur.* Theophrasti verba sic habent de eodem abrotono: μᾶλλον ἀπὸ ῥίζης καὶ παρασπάδος βλαστάνει, ἢ ἀπὸ σπέρματος. Χαλεπῶς δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος πρὸ μιχθόμενον ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ Ἀδώνιδος κῆποι. τοῦ θέρους δὲ σπείρεται. δύσριγον γὰρ σφόδρα, καὶ ὅλως ἐπίκηρον, ὅπου καὶ ὁ ἥλιος σφόδρα λάμπει. Seri radice, aut surculo abrotonum melius quam semine prodit Theophrastus, contrarium Plinius. Sed hoc leve, præut illud est de Adonio.

nio. In indicis libro ita scripserat, quæ ad hunc locum referri debent: *Abrotonum Med.* XXII. *Adonium genera* II. *ipsa se propagantia. Leucanthemum Med.* I. Nescisse prorsus videtur, quid essent Adonidis horti. Ideo ex his *Adonium* herbam miro commento fabricavit. Abrotonum ex semine difficulter ait surgere Philosophus, & prius solere seri in testaceis vasculis, ut mos erat, illas herbas; quas sic satas vocabant Ἀδώνιδος κήπους. Serebatur itaque semine in testis, donec ibi germinaret, & cauliculum fecisset; deinde transferebatur. Hoc est προμοσχεύειν. Sic enim in illis verbis scribendum, non προμιχεύομενον, quod nihil est. Μοσχεύματα sunt plantaria vel tenera sata, quæ transferuntur, ubi in cauliculum surrexerunt. Nam μόσχος etiam herbæ cauliculus. Lactuca autem ut plurimum, aut fœniculum in illis testis, quibus nomen *Hortorum Adonidis* imposuit Græcia, serebatur. Grammatici: Ἀδώνιδος κῆποι, ἐκ θριδάκων καὶ μαράθρων, ἅπερ κατέσπειρον ἐν ὀστράκοις. Plinius jam imbiberat, *Adonidis hortos* fuisse revera hortos quosdam magnificos & spatiosos, ut erant Alcinoi, & Hesperidum, decantati veteribus. Quod constat ex lib. XIX. cap. IV. his verbis: *Et quoniam antiquitas nihil prius mirata est quam Hesperidum hortos, & regum Adonis, & Alcinoi; itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ Rex Cyrus fecit.* Qui igitur sibi persuaserat, jamque scripserat, Adonis hortos comparandos esse Alcinoi, ac Semiramis, & Hesperidum hortis, non potuit heic imaginari illos Ἀδώνιδος κήπους aliquot fuisse lactuculas, quibus vascula fictilia terræ plena consita essent. Adeo non magna res fuit, ut proverbium de his factum sit, frivola & non diu duratura negotia indicans, quia satæ in his hortis testaceis herbulæ non altas radices agerent, nec diu viverent. Facti vero ad hoc hujusmodi hortuli, ut in pompa Adonidis transferrentur, sollenni ejus festo. Theocritus in Ἀδωνιαζούσαις, talaros argenteos hortulorum Adoniorum vicem præbuisse canit, de pompa in Adoniis sacris transferri solitâ loquens:

> Πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι,
> Πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι, πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
> Ἀργυρέοις.

Adonis hortos intelligit, in calathis argenteis compositos. Lactuculis ut plurimum moris fuit conseri, quia fama erat Adonin à Venere in lactucis reclinatum post mortem fuisse, ut testantur Grammatici: ἐκ μαράθρων καὶ θριδάκων συντιθέασιν αὐτῷ κήπους· καὶ γὰρ ἐν θριδακίναις αὐτὸν κατακλιθῆναι ὑπ' Ἀφροδίτης φασίν. Inde & lactucam Ἀδωνιάδα Græci vocarunt. Hesychius: Ἀδωνιάς, ἡ χελιδών, καὶ ἡ θριδακίνη. Sic legendum. Herba vero Ἀδώνιον Plinii, ex hortis Adoniis ab eo producta, prorsus inaudita veteribus. Epithetum igitur lactucæ Ἀδωνιάς, non peculiaris herba. Forte etiam scribendum in verbis Hesychii superius allatis, Ἀδωνιάς χελιδόνιον, καὶ ἡ θριδακίνη. Anemonen ex sanguine Adonis natam narrant fabulæ, vel ex lacrimis Veneris Adonidem complorantis, ut Moschus. Quidam autem χελιδόνιον nuncuparunt anemonen, teste Athenæo. Nonnulli neoterici *Adonidem* nominant pro agresti anemone, quibus auctoribus, incertum habeo; nondum enim id reperi. Omnes porro hortuli, qui hodie ponuntur in fenestris testaceis vasculis, possunt æquiparari priscorum Ἀδώνιδος κήποις; quos adeo pervulgatos miror Plinio non fuisse notos, ut tam absurda & inaudita pronuntiarit. Non minus ineptum, quod pro herba passerem substituit, ubi dixit, papaver cognomine aphrodes folia habere, si procul adspiciantur, speciem passerum repræsentantia. Græcus auctor dixerat, folium illi esse, οἷον στρουθός, ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι, id est, similia strutho, quo dealbantur lintea. Per hæc indicavit aperte Theophrastus, de herba loquutum esse se, quæ στρούθιον etiam vocaretur, Latinis *radix lanaria*, qua linteis candorem, lanisque conciliabant. Στρουθὸς autem de herba idem quod στρούθιον: ut ξίφος & ξίφιον, φλὸξ & φλόγιον: ἡμιόνος & ἡμιόνιον. Plinius de passere intellexit, & virtutem illam dealbandi lina, quia ad passerem non poterat, ad papaver ipsum transtulit, nec uno loco id prodere satis habuit. Alibi etiam quasi magnum repetiit, genus esse papaveris, è quo candorem splendoremque traherent lina. Quid quod *eucleam* herbam fecit ex nomine Græco εὔκλεια, quod gloriam significare apertum est. Theophrastus lib. IX. cap. XX. aliquot herbas enumerat magicas, quæ in amuletis efficaces creditæ ad propulsanda ab homine non tantum, sed etiam à domo averuncanda mala. Inter has ponit & tripolium, Hesiodi & Musæi carminibus celebratum. Quasdam etiam refert, quibus ea potestas à magis attributa, ut ad gloriam acquirendam, & nominis celebrationem multum facere persuasio recepta teneret: Καὶ τὰ περὶ τῆς εὐκλείας ἢ καὶ εὐδοξίας ὁμοίως καὶ μᾶλλον· εὔκλειαν γάρ φασιν ἀεὶ ποιεῖν τὸ ἀντίρριζον καλούμενον. Supra reddiderat de his, quas magi tradebant, efficere gestatas, ne quis malo medicamento aut effascinatione lædi posset: esse item alias addit, quæ εὔκλειαν facerent, & nominis gloriam propagarent, ut antirrhizon vocatum. Plinius illa ita vertit: *Similiter ea, quam eucleam vocant, traduntque eâ perunctos commendatioris esse famæ.* Lib. XXV. cap. X. Sic enim ibi scribendum, non *eupleam*. In indice ad illum locum, *eucliam* inter herbas rettulit: *Anarrhinon sive lychnis agria.* III. *euclia.* I. id est, εὔκλεια. Idem Theophrastus genus harundinis Indicæ, quæ per humum serpit nec in altitudinem attollitur, ἐπίγειον φύεσθαι dicit, quod per terram sparsum emittat caulem, non erigat in aërem nec attollat: γένος δέ τι καλάμου φύεται καὶ ἐπίγειον, ὃ οὐκ εἰς ὀρθὸν, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἀφίησι καυλόν. Plinius nomen proprium hujus harundinis fuisse censet ἐπίγειον, atque ita vertit: *Est & obliqua harundo, non in excelsitatem surgens, sed juxta terram fruticis modo spargens. Vocatur à quibusdam epigea.* Sic genus anemones, quæ λειμωνία dicitur Theophrasto, id est, pratensis, Latine *limoniam* dictam asserit, & proprium hoc esse nomen ejus autumat. Similiter & ὄρειον anemones genus, cujus & apud Theophrastum mentio, *orium* pro montano vel silvestri tanti habuit reddere. Herba est osiris, ramulis tenuibus & validis & satis foliosis, ex qua scopæ fiebant. Scopas Græci κορήματα vocant & κάλλυντρα. Plinius hanc vocem pro smegmate sumpsit, quo mulieres cutem polibant ac lævigabant, ut formosiores viderentur. Galenus ex osiride κορήματα fieri solita tradit; alius appellavit κάλλυντρα. Frustra dubitant viri docti, an & medicamentum corpori condecorando & extergendo, eo

eo vocabulo venire queat. Omnem dubitationem tollit Dioſcorides qui πάρεμ nominavit: ποιεῖται δὲ καὶ σάρα ἐξ αὐτοῦ. Quæ verba deſiderantur in vulgatis omnibus codicibus, reſtituenda ex antiquiſſimo illo exemplari, cujus toties facimus mentionem in Exercitationibus. Σάρα eſſe ſcopas nemo, opinor, dubitat. Κοσμήματα & κάλλωτρα Græci exponunt, quia decoratur atque ornatur his; dum verritur, pavimentum. Plinius *ſmegmata* interpretatus eſt lib XXVII. cap. XII. de Oſiri: *ſmegmata mulieribus faciunt ex his.* Oſirim porro *linariam* eſſe, quia lino folia habeat ſimilia, nullum eſt dubium. Hujus hodieque uſus ad ſcopas. Moventur ad dubitandum, quod tria aut quatuor foliola ei tribuat Dioſcorides. Sed mendoſi hac in parte libri vulgares, quos vetus ille codex coarguit & corrigit, ſic legendos: Ὄσυρις φρυγάνιον μέλαν, λεπτόραβδον, δύσθραυστον καὶ περὶ αὐτὸ φυλλάρια ὥσπερ λίνου. Quam lectionem etiam confirmat Plinius: *Oſiris ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in his folia nigra ceu lini, ſemenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutato rubeſcens.* Nihil de ſemine Dioſcorides, qui de folio hæc prodit. Sane ex uno eodemque auctore Dioſcoridem & Plinium accepiſſe hæc conſtat. Et fortaſſe apud Dioſcoridem reponendum quod deeſt: σπέρματα μέλανα κατ' ἀρχὰς, μεταβαλόντα δὲ ὑπέρυθρα γίνεται. Dictionem σπέρματα ex verbis Dioſcoridis excidiſſe, planum facit Plinius. Cujus & aliud cenſoriæ virgulæ obnoxium, heîc notabimus. Silphium apud Theophraſtum folium emittit vere ineunte: ἅμα μὲν ἦρ ὑπῆεν τὸ μάσπετον ἀφίησι. Hoc vult eſſe amittere, contraria ſignificatione, & folium laſerpitii, vere deciduum eſſe fabulatur. Hoc vero ſtupendum, ut folia prius decidant, quam prodeant in plantis. Omnium ferme hoc proprium, ut verno tempore folia producant. Nulla ſane eſt, quæ tum perdat. In eadem hiſtoria lac ſirpicium certo modo præparari, hoc eſt, κατεργάζεσθαι dicit idem Græcus auctor, ut poſſit inveterari & in longinqua ferri. *Ad maturitatem perduci* hoc vocare Plinio placitum, nulla plane ratione. In elleboro nigro effodiendo cavendum eſſe monebant Herbarii veteres, aſpectum aquilæ tam à ſiniſtra quam à dextra. Periculum quippe imminere ſecanti, ſi ſubito apparuiſſet aquila, & moriendum etiam illi eodem anno, ſi prope advolaſſet. Theophraſtus: ἀετὸν δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ ἀριστερῶν. Cætera vide. Eadem habet Dioſcorides circa ſuperſtitionem hanc legendi ellebori nigri; ſcribitque, inter legendum vitari maximo opere aquilam, & caveri, ne locus, unde effoditur, ab ea adſpiciatur: ὅθεν ὀρύσσοντες ἵστανται προσευχόμενοι Ἀπόλλωνι καὶ Ἀσκληπιῷ, φυλαττόμενοι ἀετόν· ἐφίπτασθαι γὰρ οὐκ ἀκινδύνως. Plinius non diſtinxit, cum illa verteret, inter φυλάττεσθαι, & φυλάττειν. Qui elleborum colligebant, cavebant, ne aquila in eo opere occupatis interveniret, & prope advolaret. Hoc eſt φυλάττεσθαι ἀετόν. Cave canem, φυλάττου κύνα. Plinius ſcripſit: *dein, qui ſucciſurus eſt, ortum ſpectat, & precatur, ut id liceat ſibi concedentibus Diis facere, obſervatque aquilæ volatus.* Augures obſervabant volatus avium, & quid boni malive portenderent, conjiciebant. Hoc eſt φυλάττειν ὀρνίθων πτῆσιν, obſervare & conſiderare eorum volatum, οἰωνοσκοπεῖν. At qui elleborum effoſſuri, cavebant à volatu & conſpectu aquilæ; quod eſt φυλάττεσθαι. Latini veteres plerumque *ſervare* dicebant pro eo, quod eſt cavere & φυλάττεσθαι. Horatius:

En rupes maxima, ſerva.

φυλάττου: quod vulgo dicimus, *guarde.* Item apud Comicum in Adelphis. *Hem. Serva. Geminabit, niſi caves.* Monet Æſchinus lenonem, ut caveat, ne iterum vapulet Parmenoni, qui jam illi colaphum impegerat. Hoc ſenſu poſſet etiam legi apud Plinium, *ſervatque aquilæ volatus.* Sed omnino φυλάττεσθαι ibi accepit pro φυλάττειν. Medici Græci præcipiunt de bulbis, φυλάττεσθαι δεῖν ἐν βρώσει αὐτῶν τὸ πλῆθος, cavendum eſſe copiam eorum in cibis. Nemo ſic loqueretur, ut dicat, obſervandam eſſe copiam bulborum. Sic iidem de ſquilla admonent, φυλάττεσθαι δὲ καὶ αὐτῆς τὴν δόσιν δεῖ, ἐφ' ὧν ἕλκωσίς τις ἐστιν ἐντός: cavendum nempe, ne his detur, qui ulcus ſentiant; non obſervandum, quomodo detur. Ita ergo & φυλάττεσθαι τὸν ἀετὸν, aquilam cavere ſignificat, non obſervare. In elleboro albo περιφλοΐζεσθαι reddit *cortice convelari*, quod in contraria ſignificatione poſitum eſt pro corticem in orbem detrahi. Omitto, vel potius ignoſco, quod in alſine, quid eſſet σικυωνίζειν, ignoravit. Ea contrita dicitur σικυωνίζειν, id eſt, cucurbitam olere: διατριφθεῖσα δὲ σικυωνίζει. Plinius σικυώνην ἀντὶ τοῦ σικύου ſumpſit; *cum teritur, odorem cucumeris reddit.* At σικυώνη eſt cucurbita. Heſychius: σικυωνέα, κολοκύνθη. Hippocrati σικυώνη ſæpe ponitur pro colocynthide. Erotianus in Lexico τὴν ἀγρίαν σικύην interpretatur, ſilveſtrem cucurbitam. Sic enim legendum. Athenæus notat, Megalopolitas Arcadiæ appellaſſe cucurbitam σικυωνέαν. Ebur hordei ſucco, quem Græci ζῦθον dicunt, perfuſum tractabilius in opere fieri ſcribit Dioſcorides: : εὔεργὸς καὶ ὁ ἐλέφας γίνεται βρεχόμενος αὐτῷ. Quis hoc condonaverit Plinio, ut elephantem ibi pro ebore capiens tolerandus ſit, & proinde elephantes feroces captos hordei ſucco mitigari tradens? Græci certe ἐλέφαντα tam de ebore quam de animali dicunt, ſed εὔεργὸς ἐλέφας de beſtia viva non potuiſſe dici, cujuſvis erat intelligere. Nec etiam illud ferendum in mediocriter linguæ Græcæ perito, quod μικροσφύκτους confudit cum μικροψύχοις. Puſilli animi & præparci homines Græci vocant μικροψύχους, ut contra liberales & prodigos μεγαλοψύχους, Latini *animoſos* & *magnanimos.* Hinc lemma epigrammatis apud Martialem *in Novium micropſychum*, de ſene arido ac deparco. At μικροσφύκτους appellant, quibus minutus ac puſillus pulſus, ut eſt animo deficientium. Μικρὸς σφυγμὸς Medicis vocatur. Inde μικρόσφυκτοι, quibus talis eſt. Dioſcorides de melicrato ſive aqua mulſa: τὸ δὲ ἀφεψημένον ἐπὶ τῶν μικροσφύκτων καὶ ἀσθενῶν καὶ βηχόντων. Plinius lib. XXII. cap. XXV. de aqua mulſa: *Hunc potum bibendum alſioſis: item animi humilis & præparci, quos illi dixere Micropſychos.* Ut venia dignum putemus, audiſſe dicemus legente anagnoſte μικροψύχους pro μικροσφύκτους. Sed illud ridiculum, aquam mulſam prodeſſe hominibus animi humilis & præparci, ut ſcilicet evadant animoſiores, & ad ſumptum faciendum promptiores. Seneca avaros vulgo dicit appellari puſilli & præparci animi homines, id eſt, μικροψύχους. De quibus nos alibi. Si de his, quantum ingeri poteſt, congerere vellem, citius me anni exitus deprehenderet, quam finem facerem. Ea tantum excuſſimus, quæ memoria fortuito ſuggeſſit hinc inde arrepta, aut quæ in magna abſurditate verſari mihi viſa ſunt. Cujuſmodi cave putes

pari

esse apud illum rara. Singulis paginis talia multa occurrunt. Satis hæc sint igitur de his, quæ pari filo texta; nunc ad alia transeamus. Interdum operæ habet, obscuriora vocabula in auctoribus explicatione illustrare, & præcipue Græca, si quæ expositione indigent, ut puta nude proposita, aut breviter indicata ab auctore. In his nunquam eum vidi scopum tetigisse: semper aberrat, & præter casam fugit. Exemplis quoque id paucis in clara luce ponendum ex his, quæ in memoriam subito venient, & in manum nec inquisita se dabunt. Theophrastus ἑσπερίδα noctu melius quam de die olere affirmat. Hoc ille tantum. Plinius, ut novi aliquid diceret, addidit nomen inde invenisse. Omitto quod hesperidem inter herbas recensuit, quæ pomum est. Certe patet, ignorasse quid esset, & unde nomen haberet. Non indignor, id nescisse; sed non tulerim, quod ἑσπέραν putavit esse noctem, quod est principium noctis & finis diei, quam *supremam tempestatem* Casci Latini nominarunt. Si dicta hæc herba, quod noctu magis oleret, cur νυκτάλις vel νυκτερὶς non potius appellata? Ita profecto debuit. Sed nec auctorem hujus sententiæ habuisse illum censendum est. Ἑσπερὶς est malum Hespericum *

Nec dubitarim, qui pari modo, prævaricante intellectu, somniarit, arborem piperis in Italia vivere. Quod quasi parum esset semel posuisse, bis repetit. Adeo verum hoc illi visum est. Id erit fortasse, quod divinabam. Μυρτίδανον Hippocrates vocat genus piperis Indici, cujus granum piperi simile, quod sequuta ætas *cumamum* & *cubabum*, Arabes vocant *cubebe*. Μυρτίδανον aliud est Dioscoridi, aliquid nempe in vulgari myrto nascens, ut tuberculum circa ejus corticem. Plinio *myrtidanum* myrtum silvestrem esse placuit. Hoc porro μυρτίδανον Græci ex veteribus quidam dixerunt esse Ἰνδικὸν φυτὸν παραπλήσιον τῷ τοῦ πεπέρεως, οὗ ὁ καρπὸς ὀνομάζεται μυρτίδανον, ὅτι μύρτῳ ἔοικεν. Plures vero τὸ πέπερι interpretati sunt, ut testimonio Galeni scimus in Lexico Hippocratis. Hinc Plinius, qui sibi persuaserat μυρτίδανον esse myrtum silvestrem, idemque cum piperis arbore ex aliorum sententia, propriam ex eo composuit opinionem, qua adstruxit arborem piperis jam Italiam habere, myrto majorem nec absimilem. Secundum hæc alio etiam loco scripsit, myrti baccas apud antiquos piperis vicem supplevisse. Scire licet, myrtidanum pro myrti baccis accepisse. Hoc sequutus Serapio apud Arabes, *cubebas* in oxymyrsine sive myrto silvestri gigni prodidit. Quas cubebas myrtidanum Hippocratis esse alibi probamus in Exercitationibus. Avicenæ interpres falso carpesium esse credidit. Oxymyrsine apud Herbarium Arabem Dioscoridis exponitur, *Asberri*. Idem myrtus agrestis. Myrtidanum autem Dioscoridis ab Avicena vocatur *bunch*. Idem Plinius thuris arborem in Lydia vixisse finxit, cum δενδρολίβανον in aliquo auctore legisset vel λιβανωτίδα, quam pro thuris arbore accepit.







CLAUDIUS SALMASIUS DE HOMONYMIS HYLES IATRICÆ.

CAPUT PRIMUM.

Ἄπιος herba & arbor. Item Φοῖνιξ.



MAxima seges est τῶν ὁμωνύμων in diversis generibus idem nomen gerentium. Ἄπιος est pyrus arbor: ἄπιος herba. Hesychius: ἄπιος ἡ ἰσχὰς καλουμένη βοτάνη. Ita legendum: aliis ἰσχιάς. Causa nominis heîc saltem apparet, quod radicem habeat pyri figurâ. Ἀνδράχνη arbor arbuto similis: ἀνδράχνη herba portulaca. Et frustra heîc Plinius, qui arborem ab herba, unâ mutatâ litterâ distinguit, quasi ἀνδράχλη dicatur de arbore. Nomen hoc Atticum tam de herba quam de arbore usurpandum. Nam ἀνδράχλην illi pro vulgari ἀνδράχνη solent dicere, A ut λίτρον vocant, quod aliis est νίτρον. Æque falsus Galenus, dum ἀφρόνιτρον & ἀφρόλιτρον nomine discernere satagit. Ἀνδράχνη herba est, quæ Latinis *portulaca*, vel etiam *porcacla*, quasi à porcis. Unde & Græcis recentioribus χοιροβότανον dicitur. Nobis vulgo vocatur *pourpier*. Quod dici deberet *poulpied*. quasi *pulli pes*. Sic enim infima Latinitas appellavit. Macer subditivus de herbis:

Andrachne Græcis, quæ portulaca Latinis
Dicitur, hæc vulgi pes pulli more vocatur.

Sic multis aliis herbis nomen inditum, pes alaudæ, pes B corvinus, pes columbinus. Φοῖνιξ, arbor palma; φοῖνιξ, herba lolio similis, quæ vocatur *hordeum murinum* Latinis. ****

CAPUT II.

De acantho herba topiaria & acantho Ægypti.

ACanthos herba est topiaria. Acanthos arbor Ægypti, quæ ἄκανθος Αἰγυπτία Theophrasto, vel ἀκάνθη ἐξ Αἰγύπτου. Spinosa est arbor, quam miror *acanthum* Latinis dictam, quæ spina sit. Nam ἄκανθος idem quod ἄκανθα. Miror magis, confusam plerisque cum acantho topiaria. Isidorus ex antiquo auctore ponit, *myrrham Arabiæ arborem altitudinis quinque cubitorum, esse similem spinæ, quam acanthum dicunt.* Hæc est ἄκανθος vel ἀκάνθη Αἰγυπτία, cui similem tradunt myrrhæ arborem Diodorus Siculus & Dioscorides. Idem Isidorus scribit, *acanthum herbam esse Ægyptiam, semper frondentem, spinis plenam, flexibili virgulto.* Scilicet acanthum topiariam cum acantho Ægyptia arbore eandem facit. Quo in errore Servius. Acanthos autem Ægyptia, qualis Theophrasto describitur, atque in duo genera dividitur, longe alia ab acantho Virgiliana, quam inter arbores peregrinas recenset:

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque & baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lanâ?

Acanthos Ægyptia Theophrasti siliquas habet pro fructu, Virgiliana baccas. Docemus alibi, acanthum Virgilii loton esse Cyrenaïcam, quam Herodotus similem tradit acantho sive spinæ Ægyptiæ. lib. II. de Ægyptiis loquens: Τὰ δὲ δὴ πλοῖά σφι τοῖσι φορτηγέουσι, ἐστὶ ἐκ τῆς ἀκάνθης ποιεύμενα, τῆς ἡ μορφὴ μέν ἐστι ὁμοιοτάτη τῷ Κυρηναίῳ λωτῷ. Hinc multi Cyrenaïcam lotum etiam ἄκανθον vel ἀκάνθην dixere, quod spinis esset hispidis. Hoc genus loti etiam in Ægypto frequens, ut in Cyrenensi agro. De his spinis capiendus Demetrius apud Athenæum lib. v. ubi res Ægyptiacas narrans, inter alia scripserat: Ἔχει δὲ καὶ ὁ κάτω τόπος τὰς ἀκανθίνας, δένδρον, ὃ τὸν καρπὸν φέρει στρογγύλον ἐπὶ τινῶν κλωνίων περιφερῶν. Hinc *baccas acanthi* vocat poëta. Nam C bacca proprie καρπὸς στρογγύλος. Servius rectè accipit acanthum Virgilii, qui notat, in Cercinna insula hanc abundare & ἄκανθον dictam, quod spinosa sit. Certe & *acanthium gummi* Latini vocarunt, quod ex spina Ægyptia colligitur; & *acanthina folia Euphorbii* Plinius, quæ spinosa esse constat. *Acanthus*, qua abundat Cercinna insula, loti species spinosæ, quam Κυρηναϊκὸν λωτὸν vocat Herodotus, ac simillimam acantho Ægyptiæ memorat. Prorsus ea est, quam Arabes appellant *sadar*, cujus fructus *nabac*. نبق. Lo- D ton arborem Dioscoridis hoc nomine descripsit Avisena. Interpretes scribunt, *alsadar* arborem esse, quæ fructum *nabac* producit. سدر. Alii ficum interpretantur vel arborem magnam. Serapio quoque *sadar* vocat, & loton Dioscoridis sub hoc titulo commemorat. Hæc est, quam *napecam* appellat Bellonius in observationibus & œnopoliam à Græcis vocari docet, quam ex semper virentibus arboribus esse admonet. Prosper Alpinus in libro de plantis Ægypti, E *nabecam* indigetat, & spinosam arborem tradit: Quamvis compertum sit & genus alterum reperiri non spinosum. Leo Africanus lib. III. capite de Zarfa, *rabich* nominat pro *nabich* vel *nabac*: *spinosæ arbores, quarum fructus rabich vocantur Arabicè, cerasis minores, zizyphis fere sapore.* Certum est, de eodem fructu debere intelligi. Fortasse mendum sit scripturæ رنبق, pro نبق. vel Mauritani Arabes *rabic* dixerint, quod Orientalibus est *nabac*. Κόνναρον esse F Agathoclis apud Athenæum, descriptio ipsa manifestum facit. Spinas quippe attribuit illi arbori, & alia omnia, quæ prorsum respondent fructui *nabac*. Ex siccatis baccis farinam fieri etiam scribit: Καὶ τρώγεται

ἔτι χλωρὸς ὁ καρπὸς ἦ, ἐπὶ τὸ ἀνανθῆ, πιέζουσιν ἐξ αὐτῶν ἄλευρα, ἢ πατέοντι ταῦτα ἐ μάξαντες, ὡς ὕδατι δεύοντες, ἀλλὰ φαύλως ὀκνῶσπερ πέφυκεν. Hoc uno præcipuè averti se fatetur Alpinus; ne napecam eandem credat cum Agathoclis connaro, quod in Ægypto minimè adverterit ex fructu fieri farinam. Non magno certe obice credulitas ejus inhibetur. Quod si legisset, apud recentiores Græcos passim mentionem haberi τῶν ἀλφίτων ναβὰκ, scisset ex baccis nabacinis sive lotinis, ubi siccæ sunt, etiam postremis temporibus farinam factam ad usum medicum. Quod in Ægypto non vidit fieri sua ætate, imbecille argumentum, ut quis probet nunquam factum. Charito in pulveris κοιλιακῶ compositione, qui etiam facit ad sistendum vomitum: Λαβὼν τὰ ἄλφιτα τῶ ναβὰκ ἢ τῆς γυβένερες ἢ ὑποκυστίδα ἢ ξυλονυὰς ἢ Σὺκ. Hæc omnia astringentis sunt facultatis, qualem esse fructum loti, omnes sciunt. Γυβένερες sunt guberæ Avisenæ, Latine *corna*. Alibi vocat Γομβένερες idem Charito. Antiqua expositio Arabibicorum nominum Suc interpretatur Galiam muscatam. De qua nos alibi. Idem Charito alio loco: Ἄλφιτα ναβὰκ, ἢ ἄλφιτα τῶ βδελλίου ἢ γυβένερες in trochisco parato ad cœliacos & dysentericos. Hæc ἄλφιτα ναβὰκ Avisenæ dicunt سويق المنبق. *Sarich Alnabach.* Nam سويق *Savich* vel *Suich* significat hordeum fractum & torrefactum, quod Græcis ἄλφιτον. Stypticum esse hoc *savich nabac*, ut & ipsum fructum. Fructus & ossa nabacæ non videntur Alpino respondere fructui & ossiculis connari. Quia os nabacæ rotundum, at connari oblongum instar olivæ. Ita enim scribit apud Athenæum Agathocles: Γλυκὺς δὲ πάνυ ὁ καρπὸς, μέγεθος κατὰ φαυλίην ἐλαίαν, ἢ τὴν σάρκα ἢ τὸ ὀστέον ταύτῃ παραπλήσιον. Non advertisse visus est, de qua oliva loqueretur Agathocles, qui non simpliciter ἐλαίην adduxit, cui compararet nucleum connari, sed φαυλίην ἐλαίην, quæ rotunda est oliva. Polybius in descriptione loti Africanæ, quæ eadem est cum connaro, fructum ejus consimilem statuit τῷ μεγέθει ταῖς στρογγύλαις ἐλαίαις. Alpinus nabecam dicit, instar acaciæ esse spinosam: hoc est, quod Herodotus perhibet, spinæ Ægyptiæ de facie simillimam videri lotum Cyrenaïcam. Spina enim Ægyptia Ἀκακία posteriorum. Hæc igitur acanthus Virgilii, semper frondens & baccas ferens, peregrina Italiæ arbor. In eodem quoque genere Africanus παλίουρος. Theophrastus cum loti generibus recenset & παλίουρον, Africanam scilicet, quam θαμνωδέστερον esse dicit loto. Κοννάρους & παλιούρους jungit Athenæus: περὶ κοννάρων καὶ παλιούρων. Hesychius: Κόνναρος δένδρον, καρπὸς ὅμοιος παλιούρῳ. Etiam Agathocles κόνναρον spinas habere prodit. Et paliurus quoque spinosus: nam & spinæ genus in Græcia sic vocatur, Polybianaque etiam lotos spinis horrida apud Athenæum: Ἔστι δὲ τὸ δένδρον ὁ λωτὸς ὁ μέγα, τραχὺ δὲ ἢ ἀκανθῶδες. Loquitur de Libyca loto. Eam esse constat, quam Leo Africanus vocat *rabich*, eamdemque cum nabac. Nam frequens N literæ cum R permutatio. Inter loti genera quæ commemorantur Theophrasto, nullum meminit esse hispidum spinis, excepto paliuro, qui nomen hoc duxit ex similitudine Græci paliuri. Nec dubitatum itaque, quin ille paliurus Africanus lotus sit spinulentus, & Arabicum *sadar*, cujus fructus nabac. Ejus duæ species, spinosa & spinis carens. Et spinosa quidem liquet esse paliurum, & connarum, & acan-

A tum Virgilii, Demetriique ἀκάνθην Αἰγυπτίαν. Quod ad loton Lotophagitin Theophrasti attinet, ex descriptione apparet, esse rutilam zizypham. Quod ad loton communem spectat, quem in Italia nasci Plinius asserit ex Africa translatum, sed solo mutato factum degenerem, non alia potest esse, præter *azadarat* Herbariorum, quæ Avisenæ. ****** Nulla quippe hodieque in Italia loti species præter hanc reperitur, quæ & umbræ causa expetitur & ex magnis est arboribus. Fructum habere similem nabac scribit Avisena & magnam esse arborem. Priscis pro loto acceptam & sic vocatam non dubitandum puto, eamque intelligi, cum λωτὸν μέγα δένδρον & εὐμεγέθες

B esse dicunt. Nam vera lotos non nimium magna. Hæc vero procera & vasta præcipue, foliis latissimâ umbrâ expatiantibus, & in vicinas domos, teste Plinio, transilientibus. Romanis fabæ Græcæ & Syriacæ nomine veniebat. Et certè in Græcia & Syria plurima nascitur. Lotos, inquam, hæc communis. Alteram Plinus vocat *transmarinam*, quæ in totum Italiæ externa. Hujus fructus cum cerasis non sit minor, mirum est, Dioscoridem in magnitudine ejus designanda, piperis comparatione uti. Καρπὸν δὲ, inquit, φέρει μείζονα πεπέρεως. Hoc non quit intelligi, nisi de magnitudine, quæ piperis granum pauxillo tantum

C excedat. Mirum etiam, cum tot sint loti genera, unius tantum facere mentionem: Sed hoc illi solenne, multas species sub una generis appellatione involvere. Falluntur autem gravissime & Avisenæ interpretes, qui de loti arboris fructu interpretantur *hab almenen* apud Avisenam cap. cccv. quod granum esse dicit pipere majus & eodem ferme colore. Quin etiam ad marginem adscribunt, repeti cap. DXX. Quo loco *nabac* describitur arboris, nempe loti, bacca. Omnino hæc diversa. Arabes raro usurpant حب *hab* de arborum fructibus, sed semina herbarum sic frequentius vocant. Non ignoro tamen & hanc

D vocem de pinu, de lauro, de terebintho & glande unguentaria apud Avisenam legi. Cæterum de nucleo potius interiore, quam de toto fructu ea dictio ponitur: ut in malo vel pyro non fructum integrum dicerent *hab*, sed semen, quod intus est. Non nucem pineam appellant حب الصنوبر. *hab alsenbar*, sed nucleum pineum. Hæc semina sunt, quibus satis arbores proveniunt, quæ respondent seminibus herbarum. In loto bacca est ceraso similis, cum pulpa editur. Hoc περικάρπιον Græcis. Officulum, quod intus habet, nucleus propriè καρπὸς Græcis, Arabibus حب. Nihil

E prohibeo, quin *Hab almenen* de hoc nucleo loti baccæ accipi possit. De integra bacca, quæ editur & nabac dicitur, id non potest. Granum *almenen* siccum & calidum in secundo esse vult Avisena. *Nabac* autem humido & sicco temperatum. De nucleo loqui in *almenen* manifesta res, cum dicit pipere majorem esse, & facilius frangi & à medulla scindi, quæ vehementer alba sit. Quicunque alii arborum fructus sola hac medulla unctuosa censentur, rectè appellari vocabulo illo Arabico *hab*, non ambiguum duxerim; ut lauri

F baccas, glandem unguentariam, terebinthum & similia. At quæ carne constant eduli extra & nucleo intus, in his nucleus, qui seminis instar habet, proprie *hab* appellatur, Græce καρπὸς & πυρὴν proprie, unde ἀπύρηνα, quæ carent nucleo.

CAPUT III.

De Acanthis.

Ἄκανθος Græcè spinam, vel carduum significat, idemque quod ἄκανθα. Quod generale nomen est, ad omnes spinas & carduos se extendens: sic ὀξυάκανθος & ὀξυάκανθα eadem. Theophrasto ἄκανθος Αἰγυπτία arbor est in Ægypto spinosa,

G quam alibi passim ἀκάνθην Αἰγυπτίαν vocat. Proprium factum hoc vocabulum apud Græcos herbæ topiariæ, quam & Latini *acanthum*, servata Græca appellatione, passim nominant:

...... & flexi tacuissem vimen acanthi.

Et

Et alibi multis locis. Hæc tamen acanthus ſpinis caret, topiaria præſertim & hortenſis. Nam ſilveſtre genus ſpinolentum, ἄκανθ☉ ἀγρία dicitur. Ἄκανθαν etiam abſolutè Græci dixerunt, quem Latini *carduum*, cui caput ſimile pineo pomo & edule eſt. Pollux: Κινάρα, ὅτω γὰρ καὶ τοῖς Δωριεῦσι ποιηταῖς ἔνεστιν εὑρεῖν καλουμένην τὴν ἄκανθαν. Latini quoque *carduum* κατ' ἐξοχὴν vocarunt. Hinc in veteribus Gloſſis *cardui* κινάραι. Ex hac ὁμωνυμίᾳ Dioſcorides ſub nomine ἀκάνθυ, quem & ἀκάνθην vocant editiones, tam acanthum topiariam, quàm carduum, notis utriuſque confuſis, videtur deſcripſiſſe. Conſtat inter noſtros herbarios, acanthum veterum brancam urſinam hodie dici. Dioſcorides acantho topiariæ caput θυρσοειδὲς tribuit. Atqui evidens eſt, in branca urſina nullum tale caput conſpici, quale in carduo, vel cinara conſpicitur. Cinaram non deſcripſit Dioſcorides. Nam falluntur, qui putant σκόλυμον eſſe. Scolymi radix Theophraſto tantum edulis. Dioſcorides cauliculos incipientes eſui eſſe dicit: at carduus, ſive cinara in pineæ nucis figurâ id habet, quod manditur. Hæc θυρσοειδὴς κεφαλὴ, ut poſt paulò explicabimus. Cum igitur legiſſet ἄκανθαν habere κεφαλὴν θυρσοειδῆ, quod de carduo cinara erat accipiendum, id interpretatus eſt de acantho topiaria, quæ & ipſa ἀκάνθη dicitur abſolutè. Hoc magis Dioſcoridi ignoſcendum, quod fortaſſe carduum non noverat. Etenim diſertè Theophraſtus tradit κάκτον, (ſic carduum appellat) in Græcia non naſci. Magna autem ſimilitudo inter acanthum & carduum, præcipue illum, qui ſine ſpinis naſcitur. Columella de cinara ſive carduo:

Nunc ſimilis cacto ſpiniſque minantibus horret,
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Similitudine iſta deceptus, & præterea ὁμωνυμίᾳ, Dioſcorides acantho θυρσοειδῆ κεφαλὴν tribuit, quæ propria eſt ἀκάνθης, ſive cardui. Peculiarem eſſe hunc Dioſcoridis errorem indicio eſt, quod Plinius in acantho deſcribenda nuſquam meminit, caput eam habere thyrſi. Quo etiam probatur, ab alio accepiſſe auctore acanthi hiſtoriam, ut reliquarum herbarum, quam à Dioſcoride, cum tam conſpicuam & illuſtrem notam præteriſſet indictam. Dioſcorides de acantho: Σπέρμα ὑπόμηκες, μήλινον, θυρσοειδὴς ἡ κεφαλή. Ut ſciatur, acanthum non habere capitulum, quale in thyrſo eſt, ac tale habere ſcias carduum illum, quem vulgò articoccum vocamus, explicandum, quid κεφαλὴ θυρσοειδής. Thyrſus baculum Bacchicum, cujus in ſummitate pineæ nucis inſtar cum faſciola nodo ſtricta & utrinque dependente. Eâ figurâ thyrſos plerumque exhibent antiquæ ſcripturæ. Pineam nucem revera eſſe, quæ ſummo thyrſo imponebatur, auctores aſſerunt, præcipuè Græci, qui κῶνον vocant, & κωνοφόρυς θύρσυς. Epigramma, quo dedicantur inſtrumenta Bacchanalium:

Καὶ θύρσυ χλοερὸν κωνοφόρυ κάμακα.

Κωνοφόρ☉ θύρσ☉, qui κῶνον in ſummo haberet, id eſt, nucem pineam. Grammatici: Κωνοφόροι, θυρσοφόροι. Κῶν☉ οἱ λέγεται ὁ βοτρυοειδὴς τῆς στροβίλυ καρπὸς, ὃν ἔφερον αἱ γυναῖκες βαστάζυσαι ἐν ταῖς τοῦ Διονύσου τελεταῖς, ἐπειδὴ ὅμοιον τὸ σχῆμα τῆς κώνυ τῇ τοῦ ἀνθρώπυ καρδίᾳ. Ἐπιστάσιν δέ φασιν Ἕλληνες ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων καρδίας τὸν Διονύσον οἰκεῖον ὂν μυστηρίῳ τῦτο ἐποίυν. De re hinc conſtat, ratio nugatoria eſt. Sacra Bacchica cognata erant ſacris matris Deûm. Eadem utriſque initia & ſymbola. Hinc Bacchus in Tragœdia Bacchis Euripidis ita loquitur: Ῥέησε μητρὸς ἔμαθ' εὑρήματα. Pinus autem ſacra matri Deûm. Unde & quotannis in ſanctuarium ejus ſtatis diebus intromittebatur. Arnobius libro v. *Quid non ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm matris intromittitis ſanctuarium?* Hoc fiebat die undecimo Kalendas Aprilis, ut notatum in calendario Romano Conſtantini Magni ad illum diem: *Arbor intrat.* Quod de arboris pinus intromiſſione in ſanctuarium matris Deûm intelligendum. Qui enim ſequuntur dies, variis ſolemnitatibus ejuſdem matris Deûm erant dedicati, ut *Sanguinis dies* notatus ad nonum Kalendas Aprilis in eodem calendario, *Hilaria* ad octavum, *Requietio* ad ſeptimum, *Lavatio* ad ſextum. De quibus alibi. Nuces pineas poëta poma Cybeles vocat: *poma ſumus Cybeles.* Eadem pinus ſacra etiam habebatur Libero. Πίτυς ἱερὰ Διονύσῳ καὶ Ποσειδῶνι, apud Artemidorum. Quin & ſtrobilus ſive nux pinea inter jocula & crepundia, quibus deceptus infans Bacchus a Titanibus, ab Orpheo in ejus myſteriis memoratur:

Κῶνοι καὶ ῥόμβοι παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλα τε χρύσεα, καλὰ, παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Hæc fuiſſe ludicra puerilia, quibus Bacchum infantem occupatum avocarunt, ut diſcerperent Titanes, allatis his Orphei verſibus probat Clemens in Protreptico: qui etiam docet omnia illa παίγνια recepta poſtea pro Symbolis in myſteriis Bacchicis: καὶ τὰ δὲ ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα ἐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι, ἀστράγαλ☉, σφαῖρα, στρόβιλ☉, μῆλα, ῥόμβ☉, ἔσοπτρον, πόκ☉. Quibus verbis στροβίλυς Clemens interpretatur, qui in verſu Orphei ſunt κῶνοι, id eſt, nuces pineæ. Arnobius perperam, cum illa verba redderet libro v. στροβίλυς & κώνυς *turbines* expoſuit: *cujus rei teſtimoniumque fortunæ ſuis prodidit in carminibus Thracius, talos, ſpeculum, turbines, volubiles rotas, & teretes pilas, & virginibus aurea ſumpta ab Heſperidibus mala.* Certe στρόβιλον & κῶνον, ut & στρόμβον, Græci etiam uſurparunt pro ludicro puerili, quem Latini turbinem dicunt; ſed illo loco nucem pineam ſignificare certum eſt, ut rectè vetus ſcholion in optimo codice regio adnotavit: κῶνοι οἱ στρόβιλοι, καὶ οἱ θύρσοι. Ὁ Διογενιανός. Atque hæ ſunt nuces pineæ, ſymbola initiorum Bacchicorum, quas in ſummo thyrſorum Bacchæ gerebant. Hæ θυρσοειδῆ κεφαλὴν faciebant, qualis viſitur in antiquis monumentis. Inde θύρσυς grammatici interpretantur κώνυς, quia conos ſive poma pinea ſummitate affixos habebant. Heſychius: κῶνοι, οἱ θύρσοι, καὶ στρόβιλοι. Ad hanc formam ſunt plane capitula in carduis, in turbinatum mucronem & conum aſſurgentia, foliis ſquamatim digeſtis compacta. Columella de cinara:

--- *Nunc pinea vertice ſurgit.*

Hic carduus θυρσοειδῆ κεφαλὴν habet, non acanthus, quæ ſi branca eſt urſina, ut eſſe nemo dubitat, ab iſta pineæ nucis imagine multum diſcrepans caput oſtentat, quin immo ne caput quidem ullum gerit. Nullum igitur dubium, quin ἀκάνθης proprie dictæ, & ἀκάνθυ notas miſcuerit Dioſcorides. Illius eſt θυρσοειδὴς κεφαλὴ, quæ pineæ vertice ſurgit, non iſtius. Multæ aliæ herbæ inſignitæ, thyrſi capitulo traduntur ab antiquis, quæ hoc indicio dignoſcuntur, non illæ eſſe, quas voluere hodierni herbarii. Dioſcorides de aliſmate: Καυλὸς λεπτὸς, ἁπλῦς, ὑπὲρ πῆχυν, ἔχων κεφάλιον θυρσοειδὲς, (ita hæc legenda verba) *caulis gracilis, ſimplex, cubitum excedens altitudine, in ſummo capitulum habens thyrſi.* Quem locum doctiſſimi interpretes miſere interpolant, dum quid ſit θυρσοειδὲς κεφάλιον ignorant. Ex eadem inſcitia eas herbas pro aliſmate ſupponunt, quæ illo inſigni carent. Recte Plinius de aliſmate & ex mente Dioſcoridis, quamvis non ab illo ſumpſerit: *Caule ſimplici ac tenui, cubitali, capite thyrſi.* Quærenda itaque ejuſmodi planta, cui capitulum thyrſi, quale depinximus aliſma, ut verum eſſe aliſma poſſit. Thymum Græcum, quod κεφαλωτὸν cognominatum eſt, capitulum thyrſi geſtat, unde & θύρσιον Græcis dicitur. Cirſii quoque capitula θυρσοειδῆ, & propterea *thyrſiculi vocantur* Apulejo, id eſt, κώνια. (nam θύρσος, κῶνος) *Herba cirſion thyrſo eſt bicubitali, trigono, inferius ſummitate rotunda cum thyrſiculis purpureis atque caneſcentibus.* Hæc nota indicat cirſium vel criſſion non eſſe Leoniceni bugloſſum, cui ad hanc faciem nulla ſunt capitula. Herba impia Plinio lib. XXIV. cap. XIX. *thyrſi modo veſtita atque capitata.* Notabis inde thyrſos non modo capitatos, ſed etiam veſtitos. Profectò ſcapus thyrſi ut plurimum hedera redimitus erat. Unde θύρσοι βρέμοντες κατασκίοισι πλοκάμοις apud Anacreontem his verſibus:

Ὑπὸ βαρβίτῳ δ' ἡ κύρα
Κατασκίοισι βρέμοντας
Πλοκάμοις φέρυσα θύρσυς
Χλιδανόσφυρ☉ χορεύει.

Nihil frequentius in libris auctorum ac præcipuè poëtarum occurrit, quam *thyrſos hedera velatos & frondibus amictos*, quod de ſcapo, ſive haſtili thyrſi hederæ foliis induto acci-

accipiendum liquet. Plinius lib. XVI. cap. XXXIV. de hedera: *Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu victorem ex India rediße exemplo Liberi patris: cujus dei & nunc adornat thyrsos, galeasque etiam & scuta, in Thraciæ populis in solemnibus sacris.* Vides thyrsos hedera adornatos, quod adeo tralaticium & obvium apud poetas, ut κισσὸν pro thyrso hedera vestito epigrammatis Græci auctor posuerit de Bacchante, quæ catalysin faciebat & arma sua dedicabat:

---- προὐθέμψατο δ' ὁ κισσὸν

Χεῖρες πελσφίγξω χρυσοδέτῳ σπατάλη.

Anacreon in epigrammate, cum θύρσον prius nominasset ἡ τὸν θύρσον ἔχουσ' Ἑλικωνιάς, paulo post κισσὸν reddidit pro eodem ---- Διωνύσῳ ἣ φέρουσι

Κισσὸν ᾗ ξανθὴν.

id est, thyrsum hedera ornatum. Apud Euripidem in Bacchis κίσσινον βάκτρον pro thyrso:

---- ἀλλ' ἔπου μοι κισσίνου βάκτρου μέτα.

Ita κισσίνους θύρσους vocat:

---- ἐκ δὲ κισσίνων

Θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.

Thyrsos hedera coronatos & adornatos fuisse hi versus indicant ex eadem tragœdia sic legendi:

Αἱ μὲν αὐτῶν θύρσον ἐκλελοιπότα

Κισσὸν κομήτην, αὖθις ἐξανέστεφον.

Aliæ, inquit Baccharum thyrsos suos, de quibus hedera exciderat, de novo ornabant, & hederam aliam reponebant. Θύρσος ἐκλελοιπὼς κισσὸν, à quo abiit hedera, ut ἱμάτια κρόκου ἐκλελοιπότα apud eumdem, vestes decutes ac defloccatæ. Passim in eadem tragœdia thyrsus vocatur, κίσσινον βέλος & κίσσινος κλάδος. Poeta:

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Thyrsos intelligit hederæ foliis intextos & indutos. Unde & *sutiles thyrsi* in Priapejis, qui sutilibus hederæ foliis intexti erant:

Liber sutilibus committit prælia thyrsis.

Sutis invicem hederæ foliis thyrsi velabantur. Sic *sutiles rosæ*, ex quibus coronæ sutiles. Hæc ideo pluribus egimus, quia scio Viros hodie non vulgariter quidem, ut videri volunt, doctos, quibus persuaderi nequit thyrsos hedera vestitos fuisse, quoniam in suis gemmis & monumentis antiquitatis eos sine hedera reperiunt scapo levi & nudo capite pineæ nuci simili, tænia hinc inde dependente. Contra tot auctorum testimonia niti paucis lapidibus testibus, non video qualis sit prudentiæ. Nihil sane ineptius illo genere Antiquariorum, qui per lapides tantum sapiunt, sive litteratos, sive cælatos. Quidquid lapides non habent nec uspiam extare credunt. Hæc imperitorum, sed curiosorum literatura est. Poterunt & eadem viâ negare, ullos esse thyrsos cum mucrone hedera obtecto, quia tales non ipsis suggerunt sui lapides. Ecce tamen eorum mentio passim in libris veterum, quę vera sunt ac certa antiquitatis monumenta. Macrobius, ut a levioribus incipiam lib. I. *Colitur etiam apud Lacedæmonios simulacrum liberi Patris hasta insigne, non thyrso. Sed & cum thyrsum tenet, quid aliud quàm latens telum gerit, cujus mucro hædera lambente protegitur?* Videtur hinc sentire Macrobius, thyrsum nihil aliud fuisse, quàm telum, cujus mucro hederâ tegebatur. Profectò & hac forma fuisse thyrsos constat, sed multum diversos ab his, quos ante explanavimus, quibus addita in summo baculi pro capite nux pinea. Quin illa hasta, quam pro insigni habuit simulacrum Liberi patris Lacedæmone cultum, thyrsus ejusmodi fuit cum mucrone hederâ involuto. Λογχωτοὶ θύρσοι vocabantur & unica voce θυρσόλογχοι, thyrsi nempe præpilati, quorum pilum latebat intra hederæ involucra. De his Justinus Martyr: Ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσι. Proprie λόγχη ferrum hastæ significat vel spiculum. Unde λελογχωμένα ἀκόντια præpilatæ hastæ, sive pilo cuspidatæ. Alio sensu præpilatas legere est τὰ ἐσφαιρωμένα à pila, non à pilo, quibus per ludum velitabantur, quod pilam mucrones præfixam haberent. Vidi viros doctos heic hærere ac labi. In Græco epigrammate, quo Bacchantis arma renunciantis arti dedicantur:

---- ᾗ τὸ δίθυρσον

Τοῦτο τὸ λογχωτὸν ᾗ τὸ πελσφύριον.

A Hoc geminum hastile præpilatum. Hoc par thyrsorum pilo præfixorum. In Asterismis apud Proclum Centaurus θυρσόλογχον tenet. Ptolemæus simpliciter θύρσον vocat. Inter arma minantia Deorum & metum mortemque ferentia Strabo θυρσόλογχα ὅπλα numerat lib. I. Κεραυνοὶ γὰρ ᾗ αἰγὶς ᾗ τρίαινα, ᾗ λαμπάδες, ᾗ δράκοντες, ᾗ θυρσόλογχα τῶν θεῶν ὅπλα μῦθοι. Duplicis igitur generis thyrsi, quibus λόγχοι & mucro aderat, isque hedera vestitus, ne appareret; & quibus pomum pini impositum. Illi θυρσόλογχοι, isti κωνοφόροι. Utrique hederâ ornati. Vetus epigramma:

Καὶ θύρσου χλοερὸν κωνοφόρου κάμακα.

B Viridem thyrsi scapum ob hederæ folia, quibus obvolutus erat, appellat. Innoxii est thyrsi & sine ferro. Hinc Euripides Bacchas suas in tragœdia cognomine inducit, χειρὸς ἀσιδήρου μέτα taurorum corpora discerpentes ac dissipantes. Quod non dixisset, si thyrsi earum ferro præfixi fuissent. Aliquando etiam simplex baculus, hederâ circundatus, pro thyrso fuit. Talis pingitur in Achate illo nobilissimo, qui Bacchi orgia sculpta exhibet, quem Scaliger & Casaubonus explicarunt. Baccha mulier ibi conspicitur, pro thyrso baculum tenens hederæ fronde redimitum. Qui negaverit hoc thyrsum esse, nugas egerit.

C Atqui nec capitulum habet κωνοειδὲς, nec mucronem hedera obtectum. Interdum & pro hedera vittis ac tæniis velabantur thyrsi. Athenæus lib. V. de pompa quadam bacchanalium: Εἶχεν δὲ ἐν τῇ ἀριστερᾷ θύρσον ἐστεμμένον μίτραις. Nullæ gemmæ aut lapides talem repræsentant, nec unquam me vidisse profiteor pictum in parietibus. Cæterum, cum θυρσοειδὴς κεφαλὴ nominatur ab auctoribus, & certarum stirpium capitula huic assimilantur, de thyrsis id intelligi par est, cui pinea nux in vertice adfixa. Quæ pervulgatior erat thyrsorum forma. Talis probe expressa in carduo spectatur, non in topiaria acantho,

D quam cum acantho proprie dicta, id est, carduo confudit Dioscorides. De papyro Ægyptia, cui similiter thyrsi caput adsignat Plinius, non adeo expedita quæstio est. Coma papyri, ut etiam depinxerunt, qui viderunt, nihil præfert, quod alludat ad ad hanc imaginem. In conicam figuram turbinata non surgit: immo contra ab imo acutior in latitudinem magis panditur. Si quis vidit crassum nodum fimbriatum, quam vulgo *Houpam* dicimus, vidisse putet papyri comam. Huic etiam simile ex mulsis virgis contextum instrumentum, quo pulvis decutitur è vestimentis sordidis. Strabo de papyro simpliciter dicit: Ῥάβδος ψιλή ἐστιν, ἐπ' ἄκρῳ ἔχουσα

E χαίτην. Qualis sit, non exprimit Expressit Plinius his verbis: *Decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigatum thyrsi modo cacumen includens.* En papyri cacumen, thyrsi modo in gracilitatem fastigatum. Τὸ ἄκρον intelligit & τὴν χαίτην, quam ἐπ' ἄκρῳ gerit. Atqui falsissimum, eam in cacumen desinere thyrsi modo acuminatum, & conicum. Nec succurrit dicere, viros doctos, qui Ægyptum lustrarunt, plantam papyri delineandam curasse, qualis habetur, cum perfectam adepta est formam, expansis &

F apertis comæ capitulis, quæ clausa prius fuerint ad instar coni conniventia. Ut ex figura apparet, protinus expansam incipere liquet, ut in umbelliferis ferme omnibus videre est. Nam ab ima parte gracilior spargit se in summo. Contra se habent, quæ prius connivent, deinde maturitate aperiuntur, ut flores carduorum. Quin & Lobelius disertè tradit comam papyri, quæ flos ejus est, non cyperi modo spargi, sed compressam magis esse more ferulæ. Plinius historiam illam de papyro ad verbum convertit ex Græcis Theophrasti, quæ sic habent in vulgatis: Κόμην ἔχοντας ἀχρεῖαν ἀσθενῆ, καρπὸν δὲ ὅλως οὐδένα. Plinius hæc sic reddidit: *In gracilitatem fastigitatum thyrsi modo cacumen in-*

G *cludens semine nullo.* Cum viderem Latina ex Græcis expressa, & Græca manifesto esse corrupta ex Latinis, & tentabam emendare legendo: κόμην ἔχοντας ἄκρεαν θυρσίνην. Nec sane aliter potuit occurrere ad mentem cogitantis, Plinium non malè sententiam auctoris sui reddidisse. Nunc non tam bene de Plinio sentio, sed de veritate melius, cui minime concinit id,

id, quod Plinius dixit de papyri coma, thyrsi modo in gracilitatem fastigata. Si Theophrastus idem tradidit, nec veritati ille litavit. Sed quandoquidem ejus verba non sana esse liquet, provocaret ad sinceram & suam scripturam; si ex Plinii versione, aut ex editione sua condemnaretur. Puto illum scripsisse, κόμlω ἔχοντας ναρθηκίνlω, pro eo quod est ἀχςείαν ἀσθενῆ. Ut omnia facias, non veriorem exsculpes. Plinius ipse ostendit ita ab eo scriptum, cui perpetuum ac solemne est, νάρθηκα pro thyrso sumere. Clarum exemplum in Euphorbio, quod Græcis traditur δένδρον ναρθηκοειδὲς, Plinius vertit: *specie thyrsi*. Hoc loco in Græcis papyrus habet κόμlω ναρθηκίνlω. Plinio placuit esse, *thyrsi modo fastigatum in gracilitatem cacumen*. Immo debuit reddere, siquidem recte voluisset, *comam ferulaceam* Νάρθηξ Græcis gestamen Bacchicum, ut & θύρσ☉. Hinc ναρθηκοφόροι βάκχοι & θυρσοφόροι. Sæpe alterum pro altero ponunt auctores, νάρθηκι βακχεύειν, & θύρσῳ βακχεύειν frequens apud Græcos. Proprie νάρθηξ est baculus vel virga ex ferulæ frutice. Magistri manum discipulorum ea verberabant, unde *ferulæ magistrales*. Quia levis & fungosus frutex ac sine pernicie ictum inferens, ideo delectus castigandis pueris discentibus, qui & *ferulæ manum subducere dicti* Satyrico. Pro qualibet etiam virga usurpatur feriendo apta. Quâ notione etiam θύρσ☉ dici potest. Nam & θύρσ☉, interdum simplex baculus. Βάκτρον κίσσινον vocat Euripides & κίσσινον κλάδον baculum hedera redimitum. Hesychius: θύρσ☉, ῥάβδ☉, βακτηρία βακχική, ἢ κλάδ☉. Idem & νάρθηξ, sed propriè ex ferula frutice. Plinius lib. XIII. cap. XXII. de ferula tradit, *nulli fructicum levitatem esse majorem: ob id, quod gestatu facilis esset, baculorum usum senectuti præbuisse*. Solent præcipuè induci vetuli satyri in comitatu Bacchi cum ferula. Hi sunt ναρθηκοφόροι. Bacchæ magis cum thyrsis, qui & ipsi etiam νάρθηκες dici possunt, si ex ferula, ut contra & ferulæ thyrsorum habere nomen in sacris præsertim Bacchi gestatæ. *Thyrsi* herbarum caules Latinis etiam dicti, qui & νάρθηκες, si modo inanes intus & concavi, ut sunt arundines & omnia ferulei generis. Utrumque igitur Bacchantium gestamen νάρθηξ & θύρσος eo facilius alterum pro altero sumi potuit. Differunt tamen non parum. Thyrsus interdum hasta Bacchica cum ferreo mucrone hedera convoluto & tecto. Hic λογχωτὸς θύρσ☉. Alias baculus itidem amictus hedera, aut etiam sine hedera, cujus in summo pinea nux quæ inter symbola Bacchica. Hic κωνόφορ☉ θύρσ☉ à quo κεφαλὴ θυρσοειδὴς in plerisque plantis. At νάρθηξ planta ipsa, quæ Latinis ferula. Hæc Baccho sacra ideo gestabatur a Bacchantibus. Plinius lib. XXIV. cap. I. *Ferulæ asinis gratissima in pabulo, ceteris vero jumentis præsentaneo veneno: qua de causa animal Libero patri adsignatur, cui & ferula*. Quod ignis in ferula servari soleret, idcirco sacram Baccho Græci tradunt. Nam & vinum igneæ potestatis esse. Ὄιν☉ τῷ πυρὶ ἴσον ἔχει μέν☉. Græcus Tragicus:

> Ναρθηκοπλήρωτον ἢ θηρῶμαι πυρὸς
> Πηγlω.

Hesychius: τlω ἐν νάρθηκι θησαυρισθεῖσαν, παρόσον τῷ νάρθηκι ἐχρῶντο πρὸς τὰς ἐκζωπυρήσεις τοῦ πυρός, ὅθεν καὶ τῷ Διονύσῳ οἰκείωσαν αὐτὸν, διά τε τὰς ἐν ταῖς θοίναις τῶν δένδρων ἀφάς, καὶ διότι θερμός ἐστι φύσει ὁ οἶν☉ καὶ πυρώδης. Nota est fabula Promethei ignem, quem furatus in cælo fuerat, in ferula occultatum deferentis ad homines. Hinc ille dicit apud Tragicum, venari se ignis fontem in ferula latentem, θηρῶμαι πυρὸς πηγlω ναρθηκοπλήρωτον. Male vulgo est, πυρὸς πληγlω. Alii alias rationes afferunt, cur Baccho hunc fruticem consecrarit antiquitas. Levem & inanem esse plantam; ea re optime convenire levi & semper ebrio numini: τῷ μεθύσῳ καὶ οὕτως ἐλαφρῷ Διονύσῳ. Bacchus ipse hanc gestat in Bacchis. Euripides: ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων πυρσώδη φλόγα πεύκας, ἐκ νάρθηκ☉ ἀΐσσει. Vertunt interpretes: *gestans ignitam facem piceæ, quæ ex ferula emicat*. Quod est ridiculum & absurdum. Ignis in ferula reconditur ac custoditur, non ex ferula emicat. Unde νάρθηξ πυελκοῖτας in epigrammate, in quo ignis servatur ac conditur. Mens poëtæ est Bacchum tædam simul & ferulam ferentem exilire. Faces quoque, id est, αἱ πεῦκαι in orgiis Bacchicis

A usitatæ, ut & thyrsi ac ferulæ. Inde & θύρσους quidam λαμπάδας exponunt, quomodo alii & νάρθηκας pro thyrsis exponunt. Hesychius: θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι. Tria hæc diversa Bacchantium arma, thyrsi, lampades & ferulæ: Θύρσοι, καὶ λαμπάδες, καὶ νάρθηκες. Idem Euripides in tragœdia Baccharum θύρσους & νάρθηκας aperte distinguit his verbis:

> Θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν εἰς πέτραν,
> Ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.
> Ἄλλη δὲ νάρθηκ' εἰς πέδον καθῆκε γῆς
> Καὶ τῇδε κρήνlω ἐξανῆκ' οἴνου θεός.

B Alia saxum thyrso percussit, & aqua manavit: alia ferulam terræ impegit, & vinum inde deus emisit. Apud poëtam Silvanus ferulas cum liliis quassare dicitur:

> *Venit & agresti capitis Silvanus honore,*
> *Florentes ferulas & grandia lilia quassans.*

Quod de vero ferulæ frutice accipiendum. Bacchus quoque ἐκ νάρθηκ☉ ἀΐσσων apud Tragicum veram ferulam concutit, quæ ipsi sacra erat. Unde & ναρθηκοφόροι in sacris ejus, ut & θυρσοφόροι. Notissimus proverbialis versus:

> Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

C Quia etiam θυρσοφόροι, hinc multi νάρθηκας ἀντὶ τῶν θύρσων interpretati sunt. In his Plinius, qui ναρθηκίνlω κόμlω papyri pro ea accepit, quæ thyrsi capitis similitudinem haberet. Atqui de ferulæ fruticis cacumine id dixerat Philosophus. Ferulas autem ludimagistrales ex ferula frutice factas, clare ostendit Martialis hoc distichum:

> *Invisa nimium pueris grataque magistris*
> *Clara Prometheo munere ligna sumus.*

Quod & Græcum epigramma indicat, quo supellex ludimagistri describitur, post catalysim artis ab ipso dedicata.

> Σκήπωνα προποδαγὸν, ἱμάντα τε καὶ πυελκοῖταν
> Νάρθηκα, κροτάφων πλάκτειρα νηπιάχων.

D Sic correximus πυελκοῖταν νάρθηκα, pro eo quod erat in membranis πυελκοῖταν. Apud Suidam legitur πανακεῖταν. Eleganter sic vocat ferulam, in qua ignis conditus ac custodiendus jacebat. Ex eadem ferula medicorum malleus νάρθηξ, qui postea ex ebore factus priscum nomen retinuit. Martialis:

> *Artis ebur medicæ narthecia cernis habere.*

Glossæ: *Malleus*, νάρθηξ ἰατρικός. Inde cum flagris & ferulis ea narthecia junxit Martialis. Inde ναρθηκισμὸς apud Dioscoridem, qui referendus ad illam ἐπίκρουσιν, qua mangones venalium partes extenuatas & nimis

E graciles ad pristinum statum revocabant, frequenti ferularum incussione. Hic νάρθηξ ἰατρικὸς glossarum, qui malleum reddunt. Non puto tamen hoc sensu capienda Martialis *narthecia*, quamvis statim de flagris & ferulis sequantur lemmata. Immo νάρθηξ, sive ναρθήκιον vasculum significat, vel scrinium ex ebore, quo unguenta reponebantur. Atque ita plane accipiendum, mens Poëtæ testatur. Cernis, inquit, narthecia eburnea medicæ artis habere munera, quæ vellet parcius sua esse, id est, unguenta. Hinc veteres medici sæpe hoc nomine libros suos inscripserunt in quibus de medicamentis tractabant. Galenus lib. V. de com-

F positione medicamentorum κατὰ γένη cap. III. ὁ μὲν Ἡρᾶς ἐν βιβλίον ἐποιήσατο τῶν φαρμάκων συνθέσεως ἐπιγραφόμενον Νάρθηκα. Mentio etiam apud eumdem Galen. Κριτίππου Νάρθηκ☉, qui liber erat de synthesibus. Sorani quoque Νάρθηξ, ut citatur ab Aëtio. Νάρθηξ, ut dixi, myrothecium. Inde Homeri poëseos editio correctior, quam ἐκ τοῦ νάρθηκος cognominabant. Ratio appellationis, quod eam Alexander Magnus in scrinio unguentorum pretiosissimo reposuerat reperto in supellectile Darii. Strabo lib. XIII. Φέρεται γοῦν τις διόρθωσις τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος λεγομένη, τοῦ Ἀλεξάνδρου μετὰ

G τῶν περὶ Καλλισθένlω, καὶ Ἀνάξαρχον, ἐπελθόντος, καὶ σημειωσαμένου τινά, ἔπειτα καταθέντος εἰς νάρθηκα, ὃν εὗρεν ἐν τῇ Περσικῇ γάζῃ πολυτελῶς κατεσκευασμένον. Sic vocat, quod Plinio dicitur scrinium unguentorum auro, gemmisque pretiosum, cui inter spolia regis Darii capto commissam esse librorum Homeri custodiam dicit, ut pretiosissimum humani ingenii opus quam maxime diviti opere servaretur. Non bene Scaliger in quadam epistola Ναρθήκιον illud, cui mandata est ab Alexandro emendatæ Homericæ

 poëseos

poëseos custodia, quæ dicta est ἀπὸ τοῦ νάρθηκος, repositorium sanctius interpretatur, in quo gemmæ conduntur: immo in quo unguenta. Cur scrinia unguentorum sic appellata sint, nescio, nisi à forma ferulæ, ut scrinium rotundum ita appellarint. Nam ferula concavum lignum & inane, ut arundo καλαμῶδες φυτόν. Quinimmo odoratæ, plerumque species in fasciculos coactæ intra calamos & ferulas condebantur, ne odor expiraret, ut de dictamno testatur Theophrastus lib. IX. cap. XVI. Τιθέασι δὲ καὶ τὰς δεσμίδας ἐν νάρθηκι, ἢ καλάμῳ πρὸς τὸ μὴ ἀποπνεῖν. Inde improprie quodlibet repositorium ac scrinium unguentis servandis, appellatum ναρθήκιον & νάρθηξ. Hoc verissimum. Aliud etiam νάρθηξ apud medicos, pro stabilimento delegationis. Est & νάρθηξ porticus vel atrium in templis & basilicis veterum Christianorum. De quo nos alibi. Hæc fuere explananda, quæ ignorata hactenus tenebras offuderunt rei herbariæ in illa θυρσοειδοῦς κεφαλῆς significatione. Κώνειον à grammaticis νάρθηξ exponitur, non quia νάρθηξ & κώνειον sit idem, ferula & cicuta: sed, quia hæc ex ferulaceorum genere. Κῶνον Græci, vel κώνιον dixere, quod ejus umbella, ubi ex flore in semen ire incipit, in vertice turbinatur & conicam figuram efficit. Et hoc addendum fuit.

CAPUT IV.

De loto arbore & herba.

Λωτὸς arbor est nec unius generis. Λωτὸς etiam herba plurium generum, & præterea palustris frutex Ægypti peculiaris ex genere nymphæarum, vel nymphæa ἀντόχρημα Nilotica. Atque inde Plinius hunc Nili fruticem cum loto herba confudit, dum lotometram Ægyptiam ex loto communi satâ nasci tradit. Omnes Græcorum Glossæ iatricæ & aliæ λωτὸν vulgo γλυκυκάλαμον dici adnotatum habent. De quo genere loti id accipi melius esset, disputavimus alibi. Nicetas loton, quæ tenuit socios Ulyssis vocavit γλυκυκάλαμον. Herbam, sive gramen fuisse Homero debemus credere. Quintilianus lib. V. cap. VIII. *Neque aliter, quàm ii, qui traduntur à poëtis gustu cujusdam apud Lotophagos graminis & Sirenum cantu deliniti, voluptatem saluti prætulisse.* Λωτὸν ἐρέπτοντες μελιηδέα. Quod de gramine intelligendum. Vetus Onirocriticum ἀνέκδοτον cap. CC. γλυκυκάλαμον junxit cum lino & lupinis περὶ χωραφίου ἐσπαρμένου λιναρίῳ ἢ χωραφίου ἐκ θέρμων ἢ ἔχοντος γλυκυκάλαμον. Ubi in confesso est γλυκοκάλαμον de herba, vel frutice capi. Et in ipso textu sic habetur: Ἐάν τις ἴδῃ, ὅτι ἔχει γλυκοκάλαμον ἀσυνήθως εὑρηκὼς πλεῖστον ἡδὺ καὶ μεγιστὸν γενήσεται ἀναλόγως τοῦ καλάμου. *Si ager ille præter morem consitus fuerit* γλυκυκαλάμῳ, *jucundas divitias significat, & in clientela potentis alicujus futurum pro ratione ac modo calami.* Sin ex illis agris fuerit, qui ferre dulcem calamum consueverint, minores opes denunciat id somnium. Eadem fere habentur & in Onirocritico Achmetis vulgato cap. CCXII. Γλυκυκαλαμῶνα habet & καλαμῶνα. De loto pratensi, vel hortensi possumus accipere. Nullus enim alius lotus, graminis vel herbæ instar se gerit. Magis tamen appositum videatur de saccharina canna interpretari, hoc quidem in loco. Veteris Antidotarii interpres casiam fistulam reddit τὸ γλυκυκάλαμον Myrepsi. Ea siliqua est Ægyptia καθαρτική. Quidam vocarunt κάλαμον μέλανα. Alii κασίαν μέλαιναν. De qua nos alibi. Myrepsus in Drosato quodam Bacchico γλυκοκάλαμον cum manna ingredi facit: Ἔμβαλε ἐν αὐτῷ μάννα οὐγγίας ἥμισυ, γλυκυκάλαμον οὐγκίαν μίαν. Quod videtur de siliqua illa, quæ casia fistula vulgo dicitur, exponendum. Certè non una res in hoc nomen adoptata est à recentioribus Græcis.

CAPUT V.

De comaro & unedonibus.

Κόμαρος Theophrasto, quæ Latinis arbutus. Hujus fructum *unedonem* esse Plinio placet: at Latini Plinio anteriores arbuta passim vocare amant fructum arbuti, ut pyrum est fructus pyri; malum, mali. Virgilius:

—— *arbuta sacræ*
Deficerent sylvæ.

Varro lib. II. de R. R. cap. I. *Ut ex arboribus ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad usum.* Et sane unedonem Galenus & Paulus Ægineta non arbuti pomum esse, sed à rusticis Italis ita vocari asserunt fructum ἐπιμηλίδος. quæ arbor longe differt ab arbuto. Paulus Ægineta: Ἐπιμηλὶς ἥτις καὶ οὐνέδων παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς ἀγροίκοις καλεῖται. Ἐστι δὲ οἷον ἀγρία μηλέα. Servius ex Plinii sententia notat unedonem appellari fructum arbuti. Indidem glossæ μεμαίκυλον *unedonem* exponunt. Et certum est, fructum κομάρου, sive arbuti ita Græcis appellari. Κόμαρος præterea herba est, quæ fraga fert humi nascentia. De herba, non de arbore debent accipi ista Theocriti:

Καὶ χίμαρον πατέοντι καὶ ἐν κομάροισι κέονται.

Capreæ & oves non possunt dici jacere in arbutis, quæ arbores sunt, sed in herba recumbunt. Idem Eidyllio IX. juvencas κόμαρον pasci canit:

—— τὰς μοι ἁπάσας
Αἱ κόμαρον τρώγοισαι ἀπὸ σκοπιᾶς ἐλίναζε.

Herbæ fructum Latini *fraga* dixerunt. Juvenalis Sat. IV. fraga videtur dixisse pro arbutis, ubi victum veterum agrestium ex arboribus sponte in silva nascentibus decerpi solitum innuit:

—— *quamvis*
Plura domi fraga & majores glandis acervos
Adspicerent.

Varro ad significandum agrestem illum priscorum pastorum victum, glandes similiter & arbuta junxit. Glossæ: *fraga*, μεμαίκυλον. Paulus Ægineta comari arboris fructum μεμαίκυλον Græcis appellari docet. Alibi vero καρπὸν esse κρανείας (*corna* Latini vocant) mavult: μεμαίκυλος ὁ καρπὸς ὢν τῆς κρανείας εἴρηται ἐν τῷ κ στοιχείῳ. Ibi tamen tradit esse κομάρου. Plura de hac κομάρῳ notavimus, erroremque super eo Plinii indicavimus. Qui etiam in eo erravit non mediocriter, cum quinquefolium, herbam esse tradidit, quæ fraga fert. *Quinquefolium*, inquit, *nulli ignotum est, cum etiam fraga gignendo commendetur.* Hoc falsum. Quæ fraga gignit herba, tribus tantum foliis constat, quæ similia quinquefoliis. Plinium sequitur Marcellus Empiricus, qui eum inter auctores nominat, quibus usus est in colligendis medicamentis ac remediis, in cap. XI. in quinquefolio fraga nasci autumat: *Quinquefolium, in quo fraga nascuntur, obducitur ex aqua marina.*

CAPUT

CAPUT VI.

De Aloë herba & arbore.

Ἀλόη arbor Indica, cujus lignum odoratum dicitur ξυλαλόη, idemque cum agallocho. Ἀλόη herba est æquè Indica, sed in aliis quoque locis nascens, cujus succus ad cathartica commendatissimus amaritudinis præcipuè caussa. Ex eo plerosque auctores vetustos neotericosque, aromaticam aloën cum cathartica videmus confudisse. Agallochum ex Hebraïco אֲהָלוֹת *ahaloth*. In eadem significatione inveniri tradunt & masculinum, אֲהָל cujus plurale. אֲהָלִים. Inde ἀλόη Græcum. Quo vocabulo plurimum usi sunt posteriores Græci, qui & ξυλαλόην dicunt. Vetustiores ἀγάλλοχον magis frequentant. Ἀλόην tamen norunt aromaticam Septuaginta. Cathartica ἀλόη Syris עלוי. Inde Græcum factum. Arabibus صبر. *cebar*, *sebar*. In veteri glossario Græco arabico scriptum est, σάπερ, ἡ ἀλόη. Male apud Serapionem editum *laber* pro *saber*. In pervetusto glossario Latino arabico expositum legitur: aloë. سرو *Seru*. In eodem: سرو, *saru* est cupressus. Apud Avisenæ quoque interpretem *seru* est cupressus. Pro aloë odorata veteris illius glossarii auctorem puto posuisse illud سرو. In vetustissimo exemplari Dioscoridis, cui adscripta sunt Arabica, ad vocem ἀλόη habet adpositum cum articulo الصبر. *Alcebar*. Unde Hispanicum *acera*. Quod ad odoratam aloën, sive agallochum attinet, duo ejus genera faciunt Græci recentiores, ab Arabibus mutuati, ἀγάλλοχον Ἰνδικὸν, & ἀγάλλοχον Σίνφι. Ita nimirum apud Charitonem medicum reperio; Ἀγάλλοχον Σίνφι, ἀγάλλοχον Ἰνδικόν. Apud Serapionis interpretem male est *seisi* pro *sensi*; vel *sinsi* صنغي Ab insula Indiæ, quæ vocatur صنف. *Sinf*. Sinficum tamen & Indicum dictum agallochum differunt, quamvis utrumque ab India veniat. Sed quod *Indum* dicitur proprie a colore potius, quam a patria denominatur. Nigrum enim hoc nomine vocarunt, quod cæteris præferunt. Sic ex variis generibus myrobalanorum omnibus Indicis, unum tamen propria appellatione Indi donatum est, quod nigrum. In aliis etiam rebus hanc appellationem Indici pro nigro fa-

A ctam memini observare. Indi etiam agallochi mentio apud Avisenam in litera A, ubi plura recenset genera ex diversis Indiæ locis, ut Mundalicum, Cumericum, Cataicusem, Sinensem & alia. Eo capite *haud* Arabicè vocat عود, quod lignum communiter significat apud Arabes, & in numero multitudinis عيدان, *liga*. *Haud* etiam tibiam illis signat. Hodie quoque nobis tibia lignum dicitur, *Hautbois*. Quod fortasse ex Arabico, & ipsius interpretatione

B compositum. At agallochum κατ' ἐξοχὴν vocatum *haud*. Et propria hæc ejus appellatio apud Arabes. Garcias ab Horto in Decan & Guzarate, qui Gedrosii veterum putantur, *Ud* appellari agallochum refert. Quod ex Arabico desumptum arbitratur. Fortasse ex illo Arabicum. In Lusitanorum scriptis vocatur *udo*. Idem prorsus nomen cum *haud*. Nam & Arabicè pronuntiatur *heud*. Præstat igitur quod Arabes vocant عود هند, *haud heud*, agallochum Indum reddere, quam

C lignum Indum, ut eruditi viri faciunt. Perperam in expositione Andreæ Alpagi legitur *Heudcen*, id est, lignum aloës Indum. Lege: *Hend Hen*, vel *Haud Hend*. Quod ex *Haud Hendi*. In Græcis lego: Ἡαυδχένπ, ut ταμαρχένδι, pro *tamarhendi*. Sic عود القمري *haud alcumeri* apud Geographum Arabum non est lignum Comaricum, sed agallochum Comaricum. Ut ἀγάλλοχον Σίνφι apud Charitonem عود سنفي. *Haud Sinfi*. Alias etiam

D vocatur Arabibus اغالوجي, *Agalugi*, quod depravatum ex Græco ἀγάλλοχον. Legitur etiam apud Avisenam اغالوجون *Agallugun*. Græci recentiores ξυλαλόην frequentius nominant, non respicientes ad significationem vocis Arabicæ, sed discriminis gratiâ, ut distinguatur ab altera aloë, quæ succi dote tantum commendatur, non etiam ligno. Plura de utraque aloë vide in Exercitationibus. Non sunt ὁμώνυμα κραταιγὸς sive κραταιγῶν arbor, & κραταιγόνον

E herba. Idem quippe non est nomen. Plinius tamen non discrevit *crategon* à *crategono*. Hesychius: Κραταίγονον βοτάνη, μεθ' ἧς πλέκουσι. Κραταιγὸς δένδρον.

CAPUT VII.

De Cistho & Cisso.

Posset utcunque excusatus haberi Plinius, quod κίσθον & κισσὸν sine discrimine usurparit, & ex cistho hederam fecerit. Scripturæ hæc culpa antiqua. Nam certum est κισσὸς pro κίσθον in libris Theophrasti jam ætate ejus scriptum extitisse; immo constat non aliter Theophrastum scripsisse: Καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαφέρει, τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. Quæ cistho, non hederæ conveniunt. Et paulo post: καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον, ἀμφω δὲ ὅμοια τοῖς ἀγρίοις ῥόδοις, πλὴν ἐλάττω καὶ ἄοσμα. Ita enim vetus liber legit, cum vox ῥόδοις desit in exemplaribus vulgatis. Plinius heic fortasse obtinere veniam dignus, qui hederam vertit, & *florem purpureum hederæ agnovit silvestribus rosis similem*. Cæterum si peritum rei herbariæ mihi dederis, non erit hoc ei ignoscendum, quod ullum hederæ genus extare crediderit, flore purpureo & rosis silvestribus simili, in quo color tantum delectet, odor autem absit. Statim quippe vidisset cistho hæc tantum, nequaquam hederæ convenire. Non diu itaque hæsitasset, sed κίσθον ibi intelligendum, aut legendum esse statim scisset. Κισσὸς Theophrasto est κίσθος: idque ex dialecto manavit, quæ θ in σ mutat, ut quæ Ἀσάναν dicit, quæ aliis Ἀθάνα, & Σεὸν, qui communi lingua Θεός. Lacones, Cretes, Cyprii & aliæ Græciæ gentes plurimæ hac dialecto utebantur. Æoles etiam quidam volunt σεὺς appellasse, qui θεοὶ sunt aliis Græcis. Κισσὸς igitur pro κίσθος Theophrast. At Κιττὸς eidem est hedera Attico more, quam alii κισσὸν appellant. Hoc usque ad infima Græciæ tempora manavit, quæ κίσσαρον & κίσθαρον indiscretim scripserunt de hoc cistho: & χαμαικίσσαρον etiam vocarunt, qui chamæcisthus est. Ex eo alii κίσσαρον & κίσθαρον etiam de hedera dixere &

G utrumque confudere. Paulus Ægineta, ut ex serie litterarum constat, Κισσὸν scripsit pro cistho. Theocriti versus non de hedera, sed de cistho capiendus:

---- Καὶ ὡς ῥόδα κισσὸς ἐπανθεῖ.

Hedera non floret, ut rosa, sed cisthus. Unde & rosam caninam Latini cisthum vocarunt, quo nomine Græci

Græci silvestrem rosam nominant, nempe κυνόῤῥοδον. Hoc vidit & Scholiastes Theocriti vetus, qui & κισσὸς ibi legit, & de cisto interpretatus est, his verbis sic legendis: Κισσὸς εἶδος βοτάνης ἀνθώδης ἐοικυίας ῥόδῳ. Florem rosæ tantum habet similem. Ἔστι δὲ καὶ αὕτη τῶν θάμνων, γλυκῶδες ἄνθος περιειμένη, περὶ δὲ τὰ γόνατα τῶν τράγων καὶ τὸν πώγωνα πήσσεται. Hæc in alium fruticem quadrare, non queunt, nisi in cisthum, quem κισσὸν ibi vocavit Theocritus. Scribit Plinius: *Ladanum etiam in Cypro fieri ex succo, qui hircorum barbis genibusque inhæret, sed hederæ flore deroso, pastibus matutinis, cum est rorulenta Cypros.* Planum est in auctore Græco, à quo hæc habet, κισσοῦ ἄνθος legisse, sed intelligendum esse de cistho, non de hedera. Rufus quoque Ephesius apud Galenum, ut alibi observamus, κισσὸν vocat pro κίσθῳ, & capras summa ejus folia ac germina depasci tradit:

Κισσοῦ ἀνθήεντος ἐπέδραμον ἄκρα πέτηλα,
Τοῦ δ' ἀπὸ λαχνήεντος ἀνεπλήσθησαν ἀλοιφῆς

A Αἶγες ὑπαὶ λασίοισι γενείοισι.

hoc est, quod Plinius dicit, *hederæ flore deroso.* Ἀνθήεντα κισσὸν appellat. Inde & interpres vetus Theocriti εἶδος βοτάνης ἀνθώδης κισσὸν esse ait. Sic enim emendandum pro ἀκανθώδης. Legitur in glossis Hesychii: Κεασὸς βοτάνης εἶδος. Quod de hoc cistho, qui etiam κισσὸς dictus, videtur accipiendum. Arabes quoque utrumque genus, hederam scilicet ac cisthum, sub uno titulo ac nomine tractarunt, quod ex Græco sine ulla mutatione mutuati sunt. Nam hedera illis vocatur قيسوس *cisus.* Quo nomine tam hederam, quam cisthum herbam comprehendit ac descripsit Avisena, quia scilicet

B apud Græcos utrumque κισσὸν invenit appellatum Idem in voce *Laden* لاذن (sic vocant *ladanum*) *in pilis caprarum barbisque colligi ait*, ubi pastu *carpserunt plantam, quæ nominatur* قيسوس id est, κισσός.

CAPUT VIII.

De scilla & lentisco.

PAuci omnino sunt, qui nesciunt σχῖνον appellari lentiscum. Non multis notum est, eodem nomine & squillam dici apud Atticos scriptores. Inde σχινοκέφαλον antiqui comici Periclem per iocum nominabant, quod caput haberet scillæ bulbo vel capiti simile. Cratinus in Trattis ita vocaverat. Aliter tamen Hesychius: σχινοκέφαλος, εἶδος φυτοῦ. Caput scillæ ita vocatum ostendit. In tantam plerumque amplitudinem id evadit, ut capite humano majus existat. Non mirum proinde, caput hominis comparari capiti scillæ. Nulli ex bulbis amplitudinem esse majorem, quam ei scillæ scribit Plinius. Quod capite oblongo esset καὶ ἀσυμμέτρῳ, Pericles ita vocabatur à comicis sui temporis.. Talis quippe forma scillæ, τὴν γὰρ σκίλλαν, ait Plutarchus, ἐστὶν, ὅτι καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι. Non omnem scillam sic puto vocasse, sed edulem duntaxat. Epicharmus apud Athenæum inter edulia numerat, θρίδακα, ἐλάζαν, σχῖνον, ῥαφανίδας, κάκτους. Ubi σχῖνος est scilla edulis. Non omnis scillæ radicem in cibis usurpatam fuisse ostendit Theophrastus, sed ejusmodi quæ diceretur Ἐπιμενίδειος: καὶ ἡ τῆς σκίλλης ῥίζα ἐδώδιμος, πλὴν οὐ πάσης, ἀλλὰ τῆς Ἐπιμενιδείας καλουμένης, ἣ ἀπὸ τῆς χρήσεως ἔχει τὴν προσηγορίαν. Epimenidea hæc scilla à quodam Epimenide, quia eâ plurimum utebatur, ἡ Ἐπιμενίδειος σκίλλη. Male Plinius *Epimenidium* absolutè reddit lib. XIX. cap. V. *Epimenidium vocatur, angustius folio ac minus aspero.* Solum hoc genus *cibis gratum esse* tradit. In optimo codice legitur *Epimendu.* Forte *Epimenidu*, ἡ σκίλλα Ἐπιμενίδου: sed potest subaudiri genus. Hæc erit scillæ species, quam Attici proprie σχῖνον nuncuparunt, arbori lentisco cognominem: Hesychius: σχῖνος, ἡ σκίλλα, καὶ εἶδος φυτοῦ. Per φυτὸν intelligit arborem lentiscum. Σχῖνον autem esse squillæ genus edulis probatur & versu Theopompi comici apud Athenæum:

Οὐ σχῖνος, οὐδ' ἀσπάραγος, οὐ δάφνης κλάδοι.

De squilla potius, quàm de lentisco intellexerim Σχίνου mentio apud Theophrastum hoc sensu, ubi perperam etiam de lentisco interpretantur lib. V. de causis cap. VII. Ὅσα δ' ἐν σχίνῳ φυτεύουσιν ἢ σκίλλῃ πάντα τῆς βελτιώσεως ἕνεκα καὶ εὐτροφίας φυτεύουσι. Vertunt interpretes, *meliora esse, quæ lentisco aut scilla inserta mandantur terræ.* Quæ affinitas lentisco cum scilla? Aut quis legit, vel fando audivit, aliquid insertum lentisco lætius provenire ac celerius crescere? At de scilla hoc memorant, quod & de σχίνῳ, quæ scillæ species, jure dicatur. Vereor, ne & vetus error ex hac ὁμωνυμίᾳ originem duxerit, quo traditum est lentisci triplici fœtu tria tempora arandi demonstrari. De scilla id etiam memoriæ proditum est, ter florere & trinæ sationis

C tempestivitatem indicare: immo & colligi qualis futura sit messis, si bene aut secus floreat, idemque indicium capi ex largiore aut parciore proventu baccarum lentisci. Aratus in Διοσημείοις de lentisco:

Τρίπλοα δὲ σχῖνος κυέει, τρισσαὶ δέ γε αὖξαι
Γίνονται καρποῖο.

De scilla non minus hæc dici queunt: de lentisco an verè ferantur, nescio. Ter florere & ter fructum fundere non posse putem, si vera sunt, quæ de eo scribunt neoterici, florem exire Aprili mense, fru-

D ctum non maturescere ante Octobrem ac Novembrem. Nihil est quod facilius sciri contingat, nascentibus passim lentiscis in tota Hispania, Italia & Narbonensi Gallia. Aratus sationis eventum parem prænunciari è flore scillæ atque e fructu lentisci prædicat:

Ὅσσα δ' ἐπὶ σχῖνος ἀροτῆρ ἐπιφράσσατο καρπῷ,
Τόσσα καὶ ἐν σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθει λευκῷ.

Si ter floret scilla, ter etiam fructum dat. Nam fructus sive semen sequitur florem. Idem Aratus:

Οὕτως δ' ἀνθέρικος τριχθὰ σκίλλης ὑπεραρθεὶς,
Σήματ' ἐπιφράσσασθαι ὁμοίιον ἀμήτοιο.

E Quamadmodum autem Theophrastus σχίνῳ ἢ σκίλλῃ inserta semina celerius surgere & lætiora provenire dixit, ita omnino arbitror ex τριπλῆς ἀνθήσεως σχίνου, ἢ σκίλλης triplicis sationis successu augurium captari scripserit. Fortasse & τριπλῆν καρποφορίαν σχίνου & ἄνθησιν σκίλλης nominarat, ubi σχῖνος non de lentisco, sed de genere scillæ fuit capienda. Aratus, qui omnia illa ferè Διοσημεία de Theophrasto transcripsit, perperam σχῖνον lentiscum accipit. Atticorum enim propria dictio

F σχῖνος pro scilla, quæ & cæteris Græcis lentiscum tantum significavit. Galenus in lexico: σχῖνον οὐ μόνον τὸ θαμνῶδες φυτὸν, ἀλλὰ καὶ εἶδός τι σκίλλης, εἰ μὴ ἄρα καὶ πάσης σκίλλης τὸν βολβόν. Theophrastus pro specie scillæ videtur posuisse, qui a scilla distinxit: ἐν σχίνῳ φυτεύουσιν ἢ σκίλλῃ. Ita ergo & alibi in illis libris, qui non extant ex σχίνου & σκίλλης triplici fœtu vel flore prænunciari triplicis sationis proventum scripserat. Quod Aratus de lentisco malè interpretatus est. Ἄροτος apud eundem sationem propriè significat, ut

G alibi probavimus. Non bene igitur Cicero locum illum sic reddit:

Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

Sed & de lentisco falsum, ter fruges eum fundere, utpote qui Aprili florere incipiat, à Novembri mense demum fructum producat. Quod ῥάφανος Atticis diceretur brassica, cæteris autem Græcis raphanus, quas turbas hæc ὁμωνυμία Plinio dederit, alibi ostendimus.

CAPUT IX.

De elate arbore & herba.

Ἐλάτη arbor, quæ Latinis abies, & ἐλάτη genus oleris. Hesychius: ἐλάτη λαχάνε εἶδος, ἢ κώπη ξεστή, ἢ αὐτὸ τὸ δένδρον, ἀφ' ἧς ἡ κώπη. De hoc olere intelligenda Epicharmi verba superius allata, quæ perperam emendanda putant viri docti: Θρίδακα, ἐλάτην, σῖνον, ῥαφανίδας. Fortasse eadem sit, quæ ἐλατίνη aliis nominata. Ἐλάτη etiam involucrum palmulæ tantum quod pubescentis, ad unguenta expetita. Hanc ἐλάτην Plinius pro abiete accepit, ac genus quoque palmæ inde finxit, quæ diceretur ἐλάτη Græcis.

CAPUT X.

De melia arbore & fruge.

Aliud adhuc addamus. Melia plura significat, & inter eas voces id nomen numerat Theophrastus, quæ æquivocâ notione diversa genera stirpium complectuntur. Μελία arbor est, unde jacula fiebant. Latinis fraxinus. Hinc μελία pro jaculis ac sagittis apud poetas. Μελία etiam genus seminis, quod aliter dicebatur μελίνη, panico simile. Quidam & cum panico confuderunt. Μελίας σῖτον hoc semen vocavit Theophrastus. lib. VIII. cap. ultimo: ἐν οἷς ἢ ὁ μελίας σῖτος καλέμϑυος. Apud Suidam est, σῖτος ἀπὸ μελίνης. Diocles panicum ita vocaverat μελίας σῖτον, aut μελίνης σῖτον, id est, frugem ex melina vel melia. Plinius *mel frugum* Latine reddi posse putavit, pessima certè interpretatione lib. XXII. cap. de medicinis ex frugibus: *Panicum Diocles medicus mel frugum appellavit. Effectus habet, quos milium.* Fortasse μέλι σίτων audivit legente anagnoste pro μελίνης σῖτον, vel μελίας σῖτον. Quod valde mihi veri simile. Nec enim tam fuisse parum intelligentem velim credere, ut si legisset ipse μελίας σῖτον, mel frugum significari ea voce posset putare.

CAPUT XI.

De milace arbore & milace frutice.

Μίλαξ arbor & μίλαξ frutex. Hæc in genere hederarum, illa taxus Latine. Nec audio Dioscoridem & Galenum, aliosque Græcos posteriores, qui herbam vocant μίλακα, arborem vero σμίλακα, quasi aliquid intersit, utro modo scribatur hoc nomen. Μίλαξ idem, quod σμίλαξ, ut κένυζα & σκένυζα, σμάραγδος & μάραγδος, σκορδίνημα & κορδίνημα, καρδαμύσσειν & σκαρδαμύσσειν, & alia, quæ modo carent. Quin & μίλος Theophrasto vocatur arbor, at Cratino comico μίλος flos est coronarius, qui aliis μίλαξ, vel σμίλαξ. Apud eumdem autem Theophrastum σμίλαξ hederæ genus, quæ in coronis solita usurpari. Festivus vero noster Plinius, qui infaustam omnibus coronis & sacris asserit eâ gratiâ, *quod lugubris sit, virgine ejus nominis in hunc fruticem mutata propter amorem juvenis Croci.* Hoc si esset, nullus flos coronarius non videri posset lugubris, cum omnes ferè ejusmodi mutationes & funera suis historiis præferant. In sacris Liberi patris nulla usitatior corona, quàm è smilace. Euripides in Bacchis:

Βρύετε βρύετε χλοηρᾷ σμίλακι καλλικάρπῳ.

Idem de Bacchis:

—— ϑεὶ δ' ἔϑεντο κισσίνες

Στεφάνες δρυόςτε, μίλακός τ' ἀνθεσφόρε.

Hic est milax anthophorus Plinii. In pompa Bacchica apud Athenæum, lib. V. Bacchæ inducuntur coronatæ, αἱ μὲν ὄφεσιν, αἱ ἢ σμίλαξι, ἢ ἀμπέλῳ ἢ κισσῷ. Ridiculus igitur noster, qui pronuntiat, *vulgum ignorantem plerumque festa sua polluere, dum coronatur smilace, hederam existimando. Sicut in poëtis*, inquit, *aut Libero patre, aut Sileno, quis omnino nescit, quibus coronentur.* Immo ex his, quæ hic posita cernis, liquere potest solitos illos coronari smilace. Quin etiam ipse Plinius lib. XXI. similacem folio admitti in coronamentis tradit & cum hedera conjungit: *Folio coronant milacis & hederæ, corymbique earum obtinent principatum.* Sic ille locus legendus. Sed milacem ibi vocant libri, quem à similace diversum facere videtur. Sic etiam vocat libro XXIV. ubi differentias ejus explicat. Atqui μίλαξ & σμίλαξ idem nomen.

CAPUT XII.

De Diospyro & Diosporo.

Literâ etiam differunt Διόσπυρος & Διόσπορος, sed re magis distant. Vulgaris tamen librorum scriptura sine discrimine utrumque nominat *Diospyron*. Apud Plinium inter cognomina vel synonyma lithospermi legitur *Diospyros* lib. XXVII. cap. XI. *Inter omnes herbas lithospermo nihil est admirabilius: aliqui agonychon vocant, alii Dios pyron, alii Heracleon.* In textu ipso veteres libri pro *agonychon* habent *exontycon.* Apud Dioscoridem in antiquissimo codice scriptum reperio: Λιθόσπερμον οἱ ἢ ἐξώνυχον, οἱ ἢ ἐξώνυχον, οἱ ἢ Διόσπορον, οἱ ἢ Ἡρακλέαν διὰ τὴν περὶ τὸ σπέρμα ἰσχὺν καλῶσι. Certum est scribi debere Διὸς σπόρον, id est, semen Jovis. Alii vocabant Ἡρακλέος σπόρον, alii Ἡρακλέαν, à duritie nempe seminis ac firmitate. *Exonychon* quoque in Plinio reponendum ex libris, quod est Dioscoridis ἐξώνυχον, & exteriorem unguem significat, qui durior semper interiore: inde cognomen lithospermi, quod & αἰγώνυχον appellatur à duritie ungulæ caprinæ. Quod enim capræ in petris ac saxis plurimum versantur, induratas ex eo habent ungulas ac cęteris animalibus firmiores. Aliud est Διὸς πυρὸς genus cerasi, quasi Jovis frugem dicas. De qua abunde in Exercitationibus.

CAPUT XIII.

De amaraco, & sampsucho.

Nunc ad alia transeamus. Subit amaracum. obvia enim ac sese ingerentia carpimus, non remotiora & ex angulo extrahenda consectamur. Ἀμάρακος Græcè non unius herbæ nomen. Sampsuchum ita vocari sunt qui velint, & ex his non exiguus auctorumque minimè levium numerus. Mirum est, cum Dioscorides σαμψοῦχον (ita nimirum scribunt libri) à Cyzicenis & Siculis ἀμάρακον nominari prodiderit, eundem tamen σαμψούχινον & ἀμαράκινον unguenta tradere diversa. Sed has inconstantias notavi familiares Dioscoridi. Hesychius: σαμψοῦχος, πλείστη γίνεται ἐν Αἰγύπτῳ. ἄλλοι δὲ ἀμάρακον καλοῦσιν αὐτήν. Sed ecce ex antiquissimis Meleager, qui σάμψυχον & ἀμάρακον diversa facit in eo poëmate, quo singulos poëtas cum singulis floribus comparavit:

Τῇ δ' ἅμα καὶ σάμψυχον ἀφ' ἡδυπνόοιο Ῥιανοῦ,
Καὶ γλυκὺ Ἠρίννης παρθενόχρωτα κρόκον.

Et paulò post:

Ἐν δ' ἄρ' ἀμάρακον ἧκε Πολυστράτου ἄνθος ἀοιδῶν
Φοίνισσάν τε νέην κύπρον ἀπ' Ἀντιπάτρου.

Galenus quoque & Paulus Ægineta diversis capitibus de sampsucho & amaraco tractant. Quod non facerent, si unum idemque esset amaracum & sampsuchum. Qui Dioscoridis auctoritate moventur, ut unum putetur, quantum ei tribuendum sit, ignorant. Nec verò intelligunt, ut ejus verba sonant, non eò pertinere, ut destruant aliorum sententiam, qui diversa hæc adstruant. Immo, si rectè capiantur, non minimum adjuvant. A Siculis & Cyzicenis amaracum vocari ait, quod est aliis sampsuchum. Hoc non facit, ut revera sit idem. Ipse aliud esse apertè indicat, cum μύρον σαμψούχινον & ἀμαράκινον distinguit. Diocles apud Athenæum ἀμάρακον, ὅ τινες σάμψυχον καλοῦσι. Exemplo id firmandum. Græcorum quidam τὸ κρίνον etiam λείριον vocarunt, auctore ipso Dioscoride & aliis multis. Nec hoc prohibuit, quin alii de narcisso dixerint. Et sanè plures hanc vocem λείριον pro narcisso usurpasse constat, quam pro lilio, quod Græcè dicitur κρίνον. Aliquid tamen fortius in amaraco. Græcum hoc esse hujus plantæ vocabulum volunt, Ægyptium autem & Syriacum σαμψοῦχον. Plinius: *amaracum Diocles medicus & Sicula gens appellavere, quod Ægyptus & Syria sampsuchum.* Græcum ergo nomen est ejusdem herbæ ἀμάρακον, Syriacum σάμψυχον. Indoles hæc nominis videtur planè Syriaca aut Ægyptia. Nam Σαμψίρα urbs in Ægypto, & Σάμψα in Arabia vicus, & Σαμψαῖοι in Syria Judæa, quos ἡλιακοὺς interpretantur, & σάμψα ἥλιον, unde & Βαίσαμψα in Arabico sinu, quod Stephanus οἶκον ἡλίου exponit. Notum est, Hebraïcè solem dici שמש. Quod etiam apud Arabes idem habet nomen شمس. Ἀμαράκου mentio habetur in scriptis Theophrasti, nusquam σαμψύχου. Frustra itaque sunt, qui trahunt illum in numerum tradentium sampsuchum idem esse cum amaraco. Non dubitarim, quin amaracum Græcis dictum sit, quod sampsucho Ægyptiorum respondet, sed aliud etiam quàm sampsuchum hoc eodem nomine Græci vocarunt. Cyziceni, apud quos plurimum ac laudatum nascebatur sampsuchum, id vocabant ἀμάρακον, item Siculi. Non omnis tamen alia Græcia consensit in nomine. Nam ἀμάρακον alii dixerunt parthenium, de quo Dioscorides: Παρθένιον, οἱ δὲ ἀμάρακον, οἱ δὲ λευκάνθεμον καὶ τοῦτο καλοῦσι. Sic legendum ex antiquissimo libro. Corrigendus & Plinius in hac voce lib.

A xxi. cap. xxx. *Parthenium, alii leucanthen, alii tamnacum vocant.* Scribe: alii *leucanthemon, alii amaracum vocant.* In indice scribitur: *parthenium, sive leucanthes, sive amanacus.* Idem λευκανθὲς, quod λευκάνθεμον. Addit Plinius: *Celsus apud nos, perdicium & murarium.* Confundit, ut solet, duo parthenia. Parthenium aliud est, quod etiam perdicium dicitur, & murarium, quod in muris nascatur. Ridiculus & Plinii error in eo, quod sequitur: *flore albo, odore mali, sapore amaro.* In Græcis quæ transtulit,

B fuit: ἄνθη λευκὰ κύκλῳ, τὸ δὲ μέσον μήλινον, ὀσμὴ ὑπόβρωμον. Plinius μήλινον ὀσμὴ, ὑπόβρωμον, & odore mali reddidit. Quod absurdissimum. Floris folia in circuitu esse candida voluit auctor Græcus, media calyce luteo. Hoc parthenium non nascitur in sepibus aut muris, sed alterum, cui nomen ἑλξίνη. Quæ & ipsa helxine cognominis est alterius helxines nominatæ κισσαμπέλου & ἀμεροίνης, quæ species est con-

C volvuli. *Parthenium helxine*, sive *murarium* Celsi, officinis hodie parietaria vocatur, antiqua admodum voce. Constantinus Trajanum *herbam parietariam* vocabat, quod nomen ejus multis operibus publicis inscriptum legeretur. *Herbam parietinam* appellat Ammianus. Auctores Hippiatrices cap. ccccxc. σπόρδον Γαλλικὸν κατάκοψον καὶ σιδηρῖτιν περδίκιον τὴν παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένην παριεταρίαν βοτάνην. & cap. ccccxcvi. καὶ φύλλον βοτάνης σιδηρίτιδος, ἣν Ῥωμαῖοι παριεταρίαν καλοῦσι. & cap. dlxii. ἢ προσάψαι βοτάνην σιδηρῖτιν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσι παριεταρίαν. Atque ita alibi pas-

D sim. Quia autem plura sunt genera, quæ nomen hoc sideritis gerunt, ideo addunt de ea intelligendum, quam Romani parietariam dicunt. Paulus Ægineta: Ἑλξίνη, οἱ δὲ περδίκιον, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ Ἡρακλείαν, δύναμις δὲ αὐτῆς ῥυπτική. Hæc eadem & *urceolaris* Latinis, quod ea urceos & vasa vitrea extergerent. Hippiatri Græci cap. dxx. πρὸς ἀνάπνοιαν ἤτοι βῆχα. Βοτάνην, ἣν Ἕλληνες μὲν περδίκιον, Ῥωμαῖοι δὲ οὐρκιολάρεμ ὀνομάζουσι. Item Pelagonius: βοτάνης περδικιάδος, ἣν Ῥωμαῖοι οὐρκιολάρεμ

E καλοῦσι. *Vitreolam* hodieque Itali nuncupant ab usu, quem præstat in vitreis poculis abstergendis. Auctor vetus Arabs, qui nomenclaturas Arabicas apposuit in antiquissimo Dioscoridis codice, hanc helxinem vocat, حشيش الزجاج *hasjis alzagiagi*, id est, herbam vitri, quod ejus usus esset abluendis vitreis vasis. Adjicit ibidem, speciem esse لبلاب *lebleb*, id est, convolvuli. Sic eam confudit cum altera helxine, quæ adsita scandit. Cæterum helxinen eundem usum præstitisse antiquis Græcis, vitri

F abluendi nomen indicio est, quo vocatur κλύβατις ἀπὸ τοῦ κλύζειν τὰς βάτιας vel βατιακὰς: ita enim appellant pateræ genus vel poculi. Male apud Apuleium *ulciolaria*, pro *urceolaria* scribitur cap. de Perdical. Plinius xxii. cap. xvii. Perdicium helxinen aliam facit à perdicio urceolari. *Helxinen*, inquit, *alii perdicium vocant, quoniam perdices eâ præcipuè vescantur, alii sideritin, nonnulli parthenium.* Deinde medicinas ejus subjicit. Mox veluti de alia herba iterum sic incipit: *Perdicium, sive parthenium (nam sideritis est) à nostris herba urceolaris vocatur ab a-*

G *liis astericum, folio similis ocimo, nigrior tantum, nascens in tegulis, parietinisque.* In indice quoque eas separavit: *Helxine* xii. *Perdicio, sive parthenio, sive sideriti, quæ urceolaris, sive artereum* xi. Ex duobus auctoribus hæc hausit, ideo & diversa credidit. Eadem enim helxine Græcorum cum urceolari, quam & *abstergum* dixere (sic enim utrobique legendum) quod

quod urceis abſtergendis adhiberetur. Helxine apud Dioſcoridem, quæ & parthenium, folia habet ſimilia Mercuriali, λινοζώστει. Parthenium, quæ *urceolaris* Plinio, foliis ſimilis eſt ocimo. Eadem res: nam λινόζωσις, ſive mercurialis folium habet ocimo ſimile. At Plinius helxinem habere tradit folia mixtæ ſimilitudinis plantagini & marrubio. Quid ita? Quia ſane helxinem ſideritin confudit cum alia ſideriti Heraclia, cui folia marrubio paria ſunt. Parietaria, *urceolaris*, *abſtergum*, *perdicium* & *herba muralis* Celſi, ſunt ejuſdem] herbæ ſynonyma, quæ Græcis altera eſt ἑλξίνη, cujus hæc cognomina apud Dioſcoridem habentur ex antiquiſſimo codice ita concipienda: Ἑλξίνη, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δ' σιδηρῖτιν, οἱ δ' Ἡράκλειαν, οἱ δὲ ὑγιεινὴν ἀγρίαν, οἱ δὲ κλυβάτιν, οἱ δὲ πολυώνυμον καλοῦσι. Φύεται ἐπὶ θριγκοῖς καὶ τοίχοις. Cauſa nominis ἑλξίνη, quod aſpera circa cauliculos ſemina gerat, quæ veſtes trahant, iiſque adhæreſcant. *Lappacea capitula* vocat Plinius: *Semina in capitulis lappaceis, adhærentia veſtibus, unde helxinem dictam volunt.* Videtur *lappaceum* appellare, quidquid attrahendi & adhæreſcendi habet ſignificationem. Dioſcorides: σπέρματα τραχέα ἀντιλαμβανόμενα τῶν ἱματίων. Altera ἑλξίνη in alio prorſum genere ita dicta eſt, quod quibuſcunque ſeſe applicat, ea ſcandere ſoleat, iiſque adrepere & circumvolvi: ἑλξίνη, οἱ δὲ ἀμπελίνην, οἱ δὲ κισσάμπελον, φύλλα ἔχει ὅμοια κισσῷ, ἐλάττονα δὲ, καὶ κλώνια μακρὰ περιπλεκόμενα, ὅπου ἂν τύχοι. Græci, ut mos eſt illorum, ſine diſcrimine quod alterius eſt, ad alteram helxinen transferunt. Parthenium amaracum omnino etiam aliud à parthenio helxine, ſive murali, quæ tamen Plinius indiſtincta dat, nihil præter ſolitum levis. Nemo igitur heic perſuadere mihi conetur, eum aliquam habuiſſe rei herbariæ ſcientiam, qui in herba vulgatiſſimæ notitiæ, qualis eſt parietaria, tam ignarum ſe præbuit. Ceterum duplex etiam amaracum, alterum aliter vocatum parthenium, alterum ſampſuchum nomine Ægyptiaco, an Syriaco? Vix tamen cenſeam, Galenum & Paulum, cum ſampſuchi & amaraci deſcriptiones ſepararunt, de hoc parthenio amaraco ſenſiſſe. Longè minus probaverim, quæ quorumdam ſententia eſt, unguentum amaracinum, quod aliud eſt à ſampſuchino apud Dioſcoridem, ex hoc parthenio amaraco fieri ſolitum. Nam herba eſt viroſi odoris. Præterea, cum de amaracini confectione loquitur Galenus, id amaraci genus intelligere innuit, quod in Cyzico erat laudatiſſimum, quodque patrio nomine σαμψοῦχον vocabat Ægyptia gens. Atqui Neophytus ſub amaraci nomine deſcripſit parthenium Dioſcoridis, eique facultates attribuit ex Galeni verbis, quas ille ſuo dedit amaraco, quod à ſampſucho ſejunxit: Ἀμάρακον οἱ δὲ ἀνθεμὶς, οἱ δὲ λευκάνθεμον, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ χαμαίμηλον, οἱ δὲ χρυσοκαλλὲς, οἱ δὲ μαλάβαθρον, οἱ δὲ ἄνθος πεδινόν. Ῥωμαῖοι Σῶλις ὀκούλουμ, οἱ δὲ μιλλιφόλιαμ, Θοῦσκοι καυτάρ. Deinde ſubjicit ex amaraco Galeni: Γαληνὸς ἀμάρακον θερμὸν μὲν τῆς τρίτης τάξεως, ξηρὸν δὲ τῆς δευτέρας. Verum illis Græculis jampridem apud me conſtitui parum fidei habendum arbitrari. Credi mihi debet experto, non illis eſſe credendum. Plures ibi flores, qui ne congeneres quidem ſunt, quaſi ſola appellatione differentes uno faſciculo concluſit. Nihilo receptioris monetæ videri decet clariſſimorum ἰατροβοτανικῶν opinionem, quibus placet, Galeni & Pauli amaracum non eſſe ſampſuchum Dioſcoridis & Plinii; ſed eſſe *maron.* Quaſi vero non *amaraci* ſimul & *mari* diſtinctè meminerit Galenus in compoſitione unguenti Hedychus. Ubi & *marum* docet vehementioris eſſe odoris, quam *amaracum.* *Tres*, inquit, *hæ ſunt ſpecies Galeno differentes, ſampſuchum, amaracum & marum.* Plinius etiam lib. XIII. cap. I. claris verbis ſampſuchinum unguentum aliud ab amaracino condit: *Optimum*, inquit, *ſampſuchinum in Cypro & Mitylenis, ubi plurima ſampſuchus.* Paulò poſt eodem cap. amaracini velut diverſi ſeorſim meminit: *Singuli quoque ſucci nobilia unguenta faciunt, inprimis malabathrum, poſtea iris Illyrica, & Cyzicena amaracus.* Vides ſampſuchum

A in cypro plurimam, ex qua ſampſuchinum, amaracum in Cyzico, unde amaracinum. Hoc liceat heic dicere, amaracum heic debere intelligi marum. Nam eodem capite in quibuſdam compoſitionibus amaracum & maron ſimul ingrediuntur: *Telino amaracum & maron pariter adduntur.* Regale quoque unguentum, cum aliis ſpeciebus quamplurimis amaracum etiam & maron recipit. Incogitantiæ ſunt & inconſtantiæ Auctorum iſtæ putandæ, qui ex diverſis ſumentes locis, quod in ſua ſcripta transferrent, plerumque neſcierunt diſtinguere, quæ diſcernenda

B erant; eaque diſcreverunt, quæ pro iiſdem haberi debebant. Extra dubitationem ſit, ſampſuchum ejuſdem generis eſſe cum amaraco, diverſo nomine; hoc Græco, illo Ægyptio. Sed ad nominis differentiam altera fortaſſe acceſſerit ex ſoli proprietate. Nam ſæpe idem genus in Græcia naſcens alio habitu & forma exiſtit, quàm quod in Ægypto Syriave naſcitur, ut in cypro & liguſtro obſervare eſt, aliiſque non paucis. Ita etiam aliquid fuerit ex ſolo natali cœloque inter ſampſuchum & amaracum diſcriminis. Sampſucho patriam aſſignat Ægyptum Columella, & inter peregrinas herbas recen-

C ſet:

Nataque jam veniam hilari ſampſucha Canopo.

Nicander ἀμάρακον à σαμψοῦχον hoc uno diſcriminat, quod amaracum in Græcia naſcatur, ſampſuchum externum ſit. Inter remedia adverſus ſerpentium venenum efficacia, ſeorſum amaracum & ſampſuchum commemorat. De amaraco ita canit:

—— μάλα δ' ἂν καὶ ἀμάρακος εἴη
Χραισμήεις, πρασιῇς τε καὶ ἀνδήροισι χλοάζων.

D Per hæc indicat de eo ſe amaraco loqui, quod in areis hortorum ac pulvinis vulgo proveniebat. Sic alibi naſturcium medicum à vulgari ad hunc modum diſtinxit:

—— πότε φύλλον ἐναλδόμενον πρασιῇσι
Καρδαμίδος, Μῆδόν τε.

Communem cardamidem vocat, quæ in hortis paſſim creſcit, eoque nomine diſcernit ab ea, quæ afferebatur ex Media. Locum illum nec novi nec veteres interpretes intellexere. De quo fuſius infra. Amaracum igitur Græciæ proprium, & ubique in hortis

E naſcens Nicandro dicitur. At ſampſuchum paulò poſt, tanquam diverſum ab amaraco, inter remedia venenatorum ponit:

—— ἠδὲ καὶ ἄκτης
Καυλοὺς ἠνεμόεντας, ἰδὲ περὶ πολλὰ καὶ ἄνθη
Σαμψούχου.

Nulla ratio niſi hæc edi poteſt, cur ea diſtinxerit. Alienigenam Græciæ eſſe plantam ſampſuchum nomen ipſum teſtatur. Sic igitur auctores conciliandi, qui modo ſampſuchum idem cum amaraco, modo diverſum ſtruant. An non ſimile eſt, quod liguſtrum idem cum cypro quidam volunt, alii nolunt? Diximus

F alio loco. Cyprus liguſtrum orientale, liguſtrum cyprus communis. Non tamen parum differunt facie & odore. Qui amaracini unguenti σκευασίαν deſcripſerunt, qualis Cyzici parabatur, ubi ἀμάρακος nomen habuit, ἀμαράκινον etiam id unguentum nominarunt. Qui autem Ægyptiacam ejuſdem unguenti compoſitionem litteris mandarunt σαμψύχινον μύρον id vocarunt, quia in Ægypto σαμψοῦχον appellabatur. Alii has diverſas σκευασίας in libros ſuos tranſcripſerunt ſub titulis diverſis. Quod feciſſe Dioſcoridem clarum eſt: qui tamen alio loco agnoverat ἀμάρακον & σάμψυχον eadem eſſe ſed ſola diale-

G cto diſtare. Hinc Galenus, eumque ſequutus Paulus, ea diſparant ac ſeorſum recenſent tanquam diverſa. Miror etiam eundem Galenum ac Dioſcoridem, quod amaracino ungento amaracum addi ſolitum ſcribant. Atqui ψευδωνύμον hanc amaracini appellationem aſſerit Theophraſtus in commentario de odoribus, quia nihil amaraci in eam compoſitionem ſoleret admiſceri. Solumque adeo eſſe

amaracum ex omnibus odoratis, quod in unguenta non adderetur à myrepsis: τόδ' ἀμαράκινον τὸ χρηστὸν ἐκ τῶ βελτίςων ἀρωμάτων συντίθεσθαι χωρὶς ἀμαράκε, τέτῳ δ' ἐ χρῆσθαι μόνῳ τῶ ἀρωμάτων τὲς μυρεψὲς ἐδ' εἰς ἓν μύρον. Ex præstantissimis odoribus componi ait amaracinum excepto amaraco, quod nec in unguentum hoc nomine vocatum, nec in aliud quodquam addi consueverat. Ἀλλὰ ψευδώνυμος, inquit, ἡ ἐπίκλησις, amaracinum vocatur, quod prorsus caret amaraco. His concinunt, quæ Servius notavit ad tertiam Æneida, *Amaracum puerum fuisse unguentarium regium, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit.* Unde optima unguenta amaracina dicta. Ergo a puero Amaraco amaracinum appellatum, non ab amaraco herba, quæ nullum in hoc unguento locum habuit. Amaracinum ex costo fieri tradit Theophrastus: ἀπὸ ῥιζῶν ἢ ποτὲ ἴρινον καὶ νάρδινον, καὶ τὸ Ἀμαράκινον ἐκ ἢ κόςε, τέτο γὰρ ὀνομάζεσι τὴν ῥίζαν. Hac ratione sane unguentum amaracinum sampsuchino diversum foret. Sed æque amaracum amaracino addi, ut sampsuchum sampsuchino, auctores sunt Dioscorides & Galenus. Pro quibus hoc saltem responderi potest, aliam eorum ætate fuisse in usu amaracini unguenti confectionem, aliam Theophrasti. Quid Plinio faciemus, qui ex solo amaraco, nullis aliis admixtis odoribus, unguentum fieri dixit? Dicemus hallucinatum esse. Et certe contrarium hunc sensum elicuit ex verbis his Theophrasti: τέτῳ δ' ἐ χρῆσθαι μονῳ τῶν ἀρομάτων τὲς μυρεψὲς, ἐδ' εἰς ἓν μύρον. Ipse vel perperam legit, vel perversè legentem audivit: τέτῳ δὲ χρῆσθαι μονῳ τῶν ἀρωμάτων ὧδε εἰς μύρον. Theophrastus tamen idem, qui negat in conficiendo amaracino adhiberi amaracum, τὸ μάρον admisceri in ea compositione adfirmat: Τὸ δὲ μάρον καὶ τὸ χρῶμα τὸ εἰς τὸ ἀμαράκινον ἐμμιγνύμενον θερμαντικά. Et videntur eamdem habere originem τὸ μάρον, & τὸ ἀμάρακον. Hoc ab illo deductum, μάρον, μάρακον & ἀμάρακον. Species igitur ejusdem generis, ut apparet ex nomine. Ut hoc ex illo per productionem deflexit, ita & bonitate decessit ac præstantia. Melius itaque & odoratius maron amaracino; de quo inter omneis convenit. De sampsucho vel amaraco id certum est, eam esse aromaticam herbam, quam vulgò majoranam dicimus: infima Latinitas ita eam nuncupavit ad differentiam, si forte, minoris amaraci, quod μάρον vocabatur. Nec aliud discrimen quærendum inter amaracum & maron. Græci recentiores σάμψυχον interpretantur μαϊοράναν, quæ est major amaracus, ut marum, minor. Hoc flagrantioris & acutioris esse odoris tradit Galenus, & sane est. Francam majoranam vulgò vocamus. Fortasse tamen ex Arabico id nomen depravatum, de quo paulò post. Ἰσόβρυον Græcè etiam dictum, quod multis ac minutis foliis tanquam βρύον amictum esset. Dioscorides: Μάρον, ἡ ἰσόβρυον. Sic legendum. Recentiores Græci ὀριγανίδα nuncupant. Neophytus: Μάρον, οἱ δὲ ὀριγανίδα, πόα φρυγανώδης. Calamintham etiam quidam ὀριγανίδα dixere, cui calaminthæ simile sampsuchum tradit Dioscorides, saltem τῇ λεπτοφύλλῳ. Nicandri scholiastes sampsuchum hyssopo simile esse dicit. Hyssopum quidam interpretati sunt casiam, ut Neophytus, qui à Romanis κασίολαν vocari scribit ὕσσωπον: Ῥωμαῖοι ὕσσωπον, οἱ δὲ λάπερ, οἱ δὲ κασίολα. Nonnulli & sampsuchum Latinè exposuerunt casiam. Glossæ: Σαμψέχον, *sampsuchum, casia.* Raræ olim hæ herbæ, nec ubivis nascentes. *Marum* Plinius inter frutices peregrinos recensuit, in Lydia & Ægypto nascens. At Dioscorides πόαν γνώριμον esse scribit, quæ plurima in Lydia proveniret. Vulgaris apparet in Asia fuisse notitiæ, unde fuit Dioscorides, qui Anazarbensis origine. Adeo Romanis tum ignota, ut Plinius grandem inde fecerit fruticem cum cypro & aspalatho memorandum: *In Ægypto*, inquit, *nascitur & maron, pejus quam Lydium, majoribus foliis, ac variis. Illa brevia ac minuta & odorata.* In quodvis pignus quemlibet vocare sum paratus, ni maron illud Ægyptium majoribus foliis & minus odoratis idem sit cum sampsucho vel Ægyptio amaraco. Maro quippe brevia ac minuta folia & magis odorata, quam sampsucho, quod marum etiam aliqui vocarunt. Sampsuchum in Ægypto plurimum.

A Unde & Ναυκρατίτην στέφανον apud Anacreontem de sampsucho veteres Critici exponendum docuerunt. Athenæus: Παμφίλος δ' οἶδα λέγοντας ἐκ τῆς σαμψύχε στέφανον εἶναι τὴν Ναυκρατίτην, πολὺ δ' τὸ ἄνθος τέτο κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Dioscorides marum plurimum nasci dicit circa Tralles & Magnesiam, quæ Lydiæ sunt urbes. Phrygii amaraci inter flores coronarios mentio apud Theophrastum, qui idem cum Cyziceno. Amaracum se in Italia vidisse testatur Galenus, non item marum. Rarius igitur tunc locorum amaraco marum. In antiquissimo Dioscoride notatur sampsuchum Arabice

B dici مرزنجوش. *marzangius.* Marum autem τὸ μάρον: مورماحوز, *marmarhauz.* Apud Avisenam scritum مرزماحوز. *marmarhauz.* Nam certum est sub hoc nomine describi ab eo marum cap. CCCCLXV. editionis Latinæ. Vetus interpres *marmacor* pro eo scripsit, quia scilicet legebat خ pro ح & ر pro ز. Punctum unum διαχεόμενον transpositum, hoc discrimen scripturæ dedit. Ab illo *marzangius* majoranam suam, quasi *marzangianam* exculpserunt Barbari. In utro-

C que Arabico vocabulo vestigia videre est vocis μάρον. Diversas mari species signatas suspicari liceat duabus illis dictionibus. Capite præcedenti Avisena herbam quandam *maru* vocatam recensuit, inter cujus species & una invenitur *marmahuki*, nominata. Bellunensis in lexico fuo notavit *marmacor*, seu *marmahauz* esse herbam, quam vulgares Veneti appellant *herbam sancti Joannis*, hujus semen dici semen *maru.* Atque *marmahauz* etiam maron Græcorum appellatur Avisenæ, ut ex descriptione patet. Quod *maru* autem apud eum vocatur, cujus species *marmahuzi*, aliud est. Herbam sancti Joannis vulgò

D dictam asserit esse Alpagus. Baccharim veterum sic appellari ab Italis, Leonicenus voluit. An verum sit, nescio. Sed illud certum, remedia pleraque, quæ de *almaru* tradit Avisena, bacchari convenire. Ex generibus *maru* unum esse affirmat, quod simile sit linguæ bovis, sive buglosso herbæ, immo esse buglossum. Quin & cap. CCCCXXXVI. ubi de buglosso agit, diserte tradit, folium habere sicut *almaru.* In antiquissimo codice Dioscoridis λιβανωτὶς exponitur بزر المرو *bezer almaru*, semen *maru.* Inter ge-

E nera libanotidis, speciem quandam ex Theophrasto recenset Dioscorides, quæ folia habet similia agresti lactucæ: Θεόφραστος δ' ἱςορεῖ μετὰ τῆς ἐρείκης λιβανωτίδα θριδακι ἀγρίᾳ τῇ πικρᾷ ὅμοια φύλλα ἔχεσαν, ῥίζαν δὲ βραχεῖαν φύεσθαι. Locus Theophrasti extat libro IX. cap. XII. de libanotide sterili: καὶ δ' ἄκαρπος ἔχει τὸ φύλλον ὅμοιον θριδακίνης τῆς πικρᾶς, τραχύτερον δὲ καὶ λευκότερον, φύεται δ' ὅπερ εἴρηται πλείςη. Huic loco insedit insigne vitium, quod auctoritate Dioscoridis eluendum est. Sic enim illum legisse liquet in illis Theophrasti verbis: φύεται δ', ὅπε ἐρείκη πλείςη, *nascitur autem ubi plurima erice.* Hoc est quod Dioscorides dixit, μετὰ

F τῆς ἐρείκης φύεσθαι hanc libanotidem. Hæc plane libanotis est, quam Avisena generibus *almaru* adnumerat, & linguæ bovis adsimilat. Quod enim folia lactucæ agresti similia gerere dicitur, hoc idem de buglosso suo recentiores Græci produnt. Neophytus: Βέγλωσσον φύλλα μὲν ἔχει ἕξ, ἢ ὀκτὼ μῆκος σπιθαμῆς, ὡσανεὶ ἀγρίας θρίδακος, πλάτος δακτύλων δύο ἢ ἔλαττον. Diversum hoc buglossum ab illo antiquo Græcorum, cujus folia φλόμῳ comparat Dioscorides; at idem ferè cum nostro. Folium minus latum quàm duo digiti longitudine. Græci quidem infimæ ætatis βέρραγον appellarunt, quod veteribus βέγλωσσον fuit,

G Barbari *borraginem*, de qua alibi. Ex his ergo constat partim baccharim, partim libanotidem appellatione *almaru* comprehensam ab Avisena. Alibi reponit libanotidem sub titulo *scegiar mariem*, id est, arboris mariæ. Quam & بخور مريم *buchur mariem* dicit appellatam, id est, *thymiama mariæ.* Quod de coronaria libanotide accipi velim, quam *rorem marinum*

num Latini dixere. Avisena tamen de altera accipit, quæ in tria genera dividitur. Male faciunt, quibus hæc censentur roris marini appellatione, cum unum tantum genus sic vocatum sit, quo & ad coronas & ad suffimenta, atque etiam unguenta usi sunt veteres. Multa etiam in his libanotidum generibus ὁμωνυμία, ut paulò post attingam. Baccharis in antiquo Dioscoride totidem pene litteris Arabicè nomen habet. بقارس *Bacibaris.* Hujus nulla, quod sciam, in

A Avisena mentio. Sed partim ex hac, partim ex libanotide historiam *almaru* contexuit, quam volunt esse herbam sancti Joannis vocatam vulgo. Variis tamen herbis hoc nomen additum apud varias gentes: & plures certè cum religione colligunt superstitiosæ mulierculæ in pervigilio Divi Joannis. *Hypericum* notat Fuchsius à Germanis suis herbam Divi Joannis appellari. Alia est, quam rustici nostri hoc titulo laudant. Alia denique, quæ eodem ornatur nomine apud Venetos & Ferrarienses.

CAPUT XIV.

Libanotides.

Λιβανωτίδων apud Græcos non minus ambigua & vaga denominatio. Nihil incertius nec ὁμωνυμώτερον. Dioscorides duplex genus facit, frugiferum & sterile: Λιβανωτὶς διοσή, ἡ μὲν κάρπιμος, ἡ δὲ ἄκαρπος. Totidem genera ponuntur Theophrasto libro IX. cap. XII. τῶν δὲ λιβανωτίδων δύο γάρ εἰσιν, ἡ μὲν ἄκαρπος, ἡ δὲ κάρπιμος. Putes eadem genera ab utroque describi: multa est dissensio. Frugifera libanotis Dioscoridis, folium fœniculo simile habet, crassius tamen latiusque. Theophrastus folio eam facit apio palustri simili, sed majore: semine candido, aspero, oblongo. At Dioscorides semen illi dat album sphondylio simili, rotundum: καρπὸς πολὺς, λευκὸς, ἐοικὼς σφονδυλίῳ, περιφερής. Nihil simile. Uterque tamen hunc fructum κάχρυν vocatum dicit, & inde λιβανωτὶς hæc καχρυφόρος propriè dicta & καχρυόεσσα. Sterilem similem tradit frugiferæ Dioscorides. Folia igitur fœniculi gerit latiora tantum ac crassiora. Theophrastus sterilem dicit habere folium lactucæ agrestis amaræ. Hanc saltem differentiam animadvertit & ex Theophrasto notavit Dioscorides, qui debuit etiam illud addere, λιβανωτίδα καρπίμην aliam quoque tradi ab eodem Theophrasto; nec in radice tamen consentiunt. Theophrastus: ῥίζαν δὲ μεγάλην καὶ παχεῖαν, λευκὴν, ὄζουσαν ὥσπερ λιβανωτοῦ. Dioscorides: ῥίζα δὲ λευκὴ, εὐμεγέθης, ὄζουσα λιβάνου. Tertium genus adjicit Dioscorides, fructum ferens & ipsum ac per omnia prioris facie, excepto, quod semen habeat πλατὺ, μέλαν ὡς σφονδύλιον, εὐῶδες. Atqui in priore frugifera semen dissimile, cum semine tamen sphondylii similiter comparavit: ἐφ' οὗ καρπὸς λευκὸς ἐοικὼς σφονδυλίῳ, περιφερής. Album illud semen, rotundum & sphondylio simile: hoc nigrum & planum, ejusdem sphondylii similitudine. Quomodo sibi hæc constent ac consentiant, non video. Semen sphondylii latum & candidum. Sed sic similis sibi deprehenditur Dioscorides. An non ille est, qui de nardo montana scribens dixit, caulem habere eryngio similem, & tamen eandem nec caulem, nec semen, nec florem habere ibidem adjunxit. Tria autem illa genera libanotidis Avisena commemorat cap. LXIX. sub titulo شجر مريم *scegiar mariem*, id est, *arbo-*

B *ris mariæ*: additque etiam vocari *bachur mariem*, quod est *thymiama mariæ*, quod ad suffitus ea uterentur. Id tamen rorimarino magis convenit, quàm huic generi libanotidis. Eam male interpres roremmarinum reddit, cum in totum alia sit, quæ hoc nomine vocatur Romanis. Nec melius Gaza vir doctissimus, qui λιβανωτίδας Theophrasti roris marini appellatione designavit, quæ libanotis toto genere distat ab illa libanotide καχρυφόρῳ. Vox Arabica *bachur*

C omnino facta ex Latino *vapor.* Glossarius vetus: *Thymiama, incensum, odor,* بخور *bachor, idem quod vapor.* Nam & vaporem pro suffitu usurparunt Latini, & vaporare pro suffire. Lampridius in Heliogabalo: *odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zætas jussit incendi.* Arabes pro Π semper ponunt Φ. Quod & ipsum tamen non rarò mutant in X & K. Ut σφονδύλιον, *schundulion*: σύμφυτον, *sucutum.* Ros

D marinus igitur dictus *bachor mariem.* Non alia genera libanotidis, quæ Dioscorides descripsit. Roris marini olim usum fuisse thuris vice ad vaporandum, ex scriptoribus Latinis notum est. Hoc Græci posteriores δενδρολίβανον dixere. Immo etiam veteres. *Arborem thuris* Plinius vertit, qui ex nominis errore falsò sibi persuasit, thuris arborem in Lydia olim vixisse. Quod de libanotide *rore marino*, non de vera & Arabica thuris arbore fuit intelligendum. Glossæ: Λιβανωτὶς, τὸ δενδρολίβανον. Mentio apud Myre-

E psum in Drosatis cap. III. πεαργύς ἢ δεδρολιβάνε τῦ ἄνθης. Quod de ista libanotide accipias oportet, quæ ros marinus Latinis. Virgilius in culice:

---- *& rores, priscorum thura, marini.*

Hoc nomine Græci recentiores etiam styracis arborem dicunt, ut infra docebo. Arabes *scegiar mariem* quoque vocant eodem, quo libanotidem, nomine, quia *bachur mariem* styracem vocant, teste Alpago. Cyclaminum sic etiam appellatum invenio, nescio quare. Nihil enim habet, quod odoribus faciendis

F idoneum sit, nihil odorati. Inter genera conyzarum λιβανωτίδα etiam recenset Plinius, a thuris odore sic dictam, quæ est εὐώδης κόνυζα recentiorum, incognita veteribus. Sed de his alibi.

CAPUT XV.

De Helenio.

PRoximum in homonymorum classe locum sampsucho & libanotidi occupabit Helenium, nec parvi & ipsum erroris inter veteres scriptores. Quid enim tam diversum, quàm Helenium Dioscoridis & Theophrasti? Huic ἑλένιον inter ea coronamenta recensetur, quibus breve admodum folium, cum serpyllo, mentha & sisymbrio, tota stirpe odoratum, caule, folio, flore. Polluci quoque inter coronis idoneos flores numeratur: Τὰ δ' ἐν τοῖς στεφάνοις ἄνθη, ῥόδα, ἴα, κρίνα, σισύμβρια, ἀνεμῶναι, ἕρπυλλος, κρόκος, ὑάκινθος, ἑλένιον, ἡμεροκαλλὲς, θρυαλλὶς, ἀνθέρικος. Theophrastus lib. VI. cap. I. μικρό-

G φυλλον hoc Helenium coronarium facit, ut sisymbrium, serpyllum & abrotanum: Ἅπαντα γὰρ ταῦτα ξυλώδη καὶ μικρόφυλλα, διὸ καὶ φρυγανικά. At Dioscorides Helenium foliis verbasco similibus, radice tantum odorata, quod multis locis in caulem assurgat. Quare nec φρυγανικὸν est, nec ξυλῶδες. Hoc Helenium est, quod Latinis *Inula* dicitur ex Græco deflexum. Nam prototypum in multis herbis nomen obtinuit, ut ἐρυθὸς, ἡμίονος, χήλανθον, & similia: ita ergo & Ἑλένη. Unde Latinum ex transpositione ε in u, *Enula*, vel *Inula.* Sic ἔνυλος antiquum Græcum, *Innlus.* Hesychius, ἔνυλος, νεβρός. Inter condimenta est apud

apud Apicium: *sampsuchum, inula, silphium, cardamomum.* Columellæ *tristes inulæ*, quia amara earum radix. Quis non mirandum in primis ducat incognitum Dioscoridi fuisse Helenium Theophrasti & aliorum Græcorum? Nec enim de alio Helenio capiendus hic versus apud Nicandrum ex eo loco Georgicorum, quo τὰ στεφανωματικὰ exsequebatur:

> Πᾶς δέ τις, ἢ ἑλένειον, ἢ ἀστέρα φωτίζοντα.
> Δρέψας εἰνοδίοισι θεῶν περικάββαλε σηκοῖς.

In Græcia passim indicant nasci hoc genus Helenii; cujus etiam obiter meminit Dioscorides ex Crateva, & peculiare Ægypti facit: ἑλένιον ἄλλο ἱστορεῖ Κρατεύας γεννᾶσθαι ἐν Αἰγύπτῳ. πόα δέ ἐστι κλῶνας ἔχουσα πηχυαίους ἐπὶ γῆς ἐρριμμένους ὥσπερ ἕρπυλλον, φύλλα δὲ τοῦ φακοῦ ὅμοια. Hoc plane Græcum Helenium & coronarium. De quo Plinius ex Græcis scriptoribus hæc habet sumpta: *Helenium è lacrimis Helenæ dicitur natum & ideo in Helenæ insula laudatissimum. Est autem frutex humi se spargens, dodrantibus ramulis, serpyllo folio simili.* Inter ea coronamenta ponit, quæ folio & ramis odorata sunt. ibidem: *& ramis autem & folio odorata sunt excepto serpyllo.* Immo & serpyllum unum facit Theophrastus exiis, quæ folio & ramis odorata sunt: τῶν δὲ καὶ οἱ κλῶνες, καὶ τὰ φύλλα, καὶ ὅλως ἡ πᾶσα φύσις εὔοσμος, οἷον ἑρπύλλου, ἑλενίου, σισυμβρίου, τῶν ἄλλων. Pro οἷον ἑρπύλλου audivit ἀνθ' ἑρπύλλου. Falsum etiam, quod eodem loco scriptum reliquit Helenium ut Jovis florem & hemerocalles & amaracum folio tantum coronare: *& tantum folio coronant Jovis flos, amaracus, hemerocalles, abrotonum, sisymbrium, serpyllum, omnia surculosa rosæ modo.* In paucis his verbis multa monstra sunt. Quis nescit hemerocalles & Jovis florem, quod Græcis Διὸς ἄνθος, flore tantum coronare, non etiam folio? Diserte hoc de Jovis flore traditum Theophrasto, qui universam στεφανωματικὴν ὕλην in duo genera dividit, quæ flore coronat, & quæ folio. Quæ florem præbet coronis, etiam in alia duo genera partitur, cujus flores odorati, & cujus non: τῶν μὲν τὸ ἄνθος χρήσιμον μόνον, καὶ τούτων τὸ μὲν εὔοσμον, ὥσπερ ἴον, τὸ δὲ ἄνοσμον ὥσπερ Διὸς ἄνθος, φλόξ. Ergo flore tantum coronat Jovis flos, sed inodoro. Flore tantum viola, sed odorato. Alia esse addit, quorum ramuli & folia, & tota stirps naturâ odorata sunt, in his serpyllum, Helenium, sisymbrium & cætera omnia hujusmodi, non flore tantum, sed etiam folio in coronas admisso. Quod hæc omnia surculosa esse ait rosæ modo, falsum etiam & absurdum. Theophrastus enumerans generatim, quæcunque coronamenta sativi ac mitioris sunt generis, ita ea complexus est: Ὥσπερ σχεδὸν ἐν τοῖς στεφανωματικοῖς ἐστιν, οἷον ῥοδωνιά, ἰωνιά, Διὸς ἄνθος, ἀμάρακος, ἡμεροκαλλές. ἔτι δὲ καὶ ἕρπυλλος, σισύμβριον, ἑλένιον, ἀβρότονον. ἅπαντα γὰρ ταῦτα ξυλώδη, καὶ μικρόφυλλα, διὸ καὶ φρυγανικά. Cum hæc postrema referenda sint duntaxat ad illas quaternas species quas ultimo loco numeravit, serpyllum, helenium, sisymbrium, abrotanum, quæ & lignosa sunt & brevi folio & in genere φρυγανικῶν; ad omnia illa, quæ præcesserunt, retulit, quorum princeps est rosa. Hinc dixit, hæc omnia surculosa esse rosæ modo. Nihil falsius ab ipso dici poterat, aut imperitius. Quis enim violam cujus in illis Græcis mentio, dixerit esse surculosam & lignosam. Merito itaque violam ex hoc albo sustulit. Sed profecto nec hemerocalles, nec Jovis flos, nec flamma, surculosa sunt aut lignosa. Habemus jam duplex Helenium, alterum alteri nulla ratione cognatum & compar. At Plinius eodem lib. ubi medicinas ex Helenio colligit, utriusque Helenii remedia miscuit, & notas. De radice Helenii loquitur: *Est autem succi prædulcis: prodest & orthopnoïcis radix ejus in aqua jejunis pota. Est autem candida intus & dulcis. Bibitur & contra serpentium ictus ex vino.* Hæc partim ad Heleninm Theophrasti, partim ad Inulam, sive Helenium Dioscoridis pertinent, partim etiam falsa sunt & ex mala interpretatione nata. Helenium, sive Inulam quidem, *alum vel alam* vocavit inferior Latinitatis ætas. Isidorus capite de oleribus aromaticis: *Inula, quam rustici alam vocant, radice aromatica, odoris summi.* Fortè quasi *halam*, ab halando:

> ---- *Sertisque recentibus halant.*

Hispani hodieque Inulam vocant *allam.* Macer in herbario: *Enula, quam vulgus alam vocat, Heleniumque dicitur à medicis.* Marcellus Empiricus cap. XI. *Inula rustica, quod alum vocant.* Aliud est alum apud Plinium lib. XIX. cap. VI. de allio sylvestri: *Allium est & in arvis sponte nascens. alum hoc vocant.* Aliud etiam alum pro symphyto petræo. Plinius lib. XXVII. *alum nos vocamus, Græci symphyton petræum.* Ita hoc nomen scripsisse Plinium absque adspiratione ostendit series litterarum. Alibi sub nomine Hali Gallici idem symphytum petræum describit lib. XXVI. cap. VII. Marcellus quoque duobus aut tribus locis symphytum petræum Gallicè vocari *halum* notat. Hęc omnia ab halitu acris odoris arbitror dicta: Nam & symphytum valde odoratum. Idem porro *alum*, quod *halum.* Nam & alare scripserunt pro halare. Glossæ: *Alat*, πνεῖ. Sic ἀρτεμισίας πνέουσα apud veterinarios Græcos, *artemisia odorata* cap. LII. Ἀρτεμισίας πνεούσης οὐγγίαν μίαν. Ita & πνέουσαν σμύρναν dixere de præstantissima & optimi odoris. cap. CIↃXXXI. σμύρνης τρωγλίτιδος σμύρνης περιπνεούσης. Alibi vocant σμύρνην ἡδυτάτην cap. CCCLII. σμύρνης ἡδυτάτης, νάρδου Συριακῆς. Hæc est, quam Hebræi per excellentiam nominant: מור דרור *mor deror*, myrrham aromaticam, vel ἀρωματίζουσαν. Helenium Arabice vocatur *rasen*, à Græco ῥασὸν: quod est unum è synonymis Helenii. Veterinarii scriptores cap. CCCCLXVIII. ἑλενίου ῥίζης, τουτέστι, ῥάσου. At symphyton eisdem *sucutum.* Quod ex Græco similiter depravatum. Fortasse tamen ق pro و scriptum: ut integrum sit Græcum سمقوفون. *suffutum.* Antiquus herbarius Arabs in veteri codice Dioscoridis ad utrumque σύμφυτον adscripsit رومي *Rumi* & وغ دعي رومي *Nava mi Rumi.* Quo speciem ac plantam in Romano solo nascentem indicat esse, ac nomen in Arabica lingua nullum habere.

CAPUT XVI.

De smyrnio.

IN hoc albo τῶν ὁμωνύμων reponendum est & σμύρνιον. Duplex hoc nomine herba in generibus differentibus, aliud saxis & sicco gaudet, unde & πετροσέλινον dictum: aliud humidis & opacis. Atque inde Plinii error non distinguentis inter smyrnium illud, quod est olus atrum Romanum, & aliud verum smyrnium, quod est petroselinum Cilicium. Hinc scripsit, *credidisse veteres smyrnium loca petrosa amare, cum posteriores deprehenderint repastinato seri debere.* Atqui de altero smyrnio id veteres tradidere, non de atro olere, quod smyrnium est in repastinato & humido serendum. Ætas posterior hoc exemplum secuta, hæc etiam nomina indiscreta habuit & invicem permutavit. Nam ostrucium, vel ostricium appellavit petroselinum smyrnium, facto vocabulo ex olusatricium, quod nomen competit alteri smyrnio. Macer vulgaris in herbario *caulem agrestem* vocat hoc smyrnium, quasi dicas olus agreste & ostricium. Post Ligustici descriptionem sequitur titulus *de caule agresti.* Deinde hi versus subjiciuntur:

> *Struthion, ostricium quod vulgi more vocatur,*
> *Vim calidam siccamque tenet, radix fugat ejus*
> *Cum vino morbos iecoris.*

Ex nominum vicinitate confundit σρούθιον, id est, radicem lanariam cum ostricio. Remedia omnia, quæ ibi adscripsit, τῷ στρουθίῳ congruunt ex amussim, ut ex Dioscoride

ſcoride colligere. Oſtricium vero officinarum omnibus notum, tam facie quàm effectu deprehendi variare cum ſmyrnio petroſelino. Auctor ille putavit, idem eſſe oſtricium & ſtruthion. Quod falſum eſt. Hodie ignorant noſtri herbarii, qualis herba ſit σρέθιον, quam olim notiſſimam liquet fuiſſe. Inter ſpinoſas eam numerat Theophraſtus, quâ unicâ notâ non poſſit videri eadem cum oſtricio, ut alia omittam. Alii *aſtrantium* nominant, corruptâ ſanè voce ex oluſatrum, quod Græci modo ἀλύσαθρον, modo ὀλύσαθρον, & ἀλεξάνδρη, & σαθρούμ dixere. Dioſcorides ita ea diſtinxit, ut alterum ἱπποσέλινον, alterum vocaverit propriè σμύρνιον. At Theophraſto ἱπποσέλινον dicitur, quod eſt verum Dioſcoridis ſmyrnium, ex quo ſinceram & optimam myrrham colligi dixit radice inciſa. Hanc myrrham, quæ è ſmyrnio colligebatur recentiores Græci σμύρναν τρωγλῖτιν vocarunt, cum apud veteres hoc nomen habeat myrrha Troglodytica, de qua in Exercitationibus. Neophytus σμύρνα τρωγλῖτις, τὸ πετροσέλινον. Hoc ſmyrnium intelligit, quod & σμυρνοβόλιον propterea vocatum Græcis recentioribus. Nam ſuccus ejus vera myrrha, ne optimâ quidem deterior. Gloſſæ Iatricæ: σμυρνοβόλιον τὸ πετροσέλινον. Hinc perſuaſi plerique antiquorum myrrhâ ſatâ hanc herbam provenire. Inde Arabes eodem nomine eam appellant, quo myrrham ipſam. In antiquiſſimo codice Dioſcoridis, σμύρνιον Arabicè expoſitum legitur per vocem مور *mur*, quod myrrham ſignificat. Veteres quoque Latini Græcique myrrham appellarunt hoc ſmyrnium. Columella in horto:

Et lacrimas imitata tuas Cinyreïa virgo,
Sed melior ſtacte, ponatur Achaïca myrrha.

De ſmyrnio accipienda eſſe docemus in Exercitationibus. *Achaïcam* vocat & *meliorem ſtacte*, id eſt, veræ myrrhæ liquore. Quis jam dubitare poſt hæc audeat, quin βοιωτικὴ σμύρνα Dioſcoridis eadem ſit cum Achaïca

A myrrha Columellæ & ſmyrnio antiquorum, cujus radix inciſa myrrham fundebat: ἡ δὲ Βοιωτικὴ σμύρνα ἐστὶ δένδρου τινὸς ἐν Βοιωτίᾳ γεννωμένου ῥίζα τεμνομένη. ἐκλέγου δὲ τὴν ἐμφερῆ σμύρνῃ κατὰ τὴν ὀσμήν. Hoc neſcivit ipſe Dioſcorides, & diverſis locis retulit Βοιωτικὴν σμύρναν & σμύρνιον, quia ex diverſis auctoribus hæc hauſit. Atqui certum eſt, ſmyrnium eſſe vel hippoſelinum Theophraſti, ex quo Bœotica illa myrrha, vel Achaïca eliciebatur. Nec obſtat quod δένδρον appellet Dioſcorides. Antiquiſſimi Græci ſæpe hanc vocem uſurparunt de majoris incrementi fruticibus vel herbis. An non hic ipſe Dio-
B ſcorides Euphorbii plantam δένδρον ναρθηκοειδὲς indigetat, quam Plinius paſſim Euphorbiam herbam. Dicæarchus in fragmento inedito de vita Græciæ, de ſtirpibus Pelii montis agens, δένδρον non veretur appellare, quæ cubito altior a terra non ſurgeret: φύεται δὲ τὸ δένδρον τῷ μεγέθει μὲν οὐ πλέον ἢ πήχεως ὑπὲρ γῆς φαινόμενον, τῇ δὲ χρόᾳ μέλαν. ἡ δὲ ῥίζα ἕτερον τοσοῦτόν ἐστι κατὰ γῆς πεφυκυῖα. Joſephus lib. VIII. cap. II. δένδρου appellatione hyſſopum etiam complexus eſt: καθ᾽ ἕκαστον εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. Sic δένδρον quod Bœoticam myrrham ſudat ſmyrnium, quod ἱπποσέλινον veteres Græci dixerunt, quaſi majus apium.
C Hoc مور *mur* proprie Arabibus, quia myrrham ſudat. Alterum genus, quod æquè σμύρνιον quidam ex Græcis vocarunt, ab odore myrrhæ, Latini verò oluſatrum, iidem Arabes nominant خرفس بري *cherafes berri*, id eſt, apium agreſte, vel apium ex deſerto. Græci quoque ἄγριον σέλινον & ἀγρίολον dicunt. Noli autem mirari in Dioſcoride, quod σμύρναν Βοιωτικὴν & σμύρνιον diverſis locis recenſuerit, quæ eadem ſunt. Hoc enim illi ſolemne in aliis, quæ paſſim obſervavimus. In agarici deſcriptione velut differentes ſenten-
D tias recitavit, quæ agaricum in ſetinis arboribus, & quæ in cedrinis naſci prodit. De quo infra.

CAPUT XVII.

De lepidio.

NUnc commemorabimus & aliam plantam, cujus nomen commune aliis factum eſt, licet & minimè congeneres ſint. Hoc λεπίδιον eſt. Sic etiam vocatum gingidium, nec facie ſimilis, nec ejuſdem generis herba. Dioſcorides: γιγγίδιον, οἱ δὲ λεπίδιον. Gingidium iſtud quidam doctiſſimi herbariæ rei idem eſſe cum chærefolio vulgariter dicto opinantur. Fuit hæc & veterum quorumdam opinio. Gloſſæ: *cerepulium*, γιγγίδιον. Quærendum jam illud ſupereſt, an ſit idem cum chærefolio, quod hodie id nominis habet. Nomen indicio eſt idem eſſe, cui non perpetuo fidendum. Hoc ipſum corruptè profertur vulgo, & ridiculi primarii in his litteris Viri, qui chærefolium arbitrantur dictum a foliorum luxuria, quaſi foliis gaudens, ex Græco ac Latino compoſita appellatione. Sic nec Græcum eſſet nec Latinum. Gloſſæ *cerepulium* vocant. Libri Pliniani *cerepollum* pro *charepolium* in his verbis lib. XIX. cap. VIII. *atriplex, malva, lapathium, cerepollum, quod Græci paderota vocant.* Indicat Latinum eſſe nomen *cerepollum* vel *cerepolium*, & Græcè vocari *paderota*. Columella cerepolum in verſu dixit:

Et breve cerepolum & torpenti grata palato
Intuba.

Non aliam patitur verſus lectionem, quam & adſtruunt libri. Ergo *cerepolum*, vel *cerepolium* hujus herbæ vera appellatio, cujus originem in Latio non quæſiſſem fruſtra, ſi inveniſſem. Græcum eſſet χαιρεπέλιον, quaſi verſatâ gaudens terrâ. Quod tamen non arridet. Cerepolium Columella diverſum facit à gingidio. Nam de hoc intelligendum, quod poſt paulò ſubjicit:

---- Aſſyrioque venit quæ ſemine radix.

Lepidium quoque aliquot infra verſibus expoſuit, veluti cerepolio & gingidio diverſum:

Ponitur & lactis guſtum quæ condiat herba,
Deletura quidem fronti data ſigna focorum,
Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Graio.

Palam eſt λεπίδιον deſignari, cujus uſus non niſi cum
E lacte, ut Plinius refert. Λεπίδιον inter edulia Syriæ peculiaria ponit Ulpianus & ipſe Syrus apud Athenæum lib. VIII. ὀξυλάπαθον δὲ τί ἐστι πλὴν, εἰ μὴ καὶ κάρδαμα ἡμᾶς καὶ λεπίδιον, τὰ πάτρια μου νόμιμα βρώματα ὀνομάζειν μέλλεις. *Peregrinum fuit & lepidium*, inquit Plinius. *Seritur à favonio.* Jam tum ergo in Italia ſerebatur. *Exire in cubitalem altitudinem, foliis laurus mollibus* ibidem refert. Longè itaque à gingidio diverſum, cum tamen quidam gingidium etiam vocarent lepidium & contra. Neophytus & alii Græci recentiores gingidium notant vocari a Romanis βιτζάκουτον, id eſt, biſacutum. Quod cerepolio vulgari convenit à corniculis poſt florem in ſummo prodeuntibus & aculeatis. Paulus ſcandicem Græcorum ſimilem facit gingidio. Idcirco & Dioſco-
F rides eas in opere ſuo conjunxit. Vulgus Græcorum hodie σκάνδικα vocat βελονίδα à ſimilibus corniculis rectis & inſtar acus acuminatis, quæ ex floribus prodeunt. Neophytus: Σκάνδιξ Ῥωμαῖοι ἔρβαν καναρίαν, οἱ δὲ ἀκύκλαν, κοινῶς δὲ βελονίδα καλοῦσι. Plinius lib. XXII. cap. XXII. *Scandix quoque in holere ſilveſtri à Græcis ponitur, ut Opion & Eraſiſtratus tradunt.* Propria itaque hæc Græcorum herba. Cur igitur eam Ægyptiis vindicat lib. XXI. cap. XI. & inter *herbas ſponte naſcentes* reponit, *quas maximè in cibis recepit Ægyptus.* Cur ibidem eam quoque vult *eandem cum tragopogone*, à quo plurimum diſtat? Ita enim ſcribit: *Reliqua vulgarium in cibis apud eos herbarum nomina, condrylla, hypocharis & caucalis,*
G *anthriſcum, ſcandix, quæ ab aliis tragopogon, vocatur, foliis croco ſimillimis,* Nulla herbarum, quæ ibidem recenſentur tanquam Ægypti peculiares, non etiam paſſim in Græcia naſcitur. Immo Theophraſtus hæc ipſa nomina prodit naſcentium paſſim in Græcia olerum, & eodem ferme ordine. Præterea ſcandix non eſt tragopogon. Sed dum properat noſter, omiſit forte in eo albo alterum tragopogonis nomen, quod eſt

eſt κόμη Sic enim cogitabat ſcribere: *Anthriſcum, ſcandix, come, quæ & tragopogon vocatur.* Theophraſtus, à quo hæc περὶ λέξιν tranſcripta: Καύκαλις, ἐνθέλσκον, σκάνδιξ καὶ μάλια ἄλλα, ἐν οἷς ἡ κόμη, ἣν τραγοπώγωνα καλοῦσι. Sic legenda ea verba. Enumerat ibi Philoſophus omnes herbas agreſtis ac ſponte naſcentis generis, quæ Græci in cibis vulgò uſurpabant & λάχανα vocabant. Plinii ipſius peccatum eſſe, non librarii, oſtendit index, qui ſic habet in ſcriptis codicibus: *Caucalis, enthriſcum, ſcandix eadem & tragopogon.* Heſychio ἔνθρυσκον dicitur λάχανον κορίῳ ὅμοιον. Malè apud Theophraſtum ἔνθυσκον. Alio loco apud eundem Heſychium ἄνθελσκον, quod idem eſt, ut ἄσχουσι ἴσχουσι. Male etiam ἀνδρυάλα in Theophraſto legitur pro χονδρύλλη. Heſychio, χονδρίλη ἄγριον τι λάχανον. Ceterum ſcandix adeo non eſt Ægyptii ſoli proprium olus, ut Euripidis mater σκανδικοπωλήτρια ab Attico Comico objecta ſit, quod ipſe Plinius alio loco non prætermiſit, de hac eadem ſcandice loquens: *Hæc eſt, quam Ariſtophanes Euripidi poetæ objicit jo culariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditaſſe, ſed ſcandicem.* Ne iſtud quidem ſcio, quid vocet Plinius *legitimum olus.* Nec differentia facta legitimi oleris & ſcandicis à Comico, dum matrem ejus ſcandicem venditaſſe illi objectat. Per contemptum ſanè σκάνδικα videtur potius nominaſſe, quam aliud olus, ut λαχανοπώλιδα indicaret. Quia ſcandix olus ſilveſtre ex viliori genere. Grammatici λάχανον ἄγριον, εὐτελές. Hoc igitur voluerit Plinius. Ad lepidium redeamus, quod utique à gingidio diverſum fuiſſe conſtat, ſiquidem gingidium idem cum cerepolio, aut non multum diſſimile. *Lauri foliis* id eſſe Plinius ſignificat. Longè ab hac forma abſiſtunt gingidii folia. Iberis herba fuit à Damocrate medico inventa, quam Galenus ex notis ab ipſo Damocrate indicatis, lepidium eſſe Græcorum argutatur. Verba ejus hæc ſunt ex lib. x. Φαρμάκων κατὰ τόπους compoſitionis: Ἐν Ἰβηρίᾳ φησὶν ἰατρόν τινα φίλον ἑαυτοῦ γε θεραπευθῆναι διὰ τῆς βοτάνης, ἣν ὡς ἔφην αὐτὸς Δαμοκράτης, Ἰβηρίδα καλεῖ μαθὼν μὲν αὐτοπτικῶς τὴν βοτάνην, ὄνομα δὲ οὐδὲν ἀκούσας αὐτῆς, ὅτι μηδὲ ὁ διδάσκων ἠπίστατο. δι' ὧν δὲ γράφει γνωρισμάτων, ἔοικε τὴν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὀνομαζομένην λεπίδιον Ἰβηρίδα καλεῖν ἀπὸ τῆς χώρας, ἐν ᾗ θεραπευθεὶς ἔτυχεν ὁ φίλος αὐτοῦ. Pace Galeni dixerim, multa opponi poſſunt & valida quidem ad deſtruendum, quod aſtruit de Iberide Damocratis, eam eſſe lepidium commune. Damocrates herbâ illâ, quam Iberidem nominavit, quod aliud nomen neſciret, curatum amicum in Iberia carmine profeſſus eſt, quo & deſcripſit illius herbæ faciem & effectum. An credimus Damocratem, qui eam herbam ipſe viderat, non potuiſſe per ſe augurari, eandem eſſe cum lepidio Græcorum? Aut illud utique confitendum fuerit, Damocratem penitus ignoraſſe, quali facie eſſet lepidium in Græcia viſitatum. Quod non eſt veriſimile. Nunc γνωρίσματα illa ſpectemus, ex quibus colligi poſſe putavit Galenus, Iberidem eſſe lepidium. Damocrates Iberidem plurimam ubique & ſponte quidem naſci canit, præcipuè juxta vetuſta monumenta & parietes & itinera olim maximè trita, ſed deſita calcari:

Φύεται δὲ πολλὴ πανταχοῦ, μάλιστα δὲ
Παρὰ τοῖς παλαιοῖς μνήμασιν τοίχοισί τε,
Καὶ ταῖς ὁδοῖσι τῶν πάλαι πετριμμέναις,
Παρ' αἷς γεωργὸς λήϊ' οὐ ἤροσεν.

Plinius hæc vidit & rectè reddidit hoc modo: *Invenit nuper & Servilius Damocrates è primis medentium, quam appellavit Iberida, quamquam ficto nomine inventioni ejus aſſignato carmine. Naſcitur maximè circa vetera monumenta, parietinaſque & inculta itinerum.* Vocat eleganter inculta itinerum, quæ olim fuere culta, poſtea deſierunt. Nec enim in tritis & cultis itineribus quidquam naſci poſſit. ὁδοὺς τὰς πάλαι πετριμμένας vocat Damocrates, per quas tamen agricola nunquam aratrum duxit. Sed quid ſibi volunt illa Plinii; *quamquam ficto nomine inventioni ejus aſſignato carmine.* Hæc nullus intelligo, & vitioſe concepta mihi videntur, & ſenſum ex re idoneum effici poſſe, ſi legatur: *quamquam ficto nomini inventione ejus aſſignata carmine.* Invenit, inquit, Iberida herbam Damocrates, quamquam inventione ejus ficto nomini aſſignata carmine. *Fictum nomen*, cui inven-

A tionem Iberidis carmine ſuo Damocrates aſſignavit amicus ille eſt non nominatus Damocrati, à quo ſibi monſtratam Iberidem prodidit, qui eâ ſanatus. *Fictum nomen* appellat Plinius, quia fortaſſe finxiſſe, eam ſibi ab aliquo oſtenſam, Damocratem credidit, cum ipſe revera inveniſſet. Veram præſtamus, quam repoſuimus ſcripturam, quam & libri ex parte aſſerunt. Iberis illa Damocratis paſſim naſcitur juxta monumenta vetuſta & parietinas & in viis incultis. At lepidium commune, peregrinum olim Europæ fuit teſte Plinio, & Syriæ peculiare. Hinc ſata tantum in Italia proveniebat, & ad cibos vel condimentum lactis fereB batur. Jam videamus ἰδέαν ejus apud Damocratem:

Ἀεὶ δὲ θάλλει φύλλ' ἔχουσα καρδάμου,
Ἔαρος γε μὲν οὐκ ἀνθεῖ τε, μήτε βλαστάνει.
Καυλῷ δ' ἄρ' αὐτῆς ὄντι μῆκος πήχεως,
Μικρῷ τ' ἔλαττον, καὶ πάλιν μικρῷ πλέον.
Θέρους προΐκειται λεπτὰ φύλλα, μέχρις ἂν
Κρύους γενομένου φρυγανώδη πάντα μὲν
Τὰ φύλλα γ' ἀποβάλλει τε καὶ μαραίνεται,
Πρὸς τῇ δὲ ῥίζῃ προσπεφύκασί τινα.

Ita legendi hi verſus. Ex ſemper virentibus hanc herC bam facit, folio naſturcii, quæ tamen vere nec flores nec folia emittat, prodeuntia demum æſtate circa caulem minuta, uſque dum hiemis adventu alia quidem omnia decidant & flacceſcant, alia verò juxta radicem denuo exeant. Sic ſemper viret. Hic ſenſus verſuum ſupra ſcriptorum. Plinius ex illis verbis Damocratis ſcribit de Iberide: *floret ſemper, folio naſturcii, caule cubitali.* Non potuit brevius; in tam paucis etiam tamen falſus eſt. Florere ſemper dicit, quæ ſemper folia obtinet. Θάλλειν hoc Græci vocant, unde ἀειθαλῆ, ſemper viridia. Aliud eſt ἀνθεῖν. Interdum tamen etiam θάλλειν pro florere uſurpant. Hoc noſtrum fefelD lit. Sic alio loco ex Theophraſto vitem θάλλουσαν pro florente accepit, quæ aliter debuit ſumi. Damocrates ſuæ Iberidi folia brevia tribuit & naſturcii ſimilia. Ex quo perſpicuum eſt, quid rationis habeat Galenus, qui lepidium eſſe ex deſcriptione intendit. Fugit ſanè eum ratio. Lepidio folia, qualia lauri, & multò majora quidem. Paulus lib. I. cap. LXXVII. de lepidio vulgari: Ἡ δὲ παρ' ἡμῖν φυομένη θαμνώδης, παραπλήσια δάφνης τὰ φύλλα καὶ μείζονα πολλῷ. Quibus paria tradere Plinium de lepidio ante oſtendimus. Non videtur rurſus hoc lepidium idem cum lepidio Dioſcoridis, qui βοτάνιον θαμνῶδη γνώριμον eſſe dicit. At hic Paulus, herbam θαμνώδη E vult eſſe. Utut ſit, Iberis Damocratis non eadem cum lepidio, quæ in tantum formâ diſtat. Tanquam herbam hactenus incognitam eam deſcripſit Damocrates, & tum primum ſibi demonſtratam ab aliquo, cui vis ejus comperta, facies cognita, nomen verò incognitum. Nec ſanè veriſimile, ignoratum fuiſſe lepidium Damocrati, cum notiſſimam herbam eſſe ſcribat Dioſcorides antiquior Damocrate, vel certè æqualis. Notat idem Galenus, Archigenem hanc Iberida vocaſſe lepidium: περὶ τῆς Ἰβηρίδος ταύτης Ἀρχιγένης λέγει ὀνομάζων αὐτὴν λεπίδιον. Archigenes poſterior Damocrate. Nec aliter poterat habere cognitionem Iberidis. Vocavit F eam lepidium. Non inde ſequitur, eſſe lepidium. Quod tamen Galenus arripuit, quem certum eſt eam herbam non vidiſſe; idque manifeſto ex verbis ejus colligitur. Archigenes Ἰβηρίδα Damocratis nominavit λεπίδιον. Nempe hoc nomen fecit herbæ fictum nomen habenti, à pari effectu, quem habet cum lepidio, non ab ulla formæ ſimilitudine. Λεπίδιον à vi cauſtica dictum, quæ corpus exulcerat & λεπίδας, id eſt, ſquamas in cute excitat. Quis vetat, ei ſimile nomen impoſitum ſimili virtute præditæ? Quàm multis herbis ſymphyti nomen inditum ab eadem poteſtate vulnerum conglutinandorum? Hippuris σύμφυτος appellata, quam G ideo cum ſymphyto petræo confudit auctor veterinarius. Ἰβηρὶς ergo λεπίδιον ab urente effectu, & ἀγριοκάρδαμον à facie naſturcii. Idem Galenus ex Hipparcho: βοτάνην Ἰβηρίδα, ἣν τινες καλοῦσι λεπίδιον, ἢ ἀγριοκάρδαμον. Idem habet Paulus. Caput περὶ Ἰβηρίδος falsò adtextum Dioſcoridi ex Neophyto & recentioribus Græcis, alienoque prorſus loco inter arbores. Dioſcorides paulò anterio-

anterior Damocrate, vel eodem ferme tempore vixit, nec iberidem cognovit. Quia similis nasturcio, Græci recentiores, quibus omnia miscere cordi est, etiam nasturcium sic vocarunt. Neophytus: Κάρδαμον, οἱ δὲ κυνοκάρδαμον, οἱ δὲ ἰβηρίς. Apulejus de nasturcio: *Græcorum alii cardamon, alii cynocardamon, alii iberida, alii cardaminacam.* Quin & καρδαμίνην, sive *sisymbrium aquaticum* quidam etiam nominarunt *iberidem*, Latinè *iberulam* & *berulam.* Marcellus Empiricus: *Herbæ, quæ in aqua jugis decursu nascitur, quam Latini iberulam, Græci cardaminem vocant.* Καρδαμίνη proprie significat herbam cardamo sive nasturcio similem. Talis ἰβηρίς. Sisymbrium aquaticum etiam simile cardamo, unde & καρδαμίνη quoque nominatum. Inde quod in aliis sexcentis similiter factitatum, alterius cardamines appellatio in alteram transiit, & aquatica cardamine iberula, vel *berula* dicta nomine ἰβηρίδος καρδαμίνης. Inde nostra *berla*, quæ crescioni congenera. Græci quoque recentiores βερίδα pro ἰβερίδα dixere. Hesychius: Καρδαμίνη τὸ σίον, ὅ ἐστι ἐμφερὲς καρδάμῳ, γεννᾶται δὲ ἐν ὕδασι. Ita legendum. Hæc est *berula*, sive *iberula* Marcelli, hoc est, ἰβηρίς & vulgaris *berla.* Alia *iberis cardamine*, quæ & *lepidion.* Neophytus: ἰβηρὶς ἤτοι καρδαμίνη, vel καρδαμινάνη. Quod Latinum est *cardaminaca*, idem quod καρδαμίνη. Herbarius Arabs apud Dioscoridem λεπίδιον interpretatur Arabice شيطرج *scitaregi.* Hoc nomine Avisena non lepidium Dioscoridis ac vulgare Græcorum descripsit, sed iberidem Damocratis, quam eamdem cum lepidio esse voluit Galenus, licet plurimum differat. Nasturcio simile esse dicit Avisena; odore autem ac sapore cordumeni, effectu quoque par. Ita vertit vetus interpres Gerardus Carmanensis retenta voce Arabica القردمانا *alcardamena.* Andreas Alpagus ad marginem notat, esse nasturcium. Quod non potest obtineri. Nam eodem capite duobus locis meminit nasturcii, cujus foliis comparat *scitaregi* sive lepidii folia. Et nasturcium ibi vocatur حرف *harf.* Sic κάρδαμον apud Dioscoridem exponit herbarius Arabs. Aliud igitur cardumen, quam nasturcium. Græca omnino vox est καρδαμίνη. قردمانا *cardamena*, vel *cardamene.* Caput extat integrum de hac apud Avisenam in littera kaf, quod est CLIX. Latinæ editionis. *Cardamomum* interpretatus est vetus interpres. Et sane videtur cardamomum Dioscoridis tradere sub eo titulo Avisena. Serapio autem disertè citat Dioscoridis verba de cardamomo, quod ipse vocat *cardamena.* Atqui cum satis manifestum sit, cardamenam purum putum esse Græcorum καρδαμίνη non potest videri idem cum καρ-

A δάμωμον. Quin etiam, ubi de *scitaregi* sive lepidio tractat Avisena, & ait gustu, odore & effectu parem esse cardaminæ, non debet, nec vero possit de cardamomo accipi. Lepidium illud iberis est, quæ & καρδαμίνη Græcis dicta à similitudine καρδάμου, id est, nasturcii. Sisymbrium quoque aquaticum καρδαμίνη Græcis vocatur à sapore & gustu nasturcii: non dispar quoque effectus ejus à cardamomo in cienda urina & lentigine cæterisque cutis vitiis emendandis. Καρδάμωμον Græcorum non noverunt Arabes, ut nec Græci recentiores, qui καρδαμώμου vocabulo abusi sunt pro

B καρδάμου. Nam nasturcium passim καρδάμωμον indigetant, ut infra notabimus. Κάρδαμον autem etiam καρδαμὶς & καρδαμίνη dicitur iisdem recentioribus Græcis. Ex his sumentes Arabes sub nomine καρδαμίνης tam κάρδαμον, id est, nasturcium, quam καρδάμωμον Græcorum, sibi tantum appellatione tenus cognitum proposuerunt. Certè ubi de lepidio agit Avisena, quod cordumeni de gustu & odore adsimilat, non potest ibi aliud esse cardamena, quam Græcorum καρδαμίνη; quo nomine & ἰβηρίδα appellarunt, quam eamdem volunt esse cum lepidio. Quin & iberulam, sive berulam dixerunt posteriores Latini alteram καρδαμίνην, quæ est

C sium vel sisymbrium aquaticum Græcorum. Avisena vocat صير *sir.* Quod fortasse corruptum pro سين, id est, *sin* ex Græco σίον, Arabes tamen non raro usurpant R. pro N. ut in nabac & rabac supra notabamus. Ipse Avisena illud sir, vel sium aliter vocari Arabice indicat قرة العين *kare alhain.* Apium aquaticum exponit vetus interpres. Hoc sium Græci quoque nominant ὑδροσέλινον, quia fo-

D lium habeat simile apio silvestri. Diversum est ab altero sio, quod καρδαμίνην Græci vocant, sive σισύμβριον ἔνυδρον. Alterum crescionem dicimus, alterum berlam ex berula vel iberula. Illud *kare alhain* sonat *pupillam oculorum.* Ex Græco κόρη vox illa قرة *care* vel *core* depravata. Quare sic appellaverint hanc herbam Arabes, incertum. Quod attinet ad cardamena Arabum, quæ est καρδαμίνη, omnes Arabes interpretes tradunt esse carvi silvestre حراويا بري,

E *carvia bari.* Ipse ille Serapio, qui Græcum καρδάμωμον sic vocat, ita etiam interpretatur. Atqui hæc similitudo carei nec cum cardamomo, nec cum cardamine convenit. Mirum etiam novumque cardamomi genus describit Neophytus: Καρδάμωμον φύεται ἐν ἐνύδροις τόποις ἔχον φύλλα ὅμοια σελίνῳ, καρπὸν δὲ ὅμοιον ἀγρίῳ κυμίνῳ, πλὴν μακρότερον καὶ μεσότερον. συνάγουσι δὲ τὸ σπέρμα τοῦτο κατὰ τὸν Αὔγουστον.

CAPUT XVIII.

De cabareto.

F CAbaretum vocamus detorto parumper vocabulo ex antiquo *cobretum.* Ita enim veteres libri apud Plinium scribunt, quod in vulgatis legitur *combretum.* Non eodem tamen sensu *cabaretum* dicimus, quo olim dictum *cobretum.* Sic vulgo appellant antiquorum asarum. At cobretum simillimum bacchari, teste Plinio. Baccharis autem magnopere diversa ab asaro, si figuram spectes. Officinæ tamen hodie bacchar vocitant, quod est asarum, quem veterem errorem esse constat. Neophytus: Ἄσαρον, οἱ δὲ νάρδος

G ἀγρία. Ῥωμαῖοι πεπρέσσαμ, οἱ δὲ βάκχαρ. Plinius: *Bacchar in medicinæ usu perpressam ab aliquibus vocatum suggerit.* Quin etiam alio loco nardi rusticæ nomine venisse dicit. Quæ sunt asari cognomina. Non mirum proinde, si cabaretum ex nomine cobreti factum pro asaro usurparunt, cum & bacchar asarum ipsum appellarint. Cobretum autem asaro simillimum, ut idem Plinius asserit his verbis malè hactenus intellectis de bacchari: *Simillimum ei cobretum appellatur, foliorum exilitate usque in fila adtenuatâ & procerius, quam bacchar, nexui tantum.* Ita legendum docuimus alibi. Innuit tam exilia esse folia cobreti, ut fili instar tenuia sint. Adtenuata ἰσχνωθέντα. Capillaceæ gracilitatis ea esse indicat: nec aliter licet capere. Ideo ad coronas necti tantum, non sui dicit. Atqui, si talia sint cobreti folia, jam non queant per hoc videri bacchari similia, cui folium magnitudine inter verbascum & violam tribuit Dioscorides. Hinc viris doctis placuit illa sic interpretari, ut non de folii capillacea, vel filacea gracilitate accipiantur, sed de ipsa substantia adeo tenui, ut texturæ filamenta omnino appareant. Nam & exilia plenis opponi apud Plinium in epistolis. Vix tamen hunc

sensum

ſenſum admittunt verba illa Pliniana. Exilitate eâ cobreti folium eſſe vult, ut in fila uſque adtenuatum ſit. Quid aliud hæc ſignificant, quàm inſtar fili eſſe tenuia & exilia. Sic balſamo tenuem & capillaceam comam dat, quam ἰσχνότητα vocavit Dioſcorides. *In fila adtenuata folia*, id eſt, inſtar filorum, non uſque ad filamenta. Sic alibi paſſim loquitur *in farinam molere*, *in ramenta ſecare* & ſimilia. Exilis ex Græco ἔξινος. N. in L. mutato. Sic ὑπέρινος ſupra modum evacuatus & exilis factus. Theophraſtus lib. IX. cap. XIV. de elaterio: Φασὶ δὲ μόνον μάλιστα ὑπέρινον ἄνω ποιεῖν τῶν φαρμάκων. Ubi vulgo ſcribitur ὑπὲρ ἴνων. Locus nec interpreti, nec Plinio intellectus, qui ideo omiſit, cum reliqua de elaterio indidem ſumeret. Senſus eſt, ex omnibus medicamentis elaterium maximè ac validiſſimè per ſuperiora purgare. *Exilis* alias apud Plinium, qui in teretem longitudinem gracilis eſt ac tenuis, ut lib. XXI. cap. VII. de A iride: *Proxima in Macedonia, longiſſima hæc & candicans & exilis.* His ita ſe habentibus non aſſequor, quî putari poſſit ſimillimum cobretum bacchari, quod Plinius aſtruit. Sed Plinium cogitanti nihil mihi mirum videtur. Is eſt, qui lib. XII. cap. XIII. deſcripto amomo & amomide ſubjicit: *Simile his & frutice & nomine cardamomum, ſemine oblongo.* Ex deſcriptione ipſa nulla ſimilitudo apparet inter amomum & cardamomum. In nomine utriuſque non magna eſt affinitas: major eſt in καρδάμου & καρδαμώμου appellatione, quæ tamen multum inter ſe differunt ſtirpe. B Viderint igitur de cobreto herbarii. Quod noſtri muneris eſt, hoc loco effecimus, ut oſtenderemus cabaretum ex cobreto per corruptionem ortum, & cum idem ſit vocabulum, non eandem habere nunc & olim ſignificationem, integrum & depravatum: *Cobretum, cabaretum*, ut *caltula, caletula*, & *calendula*.

CAPUT XIX.

De hyſſopo.

NE hyſſopum quidem, cui nomen hoc vulgo eſt, ſi veterum deſcriptioni attendamus, idem erit cum illorum hyſſopo, quicquid contra nitantur viri naturæ herbarum experientiſſimi. Hyſſopum veterum corymbos habet, ut ex Dioſcoride conſtat in chryſocomes hiſtoria: Χρυσοκόμη, οἱ δὲ χρυσῖτιν, ῥαβδίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, κόμην ἔχον κορυμβοειδῆ, ὁμοίαν ὑσσώπῳ. Fruſtra apponunt argutationem, comam ibi debere accipi de foliis & ramuſculis, non de floribus & corymbis. Scimus aliquando ita ſolere capi: hic non poteſt. Κόμην vocat κορυμβοειδῆ, comam corymborum. Atqui κόρυμβοι ſemper de ſummis apicibus & capitulis florum in formam corymbi. Κόρυμβος cacumen & quicquid eſt ſummum ſignificat: tiaras, pileos, capitula, montium vertices, crinium ſpiram ſummo vertice collectam. Sed & χρυσοκόμη appellationem inde nacta eſt ab aurea corymbi coma, non à foliis. Plinius: *Chryſocome, ſive chryſitis palmi altitudine, comantibus fulgore auri corymbis.* Corymbos illos comantes aureo fulgore ſimiles habet hyſſopo. Ergo & hyſſopi tales corymbi, quantum ad formam. Non datur hinc effugium. At hyſſopum vulgare, id eſt, herba illa, quam pro hyſſopo obtrudunt, non corymbata eſt, ſed ſpicata. Hyſſopum habere corymbos, clare etiam oſtendit Dioſcorides de origano Heracleotico: Φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ, σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδὲς, ἀλλ' ὥσπερ διῃρημένον. Foliis eſſe ſimilibus hyſſopo dicit: umbellam vero non in rotundum collectam, ſed velut ſparſam ac diſſipatam habere. Non obſcurè innuit hyſſopi umbellam utcumque compactam eſſe & confertam. Alias loquendum ſic habuiſſet: Φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ. Σκιάδιον, οὐ τροχοειδὲς, ἀλλ' ὥσπερ διῃρημένον. Clarius hoc idem ſignificat poſt paulò in origano oniti, quam ſimiliorem hyſſopo eſſe ait, & ſemen congeſtum in corymbis denſis ferre: Λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστὶ καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ, καὶ τὸ σπέρμα ὥσπερ κορύμβους συνεχεῖς ἐπικειμένους ἔχει. Quidam ſunt, qui hyſſopum officinarum referendum putant ad ſymphytum petræum Dioſcoridis, nec iſti in recta via ſunt. Symphytum quippe petræum cacumina habet thymi capitati: hyſſopum commune pro capitulo ſpicam gerit. Non etiam reſpondet ſymphyto petræo figura, quam pro eo repræſentant. Certe capitula thymi non præfert. Quam pro origano oniti dant, ne rectè quidem hoc nomen fert. Nam ſpicas geſtat, cum capitulum vel corymbos geſtare debeat. Unde & κεφαλωτὴν ὀρίγανον & κεφαλοειδῆ vetuſtiſſimi Græci vocarunt. At origanum vulgare, quod quarto loco depictum eſt apud Dioſcoridem Matthioli, pro oniti origano depingi debuit. Hæc ſimilis quantum ad caput hyſſopo veteri, cui chryſocome porro corymbos ſimiles oſtentat, ut C teſtatur Dioſcorides. Chryſocomæ illi, ſive chryſiti non invenio florem hodie, qui melius queat reſpondere, quàm elichryſi Cretici effigiem aut orientalis. Non malè etiam ad hoc exemplum expreſſa eſt ſtœchas citrina. Nullum certè ex his elichryſum Dioſcoridis fideliter exhibet. Etenim in ἑλιχρύσῳ Dioſcoridis, umbellas rotundas & circulares videmus, ut hæc ejus verba ſonant ſic legenda: Κόμην κυκλοτερῆ, σκιάδια χρυσοφανῆ, περιφερῆ, ὥσπερ κορύμβους ξηρούς. Præterea folia elichryſo, abrotoni æmula, per intervalla prodeunt. Elichryſon orientale, quale de- D lineatum eſt ab eruditis herbariis, planè convenit cum chryſocome Dioſcoridis & Plinii. Virga eſt palmi altitudine, raris foliis: ideo ῥαβδίον vocavit Dioſcorides. Nec radix quenquam abſterrere debet, quam in chryſocome cyperum æquare tradunt vulgares Dioſcoridis libri, ut in verſionibus ſuis docti interpretes poſuerunt, *radice hirſutâ, veratri nigri modo tenui, cyperum æquante, guſtu non injucundo, ex dulci auſtero.* Parum certe fideliter, cum Græca cyperi ſimilitudinem non ex forma, ſed guſtu trahant: Γευομένῳ οὐκ ἀηδῆ, κυπέρῳ ἴσην οὖσαν. Cur igitur hæc tranſpoſuere? Sed ne ſic quidem Græca ſince- E ra ſunt, quæ ita leguntur in antiquiſſimo codice: Γευομένῳ οὐκ ἀηδῆ, κυπάρισσον ὑποκοιοῦσαν, ἐν τῷ γλυκεῖ ὑπαύστηρον. Pronum eſt reſcribere κυπάρισσον ὑποκύουσαν: *Guſtui haud iniucundam, cypreſſum quadamtenus redolentem, in dulci ſubauſteram.* Eleganter ὑποκύειν κυπάρισσον, quæ cupreſſum reſipit. Alibi ἐμφαίνειν & παρεμφαίνειν pro eodem dicit. Tralatitium autem Græcis antiquariis ὑποκοιεῖν pro ὑποκύειν, ut contra στυβή & στυχάς apud eundem Dioſcoridem pro στιβή & στιχάς. Neophytus habet: Κυπάρισσον ποιοῦσαν. Qui non eſt aſſequutus veteris ſcri- F pturæ vitium. Græci recentiores notant, eam chryſocomen Jovis barbam ab Italis vocari. Auctor, qui Ariſtotelis libros de plantis in Græcum tranſtulit: ἔστι καὶ ὅπερ φέρει φυτὸν ἄνευ καρποῦ καὶ φύλλων, ὡς ἡ λεγομένη χρυσοκόμη ἢ χρυσῖτις. Ad hæc verba idem ille interpres hanc notam adſcripſit: Τὴν χρυσοκόμην Διὸς γένεια καλοῦσιν οἱ Ἰταλοί, ἵνα μὴ τάχα δοκῶσιν ὑβρίζειν τῷ ξυροῦσθαι τὰς πώγωνας. λέγουσι γὰρ ἀείζωον τὸ μέγα Διὸς ὀφθαλμοὺς, τὸ δὲ ἡλιτρόπιον ὄφρυν Ἀφροδίτης. Quod ait chryſocomen ab Italis vocari Jovis barbam, ſempervivum autem majus Jovis oculos, id etiam con- G firmat Neophytus: Ἀείζωον μέγα Ῥωμαῖοι Ἰοβὶς ὀκούλους. De chryſocome idem notant Jovis barbam: Χρυσοκόμη, οἱ δὲ χρυσῖτις, οἱ δὲ χρυσάνθεμον, οἱ δὲ ἀμάραντον, οἱ δὲ Διὸς πώγων, Ῥωμαῖοι Ἰοβὶς βάρβα. Alii ſunt rurſus, qui ſedum majus hoc eodem nomine inſignitum dederunt. Nam Galli Jovis barbam vocitant. Quod ex hac nominum abuſiva per-

va permutatione evenit. Etenim & sempervivum cognominibus chrysocomes & elichrysi propriis ornaverunt & χρυσῖτιν & χρυσάνθεμον & ἀμάραντον appellantes & ὁλόχρυσον. Quo postremo nomine quidam nuncuparunt elichrysum. Inde etiam & Jovis barbam dixere sedum majus,* quod aliis fuit proprium cognomen chrysocomes. Sic etiam chrysocomen Græci, cognominibus confuderunt cum elichryso; ut ne mireris elichrysum orientale hodie haberi à quibusdam, quæ est vera ac legitima chrysocome. Alia porro est *Jovis barba* Romanorum veterum, id nomen usurpantium de quodam frutice topiario, opere tonsili & in rotunditatem spisso, folio argenteo, de quo Plinius lib. XXVI. cap. XVIII. Notandum autem quod liber de plantis, Aristoteli inscriptus, chrysocomen absque foliis, solo constantem cauliculo & umbella faciat. Sanè nec foliorum ejus meminit Dioscorides, qui ῥαβδίον simpliciter nominat. Quod rara habeat folia, hoc ideo illum dixisse putem. Sic conysam masculam ἄφυλλον vocat Hesychius, & genistam æque Dioscorides ἄφυλλον, quas tamen foliis non carere certum est, sed brevia habere ac rara. Neophytus φυλλάρια chrysocomæ tribuit, cum tamen cetera, quæ de illa scribit, à Dioscoride sumpserit: Ῥαβδίον σπιθαμιαῖον, φυλλάρια μικρὰ πλήρη. Vel hinc liquet chrysocomen esse elichrysum, quod vocatur orientale, cui ad hanc formam folia assignant. Hujus coma κορυμβοειδὴς & hyssopo similis Dioscoridi traditur. Inveniendum itaque hyssopum, quod habeat talem, ut sit legitimum & antiquum. Interpres Nicandri amaracum ὑσσώπῳ similem tradit.* Septem hyssopi genera facere Judæorum Rabbinos observatum jam doctis. Inter illa est, quod *abratham* vocant. Quod esse abrotonum plusquam verum est, vel ex judicio nominis. Abrotanum & *abratanum* barbari dicunt. Auctor lexici Græco-arabici hyssopum appellat Arabum *usnen*, quo fullones lavabant vestimenta: Οὐσνὰν καὶ ὑσνὰν ὕσσωπον κίτρινον, ᾧ πλύνουσι τὰ ἱμάτια. *Usnen*, *vel usnan asafir*, id est, fullonum, Arabes appellant eam herbam, de qua fit *alkali*. Eo mulieres lavant pannos, & utuntur saponis vice. Album esse interpretes Arabum scribunt. Hic citrinum facit. De herba *kali*, sive *usnen*, cujus plures traduntur species, nos alibi. In eodem lexico reperio: Τζωάννη Κέρμαχ ὕσσωπον κοινὸν, ᾧ πλύνουσι τὰ ἱμάτια. Cum igitur hyssopi nomen incertum fluctuaverit circa varias plantas, quærendum, an aliqua ex his conveniat loco Joannis, quem veteres novique vexarunt interpretes, quique invicem ipsos vexavit, ubi spongia hyssopo circundatur & ori Domini crucifixi admovetur: Πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες. Pro quo apud Matthæum habetur: Σπόγγον πλήσας ὄξους καὶ περιθεὶς καλάμῳ. Hyssopum Joanni eundem præbet usum sustinendæ spongiæ, quem Matthæi canna vel harundo. Labor omnis frustra sumitur in alia sollicitanda expositione. Quicquid præter hoc ad interpretationem illius loci excogitaveris, semper aliquam contradictionem recipiet, aut absurditatem impinget. Pessima omnium conjectura, quæ novissima exiit, quamvis à magno Viro sit, qua ὕσσωπον pro οἴσυπον intelligitur. Ætas Euangelistæ hoc respuit, quod deterioris & corruptæ Græciæ vocabulum duntaxat fuit. Ubicunque in scriptis Græcorum ὕσσωπος scriptum occurrit pro οἴσυπος, scias id esse ex idiotismo & corruptelâ linguæ vulgaris, ab imperitis librariis usurpatum. Ceterum illud audenter affirmaverim, in antiquioribus & fideliter scriptis Græcorum libris nusquam inveniri ὕσσωπον, ubi sensus οἴσυπον poscat. Oesupa dactylicum, est apud Ovidium, τὰ οἴσυπα: unde οἰσυπηρὸν ἔριον. Ex illo depravato ὕσσωπον pro οἴσυπον Arabes, quasi idem nomen esset diversæ rei, cognomine addito alterum ab altero distinxerunt, lanam succidam appellantes hyssopum humidam; herbam autem hyssopum siccam, Utrumque eorum linguâ *jufa* dicitur. Quæ vox proprie illis hyssopum herbam significat, ex Hebraïco deflexa אזוב *e-*

A *zob*: unde & Græcum ὕσσωπος factum. Sed cum ὕσσωπον lanam succidam in recentiorum Græcorum scriptis eodem quo herbam nomine appellari viderent, eandem & ipsi appellationem pro oesypo usurparunt, adhibita distinctione sicci & humidi. Rabbi David hyssopum in Arabico appellari notat צעתר, *shatar*, & Latinè *origanum*. Non dissimile hyssopo origanum supra docuimus, hinc & pro illo sumptum. Arborescentem hyssopi speciem in Judæo requirunt viri docti, ut aptari possit verbis Euangelistæ. Frustra illi quidem. Etsi altam fuisse crucem domini velint veteres, non tamen tam grandis fuit, ut B unus homo ferre eam humeris non potuerit. Sanè & Dominus crucem suam tulisse usque ad locum supplicii traditur: sed nec tam excelsa aut sublimis erat, ut non hominis manus extenta ei, modico adjumento protentior facta, ad os cruciarii pervenire quita sit. Frustra igitur longam arundinem imaginantur, cui affixa sit spongia, & Domini pendentis in cruce ori admota. Κάλαμος Græcè etiam quamlibet virgam & modicum bacillum designat: hinc virgæ aucupatoriæ, ἰξόλιχοι καλάμοι: *viscatas virgas* Latini dicunt. Juncorum etiam cauliculos, & stipulas tritici Græci sic nuncupant: C cannas fistulæ, καλάμους tam Græci quam Latini, quas admodum parvas & breves constat fuisse. Arabes quoque cannas passim nominant virgas tenues stirpium, ut thymi, serpylli, hyssopi & origani. Omnes autem hujusmodi stirpes, ut origanum, serpyllum, hyssopum veterum, ligneas habent virgas satisque firmas, eóque sustinendæ spongiolæ aceto intinctæ plus quam idoneas. De longitudine nihil laborandum: vel pedalis virgula, dum satis firma sit, manu hominis protenta, ad os affixi cruci quin pertingere potuerit nullus dubito. Summâ itaque hyssopi virgâ præfixam spongiam porrexerunt ei, D & pendentis ori admoverunt. Matthæus κάλαμον vocavit, quem de virga hyssopi intelligi par est. Ut contra ὕσσωπον apud Joannem Arabs interpres pro virga vel bacillo accepit, eamque dictionem posuit, quæ cannam vel bacillum denotat; ex hyssopi nempe thyrso. Eodem nomine quippe solet Avisena & fruticum virgas culmosque vocare. In tam varia appellatione hyssopi & circa tot plantas vagante, fieri vix potest, quin de aliqua sit capiendum, quæ virgam vel thyrsum habuerit, usum ac vicem baculi præbere idoneum. Frutex *kali* vocabatur etiam hyssopus, qui in arborem ple-E rumque evadit. Alii origanum, alii abrotonum pro hyssopo tradidere, etiam Judæi magistri. Utrumque ex fruticum genere. Et abrotonum quidem Dioscoridi θάμνος δενδροειδής. Sanè & Rabbini inter hyssopi genera numerant & *abratham*, quod esse abrotonum diximus. Nec desunt,* qui vocabulo Hebraïco אזוב, quo hyssopum significatur, libanotidem fruticem exponant sive rorem marinum in Judæa frequentem, quo etiam nunc Judæi traduntur uti ad aspersiones, quasi ex majorum instituto; cui interpretationi non refragatur, fortasse, quod de hyssopo narratur, lib. I. Re-F gum de Salomone, qui historiam omnium arborum exposuerat à cedro usque ad hyssopum. In Hebræo est עץ. Quod lignum vel arborem designat, & à maxima arbore ad minimam tradidisse Salomonem significat. Ergo & minima hyssopus, sed inter arbores. Ex fruticum igitur genere, quos θαμνίσκους Græci vocant, & ξυλώδεις sunt. Πόα aliud est. Josephus dixit καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρου, ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. In vulgata: *Et disputavit super lignis à cedro usque ad hysopum*: sed adjungitur, *usque ad hyssopum, quæ egreditur à pariete.* Quod non convenit hyssopo à Græcis sic propriè nominatæ: nec enim in G parietibus nascitur. Ad parietariam herbam vulgo vocatam potius hoc pertinet, quam Græci ἑλξίνην & περδίκιον vocant. Hinc colligitur non certam fuisse aut fixam in una aliqua planta hanc hyssopi appellationem penes Hebræos & Græcos. Quodcumque feceris & licet in omnia tete vertas, probabilem aliam verbis euangelistæ explicationem accommodare non possis

præter

præter eam, quæ ὕσσωπον pro calamo vel virga hyſſopi, cui alligata erat ſpongia Chriſto porrigenda, accipit. Ibi ὑσσώπῳ locum planè occupat καλάμῳ, cujus eamdem ad rem uſus apud alium Euangeliſtam. Ut mirer, placuiſſe erudito Viro contra omnium librorum & ho-

A minum antiquorum auctoritatem: πλήσαντες σπόγγον ὄξους ἢ οἴσυπον περιθέντες. Sed hæc alibi fuſius. Quod hic probare intendimus, jam puto ſatis probatum eſt, alia notione *hyſſopum* hodie vocari, quàm olim Græcis pariter Latiniſque vocatum ſit.

CAPUT XX.

De ſtœchade.

STichada, vel *ſtœchada*, citrinam vulgò vocant officinæ, quia nihil habet ſimile antiquorum ſtœcadi. Legitimam verè στιχάδα cognomine etiam diſtinguunt & volunt ſtichada eſſe Arabicam, quaſi congeneres ſint herbæ ſolo cognomento diſcernendo. Adeo autem hæc nominum confuſio, uſu an abuſu, invaluit, ut etiam galangam ſic voca-

B verint quidam. Nam in gloſſis Græcorum mihi repertum eſt: στιχάδος, ὁ γαλάγκας. Nam ſtichados officinis dicitur veterum ſtœchas. Stœchadem autem illam citrinam quidam vocant amaranthum luteum, quos ratio fugit. Nam amaranthus luteus eſt elichryſus ab hac ſtœchada citrina plane diverſus.

CAPUT XXI.

De heliotropio, vel ſolſequio.

SOlſequium, vel *ſolſequiam* poſtrema Latinitatis tempora dixere, quod reſpondet Græcorum heliotropio. Atque ita expoſitum vidimus in antiquo gloſſario Saxonico? quod penes Marquardum Freherum fuit. Solſequum hodie vulgariter in idiomate ſuo Francoceltæ vocant *caltham* Latinorum: quæ tamen plurimum diſtat ab heliotropio Græcorum, cujus duo genera faciunt, majus & minus. Etſi non defuere doctiſſimi hac tempeſtate medici, qui contenderent, heliotropium majus eſſe caltham: quod jam aliis rectè refutatum eſt. Folia, flores, omnia repugnant. Heliotropio majori flos ſcorpii effigie inflexus; unde & σκορπίουρον Græce, ἀπὸ τοῦ περὶ τὸ ἄνθος σχήματος. *Verrucariam* Plinius Latine appellari ſcribit, quod *verrucæ ſucco ejus tollantur*. Hodie ſic Etruſcis audio vocari in officinis verrucis ſanandis, quas μυρμηκίας Græci vocant. Inde error Plinii qui μύρμηκας, id eſt, formicas pro verrucis interpretatus eſt lib. XIX. cap. X. ubi docet, *efficaciſſimè heliotropiam herbam formicas necare*. τὰς μυρμηκίας αἴρειν legerat in Græcis. Mirum porro, quod huic heliotropio *cæruleum florem* tribuit Plinius idem, quem Dioſcorides λευκὸν ὑπόπυῤῥον facit, id eſt, candidum ſubflavum. Ita enim optimus codex, non ὑπόπορφυρον: & αὐτοψία monſtrat, hujus heliotropii florem colore eſſe citrino, & ſubrufo. Plinius lib. XX. cap. XXI. *Heliotropii miraculum ſæpius diximus cum ſole ſe circumagentis, etiam nubilo die: tantus ſideris amor eſt. Noctu vero deſiderio contrahit cæruleum florem.* Deinde hoc idem heliotropium in majus ac minus dividit, ſed minus σκορπίουρον ait cognominatum, quod eſt majoris proprium: nec floris hanc figuram eſſe vult, ſed ſeminis. Quod pertinet ad σκορπιοειδὲς Dioſcoridis, cui ſemen ſcorpionis caudæ facie: Σκορπιοειδὲς, βοτάνιον φύλλα ἔχον ὀλίγα, ἢ σπέρματα οὐρᾷ σκορπίου ἐμφερῆ. Sequitur Plinium Apulejus falſo nomine inſcriptus, & minoris heliotropii ſpeciem ſemina ferre prodit, ſcorpii caudæ effigiem referentia; *Naſcitur locis concavis, foliis rotundis, ſemine pendenti in caudæ ſcorpionum ſimilitudinem.* At heliotropium minus Dioſcoridis, ſemina gignit rotunda, pendentia verrucarum inſtar: καρπὸν στρογγύλον ἀποκρεμάμενον, ὡς ἀκροχορδόνας. Dubitari igitur poteſt, an heliotropium majus Plinii idem ſit cum heliotropio majore Dioſcoridis. Immo non dubito jam, non eſſe idem. Flos præcipuè obſtare videtur, ne ſit: in illo cæruleus, in iſto ſubluteus. Quin & alio loco, ubi *luxuriam* inceſſit, quod *veſtibus eos flores provocarit, qui colore commendantur, conchylii*, id eſt, conchyliatæ veſtis colorem in heliotropio ſpectari arguit: *Tertius eſt, qui propriè conchylii intelligitur multis modis: unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior.* Vides conchylium æmulari flores heliotropi colore cæruleo ſaturatiore. Apulejus quoque ψευ-

C δώνυμος florem heliotropii purpureum facit: *Cum flore in ſummitate tenui & veluti purpureo atque uncato in ſimilitudinem caudæ ſcorpionum.* Atqui flos uncatus non eſt cæruleus, aut purpureus, ſed candidus ex rufo pallidiore. Circumrodendum non eſt, quod utique jam devoratum oportuit. Heliotropium Plinii, intybum eſt ſilveſtre ſive cichorium, cujus flos cæruleus conchyliatæ veſti plane concolor. Quod etiam oſtendit Apulejus ſubditivus, qui inter heliotropii Latina ſynonyma *intybum ſilvaticum* recenſet: *Itali vertanum. alii mulcetram, alii intybum ſilvaticum.* Ex uſu vulgi D heliotropium illud genus intybi vocaſſe videtur & Plinius ea re, quod & cum ſole etiam circumagatur. Sed in eo hallucinatus eſt, quod idem hoc heliotropium exiſtimaverit cum illo heliotropio, quod in majus & minus dividitur. Ineptè etiam falſus Apulejus, qui heliotropii ſcorpiuri florem veluti purpureum eſſe dicit, quod eſt proprium illius heliotropii, quod ipſe intybum ſylvaticum ab Italis nominari monuit. Cauſa nominis heliotropio, quod ſolem ſequatur, & omnibus horis eum intueri amet, ad curſum ejus ſe circumagens: E ἀπὸ τοῦ συμπεριτρέπεσθαι τὰ φύλλα τῇ τοῦ ἡλίου κλίσει. Ita Dioſcorides. Hic etiam fortaſſe conveniat heliotropio intybo, quod experimento ita ſe habere in illo videmus. Aliam hujus nominis rationem ſignat Nicander in heliotropio ſcorpiuro:

> Ἠὲ καὶ ἠελίοιο τροπαῖς ἰσώνυμον ἔρνος,
> Ἠὲ ὑπεριονίδαο παλιστρέπτοιο κελεύθους
> Τεκμαίρει γλαυκοῖσιν ἴσον πετάλοισιν ἐλαίης.

Heliotropium non dicit ex eo dictum, quod ad ſolis F inclinationes ſe vertat, ſed quod ſolſtitia ſolis, ἡλίου τροπὰς oſtendat, converſione nimirum foliorum ad inſtar oleæ arboris. Hoc enim facere oleam creditum vulgò, foliiſque converſis brumas & ſolſtitia indicare. Partem nempe foliorum inferiorem atque occultiorem, eam ſuperiorem facit & ad oculos ſolemque convertit. Vide Agellium lib. IX. cap. VII. Non rectè hoc expreſſit Plinius de olea lib. II. cap. XLI. *Olea & populus alba & ſalices ſolſtitio folia circumagunt.* Folia plantæ floreſque ſuos circumagere dicuntur, quæ tota die ſolem inclinatione ſequuntur, & ad ejus aſpectum eos G obvertunt, ut heliotropium intybum, & malvam, & alia multa videmus. De his Theophraſtus: ἀεὶ συμπεριφέρεται τῷ ἡλίῳ νεύοντα καὶ ἐγκλίνοντα πρὸς αὐτόν. In intybo ſolſequio ſive caltha flores ſunt, qui ſic circumaguntur; in malva folia. Rationem addit ibidem Philoſophus exſuctionem humoris à ſolis calore: ᾗ γὰρ ἂν ἐξαίρῃ θερμαίνων ὁ ἥλιος, ἐν τούτῳ ἡ ἔγκλισις. Hæc foliorum florumque ad ſolem circumactio συμπεριφορὰ & συμπεριτροπὴ, fitque per omnes totius anni dies & omnibus diei horis. At converſio foliorum oleæ ſolſtitiali die &

& brumali aliud est. Circumactio hæc dici non potest. Στροφὴν vocat idem Theophrastus in oleæ, & tiliæ, & ulmi foliis, quæ similiter per solstitia convertuntur: οἷον στρέφειν τὰ φύλλα τὴν φιλύραν, καὶ τὴν ἐλαίαν, καὶ τὴν πτελέαν ταῖς τροπαῖς ταῖς θεριναῖς. Post paulò ἐπιστροφὴν vocat: τὰ δ' ἄλλα τὴν ἐπιστροφὴν μόνον λαμβάνει. Hæc conversio fit, cum pars prona foliorum supina statuitur & contra. Agellius dicit, *inferiorem partem supra fieri, atque exponi ad oculos & ad solem:* sed oleam ille *brumali & solstitiali die converti* memorat. Theophrastus ταῖς θεριναῖς τροπαῖς tantum, id est, solstitiali die. Ratio, quam affert Theophrastus hujus ἐπιστροφῆς solstitio convenit, non etiam brumæ. Plinius temerè τὴν ἐπιστροφὴν, quæ per sola solstitia accidit, confundit cum συμπεριφορᾷ, quę totius anni res est & in totum alia est à conversione & in aliis plantis. Nicander non circumactionem florum, sed conversionem in solstitiis heliotropio tribuit, & oleæ hac in parte comparat. Theophrastus non plura heliotropii genera, sed unum, idque ἀείφυλλον tradit. Heliotropio scorpiuro folia decidunt: item intybo. Neutrum igitur erit heliotropium Theophrasti. Planè liquet mihi, nostrum esse heliotropium sive solsequium. Hoc enim ἀειθαλές. Hinc Itali *florem omnis mensis* vulgò appellitant. Hoc poëticum heliotropium, conversâ in hunc florem & puellâ, quam Ovidius canit in lib. Formarum mutatarum. Sic tres habentur herbæ sub uno nomine, ideo veteribus indistinctæ: quod ex Isidoro etiam patet in his verbis: *Heliotropium, quod solis motibus folia circumacta convertat. Unde & à Latinis solsequia nuncupatur. Ipsa est, quam Latini intubum sylvaticum vocant. Hæc & verrucaria, quod extinguat verrucas.* Primum circumagere & convertere folia pro eodem sumit: deinde

A tria heliotropia pro uno habet. *Solsequia* nomen dedit calthæ nostræ. Intubum sylvaticum Plinii heliotropium est, cujus color cæruleus. *Verrucaria* Latinum nomen est illius heliotropii, quod σκορπίουρον Græci, dicunt, estque heliotropium majus Dioscoridis. Plinius quoque in heliotropio tria genera miscuit. Nam, cui *cæruleum colorem* dat, intubum sylvaticum intelligi debet: illud verò, cui *verrucariæ* appellationem Latinam impertit, heliotropium accipitur scorpiurum. At cum *semen ejus messibus in folliculo colligi*

B scribit & *pingui tantum solo cultoque nasci*, non de alio possit heliotropio sumi, quam de solsequia nostra, sive caltha. Hujus semen corniculatum, vel falcis modo reflexum, in folliculo continetur. *Helioscopium* proprie appellatum dicit hoc genus, quia solem semper intuetur, & ad motus ejus flores suos inclinat. Sic tithymalli genus hoc eodem gaudet nomine ab eadem naturali proprietate solis, quocumque se vertat, inspiciendi: *Helioscopium tithymallum nomen accepit, quoniam capita cum sole circumagit.* Hoc est, quod voluit Isidorus: *Tithymallum vocabulum inde sumpsisse,*

C *quod foliorum comam ad radium solis circumacta convertit. Nam Græci solem* Τιτᾶνα *vocant*, μαλλὸν *comam.* Nugæ. Non omnis tithymallus hoc facit, sed species quædam, quæ propterea nomen ἡλιοσκοπίς meruit. Quod vocabulum sic rectè factum de his herbis, quæ soli συμπάσχουσι, semperque eum intueri cupiunt. At ἡλιοτρόπιον aliam habet significationem, nomenque accepit ἀπὸ τῆς ἡλίου τροπῶν. Sic ἡλιοτρόπιον Græcis machinamentum, quo solstitia ostendebantur, non quo horæ indicabantur. Hæc tamen con-

D fuderunt, & pro ὡρολογίῳ etiam positum voluere quidam. De quo nos alibi.

CAPUT XXII.

De hyacintho.

Non minor σύγχυσις orta ex Hyacinthi duplicis nomine uno. Poëtæ alium ac suum habent Hyacinthum: suum aliumque medici & naturalis historiæ indagatores. Antiquissimi quique scriptores poëticum etiam illum & fabularem Hyacinthum agnoscunt, qui flos est, in quem conversum fuisse fabulæ narrant dilectum Phœbo puerum, quem & ex Ajacis sanguine postea editum volunt. Hunc Hyacinthum lilio similem tradunt purpuræ nigræ colore imbutum, lineis distinctum, vel notas luctûs, vel primas litteras nominis Ajacis referentibus. Iridi similem vult Nicander in Georgicis, & Αἰασὴν ὑάκινθον vocat:

> Ἴρις δ' ἐν ῥίζῃσιν ἀγάλλεται, ἥ θ' ὑακίνθῳ
> Αἰασῇ προσέοικε.

Nullus iri similior flos, quam xyris, propptereaque ἴριν ἀγρίαν Græci eam nuncupant. Latini Dioscoride teste gladiolum. Hic igitur hyacinthus est, quem Palladius *irim & gladiolum* appellatum refert; quem & Columella *cælestis nominis hyacinthum* vocat. Ex omni hoc genere nulla est species, quam gladioli appellatione notatam Romanis signanter expresserit Dioscorides præter hanc. Hoc nomen hodièque servamus & *glaiolum* vocamus pro gladiolo, extrita de medio consonante, ut solemus in omnibus fere Latinis vocibus. Hyacinthus Ajacis similis iridi in Nicandri versu. Da florem alium, qui propius ad similitudinem iris accedat, & eum pro hyacintho admisero. Nam qui lilium rubrum esse putant, ut nihil gravius dicam, nugantur. Hyacinthus veterum nomen etiam Iridis habuit, & gladioli. Ergo xyris est, quæ & *iris agrestis* Græcis dicta, & *gladiolus Latinis.* Vera veterum iris odorato flore & versicolori. Hyacinthus sive gladiolus, inodorus, quin potius fœtidus & colore purpuræ nigræ tinctus: radix tamen odorata, quam & cineribus lixiviorum indunt mulieres nostrates, ut odorem lintea contrahant. Quæ proprie iris appellata olim, ea versicolor. Atque inde nomen. Aristoteles

E in commentario de coloribus: ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦτό ἐστιν ἐπ' αὐτῶν ἀνθῶν φανερόν· τῶν γὰρ αὐτῶν φύλλων τὸ μέν ἐστι μέλαν, τὸ δὲ φοινικοῦν. Hoc in Hyacintho fabulari, sive xiride apparet. Folium ejus partim nigrum, partim puniceum: unde & μέλας ὑάκινθος ab aliis vocatur, ab aliis πορφυροῦς, ab aliis vero φοινικοῦς & dulce rubens. Addit Philosophus: οὐχ ἥκιστα δὲ τοῦτο φανερόν ἐστι ἐπὶ τῆς ἴριδος, πολλὰς γὰρ ἔχει καὶ τοῦτο τὸ ἄνθος ἐν αὑτῷ ποικιλίας. In eodem folio has varietates colorum præfert iris, quæ proprie sic appellatur antiquis. Plinius: *flores diversicolori specie, sicut arquus cælestis, unde & nomen.* Ita hæc scribenda, non ut vulgo est, *diversi coloris specie.* Dioscorides nigro, candido, cæruleo, luteo & purpureo varium iridis florem tradit: sic enim capienda ac legen-

F da hæc ejus verba: ἄνθη δὲ ἐπὶ καυλῷ παράλληλα ἐπικαμπῆ, ποικίλα, καὶ γὰρ λευκά, καὶ ὠχρά, καὶ μέλανα, καὶ πορφυρᾶ, καὶ κυανίζοντα ὁρᾶται. Malè in vulgatis disjunctiva particula inseritur: ἢ γὰρ λευκὰ ἢ ὠχρά, quæ contrariam efficit sententiam. Omnes simul illos colores in eodem folio floris conspici vult, quod vulgata scriptura destruit. Ita legit in Dioscoride Avisena; saltem ita accepit. *Flores*, inquit, *in eo varii ex albo & cæruleo & purpureo compositi.* Quidam ex malè intellecto Dioscoridis nec melius lecto loco, varietatem illam iridis non in floribus singulis, sed in variis generibus considerari volunt; quos refellit nomen & similitudo iris, id est, arcûs cælestis. Hæc sola iris

G diversicolor hoc nomine veteribus insignis. Nec plura genera quoad colores agnoscit Dioscorides. Plinius tria commendavit, *Illyricam laudatissimam*, deinde *Macedonicam* & *Africanam* non specie differre, sed patriâ facit. Dioscorides Illyricam præfert Macedonicæ, quæ sola est soli differentia. Meminit & Libycæ. Theophrastus quoque rationem reddit, cur Illyrica iris sit melior Macedonicâ, in eodem nempe genere. Illyricam tamen Plinius in duas species dividit: *Illyrica duorum generum est, raphanitis à similitudine, quæ & melior: rhizotomos subrufa.* Tam sæpe fal-

litur & fallit Plinius, ut prudentia sit, nihil illi affirmanti credere. Quæ enim ratio est, ut aliqua radix dicatur rhizotomis? Scripserat auctor, unde accepit, magis probari παρὰ ῥιζοτόμοις τὸ ὑπόκιῤῥον, id est, subrufam. Hoc ille sic intellexerit, ut ῥιζότομος appellata sit; quæ subrufa. Dioscorides: καὶ ἐν ταύταις ἀρίστη ἡ πυκνόῤῥιζος, καὶ ὑποκόλοβος, καὶ δύσθραυστος, καὶ ὑπόκιῤῥος. Videntur appellasse ῥαφανίτην non à similitudine, ut divinat Plinius; sed quæ facilè frangeretur raphani more: cui opponit δύσθραυστον Dioscorides. Xirin ibidem pro iride accipit. Hodie infinitæ pœnè species iridum producuntur ab herbariis habitu, facie, colore, natura dispares, quæ aut incognitæ veteribus aut neglectæ, solas, quæ ad medicinæ usum optimæ essent quærentibus. Gladiolus noster non fuit illis iris, sed hyacinthus, idemque ξίρις & ἀγρία ἶρις. De qua plura in Exercitationibus. Ab hoc toto genere diversus hyacinthus Dioscoridis, quem quare hodie *orientalem* vocemus, nescio, cum Orienti nesciatur. Apud Arabes sanè nomen non habet. In Dioscoride perantiquo, in quo plantæ omnes Arabicis nominibus expositæ leguntur, ad hyacinthi mentionem adpositum est. رومي, id est, *rumi*. Sicut in aliis factum, quas in orbe tantum Romano nasci & nomine carere apud Arabes auctor indicavit. Ad oram tamen etiam adscriptum est ibidem اواذخسوس *avachsus*: quod vocabulum apud Avisenam quoque extat pro hyacintho, idque corruptum ex alio corruptiore βάκκους, ut Neophyto & aliis recentioribus vocatur pro Latino *vaccinium*: ὑάκινθος, οἱ δὲ πορφυρανθὲς, οἱ δὲ ἑλικωνιὰς, Ῥωμαῖοι βακκοῦμ. Medicinam dicit Avisena cabrusiam esse, quæ sumitur ex re ostraco simili. Ita interpres Latinus. Apparet Avisenam nescisse prorsus, quid esset hyacinthus. *Ostracum* vertit interpres, quod in Arabico est صدف *sadaf*. De purpura id intelligendum, sive murice; quæ & *cochlea*. Servius: *murex, cochlea similis conchyliis, unde tingitur purpura.* Græcis quoque κοχλίας & κόχλος: de purpura enim αἷμα κοχλίου. Democrito inter colores diversa genera sunt purpurarum κογχύλιον, κοχλιοκογχύλιον Λιβυκὸν, κόγχος Αἰγύπτιος, Συρακός. De quibus alibi. Cum igitur *avachsum*, hoc est, vaccinium, similem cochleæ dixit Avisena, τὸ πορφυρανθὲς expressit. Nam & alibi *sadaf* posuit pro cochlea, unde tingitur purpura. Mirum est, quot modis *vaccinium nigrum* apud poetam exposuerunt veteres Grammatici. Alii ἴον μέλαν, alii ἀνεμώνην, alii ἀγχοῦσαν esse volunt. Cur non ipsi poetæ fidem habuerunt, qui Theocriti ὑάκινθον ita vertit, quem & γραπτὸν & μέλανα facit, nigram & lineis scriptum, qualis est hyacinthus poëticus? Idem prorsus cum gladiolo nostro. Utut sit, ex iridum genere esse constat & purpureum. Strictim hîc attigi, quæ alibi latius persequimur.

CAPUT XXIII.

De xiphia, vel gladiolo.

Gladioli nomen heîc me submonet, ut etiam ejus ὁμώνυμα tangamus. Cypirum Romani sic vocarunt, Scribonio Largo & Plinio testibus. Arabice, سعد, *sad*. Gladiolus iisdem auctoribus dicitur, de quo ante diximus: iris nempe silvestris, sive xiris, sive hyacinthus Ajacius. Alius etiam gladiolus, quod Græci ξίφος, vel ξιφίον, & φασγάνιον, & μαχαιρῶνα. Plinius Græcum vocabulum in hoc describendo retinet, quia Romanis fortasse gladioli nomine fuit incognitum. Neophytus tamen etiam *gladiolum* vocatum Latinis adnotavit. Ut omittam Dioscoridis descriptionem, quæ omnibus in promptu est, verba heîc Harpocrationis producam, quibus eum describit ex lib. nondum edito. περὶ φυσικῶν δυνάμεων: ξίφος βοτάνη ἐστὶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ φύλλα ἔχουσα ὅμοια ἴρεδι, πλὴν ἐπιμηκέστερα. φύεται δὲ ἐν ἀρούραις σὺν τῷ σίτῳ, ἣν τινες μαχαιρέαν καλοῦσιν, ἔνιοι δὲ φάσγανον, εἰς ὀρθὸν ἀναβαίνουσα ἐκ τῆς γῆς ὡσεὶ πῆχυν ἕνα. ἔστιν δὲ μονόκλωνος, ἔχουσα ἄνθος κυάνεον, εὔοσμον, ὑποπόρφυρον. ταύτην οἱ ποιμένες πλέξαντες εἰς στέφανον ἔαρος ὄντος φέρουσιν. Addit de duabus ejus radicibus altera super alteram sidentibus, quarum superior in vino pota venerem excitat, inferior extinguit. Sed quod ibidem subjicit, unguentum ex ea parari appellatum σούσινον, non discernit ab iride, ex qua σούσινον μύρον fieri tradit Neophytus, idemque susinum cum irino esse vult. Iris autem etiam *gladiola* penes infimam Latinitatem dicta. Neophytus de iri: Ῥωμαῖοι μούρελα, οἱ δὲ γλαδίολα. Strabus in Horto *gladiolam* vocat, cujus radix odorata, & similem hyacintho de colore ac nigræ violæ facit. Capitis Lemma de gladiola. Versus deinde hos subjicit:

Te neque transierim, Latiæ cui libera linguæ
Nomine de gladii nomen facundia finxit:
Tu mihi purpurei progignis floris honorem,
Prima æstate gerens violæ jucunda nigellæ
Munera, vel qualis mensa sub Apollinis alta
Investis pueri pro morte recens Hyacinthus
Exiit & regis signavit vertice nomen.

Sub mensa Apollinis occisum dixit Hyacinthum, qui occisus disco. Discus autem lanx, vel patina, in qua cibi mensæ inferuntur. Alius ille discus, qui Hyacinthum interfecit. Gladiola illa Strabi, gladiolus est vulgaris eademque cum hyacintho fabulis celebrato: quod ignorasse cum venia Strabus potuit, ignoratum omnibus usque adhuc. Τὸ ξιφίον Græcorum aliud. Addit de xiphio Harpocration ab Assyriis vocari σουσὶν, in regione Melanide σοῦσον. Ridicule istud, quasi diversa sint nomina, *susan* & *suson*. Καλεῖ δὲ τὴν τῶν Ἀσσυρίων χώραν καλούμενον σουσὶν, καὶ κατὰ τὴν Μελανίδα γῆν σοῦσον· αὕτη ἡ βοτάνη δύο ἔχει ῥίζας, ἡ μία ἐπὶ τῆς μιᾶς καθεζομένη. Palam est ξιφίον ab eo describi, cui folia iridis. Σουσὶν vocari dicit Assyriorum lingua. Hoc nomen in Arabico commune liliorum & iridum generis. سوسن, *susen vel susan*. Species distinguuntur cognominibus adjectis. Hoc ipsum xiphion in antiquissimo Dioscoridis exemplari Arabicè dictum invenio سوسن بري *susan barri*, quod iridem deserti, hoc est, iridem agrestem significat. Sic *cherafes barri* supra notabamus apium agreste. Hoc eodem vocabulo in illo codice *xiris* interpretata legitur, quæ Græcis ἀγρία ἶρις. Idem ergo *susan barri*, quod ἶρις ἀγρία; sic *susan* est iris. Glossa vetus Arabica: *susen*, id est, ireos. De lilio tamen etiam dicitur: nam & iridem quidem Arabes *lilium cælestis coloris* appellant, السوسن السما نجوني. Non igitur *susen* propriè iris, sed cum adjuncto coloris. Avisena sub nomine *susen* lilium commune candidum proposuit: iridem verò sub appellatione *aiersa*. ايرسا Quod fortasse vocabulum factum ab ايار, *aier*. Aërem exponit vetus glossarium Arabico-Latinum. Aërini, sive cælini coloris flos. Forte etiam depravatum ex ἴρεως. ita enim etiam in antiquissimis fere semper scriptum reperitur pro ἴρεως. Ex hoc lectionis vitio Hermolaus iridem *bierida* dictam notavit, unde & *consecratrix* appellata sit apud Latinos. Nugæ. Ex obliquo illo casu ἴρεως, Barbari suum fecerunt ireos: sic enim appellant iridem. Ex illa porro ambigua usur-

usurpatione vocabuli *susen* apud Arabes pro lilio & iride, Græci recentiores promiscuè σοῦσον de iride & lilio: item σούσινον μύρον, de irino unguento, & de eo, quod ex liliis albis compositum est, usurpant. Quin & iridem vocant κρίνον, id est, lilium. Et κρίνον πορφυροῦν appellant, quia *cælestis coloris lilium.* Arabibus dicitur iris. Neophytus: Ἶρις Ἰλλυρική, ἡ ῥίζα τοῦ πορφυροῦ κρίνου. Item σούσινον καὶ κρινάνθεμον, καὶ βασιλικὸν κρίνον, τὸ πορφυροῦν κρίνον, ὃ καὶ ἶρις λέγεται. In glossario Græco Arabico ἶρις exponitur κρίνον τοῦ ἀγροῦ. Vulgus Græciæ κρίνον ὀξὺ vocat iridem à foliorum acumine. Item καλαμόκρινον, quasi lilium arundinaceum, quod folia habeat arundini similia. Vides κρίνον tam de iride, quàm de lilio dici, ut à σοῦσον communis appellatio est lilii & iridis. Hinc & ξίφιον & ἶρις etiam in consortium hujus nominis adscita, ut ante ostendimus: quorum illud simile folium habet iridi, hæc iris agrestis etiam nominata, quam eamdem cum fabulari Hyacintho asserui; quem etiam lilii appellatione donârunt multi. Lexicon vetus: ὑάκινθοι τὰ κρίνα τὰ μέλανα. Hesychius: Κυνόῤῥοδον, κρίνον τῷ ὑακίνθῳ ὅμοιον. Proinde mirum videri non debet, si Ovidius hunc hyacinthum formam habere lilii dixit excepto colore. Vox σοῦσον ab origine antiquissima, Persicam esse vel Assyriam, notarunt Græci; sed non tam latè vagantem significationem ei attribuunt, intra lilii proprietatem eam coercentes. Inde *Susa* Metropolim Persidis convenit appellatam à multitudine liliorum. Græci veteres σούσινον μύρον de solo unguento, quod fit è liliis, non de irino dicunt. Galenus κρινόμυρον interpretatur. Hesychius: σούσινον τὸ ἐκ κρίνου μύρον. Theophrastus in lib. de odoribus, σούσινον ex lilio, id est, κρίνῳ fieri docet ac distinguit ab irino. Κρίνον Græcos veteres de solo lilio candido posuisse, paulo post probabimus. Hebræi vocant שׁוֹשׁן. Quod magistri eorum putant dictum à numero foliorum sex שׁשׁ. Invenitur & שׁשׁן *susan* in lib. Regum &

A alibi pro lilio. Stephanus de Susis: κέκληται δὲ ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ πέφυκε ἐν τῇ χώρᾳ ἐκείνῃ, σουσὰν γὰρ αὐτὰ καλοῦσιν οἱ βάρβαροι. Recte ille σουσάν. Quæ pura puta vox Chaldaïca, ab Hebræis & Arabibus frequentata, etiam Græcis veteribus, qui σοῦσον terminatione propria dixerunt & unguentum inde σούσινον. Sed non tam laxe apud hos, quàm apud Arabes patuit hujus vocis notio, qui eam ad liliorum omne genus & iridum significandum extenderunt. Habent aliud vocabulum, quo lilium vulgo appellant, incerti vagique & ipsum significatûs. زنبق *zanbac.* Unde زنبق الوادي

B *zanbac alvadi*, lilium convallium. Turcæ quoque *zambac* appellant omne lilium. At veteres Arabes doctioresque hoc nomine vocarunt ἰάσμην, à qua ἰάσμινον ἔλαιον: qui flos etiam Arabibus dicitur ياسمين *Iasmin.* Quod nulla mutata littera hodie retinemus, ut *magazin*, *cotton*, *serbin*, quæ sine ulla mutatione ex Arabico in nostram linguam sunt deducta. Malè in lexico vulgari ياسمين exponitur *sambucus.*

C Immo *sambacus*: ita enim Latini barbari nominant jasmen. Unde *sambacinum* oleum apud Constantinum, & in antidotario. Glossarium Græco Arabicum: Ζαμβάκ, τὸ ἰασμέλαιον. Vetus Glossarium Latino-Arabicum *jasmin* interpretatur florem candidum & *ligustra.* Græci posteriores ἰάσμην dicunt esse τὸ ἄνθος τὸ λευκὸν τοῦ ἴου. Sanè & *ligustra* quidam veterum pro viola alba acceperunt. Glossæ: *Ligustrum*, ἴον λευκόν. Sanè Græci ne ἰάσμην quidem pro genere floris agnoscunt, sed pro unguenti compositione, quæ fit ex albis violis. Ita enim scribunt: Ἡ δὲ καλουμένη ἰασμὴ παρὰ Πέρσαις σκευάζεται ἐκ τῶν ἀνθῶν τῶν λευκῶν τοῦ ἴου. In an-

D tiquo quoque lexico ζαμβάκ non flos est, sed oleum. Florem tamen esse, certum est, non raræ hodie notitiæ & nominis pervulgati.

CAPUT XXIV.

De liliis.

Lilium ex Græco λείριον. Quod tamen Græcis suis non lilium tantum, sed etiam Narcissum designat, & frequentius quidem hoc, quàm illud, præsertim antiquis. Sane Theophrastus non aliter vocem λείριον frequentat, quam pro Narcissi genere. Erotianus in Lexico: Νάρκισσος ἐν τῷ περὶ ὕλης, φησὶ καὶ τὸν νάρκισσον παρ' ἐνίοις λείριον καλεῖσθαι. Hoc sensu semper in Theophrasti scriptis sumendum, qui lilium vocat κρίνον, ut omnes alii posteriores Græci. Plinius, cum hoc minimè advertisset, in eam incidit hallucinationem, in qua ubique perseverat: cui persuasum semel fuit, λείριον Theophrasti esse lilium Latinorum: quod apud eundem Theophrastum vocatur κρίνον ἀπὸ τοῦ λειρίου diversum, pro lilio rubro id accipere instituit, & semper sic accipit. Inde non dubitat, in explananda liliorum differentia affirmare lilium rubens Græcis dici κρίνον: *Est & rubens*, inquit, *lilium, quod Græci crinon vocant, alii florem ejus crinorhodon.* Frustra hunc locum sollicitant viri docti, & vitii suspectum habent, qui bene habet. Ipsum auctorem potius habere suspectum debuerunt. Duo sunt diversi flores in Theophrasto λείριον & κρίνον. Plinius, qui λείριον pro lilio albo accepit, κρίνον de alio genere interpretari debuit. Nihil propinquius aut verisimilius illi visum est, quàm de lilio rubro dictum putare. Apud Dioscoridem item ita reddidit, κρίνῳ ὅμοιον lilio rubro similem. At cui liceat nescire κρίνον Græcorum esse lilium album? Theophrastus lib. VI. de causis cap. XXI. Ὅσα δὲ αὐτῶν μὴ δύσχυλα καὶ ἐν ταῖς ὀσμαῖς ἐμφανῆ γε ἔνια βαρύτητα, καθάπερ τὸ κρίνον καὶ τὸ λείριον. Plinius hunc locum reddens utrumque lilium Latine dixit, candidum nempe ac rubrum lib. XXI. cap. VI. *Quæ verò ex acutis succo carent, eorum omnium odor gravis, ut in lilio utriusque generis.* Hoc ex placita semel interpretatione sumpsit.

E Atqui λείριον Theophrasto non est lilium, sed narcissus, κρίνον autem lilium. Verti igitur debuit: *Ut in lilio ac narcisso.* Ex illa semel insessa persuasione duo genera lilii constituit rubeum & candidum. Libro, quo supra, cap. XI. de florum tempestivitate: *Succedunt illis æstivi lychnis, & Jovis flos, & alterum genus lilii.* In Theophrasto unde hæc accepta sunt legitur: ὁ δὲ λείριον τὸ ἕτερον, καὶ ὁ κρόκος. Quod erat vertendum: *Et alterum genus narcissi.* Paulo ante inter vernos flores retulerat νάρκισσον τὸ καὶ λείριον: ita enim ibi scribendum. Nunc inter æstivos alterum genus reponit. Alibi tamen & Narcissum inter serotinos flores numerat, qui circa æquinoctium autumni prodeunt: quod

F sequutus poëta dixit:

— *& sera comantes*
Narcissos.

Fatendum est, parum sibi constare toto in illo tractatu Theophrastum. Hoc tamen constat, λείριον ab illo ubique usurpari pro Narcisso, non pro lilio. Κρίνου nomine Græci veteres ad alium florem non leguntur usi, nisi ad lilium album Nec sanè *lilium* dicere solent, nisi de hoc vulgari & candido. Non plura genera κρίνου apud Theophrastum & Dioscoridem constituuntur. Hoc tantum ambo ferunt traditum, purpureum genus inveniri. Non vidisse dicunt nec

G describunt. Lilii rubri nullam mentionem faciunt. Plinius: τὸ κρίνον Græcè putavit appellari lilium rubrum. Hæc duo illi genera: tertium addit purpureum, quod tamen cum Narcisso confundit. Rarum illud antiquis lilium purpureum, & famâ duntaxat cognitum. Ideo utriusque tantum lilii apud Plinium aliis locis fit mentio. Assiduus Plinii lector Tertullianus de corona militis dixit: *& utrisque liliis coroneris*, id est candido & rubro. Sed nec rubrum, ut

ut dixi, vetustioribus Græcis hoc nomine notum fuit. Ἡμεροκαλλὲς vocabant eum florem, quem Plinius lilii rubentis, aut rubri cognomine insignivit. Hoc idem & κρινάνθεμον appellatum, quod florem haberet lilio similem. Duo genera sunt: alterius folia tantum in radice longissima & harundinacea, flos lutei coloris, sed obsoleti; alteri folia prorsus, ut lilio circa caulem, floris color luteus, sed vegetissimus. Hoc est, quod describit Dioscorides, & σφόδρα ὠχρὸν appellat. Neophytus in eodem, εὐανθὲς, id est, floridum & vegeti coloris. Ἡμεροκαλλὲς dictum, quod cum die oriente pulchritudinem sui floris expandit: nam noctibus marcescit & clauditur.

A Unde & ἡμεροκατάλλακτον vocatum. Dioscorides: Ἡμεροκαλλὲς, οἱ δὲ ἡμεροκατάλλακτον. Hæc tantum vetustissimus codex. Rationem etymi aperit Athenæus lib. xv. Τοῦ δ' ἡμεροκαλλοῦς τοῦ καλουμένου ἄνθους, ὃ τὴν μὲν νύκτα μαραίνεται, ἅμα δὲ τῷ ἡλίῳ ἀνατέλλοντι θάλλει. Auctor Arabs ad Dioscoridis hemerocalles notat esse lilii speciem his verbis: نوعمي السوسن *nauhami alsusen*, species de liliis. sic alio loco Elichryson interpretatur نوعمي الاقحوان *nahami alakahuan*, species parthenii, sive matricariæ. B

CAPUT XXV.

De rosa.

Rosa sequatur, quæ præcedere debuit. Silvestrem Græci κυνόρροδον vocabant. Putes stetisse in hac significatione hoc nomen? Immo etiam vagatum est. Ecce tibi, qui lilium rubrum ita appellarint. Plinius: *Est & rubens lilium, quod Græci crinon vocant; alii florem ejus cynorrhodon.* Non credis Plinio? Crede Hesychio ita exponenti: κυνόρροδον, κρίνον ὅμοιον ὑακίνθῳ. Hæc alio loco exposuimus. Theophrasto κυνόρροδα sunt rosæ silvestres. Plinius verò in eo errat, quod rubens lilium propriè Græcis κρίνον dici arbitratur. Quod ex ea persuasione hausit, qua putavit commune lilium Græce esse λείριον. Nam ita ubique vertit. Atqui aliud est λείριον Græcis, aliud κρίνον, ut observamus supra. Alius est frutex κυνόσβατος, quem quidam cum κυνορρόδῳ eumdem esse pertendunt. Plinius rosam etiam in rubo nasci tradit, & silvestrem intelligit: per quod etiam manifestum facit, sese κυνόσβατον de eo rubo accepisse, in quo rosa nascitur. lib. xxi. cap. iv. *Rosa nascitur spina verius, quam frutice, in rubo quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis angusti.* Rubus ille, in quo nascitur rosa, non alius potest intelligi, quam κυνόσβατος. Sed ridiculum etiam, quod ibi ait, in quo rosa provenit spinam esse verius, quàm fruticem. Quid vetat, fruticem esse spinosum, ἀκανθώδη θάμνον? Spinæ aliæ sunt in herbarum genere, aliæ in fruticum: quin & κυνόσβατον Theophrastus inter fruticem & arborem esse scribit: μεταξὺ θάμνου καὶ δένδρου. An inde Plinius arripuit, non esse fruticem, sed spinam, in quo nascitur rosa, utpote quæ in rubo quoque hujus generis nascatur, qui nec sit frutex, nec arbor? Nihil memini nugacius aut magis ridiculum legere. Idem lib. xxiv. ubi de ruborum generibus ac differentiis agit, ita scribit: *Alterum genus rubi est, in quo rosa nascitur: gignit pilulam castaneæ similem, præcipuo remedio calculosis. Alia est cynorrhoda, quam proximo dicemus volumine. Cynosbaton alii cynospaston, alii neurospaston vocant. Folium habet vestigio hominis simile. Fert & uvam nigram, in cujus acino nervum habet, unde neurospastos dicitur.* Multa heic consideranda & animadvertenda. Rubum esse vult, in quo rosa nascitur, non sativa, sed agrestis. Diversum tamen eum esse docet à cynorrhodo & à cynosbato. Quis igitur erit ille rubus, qui rosam fert? Certè rubus est βάτος. Dicit rubum illum pilulam ferre castaneæ similem præcipuo remedio calculosis. An non hæc rubi pilula castaneæ similis, eadem omnino est cum spongiola cynorrhodo, cujus meminit libro sequente? Alias apud auctores cynorrhodi una medicina erat, spongiolæ, quæ in mediis spinis ejus nascitur, cinere cum melle alopecias capitis expleri. Ex quibus verbis notavit doctissimus Medicus, nihil aliud fuisse *cynorrhodon* apud veteres, quàm spongiolam illam, quę in mediis silvestris rosæ ramis oboritur, idque Plinium scribere. Non ea mens auctoris: sed narrat eo loco, servatum quemdam ex morsu canis rabiosi monstrata radice in somnis silvestris rosæ, quam Græci vocant *cynorrhodon*; cognitumque postea tali experimento, efficax id auxilium esse adversus rabiem è morsu canis hydrophobi supervenientem, cum antea ex cynorrhodo sive silvestri rosa nihil aliud ad medicinam expeteretur præter spongiolam, quæ in mediis ejus spinis nascitur. Hæc eadem est C pilula similis echinis castanearum, quæ in rubo rosæ silvestris gignitur. Idem itaque rubus ille, in quo rosa silvestris nascitur & cynorrhodos. Utrumque mutuatus ex diversis auctoribus, eo diversum putavit. De cynosbato sequitur: *Cynosbaton, alii cynospaston, alii neurospaston vocant. Folium habet vestigio hominis simile.* Hic cynosbatos idem plane est cum cynosbato Theophrasti & Dioscoridis. Quod ait *cynospaston* ab aliis vocari, hanc vocem arguunt mendi veteres codices, qui habent *cynapanxin*. Omnino emendandum *cynacanthin*, id est, κυνακάνθην: ita enim vocarunt κυνόσβατον. Scholiastes Theocriti de cy- D nosbato: φυτάριον δὲ ὁ κυνόσβατος, ὅμοιον ῥόδῳ ἔχον τὸν καρπόν. ἔστι δὲ μεταξὺ θάμνου καὶ δένδρου. παρόμοιον ταῖς ῥοαῖς, ἢ ῥοδέαις, ἀκανθῶδες ὥς φησι Θεόφραστος. ἔστι δὲ ὁ κυνάκανθος. Sic etiam reponendum apud Dioscoridem: Κυνόσβατον, οἱ δὲ κυνάκανθαν καλοῦσι. Mentio τῆς κυνακάνθης apud Aristotelem. Hæc est κυνὸς ἄκανθα, vel ἀκανθακυνάρα, quæ in oraculo κυνὸς ξυλίνης nomine indigetatur. De qua nos alibi. Folium eam habere canit Plinius vestigio hominis simile. More negligentiæ suæ hoc fecit, ut male audisse contentus non quæsierit, an malè legisset Anagnostes. Ἰχνῶδες igitur pro ἀγνῶδες aut ille perperam pronunciavit, aut Dominus ita pronunciari pa- E rum attentis auribus hariolatus est. Ἔχει δὲ καὶ τὸ φύλλον ἀγνῶδες. Ita legunt omnes libri scripti Theophrasti & Athenæi. Eam scripturam confirmat Dioscorides, qui tradit κυνόσβατον folia ferre πολὺ πλατύτερα μυρσίνης. Vitex latifolia talis. Theophrastus arboformâ cynosbatum esse tradit inter fruticem & arborem mediâ. Id explicat Dioscorides: θάμνος ἐστὶ βάτου πολλῷ μείζων, δενδρώδης. Frutice majorem esse hæc sonant, & instar habere arboris. Hactenus conveniunt. Cetera disparia. Theophrastus: τὸ δὲ κυνόσβατον τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει καὶ παρόμοιον τῇ ῥοᾷ. F Athenæus ex Theophrasto: καὶ τὸν καρπὸν ἔχει ἐρυθρόν, παραπλήσιον τῇ ῥοιᾷ; Fructus cynosbati similis malo punico. Dioscorides longè aliter sentit, qui tribuit ei καρπὸν ἐπιμήκη, πυρῆνι ἐλαίας ἐοικότα, ἐν τῷ πεπαίνεσθαι πυῤῥόν, τὰ δὲ ἐντὸς ἐριώδη. Fructum rosæ graphicè nobis depingit, oblongum, dum maturescit rubentem, & intus lanugine sive tomento plenum. Scholiastes Theocriti planè etiam refert cynosbati fructum esse παραπλήσιον ῥόδῳ. Ita sanè est, sicut describitur à Dioscoride. Sed morem ille suum tenet, quem in pluribus apud eum observavi, ut duas res una descri- G ptione confundat. Sic duo glycyrrhizæ genera miscuit, sic duo echii æquè in unum contraxit. Ita ergo κυνόρροδον & κυνόσβατον miscellâ & indiscreta historiâ exposuit. Magnitudo pænè arboris, fructus punico malo similis, cynosbati sunt: flos candidus, fructus oblongus, & ruber maturescens, tomentoque lanuginoso refertus, ad cynorrhodon pertinent. Rosa canina de silvestri:

ſilveſtri: unde & κυνακάνθην & κυνόσβατον videntur quidam etiam vocaſſe quæ roſam caninam ferret, quandoquidem & rubum dici Plinius aſſerit, in quo naſcitur roſa ſilveſtris. Scribonius Largus, ciſthum caninam roſam à quibuſdam appellatam ait, cujus florem ἀγρίοις ῥόδοις, quæ ſunt κυνόρροδα, ſimilem eſſe prodit Theophraſtus cap. XXI: *Hypociſthidos, qui eſt ſuccus roſæ ſilvaticæ, quam quidem caninam vocant.* Theocritus:

Ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐστὶ κυνόσβατος, ἡ ἀνεμώνα
Πρὸς ῥόδα, τῶν ἀνδῆρα παρ' αἱμασιαῖσι πεφύκει.

Secundum verſum non capiunt Interpretes. Dicit, cynosbaton & anemonem flores ferre nequaquam comparandos roſis: τῶν ἀνδῆρα παρ' αἱμασιαῖσι πεφύκει, quorum areolę juxta macerias & hortorum ſepta muralia inſtituuntur. Quod hodieque fit. Juxta macerias hortorum plantaria roſarum digeruntur. Heſychius ἀνδῆρα, πρασιὰς & ὀχετοὺς ταφρώδεις exponit. Pulvinaria hortorum & eminentes areas ea voce deſignari, certum eſt. Apparet in eo verſu κυνόσβατον pro κυνοῤῥόδῳ, vel roſa ſilveſtri poſuiſſe Theocritum, cujus flores non eſſe conferendos cum roſis ſativis, quæ naſcuntur in cultis & directis areis prope ſepes murales hortorum. Hinc interpres utrumque κυνόσβατον confundens cum hæſitatione ſcribit, παραπλήσιον εἶναι ῥοιαῖς ἢ ῥοδέαις. Cynosbatum ſimile malo punico; cynorrhodum, roſæ. Virgilius, cum eam comparationem Siculæ Muſæ imitaretur, ita poſuit:

Quantum puniceis humilis ſaliunca roſetis.

Inde grammatici veteres *ſaliuncam* de roſa ſilvatica interpretari voluere: *Saliunca*, ἀγριόροδον, λυκόροδον. Item: ἀγριόροδον, *ſaliunca*. Alii anemonem eſſe maluerunt, quia ἀνεμώνην cum roſis confert Theocritus. Servius eam herbam eſſe vult, quæ vulgo *orci tunica* diceretur. Neophytus anemonem à Romanis orci tunicam vocari affirmat: ἀνεμώνη ἡ φοινίκη, οἱ δὲ ἠνέμιον, οἱ δὲ μηκώνιον. Ῥωμαῖοι ὀρτζιτένικαν. Docuimus in his Exercitationibus, orci tunicam eſſe nardum montanam, quam Græci θυλακῖτιν, πηχῖιν & θυλακίζουσαν nardum vocaverunt. Saliuncam ipſammet eſſe patet ex deſcriptione, quæ apud Plinium habetur. Ea nec caulem, nec florem fert, ut de nardo montana aſſerit Dioſcorides, qui tamen nardum Celticam à Romanis ſaliuncam nominari aſſeverat: quæ fuit ſententia Scribonii Largi, cap. CIII. *Spica nardi denarium P. V. Celticæ, id eſt, ſaliuncæ* * P. X. Hunc ſecutus eſt Marcellus Empiricus. Sed de Nardo infra. Nunc perſequamur per rubos ac ſenticeta Plinium noſtrum. Cynosbati fructus apud Theophraſtum ſimilis eſt malo punico: apud Dioſcoridem roſæ. Plinius uvam nigram ferre dicit. Ex quo manifeſtum eſt eum rubum ſimilem, quem Græci χαμαίβατον dicunt pro cynosbato accepiſſe, ex male diſtinctis Theophraſti verbis: ὃν δὴ καλοῦσι τινὲς χαμαίβατον, τὸ δὲ κυνόσβατον. Hæc junxit Plinius & ſic interpretatus eſt, quaſi cynosbatum & chamæbatos eadem eſſent. Non ſolum humilis rubi, ſed etiam alterius fructus niger, cum maturus eſt. Rubus Idæus punicea mora fert, quæ ruba Propertio:

Et dare puniceis plena caniſtra rubis.

Nobis hodie *Francus rubus* dicitur, id eſt, verus & germanus rubus: *framboiſier*. Neuroſpaſti cognomen non cynosbato, ſed rubo ſive chamæbato convenit. Plinius argutatur more ſuo ita appellatum, quod nervum in acino habeat. Non hæc tantum mora rubi, ſed etiam arboris mori nervum habent intus ligneum, quæ tamen arbori ſuæ, νευροσπάστου cognomentum non addidere. Sed χαμαίβατος etiam νευρόσπαστος vocatus videtur, quod tendiculæ ſive nervi modo per terram extenſus & utraque parte infixus, ſæpe ambulantium pedes trahat & trahatur ipſe. Sedeamus jam ad calculos & computemus, quot in una hiſtoria delicta noſter

A admiſerit. Roſam rubi primum pro vera roſa dat, cum auctor Latinus, unde accepit, florem rubi ita vocaſſet. Sic florem ciſthi *roſam* etiam *caninam* Latini appellarunt: & *roſam Græcam*, quæ Græcorum eſt lychnis. Ruborum roſa alopecias cum axungia emendat. Mora capillum tingunt, cum omphacino oleo. Auctor, à quo hæc mutuo ſumpſit, per roſam ruborum nihil aliud intellexit quam florem ruborum, τὸ ἄνθος τοῦ βάτου. Plinius, cui de vera ac ſilveſtri roſa placeret accipere, multa inde falſa commentus eſt & ἀσύστατα. Hunc rubum, qui roſam illam ferret, diſtinxit B à rubo vulgari: hunc tamen ipſum noluit eundem eſſe cum cynorrhodo. A cynosbato rurſus ſeparavit. Quærendum igitur reliquit, de quo genere rubi intellexerit, ut inventum iri ſpes non ſit, quod eſt nuſquam. Cæterum alius etiam frutex dictus cynosbatos, quæ *capparis* aliis vocatur in totum differens ab eo cynosbato, de quo heic egimus. Quod heic in numerum τῶν ὁμωνύμων procedere volumus. Gal. II. de alimentis, κυνόσβατον à ruſticis edi ſcribit: ἐσθίουσι δὲ οὖν αὐτὸν οἱ ἀγροῖκοι πολλάκις ὀλίγην τροφὴν διδόντα τῷ σώματι, ἣν καλοῦσι κυνόσβατον. De roſæ agreſtis bacca hoc intelligendum C eſt, quæ hodie noſtratibus ruſticis manditur, eſtque aciduli, non ingrati ſaporis. Theophraſtus tradit cynosbati fructum ſecundo vento colligendum, id eſt, à tergo flante, ne adverſus eum in os inferat, & periculum oculis creet. Ita enim interpretor κατ' ἄνεμον. Navis κατ' ἄνεμον fertur, quam ventus à puppi, id eſt, à tergo proſequitur: κατ' ἄνεμον δὲ καὶ τοῦ κυνοσβάτου τὸν καρπὸν συλλέγειν. εἰ δὲ μὴ κίνδυνον εἶναι τῶν ὀφθαλμῶν. Quæ oſtendit κυνόσβατον hunc, alium eſſe a roſa ſilveſtri. Nullum enim periculum oculis ab ejus fructu, dum legitur. Roſa Latinum & ῥόδον Græcis unius olim D floris nomen notiſſimi. Poſteriores ad alia etiam tranſtulerunt. Florem malvæ ſic vocarunt Græci. Harpocration περὶ φυσικῶν δυνάμεων de althæa: αὕτη ἐστὶ τὸ ῥόδον, ἐξ ἧς τοὺς στεφάνους πλέκουσιν Ἕλληνες ἐν ταῖς ἑορταῖς τῶν θεῶν, φύλλα ἔχουσα ὅμοια μαλάχης ἡμέρου. Nicomedes Iatroſophiſta: Ἀργεμώνη, ῥόδον ἀληθινόν. Sæpe occurrit mentio apud Myrepſum ῥόδων ἀληθινῶν, quas veras roſas accipiunt, cum ſint rubræ vel coccineæ: hoc enim ἀληθινὸν Græcis recentioribus. Sic κιννάμωμον ἀληθινὸν iiſdem, quæ κασία κιῤῥὰ veteribus. Dioſcorides πυῤῥὰν vocat, qui etiam meminit generis cujuſdam cin- E namomi ὑποκίῤῥου. Hoc κιννάμωμον ἀληθινὸν, rubens cinnamomum. De quo infra. Sic ῥόδον ἀληθινὸν roſa rubra. Roſæ genus eſt vegetiſſimi ruboris, cujus in medicina frequentior uſus & ad odores quàm communis, quæ ex rubro pollet. *Anemones* flori, roſæ nomen etiam dederunt. Aviſena roſam eſſe vehementer rubentem dicit. Turquas quoque audio & papaver & malvam & anemonen alioſque flores quamplurimos roſæ appellatione nuncupare, quam vocant *gul*. Arabicè tamen roſa dicitur ورد *vard*, unde وردي *vardi*. Phœniceus in antiquo Gloſſario: *an gul*: Tur- F cæ roſam, quaſi Venerium florem. Nam *Gul* Arabes Venerem appellant. Unde Adiantum, quod vulgo capillus Veneris, Arabibus شعر الغول, *ſar algul*. Roſam Veneri dicavit omnis antiquitas. *Gul catamer*, roſam pleno flore dicunt, quod & de papavere, anemone & malva uſurpant. *Catamer* pro كامل *camel*, quod plenum & integrum eſt. Sic fortaſſe tamen totum illud corruptum pro *gula camel* غولة كامل G id eſt, Venereo flore pleno. Sic حمام *hamam*, columba. حمامة *hamama*, columbaria herba τὸ περιστέριον. Sic *gulah*, flos Veneris.

CAPUT XXVI.

De chelidonio.

Χελιδόνιον quidam veterum pro anemone dixerunt. Notavit id Athenæus & Heſychius: Χελιδόνιον ἡ Ἀδωνιάς. Anemone dicta Ἀδωνιὰς Græcis, quod ex ſanguine Adonis nata proditur, vel ex lacrimis Veneris extinctum eum lugentis. Ovidius anemonen circumlocutus eſt:

----- brevis eſt tamen uſus in illis:
Namque malè hærentem & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Etymon ἀνεμώνης alludit, & de flore loquitur edito ex Adonidis cruore. Græci ἀνεμώνην exponunt, τῶν φυτῶν ταχέως ἀπὸ ἀνέμων φθειρόμενον. Plinio placet dici, quod *vento flante flos ſeſe aperiat.* Meleager anemonas ita expreſſit:

------ ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα.

Mirificum porro genus *anemones coronariæ* fabricatus eſt Plinius *bulboſi generis*, de quo nulla apud veteres mentio. Et fruſtra ſanè alibi quæratur, ut puta quæ natales ſuos debeat imaginationi Plinii. Sic igitur ille lib. XXI. cap. XI. ubi coronarios flores ex Theophraſto recenſet, & tempus, quo quiſque naſcitur, indicat: *in Græcia tardius etiam anemone. Eſt autem hæc ſylveſtrium bulborum flos, aliaque, quam quæ dicetur in medicinis.* Quis hoc genus anemones fando accepit ex genere bulboſo? Imo vero id accepit Plinius ex Theophraſti verbis, in quibus fit mentio ſylveſtris ſive montanæ anemones, & bulbi lanati. Hos duos flores Plinius in unum compegit, & bulboſam anemonem inde confecit. Verba Theophraſti ſic jam olim legenda docuimus ex Athenæo: ἔπειτα Νάρκισσον, καὶ λείριον, καὶ τὸ τρίτον ἀνεμώνης γένος τὸ καλούμενον ὄρειον, καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον. Ex his duobus exit Plinio anemone illa, quæ ſylveſtrium eſt bulborum flos. Docuimus etiam herbarios, βολβοῦ κώδιον eſſe eriophoron bulbum ſive lanatum, cujus flos coronis olim receptus. Hanc ſpeciem anemones coronariam cum commentus eſſet Plinius, nec huic ſimiles inveniret illas anemonas, de quibus tractant, qui ſilvam medicam conſcripſerunt, coactus eſt alias facere coronarias à medicis cap. XXIII. ejuſdem libri: *Anemonas coronarias tantum diximus, nunc reddemus & medicas. Sunt, qui phenion vocent.* Quod eſt maximè ridiculum & falſum. Immo non diverſæ anemonæ medicæ à coronariis. Nam illæ ipſæ, quæ inter coronamenta, admiſſæ ad uſum quoque medicinæ, valuerunt effectu non ſpernendo. Libri omnes habent apud Plinium: *Sunt, qui frenion vocent,* ut in indice *frenion.* Ita enim ſcripti: *Anemone coronaria ſive frenion med. x.* φρόνιον dictum poterium: Dioſcorides & Paulus Ægineta: Ποτήριον, οἱ δὲ φρόνιον. Neſcio an huc nihil pertinens cognomen ex alia herba in anemonas tranſcripſerit. Φαινίδα dici anemonen à Laconibus ex Soſibio notat Scholiaſtes Theocriti: Σωσίβιος δὲ τὰς ἀνεμώνας παρὰ Λάκωσι φαινίδας φησὶ καλεῖσθαι. Antiqua Græcia φαινὸν appellavit τὸ λαμπρὸν, τὸ φωτεινόν. Inde φαινὶς ἀνεμώνη, multa luce micans. Nicander:

------ ἀνεμωνίδες ἀστράπτουσι
Τηλόθεν ὀξυτέρῃσιν ἐφελκόμεναι φίλα χροιαῖς.

Expreſſit φαινίδων etymon. Diſtinxit eas à chelidonio. Alii idem faciebant. Athenæus: ἐκ τούτων τῶν ἐπῶν δῆλον γίνεται, ὅτι ἕτερόν ἐστι τὸ χελιδόνιον τῆς ἀνεμώνης. τινὲς γὰρ ταυτὸ εἶναί φασι. Ineptè. Nemo ſanè tam abſurdus, qui chelidonium idem eſſe cum anemone affirmarit. Sed ἀνεμώνην quidam appellarunt χελιδόνιον, quod cum hirundinibus flos ejus exiret. Quæ ratio nomen etiam dedit illi herbæ, quæ ſibi illud proprium vindicavit. Eam nemo unquam dubitavit ab anemone eſſe diverſam. Hinc tamen apparet, ex ambiguitate vocabuli confudiſſe quoſdam. Dioſcorides de chelidonio majore: χελιδόνιον μέγα, οἱ δὲ

A ὀθόνναν καλοῦσιν, οἱ δὲ κρίνον. καυλὸν ἔχει πηχυαῖον. Ita eſt in vetuſtiſſimo codice. Hoc cognomen κρίνον non huic chelidonio, ſed alteri anemonæ attributum. Nec enim ea hujus chelidonii floris forma, ut lilii nomen potuerit adoptare. Χελιδόνιον ità reperit dictum Dioſcorides, ſed de eo chelidonio intelligendum fuit, quod idem cum anemone. Sed in omnibus talis Dioſcorides, qui tamen in hoc genere putatur regnare. Hoc fortaſſe ſequutus Plinius, κρίνον apud Græcos *rubens lilium* ſignificare dixit, quia κρίνον de flore anemones puniceo etiam uſurpatum.

B Quod ille de lilio rubro accepit. Non tamen ita debuit accipi apud Theophraſtum & Dioſcoridem omnibus locis. Anemone in Dioſcoride vetuſto Arabice explicatur, الشقايق *alſakaik.* At chelidonium majus in eodem codice Arabicè dicitur عروق الصباغين *haruc alſubagin*, id eſt, fibræ, vel radiculæ infectorum: quia ſcilicet tinctores radicibus chelidonii majoris uterentur tingendis croceo colore lanis,

C quæ ſuccum κροκώδη reddunt. Ita etiam vocatur Aviſenæ cap. DCCXXXVII. Latinæ editionis. Minus autem chelidonium non aliter exponitur in vetuſto illo exemplari, quàm ſpecies *haruc alſubagin.* Græci recentiores majus vocant ἐλύδριον, & inter herbas numerant, quæ tingendo aptæ habentur. Gloſſarium chymicum: χελιδονία ἐστὶ τὸ ἐλύδριον. Item: χρυσοζώμιον καὶ ἐλύδριον, καὶ χρυσοκογχύλιον, καὶ ἰὸς ἀσκίαστος θεῖον λευκόν ἐστι. Democritus Pſeudonymus in Phyſicis has herbas & res nominat, quæ colorem faciunt croceum: κρόκον, κνῆκον, καὶ οἰχομένης ἄνθος, καὶ

D ἐλύδριον, καὶ κροκόμαγμα, καὶ ἀριστολοχίαν: addit & radicem rhapontici. Zoſimus in iiſdem referendis χελιδονίαν pro ἐλυδρίῳ dixit, qui tamen alibi paſſim ἐλύδριον nominat, & cum croco jungit ad colorem luteum efficiendum, & eam tincturam, quam ξάνθωσιν appellat. Cap. περὶ σταθμοῦ ξανθώσεως: διά τι ὁ Ἀγαθοδαίμων ἐμνημόνευσεν, οὐχ ἵνα σταθμὸν διδάξῃ, ἀλλ' ἵνα κρόκου καὶ ἐλυδρίου τὸ διπλάσιον τῶν ἄλλων τῶν βάλῃ. Atque ita alibi paſſim. Item herbas luteo inficientes enumerans: καὶ ἐν βοτάναις κρόκον καὶ κνηκάνθιον καὶ ἐλύδριον καὶ χαμαίλιον. Ἐλύδριον eſt chelidonium majus.

E Ex his apparet ratio, cur Arabes vocarint radicem tinctorum eam herbam. Κούρκουμα Græci recentiores etiam vocant, ut Myrepſus & alii, voce & ipſa ex Arabico ſumpta, quam tamen Arabes ex Græco tranſtulerunt, كوركوم *curcum.* Quidam crocum ſic interpretantur, alii quaſcumque radiculas crocei coloris, & croceum reddentes ſiccum, quas vocant صفر عروق fibras vel nervulos citrinos à nomine صفر, quod æs & æramentum in antiquo

F Gloſſario Latino-arabico exponitur. Idem eſt igitur *ſafar*, *vel ſafara*, quod χαλκόχρους. Inde ergo & chelidonium curcum dictum à croceo colore. Gloſſarium Saracenicum: Κουρκοὺμ τὸ χελιδόνιον. Officinæ ſic etiam vocant crocum Indicum, quod veteribus cyperum Indicum: de quo infra. Et fortaſſe *chaucum* pro *churcum* corruptè apud Aviſenæ interpretem cap. CXCIX quod ille interpretatur chelidonium majus. Apud Serapionem legitur corruptius *charroc*, id eſt, *curcuma.* Videntur legiſſe قوروق *churroc* pro قورقوم. Aviſena de chelidonio tradit, nervos ſive

G radiculas eſſe croceas, & putare quoſdam, eſſe *memiram*, alias *zardeʒius.* زردجوش. Sic vocarunt crocum

crocum Indicum. De quo infra. In antiquissimo Dioscoridis exemplari chelidonium minus, non tantum dicitur esse species chelidonii illius, quod vocatur *haruch subagin*, sed etiam adpositum aliud interpretamentum antiquiore manu, مامیران A *memiran*: Paulo Æginetæ, Μαμιρᾶ, quod tamen aliud à chelidonio minore. Sed Arabes nihil habent indistinctum, quod modo aliquam similitudinem, quamvis non proximam, præferat.

CAPUT XXVII.

De violis.

IN violis hæc ὁμωνυμία manifesta conspicitur. Violas quippe Latini ut Græci ἴα, eos flores appellarunt, qui nulla inter se generis cognatione attinentur. Quid enim, quæso te, simile habent luteæ violæ cum purpureis illis sive nigris, quibus à Martio mense fecimus nomen? Nec facie, nec effectu, nec re ulla inter se conveniunt: utræque tamen violæ sunt & dicuntur. Ex ea violarum indiscreta appellatione locum Horatii insignem ab omnibus interpretibus, qua antiquis, qua neotericis non bene hactenus explicatum constat:

O quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus violâ pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat.

Quæsitum satis est usque adhuc, cur pallorem amantium violâ tinctum dicere Poëtæ libuerit. De viola communi omnes accipiunt, à qua violaceus color. Cum enim violaceum dicimus, non luteum aut cæruleum colorem, sed violę sic propriè & καθ' ἐξοχὴν dictæ intelligimus, ut in hoc versu ejusdem Poëtæ:

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Inde violacea purpurea. Acro ad eum locum notat, *amœnitati floris comparari pallorem amantium.* Non video, quid sit amœnitatis in vultu pallido & morboso. De viola utique purpurea atque, ut ita dicam, violacea amœnitatem illam floris accipi voluit. Non alio argumento moti sunt, quàm versûs hujus falsa interpretatione, qui avorum nostrorum ætate singulos colores singulis affectibus dicarunt. *Elenchum colorum* vulgo vocitant. Hi violaceum amantibus assignarunt. Fateor me perspicere non posse, quomodo pallor amantis violaceo tinctus videri queat. Hoc si est, erunt etiam violæ colore tincti ægrotantes quartanarii, auruginosi, & denique mortui. Proprius pallor amantium ex desiderio rei amatæ tabescentium. Unde *pallidum in aliqua puella esse* poëtæ dicunt de eo, qui puellam deperit. Hinc amatorius Poëta:

Palleat omnis amans, color est hic aptus amanti.

Colorem θάψινον amanti dat Theocritus: ita enim apud eum loquitur amans puella:

Ἡ μὲν χρὼς μὲν ὅμοιος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ.

Plutarchus θάψινον χρῶμα & νεκρῶδες in æquo ponit. Pollux de personis tragicis: ὁ δὲ πάρωχρος τὰ μὲν ἄλλα οἷος ὁ Πάγχρηστος ὠχριᾷ δὲ ὡς νοσοῦντα ἢ ἐρῶντα δηλοῖν. Persona pallida in tragædia vel comedia, aut ægrotum, aut amantem designat. Qui multum pallorem in vultu præfert, ex eo vehementiam amoris indicat. Quod plurimum facit ad flectendum animum duræ puellæ, cum videt præ nimio sui amore ac desiderio tabescentem & impallescentem juvenem. Ideo scribit Horatius de dura & immisericorde, quod nec precibus moveatur, nec pallore amantium tincto violâ. Pallorem expressit intensissimum, ut qui luteo & bucceo colore imbutus sit, qualis est ictero laborantium: in quem affectum plerique incidunt ex amore. Sic *tinctus violâ pallor*, est buxeus, vel luteus à lutea viola, quam in suo genere præcipuam habent Græci. Hi longè rectius, quàm Latini flores omnes, quibus violæ no- B men inditum, in duo γένη γενικώτατα dividunt: quorum alterum μελάνιον, alterum λευκόϊον appellant. Non à floris colore hoc discrimen appellationum factum, sed à folii. Etenim si λευκόϊον à flore candido nomen invenisset, non in plura genera coloribus distincta iterum divisum foret. Tres quippe species λευκοΐου ponunt, μήλινον, λευκὸν, καὶ πορφυροῦν. Leucoïum luteum aut purpureum ineptè diceretur, siquidem à flore candido sic vocatum esset. Quin immo λευκόϊον absolute de viola lutea posuit Dioscorides de genista loquens, cujus flores lutei: ἄνθος μήλινον ὥσπερ λευκοΐου. Ita Horatius violam heic καθ' C ἐξοχὴν pro lutea dixit. Hæc præcipui usûs in medicina. Ideo λευκόϊον per antonomasiam de luteo intelligitur. Hippocrates λευκόϊον μέλαν de purpurea in hoc genere: quæ utique diversa est ab altera purpurea viola, quæ in diverso est genere, quod μελάνιον dicitur à folio nigro. Pari modo rhamnus nigra & candida discernitur, & aliæ multæ plantæ. Μελάνιον igitur, quæ folium nigrius habet ex viridi saturatiore & obscuriore. Sic *ilex nigra* Poëtæ, & *myrthus nigra* & similia. At λευκοΐῳ folia pallidiora & viridis dilutioris. Μελάνιον absolutè ἴον Græcis appellatum. Plinius: *Solaque Græco nomi-* D *ne à cæteris discernuntur, appellata ἴα, & ab his janthina vestis.* Falluntur, qui Plinium scripsisse mallent, *appellata melania.* In hoc genere non plures species coloribus discretæ. Theophrastus: ἔνια δὲ τῶν ἀνθῶν οὐδεμίαν διαφορὰν ἔχει, ὥσπερ τὸ μελάνιον, οὐ γὰρ ἔχειν δοκεῖ ταύτην διαφορὰν, ὥσπερ τὸ λευκόϊον. Hoc leucoïon, ut dixi, quod generis alterius nomen est, in tria alia genera colore differentia dispartitur, in luteum, album & purpureum. Latini nomen non habent, quo genera illa μελανίου & λευκοΐου γενικώτατα invicem distinguant, sed utraque violas indiscreta appellatione nominant. E Inde obscuritas. Plinius: *Violis honos proximus; earumque plura genera: purpureæ, luteæ, albæ, plantis omnes ut olus satæ.* Hæc sunt λευκοΐου genera tria, quæ plantâ seruntur. In altero porro genere τοῦ μελανίου etiam purpureæ, quod confusionem parit. Nam purpureæ in diverso genere. Sed de aliis sequitur, quæ μελάνια & ἴα propriè dicta: *Ex his verò, quæ sponte apricis & marinis locis purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso exeunt, solaque nomine à cæteris discernuntur, appellatæ ia, & ab his janthina vestis.* Ita legendus hic locus. Τὸ μελάνιον genus his descripsit: solas discerni F nomine à cæteris ait, & appellari propriè ἴα cum cæteræ dicantur λευκόϊα. Hinc ἴον seorsim descripsit Dioscorides & separatim λευκόϊον. Idem fecit Nicander in Georgicis, qui ea genera distinxit, quomodo Plinius, in sativa & sponte nascentia. Λευκόϊα sativa: μελάνια sive ἴα, sponte nata. De sativis, quæ λευκόϊα sunt, duo genera facit:

Ἀλλὰ τὰ μὲν σπείροις τε καὶ ὥρια φυταλιῇσιν
Ἄνθη λευκοΐων τε, γένη γε μὲν ἴασι δισσά,
Ὠχρόν τε χρυσῷ τε φυὴν εἰς ὦπα ἐοικός.

G Hoc ultimo versu luteum leucoium expressit. Fortasse desideratur sequens, quo descripserat purpureum aut album. Nam duo tantum genera agnovit. At illo versu unicum tantum memoratur. Idem quippe ὠχρὸν & χρυσοῦν. Græci & de aureo colore ὠχρὸν dicunt: & aurum ipsum ὠχρὸν

ὠχρὸν & χλωρόν. Unde *inauratâ ſtatuâ pallidior* Catullo. An ὠχρὸν pro viola alba Nicander dixit ac diſtinxit à lutea, quam ſimilem auro de colore facit? Non puto. Nunquam enim Græci ὠχρὸν niſi de luteo ponunt. Crediderim magis ſcribendum:

Ἄχροιω τε χρυσῷ τε φυλῇ εἰς ὦπα ἐοικὼς

Hæc ſunt duo genera λευκοίου Nicandro, qui plura non agnoſcit, album & luteum. Ἄχροιω propriè, quod ſine colore eſt & proinde album intelligitur Ne mireris de poëta hoc etiam legere: eſt poſitum à Theophraſto lib. VI. cap. VII. ubi florem ἴϑου duplicis generis faciens, alterum colore hyacinthi eſſe dicit, id eſt, purpureo, alterum ſine colore, id eſt, album: ἔτι δέ ἐστι διϛτός. ὁ μὲν ἔχων τὸ ἄνθος ὑακίνθῳ ὅμοιον, ὁ δ' ἕτερος ἄχρως, λευκός. Quo loco ſuſpicor & vocem λευκός ex gloſſa additam. Verſum illum Nicandri verbum verbo vertit Columella in Horto; atque ita quidem, ut appareat legiſſe, quomodo correximus:

Tum quæ pallet humi, quæ frondens purpurat auro,
Ponatur viola.

Duplicem illam violam expreſſiſſe patet ex hoc Nicandri verſu:

Ἄχροιω τε χρυσῷ τε φυλῇ εἰς ὦπα ἰδέσθαι.

Longè tamen abſcedit à poëtæ Græci ſententia. Duplex genus leucoji, ubi ille deſcribit album & luteum. Columella de leucojis albis paulò ante locutus eſt:

Pingit & in varios terreſtria ſidera flores
Candida leucoïa & flaventia lumina calthæ.

Heîc violas purpureas & luteas exequutus eſt. *Tum quæ pallet humi*, viola eſt purpurea, quæ non ex λευκοίων genere. *Humi pallere* dicit, quia non aſſurgit, ſed humi jacet foliis, ſine caule. Unde & χαμαίιον Græci vocitant. Huic opponit luteam, quæ frondeſcit, quia caulem & frondes habet & in altum attollitur. Eam *purpurare auro* dicit, id eſt, niteſcere, ac fulgere aureo colore. Id enim eo loco ſignificat purpurare; non, purpurea luce florere. Sic *purpurea & aurea Venus* eodem ſenſu. Πορφυρεῦς & χρυσεῦς aries Phryxi poëtis. Poteſt tamen & legi, ſiquis eam figuram abnuit: *quæ frondens fulgurat auro.* Nihil tamen ego mutarim. Conſtat igitur, Columellam ἄχροιω ἴον apud Nicandrum de viola purpurea ac nigra accepiſſe & quam propriè Græci ἴον appellant: quin & *pallentem violam* ad verbum reddidiſſe, prorſus ex eorum ſententia, qui pallorem amantium violâ tinctum in Horatii verſu de hac ipſa viola intellexerunt. Quod omninò abſurdum. Ἄχροιω ἴον rectè quidem transferri poſſit *pallida viola*, ſed non item de purpurea & humili, quæ caulem non habet, ut fecit Columella, quem inſigniter hallucinatum heic conſtat. Hanc violam, quæ humi repit & purpurâ nigrâ tincta eſt, cujuſque adeo coloris auſteritati nihil tam contrarium, quàm pallor, Nicander idem paulò poſt inter ſponte naſcentes recenſet his verſibus:

------ ὅσα τε χ' ὅια
Ἄσπορα νεομβώοισι πόποις ἀνεθρέψατο λειμὼν
Κάλλεα, βύφθαλμόν τε, καὶ εὐώδες Διὸς ἄνθος,
Κάλχας, σὺν δ' ὑάκινθον, Ἰωνιάδας τε χαμηλὰς,
Ὀρφνοτέρας ἅς τῦξε μετ' ἄνθεσι Περσεφόνεια.

Per Ἰωνιάδας χαμηλὰς ὀρφνοτέρας planè ſignificat τὰ μελάνια Græcorum, quæ & χαμαίια & ἴα abſolute dicebantur. Χαμαίια autem appellantur, quod ſtatim ab radice folium emittant, nec caulem habeant. Græci itaque utplurimum hæc nominibus diſcernunt, τὰ ἴα, & τὰ λευκόϊα. Latini violas vocant omnes indifferenter. Virgilius in Culice:

Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore,
Et violæ omne genus.

Quod imitatus Tertullianus de corona militis: *Et utriſque liliis & omnibus violis coroneris.* τὰ ἴα & τὰ λευκόϊα comprehendunt. Plinius de lychnide, quæ roſa Græca Latinis dicebatur, dicit eam habere *violæ magnitudinem.* Non τὸ ἴον vult intelligi, ſed τὸ λευκόϊον.

A Nam ita Diſcorides de lychnide: ἄνθος ἐστιν ὅμοιον λευκοίῳ. Pauper admodum in his differentiis ſignandis Latina lingua, nec habet verbum, quo λευκόϊον Græcorum explicet. Si albam violam diceret, non genus totum diſcerneret, ſed in altero genere eam ſpeciem denotaret, quæ florem habet candidum. Græci rectè dicunt λευκόϊον μήλινον & λευκόϊον πορφυροῦν. Latinis non licet eſſe tam diſertos, nec poſſunt dicere violam albam purpuream, aut violam albam luteam. Ideo Columella Græcam vocem retinuit, *candida leucoïa* dicendo. Poëta *pallentes violas* vocavit, ut τὰ λευκόϊα exprimeret, à foliis

B viridi pallidiore ſic appellata, *ut pallentes herbæ* eidem dicuntur. Nec tamen negaverim *pallentes* & *pallidas* violas poſſe accipi luteas, quomodo *pallidum aurum* vocatur:

Et fulgore magis quam ſæpe expalluit auri.

Ita & *tinctus violâ pallor* apud Horatium luteo imbutus, à viola lutea, quæ primas in ſuo genere tenuit. Plinius: *è ſativis maxima auctoritas luteis.* Sativa vocat τὰ λευκόϊα. Nam ἄσπορα ſunt τὰ μελάνια. Auctor Arabs in antiquo Dioſcoridis codice λευκόϊον interpretatur

C خيري *chiri.* Quaſi bona ſcilicet & electa viola. Nam خير *chair*, probus & eximius. At viola nigra, quæ Græcis ἴον μέλαν & ἴον abſolutè ab eodem exponitur بنفسج *benefeſeg.* Lutea porrò leucoïa in tria alia genera idem Plinius dividit Tuſculanum, marinum, & Calatinum ab oppido ſic dictum. Male *calathiana* leguntur vulgò, & à calathis interpretantur appellata, atque inde φυλακτὴν

D ſompiant & campanulam. Sed hæc alibi. Falſi itaque qui putant, latius patuiſſe apud Græcos τὴν ἴου appellationem, multoſque flores complexam, cum ſola viola, quam dicimus Martiam, eo ipſis nomine fuerit nota. Inde ἴανθον, & ἰάνθινα de veſtibus purpureis; & ἰοειδὲς, & ἰοπλόκαμος. Quibus omnibus purpureus & nigricans color indicatur, nunquam albus aut luteus. Quod argumentum eſt, Græcos nunquam ἴον de viola alba aut lutea dixiſſe. Priuſquam ad alia pergamus homonyma, obiter heic conſignabimus, herbarios noſtros temere leucoïum bulbolum commentos eſſe ex depravatis Theophraſti verbis, ubi

E enumerat λευκόϊον inter bulboſa, lib. VII. cap. XIII. Πλείω δὲ καὶ τὰ βολβώδη, καὶ οὐκ ἐλάττω. ταῦτα δὲ καθάπερ τὸ λευκόϊον, καὶ βολβίνη, καὶ ὀπιτίων, καὶ κοὶξ, καὶ τρόπον τινὰ τὸ σισυρίγχιον. Plinius, cum ad verbum hunc locum verteret, non meminit leucoji vel violæ albæ, ſed ita prorſum extulit nominibus Græcis ſervatis, quæ veteres omnes codices ad hunc modum exhibent ſcripta: *Græci genera hæc fecere bolbinen, ſetanion, pythion, cocoygian, ægilopa, ſiſyrinchion.* Quæ nos alibi expendimus. Nullum autem hic inter βολβώδη ſedem habere τὸ λευκόϊον, vel ipſius Theophraſti teſtimonio convincitur, qui non aliud genus λευκοΐου

F agnoſcit præter illud, quod omnibus eſt notum. Sed & lib. VII. cap. IX. τὸ λευκόϊον inter ὀπισθανθόφυλλα recenſet, quæ caule nempe foliata ſunt: At bulboſa illa leucoïa, quæ tanquam legitima Theophraſti nobis apponunt, caulem è mediis foliis exeuntem præferunt. Eximendum igitur è numero bulbaceorum leucoïon, ſed prius ex verbis Theophraſti, cujus auctoritate permoti ſunt ad id quærendum, quod invenire non potuerunt. Scio moly, quod è bulbis eſt, vocatum nonnullis tradi λευκόϊον ἄγριον: ſed λευκόϊον ſimpliciter dictum, qui pro bulbo, aut bulboſo mihi oſtendet in aliquo probato auctore abſque

G ulla mendi ſuſpicione, vicerit me favente quoque. Violæ ſativæ luteæ, quam Græci λευκόϊον, Latini etiam violam abſolutè nominant, *proximam eſſe concolori amplitudine caltham* Plinius memorat. Idcirco & caltham quidam τὸ λευκόϊον interpretati ſunt. Gloſſæ: λευκόϊον *caltha, viola.* Docuimus alibi caltham illam, quam calendulam hodie vocant officinæ, ex Græco κάλχα deluxiſſe: quod tamen commune nomen eſt florum duorum. Dioſcorides βύφθαλμον etiam κάλχαν appellari ait. Atqui

Atqui certum est buphthalmum, quale ab eo depingitur diversum esse à caltha Romanorum. Sed ecce tibi Nicandrum in Georgicis, qui disertè κάλχαν & βύφθαλμον separat:

——— βύφθαλμόν τε καὶ εὐώδες Διὸς ἄνθος

Κάλχας, σὺν δ' ὑάκινθον.

Grammatici rursus aliam κάλχην exponunt βοτάνιον ἀνθοφόρον, ἐξ οὗ πορφύρα βάπτε). Sed κάλχην passim purpuram esse tradunt, & καλχαίνειν, πορφύρα βάπτειν. Quæ κάλχη, quam & χάλκην vocant, non possit eadem esse cum κάλχα, quæ Latinis suam donavit caltham, quæque aut buphthalmum aut caltha est. Nutrius enim color purpureus nec ex utravis potest tingi purpura. Κάλχην pro metallico pigmento videtur posuisse Strabo, ubi sandycem fossiticiam, quod Ἀρμένιον χρῶμα vocabatur, κάλχῃ similem esse tradit: ὃ δὴ Ἀρμένιον χρῶμα καλοῦσιν ὅμοιον κάλχῃ. Sandyx illa Armenia pigmentum est metallicum, quod non rectè flori comparetur de colore. Ergo κάλχη, cui simile traditur, pigmenti genus sit oportet, & quidem notissimi. Numenius hoc idem pigmentum χάλκην vocavit in his versibus, qui citantur à scholiaste Nicandri:

——— ποτὲ δ' αὖ μολίβῳ ἐναλίγκιον εἶδος

Ἀμφὶ δὲ κυδαίνει χάλκη ἴσον.

Notat ibdem scholiastes χάλκην esse ἄνθος ἀφ' οὗ τὴν πορφύραν ὠνόμασεν. Nescias, utrum florem an pigmentum intelligi velit. Utrumque Græcis ἄνθος. Grammatici illi, qui κάλχην & χάλκην exponunt βοτάνιον ἀνθοφόρον, ἐξ οὗ ἡ πορφύρα βάπτε), videntur τὸ ἄνθος intellexisse de flore herbæ cujusdam. Sed melius ἄνθος accipiendum de colore & pigmento. Alii enim simpliciter χάλκην esse πορφύραν dicunt, ut Hesychius: χάλκη, πορφύρα. Numenius illis versibus, quos ante attulimus, de his loquebatur, quos vipera pupugit, quorum cutis varios assumit colores. Modo enim cæruleo & aërino occupantur, modo plumbeo, interdum & purpureo, quem vocant χάλκην. Nicander eamdem rem commemorans ita scripserat:

Χροιῇ δ' ἄλλοτε μὲν μολίβῳ ζοφοειδέος ἰσχύ

Ἄλλοτε δ' ἠερόεις, ποτὲ δ' ἄνθεσιν εἴσατο χαλκοῦ.

Admonet vetus interpres in aliis exemplaribus scriptum reperiri,

.---- ποτὲ δ' ἄνθεσιν εἴσατο χάλκης.

Quam solam veram esse lectionem opinor. Male vero idem scholiastes χαλκοῦ ἄνθεα ibi de æris flore accipit. Numenius quoque tres hos colores in morsis à vipera existere scripserat, τὸν ἠερόεντα, τὸν μολύβδινον, & τὸν χάλκης, id est, purpuræ. Sic autem versus ejus legendi, qui vulgo pessime corrupti sunt:

---- ἐπ' ἰχῶρ

Ἠερόεις ποτὲ δ' αὖ μολίβῳ ἐναλίγκιον εἶδος

Ἀμφὶ ἑ κυδαίνει ποτὲ δ' ἄνθεσιν εἴσατο χάλκη.

Dioscorides pro his tribus coloribus unum tantum nominavit in his, qui à vipera icti sunt: τὴν χροιὰν δὲ ὑπόπελιδνον. Ubi fortasse legendum ὑπόγλαυκον. Sed colorem χάλκης qualis fuerit, nihil est quod melius indicet, quem χάλκανθον metallicum à colore χάλκης ita appellatum, ut ἴανθον violaceum, à colore violæ. Χαλκανθὲς vocant Strabo & Dioscorides in antiquis codicibus. Ut ergo πορφυρανθὲς, quod purpuræ colore tinctum est, ita & χαλκανθὲς, quod χάλκης. Chalcantum autem istud vulgo vitreolum nuncupant à colore vitreo. Dioscorides κυάνεον esse vult. Χάλκη igitur color cyaneus vel purpureus. Nam & cyanum florem Meleager πορφύρεον κύανον vocat, & Strabo, qui Ἀρμένιον χρῶμα simile esse κάλχῃ tradit, de vulgari Armenio pigmento intellexit, quod cærulei coloris esse Dioscorides & alii prodidere, quodque proprie Ἀρμένιον ζωγραφικὸν dicebatur, & absolutè Armenium. Sed unde κάλχη, aut χάλκη pro purpura, vel purpureo colore? Κάλχη & κάχλη idem quod κόχλος unde & κάχληξ. Hesychius: Κάχληκες τοῦ κόχλου. Conchylium ita vocaverunt κόχλον, & αἷμα κόχλου saniem illam, quæ purpureo colore inficit. Uranius in Arabicis de Abasenis: Γεωργοῦσι δὲ καὶ πορφύραν ποίην εἰκέλην αἵμα τοῦ τυρίου κοχλίου. Atque ita alii passim. Servio cochlea. Arabes purpuram vocant صدف *sadaf*, id est, cochleam. Vide quæ supra notata. Idem κάχλη, vel κάλχη, & per transpositionem χάλκη: unde πορφύραν simpliciter exposuere quidam. Nicander χάλκην inter conchylia recenset:

---- στρόμβων τε πολὺ πλέον ἢ ἐπὶ κάλχης

Κηρυκίδος, πίννης τε καὶ αἰθήεντος ἐχίνου.

Ex his nihil jam dubii reliquum est, quin χάλκην purpuram dixerint à concha purpuræ. Et conchylium præcipuè ita videntur vocasse, cujus Plinio teste color austerus in glauco, & irascenti similis mari. Sanè color χάλκης, ut ex multis constat veterum testimoniis, huic adamussim respondet. Græci recentiores κογχύλην passim pro purpura marina ponunt. Neophytus: Θαλασσία πορφύρα, ἡ λεγομένη κογχύλη. ἔστι δὲ εἶδος θαλασσίου κοχλίου. Vetus auctor κογχύλης ἐφευρετὴν Herculem tradit, quam in eadem historia Pollux vocavit πορφύραν. Inde κογχυλευτὴς in glossis, *muri legulus*. Frustra sunt itaque Grammatici, qui χάλκην herbæ florem esse nobis persuadere conantur, quo purpura tingeretur. Vocis ἄνθος ambigua significatio eos fefellit, quæ modo florem, modo colorem & pigmentum notat. Hoc etiam in fraudem illos induxit, qui ἄνθεα χάλκης & χαλκοῦ de æris flore interpretati sunt, cum de colore purpuræ aut æris accipi deberet, ut in Heraclea Rhiani:

---- φολὶς δ' ἀπέλαμπε φαεινή

Ἄλλοτε μὲν κυάνῳ, τοτὲ δ' ἄνθεσιν εἴσατο χαλκοῦ.

Nulli ibi flores æris imaginandi. Interdum colorem cæruleum, interdum æreum squamam ejus exhibere innuit. Sic ἄνθεα μίλτου Dionysii de differentibus terrarum coloribus:

Ἄλλη δ' Ἀσσυρίης ἐναλιγκίη ἄνθεσι μίλτου.

Ita vetus liber. Diversa igitur κάλχη, quæ purpuram significat, à κάλχᾳ, quæ caltham vel buphthalmum. Epicharmus: ῥαδινὰν πετάλοισι κάλχαν. Ex qua tamen voce sequentes Græci λακχὰν fecerunt per transpositionem de colore rubro, ut alibi pluribus indicavimus. Καλάκανθον pro chalcantho metallico legitur apud auctores hippiatricῶν etiam in vetustissimis libris. Apud Geoponicῶν verò scriptorem καλάκανθον herba est, quæ fugandis muribus ex domo suffitur ex Paxamo: Καλακάνθου δὲ καὶ ὀριγάνου καὶ σελίνου σπέρματος, καὶ μελανθίου θυμιωμένων φεύξονται. Glossæ Nicomedis καλάκανθον interpretantur γλαύκιον, de qua herba Dioscorides & alii. Hoc igitur & inter ὁμωνυμίας numeretur. Sed à floribus nondum discedamus.

CAPUT XXVIII.

De flammis & phlogis.

Flammas appellamus, quæ sunt veterum irides vel gladioli. Nihil habent, quare sic merito appellentur, nec in specie nec in colore. Græci veteres φλόγα appellarunt floris genus à flammeo fulgore. Hesychius: φλὸξ ἡ τοῦ πυρὸς, καὶ ἄνθος τι. Meminit Theophrastus, & odore carere dicit, qui φλόγιον etiam nominat, id est, flammulam. Perperam *flammeum* vertit Plinius & de flammeo violæ genere accepit, quasi scriptum esset φλόγινον. Corrigendus Nicandri de ea versus in floribus coronariis:

φλὸξ

Φλὸξ δ' ἦ θεῶ αὐγῆσιν ἀνερχομένης ἴσα ἔσκε.

De colore similem facit exorientis solis luci. *Auroræ colorem* nostrates vocant mulieres. Caltham esse frustra volunt quidam. Alia est *flammula* herbariorum ex clematidum genere, sic dicta ab urente folii acrimonia. *Jovis flammam vocat* Plinius & alium florem, cujus meminit lib. XXVII. cap. VII. de ampelo agria: *viticulis longis, callosis, rubentibus, qualiter flos, quem Jovis flammam appellavimus in violis.* Nullum memini florem ab eo vocatum hoc nomine in violarum mentione. Sic tamen hîc omnes libri. Capite de violis, quo earum differentias explicat, meminit floris, qui φλὸξ Græcè dictus est, quam pro viola flammea temerè accepit: *postea, quæ ion appellatur & purpura: proximè flammeum, quod vocatur silvestre duntaxat.* Ita legendum eum locum alibi docuimus. Τὸ φλόγιον apud Theophrastum pro flammeo interpretatus est, cùm sit flammula, idemque floris illius nomen ἀπονεύριστικὸν, quem alibi φλόγα appellat. Quod inter violas ejus meminerit Theophrastus, non tanquam violis congeneris, sed, quia circa idem fermè tempus floreat, putavit Plinius epithetum esse generis violæ, è colore sic vocati. Verba Theophrasti: Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ, ἢ μικρότερον τὶ ὕστερον καὶ τὸ φλόγιον καλούμενον τὸ ἄγριον. Absolutè Græcis ἴον appellatur purpurea viola. Hoc est, quod Plinius ait: *Postea, quæ ion appellatur, & purpura. proximè hanc violam floret flammula*, ἡ φλὸξ, τὸ φλόγιον. Perperam Plinius *flammeum quod vocatur.* Hæc est, quam in violis Jovis flammam se appellare heîc dicit. *Atqui flammeum* simpliciter appellasse videmus. An legendum: *Qualiter flos, quem ion flammeum appellamus in violis*, id est, violam flammeam? Certè eodem illo capite mentio ab eodem fit & alius floris, quem *Jovis florem* nominat. Hic Græce Διὸς ἄνθος. Sed diversus ille à flammula, quæ φλὸξ. Et nullus Græcis aut Latinis flos, qui Διὸς φλὸξ aut Jovis flamma dicatur. An memoriâ lapsum dicemus, & cum duum ibi florum mentionem habuerit, *flammæ & Jovis floris*, ex duobus unum fecisse, quem Jovis flammam vocavit, dum memoriâ nimis fidit. Hoc etiam possit esse: sed non video, cur *viticularum* silvestris vitis colorem *rubentem* comparare debuerit floris colori. Nihil enim aliud vult his verbis: *Viticulis rubentibus, qualiter flos, quam Jovis flammam appellamus.* At doctissimos herbarios hæc sic accepisse nollem, ut putarint, florem dictum *Jovis flammam*, ab eo statui inter genera viticularum & clematidum agrestium.

CAPUT XXIX.

De œnanthe.

Quoniam in floribus versor, adjungam his & œnanthen, cujus modo mihi in mentem venit, quæ indiscretæ cum altero flore appellationis non negligendos inseuit errores in veterum scriptis, nunc per me revellendos & ex neotericorum animis, qui eos altius in pectus demissos receperunt. Οἰνάνθη flos labruscæ, quæ alteram habet οἰνάνθην cognominem, genere disparem. Hesychius: Οἰνάνθη, ἡ ἄνθησις τῆς ἀμπέλου. ἔστι δὲ καὶ ἕτερον φυτὸν οὕτω λεγόμενον. Herba est œnanthe, quam Theophrastus inter coronamenta, quæ floribus constant, & ad coronas seri solitam scribit: Σπείρεται δὲ καὶ ἡ οἰνάνθη. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἀνθῶδες. Plinius: *odor ei, qui germinantibus uvis, atque inde nomen.* Hoc ipse de suo Plinius commentus est. Nam dictam Theophrastus autumat, quod florem habeat racemosum: Τὸ δὲ ἄνθος βοτρυῶδες καὶ λευκόν. In Græcia sine odore est. Non igitur ab odore sic appellata. Nicander:

——— ἠδ' ὅσα χαύνης
Οἰνάνθης βρύα λευκὰ καταψήχουσι νομῆες.

De hac œnanthe herba intelligendum. Notum est autem, omnes hujusmodi flores botryosos βρύα Græce dici, & propriè in olea: inde & βρύειν dicitur, cum floret, ut & vitis labrusca. *Oenanthe* in unguentis olim laudatissima: sed ambigitur, utrum illa, quæ flos est labruscæ, an quæ herba est. Theophrastus œnanthen esse herbam, ex qua unguentum fieret, clare decidit in libro de odoribus. Quin etiam non flores, sed folia ejus ad unguentum olim expeti solita myrtinum, colligimus haud dubiè ex his verbis: Ἀπὸ δὲ τῶν φύλλων, οἷον τότε μύρινον καὶ τὸ οἰνάνθινον. αὕτη δὲ ἐν Κύπρῳ φύεται ὀρεινὴ καὶ πολύοδμος. ἀπὸ δὲ τῆς ἐν Ἑλλάδι οὐ γίνεται διὰ τὸ ἄοδμον. *Oenanthen Cypriam in montanis nasci & odoratam esse, ex ejus foliis unguentum confici œnanthinum, quod non fit ex Græcanica, quia odor abest*, planè significat. Quæ non possunt de labruscæ flore accipi. Nam ibidem commemorat quænam unguenta ex floribus fierent, & sola nominat Rhodinum, leucoïnum & Susinum. Præterea, cum dicat œnanthen in Græcia prorsus inodoram esse, de labruscæ flore non quit explicari, quem certum est, in quacunque terrarum nascente labrusca, bene olere. Certè ubicunque florentis odori nulla suavitas conferenda est. Recentis præcipuè summa est flagrantia: siccam nihil aut parum flagrare comperi. Adeo cito suavis ille spiritus evanescit. Dioscorides tamen œnanthinum ex labruscæ flore siccato parari scribit & optimum haberi, quod œnanthen ipsam olet. Ad medicinæ fortasse usum hoc œnanthinum conficiebatur. Ut ut sit, profectò aliud ab œnanthino Theophrasti, quod ex foliis œnanthes herbæ odoratæ, qualis erat Cypria, fiebat. Plinius, ne quid de more suo perderet, ex utraque œnanthe fecit miscellanea lib. XII. cap. XXVIII. *Eodem & œnanthe pertinet. Est autem vitis labruscæ uva. Colligitur cum floret, id est, cum optimè olet. Siccatur in umbra substrato linteo atque in cados conditur. Præcipuè ex Parapotamia, secunda ab Antiochia atque Laodicea Syriæ, tertia ex montibus Medicis. Hæc utilior medicinæ. Quidam omnibus iis præferunt eam, quæ in Cypro insula nascitur.* Hæc œnanthe Cypria, quæ præfertur cæteris ad unguenta, non est labruscæ flos, sed herba. *Parapotamia* illa, quam ibi nominat, ex qua præcipue œnanthe labruscæ commendatur, non frequenter occurrit. Urbs Phocidis hoc nomine apud Stephanum recensetur: sed eam non putem hic habere locum. *Parapotamia* Straboni regio est Apamensibus Syriæ vicina ad orientem, quam vocatam dicit Φυλάρχου Ἀράβων Παραποταμίαν. Eam hic intellexerim. Dioscorides œnanthen labruscæ tribus è locis laudat, Syria, Cilicia, & Phœnice. Apollodorus apud Athenæum, quæ quibus in locis unguenta omnibus aliis præstantia fierent, exponens; œnanthem Cypriam & Adramyttenen ante omnes commendat: Οἰνάνθη δὲ Κυπρία καὶ Ἀδραμυττηνή: ἀμαράκινον δὲ Κῷον. Ubi οἰνάνθην vocat ipsum œnanthinum unguentum ex œnanthes Cypriæ foliis compositum, ut νάρδος dicitur & κύπρος pro nardino & cyprino. Verba Apollodori Herophilii medici integra adferam, ut apud Athenæum citantur lib. XV. quia Plinius ea ad verbum Latine reddit, ut comparari invicem possent: Ἴρις μὲν ἐν Ἤλιδι χρηστοτάτη καὶ ἐν Κυζίκῳ. Ῥόδινον δὲ κράτιστον ἐν Φασήλιδι καὶ τὸ ἐκ Νέας δὲ πόλεως καὶ Καπύης: Κρόκινον δὲ ἐν Σόλοις τῆς Κιλικίας καὶ Ῥόδῳ: Νάρδινον δὲ τὸ ἐν Ταρσῷ. Οἰνάνθη δὲ Κυπρία καὶ Ἀδραμυττηνή. Ἀμαράκινον δὲ Κῷον καὶ μήλινον. Κύπρινον δὲ προκέκριται τὸ ἐν Αἰγύπτῳ, δεύτερον δέ ἐστι τὸ Κυπριακὸν, καὶ τὸ ἐν Φοινίκῃ, καὶ ταύτης τὸ ἐκ Σιδῶνος: τὸ δὲ Παναθηναϊκὸν λεγόμενον ἐν Ἀθήναις. τὸ δὲ Μετώπιον καὶ Μενδήσιον κάλλιστα ἐν Αἰγύπτῳ

πὴω σκευάζεται. Nunc ſubjungamus verba Plinii ex iſtis Græcis expreſſa: *Irinum Corinthi diu placuit, poſtea Cyzici: ſimili modo rhodinum Phaſeli. Quam gloriam abſtulere Neapolis, Capua, Præneſte. Crocinum in Solis Ciliciæ diu maximè laudatum, mox Rhodi. Oenanthinum in Cypro, poſt Adramyttio. Amaracinum in Coo, poſtea in eodem loco prælatum eſt melinum. Cyprinum in Cypro, deinde in Ægypto, ubi Mendeſium & Metopium gratius factum eſt. Mox hæc abſtulit Phœnice, & cyprini laudem Ægypto reliquit. Panathenaïcum ſuum Athenæ perſeveranter obtinuere. Fuerat & pardalinum in Tarſo, cujus etiam compoſitio & mixtura obliterata eſt.* Vel ex unico hoc loco judicari licet, quo genio Plinius verſatus ſit in transferendis Græcis, quæ plerumque interpolat, inſertis ad rem non pertinentibus, aut etiam contra rem facientibus interpretationibus. Apollodorus hic περὶ μύρων commentarium ſcripſerat, quem & Plinius in hoc ipſo libro auctorem ſequutus eſt, ut ex indice apparet, ubi ejus nomen inter alios poſitum, quorum teſtimoniis uſus eſt: *Apollodoro, qui de odoribus.* Obiter igitur hoc expendamus. *Irinum Corinthi diu placuit, poſtea Cyzici.* Non hic Græcorum ſenſus, ſed uno eodemque tempore irinum in Elide ex Cyzico factum, quod laudaretur. In ſequentibus ubique hæc ſic interpretatus eſt contra apertam auctoris mentem. *Amaracinum in Coo, poſtea eodem loco prælatum eſt melinum.* Ἀμαράκινον Κῷον δὲ καὶ μήλινον: in Coo amaracinum ſimul & melinum præſtantiſſima fieri indicat. *Cyprinum in Cypro, deinde in Ægypto, ubi Mendeſium & Metopium gratius factum eſt. Mox hæc abſtulit Phœnice & cyprini laudem Ægypto reliquit.* At Græca Apollodori ſignificant cyprinum optimum in Ægypto eſſe: ſecundæ notæ illud haberi, quod in Cypro fiebat & Phœnices Sidone. In eadem Ægypto optime confici Mendeſium & Metopium. Et ſanè cum cypros Ægyptia omnibus aliis præſtaret, unguentum quoque cyprinum cæteris antiſtabat, quæ in aliis locis conficiebantur. *Pardalium* Tarſi unguentum, unde explicatus ſit Plinius neſcio: inauditum in omni antiquitate & indictum hoc unguentum. Pro eo habetur apud Apollodorum: νάρδινον δὲ τὸ ἐν Ταρσῷ. *Pardalium* illud ex Pliniana officina prodiit. Oenanthen repetamus. Οἰνάνθινα & Οἰνανθάρια unguenta poſteriores vocarunt, quæ ad delicias tantum & voluptatem ſuavitatis comparabantur, quibus & veſtes & menſas perfundebant. Unde & apud Lampridium in Heliogabalo *pallia de œnanthio fundari*, ſicut olim repoſuimus & expoſuimus. Oenanthia tamen illa nullam admittebant οἰνάνθην: non illam labruſcæ, nec illam, quæ herba eſt. οὐχ, ὅτι οἰνάνθην δέχεται, ταῦτα οἰνάνθια προσηγορεύθη: ita Paulus, apud quem videndi plures modi conficiendorum οἰνανθίων. Sic priſcum nomen in hoc unguento remanſit, modus σκευασίας mutatus eſt. Adeo verò ignota fuit recentioribus Græcis οἰνάνθη illa priſcorum herba, ex cujus foliis componebatur œnanthinum in Cypro optimum, ut Paulus in deſcriptione œnanthes labruſcæ floris, enarratis ejus in medicina facultatibus, ad finem hæc addiderit: Ὁ δὲ Διοσκορίδης ἑτέραν ἀπογράφει ταύτης οἰνάνθην τὴν δύναμιν ἔχουσαν, ὅθεν δεύτερά φησι καὶ στραγγουρίαν καὶ ἴκτερον ἰᾶσθαι. Hæc œnanthe herba eſt à Dioſcoride lib. III. relata, quæ nullam habet cum oenanthe labruſcæ niſi nominis cognationem. Oenanthe illa herba ad coronas uſi ſunt antiqui. Meleager tamen in Pancarpia corona, in quam omnia fere florum nomina in coronas antiquitus receptorum connexuit οἰνάνθην pro flore vitis, non pro herba videtur poſuiſſe:

Καὶ νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω.

Fruſtra hodie quærunt hanc œnanthen Herbarii noſtri, quibus in locis certum eſt eam minimè naſci: ſed fruſtra magis ſunt, qui putant ſe eam reperiſſe & perſuadere nobis volunt eſſe *filipendulam* vulgo dictam. In pratis & herboſis locis cum hanc naſci conſentiant, an non vident eo ipſo non poſſe credi œnanthen veterum, quam in petris provenire teſtantur omnes veteres. Dioſcoridi ἐν πέτραις φύεται. Theophraſto ὀρεινὴ dicitur. Scientiæ pars eſt neſcire fateri, quod neſcias. Quod longè abeſt à noſtris herbarum indagatoribus. Nihil volunt videri ignorare. Quæ fiducia ducit ad

A omnium rerum etiam notiſſimarum ignorantiam. Quid ille Botanicus egregius, qui in verſione Athenæi ex Græco οἰνοῦττα fecit herbam œnanthen? Corvos & canes inebriari, ſi herbam œnanthen degustent: Hoc modo etiam ſolere corvos capi in aucupio. Quis meminit veterum, hanc ineſſe vim oenanthæ herbæ? Ne id quidem poſſit oenanthe labruſcæ aut flos vitis. Οἰνοῦττα offa eſt vel placenta ex vino ſubacta. Grammatici μάζαν οἴνῳ δεδευμένην interpretantur. Sic μελιτοῦττα melle conſperſa placenta. Athenæus lib. X. Καὶ τὸ τῶν κοράκων καὶ τῶν κυνῶν γένος μεθύσκεται τὴν οἰνοῦτταν καλουμένην φαγόντα. Addiderunt βοτάνην,
B qui, quid eſſet οἰνοῦττα, neſciebant. Paulo poſt: Διὸ καὶ τὰς θήρας ποιοῦνται τῶν πιθήκων καὶ τῶν κοράκων μεθυσθέντων, τῶν μὲν οἴνῳ, τῶν δὲ τῇ οἰνούττῃ. Hodie quoque corvi ſturnique cicures, ut ludos præbeant, offis vino maceratis ſolent inebriari. Hæ ſunt οἰνοῦτται. Qui de herbâ onotherâ dictâ accipiunt, planè ſuaviludii ſunt. Radice ejus in potu data feras mitigari apud Dioſcoridem legi: apud Theophraſtum, mores conciliare mitiores in vino ſumptam, & hilaritatem afferre. Non ex eo ſequitur, canes inebriari eadem herba poſſe, & corvos inebriatos capi conſueſſe. In antiquiſſimo codice Dioſcoridis ὀνοθήρας & ὄναγρα & ὄνουρις
C tribus his nominibus appellatur. Apud Plinium quoque lib. XXVI. tam in indice quam in ipſo textu libri, *onotheram* ſcribunt & *onean* pro onagra. Eamdem herbam veluti diverſam recenſet lib. XXIV. inter magicas herbas ex Crateva ſub nomine *oenotheridis.* Quo loco index pariter manu exaratus, & antiqui codices onothuridem legunt: *Cratevas onothuridem, cujus adſperſu è vino feritas omnium animalium mitigaretur.* Non dubito tamen, quin verius concipiantur hæc omnia ejus nomina ex vino οἰνοθήρας, οἰνοθηρίς, οἴναγρα, & οἴνουρις. Ratio nominis, quod ejus radix, ubi ſiccata eſt, vinum oleat, & eamdem quam vinum hilarita-
D tem pota faciat. Alia fuit herba ὀνοθουρίς, quam videtur Plinius cum οἰνοθηρίδι confuſam dediſſe. Sic vocatam ſilveſtrem malvam docuit me Harpocration in Lexico περὶ φυσικῶν δυνάμεων his verbis: Ὀνόθυρσις βοτάνη, ἣν οἱ μὲν ὀνοθουρίν, οἱ δὲ ἀνομολόχην καλοῦσιν. Eſſe quam ἀλθαίαν Græci dicunt, ibidem adjicit, quæ alia eſt ab oenotheride. Oenanthen porrò, quæ herba eſt, herbarius Arabs in antiquo Dioſcoride vocat جاقسيا *baſiſia.* Quod ideo notandum duxi, quia nulla ejus mentio apud Aviſenam aut alios Arabes mihi reperta. Oenanthen labruſcæ eo nomine appellant, quod vitis
E fructum florentem ſignificat. Cæterum hanc œnanthen, quæ ex vite labruſca, nihil ad unguenta pertinuiſſe exiſtimo, ſed florem herbæ illius odoratæ. Qui contra ſentiunt ex veteribus, decepti videntur, ut in aliis, ὁμωνυμίᾳ. Montanam oenanthen ad unguenta maximè probat è Cypro inſula Theophraſtus, quia in aliis locis inodora: αὕτη δ' ἐν Κύπρῳ φύεται ὀρεινὴ καὶ πολύοδμος. Hæc agreſtis & ſponte naſcens ſaxoſis locis. Dioſcorides: φύεται ἐν πέτραις. In reliqua Græcia, ubi ſerebatur in hortis ad coronas, ſine odore erat, nec unguentis apta. Oenanthen labruſcam etiam è montibus peti ſolitam laudatiſſimam oſtendit Plinius in præfatio
F ne libri. XXIII. *Laudatiſſima in Syria, maximè circa Antiochiæ & Laodiceæ montes:* & lib. XII. *oenanthen ex Medicis montibus* tertio loco bonitatis aſſerit. Dioſcorides de compoſitione Oenanthini: Οἰνάνθην τὴν ἐκ σταφυλῆς ἀγρίας εὐώδη μαραίνας. Eligendam præcipit ad unguentum eam oenanthen, quæ odorata eſt. Hoc in herba oenanthe præcipiendum fuit, quia non omnis odorata. At flos vitis nullus non odoratus. Idem lib. V. ubi genera ac differentias vitium ac vinorum recenſet genus eſſe oenanthes tradit, quod flore tenus tantum procedit nec acinos gignit: ὃς ἄχρι τῆς ἀνθήσεως ἄγει τὴν λεγομένην οἰνάνθην. Nulla eſt labruſca, quæ non floreat deflo-
G reatque & acinos ſaltem pariat. Hoc de œnanthe herba duntaxat dici queat, quam & χάυνην propterea vocitat Nicander, χαύνης οἰνάνθης βρύα λευκά. Oenanthen labruſcæ ex his regionibus ad medicinas laudatam aſſerunt veteres, quæ nunquam œnanthini unguenti compoſitionibus celebres fuere. Dioſcorides oenanthen medicis utilem commendat in Syria, Cilicia & Phœ-

Phœnice naſcentem. Plinius ex alio auctore nomi-
nat Parapotamiam, Seleuciam & Medos montes.
Cæterum compoſitione œnanthini maxime celebra-
ta Cypros inſula & Adramyttium, ex quibus locis
οἰνάνθην ad medelas expeti quaſi præſtantiſſimam non
meminere. Quod argumentum habes, œnanthi-
num veteribus cognitum, non ex labruſcæ flore, ſed
ex herbæ œnanthes foliis fieri ſolitum. Plinius in
præfatione lib. XXIII. *Omphacio cohæret œnanthe,*
quam vites ſilveſtres ferunt, dicta à nobis in unguenti
ratione. Obiter & illud de omphacio caſtigandum,
quod in unguentorum ratione Plinius habere locum
voluit, nihil ad eandem rem pertinens. Ὀμφάκιον &
ὀμφάκινον ex nominum ſimilitudine confudit, & al-
terum pro altero ſumpſit. Ὀμφάκιον ſuccus eſt uvæ
acerbæ ὄμφακος, qui exprimebatur; eoque mo-
do, quam Dioſcorides narrat, præparabatur ac ſer-
vabatur ad uſum medelarum. Ὀμφάκινον verò ſub-
intelligendo ἔλαιον, oleum eſt ex oliva immatura &
viridi factum, odoribus plerumque accipiendis ſer-
vandiſque ſerviens. Plinius *omphacium* oleum voca-
vit, quod eſt ὀμφάκινον; & *omphacium*, qui ſuccus eſt
uvæ acerbæ, ad unguentorum mixturam tranſtulit,
cui rei oleum omphacinum debebatur. Dioſcorides:
Ἔλαιον ἄριστον τὸ ὠμοτριβὲς, ὃ καὶ ὀμφάκινον καλεῖται.
χρήσιμον δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ εἰς τὴν τῶν μύρων κατασκευήν.
Plinius lib. XII. cap. XXVII. ubi exequitur rationem
unguentariam: *Oleum & omphacium eſt ex olea &*
vite. Ridicule. Oleum eſt *omphacinum*, quod ex olea
fit. *Omphacium* verò abſolutè τὸ ὀμφάκιον, quod ex
uva exprimitur, nec oleum dicitur. *Omphacium*
mox ita deſcribit: *E vite fit pſythia aut Amminea,*
cum ſint acini ciceris magnitudine, ante canis ortum. In
prima lanugine demetitur uva ejuſque melligo; reliquum
corpus ſole coquitur. Duas etiam hic res miſerè con-
fudit. Omphacium fit ex uva, cum adhuc acerba
eſt, & necdum colorem mutavit, μήπω περκαζούσης τῆς στα-
φυλῆς, hoc eſt, quod heic ait noſter, *cum ſint acini*
ciceris magnitudine. Aliud eſt, quod protinus ſequi-
tur, *in prima lanugine demetitur uva.* In prima lanu-
gine demetitur uva, cum in flore eſt. Flores enim
tanquam lanugo uvæ. Inde & *pubeſcentem uvam* alibi
dixit pro florente. Hoc igitur ex Adverſariis traxit,
in quibus ſimiliter notaverat confectionem vini ὀμ-
φακίτου, quod ex uva pubeſcente & in prima lanu-
gine demeſſa conficitur. Dioſcorides vocat τῆς ἀμ-
πέλου τὸ ἄνθος βρυούσης. *Pubertatem uvæ* idem Plinius
dixit lib. XXIII. in præfatione, ubi ad hunc locum
reſpexit: *Omphacium qua fieret ratione incipientis uvæ*
pubertate, in unguentorum loco docuimus. Hic eſt lo-
cus, ubi hoc docuit: *Uvarum pubertatem* dici res
ipſa poſtulat, quę jam defloruit acinoſque ad plenum
formatos habet, nondum tamen variatos. *Vitem pu-*
beſcere, cum in eo ſtatu eſt, alibi oſtendimus. Atque *lanu-*
go uvæ non poteſt aliud ſignificare, quàm florem ejus
pubeſcentis, id eſt, florentis, ut idem locutus eſt lib.
XIV. in præfatione. *In prima lanugine demetitur uva,*
ejuſque melligo. Nolo vivere, ſi ſcivit ille, quid ſcri-
beret. Melliginem alibi paſſim uſurpavit pro ſucco
concreto & denſato, qualis eſt πρόπολις Græcorum,
ut lib. XI. cap. VI. *melliginem è lacrimis arborum,*
quæ glutinum pariunt. Dioſcorides in conficiendo om-
phacio ſuccum, qui expreſſus eſt ex uvis viridibus,
in vaſe æris Cyprii poſitum, & linteo operculatum,
tamdiu ad ſolem manere monet, donec totus concre-
verit & coagulatus ſit: & ſubinde verſandum eſſe
quidquid concrevit, miſcendumque eum eo, quod
nondum coactum eſt, ut unà incorporetur & ſimili
tenore univerſum condenſetur: Δεῖ δὲ περὶ κυνὸς ἐκθλί-
βοντα τὸν χυλὸν ἡλιάζειν ἐν χαλκώματι ἐρυθρῷ σκεπασμένον
ὀθονίῳ, μέχρις οὗ συστραφῇ, ὅλον ἀεὶ τὸ περιπηγνύμενον
μίσγοντα τῷ ὑγρῷ. An Plinius τὸ περιπηγνύμενον hoc
melliginem dicemus Latinè reddere voluiſſe? Volue-
rit ſane, ſed nihil in tota illa oratione cohæret, ni-
hil aptè contextum eſt. Verum omnino eſt, quod
diximus, duas illum res miſcuiſſe. Οἰνάνθην &
ὀμφάκιον junctim deſcripſit Dioſcorides, quarum illa
colligebatur ad uſum medicum, dum adhuc in flore
eſſet labruſca: hoc vero ex immatura uva exprime-
A batur. Ad omphacium illa pertinent, quæ priore
loco poſuit: *E vite fit pſythia aut Amminea, cum ſint*
acini ciceris magnitudine, ante canis ortum. Ad œnan-
then ea, quæ ſequuntur: *In prima lanugine demetitur*
uva ejuſque melligo. Reliquum corpus ſole coquitur. Nocturni
rores caventur. In fictili condita melligo colligitur. Oenanthe
flos eſt uvæ, qui in prima lanugine demetebatur
unà cum ejus melligine. Ita vocare Plinio libuit hu-
morem roſcidum floribus vitis ſilveſtris inſidentem,
qui ſimul cum flore colligendus. Contrarium tamen
monet Palladius, œnanthen ſine rore colligendam.
De œnanthe: *Silveſtres uvas, cum florent, ſine rore*
B *colligimus & expandimus in ſole, ne quid reſtet humoris,*
& flos ad excutiendum ſiccior appareatur. Sequitur apud
Plinium: *Reliquum corpus ſole coquitur.* Solum flo-
rem demeti cum rore videtur intellexiſſe; corpus
autem uvæ relinqui, ut ſole coquatur, & mature-
ſcat. Nam *coqui uvæ* dicuntur, *& ſole coqui vindemia,*
quæ ad maturitatem procedit. Hæc ridicula ſunt.
Uva ipſa florens demetebatur cum rore ipſo: ſicca-
batur in ſole. Dioſcorides in umbra vult: Οἰνάνθη
καλεῖται ὁ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου καρπὸς, ὁπότε ἀνθεῖ. ἀποτί-
θεσθαι δὲ δεῖ εἰς ἀκόνιτον ἀγγεῖον ὀστράκινον συλλέγοντας, καὶ
ξηραίνοντας ἐπὶ ὀθονίου ἐν σκιᾷ. In fictili componeba-
C tur. Quod in ſole coqui reliquum corpus dixit Pli-
nius, id ad omphacium referendum eſt, ac legen-
dum: *reliquum corpus ſole cogitur*, hoc eſt, quod Dio-
ſcorides de omphacio tradit, in ſole ponendum eſſe,
donec cogatur; & ſubinde movendum, quod con-
creverit, ut miſceatur cum eo quod liquidum adhuc
manſit. Hanc lectionem & expoſitionem id confir-
mat, quod ſequitur: *nocturni rores caventur.* Prohi-
bent quippe ſuccum omphacii concreſcere. Ideo
noctu è ſubdivo tollitur: Νύκτωρ δὲ αἴρειν ἀπὸ τοῦ ὑπαι-
θρίου. κωλύουσι γὰρ αἱ δρόσοι τὴν σύστασιν αὐτοῦ. Ergo
melliginem vocaverit ſuccum illum omphacii con-
D cretum & ſole coactum. *Optima, quæ rufa acriorque*
& aridior. Dioſcorides de omphacio ſuadet, eligen-
dum eſſe τὸ ξανθὸν, τὸ εὔθρυπτον, καὶ τὸ δάκνον τὴν γλῶσ-
σαν. Ex eo clarum eſt, *melliginem* vocaſſe Plinium
omphacii ſuccum concretum ac ſole coactum, ſimi-
lemque melligini propriè dictæ, quæ eſt πρόπολις,
ceræ genus, qua pro glutine utuntur apes. Atqui
paulò ante uvam in lanugine demeti cum ſua melli-
gine volebat, & reliquum corpus ſole cogi. Qui mi-
hi illum heic defenderit, næ ille magnus orator fue-
rit: multò minus in hoc excuſandus, ubi ompha-
cium illud in unguentis aliquem uſum habere credi-
E dit. Hoc diſertè heic tradidit. Deinde lib. XIII.
cap. de unguentis, in multis unguentorum compoſi-
tionibus τὸ ὀμφάκιον nominatim abhibet cum aliis
ſpeciebus aromaticis. Ut de metopio: *cui addidere*
mel, omphacium, cardamomum, juncum, calamum,
vinum. Item de Rhodino: *Itaque ſimpliciſſima Rhodini*
mixtura diu fuit, additis omphacio, flore roſæ. Atque
in ſequentibus paſſim, ubi pro *omphacio* debuit eſſe
omphacinum; ac de oleo viridi, non de ſucco acerbæ uvæ
concreto id accipi, cujus nullus uſus in unguentis.
Ὀμφάκιον nomine caret apud Latinos. Succum ex vi-
ridibus uvis expreſſum liquidumque, cui in con-
F dimentis hodie tantum locus eſt, *viride jus* vulgò di-
cimus. Græci recentiores ἀγουρίδόζωμον vocant, id
eſt, jus immaturæ uvæ, quam ἀγουρίδα dicunt. Le-
xicon Iatricum: Ἀμιναία καὶ ὄμφαξ ἡ ἄωρος σταφυλὴ, ἐξ
ἧς καὶ Ἀμιναῖον γλεῦκος τὸ ὀμφάκιον, ἤτοι ἀγουρίδόζω-
μον. Veterum *omphacium* ad medicinam duntaxat
parabatur, ſucco ſimiliter ex uvis immaturis expreſſo
& ſolis calore denſato. At ὀμφάκινον ἔλαιον Græco-
rum, ſuum habuit apud Latinos vocabulum. Quip-
pe *viride oleum* dicebatur. Gloſſæ: *Viride oleum* ὀμ-
φάκινον. Non culpâ itaque vacaret Plinius, ſi pro
viridi oleo Græcè dixiſſet *omphacinum*. Sed *ompha-*
G *cium* pro omphacino in ratione unguentorum ſub-
ſtituit, quod in Latina lingua non habet vocabu-
lum. Viride autem oleum ad condiendos odores
olim multi uſûs fuit. Inde oleum *conditum* τὸ ἡδυσ-
μένον, cui odores incocti fuerant, cujus in condi-
mentis nulla gratia, quam præcipuam in cibis ha-
buit viride. Hinc notata Cæſaris à magnis ſcripto-
ribus

ribus indifferentia circa victum, cui cum hospes in Gallia oleum conditum ad asparagos pro viridi apposuisset, non id aspernatus sit, sed etiam largiter ederit. *Conditum oleum* vocat Suetonius τὸ ἡδυσμένον, cui ἡδύσματα addita. Plutarchus μύρον nominat in eadem re narrata. At viride oleum τὸ ὀμφάκινον.

A

CAPUT XXX.

De asparagis.

IN illis asparagis, quoniam heîc eorum incidit mentio, quam largiter errat noster ex similitudine nominum! Græci ἀσπάραγον vocant herbam sui generis ac nominis, cujus lautissima inter hortenses cura: ἀσπάραγον iidem præterea appellant brassicæ cymam, & quemcunque teneriorem cauliculum olerum primitus è terra exeuntium. Græcis ὄρμενον vocatur. Unde πάντα τὰ ὄρμενα, quæcumque è terra prodeunt ac surgunt, ἀσπαράγους vocant. Inde *asparagus brassicæ* pro brassicæ cyma, quod κῦμα Græcis & κύημα κράμβης, idemque κράμβης ὄρμενον, & unica voce κραμβοσπάραγος in Glossis: *cuma*, ἀσπάραγος, κραμβοσπάραγος. Ita legendum. Idem etiam ὄρμενος Atticis. Athenæus: Δίφιλος δέ φησιν, ὡς ὁ τῆς κράμβης ἀσπάραγος λεγόμενος ἰδίως ὄρμενος, εὐστομαχώτερός ἐστι καὶ εὐεκκριτώτερος, ὄψεων δὲ βλαπτικός. Ἔστι δὲ δελμὺς καὶ ὀρεκτικός, καὶ ἀδικεῖ νεφροὺς καὶ κύστιν. Hæc omnia in cymam, vel asparagum brassicæ conveniunt, quæ & oculorum claritati officit, & vesicam renesque exulcerat. Plinius ad asparagum sic proprie dictum transtulit lib. XX. cap. XI. *urinam cient utilissimè, præterquam quod vesicam exulcerant.* Hoc proprium asparagi brassicæ, non aspargi ἰδιωνύμως. Addit deinde: *silvestrem asparagum aliqui corrudam, aliqui Libycum vocant, Attici orminum.* Ita enim libri. Et in indice manu exarato: *Corruda sive Libyco, sive ormino.* Aliud tamen ὄρμινος, aliud ὄρμενον. Sed Plinius eumdem facit. Orminum alibi descripsit: Venerem excitat. Inde fortasse asparagi *ormenum Venerem quoque stimulare* dixit. Hesychius: ὄρμινος σπερμόν τι. Idem oculorum albugines & maculas deterget. Ex eo etiam Plinius, *asparagum oculis claritatem afferre*, videtur adstruxisse. Nisi potius ad brassicam referendum sit, quam τοῖς ἀμβλυωποῦσι βοηθεῖν docet Dioscorides. Hinc & Plinius inter brassicæ laudes exequendas hoc etiam ponit, quod cibus ejus oculorum claritati conferat. Atque Diocles & alii Græci oculis nocivam tradunt. Unde & κράμβην, quasi κοράμβλην grammatici dictam argutantur. Columella in Horto:

> *Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble,*
> *Jamque salutari properet lactuca sapore.*

Suidas: κράμβη, οἷον κοράμβλη τις οὖσα, ἡ ἀμβλυώσσουσα τὸ διορατικόν. Mirum porro, cramben hîc reponere Columellam, cum paulo genera omnia & differentias brassicæ explicarit; & magis mirum vocare κοράμβλην ex nugatorio grammaticorum etymo. Fortasse per coramblen non brassicam, sed coriandrum intellexerit, quod κόραμβλον etiam dictum nugantur Grammatici. Hesychius: κόρεον, τὸ κορίανδρον, ἢ μᾶλλον κόραμβλον. De brassica autem oculorum claritatem adjuvante & impediente conciliabunt alii. Nos enim heic conciliaturis non insistimus. Plinius lib. XIX. cap. VIII. etiam silvestrem asparagum *orminum* dici docet: *Hunc silvestrem intelligo asparagum, quem Græci orminum aut myacanthum vocant, aliisque nominibus.* Aut perperam heic scriptum *orminum* pro *ormenum*, aut Plinii error est ὀρμῖνον accipientis ἀντὶ τοῦ ὀρμένου. Et hoc verius putabit, qui Plinium noverit. De ormino non satis convenit inter eruditos herbarum, quid sit, & quid vocetur hodie. Dum illi litigant, doceamus perperam in sativum & agreste distinguere vulgatos Dioscoridis codices. Nulla ejusmodi differentia in antiquissimo libro, qui ὄρμινον unum agnoscit, sativum nempe, sed duplicis generis semine tantum differentis: Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ στρογγύλον εὑρίσκεται φαιόν, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ἐπιμήκες & μέλαν. In uno reperitur semen nigricans & rotundum, in altero ni-

B grum & oblongum. Legitur vulgo: Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ ἀγρίου. Antiqua lectio confirmatur à Plinio lib. XXII. cap. ultimo de ormino: *Duorum generum, alteri semen nigrius & oblongum, alteri candidius & rotundius.* Non candidius in altero, sed minus nigrum. Mentio apud eumdem lib. XXVI. cap. X. *ormini agrii*, sed ibi scribendum: *& ormenos agrios.* Quod de asparago brassicæ accipiendum, cui opponitur ὄρμενος ἥμερος. Male igitur in editionibus Dioscoridis conceptus titulus, περὶ ὀρμίνου ἡμέρου. Quod tamen etiam apud Neophytum habetur, quem decepit ὁμωνυμία illius ormeni agrestis & sativi. Orminum, si quis hoc desideret, Arabicè

C dicitur جلبان *gjulben.* Non ab illis dissentio, qui putant esse, quod vulgo vocatur *orvale.* Nomen ipsum eo ducit: nam Græcis hodie dicitur ὀρμάια & ὀρμάλα. Qui Gallicas appellationes in historia plantarum Fuchsii adposuit, *silvestrem asparagum* indigetat, cum ormeno imperite confundens: quod & Plinius fecit. Qui etiam in eo peccat, quod asparago corrudæ proprium hoc nomen adscribit, quod de brassicæ asparago sive cyma dicebatur. Nam ὄρμενος teste Diocle proprie ὁ τῆς κράμβης ἀσπάραγος. Hesychius ὄρμενον exponit: τῆς κράμβης τὸ ἐκτὸς κύημα. Sic legendum. Idem tamen

D addit silvestrem asparagum à quibusdam sic vocari. Pollux ἀκανθίαν vocat ἀσφάραγον, mitiorem vero τὸν ἀπὸ τῆς κράμβης. lib. I. Ἀσφάραγος μέντοι ὁ ἀκανθίας λέγεται. Hic est silvestris & spinosus asparagus. Ὄρμενος δὲ ὁ ἥμερος ἀπὸ τῆς κράμβης καλούμενος. Hic est asparagus brassicæ, sive cyma. Apparet utrumque asparagum miscere. At lib. VI. ἀκανθίαν vocari notat ὄρμενον his verbis: Ἀσφάραγος ὁ ἀκανθίας ὄρμενος, ἥμερος ἀσπάραγος. Distinguit inter ἀσφάραγον & ἀσπάραγον: hac voce mitiorem & sativum asparagum significari, illâ silvestrem & spinosum ὄρμενον. Apud Græcos ὄρμενον id omne significat, quod in caulem exiit, ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν. Hesychius: ὄρμενα, ὁρμῶντα,

E ἐκκεκαυλημένα. Ita scribendum. Suidas: καὶ ἁπλῶς τὰ τῶν λαχάνων ὄρμενα πρῶτα ἀσπαράγους καλοῦσι. Cauliculos omnes omnium olerum incipientes, & qui vere primum exeunt ἀσπαράγους & ὄρμενα Græci vocarunt. Inde ἐξορμενίζειν apud Sophoclem pullulare, in altum surgere:

> Ἐξορμενίζει, κοὐκ ἐπισχολάζεται
> Βλάστη.
> *Tollit se in auras incessanter pullulans.*
> *Germen.*

F Inde ὀρμενόεντα λυκαψὸν Nicander dixit, & grammatici interpretantur αὐξηλικὸν incremento majori in caulem assurgentem. Talis lycapsos. Frustra igitur ille, qui ὄρμενον asparagi à Venere stimulanda dictum opinatur eruditus Herbarius. Sosipater Charisius Græcos ὄρμενον dicere, quod Romanos *cyma* adnotat, & summos cauliculos interpretatur τὸ κῦμα. Athenæus sub nomine ἀσπαράγων, tam brassicæ *cymas* quam *asparagos* propriè appellatos complexus est absque ulla discriminis distinctione. Quod moris habent in omnibus ferè homonymis veteres scriptores. Asparagum Arabes vocant

G اسفراج. Avilenæ vocatur هليون *helium.* Quod & ipsum purum putum est Græcum ἕλειον. Nomen speciei pro genere. Et species illa præstantissima ἕλειος ἀσπάραγος, quem & unica voce ἑλειασπάραγον dixerunt. Pro quo λεασπάραγον apud Hierophilum philosophum. Iisdem Arabibus brassica *karumb* كرومب quod item ex Græco κράμβη.

CAPUT XXXI.

De brassica.

HÆc brassicæ mentio, in quam incidi, advertit hic me, ut aliam proponam ex ejus nomine, non illo quidem vulgari, sed Attico antiquo ὁμωνυμίαν, quæ Plinium quoque falsa scribere adegit & aliena à proposito. Attici ῥάφανον appellarunt brassicam, quæ aliis Græcis κράμβη. Ceteri verò Græci ῥάφανον nominarunt, quæ Atticis ῥαφανὶς dicebatur. In scriptis itaque Atticorum, ut Theophrasti & aliorum, ubicumque ῥάφανος occurrit, ea brassica est: quæ dicitur illis ῥαφανὶς, aliorum est ῥάφανος & sequentium Græcorum. Hæc distinctio non observata, quæ tamen in promptu erat vel mediocriter linguæ Græcæ intelligenti, Plinium egit transversum, ita ut de raphano ea scripto prodiderit, quæ ad brassicam pertinent. Ut lib. XIX. cap. V. *Genera raphani Græci fecere tria foliorum differentiâ, crispi atque levis, & tertium silvestre.* Hæc raphanus Attica, non communis; quæ brassica est, non raphanus. Theophrastus, unde has differentias raphani sumpsit: Τῆς δὲ ῥαφάνου τελχῆ διῃρημένης, ἡ λειοφύλλου τε, καὶ λοφοφύλλου, καὶ τρίτης τῆς ἀγρίας: ubi legendum οὐλοφύλλου τε, καὶ λειοφύλλου. Athenæus ex Theophrasto: Τῆς δὲ ῥαφάνου κράμβην λέγω, ἡ μὲν ἐστιν οὐλόφυλλος, ἡ δὲ λειόφυλλος, ἡ δὲ ἀγρία. Subjicit ibidem Plinius discrimina raphani ex Latinorum observatione petita, quæ communem raphanum spectant: Hæc *radix* Latine. Glossæ: *Radix*, ῥίζα δένδρου καὶ ῥάφανος. Isidorus: *Raphanum Græci, nos radicem vocamus.* Neophytus: Ῥάφανος, Ῥωμαίοις ῥάδιξ νόσεως. Burgundi quoque mei vocant *radicem*, quæ est raphanus. Latini nihilosecius & *rafanum* dixere: unde fluxit Italicum hodiernum *rafano* & Hispanicum *ravano*. Plinius multis aliis locis hanc raphanum de Attica ῥαφάνῳ interpretatur, quæ illis brassicam designat, ut lib. XVII. cap. XXIV. *Quorumdam natura non necat quidem, sed lædit odore aut succi mixtura, ut raphanus & laurus vitem.* In Græcis Theophrasti, unde hæc sunt expressa: Ἔνια δὲ οὐ φθείρει μὲν, χείρω δὲ ποιεῖ ταῖς δυνάμεσι τῶν χυλῶν καὶ τῶν ὀσμῶν, οἷον ἡ ῥάφανος καὶ ἡ δάφνη τὴν ἄμπελον. Theophrasto, qui Attice loquutus est, ῥάφανος non raphanum significat, sed brassicam. Alias nihil notius quàm brassicam viti esse inimicam. Hesychius: Ῥαφανὶς καὶ ῥάφανος διαφέρει παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς: ῥάφανος μὲν γὰρ ἡ κράμβη, ῥαφανὶς δὲ ἡ παρ' ἡμῖν ῥάφανος. Ergo & ῥαφανὶς apud Theophrastum est vulgaris raphanus: ῥάφανος verò brassica. Raphani sive radicis duo tantum genera: sativum & agreste. Mitiorem, quæ satu venit, Græci πρωξίμην dicunt, Latini veteres *panariam*, quia cum pane ederetur cruda, præcipuè à rusticis. Galenus lib. II. de ciborum facultate: ὠμὴν μὲν οὖν ἐσθίουσιν αὐτὴν μόνον τὸ πλεῖστον οἱ κατὰ τὰς πόλεις ἄνθρωποι, πρῶτον οὖν ἁπάντων μετὰ γάρου, ὀλίγοι δὲ καὶ ὄξος ἐπιχέουσιν, οἱ δὲ ἀγροῖκοι καὶ μετ' ἄρτου πολλάκις προσφέρονται παραπλησίως τοῖς ἄλλοις αὐτοφυέσι φυτοῖς. Inde raphanus panaria dicta. Auctores veterinarii cap. CIƆXXI. Ῥέφανον πανάρια συντρίψας. Quod & alibi occurrit. Dicitur & πρωξίμη apud eosdem, ad differentiam τῆς ἀγρίας. cap. LIX. Ῥεφάνου τῆς πρωξίμης. Agrestem raphanum Latini dixere *armoraciam*. Plinius lib. XIX. cap. V. *Etiamnum unum silvestre, Græci agrion vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciam.* Alibi tamen sativam facit lib. XX. cap. IIII. *Est & sativi usus in Italia, & armoraciam vocant.* Sibi ipse igitur contradicit. Sed librarii in culpa, vel correctores. Scriptum in libris: *est ivosus in Italia.* legendum itaque: *est ejus usus in Italia.* De raphano silvestri loquitur in iis, quæ præcedunt. Glossæ: *Armoracia*, ῥαφανίδες. Ita vocarunt posteriores raphanum silvestrem τὴν ῥαφανῖδα: mitem autem & sativam, ῥάφανον. In iisdem glossis *arboracia* exponitur καρδία δένδρου. Et videtur sanè idem nomen *arboracia* & *armoracia* ex cognatione litte-

A rarum M. & B. & permutatione invicem. Raphanus aspectu interiorem arboris medullam planè refert. Idem Plinius ῥαφανῖδα Theophrasti Latinè *napos* transtulit, cum sint raphani. At napi sunt βουνιάδες Græcè. Ea re id videtur existimasse, quia βουνιάδος, id est, napi apud Theophrastum nulla est mentio, idcirco ῥαφανῖδας illius auctoris pro raphanis accepit, & ῥαφανῖδας pro napis. Veteres autem Critici censent, Theophrastum nomine masculæ γογγυλίδος (nam id genus in masculum & feminam dividit) comprehendisse napum, id est, βουνιάδα. Galenus parum interesse dicit, utrum quis βουνιάδα dicat, an γογγυλίδα, B cujus hæc verba sunt ex lib. II. de ciborum facultatibus: Εἴτε γογγυλίδα καλεῖν εἴτε βουνιάδα βούλοιο τὸ φυτὸν τοῦτο. Sane γογγυλὶς propriè dicitur, quæ rotunda est ac globosa: nam id Græce γογγύλον significat. Unde γογγύλοι ῥαφανίδες Nicandro: & γογγυλίδια parvæ pilulæ. Græci: γογγυλίδια τὰ μικρὰ καταπότια; εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸ σχῆμα ὁμοιότητος. Cyclamini radicem, quæ rotunda est, similem γογγύλῃ tradunt scriptores. Alia est figura napi, siquidem id sit, quod hodie vocatur. Longa quippe ac teres, non globosa. C Βουνιὰς tamen idem ferè sonat appellatione, quod γογγύλη: sic enim dicta est, quod in tumulum ac veluti globum collecta sit. Græci antiquissimi ῥάπυν vocarunt, qua βουνιὰς fuit dicta posterioribus, id est, napus, ut iidem Critici volunt. Speusippus: Ῥαφανὶς, γογγυλὶς, ῥάφυς. Quod Latine liceat vertere: *Raphanus, rapum & napus.* Nam γογγυλὶς, ῥάφυς est Latinorum, qui tamen ex ῥάφυς, vel ῥάπυς fecerunt suum rapum. Athenæus: Τὴν δὲ ῥάφυν Γλαῦκος ἐν τῷ ὀψαρτυτικῷ, διὰ δὲ τοῦ ψιλοῦ καλεῖ ῥάπυν. τισὶ δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ὅμοιον, εἰ μὴ ἡ νῦν προσαγορευομένη D βουνιάς. Hesychius: ῥαπὶς est γογγυλὶς, id est, rapa. Idem ex Tryphone: Τρύφων δέ φησι παρὰ Δωριεῦσι τὰς μικρὰς ῥαφανῖδας λέγεσθαι, τὰς δὲ μεγάλας ῥάφας. Ergo Doricum ῥάφα, unde Latinum *rapa*, ut πορφύρα *purpura*. Ex his utique constat, nomine γογγυλίδος etiam napum intellectum Theophrasto. Hæc vox facta ex νάπυ, quæ Atticis τὸ σίνηπι denotat. Quidam etiam rapum sic vocarunt ex antiquis Græcis. Hesychius in glossis: Σινάπυξ γογγυλίς. Hæ nominum permutationes non olim tantum, sed etiam hodie pervulgatæ. *Rapa* vocant Parisienses, quæ E in provinciis *radices* vocantur, id est, raphani. Aliis rursum napi aliorum rapa. Plinius lib. XX. cap. IV. *Buniada*, quam alteram napi speciem facit, *rapo & raphano similem* memorat. Columella Græcas voces in horto retinuit, quo napum & rapum expressit:

Gongylis, illustri mittit quam Nursia campo,
Quaque Amiterninis defertur bunias arvis.

Animadvertendus etiam heic par ceteris ejus peccatis Plinianus error & ex simili causa, quo βούνιον & βουνιάδα sub idem genus refert, quæ penitus genere disparata sunt: *Naporum duas differentias & in* F *medicina Græci servant, angulosis foliorum caulibus florentis, quod bunion vocant: alterum genus buniada appellant, & raphano & rapo simile.* Longe major inter βούνιον & βουνιάδα differentia est, quam inter ῥαφανῖδα & ῥάφανον Atticorum, id est, brassicam & raphanum, quæ tamen in eamdem familiam & cognationem compelli non possunt. Multo minus βούνιον & βουνιὰς congeneres existimandæ. Unum tantum genus buniadis sive napi agnoscit Dioscorides, de quo agit lib. secundo. At lib. quarto βούνιον & ψευδοβούνιον inter cacaliam chamæcissum locavit. Quis sibi persuaserit congeneres plantas ab eo tanta locorum intercapedine disjunctas fuisse? Plinii tamen auctoritas clarissimos G Dioscoridis interpretes impulit, ut βούνιον napum Latine verterent, & napum silvestrem esse vellent. Quasi verò, si ita esset, napo sativo non subjunxisset descriptionem

nem hujus agrestis napi, ut in raphano, brassica, pastinaca & aliis similibus facere consuevit. In antiquissimo codice Dioscoridis βουβώνιον invenio scriptum pro βούνιον hoc modo: Βουβώνιον, οἱ δὲ Ἄκτιον καλοῦσι. βούνιον fortasse verius. Aster Atticus *bubonium* cognomine fuit, quod inguinum remedio efficax esset. Ἄκλιον vero corrigendum pro ἀρκτῶν apud Galenum & Paulum in hujus herbæ cognominibus: & videtur ἄκλιον & βούνιον appellata, quod ἐν ἀκταῖς & βουνοῖς nasceretur. Tumulos terræ & extantes verrucas collesve ita Græci vocant. Æoles δουνὸν, inde *dunum* vetus Gallicum. An βούνιον herba, quod ex ea stramenta fierent? nam βουνὸς etiam stramentum herbis aut alia re factum. Quidquid in tumorem exsurgit, ita vocarunt. Unde & βούνιον, id quo mulieres sunt, appellatum, & corruptè apud recentiores Græcos μούνιον. Ex eo Ἀργομουνιατικὸν tributi genus, quod solvere debere debent in Chio viduæ, quia pars illa earum feriatur. Hesychius: Βούνιον, πόας εἶδος. De hoc bunio intelligit. At βουνιὰς napus dicta à radicis tumida amplitudine, quamvis amplior sit rapa. Alterius semen in alterum transire, & pro rapo napum & è contra existere sunt Auctores rei rusticæ veteres, qui tradant. Βούνιον vero Neophytus & synonymorum Dioscoridis auctor, Latinis *scopam regiam*

A nomen habere asserunt. Scribonius Largus oxymyrsinen Græcorum *scopam regiam* esse vult cap. XXXIX. *Oxymyrsine scopa regia dicitur.* Eadem & *ruscus* Latinè. Glossæ σιδηρῖτιν interpretantur, *Scopa regia* σιδηρῖτις βοτάνη. Mentio scopę regiæ apud Plinium lib. XXI. cap. VI. inter violas & calthas, sed ex quo non possis colligere quod genus floris aut herbæ fuerit. *Est enim gravis caltha, non leviore, quàm scopam regionam appellant; quamquam folia ejus olent, non flores.* In indice, qui spectat ad hunc locum, regium B florem inscripsit: *Ia, caltha, regius flos, bacchar* med. XVII. ita scribendum. Ergo *regius flos & regia scopa* idem. At lib. XXV. cap. V. inter sideritidas herbas eam, quæ latissimo est folio, *scopas regias* à Romanis vocari tradit. Hoc sequutus auctor glossarii, qui σιδηρῖτιν *scopam regiam* interpretatur. Fortasse helxine, quæ σιδηρῖτις etiam appellata est, in societatem venerit hujus nominis ab everrendis vitreis poculis: Unde & *abstergum* dixerunt. De nulla alia sideriti hoc Latinum nomen factum putarem. Ceterum non mirum pluribus herbis hanc C inditam appellationem, quæ scoparum usum præbuerint. Scopam regiam, oxymyrsinem & ruscum tria hæc ejusdem stirpis συνώνυμα, pro tribus distinctis generibus Plinius descripsit.

CAPUT XXXII.

De casia herba & casia aromate.

NOn minorem porro rusticitatis & inscitiæ notam merito incurrisse censendus est, cum pro brassica raphanum lectoribus suis apposuit & βούνιον pro buniade, quam, cum casiam herbam apibus gratam, pro casia aromate Indico obtrudere laboravit. Quid enim putamus aliud voluisse hac sententia, qua de casia Indica agens, eam seri in Romano orbe scribit, & juvare in alvearibus apum satam? Quod profecto non est alîus modi, quam, si quis hortense balsamum idem esse contendat cum balsamo frutice Judaïco. Casiam illam & balsamum in hortis Europæis solita seri junxit Columella in horto suo:

Fert calathis violam & nigro permista ligustro
Balsama cum casia nectens croceosque corymbos.

Qui casiam festinabit heic pro aromate accipere, idem censeat per me licet & balsamum pro vero balsamo positum esse. Hujus balsami hortensis etiam meminere Geoponicῶν compilatores lib. XI. Τὸ σάμψυχον ἐκ σπέρματος σπείρεται καὶ μεταφυτεύεται Ἀπριλλίῳ καὶ Μαΐῳ, ὡσαύτως κόστος, καὶ βάλσαμον αὐτόῤῥιζα Νοεμβρίῳ μηνὶ φυτεύονται, ὀδώδη ἔχοντα τὴν ὄσφρησιν. Ubi etiam notabis costum inter hortenses & odoratas herbas. Balsamum porro illud non est *balsamita* vel *balsamina* officinarum, de qua consulendi sunt Herbarii nostri. Βαλσαμίνην etiam reperio apud Græcos recentiores, sed buphthalmum hoc nomine vocatum docent. Βούφθαλμον, οἱ δὲ βαλσαμίνην καλοῦσι. Nomen factum, ut καρδαμίνη, ab odore vel facie cardami. Sic βολβίνη, bulbo similis. Latini in *aca* hæc terminant, ut *cardaminaca*, quæ Græcis καρδαμίνη Apulejo teste: *Securiclaca* à similitudine securis, quę Græcis πελεκῖνος.

D Ubique corruptè hoc nomen efferunt herbarii ex vitiosa scriptura, quæ in libris Plinii pervulgatur, *securidacam* vocantes, *Securicla* est πελέκιον. Ut *filicla*, circli & similia, inde *securiclaca*, aut *securiclata* herba, ut *personata*. Sed & *portulacam*, & *lingulacam*, & *verbenacam*, & *proserpinacam* dixere. Latini *verbenam* vocant omnem herbam, quæ sacris adhibetur, ex Græco ἱερὰ βοτάνη, quæ Æolibus βιερβετάνη: inde *verbena*. Festus *herbas puras* interpretatur, quæ ex loco sacro sumebantur, coronandis fæcialibus fœdera facturis aut bella indicturis. Item omnes herbæ sacratæ festæque frondes, quibus aræ coronabantur, ita dictæ: *Ex ara sume hinc verbenas tibi.* Menander μυρσίνης κλάδους dixerat. Glossæ: *verbena*, E θαλλία. Ex eo *verbenaca* herba sic proprie appellata, quam Græci περιστέρεον vocant & ἱερὰν βοτάνην. Scribonius Largus: Ἱερὰ βοτάνη, *quam nos verbenacam dicimus.* Malè est in editis *vettonicam*. Sed hæc obiter. Sic igitur βαλσαμίνη à balsami odore vel virtute. At *balsamum* etiam hortense, τὸ βάλσαμον, genus herbæ odoratæ. Charito βάλσαμον κηπευτὸν vocat. In Antidotario veteri & aliis Lexicis Iatricis legi, sisymbrium hoc nomine appellatum. Sane & rustici nostri menthæ genus vocant balsamum. Sisymbrium autem simile menthæ sativæ. Costum quoque tale aliquod genus in hortis nascens & ab aromate Indico dispar. De casia hortensi, quam frustra nolunt esse thymeF læam, cum sit κνέωρον, nobis alibi dictum. Quidam hyssopum, alii sampsuchum interpretati sunt ex antiquis Grammaticis. Hæc Servio eadem cum Indico aromate, ne Plinium indigneris, aberrasse sine comite.

CAPUT XXXIII.

Acorum.

QUod pro acori radice vendunt officinæ, & plerique præscribunt Medici, ab aro antiquo longissime distare; quin imo & contrariis facultatibus præditum esse jam constat. Butomum esse, quod sumitur hodie pro acoro, quibusdam placet, non mihi. Folia liliacea tribuunt Veteres butomo. Democritus in Excerptis Geoponicis lib. 11. cap. περὶ ὑδροφαντικῆς

G ita de eo scribit: Βούτομον γίνεται ἐν τοῖς ἕλεσι, φύλλα δὲ ὅμοια φέρει λειρίοις, οἱ βόες αὐτὰ ἡδέως βόσκονται, καὶ ἐκβλαστοῦσιν ἐκ μιᾶς ῥίζης, οὐ καθ' ἕν, ἀλλ' ὡς θάμνοι. Vulgare acoron iridis magis habet folia, quam lilii. Longius etiam aberrant, qui volunt, majorem galangam esse legitimum acorum. Major galanga in India tantum nascitur, veteribus prorsus incognita. Acorum veteribus è Ponto, Galatia

 Colchide

Colchide atque etiam Creta peti ſolebat. Sed ne deſcriptio majoris galangæ uſquequaque cum acori effigie convenit. Haud ſcio etiam, an Græcis recentioribus credendum, qui *ἄκορον* interpretantur *κάλαμον ἀρωματικόν*. Hinc pleriſque oborta ſuſpicio, id quod vulgò pro calamo aromatico uſurpatur, acorum eſſe verum. Eodem argumento poſſet quis pertendere, ſchœnum odoratum idem eſſe cum ſio, quia Græci ſimiliter *τὸ σίον* vocant *σχοῖνον ἀρωματικόν*. Sed hæc alii viderint. Acoron Arabes vocant وج *ugi vel vegi*. Qui nec videntur plantam habuiſſe cognitam. Serapio verbis eam Dioſcoridis deſcribit, nec ullos citat Arabes auctores, qui deſcripſerint. Aviſena acoron radices eſſe dicit plantæ ſimilis papyro, hoc eſt, البردي *alburdi*. Sic vocant Arabes Niloticum juncum, qui papyrus veteribus. Nihil autem habet ſimile acorum veterum cum papyro. Mucronata quidem utrique folia, ſed figura diſpari. Multa alia diſſonant. In lexico tamen Granatenſi *burdi* etiam exponitur *acorus*, *gladiolus*. Quod aquatica ſit & paluſtris planta acorum ita videntur appellaſſe. Nam & *πάπυρον* Græci non ſolum Ægyptiam plantam, ſed & *φλοιῦ* ſive *ſcirpum* vulgarem hoc eodem nomine nuncuparunt. Et antiqui Lexici Latino-arabici Auctor بردي interpretatur *juncum biblon*. In aquis ac fluentis naſci ſuum illud acoron ſcribit Aviſena. Apud Neophytum & Auctuarium Dioſcoridis in antiquis libris, reperio vocari *πεπερέκιον*. Quod fortaſſe ſcriptum pro *παπυρέκιον*, ut *papyraceum* Latini vocarint hoc acoron à ſimilitudine papyri. Ex ſimili aliquo auctore ac nomine videtur eam ſententiam hauſiſſe Aviſena, qua ſcripſit acori plantam eſſe ſicut papyrum. In antiquiſſimo exemplari Apuleji de herbis legitur *piperapium* unica voce, quod eſſe volunt disjunctum *piper apium*: quia mox perhibet, ne apes examinent ac diffugiant, herbam Veneriam (ſic acoron appellat) in vaſe apum ſuſpenſam haberi. Non tamen putarim, eam eſſe rationem nominis. *Et piperapium* omnino ſcriptum cenſeam pro *piperacium*, ut habetur apud Neophytum. Sollemnis hæc antiquis libris conſuetudo P pro C ponere. Sic hodie *diptamnum* barbari vocant pro dictamno: *cercopithepus* in notis Tyronis ac Senecæ etiam antiquiſſimi libri ſcriptum præferunt pro *cercopithecus*. Nec dubito, quin *piperacium* dictum ſit acorum pro *papyracium* à papyri ſimilitudine, ut aſtruit Aviſena; qui & viroſi tætrique odoris eſſe acoron prædicat. At è contra veteres omnes non ingratum odore eſſe tradunt. Dioſcorides de radicibus acori: *Δριμείας τῇ γεύσει καὶ τῇ ὀσμῇ οὐκ ἀηδεῖς*. Idem Plinius,

A Galenus, & ceteri omnes. Aliam igitur herbam pro acoro accepiſſe videtur auctor ille. Fortaſſe quæ ſpathula fœtida vulgo vocatur, pro acoro ſumpſerit. Ea ſimiliter ut acoron folia iridis habet, ſed minora & anguſtiora. Interpres quoque Serapionis acorum exponit *ſpathellam*, quod idem eſt cum ſpathula, & gladioli ſignificationem habet, quo nomine acorus dicitur in lexico Gratanenſi. Et *gladiolum aquæ* vulgò nominant acorum commune. *Spathula* tamen fœtida non provenit in aquis, ſed circa ſepes ac dumeta. Apulejus pſeudonymus acorum in hortis ac locis cultis pratiſque creſcere dicit. Diverſum igitur à vero acoro, quod in aquoſis naſci amat ac paludo- B ſis. Et ſanè non unam rem nomine acori vocarunt veteres. Tradit Plinius, radicem oxymyrſines à quibuſdam acorum fuiſſe appellaram lib. xxv. cap. XIII. *Nec non inveniuntur, qui oxymyrſines radicem acoron vocant, ideoque quidam hanc acorion vocare malunt*: ita legendus ille locus. Ad diſtinctionem ac ne confunderentur, alteram quidam vocabant *ἀκόριον*, alterum *ἄκορον*. In indice ſcribitur: *Acoron, ſive acrion. Lege Acoron, ſive acorion.* De acoro agno, nugæ. Aupuleji itaque acoron conſtat non eſſe verum acoron, quod in aquoſis naſci etiam Plinius teſtatur. De radicis tamen colore non conſentit cum C Dioſcoride. Hic *ὑπολεύκους* facit, Plinius nigras: *Acoron iridis folia habet, anguſtiora tantum & longiore pediculo; radices nigras minuſque venoſas.* Germanum acoron oſtendit ac deſcribit Cluſius lib. II. Hiſtoriarum, cui & radices adſcribit candidas. Caulem habet in imo quaſi triangularem, ut papyrus: panniculam ſive nucamentum pro flore geſtat, julis corylorum initio ſimilem: aquoſis gaudet. Eum omnino vide. Rarò inveniri acoron ſuum dicit Apulejus, nec ſciri poſſe niſi cum floſculum emiſerit. Optimum in Colchide & Galatia inveniri narrat Dioſcorides, quod *ſplenium* vocabatur ab effectu ſplenis minuendi. Ita enim corrigendum apud Dioſcoridem: *Τοιοῦτον δέ ἐστι τὸ ἐν Κολχίδι καὶ τὸ ἐκ τῆς* D *Γαλατίας σπλήνιον λεγόμενον.* Ita etiam habet Neophytus: *Τοιοῦτον δέ ἐστι τὸ ἐν Κολχίδι καὶ ἐν τῇ Γαλατίᾳ σπλήνιον λεγόμενον.* A liene ſanando *ſplenium*, ut thapſia *ὑπώπιον* à ſugillatis emendandis. Plinius de acori radicibus: *Optimæ Ponticæ, dein Galaticæ, mox Creticæ; ſed primæ in Colchide.* In antiquo codice habetur: *Optimæ de ſpecie Galatia.* Forte corrigendum: *Optimæ de ſpecie Galatica.* Optimas eſſe ait radices de ſpecie, quæ naſcitur in Galatia. Alpinus notat cyperum in Ægypto vocari *hodueg*: id eſſet, عودوج. E quod ſonat lignum acori. Hoc mirum: nam cyperum Arabibus سعد *ſabud*.

CAPUT XXXIV.

De papyro.

LOngè major eſt homonymia in papyri appellatione vulgari. Ibi ſaltem ſpecies pro ſpecie abuſive ſumpta eſt: hic totum genus mutatur. Nec ſimplex facta *κατάχρησις* in hoc nomine, ſed geminæ. Prima eſt, qua papyrum vocamus pro charta: nam charta ex papyro fiebat. Deinde eo vocabulo abutimur ad rem ſignificandam, quæ nihil ex papyro habuit. Papyrus, ut notum, paluſtris planta Ægypto peculiaris. Charta, in qua ſcriberent, ex ea conficiebatur veteribus. Modum conficiendæ docet Plinius, & nos alibi explicavimus. Nunc papyrum dicimus, quæ charta eſſe debuit; quæ tamen non ex papyro fit, ſed ex linteis concerptis, contuſis, & in pultem redactis, in formula extenſis, & ad ſolem ſiccatis. Molendinaria ad hoc fuit. Chartæ ſaltem germana ſignificatio in hoc manſit, quod non ſimplicem plagulam ſic hodie

F vocamus, ſed quicquid ex pluribus veluti foliis compactum & conglutinatum eſt, ut ſunt *charta luſoria*, & *chartones*. Ita olim fiebat charta ex pluribus papyri philyris junctis inter ſe glutino & contextis. Quod hodierna ſervat appellatio in chartis, quibus tamen non ſcribitur. At papyrum vocamus, quæ charta dici non quit, quia ſimplex eſt: chartæ verò compoſitæ. Multò minus papyrus eſt, quia proprie papyrus planta eſt Ægyptia, non res aliqua factitia, ſicut papyrus noſter. Abuſus ex eo videtur originem ſumpſiſſe, quod Poëtæ ſæpe papyrum pro chartis & libris uſurpant, quia ex papyro G fierent. Inde vulgaris uſus, quicquid ſcribendo factum fuerat, papyrum vocavit, etiamſi ex papyro non eſſet. Aliquot vidi monumenta in antiqua charta ex vera papyro ſcripta, quæ vulgus perperam accipit pro corticibus arborum: Inſtrumentum ſecuritatis

tatis pupillaris tutelæ extat in Regia bibliotheca sub Justiniano scriptum, quod in vera charta cubat, ex papyro antiqua compositâ: Aviti Viennensis fragmenta in bibliotheca Puteanorum charta vetus exhibet, è papyro Nilotica contexta, non ex arboris A cortice, ut vulgo opinantur: Sergii Papæ constitutionem, quæ in monasterio Divi Benigni servatur, pariter in charta veteri perscriptam, quam habent inde monachi pro cortice arboris.

CAPUT XXXV.

De cucumeribus & melonibus.

QUis neget, alio significatu *citrullum* appellare Parisienses & Latinos barbaros? Siquidem isti cucumerem hoc nomine vocant, illi cucurbitam. Rectius, quibus est cucumis. A colore sic vocatur. *Citreus* & *citrulus* idem, coloris nempe citrini; ut russeus & russulus. Cucumerum citrinorum meminit Plinius, qui tamen in veteribus libris *cerini* sunt, ut alibi diximus. Scaligero pœnas dat Cardanus, quod citrulos & angurias confundat: sed ita loquuti sunt plerique recentiorum, ut *anguriam* vocent cucumerem quemcumque. Scio, genus quoddam ita proprie appellatum aquoso intus liquore scatens, alias prædulci, alias subacido, restinguendæ siti per calores adprimè opportuno. Sed Græci, qui postremi imperii temporibus scripsere, ἀγγέρια passim vocant, quem vetustiores σίκυον. Atqui σίκυος antiquis Græcis noster cucumis vulgaris. Aëtius σικύους explicat ἀγγούρια. Suidas: Σίκυα τὰ πετράγγουρα. Non distant autem ἀγγούρια à tetranguris, nisi magnitudine. Hæc quippe majora: unde apud Achmetem in conjectandis somniis, τὰ πετράγγουρα amplius quid protendunt, quam ἀγγούρια: εἰ δὲ πετράγγουρα, μείζων ἡ πίσις καὶ πισοτέρα. Tria ibi genera facit πέπονας, ἀγγούρια & πετράγγουρα. Ergo ἀγγούρια cucumeres communes ibi esse debent, qui priscis σίκυοι. Nam & ipsi distinguunt πέπονας & σικύους. Constantinus de imperio castelli cujusdam meminit vocati πετραγγουρίου, quod parvum esset sicut ἀγγούριον, id est, cucumis: πετραγγούριον δὲ καλεῖται, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ μικρὸν δίκην ἀγγουρίου. Adeo parum differunt, ut alterum exponat per alterum. Simeon Sethi de facultatibus edulium: ἀγγούρια τὰ λεγόμενα σίκυα, καὶ κοινῶς δὲ πετράγγουρα. Apud Charitonem medicum unum ex Græcis recentioribus κιτράγγουρον reperio pro πετράγγουρον aliquot locis, ut in compositione trochiscorum ad rejectionem sanguinis facientium: Σπέρμα κιτραγγούρου κεκαθαρισμένου καὶ ἀνδράχνης. Item in trochiscis διὰ τελῶν σανδάλων cognominatis: Σπέρμα ἀγγουρίου καὶ κιτραγγούρου. Nihil aliud est κιτράγγουρον, quàm κίτρινον ἀγγούριον, id est, citrinus cucumis. Ex qua voce Latini barbari fecisse videntur citrangulum, quod tamen non pro cucumere citrino, sed pro citreo malo usurparunt. De quo alibi. Idem igitur κιτράγγουρον Charitonis cum citrulo Latinorum: certè idem nomen est. Alibi idem Charito ἀγγούριον & πετράγγουρον conjunxit, ut in trochiscis ex camphora factis: σπέρμα ἀγγουρίου καὶ πετραγγούρου. Vocem *anguriæ* Latini Græcis debent, ut infra dicam. Scaliger Julius *anguriam*, quatenus apud Italos stricta appellatione accipitur de aquoso illo genere, in cujus concavitate continetur copiosus liquor & suavis, putat eandem esse cum *batheca*. Apud Avisenam cap. XCI. *batheca* videtur pro pepone usurpari, ita quippe accipit Interpres. Eo cap. batheca distinguitur à citrulo & melone. Atqui *citrulus* est communis cucumis. *Melo* idem cum melopepone. Sic *batheca* erit pepo. Ita enim apud Græcos hæc tria distincta reperiuntur, σίκυοι, πέπονες καὶ μηλοπέπονες. Idem Avisena cap. CLXXIX. tres species commemorat diversis vocabulis *cheta*, *chaiar* & *bathiech*. Per *cheta*, sativum & vulgarem cucumerem intelligi volunt, qui σίκυος ἥμερος Dioscoridi dicitur. Difficulter in stomacho corrumpi ait. Quod proprium cucumeris, quem *vivere haustum in stomacho* dicit Plinius, & *durare in posterum diem*. Adeo est morosæ digestionis. Interpretes *alcheta* exponunt cucumerem intortum, & oblongum, qui vulgo citrulus dicatur: iidem tamen *chaiar* etiam esse dicunt usitatum cucumerem. Alia habent vocabula, quibus has species

B distinguant. *Alzachi* vocant eam speciem, quæ proprie *anguria* quibusdam Italiæ populis appellatur, aquâ multâ prædulci intus abundans & sedandæ siti in primis faciens. *Cucumis* Etruscis vocatur; qui *citrulum* vocant, quem aliæ Italiæ gentes cum Gallis nostris & vetustis Romanis, *cucumerem*. In viatico Constantini multis locis tres has species commemoratas conspicio, *citrulum*, *cucumerem*, & *melonem*, ut lib. III. *Semen melonis*, *cucumeris*, *citruli*, *cucurbitæ*. Item: *semen melonis*, *cucumeris*, *citruli*, *cucurbitæ*. In Græco, unde translatum illud viaticum fuisse suspicor: Σπέρμα μηλοπέπονος, ἀγγουρίου, πετραγγούρου σικύας.
C Si per *citrulum* interpres ille communem cucumerem intellexit, ut vulgo loquuntur Etrusci, palam est cucumeris nomine *anguriam* propriè appellatam designari voluisse, quomodo & eam Etrusci nominant. Ita ergo & ἀγγούριον Græcorum sumpsisse videtur. At πετράγγουρον pro citrulo, sive vulgari cucumere. Sanè & Simeon Sethi τὸν σίκυον, id est, cucumerem vulgari Græcorum dialecto πετράγγουρον dici notavit. Nihil intricatius istis appellationibus, cum apud veteres, tum apud hujus ætatis nationes: usque adeo turbata omnia nominum permutatione. Summa duo genera apud Palladium nominantur, cu-
D cumeres & melones, quæ hodieque divisio generalis obtinet, atque eadem etiam, ut quidem opinor, significatione. Frustra enim sunt, qui *melones*, quos sic vocamus, diversos putant à *melonibus* Palladii. Iidem autem illi sunt cum veterum Græcorum melopeponibus. Auctor Georgicarum Eclogarum Græcus similiter horum generum divisionem inter hæc duo consistere facit nomina τοὺς σικύους καὶ τοὺς μηλοπέπονας. De melonibus suis scribit Palladius odoratos fieri, *si eorum semina multis diebus inter rosæ folia sicca mergantur*. Florentinus de melopeponibus paria tradit: Τοὺς δὲ μηλοπέπονας ποιήσεις ῥόδα πνεῖν, ἐὰν τὸ σπέρμα αὐτῶν μεταξὺ ῥόδων
E ξηρῶν ἀποθέμενος καὶ φυράσας, φυτεύσῃς. Loco arenoso gaudere melones idem Palladius dicit. Nostri quoque arenis delectantur maximè. Melopepones siti sedandæ ex febre ardenti, vel ardoribus solis conceptæ aptissimos esse Florentinus narrat: δύνανται δὲ καὶ δίψαν τὴν ἀπὸ καύσωνος κατακαίειν. Vetus poëta restinguendo calori, quem Augustus mensis facit, melones adhiberi canit hoc versu:

Augustum penitus torret Phaëthontius ardor,
Quem recreat fessum cillo, fabilla, melo.

F Sed *melo* correpta priore dixit, quasi μέλων Græcè dicatur & non μήλων à pomi similitudine. Sanè & μελοπέπονας scribunt optimi libri in Eclogis Georgicis non μηλοπέπονες: tanquam si hoc nomen haberent à mellea suavitate, non à rotunditate mali cottonei, quam præferunt. Profectò non omnes rotundi sunt. Tales μηλοπέπονες vocari debent. Reliqui pepones sunt, vel σικυοπέπονες, ut vocari debere, quosdam Galenus ait contendere. Græcis antiquioribus σικύος πέπων duabus vocibus. Ii etiam vocari possunt μελοπέπονες à mellea suavitate, cui nec mel potest comparari. In-
G de & πέπων νεκταροσαγὴς Aristophanis quem cum vino ἀνθοσμίᾳ jungit, ubi dicebat Athenienses non delectari poëtis, nec vinis austeris ac duris:

Συνάγουσι τὰς ὀφρῦς τε, καὶ τὴν κοιλίαν,
Ἀλλ' ἀνθοσμίᾳ καὶ πέπονι νεκταροσαγεῖ.

Temerè vir magnus & irrito conatu πέπονα νεκταροσαγῆ explicare satagit, *uvam maturam, ex qua stillet in torculari nectar merum*. Nusquam legi πέπονα absolutè pro uva

uva matura, sed πέπων nihil aliud potest significare, quàm peponem, ita etiam vocantibus Atticis. Theopompus: *μαλακώτερά μοι πέπονος καὶ σικὺς γέγονε.* Dicebant & σίκυον πέπονα. Nam πέπων adjectivum, quod ut in aliis multis, ita & heic transit in substantivum. Duas res suavissimas jungit Comicus, alteram edundo, alteram bibendo, vinum anthosmian & peponem: quem cum vocet νεκταροσταγῆ, palam est ea voce non posse aliam rem designari præter melones nostros, quibus nulla suavitas comparanda. Σίκυος generale nomen Atticis, quod & propriè de cucumere usitato sumebatur: cognomine adjecto ad distinctionem dicebatur σίκυος πέπων species ista dulcissima, à teneritudine ac mollicie. Qui postea etiam absolutè πέπων nominatus est. Idem etiam dictus σίκυος σπερματίας, à numeroso semine. Athenæus lib. II. Ὅτι τοὺς πέπονας Κρατῖνος μὲν σικυοὺς σπερματίας κέκληκεν ἐν Ὀδυσσεῦσι. Versus Cratini:

—— σικυὸν μέγιστον σπερματίαν ὠνούμενον.

Qui rotundiores in hoc genere & mali cotonei formam referentes, dicti, μηλοπέπονες. Hesychius: Σικυὸς σπερματίας, ὃν ἡμεῖς μηλοπέπονα. Species hæc una tantum σικυοῦ σπερματίου. Nam & πέπονες & σικυοπέπονες altera species. *Pompones*, & *melones* vulgo nuncupamus, qui Græcis πέπονες & μηλοπέπονες: sed per abusum *melones* etiam vocamus, qui pepones potius vocandi sunt, quia faciem mali nullam præferunt. Summa igitur hæc generis distinctio vetus pariter ac recens in *cucumeres* ac melones, ut habet Palladius. Ut Græci faciunt, εἰς σικυοὺς καὶ μηλοπέπονες. (ita enim Ecloga Georgicæ) ut alii antiquiores tradunt, εἰς σικυοὺς καὶ πέπονας. Diphilus apud Athenæum medicus antiquus: Ὁ πέπων εὐχυλότερός ἐστι καὶ ἐπικεραστικός, σικυὸς κακοχυλότερος δέ. Hoc non potest cadere quod de pepone scribit, nisi in nostrum peponem sive melonem. Boni succi esse ait, & ἐπικεραστικόν. Ita Græci medici vocant, quicquid malignos humores temperat bonitate sui succi. Talis & melo noster habetur: è contra cucumis mali succi & nocentis. Columella in horto hanc differentiam cucumeris & peponis scitè explicat. De cucumere primum hos versus fecit:

Lividus at cucumis, gravida qui nascitur alvo,
Hirtus, & ut coluber nodoso gramine tectus
Ventre cubat flexo semper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos æstatis iniquæ.

Τοῦ σικυοῦ τὸ κακόχυλον hæc designant. Sequuntur deinde versus, quibus exprimere voluit peponem, & succi ejus bonitatem commendare:

At qui sub trichila manantem repit ad undam,
Labentemque sequens nimio tenuatur amore,
Candidus & foeta tremebundior ubere porca,
Mollior infuso calathis modo lacte gelato:
Dulcis erit riguoque madescit luteus arvo,
Et feret auxilium quondam mortalibus ægris.

Per hæc laudat τὸ εὔχυλον καὶ ἐπικεραστικὸν τοῦ πέπονος. Preterea qui siti ex febre, vel alio ardore laborant, hoc magnopere recreari solebant; teste Florentino. Duobus autem illis versibus, quibus & tremebundiorem esse dicat ubere fœtæ porcæ & molliorem lacte coacto calathis recens infuso, τὸ πέπονος etymum alludere voluit, satis equidem impropriè. Πέπων sane Græcis quicquid molle, delicatum, ac tenerum, metaphorâ ductâ à fructibus nimia maturitate mollibus. Sed, ut maturitas etiam suavitatem percoctis fructibus conciliat, inde etiam τὸ πέπον quicquid gustui dulce est. Athenæus: καρπὸν δὲ τοῦτο τῶν σύκων πέπονά τε καὶ γλυκὺν ἔχει. Hæc res ista appellatione magis distingui fecit σίκυον πέπονα à communi, quam quod molliorem haberet carnem, quamvis & hoc quoque sit. Inde auctores ad nomen allusione factâ πέπονος μαλακώτερον dicunt. Amica etiam & adulans compellatio præcipuè senum apud Græcos, qui sunt ætate maturi & blandi, ὦ πέπον. Quæ de cucumeris & peponis discrimine scripsit Columella, videtur à Græcis hausisse; & fortassean ea sumpsit è Georgicis Nicandri. Columellæ ætate non magnam habuisse peponis notitiam videntur Romani. Id ex eo colligas, quod ne Plinii quidem ævo satis noti fuerunt. Unum tantum genus agnoscit & cucumeres vocat, nec ul-

A lis discernit differentiis, nisi magnitudinis & coloris: *In Italia*, inquit, *virides & minimi*; *in provinciis quam maximi*, *& cerini aut nigri.* Ergo solos tum vulgares cucumeres Italia noverat, qui immaturi virides sunt, maturi nigri aut cerini, quos Græci σικυοὺς simplicitur vocant. Meminit quidem & peponum, sed ut appareat, non aliunde eos habuisse cognitos, quàm ex libris auctorum: *in Italia virides & quàm minimi*, *in provinciis quàm maximi*, *aut cerini, aut nigri placent. Copiosissimi in Africa*, *grandissimi in Asia, ubi cum magnitudine excessere*, *pepones vocantur.* Ita legendus ille locus lectione vulgo & interpunctione

B depravatissimus. Dicit, placere tantum in Italia cucumeres, dum adhuc virides sunt & parvi: in provinciis vero eos non ante expeti, quàm ubi maturitate cerini aut nigri facti fuerint. Hodie quoque multi gustum habent antiquorum Italorum, nec probant cucumeres istos promiscuos, nisi dum adhuc sunt immaturi & minimi. Quod longè secus est de peponibus, consentiente omnium palato. Nihil enim sapiunt, nisi perfectè maturi. Et fortasse inde nomen invenerunt πεπόνων, quia, ut grati sint, debent esse πέπονες. Alii contra virides meliores & minus noxii. Adjicit Plinius: *grandissimos in Asia nasci*, *ubi*, *cum magnitudine excessere*, *pepones vocantur.* Ignotos Italiâ

C fuisse tum pepones vel hinc liquet. Putamus idem genus esse cum his, qui virides in Italia mandebantur, sed sola magnitudine differre. Etenim grandissimos in eodem genere Asiam habere, ubi cum excessissent amplitudine, vocabantur pepones. Illud *ubi* nos ex scripto codice addidimus. Quæ sequuntur in pepones non conveniunt. *Vivunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis.* Hoc de cucumeribus verum est. Addit, *non insalubres tamen*: peponibus id congruit. Sic historiam illam mirè involvunt peponum & cucumerum, quia pepones etiam σικυοὶ

D Græcis dicti, sed cognomine adjecto σικυοὶ πέπονες. Hi majores cucumeribus sive σικύοις propriè appellatis. Inde Plinius, qui eos ignorabat & σικύους πέπονας legebat vocatos, eò existimavit in eodem genere sic appellari, qui essent grandissimi. Per illa tempora adeo rara notitia Romæ fuit peponum, & adeo infrequens alibi usus, ut Plutarchus Symposiacis quæstionibus asserat plurimos se vidisse senes, qui de pepone gustare non possent, ut nec de pipere, nec de malo citreo. lib. IX. cap. IX. Σικύου δὲ πέπονος, καὶ μήλου μηδικοῦ, καὶ πεπέρεως πολλοὺς ἴσμεν ἔτι τῶν πρεσβυτέρων γεύσασθαι μὴ δυναμένους. Ex quibus etiam intelligas,

E quàm non plebejus sapor fuerit peponis, utpote qui non ad omnium gustum faceret. Quod in nostrum melonem sive peponem unicè quadrat; at in vulgarem cucumerem nullo modo, cujus sapor adeo communis, ut gustus omnium circa esum ejus indifferens debere esse videatur. Ita nihil præfert novum aut extraneum plebejis palatis. Nam aquosæ cum habeat qualitatis succum, recipere potest quemcumque velis ex condimento saporem. Ideo & sine aceto nunquam sumitur, sive coctus sive crudus edatur. Sic quem de se nullum pene habet, de alieno mutuatur gustum. At σίκυος πέπων, qui pepo noster, nullo condimen-

F ti fuco debet adulterari, sed propria suavitate sapit. De illo itaque intelligendum, cum veteres scribunt, cucumerem peponem semine in melle macerato existere dulciorem. Nulla arte possis perficere, ut cucumis dulcis evadat. Dulcior verò fit pepo sive melo, si grana ejus in lacte aut melle macerari sinas antequam feras, quia naturâ suapte jam dulcis est. Huc valde pertinet historia, quæ à Plutarcho narratur de Democrito, cui cum appositus esset in diversorio prandenti cucumis mirę suavitatis, novitate permotus postulavit ab ancilla sibi indicari locum, in quo talis cucumis natus esset, ut ex soli natura causam insitæ tantæ illi cucumeri dul-

G cedinis indagaret. Risisse ancillam dicit, ubi cognovit quamobrem id desideraret, eique insinuavit semen, ex quo editus foret prædulcis ille cucumis, in vase, quod mel habuisset, repositum fortè jacuisse. Σίκυον vocant editiones. Et delicato stomacho pro cucumere ficum acceperunt Interpretes. Σίκυον ibi debere rescribi certum est, & σίκυον πέπονα intelligi. Memi-

Meminit ibidem Plinius & melopeponis tum maximè, cum illa ſcriberet, in Campaniâ cœpti provenire ac videri. *Ecce*, inquit, *cum maximè nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie. Fortè primo natum ita audio unum: mox ſemine ex illo genus factum.* Ridiculum, quod putavit, fortuitò ita natum unum ex ſemine vulgaris cucumeris: & falſum, quod audivit. Ex ſemine è Græcia allato in Campaniam ſatum oportuit natumque id genus, tunc temporis Italiæ novum. Atque ut ſcias, melopeponis illos non eſſe diverſos à noſtris melonibus, notæ omnes, quos adſcripſit, id evincunt: *mirumque in his, præter figuram coloremque & odorem, quod maturitatem adepti, quanquam non pendentes, à pediculo recedunt.* Nulla ex his nota eſt, quin ad amuſſim reſpondeat in melone noſtro. Color à vulgari cucumere differens, odor hujus proprius, qui in cucumere nullus, figura rotunda: item illud peculiare, quod ubi maturitatem attigêre, recedunt à pediculo. Adde etiam poſtremo & iſtud, quod non pendent hi, ſed humi rotundantur. Hæc omnia & in pepones ſive σικύυς πέπονας accidunt exceptâ figurâ, qua differunt à melopeponibus. Peculiares etiam adhuc duæ ſunt utriuſque notæ, quibus à cucumere propriatim diſcernuntur, ſapor dulcis & ſeminis copia, propter quod & σπερματίαι appellati. Pollux: Σίκυ@ κ) σίκυ@ πέπων, ὃν κ) σπερματίαν ὠνόμαζον. Heſychius. Σίκυ@ σπερματίας, ἡμεῖς μηλοπέπονα καλῦμεν. Ergo σίκυ@ πέπων & μηλοπέπων idem, ſed figurâ tantum diſtant, quæ in melopepone vel melone mali effigiem cotonei exhibet. Quatuor ſunt præcipua ac propria, quæ melonem hodie uſitatum χαρακτηρίζυσιν & à cucumere diſtinguunt, odor, ſapor, ſemen numeroſum, & forma: colorem adde, ſi vis quintum. Hæc cum omnia reperiamus in antiquis melopeponibus ac peponibus, nemo jam tam duri capitis inveniatur, qui inficiari poſſit, quin melopepones veterum ac noſtri iidem ſint. Facultas etiam huic rei non leve præbet argumentum. Cucumis inſalubris à veteribus traditur, pepo ſive melopepo ſalubris. Columellæ cucumis morbos æſtatis exacuit: is, quem pro pepone deſcribere vult, ægris utilis. Quædam tamen in ea deſcriptione miſcet, quæ non congruunt peponi; quod aquas diligat ac ſequatur & riguis delectetur, & ſub trichila repit. Contraria hæc omnia peponi, ſive melopeponi: quæ oſtendunt Columellam nullam ejus, niſi ex ſcriptis Græcorum, habuiſſe notitiam. Ea autem de illo poëticè ſcripſiſſe, quæ in cucumerem propriè convenirent, quia videbat Græcis vocari σίκυον πέπονα, ideo & illi aptavit poëticâ illâ deſcriptione, quæ in σίκυον communem quadrare viſa ſunt. Nihil verius. Theophraſtus ex tribus cucumeris generibus, quæ poſuit, unum tantum riguis gaudere dicit: Τύτων δ' ὁ μὲν Λακωνικὸς ὑδρευόμεν@ βελτίων, οἱ δ' ἕτεροι ἀνύδρευτοι. Reliqui duo apud eum Βοιώτι@ κ) σκυταλίας. Hic à forma, ille à patria. Plinius cum hunc locum exſcriberet *Scytalicum dixit*, quaſi ex hoc quoque nomen à loco patrio factum eſſet, ut in reliquis duobus generibus Laconico & Bœotio. Atqui ὁ σκυταλίας à figura appellatus, quod oblongus eſſet inſtar σκυτάλης. Cucumis etiam quidam à figura dictus δρακοντίας, id eſt, *anguinus.* Ath. lib. III. Εὐθύδημ@ δ' ἐν τῷ ϖεὶ λαχάνων, εἶδ@ σικύων εἶναι τὺς ϖροσαγορευομένυς δρακοντίας. Hæc Plinius cum in Græcis ſic poſita legiſſet, genitivum illum σικύων non à σίκυ@ deduxit, ſed à σικύα, & pro cucurbitis accepit: inde illa ſunt apud eum de cucurbita: *Creſcit quâ cogitur formâ, plerumque & draconis intorti figurâ.* Hoc de cucumere δρακοντίᾳ dictum, id eſt, σικύῳ; non de cucurbita, quę eſt σικύα. *Anguinum cucumerem* Latini vocarunt qui Gręcis δρακοντίας, quem Plinius eumdem eſſe vult cum cucumere agreſti: quod non puto. Nam cucumer agreſtis, quem *aſininum* vulgò vocant, glandis oblongæ ſimilis eſſe dicitur Dioſcoridi: σικύα autem genus cucurbitæ. Helleſpontii teſte Athenæo longas vocabant σικύας, rotundas κολοκύνθας. Attici σικύαν Ἰνδικὴν nominabant cucurbitam, quod ſemine ex India allato in Græciam eſſet propagata. Rotundas etiam σικύας probarim magis dictas. Nam inde σικύαι medicinales. *Ventoſas* vulgo dictitant. Latini Medici etiam *Cuſas*, quę κῦφαι σικύαι Græcis: Σικύα κύφη. Male ſcribitur, σίκκα. De his alibi. Σικύας mentio apud Theophraſtum multis locis, ubi hæc tria junguntur σικύα, σίκυ@ & κολοκύνθη. Diverſa ergo σικύα à κολοκύνθη. Gaza ſemper σικύαν vertit cucumerem, σίκυον peponem. Perperam idem Theophraſtus lib. II. de cauſis, cap. XXV. σικύαν inter ea numerat, quæ adminiculis nituntur, ut ſuperiora aſcendant. Quod cucur- B bitæ magis proprium, quàm cucumeris, ut ibi reddit Gaza. Et in cucurbitarum genere hoc maxime facere amat, quæ ſeſſilis aut lagenaria dicitur: & forte eam ſub σικύας nomine intellexit Theophraſtus, quam ubique diſtinxit ἀπὸ τῆς κολοκύνθης. An peponem ſub uno ex tribus generibus cucumerum comprehenderit idem Philoſophus, quæri poſſet. Antiquiores eo & Attici quidam auctores σικύυ σπερματίυ meminere, qui eſt pepo, ut Cratinus comicus. Anaxilas nominatim σικύυ πέπον@ meminit, Theopompus πέπον@. Ariſtophanes πέπονα νεκταροσαγῦ vocavit. C Quis igitur credat, fuiſſe Theophraſto incognitum? Alterum ergo fuerit ex duobus illis generibus, quæ riguis minimè delectari ſcripſit, quæque ἄνυδροι meliora eſſe dixit. Duo illa, σκυταλίας & Βοιώτιος: forte σκυταλίας de pepone, quæ longior & craſſior; Βοιώτι@ de melopepone. Utrique certè ἄνυδροι βελτίονες; eoque pluvio anno longè deteriores evadunt. Reſtat de *anguriis*, ut aliquid dicamus, quæ huic obſervationi initium & cauſam dedere. Nuſquam in generibus cucumerum apud antiquos deſcriptis reperio genus ullum, quod huic reſpondeat. Nomen ipſum, ut Græcum eſt ἄγυρον & ἀγύριον, ita re- D cens videtur. Antiquiorem non habeo, qui eorum meminerit, præter Aëtium. Atque is σικύυς interpretatur ἀγύρια. Sanè & quidam hodie populi Italiæ cucumerum propria appellatione eas impertiunt, ut Etruſci. Alii melones nuncupant, cum adjuncto de aqua, ut Neapolitani. Quia ſcilicet aquam intus contineant prædulcem, & ſiti reſtinguendæ aptiſſimam. Nec melones tamen ſunt nec cucumeres, & ab utriſque ſatis longule diſtant. Græci ἀγγύρυς & ἀγγύρια videntur appellaſſe, quod veluti inter vas quoddam aquam ſervarent incluſam. Hoc enim ſignificat ἀγγουρον, quod in vaſe ſervatur, vel quod vas E ſervat. Græci recentiores, poſtquam ipſis hæc ſpecies innotuit, ſemine ex Perſide aut aliunde advecto, indifferenter hoc nomen & de aliis cucumeribus communibus uſurparunt. Video tamen eos diſtinxiſſe inter ἀγγύρια & πετράγγουρα. Achmes in Onirocritico, cap. CCXLIII. quatuor genera facit πέπονας ὡραίους, πέπονας κοινὺς, ἀγγύρια & πετράγγυρα. Per pepones communes intelligere melopepones videtur, qui virides ſunt; quos ſanitatem in ſomniis ſignificare ait, quia ſalubris eorum uſus. Per πέπονας ὡραίους peponas ſic vulgo nuncupatos deſignavit; qui quoniam lutei ſunt coloris, morbum in- F dicant, διὰ τὸ χρῶμα αὐτῶν. Nam ut ibidem pronunciat, omnis ὀπώρα citrini coloris, εἰς νόσον κρίνεται. Per ἀγγύρια non aliud opinor ſignificari, quàm angurias vulgares in propria appellatione dictas: quas etiam cucumerum nomine Hetruſci vocant, quod tamen generale eſt. Græcis è contra de anguriis appellationem fecerunt generalem ad omnes cucumerum ſpecies declarandas. Hinc τὰ σίκυα veterum paſſim ἀγγύρια interpretantur vulgari linguâ. Cæterum, ubi ſpecies ſingulas ſuis propriis nominibus deſignare volunt, ἀγγύριον vocant, quæ *anguria* G propriè dicitur. Κιτράγγυρον autem & corrupto inde vocabulo κιτράγγουρον, vel πετράγγουρον quaſi citrinam anguriam, qui abſolute σίκυος Græcis antiquis; Latinis verò cucumis appellatus eſt, quem Latini recentiores *citrulum* dixerunt ab eadem ratione coloris. *Anguria* ſic propriè nuncupata, coloris eſt herbacei. Hinc κιτράγγουρον appellarunt vulgarem cucumerem, qui luteo eſt colore, quaſi citrinam dicas anguriam. Nam, ut dixi, anguriæ nomen generi dederunt; ut contra alii cucumeris appellationem propriam, anguriæ donaverunt, ut Hetruſci ſe-

ſequuti in eo Latinitatem infimæ ætatis. Unde in libris Medicorum Latinorum *cucumis* & *citrulus* ſeparantur: & *cucumis* quidem pro anguria propriè ſumpta; *citrulus* verò pro cucumere veterum, quem κιτρίγγουρον appellat Charito, alii κιτράγγουρον, alii etiam πιτράγγουρον. Apud Myrepſum ſæpe mentio occurrit πιτραγγούρου, qui cucumis eſt communis. Citruli vulgo nuncupati à citrino colore. In veteri Onirocritico nondum edito Regiæ bibliothecæ, in quo plurima ſimilia cum Achmetico, bis in titulo ſcriptum eſt, κιτράγγουρος, in textu πιτράγγουρος, ut vel hinc liqueat, idem eſſe κιτράγγουρον & πιτράγγουρον. Titulus CCXXXIV. ſic habet: Περὶ ὀπώρας παντοίας δένδρων καρπίμων καὶ πεπόνων ὡρίμων καὶ ἀγούρων, καὶ ἀγγουρίου, καὶ κιτραγγούρου. Ubi πέπονας ὡρίμους vocat, qui maturi ſunt: ἀγούρους immaturos. Ita enim dicuntur vulgari Græciæ linguâ, qui antiquâ vocarentur ἄωροι. Hinc ἀγουρελδύζωμον vocant ſuccum uvarum acerbarum, quod veteribus ὀμφάκιον: nos viride jus vocamus. Fortaſſe inde corrigendum & in vulgari Achmetis ſomniario: ἐὰν δὲ πέπονας ἀγούρους εὑρήσει ὑγίειαν: pro quo eſt in editis, πέπονας κοινούς. Nam & ſimiliter ὡραίους ibi πέπονας vocat maturos, quos hic noſter ὡρίμους, & ſimile judicium de utriſque profert. Maturi pepones morbum denunciant propter colorem, qui luteus eſt, qualis eſſe morboſis ſolet. At virides adhuc & immaturi ſanitatem: ἐὰν δὲ πέπονας ἀγούρους, εὑρήσει ὑγείαν. Male igitur in edito vulgatur: ἐὰν δὲ πέπονας κοινούς. Tria genera recenſet: πέπονας, ἀγγούρια & κιτράγγουρα, id eſt, *pepones*, *angurias* & *citrulos*. Si cum veteribus loqui volumus, dixerimus, pepones, anguria, cucumeres. Alii tamen hæc confundunt & nomina permutant, ut cucumis ipſis ſit, qui pleriſque anguria: & viciſſim anguriam & citrulum pro eodem habeant. Non minor apud antiquos confuſio in nominibus πέπονος, σικύου & μηλοπέπονος. Angurias enim non noverant. Sed, qui aliis σίκυος, is aliis πέπων: & contra. Hinc factum eſt, ut parum ſibi conſtent auctores in tradendis horum generum facultatibus, atque alii ab aliis diverſi abeant. Galenus libro ſecundo de Colorum facultate, πέπονα præmiſit, tanquam ſi eſſet nomen generis; σίκυον ultimo loco recenſuit, & videtur σικύου nomine noſtrum peponem intellexiſſe. Nam σικύους minus humidos facit, quàm πέπονας, & frigidiores hos etiam ſtatuit, quàm cucumeres. Ita enim de σικύοις loquitur: Οὐρητικὸν μὲν ἔχουσι τι καθάπερ οἱ πέπονες, ἀλλ' ἧττον ἐκείνων, τῷ καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῶν ἧττον ὑγρὰν εἶναι. Dioſcorides τὸν σίκυον, id eſt, cucumerem δύσσομαχον eſſe prodit. Atqui id potius convenit peponi ſive melopeponi. Diocles antiquus medicus de pepone ita ſcribit apud Athenæum lib. II. Ὁ πέπων δέ ἐστιν εὐκαρδιώτερος καὶ εὐπεπτότερος, ἑφθὸς δὲ ὁ σίκυος ἁπαλός. Peponem commendat tanquam ſtomacho accommodatiorem & coqui faciliorem. Vetus auctor Latinus, qui opus de Re medica ſcripſit, quod falſo adſcribitur Plinio lib. IV. cap. XV. *cucumerem ſtomacho eſſe accommodatum* ſcribit. Atqui verus Plinius in Naturali hiſtoria ſcriptum reliquit, *cucumeres etiam in poſterum diem in ſtomacho durare nec perfici poſſe.* Ceterum idem ille auctor de re medica, melonis uſum eſſe quidem gratiorem memorat, *verum difficile coqui propter naturalem rigorem.* Φυσικὴν ψυχρότητα ita vocat. Melonem noſtrum intelligit, cujus longe major gratia in cibis quàm cucumeris. Sed illud falſum, quod difficile coquatur, cum dicat cucumerem facile perfici. Addit paulò poſt: *Peponem in cibo leviorem eſſe, nam detracta cute, ac ſemine abjecto, eſui datum, ſtomachi compeſcere ardores.* Innuit peponem edi ſolitum abjecto ſemine, ac detracta cute. Ita etiam ſanè eduntur pepones, ſive melopepones noſtri. Sed Galenus hoc argumento melopepones à peponibus diſtinguit: quod pepones abjectis ſeminibus eduntur, melopepones non item: Τῶν δὲ πεπόνων, inquit, οὐκ ἐσθίοντες οἱ ἄνθρωποι τὸ τῆς σαρκὸς ἔνδον, ἐν ᾧ τὸ σπέρμα, τὸ τῶν μηλοπεπόνων ἐσθίουσι, καὶ τοῦτο αὐτοῖς συντελεῖ πρὸς διαχώρησιν. Phanias antiquiſſimus Phyſicus peponis & cucumeris pulpam ſimul cum ſemine mandi tradebat, dum adhuc teneri ſunt: ubi verò maturuerint ſolam carnem detracto ſemine. ita enim legendus

A eſt hic locus apud Athenæum: Βρωτὰ μὲν ἁπαλὰ τῷ ἐπικαρπίῳ σίκυος καὶ πέπων, πεπαθμένων δὲ τὸ περικάρπιον μόνον. Vocat ἐπικάρπιον ſemen ipſum cum carne, quæ illud ambit: περικάρπιον verò pulpam, quæ ſemen ambit. Quod inſertum eſt in verbis Phaniæ ἄνευ τοῦ σπέρματος è gloſſa videtur ſatum, ut explicaretur illud περικάρπιον μόνον, id enim eſt, ἄνευ τοῦ σπέρματος. Ut hoc tandem concludamus: σίκυος nomen generale & commune his tribus generibus apud Græcos, peponibus, melopeponibus & cucumeribus. Nam & σίκυος πέπων ſpecies appellata adjecto cognomine, quem alii πέπονα abſolute dixerunt: cujus altera ſpecies μηλοπέπων ab effigie mali. Τοῦ σικύου verò

B propria appellatio manſit & in certo genere. *Cucumerem* pariter Latini vocarunt. Permutatio nominum ab aliis facta, & κατ' ἐξοχὴν præſtantiſſimam in illo genere ſpeciem appellarunt σίκυον, qui aliis σίκυος πέπων. E contrario πέπονα nominarunt, qui nonnullis σίκυος. Pſellus in verſibus politicis, quibus medicorum gloſſas explicavit: Καὶ πέπων ὁ σίκυός γε. Hinc illæ loquutiones tritæ proverbio *pepone inſulſior* apud Tertullianum in lib. de anima. At σίκυος ille Democriti prædulcis apud Plutarchum, non eſt vulgaris cucumis, ſed σπερματίας ſive πέπων. Apud Dioſcoridem σίκυος, id eſt, cucumis, ἀνακτικὸς λιποθυμιῶν ὀσφραινόμενος, odore ſuo revocat animo de-

C ficientes: quod cucumeri vulgari, qui odore nullo eximio præſtat, non congruit, ſed peponi ſive melopeponi. Sic etiam puleium olfactum reficit eos, quibus animus linquitur: ἀνακτᾶται τοὺς λειποθυμοῦντας ὅταν εἰς ὀσφρησιν προσφερομένη. Ita explicandum Græcum hoc diſtichum non intellectum doctiſſimo Brodæo, quod in deparcum factum eſt:

Οὐ γλήχωνι Κρίτων ὁ φυλάργυρος, ἀλλὰ διχάλκῳ
Αὐτὸν ἀποσφραίνει θλιβομένου στομάχου.

Auctores veteres, quibus unum fuit ſtudium in ſuos libros transferre, quod alii ante dixerant, dum has nominum permutationes non conſiderant, aliud pro

D alio plerumque ſuggerunt & turpiſſime labuntur. Exemplum habemus perquam ſimillimum in vocibus πίτυς, & πεύκη: quæ cum genera pinus ſignificent, alterum pro altero paſſim ſubſtituunt ſcriptores, quia aliis πίτυς dicta eſt, quam alii πεύκην vocarunt; & contra. Ζεία Theophraſto longè alia eſt à ζεία Mneſithei, & ſic de cæteris quàm plurimis. Theophraſtus tradit, placuiſſe quibuſdam τοῦ σικύου plura genera non dari, ſed in eodem genere partim eſſe meliores partim deteriores: quod ipſi non probatur. Speuſippus in ſimilibus τὸν πέπονα vocaverat σικύαν, quæ genus eſt curcurbitæ ſeſſilis Græcis an-

E tiquioribus. Contra Diocles medicus πέπονα dixerat, quam plures σικύαν vocabant, teſte Athenæo: ut hinc ſcias non unam ſpeciem peponis nomen habuiſſe. Levi tamen argumento utitur, quo id probet Athenæus: quia σικύαν non alibi nominat Diocles, nec Speuſippus πέπονα, putavit τῷ σικύας nomine apud Speuſippum intelligi peponem debere & apud Dioclem τὸν πέπονα deſignare σικύαν. Arabes multa vocabula habent, quibus hæc genera diſtinguant. Hinc apud Andream Bellunenſem *melones Indos habes, & melones Palæſtinos, & melones alraki, & melones alzachi*: qui & melonis abutitur vocabulo pro appella-

F tione generali cucumerum, ut plerique alii recentiorum, qui & *angurias* & *citrulos* pariter pro quolibet cucumere uſurpare norunt. Ex illa porrò nominum errore Cornelius Celſus *cucumerem* inter cibos mali ſucci, & inter eos quoque qui bonum ſuccum pariunt, pariter retulit. Lib. II. cap. XIX. inter res boni ſucci *recenſet*, *malvam*, *cucumerem*, *cucurbitam*. Sequenti capite, ubi enumerat quæ res mali ſucci ſunt, inter eas reponitur *aſparagus*, *beta*, *cucumis*. Atqui eadem res boni malique ſucci eſſe non poteſt. Sed apud diverſos invenit σίκυον εὔχυλον, & σίκυον κακόχυλον, qui diverſi ſunt cucumeres. Nam

G σίκυος, qui refertur inter cibos εὐχύλους, πέπων eſt ſive σίκυος πέπων, quem quidem σίκυον per excellentiam, nonnulli etiam abſolutè πέπονα appellarunt. Diphilus: ὁ πέπων εὐχυλότερός ἐστι, καὶ ἐπικεραστικός, ὁ σίκυος κακοχυλότερος. At cucumis mali ſucci propriè σίκυος.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

De marrubio.

Marrubium Græci vocant πράσιον. Plinius porrum aliquando vertit, quasi πράσιον, & πράσον idem esset: Aliud πράσιον origanum asinarium, quæ Græcè ὀνῖτις. Plinius: *Onitin vel prasium appellant non dissimile hyssopo.* Apsyrtus vocavit ὀνοπράσιον capite CCCCLVIII. de tussi: Ἡ τὸ ὀνοπράσιον, ὃ καλοῦσι κεφαλωτόν. Hoc κεφαλοειδὲς ὀρίγανον Hippocrati. Hesychio, κεβλήνη ὀρίγανος. Ita dictum, quod corymbos habeat, sive capitula, quibus alia carent genera. Ne πράσον quidem suo caruit ὁμωνύμῳ, cum quo nomen ita participat, ut unum sit, genere in totum alio. Marinas algas & fucos etiam πράσα vocarunt. Hesychius: Πράσα, τὰ βρύα, τὰ φυκία. Item: φῦκος, ὅπερ ἔνιοι καὶ βρύον καλοῦσι. Mentio πράσου in hac significatione apud Theophrastum. Hoc nisi teneas, non possis rationem reddere, cur Galenus & Paulus Ægineta ἔμπετρον maritimum πρασοειδὲς etiam appellatum dixerint, pro quo apud Dioscoridem legi debet: Ἔμπετρον, οἱ δὲ φυκοειδές. Nam perperam in omnibus codicibus scribitur φακοειδές. Viam ex hac emendatione certissima munivimus Herbariis nostris ad inveniendum illud empetrum. Plinius *calcifragam* Romanorum esse prodidit falsò, quod calculos in vesica frangat; qua A facultate id genus empetri valere traditum nemini. Videndum etiam, an ἀείπετρον Theophrasti, quod nunquam floret, & ἀείπετρον Aristotelis, quod avulsum etiam vivit, idem sit cum hoc empetro. Sempervivum etiam eradicatum vivere notum est, & scillam suspensam. Semina, quandiu incorrupta durant, vivere intelligi testatur Plinius. Marinum φῦκος ἄσηπτον διαμένειν Dioscorides ait. Quod ad colorem ejus perperam Plinius retulit, cum è contra fuci marini color remittatur ac tempore fugiat, au- B ctore Theophrasto. Ut igitur φῦκος illud non marcescit exemptum è loco natali, ita nec ἔμπετρον φυκοειδές. Non unum genus nomine *saxifraga* donatum est. Persuasum habent ita dici, quod calculos è corpore pellant, rumpantque. Hoc de *calcifraga* concesserim. *Saxifragam* verò propriè vocari credam, quæ perrumpat, è quibus enascitur; cui notioni affine est vocabulum Gallicum *percepierre*. Græci tamen hoc nomen Latinum more suo perverterunt, & σαξίφραγες fecerunt de certo herbæ genere, quæ calculos rumpit. Τὸ σαξίφραγες, τοῦ σαξιφράγους declinatum legitur passim in Ga- C leni libris, Pauli Æginetæ & apud auctores veteres rei veterinariæ. Τὸ σαξίφραγες διαιρητικόν ἐστι καὶ λίθων θρυπτικόν. De variis saxifragis videndi hodierni Herbarii, & nos alibi.

CAPUT XXXVII.

De bryo & musco.

Parum etiam aut nihil discrepant, quin ὁμωνύμων numero adscribi debeant σφακὸς & φακὸς, hæc lenticula, illa salviæ species. Plinius tamen salviam σφακὸν inter lentularum genera retulit. Græci nihilo sunt excusatiores, qui φασκὸν & σφακὸν passim indifferenter usurpant, alterius nomen pro altero ponentes; cum σφακὸς salviam significat, φακὸς verò muscum quendam villosum in certo genere quercuum provenientem. σφάγνον etiam salvia idemque cum σφακὸς, quod vocabulum pro bryo odorato perperam posuit Plinius: Bryon apud Græcos, cum multas habeat significationes, in eadem arbore tres differentes species designavit. Βρύον in quercu vocatur id quod floris instar habet & una cum foliis prodit, ut est julus in nucibus, & aliis ejusmodi: hoc βρύον δρυΐνον Theophrasto nominatur. Βρύον etiam muscus est, villosa nempe lanugo, quo operiuntur non solum quercuum trunci ramique, sed omnium etiam ferè arborum. Est & βρύον odoratum certis locis in quercu, populo, & cedris innascens. Præterea φασκὸς in certo quercus genere vocatur, qualem Theophrastus describit, quem vix putem eundem esse cum βρύῳ odorato. Nam αἰγίλωψ tantum facit proprium hunc φασκὸν, & veluti longa fascia est dependens ex illa arbore. Τρύχος ipse appellat: Plinius *pannos arentes*. Atque inde fortasse vox *fascia* Latinis. Nam φασκὸς & φασκία dicebatur, ut ἰξὸς & ἰξία. At βρύον odoratum non generis illius quercui modo peculiaris, sed populi ac cedri. Φασκὸν tamen illum pro βρύῳ ἀρωματικῷ passim usurparunt, & quod magis indignandum est, etiam σφακὸν & σφάγνον, quæ salviam significat; quæ & ipsa in unguentis olim habuit locum & σφακὸν εὐώδη appellat Eupolis, quem Plinius pro φασκῷ & bryo aromatico perperam sumit. Qua in re nescio an habuerit auctores suos. Nullus certè ex his, qui extant σφακὸν de bryo odorato dixit. Notavit quidem Hesychius quosdam σφακὸν posuisse pro bryo, qui quercubus innascitur eosque reprehendit, cum φασκὸς illi bryo nomen sit: sed de illo genere intellexit, quod Theophrastus ægilopi quasi proprium assignavit, qui in haliphlæo etiam reperiri tradit, sed breve nigrumque. Nusquam autem meminit Theophrastus hunc φασκὸν, quod in certo quercus genere invenitur, odoratum esse aut expeti ad odores. Plinius φα- D σκὸν istum, quem fert ægilops, pro bryo odorato accepit, quod in quercubus nascitur certis locis. Atqui ut dixi, bryon odoratum non certi generis quercuum proprium, sed in certarum regionum quercubus nascitur, ut etiam nasci constat in cedro apud quasdam nationes. Tres præcipue arbores numerant auctores Græci, in quibus invenire est bryon odoratum, populum nempe, quercum & cedrum. Dioscorides: Βρύον ὀνομαζόμενον ἐπὶ δένδρων κεδρίνων, ἢ λευκίνων, ἢ δρυΐνων. Paulus Ægineta πεύκας etiam addit. Arabes non plures arbores nominant, super quibus inveniatur bryon odoratum, sed tam Avisenæ interpretes, quàm Serapionis, pro populo nucem ponunt. Prorsus persuasum E habeo id ex errore manasse ipsorum interpretum, qui in Arabico perperam legerint جوز *giauri* pro حور id est, *hauzi*, quæ est populus. Ita enim scribitur pro حور *haur*. Unius tantum puncti in utroque discrimen est. Certe Serapio Dioscoridem ipsum citat, qui non supra nucem, sed supra populum bryon illud gigni perhibet. Præterea non φασκὸν aut σφακὸν Græci nuncupant istud bryon, sed σπλάγχνον. Ita in omnibus libris Dioscoridis, Aëtii & Pauli Æginetæ scriptum offendi, non σφάγνον. Aliud igitur σφάγνον, aliud bryon F odoratum, quod dicitur σπλάγχνον. Paulus Ægineta in compositione cyphi heliaci aperte σπλάγχνον & σφάγνον discernit. Ubi σπλάγχνον est bryon aromaticum: σφάγνον autem salvia, quæ & σφακός. Ea porro etiam diversa cum re, tum nomine à φασκός, quod non est odoratum bryon, sed ægylopis proprius muscus. Arabes vocant اشنه *asne*. Quod alii legunt *usne* quasi scriptum esset اشنه. Græci recentiores, ut Aëtius aliique, hoc bryon nominant ὕπνον, unde fortasse Arabica vox deflexa est. Ex his patet Plinium G quatuor diversas species pro una habuisse, φακόν, σφακόν, sive σφάγνον, φασκὸν & σπλάγχνον, id est, lentem, salviam, phascum sive ægylopis muscum, & bryon odoratum.

CAPUT XXXVIII.

De dictamis & homonymis.

NEc putandus suæ mentis fuisse, dum *cunilam*, quæ thymbra est; *cunilam*, quæ est κόνυζα; & *conilam* origanum, tria hæc nomina diversis ab originibus venientia ad unam eamdemque plantam significandam facta credidit. Plura talia ex nostris Exercitationibus colliget, quibus otium erit aut cura talia perquirendi. Nos ideo multa hujus generis huc congessimus, quia plura in hac re peccata Plinii, quam in alia qualibet materia. Ea tantum ferè attigimus, in quibus aliqua ejus insignis halucinatio sine animadversione non visa est prætereunda. Ceterum res ista difficillimam ex difficili confecit herbariam scientiam non solum Plinio, sed etiam Neotericis plantarum indagatoribus, qui ante annos hos centum huic curæ incubuerunt: ista inquam, ὁμωνύμων & συνωνύμων multitudo. Sed præcipuè eos turbarunt ὁμωνυμίαι. Etenim, qui huic studio operam suam tempusque impenderunt, vix tamen ab his se expedisse videntur: ne jam miremur de Plinio non hoc ipsum agente & tam multis occupato, si toties in eos sese laqueos induit; quos non evitasset, etiamsi abundasset otio, & hoc unum egisset. Aliquot ὁμώνυμα in plantis attigit Theophrastus: sed tam multa tunc non erant. De dictamno Cretico, quod pulejo simile est postquam tradidit, aliud dictamnum ὁμώνυμον æque Creticum adscribit, genere diversum, ut facie: ἔστι δὲ, inquit, ἕτερον δίκταμνον ὥσπερ ὁμώνυμον, οὔτε τὴν ὄψιν ἔχον, οὔτε δύναμιν τὴν αὐτήν. Vocat ὁμώνυμον, quod nomine idem est, non idem genere. Hoc ἕτερον εἶδος δικτάμνου Dioscoridi, qui facie quidem differre ab altero, sed effectum non disparem præbere ait: ποιεῖ δὲ πρὸς ὅσα καὶ ἡ πρὸ αὐτῆς. Atqui diserte tradit Theophrastus, diversæ utrumque esse potentiæ. Ex priore dictamno folia tantum, non ramulos aut fructus ad usum medicinæ quæri idem scribit: unde colligitur & florem habere, siquidem & fructum gerit. Dioscorides vero clarè nec florem nec fructum ferre dicit: Οὔτε δὲ ἄνθος, οὔτε καρπὸν φέρει. Quæ verba male sollicitant doctissimi Herbarii, quasi ad hunc modum corrigenda: Οὔτε δὲ ἄνθος, οὔτε καρπὸς συμφέρει. Ut velit, nullum esse floris usum aut fructûs, licet adsit. Testari possum non aliter extare scriptum in antiquissimo Codice, quàm est in excusis. Præterea Plinius non aliter legit, qui ad verbum vertit: *flos nullus ei, aut semen, aut caulis:* sed de caule mentitur ac de suo hoc additi. Virgilium contra hæc in testimonium citant flores dictamno tribuentem:

> *Puberibus caulem foliis & flore comantem*
> *Purpureo.*

Dici potest, quod in aliis sexcentis herbarum homonymis usu videmus evenisse, ut miscerentur descriptiones duorum. *Caulis puberibus foliis*, ad prius dictamnum pertinet; *flos purpureus* ad alterum. Dioscorides alterum dictamnum, quod è Creta quoque afferebatur foliis sisymbrii esse, flore nigro, id est, ex purpura nigricante. Sic ἴον μέλαν, μέλας ὑάκινθος. Non potest itaque idem esse cum albo dictamno, ut placet Herbariis nostris, cujus flores ex purpura albicant, ut in malva. Qui color μέλας Græcè non appellatur. Dictamnum igitur, quod hodie ex Creta adfertur, secundum esse dictamnum liquet, non primum. Florem hujus origano silvestri similem facit Dioscorides. Talis plane flos dictamno, quod hodie notum est. Rarum admodum primum illud dictamnum fuisse apud se, veteres ipsi fatentur, quia non spaciosus esset in Creta locus, ubi nasceretur, capræque vulgo id depascerentur. *Pubera dictamni folia* apud Poëtam interpretantur prisci Grammatici *adulta*, ut *pubentes herbæ*. Nugantur: pubera folia sunt lanuginosa à similitudine lanuginis, quæ pubescere incipientibus erumpit. Talia dictamni folia. Dioscorides: Ὅμοια γλήχωνι, μείζω δὲ καὶ γναφαλοειδῆ τὰ φύλλα ἔχει καὶ ἐριώδη τινὰ ἐπίφυσιν.

A Sic *pubertatem uvarum*, & *pubescentem uvam* vocavit Plinius de florente, quam alibi *in lanugine esse* dixit, à lanugine floris ejus. Inde βαίτιον dictamnum istud veteres vocarunt ἀπὸ τῆς βαίτης, quæ villosam pellem significat. Ita autem legenda verba Dioscoridis ex antiquissimo exemplari: Δίκταμνον, ὃ καλοῦσί τινες γλήχωνα ἀγρίαν, οἱ δὲ βαίτιον. Hesychius: Βαίτιον, βοτάνη ἐμφερὴς δικτάμνῳ, ἤγουν γλήχωνι. Alio loco δικταμνοειδὲς exponit γλήχωνα, & verum dictamnum in rerum esse natura negat: Δικταμνοειδὲς, γλήχωνα τινές· οὐκ ἔστι γὰρ βοτάνη δίκταμνος. Ex quibus apparet, quàm fuerit rarum illud dictamni genus, quod erat simile pulejo, ita quidem ut reperiri prorsum quidam negaverint. Alii

B pulejum agreste hoc nomine donaverunt, quod δικταμνοειδὲς dixerunt; ut vice versa δίκταμνον ipsum nonnulli γλήχωνα ἀγρίαν nuncuparunt: inde & βαίτιον, non dictamnum, sed herbam dictamno similem esse Hesychius vult. Sic appellatur à puberibus ac lanuginosis foliis: ita & bulbum triophorum βολβὸν κώδιον Theophrastus nominavit, quia κώδιον pellis est lanata. Neophytus de dictamno: Καὶ ἐριώδη τινὰ ἐπὶ τοῖς φύλλοις ἔχει φύσιν ἤτοι μαλλωτήν. Clarum igitur ex his, genus illud dictamni, quod hodie in Italiam ex Creta adfertur, secundum esse dictamnum, folio sisymbrii, flore origani silvestris, purpureo. Alterum illud dictamnum ple-

C risque veterum creditum fabulosum, quod pulegio simile est hodie, non inveniri certum est, nisi sit pulegium silvestre, ut persuasum nonnullis antiquis, qui eadem omnia præstare dicunt hoc pulegium silvestre, quod dictamnum appellarunt, cum sativo. Dictamnum vetus Herbarius Arabs apud Dioscoridem interpretatur Arabice مشكى طر مشياح *mexctramaxiah*. Corruptè apud Garciam scribitur *mexquetera mexir* cap. XXXI. ubi refert, se aliquot plantas apud *Nizamoxa* observasse, quibus Goæ carent, ut *eupatorium*, *mex quetera*, *mex melissophyllon*, *buglossum* &c. Unica est dictio. Mirum verò, cur non dictamnum potius dixerit.

D Mirum etiam Viros doctissimos nescisse mexctramaxiah esse dictamnum, cum aperte ita interpretatus sit Gerardus Carmonensis. De dictamno & pulejo exposuit, quasi duæ sint plantæ, quæ una est, dictamnum nempe quod pulejum agreste quidam nuncuparunt, ipse vocat *mescatramescir*. Antiquum Lexicon Græco-arabicum: μεξκτεραμέξιρ. Apud Serapionem cap. CCC. legitur *mescatremephir* vitiose pro *mescatremexir:* quod de dictamno posuit. Scaliger legebat, *meschtera-maschique*, tanquam duæ voces essent. Sed in fine *Gain* litteram positam putavit. Alii pro *He* & *Re* invicem colligato acceperunt, unde & *xir* ultimam syllabam enuntiarunt. In antiquo co-

E dice Dioscoridis & apud Avisenam penultima est *Elif* jugatum cum littera *Ha*, per medium cujus transit & ad extimum cornu conjungitur hac figura ح ح: quam alii videntur accepisse pro غ, alii pro ع, quidam etiam pro ع, quod est ر & ه simul ligatum. Rectè itaque in contextu ipso Latino Avisenæ scriptum *mescatramesiah*. Serapio docet dictamnum etiam dici pulejum Arabicum, aut pulejum agreste. علنجن عربي *halnagen Arabi*, aut علنجن بري *halnagen bari*. Herbarius Arabs in vetusto Dio-

G scoride pulejum notat vocari غلنجن *chalnagen* vel *halnagen* absque apice in littera غ, ut alibi reperi. Apposuit & aliam puleji Arabicam appellationem: فودنج بري *fudenegi bari* quod

quod ſonat origanum agreſte. Nam Arabes origanum vocant فودنج *fudenegi.* De altero igitur dictamni genere id accipiendum, quod florem habet agreſti origano ſimilem. Malè Interpres Aviſenæ Arabicam vocem *ſatar* سعتر reddit origanum capite DXXXIII. cum *thymbram* ſignificare lectio capitis oA ſtendat, eâ maxime parte, qua dicit paris eſſe cum thymo poteſtatis. Alibi etiam ſcribitur صعتر. Apud Dioſcoridem Arabicum θύμβρα exponitur الصعتر, *alſatar*: & οἶνος θυμβρίτης شواب السعتر *ſerab alſatar.* Corrupta vox & truncata ex Latino *ſatureia.*

CAPUT XXXIX.

De moly.

DEferendum & in hunc ὁμωνύμων cenſum moly Homericum. Omnes antiqui interpretes Homeri exponunt πήγανον ἄγριον. Quia rutam nimirum ſilveſtrem apud ſe naſcentem Cappadoces & Galatæ ſic vocarunt, diverſam tamen in totum à moly illo Homerico, quod in Areadia etiam tum reperiri prædicat Theophraſtus folio ſcillæ, radice bulbi. De quo attendenda hæc ſunt Plinii verba è lib. XXV. cap. IV. *Lautiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari à Diis putant moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrationem. Naſci eam hodie circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ tradunt ſpecie illa Homerica, radice rotunda nigraque, magnitudine cæpæ, folio ſcillæ: effodi autem difficulter.* Vide ſis tibi, ut hiſtorias permiſceat ac turbet. Hæc Theophraſti ſunt, qui moly in Arcadia naſci narrat ſimile Homerico, ea facie, quam ibi deſcribit; de cetero non difficulter erui, ut Homerus canit: Οὐ μὴν ὀρύττειν γε εἶναι χαλεπὸν, ὡς Ὅμηρός φησι. Contrarium noſter arripuit ex Homeri ſententia, cui non concinit Theophraſtus, quod tamen inſeruit ac ſubjecit deſcriptioni Theophraſteæ. Hoc videtur feciſſe, ut conſtaret idem eſſe moly, quod in Italia etiam reperiri contendebant periti quidam herbarum medici, quos id ſibi perſuaſiſſe profitetur Plinius, quique adeo teſtatur allatam tum ad ſe nuper è Campania *effoſſam inter difficultates ſaxeas radicis triginta pedes longæ, ac ne ſic quidem ſolidæ, ſed abrupta.* Vel ex uno hoc argumento collige quam peritus herbarum fuerit noſter, qui putare potuit moly illud à Theophraſto deſcriptum folio ſcillæ, radice rotunda & nigra, cæpæ ſimili, idem eſſe cum ea radice quam ſibi è Campania allatam vidit, quæ triginta pedes longitudinis habuit, ac ne ſic quidem integra fuit, parte nimirum extremâ interſaxa relictâ; quæ non erui quita eſt. Quî rogo te ſcire poterat radicem eam tam longam, quam nec vidit totam, è bulborum genere fuiſſe? Immo nec bulboſam fuiſſe compertum eſt, quæ ſic longa eſſet. Solam effodiendi difficultatem habuit ſimilem illa radix cum Homerico moly. Atqui hoc ipſum negat in moly Arcadiæ fuiſſe Theophraſtus, quamvis cetera ſimile foret Homerico. Plinius verò, ut radix illa ſua Campana concordaret cum Theophraſti moly, difficulter illud erui, contra mentem auctoris ſui, ex alterius auctoris ſententia confirmavit. Adjicit mox de eodem moly: *Græci auctores florem ejus luteum pinxere, cum Homerus candidum ſcripſerit.* Neſcio quos auctores Græcos intelligat. Nemo illorum, qui hodiè extant prodidit: nec puto differentiam hac in re ullam traditam. Quin & rutam agreſtem μῶλυ quidam vocarunt, à ſimilitudine, quam quadamtenus habet cum vero moly, radice nigra & flore lacteo: Ἐπειδὴ κατὰ πόσον σώζει τὴν πρὸς τὸ μῶλυ ἐμφέρειαν, τῇ ῥίζῃ μέλαν καὶ τῷ ἄνθει λευκὸν ὑπάρχον. Multum igiB tur abeſt, ut quiſquam luteum florem moly fecerit. Id Plinius auguratus videtur ex adſcriptis non ſolidis, ſed truncatis auctoris ſui verbis, quæ in adverſaria ita retulerat: Μῶλυ τὰ μὲν φύλλα ἔχει ἀγρώστει ὅμοια, ἄνθη λευκοΐοις ὅμοια. Omiſerat ea, quæ ſequuntur γαλακτόχροα. Cum autem Græci λευκόϊον abſolutè ſæpenumero, ut notatum ſupra, vocitent violam luteam, hinc ἄνθη λευκοΐοις ὅμοια, flores luteos interpretatus eſt. Auctor Priapejorum, qui non eſt Virgilius, hunc ſequutus videtur de moly.

C ---- *de qua flos aureus exit.*

Vide quam rectè expreſſerit illud Homericum de flore moly.

---- γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.

Riſi ſæpe concertationem Virorum duorum in re herbaria doctiſſimorum, qui de μώλυζα Hippocratis, an eſſet μῶλυ, inani jurgio diſputarunt. Μώλυζα vel ut alii ſcribebant μάλυζα, caput eſt allii apud Hippocratem, nec quicquam pertinet ad ſupra dictum moly. D In libro I. de muliebribus: Μώλυζαν σκορόδου ἀποξέσας; id eſt, capite allii deraſo. Galenus utramque ſcripturam in Lexico notavit his verbis, quæ ſic legenda ſunt: Μώλυζα σκόροδον ἁπλῆν τὴν κεφαλὴν ἔχον καὶ μὴ διῃρημένην εἰς ἄγλιθας, τινὲς ἢ μάλυζα. Vulgo perperam editur, τινὲς ἢ μῶλυ. Heſychius: Μώνυζα μονοκέφαλον σκόροδον, τινὲς ἢ μάλυζαν. Pſellus de verbis medicinæ antiquis: Μάλυζαι αἱ τῶν σκορόδων κεφαλαί. Apud Erotianum ſcribitur μῶλυξ pro μάλυζα. E Duorum igitur generum moly; immo genere diverſum Capadocicum ſive Galaticum, & Homericum ſive Arcadicum. Hîc eſt ὁμωνυμία. Capadocicum quidem vocarunt rutam agreſtem. Ipſi Capadoces μῶλυ nominabant. Dioſcorides. καλοῦσι τινὲς πήγανον ἄγριον καὶ τὸ ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ, καὶ ἐν τῇ κατὰ Ἀσίαν Γαλατίᾳ λεγόμενον μῶλυ. Hoc idem Syri vocabant βησάσαν, alii ἅρμαλα: idem Dioſcorides: καλοῦσι δὲ πνες αὐτὸ ἅρμαλα, Σύροι βησάσαν, Καππαδόκαι ἢ μῶλυ. Ab illo ἅρF μαλα Arabicum حرمل *harmel*: quam tamen appellationem herbarius Arabs alteri moly adaptat. At moly Capadocicum interpretatur Arabicè سطاب بري *ſatab bari*, id eſt, rutam agreſtem. Diverſa tamen ruta agreſtis ſic propriè dicta ab hoc moly, quamvis nonnulli & hoc donaverint rutæ ſilveſtris appellatione. G Aviſena lib. IV. Fen VI. tract. III. cap. XXXIII. rectè diſtinguit *harmel* à ruta agreſti. Nec enim *harmel* rutam eſſe ſilveſtrem, ſed genus rutæ ſilveſtris. Rectius igitur feciſſent Interpretes, ſi lib. II. cap. CCCXXXVIII. Arabicum illud *hermel* Latine reddidiſſent Cappadocicum moly quàm rutam ſilveſtrem.

CAPUT XL.

De panace.

POst moly ſequitur apud Dioſcoridem πάνακες. Multis herbis ſalutaribus impoſitum apud Græcos hoc nomen ab efficacia ſanandi morborum omne genus. Alia genera tranſeo. Speciem unam ex numeroſo agmine idem nomen gerentium extraham, quæ eodem cognomine diverſe tamen ab antiquis traditur. In quo eſt ὁμωνυμία, quam conquirimus. Chironium panaces à Dioſcoride deſcribitur foliis amaraci, flore aureo: φύλλα δὲ ἔχει ἀμαράκῳ ἐμφερῆ, ἄνθη χρυσοειδῆ, ῥίζαν δὲ λεπτὴν καὶ οὐ βαθεῖαν. Nicandrum ſuum, ut ſolet tranſcripſit, qui de hoc panace ita ſcripſit in Theriacis,

> Τῆς μὲν ἀμαρακόεσσα χυτὴ περιδέδρομε χαίτη,
> Ἄνθεα δὲ χρύσεια φαείνεται, ἡδ' ὑπὲρ αἴης
> Ῥίζα καὶ οὐ βυθόωσα Πελεθρόνιον νάπος ἴσχει.

Plinio, qui Theophraſtum ſequitur, longe alia chironii panacis faciès. Folium quippe lapathi ei tribuit lib. XXV. cap. IV. quo genera panacum exequitur: *Tertium panaces chironium cognominatur ab inventore. Folium ejus ſimile lapatho, majus tamen & hirſutius.* Theophraſtus lib. IX. cap. XII. Ἔχει δὲ τὸ μὲν Χειρώνειον φύλλον μὲν ὅμοιον λαπάθῳ, μεῖζον δὲ καὶ δασύτερον, ἄνθος δὲ χρυσοειδὲς, ῥίζαν δὲ μικράν. Cetera ſimilia ſunt, excepto folio, quod immane quantum diſcrepat. An legendum in verbis Theophraſti dicemus, φύλλον ὅμοιον ἀμαράκῳ: quod perperam Plinius audivit λαπάθῳ. Niſi hoc ſit, dicendum, aliud chironium panaces à Theophraſto deſignari poſterioribus Græcis ignotum. Meminit idem Theophraſtus panacis in Syria naſcentis, quod abſolutè vocat πάνακες nullo addito cognomine, libro, quo ſupra cap. X. Καὶ ὁ ὀπὸς ὥσπερ ἄλλων τε, καὶ τοῦ πανάκους. Hujus radicem unguento irino etiam miſceri tradit ob fragrantiam, & in Syria gigni: Χρήσιμη δὲ καὶ πρὸς τὸ ἴρινον μύρον διὰ τὴν εὐωδίαν. ἰσχυρότερον δὲ τὸ σπέρμα τῆς ῥίζας. γίνεται δὲ περὶ Συρίαν. Capite deinde XII. ubi differentias panacum explanat, præter hoc Syriacum panaces, quod abſolute ſic vocavit, tria alia genera producit cognominibus diſtincta, Chironium, Heracleum, & Aſclepieum. Plinius hunc panacem Syriacum retulit ſine cognomine inter peregrinas ſpecies unguentis ſervientes, lib. XII. cap. XXV. de Syria loquens in hęc verba: *Panacem & unguentis eadem gignit.* Hic panax Syriacus Theophraſti, cui πάνακες dicitur non adjecto cognomine. At deſcriptionem illi accommodat eo loco Plinius panacis Heraclei, qualis habetur apud Dioſcoridem paucis demutantibus. Atqui diſerte teſtatur Theophraſtus Syriacum panaces, cujus uſus ad unguenta, diverſum eſſe ab Heracleo: Πανάκη γὰρ καλοῦσι, πρῶτον μὲν τὸ ἐν Συρίᾳ περὶ οὗ μικρῷ πρότερον εἴρηται. ἄλλα δὲ τρία, τὸ μὲν Χειρώνιον καλούμενον, τὸ δὲ Ἡράκλειον, τὸ δὲ Ἀσκληπίειον. Heraclium autem panaces Dioſcoridis idem cum Heracleo Theophraſti, quod oſtendit folii facies. Theophraſto id μέγα καὶ πλατὺ καὶ τρισπίθαμον πανταχῇ. Rotundum hæc eſſe indicant, quandoquidem undique tres palmos latum eſt. Dioſcoridi folia Heraclii panacis χλωρὰ πρὸς τὰ τῆς συκῆς, ἐν τῇ περιφερεῖ ἐπεσχισμένα. Magna ac lata eſſe & quidem rotunda, ſed in

A rotundo quinquefariam diviſa, res ipſa clamat. Plinius Syriacum ſuum panaceum, quem eundem cum Heraclio facie deſcribit, *foliis ampla magnitudine rotundis; in cacumine verò oleagineis, ſemine in muſcariis dependente, ut ferulæ.* De foliis in cacumine oleagineis nihil Dioſcorides: & ſanè ab alio accepit hæc Plinius, qui tamen panaces Heraclium, non Syriacum tradebat. Folia, quæ circa caulem ſunt, exigua admodum eſſe tantum dixit Dioſcorides: Καὶ φύλλα περὶ αὐτὸν μικρότατα: Ita in optimo codice, non μικρότερα. B Oleaginea ſane minima reſpectu ficulneorum, qualia ſunt in panace illa, quæ in terra jacent. *Muſcaria* vocat Plinius τὰ σκιάδια, quod muſcaria veteribus eâ formâ fiebant, qua ſunt umbellæ. *Muſcarium* proprie τὸ μυοσόβιον. Gloſſæ: *Muſcarium*, μυοσόβη. *Muſcar* à *muſcar bubulum* in lemmatis Martialis ſcriptum habent veteres libri: inde & *muſcarii clavi* Vitruvii, quibus umbellæ forma pro capite. De ſucco hujus panacis, qui Græcè ὀποπάναξ, ita Plinius: *Laudatur candor ejus coacti: ſequens pallido ſtatera. Niger color improbatur.* Quid ſit hic ſtatera nullus intelligo. De pretio ac æſtimatione opopanacis C agitur. Candidus, optimus; ſequens qui pallet, deterior: improbandus verò niger. Quid heic facit ſtatera? Certè eodem pondere niger & candidus væneunt, ſed pretio diverſo. Omnino ſcripſit Plinius: *Sequens pallido ſtat æra.* Scriptum quippe fuit, ut ſemper à librariis, *era.* Hæc *æra* non tam recens vocabulum, quam quibuſdam viſum eſt. Pro computatione ac calculatione, quæ æreis calculis ducitur, propriè poſita. Inde hæc *æra* pro calculis neutro genere apud Lucilium: *Hæc eſt ratio per verſa æra, ſumma & ſubducta improbè.* Nonius æram in eo D verſu fœmineo genere accepit. Quod argumentum eſt, jam ejus ætate ſic uſurpatam æram. Notam numeri interpretatur. Apud Plinium hoc loco æſtimationem ſignificat: *Sequens pallido ſtat æra.* Lege poſt paulo: *Pretium optimo in libras x. bini,* id eſt, denarii bini. De æra vide amplius in Exercitationibus. De illo Syriaco Theophraſti panace, quod ab Heraclio diverſum eſt, viderint herbarii. Panaces Herbarius vetus Arabs Dioſcoridis explicat شجر الجاوشير *ſegar algiauxir*, id eſt, arborem *algiauxir*. Apud Aviſenam جاوشير E *giauxir*, eſt opopanax. *Xir* Arabicè, Perſicâ tamen voce, ſuccum coactum & concretum ſignificat شير. Ex Græco ξήριον eſt, ut alibi notavimus. Ita ergo *giauxir*, ut *tabaxir* طباشير. Hoc ſaccharum *mambu*, de quo alibi. Hic *giauxir* eſt *xir giau*. Panacem appellarint hoc nomine oportet, cujus ſuccus coactus, جاوشير ὀποπάναξ. Æque enim *xir giau* dici poteſt, ut *giauxir*. Sic *xir* F *caſt* genus mannæ, ex quodam arbore *caſt* nuncupata شير خشت: vulgo dicitur *xiracoſt*. In antiqua expoſitione Arabicorum nominum *geſir* eſt opopanacum.

CAPUT XLI.

De ſcilla.

SCillam, quam nunc vocant, non eſſe ſcillam, qualis tradita eſt ab antiquis, notæ in totum diſpares, tum effectus minimè reſpondentes, ſatis produnt. Hanc, quam habent pro ſcilla vera, nihil præfert, quod agnoſcere poſſis pro genuino ſcil-

G læ indicio. Ne illa quidem Hiſpanica, cujus iconem poſt ceteros tanquam legitimæ ſe dediſſe putavit Cluſius, id nomen ex merito ferat. Folia illi liliacea tribuit & minora, quam pancratio. Atqui contra eſt. Folia pancratio lilii figurâ, ſcillæ verò latiſſima

latiſſima & aloës foliorum effigie. Sanè Dioſcorides & Plinius, aloën folium habere ſcillæ ſimile, ſcriptis prodiderunt. Si aliam vis ſimilitudinem, ecce tibi, quæ prorſus evincat ſcillam vulgarem à ſcillæ veteris forma longe divertere. Orchim latifoliam (de ea enim accipiendum) ſcillæ folio juxta quoſdam donat Plinius, & quidem minore. Lib. XXVI. cap. X. *Quidam*, inquit, *folio ſcillæ eſſe tradunt leviore ac minore, caule ſpinoſo.* Theophraſtum intelligit, cui orchis in majorem ac minorem dividitur. Majori folium eſſe dicit σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον: ſic enim alibi corrigendum docuimus pro σιλφιῶδες. Hæc eſt orchis latifolia Herbariorum noſtrorum, cui follium elleboro albo magnitudine non cedens tribuunt. Caulem ſpinoſum nulla habet orchis, earum ſaltem, quas in libris obſervaverim. Plinius ita reddit ex illis hodie depravatis Græcis Theophraſti: Τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιότατον ἀπίῳ ἀπύρῳ ἤτε ἀκάνθῃ. Haud ſcio an ſcripſerit Auctor ὁμοιότατον πυρακάνθῃ. Pyracantha non unius ſpinæ generis nomen. Herbæ ac frutici commune reperi: de quo alibi. Plinius contentus fuit reddidiſſe, *caule ſpinoſo.* Sed certam ſpinæ ſpeciem videtur intellexiſſe Theophraſtus, cujus folia tantum ſpinoſa, non etiam caulis; cujusque ſpinæ vel cardui cauli ſimillimum tradiderit orchis latifoliæ caulem. Alii inquirant. Plinius alio loco folium ſcillæ latum aſſignat: *Aſphodelus oblongum & anguſtum habet folium, ſcilla latum & tractabile.* Quid eſt, quod ait, ſcillam folium habere tractabile? An legendum, *intractabile*? Certè folium aſperum ſcillæ & urentis mordacitatis haud ſecus atque urticæ. Theophraſtus eo loco, quem Plinius reddidit, ita habet: Ὁ μὲν ἀσφόδελος μακρὸν καὶ στενότερον, καὶ ὑπόγλισχρον ἔχει τὸ φύλλον, ἡ δὲ σκίλλα πλατὺ καὶ εὐδιαίρετον. Plinius εὐδιαίρετον vertit *tractabile*, contrario planè ſenſu; non illo ſanè, quem voluit auctor. Quæ lentore aliquo prædita ſunt, eò etiam difficilius rumpuntur, ac dividuntur; ut contra ſicciora, magis fragilia magisque divídua. Folium aſphodeli lentum, ὑπόγλισχρον, atque ideo frangere ac dividere volenti contumax. Scilla contra folio minime γλίσχρῳ, minimeque tenaci ac tractabili, ſed εὐδιαιρέτῳ, quod facilè nimirum tactu tractuque ipſo rumpatur: ſic radices & caules lenti, ac γλίσχροι, δυσδιαίρετοι & contumaces dividi. Idem Theophraſtus paulo ante de cichorii caule: Ἔχει δὲ γλίσχρον, καὶ δυσδιαίρετος. Huic igitur contrarium τὸ εὐδιαίρετον, quod non eſt γλίσχρον. Tale ſcillæ folium, quod etiam latiſſimum & longè majus latiusque folio pancratii. Scribunt tamen de pancratio, longe majore eſſe amplitudine quam ſcillam, & folia habere ampliora longioraque. Ex quo apparet nec ſcillæ nec pancratii notitiam ullam eos habere. Adeo enim pancratium amplitudine infra ſcillam, & qui[illegible] puſillæ ſcillæ nomine id appellarint olim. Plinius: *Pancratium aliqui ſcillam appellare malunt, foliis albi lilii longioribus craſſioribusque.* Scilla veteribus cognita folio aſpero atque ita urente, ut non poſſit tractari abſque noxa: qua in re comparatur urticis. Dioſcorides de his qui Ephemerum biberint: Παρακολουθεῖ κνησμὸς καθ' ὅλον τὸ σῶμα, ὡς ἀπὸ σκίλλης ἢ κνίδης ἐρεθιζομένοις. Scillâ cæſus haud minorem uredinem ſentiebat, quàm ſi urticâ verberatus eſſet: & moris erat ſubverbuſtos etiam ſcilla fieri. Theocritus eidyll. VII.

— μή τύ νιν παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε, καὶ ὤμως
Τανίκα μαστίσδοιεν.

Nec folia tantum ſcillæ mordacia, ſed etiam tunicæ multiplices, quibus radix veſtitur. Nicander in Theriacis:

— ἔνδυθι κνηθμὸς
Οἷά τ' ὀπωρινοῖσιν ἐν ἠελίοις κραδάων, ἢ τεύχει κνίδη
Χρῶτα μιαινόμενος, ἢ καὶ σπειρώδει κόρσῃ
Σκίλλης, ἥτ' ἔκπαγλα νέῳ φοινίξατο σάρκα.

Inde explicandus Theocritus eo verſu, qui nec veteribus nec novis interpretibus intellectus eſt ex Eidyll. V:

Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις.

In contentione illa paſtorali, quo invicem ſeſe inceſſunt & laceſſunt duo paſtores, ſic mandat antagoniſtæ unus ſuo, ut id faciat, quod ſcit illum non poſſe facere abſque gravi ſua noxa, ut ex proximo tumulo protinus evellat veteres ſcillas. Ut veteres urticæ longè mordaciores novellis & puncturæ acrioris, ita etiam ſcillæ. Nulli hic lucumones & nulla opus purgatione, quam ſcilla pollicetur. Alter ut contra redhoſtiat & par pari referat, quo æmulum ſuum mordeat, rem æque laborioſam illi injungit, ut Alentem profectus, qui ſatis longè diſtabat ab urbe, cyclaminum effodiat: Ἐνθὼν τὸν κυκλάμινον ὄρυσσέ νυν ἐς τὸν Ἄλεντα. Præterea ſuum etiam venenum ineſſe cyclamini radici narrat Plinius: ſed eo reſpexiſſe Poëtam non puto. Poſtremo ſcillam ſuam Veteres ter in anno florere ſcriptum reliquerunt. Quod illa non facit, quæ hodie hoc habet nomen. Ex his omnibus clarum eſt, veram ſcillam non hodie extare qui cognoſcat, nec in libris Herbariorum noſtrorum uſpiam comparere germanam ejus imaginem.

CAPUT XLII.

De althæa.

Circa althæam non minus falluntur ipſi, falluntque nos, dum ſcire eam credi volunt: eo ipſo quod vulgarem herbam nulliſque non cognitam aſſerunt, longè ſe abeſſe ab ejus cognitione fatentur. Græci contra, qui in reconditis adhuc ac pluteariis jacent libris, raram admodum inventu eſſe herbam, & nonniſi in Aſia reperiri & Sicilia affirmant, quorum verba non gravabor heic adſcribere: Ἡ μὲν ἀλθαία καὶ ῥαδίως εὑρίσκεται φυομένη ἐν τοῖς τῆς Ἀσίας τόποις, ἢ Σικελίας. εὑρίσκεται δὲ ἐν τῇ Σμύρνῃ ἐν τῷ Σχελλῇ ποταμῷ. Raram quoque eſſe innuit Theophraſtus, qui apud Arcades inveniri eam ſcribit & ab ipſis vocari ἀγρίαν μαλάχην, cum medicorum filiis dicatur ἀλθαία, à virtute ſcilicet medica, qua pollens eſt. Lib. IX. cap. XV. de Arcadibus herbiſque apud eos naſcentibus: Καὶ ἣν οἱ μὲν ἀλθαίαν, ἐκεῖνοι δὲ μαλάχην ἀγρίαν. Ad hoc talem deſcribit, qualem nondum ſibi viſam fateri coguntur, flore nempe luteo: Ἔχει δὲ ἡ ἀλθαία φύλλον μὲν ὅμοιον μαλάχῃ πολὺ μεῖζον καὶ δασύτερον, τὸν δὲ καυλὸς μαλακὸς, ἄνθος μήλινον. Dioſcorides ῥοδοειδὲς dicit: roſæ effigie accipere licet, ut coloris fuerit lutei. Florem altheæ *roſam* appellari Harpocration ait in libro περὶ φυσικῶν δυνάμεων, incertum à colore, an forma: Ὀνόθυρσις βοτάνη ἐστίν, ἣν οἱ μὲν ὀνοθήρην καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀνομολόχην αὐτὴ ἐστὶ τὸ ῥόδον, ἐξ οὗ τοὺς στεφάνους πλέκουσιν Ἕλληνες ἐν ταῖς ἑορταῖς τῶν θεῶν, φύλλα ἔχουσα ὅμοια μαλάχης ἡμέρου. Ταύτην Ἕλληνες καλοῦσιν Ἀλθαίαν. Sed magis eſt, ut ῥοδοειδὲς de colore interpretari debeamus. Sic enim πρασοειδὲς, quod praſini eſt coloris. Et ῥοδοειδὲς metallicum, quod colorem habet roſeum. In ſequenti altheæ deſcriptione florem ejus roſæ ſimilem ſtatuit: Ἄνθος μικρὸν ἐμφερὲς ῥόδῳ. Ergo ῥοδοειδὲς de colore intellexit: quod & antiquarius Dioſcoridis expreſſit, florem althææ pingendo roſeum. Hoc ſi eſt, de alia omnino quam de vera althæa locutus ſit Dioſcorides, cum germana florem ferat luteum. Cenſentibus eſſe arblutilon Aviſenæ, neſcio unde hæc obvenerit ſuſpicio. De ſua arblutilo Aviſena hactenus tantum, ut dixerit eſſe plantam ſimilem cucurbitæ. Adjiciunt Interpretes Arabes, arblutilon non foliis tantum referre cucurbitam, ſed etiam fructu; qui oblongus eſt, non rotundus. Eam reperiri in civitate Gazæ. Hæc longe diſtare vides ab althæa Græcorum. Dioſcorides *ebiſcum* quibuſdam vocari refert: Ἀλθαία, ἣν ἔνιοι ἐβίσκον καλοῦσι. Cur non dixit Romanos, ut ſæpe alias loqui ſolet. Non enim alii ſunt, qui althæam vocaverunt *ebiſcum*, vel *ibiſcum*. Veterinarii veteres Græci ea parte, quæ deſideratur

tur in editis: Αἰγύπτιοι μὲν ἀλθαίαν, ὑπὸ τινῶν δὲ μολόχη, Ῥωμαῖοι δὲ ἔβισκον, παρὰ Σαρμάταις δὲ καὶ Γέταις καὶ Θρηξὶν, ἄγελαπς. Neophytus: Ἀλθαία ἢ Ἀλθίσκον, οἱ δὲ μαλάχην ἀγρίαν, Ῥωμαῖοι Ἐβίσκουμ. Glossæ: *ἀλθαία, hibiscum.* In aliis glossis absque adspiratione: *Ibiscus, herba mollis*: inde *malvavisco* Italicum, *pro malva ibisco.* Quod nos Galli dicimus *Ibisco-malvam.* Inde enim nostrum *Guimalva.* Nimirum ponimus ante, quod Itali post. Barbari *bismalvam* vocant; quod omnino ex *ibisco-malva* depravatum constat. Plinium non miror, quo loco hibisci meminit, non meminisse altheæ; ut nec hibisci mentionem habere, ubi althæam commemorat. Liquet diversas putasse: quod illi in aliis solenne est. Sed illud in illo absque admiratione transire non potui, quod hibiscum inter genera pastinacæ reponit, & similem videtur velle pastinacis, idque non uno loco. Lib. XIX. cap. V. ubi de pastinacæ generibus agit: *Hibiscum à pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis, sed medicinæ utile est: & quartum genus in eadem similitudine pastinacæ, quam Gallicam vocant; Græci vero daucon.* Sola vult gracilitate à pastinaca differre hibiscum, ut nimirum gracilius sit hibiscum: cetera pastinacæ simile. Quod & repetit alio loco, nempe lib. XX. cap. IV. *pastinacæ simile hibiscum, quod molochen agriam vocant, & aliqui plistolochiam:* quam malvæ omnes similem tradunt, & malvæ genus agrestis esse. Id vero quomodo pastinacæ simile queat videri, nullus ipse video. Etiam de plistolochia mirum. Nam eam alibi inter aristolochias metatur & quartum genus facit. Quod attinet ad similitudinem hibisci cum pastinaca, quam Plinius adstruit, videor videre unde eam extuderit. Apud auctorem Latinum legerat, hibiscum genus esse malvæ silvestris, & molochen agriam Græcè a quibusdam vocari, non distare à pastinata nisi gracilitate. Per *pastinatam* malvam intelligebat ille hortensem & quæ pastinato seritur. Omnia sativa ampliora agrestibus. Hinc ergo & agrestis malva gracilior sativâ & pastinatâ. Damnatum cibis hibiscum dicit, id est, agrestem malvam: sane hortensem constat olim in cibos receptam. Plinius igitur aliud agens *pastinatum* accepit pro pastinaca. Profecto quod ad rem non parum facit, vetustissimi codices eo loco *pastinata* disertè scriptum habent; *hibiscum à pastinata gracilitate distat*, cum ceteris locis *pastinacæ* nomen absque vitio repræsentent. Auctor, unde Plinius id mutuatus est, sine dubio scripserat: *Hibiscum, id est, agrestis malva à pastinata gracilitate distat.* Omisit illud *agrestis malva* & *pastinatam* interpretatus est pro *pastinaca*, ut hæ duæ litteræ in vocibus sic formatis sæpe invicem mutantur, securiclata, securiclaca; lingulata, lingulaca; personaca personata, ἡ προσωπίς, quam & alii *personaciam* dixêre. Glossæ: *Pastinatio*, φυτεία. Non dubium itaque, *pastinatam malvam* rectè dici τὴν φυτευθεῖσαν, sativam & hortensem. Ex eo errore passim alibi scribit, hibiscum similem esse pastinacæ. Fuit etiam, cum putarem nomine hibisci intellexisse alcæam Græcorum, quæ & ipsa ex genere agrestium malvarum, quam & quidam confudisse certum est cum althæa. Etenim Neophytus sub altheæ nomine alcæam descripsit, cui folia tribuit ἐπεσχισμένα πρὸς τὰ τῆς ἱερᾶς βοτάνης. Existimabam igitur, hanc incisuram foliorum in alcæa, quam pro althæa sumpsisset, ad similitudinem pastinacæ retulisse Plinium. Sed certo certius errorem inde illum hausisse, unde diximus. Althæam alibi idem Plinius ita exponit inter malvas: *Ex silvestribus, cui grande folium & radices albæ althæa vocatur ab excellentia effectus, ab aliis aristal-*

A *thæa.* Non rectè scriptum esse hoc ultimum vocabulum indicat vetus scriptura, quæ habet: Ab aliis *plistolicia.* Ex quo legendum apparet: *Plistolochia.* Nam ita etiam in Indice manu exarato: *Malva althæa, sive plistolochia.* Item alibi hibiscum dixit vocari ab aliis *plistolochiam.* Forte sic dictam opinari est, quod trahendis secundis, quæ λοχεῖα Græci vocant, optime faceret. Plistolochiam idem Plinius ceteris aristolochiæ generibus quartum genus accenset, quæ & πολύρριζος appellata est. Ita enim in Indice manuscripto: *Aristolochia, sive climatitis, sive Cretica, sive plistolochia, sive lochia polyrrhizosque, quæ malum terræ.*
B XXII. Ita hæc legenda. Nullibi tamen apud Græcos hoc πλειστολοχίας nomen lego: & vereor, ne ex prava lectione, vel Plinii vel Anagnostarum ejus manarit, qui in libro Græco litteris majusculis scripto perperam properantibus, ut fit, oculis, pro ΑΡΙΣΤΟΛΟΧΙΑ legerit ΠΛΙΣΤΟΛΟΧΙΑ; quod à veritate non procul recedit, nec à Plinii genio alienum est. Certe hujus nominis nullam invenio rationem. Quod enim id in *pistolochiam* mutarunt, libros omnes habent contrarios. Sed nec perspicio, quæ sit hujus vocabuli πιστολοχία, ratio. Altum verò silentium apud auctores de althæa dicta *plistolochia, vel*
C *aristolochia.* Ex verbis Theophrasti male lectis & male interpunctis id etiam auguror duxisse Plinium. Herbas medicinales in Arcadia nascentes enumerans ita tradit: Καὶ ἡ μὲν ἀλθαία, ἐκεῖνοι δὲ μαλάχην ἀγρίαν, καὶ ἡ ἀριστολοχία, καὶ τὸ σέσελι. Plinius ita legit vel accepit, quasi legeretur; ἐκεῖνοι δὲ μαλάχην ἀγρίαν, καὶ ἀρισολοχίαν. Ubi enim fortasse legit, vel legentem male audivit, καὶ πλιστολοχίαν. Ridiculum etiam illud Plinii, quo μολόχην & μαλάχην distinguit: ita enim apud eum emendari debet lib. XX. cap. XXI. de malvis: *Duo genera earum amplitudine folii discernuntur. Majorem Græci molochen vocant in sativis: alteram ab emolliendo ventre dictam putant malachen.* Atqui μολόχη Atticum est, aliorum μαλάχη. Ita veteres grammatici sanciunt. Potius crederem Æolicum esse μο-
D λόχην. Eorum quippe est A in O mutare, ut ὄνυγρον pro ἀνάγυρον, quod Atticum est, ὄνοις pro ἄνοις, βόρις pro βάτις, & simila sexcenta. Quod propositi nostri est nunc absolvamus. Quæ vulgò *malvavisco*, aut *ibiscomalva* dicitur, non est Græcorum althæa, licet Latini veteres eam *ibiscum* vocarint. Althæa vera hodie nostris Herbariis incognita, cum passivæ sit notitiæ, *bismalva*, quæ est *hibiscum Romanum.* Fortè nec ipsi Romani veteres legitimam althæam cognoverunt. Nam, quam hibiscum vocarunt, non alia est, quàm quæ vulgo dicitur *mal-*
E *va ibiscum.* Et hoc est indubitatum. Althæa quamvis similis sit malvæ silvestri, mirum tamen, non cum malvis locum illi assignasse Dioscoridem, quasi genere scilicet ab illis differenti. Etenim malvas communes libro secundo describit, & althææ mentionem in librum tertium distulit. Quæ sic disparavit, non ea videtur congenera existimasse, quamvis dicat althæam speciem esse agrestis malvæ. Alia est ἀνα-δενδρομαλάχη, cujus Galenus facit mentionem, quam nonnulli perperam cum ibisco vel althæa eamdem faciunt. Auctores veterinarii: Ἔστι δὲ ἑτέρα βοτάνη λεγομένη ἀναδενδρομαλάχη, ὑπὸ τινῶν σπλκίης ἐστὶ τὸ φύλλον πλατύτερον ταύτης, τὴν ῥίζαν ὡσαύτως σκιάζοντι καθῶς ἐπάνω γέγραπται χρῆσθαι. Puto esse
F quæ ἀλκαία dicitur Dioscoridi. Quod etiam nomen indicat, ut apparet, depravatum σπλκίης pro ἀλκαίη. Non meminit alcææ Galenus, sed videtur eam intellexisse appellatione ἀναδενδρομαλάχης.

CAPUT XLIII.

Bettonica.

INter herbas medicas non postremæ auctoritatis *Bettonica*, nec parvę quoque ambiguitatis propter nomen idem aliis herbis tributum. *Vettonica* esse debet à Vettonibus Hispaniæ populis dicta, sicque Pli-

G nio nominatur. Dioscorides unius tantum generis vettonicæ meminit, quam & κέστρον & ψυχότροφον Græce nomen habere innuit, ut Latine *vettonicam*, vel *rosmarinum.* Ita enim scriptum in antiquissimo codice: κέστρον

A Κέστρον τὸ καλούμενον ψυχρότροφον, ἐπειδὴ ἐν ταῖς ψυχροτάτοις εὑρίσκεται τόποις, ὃ Ῥωμαῖοι βεττονίκην καλοῦσιν, ἢ σέρρα μαρίνα. Ita vetus auctor in libello inscripto de betonica, quam Anthonio Musæ quidam attribuunt: *Romani betonicam, aliqui serratam nonnulli rusmarinam,* Plinius vettonica nomen Gallicum esse scribit, eam herbam sic vocantibus Gallis; Romanum autem esse *serratulam.* Græci quoque πριονῖτιν dixere. Folia quercina ei tribuunt per ambitum divisuris striata: ὅμοια δρυΐ, τὴν περιφέρειαν ἐσχισμένα. Hæc foliorum forma longè magis *serratulæ* vulgò nuncupatæ competit, quam *bettonicæ* vulgari. Auctor libelli de bettonica: *folia quercûs profert.* Nemo omnium est, qui dicere B ausit folia bettonicæ utriusvis quercinis similia esse. Hæc igitur erit veterum *serrata, sive serratula,* quæ hodie sic vocatur, diversa utique à bettonica; cum tamen veteres omnes eamdem perhibeant cum bettonica serratam. Plinius, ut de illo Apuleio ψευδωνύμῳ nihil dicam: *Vettones in Hispania eam, quæ vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, à Græcis cestron aut psychrotrophon.* Deinde ἰδέαν ejus ita prosequitur: *Exit anguloso collo cubitorum duûm à radice, spargens folia lapathi, serrata, semine purpureo.* Mirum quàm diversa ista à Dioscoride, qui non folia lapathi bettonicæ suæ dat, sed quercûs. Idem vero Dio- C scorides *Britannicam* herbam, quæ sequitur, folia lapathi silvestris habere dicit, quam & quidam cum bettonica statuunt eamdem. Apulejus: *Betonicam, sive Britannicam, Græci cestron & prionitin.* Auctor quoque Synonymorum Dioscoridis in ea sententia: Βρεταννική, ἢ βεττονική. Atqui nec serratula vulgaris: nec bettonica folium habent simile lapatho. Et Britannica herba ab utraque diversa, & ab aliis inventa & nominata populis, aliasque ad medelas idonea. Ipse Plinius alio loco eam Britannicam descripsit foliis oblongis & nigris: talia lapathium habet. Neophytus D sub nomine betonices, in herbario suo tam Britannicam Dioscoridis, quàm bettonicam vulgarem commemorare videtur his verbis: Βετονίκη, Φράγγοι βεττονίκα, οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀνθερακαβότανον. πόα ἐστὶν ἔχουσα φύλλα ὅμοια λαπάθῳ ἀγρίῳ, ἢ μείονα, ἢ μᾶλλον ἡδυόσμου ἡμέρου, τραχέα δὲ καὶ στύφοντα τῇ γεύσει καυλὸν ἀνίησιν οὐ μέγαν, ἄνθη ἀπ' ἄκρων πορφυρᾶ, μικρά. Hæc contexuit partim verbis Dioscoridis ad Britannicam pertinentibus, partim propriis vulgarem bettonicam designantibus. Folia menthæ sativæ & aspera designant bettonicam, quæ de suo interjecit Neophytus. Et rectè: nam folia lapithi nihil ad betonicam, sed ad E Britannicam, quam tamen cum bettonica ex similitudine aliqua nominis eamdem constituerunt. Plinius quoque vel auctor, unde accepit, pro bettonica volebat dicere Britannicam, cum folium lapathi ei assignavit. Bettonica porrò & serrata sic propriè dicta differunt, quos tamen prisci auctores sub uno nomine, nulloque descrimine litteris tradiderunt. Bettonica folio est menthæ sativæ asperoque, semine ut thymbræ spicato, serrata foliis quercinis striatis per ambitum. Dioscorides, ut in sexcentis aliis fecit, atque ut alii etiam fecere, bettonicam & serratam eadem descriptione includunt. Dioscorides: φύλλα μακρά, μαλακά, ὅμοια δρυΐ, τὸ σπέρμα ἐσταχυωμένον ὥσπερ θύμβρας. Folia serratam indicant: semen spicatum, ut thymbra, bettonicam vulgarem. Et clare Plinius bettonicam & serratam eamdem facit herbam, hoc nomine Romano, illo Gallico. Alibi tamen aliam tradit serratam, quæ eadem sit cum chamedrye Græcorum: *Chamedrys herba est, quæ Latinis trixago dicitur. Aliqui eam chamedropem, alii teverion appellavere. Folia habet magnitudine menthæ, colore & divisura quercûs. Alii serratam, & ab ea serram inventam esse dixere, flore pœne purpureo.* Hæc serrata, quæ folia habet magnitudine menthæ, colore & divisura quercûs, videtur eadem cum bettonica, cui similiter φύλλον ἡδυόσμου ἡμέρου tribuit Neophytus, in circuitu serratum quercini folii more. Dioscorides simpliciter dicit, chamædryn sive trixaginem folia habere parva, τῷ σχήματι καὶ τῇ σχίσει δρυῒ ὅμοια. Alia igitur serrata, nec eadem cum trixagine. Trixago quidem etiam serrato folio, etiam Vettonica; sed neutra appellata est proprio nomine *serrata.* Sola sic vocata, quæ hodie *serratula* dicitur, diversa à trixagine & Vettonica. Præter hanc Vettonicam, quæ Græcis κέστρον vocatur, aliam etiam agnoscit Paulus Ægineta, quam primo loco descripsit: Βεττονικὴ λεπτόκλωνός ἐστι πόα παραπλησία τὰ κλῶνα τοῖς τοῦ γλήχωνος ἔχουσα. φύεται δὲ μάλιστα ἐν πετρώδεσι τόποις, ἣ χρῶνται καὶ ἐν ταῖς νεφριτικαῖς δυνάμεσι. Deinde aliam subjicit ex Dioscoride, quam Græcè κέστρον, Romanè Vettonicam dici ait: Ἔστι δὲ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἄλλη τις βεττονίκη καλουμένη, ἣν ὁ Διοσκουρίδης κέστρον ὀνομάζει, ἄλλη δὲ ψυχρότροφον, διὰ τὸ χαίρειν τοῖς ψυχροῖς τόποις. Quærendum peritis herbarum relinquo, quænam sit illa Pauli Vettonica, quæ in saxis nasci amat & additur nephreticis medicamentis. In montibus quidem herbosis etiam nascitur vulgaris Vettonica & renibus prodest. Vettonica Dioscorides, quæ ψυχρότροφον, Serapioni dicitur *castura,* quod corruptum ex Græco κέστρον. Sed melius legas *castaron.* Ita enim habet vetus Herbarius Arabs Dioscoridis قسطرون, *castarum.* Idem Britannicam interpretatur speciem lapathi silvestris نوع من الحماض البري *navamin alhamad albari:* Quia scilicet folia habet similia *lapatho* silvestri. Avisenæ dicitur Græco nomine servato برطانيقي *bretaniki.*

CAPUT XLIV.

De polygono.

POst Britannicam, solâ interjectâ lysimachiâ, polygonum Dioscorides describit, maris & fœminæ qualitate discretum. Præter duplex illud polygonum è Dioscoride notum, aliud insuper invenio in scriptis veterum Veterinariorum, quod referri debet ad tertium vel quartum genus equiseti Mathioli. Eam ita describunt, (nec enim parcam verba adscribere, quæ nondum sunt edita) Αὐτὴ χλωρὰ μέν ἐστιν ἀεὶ, πᾶσα δὲ βοτάνη ἄφυλλος βλαστάνει, τοὺς δὲ κλάδους σχοινίου δίκην ἐκκρεμεῖς ἔχει, λεπτοτέρῳ καὶ ἐπιμηκεστέρῳ σπάρτῳ παρεοικότας· οὐχ οὕτω δὲ πρὸς δεσμὸν ὡς σπάρτον εὐτονοῦσι διὰ πολυγονάτιον· τῇ τάσει τῆς χειρὸς τῶν ἐπιλαμβανομένων αὐτῶν ῥᾷστα τῶν γονάτων ἀφίσταται· οὐ φείδεται δὲ καὶ ἡ πόα καὶ ἐπὶ δένδρων ἄρριζος φύεσθαι. Convenit planè descriptio cum equisceto quarto Mathioli: rami longi junceæ proceritatis & sparto sive genistæ similes, foliis carentes, multis geniculis divisi, qui manu tracti sta- F tim rumpuntur, eoque inutiles vinculis faciendis. Potest tamen & in primum genus equiseti Dioscoridis quadrare. Ramuli juncei dependentes σχοινίου δίκην ἐκκρεμεῖς, de prima hippuride Dioscoridis intelligi posse arguunt. Φύλλα σχοινώδη vocat Dioscorides, quos auctor ille κλάδους σχοινίου δίκην ἐκκρεμεῖς, λεπτοτέρῳ καὶ ἐπιμηκεστέρῳ σπάρτῳ παρεοικότας. Inde Plinius magno errore utrumque veluti rem diversam adscribit equiseto, folia nempe tenuia & exigua, ac ramulos junceos geniculatos. lib. XXVI. cap. XIII. *Traduntque juxta arbores nasci & scandentem eas dependere comis junceis multis nigris, ut est equorum cauda, geniculatis ramulis folia habere pauca, tenuia, exigua.* G Ramuli illi geniculati circa caulem inhærent & foliorum instar obtinent junceorum. Dioscorides de priore equiseto: Καυλία κενὰ ὑπέρυθρα, περὶ δὲ αὐτὰ φύλλα σχοινώδη, πυκνά, λεπτά. Quis non videt & κλάδους σχοινώδεις ἐκκρεμεῖς in hippuri apud veterem auctorem eosdem esse cum

his

his foliis junceis. Nulla certe habet folia præter hos ramulos hippuris. *Græcorum*, inquit Plinius, *varia circa hanc opinio. Alii pinus foliis similem nigricantem eodem nomine appellant.* Hoc polygonon fœmina Dioscoridis, cui circa genicula veluti folia eminent φυλλαρίοις πίτυος ὅμοια. Plinius πίτυν ubique pinum vertit. Polygonum id genus quidam ex Græcis videntur & ἱππούριδα vocasse. Sane & Neophytus polygonon fœminam similem esse equiseto scribit: Πολύγονον θῆλυ μονόκλωνον, τρυφερὸν, ὅμοιον ἱππούρῳ. Minima hippuris polygono similis: quin & hippuris etiam πολυγόνυ nomine Græcis aliquando venit, ob geniculorum crebritatem. Auctores veterinarii cap. DLXXXVI. Βοτάνη τίς ἐστιν ἐν τοῖς τείχεσιν καὶ ταῖς πέτραις γεννωμένη, ἣν ἰατρῶν παῖδες πολύγονον ὀνομάζουσιν, Ἡπειρῶται ἰδιωτικῶς σύμφυτον, Μακεδόνες ὀστεόκολλον, προφῆται δὲ πανάκτιον αὐτὴν καλοῦσιν, ἥν καί φασιν ἑψομένην διαμεμοιρασμένοις κρέασιν ἑνοῦν αὐτά, διὸ καὶ σύμφυτος, ὀστεόκολλος δὲ καλῶς καλεῖται, ἐξ οὗ δρᾷ ὀνομασίαν ἔχουσα. Protinus his subjungit descriptionem ipsam herbæ, quam superius posuimus, quæ hippuridi sive equiseto prorsus convenit. Ea hippuris vim quoque habet non parvam conglutinandi vulnera, & sanguinem sistendi. Unde & σύμφυτος rectè appelletur. Nam & symphyto petræo ex ea re

A nomen, & helenio cognomen & multis aliis ἀπὸ τοῦ συμφύεσθαι, quod faciat, ut vulnera in cicatricem coëant & συμφυῆ fiant. Hierocles cap. CCCCXLVIII. ad orthopnæam: Σύμφυτον, ὃ καλοῦσιν ἵππουριν. Equisetum autem vel Dioscoride teste tussientibus & orthopnoïcis utile: sed vereor ne symphytum petræum cum symphyto hippuro auctor ille confuderit. Et sanè ita est: quod ait ἐν πέτραις γεννᾶται, id symphyto petræo planè congruit, non symphyto hippuro. Omnia quippe equiseti genera aquaticis locis & umbrosis gau-

B dere certum. Unde & ἔφυδρον Græcis. In aquosis & scrobibus nasci dicit Dioscorides. Ea verò nota propria symphyti, quod carnium partes una costarum adunet & conglutinat: ἣν καὶ φασιν ἑψομένην διαμεμοιραμένοις κρέασιν ἑνοῦν αὐτά. Dioscorides de symphyto petræo: Καὶ τὰ κρέα δὲ συμπήγνυσι ἑψόμενον σὺν αὐτοῖς. Ita legendum, non ut vulgo est συμπέπτει. Item de alterius symphyti radicibus: καὶ τὰ κρέα δὲ συνεψομέναι κολλῶσι. Ossibus etiam fractis medetur symphytum petræum, ex quo ὀστεόκολλον ritè nomen habeat. Neminem esse pu-

C to, qui non miretur auctores medicinam professos ex duabus herbis immanè quantum discrepantibus genere ac facie, unam compegisse ob id solum, quod fuerint cognomines & virtute utcumque non dissimiles.

CAPUT XLV.

De hippuride.

QUia hippuris σύμφυτος etiam appellata quibusdam à virtute, quam habet corporum conglutinandorum, ideò eam fecerunt eamdem cum alia herba, cujus hoc nomen proprium factum est ab effectu pari. Hæc Plinium venia dignum præstant; quam laudem meruisse crederem, si his abstinuisset, quæ nesciebat. Inter cognomina hippuris anabasin, vel anabasion dictam lego à scandendo. ita enim lege in Plinio: *Alii hippurin, alii ephrodon, alii anabasion vocant.* Potest legi & *anabasim.* Dioscorides in antiquissimo codice: Ἵππουρις, οἱ δὲ ἀναβάσιον, οἱ δὲ ἔφοδρον καλοῦσι. Corrigendum unius litteræ mutatione ἔφεδρον. Nam ita apud Plinium in libris scribitur *epedron vel ephedron.* Putaret aliquis melius legi ἔφυδρον, quia sequetur statim; φύεται ἐν ἐφύδροις. Sed illud rectius. Ita dictum apparet, quod arboribus insidat ἀπὸ τοῦ ἐφεδράζειν τοῖς δένδροις, ut *anabasis* quod eas scandat. Hesychius: Ἐφέδρα πόα τις, ἣν καὶ ἵππουριν καλοῦσι. Rationem mox reddit, cur ἀναβάσιον dicatur: *traduntque juxta arbores nasci & scandentem eas dependere comis junceis multis nigris, ut est equorum cauda, geniculatis ramulis.* Græca eadem fuere, quæ apud Dioscoridem leguntur: Αὔξεται δὲ εἰς ὕψος ἀναβαίνουσα εἰς τὰ παρακείμενα στελέχη καὶ κατακρέμαται περικεχυμένη κόμαις πολλαῖς μελαίναις, καθάπερ ἵππου οὐρά. In quodvis pignus contendere ausim, eamdem esse herbam, quæ *ephedra & anabasis eidem* Plinio dicatur libro eodem cap. VII. sicut ex descriptione subjuncta apparebat: *Caucon, quæ & ephedra, ab aliis anabasis vocatur, nascitur ventoso fere tractu, scandens arborem & ex ramis propendens, folio nullo, cirris numerosa, qui sunt geniculati.* Ex alio auctore cum Plinius hæc transcriberet, putavit aliam esse hanc anabasim ab hippuri anabasi, quam infra cap. XIII. ejusdem libri depinxit, Primum ibi rectè legitur *ephedra.* Nam & in hippuris historia vocatur *ephedron*, & Hesychus ἐφέδραν vocat. *Caucos* autem ille in vitio jacet. Libri habent: *caucen ephedra, ab aliis anabasis vocata, nascitur ventoso fere tractu.* Scribendum in præcedentibus: *Acoron jocinori medetur, thoraci & præcordiis quoque ephedra, ab aliis anabasis vocata: nascitur ventoso fere tractu.* Ex corruptela vulgari nescio quem *caucon* herbam & *ephedram* imaginariam commenti sint herbarii nostri, quæ unà cum arboribus attollitur, quamlibet proceræ sint, earumque summum cacumen scandit. Non nego tego talem reperiri stirpem, sed ephedram esse Plinii, id vero pernego. *Caucus* etiam nomen herbæ,

D ut & *caucalis*, sed nihil ad hunc locum pertinens. Hesychius: Καυκὸς καυλίον, καὶ ἄγριον λάχανον. Puto sic vocasse quosdam, quæ aliis καυκαλίς. In Indice ad hunc locum nulla mentio *cauci*, sed *ephedræ* tantum hoc modo: *Ephedra, sive mabarsis* III. Legendum esse patet: *Ephedra, sive anabasis.* Hæc igitur hippuris arbores scandens. Nunc examinemus & comparemus cum hippuris descriptione hujus ephedræ picturam. *Ventoso fere tractu, scandens arborem*: hoc dicit propter inanes equiseti cauliculos, quibus arborem scandit. Καυλία κενὰ ὑπέρυθρα. Ventosum & inane idem. Sic Nicander ἀκτῆς καυλοὺς ἠνεμοέντας, caules ventosos sam-

E buci ventosos vocavit, quia concavi & inanes. Inde & ὑπηνέμια ova. Democritus in Georgicis excerptis lib. III. de hippuride: Αὐτῆς δὲ ὁ καυλὸς ἐστὶ κενὸς ὡς ὁ κάλαμος ἔχων τὰ ἄρθρα διῃρημένα. Addit noster: *Et ex ramis propendens, folio carens, cirris numerosa.* Hoc est, quod de hippuri tradidit, *dependere comis junceis multis nigris.* Dioscorides: Κατακρέμαται περικεχυμένη κόμαις πολλαῖς μελαίναις. Cirros illos in ephydra *juncos esse geniculatos* memorat Plinius; idemque de hippuri narrat, *geniculatos ramulos* habere. Τριχώδεις φυλλάδας vocat Democritus in Eclogis geoponicis de hippuri lo-

F quens. Medicinæ etiam ex utraque pares. *Ephydra datur ex vino nigro ad tussim, suspiria, tormina.* Hippuris quoque in vino pota tussim sanat, orthopnæam & dysenterias. Addit Plinius de hippuri: *Semen rotundum, simile coriandro, radice lignosa nasci, in arbustis maximè* Frustra fortasse laboraret, paratus quærere, unde extuderit semen illud in hippuri, quod nullum habet. Ex aliqua alia id planta collectum, quam sub eodem titulo temere in commentariis regesserat, in hanc transfudit. Quænam illa sit, non possum ad præsens conjicere. Polygonaton non dissimile semen gerit, quod cum polygono idem esse voluit Noster, cum multum

G distent. Polygonon etiam hippuris appellatur auctori veterinario, à geniculis crebris, quibus est distincta; unde & Græcorum vulgari lingua πολύκομβον dicitur, id est, multinodia. Nam κόμβος nodus. Neophytus: Ἵππουρις τὸ πολύκομβον. Vix possit exprimi quam turbatè explicarit historiam polygonorum lib. XXVII. cap. XII. *Tertium genus oreon vocatum facit in montibus nascens, arundini teneræ simile, uno caule, densis geniculis & in se infartis, foliis autem piceæ.* Hoc polygonum alterum, sive femina Dioscoridis, quod prope aquas nasci ait, φύεσθαι παρὰ τοῖς ὕδασι: tam procul abest, ut montanum dici queat. Hi natales proprii polygonato,

des: Πολυγόνατον φύεται ἐν ὄρεσι. Atqui hoc ipſum polygonum libro ſuperiore inter hippuridis genera recenſuit, *foliis pini ſimile*, φυλλαρίοις πίτυος. Et notanda interim inconſtantia, qui πίτυν modo pinum, modo piceam reddat in re eadem. Sequitur apud eumdem quartum genus polygoni, ſilveſtre appellatum, *pæne arido frutice, radice lignoſa, ſtirpe ephedri rubicundo, ramis ſparti binûm palmorum, nigris geniculorum ternis quaterniſque. Huic ergo ſpißandi natura, odor mali cotonei.* Ita hunc locum reſtituimus, partim ex libris, partim conjectura. Odor mali cotonei ad polygonaton reſpicit, quod Dioſcoride teſte, γευσαμένῳ ὅμοιον τῷ μήλῳ κυδωνίῳ ἢ ῥοιᾷ. Cetera deſcriptio quartum Matthioli equiſetum delineat. Frutex eſt pæne aridus, radice lignoſa, ſtirpe *ephedri*, id eſt, equiſeti (ſic enim recte repoſuimus pro cedri) ramis ſparti geniculatis. Hoc genus πολύγονον etiam dictum veteribus à frequentia geniculorum. Sic impeditiſſima illa τῶν πολυγόνων hiſtoria apud Plinium: qui nec reliquas melius explanavit, quando potius hoc ſibi ſolum negotii incumbere credidit, ut omnia intricaret, nihil expediret. Qua in re præcipuè eum adjuverunt ὁμωνυμίαι τῶν ἑτερογενῶν, quæ liberalem ei ſuppeditarunt copiam eundi, quà præceps eum rapiebat feſtinatio cum magna ſecuritate involvendi, quæcunque evolvere ſe non poſſe videbat. Obſervavi & ſpeciem hippuris illum quaſi ex Caſtoris auctoritate ſub nomine potamogetonis abſcondiſſe lib. XXVI. cap. VIII. ubi de potamogetonis facultatibus agit: *Caſtor hanc aliter noverat, tenui folio velut equinis ſetis, thyrſo longo & levi, in aquis naſcentem.* Vix crediderim, Caſtorem nomine ποταμογείτονος appellaſſe hanc herbam, cui folia velut equinæ ſetæ, & thyrſus longus & levis. Hæc enim planè deſcribunt ſecundam hippuridis ſpeciem, quæ & in aquoſis naſcitur. Fruſtra etiam magni nominis Herbarii hunc Caſtoris ποταμογείτονα eſſe myriophyllon aquaticum Dodonæi. Naſcitur hoc in aquis ipſis, potamogeton Caſtoris in aquoſis, id eſt, ἐν τοῖς ἐφύδροις. Aliud τὸ ὕδατι, aliud τὸ ἔφυδρα. Utriuſque generis equiſetum in aquoſis naſcitur, non in aquis. Dioſco-

A rides dixit ἐν τοῖς ἐφύδροις. Præterea Plinium boni illi Viri non noverant. Caſtor in prædicandis virtutibus potamogetonis ſcripſerat, eum refrigerare & ſpiſſare adæque ut polygonum, quod folia habet equinis ſetis ſimilia, thyrſum longum & levem, & in aquoſis ſimiliter naſcens, ut potamogeton. His verbis ἵππουριν πολύγονον Caſtor deſcribebat. Nam ſic etiam vocabatur. Ea vero Plinius retulit ad ipſum potamogetonem. Gemino prorſus errore & papaver aphrodes uſum præſtare alicubi ſcripſit dealbandis linteis, cum Theophraſtus tradidiſſet papaver illud ſimile eſſe ſtruthio, quo dealbantur lintea. In multis aliis

B ad hunc modum lapſus eſt. Polygonum Dioſcoridis, quod in maſculum & feminam dividitur, Herbarius Arabs vocat عصا الراعي *haſſa alrhai.* Quod ſonat *virgam paſtoris.* Et maſculum quidem polygonum nominat عصا الراعي ذكر *haſſa alrhai dheker*, id eſt, *virgam paſtoris maſculam.* Alterum vero عصا الراعي اناث id eſt, *virgam paſtoris feminam.* Alia eſt *virga paſtoris*, quæ hodie hoc nomen poſſidet apud vulgus her-

C bariorum. Sic enim vocant Græcorum δίψακον. In lexico Arabico ita exponunt vocem وطباط *batbat*: virgam paſtoris, δίψακον. Atqui Aviſena in dictione *haſſa alrhai*, qua polygonum Dioſcoridis explicat, hoc dicit eſſe البطباط *albatbat*, & in marem ac fœminam dividit. Longè diſtat à dipſaco Græcorum, aut *virga paſtoris* officinarum. Hippurida, vel equiſetum idem Herbarius nomine Arabico idem ſignificante appellat اذناب الخيل *adeneb alchail*, id eſt, caudam equi.

D Apud Aviſenam ſcribitur ذناب *deneb.*

CAPUT XLVI.

De Scolopendria.

Scolopendria noſtra nulli ignota eſt. Sed ſcimus omnes quoque, non poſſe eam videri, quam veteres Græci σκολοπένδριον vocarunt. Dioſcoridis σκολοπένδριον folium à ſimilitudine vermis ſcolopendræ, quam centipedam Latini dicunt: Nobis nota ſcolopendria ni-

E hil habet ſimile. Phyllitis potius ſit, aut hemionitis Veterum. Scolopendrium vulgare *lingua cervina* etiam dicitur à ſimilitudine. Jam Medici noſtri tenent ſcolopendrium Dioſcoridis, id eſt, quod Arabes vocant *ceterach.* In Lexico Græco-arabico: Κιτεράχ τὸ πτεράκτιον.

CAPUT XLVII.

De dracunculo ſeu dracontea.

Dracunculum noſtri paſſim nominant Herbarii, quod Græcis δρακόντιον dicitur: quaſi hoc nomine ſignificetur parvus draco. Atqui δρακόντιον heic adjectivum eſt & draconinum ſignificat. Hinc δρακοντίαν Græci recentiores dixerunt, ſubaudientes βοτάνην. Veteres autem dicendo δρακόντιον ſubintelligebant ἄρον: ſed Plinio fortaſſe auctore peccaverunt, qui *dracunculum* quoque vocat, cum tamen ibidem doceat dracunculum Latinis vocatum differre à dracontio Græcorum. Idem nihilo ſecus alio loco vocat *dracunculum* viperinis maculis inſignitum, quod eſt δρακόντιον Græcis auctoribus notum. Sic duo apud Plinium dracunculi diverſi. Alius porro ab his dracunculis, hortenſis vulgo ſic nominatus, virtute non diſpar ab eruca, qui cum oleribus & lactucis eſtur. Hæc explicanda. Duo diſtincta capita habentur apud Neophytum δρακοντίας μεγάλης, & δρακοντίας μικρᾶς. Quæ utraque perperam Dioſcoridi donata ſunt & adtexta, cum aliis nominibus utrumque genus pertractarit. Δρακόντιον Dioſcoridis idem omnino eſt cum δρακοντίᾳ μεγάλῃ Neophyti. At δρακοντία μικρὰ Neophyti eadem plane cum ἄρῳ Dioſcoridis, ut ex comparatis invicem deſcriptionibus pla-

num fiet. Quæ de ἄρῳ ſcribit Dioſcorides, eadem fere omnia & iiſdem verbis de dracontea minore commemorat Neophytus. Inter alia, radicem draconteæ minoris

F minus eſſe amaram, eoque edulem. Hoc ἄρον ἐδώδιμον Theophraſto. Duo itaque ἄρου genera vetuſtiſſimis Græcis, ἄρον ἐδώδιμον & ἄρον δρακόντιον. Glaucias non longe hinc abit, qui arum à dracontio ſatu diſcernebat, Plinio teſte, ut dracontium eſſet arum ſilveſtre. Sic ille diſtinguebat inter ἄρον ἥμερον & ἄρον ἄγριον. Silveſtre arum dictum δρακόντιον à caulis varietate maculoſa. Hinc alii δρακόντιον ari caulem eſſe dixerunt, ut idem Plinius ait. Erotianus in Lexico: Δρακόντιον ὁ καυλὸς τοῦ ἄρου. Poſteriores Græci alterum ἄρον abſolute, alterum δρακόντιον dixere. At recentiores hoc δρακοντίαν μεγά-

G λην, illud δρακοντίαν μικρὰν appellant. Neophytus, qui his nominibus uſus eſt, nullam habet ἄρου aut δρακοντίου mentionem, quia, ut dixi, nomine δρακοντίας μεγάλης dracontium intellexit, & per minorem draconteam, arum. Adeo autem verum eſt arum à Neophyto ſub nomine δρακοντίας μικρᾶς deſcriptum fuiſſe, ut in titulo quidem ſcripſerit κρακοντία μικρὰ: in tota vero hiſtoria non id

 diſtinguat

A distinguat à majore dracontea, sed à dracontio, sic propriè dicto, ut de ἄρῳ facit Dioscorides: Δρακοντία μικρὰ, φύλλα ἀνίσα· τοῖς τῆ δρακοντίας ὅμοια, ἀσπίλωτα πλὴν οὐχ ἐχισμένα καὶ κάτω νενευκότα καὶ ἀντεμπεπλεγμένα ὡσανεὶ γλωσσαῖα, ἀλλὰ τελγωνοειδῆ καὶ ἄνω νεύοντα. At draconteæ majoris folia ita representata: φύλλα δὲ ὡς λαπαθοειδῆ ἐχισμένα, ἀντεμπλεκόμενα ὡς βοσρύχυς λασίυς πρὸς γῆν νενευκότα ἐξ ἄκρης κορυφῆς. Dracontea illa minor foliis triangularibus erectis, non scissis, nec implexis arum plane referunt. Et nihil verius, quàm δρακοντίαν μικρὰν Neophyti, arum esse Dioscoridis. Ceterum in vulgatis Dioscoridis versionibus dracunculam minorem nobis proponunt, folio hederacio. Quod de B dracontio propriè dicto scripsit Dioscorides: Δρακόντιον ἔχει φύλλα κισσοειδῆ μεγάλα. Atqui paulo ante docebamus, Δρακόντιον Dioscoridis esse δρακοντίαν μεγάλην Neophyti. Hæc autem in foliis differentia est, quod δρακοντίῳ Dioscorides folium attribuit κισσοειδὲς: Neophytus draconteæ majori λαπαθοειδὲς, præterea ἐσχισμένον, ἀντεμπλεκόμενον ὡς βοσρύχυς λασίυς. Dracontea hæc major foliis divisis & implexis, rumici similibus, in terram nutantibus, omnino constat esse polyphyllon dracontion recentiorum, quod folium habet sic divisum scissumque, ut in uno quasi plura videantur C folia. Hic etiam major dracunculus Matthioli, non ut postrema editione exhibuerunt perverso ordine, minor. Cum foliis differant dracontion Dioscoridis & dracontea major Neophyti, in ceteris sunt similia. Neophytus de dracontea majore: καυλὸν δὲ ἔχει λεῖον, ὀρθὸν ὡς διπηχυαῖον καὶ παχὺν ὡς βακτηρίαν, ποικίλον κατὰ χρόαν, ὡς ἐοικέναι δράκοντι. Dioscorides de dracontio: καυλὸν δὲ ὀρθὸν δίπηχυν, ποικίλον, ὀφιοειδῆ, διαπόρφυρον τοῖς σπίλοις, βακτηρίας τὸ πάχος. Theophrastus quoque inter notas dracontii ari ponit τὸ ὀφιοειδὲς καὶ ποικίλον τῆ καυλῆ. Claudius Julius in descriptione ari D Ægyptii, quod idem facit cum colocasio, ὀφιῶδες esse τῷ ποικίλῳ dicit. Maculæ illæ, quibus varius est caulis dracontii, purpureæ sunt. Neophytus de dracontea majore: ὡς πλεονάζειν ἐν τοῖς διαπορφύροις σπίλοις. Plinius arum Ægyptium iisdem ferme coloribus ac notis depingit, quibus δρακοντίαν μεγάλην Neophytus, lib. XIX. cap. V. *Hæc inter genera & quod in Ægypto aron vocant, scillæ proximum amplitudine, caule recto duûm cubitum, baculi crassitudine.* Ita & majoris draconteæ καυλὸς ὀρθὸς, δίπηχυς τῆς βακτηρίας πάχος. Julius Claudius arum etiam Ægyptium, quod & colocasium dicebatur, idem prorsus cum dracontio aro statuit. Scillæ proximum amplitudine facit Plinius. E Græci pariter κολοκάσιον interpretantur σκιλλοκρόμμυον. Idem alio loco arum illud Ægyptium, de quo inter bulbos dixit verbis quæ ante rettulimus, magnæ cum dracontio litis esse affirmat, adeo ut quidem eadem esse voluerint. Certe utrumque dictum est ἄρον sed cognominibus distinctum. Alterum quippe ἄρον ἐδώδιμον, alterum ἄρον δρακόντειον: alterum ἄρον ἥμερον, alterum ἄρον ἄγριον. Unum denique ἄρον absolute, alterum δρακόντιον. Hoc δρακοντία μεγάλη, illud δρακοντία μικρά. Et utraque quidem etiam ἄρον appellata. Neophytus: δρακοντία μεγάλη, οἱ δὲ ἄρον. item: δρακοντία μικρὰ, οἱ δὲ ἄρον. Hæc summa, ut dixi, F apud veteres pariter ac recentiores Græcos divisio ari fuit. Arabes similiter duo genera faciunt. *luf* simpliciter dictam & *luf serpentis*. Avisena: *Luf quid est? alia est plana, alia est crispa. Sed crispa est calidior & existimatur, quod sit ea, quæ dicitur luf serpentis.* Λῦφα Syriacum est pro aro, teste Neophyto, qui parvam dracontеam, id est, arum ita ab Syris nuncupari notat: οἱ δὲ Σύροι λῦφαν. Inde Arabicum *luf*, arum. Et *luf serpentis*, quod Græcis antiquis ἄρον δρακόντειον. Crispam eam speciem vocat Avisena à foliis implexis. G Tale est dracontium absolute dictum, vel dracontea major Græcorum recentiorum, cui folium λαπαθοειδὲς, ἐσχισμένον, ἀντεμπλεκόμενον, ὡς βόσρυχος λάσιος. Altera plana, quæ teste eodem Neophyto, φύλλον οὐκ ἀντεμπεπλεγμένον ὡσανεὶ γλωσσαῖα καὶ βοσρύχυς λασίυς habet. Minus autem scitè Græci recentioris ævi arum propriè dictum vocarunt δρακοντίαν μικράν. Unicum quippe genus hanc meruit appellationem, quod caulem distinctum haberet, maculis Serpentis rubri. Atque hoc arum δρακόντειον, id est, serpentinum. Alterum ἄρον simpliciter, cui caulis subrutilus totus, absque maculis. Hoc enim inter alia discrimen arum separat a dracontio. Dioscoridis porro δρακόντιον, cui folium κισσοειδὲς, diversum tam ab aro dracontio, cui folia lapathi & implexa, quam ab aro simpliciter appellato cui folium τελγωνοειδές. Herba illa quam pro arisaro latifolio posuit Clusius, dracontion planè est κισσοειδὲς Dioscoridis. Nam folia hederæ aut smilacis fere habet, inter quæ caulis emergit multis rubris maculis notatus. Quo uno indicio dracontii generibus debet adnumerari, διὰ τὸ ποικίλον hoc nomen habentibus. Non potest esse ἀρίσαρον, quæ parva est herbula Dioscoridi, μικρὸν βοτάνιον. Utriusque porro ari supra à nobis explicati radix bulbosa, nec multum differentis inter se figuræ. Dioscorides de aro: ῥίζα λευκὴ πρὸς τὴν τῆ δρακοντίας. Ergo similis ari radix dracontii radici, excepto, quod illa candida, ista nigra. Diversa itaque illa dracontii genera, quæ Plinius sibi demonstrata refert. lib. XXIV. cap. XVI. *Id autem, quod Græci δρακόντιον vocant, triplici effigie monstratum mihi est, foliis betæ, non sine thyrso, flore purpureo, hoc est, simili aro. Alii radice longa veluti signata articulosaque monstravere, tribus omnino cauliculis. Tertia demonstratio fuit, folio majore quam cornus, radice harundinea.* Nullum ex his tribus generibus dracontii, præter quæ nullum apud Græcos propriè vocari δρακόντιον existimare Plinius videtur, verum dracontium refert. Dracontio aro, quod genuinum est Græcorum δρακόντιον, bulbosa radix. Duobus generibus Plinii postremis radix, partim arundinea & nodis geniculata, partim longa & signata articulosaque. Primum ex tribus, cui folium betæ esse dicit, Latini videntur *betam leporinam* appellasse, si fides est Neophyto, qui δρακοντίαν μικρὰν à Romanis ita vocari scribit: Ῥωμαῖοι βῆτα λεπορίνα. Atqui eam draconteam minorem non betæ folia habere dicit, sed dracontio similia. Et sane dracontea minor illi arum est. Sed hæc nomina confudit, quia betam illam leporinam quidam ex Græcis δρακόντιον fortasse dixerunt. Nec dubito, quin sit major dracunculus depictus in libris nostrum Herbariorum. Multum tamen ejus facies ab utroque aro separ, dracontio, & altero. Accedo Eruditorum sententiæ, qui putant tertium genus Plinii illud esse, quod quidam indigetarunt dracontion aquaticum. Ari, ut diximus, duo tantum genera antiquis notata: dracontium à serpentium maculis, quibus caulis ejus distinctus est, ita dictum est; alterum ἄρον propriè appellatum. Ex bulborum genere utrumque. Cetera omnia genera impropriè in possessionem hujus nominis venerunt. Multo magis ineptè omnes *dracunculum* nominant, qui Græcis dicitur δρακόντιον, cum sit δρακόντειον ἄρον, id est, serpentinum vel draconinum arum. Sic κενταύρειον, γλαύκειον, σμύρνειον veteribus, quæ posteriores Græci κενταύριον, γλαύκιον & σμύρνιον extulêre. Ineptus tamen esset, qui Latinè *centauriscum, murrulam, & glaucum* verteret, cum *centaureum smyrneum & glauceum* Latini veteres dixerint. Unde apud Columellam.

------ *succoque salubri.*

Glaucea.

Quæ γλαύκεια sunt antiquis, recentioribus γλαύκια. Sed auctor erroris Plinius, qui dracunculum Latinis suis eumdem esse putavit cum Græcorum δρακοντίῳ: & pro dracontio Græcorum nescio quæ genera sibi demonstrata asserit, nihil pertinentia ad draconteum arum, quod legitimum fuit δρακόντιον Græcanicum. De dracunculo ita ille scribit: *aliqui radicem aron appellaverunt, caulem dracontium, in totum alium, si modo hic est, qui modo apud nos dracunculus vocatur.* Græci ἄρον & δρακόντιον adeo ambiguæ similitudinis esse voluerunt, ut quidam ex his radicem unius stirpis ἄρον, caulem δρακόντιον vocaverint. Nonnulli satu tantum ea discreverint, alii vero eadem prorsus censuerint. Utrumque sanè tam ἄρον quam δρακόντιον, radice bulbosa, & rotunda, ut loquitur Plinius, in latitudinem. Hoc tantum differunt, quod ari radix alba est, dracontii nigra. At Plinius, dracunculum Latinorum, quem dubitat an sit Græcorum δρακόντιον, magnopere differre ab aro censet, & hoc utitur argumento: *Namque aros radicem nigram in latitudinem rotundam*

dam habet, multoque majorem, & qua manus impleatur: dracunculus vocatus subrutilam, & draconis convoluti modo, unde & ei nomen. Vel hinc disci potest, dracunculum non esse δρακόντιον Græcorum, quod à radice convolutâ draconis instar nomen ei dicat hæsisse, cum omnes omnino Græci suum δρακόντιον appellationem invenisse velint à maculis rubris, quibus variatur ejus caulis. Præterea dracontii Græci radix nigra est, non subrutila; & quem ἄρον ibi vocat Plinius, ἄρος est δρακόντειος, radice nigra. Et ita alibi. *Arum* ubique vocat pro dracontio ac serpentino aro. Totò igitur genere diversus Latinus dracunculus à Græco dracontio. Radicem dracunculi subrutilam tradit. Certè & Neophytus draconteæ minoris radicem intus albam, foris subrutilam constituit: ῥίζα ἔνδον λευκὴ πρὸς τὴν τοῦ δρακοντίου, ἔξω δὲ ὑπόπυῤῥος. Atqui sub draconteæ minoris vocabulo arum Dioscoridis exponit, cui simpliciter radicem albam ille assignat, dracontio similem. Et miscuisse videtur Neophytus dracunculum Plinianum cum aro Dioscoridis. Apulejus quoque Pseudonymus draconteam suam habere radicem dicit draconi similem, in quo convenit cum dracunculo Pliniano. At dracontii veri Græcanici radix, bulbus est, sive βολβοειδής: ideoque aron & dracontion Dioscoridis inter βολβοειδῆ recenset. Addit Plinius: *quin & ipsi Græci immensam posuere differentiam, semen dracunculi fervens mordaxque tradendo, tantumque inesse ei virus, ut olfactum gravidis abortum inferat.* Ergo & notus Græcis iste dracunculus, quibus alio nomine non potuit notus esse quam δρακοντίου. Quinimmo & de suo dracontio hoc ipsum Græci narrant, semen ejus fervens esse & mordax, tantumque virus ei inesse, ut olfactum fœtus conceptos abigat. Atqui δρακόντιον illud Græcorum quod has vires habet idem prorsus cum aro Plinii. Theophrastus lib. VII. cap. XI. ἡ δὲ τοῦ δρακοντίου ῥίζα (καλοῦσι γάρ τι δρακόντιον ἄρον διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν ποικίλον τινά) ἄβρωτος καὶ φαρμακώδης. Diversum esse ab hoc dracontio dracunculum illum Plinii, fidem ipse facit alio loco, ubi dracunculum alium commemorat, qui omnino est idem cum dracontio Græcorum aro. Hæc enim ejus verba sunt lib. XXV. cap. II. *In eadem provincia cognovi in agro hospitis nuper ibi repertum dracunculum appellatum caulem, pollicari crassitudine, versicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedium. Alius est, quam quos in priori volumine ejusdem nominis diximus.* Hic dracunculus δρακόντιον planè est Græcorum, sic dictum, quod ὀφιῶδες esset τῷ καυλῷ, multis nempe viperarum maculis variegatum. Quem cum dicat alium esse ab iis ejusdem nominis, quos in præcedente volumine nominaverat, hinc scire est dracunculum prioris voluminis esse δρακόντιον. Tria ibidem recensuit dracontii genera, quæ prorsum alia ab hoc viperino dracontio sive dracunculo. Hodie dracunculus vocatur herba hortensis, qua vulgo utuntur in acetariis cum oleribus & lactucis, facie in totum diversa ab illis dracunculis Plinianis. *Targonem* vulgo vocant: olitores nostri *estragonem*, corruptâ fortè dictione ex *draco*. Volunt esse eamdem quam Arabes *tharcum* dicunt. Nativam non esse hanc herbam quibusdam placet, sed fieri arte insertis lini seminibus in cæpe rubrum. Videndum, an dracunculus Plinii, cui radix subrutila & convoluti draconis modo, quæque in totum diversa est à dracontio Græcorum, possit eadem videri cum hoc dracunculo hortensi. Nec mirum, Plinium eos confudisse errore nominum, qui tamen & planè sensit distinguendos esse. Sed isti dracunculo, quem fatetur esse diversum ab aro & dracontio, ea non veritus est attribuere, quæ propria sunt dracontii. Si hic non sit (nec enim id affirmo) quærendum de illo dracunculo radicis subrutilæ, & convolutæ draconis instar.

CAPUT XLVIII.

De echii generibus & arcii cum illo confusis.

Herbas nec cognomines, nec nominis sono admodum similes, sed satis dissonas confundit, ut ἔχιον & ἄρκιον. Non magna hîc nominis vicinitas. Puto igitur deceptum ab Amanuensi, qui ipso dictante regerebat in commentarium loca auctorum, vel aures sane propriæ ipsi imposuerunt, vel aliter legens Anagnostes, aut si bene legit, aliud agenti utique Plinio imposuit. Lib. XXV. cap. IX. cum duo genera echii posuisset prorsus juxta veterum sententiam, subjungit ibidem protinus: *Quidam echion personatam vocant, cujus folio nullum est latius, grandes lappas ferentem.* Ita enim omnes libri eò loci scribunt. Non ignoro hodie legi ex correctione doctorum hominum, *quidam arcion personatam vocant*: sed illud item scio, hanc scripturam contra Plinii mentem manumque venire. Verum quidem est, personatam appellari ἄρκιον (& sanè inter omnes constat Græcorum ἄρκιον Latinè vocari *personatam*) sed notandum Plinium dicere, quosdam ita vocare. Non igitur de arcio intellexit, quam certum est ab omnibus vocari personatam: nec ita scripsit, sed quomodo omnes libri habent, *echion*. Inde est quod in Indice tria genera echii inscripsit, ut ex vetustissimo libro cognoscimus, qui ita habet eo loco, qui huic respondet descriptioni: *Echios genera* III. *Med.* II. Ergo & *echion* illud, quod & personatam à quibusdam vocari dixit, tertium genus adjunxit duobus aliis generibus apud Auctores pervulgatis. Eodem capite, quod unice mirandum, *persolatæ* meminit & à nemine ignorari ait, esseque Græcorum ἄρκιον: *Persolata, quam nemo ignorat* (*Græci arcion vocant*) *folia habet majora etiam cucurbitis & hirsutiora.* Planè vides *persolatam* ab eo distingui à *personata*. Cum eodem capite utriusque mentionem posuerit, & circa nomen variaverit, alteram *persolatam*, alteram vero *personatam* vocando. De persolata clarè testatur omnibus notam esse, & Græcè nominari ἄρκιον. *Personatam* verò quosdam refert vocare ἔχιον, & ex eo duobus echii generibus vulgatis veluti tertium genus accenset. Atqui descriptio *personatæ*, quam sub tertii echii nomine recensuit, eamdem esse arguit & *personatam*, licet paulo aliis verbis utramque descripserit. *Personata*, inquit, *cujus folio nullum est latius, grandes lappas ferens.* Hæc omnia τῷ ἀρκίῳ alteri Dioscoridis conveniunt. Hæc eadem & personata, quam paulo post folium majus cucurbitâ habere scribit. Quod ait *grandes lappas* eam ferre, hoc etiam notandum. Vocare videtur lappas capitula personatæ hamis aspera, quæque in vestem conjecta tenaciter adhærescunt uncinis suis. Idem Plinius *lappam* Latinè reddidit Theophrasti ἀπαρίνην, quæ & ipsa vestibus adhæreſcit. *Lappas & tribulos* apud Virgilium Servius interpretatur res, quibus lana decerpitur. Plinius ipse lappas, tribulos, carduos & rubos inter terræ pestes potius, quam inter frugum morbos numerari debere censet. Neophytus, ἄρκιον *personaciam & lappam* Latinè dictam esse ostendit: Ἄρκιον, οἱ δὲ προσώπιον, οἱ δὲ ἀπαρίνην, Ῥωμαῖοι περσονακίαν, οἱ δὲ λάππαν. Sed male, quod etiam ἀπαρίνην cum personacia vel personata eamdem facit. Præterea ἀπαρίνη lappa est, non ἄρκιον. Hodie tamen officinæ hoc retinent, & lappam vocant quæ personata est veterum, non aparinen. At Plinio & vetustioribus ἀπαρίνη lappa est. Hesychius: Ἀπαρίνη, φυτόν τι, ἔνιοι δὲ ὀροβάγχην. Quæ latissima habet folia inter herbas, ea est personata, quam recentiores Latini personaciam dicunt, eademque cum persolata Plinii, licet diversas velit. Sed *persollata* dicenda est. *Persona*, πρόσωπον: *persolla*, προσώπιον. Ut *vannus vallus: cinus, cillus: vinus, villus.* Quin & *persolla* pro hujus herbæ nomine scribitur apud Plinium lib. XXVI. cap. IX. *Persollæ radix, ut in strumis.* Ita enim ibi legit optimus liber. Et *persolla* propriè, ἡ προσωπὶς, τὸ προσώπιον parva persona. Quo nomine Græci hanc herbam donaverunt; quod

quod tam grandia essent folia, ut personæ sive persollæ ad vultum totum operiendum usum præstare possent. Idem porro nomen *persolla* & *persollata*, ut *persona* & *personata*. Sic *matulata* eadem quæ *matula*: & *matellata*, quæ *matella*. Glossæ: *matellata*, σαμνίον. *Matulata*, ἀρύταινα. Sic *caucatus* & *caucus* idem, & plura alia, quæ nos alibi notavimus. Hæc cum ita sint, Plinio tamen libuit distinguere *persollatam* à *personata*, & illam esse ἔχιον voluit, hanc vero ἄρκιον, prorsus nec dicendo errore. Apulejus ψυδοάνυμον personaciæ adversus morsus serpentium facultatem tribuit medicam. Sic ἔχιον dici posset. Certum quoque est ex Dioscoride, ἀπαρίνην, quam nonnulli cum personata eamdem habuere, prodesse efficaciter τοῖς ἐχοδήκτοις καὶ φαλαγγιοδήκτοις. Profecto omnes herbæ, quæ contra morsus viperarum & aliarum serpentium remedia ex se præbent, ἔχια nominari possent. Eodem modo & clematis quædam ἔχιτις vocata, quæ morsibus medetur aspidum & aliarum serpentium apud Plinium lib. XXIV. cap. XV. quo loco tamen veteres codices non habent *echiten* sed *aëtiten*, hoc modo: *Sed Græci clematidas & alias habent, unam quam aliqui aëtiten vocant, alii laginen, nonnulli tenuem scamoniam.* In indice vero ita scriptum est: *Clematide sive ethyne, sive lacine.* In contextu ipso *aëtiten* veteres omnes præferunt & *lacinen*. Apud Neophytum ἐπίπτης legitur de cognomine alterius clematidis, quod ad hoc nomen accedit: κληματὶς ἑτέρα, οἱ δὲ ἐπίπτης. Pro *lagine* vel *lacine*, forte scribendum sit *elatine* vel *lasine* vel *alsine*: sed de his paulo post. Illud sanè constat, echiten ibi locum non habere. Duo tantum echii genera sic proprie nuncupati, quibus tertium accudit Plinius de suo *personatam*, quæ est ἄρκιον, non ἔχιον. Duo priora echii genera Pliniana perperam doctissimi Herbarii de illa clematide echite subdititia & de altera daphnoïde interpretantur: Quod prorsus caret ratione. Verba videamus: *Echios utriusque generis pulegio similis, foliis coronata; item altera, quæ lanugine distinguitur spinosâ, cui & capitula viperæ similia sunt.* Apparet describere in animo habuisse utriusque generis echium, quod à Nicandro describitur in Theriacis his versibus:

Ἔνθα δύω ἔχιά τε φάσκεο. τῆς δ᾽ τὸ μέν τε
Ἀγχούσῃ προσέοικεν ἀκανθῆεν πετάλοιον.
Παῦρον ἐπεὶ τυτθόν τε, καὶ ἐν χθονὶ πυθμένα τείνει.
Ἡ δ᾽ ἑτέρη πετάλοισι καὶ ἐν καλύκεσσι θάλεια
Ὑψηλή, ὀλίγῳ δ᾽ πέλει πορφύρεται ἄνθει.
Βλάστη δ᾽ ὡς ἔχιος, σφεδανὸν δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνον.

Alterum genus echi Pliniani capitula gerit viperæ similia, quod ex postremo hoc versu Nicandri sumptum est de altera echio:

Βλάστη δ᾽ ὡς ἔχιος, σφεδανὸν δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνον.

Sed in eo fallus Plinius, quod eam speciem echii, quæ capitula præfert viperæ similia, lanugine spinosa distingui scribit. Atqui hoc proprium prioris generis, cui ἀκανθῆεν πετάλειον tribuit Nicander. Præterea nescio, quid sibi voluerit Plinius, cum pulegio similem utramque echion facit, & foliis coronatam. Priorem anchusæ simile folium habere tradit Nicander, nisi quod spinis obsitum sit; alteram vero longe lævi folio censeri, & flore purpureo non multo, altius vero assurgere quam priorem. Nicander paucis ante versibus priorem ita descripserat:

Ἐσθλὴν δ᾽ Ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν,
Τῆς καὶ ἀκανθοβόλος μὲν ἀεὶ περιτέτροφε χαίτη,
Λείρια δ᾽ ὡς ἴα πάντα περιστέφει, ἡ δ᾽ βαθεῖα
Καὶ ῥαδινὴ ὑπένερθεν ἀέξεται οὔδει ῥίζα.

Ex illis verbis, λείρια δ᾽ ὡς ἴα πάντα περιστέφει, *foliis eam coronari* Plinius interpretatus est. Atqui de floribus loquitur Nicander. Poëtarum more λείρια omne genus flores appellantur. Multis floribus, violis similibus eam circumcingi & coronari dicit: è contra alteram ὀλίγῳ ἄνθει πορφύρεσθαι, non multo flore abundare, qui & ipse purpureus. Radicem tenuem & altam huic priori generi dat:

---- ἡ δὲ βαθεῖα
Καὶ ῥαδινὴ ὑπένερθεν ἀέξεται οὔδει ῥίζα.

A Idem & sequentibus tradidit in hæc verba:

---- καὶ ἐν χθονὶ πυθμένα τείνει.

Altam agere radicem intelligit, quam πυθμένα vocat. Priori igitur generi folium anchusæ, sed paulo minus & spinosum: ἀγχούσης ἀκανθῆεν πετάλειον παῦρον ἐπεὶ τυτθόν τε. Hæc est echios, quam etiam vocarunt Ἀλκιβιάδιον vel ἀλκίβιον. Nicander ἀλκιβίου ἔχιν vocat:

Ἐσθλὴν δ᾽ ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζην.

Anchusa quoque dicebatur ἀλκιβιάδιον. Huic similis echios idem cognominis meruit. Dioscorides: Ἔχιον οἱ δ᾽ δελίδα, ἔνιοι καὶ ταύτην ἀλκιβιάδιον καλοῦσι. Sic legit vetustissimus liber. Hoc eò dicere palam est, quia paulo ante de altera anchusa scripserat, eam à quibusdam vocari Alcibiadium: Ἄγχουσαν ἑτέραν ἔνιοι ἀλκιβιάδιον ἢ ὀνοχειλὲς ἐκάλεσαν. Hæc est anchusa, cui folia dicitur habere similia primum genus echii, quæ & ipsa ἀλκιβιάδιον appellata. Pro δελίδα, sicut habet vetustissimus codex, Neophytus legit ὠδελίδα. Atque ita scribendum. Paulus Ægineta vocavit ὠδελάδα. Dioscorides autem utrumque echii genus confudit, & ex duobus unum fecit. Cujus verba sic corrigenda sunt ex optimo exemplari: τὰ μὲν φύλλα ἔχει προμήκη, τραχέα, ὑπόλεπτα πρὸς τὰ τῆς ἀγχούσης, ἧττονα δ᾽ καὶ λιπαρά, ἀκάνθια λεπτὰ ἐπικείμενα, ἃ καὶ δασύνει τὰ φύλλα. Hæc est *spinosa lanugo*, quam secundo generi adscribit Plinius, cum primo conveniat. Quæ sequuntur, ad secundum genus pertinent: τὰ δ᾽ ἄνθη παρὰ τὰ φύλλα πορφυροειδῆ, ἐν οἷς ἐστιν ὁ καρπὸς κεφαλῇ ἔχεως ὅμοιος. De secundo genere hoc canit Nicander:

Βλάστη δ᾽ ὡς ἔχιος σφεδανὸν δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνον.

Plinius alteri huic generi, ut & Nicander, capitula viperis similia tribuit. Dioscorides unum duntaxat genus facit, cui flores purpureos assignat, & in his semen capiti viperino simile. Hæc inter se non satis
D conveniunt: sed nec puto cum Nicandro ipso, cujus mentem neuter percepit. Non enim ille dicit, capitula aut semina alterius echii viperinis capitibus haberi similia, sed priorem quidem foliis anchusæ describit, minoribus tantum, lanugine spinosa obsitis; alteram vero ἐν πετάλοισι καὶ ἐν καλύκεσσι θάλειαν, ὑψηλήν. Quæ verba non rectè cepisse interpretes constat. Per hæc significat, folia & flores secundæ echii minime asperos & spinosos esse, ut prioris; sed læves, & à spinis puros. Hoc enim θάλειον significat. Hesychius: θάλειον καθαρόν. Hoc sensu altera echios Nicandro, ἐν πετάλοις καὶ ἐν καλύκεσσι θάλεια dicitur, id est, tam foliis quàm fructûs integumentis a spinis libera. Prio-
E ris quippe echii semen folliculis inclusum est hirsutis spinosisque: Alterum vero echium semen habet in vasculis hyoscyami figuram repræsentantibus. Κάλυκας vocat Nicander, Dioscorides λοβοὺς παραπλησίους ὑοσκυάμῳ. Sequitur apud Nicandrum de hac secunda echii specie:

Βλάστη δ᾽ ὡς ἔχιος, σφεδανὸν δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνον.

Hic versus est, ex quo Plinius interpretatus est, alteram echion capitula habere viperis similia. Nihil minus quam hoc voluit auctor. Nec enim ἔχιος hic pro vipera intelligendum, sed nomen est ipsius herbæ. Ex
F duobus echii generibus, quod primo loco descriptum est à Nicandro, τῆς ἔχιος nomen proprie ac jure suo vindicat. Sic in omnibus aliis fere generibus, quod prius est, nomen generis quasi proprium possidet. Nicander ἔχιν dixit herbam ipsam ut supra:

Ἐσθλὴν δ᾽ Ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν.

Vocat ἔχιν ἀλκιβίου illud ἔχιον, quod cognominatum est Ἀλκιβιάδιον. Idem igitur ἔχις & ἔχιον de herba ipsa. Sic σρυθὸς & σρύθιον, herba lanaria: ἡμίονος & ἡμιόνιον, asplenum. Scribit igitur Nicander, secundum echii genus βλάστην quidem habere ἔχιος, id est, caulem
G vel thyrsum hujus echii, quod sic proprie appellatum est: σφεδανὸν δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνον, capitulum vero in summo habere desinens in acumen. Σφεδανὸν κάρηνον est acutum capitulum, quod in summo extat cauliculorum secundi echii, in quo semen inclusum est. Hac forma sunt illa capitula: à latiori & capaciori laxitate, in angustias desinunt. Hoc σφεδανὸν Græce significat, id est, ὀξύ, ut Hesychius exponit. Sed ab

A ab effectu potiùs vehementi quam à facie hanc significationem huic vocabulo inesse videtur innuere: σφεδανὸν, ἐπιπεζαμένον, συντονώζατον, σφοδρὸν, ὀξύ. A facultate igitur & potentia, quam habet in medelis adversus viperas & serpentes semen alterius echii vel capitulum, quo inclusum est, σφεδανὸν κάρηνον appellavit: idque verissimum. In primo echio sola radix adversus viperas efficax: in secundo solum semen, radix vero inutilis. Dioscorides: δυώαμιν ἢ ἔχει τὸ σπέρμα πινόμενον ἐν οἴνῳ; ἐχιοδήκτυς κἀ τὰ ἄλλα τῶν ἑρπετῶν δήγματα θεραπεύειν, ῥίζα δ' ὕπεςι λεπὴ κἀὶ ἄχρηςος.
B Præterea in priore echio flores & seminis conceptacula per totum fere caulem disposita sunt, ut monuêre Nicander & Dioscorides. Alterum echium in summo extantia gerit illa capitula, quæ semen continent; & flores non habet, nisi in summitate caulículorum. Hinc ut distinguat hoc secundum echium à priore, dicit σφεδανὸν ἐφύπερθε κάρηνον habere, capitulum in summo caule eminens. Etenim in priore ad latera sunt. Alterum porro illud genus echii, quod à Nicandro ita describitur, ὠκιμοειδὲς à Dioscoride vocatur, ut & à Numenio antiquissimo scri-
C ptore, qui duo pariter echii genera recensuerat, unum ὠκιμοειδὲς appellatum à foliorum cum ocino similitudine, alterum ἔχιον propriè dictum. Dioscorides: ὠκιμοειδὲς οἱ δὲ κἀὶ ταύτην ἔχιον καλῦσιν, ἢ φιλεταίρειον. Ita legendum ex antiquissimo codice reliquis relectis, quæ spuria sunt & addita. Hoc est secundum genus echii à Nicandro descripti, quod ipsi proditur habere βλάςην ὡς ἔχιος, σφεδανὸν δ' ἐφύπερθε κάρηνον, id est, caulem echii sic proprie nominati; capitulum vero desuper eminens. Perperam hæc de capitulo viperæ figuram habente, cum Plinius, tum
D Dioscorides accepêre. Qui quidem Dioscorides ad primum genus echii hoc transtulit, quod de secundo à Poëta dictum est. Præter hæc duo ἔχια nullam herbam hoc nomine novisse veteres constat. Et inauditum est, quod tertiam finxit speciem Plinius, quam *personatam* quosdam vocasse vult; quæ est ἄρκιον non ἔχιον. Scriptum est in Indice: *Persolata sive argion Med.* VIII. Scripserat ergo ἄρκιον. Antiquissimus Dioscoridis codex ἄρκτιον vocat eodem nomine cum alia herba diversi generis quam, ἀρκτοῦρον quidam appellarunt: Ἄρκιον, οἱ δὲ ἀρκτοῦρον. Et statim:
E Ἄρκτιον, οἱ δὲ προσωπίδα, οἱ δὲ προσώπιον καλῦσι. Sic ὁμώνυμα sunt hæc duo. Plinius ἄρκιον vocat, quæ *persollata* est: ἄρκιον vero, quæ arcturus, & verbasco folia habet similia. lib. XXVII. cap. V. *Arction, aliqui arcturon vocant.* Et in Indice: *Arction sive Archirum.* Paulus quoque Ægineta & Neophytus sic eas distinguunt, ut alteram vocent ἄρκτιον, alteram ἄρκιον. Quæ nihili videtur distinctio. Nam Græci ἄρκον etiam dixere, quæ aliis ἄρκτος. Hesychius: Ἄρκος, ἄρκεσμα, βοήθεια, κἀ τὸ ζῶον. Utraque igitur
F tam ἄρκτιον quam ἄρκιον dici potest ab hirsutis foliis. Et cum nihil sit hirsutius urso, ab ejus nomine hæ herbæ appellationem invenerunt. Tertiam adhuc addam, cui nomen idem ab eadem ratione lanuginosi folii. Ea est tussilago, quam etiam ἄρκιον vel ἄρκιον dixerunt, Plinius lib. XXVI. cap. VI. *Tussim sedat bechion. Tussilago dicitur.* tribus infra lineis addit: *Quidam eamdem esse arcion & alio nomine chamæleucen putant.* Sic legendum ex veteribus, qui habent *archion.* Et in Indice scribitur: *Bechion sive arcion sive chamaleuce, quæ tussilago.* III. Lege, *arcion.*
G Neophytus, ἀρκόφυλλον vocatum scribit: Βήχιον, οἱ δὲ χαμαιλεύκην, οἱ δὲ χαμαίγειρον, οἱ δὲ ἀρκόφυλλον. Antiqui Romani *Farfarum* vel *Farfanum* vocarunt. Idem Neophytus: Ῥωμαῖοι τυσσιλάγω, οἱ δὲ φαρφάριαν. Plinius lib. XXIV. cap. XV. *chamaleucen apud nos Farfarum sive Farfugium vocant.* In Indice *Farfanum* vocatur: *Chamaleuce sive Farfano, sive Farfugio.* I. Nescivit Plinius, hanc esse tussilaginem, de qua ipse alibi. Eadem autem scripturæ differentia in libris apud Plautum notata Grammaticis: *Eo prosternebam folia Farfari.* Sic enim legit servius, & dictam hanc herbam asserit ab amne Sabinorum Farfaro, de quo mentio apud Ovidium:

------ *& amœna Farfarus umbra.*

Inde herba *Farfaria*, quæ & *Farfarum*, aquosis gaudens. Apud Paulum Festi legitur *Farfenum* vel *Farfanum* genus virgulti. Notum hanc esse, quæ vulgò vocatur *ungula caballina.* Sic tria habemus ἄρκια, tres herbas eodem nomine diversas. Quare & in eorum sunt censum reponendæ, quæ unjus sunt nominis, non unius generis. Hæc ὁμώνυμα Græci vocant. Cum in plantarum nominibus talia ὅσα κόνις occurrant, non alienum fuerit nonnulla heîc in medium afferre, quia Plinius occasionem errandi ex hujusmodi homonymis mille locis arripuit. Quæ res etiam neotericos Herbarios in multas difficultates, ex quibus vix se extricant, compulit. Veteribus quoque sæpissime fraudi fuit, dum aliud pro alio nominis errore inducti accipiunt. Ac nescio certè, an hæc difficultas in re herbaria omnium sit maximè inexplicabilis. Herbarum aliæ multis signatæ nominibus reperiuntur, quæ genus idem designant. Harum numerus vix in summam potest subduci. Atque inde etiam plerique Plinii errores originem sumpserunt, dum diversa putat, quæ eadem sunt ex appellationis diversitate. Tribus locis separatis aparinen, lappam, & philanthropon quasi tria diversa genera recensuit, cum tres sint unius generis appellationes. Alcibium distinguit ab echio, cum echium cognominatum sit Ἀλκίβιον, vel Ἀλκιβιάδιον. Et mirum, qui genera ac differentias echii alibi exposuerit, eumdem alibi fateri, *Alcibion* qualis esset herba, apud auctores sese non reperisse. Atqui nemo est veterum qui de echio tradiderit, quin tradat unà primum genus vocatum Ἀλκίβιον vel Ἀλκιβιάδιον, quod eam primus Alcibius à vipera ictus, tali virtute pollere experimento proprio deprehenderit. De hoc Alcibio Nicander in Theriacis:

Τὸν μὲν ἔχις βυβῶνος ὑπὲρ νεατοῖο χαράξας
Ἄντρῳ ἐνυπνώοντα χυτῆς περὶ πέλσον ἀλωῆς
Εἶθαρ ἀπέπνευσε κάματον βίη, αὐτὰρ ὁ γαίης
Ῥίζαν ἐρυσσάμενος &c.

Cum ille Alcibius somnum capesseret fusus in area super acervum mergitum, vipera ex illis prorepens in inguine momordit. Ridiculum itaque mendum usque adhuc hæsit in illis verbis ἄντρῳ ἐνυπνώοντα, & ridiculè doctus Interpres: *somnum dum stratus iniret in antro.* Nullum ibi antrum fuit, ubi aream terendis frugibus fuisse ex Poëta constat. Lege igitur; Ἄντλῳ ἐνυπνώοντα, id est, incubantem acervo mergitum. Hesychius inter alia ἄντλον exponit σωρὸν τῶν δραγμάτων. Ipse Nicander alibi hac voce usus:

Ἠ ὁπόταν ἀναλέος φέρεσ μετ' ἀλώϊα ἔργα
Ζωσάμενος θρίναξι βαθὺν διακρίνεαι ἄντλον.

Quod ad Alcibium herbam attinet, quam se apud auctores non reperisse, qualis esset, prædicat Plinius. Sciendum duas fuisse hoc nomine, quarum mentio apud Nicandrum in Theriacis. Nam præter echium Alcibiadium cognominatum, quam Ἀλκίβιον ἔχιν vocat Nicander, alterius etiam meminit absolutè dictæ Alcibii ab inventore Alcibio:

Ἄλλην δ' Ἀλκιβίοιο φερώνυμον αἴρεο ποίην.

Dicit ἄλλην, ut distinguat ab ea, quam paulo ante nominavit hoc versu:

Ἐσθλὴν δ' Ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν.

Hoc erit igitur Alcibium quod se frustra apud auctores quæsivisse Plinius jactat.

CAPUT XLIX.

De scamonia.

SCamonia nota est. Eam Arabes *scamonia* quoque appellant Græco nomine سقمونيا *scamunia.* Alia est, quam Ægyptii hodie *haccadem* appellatione donant. *Scamone* quippe vel *scamonea* vocitant herbam quamdam ex convolvulorum genere, quæ arboribus sese adplicat implicatque. Eam Prosper Alpinus depingit foliis longis seseleos Æthiopici simillimis sed majoribus, candidis floribus ut styracis, è quibus exeunt siliquæ longæ ac crassæ albâ lanugine refertæ. Succum ex ea planta manare dicit flavum & causticum, qui tenues humores valenter purgat. Ab hac facie plurimum distat descripta veteribus scamonia, quam etiam vocant Arabes اسقمونيا *ascamunia,* & Græci recentiores ἀσκαμωνία. Lexicon Nicomedis Iatrosophistæ: Δακρύδιον, ἡ ἀσκαμωνία. Absolutè vocarunt δακρύδιον scamoniæ succum, quod nomen omnibus herbarum arborumque succis convenit. Δάκρυ κάμωνος Nicandro. Inde & Latinis *acridium* scammonia. Isidorus: *Scamonia, quam Latini acridium vocant.* Inde compositio *diacridium* vel *diagridium*, quæ ex scamoniæ succo paratur (vulgo dicitur *diagredi*) quam dici oportuit διὰ δακρυδίε. Interpres Avisenæ de scamonia sic habet: *Scamonia succus volubilis cujusdam.* In Arabicis statim ab initio citatur Dioscorides & verba ejus producuntur, qui non dicit esse speciem volubilis sive convolvuli, sed folia habere hederæ aut helxinæ similia, quam Arabes vocant *lebleb*, id est, convolvulum, vel ut Barbari dicunt, *volubilem.* Et ipse Avisena eo loco in verbis Dioscoridis ἑλξίνην sic reddidit. Pro hedera perperam legitur العشير pro القيسوس *alcissus.* Speciem tamen esse convolvuli constat scamoniam & arboribus eam convolvi. Hinc & genus clematidis, quæ & ipsa arboribus adsitis sese adplicat, *tenuem scamoniam* dixere, quæ & ἰασίνη Græcis vocata. Plinius lib. XXIV. cap. XV. *Sed Græci clematida & habent unam, quam aliqui elxinen vocant, alii jasinen, nonnulli tenuem scamoniam. Ramos habet pedales, foliosos, non dissimiles scamoniæ, nisi quod minora nigrioraque sunt folia.* Sic legendus ille locus. Malè apud Plinium scribitur *lagine.* Quod & aliis locis apud eum corruptum. *Lagine* autem pro *jasine*, ut *regina* alibi pro *resinis*, *quas urbi sua timuit Cato.* Theophrasto ἰασιώνη pro ἰασίνη perperam dicitur in editionibus. Et alio loco ἀσίνη pro ἰασίνη, ut infra ostendam. Tenuem scamoniam vocarunt hunc convolvulum, cum propter aliam similitudinem, tum etiam à floris simili specie. In scamonia calathi habes imaginem. Dioscorides: ἄνθη λευκά, περιφερῆ, κοῖλα ὡς οἱ κάλαθοι. Avisena reddidit القرطالة *alcartala.* Quod pluralis est numeri à singulari القرطال *alcartal*, ex Græco κάρταλλος, quod & fiscinam aut calathum significat. Hesychius: Κάρταλλον, τὸ πλεκτὸν ἀγγεῖον ἐν τοῖς ὀψαρτυτικοῖς κλωβοῖς. Glossæ Servii: κάρταλλος, *fiscella.* Talis forma florum lilii, *effigie calathi resupinis per ambitum labris*: verba sunt Plinii. Eadem etiam facies floris in convolvulo, ut idem testatur ibidem: *Et flos non dissimilis illi in herba, quam convolvulum vocant. Nascitur per frutecta nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiscentis.* Hic est convolvulus, quem ἰασίνην vocavit Theophrastus & Plinius supra, qui quatuor locis hujus jasines meminit quasi herbarum differentium, quæ una est. Lib. XXI. cap. XVII. *Jasine unum folium habet, sed ita implicatum, ut plura videantur.* Vulgo legitur *jasione.* Sed libri habent, *lasine* pro *jasine.* Quod folium unum habere dicit, de floris folio id intelligendum, qui folia distincta ac divisa non habet, sed unum quasi folium est, in quo tamen delineationes sunt veluti plurium foliorum. Theophrastus lib. I. cap. XXI. Ἔνια δὲ καὶ μονόφυλλα φύεται διαγραφὴν ἔχοντα μόνον τῶν πλειόνων, ὥσπερ τὸ τῆς ἰασίνης. Mentem Auctoris sui non est assequutus Plinius. Subjicit Theophrastus: οὐ γὰρ κεχώρισται ταύτῃ ἐν τῷ ἄνθει τὸ φύλλον ἕκαστον, οὐδὲ κάτω μέρος, ἀλλ' ἐκ τῶν ἄκρων ἀποφύσεις γωνιώδεις. Non discriminata nec divisa singula in flore folia, sed in summo per angulos veluti implicata, ut plura videantur folia, cum unum sit. Parum belle sententiam hanc Plinius expressit, quin potius implicavit. Idem lib. XXII. cap. XXII. *Et jasine olus silvestre habetur in terra repens cum lacte multo: florem fert candidum, concilium vocant.* Et heîc veteres libri habent *lasine* pro *jasine.* Editum est in vulgaribus *jasione.* Vereor tamen, ne idem genus sit cum superioribus. Edi quidem dicit, ut olus; quod & de clematide jasine prodidit. De utraque etiam pariter tradit, *stimulare coitus, & lactis ubertatem facere. Concilium* vero flos hujus jasines vocari videtur, quod folia habeat conciliata ac sic indistincta, ut unum esse videatur. Sic *concilio rostri* Ciconia sonitum facit apud veterem Interpretem, & *conciliari lana* apud fullonem Varroni, quæ premitur ac condensatur cogiturve. Ut multa sunt convolvulorum genera, ita incertum de quo genere hæc aut illa accipienda sint. Majorem, minorem, ac medium convolvulum nominant Herbarii. Theophrastus ἰασίνην inter eas herbas enumerat, quæ adminiculo egent, & adsita adprehendunt, quibus sustineantur. lib. II. de causis cap. XXV. ταυτὶ γὰρ τῷ περὶ ἑτέρῳ δίωκῃ καθάπερ ὅτε κιττὸς καὶ ἡ σμίλαξ, καὶ ἀλλ' ἄττα καὶ τῶν ἐλαττόνων ἑρπυλλον καὶ ἰασίνη. Perperam legitur in vulgatis, ἡ ἀσίνη. Omnia ista convolvulorum genera, quæ florem habent calathi effigie, *campanulas* vocavit infima Latii ætas, quia eâdem ferme campanæ formâ & calathi repandis per ambitum labris. Talis & κώδων apud Græcos, quæ figura etiam tibiæ tubæque ea parte qua exit spiritus; quam propterea κώδωνα quoque iidem Græci appellant. In scamonia flos adhoc instar, quæ & ipsa ex convolvulorum genere. Scamonium Avisena, hoc est, scamoniæ succum, eum maximè probat, qui varii est coloris vel cinerei ad album tendentis. Vocat *alazarac* الازرق. Dioscorides taurino glutini simile esse vult: ἔστι δὲ καλὸς ὁ διαυγὴς, ταυροκολλώδης. Taurocollam autem eam probat, quæ est λευκὴ καὶ διαυγὴς, candida ac tralucida: Avisena tamen etiam de bdellio colorem ταυροκολλώδη reddidit *alazarac*, id est, cinereum, ut infra notabimus. Serapionis Interpres de scamonia colorem eum vocat cælestem, qui cæruleus est ex habix; *Et melior scamonia est alba, vergens ad colorem cælestem.* In Arabico *alzarac* legi planè mihi persuadeo: ابيض الي الازرق. Scammonium elici capite radicis reciso, & ipsâ subcavatâ in rotundum testitudinis specie scribit Dioscorides: συλλέγεται ὁ ὀπὸς τῆς κεφαλῆς ἀπὸ τῆς ῥίζης ἀφαιρεμένης καὶ θολοειδῶς τεμνομένης εἰς κοιλότητα. Miram exhibet lectionem antiquissimum ac fidelissimè scriptum exemplar: καὶ θολοειδῶς ῥομβοειδῶς ἐκρομβιζομένης εἰς κοιλότητα. Nisi fallor, innuit incisionem fieri rhombi figurâ, & cavari in rotundum ad instar testudinis vel fornicis. Hæc forma scutellæ, quæ & ipsa in rotundum excavata est. Nam *scutella* diminutivum à *scutula*; unde *scutulatus* textus, & *scutulata* vestes, quæ virgatæ sunt ac distinctæ figuris ῥομβοειδέσι. De quibus nos alibi. Sensus igitur Dioscoridis, incidi quidem radicem ῥομβοειδῶς, sed excavari θολοειδῶς, ut est cameræ concavum.

cavum. Plinius simpliciter dixit: *Radix circa canis ortum excavatur, ut in ipsam confluat succus.* Isidorus: *Scamonia herba succi plena, quæ colligitur sub cavata radice. Denique terram rotunda cavitate fodiunt: tum suppositis aut cochleis aut nucis foliis excipitur succus.* Non supponuntur cochleæ, sed ubi succus confluxit in scrobem, colligitur cochleis: ἀναλαμβάνεται εἰς μυάκας. Malim vertere *cochlearia* quam *cochleas.* Nam μύαξ vel μυάκιον Græcis pro ligula vel majore cochleari. Glossarium: μυάκιον, *ligula.* Avisena vertit: قي صدفة: sed corruptum puto pro صدفة, quod plurale est à صدف *sadaf* & cochleam significat. Scrobs autem nucinis foliis substernitur ad excipiendum succum, qui colligitur postea cochleariis. Ita Dioscorides & ceteri Græci. Τὸ θολοειδὲς Dioscoridis rectè expressit idem Isidorus, *rotunda cavitate.* Avisena dixit pro eo in verbis Dioscoridis: على استدارة. Forte illud *astadera* ex Latino *statera*, & bilancis scutellas intellexit, quæ rotundam habent & θολοειδῆ cavitatem. Radicem scamoniæ Dioscorides ait longam esse, & crassam cubitali magnitudine: ὡ παχεῖα ὅσον πῆχυς. Cubito longitudinem metiuntur potius quam crassitudinem. Recte itaque in optimo codice scriptum: καὶ παχεῖα ὅσον βραχίων. Quod & confirmat Avisena, qui vertit غليظة مثل الساعد, *crassa ad instar brachii, bracchiali crassitudine.* Nam ساعد *sahid* est brachium. Ad verbum ea vox significat adjutorium, à verbo ساعد, quod operam conferre & adjutare denotat; quo nomine censentur brachia ob operam & adjumentum, quod ab illis præstatur. Interpres Serapionis in verbis Dioscoridis radicem scamoniæ pollicari crassitudine tradit. *Sahid* perperam pro pollice sumpsit. Scamonia, quæ vulgo dicitur Herbariis monspessuliaca, radicem habet digiti minoris crassitudine; sed ea longè alia à veterum scamonia, foliis, flore, & rebus aliis planè dispar. Radicem scamoniæ *crassam, madidam, & nauseosam* tradit Plinius. Per nauseosam intelligit βαρύοσμον. Sed non omnia βα-

A ρύοσμα nauseosa sunt. Forte scripsit, *nauteosam.* Nam & *nauteam* pro malo & gravi odore usurpant. Glossæ: *nautea*, ὀσμὴ βύρσης. Parum tamen refert, quomodo legatur. Ineptè etiam *madidam* dixit τὴν πολύοπον, multo lacte turgentem, succo abundantem: ὀπῶ μεστὴν Dioscorides vocat. At madidus proprie διάβροχος. Scamonium potissimum laudant veteres Colophonium, Pyrenense, & Mysiacum ex Asiæ Mysia: damnant vero Syriacum atque Judaicum, quod adulterari solebat tithymalli succo, & ervi farina. Plinius: *Hoc evenit & adulterino, quod fit ervi farina & tithymalli marini succo fere in Judæa. Quod etiam strangulat sumptum.*

B Nemo omnium est, qui dixerit, scamonium strangulare sumptum. Sed nec tithymallus hoc facit. Immodica solutione utrumque perimit, si ultra modum, intra quem sine noxa dari potest, sumatur. Fefellerunt fortasse Plinium aures suæ ut sæpe, & legente Anagnoste, ὅπερ γίνεται τιθυμάλλου μιγέντος, audivit ac putavit legi, ὅπερ πνίγεται, & accepit pro πνίγει. Nisi ad hunc modum sexcenta peccasset, nec illi hoc impingerem. Pro locorum diversitate in quibus nascitur, ita etiam minori aut majori facultate prædita dignoscitur scammonia, quod etiam admonet Avisena. Duodecim grana aut quindecim data hodie

C vehementius alvum cient. Dioscorides drachmam dari præcipit, ut phlegma & bilis educatur, quæ grana sunt duo & septuaginta. Solvendæ autem alvo duos obolos sufficere dicit, hoc est, grana viginti quatuor. Ad efficaciorem purgationem præscribi simul addit nigri ellebori duos obolos, & aloës drachmam unam, cum tribus scammonii obolis. In optimo tamen codice legitur: ὡ ἁλὸς δράχμης μιᾶς, non ἀλόης. Quod confirmare videtur Plinius de scamonio: *dedere & per se ex aqua mulsa & sale quaternis obolis.* Qui tamen & vulgarem ibidem stabilire videtur lectionem in his, quæ sequuntur: *sed utilissimè cum aloë, ita ut*

D *incipiente purgatione mulsum bibatur.* Salem autem ventri emolliendo facere tradit Plinius alibi. Quod scammonium tithymalli succo adulteratur, hinc quidam ex Græcis recentioribus scamoniam de succo tithymalli & characiæ interpretati sunt. Neophytus in Lexico: Σκαμωνία, ἡ δακρύδιον τῆς χαρακίας, τιθυμάλλου, ἤγουν τῆς γαλατζίδος ὀπός.

CAPUT L.

De elleboro.

Notissimus de nomine hodie elleborus cum niger, tum candidus. Sed si quis putat in utroque genere eundem haberi elleborum, quem veteres ista appellatione noverant, is se ipsum frustratur. Ne ipsi quidem antiqui Auctores certa & comperta, aut sibi constantia de hoc prodidere. Quo magis faciendum hic videtur, ut historiam hujus veneni satis involutam evolvamus. Siquidem nulla in re magis vitæ interest lucem obscuris dari, quam ubi discrimen salutis agitur. Exemplum præbet in hoc elleboro satis nobis nobile, quod in Urbe nostrâ accidit ante aliquot annos, cum ibi viverem. Degebat in vicinia juvenis ex primaria familia, & quod præcipuum nunc est, in re admodum lautâ. Quod mentis esset commotioris, elleboro curandum medico tradidere propinqui & affines. Medicus certum modum præscribit, quem is de mane biberet. Affertur potio, sumitur ab infelici juvene, qui duabus vix horis ab epoto medicamento animam agere cœpit. Causa mortis tam subitæ in poculum (nec alio poterat) conferebatur. Hinc altercatio medici & pharmacopolæ. Contendebat hic, à medico præscriptum immodicum ellebori modum: ille in defensionem arguebat pro elleboro aconitum à pharmacopola subditum. Interea periit, quem nescio an servare hoc pacto voluerint. Ita salvum maluisse non dubito, qui hæredes illi proximi. Nunc ellebori utriusque faciem ex veterum scriptis propona-

E mus, ut comparatâ eâ cum vulgaribus, quantum inter se distent, dijudicetur. Theophrastus ex antiquissimis Græcorum duas refert opiniones. Una erat, quæ album ab atro elleborum nulla alia re differre censebat, nisi radicis colore: οἱ μὲν ὁμοίους εἶναι, πλὴν τῷ χρώματι μόνον διαφέρειν. τὴν δὲ ῥίζαν τοῦ μὲν λευκήν, τοῦ δὲ μέλαιναν. Altera longe dissimiles effigie agnoscebat: & nigri quidem folium lauro simile esse, candidi porro tradebat; radices vero solo colore dispares: οἱ δὲ τοῦ μέλανος

F τὸ μὲν φύλλον δαφνῶδες, τοῦ δὲ λευκοῦ πρασῶδες. τὰς δὲ ῥίζας ὁμοίας πλὴν τῶν χρωμάτων. Hodie frustra quæras in scriptis Herbariorum nostrorum tale elleborum, quod folia habeat laurina aut porracea. Nullum quippe ad hoc exemplar exhibent. Hæc fuit eorum sententia, qui ἐλλεβόρους ὁμωνύμους faciebant, ut vult Theophrastus: nam ubi facies & effectus diversi, nomen idem, ibi demum ὁμωνυμία, ut in elleboro nigro & candido: ὁ δὲ ἐλλέβορος ὅ τε μέλας καὶ λευκὸς ὥσπερ ὁμώνυμοι φαίνονται. Altera videtur communior fuisse sententia, quæ utrumque genus ellebori, cætera simile inter

G se, solo radicis colore distare confirmabat. Hi faciem ejus ita describebant, Theophrasto teste: Caule, qualis est albuci, sed admodum brevi, folio lato divisuris scisso, ferulaceo, oblongo, statim à terra prodeunte ex radicibus. Tam nigrum quam album elleborum hac formâ fuit. Sola in eo differentia inter utrumque, quod album dictum candidam haberet radicem, nigrum

nigrum nigram. Tertia his accedit Dioſcoridis opinio, qui elleborum album deſcribit foliis plantaginis aut betæ ſilveſtris, brevioribus tamen & nigrioribus: φύλλα ἔχει ὅμοια τοῖς τοῦ ἀρνογλώσσου ἢ τεύτλου ἀγρίου, βραχύτερα δὲ καὶ μελάντερα καὶ ἐρυθρὰ τὴν χρόαν. Sed nigra ſimul & rubra non poſſunt eſſe iiſdem partibus. Neophytus habet: ὅμοια τοῖς τοῦ ἀρνογλώσσου, κατάστικτα, γραμμὰς ἔχοντα ὡς τὸ ἀρνόγλωσσον, καὶ τῇ ῥάχει ἐρυθρά. Lege igitur apud Dioſcoridem καὶ ἐρυθρὰ τὴν ῥάχιν. Quod & Plinius confirmat qui vertit, *canalium dorſo rubeſcentia.* ubi *canales* vocat vias per medium currentes folium plantaginis; quarum pars exterior, quæ prominet, dorſum ab eo vocatur. *coſtas* vulgò dicunt. Ab alio accepit hæc quam à Dioſcoride: nam hic plantaginis foliis aut betæ agreſtis ſimilia dicit folia albi ellebori, Plinius betæ incipientis. Beta ſativa dum ſurgere incipit, minora habet folia quam quæ tota ſurrexit; talia ſunt & betæ ſilveſtris. Tria igitur hic habemus ellebori albi genera veteribus prodita, unum folio plantaginis vel betæ, alterum porri, tertium, cui folium eſt ſimile elleboro nigro. Etenim qui elleborum album non differre ab atro dixere niſi colore radicis, cætera cum atro ſimilia habere omnia cenſuiſſe intelligendi. Ex his tribus ellebori albi generibus, unicum tantum noſtris Herbariis video eſſe cognitum notatumque, illud nimirum quod habet folia plantaginis: cætera non magis illis nota conſtat, quam ſi non eſſent. Plinius more ſuo, partim Theophraſti verbis, partim recentiorum, quos ſecutus eſt Dioſcorides, hiſtoriam ellebori contexuit, & ex diverſis unum cinnum fecit, nec cum his nec cum illis ſatis convenientem. Præterea quæ de nigro ab Auctoribus dicta ſunt, ea de albo tradit, & verè, quod dicitur, nigra in candidum vertit. *Prima*, inquit, *duo ſunt genera, candidum & nigrum. Hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique.* Hoc ex priore Theophraſti opinione: οἱ μὲν ὁμοίους εἶναι, πλὴν τῷ χρώματι τῶν ῥιζῶν μόνον διαφέρειν. Adjicit continuò: *alii folia nigri, platani ſimilia, ſed minora nigrioraque, pluribus diviſuris ſciſſa: albi, betæ incipientis. Hæc quoque nigriora & canalium dorſo rubeſcentia.* Hæc poſterior de elleboro apud Theophraſtum ſententia, quam tamen verbis Theophraſti non refert, ſed ex aliorum relatione concinnavit, qualis à Dioſcoride prodita eſt. Nam poſterioris apud Theophraſtum opinionis auctores, quibus placuit tota facie elleborum nigrum à candido diſcrepare, non dixêre, albi folium betæ eſſe ſimile, ſed porri; nec nigrum habere folia qualia platani, ſed ferulæ. Sic ille omnia miſcuit. Theophraſtus nigrum elleborum ubique naſci ſcribit, album rarum eſſe inventu: φύεται ὁ μὲν μέλας πανταχοῦ, ὁ δὲ λευκὸς ὀλιγαχοῦ. Id genus albi palam eſt intelligere Philoſophum, quod ab atro non differt niſi radicis candidæ colore. Plinius cum cætera omnia illius loci de Theophraſto exſcriberet, adtexuit pannum è Dioſcoride, & mentem Theophraſti infuſcavit, cum tamen ſimul abierit longius à Dioſcoridis ſenſu. *Nec album*, inquit, *facile colligitur caput aggravans, maximè niſi præſumatur allium.* Non dixit Theophraſtus de albo, difficile illud colligi, ſed raro inveniri. Si difficile inventu, non utique & illud ſequitur, ut difficulter colligatur. Sane nec Dioſcorides hoc de albo prodidit, quod non facilè colligeretur caput aggravans, maximè niſi præſumeretur allium; ſed de atro, ut malè Theophraſtum ex Dioſcoride explicaret, hujus ſententiam pervertit, nec illius mentem aperuit. Nec melius eam attigit in his, quæ ibidem habentur, ubi bonitates ex patria æſtimat: *tertio loco Eleaticum quod in vitibus naſci ferunt: quarto Parnaſſium, quod adulteratur Ætolico.* Hæc ex Theophraſto, cujus mentem nullus aſſequitur. Ubi laudavit Philoſophus elleborum Oetæum, Ponticum, Eleaticum, & Maſſilienſe, palmam defert Oetæo ut omnium optimo ad uſum medicum: ἄριστος δὲ πάντων καὶ τούτων καὶ τῶν ἄλλων ὁ Οἰταῖος. Subjicit protinus Parnaſſium & Ætolicum non in uſu commendari, quod nimis dura eſſent, & difficilem purgationem darent: ὁ δὲ Παρνάσιος καὶ ὁ Αἰτωλικὸς (γίνονται γὰρ ἐνταῦθα πολλοί, καὶ ὠνοῦνται καὶ πωλοῦσιν οὐκ

A εἰδότες) σκληροί τε καὶ ἄγαν περισκελεῖς. An potius ita vocat ab indomita vi: nam & περισκελεῖς φρένες Sophocli contumax animus & flecti neſcius. ita potius cenſuerim. Longè hæc alia ab eo ſenſu, quem extulit Plinius, qui eſt abſurdiſſimus. Quatuor omnino genera recenſuit ellebori Theophraſtus, quibus vulgò uterentur Medici: Ponticum, Eleaticum, Maſſiliaticum, & omnium præſtantiſſimum Oetæum: βέλτιστοι δὲ καὶ οἷς χρῶνται τέσσαρες. Parnaſſium & Ætolicum ab uſu medico relegat. Plinius Maſſilienſe genus præterit, & quartum genus tribus cæteris adcudit Parnaſſium, quod adulterari dicit Ætolico tan-
B quam ex vicino. ita enim veteres libri ſcribunt: *Quarto Parnaſſium, quod adulteratur Ætolico ex unicio, nigrum ex his melampodium vocant.* Corrigendum eſt: *quod adulteratur Ætolico ex vicino. Nigrum ex his melampodium vocant.* Vides rem abſurdam. Optimæ quæque & rariores merces adulterantur deterioribus ac vilibus. Quæ ratio eſſet adulterandi Parnaſſii ellebori, quod ipſum ex peſſimis fuit, quod omnino in uſu non fuit; immò quod neſcientes elleborum eſſe, vulgo vendebant emebantque. Errat & in eo Plinius, quod omnia illa genera patriæ nomine à Theophraſto laudata, putavit de albo tantum elleboro accipienda. Atqui de nigro debent accipi, &
C forſitan de utroque. nam ita ſubjicit Auctor: ταῦτα μὲν οὖν ὅμοια ταῖς μορφαῖς ὄντα δυνάμεις ἰδίας ἔχουσι. Profecto & Parnaſſium & Ætolicum, quod ibi plurimum proveniebat, nigrum fuit. Et Dioſcorides probat maximè nigrum ex Parnaſſo & Ætolia & Helicone. Theophraſtus contra maximè improbat. Iſta etiam ex Theophraſto perperam reddita: *Nigrum ex his melampodium vocant, quo domos ſuffiunt purgantque, ſpargentes & pecora, cum precatione ſolemni.* Et heic Dioſcoridem vel auctorem, unde ſumpſit Dioſcorides, cum Theophraſto junxit ad unam ſententiam efficiendam, nullo judicio & contra auctorum mentem. Verba Theophraſti ſic habent: καλοῦσι δὲ τὸν μέλανα
D τινες ἐκ τοῦ ταμόντος καὶ ἀνευρόντος μελαμπόδιον. καθαίρουσι δὲ καὶ ὗς αὐτῷ καὶ πρόβατα συνεπᾴδοντές τινα ἐπῳδήν. De illa purgatione intellexit Theophraſtus, quæ potione datâ fit. Plinius accepit de alio purgationis genere magico, quod ſparſione adminiſtratur. Idcircò eò retulit, quod de nigro elleboro ſcribit Dioſcorides: περιρραίνουσι δὲ καὶ οἰκίας αὐτῷ, καθάρσιον εἶναι νομίζοντες. Aliter purgantur domus aſperſione, aliter pecora potione ellebori. Utrumque Plinius conjunxit hoc modo: *Nigrum ex his melampodium vocant, quo & domos ſuffiunt purgantque, ſpargentes & pecora, cum precatione ſolemni.* De hac purgatione
E magica, quâ pecora adſpergebantur aquis luſtralibus, ſenſiſſe videri poſſet Theophraſtus propter illud, quod additum eſt de precatione vel incantatione, τὴν ἐπῳδήν. Capite tamen præcedente dicit, radicem ellebori ſuperiorem & craſſam ſuibus propinari, ut purgentur: καὶ διδόναι ταῖς ὑσί, ὅταν βούλωνται καθαίρειν. Nec obſtat, quod hoc eodem capite memorat, nigrum elleborum equos boves & ſues necare, eoque paſtu ejus abſtinere. Aliud eſt, cum præparatur ad poculum medicum. Et cum homines ſine noxa ſic paratum purget, quidni & ſues oveſque? Quin & Plinius ibidem tradit, capras purgari paſto melampodio el-
F leboro, quod nigrum eſt: *Ab hoc appellatum ellebori genus melampodion. Aliqui paſtorem eodem nomine invenisse tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Prœtidas furentes.* Scribit ibidem Noſter, utrumque elleborum caule ferulaceo eſſe: *Utraque caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis convoluto, radice fimbriata caparum modo.* Ita hæc legenda. De caule utriuſque ferulaceo, unde hauſerit, neſcio. Candidum elleborum Theophraſto per omnia ſimile nigro, excepto radicis colore. Nigrum autem caulem habet ἀνθερικώδη, folium verò ναρθηκοειδές. De caule fortaſſe accepit
G ὅμοιον τῷ τοῦ νάρθηκος, μῆκος ἔχον εὐμήκες. Atqui de folio hæc dicuntur. Caulis ellebori albi cavus à Dioſcoride traditur palmi altitudine, Atqui illud elleborum longè diverſum à Theophraſti elleboro albo, quod per omnia ſimile eſt nigro. Deinde quæcunque cavum

cavum habent caulem, non propterea ferulacea. Verba Dioſcoridis de albo elleboro: καυλὸν δὲ ἔχει παλαιστιαῖον, κοῖλον περιφλοϊζόμενον, ὅταν ἄρξηται ξηραίνεσθαι. Illud περιφλοϊζόμενον pessimè Plinius interpretatus eſt, quaſi corticeis tunicis circumvolutum ac veſtitum, bulborum more. Ita enim vertit: *caule ferulaceo, bulborum tunicis convoluto.* Quod eſt ineptiſſimum & à mente Auctoris alienum. Περιφλοίζειν non eſt cortice circumvelari & convolvi, ſed corticem in circuitu detrahere: Nam φλοΐζειν ſimpliciter corticem demere ſignificat, ut ὀνυχίζειν ungues demere. Inde περιφλοΐζεσθαι dicitur, cui cortex in circuitu detrahitur. Theophraſtus de caſiæ arbore, cui τὰς ῥάβδους ἰνώδεις tribuit καὶ οὐκ εἶναι περιφλοῖσαι. Adeo fibroſæ, ut decorticari circum non poſſint. Ellebori itaque albi caulis περιφλοΐζεται ὅταν ἄρξηται ξηραίνεσθαι, cum mareſcere incipit, corticem in circuitu dimittit. Poſtremo falſo de utroque genere ellebori pronuntiat Plinius, quod de altero traditum tantum. Plura poſſem promere, quæ peccavit in hiſtoria ellebori, ſi id agendum hoc loco putarem. Verum hoc agimus, ut oſtendamus elleborum non eſſe, cui id nominis hodie datur. Elleborum album Dioſcorides primas ferre dicit Anticyricum. Ita enim legendum ex optimo codice: πρωτεύει δὲ ὁ Ἀντικυρικός. Galaticum & Cappadocicum candidius ait eſſe καὶ χνοώδες: quod vertunt *pulverulentum & pulvere obſitum:* ὁ δὲ Γαλατικὸς καὶ Καππαδοκικὸς λευκότερος καὶ χνοώδης καὶ πνιγωδέστερος. Neſcio an huc referri poſſit, quod apud Sextum Empiricum legitur in Pyrrhonis lib. 1. elleborum χνοώδη ſumptum ſtrangulare: καὶ ὁ ἐλλέβορος λεπτὸς καὶ χνοώδης προσφερόμενος πνιγμὸν ἐπιφέρει, κριμνώδης δὲ ἂν, οὐκ ἔτι. Ita Dioſcorides ſcribit, elleborum χνοώδη eſſe πνιγωδέστερον. Sed hallucinatum oportet aut Sextum aut Dioſcoridem. Longe quippe alio ſenſu χνοώδης ἐλλέβορος huic quam illi dicitur. Sextus ſenſit comminutum in tenuiſſimum pulverem elleborum ſtrangulationem inferre: at ſi craſſioribus fruſtris ſumatur, hoc non facere. Χνοῦς vel χνόος tenuiſſimum eſt ramentum; κρίμνον craſſius granum, ut eſt hordeum, vel hordei farina corpulentior. Notum quid ſit κρίμνον & κριμνώδες apud Medicos veteres. At Dioſcorides intelligit, elleborum Galaticum & Cappadocicum naturâ ſuâ χνοώδες eſſe, & vim ſuffocandi habere majorem. *Pulvere obſitum* reddunt. Mallem, *lanuginoſum* aut *lanugine obſitum* dixiſſent. Sed falſi damnatur hæc lectio à vetuſtiſſimo exemplari, in quo ſcriptum eſt, λευκότερος καὶ σχοινώδης, id eſt, candidius & junceum. Quæ ſincera eſt ſcriptura, quam etiam Neophytus confirmat, & multo magis Dioſcorides ipſe, qui paulo ante optimi ellebori notas has voluit eſſe, ut ſit carnoſum atque minimè acutum & junceum: Εὐθρυπτος δὲ καὶ σαρκώδης, οὐκ ἄποξυς δὲ καὶ σχοινώδης. Deterioris igitur notæ Cappadocicum & Galaticum, quod eſt junceum. Nullum hodie tale profertur elleborum album, quod ſit ἄποξυ καὶ σχοινώδες. Potuit & iſtic decipi Dioſcorides, qui cum apud antiquos legiſſet, ἐλλέβορον λεπτὸν eſſe πνιγώδη, ibi λεπτὸν acceperit ἀντὶ τοῦ σχοινώδους, gracile nempe inſtar junci. Atqui λεπτὸς ſignificat eo loco minutum & in tenuiſſimum pulverem redactum. Primatum dat elleboro Anticyrico Idem, pro quo libri editi habent Κυρηναϊκόν. Neophytus vero Ἀγκυρανικόν his verbis: πρωτεύει δὲ ὁ Ἀγκυρανικός, εἶτα ὁ Γαλατικὸς καὶ Καππαδοκικός. Atqui Ancyra urbs Galatiæ. Certum omnino eſt, ſcripſiſſe Dioſcoridem: πρωτεύει ὁ Ἀντικυρικός. Sed heîc quæſtio fieri poteſt de Anticyrico elleboro, cujus ad purgandum celeberrimus olim uſus, utrum album fuerit an nigrum. Album fuiſſe vult Dioſcorides. Contrarium colligas ex Theophraſto, qui Ἀντικυρικὸν ἐλλέβορον, quibus purgabant in Anticyra, videtur nigrum facere. Dioſcorides ipſe ellebori nigri ſemen ſimile eſſe cneco & ſeſamoides appellari dicit, quo in Anticyra utuntur ad purgationes: ὃν καὶ αὐτὸν καλοῦσιν οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ σησαμοειδῆ, χρώμενοι πρὸς τὰς καθάρσεις αὐτῷ. Theophraſtus nigrum elleborum ubique provenire ſcribit, in Bœotia, Eubœa & alibi. Anticyra urbs Bœotiæ ad ſinum Maliacum & Oetam montem. Alia Phocidis eodem nomine. In Phocide Parnaſſus, ubi & elleborum nigrum optimum naſcitur, auctore Dioſcoride. Colligas tamen etiam non obſcurè ex Theophraſto, Anticyricum elleborum album fuiſſe. Id legi ait ex Oeta monte, & unico in loco Oetæ provenire circa Pyram: μοναχοῦ δὲ φύεσθαι τῆς Οἴτης περὶ τὴν Πυράν. De albo loquitur. Nullam in illis locis Pyram invenio. Unde fit, ut ſuſpicer emendandum, μοναχοῦ δὲ φύεσθαι τῆς Οἴτης περὶ Ἀντίκυραν. Quod non dubito eſſe verum, licet vulgatæ favere videatur Plinius: *plurimum autem naſcitur in Oeta monte & optimum uno ejus loco circa Pyram.* Immo circa Anticyram. Nec dicit optimum ibi naſci Theophraſtus, ſed album ibi tantum naſci. Strabo lib. IX. de Anticyra Phocidis: εἶτα Ἀντίκυρα ὁμώνυμος τῇ κατὰ τὸν Μαλιακὸν κόλπον καὶ τὴν Οἴτην. καί δή φασιν ἐκεῖ τὸν ἐλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον: ἐνταῦθα δὲ σκευάζεσθαι βέλτιον, καὶ διὰ τοῦτο ἀποδημεῖν δεῦρο πολλοὺς καθάρσεως καὶ θεραπείας χάριν· γίνεται γὰρ τὸ σησαμοειδὲς φάρμακον ἐν τῇ Φωκικῇ, μεθ' οὗ σκευάζεσθαι τὸν Οἰταῖον ἐλλέβορον. Inſignis omnino locus ac lucem totâ feneſtrâ admittens, ex quo diſcimus album elleborum purgationibus tantopere celebratum naſci quidem in Oetæa Anticyræ, ſed parari ſolitum in altera Anticyra Phocica, quod ibi naſceretur ſeſamoides, medicamentum quo elleborum Oetæum temperabant. Concurſus itaque ad Anticyram Maliacam non erat, ſed Phocicam. Nullibi hæc tam clarè diſtincta reperias. Immo confuſa ex errore duarum urbium cognominum, & pariter elleboro celebrium. Dioſcorides album elleborum maximè commendat Anticyricum. Idem etiam nigrum laudatiſſimum ex Anticyra dicit afferri: καὶ ἔστιν ἄριστος ὁ ἐκ τῶν πίστων λαμβανόμενος χωρίων, οἷός ἐστιν ὁ ἐξ Ἀντικύρας. καὶ γὰρ ὁ μέλας καὶ κάλλιστος ἐν αὐτῇ γεννᾶται. Diſtinguendæ Anticyræ. Nigrum præſtantiſſimum in Anticyra Phocica proveniebat; album vero in Maliaca. Hoc non diſcrevit Dioſcorides. Album Anticyræ Oetææ rarum admodum fuiſſe inventu teſtatur Theophraſtus, & uno tantum illo naſci loco affirmat. Atqui illud eſt elleborum album, quod cætera ſimile nigro excepta radice, quæ candida eſt. Non igitur idem cum Dioſcoridis albo elleboro, quod folia plantaginis habet vel betæ incipientis. Elleborum illud album hodie prorſus incognitum. An nigrum ſit notius, ſic conſiderandum. Ex tribus ellebori nigri generibus, quæ producuntur à noſtris Herbariis, nullum eſt, quod in omnibus concinere reperiam elleboro nigro veterum. Non eſt, quod ſibi nimium placeant, aut alios, qui dictatis ſuis non aſſenſi fuerint, revincere poſtulent. Suum illis oppono Dioſcoridem, qui cum ellebori nigri flores racemoſos eſſe diſertim prædicet, ſi tales oſtendunt in ullo genere ex tribus, quæ pro vero elleboro venditant, tum de illis, ut niſi volens ſequar, nolentem trahant in ſuam ſententiam. Verba Dioſcoridis ut in omnibus excuſis & ſcriptis antiquitus concepta ſunt: ἄνθη δὲ λευκά, ἐμπόρφυρα, τῷ δὲ σχήματι βοτρυοειδῆ, καὶ ἐν αὐτῷ καρπὸς κνήκῳ παραπλήσιος, ὃν καὶ αὐτὸν καλοῦσιν οἱ ἐν Ἀντικύραις σησαμοειδῆ. Ita legitur in vetuſtiſſimo codice: ἐν Ἀντικύραις. Duas Anticyras deſignavit elleboro nobiles, alteram nigro, alteram albo: hanc albi natalibus, illam præparatione. Elleborum nigrum, quod pro genuino à Neotericis ponitur, florem habet non racemoſum, ſed roſeum. Elleborus niger legitimus Cluſii, flore eſt albo amploque ſimplicis roſæ inſtar, qui marceſcens purpuraſcit. Alterum genus, quod ſecundum eſt Dodonæi, flores præfert herbacei coloris, ſex foliis conſtantes. Neophytus pro legitimo etiam elleboro agnovit illud genus, quod florem habet roſeum. Nam elleborum nigrum ita deſcribit: ἄνθη δὲ φέρει ἐμπόρφυρα, τῷ δὲ σχήματι ῥοδοειδῆ, καὶ ἐν αὐτῷ καρπὸς κνήκῳ ὅμοιος. Ubi ridiculam rem admiſit. Cum enim in verbis Dioſcoridis ſubſtituerit ῥοδοειδῆ pro βοτρυοειδῆ, & de altero genere ellebori loquatur, quod ignoravit

Dioſcorides: notas illi tamen tribuit proprias elleboro Dioſcoridis, qui florem uvæ inſtar habent. Semen cneci [illegible] in elleboro floris roſei nullum comparet. Quo magis etiam teneas, Veterum elleborum nigrum in totum diſtare à noſtro. Theophraſtus caulem aſphodeli illi adſignat, folia è radice ſtatim à terra erumpentia. Ut liqueat ex illis plantis eſſe, quas ἐπιγειοφύλλους vocat. At elleborum nigrum Herbariorum folia gerit in ſummis cauliculis. Pſeudo-elleborum vero, quod aliqui elleborum tenuifolium appellant & pro germano etiam obtrudunt, non eſt ἐπιγειόφυλλον, ſed ἐπικαυλόφυλλον. Elleborum nigrum Theophraſti caule eſt aſphodeli, ſed breviſſimo, foliis latis, longis, profunda diviſura ſciſſis, ferulæ ſimilibus, ſtatim è radice emergentibus, & in terram ſparſis. Græca ſic ſonant: καυλὸν ἔχει ἀνθερικώδη βραχὺν σφόδρα, φύλλον δὲ πλατύ, σχιστόν, ὅμοιον τῷ τοῦ νάρθηκος, μῆκος ἔχον εὐμήκες. εὐθὺς δ' ἐκ τῆς ῥίζης ἠρτημένον τε καὶ ἐπιγειόφυλλον. Hanc imaginem comparet aliquis cum figuris recentiorum, & videbit quid interſit. Nunc videndum, an Theophraſti nigrum elleborum idem ſit cum Dioſcoridis nigro. Illud ante omnia debet conſtare, elleborum nigrum, quale à Theophraſto deſcribitur, eſſe Anticyræ Phocicæ: ſeſamoides, quod admiſcebatur albo elleboro Anticyræ Oetææ in purgationibus. Nigrum illud Elleborum non ſolum radice, ſed etiam ſemine purgabat, quod erat ſeſamo ſimile. Theophraſtus capite eo, quod præceſſit deſcriptionem ac differentias utriuſque ellebori: ὁ δὲ Ἐλλέβορος ἐπὶ ταῦτα τῇ τε ῥίζῃ καὶ τῷ καρπῷ χρήσιμος. ὅπερ οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ, καθάπερ φασί, τῷ καρπῷ καθαίρουσιν. ἔχει δὲ σησαμώδη τύπον. Hoc elleborum non aliud eſſe poteſt ab eo, quod ſequenti capite deſcripſit. Elleborum, inquam, nigrum quod vel teſte Dioſcoride optimum naſcebatur in Anticyra Phocica, quodque ibi σησαμοειδὲς nominabatur, à ſemine ſeſami. Hoc erat ſeſamoides, quod ad purgationes ſolebant admiſcere elleboro albo ex altera Anticyra allato. Plinius: *Druſum quoque conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra inſula. Etenim ibi tutiſſimè ſumitur, quoniam, ut diximus, ſeſamoides admiſcent.* Nunc vide incogitantiam Dioſcoridis. In ellebori nigri deſcriptione clare ſignificat, id elleborum optimæ notæ naſci in Anticyra, ſemen habere cneco ſimile, σησαμοειδὲς ab Anticyræis appellari, eo ſemine uti ad purgationes: ὃν καὶ αὐτὸν καλοῦσιν οἱ ἐν Ἀντικύραις σησαμοειδές, χρώμενοι πρὸς τὰς καθάρσεις αὐτοῦ. Cum hæc ita ſint, quis non dixerit, hoc elleborum nigrum quod ab Anticyrenſibus vocabatur ſeſamoides, idem omnino eſſe cum illo majore ſeſamoide, cujus tamen hiſtoriam alibi reponit Dioſcorides; præſertim cum ibi aſſerat illud σησαμοειδὲς elleborum etiam dici Anticyrenſibus? Σησαμοειδὲς τὸ μέγα ἐν Ἀντικύρᾳ Ἐλλέβορον καλοῦσι διὰ τὸ μίγνυσθαι ἐν ταῖς καθάρσεσι τῷ λευκῷ ἐλλεβόρῳ. Hujus ſeſamoidis deſcriptionem ſubjungit ſtatim poſt ellebori albi mentionem. Deinde interjectis aliquot herbis, ut cucumere agreſti, pedicularia, thapſia, geniſta, ſillybo, bulbo vomitorio, glande unguentaria, narciſſo, hippophaë, hippophæſto, cici, tum demum locavit hiſtoriam ellebori nigri, cui ſubjungit σησαμοειδὲς τὸ μικρόν. Hic ordo eſt in veteribus libris, & illo omnium antiquiſſimo. In editionibus vulgatis vicina & juncta loca poſſident utrumque elleborum, & ſeſamoidis utriuſque genera combinata. Si Dioſcoridi igitur credimus, dicendum ſit, in Anticyra duo diverſa genera fuiſſe eodem nomine: σησαμοειδὲς, quod elleborum vocabatur; & elleborum nigrum, quod ab iiſdem Anticyræ incolis etiam σησαμοειδὲς appellatum. Sic duplex ibi elleborum, & duplex σησαμοειδὲς fuerit. Quod nec verum eſt, nec veriſimile puto. Theophraſtus abſolute ac ſimpliciter ἐλλέβορον vocat, cui ſemen fuiſſe dicit σησαμῶδες. Eum fuſius deſcribit capite, quod proximè ſequitur. Elleborum nigrum tale adſtruit. Dioſcorides quoque Elleborum ſuum nigrum (nec enim plura genera facit) σησαμοειδὲς vocatum in Anticyra affirmat. Non aliud igitur fuit elleborum,

A cujus ſemen admiſcebant elleboro albo Anticyrenſes, præter iſtud ſeſamoides, nec aliud porro ſeſamoides, cujus ſemine ad cathartica utebantur, præter hoc elleborum nigrum. Jam videnda eſt deſcriptio σησαμοειδοῦς à Dioſcoride tradita, an convenire poſſit cum Theophraſti elleboro nigro, & cum ipſius Dioſcoridis nigro item ellebro: ἔοικεν ἡ πόα ἠριγέροντι ἢ πηγάνῳ, φύλλα μακρά, ἄνθος λευκόν, ῥίζα ἰσχνή, ἄπρακτος, σπέρμα ὅμοιον σησάμῳ. Plinius lib. XXII. cap. XXV. *Eſt etiamnum aliud ſeſamoides Anticyræ naſcens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant, cætera ſimile erigeronti*

B *herbæ, de qua ſuo dicemus loco, grano ſeſamæ. Datur in vino dulci ad detractiones, quantum digitis tribus capitur.* Sic legendum ac diſtinguendum. Hoc Ἀντικυρικὸν dicebatur abſolute, ut recte notatum Plinio, prætermiſſum Dioſcoridi. Heſychius: Ἀντικυρικόν, ὁ ἐλλέβορος. Hic elleborus niger Theophraſti. Folia longa illi tribuit, μῆκος εὐμήκες: Dioſcorides, φύλλα μακρά. Hic πόαν vocat. Id nomen convenit proprie humilibus herbis, quæ caule alto non attolluntur. Tale elleborum Theophraſti, cui caulis admodum exiguus

C ac brevis, folia in terram ſparſam, ac protinus ab radice emicantia. Folii ſimilitudo æquiparatur ſenecioni vel rutæ. Sane ruta præcipuè ſilveſtris vel montana foliis eſt multifidis, & tenuiſſima diviſione ſciſſis, ut non malè folium ferulæ referat, quale elleboro ſuo dat Theophraſtus. Senecionis quoque folium oblongum, laciniatum profundis diviſuris; præſertim ſenecio major, quam *Jacobeam* quidam vocant, nec malè ad hanc formam accedit. Radicem tenuem σησαμοειδοῦς & inutilem prodit Dioſcorides. Profecto & λεπτὰς ῥίζας ellebori nigri facit Theophraſtus, ſed in primis utiles. Qua in re diſſentit à Dioſcoride, qui ſemen tantum ſeſamoides in catharticis uſurpari vult. Theo-

D phraſtus tam radicem quam ſemen uſui eſſe; τῇ τε ῥίζῃ καὶ τῷ καρπῷ χρήσιμον. Illud ſaltem confirmat, ſuperiorem & craſſam ellebori radicem inutilem haberi; imas vero, quæ tenuiſſimæ ſunt ac breves, ad uſum legi ac ſervari: οἷον τοῦ ἐλλεβόρου τὰς κάτω τὰς λεπτάς. τὴν γὰρ ἄνω τὴν παχεῖαν, τὴν κεφαλώδη φασὶν ἀχρεῖον εἶναι. Ex his ſane omnibus liquidum eſſe arbitror, σησαμοειδὲς μέγα Dioſcoridis & nigrum elleborum Theophraſti non poſſe fieri, quin eadem res ſit. An idem cum utroque videri poſſit elleborum nigrum Dioſcoridis, ſic quærendum. Certe elleborum nigrum ab Anticyrenſibus etiam σησαμοειδὲς vocatum oſtendit, quod

E non eſſe diverſum ab ejus ſeſamoide majore docuimus. Si quid in deſcriptione diſcrepat, ſcias id auctoribus imputari debere, qui aliter expoſuerunt ejus effigiem. Ab alio ſumpſit σησαμοειδοῦς deſcriptionem, ab alio nigri ellebori. Hinc diverſa putavit & ſuo ipſius teſtimonio revincitur, quo clarè profeſſus eſt, elleborum nigrum in Anticyra optimum provenire, ſemine ejus uti Anticyrenſes ad cathartica, σησαμοειδὲς ab iiſdem nuncupari. Folii platani ſimilitudo & ſphondylii non multum abludit à folio ellebori Theophraſti. Breviora magiſque multifida nigro elleboro ſuo quam platano aut ſphondylio folia eſſe, diſertè ſcribit. Quod pæne paria facit cum facie

F folii quam ſuo elleboro Theophraſtus adſtruit, quod πλατύ, σχιστόν, εὐμήκες, & ναρθηκοειδὲς eſſe dicit. Sic ex his omnibus conſtare palam eſt, ſeſamoides magnum, & elleborum nigrum Theophraſti & Dioſcoridis idem prorſum eſſe. Seſamoidis majoris nullam iconem proferunt Herbarii noſtri, quia nec verum elleborum nigrum cognoſcunt. Anticyras igitur navigant, ut reportent inde utrumque genus. Pro ſanis utique non faciunt, cum vulgare elleborum pro vero veratro ſatagunt obtrudere,

G tot indiciis adverſantibus & præcipuo uno de racemoſis floribus. Certum tamen eſt, recentiores Græcos vulgare elleborum, quod flore eſt roſæ ſimili, purpureo, pro genuino elleboro nigro habuiſſe, ut ex Neophyto notabamus ante. Monebimus & illud obiter, dum manum in tabula tenemus, ſummo conſenſu veteribus proditum, elleborum, quod eſt venenum homini, coturnici gratiſſimum eſſe & innoxium cibum. Solinus noſter de coturnicibus: *gratiſſimos habent cibos ſemina venenorum, quam ob cauſam eos damnavere*

vere prudentium mensa. Habet à Plinio: *coturnicibus veneni semen gratissimus cibus.* De elleboro Græci omnes id tradunt. Hesychius: Ἐλλέβορος, βοτάνη ἣν ἐσθίουσιν οἱ ὄρτυγες. Galenus lib. 11. de ciborum facultatibus: καὶ μὴν καὶ τὸν ἐλλέβορον οἱ ὄρτυγες, ὥσπερ καὶ οἱ ψᾶρες τὸ κώνειον ἐσθίοντες, οὐδὲν βλάπτονται. Hoc quidem minus miror; sed illud me movet, quod Arabes id ipsum de napello scribunt, coturnices eo cibari. Avisena capite de napello: *seman vero ex eo cibantur, & non moriuntur.* Andreas Bellunensis notat, *seman* genus avis penes Arabes esse, quæ *qualea* vocatur apud Venetos. Plane esse coturnicem inter omnes fermè convenit. An igitur napellus, veterum ac verum elleborum? Non putem. Napellum Arabes vocant *bis*: elleborum vero *charbech.* Napellus non multum dissimilis aconito Lycoctono. Nec dubitem genus esse aconiti. Dioscorides elleborum nigrum folium habere dicit πλατάνῳ ὅμοιον, hoc idem de aconito memorat lupario: φύλλα δὲ ἔχει ὅμοια τοῖς τοῦ πλατάνου. Napellum, ut dixi, Arabes appellant *bis.* Alii interpretes cicutam exponunt. Sic κώνειον & ἀκόνιτον nonnulli Græci confuderunt. Stephanus in Ἀκόναι: λέγεται καὶ ἀκόνιτον δηλητήριον φάρμακον, ὡς Ἀθήναιος ἐν τῷ τρίτῳ Δειπνοσοφιστῶν, ὅτι προφαγόντες τὸ πήγανον μηδὲν πάσχον ἐκ τοῦ κωνείου. Vide κώνειον & ἀκόνιτον indifferenter poni. Sane & in verbis Athenæi idem observes. Cum enim dixisset: καὶ ὡς τοῖς πλείστοις ἐδίδου κώνειον πιεῖν, sequitur protinus πίνοντας τὸ ἀκόνιτον. Nec placet Viri eruditi observatio, notantis κώνειον simpliciter pro venenato poculo usurpari. Idem possis dicere de aconito. Erotianus in Lexico ex Diodoro Grammatico & Zenone Hierophileo notat, κάμμορον apud Italiotas significare cicutam, τὸ κώνειον: Διόδωρος δὲ ὁ Γραμμα-

A τικὸς καὶ Ζήνων ὁ Ἡροφίλειος τὸ Κάμμορόν φασι καλεῖν τὸ κώνειον τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριέας, οἷον κακόμορόν τι. Et apud Hippocratem κάμμορον est [illegible] Alii tamen plerique de aconito pardalianche id nomen usurparunt, ut Nicander & Dioscorides. Theophrasto elleborum nigrum folia habere dicitur νάρθηκι ὅμοια, ferulæ similia. Cicuta sive τὸ κώνειον apud Dioscoridem, φύλλα ἔχει νάρθηκι ἐμφερῆ. Idem Dioscorides statim post descriptionem aconiti subnexuit historiam cicutæ, id est, κωνείου. Ellebo-

B rum nigrum à foliorum incisura dictum fuit Græcis veteribus ἔκτομον. Ita enim rescribendum apud Plinium: *Nigrum alii ectomon vocant, alii polyrrhizon.* Malè etiam apud Dioscoridem scribitur ἔκσομον. Sic ergo corrigendum ex veteri codice: Ἐλλέβορος μέλας, οἱ δὲ μελαμπόδιον, οἱ δὲ ἔκτομον, οἱ δὲ πολύρριζον καλοῦσι. Erotianus in Lexico: Ἐκτόμου: Διοκλῆς οὕτω φησὶ καλεῖσθαι τὸν μέλανα ἐλλέβορον. Galenus item in Lexico Hippocratis: Ἐκτόμου, ἐλλεβόρου τοῦ μέλανος. Inter synonyma Latina ellebori nigri Neophytus κονσιλίκην etiam recenset, quæ

C Romanorum est *consiligo*: Ῥωμαῖοι βεράτρουν, οἱ δὲ κονσιλίκην, οἱ δὲ σάρκα. Quo fit, ut non invitus accedam doctissimorum Virorum sententiæ, qui elleborum nigrum, quod in communi versatur usu, cui flores herbacei sunt, consiliginem esse putant. Hoc idem recentioribus Græcis creditum perspicimus, qui elleborum nigrum, cui flos ῥοδοειδής, idem faciunt cum consiligine quam vocant κονσιλίκην, vel κονσίλιγνιν, ut *siliginem* appellarunt σιλίγνιν. Unde σιλιγνίτης ἄρτος. *Verrucariam herbam* elleborum vocari invenio in glossis veteribus: *Her-*

D *ba verrucaria*, ἐλλέβορος. Sane verrucas etiam tollit elleborum cum squamis æris & sandaracha. Sed alia est verrucaria.

CAPUT LI.

De thapsia.

SEqui faciam thapsiam, quæ & ipsa ob hanc eandem ὁμωνυμίαν magnas turbas dedit in veterum scriptis. Hæc quoque inter venena & radices δηλητηρίους relata ab auctoribus. Θάψος Andromacho dicitur & Nicandro. Θάψοι idem & θαψία, ut ἰξὸς & ἰξία, καρπασὸς & καρπασία. Non repetam hic, quæ alibi dixi. Quod ad rem facit, illud est, aliam esse θάψον, à qua color θάψινος Græcis, de morboso ac mortali lurore. Lignum esse tingendis lanis & capillis luteo colore quidam ex Græcis tradunt, & χρυσόξυλον vulgo appellari. Lycium esse haud vane forsan suspiceris, cujus hodieque usus in Creta ad pannos ipsos inficiendos luteo elegantissimo. Λοῦτζα vulgo vocant. Lycio quoque olim tingi capillos solitos narrat Dioscorides. Color ipsius ligni luteus pallidus: unde pallorem vultus luridum θάψῳ comparant Poëtæ: Καὶ μευ χρὼς μὲν ὅμοιος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ. Grammatici χλωρὸν ἢ ξανθὸν interpretantur; & addunt, θάψον esse ξύλον τι ὃ καλεῖται σκυθάριον ἤγουν σκυθικὸν ξύλον, ᾧ τὰ ἔρια βάπτουσι καὶ ποιοῦσι μήλινα, καὶ τὰς τρίχας ξανθίζουσι. Hæc in thapsiam vulgo notam ex Dioscoride & aliis non conveniunt. Nicander quoque, ut è buxo, ita & thapso comparationem arcessit palloris. De buxo ita:

Πολλάκι καὶ πύξοιο χλόον καπεχεύατο γυίοις.

Item è thapso ducit:

Τῶν ἤδει θερόεις μὲν ἄγει χλόον ἠΰτε θάψου.

Pallorem corporibus inducit ceu thapso. Hic ipse Nicander θάψον alibi appellat, quam alii Græci θαψίαν. Quod autem σκυθάριον vetus Scholiastes Theocriti exponit, de Scythica radice id accipi par est, nec aliter potest. Luteo succo hæc quoque inficit, ut & lycium, & colorem præfert luteum. Græci vul-

E gares succum Lycii κροκόλυκον vocant, quod sit croceus. Succum etiam glycyrrhizæ ita vocant. Glossarium Græco-arabicum: κροκολύκιον, ὁ χυλὸς τῆς γλυκυρρίζης. In aliis reperio & apud Neophytum λύκιον, τὸ παρὰ τοῖς ἰδιώταις λεγόμενον κροκολύκιον. Addit mox idem Scholiastes de thapso: Ἀσκληπιάδης δὲ φυτόν τι χλωρὸν, ὅθεν καὶ τὴν θαψίαν πρὸς τὰ ὑπώπια: βάπτεσθαι δὲ ἐκ ταύτης τὰ κροκοειδῆ. Tria heic omnino confudit, *Lycium*, quod χρυσόξυλον dicebatur: *Scythicum lignum*, sive glycyrrhizam; & thapsiam, cujus succus ὑπώπια emendabat. Tria hæc sunt, quæ θάψου vel θαψίας nomine veteribus intellecta, Lycium, Scythica radix, & thapsia. His quartum etiam acce-

F dat *herba rubia*, quam Græci βοτάνην χρυσίζουσαν vocarunt. Paulus Ægineta, item Alexander Trallianus in compositione fuci, quo crines aurei efficiuntur, θάψον sive θαψίαν nominant herbam, quam à Romanis ἕρβαν ῥουβίαν appellari volunt, quod ipsi interpretantur βοτάνην χρυσίζουσαν. Vetus Interpres Nicandri ad eum versum, quem paulo ante retulimus, θάψον interpretatur εἶδος βοτάνης χλωρᾶς, ἢ προσεικάζει τὴν χρόαν τοῦ κάμνοντος. Hanc ipsam intelligit herbam auream vel luteam dictam. Zosimus auctor chymicus θαψίαν recenset inter eas herbas, quæ luteo inficiunt colore, atque ita vo-

G cat eam, quam οἰχομένιον Democritus subditivus, περὶ φυσικῶν vocaverat. Nam citat eum auctorem, & quam ille dixit οἰχομένιον, dum easdem enumerat species ad tingendum idoneas, θαψίαν hic nuncupavit. Græci recentiores χυμένην hanc eamdem herbam indigetant, cujus hodie plurimus in Græcia usus ad inficiendas lanas luteo fuco. *Lutum*, & *luteam herbam*, hanc Romanis veteribus dictam alibi asseruimus. *Herba robia*

robia Paulo Æginetæ & Alexandro Jatrosophistæ, quæ diversa utique à *rubia radice* quæ rubro tingit, quam Græci prisci ἐρυθρόδανον dicunt, posteriores ἐρυθεῖδα, infima vero Græciæ ætas λυθείδιον vocitavit. Luteam istam herbam priscorum & θαψίαν sive θαψὸν Æginetæ, Romani hodie appellant *herbam roßam*, alii corniolam. Auctor, qui vulgo Macri nomine inscribitur, quique de herbis ante hos quingentos plus minus annos scripsit, *corniolam* cum isatide, quam & *gaisdam* appellat, eandem facit magno sane errore. Utraque herba tinctoribus utilis, sed *isatis* sive *guesda* tingendis cæruleo pannis; *corniola* vero luteis. Titulus ita concipitur in antiquo codice: De gaisda, id est, corniola.

Isatis à Græcis est vulgo gaisda vocata,
Nec modicum quæstum præbet tinctoribus herba.

Similiter erravit Scholiastes Græcus in antiquissimo codice Pauli Æginetæ, qui isatim interpretatur χυμβύην. Eadem sane χυμβύη, quæ Latinorum recentium *corniola*, sed utraque ab isatide æque diversa, ut cæruleus color à luteo distat. Hoc ne in istis mirer, facit vulgaris Apulejus, quem in eodem errore deprehendo, ubi isatim tradit à Romanis vocari *lutum*. Sic enim tandem constituenda ejus verba conjecturis aliorum meisque jam satis jactata: *Græcis isatis, Prophetæ apisi, Romani lutum appellavere.* In scriptis legitur *alumta* vel *aluta* pro lutum. Ita dicta est herba Romanis, à qua color luteus nomen accepit. Unde ille versiculus vetus:

Sus immunda luto gaudet, meretricula luto.

Idem autem hoc *lutum* sive *lutea herba*, ut eam vocant Vitruvius ac Plinius, cum *corniola* Latinorum & χυμβύη Græcorum, sed isatis alia est. Græci quoque recentiores in ea quoque sunt sententia. Neophytus: Ἴσατις ἥμερος, οἱ δὲ αὐγεῖον, οἱ δὲ λούλαυιν, Ῥωμαῖοι λοῦταν. Ita vocat lutum vel luteam Romanorum, aliam ab isatide. Adeò autem fixas ac tenaces egit radices in variis gentibus hic error, ut Burgundiones etiam mei hodie *guadum* vocent herbam luteo colore inficientem. Quod nomen idem est cum *guesdo* vel *guasto*, quo isatis appellatur cærulo tingens herba. Quidam etiam struthion cum isatide eandem faciunt, alii struthium χυμβύην Græcorum esse volunt, quæ χυμβύη eadem cum lutea. Quæ omnia falsa esse alibi docemus. Corniola autem illa sive herba lutea Veterum, quæ & *luti* nomine antiquis venit, folia habere traditur lino similia, sed longiora; florem vero genistæ. Unde apparet, eandem esse cum *flore tinctorio* Germanorum, ut eum Fuchsius describit. Nec etiam immerito liceat suspicari, quas vocet *tinctorias genistas* Plinius, pro hac herba lutea esse capiendas. lib. XVI. cap. XVIII. *Sanguinei frutices, ilex, tingendisque vestibus nascentes genistæ.* At communes genistæ, quæ Græcis σπάρτα, non tingunt. Ad differentiam igitur communium istas sic discrevit, quas tingendis vestibus nasci dixit. Genistas autem appellavit, quod florem haberent genistis similem. Tinctorias genistas hodie quoque quidam nominant. Χυμβύην sive οἰχομβύιον Græcorum recentiorum esse ac veterum θαψίαν sic colligo. Bellus Honorius χάσκισαν Creticam, quę herba est amatoriis serviens, dicit habere folia similia χυμβύῃ; sed χυμβύην ille perperam eandem cum struthio facit, & χάσκισαν cum phyteumate. Certe φύτευμα Dioscoridi simile folium habet struthio: sed nec struthium est χυμβύη, nec φύτευμα idem cum recentiorum χασκίσῃ. Quam hodie Cretes & reliquæ Gręcię vulgus χάσκισαν vocat, ea est veterum antirrhinon, cui folia lini tribuit Plinius. Hujus antirrhini sive chascusæ folia rectè cum chymenæ foliis comparari testatur Bellus Honorius. Unde nullum dubium est, quin χυμένη Græcorum eadem sit cum lutea herba Romanorum. Hæc eadem & *tingens genista* & θαψία. De struthio sive herba lanaria veterum hoc obiter addendum, non hodie cognosci. Non nemini placet esse Arabum *condisi* كندس. Ita enim interpretes Avisenæ & Serapionis vertunt. Quin & ipse Serapio sub illo Arabico nomine procedere jubet descriptionem στρυθίου, qualis habetur apud Dioscoridem. Avisena quoque

A titulo de *condes* subjecit historiam struthii ex Græcis Dioscoridis. Ex quibus scias oportet, non minus ignotum fuisse verum struthium Arabibus, quam est nostris Herbariis. Putarunt enim illi struthium sive radicem lanariam suum esse *condes*. Quod falsum esse arguit descriptio condisi apud Alpagum ex libris Ebenbitæ de Simplicibus. Scribit condisi radicem esse in Syria notitiæ communis, pollicis magnitudine, de qua nec Galenus nec Dioscorides quidquam scripserint. Atqui de struthio omnes Græci tradunt. Præterea struthio radix magna, Plinio teste. Quamvis ille *radiculam* semper nominet pro radice lanaria, quia cum radicula Syriaca eandem facit, magno errore, quem animadvertisse debuerant nostri. Addit idem Alpagus ex Isacheben Hamram, plantam, cujus est ista radix, similem esse carduo alchencher sive alharfef, qui est κάκτος vel σκόλυμος Græcorum. Ex his clarum, radicem lanariam non posse esse *condes* Arabum, quod hactenus creditum est. Reperisse tamen videor, quomodo Arabes vocaverint struthium, quo lanas lavabant Græci. Avisena lib. II. cap. LXII. de *artanita* tractat, quem cyclaminum interpretantur. Facies sicut depingitur, nihil respondet cyclamino, sed leontopetalon Dioscoridis repræsentat. Remedia cyclamini sunt. Vidit errorem Avisena & in translatorem rejicit. Unde apparet, libros Dioscoridis jam eo tempore in Arabicam fuisse translatos, quibus usus Auctor ille videtur, non Græcis ipsis Dioscoridis. Ait igitur speciem, quæ cognosceretur illo ævo artanitæ nomine, cognationem aut similitudinem nullam habere cum illa artanita Interpretis, quæ leontopetalon prorsus refert. Suâ autem ætate, quæ diceretur artanita, spinam esse brevibus ac frequentibus aculeis, cujus radice lanæ lavarentur. Hoc plane στρύθιον Græcorum, cujus radice lanæ lavabantur, ex quo & lanaria appellata est. Spinosam esse post Theophrastum Plinius testatur. At vetus ille Interpres Arabs, qui libros Dioscoridis in Arabicum sermonem converterat, appellatione artanitæ donaverat Dioscoridis λεοντοπέταλον. Sanè in antiquissimo Dioscoridis codice, in quo Arabica expressa sunt, ad vocem λεοντοπέταλε adscriptum vocabulum Arabicum interpretationis vice عرطنيثا *hartanithe*. Vetus ille Interpres Arabicus sub nomine *hartanitha*, leontopetali herbæ adspectum dederat, & effectus cyclamini subdiderat. Unde hoc? Suspicor duo capita Dioscoridis in unum contulisse, quæ conjuncta sunt, struthii & cyclamini. Nam in antiquissimis libris nulla lemmata capitibus singulis imposita, nec ullâ aliâ distinctione capita dividuntur quam rubricâ, quâ nomina herbarum, à quibus caput incipit, depicta sunt. Quod plerumque tamen omissum negligentiâ librarii, & sæpenumero duo capita in unum confusa habentur. Hoc est in struthio & cyclamino, quarum descriptiones contiguæ videtur accidisse. Struthion est hartanitha: qua appellatione complexus est sequentis in proximo cyclamini historiam. Pro cyclamino tamen subjecit leontopetalum ob similitudinem. Nam leontopetali radix æque ut cyclamini nigra & rapo similis. Flos cyclamino rosæ similis, purpureus: In leontopetalo anemonæ, puniceus, quam & ipsam rosæ nomine impertiunt Græci recentiores & Arabes. Pro cyclamino leontopetalon substituisse illud fidem facit, quod remedia, quæ subtexuit, ad cyclaminum pertinent, non ad leontopetalon. Si hoc non est, tum dicendum erit, duas herbas Arabibus eodem vocabulo signatas, leontopetalum & struthium. Quod illis non est novum. Cyclaminum ipsi vocant اردونه, *adriune*, & بخورمريم, *buchurmariem*. De qua voce infra. Sunt quibus placet, quæ vulgo *saponaria* dicitur, eam esse Veterum radicem lanariam. Multis plantis hoc nomen inditum, quæ nihil habent simile struthio. Hyssopum σαπωνίδα Græci dicunt, & anagallidem, & quæcunque aliæ herbarum saponis ac nitri aliqua virtute censentur ad detergendum. Quam pro saponaria

ria deſcribunt, lanariam radicem de facie non exhibet. Quod ad thapſiam attinet, è qua digreſſi ſumus, ne ipſam quidem videntur Arabes noviſſe. Græcâ voce pænè retentâ nominant تافسيا *tafaſie*. Gummi rutæ montanæ interpretantur: alii grana rutæ ſilveſtris. Nempe ignorarunt, ex qua planta

A colligeretur ille ſuccus, quam Græci θαψίαν vocant. Aviſena. cap. CCCII. *jentum* vocat & dicit eſſe gummi rutæ montanæ: Auctor, qui Arabicè [illegible]it in pervetuſto codice Dioſcoridis, θαψίαν ſic exponit: rutam vero سذاب *ſeriab*. Apud Aviſenam legitur سذاب *ſedab*.

CAPUT LII.

De thapſia.

Θάψος qualis eſſet herba ſupra docuimus, multaſque ambiguitates ſolvimus circa hoc nomen occurrentes, quod alias herbæ, alias frutici diverſi generis aſſignatum eſt. Ab illis porro generibus alius eſt, quem *thapſum barbatum* vocant officinæ. Ita quippe vulgo nominant Græcorum φλόμον, Latinorum *verbaſcum*. Italis *taſſo barbaßo*. Sed in libris medicis ante ducentos aut trecentos annos ſcriptis, *thapſum barbaſtum* reperio vocari hanc plantam, non *barbatum* aut *barbaſſum*. Quod ſine dubio corruptum eſt ex *verbaſcum*. Sed cur thapſi nomen illi præpoſitum ſit ignoro. Gloſſa vetus ad verſionem antiquam Alexandri Iatroſophiſtæ (ita enim indigetant, qui nobis eſt Alexander Trallianus) id genus phlomi, quod ſtipitem habet magnum, & florem croceum, *thapſi barbaſti* nomine appellari vulgo annotat. Hoc eſt verbaſcum agreſte Dioſcoridis, ῥάβδους ὀρθὰς φέρον καὶ δενδρώδεις, ἄνθος μήλινον. Capilli eo tingebantur in flavum colorem. Idem & ibidem: ἡ δὲ χρυσοειδὴς τὰ ἄνθη τρίχας βάπτει. Galenus: φλόμος ἀγρία χρυσοειδὴς ἐστὶ καὶ μηλίζουσα τοῖς ἄνθεσι. Et paulo poſt: καὶ τῆς χρυσιζούσης τοῖς ἄνθεσιν ᾗ καὶ τὰς τρίχας βάπτουσι. Neophytus χρυσομήλινον vocat hujus florem. Pro certo affirmare mihi ſit fiducia, ideo *thapſum* verbaſcum id genus nominaſſe poſteriores Latinos, quia colore luteo eſſet ut thapſus, & ſimiliter crines tingeret. Notiſſima enim herba Græcis θάψος inficiendis luteo lanis capilliſque. Θάψον & θαψίαν paſſim vocant ad hunc uſum etiam infimæ Græciæ ſcriptores, ut chymici. De quo nos alibi. Ad diſtinctionem igitur aliorum verbaſci generum, *thapſum* verbaſcum hoc appellarunt, cujus flos thapſinus & aureus. Quod poſtea corruptè pronuntiatum eſt, *thapſum barbaſtum ac* poſtremo *barbatum*. Neſcio, an idem ſit hoc genus verbaſci, quod coronis admiſere, & φλόμον στεφανωματικὸν vocarunt. Cujus mentio apud Dioſcoridem in deſcriptione chry-

B ſogoni: ὁ δὲ θάμνος ἐστὶ πυκνὸς, ἄνθος δὲ παραπλήσιον τῷ στεφανωματικῷ φλόμῳ. Certe chryſogonum illud inter duas herbas locavit, quæ florem habent luteum. Inter chryſocomen nimirum & elichryſum. Mirum, non meminiſſe coronarii phlomi Dioſcoridem eo loco, ubi ex profeſſo genera ejus ac differentias exequutus eſt. Ex quo colligo magnam partem, quæ litteris mandavit de hac materia Medica, aliis auctoribus ea debere, non propriæ ſcientiæ. Nicander θρυαλλίδα inter floris coronarios numerat, quæ phlomi ſpecies eſt ab agreſti diverſa. Tertiam φλομίδων
C eam ſpeciem facit Dioſcorides, quæ & λυχνῖτις dicta, quod uſui fuerit ad lucernas ſtupæ vice. In Lexicis Græcorum verbaſcum invenio etiam appellari νέκειαν vel νεκύιαν. Gloſſæ Medicæ non editæ: Νέκεια, φλόμος. Quærenti mihi hujus vocabuli rationem indicavit Harpocration in libro περὶ φυσικῶν δυνάμεων. Ita enim ſcribit: Νεκία βοτάνη ἐστὶ φλόμος· ταύτης δὲ εἴδη εἰσὶν ἑπτά· λέγεται οὕτω, ὅτι ἀναβαίνουσι τὰ φύλλα ὑπὲρ πῆχυν ἕνα, ἃ καίουσιν ἐν τοῖς λύχνοις ἀντὶ ἐλλυχνίου· ἐπειδὴ δὲ τοῦτο κατέχουσιν ἐν ταῖς νεκυακαῖς μαντείαις ταῖς διὰ
D λεκάνης γινομέναις, ὥσπερ οἱ προειρηκότες εἶπον, καὶ διὰ τοῦτο νέκεια ἡ βοτάνη καλεῖται. Neophytus lucernare verbaſcum νεκύιαν dici memorat: φλόμος ἕτερος, οἱ δὲ λυχνῖτις, οἱ δὲ θρυαλλὶς, οἱ δὲ νεκύιαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ ῥάβδον. Romanis φελλουσκλον vocari ibidem docet. Quod eſſet *fuluſculum*. Sed quid ſit neſcio. Νεκύιαν autem dici Græcè exiſtimarim non à lecanomantiis mortualibus, ſed quod funeribus ſerviret, ut & ſcripi, è quibus detracto cortice candelæ luminibus ac funeribus, Plinio teſte, ſervientes fiebant. Eumdem uſum præbuit & verbaſcum. Lecti quoque mortuorum,
E ut ſirpis & papyris, ita etiam verbaſco lucernali farciebantur, quo citius ignem conciperent ac comburi poſſent facilius. Inde igitur νεκύια appellata. Sed hæc obiter. Non enim id agimus nunc, ut differentias & cognomina varia phlomi ſigillatim explicemus.

CAPUT LIII.

De chamæleonte ixia.

Non minus notabilis error circa chamæleontem *ixian*, & venenum *ixiam*: quas voces, ex vocabuli ὁμωνυμίᾳ confuderunt cum Plinio etiam veteres Medicinæ Auctores. Non tamen ὁμωνυμία hic plena ac perfecta cernitur. Generis quippe diſtinctio eſt in his vocabulis. Chamæleon albus dictus eſt ἰξίας, quod certis locis circa radices ejus genus gummi viſcoſi inveniatur. Ergo ὁ ἰξίας χαμαιλέων cognominatur ab illo viſco. Ut Theophraſtus ἀκάνθην ἰξίνην eundem carduum ſimiliter nuncupavit, ut ſit ἡ ἰξίνη ἀκάνθη. Utrumque igitur ἐπιθετικῶς dictum ὁ ἰξίας χαμαιλέων, & ἡ ἰξίνη ἀκάνθη. At venenum ἰξία per ſe ita nominatur & generis eſt fœminei, ἡ ἰξία, idemque ſignificat quod ἰξός. Ut enim θάψος & θαψία idem, καρπασος & καρπασία, ita ἰξὸς & ἰξία. Commune quoque viſcum Theophraſtus ἰξίαν vocat, τὴν ἰξίαν. Plinius venenum quoque, cui

F nomen ἰξία, *viſcum* Latine vertit lib. XX. cap. IV. de rhaphano: *Et contra viſcum quoque dari duo Apollodori jubent*, id eſt, contra venenum ixiæ. In Græco fuit πρὸς τὴν ἰξίαν. Item lib. XXVII. cap. VII. de abſinthio: *adverſatur fungis ex aceto: item viſco & cicuta ex vino.* Dioſcorides de eodem: πρός τε τοὺς ἀπὸ μυκήτων πνιγμοὺς ἁρμόζει σὺν ὄξει πινόμενον, σὺν οἴνῳ δὲ πρὸς ἰξίαν καὶ κώνειον. Arabes quoque hoc venenum eodem vocant nomine, quo viſcum ſolent. Aviſena lib. IV. Fen VI. tractatu I. quo venena exequitur, cap. XXXIII. ἰξίαν appellat, الدبق *aldebac*, viſcum.
G Sic alibi appellat lib. II. cap. DCCVII. Latinę editionis, دبق, *debac*. Ἰξὸν Dioſcoridis ita planè etiam exponitur Arabica voce, quæ ad oram vetuſtiſſimi codicis adſcripta eſt. Chamæleontis autem cognomen ἰξίας

ἰξίας non viscum sonat, sed viscidum aut viscosum chamæleontem designat. Rectè itaque apud Paulum Æginetam in catalogo simplicium δηλητηρίων scriptum est, ἰξία, quod est ἡ ἰξία, sive viscum, non ὁ ἰξίας, quomodo cognominatus est chamæleon albus. Hæc cum ita sint, antiquorum tamen plerique chamæleontem ἰξίαν cum deleterio ἰξίᾳ confuderunt. Scribonius Largus cap. LX. de venenis: *ixia, quam quidam chamæleonta vocant.* Solus chamæleon albus dictus est *ixias*, ut dixi, quod quibusdam in locis viscum gignat album sub alis foliorum. Eo visco quasi mastiche utebantur priscæ mulieres ad oris suavitatem. Non igitur venenum hoc viscum. Sed nec inter δηλητήρια habitus chamæleon albus, qui hanc mastichen fundit, utpote quem adversus interaneorum vermes, hydropem & dysuriam solitum propinari utiliter & absque ulla noxa passim Veteres tradant. Quibus in locis viscum ceu lacrimam emittit, quo mulieres usæ olim in os sumpto, quis credat venenum fuisse? Placet tamen hodiernis Medicis, lacrimam chamæleontis albi mortiferum ac præsentaneum esse venenum. Unde hoc expiscati sint nescio, cum altum super eo sit apud Veteres silentium. Immo contrà summa inter antiquos consensio est, ex duobus chamæleontis generibus nigrum esse fugiendum tanquam venenum; album, ex quo mastiche colligitur, esui jucundum esse. Nicander in Theriacis de albo:

Μέσσῃ δ' ἐν κεφαλῇ φύεται πεδόεσσα μολοβρή,
Ῥίζα δ' ὑπαργήεσσα, μελίζωρος δὲ πάσασθαι.
Τῶν δὴ κυάνεον μὲν ἀναίνεο.

Paulo ante ita eos distinxit:

φράζεο δ' αἰγλήεντα χαμαιλέον, ἠδ' ἐρεβεννόν.
Δοιοὶ δ' ἀμφὶς ἔασι.

Ita hæc legenda. Nam vulgo corruptissimè ἠδὲ ὀρεινόν. Unde *montanum chamæleontem* fecerunt Interpretes. Duo sunt genera, albus & niger. Album vocat αἰγλήεντα: nigrum ἐρεβεννὸν, & versu sequenti ζοφοείδελον, quod est idem atque ἐρεβεννός. Galenus lib. II. de antidotis, ex Asclepiade inter remedia, quæ adversantur τῇ ἰξίᾳ veneno, chamæleontem etiam recenset: τοῖς δὲ τὴν ἰξίαν πεπωκόσι βοηθεῖ ἀψίνθιον πινόμενον. Paulo post dandum etiam præcipit his, qui ἰξίαν biberint, πηγάνε δραχμὰς ς. ῥητίνης δ. καστορίε β. χαμαιλέοντος κοχλιάρια γ. de albo chamæleonte accipiendum. Si bibitur adversus ixian venenum, non utique idem cum ipso veneno. Atqui chamæleon albus propriè ἰξίας nominatus à visco sive mastiche quam fundit. De nigro non possis capere. Omnes quippe consentiunt, chamæleontem nigrum diversum esse δηλητήριον ab ixia. Quodcunque horum non sit, illud certum esse debet, ixiam, quam in venenis recensent prisci, non esse viscum chamæleontis albi. Præterea Paulus Ægineta ixiam venenum inter mortiferas radices numerat, non inter gummium aut succorum genera: ῥιζῶν δὲ χαμαιλέων, ἀκόνιτον, θαψία, ἰξία, καὶ ἐλλέβορος. Radix igitur venenata ixia, non gummi aut viscum. Chamæleon autem, quem ibi inter radices perniciem adferentes ponit, de nigro chamæleonte intelligendus, quem lethiferam habere radicem auctor est Galenus. Ixia itaque cum ibi sit radix venenata, non potest esse chamæleontis albi radix. Multo minus erit succus vel lacrima ex albo chamæleonte. Sed nec fuerit chamæleontis nigri quidquam, utpote cum diversam statuat hanc radicem ixiam à nigro chamæleonte. Dioscorides quoque in præfatione libri sexti sub finem, ubi venena in classes distribuit, tam ἰξίαν, quam chamæleontem in censu radicum lethiferarum computat: ῥιζῶν δὲ χαμαιλέων, ἀκόνιτον, θαψία, ἐλλέβορος, ἰξία. Chamæleon ille niger est non albus. Ixia quæ radix est, nec pro chamæleontis nigri radice sumenda est, ut pote quam diversam statuat, nec pro visco chamæleontis albi, cum inter radices eam reponat. Quid igitur erit? Hoc quærendum. Sed notandum interim, non ipsum sibi constare Dioscoridem, qui alio loco clarissimè videtur ixiam venenum de chamæleonte nigro intellexisse.

A Ita enim in chamæleontis nigri historia: ὁ δὲ μέλας ὃν ἔνιοι ὑλοφόνον, ἢ ἰξίαν, ἢ κυνόμαζον, ἢ ὠκιμοειδὲς ἐκάλεσαν, καὶ αὐτὸς τοῖς φύλλοις σκολύμῳ ἔοικεν. Hæc sola verba Dioscoridis legitima esse fidem facit antiquissimus codex, qui reliqua pro spuriis rejicit & explodit. Oribasius quoque hæc sola, quæ posuimus, agnoscit, ex Dioscoride sumpta. Sed apud eum perperam legitur κυνόμαχον & κημοειδές. Plinius etiam lib. XXII. cap. XVIII. nigrum chamæleontem & *ulophonon* & *ixian* & *cynozolon* dictum ostendit. Hinc initio capitis utrumque chamæleontem indifferenter *ixian* appellatum asserit: *Chamæleontem aliqui ixian vocant. Duo genera ejus.* B Candidum scilicet & nigrum. Quare falluntur, qui album tantum à Dioscoride *ixian* appellatum volunt, cum & nigro pariter idem hoc cognomen adhæsisse tam claré pronuntiet, & præterea ὑλοφόνον & ὠκιμοειδές. Ex quibus constat *ixiam* venenum ex chamæleonte nigro sumi existimasse quosdam, & in ea sententia fuisse Scribonium Largum, Plinium, & Dioscoridem ipsum; qui tamen alio loco sibi ipsi contradicit, & in venenorum classibus digerendis ἰξίαν à chamæleonte nigro distinguit, & utrumque inter radices venenatas commemorat. Quin & viscum ubique Latinè reddit τὴν ἰξίαν Græcorum venenatam. At ἰξίας chamæleon non est viscum, sed viscosus, C vel visculentus, aut viscarius. Nicander in Theriacis venenum ixiam ita describit:

Ἰξιόεν δέ σε μήτι δόλῳ περὶ χείλεσι πῶμα
Οὐλοφόνον λήσειεν, ὅτ' ὠκιμοειδὲς ὄδωδε.

Hæc cognomina sunt chamæleontis nigri apud Dioscoridem, ἰξίας, ὑλοφόνον, & ὠκιμοειδές. Idem inter remedia venenorum non meminit chamæleontis, sed tantum ἰξίας, quasi voluerit eundem esse ixian cum chamæleonte. Ideo & τὴν ἰξίαν videtur nominasse, quod est ἐπίθετον chamæleontis: Ἰξίας δὲ ὃς καὶ ὑλοφόνον καλεῖται, ὅμοιόν τι ὠκίμῳ κατὰ τὴν ὀσμὴν καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν ἐμφαίνει. Ex eo & ὠκιμοειδὲς & ἰξίας & ὑλοφόνον D ejusdem rei cognomina, nempe chamæleontis nigri. Paulus autem Ægineta, qui chamæleontem nigrum in censu venenorum separat ab ixia, rectè τὴν ἰξίαν dixit, non τὸν ἰξίαν. Ita enim in antiquissimo libro titulus habetur apud eum conceptus περὶ τῆς ἰξίας. Et mox sequitur: ἰξία δὲ ἥτις καὶ ὑλοφόνον καλεῖται, ἐν τῷ πίνεσθαι οἷόν τι ὠκίμε κατὰ τὴν ὀσμὴν καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν ἐμφαίνει. Illa ἰξία, quæ viscum absolutè significat, non potest esse viscum chamæleontis albi, nec cognomentum est nigri chamæleontis, quod debet esse ὁ ἰξίας, subaudiendo χαμαιλέων. Video non constitisse inter veteres quid esset E ἰξία. Illud constabat venenum esse. Alii aliud genus voluere. Interpretes Nicandri veteres animal ex genere blattarum esse tradunt: ἰξία γένος ἐστὶ τῆς σίλφης. ἔστι δὲ τῇ χροιᾷ μέλαν, τῇ δὲ ὀσμῇ ἐν τῇ πόσει ὅμοιον ὠκίμε σπέρματι. Non ab ullo viscoso aut lento succo sic dictum affirmant, sed quod vias omnes excrementis clauderet, eaque impedita retinet ut viscum: ἰξία δὲ καὶ βέμβηκες σιλφῶν εἴδη μελαινόμενα δὲ τὴν τροφὴν κατέχει ὡς ἰξός. Lexicum Græco-arabicum: ἰξιόεν θανάσιμον φάρμακον ὀνόμασαι δὲ ἐπειδὴ τὰς ἐντὸς τροφὰς κατέχει ὡς ἰξός. Nicander ἰξιόεν πῶμα dixit περιφραστικῶς τὸν ἰξὸν vel τὴν ἰξίαν. F Actuarius cap. CCLV. florem esse scribit cujusdam spinæ, quæ ἄξος vocatur. Ita enim in libris veteribus: ἰξία δὲ ἄνθος ἐστὶ τῆς ἀκάνθης τῆς λεγομένης ἄξε. Quæ sit ista spina, nescio. Hæc videtur ex Dioscoride transtulisse lib. VI. sub finem, ubi nonnulla commemorat, quæ natura non sunt venenata, sed interdum periculum afferunt, eoque non negligenda sunt. Inter ea numerat ἄξον florem spinæ, quæ vocatur ἄξος. Ita enim vulgati codices legunt: ἔνιοι δὲ καὶ τῶν μὲν δοκούντων ἐπ' ὀλίγον βλάπτειν, ἐνίοτε δὲ κινδύνως ἐπιφερόντων σὺκ ἀμελητέον, ὧν ἐστι τὸ ἄγελον πήγανον καὶ τὸ μελάνθιον καὶ οἱ νεαροὶ παγετοί. Deinde G sequitur alterum caput περὶ ἄξε cum hac definitione: Ἄξος ἄνθος ἐστὶν ἀκάνθης τῆς καλεμένης ἄξε. Actuarius eamdem lectionem in suis libris invenit, sed pro ἄξον vocavit ἰξίαν. Idem tamen cap. CCVI. de ixia veneno eadem refert, quæ à Paulo Ægineta relata

relata sunt περὶ ἰξίας, ἥτις καὶ ὀλοφόνος καλεῖται. Verba autem supra citata Dioscoridis palam est non esse sincera, sed ex Paulo Ægineta, qui ea in libros suos transtulit & veram scripturam conservavit, sic corrigenda jam alii viderunt: ὧν ἐστι πήγανον ἄγριον ἢ τὸ μελάνθιον ἢ οἱ νεαροὶ πάπποι· ἄνθη δέ ἐστιν ἀκάνθης τῆς λεγομένης κάκτου ἐφ' ὧν ἔμετος μόνος παραληφθεὶς ἀποκαθίστησι τοὺς λαμβάνοντας. Cactus est carduus, cui pineum caput. Medulla ejus edulis, dum tener est, detractis pappis. Παππώδη σπερμάλια vocat Theophrastus. Noxam afferunt, si edantur. Ideo νεαροὺς πάππους Dioscorides & Paulus cavendos monent, quia nullum à jam vetustis periculum. Nemo enim eos edit. At dum tenera adhuc novelli capitis medulla manditur, imprudenti ac nimium avido, ut pappos ipsos simul voret, contingere potest. Ceterum ἰξίαν venenum aliud esse ab ixia chamæleonte abundè probavimus. Arabes ipsi hoc confirmant, qui aliis nominibus utrumque chamæleontem appellant; alio ixiam, quæ pro veneno est. Avisena cap. CCI. *Chamalaum* vel *chamalium* vocat ********** Græcorum chamæleontem, & de utroque ibi agit. In antiquissimo Dioscoridis codice, qui Arabicas appellationes antiqua manu adjunctas habet, chamæleon albus vocatur, مازريون ابيض, *mezeriun abiat*. Et chamæleon niger, مازريون اسود *mezeriun asud*, id est, mezeriun album & mezeriun nigrum. Mezeriun autem in eodem codice absolutè chamelæa dicitur. Nam hoc adpositum legitur interpretamentum ad dictionem χαμέλαια. Et sanè Avisena cap. CCCCLXV. sub nomine *mezeriun* chamæleontem album nigrumque & chamelæam simul exequitur, sequutus in hoc errorem Græcorum recentiorum, quibus χαμέλαια & χαμαιλέων immani hallucinatione pro eodem nomine transit. Malè in Lexico Raphelengii chamæleon albus Arabica dictione exponitur, باذاورد, *badavard*. Id enim propriè ἄκανθαν λευκὴν Græcorum significat, quæ alia est è chamæleonte albo. In Dioscoride pervetusto, hoc Arabico nomine ἄκανθα λευκὴ redditur. In Lexicis Græco-arabicis, in quibus Arabica Grecè expressa sunt, βαδεβέρδ appellatur. Sed hæc alibi. Ἰξία vero iisdem Arabibus, ut ante dicebam, appellatur *debach*, quæ vox viscum apud eos propriè notat. Cum igitur in Græco, Latino & Arabico pariter *viscum* ea appellatione designetur, cur non volumus id esse, quod nomen ipsum sonat? Videamus an hoc possit obtineri. Sed quis inter venena, inquies, viscum retulit? Hoc certè nescio: Sed scio Galenum ixiam comparare thapsiæ in eo, quod non primo impetu excalfaciat, sed mora indigeat ad effectum suum prodendum: ἔστι δ' οὐκ εὐθὺς θερμαινόντων φαρμάκων μετὰ τὴν πρώτην ἐπίθεσιν, ἀλλὰ χρόνον δεομένων ὥσπερ ἡ θαψία. Notum porro & thapsiam inter venena reponi, non præsentanea quidem & quæ statim necent. In eorum quippe numero est, quæ prosunt simul ac nocent, prout sumpta sunt. Quæ & medicamenta & venena possunt esse ex æquo. In his & agaricum & elleborum & alia quædam. Quidni & inter hæc numerari possit ἰξία sive viscum? Præcipuum ejus nocumentum, quod viscera veluti conglutinet, & viam excrementis potûs cibique sepiat. Hoc lentiore ac tenaciore glutini sui naturâ præstare viscum nihil vetat, præsertim si immodicum sumatur. Διαφορεῖν quidem illud ac μαλάσσειν tradit Dioscorides, discutere & emollire, sed foris impositum. Et notandum, nullum ex visco remedium ab antiquis præscribi, quod ore sumendum sit. Tumores emollit & discutit, strumas siccat, ulcera etiam commanducatum impositumque efficacissimè sanat. Nusquam editur. Calefaciendi virtutem habere, sed non promptam dicit Galenus, nec protinus vim suam ostendere μετὰ τὴν πρώτην ἐπίθεσιν. Hoc arguit ex illis esse medicamentis, quæ imponuntur. Hac in re thapsiæ illud confert, quod effectum non statim exerat. Dum ἰξὸν describeret, non meminit venenum esse Dioscorides. Nec aga-

A ricum describens, quicquam tale de eo memoravit. Nihilo secius inter venena recensuit. Ἰξίαν inter radices numerant. Agaricum quoque, quod tamen arboribus innascitur veluti fungus. Mira intricatio veterum in his tradendis. Ἰξία venenum est eo, quo diximus modo. Hoc viscum. Nec aliter Latinè potest reddi. Chamæleon quoque niger, quem aliqui ἰξίαν cognominarunt, cum sit proprium hoc cognomen albi. Inde illa orta confusio viscarii chamæleontis cum visco, τῆς ἰξίας cum τῇ ἰξίᾳ. Nicander ἰξίαν, quod ipse vocat ἰξιόεν πῶμα, etiam ὀλοφόνον dicit cognominatum. Hoc epithetum chamæleontis nigri, non τῆς ἰξίας. Sic
B autem appellatus, quod gingivis impositus dolorem dentium sedaret, pro ὀλόπονος, quod faceret ad gingivarum dolores. Nihil impedio tamen, quin & ὀλοφόνος sit dictus ab exitiali facultate. Chamæleonti tamen hoc convenit, non τῇ ἰξίᾳ. Nicander addit de ixia:

------ ὁ δ' ὠκιμοειδὲς ὄδωδε.

Basilici odorem habere ixiam innuit. Male inde Dioscorides τὸ ὠκιμοειδὲς inter cognomenta chamæleontis posuit. Si ὠκιμοειδὲς cognomen chamæleontis, ita dictum oportuit, quod ocimo esset similis. Atqui Nicander non ὠκιμοειδῆ vocatum tradit, sed ὠκιμοειδὲς ὄζειν, ocimi odore esse. Profecto certum
C est, Nicandrum ixiæ nomine nihil aliud intellexisse præter chamæleontem nigrum. Nam chamæleontis nigri inter simplicia venena nullam alibi mentionem habet. Pro uno igitur habuit τὴν ἰξίαν & τὸν ἰξίαν χαμαιλέοντα. Quem sequutus Dioscorides ut in aliis ita etiam in hoc. Chamæleon tamen niger, non ἰξίας dictus, sed albus, quod quibusdam in locis viscum emittat. Theophrastus lib. IX. Hist. cap. XIII. chamæleontis nigri & albi differentias explicat, nec visci in eo meminit. Alibi ἰξίνην ἀκάνθην nominat, quæ eadem prorsus videtur cum chamæleonte albo sive ἰξίᾳ posteriorum. Ita enim mos est, illius phi-
D losophi, eamdem rem diversis locis reddere diverso nomine. Quod sæpe observavimus. Idem Theophrastus lib. IX. cap. I. meminit ixias Creticæ, quæ lacrimam sive gummi fundit. Doctissimi Medici pro chamæleonte ixia eam ixiam accipiunt, prorsus absurde: ἔχει δὲ δάκρυον καὶ ἡ ἰξία ἡ ἐν Κρήτῃ. Viscum Cretense intelligo. Nec enim alio sensu τὴν ἰξίαν solet usurpare Philosophus quam pro visco. Eodem præterea capite tribus ante lineis ἀκάνθης τῆς ἰξίνης καλουμένης mentio apud eum extat, quæ eadem est cum chamæleonte ixia. Alia igitur ἡ ἰξία. Hoc sanè constat, aliud esse τὴν ἰξίαν, aliud τὸν ἰξίαν χαμαιλέοντα.
E Venenum est, cum fæminino genere dicitur, & viscum significat. Nam ἰξία & ἰξὸς idem, ut θαψία & θάψος. Aliam tamen sententiam in medium adducam, quæ fortasse plures habitura adstipulatores. Chamæleon albus ἰξίας dictus a visco, quod ab eo exit certis regionibus. Radix ejus etiam ἰξία potuit dici adjectivè, id est, viscaria. Nam ab ἰξὸς ἴξιος. Hinc folium chamæleontis albi ἴξιον Hippocrati. Galenus in ejus Lexico: ἴξιον, φύλλον τοῦ λευκοῦ χαμαιλέοντος. Fæmineum ἰξίη vel ἰξία. Sic radix ejus appellata, ut folium ἴξιον. Aliquid habere δηλητήριον vel ex eo constat, quod canes & sues interficere
F proditur. Theophrastus: ἀναιρεῖ δὲ καὶ κύνα καὶ σῦν. Minus quidem letifera quam chamæleontis nigri radix, in venenorum tamen censu habita. Nec obstat, quod mastiche ex eo suavitatem oris mulieribus commendabat. Non edebant eam mastichen, sed in ore tantum retinebant: Multa præterea venena suâpte naturâ non sunt, quæ venena fiunt, si nimia dentur, ut agaricum, thapsia, & alia. Ex his tamen nolim videri, esse radicem albi chamæleontis. Quæ canes & sues interficit, id non facit sine veneni naturali & insita vi. Hæc est igitur, quam absolutè ἰξίαν, id est, ἰξίην vocant auctores, subaudiendo ῥίζαν: ut ἴξιον Hippocrati folium ejusdem
G chamæleontis. Qui τὴν ἰξίαν in re venenorum à chamæleonte nigro separant, per ἰξίαν intelligunt radicem chamæleontis albi. Diversus utriusque veneni effectus & disparia symptomata. Non enim eadem radicis amborum vis. Theophrastus: αἱ δὲ δυνάμεις τῶν ῥιζῶν καὶ αὐταὶ δὲ αἱ ῥίζαι τοῖς εἴδεσι διάφοροι. Radicem

dicem albi ibidem tradit albam esse, dulcem & crassam, καὶ ὀσμὴν ἔχουσαν βαρεῖαν. Ocimum olere canit Nicander. Hinc rectè Auctores τὴν ἰξίαν inter radices recensent [illegible]tiferas. Est nimirum chamæleontis albi radix. Chamæleontis quoque nigri radix venenata, sed non ille ἰξίας, nec ejus radix ἰξία. Qui ita vocarunt, cognomine alterius abusi sunt. Hi vero sunt, qui unum tantum chamæleontis genus, & quidem nigrum inter δηλητήρια locum habere voluerunt. Hoc verissimum præstare audeo, quo & cete-

A ras difficultates omnes tolli certum est. Plinius inter hæc neutiquam tecto latere discedit. Errat quippe non mediocriter, cum ubicunque occurrit τῆς ἰξίας veneni mentio, semper viscum Latinè reddit. Fefellit eum ὁμωνυμία substantivi ἰξία, quod pro visco absolutè Græci usurpant, & adjectivi ἰξία, ut subintelligatur ῥίζα. Quod de viscaria chamæleontis radice accipitur. Arabes etiam falsi, ne Plinius incomitatus iret, viscum τὴν ἰξίαν in sua lingua interpre-
B tati sunt.

CAPUT LIV.

De doronico.

Doronicum Latini vocant, cujus radicem similem esse zedoariæ omnes Arabum glossæ ostendunt. Quam ita describit Avisena, ut in Arabico codice habetur: *Doronicum frustum est ligneum radicale ad instar nodi, & citrinum aut candidum interiori parte, & cinerei coloris ab exteriori, duriusculum simul & grave.* De forma Interpres scribit: *cujus quantitas est nodus pollicis usque ad extremum unguem.* Nihil horum in Arabicis comparet, sed simpliciter dicunt frustum illud radicis, instar habere nodi مقدار العقد Ex quibus verbis nescio an elicere potuerit Interpres eam sententiam. قدر *Kadar*, mensuram quidem & pondus denotat, unde مقدار *migdar* spatium loci, quantitas: sed nihilosecius & exemplar, similitudinem, formam significat, sicut exponitur in antiquo Lexico Latino-arabico. عقد, *huchad* nodus vel ligatura: à verbo عقد, quod est ligare, nectere. Dicit igitur, doronicum unius tantum nodi instar habere, non pluribus nodis geniculatum esse. Græci κονδύλους vocant hujusmodi nodos in radicibus, ut Paulus in Mamira. Sic dicuntur & digitorum nodi. Hinc fortasse Interpres vetus hausit expositionem suam de doronico, quod dicit instar habere, quantum est spatium nodi pollicis usque ad extremum unguem. Sed κόνδυλον quemlibet nodum appellant, ut κόνδυλον τειχῶν & similia. Quod cinerei coloris ab exteriori parte, in hoc etiam similatur zurumbedo sive zedoariæ vulgari, quæ teste Avisena cinerea est extra, intus alba. Citrinum autem aut album interius esse doronicum, testatur idem Avisena. Hoc nomen esse Græcum placuit Brassavolo. Atqui Græci ipsi cum hujus herbæ meminerunt, nusquam δορόνικον nominant, sed δαρωνίζ aut δαρωνίζι, ex barbaro nempe & Arabico *durunegi*. Sic myrobalana, quæ Arabibus *emblegi*, Græcis ἐμβλίζ & ἐμβλίζι vel ἐμβλίτζι: quæ *belilegi*, βελιλίτζι. Ita & χαυλίζεν dixere Arabum *chaulungen*; & quod Arabibus *geduar*, ipsi vocarunt ζεδόαρ. Ita semper z. pro g. ponere amant. Latini vero c. posuerunt in illis omnibus vocabulis. Nam & *emblica* & *bellirica* dicunt: Ita ergo & *doronicum*, quod Arabibus *durunegi*, & Græcis recentioribus δαρωνίζι. Ab illis enim acceperunt hoc nomen. Ferè semper cum zedoaria jungitur in medicamentis apud Neotericos Græciæ Latiique medicos. Viaticum Constantini lib. III. *Spica, cinnamomi alithini, zedoar, doronici.* Ad cardiacam pas-

sionem illa præcipiuntur. Item lib. VII. *nucis muscatæ, castorei, zedoar, doronici.* Atque ita alibi. Quod
C sic Charito δαρωνίζ & ζεδουμβὲδ in medicamentis corroborantibus: καὶ δυναμοῖ τὴν καρδίαν, ζεδουμβὲδ καὶ δαρωνίζ. Alterum quod ad institutum nostrum facit, illud est, doronicum vulgare nullo naturæ aut potestatis affinitate cognatum esse doronico Arabum: ut contendentibus utrumque patebit. Doronici Arabici radix non pluribus nodis protuberat, sed veluti unus nodus est, hac in parte similis zedoariæ, ut omnes Glossatores Arabes tradunt: & præterea quod etiam magis illam cum zedoria similitudinem consignat, interius alba traditur, exterius cinerea. Dulci
D gustu est. Nihil horum doronico communi competit. Officinæ aconitum pardalianches minus appellant doronicum. Multa alia doronici genera recensent Herbarii nostri, omnino aliena cum patriâ tum figurâ ac facultate ab Arabico *duronegi*. Multo magis accedit ad mamiræ similitudinem officinarum doronicum, quam ad Avisenæ. Radix enim est tenuis, multis nodis sive tuberculis geniculata, qualis describitur doronici vulgaris radix. Avisena mamiran dicit esse lignum sicut nodum كعقد. Ubi eadem
E voce usus est, qua supra in definienda doronici forma, quod & pariter nodi effigie esse dixit. Sed plures habere nodos mamiran narrat Paulus: Μαμίρας οἷον ῥίζιον τι πάσας ἔχον ὥσπερ κονδύλους πυκνούς. Avisena vocat ماميران *mamiran*; qui & unici instar nodi eam habere significat, ut & doronicum. Mamiras nodosa radix Alpago. Ergo & plures in ea nodi. Quidam pro chelidonio eam acceperunt, non alia ratione, quam quia plures quoque radices in unum congestas quasi nodos habet. Mamiras nigri coloris
F Avisenæ, doronicum cinerei. Cæterum tametsi formâ non differant mamiras & doronicum Pharmacopæorum, eadem tamen esse affirmare nollem. Multo minus sit doronicum Avisenæ, quod hodie vocatur doronicum. Sed omnium maximè absurda Guillandini sententia, qui carnabadium censet esse doronicum. Καρναβάδιον recentioris est Græciæ vocabulum, quo alii careum semen, alii cuminum Æthiopicum indigetarunt. Glossæ Nicomedis Iatrosophistæ: Καρναβάδιον, τὸ κύμινον Αἰθιοπικόν. Myrepsus ita etiam interpretatur. Hierophilus philosophus in li-
G bro, cui titulus est, πῶς ὀφείλει διαιτᾶσθαι ἄνθρωπος ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, inter semina condimentaria meminit καρναβαδίου ἀνατολικοῦ, carnabadii orientalis, quod est vel cuminum Æthiopicum vel careum: ἀρτύματα διὰ καρναβαδίου ἀνατολικοῦ καὶ πεπέρεως καὶ ἀρτυμάτων. Utut sit; καρναβάδιον semen est, doronicum radix.

CAPUT

CAPUT LV.

De strychnis.

PErsequamur ὁμώνυμα nostra, in quibus σρύχνον est, a Theophrasto non prætermissum, sed nominatim in hoc album relatum. Latini *solanum* dicunt, barbari *solatrum*. Duo genera Theophrastus συνώνυμα facit, somniculosum & insanum. lib. IX. cap. XII. συνώνυμοι δὲ καὶ οἱ σρύχνοι καὶ οἱ τιθύμαλλοι. Appellat συνωνύμους, qui sub eodem genere sunt eodemque nomine, quo descriptionem subjicit, *soporiferum* & *insanum* vocans ὑπνωτικὸν καὶ μανικόν. At lib. VII. cap. XIV. tertium his addit ὁμώνυμον, non συνώνυμον strychnon, in cibis olim commendatum, eoque in hortis seri solitum: ὥσπερ ὁ σρύχνος ὁμωνυμίᾳ τινὶ παντελῶς εἰλημμένος, ὁ μὲν γὰρ ἐδώδιμος καὶ ὥσπερ ἥμερον καρπὸν ἔχων ῥαγώδη· ἕτεροι δὲ δύο εἰσίν, ὁ μὲν ὕπνον, ὁ δὲ μανίαν ἐμποιεῖν δυνάται. Quod saporem facit & quod insaniam, synonyma sunt strychni genera. Solum hortense & sativum strychnum homonymum, nominis duntaxat cum cæteris duobus generibus particeps, nullo generis consortio. Magni operis esset distinguere velle hæc genera apud Plinium, quæ ille perturbavit, dum ex diversis auctoribus acceptas sententias in unum compingit fasciculum. Conabimur tamen extricare, quæ multis modis intricavit, eâdemque operâ etiam emendare, quæ corruperunt ejus correctores. Lib. XXI. cap. XXXI. *Trychno, quem quidam strychnon scripsere, utinam nec coronarii in Ægypto uterentur, quos invitat hederæ florum similitudo in duobus ejus generibus.* Ita legendum. Τρύχνος, aliis σρύχνος; ut μίλαξ, aliis σμίλαξ. De furioso strychno invenio scriptum apud Dioscoridem τρύχνον. In cæteris σρύχνον, quasi sic distinguere ea voluerit. Quod est frivolum. Theocritus idyll. IX.

------ οἱ μὲν πόδες ἀσράγαλοι τεῦ
Ἀ φωνὰ δὲ τρύχνα.

Vocem suavem & jucundam comparat trychno. De eduli & hortensi intelligendum. Ibi interpres λάχανον vocat: τρύχνος δὲ καὶ ἡ τρύχνη ἡ κοινῶς λεγομένη ἀγελομελιντζάνα. Græci recentiores strychnum vocarunt μελιντζάνιον, ut constat ex auctoribus Veterinariis, apud quos pro σρύχνῳ, quod est in veteri codice, in recentiori habetur μελιντζάνων. Italicum est *melenzana*, ex quo est Græcum μελιντζάνιον. Fructum quemdam ita vocant ex frutice, quem alii strychnum pomiferum fructu oblongo appellant: alii mandragoræ maris esse poma censent. Mandragoræ porro masculi mala esui fuisse pastoribus disertè prodit Dioscorides, ut verba ejus scripta sunt in antiquissimo codice de malis mandragoræ alterius: τὰ δὲ μῆλα διπλάσια κροκίζοντα τὴν χρόαν, εὐώδη μετὰ βάρους τινὸς, ἃ καὶ ἐσθίουσιν οἱ ποιμένες, πῶς δὲ ἀποκαρο̃ῦνται, *quæ pastores quidem comedunt, sed ex eorum esu quadamtenus soporantur.* Dubium esse posset, utrum ex Italico Græcum, an ex Græco Italicum derivatum sit. Sed verius ex eadem origine utrumque deductum, nempe ex Arabico *bedengian* بادنجان. Ita vocat Avisena. Inde suum μελιντζάνιον Græci fecerunt, atque Itali *melanzana*. Germani quoque sic vocant. Et frustra sunt, qui sic dicta putant quasi mala insana. Falsum hoc etymum. Barbari *melongena* appellant quasi *bedengiana*. Nam *m* & *b* invicem mutari notum est, ut *l* & *d*. Græci autem perpetuo Gjim Arabicum efferunt per τζ: ut *gedoar*, τζεδόαρ, & in aliis sexcentis. De quo infra. In Lexico Granatensi *berengenes verangenes* vocantur hi fructus, ut poma amoris vulgò. Vocabula autem illa Hispanica, quibus explicatur Arabicum *brengenet*, id esset برنجانة. Quod plurale est. In numero singularitatis. برنجان *brengen* vel *berengen*. Quod

A etiam scribitur *berengian*. Idem prorsus quod *bedengian* vel *bedengen*. Andreas Alpagus in Lexico suo notat arbores, quæ ferunt nucem *metel* folia habere similia melongenæ, & apud quosdam Arabes appellari *berbengine*, quasi similes melongenæ. Puto scribendum *berbrengine* aut *berberengine*. بربرنجانة *barberengine*, id est, agrestia melongena. Nam بر desertum & inculta regio. Unde بري *bari*, agreste ac silvestre. Planè videntur esse, quæ Græci barbari ἀγελομελιντζάνια appellant. Voces μελιντζάνον & ἀγελομελιντζανον sæpe apud Myrepsum occurrunt, non intellectæ Fuchsio. Adversus febres ardentes & sitim immodicam semen μελιντζάνε, & silvestris melenzani præcipit cum aliis refrigerantibus. Quod de istis melongenis Italicis & barberenginis intelligendum Arabicis. Quod enim σρύχνον antiquæ Græciæ his vocabulis bene reddi credunt Græci recentiores, sanè falluntur. Sed aliam plantam non habuere cognitam, quæ magis responderet strychno. *Solanum pomiferum* hodie quoque Herbarii neoterici vocant, cujus poma sicut ista μελαντζάνια Græcorum sive melongena. Et duo genera faciunt, unum fructu oblongo, alterum orbiculato. Poma aurea vulgò dicunt. Quod igitur pro strychno eduli Græci barbari passim usurpant vocem μελιντζάνιον, quæ melongenam significat & *berengian* vel *bedengian* Arabum, sciendum est plurimum differre. Sed nec mandragoræ poma sunt, ut quidam opinati. Arabes nominibus ista distinguunt. Strychnum edule vel hortense vocant عنب الثعلب *hanab althaleb*. Ita interpretatur Glossa Arabica τὸ σρύχνον κηπαῖον Dioscoridis. Id sonat Latinè *uvam vulpis*. Reperio etiam dici *lupinam uvam*. Glossæ Latinæ veteris versionis Alexandri Tralliani: *Strychnum, id est, solatrum, uva lupina, morella.* Græci λυκοσάφυλον pariter vocitant. Neophytus & Glossæ Iatricæ: σρύχνον κηπαῖον, οἱ δὲ ἥμερον, οἱ δὲ λυκοσάφυλον. *Morellam* dixere à nigris acinis. Macer in Herbario:

Herbam, quam Græci strychnon dixere, Latini
Morellam dicunt.

E Forte & morellæ nomen fecere, exprimere volentes τὸ μώριον Græcorum. Plinius etiam strychni soporiferi genus *morion* refert appellatum, quod est cognomen alterius mandragoræ, qui mala fert pastoribus dulcia, sed soporem inducentia. Mandragoram Arabes vocant اللفاح *allufa*. Ita habet Glossator Arabs Dioscoridis & Avisenæ. Idem *jabruha* appellat radicem mandragoræ silvestris يبروح & esse dicit اصل اللفاح البري *asel allufa albari*, radicem mandragoræ agrestis. Diversa igitur melongena sive *berengian* à mandragora & strychno eduli. Ut ad Plinium nostrum redeamus, ille nollet coronarios in Ægypto uti strychno, quos fatetur ad hoc invitatos hederæ florum similitudine. Quis illi dixit, aut unde didicit, solos Ægyptios admisisse strychnum ad coronas? Tam verum est hoc, quam quod alio loco strychnum inter eas herbas numerat, quas Ægyptii vulgariter in cibis usurparent. lib. XXI. cap. XV. *Parthenium, strychnum, corchorus.* Quæcunque ibi enumerat herbarum nomina, veluti in cibis apud Ægyptios vulgarium, à Theophrasto sumpsit, qui non Ægyptias, sed Græcas herbas edules totidem nominibus recenset; cujus & locus, quem hesc ad verbum vertit Plinius, ita legendus, vulgò insigniter mendosus: ἢ τὸ λάπαθον, ἢ ἡ ἀκαλήφη,

ἀκαλήφη, καὶ τὸ παρθένιον. τὸ δὲ στρύχνον καὶ ὠμὸν ἐσθίουσιν καὶ ἑφθόν, καὶ ἕτερα δὲ πλείω τούτων. ἐν οἷς καὶ παροιμιαζόμενός ἐστι διὰ πικρότητα κόρχορος. Nemo omnium olim dixit, κόρχορον Ægyptii soli peculiare olus fuisse. Sed nec aliud quidquam illorum, quæ ibi commemorantur. Edules omnes sunt in Græcia herbæ, quæ ab illis λάχανα vocantur. In his & strychnum, & corchorus, qui locum etiam fecit proverbio Græco: Καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις. Quo indicatur nihil adeo vile & comtemptibile reperiri, quin aliquando alicui sit usui ut corchorum, cui locus etiam in oleribus, licet amara & ingrata herba. Plinius adeo permansit in recepta semel persuasione, ut lib. XXI. cap. XXII. *Corchorum Alexandrini cibi herbam esse* voluerit. Demus & Alexandrinis gratam cibo & usitatam fuisse, non propterea Ægypti aut Alexandriæ propria; non magis profecto quam strychnon, & alia quæ ibidem referuntur, quorum omnium nomina formâ Græcâ percussa. Strychnon halicaccabum in coronamenta venisse scribit Dioscorides, non apud Ægyptios, sed apud Græcos; non flore, sed fructu. Verba ejus sic habent de strychno halicaccabo: καρπὸν δὲ ἔχει ἐν θυλακίοις περιφερέσιν ὁμοίοις φύσαις, πυρρόν, περιφερῆ, λεῖον ὡς ῥᾶγα σταφυλῆς, ᾧ καὶ οἱ στεφανηπλόκοι χρῶνται καταπλέκοντες τοῖς στεφάνοις. Coronarii acinos rubentes strychni halicaccabi sive vesicalis intexebant corollis. Cur nollet Plinius hoc strychnum adhibitum coronis? An quia soporiferum, aut lethale, aut ad insaniam faciendam accommodum putavit? Nihil horum. Etiamsi tale aliquid esset, nihil noceret in corona. Hoc genus strychni, quod ἁλικάκκαβον vocarunt, cujusque acini coronis addebantur à coronariis, innocens ad usum fuit. Memini me puerum sæpe aliquot acinos devorasse animi gratiâ. Et vidi, qui plures deglutirent absque noxa ulla vel saporis vel insaniæ. Quin immo eamdem vim in medicina habere, & eumdem usum ad salutaria præbuisse dicit Dioscorides ac strychnum hortensem: Δύναμιν δὲ ἔχει καὶ χρῆσιν τὴν αὐτὴν τῷ προειρημένῳ κηπευτῷ στρύχνῳ χωρὶς τοῦ βιβρώσκεσθαι. Innoxium prorsus per hæc esse indicat, & eo tantum differre ab hortensi & sativo, quod vulgo cibis non expeteretur, sed comederetur tantum, ut esset salutare. Comprehendisse & hoc strychni genus videtur Theophrastus sub strychni edulis genere, ut pote qui præter edule strychnum duo tantum alia genera agnoscat, soporiferum & furiosum: ὁ μὲν γὰρ ἐδώδιμος ὥσπερ ἥμερον καρπὸν ἔχων ῥαγώδη. Fortasse & hoc strychnum intellexit, cui fructus quasi mitior & ῥαγώδης, id est, instar acini uvę. Dioscorides ὡς ῥᾶγα σταφυλῆς. De strychno hortensi innuit idem Dioscorides, herbam ipsam esui fuisse: ἀβλαβὴς δὲ ἡ βοτάνη πρὸς γεῦσιν. Unde λάχανον, id est, olus hoc strychnum vocat Scholiastes Theocriti. Notum, quas herbas Græci dicant λάχανα. At ex strychno halicaccabo fructum edi solitum significat Theophrastus, quem καρπὸν ἥμερον appellat, & crudum mandi alibi testatur. Hujus itaque strychni acini coronis texti prorsus innoxii. Et malè metuit hic Plinius, ne quid ex illis fraudis fuerent coronarii. Nihil aliud quæsierunt in his quam fructûs gratiam, levis, rotundi, rubentis. Quem in coronamentis placuisse Græcis non mirabitur, qui meminerit scriptum Theophrasto, oxyacanthæ sive albæ spinæ nostræ fructum rubentem coronis aptatum ab antiquis coronariis, de quibus sic loquitur: χρῶνται δὲ τῶν ἀγρίων τῷ τῆς ὀξυακάνθου καρπῷ καὶ τῷ ἄνθει τῆς σμίλακος. Quomodo igitur stabit, quod scribit Plinius, coronarios qui strychno utuntur, ad coronas invitari ederæ florum similitudine? In strychno halicaccabo nulla florum ederæ similitudo. Nec flores in coronas veniebant, sed fructus, id est, acini. Immo nullum strychni genus est, qui floreat ut hedera. In strychno quidem hortensi baccæ racematim dependent rotundæ. Cæterum non hujus strychni, sed illius, quem proprie ἁλικάκκαβον nominarunt, acini coronis intertexti, sicut singuli suis folliculis inclusi habentur. Foliorum hederæ, non florum simili-

A
tudinem in strychno apparere libri Pliniani asserunt: *quos invitat hederæ foliorum similitudo in duobus ejus generibus.* Hoc etiam falsius quam prius. Utrique generi strychni folia hederæ tribuit. Quænam illa duo genera? *Quorum alterum, cui acini coccinei, granosi folliculi, halicaccabon vocant, alii callion.* Scribendum: *quorum alterum, cui acini coccinei, granosi in folliculis.* Vocat folliculos τὰς φύσας, in quibus acini sunt strychni halicaccabi. Ita enim eas appellat Dioscorides. Inde φυσαλλίδα hoc genus dixerunt Græci recentiores. Neophytus: φυσαλλίς, οἱ δὲ στρύχνον, οἱ δὲ ἁλικάκκαβον, Ῥωμαῖοι βισσικαλίς. Plinius addit: *Halicaccabum vocant, alii callion, nostri vesicariam, quoniam vesicæ & calculis prodest.* Hoc Plinius de suo adsuit interpretamentum: Nam *vesicaria* dicta, quod folliculus, qui acinos halicaccabi ampectitur, vesicæ similis sit. Dioscorides: καρπὸν δὲ ἔχει ἐν θυλακίοις περιφερέσιν ὁμοίοις φύσαις. Antiqui Græci κύστιον ab eadem ratione hoc strychnum dixere. Nam κύστις est vesica. Hesychius: κύστιον, τὸ ἁλικάκκαβον, κύστις ἡ φύσα. Descriptionem subjicit Plinius, quæ partim pertinet ad hoc halicaccabum, partim ad strychnum soporiferum: *Frutex est surculosus*
C
verius quam herba, folliculis magnis laxisque & turbinatis, grandi intus acino, qui maturescit Novembri mense. Grandis acinus, folliculi magni laxique & turbinati, pertinent ad halicaccabum sic proprie dictum. Quod dicit fruticem esse surculosum potius quam herbam, id spectat soporiferum strychnum, quod quidam etiam ἁλικάκκαβον appellarunt. Dioscorides: Στρύχνον ὑπνωτικόν, οἱ δὲ ἁλικάκκαβον, οἱ δὲ κακκαλίαν καλοῦσι, θάμνος ἐστὶ κλάδους ἔχων πολλούς, πυκνούς. Utrumque halicaccabum pro uno accepisse vel ex eo patet, quod non duo posuerit, & utriusque appellationem descriptionemque confuderit. Secundum halicaccabum κακκαλίαν
D
etiam vocatum liber optimus adstruit. Atqui ita etiam legendum in Plinio: *Halicaccabum vocant, alii caccalian.* Forte quod caccaliæ baccas similes haberet. Nam *cacalia*, auctore Plinio, *sive leontice vocatur semen margaritis minutis simile, dependens inter folia grandia.* Quo loco melior videtur lectio, quam suggerunt libri, *Cacalia sive leantice.* Atque ita reperio in antiquis libris Dioscoridis: Κακαλία, οἱ δὲ λεαντικὴν καλοῦσι. Nominis hujus ratio ἀπὸ τοῦ λεαίνειν, quod arteriam exasperatam molliat ac leviget, τὰς τραχύτητας τῆς ἀρτηρίας θεραπεύει. Hæc flores habet in antiquo codice, non quercui aut oleæ similes, sed bryoniæ: ἄνθος ἔχων ἐοικὸς βρυωνίᾳ.
E
Longè igitur absunt ab ejus cognitione diligentes herbarum inquisitores. Ad strychnum ut revertamur, jam ex Plinio tenemus duo genera ab ipso proposita. Unum, quo coronarii utebantur; alterum halicaccabum vocatum. In nullo horum folia aut flores hederam similitudine aliqua attingunt, ut voluit Plinius. Addit de tertio his verbis: *Tertio folia sunt ocimi, minimè diligenter demonstranda, remedia non venena tractanti: quippe insaniam facit.* Hoc est μανικὸν στρύχνον, quod & tertium Theophrasto ponitur lib. VII. cap. XIV. Nam posito eduli, duo præterea narrat esse genera, ὧν ὁ μὲν ὕπνον, ὁ δὲ μανίαν ἐμποιεῖν δύναται. Hoc strychnum folia erucæ habere Theophrasto &
F
Dioscoridi dicitur. Cur Plinio libitum sit vertere *ocimum*, quod in Græcis est εὔζωμον, plane nescio: nisi dicas deceptum similitudine Græci nominis εὔζωμον cum Latino *ocimum.* Magis etiam mirum est, quod eodem capite paulo post tertium hoc strychnum in cibis commendari prodit, quod paulo ante dixerat facere insaniam: *Commendetur & in cibis tertium genus licet, præferatur hortensium saporibus, & nihil sit corporis malorum, cui non salutares trychnos Xenocrates prædicet, non tamen auxilia eorum tanti sunt.* Sic legendus hic locus
G
ex vestigiis veteris scripturæ, & de edulibus atque hortensibus trychnis capiendus, qui in totum distant genere ab aliis cognominibus, somnifero & furioso. Non igitur tertium genus cibis commendatur, si modo tertium est, cujus paulo ante meminit, cum his nominibus ad hunc modum corrigendis: *Hoc est venenum, quod innocentissimi doctores simpliciter dorycnion appellavere, ab eo quod cuspides in præliis tingerentur illo passim nascente: qui parcius inspectabant, manicon nominavere: qui nequiter occultabant, anhydron aut pentodryon,*

aut

aut ut nonnulli periſſon, ne cavendi quidem cauſà curioſius dicendum. Nomina hæc peſſimè corrupta vulgo in Plinianis editionibus, quæ partim ex libris ejus ſcriptis, partim ex antiquiſſimo Dioſcoridis codice reſtituimus: τεύχνον μανικὸν, ὃ ἔνιοι πέρσιον, οἱ δὲ περισσὸν, οἱ δὲ ἄνυδρον, οἱ δὲ πεντόδρυον ἐκάλεσαν. Hæc ſola legitima, cætera ſpuria ſunt. Capite illo libroque ſupraſcripto Plinius, ut dixi, genera ſtrychnorum proſequutus eſt conſuetâ turbatione, τὰ ἑτερογενῆ miſcens, & minimè cognata jungens in unum. Solani vero toto illo tractatu nuſquam meminit. Atqui Celſus tradidit, Romanos vocare *ſolanum*, quod Græcis, στρύχνον diceretur. Id Plinius noſter alio loco repoſuit, quaſi ſolanum illud ſtrychnumve diverſum foret ab illo ſtrychno, de quo egit capite ſupraſcripto. *Solanum*, inquit, *Græci ſtrychnon vocant, ut tradit Cornelius Celſus. Huic vis reprimendi refrigerandique.* Hæc habentur lib. XXVII. cap. XIII. Faxo jam & aliud ejus peccatum in hac eadem re inſpicias. Strychni hortenſis hiſtoriam alibi exequutus eſt ſub nomine *cucubali.* Putavit nempe diverſum hoc cucubalum à ſtrychno hortenſi, de quo loquutus eſt lib. XXI. Verba ejus ſic habent, ut legenda ſunt lib. XXVII. cap. VIII. *Cucubali folia trita cum aceto, ſerpentium ictibus & ſcorpionum mederi. Quidam hanc alio nomine ſtrumum appellant, Græci ſtrychnon. Acinos habet nigros.* Hic eſt ſtrychnus hortenſis, quem & *ſtrumum* quidam ex Latinis vocarunt, quod ſtrumis mederetur, alii *cucubalum.* Neophytus: Στρύχνος κηπαῖος, οἱ δὲ ἥμερον, Ῥωμαῖοι κουκούβαλον. Neſcio unde fictum ſit id nominis, niſi corruptum ex κάκκαβος. Unde & ἁλικάκκαβος genus ſtrychni ſimile ſativo, & æquè innocens, quod ejus folliculi figuram ollarum haberent, τῶν κακκάβων. Loti arboris fructum Græci etiam ſic vocarunt à ſimilitudine fortaſſe, quam habet cum acinis ſtrychni veſicalis, ſive halicaccabi. Heſychius: ἁλικάκκαβος ὁ τοῦ λωτοῦ καρπὸς καὶ πόας εἶδος. Inde hodieque lotus arbor à Græcis vulgaribus vocatur *cacavia.* Acinos halicacca[illegible], [illegible]miles ſunt ceraſis, Græci iidem vulgares χαμαικέρασα vocant. Neophytus: φυσαλλὶς, οἱ δὲ στρύχνον, οἱ δὲ ἁλικάκκαβον, Ῥωμαῖοι βισικαλὶς, κοινῶς χαμαικέρασον, ἄλλοι τῆς καλῆς κυρᾶς ἄνθος. Cæterum ſtrychni quoque genus eſt, quod Italis vulgo appellatur *bella donna.* Græcsi quoque, ut ex Neophyto conſtat, καλῆς κυρᾶς ἄνθος, id eſt, flos bellæ dominæ: ſed diverſum eſt ab halicaccabo ſtrychnum illud, & ſolanum majus nuncupant Herbarii hodierni. Fructum autem loti, quem ἁλικάκκαβον etiam Græci vocarunt, ceraſis ſimilem eſſe tradunt veteres juxta ac recentes. De loto enim intelligenda, quæ ſcribit Leo Africanus capite de Zarfa: *ſunt & ibidem ſpinoſæ multæ arbores, fructu minore quam ceraſi, ſapore fermè ziziphorum, Arabes vocant rabich.* Vide, quæ ſupra notamus. Notum eſt autem ſtrychnum halicaccabum vocari ab Arabibus كاكنج *kekengi:* ex illo κάκκαβον vel κακκάβιον, & cum articulo الكاكنج *alkekengi.* Plinius ſtrychnum manicum *dorycnion* etiam nominatum tradit: *Hoc eſt venenum, quod innocentiſſimi auctores ſimpliciter dorycnion appellavere, ab eo quod cuſpides in prœliis tingerentur illo paſſim naſcente.* Dioſcorides quoque, ubi ſimplicia venena recenſet lib. VI. dorycnion ab nonnullis vocari dicit στρύχνον μανικόν. At lib. IV. ea diſtinguit ac ſeorſim de utroque ſcribit. In Lexico Græco-arabico δορύκνιον invenio interpretatum χανὰβ θαλὲβ, id eſt, uva vulpis. Quod etiam cognomen eſt ſolani hortenſis ſive ſtrychni, & ſativi.

CAPUT LVI.

De cammaro.

INter ſynonyma mandragoræ κάμμαρον etiam legitur. puto ſcribendum κάμμορον. Hoc nomen circa multa venena occupatur. Hippocrates inter remedia refrigerantia ponit: τὸν πυρετὸν ψυκτηρίῳ φαρμάκῳ ἐκλύειν ἢ καμμόρῳ ἢ ἄλλῳ τοιούτῳ. Quid eſſet κάμμορον eo loco Hippocratis, ſatis quæſitum ab antiquis Criticis ac Medicis, quorum opiniones refert Erotianus in Lexico. Diodorus Grammaticus & Zenon Hierophili ſectator ſcripſere, Dorici generis Italiotas ita vocare cicutam, quaſi κακόμορον. Et ſane nihil verius, quam κάμμορον idem eſſe Dorice & Ætolice, quod κακόμορον. Quidam legebant κάμαρον, ut Lycus Neapolitanus, qui τὸ ἀλειπτήριον exponebat, id eſt, inſtrumentum ungendo aptum, ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ πλεῖστον καμαρωτοῦ σκευασίας, à figura arcuata. Κάμμορον etiam appellatum Theophraſti thelyphonum, à lethali pernicie. Ex quo primum genus aconiti fecit Dioſcorides: Ἀκόνιτον, οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμορον, οἱ δὲ θηλύφονον. Nonnulli de hoc cammoro locum Hippocratis accipiendum cenſuerunt. Erotianus ad eum locum: Διοσκουρίδης ἐν τῷ ε τῶν ὑλικῶν φησι τὸ ἀκόνιτον εἰρῆσθαι ὑπό τινων κάμμορον, ὡς θηλύφονον. De hoc aconito negat poſſe intelligi verba Hippocratis Galenus, qui κάμμαρον legit pro κάμμορον; & eſſe animal dicit ſquillæ parvæ marinæ ſimile, cujus figuram quia referret radix hujus aconiti, dictum eſſe κάμμαρον. Hæc ejus verba ſunt: κάμμαρον τῇ σμικρᾷ καρίδι ἐοικὸς ζῶον καὶ ἀπὸ τῆς πρὸς τοῦτο τῶν ῥιζῶν ὁμοιότητος τὸ ἀκόνιτον. *Cammarum* intelligit. Nam & ſic Latini vocarunt τὴν καρίδα. Sed nihil falſius illâ Galeni ſententiâ ſuper hac lectione & ejus etymo. Non enim κάμμαρον, ſed κάμμορον dictum hoc genus aconiti, id eſt, κακόμορον. Præterea non illud aconitum, quod κάμμορον appellatur, radicem habet ſimilem cammaro, ſed ſcorpii caudæ. At genus alterum, cui radices cirris marinæ ſquillæ ſimiles, nuſquam legitur vocatum κάμμορον, vel κάμμαρον. Proprius hic igitur error Galeni. Nam Erotianus antiquior ipſo, in commemorandis variis veterum expoſitionibus ſuper hoc Hippocratis καμμόρῳ, non hujus meminit. Germanam huic prorſus hallucinationem objectam Plinio circa nomen καμμόρου aconiti docuimus in Exercitationibus. Quidam & mandragoram ſic vocarunt. Aut igitur hunc aut cicutam Hippocrates intellexerit oportet, cum τὸ κάμμορον inter ψυκτήρια φάρμακα retulit. A venenis ad fruges laudandas tranſimus. Quæramus ergo in his eventilandis ὁμωνυμίας. Nec longè ſunt. Ecce enim in promptu ac ſub manum.

CAPUT LVII.

De zea.

Ζέα inter coghomina sive *συνώνυμα* potius libanotidis recensetur à Dioscoride: Λιβανωτὶς δισσὴ, ἡ μὲν τις κάρπιμος, ὑπ' ἐνίων δὲ ζέα, ἡ καμψάνεμα καλουμένη: ἧς ὁ καρπὸς κάχρυς καλεῖται. Non dubitandum, quin hæc sint Dioscoridis, ut pote quæ vetustissimus ac fidelissimus liber etiam agnoscat. Sed vereor, ne ὁμωνυμία vocis κάχρυς illi imposuerit, quam & quidam posuere pro genere tritici. Hesychius: in dictione καχρύδιον: καὶ βοτάνη ἡ λιβανωτὶς καὶ τῆς πεύκης ἡ βλάστησις καὶ πυροί τινες. Zeam ita appellasse videntur, quod genus inter triticum & hordeum Veteres constituunt: κάχρυς autem propriè de grano hordei tosto Græcis dicitur. Hesychius πυρὲς τινας, etiam appellari eo nomine notat. Sic zeam vocarunt, quam τροφιμώτερον hordeo tradit Dioscorides. Arabes *herthaman* هرطمان. Eam Avisena facultate hordei præditam; & medium quid inter hordeum & triticum esse dicit. Pro ea κάχρυν etiam Græci dixere, quo nomine & λιβανωτὶς appellatur. Non tamen λιβανωτὶς ζέα. Si non fallus & Dioscorides, ὁμώνυμα oportet fuerit ζέα pro libanotide, & ζέα pro tritici genere, ut κάχρυς res diversas significat & utrumvis horum. Hoc ipsum ζέα, cum de tritico sumitur, non unam habet significationem, & multum variat ac vagatur circa plures tritici species. Græci recentiores ζέαν in suis Lexicis interpretantur σπέλτον. Glossæ Iatricæ Nicomedis Iatrosophistæ: Ζέα, σπέλτον. Hæc est quam *speltam* vulgò dicimus, veteri & ipso vocabulo. Profecto ζέα sicut à Dioscoride describitur, non dubium est esse speltam. Duo genera facit, μονόκοκκον ac δίκοκκον, quæ in duplici folliculo conjunctum habet granum. Glossæ Latinæ: *Spelta* ζέα. Theophrasti quoque ζεία eadem videtur cum spelta, cujus semen κουφότατον esse scribit, καὶ προσφιλὴς πᾶσι τοῖς ζώοις. Si levissima est ζέα ex sententia Theophrasti, non potest videri eadem cum zea Mnesithei apud Athenæum, qui panem ex ea fieri gravissimum & concoqui difficilem, si nimius ingeratur stomacho, eoque non salubrem esse vescentibus. Vide Athenæum lib. III. quo loco Vir doctus adnotat, hoc ita audiendum, si panem ex zea cum pane, qui fit ex tipha, compares. Immo nullam comparationem admittunt verba Mnesithei, quæ leguntur integra apud Athenæum lib. II. de alimentorum facultate, ubi docet non assuetos pani ex zea facto, ne si modicum quidem sumpserint, posse perficere: adeo concoctioni adversatur & stomacho gravis est. Τὸν δὲ, inquit, τῶν ζειῶν ἄρτον ἄδην μὲν ἐσθίων οὐδεὶς ἂν ὑγιαίνοι, τῶν δ' ἀσυνήθων τῆς ἐδωδῆς ταύτης οὐδ' εἰ παντάπασιν ὀλίγον· ἔστι γὰρ βαρὺ καὶ δύσπεπτον. Ex his satis liquet, zeam Mnesithei non posse eamdem esse cum zea Theophrasti & antiquorum Græcorum. Quin immo addit ibidem Mnesitheus, qui regionem colunt frigoribus obnoxiam & cæterarum frugum impatientem, serere istam, & vesci eâ coactos, quia validum sit hoc genus tritici, & adversum frigora resistat: cæterum multum laborare, ut assuescant pani, qui inde fit, & per gradus id facere, dum primò parcius sumunt, deinde largius, & sic diuturno usu ac sæpe edendo familiarem sibi cibum reddunt. Talem se vidisse frugem refert ibidem Galenus, qualem describit Mnesitheus sub nomine ζειᾶς, quæ panem atrum faceret, & mali odoris: γίνεται δὲ, inquit, ἄρτος ἐκ σπέρματος τούτου δυσώδης τε καὶ μέλας: Hæc non conveniunt cum pane, qui fit ex zea quæ spelta est: candidissimus quippe est, ac levissimus. Sed unicè quadrant, quæ de illa zea narrantur, cum secale de qua Plinius: *Secale Taurini sub Alpibus asiam vocant, deterrimum, & tantum ad arcendam famem utile, fœcundâ sed gracili stipulâ, nigritia triste pondere præcipuum. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudi-*

A *nem ejus; & tamen sic quoque ingratissimum ventri.* Quin & vocabulum Taurinorum asia videtur corruptum ex Græco illo ζειά. Quocunque solo nasci illud *secale* Plinius addit, idque etiam rectè cadit in zeam Mnesithei, quæ locis nascitur ferre aliam frugem negantibus ob frigoris injurias. Zeam sunt qui cum olyra eamdem faciant. Herodotus de Ægyptiis: ἀπ' ὀλυρῶν ποιοῦνται τὰ σιτία ἃς ζέας μετεξέτεροι καλοῦσι. Hesychius: Ζειαὶ οἱ μὲν σίτου εἶδος, οἱ δὲ τὰς ὀλύρας. Ecce rursus, qui ὄλυραν de secale interpretantur. Nicomedes: ὄλυρα, σῖτος λεγόμενος σεκάλης.
B Plinianum *secale* intelligit. Dioscorides olyram ejusdem generis esse cum zea tradit. Atqui ejus zea spelta est. Non igitur ejusdem ὀλύρα eadem cum secale: nec enim idem genus cum eo constituit. Sed commodè occurrit idem Mnesitheus apud Athenæum, qui ὀλύρας separat ἀπὸ τῶν ζειῶν & eadem statuit cum tiphis: οἱ μὲν γὰρ τίφας, οἱ δὲ ὀλύρας καλοῦσι· μετὰ ταῦτα δὲ ζειαὶ καὶ κέγχροι. *Zea* Mnesitheo aut secale est aut secali simile, & multum ab olyra distat: ideo diversas facit. Cæterum olyra illa, quæ juxta Mnesitheum diversa est à zea, quam describit, eadem est cum zea, qualis à cæteris describitur. Sic omnino diversas esse li-
C quet zeam Mnesithei & zeam Dioscoridis. Hæc vel eadem cum olyra, vel ejusdem generis; illa vel eadem cum secale, vel ejusdem generis. Profecto quantum inter *speltam* & *secale* interest, tantum distat zea Dioscoridis a zea Mnesithei. Inde Auctores de zea tradunt, quæ sub eamdem speciem cadere non possunt. Zeam Mnesithei, quæ secale est, ὑμενωδεστάτην, id est, multis tunicis vestitam Galenus asserit. Quod zeæ, quæ spelta est, egregie convenit; non item secali. Hoc facillimè de folliculo vel gluma exit; illa diffi-cillimè & duplici velata tunica ad hoc factas molen-
D dinas exigit, ut exteri queat. Quod *secale* vocat Plinius. Liber censuum Ecclesiæ Rhemensis ab octingentis hinc annis scriptus, ut certo pignore codex ipse probat, compositum se clamans, anno incarnationis Domini DCCCLXI. Episcopatûs autem Domini Hincmari XVII. *Sigilum* appellat, & tria hæc tritici genera in Rhemensi territorio seri solita nominat, *frumentum*, *sigilum*, & *speltam*: *Sunt ibi adspicientes inter majores & minores campi* XLVI. *continentes mappas* C. *ubi possunt seminari de frumento modii* XXIV. *de sigilo modii* XXX. *de spelta modii* LXXXV. Et ita alibi passim. Ubi *sigilum* est secale. Quod hodieque no-
E men retinemus. *Frumentum* ibi vocatur pro certa specie quam Romani *triticum*, Græci πυρὸν dicebant. At frumentum veteris Latinitatis generalis erat appellatio omnium triticeorum, πάντων τῶν σιτηρῶν. Græci σῖτον vocant. Hodie ut plurimum sigilo mixtum triticum serimus, quod *mixtale* appellatur in illo censuum Rhemensi codice, & sic quoque nunc vocamus. Hoc est, quod etiam Plinius dicit, secali far admisceri ad mitigandam ejus
F amaritudinem. Sed in pane tantum conficiendo, non in serendo semine eam fieri mixturam intelligit. Hodie fit inter seminandum. Vulgatissima hoc tempore in Gallia frumenti genera, quæ seminantur, triticum quod *frumentum* dicitur, secale quod *sigilum*, & spelta. Plinius vulgatissima apud Romanos suo tempore genera refert in Italia seri siligita, *far quod adoreum veteres appellavere*, *siliginem*, *triticum*. Hæc explicanda & cum nostris Græcisque pariter comparanda. Verum est, quod idem Plinius pronuntiat, nec eadem genera ubi-
G que, nec ubi eadem sunt, iisdem nominibus ferri. Illud constat, quod *frumentum* vulgò vocitamus, Latinorum esse triticum, Græcorum πυρόν. Quæ nobis *spelta* est, placuit plerisque Græcis ζέαν appellari. Sed distinguendum de ζέᾳ. Documus enim aliam esse Mnesithei, aliam Dioscoridis, ut illis contenti simus, qui

A qui rem medicam tractarunt. Zea Dioscoridis, ut eadem sit cum spelta nostra, nihil video quod refragetur. Sed quærendum, quam dicimus *speltam*, quo nomine antiquis appellata. Ut duo hodie notissima frumenti genera *triticum* & *spelta*, ita Romanis *triticum* & *far*. An ergo far Romanorum spelta nostra? Certè ζέαν Græcorum plerique omnes veteres Grammatici sic exponunt, quam docuimus esse speltam. Latini quoque in eadem sententia. Glossæ optimæ: *Far*, ζεὰ ὄλυρα. Glossæ Servii: *far, farris*, ζεὰ ὄλυρα. Far illud *adoreum* dixerunt, & ador idem cum farre. Certe *ador* factum ex olyra. Nam *alor* prius videntur
B dixisse: & mutatio hæc tralaticia. Sic ex Græco ἀλεῖφ Latinum mutuatum *adeps*. Et *Melicæ* Gallinæ pro Medicis. Ador etiam ζεὰ exponitur. Glossæ: *ador*, ζεά. *Ador*, ὄλυρα. Eamdem porro esse ὄλυραν ac ζειὰν testimonio Herodoti supra probavimus. Si ζεὰ spelta est, ut plerisque placet, certè spelta erit far. Plinius dicit zeâ uti, qui far non habent, sed zeam à farre distinguit. Esse hanc Italiæ in Campania maximè memorat, semenque appellari. *Hoc habet*, inquit, *nomen res præclara, ut mox docebimus, propter quam Homerus* ζείδωρος ἄρουρα *dixit, non ut multi arbitrantur, quod vitam donaret.* Plinio parum credo. Potest fieri ut *semen* Campania appellaret per excellen-
C tiam, quod Romanis far appellaretur? Sed quis dixit Plinio, id quod semen Campania vocitabat, esse Græcorum ζέαν? Vidimus contra, omnes Latinum *far* Græcè ζειὰν interpretari. De farre adjicit idem, *ex omni genere durissimum esse far, & contra hiemes firmissimum, patique frigidissimos locos.* Hoc etiam de spelta verum est, quam locis etiam frigidissimis nasci certum. In Germaniæ rigentibus regionibus optima nascitur, & pulcherrimum ex eo panem conficiunt. De zea hoc itidem scripsit Mnesitheus, μάλιστα ἀντέχειν τοῖς ψύχεσι. De zea tamen ingratâ ventri, & nigrum ponderosumque panem dante loquitur, quæ alia est ab hac zea Plinii, quam pulcherrimam rem esse dicit. Certè
D & secale, quod docuimus respondere zeæ Mnesithei, etiam contra hiemes firmum est, & frigidiorum locorum patiens. Homerus ex antiquissimis præcipua duo ac veluti summa genera frumenti recenset, πυροὺς & ζειάς:

Πυροί τε ζειαί τε, ἠδ' εὐρυφυὲς κρῖ λευκόν.

Per πυροὺς quin triticum intelligat, nemo dubitat. Per ζειὰς fortasse speltam sive far adoreum Romanorum. Hæc enim duo genera frumenti plurimis terris communia, ut ipse Plinius disertè testatur, qui tertium genus adjicit, *siliginem*. Sed quænam illa siligo, quæ diversa traditur tam à farre quam à tritico? Quæ-
E dam veteres Glossæ ὄλυραν exponunt: Sed ὄλυρα ador est vel far. Aliæ Glossæ σεμίδαλιν interpretantur: *siligo* σεμίδαλις. Sed σεμίδαλις frumenti genus non est, sed ex frumento fit. Græci tamen huic expositioni suffragantur in his Glossis Iatricis: Σίλιγνις παρὰ Ῥωμαίοις, ἡ Ἑλληνιστὶ σεμίδαλις ὀνομαζομένη. Si cui parum certa hæc videtur auctoritas, dabo certiorem, quam fortasse non revocabunt in dubium. Galenus est, qui de panum differentiis agens σιλιγνίτην quidem discernit ἀπὸ τοῦ σεμιδαλίτου, sed ita ut appareat per siliginem non intelligere genus frumenti. Verba ejus subjiciam: ὁ μὲν καθαρώτατος ἄρτος καλεῖται σιλιγνίτης, ὁ δὲ ἐφεξῆς σεμι-
F δαλίτης, ἀλλ' ἡ μὲν σεμίδαλις Ἑλληνικόν τε καὶ παλαιόν, σίλιγνις δὲ οὐχ Ἑλληνικόν. ἑτέρως δὲ αὐτὴν ὀνομάζειν οὐκ ἔχω. Satis bellè asserit σίλιγνις non esse Græcum vocabulum, sed miror non addidisse, è Latio venire. Σίλιγνις depravatum ex *siliginis*. Dixere & σιλίγνιον. Unde σιλιγνίου ζύμη apud Veterinarios. Glossæ: σιλίγνιον, *siligo*. Inde σιλιγνίτης ἄρτος, qui Latinis *siligineus*. Nitidissimum panem sic vocarunt Glossæ Servii: Siligineus panis, καθαρὸς ἄρτος. Hinc & *siligineus Priapus* Martiali in lemmate, ex siligine factus. Hic
G σιλιγνίτης ἄρτος Galeni, qui καθαρώτατον exponit: quo loco non panis differentias explicat, quæ ex diversis frumenti generibus, sed quæ ex variis procedunt panificii modis & farinæ qualitate. Τροφιμώτατος δὲ, inquit, ὁ σιλιγνίτης αὐτῶν, ἐφεξῆς δὲ ὁ σεμιδαλίτης καὶ τρίτος ὁ μέσος καὶ συγκομιστικὸς ὁ καὶ αὐτοπυρίτης, ἐφ' ᾧ τέταρτός ἐστι τὸ τῶν ῥυπαρῶν εἶδος, ὧν ἔσχατος ὁ πιτυρίας, ὃς δὴ καὶ ἀτροφώτατός ἐστι. Hi Hi sunt gradus, quibus descenditur à primæ notæ pane ad deterrimum. Per eosdem numeros licebit ascendas à pessimo ad optimum. Ult[illegible]us [illegible] panis ὁ πιτυρίας furfuraceus, qui ex meris furfuribus conficitur; nec ad hominum usum, sed canum. Sequens conditio est τῶν ῥυπαρῶν: atros panes & sordidos Latinè dixeris. *Ater panis* Terentio. Comœdia Græca φαιοὺς ἄρτους dixit, ut Alexis, qui candidis eos opposuit:

Λευκοὺς μὲν ὀκτώ, τοὺς δὲ φαιῶν τοὺς ἴσους.

De panibus loquitur. Hi plus furfuris quàm farinæ habuere, non tamen mero furfure constabant. Tertia sors eorum, quos αὐτοπυρίτας Græci appellant. E farina confectos licet intelligere, qualis adfertur à mola, è puro tritico, cui nihil furfuris demptum est. Hoc nomen αὐτοπυρίτης sonat. Idem & συγκομιστὸς vel συγκομιστικὸς dicebatur, quod scilicet è frumento fieret, quale collectum esset. Συγκομιδὴ est fructuum collectio. Unde συγκομιστήρια sacrificium, quod moris erat fieri ob fructuum collectionem, ἐπὶ καρπῶν συγκομιδῇ. Diphilus apud Athenæum συγκομιστὸν exponit, ἐξ ἀσήστων ἀλεύρων, ex farina non excussa. Post hunc ad meliora procedentibus occurrit σεμιδαλίτης. Hic jam purior ac nitidior panis, ex purgata farina & cribro excussa factus, σεμίδαλις Græce dicitur, Latine *simila* vel *similago*. Glossæ: *similago*, σεμίδαλις. Eædem: *simila*, σεμίδαλις. Ex omni genere frumenti potest fieri, sed laudatissima è tritico, ut asserit Plinius. Martialis in lemmate, *Simila ex tritico:*

Nec poteris similæ dotes numerare nec usus,
Pistori toties cum sit & apta coquo.

Ex ea ergo pistoria omne genus opera, placentæ, crustula, libæ. Coqui etiam quæcunque ad culinam usus erat, ex ea parabant. Pollux: ἀπὸ δὲ σίτου, σεμίδαλις καὶ χόνδρος. Isidorus *similam* interpretatur *subtilissimam farinam*. Quam subtilis esset, Plinius indicat; qui justum esse dicit, Africi tritici è modiis farinæ redire semodios similaginis. *Similago*, inquit, *è tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est è modiis redire semodios & pollinis sextarios quinque.* Delicatissimam oportet fuisse similaginem, si quidem ex modio farinæ sive farris moliti non plus quam semodius similaginis educeretur. Hodie panis candidus apud pistores fit, quibus ex sedecim sextariis farinæ, legitimum est decem similaginis sextarios redire. Aliquando plus, aliquando redit minus. Et gradus recipit res ista pro candore panis, qui conficiendus est. Ad quam rem non tantum pertinent cribri genera delicatiora, sed etiam farinæ ratio, prout crassiore modo aut delicatiore molita est. Certum quippe est longè minus similaginis reddere, quæ crassius molita est, & panem ex ejusmodi similagine esse candidiorem. Furfures nempe solidi remanent, & sola transit purissima farina. Cribrorum tamen facies diversæ hoc faciunt. *Cribri pollinarii* mentio apud Plautum & Plinium, quo pollinem succerni moris fuit. Habuit itaque & suum cribrum similago, quo succerneretur. Hoc *farinarium cribrum* Plinio dicitur, quod Græcis ἀλευρότερον. Panes plebeji & proprio cribro, non illo delicatissimo, purgabantur, cujus meminit Satyricus: *& populi cribro decussa farina.* Alia hodie fiunt ex setis equinis, alia ex lino, alia etiam ex laneo panno. Quæ ex setis facta sunt, *sassos* vocamus, & *sassare* cribro ejusmodi farinam transmittere. Id ex Latino venit *squassare* pro excussare vel exquassare. Ut *sposita* pro exposita: sceptoria pro exceptoria, & similia sexcenta, de quibus alibi. Gallorum inventis adscribit Plinius cribri genus ex setis: *cribrorum genera Galli è setis equorum invenere.* Durant hodieque. *Hispani è lino excussoria & pollinaria.* Σησικά. Inde fortasse *sassi* nomen. Tamissos vocamus, quæ ex lino vel lana, quasi *tramissos* à transmittenda farina. Addit Plinius: *Ægyptus è papyro atque junco.* Hoc genus proprie κόσκινον Græci vocarunt, si Polluci credimus: τὸ δὲ ἐργαλεῖον ἐν ᾧ τὰ ἄλευρα διεσήθετο, τὸ μὲν ἐκ σχοίνων πλέγμα κόσκινον. Ægyptii è papyro, sed Græci è junco texta habuere cribra: Iidem vero dixere ἀλευρότησιν cribrum ex linteo. Grammatici: εἰ δὲ τοῦ κοσκίνου κύκλῳ ἀντὶ τοῦ σχοίνου λινοῦν τι σινδόνιον εἴη ἐξηρτημένον ὡς ἀκριβέστερόν τι ἄλευρον καθαίροιτο, ἀλευρότησις ἐκαλεῖτο. Hesychius:

sychius: Ἀλευρότησις εἰς ἣν τὰ ἄλευρα διαττήθουσι. Rectè sanè. Nam unicuique farinæ generi suum fuit dicatum cribrum. Delicatius molitam delicatiore etiam cribro decuti mos erat. Tale est ex linteo. Suis etiam nominibus vocabantur farinæ, quæ alio & alio modo molitæ essent. Subtilius comminutam molâ dicebant ἄλευρον: crassius frensam, κρίμνον. Inter utramque modicè molitam ἄλφιτον. Galenus: Ἄλφιτα παντὸς ἀληλεσμένου καρποῦ τὸ σύμμετρον τῷ μεγέθει θρύμμα ὀνομάζεται. τὰ μὲν γὰρ μείζω κρίμνα, τὰ δὲ ἐλάττω ἄλευρα. Inde ἄρτος ἀλευρίτης, qui ex minutissima farina, χονδρίτης qui ex crassiore. De quo infra. Κρησέρα etiam cribri genus ex laneo texto. Pollux: κρησέρα ἐξ ἐρίου. Suidas περιβόλαιον κοσκίνων exponit. Ita corrigendum pro κόφινον. Pro generibus etiam frumenti varia extitere cribrorum genera. Alia ad hordeum purgandum, alia ad triticum facta. Unde κόσκινον κριθοπιὸν in Δημιοπράτοις apud Pollucem, & κόσκινον αἰρόπινον Aristophani, eodem citante. Hesychius legit αἰρόπιον & exponit κόσκινον ἐν ᾧ πυροὶ σήθονται. Diversa sanè cribra fuere, quibus solidum granum purgabatur, & quibus farina molita decutiebatur. *Cribrum* propriè hodie vocamus, quo frumenta solida succernuntur. Ex pergameno fit crebris foraminibus pertuso, quæ sordes transmittunt & vitiosa grana ut lolium, puro intus, ac sincero tritici grano residente. Inde αἰρόπινον κοσκινον & κριθόπινον. Quibus autem farina excutitur ac cernitur, *sassos* & *tamißos* nominamus. Latini cribrum de utroque genere dixere, ut Græci κόσκινα. *Cerniculum* etiam nuncuparunt. Glossæ: *Cerniculum*, σύγκλεισις. Item: *incerniculum*, τηλία. Græcis τηλία propriè circulus cribri. Sed hæc obiter. Similaginis subtilitas ac puritas non tantum molæ discrimine constat, sed etiam cribri. Hæc Græcè σεμίδαλις, & inde panis σεμιδαλίτης. Non hic tamen panis purissimus. Adhuc habuit, quo progrederetur. Sed Galenus videtur caruisse Græco nomine, quo exprimeret id genus, qui candidior nitidiorque semidalite fuit. Σιλιγνίτην itaque Latina voce nuncupavit, id est, *siligineum*. Ergo *siligo* Latinis non genus tritici, sed veluti flos similaginis. Certè σίλιγνιν ita Græci accepere. Et ratio nominis hoc planè vult. Constat quippe, candore ac nitore præcipuum panem Latinis dictum *siligineum*. Si de aliquo tritici genere vox hæc esset intelligenda, sordidus atque ater panis æque posset hoc vocabulo designari, quam nitidus ac mundus. Nec enim ex tritico exempli gratiâ unius modi aut generis fit panis. Et ater & candidus ex eodem genere confici potest, qui tamen ex æquo triticeus appellari mereatur. Cur enim σεμιδαλίτης ἄρτος triticeus potius quam αὐτοπυρίτης, si uterque ex tritico compositus? Immo hunc magis jure suo vocaverim triticeum, qui solo solidoque constat tritico, cui nihil dempsisset cerniculum. Idem de siligine dici convenit, siquidem siligo genus sit tritici. Siliginem panem non eum duntaxat dixero, qui ex subtilissima farinæ siligineæ parte confectus sit, sed etiam qui ex tota siligine, quæ furfuribus constat & farina. Nec juvabit dicere, quod adstruit Plinius, siliginem candorem esse sine virtute, sine pondere. Quantumlibet candida sit, suos utique habebit furfures, si tota adhibeatur pani faciendo. Nitidissimus autem ac mundissimus esse ac dici non poterit panis, cui furfures admixti. Atqui omnino & siligineus est, qui ex siligine integra factus, non separatis nec secretis à farina furfuribus. Latini tamen non de alio pane quam de mundissimo ac delicatissimo appellationem *siliginei* sumpserunt. Siligo itaque farinæ subtilissima pars, ex qua panis tenerrimus ac purissimus. Quæ de siligine tradit ipse ille Plinius, ostendunt, non aliter usurpari posse hanc dictionem. *Siliginem*, inquit, *propriè dixerim tritici delicias. Candor est, & sine virtute, sine pondere.* Hæc definitio siliginis in florem farinæ tenuissimum, potius quam in tritici aliquam speciem conveniat. Quod enim quæso triticum, sine virtute, sine pondere? Non video quàm bona queat ex illo tritico elici farina, quod nullâ sit virtute, nullo pondere? Imaginarium prorsus hoc triticum, solo candore æstimatum, cui nec virtus nec pondus. Scio & siliginem apud Columellam legi pro frumenti genere. Hoc saltem Plinium excuset, quod sine auctore non erraverit. Invitus dicam, errasse Columellam. Res tamen ipsa cogit me, ut ita sentiam. Quin & eodem capite siliginem pro subtilissima farina posuisse Plinius apertè convincitur: *Justum est è grano Campanæ, quam vocant castratam, è modio redire sextarios quatuor siliginis: præterea floris semodium.* Siliginem genus frugis facit, ex grano Campanæ molito è modio quatuor sextarios redire siliginis dicit, & floris semodium. Ergo heîc *siligo* pro farina cribro succreta. Quam heîc *siliginem* vocat in tritico dixit, *similaginem*. Et pro flore *pollinem*. Verba hæc sunt: *Similago è tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est è modiis redire semodios, & pollinis sextarios quinque. Ita autem appellant in tritico, quod florem in siligine.* In tritico pollinem appellari testatur, qui flos dicitur in siligine. In illa ipsa siligine, quæ frumenti est species, *siliginem* quoque vocat id, quod *similaginem* in tritico dixit. Ergo non tantum significat frumenti genus, sed etiam ex illo frumento farinam, quæ respondet tritici similagini, ut ejusdem flos respondet tritici pollini. Hinc est quod Glossæ optimæ *siliginem* exponunt σεμίδαλιν, quæ eadem est cum similagine. Hinc σιλιγνίτης ἄρτος Galeno, ex tenuissimo flore farinæ factus. Idem Plinius: *è Pisana autem siliginis sextarios quinque: cætera paria sunt.* Et heîc siligo pro similagine, vel eo saltem, quod exæquatur tritici similagini. Quis enim dixerit è modio tritici, ubi molitum est & cribro decussum, redire sextarios tritici quinque? Plinius hoc planè significat, è modio siliginis Pisanæ redire sextarios quinque siliginis. Siligo igitur duas res denotat, frumentum ipsum, & frumenti farinam vel farinæ medullam, quæ *similago* in tritico. Apud Varronem inter frumenti genera nulla mentio siliginis. Far tantum nominat & triticum. Farre Campaniam nobilem jactat, tritico Appuliam: *Quod far conferam Campano? quod triticum Appulo?* Notavimus ante, far esse zeam, eamque speltam hodiernam. Zeam in Campania Italiæ maximè provenire idem Plinius ait, semenque ibi appellari. Non dubito, quin illud semen Campanum sit illud far laudatissimum Campaniæ, quod ipsi Campani dicebant *semen*. In eo farre *siliginem* Romani nuncuparunt, quæ in tritico *similago*. Inde & *siliginem* abusivè quidam vocasse videntur ipsum far Campanum. Hæc est Campana siligo Plinii, quæ siliginis dat quatuor sextarios & floris semodium, ut triticum reddit similaginis semodium, & pollinis sextarios quinque. An non eodem modo χόνδρον Græci quidam pro specie frumenti posuerunt, quod granum erat certo genere molitum? De quo paulo post, ut & de *trago*, quod & ipsum cum sit facticium, frumenti tamen esse genus ipse Plinius voluit. Quod siligo diceretur propriè ex farre, ut similago ex tritico; hinc factum, ut & *siliginem* pro farre usurparint nonnulli. Quod magnis auctoribus imposuit, qui siliginem quasi diversam à farre speciem acceperunt. Hæc nominum diversitas ubique Plinium fefellit, ut in *arinca* Galliæ propriâ. Difficulter eam exteri prodit, & esse quam *olyram* Græci dicunt. Arinca Galliæ, spelta est nostra, *far* antiquorum Romanorum, Campaniæ *semen*, ζειὰ Græciæ vel ὄλυρα. Eam intelligo zeam, quæ eadem cum olyra vel ejusdem generis. Difficillimè exteri speltam notum est, & supra notavimus. Idem Plinius in recensendis frugibus Græciæ peculiaribus, *zeam*, *olyram* & *tiphen* numerat. Atqui zea non debuit nominari, quæ juxta quosdam eadem cum olyra, juxta alios eadem cum tiphe. De siligine ita scribit idem Plinius: *E siligine lautissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima.* De simila hoc idem Martialis:

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus;
Pistori toties cum sit & apta coquo.

Quid enim hæc aliud significant, quam à simila laudatissima ac lautissima fieri pistrinarum opera? Videtur autem *simila* delicatior ac subtilior etiam fuisse quam *similago*. Ut enim *cerago* non est vera ac sincera cera, *lappago* non germana lappa, atque ita de aliis idem nomen habentibus, quæ plura sunt; ita similago non

non protinus est simila, sed aliquid minus, quod tamen æmulatur similam. Simila itaque eadem cum siligine, delicatior subtiliorque quam similago. Certè & σιλιγνίτην ἄρτον Galenus puriorem facit quam σεμιδαλίτην. Ille quippe uno gradu præcedit: ὁ μὲν καθαρώτατος ἄρτος καλεῖται σιλιγνίτης, ὁ δ' ἐφεξῆς αὐτῷ σεμιδαλίτης. Iste ex similagine, ille ex siligine. Similago itaque & siligo in eodem genere tritici, sed hæc prior potiorque. Certè & similam ex tritico elicit Martialis, ex quo etiam similago. Simila vero eadem cum siligine. Sed Galenus, qui σιλιγνίτην voce Romana vocat panem candidissimum, an Græcam non habuit, quibus id exprimeret? Immo habuit: potuit enim γυρίτας dicere. Diphilus Medicus apud Athenæum, quem ab ipso Galeno citatum inducit, eodem ordine progreditur in bonitate panis distinguenda, & per gradus disponenda: Ἄρτοι φησὶν ἐκ γυρέων εἰσὶ πολυτροφώτεροι καὶ εὐοικονομητότεροι καὶ τὸ ὅλον κρείττονες· εἶτα οἱ σεμιδαλῖται, μεθ' οὓς οἱ ἀλευρῖται, εἶθ' οἱ συγκομιστοὶ οἱ ἐξ ἀσήστων ἀλεύρων γενόμενοι. Perperam legitur in verbis Diphili: ἄρτοι οἱ ἐκ πυρῶν κελθίνων εἰσὶ πολυτροφώτεροι, καὶ κρείττονες, εἶθ' οἱ σεμιδαλῖται. Non bene hæc comparatio procederet à genere frumenti ad genus farinæ facta. Meliores tricicei panes hordeaceis, deinde semidalitæ. Atqui semidalitæ etiam ex tritico, & quidem ex tritici medulla, optimaque ejus ac præcipua parte. Ἀλευρῖται quoque & συγκομιστοὶ ex eodem tritico, quos & αὐτοπυρίτας dixere. Scribendum igitur ἐκ γυρέων, id est, ex polline. Inde, γυρῖται ἄρτοι. Delenda autem & expungenda vox κελθίνων, quam adtextam liquet ab eo, qui legerat πυρῶν, & comparationem fieri putabat hordeacei panis cum triticeo. Γύρις pollen, similagine etiam subtilior. Plinius in tritico *pollinem* vocari tradit, quod in siligine *florem*. Sed siliginem ibi accipit pro tritici genere. Aliis *siligo* eadem cum polline, & similaginis subtilissimo flore. Glossæ: *pollen*, γύρις. Græci vocant & πάλην. Quod interpretantur, τὸ λεπτότατον τοῦ ἀλεύρου. Florem quoque farinæ vulgò appellamus τὸ λεπτότατον. Potest etiam legi in verbis Diphili: ἄρτοι οἱ ἐκ πυρῶν σιλιγνῖνοί εἰσι πολυτροφώτεροι, εἶθ' οἱ σεμιδαλῖται. Sed γυρῖται panes iidem cum siligineis ex mero polline facti. Galenus Romano vocabulo usus est, quia tum notius. Ut autem siliginem pro frumenti genere Plinius posuit, quæ medullæ tritici flos propriè fuit: ita & τράγον pro semine sumpsit Orientis peculiari: *Adjiciuntur his genera bromos & tragos, externa omnia, ab Oriente invecta, oryzæ similia.* Immo tragos, facticia res, ut alica. Eodemque jure posset aliquis alicam inter genera frugum recensere quam tragum. Τράγου ποίησις, ut χόνδρου & πτισάνης, tractatur in Geoponicis excerptis lib. III. Ex tritico Alexandrino fiebat. Alicæ similis erat, sed minus alibilis, quia multum ex gluma retinebat. Τράγος apud Dioscoridem non est de frumenti specie accipiendus, sed de genere quodam facticio, ut est χόνδρος. Verba ejus hæc sunt ita legenda: Τράγος τῷ σχήματι μὲν παραπλήσιος τῷ χόνδρῳ ἔοικεν, ἀτροφώτερος δὲ παρὰ πολὺ, διὰ τὸ πολὺ ἔχειν τὸ ἀχυρῶδες. Malè hodie in editionibus scribitur, ἀτροφώτερος δὲ παραπολὺ ζειᾶς. Hinc doctissimi Medici arripuere τράγον Dioscoridis genus esse tritici, quod zeæ comparabatur. Χόνδρος est alica. Ita enim interpretantur Glossæ: *Alica*, χόνδρος. Quomodo fieret, Plinius sic explicat: *Alica fit è zea, quam semen appellavimus. Tunditur granum ejus in pila lignea. Nam lapidis duritiâ conteritur. Nobilius ut notum est, pilo, vinctorum pœnali operâ.* Nihilo plus sensûs in istis verbis quam in Nævii Buttubattis. Optimus liber sic legit: *tunditur granum ejus in pila lignea ve duritia lapidis conterat. mobilius notum est pilo.* Non hæc saniora nisi quod viam monstrant ad sanitatem, quæ ex hac lectione ita restituitur: *Tunditur granum ejus in pila lignea, ne duritia lapidis conterat, mobili ut notum est pilo, vinctorum pœnali operâ.* Egregia sanè conjectura. Quid pila distet à pilo notum est. *Pilum* mobile, *pila* immobilis. *Pilum* est τὸ ὕπερον, id quo tunditur; *pila* mortarium, in quo tunditur. Glossæ: *pila*, ὅλμος: *pilum*, ὕπερον. Alibi hanc differentiam adstruximus. In pila lignea ideo tundebatur granum zeæ ad faciendam alicam, non in lapidea, ne lapidis duritia contereret. Non erat autem conterendum, sed tantum deglubendum: eousque enim tundebatur, donec excussæ omnes essent tunicæ. Excussis tunicis iterum pilo concidebatur, medulla nudata. Tria ejus genera fiebant, minimum, secundarium, & grandissimum. *Hoc apherema*, inquit Plinius *appellant.* ἀφαίρεμα. Cui scilicet solæ ferme tunicæ corticeæ detractæ essent, grano solido manente nec confracto. Hic propriè Græcis χόνδρος; cujus tria genera traduntur. Sed grandissimum optimum. Geoponicæ Eclogæ: ἐπὰν δὲ ἅμα ἐπιπλίσθῃ, κοσκίνῳ κοσκινεύεσθω ἁδροτέρῳ· κάλλιστος δὲ ὁ πρῶτος σηθεὶς γίνεται χόνδρος, δεύτερος δὲ ὁ ἐπὶ τούτῳ καὶ ἐλάττων ὁ τρίτος. Idem dicit quod Plinius, sed clarius hæc eadem expressit paulo post, ubi de Alexandrinæ alicæ confectione agit, his verbis: *posteaque gypsi pars quarta inspargitur, atque ut cohæsit, farinario cribro subcernunt. Quæ in eo remansit, excepticia appellatur, & grandissima est: rursus quæ transit, artiore cernitur; & secundaria vocatur. Item cribraria, quæ simili modo in tertio remansit cribro angustissimo, & tantum harenas transmittente.* Græca Georgicorum clarè his explicantur. Quæ *excepticia* in editis vocatur, in libris est *exceptica.* Omnino debet esse: *Sestica appellatur.* Σηστική: sic vocata καθ' ἐξοχὴν, quæ prima cribro excussa est latiore, quod *farinarium* vocavit Plinius, Græcus auctor ἁδρότερον. Ex his patet χόνδρον Græcè dici, quæ Latinis *alica.* Ideo autem Græcè χόνδρος, quia crassioribus fragmentis tusum, non in farinam molitum. Sic χόνδροι ἁλῶν, micæ salis, & χόνδροι λιβάνου micæ thuris. Hinc πυρὸς χονδρώδης crassius molitum far apud Athenæum: ἑλκίταν δὲ καλεῖσθαι ἄρτον τὸν ἐξ ἐρηριγμένου καὶ ἀσήστου πυροῦ γιγνόμενον καὶ χονδρώδους, qui ex fracto tantum contusoque, non commolito frumento factus esset. Inde & χονδρίτης ἄρτος ex tritico grandioribus micis fresso, qualis est χόνδρος. Huic simile tragum & pari modo fiebat, tusis in pila granis, donec detriti essent utriculi. Plinius eodem capite sub finem: *è zea pulcrius quam è tritico fit tragum, quamvis id alicæ vitium sit; candorem autem ei pro creta lactis incocti mixtura confert.* Ita legendus ille locus cum in editis habeatur: *è tritico fit granum.* In Rigaltiano legitur: *fit granacum.* In optimo Thuanæo: *fit gracum*, manifesto pro *tragum.* Mirum est potuisse Plinium imaginari aliud esse τράγος, cum masculino genere enuntiatur: aliud, *tragum* neutro. Τράγος illi inter genera frugum externa reponitur: *tragum* de grano usurpatur tuso ac præparato, quod simile esset alicæ sive χόνδρῳ. Tragum alicæ vitium dicit. Minus certè bonum quam alica traditur. Hesychius: χόνδρος, τράγος ἔτος ὁ ἄλιξ, ἢ παχὺς ἢ μωρός. Adeo simile tragum chondro sive alicæ, ut alterum explicetur altero. Græci etiam voce ἄλιξ usi sunt, quam ex Latino *alica* fecerunt. Dioscorides in elleboro albo: δίδοται δὲ νήστει καθ' ἑαυτὸν καὶ μετὰ σησάμου καὶ θαψίας χυλοῦ ἢ ἄλικος ἢ μελικράτου. Ita vetus codex. ὁ ἄλιξ, *hac alica.* In Glossis Nicomedis lego: ἄλιξ ἡ σεμιδάλη. Certè & apud Hesychium legere est χόνδρον explicatum σεμίδαλιν: & χονδρῖτιν, παχεῖαν σεμίδαλιν. Sed & χονδρεύει exponitur, σεμίδαλιν ποιεῖ. Diversi tamen panes χονδρῖται & σεμιδαλῖται. Philistion apud Athenæum dicit τῶν χονδριτῶν τοὺς σεμιδαλίτας πρὸς ἰσχὺν μᾶλλον πεφυκέναι. Nec dubito tamen, quin crassior semidalis sive similago, χονδρῖτις & χόνδρος appellata sit. Etenim tam χόνδρος quam σεμίδαλις, medulla tantum erat, tritici vel farris moliti furfuribus purgata. Sed σεμίδαλις tenuior, χόνδρος crassior. Hæc enim χόνδρου proprietas. Χόνδροι ἁλῶν sunt παχεῖς ἅλες Hesychio. Ita & χόνδροι σίτων grana tritici crassiusculis fragmentis concisa, non minutim contrita. Latini *alicam* dixere ab alendo. Græcè χόνδρος, ab ea quam diximus caussa. Cum hæc ita se habeant, sunt nihilo minus, qui χόνδρον inter frugum genera quasi tritici speciem retulerunt. Paulus Ægineta χόνδρον σίτου τι εἶδος. Et Galenus lib. I. de Alimentis: τοῦ γένους τῶν πυρῶν ἐστιν ὁ χόνδρος, ἱκανῶς τρόφιμόν τε καὶ γλίσχρον ἔχων τὸν χυμόν. Addit ab antiquis Medicis

dicis τῇ συνηθείᾳ appellari πυρόν. Quis non miretur tantam inscitiam in tanto viro. Hippocratem citat, qui dicit [illegible] ἐκ ξ χόνδρυ κατεσκευασμένυς ἄρτυς, τροφιμωτάτυς μ̃ εἶναι, διαχωρεῖν ἢ ἧττον. Non de illo frumenti genere hoc tradit Hippocrates, sed de certa farinæ qualitate, quam crassioribus fragmentis molitam sic propriè vocarunt. Panes, qui ex tali farina fierent maximè alibres dixit. Hi χονδρῖται appellati, ut σεμιδαλῖται qui ex semidali. Quæ nec ipsa inter frumenti genera, sed farinæ genus. Galeni ætate χόνδρον Græci non amplius pro alica usurpabant, sed Latina voce utebantur depravatâ ἄλιξ. Ideo ignotus illis antiquorum χόνδρος. Ideo & pro genere tritici id interpretati sunt. Græci recentiores in eadem sententia, quia priores sequuntur. Neophytus: χόνδρος οἱ ἢ δίκοκκον καλῦσιν, οἱ ἢ ζέαν, Ῥωμαῖοι ἢ φάῤῥεμ, ὁ ἢ χόνδρος γίνεται μ̃ ἀπὸ ἐκ τῆς καλυμμένης δικόκκυ ζέας. Priorum & posteriorum Græcorum opiniones miscuit. Apud antiquos χόνδρος facticium quid ex zea, quod Romanis *alica*. At recentioribus χόνδρος genus tritici, far nimirum vel zea. Arabes sequuti sunt istos, qui Græcum illud χόνδρος de tritico Romano accipiunt ac dant. Avisena vocat خندروس. Latinè legunt *chandarus*. Sed totidem literis potest legi *chondros*. Interpretatur الحنطة الرومية, *alhantha alrumi*, id est, triticum Romanum. In Alpagi expositione Arabicorum nominum perperam scribitur, *candarusium* esse genus frumenti Romani. Quod in Lexicum vulgare cum hoc vitio translatum est. Scribendum enim: *candarus Rum*, idem quod *candarus Rumi*, خندروس روم, ut *haur Rum* populus, Romanica vel Romanensis. Nequis ergo jam miretur de siligine, quæ cum farinæ medulla sit tenuissima ac purgatissima, in speciei transit appellationem apud Latinos, eodem planè exitu ac fato, quo χόνδρος & τράγος apud Græcos. Plinium & qui pariter cum eo errarunt, siliginem sumentes pro genere tritici, videntur in hunc errorem induxisse antiquiores male intellecti, qui siliginem cum tritico sæpe numerant. Hi vero ita acceperunt, quasi tritici genus non ex tritico esset. Celsus Plinio anterior clarè siliginem posuit non pro genere tritici, sed pro certæ qualitatis ex tritico farinâ, lib. II. cap. XVII. *Firmius est triticum quam milium, id ipsum quam hordeum, & ex tritico firmissima siligo: deinde simila, deinde cui nihil ademptum est, quod αὐτόπυρον Græci vocant, infirmior est. Ex polline infirmissimus panis cibarius.* Sic siliginem cum simila componit ex tritico utrumque, ut σιλιγνίτην ἄρτον Galenus cum σεμιδαλίτῃ. Ergo *simila* Celso eadem cum Græcorum σεμιδάλει. At siligo purior erat, ex qua purissimus panis conficiebatur ac primæ notæ. Eâdem denique serie procedit Celsus in assignandis panis gradibus ac differentiis, ut Galenus. Σιλιγνίτης ἄρτος maximi alimenti. Is ex siligine. Σεμιδαλίτης ex simila, qui secundam obtinet dignitatem. Tertio loco αὐτόπυρος, cui nihil demptum. Quartum possidet ὁ ῥυπαρός. Celsus cibarium vocat ex polline. Sed cibarium panem ex polline factum non possum mihi persuadere, panem nimirum pessimum ex tenuissimo farinæ flore. Scribendum auguror apud Celsum: *Ex omnibus infirmissimus panis cibarius*, vel *ex omni*. Forte etiam scripserit: *excusso polline infirmissimus panis cibarius*. Αὐτόπυρος panis, cui nihil dempsit cribrum, in quo farinæ cum furfuribus solidæ. Post eum est cibarius, qui secundarius, ex ea factus farina, unde pollen excussus est. De secundario pane paulo post. Heic siliginem videmus à Plinio inter frugum genera relatam, quomodo & tragum, quod est sine chondro, inter externa frumenta & Orientis propria recensuit Idem. Alicam ab eo inter fruges numerari frustra quidam opinantur ex uno aut altero vitioso loco, qui obiter heic emendandi. cap. XI. *Sed inter prima dicatur alica ratio præstantissima saluberrimaque, quæ palma frugum Italiam contingit.* En inquiunt alicam appellatam palmam frugum! Non certè si locus purgetur, qui in veteri Thuanæo,

A cui reliqui consentiunt, sic conceptus est: *Sed inter prima dicatur & alicæ ratio præstantissime saluberrimamque palmam frugum indubitata Italia contingit. Fit sine dubio & in Ægypto, sed admodum spernenda.* Pauxillo negotio sanari sic potest, ac reduci in integrum: *Sed inter prima dicatur & alicæ ratio præstantissima & saluberrima: in qua palma frugum indubitata Italiæ contingit. Fit sine dubio in Ægypto, sed admodum spernenda.* Alica non frugis genu, sed ex fruge fit. Ex eo argumentum ducit Plinius palmam frugum indubitatam Italiæ contingere, quod in ea provincia optima fiat alica. Non enim fieri laudata potest alica nisi ex fruge præstantissima.
B In Ægypto quoque conficiebatur alica, sed admodum, ut idem ait, spernenda. Ergo vel inde constare debet, meliores esse fruges Italicas Ægyptiis. Ex zea præcipue conficiebatur alica. Eam docuimus esse speltam. Quod & à Plinio colligas, ubi exequitur alicæ conficiendæ rationem apud Ægyptios: *pisunt cum arena, & sic quoque difficulter deterunt utriculos.* In tritico nulli sunt utriculi deterendi, sed in sola cute labor est. Utriculos autem vocat Plinius in zea glumam ipsam sive folliculos, qui admodum difficulter in spelta deteruntur, adeo ut in area tribulis exteri non possint, sed molendinis propriis opus sit. Ἔλυτρα vocat Dioscorides in zea, quos Plinius *utriculos*.
C Glossæ: *gluma*, ἔλυτρον. *Tunicas* alibi dixit de alica Campana, sed cutem ipsam videtur intellexisse: *excussis inde tunicis iisdem armamentis nudata conciditur medulla.* Græcus auctor in Alexandrino trago ὑμένας vocat: ἄχεις ἢ οἵτε ὑμένες ξ σίτυ ᾗ τὸ ἰνῶδες ἀποπέσοι. Sed per ὑμένας planum est dicere velle cutem ipsam tritici ac veluti interiorem tunicam. De tritico loquitur, ex quo fieri docet illud tragum. In tritico autem nihil aliud exterendum præter membranaceam cutem, quâ medulla tegitur interior. In zea sive spelta οἵ τε ὑμένες ξ σίτυ ᾗ τὸ ἰνῶδες ἀποπέσοι. Sed ex tritico fieri docet illud tragum, ut χόνδρον ἐκ τῆς ζειᾶς.
D In tritico nihil aliud deterendum præter membranaceam cutem, quâ medulla interior tegitur. In zea sive spelta utriculi etiam exterendi, & præterea tunicæ illæ membranaceæ. Certe *utriculos* apud Plinium non possis aliter capere quam de folliculis zeæ, quos admodum difficulter deteri certum est. *Tunicas* etiam vocat alibi exteriores folliculos sive utriculos frumenti: *Tunicæ frumento plures, hordeum maximè nudum, & arinca, sed præcipue avena.* Ex Græcis Theophrasti, qui χιτῶνας appellat ac λοπὸς: μάλιςα ἢ γυμνοσπέρματον ἡ κριθὴ, πολύλοπον ἢ ὁ πυρὸς ἡ δὲ τίφη καὶ ἡ ὄλυρα. Idem de tritico dicit, esse ἐν χιτῶσι πολλοῖς. Vocant etiam ὑμένας, unde σῖτος ὑμενώδης, qui multis ejusmodi folliculis est
E vestitus. Hoc Plinium fefellit. Est alius locus apud eumdem, quo manifestius quam priore alicam videtur inter fruges ponere, cap. VII. *Aliqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, alicam appellant.* Verum ibi *alica* non potest morari. Si aliquod frumenti genus potuit appellari alica, id merito debuit, ex quo alica fiebat. Hæc zea est, quam nemo inter verna reposuit. Scribe in illis verbis: *Alioqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, aliqui appellant.* Zea propria materia conficiendæ alicæ. Campanam maxime laudat Plinius. Idem & siliginem campanam commen-
F dat. Sed & far Campanum optimum Varroni habetur. Hæc tria idem sunt. Hinc alicam quidam etiam far dixerunt, quod ex farre, id est, zeâ fieret. Glossæ: *far, farris*, χόνδρος. Græci recentiores φάῤῥον appellant, quem alii à chondro sive alica sejungunt. *Siligo* proprie ex zea, id quod *similago* ex tritico. Quod lautior panis ex zea quam ex tritico fieret, idcirco & siliginem similagini prætulerunt. Quidam etiam siliginem pro flore ac polline acceperunt. Ut σιλιγνίτης ἄρτος in eodem genere præstantior ac mundior,
G quam σεμιδαλίτης apud Galenum, qui σιλιγνίτην vocat, id est, siligineum, quem Diphilus γυρίτην, id est, pollineum. Duplum siligini pretium ad similaginem: Plinius cap. X. *Panes è modio similaginis* CXXII. *è florismodio* CXVII. Panes è similagine sunt, qui σεμιδαλῖται Galeno: è flore οἱ γυρῖται ἢ σιλιγνῖται. Addit Plinius: *Pretium huic annonâ mediâ* XL. *asses. Similaginis pretium huic annonâ mediâ in modios farinæ* XL. *asses, similaginis castratæ duplum*

plum; *octonis assibus amplius siliginis castratæ*. Ita legenda hæc auctoritate vetusti codicis & ratione addicente. Ex variis ista compilavit auctoribus, & temere in unum congessit, quæ plerumque dissidebant. Media annona farinæ modius vænibat quadraginta assibus, similaginis castratæ duplum. Sic vocat *similaginem castratam*, ut *siliginem castratam* hoc ipso loco, & paulo ante: ubi tamen de siligine castrata ita loquebatur tanquam frugis ipsius appellatio hæc esset: *justum est è grano Campanæ, quam vocant castratam, è modio redire sextarios quatuor siliginis*. Non possum satis in his admirari Plinii inconstantiam ac levitatem. ibi *siligo castrata* granum ipsum, & grani quoddam genus Campani, ex quo redibant è modio siliginis sextarii quatuor. Siligo nempe ex siligine redit, ut triticum è tritico. Nugæ. Duo quoque eo loci genera siliginis facit: unum castratæ quam reddere dicit è modio quatuor sextarios siliginis; alterum gregalis sine castratura, quæ reddebat sextarios quinque. De grano ipso ac fruge loquitur, quam in castratum & gregalem, quæ sine castratura erat, distinguit. At hic siliginem appellat castratam ut similaginem castratam, & de ea siligine intelligere palam est, quæ farinæ tenuissima ac delicatissima pars. Nam & similago propriè medulla farinæ absque furfure. Farina dicebatur, quæ utrumque contineret, medullam & furfures. Hujus pretium media & communi annona fuit quadraginta assium. Duplum similaginis castratæ. Siliginis autem castratæ octonis assibus amplius. Sic modius similaginis castratæ octoginta assibus vænumdabatur, siliginis castratæ octoginta octo. Non igitur siligo castrata de grano ipso, sed de farina: ut nec triticum dicitur castratum, sed similago è tritico. Castratam autem vocari puto similaginem leviter tantum cribro decussam, nec tantum subcretam, quantum poterat succerni. Colligo id ex ipso Plinio, qui siliginis castratæ quatuor duntaxat sextarios è modio redire ait, cum gregalis quinque redirent: *vel è gregali sine castratura sextarios quinque*. Palam est *gregalem* vocatam quæ ad plenum perfectumque subcreta esset, absque castratura. Castratam contra parcius excussam. Hæc melior pauciorque. Nam plus redibat è modio gregalis quam castratæ. *Gregalem* vocat sicut communiter excuti solebat, & perinde vulgarem ac vilem. Sic *gregale tectum* Senecæ in epistolis. Græci eo sensu ἀγελαῖον & χυδαῖον nuncupant. At castrata selectior. Ut *castrata sacco vina*, in Querolo non Plautino pari significatione legimus sacco transmissa & liquata. Fuit cum putarem, dici castratam, è qua sumptus esset flos vel pollen. Aliò ducunt Plinii verba. Siligo in zea sive spelta, quod similago in tritico. Et similiter utraque castrata eodem sensu. Siliginis pretium octo assibus in singulos modios superabat pretium similaginis. Ex modio farinæ non solum similago redibat, sed pollen interdum sumebatur. Plinius: *Clusina Aretinaque etiamnum sextarios siliginis adsciunt, in reliquis pares; si vero pollinem facere libeat* XVI. *pondo panis redeunt, & cibarii tria, furfurumque semodius*. Per panem intelligit siligineum è zea, vel similagineum è tritico, quem à cibario distinguit, qui & *secundarius* dicebatur. Ita vocabant purgamenta castratæ siliginis vel similaginis, quæ iterum excutiebantur. Ex ea farina, quæ secundò fuerat excussa, panis secundarius sive cibarius confici solitus erat. Cum enim castrata similago parcente manu decussa foret, iterum eam farinam, unde excussa fuerat, cribro transmittebant angustiore & quod inde transmissum erat, panem *secundarium* faciebant, qui & *cibarius*. Plinius: *Et cibarii, quod secundarium vocant, sextarios quatuor*. Ita planè vocant non ipsum panem cibarium, sed id quod iterum subcretum esset, & secundarium dictum quasi secundò cretum, ut *alica secundaria*, secundò subcreta. Hodie vocamus in idiomate nostro, *regretale* quasi *recretale*, id est, iterum cretum. Et panem de regretali vocant, qui Romanis *cibarius*. Celsus vocat cibarium, unde pollen excussus. Vide supra. Ex modio igitur farinæ hæc quatuor redibant, similago, flos sive pollen, secundarium, & furfures. Plinius ita capiendus in his verbis: *similago è tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est redire semodios, & pollinis sextarios quinque; præterea, secundarii sextarios quatuor, furfurumque tantumdem*. Habes in totum ex omnibus unum & viginti sextarios. At modius tritici sedecim sextariis constabat. Sed idem molitum in viginti & unum ampliusque interdum sextarios ibat. Notum quippe est, non eadem mensura capi posse farinam, qua triticum capiebatur. Rasus ac derutus tritici modius sæpe plus quam cumulatum farinæ reddit. Discrimen ad plus & minus ex molituræ modo pendet. Quin etiam certum est suspensa ac parcente mola fractam potius, quam ad minutiem extremam redactam, panem efficere candidiorem. Talis erat propriè σεμίδαλις vel simila Latinorum. Hinc & σεμίδαλιν quidam cum χόνδρῳ eamdem faciunt, quæ crassior est, & veluti in grumos tantum concisa. Ita & siligo fiebat; sed hæc ex zea, ut simila vel similago è tritico. Corruptissimus longè locus in Plinio sequitur ita vulgo excusus: *Est & alia distinctio: similago L. pollin autem* XVII. *pondo panis reddere visa, tritici* XXX. *cum triente, & secundarii panis quinas selibras, totidem cibarii & furfurum sextarios sex*. Si quis heîc aliquid boni sensûs percipit, gratum fecerit, si poterit facere, ut & ipse percipiam. Conjecturæ doctorum hominum vix heîc sunt tolerabiles. Reddemus veterem lectionem & ex ea conjecturam nostram. Sic igitur habet Thuanæus omnium optimus: *Est & alia distinctio semel temp. L. pollinatam* XIV. *p. panis reddere visa* XVIII. *tertia*. XIX. *cum triente, & secundari panis quinas selibras totidem cibari, & furfurum sextarios sex*. Nec longè ab hac scriptura abeunt diversi cæteri codices. Loco desperatissimo salutem restituas si scribas: *Est & alia distinctio, semel nempe pollinatam* XIV. *pondo panis reddere, bis* XVIII. *tertio* XIX. *cum triente & secundarii panis quinas selibras, totidem cibarii, & furfurum sextarios* VI. Plures ante distinctiones retulit, quot sextarii similaginis & siliginis, pollinis, secundarii ac furfurum è modio redirent: quot pondo panis farinæ siligineæ modius redderet in Gallia & Italia: quot denique numero panes è modio similaginis, atque è modio floris fierent. Nunc aliam esse distinctionem docet, quot nempe pondo panis è semel pollinata farina reddantur, quot è secundò pollinata, quot tertio. Legitimum erat, bis tantum pollinare. Unde *secundarium* dictum quod redibat è farina secundo excussa, idemque cum cibario, quia ex eo secundarius panis fieret. Heîc ubi ter pollinari ostendit, secundarium à cibario separat, & *secundarium* quidem pro secundò subcreta ponit, *cibarium* pro ea quæ tertio decussa est. Verbo pollinari heîc latè usus est pro subcernere, & cribro excutere, non propriè pro eo quod est pollinem facere. Dicit igitur semel pollinatæ farinæ modium quatuordecim pondo panis reddere, bis pollinatam decem & octo. Quæ tertio pollinatur novem ac decem cum triente, & secundarii panis quinas selibras totidemque cibarii, & furfurum sextarios sex. In ea quæ semel pollinatur, duæ tantum res sunt, furfures, & similago sive pollen. Nam & pollen pro similagine ponitur, ut similago pro polline, ubi scilicet non fieret seorsum pollen & similago. In secundò pollinata tres simul res sunt, similago sive pollen, secundarium, & furfures. In ea rursum, quæ tertiò pollinatur, quatuor habentur rerum differentiæ, pollinis, secundarii, & cibarii quod tertiarium licet dicere, & furfurum. Aliquando pollen & similago distinguebantur, & pollen pro tenuissimo flore triticeæ farinæ sumebatur. Nam florem dicebant in zea sive spelta, qui pollen erat in tritico. Flos autem ille non è similagine sumi solitus, sed ex farina cribro proprio decussa quod dicebatur *pollinarium*, aliud à farinario quo similago cerni solebat. Mentio *pollinarii* & *farinarii* cribri apud Plinium eo capite: & *farinarium* quidem vocat, qui in Græco auctore unde sumpsit, dicitur ἀλφιτηρὸς κόσκινος. Ad siliginem quod attinet, certum est medullam zeæ sic propriè quibusdam appellatam, ut *simila* & *similago* vocabatur tritici medulla farinario cribro transmissa, ac decussa. Hinc & siliginem impropriè pro ipsa zea dixerunt. Ut & χόνδρον, qui ex tritico fiebat, pro ipso

ipso tritico. Ita & τράγον Plinius pro genere frumenti accepit. Siligo Galliæ eidem Plinio est *arinca*. Siligo Campaniæ est zea. Hæc spelta est hodierna. Idem perperam ζειὰν ἀπὸ τῆς ζέας distinguit, & & *ziam* illam vocat, istam *zeam*. Ita enim scribit cap. x. *Apud Græcos est & zia, traduntque eam ac tiphen, cum sint degeneres, redire ad frumentum.* Sic cyperum & cypirum alibi discrevit cum idem sit aliis κύπειρον dictum, aliis κύπερον. Eo autem modo siligo, tragum, & chondros pro frumenti generibus usurpantur, quo apolecton, cybium, tomus thuriænus & thyrsio pro piscibus ab eodem Plinio sumuntur, quæ partes sunt piscium majorum sale duratæ. Ita ergo & siligo quæ pars est zeæ vel zea molita ac cribro excussa, pro ipsa specie venit. E siliginis modio siliginis quatuor sextarios redire dicit. Per hanc siliginem in promptu est debere intelligi farinam tenuissimam: per illam granum ipsum. Sed & quod ante monstravimus siliginem in zea respondere similagini triticeæ, contrarium plane apparet ex proportione, quæ traditur inter similaginem & triticum. E modio quippe tritici semodium similaginis redire scribit. At ex modio grani siliginei quinque tantum vel quatuor sextarii siliginis redibant. Pollini itaque potius siligo respondet quam similagini. Nam pollinis quinque sextarios unum modium tritici Africi reddere idem affirmat. Atqui idem asserit pollinem appellari in tritico quod florem in siligine, è tritici modio semodius similaginis redibat, qui sunt octo sextarii, pollinis autem sextarii quinque. At è modio grani siliginei refert idem justum esse, ut quinque sextarii redeant siliginis non castratæ, & præterea floris semodius. Non ego perspicio, quomodo plus redire possit floris quæ tenuissima farina fuit quam siliginis. Si flos in siligine idem quod pollen in tritico, eadem proportio debet esse floris è siligine rédituri & pollinis è tritico. Contra videmus servari similem proportionem similaginis in tritico, & floris in siligine. Nam justum esse dicit è modio tritici redire semodium similaginis, ut è modio siliginis, semodium floris. Hæc non conveniunt. Siliginem pro flore farinæ, vel polline quidam posuerunt. Unde σιλιγνίτης ἄρτος Galeno idem qui γυρίτης Diphilo. Ex eodem quippe genere confici σιλιγνίτην & σεμιδαλίτην prodit, sed siligineum esse purissimum. Alii rursus siliginem usurparunt, pro similagine zeæ. Alii pro ipso siligineo grano, id est, zea, ex qua siligo educebatur ut ex tritico similago. Plinius qui ex diversa lectione illa omnia congessit, quæ de pisturis & panis faciendi ratione habet, nihil horum digessit nec distinxit, sed pleraque inter se pugnantia velut concordantia miscuit. *Siligineus* apud Latinos auctores passim ponitur pro mundo, qui ex polline fit ac

A flore mero farinæ. Acro in Horatium de pane se-
cundo loquens eum esse ait, qui non sit *siligineus, non*
primus, non postremus, sed dispensatorius. Vocat *siligi-*
neum panem ex mero polline factum, quem σιλιγνί-
την Galenus. Primum autem è similagine, id est, è
farina semel tantum excussa. Hic σεμιδαλίτης Galeni.
Secundus panis illi idemque *dispensatorius*, qui ex secun-
dario fiebat, id est, ex bis pollinata farina. Postre-
mum appellat, qui ex tertiò pollinata constabat.
Hoc plane convenit cùm illa distinctione Plinii quam
ante exposuimus. *Panis mundus*, & *panis sequens* in-
B vicem opponuntur in Historia Augusta. Ut apud
Lampridium: *panis mundi pondo* XXX. *panis sequentis ad*
donandum pondo L. ubi *panis mundus* idem cum primo,
ex primaria similagine: *sequens* vel *secundus* ex secun-
daria vel secundariò transmissa. At mundissimus erat
siligineus ex mera siligine vel polline. Quattuor
heic habemus panum gradus ac differentias à mun-
dissimo ac siligineo ad ultimum ad deterrimum de-
scendentes, totidem quot apud Galenum, qui & πι-
τυρίαν addit quintum & extremum, qui canum po-
tius panis est quam hominum. Comparemus ita-
C que Galeni Græcas appellationes cum Latinis vete-
ris Horatii interpretis. *Siligineus* hujus panis, Gale-
ni sit σιλιγνίτης. *Primus*, σεμιδαλίτης. *Secundus*, ὁ
συγκομιστὸς ἢ αὐτοπυρίτης. *Postremus*, ὁ ῥυπαρός. Hic
enim ultimus panis eorum, qui vulgo homini sunt edu-
les. Quintum adjicit Galenus τὸν πιτυρίαν, cujus
non meminit ille vetus interpres, ut nec Plinius in illa
sua distinctione, quæ farinam ter pollinat & furfures è
panibus separat, quia non ex his panis fieret. Panis
autem *secundarius* ut vinum *secundarium*, Græcè δευ-
τερίας οἶνος, maceratis aqua vinaceis. Ut secunda-
rius panis, Latinis idem *cibarius*, ita vinum secunda-
D rium dicebatur Græcis ποτικὸς absolutè, quasi *potarium*
dicas. Dioscorides: ὁ δὲ καλούμενος δευτερίας ὃν ἔνιοι πό-
τιμον καλοῦσι. Et quomodo panis cibarius vocatus etiam
dispensatorius, qui servis & operis plebique dispensaretur,
ita & vinum secundarium hodie dicimus *dispensatorium*
quod datur operariis servisque. *Dispensam* vulgus ap-
pellat. Veteres Romani *operarium vinum*, Plinius
de secundario sive lora: *Sed tamen inter operaria vina*
numeratur. Panis è similagine, est quem *primum* vo-
catum diximus veteri Horatii interpreti, panis è flore
quem *siligineum* ille vocat. Sed hæc alibi de panum dif-
E ferentiis, pondere & proportione latius. Hic ostendere
libuit, quanta ævo labente permutatio nominum conti-
gisset, & quantum errorum contingeret ex ὁμωνυμίας.
Zeæ triticeæ ὁμώνυμος altera zea quæ est Libanotis, nisi
falsus Dioscorides. Eam etiam καμψανέμαν dicit a ven-
ti flectendi vel frangendi potestate. De qua viderint
Herbarii. Certè & Neophytus ἀνεμοδιώκτην dictam as-
serit.

CAPUT LVIII.

De rhu Syriaco & condimentario.

TRitici mentio heic mihi revocat in mentem lolii genus quod *murinum* Latini dicebant. Græce dicitur φοῖνιξ. Dioscorides ῥοῦν etiam appellatum docet: φοῖνιξ οἱ δὲ ῥοῦν, οἱ δὲ ἀγχίνωπα. Timeo ne falsus sit. Ῥοῦς ἐρυθρὸς Græcis vocatur semen fruticis coriarii. Idem etiam quibusdam dictus videtur, ῥοῦς φοῖνιξ. Nam idem quod ἐρυθρός. Hinc putarint φοίνικα herbam etiam ῥοῦν nuncupari. Si verum dixit, in his vocabulis ὁμωνυμία est. Dubitare etiam video eruditos atque inter se disputare de rhoe frutice utrum plura ejus genera sint, an duntaxat unum. Causa dubitandi, quia plura nominantur in veterum scriptis Medicorum, eaque cognominibus distincta. Alium vocant ῥοῦν μαγειρικὸν, alium βυρσοδεψικὸν, alium denique ῥοῦν Συριακόν. Posset aliquis dicere, tres esse has diversas appellationes ejusdem rei, sed ubi in eadem synthesi hæc omnia simul genera legimus addi, vix

A liceat hoc dici. Sexcentis porro locis apud Myre-
psum hæc tria simul mixta in eodem medicamento ob-
servare est. Unum aut alterum locum exempli gra-
tia adducam. In Emplastro III. κινναμώμου, σιδίων, ῥοῦ
μαγειρικοῦ, ῥοῦ Συριακοῦ, ῥοῦ βυρσοδεψικοῦ. Item in Em-
plastro ad cœliacos & dysentericos: ῥόδων τὸ ἄλευρον
οὐγγ. δ. ῥοῦ μαγειρικοῦ, ῥοῦ Συριακοῦ ῥοῦ βυρσοδεψικοῦ. In aliis
passim Emplastris & compositionibus medicamento-
rum hæc tria genera simul juncta semper legas.
Quibus omnibus locis ῥοῦν μαγειρικὸν libri veteres o-
mnes scribunt. Hoc argumento motus Fuchsius
non immerito nec sine ratione totidem genera rhois,
quot essent cognomina putavit. Validum tamen
G contra ejus sententiam telum suggerit Dioscorides, qui
rhun obsoniorum quem μαγειρικὸν alii nominant, se-
men esse rhois coriarii affirmat: ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα ὃν
ἔνιοι ἐρυθρὸν καλοῦσι, καρπός ἐστι τῆς καλουμένης βυρσοδεψι-
κῆς

ῥῆς ἐρόος. Ubi etiam advertes genere hæc distingui. Frutex vocatur ἡ ῥῦς, semen ὁ ῥῦς. Sic ἡ κόκκ☉ βαφικὴ de frutice: ὁ κόκκ☉ coccum, de grano tinctorio. Cum igitur legimus apud auctores ῥῦν μαγειρικὸν de semine ipso intelligendum, cujus usus ad obsonia. Cum ῥῦν βυρσικὴν aut βυρσοδεψικὴν de frutice ipso, cujus folia perficiendis coriis adsumebantur. Qui propriè loquuti sunt ex Græcis, hanc generis distinctionem ad utrumque exprimendum diligenter custodiunt, quæ recentioribus neglecta est. Ita Myrepsus ῥῦν μαγειρικὸν, & ῥῦν βυρσοδεψικὸν vocat indifferenter. Atqui ὁ ῥῦς tantum de semine, cujus olim nullus usus spissandis coriis. Quamvis hodie nonnulli scribant eo utique uti coriarios. Sed veteres, qui semen obsoniis condimenti vice inspergebant, folia tantum coriis subigendis adhibuere. Hippocrates veterinarius ῥῦν βυρσικὴν vocat, quæ aliis βυρσοδεψικὴν, in ἐγχυματισμῷ περὶ ἀλόγων ζώων ... ῥοδοποτίνης, ἐρόος βυρσικῆς. Rhus itaque coriaria de frutice, cujus foliis utebantur ad perficienda coria. Rhus obsoniarius vel condimentarius cibis inspergi solitus, qui & absolutè ῥῦς dicebatur. Galenus in Lexico Hippocratis: ῥόα τὰ ἐκ τῆς συκαμίνε τὰ μόεα τὰ ἄωρα ξηρανθέντα, καὶ κοπέντα τοῖς ὄψοις ἐπιπάττε), καθάπερ ἢ ὁ κυρίως ὀνομαζόμυ☉ ῥῦς. Hanc differentiam generis in rhoe planta & rhoe semine etiam Theophrastus agnoscit: ἔχι ἢ τὸ φαρμακῶδες τῦτο ὃ καλεῖ) ῥῦς ἐν αὐτῷ ὀσῶδες ὃ καὶ τῆς ῥῦ ἀνθημώης ἔχι πολλάκις. De quo loco paulo post. Hoc semen etiam ῥῦς ἐρυθρὸς dicebatur, quia maturus rubet. Theophrastus, cujus verba ita legenda ac distinguenda sunt: ἄνθος λευκὸν βοτρυῶδες τῷ χήματι τὸ ὁλοχερὲς, ὀσλίγας ἔχον ὥσπερ καὶ ὁ βότρυς ἀπανθήσαντ☉ ἢ ὁ καρπὸς ἐρυθραίνεται ἅμα τῇ σαφυλῇ. *Flos candidus, uvæ figurâ cum est integer, racemos habens ut uva; qui ubi defloruit, fructus una cum labrusca rubescit.* ὄσλιγγες vel ὀσάλιγγες partes uvæ, & ἐπιφυάδες. *Racemos* propriè Latinè appellant, ut alibi ostendimus. Nam uva est βότρυς, racemus pars uvæ, quæ Græcis ὄσρυγξ vel ἔσλιγξ. Glossæ: *racemus*, ἐπιφυὰς ἢ βότρυ☉. In aliis: *racemus*, ὀσρύγιον, ἡ ἐπιφυλλίς. Hæc obiter, quia ab interprete prætermissa. De rhoe Syriaco major difficultas. *Rhus condimentarius* & *rhus coriaria* ex eodem frutice, folium nempe hæc, ille semen. Quid erit *rhus Syriacus*, quem Myrepsus separat tam à rhoe culinario quam coriario? Theophrastus fruticem rhois ubique provenire dicit. Rhun itaque descripsit, qui in Græcia passim nascebatur. At Plinius descriptionem illam Theophrasti rhoi Syriaco adcommodavit, & rhun inter arbores Syriæ peculiares recensuit. lib. XIII. quo peregrinas arbores persequutus est, cap. VI. quo Syriæ peculiares: *Et rhus è Syria; Mascula fert, sterili fœmina, folio ulmi paulo longiore & piloso, foliorum semper inter se contrariis pediculis, gracili brevique ramo. Pelles candidæ conficiuntur his. Semen lenti simile cum uva rubescit, quod vocatur rhus, medicamentum necessarium.* Hæc ad verbum è Theophrasto, qui tamen professus non est rhun Syriæ proprium describere, sed ubique nascentem, ut his indicat: ἐν πᾶσι δὲ γίνεται τοῖς τόποις· εὐθενεῖ ἢ μάλιστα ἐν τοῖς ἀργιλλώδεσι. Postrema Plinii verba sic videntur interpungenda: *semen lenti simile cum uva rubescit. Quod vocatur rhus, medicamentum necessarium.* Id scripto codice habetur: *Quod vocatur ros.* Ita etiam apud Celsum scribitur: *ros Syriacus.* Quod pro manna accepit Crinitus & Brodæus quasi de rore Syriaco sermo esset non de rhoe. Habent iidem libri: *medicamentum necessarium.* Sed magis proba vulgaris: *medicamentis necessarium.* Hoc est quod φαρμακῶδες dixit Theophrastus, qui non ipsum semen tradit esse φαρμακῶδες. Id enim significant hæc ejus verba: ἢ γίνονται οἷον φακοὶ λεπτὸν συγκείμυοι, βοτρυοειδὲς ἢ τὸ χῆμα καὶ πάντων· ἔχει ἢ τὸ φαρμακῶδες τῦτο ὃ καλεῖται ῥῦς ἐν αὐτῷ ὀσῶδες. Acinorum officula (*pepinos* vulgo vocant) videtur intelligere. Dioscorides vero cortices acinorum in medicina tantum utiles haberi ait, & τὸ φλοιῶδες appellat: καρπὸς βοτρυδίοις ἐοικὼς,

A ὑπόπλατυς, ὃ τὸ περικείμυον φλοιῶδες εὔχρηστον: *cujus corticea tunica qua circumdatur, medicinæ utilis.* Hic sensus illius loci. Fortè scribendum apud Theophrastum, ὀχεῶδες, vel ὀχῶδες. Tunicas & folliculos acinorum ita vocarit corticeos. Nam ὄχεον idem quod βαλλάντιον marsyppium. Quod sequitur apud Theophrastum non assequor & manifestò corruptum liquet: ἔχει ἐν αὐτῷ ὀσῶδες, ὃ καὶ τῆς ῥῦ ἀνθημώης ἔχει πολλάκις. Interpres omisit, & rectè fecit. Plinius simpliciter dixit: *Quod vocatur rhus, medicamentis necessarium.* At corticosum solum in rhois semine medicamentis præcipuè utile Theo-
B phrastus narrat, non ipsum rhois semen. Galenus & καρπὸν & χυλὸν ex rhoe ad medicum usum assumi scribit. Sed ex semine præcipuè cortex φαρμακώδης refrigerando & adstringendo. Plinius transtulit descriptionem rhois communis, qualis extat apud Theophrastum, ad rhun Syriacum. Idem lib. XXIV. cap. XI. duo genera rhois commemorat veluti diversa ab illo rhoe Syriaco: *Nec rhus, inquit, Latinum nomen habet, cum in usum plurimis modis veniat. Nam & herba est silvestris, foliis myrti, cauliculisque brevibus, quæ tineas pellit. Et frutex coriarius appellatur, cujus aridis foliis ut malicorio, coria perficiuntur.* Duo heîc habes rhois genera Pli-
C niana, quod & in indice hujus libri proscripsit: *Rhus gen.* II. *med.* VIII. Notat antiquarius in quibusdam libris scribi: *Rhus gen.* III. Certè tria ibi genera recensentur: Rhus herba quæ myrti folia habet, rhus frutex coriarius, & hujus fruticis semen, qui *rhus erythros* propriè dictus est. Quod ad rhun herbam attinet, alii hodie putant eam herbam esse, quam nos Galli *pigmentum* vocamus, alii *rhun Montispessulanorum* vocant, qui frutex est, foliis oxymyrsines. Frutex autem coriarius quem ibi Plinius commemorat, idem omnino est cum eo quem libro XIII. descripsit sub rhois Syriaci titulo. Quippe cum ea descriptio rhoi communi
D ab auctore data sit, non Syriaco propria dicata. Sequitur apud Plinium: *Rhus quæ erythros appellatur frutex est, & hujus fruticis semen vim habet adstringendi refrigerandique.* Videtur hunc rhun, qui ἐρυθρὸς nuncupatur, fruticem facere, & ab illo coriario frutice paulo ante memorato alium constituere. Atqui ῥῦς ἐρυθρὸς cognominatus, semen est illius coriarii fruticis, ut ex Dioscoride supra docebamus. Sed veram lectionem suppeditat vetus scriptura quæ habet: *Rhus qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis, vim habet adstringendi refrigerandique.* Addit protinus: *Adspergitur pro sale obsoniis.*
E *Alvos solvit omnesque carnes cum silphio suaviores facit.* Quid est quod heîc audio rhun erythron sive semen coriarii rhois alvos solvere? Immo adstringere apud omnes in confesso est. In optimo libro legitur: *Alvo solvit.* Scribendum; *adspergitur pro sale obsoniis, alvo soluta, carnesque cum silphio suaviores facit.* Ad alvum solutam cohibendam pro sale obsoniis adspergitur. Dioscorides: καὶ καρπὸς ἢ τὰ αὐτὰ ποιεῖ ἁρμόζων ἐν προσοψήμασι κοιλιακοῖς. Idem dicit quod Plinius. Κοιλιακοὶ sunt, quibus alvus soluta. Iis medetur semen rhois pro sale adspersum obsoniis. Posset etiam legi in illis
F Plinii verbis: *adspergitur pro sale obsoniis alvo soluti.* Quod propius accedit ad veterem scripturam, *alvo solvit.* Idque verum. *Alvo solutus*, cui soluta alvus, ὁ κοιλιακὸς, cujus obsoniis adspergitur rhus pro sale. Ῥῦς apud comicos Græcos inter condimentaria semina refertur, ut in his verbis Alexidos Polluci citatis:

Κορίαννον ἄνον, ῥῦς, κύμινον, κάππαριν.

Item Antiphanis isto trochaïco:

Σησάμη, λίτρυ, κυμίνῳ, ῥῦ, μέλιτ☉, ὀριγάνῳ.

G Corrigendum quoque apud eumdem Pollucem lib. I. cap. XII. ἐρέβινθ☉, ῥῦς, ἄγρωσις, κύμινον. Ubi vides absolutè ῥῦν vocari semen condimentis usuale. At frutex ἡ ῥῦς βυρσικὴ vel βυρσοδεψικὴ, vel ῥῦς σκυτικὴ. Nugatur Herbarius Lugdunensis, qui ῥῦς putat idem valere quod ἐρυθρὸς, atque inde Latinum nomen deductum *russus* pro rubro. Nihil absurdius. Si ῥῦς idem quod-

russus, cur ῥοῦς ἐρυθρὸς Græcè dicatur hoc semen nescio: satis esset dicere ῥοῦς. Multi ad distinctionem fruticis semen [illegible] vocarunt ῥοῦν ἐρυθρόν. Plinius subrutilum esse fruticem dicit, & manifesto ῥοῦν ἐρυθρὸν pro frutice accepit, quamvis paulo post scribat ῥοῦν, qui erythros appellatur, semen esse fruticis coriarii. Olim, ut dixi, foliorum tantum usus fuit ad perficienda coria, hodie surculi cæduntur quotannis ubi cubiti magnitudinem attigere, deinde siccantur, & in pulverem conteruntur, & sic coria perficiunt. Apud Græcos recentiores in Lexicis eorum medicis reperio ῥοῦν μαγειρικὸν, ῥοῦν ἐρυθρὸν & ῥοῦν Συριακὸν pro eodem poni, & Σουμάκιν vel Σουμάκιον exponi. Neophytus: ῥοῦν Συριακὸν ἢ ἐρυθρὸν ἢ μαγειρικὸν, τὸ Σούμακιν ῥοῦς σκύτεως τὸ ῥοῦδιν. Idem inveni in alio Lexico iatrico: Ῥοῦ μαγειρικοῦ τὸ σούμακιν, ῥοῦ βυρσοδεψικοῦ, τὸ ῥοῦδιν. Ergo Σουμάκιον proprie de rhoe rubro & culinario, quod semen est: ῥοῦδιν vel ῥοῦδιον de coriario. Alibi tamen hæc confunduntur. Nam legi etiam Σουμακίαν de rhoe frutice coriario. Et sane Arabes *sumac* vocant ipsum fruticem qui Græcis ῥοῦς سماق. Præterea ῥοῦδιν vel ῥοῦδιον, quo nomine proprie appellant coriarium rhun, diminutivum est à ῥοῦς, ut μνοῦδιον à μνοῦς; βοῦδιον à βοῦς. Glossæ: *pluma*, μνοῦδιον. In aliis: *pluma*, πτερὸν, μνοῦς. Ita legendum. Ergo ῥοῦδιον idem quod ῥοῦς. Profecto ῥοῦν Συριακὸν non putem differre genere aut specie à communi, sed bonitate. Et fortasse ex Syria semen afferebatur tanquam condimentis optimum. Quod ad sumac Arabicum attinet, non frustra crediderim ex Latino detortum esse sæculi sequioris, quo *summari* pelles dicebantur pro perfici & consummari. Nam *summare* est τελειοῦν. Inde *rhus summacium*, coriis summandis, & perficiendis idoneum. Glossæ: *summare*, τελειοῦν, κεφαλαιοῦν, summam & ultimam manum alicui rei imponere significat. Postremum autem hoc in coriis subigendis, ac veluti summa manus, cum tinguntur. Quod & *perficere* Latini dicunt. Theophrastus de hoc ipso rhoe: βάπτουσι δὲ τούτῳ καὶ οἱ σκυτοδέψαι τὰ λευκὰ δέρματα. Plinius vertit: *pelles candidæ conficiuntur his.* Alibi de hoc eodem rhoe: *cujus aridis foliis ut malicorio coria perficiuntur.* Hoc recens Latinitas dixit *summari.* Quod fortasse & proprium fuit verbum ac τεχνικὸν coriariorum. Inde σουμάκιον Græcis recentioribus pro σουμμάκιον, & frutex ipse σουμακία. Arabibus *sumac.* Avisena hujus duo genera facit. Aliud vocat *corasceni*, aliud *semi*, quod minus esse dicit corasceno, rubrum lentis similitudine. Hoc Syriacum, illud Ponticum. Nam & Ποντικοῦ ῥοὸς meminit Galenus شام est Syria vel regio

A Damasci. Quod alii scribunt شام, & pronuntiant quidam *Xam*, quidam *Sciam.* Interpres Avisenæ *Sem* Aliquando legitur & pro כנען Cananææ regione. In Arabicorum nominum expositione Bellunensis legitur interpretatum *Curascie*, id est, *ex mari rubro.* Alii Armeniam volunt intelligi. Falluntur. Pontus est, خراشان *Coraxen.* Fortasse à Coraxis populis Ponti olim notis, à quibus *Coraxici montes.* Idem Avisena Ponticum absinthium vocat الخراشاني

B *alcoraxeni.* Interpres ibi etiam notat Avisenam de sumac loqui capite CCCXXX. At illo capite non de sumac tractat auctor, sed de *Hesargiesan*, cujus fructum similem esse dicit botris & eo uti præparatores coriorum. هز ارجشان. non est sumac vel rhus, ut etiam ibi vult Interpres, sed vitis alba, ut ipse auctor explicat cap. CCLXIX. & aliter vocat فاشر *fesser.*

C Hæc ἄμπελος λευκὴ Dioscoridis sive βρυωνία, quæ fructum habet instar uvæ, quo depilantur coria. Dioscorides: καρπὸν δὲ ἔχει, βοτρυώδη, πυῤῥὸν, ᾧ ψιλοῦσι τὰ δέρματα. Unde & ψίλωθρον quidam & μάδον eam vocarunt. Multum in hoc differt à sumacio, quo non in depilandis ac præparandis coriis, sed perficiendis ac tingendis utebantur. Vitis autem illa etiam dicebatur Arabice *hesarchasen.* Utrumque nomen videtur depravatum ex Græco ἀρχεζώστιον. Nam sic appellabatur ab implicandis & cingendis arboribus & fruticibus quibus adsita est. Neophytus: βρυωνία λευκή, οἱ δὲ μάδον, οἱ δὲ ἄμπελος λευκὴ, οἱ δὲ ψίλωθρον, οἱ δὲ

D μήλωθρον, οἱ δὲ ὀφιοστάφυλον, οἱ δὲ ἀρχεζωστιν, οἱ δὲ κέδρωσιν. Addit ibidem appellationes ejus Romanas, *nauteam* & *herbam coriariam.* Ῥωμαῖοι νοτίαν, οἱ δὲ ἔρβα κοριαρία. Quod eâ depilarentur coria. Νοτία pro ναυτία. *Notea* pro *nautea.* Festus: *Nautea, herba granis nigris qua coriarii utuntur.* Glossæ: *Nauptea*, ὀσμὴ βύρσης. In Plauti Casina: *Tibi pro scorto supponetur hircus unctus nauteâ.* Hæc prima coriorum pellium paratura. Ungebantur nautea ut depilarentur. Tum sordissima sunt, & graveolentia. At scortum proprie est corium jam subactum perfectumque. Unde nomen meretriculis. Neophytus Græce νοτίαν

E scripsit pro ναυτίαν, quia si hoc modo scripsisset, more tum usitato in Græcia pronuntiaretur ναφτία. Cui pro scorto supponitur hircina pellis uncta nauteâ, pro pelle subacta ac confecta eam habet, quæ paratur ac depilatur, qua nihil est fœdius ac tætrum magis. Atque hæc hactenus de rhois coriarii, & ῥόος, quæ est lolii species, homonymiâ.

CAPUT LIX.

De cinara & cynara.

A lolio ad spinas & carduos transeamus, in quibus τὸ ὁμώνυμον κάκτος spinæ genus Siculæ ab auctoribus traditur. Sicut eam describit Theophrastus, apparet esse quem *carduum* Latini dixerunt, vulgo *articochium* dicunt. Sed Hippocrati veterinario κάκτος est tragacantha spina cap. CCCCLXXVIII. in remedio ad equi tussim: ἐὰν βήσσῃ ἵππος, κάκτου ῥίζης, ὃν καλοῦσι τινὲς τραγάκανθαν, ὡς λεπτότατα κατάπεμε. Et sane τραγάκανθα ad tussim etiam facere proditur. Sed κάκτον eam dici non alibi legeram. Gummi tragacanthæ Arabes vocant كثيرا *chathira*, Barbari dicunt, *draganthum.* Spinam ipsam Herbarius Arabs in vetusto codice Dioscoridis appellat, شجر الكثيرا *segiar alcathira*, arborem *draganthi.* Hanc etiam κάκτον vulgus Græciæ olim appellavit. In editione Latina Avisenæ cap. CCXXIV. draganthum

F dicitur esse gummi *alcathad.* Καχάδ legi in Græco-Arabico. Avisena hoc gummi vocat cathira in Arabico in littera Kef serie XI. Longe alia κάκτος Theophrasti, quam eamdem cum carduo Romanorum descriptio ipsa loquitur, & Athenæus confirmat; sed ridicule mutatione litterarum κάρδον à Romanis quasi κάκτον dici autumat: ἀλλαγῇ γὰρ δύο γραμμάτων κάρδος

G καὶ κάκτος ταυτὸν ἂν εἴη. Latini autem carduum dixere pro *carduum*, ut alibi docuimus. Alio nomine κινάραν eam Græci nuncupant. Quod & ipse Athenæus testatur: τίς δ' ἔχει τούτοις πειθόμενος θαῤῥῶν ἂν εἴποι τὴν κάκτον εἶναι ταύτην τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων μὲν καλουμένην κάρδον, τῶν δὲ Ἑλλήνων μακρὰν ὄντων τῆς Σικελίας, προφανῶς δ' ὑπὸ πάντων Κινάραν ὀνομαζομένην. Atqui non alii Græci hunc carduum nominarunt κινάραν quam Siculi, & Italiotæ Dorici generis teste Polluce, cujus idonea auctoritas: θελδακίνη, κινάρα. οὕτω γὰρ τοῖς Δωριεῦσι ποιηταῖς ἔνεστιν εὑρεῖν καλουμένην τὴν ἄκανθαν. Ubi notandum τὴν ἄκανθαν absolute nuncupari Polluci, quem Latini carduum

carduum vocant. Sic κινάρα & κάκτος synonyma sunt cardui, & ex eadem gente. Columella tamen *cinaram* & *cactum* distinguit, cujus versus heic afferam emendatos, quibus eam luculenter explicat:

Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniet, nec Phœbo grata canenti,

Differentias deinde ejus ita exponit:

Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modo crine rubet, deflexaque collo.
Nunc adaperta manet, nunc pinea vertice pungit.

Sic legenda hæc & distinguenda. Modo, inquit, purpureo corymbo recta surgit, nunc collum habet inflexum, & comam myrteam sive rubram ostentat. Nunc manet adaperta & expansa, nunc pineam nucem conico vertice & pungente imitatur. Sequitur alia differentia spinosæ & aculeis carentis, quam his versibus pandit emendandis ad hunc modum:

Nunc simil is cacto, spinisque minantibus horret,
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Perperam hodie legitur in priore versu, *nunc similis calatho.* Quod ad sensum quem postulat mens auctoris, ineptum est. Alia, inquit, est similis cacto & spinis horrida. Alia lævis, & acanthos imitatur, qui aculeis carent. *Tortos acanthos* vocat, quos Virgilius *flexos*, quia torquentur & flectuntur ad opus topiarium. Carduos esse qui spinis careant, & tales etiam arte fieri testantur Georgicôn scriptores, eamque artem docent quæ non magna est. Ex his Columellæ docemur, quid distet cactus à cinara. Videtur horridior, & spinosior cactus, lævior & mollior cinara. Illa ergo agrestis, hæc hortensis. Unde τραχέες κάκτοι, apud Epicharmum, qui & inter olera eos recenset. Silvestrem esse cactum vel hinc constat, quod auctores tradunt hinnuleos, quos spina cacti pupugerit, inutilia tibiis præbere ossa. Grammatici: κάκτος ἄκανθα ὑφ' ἧς ἐὰν πληγῇ νεβρὸς ἀχρεῖα ἔχει τὰ ὀστᾶ εἰς αὐλούς. Hinc collige silvestrem esse carduum. At κινάρα hortensis & sativus, quam Athenæus perperam cum κυνάρα confundit. Κυνάρα vel κυνάρος ἄκανθα canina spina, eadem cum κυνάκανθα quæ & κυνόσβατος. Κινάρα vero Doricum nomen pro carduo hortensi. Galenus quoque admonet plerosque sua ætate, quo doctiores viderentur, κυνάραν scribere pro κινάραν. Confundebant & illi diversas spinas. Nec eos hoc nomine reprehendit Galenus, sed quod vitarent communem loquendi usum. Ergo & ipse in eodem errore. Verba ejus hæc sunt de cinara in secundo de ciborum facultate: καλοῦσι δ' αὐτὴν οἱ πάντες φεύγοντες τὸ σύνηθες οὐ διὰ τοῦ κ καὶ ι τὴν πρώτην συλλαβὴν ὀνομάζοντες, ἀλλὰ διὰ τοῦ κ καὶ υ.

A Velle videtur Galenus consuetudinem scribere κινάραν, rationem vero poscere scribi κυνάραν. Sed fallitur. Poëtæ Dorici generis κινάραν nominarunt, ut Pollux docet. Sopater Paphius, qui Alexandri Magni temporibus vixit, κινάραν quoque dixit, auctore Athenæo. Item Ptolemæus Euergetes qui Aristarchi discipulus fuit, in quodam scripto κινάρας scripsit. Diversæ itaque spinæ, & diversum habent etymum κυνάρα & κινάρα. Illa spinam caninam designat, hæc fortasse à loco sic dicta. Nam & Κινάρος insula quædam. *Cactum*, quæ est carduus, negat in Græcia provenire Theophrastus. Frustra igitur sunt,

B qui contendunt σκόλυμον Dioscoridis esse Romanorum carduum. Omnes tamen in hac sententia. Scolymus quidem inter carduos edules, sed non ut cinara vel cactus. Caules adhuc incipientis edebant. Ἀσκόλυμβρον hodieque Græci vulgares appellant. Dioscorides de chamæleonte albo aperte σκόλυμον & κινάραν separat. Item Galenus lib. II. de alimentorum facultate, his verbis: τὰ δὲ οὕτως ἀκανθώδη μετρίως ἐστὶν εὐστόμαχα τούτω καὶ σκόλυμος ἐστὶ καὶ ἀτρακτυλὶς καὶ ἡ καλουμένη λευκάκανθα, δίψακός τε καὶ κνῆκος, καὶ τραγάκανθα ἤ τε πεπιμμένη μειζόνως ἡ προσήκει κινάρα. Vides

C heîc & tragacantham numerari inter edules carduos sive spinas quam & ipsam κάκτον dixere, alium tamen à cacto Theophrasti. Cibis admissam fuisse tragacantham non meminit Dioscorides. Fortè eo deceptus Galenus, quod tragacantha etiam κάκτος communi loquela diceretur. Κάκτος autem edulis, sed alius à tragacantha, quæ non ubique nascitur, credita olim nasci tantum in Creta insula. Addit Theophrastus & in Achaïde Peloponnesi reperiri, tum alibi & in Asia circa Mediam. Non vulgaris itaque planta nec edulium ex numero. Siculi hodieque *cacozole* vocant carduum illum, qui veteribus ejus-

D dem insulæ incolis dicebatur κάκτος. Arabicè vocatur حرشف *harsef* vel *harscef.* Herbarius Arabs σκόλυμον Dioscoridis ita reddit. Avisena quoque sic interpretatur. Ab illo Arabico *harsciaf* videndum an descenderit vulgaris appellatio cardui qui nobis *artichau*, aliis *harcoccus.* Pronuntiatione melius apparet similitudo. Diversus tamen scolymus ab hoc carduo, cui pineæ nucis caput. Tradunt hodie apud Persas in cibis plurimum laudari carduum *harsef*, qui caules ejus teneros & primulum surgentes libenter edunt. Quod

E scolymi proprium. Nos adhuc unam in hoc genere carduorum ὁμωνυμίαν aperiemus, quæ vetusto auctori fraudem piacularem obtulit in re non pusilli momenti.

CAPUT LX.

De eryngio.

Eryngium satis ex Dioscoride & antiquis notum est. Sed aliud est apud Arabum interpretes iringium, quod *secacul* ipsi vocant. Radicem exponunt similem zingiberi, quæ ex India affertur, & Venerem stimulat. Serapionis Interpreti, secacul est iringi. Glossarium Græco-Arabicum: Σηκακοῦλ, τὸ ἠρύγγιον. Apud Razem *secancur*, est stincus. Ita scincum appellant Barbari, quod est genus terrestris crocodili ad excitandam Venerem in primis faciens. Avisenæ dicitur *alschancur*, quod depravatum ex σκίγκος. Nam & *schanchur* alibi vocatur. Pharmacopæi hodie eryngii radices saccharo condiunt, ut sint Veneris irritamenta, quasi idem sit cum secacul Arabum quod *iringium* interpretes vertunt. Vim calefaciendi inesse eryngio prodit Dioscorides, non tamen ut Veneri suffragetur. Ἠρύγγη dicitur & ἠρύγγιον Dioscoridi. Ita enim in præstantissimo libro scriptum est: Ἠρύγγη, οἱ δὲ κάρυον, οἱ δὲ ἠρύγγιον καλοῦσι. Cætera synonyma ridicula & spuria. Plinio quoque, *clara in primis aculeatarum eryngē est sive eryngium.* Hesychius: Ἠρύγγαι, οἱ καμπυλότητες τῶν σκελῶν, καὶ πᾶς εἶδος. At κάρυον dicta est, quod caput

F habet nuci simile, σφαιροειδές. Dioscorides: ὧν κατὰ τὰ ἄκρα κεφάλια ἐστὶ σφαιροειδῆ. Memorabile est quod de hac spina traditur certatim ab antiquis, si capra summum ejus capitulum in os sumpserit, totum stare gregem haud secus ac stupore defixus foret. Primus Aristoteles hoc scripsit lib. IX. cap. III. de Hist. Animal. τῶν δ' αἰγῶν ὅταν μία τις λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου, ἔστι δ' οἷον θρὶξ, αἱ ἄλλαι ἑστᾶσιν ὥσπερ μεμωρωμέναι καὶ βλέπουσιν εἰς ἐκείνην. Ita legendum atque ita legisse apud Aristotelem Antigonus Carystius fatetur in Admirabilibus cap. CXV. Ita scribens: τῶν δ' αἰγῶν ὅταν μία τις λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ὀρυγγίου. Vulgo est

G apud Aristotelem, ὅταν τις μιᾶς τῶν αἰγῶν. Quæ lectio longè alium sensum efficit, qui placuit interpretibus, & talis est: Si quis nempe unam caprarum villo eo qui è mento dependet, apprehendit. Induxit illas in hanc expositionem Plinius, qui ἠρύγγιον villum esse putavit in illis Aristotelis verbis caprarum mento dependentem, quia ipse Aristoteles explicat, ἔστι δ' οἷον ἡ θρὶξ. Nihil tam contra Aristotelis mentem

tem

tem quam non vidisse Plinium liquet, & qui illum sunt sequuti. Verba Plinii lib. VIII. cap. L. de Capris: *dependet omnium mento villus, quem aruncum vocant. Hoc si quis prehensam ex grege unam trahat, cæteræ stupentes spectant. Id etiam evenire, cum quamdam herbam aliqua ex eis momorderit.* Quænam illa herba? Certè ἤρυγγος. Quam vocem alibi pro herba, alibi pro villo accepit. Apud Aristotelem de villo interpretatus est, quia ipse exposuit, ἔστι δ' οἷον θρίξ. At in aliis auctorum locis non poterat capi de villo, ut apud Theophrastum in Excerptis Photii: Διὰ τί ἡ αἲξ ὅταν λάβῃ τὸ ἠρύγγιον εἰς στόμα μένει, καὶ τὰς ἄλλας ἵστασθαι ποιεῖ. *Cur capra sumpto in os eryngio resistit ipsa, & cæteras facit, ut resistant?* De capra quæ prehenderit eryngium, non cujus eryngium, id est, villus apprehensum sit, hæc intelligenda. Quis porro credat aliter ab Aristotele quam à Theophrasto hoc traditum miraculum? Sanè nec aliam apud illum quam apud hunc recipit explicationem, apud quem constat legi debere, τῶν δ' αἰγῶν ὅταν μία τις λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου, ἔστι δ' οἷον θρίξ. Ex herba villum fecit Plinius: ὁ ἤρυγγος Aristoteli, quod aliis ἠρύγγιον. Ut ἄψινθος, ἀψίνθιον, στρουθὸς, στρούθιον, φλὸξ, φλόγιον. Aliis dicta est ἡ ἠρύγγη. In omnibus ejusmodi carduis, quæ caput habent, τὸ ἄκρον pro capitulo sumitur. Sic de

A acanthio Dioscorides: ἐπ' ἄκρῳ δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχάς. In aliis κορυφὴν vocat & κεφαλήν. In summitate autem capituli eryngii, ut reliquorum carduûm, coma veluti capillacea. Hoc est quod Philosophus dixit, τὸ ἄκρον τοῦ ἠρυγγίου esse οἷον τρίχα. Quæ verissima est verborum ejus expositio, quam omnes antiqui comprobant. Plutarchus variis locis hoc de eryngio spina affirmat. Ut in Quæstionibus Symposiacis & alibi. De sera numinis vindicta: Αἰγὸς τὴν ἠρύγγην λαβούσης εἰς τὸ στόμα, ὅλον ἐφίσταται τὸ αἰπόλιον ἄχρις ἂν ἐξάγῃ

B προσελθὼν ὁ αἰπόλος: *Capra eryngem si momorderit, totus grex stat defixus, donec accedens upilio de ore extrahat.* Ab hoc effectu, quo pollere creditum est eryngium, sistendi ac defigendi gregis caprarum, sumptum ab una in os, γοργόνιον etiam appellatum. Neophytus: Ἠρύγγιον, οἱ δὲ ὀρύγγιον, οἱ δὲ γοργόνιον. Certe scriptum apud Antigonum τὸ ἄκρον τοῦ ὀρυτίου pro ὀρυγγίου. Harpocration in libro περὶ φυσικῶν δυνάμεων, ab eadem facultate ut, apparet, vocatum γοργόρηγχον asserit: Ἠρύγγιον βοτάνη ἐστὶν ὡς καλαμώδης φυομένη, ἀκανθώδης, ἡ καὶ γοργόρηγχος λέγεται. Quidam

C aloën etiam ἠρύγγιον appellarunt, ut est apud Neophytum, & auctorem Synonymorum Græcum: Ἀλόη, οἱ δὲ ἀμφίβιον, οἱ δὲ ἠρύγγιον.

CAPUT LXI.

De pheo & hippopheo.

SPina est, quæ spinosam infixit curam eruditis Herbariis ex ambiguitate vocabuli, quod habet cum aliâ herbâ commune in vulgatis editionibus Theophrasti. Φλέως inter spinarum genera recensetur, quæ & στοιβὴ dicitur. Alia est apud eumdem palustris herba eodem nomine, quam & φλοῦν Ionici generis homines vocabant. Nos eam ambiguitatem removimus ex scriptis Theophrasti & Plinii, docuimusque spinæ nomen ita concipi debere, φέως: at herbæ palustris φλέως. Ejusdem autem cum spina pheo generis, aliam spinam haberi ἱππόφεως, quasi majus φέος. Hæc quidem indubitata esse, certis argumentis demonstravi. Sed alia adhuc restat ἀμφιβολία in altera appellatione quâ utraque herba vocatur. Pheos aliquot locis apud Theophrastum στοιβὴ etiam vocata quibusdam memoratur. Quod de spina intelligendum. Apud alios porro etiam reperi, palustrem pheum στοιβὴν quoque appellatum. Hesychius: φλυοὺς στοιβὴ, οἱ δὲ φλέως. Medicinæ veterinariæ vetus Auctor cap. DCCXI. στοιβήν, ἔστι δὲ φλέως, ᾧ χρῶνται εἰς τὰ σάγματα ἔσωθεν τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς νωτοφόροις ζώοις. Herba palustris φλέως, quo ad tomenta utebantur & farciendis stramentis. Hæc proprie στοιβή. Quidquid enim infercitur & stipatur, hoc nomine Græci appellarunt. Herbam quoque gnaphalium, στοιβὴν dixerunt, quod foliis ejus mollibus ac lanosis pro tomento uterentur. Glossæ Herbariæ Græcorum: γναφάλλιον, στοιβή. Stipa quoque, quæ componendis fictilibus vasis interjiciebatur in hoc, ne invicem colliderentur, sic appellata. Inde etiam fortasse spina φεὼς, meruit appellari στοιβὴ, quod ejus folia carnosa sicut sunt ac mollia, tomenti præberent usum. Nisi quis malit, quod etiam voluimus, ita dictam, quia spinis ejus in acervum collectis & compositis fullones vestes depecterent. Nam στοιβὴν & γνάφον & σωρὸν ἀκανθῶν Grammatici veteres id vocant, quod erat fullonibus usui ad eam rem, quam diximus. Hippophaës vel hippopheos, quæ spina fullonia est Dioscoridi, Galenus κνάφον & στοιβὴν vocari adnotat in Lexico Hippocratis. Φέως & ἱππόφεως Theophrasto spinæ genus ὁμογενὲς, qui & φέως multis locis στοιβὴν ab aliis ostendit appellari. Junctim ea duo

D genera meminit lib. VI. cap. V. Καὶ τὸν καυλὸν οὐκ ἔχει ὥσπερ ὁ φέως καὶ ἱππόφεως. Et sane non major fuisse videtur differentia inter φεὼν & ἱππόφεων, quam inter μάραθρον & ἱππομάραθρον. Φέως στοιβὴ Theophrasto: ἱππόφεως στοιβὴ Galeno. Dioscorides tamen ἱπποφαὲς, quod idem cum ἱππόφεως, & στοιβὴν seorsim longe disjunctis invicem locis reposuit, veluti res toto genere dissitas. Et sane virtutibus censentur plane contrariis. Stœbe adstringit, eoque dysenteriis medetur. Hippophaës contra solvit, & bilem detrahit. Stœben autem inter spinas non recenset, cum certum sit spinam esse. Et

E forte cum phleo stœbe eamdem censuit, quod tamen non affirmarim. De stœbe quasi de herba omnibus notâ, aut in totum incognitâ sibi loquitur, utpote cujus nullam adposuit descriptionem. Spinam στοιβίδα hodie vocant in Creta insula, quam omnino puto eamdem esse cum στοιβῇ veterum. Nam Neophytus στοιβὴν Dioscoridis vulgari Græcorum linguâ στοίβιον & στοιβίδα appellari ait. Eam στοιβίδα Creticam descripsit Honorius Bellus, cujus descriptio ex parte congruit cum hippophaë, vel hippopheo Dioscoridis.

F Στοιβὶς flores habet parvos, carnosos: pluresque simul congestos. Hippopheos Dioscoride teste habet, ἄνθη κορύμβοις ἐοικότα κιττοῦ ὡς βοτρύδια προσκείμενα ἀλλήλοις, πλὴν μικρότερα καὶ μαλακὰ μετὰ τοῦ λευκοῦ φοινίσσοντα ἐκ μέρους. Nihil est quod conveniat magis. Plinius Græca ista de flore hippophais ita reddidit suo more hallucinans: *Hippopheos in sabulosis maritimisque nascitur, spinis albis hederæ modo racemosa, candidis ex parte rubentibus acinis.* Non acinos eam habere dicit Dioscorides, sed flores hederæ modo racematim congestos. Eos flores in stœbide Cretica ex viridi rufescentes faciunt, qui color quoque congruit in hippophei floribus ex parte rubentibus &

G candido mixtis. Folia non usquequaque in utroque concordant. In stœbe Cretica traduntur esse similia pimpinellæ sanguisorbæ. Dioscorides in hippophaë tradit esse longa, oleagineorum formâ, sed angustiora & molliora: μακρὰ πρὸς τὰ τῆς ἐλαίας, στενώτερα δὲ καὶ μαλακώτερα. Quod si divisuram adderes, non male responderet hæc foliorum facies foliis stœbes Creticæ. Quod fortasse omisit Dioscorides. Totius fruticis

fruticis forma & natura in utroque non dispar. Στοιβὴ planta in orbem diffusa, surculosa, cubiti altitudine assurgens, cui spinæ inter folia acutæ crebræque. Hippopheos Discoridi, θάμνος φρυγανώδης, πυκνὸς, ἀμφιλαφὴς & inter folia spinas habens ξηρὰς, ὑπολόχνους. Vides similitudinem stæbes & hippophei, quæ ad hoc saltem facit, ut recte eas junxisse videatur Theophrastus. Plinius quoque eas junxit lib. XXII. cap. XI. sed nulla ibi capitum divisio, & post stæben sequitur *hippopheos*. Idem utriusque usus ad fullonicam rem, idemque nomen. Nam ut στοιβὴ φεὼς, ita ἱππόφεως στοιβή. Galenus in Lexico: ἱππόφεως, τοῦτο οὐ μόνον ἱππόφαες ὀνομάζεται, ἀλλὰ καὶ κνάφος, καὶ στοιβή. Idem apud Hippocratem στοιβῆς καρπὸν interpretatur ἱπποφέω σπέρμα. Eadem igitur στοιβὴ cum hippopheo. Theophrastus lib. VI. cap. I. καὶ ὁ φεὼς ὃ δή τινες καλοῦσι στοιβήν. Sic enim ibi scribendum. Hæc cum ita sint, non minima heic occurrit mirandi occasio, re ac nomine adfines spinas, ac prope easdem, tam contraria inter se vi constare, ut altera adstringat, altera solvat. Quo vereri cogor, ne Dioscorides adfinitate nominum ductus ex altero hippopheo vires, ex altero effigiem traxerit, & sic unum effecerit ex duobus. Supra spinam φεὼ nasci tur, epithymi sive cuscutæ, ut hodie vocant, genus, quod ἐπιστοίβην etiam dixerunt. Nam φεὼς & στοιβὴ idem. Hoc genus etiam ἐπίφεως videntur quidam appellasse, ut ἐπιστοίβην. Immo etiam ἱππόφεως quasi quod pheon scanderet, eique inequitaret. Certè Plinius disertis verbis, ubi de epithymo agit, id quosdam hippopheon vocare tradit. Deinde eas illi facultates attribuit, quas Dioscorides suo dat hippopheo vel hippophaï. Simili etiam virtute pollet epithymum in alvo solvendâ ac detrahendâ bile & pituitâ. Duplex itaque hippopheos, alterum quod idem est ac majus φέως, ut ἱπποσέλινον majus apium: alterum quod est epithymum phei sive cuscuta, supra pheon nascens eique inequitans. Hujus hippophei facultates alteri transcripsit hippopheo Dioscorides. Nec hoc magis mirum videri debet, quam eumdem Dioscoridem, quid esset ἐπίθυμον, ignorasse. Nam ἐπίθυμον suum sub ea facie proposuit, ut appareat putasse, genus esse thymi durioris ac thymbræ simili. Quin immo & multi alii, qui eum sequuti sunt, ἐπίθυμον pro altero genere thymi thymbræ simili ac minimè capitato posuerunt. At virtutes illi thymo adscripsit, quæ propriæ sunt epithymi, quod supra thymum nascitur; estque genus cuscutæ, quæ supra pheon sive stæben quoque involucri modo nasci consuevit. Στοιβὴ igitur φεὼς eadem fermè aut ex eodem genere cum hippopheo spina, quæ & ipsa quoque στοιβὴ dicta est. Aliud ἱππόφεως phei sive στοιβῆς involucrum, quod est epithymi genus & pari cum epithymo facultate præditum. Alius etiam φλέως palustris herba, quæ στοιβὴ etiam appellata, quod tomenti usum præstiterit ad farciendos & implendos toros, & strata sive sagmata animalium. Atque inde illi nomen. Nam φλεῖν est γέμειν. Ex eo φλεὼς, & φλοῦς. Et φλεώδης ἀνὴρ Longino tumidus & inflatus, pro quo perperam φλοιώδης scribitur, ut apud Hesychium & Veterinarios φλοιὸς στοιβὴ pro φλεώς. Quod ad Hippopheon attinet, Neophytus aliique Græculi recentiores *lappaginem* à Romanis vocari affirmant. Atque ita Gaza apud Theophrastum ubique interpretatur. Haud scio an vera sit hæc sententia: immo falsam scio. Hippopheos spina est. Nec lappa nec lappago spinæ sunt. Lappaginem Plinius docet similem esse anagallidi, nisi esset ramosior & pluribus foliis aspera. Videtur esse ἀπαρίνη vel genus ἀπαρίνης. Hoc sic colligo. Dioscorides antirrhinum dicit simile esse anagallidi foliis & caule. Theophrastus simile ἀπαρίνῃ facit. Plinius verò lino his verbis: *Antirrhinon vocatur sive anarrhinon sive lychnis agria, similis lino, radice nullâ, flore hyacinthi, semine vituli narium.* Primi in hac herbaria doctrina Viri censent Theophrasti & Dioscoridis codices mendosos esse. Immo sani illi sunt, sed diversum Plinii antirrhinon à Theophrasteo, quod idem cum illo Dioscoridis. Dioscorides

A antirrhinon suum flore albæ violæ esse scribit, purpureo, sed minore; unde & lychnis agrestis cognominata est: πᾶ ἐστὶν ἐμφερὴς ἀναγαλλίδι φύλλοις καὶ καυλῷ, ὧν ἡ ἄνθη λευκοίῳ ὅμοια, διὸ καὶ ἀγρία λυχνὶς καλεῖται. Ita legenda hæc verba. Hoc dicit, quia lychnis florem quoque similem habet λευκοίῳ & purpureum. At Plinii Antirrhinum flore est hyacinthi. Multum specie differunt, flos leucoii & flos hyacinthi. Antirrhinum porro, quod florem habet hyacinthi, non potest dici λυχνὶς ἀγρία, sed illud tantum, cujus flos similis leucoïo. Plinius tamen miscuit hæc varia antirrhini genera. De hyacintho autem com-
B muni non est intelligendum, cum florem antirrhini comparat flori hyacinthi; sed de fabulari & poëtico, qui similis est iridi. Flos antirrhini Pliniani utcunque figuram refert hyacinthi hujus sive gladioli. Nec dubium est secundum & quartum genus antirrhini, quale apud Matthiolum depingitur, idem esse cum antirrhino Pliniano, lini folio, hyacinthi flore. Χάσκουσαν hodie in Creta vocari observat Honorius Bellus, quam mulieres usurpant ad amatoria. Is putat, esse φύτευμα Dioscoridis, quod simile στρουθίῳ dicitur. Atqui antirrhinum est, cujus usus olim plurimus ad philtra, idque χάσκουσαν ap-
C pellari vulgari Græcorum linguâ adnotat, & κυνοκέφαλον. Verba ejus hæc sunt: Κυνοκεφάλιον, οἱ δὲ ἀντίῤῥινον, οἱ δὲ κυνόῤῥοδον, οἱ δὲ λυχνὶς ἀγρία, οἱ δὲ χάσκουσαν. Bellus hanc χάσκουσαν similem tradit struthio. Hoc de phyteumate scribit Dioscorides. Sed notandum, illud Belli struthium esse χυμβὴν Græcorum recentiorum, quæ nihil minus est quam στρούθιον antiquorum. Tinctoria quippe est herba, quæ lino folia similia gerit vel genistæ potius, sed longiora. De qua supra diximus. Non malè ergo dicatur, antirrhinum sive χάσκουσαν habere folium simile χυμβῆς, quæ longè alia est à struthio Veterum. Cæterum
D antirrhinum Theophrasti aparinæ simile est, Dioscoridis anagallidi. Certè tertium antirrhinum Matthioli folia fert non multum absimilia aparinæ. Plinius vero lappaginem similem statuit anagallidi. Quod non convenit cum iis generibus anagallidum, quas observarunt nostri Herbarii. Plinius ipse alio loco ἀπαρίνην Theophrasti *lappam* vertit, non lappaginem. Ut in his verbis Theophrasti, quæ sic legenda sunt lib. VII. cap. XIV. de aparine: ἐν τούτῳ γὰρ ἐγγίνεται τῷ τραχεῖ τὸ ἄνθος οὐ προϊὸν, οὐδ' ἐκφαῖνον, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πεττόμενον καὶ σπερμογονοῦν,
E ὥστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλεῶν καὶ κηδῶν· ἐκεῖνα τε γὰρ ἐν ἑαυτῷ ᾠοτοκήσαντα ζωογονεῖ, καὶ αὐτὸ τὸ ἄνθος ἐν ἑαυτῇ κατέχουσα καὶ πέττουσα καρποτοκεῖ. Plinius hæc sic breviter reddidit verbis pariter emendandis ad hunc modum lib. XXI. cap. XVII. *Notabile & in lappa quæ adhærescit, quoniam in ipsa flos nascitur, non evidens, sed intus occultus, & intra se semen dat, velut animalia quæ in se pariunt.* Locus vulgo satis vitiosè scriptus. Hic lappa est ἀπαρίνη. Alibi *lappaginem* pro eodem posuit. Ubi duo ejus genera numerat, *mollug inem* dictam & *asperuginem.* Alibi *lappæ boariæ* & *lappæ canariæ* meminit. Certè lappago, ut ex nomine ipso indicium, debet esse similis lappæ. Non tamen hippopheos Græco-
F rum est, ut Neophytus censuit, nisi quatenus hippophaës spina est fullonia depectendis vestibus, & vellicatim deradendis. Lappam vero, quidquid deradit & vellicat asperitate suâ, Latini vocarunt. Unde & *lappa* Servio, id quo lana decerpitur. Omnia semina aspera & vestes retinentia, lappa dicuntur Plinio. Unde *lappæ minutæ* de tenuibus & asperis seminibus. Et *lappæ grandes* de personata, quæ capitula fert grandiuscula, & vestibus adhærescentia. Addam & hoc, longè eos falli, qui στοιβὴν credunt esse quam vulgo vocamus *scabiosam.* Nec minus errant, quibus persuasum, hanc her-
G bam Veteribus incognitam. Ψωρικὴν πόαν Græci vocarunt, quod est ad verbum *scabiosam.* Pelagonius cap. CCC. ad scabiem jumentorum & hominum: Βοτάνην ψωρικήν, τὴν λεγομένην ῥοδόδενδρον, ἤτοι ῥοδοδάφνην, καὶ βοτάνην περδίκιον τὴν ἐν τοῖς τοίχοις, ἤτοι σιδηρῖτιν τὴν παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένην παρελιταρίαν. Aëtius

tius ψώραν vocat. Græci recentiores nomine Latino καμπιοῦσαν aut σκαμπιοῦσαν, vocem non intellectam Fuchsio apud Myrepsum. Atqui nihil aliud significat quam scabiosam. Nam μπ Græci recentiores usurpant pro B Latino. Νηρὸν καμπιούσης, *aqua scabiosæ*. Cujus hodieque apud fœminas, quæ familiaria medicamenta componunt multa commendatio. Sed hæc alibi. Ἱπποφαὲς apud Dioscoridem Herbarius Arabs interpretatur Arabice شوك القصار *such alkasar*, id est, spina fullonis, κναφικὴ ἄκανθα.

CAPUT LXII.

Lappa & ambrosia.

Lappam vulgò hoc tempore appellatam in officinis audimus, quam veteres Græci ἄκελον & προσωπίδα, Latini *personatam* dicebant. At lappa ætate Plinii in Latio vocabatur ea herba, quæ in Græcia ἀπαρίνη. De ea dictum est supra.

Ambrosia non eadem penes infimam Latinitatem ac penes antiquam vel teste Strabo, qui in Hortulo ita canit:

Haud procul ambrosiam vulgo quam dicere mos est,
Erigitur laudata quidem, sed an ista sit illa,
Cujus in antiquis celeberrima mentio libris,
Fit dubium ex multis.

Ambrosium Plinius vagi nominis esse dicit, & circa alias herbas fluctuati. Βότρυν herbam etiam sic vocarunt quidam. Inter στεφανωματικὰ eam recenset Dioscorides & Cappadocas eâ coronari solitos scribit: καταπλέκεται δὲ ἐν Καππαδοκίᾳ στεφάνοις. At Nicander ambrosiam coronamentariam de lilio quibusdam vocari canit:

Ἄκρινα, λείρια δ' ἄλλοι ἐπιφθέγγονται ἀοιδῶν,
οἱ δὲ καὶ ἀμβροσίην.

Athenæus ipse lib. XV. Ἀμβροσίαν ita interpretatur apud Carystium in Historiis commentariis: καὶ ἀμβροσίαν δὲ ἄνθος τι ἀναγράφει Καρύστιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι γράφων οὕτως· ὁ Νίκανδρός φησιν ἐξ ἀνδριάντος τῆς κεφαλῆς Ἀλεξάνδρου τὴν καλουμένην ἀμβροσίαν φύεσθαι ἐν Κῷ. Nicandri ambrosia coronaria in Georgicis, lilium est. Haud scio tamen, an ita par sit hoc loco intelligi. Ambrosia etiam sedum majus dictum est, Dioscoride teste his verbis, quæ sic legenda sunt ex antiquissimi codicis auctoritate rejectis cæteris cognominibus, quæ spuria esse constat: Ἀείζωον μέγα ὠνόμασται διὰ τὸ ἀειθαλὲς τῶν φύλλων, οἱ δὲ βούφθαλμον, οἱ δὲ ζωόφθαλμον, οἱ δὲ ἀμβροσίαν καλοῦσι.

CAPUT LXIII.

De lupulo.

Lupulum vulgarem herbam Herbarii nostri à Græcis recentioribus βρύον appellari in doctissimis commentariis, quos de plantarum naturâ composuerunt, docent. Nondum in eos Græcos incidi, qui id tradiderint; nec verum opinor. Unde enim lupulus βρύον? Sed suspicor illos, cum scriptum esset compendio βρυωνία, id quasi βρύον legeretur, accepisse. Et sane ita est. Vidi Græcos recentiores, qui bryoniam sive vitem albam de ea herba interpretarentur, quam nostri vocant *lupulum*. Scholium vetus in antiquissimo codice Pauli Æginetæ ἄμπελον λευκήν, quæ & βρυωνία vocata est, exponit χουμελοβότανον. Ita Græci vulgari linguâ vocant herbam cervisiæ conficiendæ aptam, quæ χουμέλη ipsis dicitur. Hæc alia non potest esse quam lupulus noster, qui tamen non est bryonia. Sed quia aliam herbam in Veterum scriptis non inveniebant, cui melius de facie comparari posset, βρυωνίαν esse dixerunt. *Lupuli* etiam nomen non sincere Latinum, sed corruptum. Vera vox antiqua *upulus* vel *opulus*. Inde *hublonem* nostri finxerunt perpetuo suo more aspirandi, quæ à Latinis mutuati sunt vocabula. Ut contra sine adspiratione pronuntiant, quæ in Latio adspirantur. Huic si attendis observationi, verissimam deprehendes. Glossæ veteres: *Opulus*, κισσόφυλλον. Hæc expositio pertinet ad alteram βρυωνίαν, quæ vitis est nigra, cujus folia hederæ similia. Sic vides *opulum* alios de bryonia alba, alios de nigrâ interpretatos. Neutri verum attigere. Neophytus in synonymis bryoniam nigram Romanis etiam dictam vitem albam dicit: Βρυωνία μέλαινα Ῥωμαῖοι οὔβα Ταμίνια, οἱ δὲ βαττανοῦτα, οἱ δὲ βίτις ἄλβα. Plinius *opulum salictarium* vocat, quia salices scandat & alliget. Lib. XXI. cap. XV. *præter has pastinacam pratensem, opulum salictarium, eaque verius oblectamenta quam cibos.* Malè editur: *lupum salictarium.* Hujus opuli vel upuli salictarii mentionem etiam factam comperi à Catone, sed locus hodie in vitio sepultus veram lectionem dissimulat. Sic enim legitur vulgo de R. R. cap. XXXVII. *Ex segete vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam altam ulvamque: eam substernito ovibus, bubusque frondem putidam.* Ulva illa nihil ibi facit, nec ad rem est. Omnino scribendum: *& circum salicta herbam actam upulum. Eam substernito ovibus.* Plinius hunc Varronis locum citavit lib. XVII. cap. IX. quo loco legitur in omnibus libris, *herbam actam ulvamque.* De ulva certum est, ibi locum non habere. Nec minus deberi eam sedem opulo herbæ, quæ circum salicta agitur & crescit. Ex eo loco opulum suum salictarium Plinius expiscatus est. Nec dubium, esse nostrum *houblonem* manifesto nominis argumento. Nam *oplonem* pro *opulo* dixere recentiores, ut *maniplum* pro manipulo, *sitlum* pro situlo. *Cardonem* præterea dicere amant, qui carduus est: & similia. Nos porro de more nostro adspirationem & voci adjecimus & omnibus aliis de Latio acceptis. *Opulum* videntur veteres Latini appellasse, quod epulis idoneus esset, quas *opulas* antiquitus dicebant, ut voto pro veto, voster, pro vester, & similia. Βρυωνίαν falso Græci recentiores nuncuparunt.

CAPUT

CAPUT LXIV.

Linozoſtis.

UT Græcos quoque intermiſceam, aliter λινόζωσιν ſumit recens Græcia, aliter vetus. Mercurialem herbam Latinorum iſta ſic vocat. Gloſſæ: *Herba mercurialis*, λινόζωσις, βοτάνη. Sic legendum. At hodierna Græcia λινόζωσιν nominat, quæ *podagra lini* vulgo vocatur quibuſdam. Λινόζωσιν hac notione uſurpavit Græcus interpres librorum Ariſtotelis de plantis: ποτὲ οὖν γεννᾶται ἡ λεγομένη λινόζωσις. Ad oram ipſe ſe explicat his verbis: αὕτη ἡ λινόζωσις λέγεται παρ' Ἰταλοῖς ποδάγρα λίνου. Quod linum cingat & ambiat, factum illi nomen. *Anginam lini* nonnulli appellant. Hujus generis eſt & epithymum, quod ſupra thymum naſcitur, ut λινόζωσις lino innaſcitur. Aviſenæ dicitur *keſluth* vel *keſuth*, ex antiquo Græco κασύτας apud Theophraſtum & Plinium. Κοσσύθην & κασσύθην vocat Charito. Quidam corruptè *cuſcutam*; de quo nos alibi. Vereor ut poſſit probari Herbariis noſtris, ἐπίθυμον Dioſcoridis non eſſe vulgare Græcorum epithymum, ſed thymi ſpicati & communis florem. Nihil tamen verius, & pluribus id alibi à nobis confirmatum eſt. Si non credunt mihi, credant ipſi Dioſcoridi, qui in alypi mentione ſcribit, ſemen illi tribuit, quale eſt epithymi: ἄνθος μαλακόν, κοῦφον· ῥίζα ὡς σεύτλου μεστὴ ὀποῦ δριμέος, σπέρμα ὡς ἐπιθύμου. Qui verba hæc ab A Oribaſio non agnoſci adnotant σπέρμα ὡς ἐπιθύμου, non propterea perſuadebunt delenda hinc eſſe, quoniam agnoſcuntur ab omnibus antiquis Dioſcoridis exemplaribus. Epithmum, quod involvitur ſupra thymum, & eſt ſpecies caſytæ, non habet ſemen. Ergo ἐπίθυμον Dioſcoridis thymum eſt vulgare ac durius, thymbræ ſimile. Quod enim θύμον appellatur ac deſcribitur ab eodem Dioſcoride, thymum eſt Græcum capitatum, ut fuſius in Exercitationibus demonſtravimus. Oribaſius non aliter accepit ἐπίθυμον apud B Dioſcoridem, quam pro altero thymi genere, thymbræ ſimiliori. Nec aliter interpretatus eſt Aviſena, qui *elthymum* vel *althymum*, corrupto nomine ex ἐπίθυμον, vocat, & ſemen eſſe ac florem dicit. Cum certum ſit, ſemen non habere epithymum, quod thymo adnaſcitur eique circumvolvitur. Græci Barbari ἄνθυμον & ἄφθυμον nuncupant ex Arabico, Lexicon vetus: Ἄνθυμον, τὸ ἐπίθυμον. Animadverſione tamen dignum eſt, quod obſervavimus, Dioſcoridem ἐπίθυμον, quod pro flore alterius thymi ſpicati poſuit, confundere cum epithymo caſyta. C Facultates ſunt epithymi caſytæ, formæ deſcriptio reſpicit thymum alterum, partim etiam verum epithymum. Sic in aliis ſolet, ut ſæpe perſpeximus.

CAPUT LXV.

De picea & pinu.

IN arboribus eamdem licentiam nominum permutandorum ac de alio genere in aliud genus tranſcribendorum temporibus partim invectam, partim inſcientiâ vulgi introductam, pauca exempla ſubjecta clare teſtabuntur. *Platanum* in Gallia vocamus, quæ à vera platano tam longè diſtat, quam quod longiſſimè. Aceris ſpeciem eſſe conſtat, cui nomen platani fecimus. Sycomori vocantur in Italia, qui ſycomori non ſunt, & maxime abſunt ab hujus appellationis merito. Siquidem hæc arbor eſt, quæ lotos potius Italica antiquorum cenſeri debet, quamque adeo Aviſena vocat *azadareth*, & fructum ferre ſimilem *nabach* dicitur, id eſt, loto. *Sapinum* Gallia omnis vocat abietem priſcorum. At quam *ſappinum* veteres Latini dixere, non eadem eſt cum abiete. Sativam piceam Plinius aliquot locis eo nomine appellari docet. Temere proinde Matthiolus Bellonium noſtrum inſectatur, quod Gallorum ſuorum idioma ſequutus, arborem quamdam ex picearum genere abieti ſimilem, *ſapinum* olim vocatam affirmaverit. Ipſe vero Matthiolus nullam per ſe arborem ſic vocatam contendit, ſed partem abietis à terra enodem ex Plinii auctoritate ita dictam defendit. Sanè ex Plinii errore ipſe incidit in errorem. Non enim pars inferior abietis ſappinus appellata, ſed *ſappinea*, ut disertè teſtatur Vitruvius, à quo id Plinius accepit; quod nimirum *ſappino* ſimilis eſſet, & pariter enodis. At ſuperior *fuſterna* à nodorum frequentiâ, qualis eſt in fuſtibus. *Sappinum* piceam ſativam Plinio haberi, uno & altero loco planum faciemus. lib. xv. cap. x. de nucum pinearum generibus: *Tertium ſappini è picea ſativa, nucleorum cute verius quam putamine, adeo molli, ut ſimul mandatur.* Sic eum locum correximus ex veſtigiis veteris ſcripturæ, quæ habet: *Tertium Appinia picea ſativa.* Idem lib. xvii. cap. xii. in genere piciferarum à quibuſdam ſappinum propriam fieri dicit his verbis, quæ ſic legenda ſunt ex veteribus libris: *Inter hæc genera propriam quidam* D *fecere ſappinum, quoniam ex cognatione harum ſeritur, qualis dicta eſt nucleis, ejuſdemque arboris imas partes tædas vocant, cum ſit illa arbor nihil aliud quam picea feritatis paulum mitigatæ ſitu: ſapinus autem materies cæſa regenerefiat.* Hæc in primis notanda. Sappinum & ſapinum plane diſtinguit. Sappinum cum duplici p nihil aliud vult eſſe quam piceam ſativam, quæ ſeritur nucleis, quales dixit loco ſuperius allato, ubi tertium genus illis in nucibus pineis dedit. Sapinum E autem cum ſimplici p ſpecie differre à picea, & materiem ejus cæſam regnerefieri, id eſt, ἀναβλαστάνειν, cum picea cæſa non regenerefiat. Hic ſenſus & hæc vera lectio illius loci. Vetus quoque Gloſſarium juxta illam Plinii ſententiam *ſapinum*, & *ſappinum* ſeparat, & *ſapinum* πίτυν interpretatur: *ſappinum*, piceam. *Sapinus*, πίτυς. *Sappinus*, πεύκη. Hoc plane ex Plinii mente. Nam πίτυς cæſa regerminat, πεύκη non item. Ergo cum *ſapinus* repullulet, eo ipſo ex genere potius pinuum. Sappinus contra è picearum. F Theophraſtus: πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν ἀναβλαστάνειν, τὴν πίτυν δέ φασί τινες ἀναβλαστάνειν. Sed de radicibus uſtis ibi loquitur, non de cæſo cacumine. In libro de cauſis plantarum tam πίτυν καὶ πεύκην inter eas numerat arbores, quæ cæſæ non repullulant, ſed pereunt. Apud Herodotum habetur Muſâ ſextâ, ſolam ex arboribus pinum, ubi cæſa ſit, ramos poſtea nunquam regenerare, ſed funditus interire: πίτυς μούνη δενδρέων πάντων κοπεῖσα βλαστὸν οὐδένα μετίει, ἀλλὰ πανώλεθρος ἐξαπόλλυται. Hoc idem abieti contingit & piceæ. G Ecce rurſus, quam πίτυν vocat Theophraſtus, ubi ait eam uſtis radicibus repullulare, Plinius, *piceam* reddidit: τὴν δὲ πίτυν φασί τινες ἀναβλαστάνειν, ὥσπερ καὶ εἰς Λέσβον ἐμπρησθέντος τοῦ Πυῤῥαίου ὄρους τοῦ πιτυώδους. Plinius: *Larix uſtis radicibus non repullulat, ut in Lesbo accidit, incenſo nemore Pyrrheo.* Sed verba illa in omnibus deſiderantur, *picea repullulat.* Forte ſcripſerat auctor: *Larix uſtis radicibus non repullulat, ut pino in Lesbo accidit.* Cæterum nihil Plinio in-

inconstantius in illa historia picem gignentium arborum. Fecit hoc horum nominum πίτυς & πεύκη invicem permutatio ac turbatio apud Græcos, nec Viris hujus ætatis doctissimis satis percepta. Romano ista judicio se discrevisse jactat Plinius. Non tamen ipse sibi constat, & modo hoc, modo illud sequitur in vertendis Græcis. Pertendunt viri eruditi per πεύκην apud Theophrastum debere intelligi *pinum*, per πίτυν autem *piceam*. Sanè hoc verum ex sententia Macedonum, qui ita vocabant, quam ibi refert Philosophus. Verum aliter hæc genera distinguebant ac nominabant Arcades, ut ibidem memorat Idem. Namque eam quam Macedones πεύκην ἥμερον dicebant, ipsi πίτυν magis videri volebant, ac sic ipsis nuncupabatur: οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀρκαδίαν, οὔτε τὴν ἄκαρπον λέγουσιν οὔτε τὴν ἥμερον πεύκην, ἀλλὰ πίτυν εἶναί φασι. Hæc pinus domestica, quæ Macedonibus πεύκη, Arcadibus πίτυς vocata. Quapropter secundum dialectum Arcadum πίτυς erit Latinorum pinus, non picea. Siquidem negant piceam ullam conspici, quæ sit urbana. Profecto Evander Arcas hanc nomenclaturam Latio intulit. Etenim ex nomine Græco πίτυς, descendit Latinum pinus. Ut ex πεύκη, picea. Æoles quippe & Arcades πέκκη & πέκκεια. Inde *picea*. Nam casci Latini non geminarunt consonantes. Multi etiam Græciæ populi consenserunt idiomati Arcadum in his nominibus usurpandis. Theophrastus στρόβιλον πεύκης vocat, quæ nux est pinea, edulis illa & omnibus nota. Non debet hoc de piceæ nucleis accipi, quos edundo non esse satis inter omnes convenit. Atqui hanc ipsam nucem πιτυΐδα Græci passim vocarunt, & proinde πίτυος nomine, Latinorum pinum intellexere. Diocles Carystius antiquus medicus πιτύϊνα κάρυα vocavit, ut Alexander Myndius πιτυΐνους κώνους. Unde apparet eadem significatione πίτυν eos usurpasse, ut Latinos *pinum*. Athenæus: Μνησίθεος ὁ Ἀθηναῖος ἰατρὸς ἐν τῷ περὶ ἐδεστῶν, ὀστρακίδας καλεῖ τῶν κώνων τοὺς πυρῆνας, ἔτι δὲ κώνους· Διοκλῆς δ᾽ ὁ Καρύστιος πιτύϊνα κάρυα, ὁ δὲ Μύνδιος Ἀλέξανδρος Πιτυΐνους κώνους· Θεόφραστος δὲ τὸ μὲν δένδρον πεύκην ὀνομάζει, τὸν δὲ καρπὸν κῶνον. Vides Alexandro Myndio & Carystio Diocli πίτυν dici, quæ πεύκη Theophrasto ex qua *nuclei pinei* edules Latinorum. Antiquissimus quoque scriptor Herodotus fructum πίτυος στρόβιλον & κῶνον à posterioribus Græcis vocatum asserit in vita Homeri κἀνταῦθα αὐτῷ ἀναπαυομένῳ τὴν νύκτα ἐπιπίπτει καρπὸς τῆς πίτυος ὃν δὲ μετεξέτεροι στρόβιλον, οἱ δὲ κῶνον καλέουσι. Deinde versus recitat quos è vestigio fudit Homerus, cum illa nux pinea ipsi decidit in caput; in quibus πεύκην appellat, quæ Herodoto πίτυς:

Ἄλλα τίς σου πεύκη ἀμείνονα καρπὸν ἵησιν.
Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου ἠνεμοέσσης.

Sic πεύκη Homero pinus est, quæ nucem fert, pineam Latinis dictam, Græcis στρόβιλον & κῶνον. Herodoto eadem dicitur πίτυς, estque Latinorum pinus. Hinc passim poëtæ Latini *pinum* Pani amatam Arcadico deo indigetant, nunquam piceam. Hęc quoque Græcis πίτυς. Unde illud ænigmaticum in Syringe Theocriti de Pane: ἀλλ᾽ οὐ πιλιπὲς, αἶθε πέρος περὶ τε τέρμα σάκους. Nam πίτυς, id est, pinus amata Pani. Cui si tollas π litteram, remanebit ἴτυς, quæ clypei extimas oras significat. Sic alii Græcorum πίτυν vocarunt pinum, alii πεύκην, idque ex varia dialecto Macedonum & Arcadum. Hæc permutatio nominum adeo Plinium turbavit & intricavit, ut modo his, modo illis adhæreat, & mirificis modis totam illam rem impediat. Communior tamen usus Græcorum πεύκην dixit, quæ Latinis *pinus*. Πεύκη est Theophrasto, quæ plurimam facit picem & tædam maximè præstat. Unde πεύκη Græcis poëtis lampades ac faces & πευκίδες. Latini *pineas tædas* vocant, & *pineas faces*, & *pinum* absolutè pro lampade. Picea autem, nec pice abundat, nec multam tædam subministrat. Hæc cum ita sint, Plinius scribit, piceam plurimum resinæ fundere, & pinum minimum. Quod contra est. Nam πεύκη, quo sensu dicitur Macedonibus, maximè ἔνδαδος & πιώδης. Hæc quippe Latinis *pinus*. Vice versa πίτυς, qua notione sumitur apud Arcades, pluri-

A mum resinæ fert, & multam tædam præbet. Praeterea pinus est, quæ laborat tædâ nimiâ, non larix. Ea πεύκη Theophrasti. Non larix, ut Plinius vertit, sed pinus. Glossæ veteres: *pinus*, πίτυς, πεύκη. Rectè hoc iste auctor. Nam πεύκη & πίτυς idem juxta diversam dialectum. Quæ diximus, eo non pertinent, ut putare debeamus, cum πεύκη sit pinus, πίτυν esse piceam. Nihil tale consequens est. Et tollenda hæc opinio ex animis hominum doctorum, quibus alii homines docti id persuadere potuerint. Sanè vel doctissimos omnes in hoc video errore conspirare, ut quia πεύκη de pinu apud
B Theophrastum sit intelligenda, πίτυν consequenter ac necessario de picea intelligi credant. Paucis sed certis argumentis contrarium probavero. Si πεύκη ἥμερος Macedonum pro picea debet accipi apud Theophrastum, sanè & πίτυς Arcadum eodem intellectum sumi necesse fuerit. Nam Arcades id πίτυν vocabant, quod Macedones πεύκην. Atqui πεύκη Macedonibus pinus. Ergo & Arcadibus idem erit πίτυς. Male igitur πίτυν vertunt piceam. Quod si rectè illos ita vertere concedimus, tum concedant oportet, etiam πεύκην significare piceam. Quæcunque apud Theophrastum explicantur de πεύκης ac
C πίτυος differentiis, non piceæ ac pinus discrimina constituunt, sed inter pinum & pinum distinguunt. Πίτυς Arcadibus certum πεύκης genus, id est, certa pini species. Macedones πεύκης nomine omnia genera comprehendebant, eaque inter se distinguebant, folii, fructûs, ligni formæ, natalium differentiâ. Arcades πεύκην ἥμερον Macedonum, hoc est, pinum domesticam & urbanam nominabant πίτυν. Item πεύκην ἄκαρπον hoc eodem nomine donabant, quæ tertium genus faciebat ex silvestribus pinis. Οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀρκαδίαν, οὔτε τὴν ἄκαρπον λέγουσιν, οὔτε τὴν ἥμερον πεύκην, ἀλλὰ πίτυν εἶναί φασι. Ergo excer-
D ptâ domesticâ πεύκη & tertiâ specie agrestium, cætera genera πεύκης appellatione retinuerunt Arcades. domesticam & agrestem ἄκαρπον vocarunt πίτυν. Theophrastus ipse in sequentibus πίτυν absolutè vocat, agrestem: κωνόφορον vero, quæ Macedonibus ἥμερος πεύκη. Expositis aliquot differentiis πίτυν generatim à πεύκη differre dicit, quod πίτυς sit minus procera minusque recta, magis tenuia habeat folia, minoremque conum. De cætero ambo esse τριχόφυλλα. Ergo quod ad folii formam attineat, parem obtinent πίτυς & πεύκη, nempe capillaceam. Collige jam ex his πίτυν à πεύκη non eo-
E dem modo differre, ut differt pinus à picea. Nam piceæ coma in totum figurâ discrepat à pinea. Pinus quippe τριχόφυλλον, longis, prætenuibus, & subrectis, undique ex ramo surgentibus foliis, capillaturæ instar. In picea ordine utrimque disposita folia, veluti pinnata habentur, aut pectinis modo insecta. Talia sunt & abietis. Plinius lib. XVI. cap. XXIV. *Folia capillata, pino, cedro* (Theophrasti τριχόφυλλον expressit) *insecta pectinum modo, piceæ, abieti*. Alibi *pinnatum* vocat abietis folium ex Theophrasto. Cum igitur tam πίτυς quam πεύκη Theophrasti capillata habeat folia, sequitur necessario πίτυν non esse piceam, quæ non est τριχό-
F φυλλος & longè diversam obtinet foliaturam à pinu quam πεύκην dici constat. Aliud ecce argumentum. Idem Philosophus, ubi abictis formam edisserit, solam ex cognatis arboribus pecuiari specie præditam dicit ramorum recta dispositione & pinnato foliorum ordine: ἔχει δὲ πτέρυγας τὸ φύλλον καὶ ἐπὶ ἔλαττον, ὥστε τὴν ὅλην μορφὴν εἶναι κυκλοειδῆ καὶ παρόμοιον μάλιστα τοῖς Βοιωτικοῖς κυνέαις· καὶ ἡ βλάστησις ἰδία τις παρὰ τὰς ἄλλας καὶ μόνη τάξιν ἔχουσα. Hæc præter alias eam habere dicit, pullulandi certum ordinem. Quod alibi explicavit. Plinius de abiete ex illis Theophrasteis: *arbore rotundior, folio pinnato densa, ut imbres non transmittat*. Idem
G lib. XVI. cap. XXX. *Quibusdam ramorum ordo, sicut piceæ & abieti*. Hæc cum ita sint, formam abietis Theophrastus cum πεύκη comparat, quam pinum apud eum significare non dubitatur. Atqui potuit, certè debuit ex proximiori similitudine, eam cum picea componere, ut ex collata facie utriusque, quâ in

quâ in re differrent aut similes essent, melius appareret. Hoc sine dubio fecisset, si πίτυς eidem picea esset. Quis enim nescit, piceam simillimam abieti esse? Quod nec Plinius ignorare nos voluit: *picea rami pæne statim ab radice modici, velut bracchia, lateribus inhærent, similiter abieti expetitæ navigiis.* Si πίτυς igitur picea est, ut esse volunt apud Theophrastum, longè major ratio illi fuerat conferendi abietem cum picea quam cum pino, ad formæ ejus ac naturæ discrimina indicanda. Atqui cum pino eam confert: τῷ δὲ μεγέθει καὶ μέγα καὶ πολὺ τῆς πεύκης ἀμηκέστερον. Et passim in his, quæ sequuntur, πεύκην, id est, pinum assumit, ut edoceat, quibus rebus cum ea similis aut dissimilis sit abies. Quid tergiversamur? Πίτυς Theophrasto picea non est: alioquin eam cum abiete, cui simillima est, composuisset. Πεύκη etiam apud eumdem pinus est. Quo igitur nomine dicemus notam illi fuisse piceam? Hoc sanè quæramus. Sed nullum interim mihi dubium est, quin eam cognoverit & descripserit sub altero ex abietis generibus. Adeo indiscretæ similitudinis piceam & abietem esse fabri lignarii sciunt, ut sæpe alteram pro altera capiant. Abietem Theophrastus in fœminam ac marem dividit. Fœmina erit picea, mas abies. Si omnia exquiras, non aliud invenias. Sanè nec πίτυς, nec πεύκη pro abiete Theophrasto. Diximus ante πίτυν absolutè apud eum positum pro pinûs silvestris certo genere, quæ fructum non fert. Ἄκαρπον vocat: Idque ex sententia Arcadum. At πεύκη κατ' ἐξοχὴν pinum domesticam significat eidem. Hinc inter agrestia fere semper πίτυν recenset, quæ ἄκαρπος πίτυς intelligenda; in cujus nucamentis nulli nuclei reperiuntur edules. Πεύκην vero etiam in silvestrem & sativam distinguit. Cujus πεύκης species silvestris etiam nucleos edules dat. Plinius vero magno errore ac confusione nominum, πίτυν in Græcis Theophrasti vertit piceam, πεύκην autem laricem. Ut in hoc loco: ἡ δὲ πίτυς δοκεῖ τῆς πεύκης διαφέρειν, τῷ λιπαρωτέρα τε εἶναι καὶ λεπτοφυλλοτέρα καὶ τὸ μέγεθος ἐλάττων καὶ ἧττον ὀρθοφυής· ἔτι δὲ καὶ τὸν κῶνον ἐλάττω φέρειν καὶ πεφελλωμένον μᾶλλον. Plinius in his Latine vertendis, & aliis deinceps toto capite, πίτυν pro picea accepit, πεύκην pro larice. Sed vide inconstantiam. Alibi πίτυν & πεύκην apud Theophrastum, *pinum* & *piceam reddidit* reddidit. Verba Theophrasti lib. III. cap. VI. πεύκη δὲ καὶ πίτυς προτερεῦσι τῇ βλαστήσει μικρὸν ὅσον πεντεκαίδεκα ἡμέραις. Plinius lib. XVI. cap. XXVI. hæc sic reddidit: *Pinus autem & picea præveniunt germinatione quindecim diebus.* Sic πεύκη hoc loco illi pinus, πίτυς picea. Cur igitur alibi πεύκην exponit laricem? Πεύκη & πίτυς sæpius junguntur, ut cognatæ arbores & congeneres. Magis differunt picea & pinus. Loca auctorum, quæ superius produximus, abundè arguunt πίτυν esse pinum vel pini speciem. Græco Epigrammate ὀξυτόρου vel ὀξυπόρου πίτυος de pinu, non de picea cujus rotundior facies, non in acumen cacumine procedens, interpretari postulat. Πεύκην autem non esse piceam, sed pinum multa testantur: & illud inprimis quod Plinius laricem frequentius reddit, quæ in pinuum potius genere quam picearum. Glossæ veteres: Πεύκη, *larix, pinus, tæda.* Optimæ ac vetustissimæ

A Glossæ de arboribus: Πίτυς, *pinus.* Πεύκη, *sappinus.* Plinius piceam sativam interpretatur. Ea est πεύκη ἥμερος Macedonum, & κωνόφορος Theophrasti. Debuit igitur vertere, *pinum domesticam vel sativam.* Eam vult esse *sappinum*, quam à sapino diversam facit, quia cæsa repullulet. Hariolatur. *Sapinum* alio loco dixit appellari partem inferiorem abietis, & quæ à terra enodis est. Sed *sappinum* ibi etiam scribunt optimi libri. Hoc tamen illâ distinctione voluit inter *sapinum* & *sappinum*, hanc piceam esse sativam quæ cæsa non regerminat: sapinum esse abietem, quæ cæsa regenerefiat, ut alibi se dicturum pollicetur. B Id vero dixit lib. XVI. cap. XXX. quò loco scribit, *abietem totis detruncatis cacuminibus durare.* Jam docuimus, non *sappinum* sed *sappineam* eam abietis partem vocari à similitudine sappini: atque ita vocatur Vitruvio à quo Plinius sumpsit. Meminit idem & *sappinæ* materiæ, quæ ex sappino ducitur, de larice loquens: *tractabilis ad intestinum opus, non minus quam sappina.* Ita vetustissimus legit codex. *Sappinum* porro scribi debere & genus pini esse, nomen ostendit. Puto contractum id vocabulum ex *sapapinus.* Ut ex *solipuga*, *solpuga*, ita ex *sapapinus*, sappinus. Sic vocasse videntur domesticam pinum, quia C plurimo abundaret succo. Ὀῤῥὸν vocat Theophrastus de Idæa pinu, quæ eadem cum domestica & sativa. ἑψηθεῖσα δὲ χείρων ἐκβαίνει διὰ τὸ πολλὴν ἔχειν τὸν ὀῤῥόν. Latini *sapam* dixerunt, τὸν ὀπὸν arborum & ὀῤῥὸν illum, quem intellexit Theophrastus. Inde igitur *sapapinus*, & *sappinus* de pinu domestica. Et rectè quidem Plinius, nihil aliud esse sappinum quam piceam satu mitigatam autumat. Sed male πεύκην ἥμερον de picea accepit, quæ pinus est. Eam, ut dixi, πεύκην ἥμερον Arcades πίτυν vocare malebant, & esse constat *pinum* Romanorum. Inde & *sappineæ* nuces edules, ut & pineæ: ex pino nempe sativa, non ex D picea, ut Plinius voluit. Quippe satis liquet, piceam non habere nucleos, qui sint edules aut cibis commendati. Quartum genus nucleorum pineorum è pinastris, qui sunt silvestres pini, sumi tradit idem Plinius & πιτυΐδας propriè appellari: *Quartum pityidia vocant è pinastris, singularis remedii adversus tussim.* Atqui Græci πιτυΐδας & πιτυΐδας appellant quoslibet nucleos pineos: atque ut Dioscorides scribit, tam πίτυος quam πεύκης. Quod impropriè fieri etiam notat Galenus: nam propriè sunt πίτυος, quæ species est πεύκης, id est, pini. Pinastros autem illos E ab Italis dicit vocari *tibulos.* Ita enim omnes antiquissimi libri eo loco scribunt, de pinastris: *easdem arbores alio nomine esse per oram Italiæ, quos tibulos vocant, plerique arbitrantur.* Hi sunt, qui hodie dicuntur voce modicum deflexa *cirmulo*, & frequentes proveniunt in Tridentino agro. *Sappini* igitur propriè Veteribus pinus domesticæ, & *tibuli* pinus silvestres sive pinastri. Quod autem hodie sappinum vocamus abietem in idiomate nostro, id contra vetustatis auctoritatem. Nam abies similior piceæ quam pino. Vetus tamen hic error & abusio. Nam ætate Servii jam hoc invaluerat, ut ex verbis his ejus colligitur: *Est enim abies species apta navibus, quam sappinum vulgo* F *vocant.* Id fortè ex eo manavit, quod partem in abiete maximè rectam & enodem vocarunt prisci *sappineam*, quod sappinum eo æmularetur.

CAPUT LXVI.

Siler.

Siler eadem Latinitas infimæ ætatis vocavit antiquorum *seseli.* In Viatico, & Antidotario, & Glossis medicis, passim legitur absolutè positum pro seseli. Alii siler montanum nuncupant quasi ad distinctionem alîus sileris. Sanè *Siler* aliud priscis Latinis, sed in totum distans ab hoc silere. Unde apud Poëtam: *molle siler.* Hic Grammatici vete-

G res κύπειρον interpretantur. Non esse, multis vinci potest. Difficilius est dicere, quid sit. Fruticem aptum ad vitilium nexus, ex mollitie virgulti, quam ei tribuit Poëta, colligimus. Inter arbutos sponte nascentes & ubique, præcipue in aquosis recenset; ut notitiæ communi obvium tunc esset:

Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte suâ veniunt, camposque & flumina latè
Curva tenent, ut molle siler, lentæque genistæ,
Populus, & glaucâ canentia fronde salicta.

Plinius quoque ut notissimum fruticem cum salicibus, alnis, populis, ligustris, quæ amant aquosa loca, enumerat. Quo magis mirum, eum ignorare potuisse famosum Grammaticum Charisium Sosipatrum, qui κύπειρον esse vult: cui omnia repugnant. Molle etiam cyperum & vitilibus idoneum, unde κύπειρος

A χοινία Græcis. Sed quidquid ligare potest & viere, non erit siler. Suspicor esse, quam nostrates *vernum* vocant, fruticem plane aquaticum & passim circa fluminum ripas provenientem cum salicibus. At *siler*, quod est seseli, corruptum puto ex antiquo *sili* vel *sile*. Ita enim Plinio vocatur seseli, ut antiquioribus Græcis & inter eos Hippocrati σίλι. Crotonem sive ricinum ita etiam vocarunt: σίλι κύπειον. Quod esse *siler*, aliquando leviter volui. Nunc prorsus B nolo.

CAPUT LXVII.

De citro, unde mensæ citreæ.

Citrus arbor, ex qua citreæ mensæ veteribus in pretio, cognominis citri arboris, quæ mala fert. Illam Græci θύον vel θύαν dixerunt. Hanc μηλέαν Μηδικὴν, quidam etiam κίτριον. Docuimus θύαν Theophrasti esse illam citrum, quæ citreas mensas dabat Romanis inter lautissima opera, ne aliam thyan quærant amplius nostri Herbarii. Ab ea θύϊνα Græcis, quæ Latinis *citrea*. Hæc alibi in Exercitationibus explicata fusius. Ex nominis affinitate quidam hanc citrum pro cedro accepere. Vitruvius τὴν κέδρον apud Aristotelem de citro intellexit, quia sermo erat de Carthaginensibus & Africa, ubi plurima citrus. Verba Aristotelis in admirandis: περὶ δὴ τοῦτον τὸν τόπον κρήνην ἐλαίου φασὶν εἶναι, τὴν δὲ ὀσμὴν ἔχειν τοῦ κέδρου τοῖς ἀποπρίσμασιν ὁμοίαν. Locum illum in Carthaginensium ditione ponit. Vitruvius κέδρον, citrum vertit: *item Carthagini fons est, in quo natat insuper oleum, odore uti scobe, citreo.* Quæ Aristoteli sunt ἀποπρίσματα τοῦ κέδρου; *citreum scobem* hic vocat. Nec aliter legitur in optimo ac vetustissimo codice. Rerum Mauritanicarum hodierni scriptores tradunt, circa Atlantem & in insulis Africæ vicinis cedros reperiri cupressis similes, ex quibus mensæ fiunt & arcæ aliaque opera lautissima. Hujusmodi cedrus non alia potest esse quam citrus sive θύα, quam etiam Theophrastus, & ex eo Plinius similem cupresso describunt, foliis, ramis, & caudice. Et cum Vitruvius lib. II. cap. IX. arbores cedri similes cupresseæ foliaturæ esse dicit, de citro potius quam de germana cedro videtur cogitasse, quæ nequaquam similem habet cupresso foliaturam. Fortasse casci Romani *citrum* dixere, quæ Græcis κέδρος. Atque ita vocarunt eam Mauritanam arborem, quam putarunt esse cedri genus vel cedrum. Nominum vicinitas hoc credibile facit. Sic Arabes *kitran* appellant picem ex cedro, quæ κεδρία Græcis, & *alkitran.* قطران. Contrariâ ratione Græci Latinique recentiores κεδρόμηλα & *cedromela* dixere, τὰ κιτρόμηλα mala citrea ab altera citri arbore. Neophytus & Isidorus ita vocant. Lexicon Latino-arabicum ante octingentos annos scriptum: *citria, cedromela, Medica arbor,* اترج. De variis cedri generibus ac nominibus apud Hebræos, Græcos, & Arabes non est hic tractandi locus. Quod ad hanc citrum attinet, quæ mala fert citrea, quam & Malum Medicam & Assyriam veteres Græci dicunt, à cedro quoque dictam autumat Athenæus, sed ineptè, κίτριον quasi κέδριον. Cedrus, inquit, spinas habet circa folia, æque & citrus. Ergo κίτριον quasi κέδριον. Nihil potuit fingi ineptius. Non omnis cedrus spinas habet, sed ea tantum, quæ inde dicitur ὀξύκεδρος. Nec necesse est, quod citrus spinosa sit, ideo nomen hoc invenisse à cedro. Affinitas nominum, quam supra dicebam, hanc extorsit argutiam. Nomen *citri* de Medica arbore haud satis scio an Latinum. Primus ex Græcis Juba κίτριον in libris suis posuerat, appellatione ut apparet Romanis usitata. Μῆλον ἑσπερικὸν ab Afris vocari dixerat. Ἰόβας Μαυρουσίων βασιλεὺς ἀνὴρ πολυμαθέστατος, ἐν τοῖς περὶ Λιβύης συγγράμμασι, μνημονεύων τοῦ κίτρου, καλεῖσθαί φησιν αὐτὸ παρὰ τοῖς Λίβυσι μῆλον ἑσπερικὸν, ἀφ' ὧν καὶ Ἡρακλέα κομίσαι εἰς τὴν Ἑλλάδα C τὰ χρύσεα διὰ τὴν ἰδέαν λεγόμενα μῆλα. Aurea mala Hesperidum, quæ Hercules Græciæ intulisse proditur, quæ & ἑσπερικὰ μῆλα Græcis, & ἑσπερίδες. Romani ab Africa id genus habuerunt, unde & mensas citreas. Atque ut sæculum rude tum fuit, videntur existimasse, eamdem arborem Libycam mala illa gignere, & lignum mensis nobile dare. Utramque ergo eodem nomine appellarunt, quia ex iisdem locis afferebatur, hoc lignum & illud malum. Plinius cum de citro mensarum, quidquid sciebat, dixisset, addit: *Alia est arbor eodem nomine malum ferens, execratum aliquibus odore.* Hæc malus Assyria, quam nul- D lo discrimine cum malo aurea vel Hesperica veteres commemorant Græci Latinique. Atqui multum diversæ. Nomine saltem discretas fuisse liquet, non minus quam patriâ. Malus Medica vel Assyria serò admodum Græcis cognita fuit, ex Media & Assyria allata. Unde Περσικὴν & Μηδικὴν dixerunt. Non multò ante Alexandri ætatem id contigisse constat. Mali Hespericæ antiquior notitia, & ab alio orbe. Herculem volunt à Libya in Græciam ea attulisse. *Aurea* vocat ab aureo colore. Quod hodieque nomen retinent. Romanis indidem primum fuere advecta. Sed citria ea vocarunt, & arborem *citrum.* E Quæ appellatio postea etiam indita malo Assyriæ, & illi velut propria remansit. Arabes hæc genera nominibus quoque discrevere, quamvis ea confundunt, & nomina ipsa permutent more Græcorum Latinorumque. Citrium vocant اترج *atrag.* Ita in veteri Glossario Latino-arabico vocatur. Quod & Chaldaicum est, אתרג. Atque inde fortasse Græcum κίτρον vel κίτριον. Avisenæ dicitur cum articulo, الاترج, *alatrugi.* Reperitur etiam scriptum اترنج, *atrungi.* Vix dubium habendum, quin F inde fluxerit vocabulum κίτρον. Nam vocabulis ex peregrino ductis, etiam à leniter aspiratâ vocali incipientibus, tam Græci veteres quam Latini interdum κ, interdum χ solent præponere. At aureum malum sive Hespericum iisdem Arabibus dicitur نارنجة *narange.* Græcis barbaris, νεράντζιον vel ναράντζιον. Quod plerique omnes *citriam malum* etiam interpretantur. Latini posteriores *inaurantia* dixere pro inauratis. Inde illa corruptela Græci & Arabici nominis. Quæ hodie est inter *aurantia*, & *citrones* differentia, ea semper fuit. Et eamdem credendum fuisse inter G ἑσπερικὰ μῆλα veterum, ac μηδικά. Denique inter aurea mala, & citrea; quamvis primâ origine eadem Romanis citrea fuerint, quæ & Hesperica. Ut diversæ hæ species, ita & colores dispares, citrinus & aurantius. Hic color, qualis obryzi auri; ille flavus dilutior. Colorem narangi vocant Arabes نارنجي: nos *aurangiatum.* Color citrinus vel citronis alius. Non aliunde melius quam ex hac observatione veterum

rum negligentia elucescit, qui cum tot sint genera citriorum, tot aurantiorum, hæc omnia sub unius citri nomine complexi sunt; nec aliter hæc distinguunt, quam si unicum citreum malum notum ipsis fuisset. Saltem duo summa hæc genera distinctè exponere debuerunt; Hesperícum malum sive aureum, & Assyrium sive citrium. Diligentiores putant quam A fuerunt, qui ex eo, quod indistinctæ & confusæ hæ species in eorum scriptis inveniuntur, sibi persuadent unicum tantum genus citreorum, eos .... aurantia autem nostra, avorum tempore insitione primum nata, & sic genus factum. Hos homines alibi retudimus, nimium diligentes in excusanda supinitate antiquorum.

CAPUT LXVIII.

Persica & Persea.

PErsicam & Perseam differre omnes sciunt. Monuit Plinius & alii ex antiquis distinguunt. Nulla itaque ὁμωνυμία hinc timenda, ubi differentia est in nomine. Non omnibus tamen animadversum quam Περσικὴν posteriores dixere, eam Περσέην dictam antiquioribus. Ὁμώνυμον igitur hoc vocabulum de Persica communi malo, & de Persea Ægypti peculiari. Nec temperavit Plinius quin errorem hunc incideret ex nomine dum Perseam accipit pro Persica; qui tamen alios admonuerat, ut caverent. Persicam arborem circa Thebas inveniri dixit. Ea Περσέα Theophrasto vocatur: καὶ δρυμὸς μέγας περὶ τὸν Θηβαϊκὸν νόμον, ὅπερ καὶ δρῦς καὶ ἡ περσέα πλείστη, καὶ ἡ ἐλαία. Plinius: *Circa Thebas hac, ubi & quercus & Persica, & oliva.* Quia cum vulgaribus ibi jungitur arboribus ex eo putavit communem esse Persicam. Idem lib. XVI. cap. XXVI. scribit, *Persicas arbores in rhodo florere tantum.* Hæc est Περσέα ἡ Αἰγυπτία: Quæ Theophrasto auctore in Rhodo non floret: τὰ δὲ βλαστάνει μὲν, ἄκαρπα δὲ γίνεται καθάπερ ἡ Περσέα Αἰγυπτία περὶ Ῥόδον. Nicander in Alexipharmacis inter auxilia quæ, cerussæ epotæ succurrunt, Περσείης κάρυα recenset.

Καὶ τε καταψηχθέντος μετ' ἀργήεντος ἐλαίου
Σκληρ' ἀπὸ Περσείης κάρυα βλαβέος οἷον ἐρύξει.

Quænam illa Persea? Quam Perseus è Perside detulit in Græciam, & Mycenis plantavit:

Περσεὺς ἦν ποτὲ ποσσὶ λιπὼν κηφηΐδα γαῖαν
Ῥεῖα Μυκηναίησιν ἐνηέξησεν ἀρούραις.

Diximus alibi quomodo Cepheiam vel Cepheniam regionem alii de Babylonica ac Perside, alii de Æthiopia interpretarentur. Hanc Περσέην Dioscorides de Persica accepit in antidotis cerussæ. Nec sanè aliter potuit, utpote quæ in Græcia crescat & fructum ferat. Περσικῶν τὰ ὀστᾶ dixit quæ Περσείης κάρυα Nicandro. Alia Περσέη Ægypti peculiaris apud eumdem Nicandrum in Theriacis, ubi animalia Ægypti soli propria commemorat, qui κρανοκολάπται dicebantur, & sub foliis Perseæ reperiebantur:

Φράζεο δ' Αἰγύπτοιο τά τε τρέφει οὖλος αἶα
Κνώδαλα φαλαίνῃ ἐναλίγκια.

Ubi formam ejus descripsit, sub foliis Perseæ delitescere ait.

Τῷ ἴκελος Περσεῖος ὑποτρέφεται πετάλοισι.

Interpres vetus ad eum locum: ὁ κεφαλοκρανὴς ἐν τοῖς φύλλοις τῆς Περσείας τρέφεται. Dioscorides κρανοκολάπτην vocat, & in Persea quoque Ægyptia inveniri, narrat: Περσέα δένδρον ἐστὶν ἐν Αἰγύπτῳ, ἐφ' ᾧ τὰ λεγόμενα κρανοκολάπτῃ φαλάγγια εὑρίσκεται. Puto scribendum, ἐφ' ᾧ αἱ λεγόμεναι κρανοκολάπται φαλαίναι εὑρίσκονται. Non enim aranei formâ animalculum illud, sed φαλαίνης quæ circum lucernas volitat, & seipsam incendit. Ut peculiaris ille cranocolaptes Ægypti, ita & arbor in qua nascitur, & educatur. Duas igitur heic habemus Περσέας apud eumdem auctorem, diversissimi generis, nulla tamen discretas nota, utramque de Persei nomine dictam. Quid ergo? *Perseam* alteram quæ Persica est ab Æthiopia aut Perside in Græciam transtulit Perseus; alteram vero quæ Persea quoque est, in Ægyptum ab eodem Perseo translatam de Perside liquet, vel ut alii volunt de Æthiopia. Utrique idem nomen, idem B auctor, sed una Ægypti peculiaris, altera etiam Græciæ communis. Atque hæc Persica propriè ἡ Περσικὴ μηλέα, posterioribus Græcis appellata, illa vero Περσέα. Atqui utramque Περσέην vel Περσέαν vetustioribus dictam docuimus. Hinc stupenda apud auctores veteres circa hoc nomen confusio, nullomodo alteram ab altera distinguentes, sed sicut utriusque eadem est appellatio, ita idem de utraque dicunt. Sostratus in libro περὶ βλητῶν ἢ δακέων scripserat, Περσέαν ab Æthiopia in Ægyptum translatam: τὴν Περσέαν ἣν καὶ Ῥοδακινέαν καλοῦσιν, φησὶν ἀπὸ Αἰθιοπίας εἰς Αἴγυπτον μεταφυτευθῆναι. C Hæc erit Persea Ægypti, quam tamen Ῥοδακινέαν fuisse appellatam dicit, quod est cognomen Persicæ, ut docebimus infra. Suidas: Περσέα, Ῥοδακινέα. Neophytus: Περσικέα, ἡ Ῥοδακινέα. Περσικὰ μῆλα τὰ ῥοδάκινα. Eamdem expositionem apud omnes Glossographos Græcos reperias. Et ῥοδάκινον transpositum pro Δωρακινὸν, ex Latino *Duracinum.* Quo nomine Persicum malum Latini nuncuparunt. Persicam communem ab Ægypto primum in Rhodum insulam transiisse scribit Plinius, & sero admodum Græciæ cœpisse innotescere. lib. XV. cap. XIII. *Persica arbores serò & cum difficultate* D *transiere, ut qua in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium.* Hoc ipsum de Persea Ægypti scriptum reliquit Theophrastus, eam in Rhodo non fructum perferre, cum tamen ibi cresceret ac viveret. Una est Περσέα apud Theophrastum eaque Ægyptia, quam Plinius modo *Perseam* vult esse, modo *Persicam.* Addit idem: *falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni & pœnarum causâ à Regibus translata in Ægyptum, terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, qua in totum alia est, myxis rubentibus similis, nec extra Orientem nasci* E *voluit.* Mirum est heic Plinium dicere de Persea id à diligentioribus tradi, cum quod ipse dicit de Persica, Theophrastus de Persea prodiderit. Ait Perseam extra Orientem nasci nolle. Non aliud de Persea tradit Theophrastus, in Rhodum nempe translatam fructum non gignere. Polus quoque Democriteus de Persea idem scripserat, quod eam pœnarum causa quasi Ægyptios necaturi è Perside, ubi venenata erat in Ægyptum transtulissent Persarum reges, sed nactam mitius solum vim nocendi deposuisse, & edulem immo & dulcem factam. Scholiastes vetus F Nicandri: Πῶλος δὲ ὁ Δημοκρίτειος ἐν τῷ περὶ συμπαθῶν καὶ ἀντιπαθῶν, Πέρσας φησὶν ἔχοντας θανάσιμον φυτὸν εἰς Αἴγυπτον πέμψαι ὡς ἐκ τούτου πολλῶν μελλόντων ἀναιρήσεσθαι, τὴν δ' ἀγαθὴν οὖσαν εἰς τοὐναντίον μεταβαλεῖν, ποιῆσαι δὲ τὸ φυτὸν καρπὸν γλυκύτατον οἷος ὁρᾶται νῦν. Cum Περσέα duas arbores significet Perseam Ægypti, & Persicam, difficile esset statuere, de qua intellexerit Polus nisi addidisset, οἷος ὁρᾶται νῦν. Quibus verbis patet de communi Persica loqui voluisse. De ea similiter ita canit in Horto Columella:

------- *& pomis qua barbara Persis*
Miserat ut fama est, patriis armata venenis:
G *At nunc exposito patria discrimine læta,*
Ambrosios præbent succos ignara nocendi.

De Persicis loquitur, cujus arbor Περσέα Græcis antiquis vocata. Diodorus Perseam à Cambyse in Ægyptum ex Æthiopia traductam tradit, quo tempore regionem illam sub ditionem misit. De nomine sanè constat idem utriusque esse. Clearchus Solensis

ſis apud Athenæum Περσεία dixit pro malis Perſicis communibus:

> Ωον, ἐρέβινθοι, σησάμη, κοπτὴ, βότρυς,
> Ἰσχὰς, ἄπιος, περσεία, μῆλ', ἀμύγδαλα.
> *Ficus, pirum, Perſea, mala, amygdala.*

Legere etiam liceret, Περσεῖα μῆλα, ἀμύγδαλα, id eſt, Perſica mala. Περσίον quoque dixerunt pro eodem, quod omnino eſt idem ac Περσικόν. Poſidonius Stoicus tertio Hiſtoriarum; referente Athenæo lib. XIV. Φέρει δὲ καὶ τὸ Πέρσιον ἡ Ἀραβία καὶ ἡ Συρία καὶ τὸ καλούμενον βιςάκιον. Ubi Πέρσιον eſt Perſicum malum cujus arbor Περσείη. Idem porro Πέρσιον quod Περσικὸν μῆλον. Sic glycyrriza, quæ Theophraſto Σκυθικὴ ῥίζα appellatur, aliis unica voce dicitur Σκύθιον. Dioſcorides, οἱ δὲ Σκύθιον καλοῦσι. Sic Μήδιον herba quod illi natale ſolum Media, quam & propterea quidam Μηδικὴν vocarunt, licet alia ſit à Medica. Galenus Πέρσιον vocavit malum Perſeæ vel ipſam, potius Perſeam Ægyptiam. lib. II. de facultate ciborum, περὶ Περσίου. Idque nomen inveniſſe patet à Perſis, apud quos venenatum fuiſſe ferebant. Quin immo conſtat inter omnes à Perſide in Ægyptum tranſlatam. Galenus ibidem: ἱστοροῦσι δὲ τὸν καρπὸν αὐτοῦ μοχθηρὸν οὕτως ὑπάρχειν ἐν Πέρσαις ὡς ἀναιρεῖν τοὺς φαγόντας. εἰς Αἴγυπτον δὲ κομισθὲν ἐδώδιμον γενέσθαι παραπλησίως, ἐσθιόμενον τε τοῖς ἀπίοις ἢ μήλοις ὧν καὶ κατὰ τὸ μέγεθός ἐστι. Ibi igitur τὸ Πέρσιον eſt Περσικὸν δένδρον, ut Λύκιον arbor ſpinulenta in Lycia naſcens. Nonnulla ex his & ferè variis Exercitationum locis jam obſervata repeti neceſſario heîc opus fuit, quia præſtruenda ſunt novæ animadverſioni, quæ ſine his vix conſiſteret. Si Perſea ſui generis arbor in Ægypto, quæ naſci alibi recuſet, cognomine aliquo utique diſcernenda ſit à Perſeia, cui nomen idem Perſeæ fuiſſe apud vetus Græciæ ſæculum demonſtravimus. Non duorum generum Perſea apud Nicandrum. In Theriacis Περσείην ubi nominavit, eam explicat, quam Perſeus ab Æthiopia in Græciam tranſtulit. Communis ergo hæc Perſica. In Alexipharmacis Idem κρανοκολάπτην, peculiare Ægypti malum, in arbore Perſea inveniri refert, nec diſtinguit de genere Perſeæ aut propriatim exponit, quænam illa ſit Περσείη, ſed ſimpliciter Περσεῖς πέταλον vocat, ut innuat arborem quæ à Perſeo nomen accepit. Nec hilum obſtat quod κρανοκολάπτας Ægypto tantum proprios vindicat. Non hoc ſatis ad efficiendum, ut etiam Perſea videri queat Ægypti tantum peculiaris. Id peculiare quidem habuerit in Ægypto Perſea, ut beſtiolas venenatas in foliis ſuis nutriat, non ex eo ſequitur, & arborem ipſam nuſquam alibi terrarum præterquam in Ægypto natales habere. Sed graviſſimi auctores teſtimonio ſuo nos premunt, evincuntque eſſe aliquam Perſeam, quæ non alibi naſcatur quam in Ægypto, aut Æthiopia. Strabo lib. XVIII. de Ægypto: ἡ δὲ Περσέα ἐνταῦθα μόνον καὶ παρ' Αἰθίοψι. Idem de Æthiopibus: πλεονάζει δὲ τῶν φυτῶν, ὅτε φοῖνιξ καὶ ἡ Περσέα. Poſidonius etiam Arabiæ adjudicat: Φέρει δὲ καὶ τὸ Πέρσιον ἡ Ἀραβία, καὶ ἡ Συρία τὸ καλούμενον Πιςάκιον. Ita legenda hæc verba. Plinius Perſeam extra orientem naſci nolle teſtatur. Hi omnes Περσέαν nomen faciunt arboris proprium, quæ propria ſit Ægypti aut Æthiopiæ. Quid igitur illis fiet auctoribus æque vetuſtis atque idoneis, qui Περσέαν quoque nominarunt in Græcia naſcentem? Qui à Perſeo dictum dixerunt, & ab eodem ex Æthiopia in Græciam transplantatam prodiderunt? Aliqua ergo Græciæ fuit *Perſea.* Et hanc ipſam quidem Græciæ Perſeam aliunde importatam conſtat. Quidam ex Æthiopia, quidam ex Perſide volunt, unde duplex ei nomen, Περσέα vel Περσείη & à Perſeo, & Περσικὴ à Perſis. Vetus illa appellatio, hæc recentior. Nihil de Perſea Ægypti proditum eſt ab auctoribus, quin hoc idem in promiſcuo commune factum ſit alterius Perſeæ Græcanicæ ſive Perſicæ. Quin & Græcam ab Ægypto primum allatam ſunt auctores, qui aſſerunt, cum in Ægyptum prius invecta fuiſſet è Perſide. vel etiam Æthiopia. Alii contra rectà ab Æthiophia vel Perſide in Græciam migraſſe contendunt, Perſeo curante. Concedamus magnis auctoribus Perſeam fuiſſe Ægypti ex Æthiopia peculiarem, qualis ab illis deſcribitur. An non eſt monſtri ſimile, quod luſtratæ & excuſſæ regiones illæ hodiernis temporibus nullam talem arborem oſtendunt? In Æthiopia eam abundare ſcribit Strabo. In Ægypto ſic familiaris erat ac frequens, ut nulla magis. Viſam ſibi & in urbe Alexandria Galenus affirmat. In Arabia etiam provenire Poſidonius aſſeverabat. Poſt illa tempora quas in terras abiiſſe dicemus id genus, cum ibi nuſquam compareat hodie, ubi ſedes natales habuit olim, nec ullas habuit alias? Interiſſe hinc ſpeciem, & è natura rerum exterminatam non concedent, qui nullius ſpeciei internecionem dari contendunt. Qui ante mille annos ſcripſere Græci, non aliam novere Perſeam præter Græcam, & vulgarem, quæ Perſica dicta eſt. Hinc Ῥοδακινέαν omnes interpretantur, quæ Perſicæ generalis eſt appellatio, & Ῥοδακινὸν malum Perſicum. Quod ipſi nomen inverterunt tranſpoſitis litteris pro Δωρακινὸν, quo Latino nomine generatim alii Græci omne malum Perſicum vocarunt, ut paulo poſt dicemus. Ne ipſi quidem Arabes, qui ante annos ſexcentos vixere, quique loca ea, in quibus Perſea naſcebatur familiaria habere debuerunt, Perſeam illam noviſſe videntur. Aviſena, ubi Perſeam Ægypti ex Dioſcoride propoſuit, neſcire quid ſit fatetur. *Albegi* vocat. Quo nomine vulgo genus Perſici nuncupamus, *albegias.* Ipſe autem ſcribit, à quibuſdam tradi eſſe arborem *alſadar*: Ita vocant Arabes arborem loton, cujus fructus *nabach.* De quo ſuprà. Inter omnes fere convenit, hanc ipſam Perſeam de Perſide veniſſe, ibi venenatam fuiſſe, in Ægyptum traductam vim veneni perdidiſſe, naturâ melioris ſoli mitigatam. Hoc de Perſea refert verbis Dioſcoridis Aviſena qui cum fuerit oriundus Perſa, & in Perſide ævum tranſegerit, mirum qui tam nobilem arborem non habuerit cognitam. Nec minus mirandum, hoc tempore in Perſide nullam conſpici arborem, quæ formâ referat illam Perſeam Ægypti, cum tamen iſtic habeantur Perſica omnis generis & Armeniaca, qualia ſunt vulgaria. Non longius circumagendus eſt lector. Rem operoſam aggredimur, ſed veram, quamvis incredibilem, quando confidimus probare Perſeam Ægypti non aliam fuiſſe à Perſea vulgari, quæ Perſica eſt. Dubitandi occaſionem ex his, quę diximus, jam dedimus ſatis magnam. Nihil dubitations relinquent, quæ dicturi ſumus. Quod in pendenti ut eſſet effecimus, quę apud omnes inconcuſſa ſtabat opinio, eam heîc totam impellemus. Meminiſſe nos oportet eorum, quæ ex Plinio paulo ante notabamus, quæque ſunt veriſſima, ſerò admodum in Græciam veniſſe Perſicas arbores. Ætate Alexandri Magni nondum eas noverat Græcia. Ea cauſa eſt, quamobrem nulla earum mentio apud ſcriptores, qui circiter illud ævum vixerunt. Theophraſtus nuſquam hujus meminit arboris in Græcia naſcentis. Nulla apud eum veſtigia occurrunt Armeniacorum, quæ & ipſa ex Perſicorum genere. Tam nobiles fructus tamque delicatos non omiſiſſet, ſi in uſu promiſcuo, & notitia tum fuiſſent per Græciam. Unius Perſeæ mentionem fecit. Intra Ægyptum adhuc arbor ea latebat. In Rhodo tamen conati erant habere. Veniebat ibi ſatis feliciter, ſi fructum tuliſſet. Hoc de Perſea Ægypti dixit Theophraſtus, quia nulla tunc temporis alia cognita. Hoc Plinius de Perſica interpretatus eſt. Atqui non plura genera Perſeæ commemoravit Theophraſtus. Quam negat fructum in Rhodo ferre cum tamen læta ibi ſurgeret arbor, ea Perſea Ægypti eſt, idque diſertim aliquot locis teſtatus eſt. Plinius de Perſica accipere maluit. *Perſica*, inquit, *arbores ſero & cum difficultate tranſiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hoſpitium.* Cum Περσέαν hanc nominet Theophraſtus, & quidem ἐξ Αἰγύπτου, neſcio cur Plinio placuerit eam à Perſea Ægyptia diſtinguere quam alibi plenè deſcripſit idem Philoſophus. Ut lib. III. ὥσπερ ἐπί τε τῆς Περσέας ἔχει καὶ τῶν φοινίκων, ἡ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ καρποφορεῖ καὶ εἴπου τῶν πλησίων τόπων· ἐν Ῥόδῳ δὲ μέχρι τοῦ ἀνθεῖν μόνον ἀφικνεῖται. Lib. II. τὸ Πέρσιον ἐξ Αἰγύπτου vocat. Ita Galeno dicitur Perſea hæc ipſa Ægyptia. Non igitur putandum, quod & Περσέαν & Πέρσιον alibi nominet, differre à Περσέᾳ. In libris de cauſis Περσέαν

Περσέαν Αἰγυπτίαν appellat quæ in Rhodo nihil fert. καθάπερ ἡ Περσέα περὶ Ῥόδον. Aut utraque igitur Persica est, aut neutra est. Nec differt hæc Persea quæ in Rhodo fructum non ferebat, ab ea quam ex professo descripsit Theophrastus inter arbores Ægypti peculiares. Nulla itaque ratione hanc Perseam Plinius, illam Persicam voluit habere nomen. Persica idem in totum peregrina etiam Asiæ Græciæque esse ex nomine ipso apparere ibidem dicit, atque è Perside advecta. Quo tempore in Græciam & Asiam advecta sunt non facile constat. Illud tamen certum est nondum in Græcia seri solita temporibus Alexandri: è Perside in Ægyptum prius allata convenit. Ab Ægypto, Asia & Græcia excepit. Primi Rhodienses tentaverunt apud se serere. Hoc primum hospitium Persicæ ab Ægypto deductæ fuisse Plinius ait. Hæc Persea Theophrasti, eademque nunc communis Persica. Quare in Rhodo fructum non tulerint, cum lætæ alias ibi provenirent, & hodie ubique fere frugiferæ sint, nescio causam, etsi plures possunt afferri. Per initia translatæ arboris hæc scribebat fortasse Theophrastus, quo tempore nondum tulerunt. Aut culturam ejus non norant, aut in solo idoneo non posuerant, aut tempestates anni commodas non senserant. Etiam ubi maximè nasci gaudet hæc arbor, non tamen fert omnibus annis. Plures anni sunt quibus flore tantum tenus exeat. Nec ulla est arbor quæ frigoribus aut cœli injuriæ magis fiat obnoxia. Talia multa fingi possunt quamobrem non ferret Persea Ægypti in Rhodo, ætate præsertim Theophrasti, & tum maximè cum illa litteris mandaret. Profecto illud pro certo tenendum hanc primam fuisse Perseæ ad Græcos deductam quasi coloniam. E Perside in Ægyptum translata primò, postea ex Ægypto in Rhodum, & sic per omnem Asiam, Græciam, & postremo universam Europam didita. Quo tempore in Ægyptum è Perside advecta sit aut qua de causa non satis constat inter auctores. Diodorus Persas primum ab Æthiopia in Ægyptum transtulisse, cum Æthiopas Cambyses subegisset, tradidit: καὶ τούτων αἱ μὲν ὀνομαζόμεναι Περσίαι καρπὸν ἔχουσι διάφορον τῇ γλυκύτητι μετενεχθέντος ἐξ Αἰθιοπίας ὑπὸ Περσῶν τοῦ φυτοῦ καθ᾽ ὃν καιρὸν ἐκράτησεν ὁ Καμβύσης ἐκείνων τῶν τόπων. Alii à Perseo volunt, solo ut puto adducti nomine, quasi Περσέα vel Περσείη à Perseo magis denominata videatur. Nonnulli à Regibus Persarum illatam in Ægyptum, ut supplicia de Ægyptiis sumerent venenatam arborem & vitæ exitialem ad eos transferendo, cujus fructu vescentes necarentur. Alii aliter, sed omnes de una eademque arbore, quæ partim Περσέα Græcis & Περσία & Περσαία ac Πέρσιον, partim etiam Περσικὴ dicebatur. Sed hæc recentioris ævi appellatio. Ætate Theophrasti non alio fuit nomine Græcis nota quam Περσέας, quo tempore in Ægypto tantum & vicinis locis propagabatur. Cæterum alia fuit arbor cui Περσικῆς μηλέας nomen dabant Græci in illo ævo. Eadem nempe quæ & Μηδικὴ μηλέα dicebatur. Hinc apud Theophrastum μῆλον Μηδικὸν & Περσικὸν idem, quod sequens ætas κίτριον & citreum malum appellavit. lib. IV. cap. IV. καὶ Περσὶς ἅπαντα ἔχει πλείω καὶ τὸ μῆλον τὸ Μηδικὸν ἢ Περσικὸν καλούμενον. Frustra est quisquis aliam Persicam quærit in scriptis illius philosophi. Meminit & alterius Περσικοῦ quod de juglande nunc accipiendum est, vel Περσικῷ καρύῳ. Athenæus lib. III. sub nomine Περσικῶν confudit Περσικὰ κάρυα & Περσικὰ μῆλα ut observamus alibi. Horum etiam origo à Persis, & paulo ante Theophrasti ætatem in Græciam è Perside advecto semine seri & haberi cœperunt. Præter hoc Persicum malum idemque Medicum, & Persicam nucem, nulla alia Theophrasto nota Persica arbor. Ea re aut dicendum est Theophrasti sæculo Persicam in Græcia nec de nomine quidem compertam extitisse ullam, aut si quæ fuit, eam sub Περσέας appellatione ab eo descriptam. Atqui non plurium generum Περσέα in ejus scriptis reperitur, sed una duntaxat, eaque tum soli Ægypto peculiaris, quia in Græciam nondum transierat, nisi si forte ad Rhodienses, qui habere ex Ægypto curaverant, & plantare apud se cœperant. Adstructam hanc nobis & stabilitam satis commodè, ut videtur, de Persea sententiam, una res est quæ stare securam vetat, descriptio nempe Perseæ ab eodem Theophrasto exposita, qua non Persicam vulgarem delineatam exhibere, sed aliam in totum arborem, clarius cernitur quam lux in mero meridie. Hanc si difficultatem amolimur nihil officiet amplius, quin rem factam habeamus. Arbor ipsa describitur eidem magnitudine pyri, & forma, foliis, flore, ramis, & toto habitu. Fructus item pyri magnitudine, sed oblongus amygdalæ instar, colore herbaceus & qui nulceum intus habet pruni modo sed minorem molli oremque. Verba ipsa audiamus: ὁ καρπὸς ἐστὶν ἡλίκον ἄπιος, τῷ σχήματι δὲ περιμακρὸς ἀμυγδαλώδης, τὸ δὲ χρῶμα αὐτοῦ ποῶδες, ἔχει δὲ ἐντὸς κάρυον ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον, πλὴν ἔλαττον πολὺ καὶ μαλακώτερον. Ubi κάρυον vocat ossiculum quod intus habet pomum Perseæ sive Persicæ, item pruni & aliorum similium. Sic apud Nicandrum σκληρὰ ἀπὸ Περσείης κάρυα, quæ Dioscorides interpretatur Περσικῶν ὀστᾶ. Et in Geoponicis Excerptis ὀστέον Περσικοῦ dicitur. Nucleum Græci vocant ἀμυγδάλην, hodieque sic vocamus. Eadem Georgica Excerpta de Persico: βρέξον ἐπὶ δύο ἡμέρας τὸ ὀστοῦν, καὶ ἠρέμα ἄνοιξον καὶ τὴν εὑρισκομένην ἔνδοθεν ἀμυγδάλην ἐπίγραψον. Plinius pessimè illum Theophrasti locum de Perseæ fructu intellexit ac reddidit, dum quid sit κάρυον ignorat. Carnem ipsam Perseæ quæ circa ossiculum est, prædulcem idem Theophrastus affirmat ac concoqui facilem. Forma fructus & color, & qualitas ad Persicum malum non male potest referri. Sunt enim & in Persicorum genere oblongæ adinstar amygdalæ, quibus color herbaceus. Plutarchus in libro de Iside & Osiride cordi similem tradit fructum Perseæ Ægyptiæ: τῶν δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ φυτῶν μάλιστα τῇ θεῷ καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν Περσέαν ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν. Et hanc figuram cordis referunt Persica quædam oblongiora & in mucronem desinentia. Non sicut vulgo pingitur cor, sed sicut revera est. At totius arboris facies, ut à Theophrasto ponitur, plurimum dissidet ac mutat ab arbore Persicæ. Magnitudo, forma qualis pyri est, flos ac folium pyri. Reliqua etiam non parum discrepant, quod folia non amittit, & quod fructum fert omni tempore. Hæc omnia erunt amolienda si volumus efficere, ut Persea Ægyptia non differat à Persea Græcorum vulgari, quæ Persica est. Quod ad figuram arboris attinet, certum scimus Theophrasto descriptam esse, præcocium Persicorum arborem, quæ Græci βερίκοκκα appellarunt ex Latina voce *præcoqua*. Arbor est pyri magnitudine & aspectu, foliis & floribus similibus. Ex Persicorum eam genere esse veteres tradiderunt. Columella postquam de Persicis dixit, ita adjicit:

Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properat mitescere præcoqua malo.

Persica præcoqua intelligit, quæ alii etiam *Armeniaca* dixerunt. Nulla horum apud Theophrastum mentio, ut nec Persicorum. Causa non alia potest afferri, nisi quod in Græcia tum minimè erant cognita. Ut de externa igitur ac peregrina arbore loquitur, & quæcunque de illa scribit, ex aliorum relatione accepit. Quod in aliis ergò fecit externis, & sola auditione compertis, hoc & in Persea fecisse deprehenditur, ut duo ac tria genera unica descriptione involveret. Non solus ex veteribus hac parte peccavit Theophrastus, nec hic semel tantum. Exemplum habemus & in illo ipso tractatu quo plantas Ægyptias persequitur. Sub ἀκάνθου Αἰγυπτίας nomine duas arbores diversissimas complexus est, *casia* quæ nunc dicitur Ægyptiæ arborem, & *acaciæ*. Sub finem sequentis capitis ait fruticem in Ægypto esse cui folium pinnis simile, quod statim marcescat contactum ac decidat. Fruticem cum spinosum esse totum. Forma fruticis foliorum, & spinæ conveniunt acaciæ. Eventus ipse foliorum madentium statim atque manu rami tacti sunt, in aliam

herbam

herbam videtur quadrare quam αἰσχυνομένην Græci veteres dixerunt, quod appropinquante manu folia contraheret. Talem hodie describunt herbam vivam vulgo nuncupatam in nonnullis Asiæ locis nascentem, cujus folia similia polypodio priori, quæ si quis apprehendere velit, ea protinus contrahit, & sub ramulos recondit, contacta vero marcescunt. *Suluc* ab Arabibus & Turcis, & à Persis *suluque* appellari notat Christophorus à Costa. Anonymam hanc plantam facit Garcias ab Horto, qui eam nasci scribit in Malavar, & folia habere polypodii. Notum est, polypodio folia esse filici similia. Unde & *filiculam* recentiores Latini vocarunt, & Græci πτερίδα. Talia sunt & acaciæ Ægyptiæ, quæ spinosa est. At herba hæc æschynomene spinis caret. Sic ex relatione acceptam utramque confudit Theophrastus ob foliorum similitudinem. Quid apertius autem illo veterum errore, quo fabam Ægyptiam colocasium, arum, & loton palustrem Nili in unum compegerunt, & ex tribus plantis diversis unam confecerunt, quasi trigeminum monstrum? Plura ejusmodi alibi attulimus exempla. Ita in describenda Persea Ægypti Theophrastus trium arborum mutuatus est ἱστορίαν, ut unicam extunderet. Arboris facies repræsentat præcociorum plantam, cum foliis ac flore. Fructus exhibet Persici mali effigiem. Quod semper virentem facit & fructus omni tempore ferentem, id Περσικῆς μηλέας proprium, quæ sic tum vocabatur, id est, Μηδικῆς, quæ citrea malus posteriorum. Duæ igitur arbores idem ferè nomen tunc tulerunt, citrea malus quæ Περσικὴ vocabatur ætate Theophrasti, & Persica hodierna, quæ illo tempore Πέρσιον vel Περσέα nominabatur. Quam sequens ætas etiam Περσικὴν dixit. Et sanè Πέρσιον, ut ante & alibi notamus, idem quod Περσικόν, ut Σκύθιον pro herba Scythica, Λύκιον pro arbore Lycia, Μήδιον pro herba Medica. Sed quid facies, inquiet hic aliquis, illis auctoribus, qui Περσέαν & Περσικὴν distinxere, antiquis omnibus & fidei non dubiæ. Jam repperi, quid illis faciendum sit. Homines puto fuerunt. Humanum autem errare. Theophrasti ævo nulla in Græcia Περσέα, sed intra Ægypti tantum fines hærebat. Sæculum illud Περσικὴν recentiorum ita vocabat. Una tantum Persea Theophrasto memorata, pluribus generibus in eandem descriptionem coalitis. Eam Perseam Ægypto ideo propriam vindicavit, quia extra Ægyptum nondum nascebatur. Posteriores Theophrasto scriptores, qui vixerunt, Persea jam per totum orbem propagata cum non amplius Περσέα sed Περσικὴ vocaretur, dum ad sæculum suum respiciunt, repertam in veterum scriptis Περσέαν eamque Ægypto propriam attributam, putarunt diversam esse à Persica tum vulgari, præsertim quod & diverso nomine censeretur. In his Dioscorides & qui eum secuti sunt, ut Galenus aliique. Perseam Ægypti peculiarem fecerunt, quia in auctorum priscorum libris ita inveniebant. Atqui non cogitarunt, quo tempore de Persea id scripserunt veteres auctores, nullam fuisse in Græcia Perseam: nondum quippe migraverat Ægypti fines hæc arbor. Argumentum hinc cape, non aliam fuisse Perseam à Persica, quod eam quam faciunt Ægypti peculiarem, nusquam describant. Dioscorides: Περσέα δένδρον ἐστὶν ἐν Αἰγύπτῳ καρπὸν φέρον ἐδώδιμον. Cur quali facie arbor esset, non adscripsit? Cur id Galenus tacuit, qui arborem illam Alexandriæ se vidisse dicit? Sciremus ex descriptione, an eadem esset. In arbore rara & diversi orbis hoc prætermitti non debuit. Qui propiores Theophrasti ætati vixere, inter Περσέαν & Περσικὴν non distinguunt, ut Nicander. Is Περσέαν nominat, non Περσικήν. In Alexipharmacis à Perseo in Græciam ex Æthiopia translatam prodit. Perseam Æthiopiæ & Ægypti eamdem esse constat inter auctores. Falsus tamen in hoc Nicander, quod Perseam, id est, Persicam à Perseo in Græcia satam voluit. Non tam vetus Perseæ apud Græcos notitia fuit. Rectius illi, qui ab Æthiopia aut Perside in Ægyptum à Perseo traductam scribunt. Errorem fecit Κηφηνία regio ex qua Perseam advexisse dicitur Perseus. Æthiopiam alii, Persidem alii, vel Chaldæorum regionem interpretati sunt. Rursus Persarum reges transtulisse Perseam in Ægyptum quidam tradunt. Nonnulli sub Cambyse transisse volunt. In tanta varietate sententiarum unum hoc non ambigitur è Perside primò in Ægyptum, deinde ab Ægypto in Græciam pervenisse. Nicander idem, qui in Theriacis dicit sub Perseæ foliis in Ægypto κεράστην inveniri, non de alia intellexit Persea, quam quæ ab ipso in Alexipharmacis hoc nomine dicta est. Atqui ea Persea jam Græciæ, id est, Persica. Nunc probandum testimonio vetusti poëtæ, Περσέαν illam Ægypti de genere Persicarum fuisse. Is erit Callimachus, qui & ipse vixit in Alexandria Ægypti sub Ptolemæis Philadelpho & Euergete, & non longè abfuit à Nicandri temporibus, ipso tamen antiquior. In quodam poëmate commemoratis duobus Persicæ mali generibus, de tertio intulit:

> Καὶ τριτάτη Περσεῖος ἐπώνυμος, ἥς ὀροδάμνους
> Αἰγύπτῳ κατέπηξε.

Hæc Περσέα est quam vult à Perseo denominatam, in Ægypto satam, quam generibus Persicæ tertiam adnumerat. Quænam duo piora genera? Quæ propriè dicta est Περσικὴ, & Ἀρμενιακὴ, quam postremam etiam Persicarum generi adscripserunt veteres. Hæ duæ omnino hæc genera constituunt Persicorum, τὰ Περσικὰ propriè dicta, & τὰ Ἀρμενιακά. Tertium reddit genus τὴν Περσέαν Callimachus Persei cognominem. Atqui hanc eamdem cum Persica multi veterum, quantum ad nomen attinet, fecerunt. Denique plerique τὸ Πέρσιον vocarunt hanc Perseam Ægypti; quæ vox nihil aliud sonat, quam Persicam arborem, ut τὸ Σκύθιον, Scythicam herbam. Postremo inter omnes convenit, è Perside in Ægyptum allatam. A Persis itaque nomen invenit potius quam à Perseo. Multi Περσαίαν nominant, quod à Πέρσης deductum est. Ita vocatur in antiquis Strabonis codicibus. Galenus de Armeniacis & præcocibus: ἐν τῷ Περσικῶν γένει ταῦτά ἐστι διαφορὰν τινα αὐτῶν ἔχοντα πρὸς τὸ βέλτιον. Persea Ægypti etiam teste Callimacho in Persicorum genere, cujus auctoritate tria habebimus Persicorum genera, τὰ Περσικὰ, τὰ Ἀρμενιακὰ, & τὰ Περσέα sive Perseæ mala. At plerique, ut dixi, veterum Περσέαν vocarunt vulgarem Persicam, ut Nicander. Quin & Περσέαν recentiores Græci passim Ῥοδακινέαν exponunt, & Περσικὰ, Ῥοδάκινα. Hodie *Presseam*, corruptè pro *Persea*, genus quoddam Persicorum vocamus, quibus carnis callus durior, & ossi intus adhærescens. *Duracina* Latini vocarunt. Græci absolutè τὸ Περσικὸν sic appellarunt, voce è Latino mutuata. Quam alii ut Græcatior videretur, ut sexcentas alias immutarunt, ac dixerunt Ῥοδάκινα transpositis litteris pro Δωρακινά. Falluntur qui hæc distinguunt. Apud Alexandrum Iatrosophistam passim τὰ Ῥοδάκινα legere est ἀντὶ τῶν Περσικῶν, quæ aliis Δωρακινά. In Geoponicis excerptis τὸ Δωρακινὸν idem est quod Περσικόν. Ex quibus colligimus id malum, quod absolutè Græci dixere Περσικόν, genus illud fuisse, quod Latinis *Duracinum* dictum. *Presseam* vulgo indigetamus quasi *Perseam*. Cujus & plura genera. Nam & quędam carnis callo sunt magis albo, alia luteo, quæ *myrocottonea* nominantur vulgo. Sunt & in eo genere, quæ *alberica* vocantur. Gallicè *alberges*, corruptâ hac appellatione ex Arabico *allebegi* vel *albegi* البج vel اللبج. Apud Avisenam ita scribitur, ut legi possit *allebach*. اللبخ. Vetus interpres scripsit *allabuch*. Quoquo modo legatur, certum est hinc nomen invenisse *alberica*. Vulgare Persicum vocant خوخ *chauch*. De Persea accipiendum constat locum Aristotelis de plantis lib. I. in his verbis: βελένιον ἢ τὸ δηλητηριῶδες γινόμενον ἐν τῇ Περσίδι, μεταφυτευόμενον ἐν Αἰγύπτῳ ἢ ἐν Παλαιστίνῃ γίνεται βρώσιμος. De Persea ibi loquebatur Philosophus, quę ejus ętate nondum terminos Ægypti & Syrię excesserat, ut nec Theophrasti. Auctor Arabs qui libros illos de Gręco in Arabicum transtulit

ſtulit ſermonem, pro Perſea poſuerat *albegi* vel *albengi*. Qui de Arabico in Latinum convertit Valfridus, *belengi* fortaſſean corruptè pro *albengi* ſcripſerat. Ex quo Græcus βελέγιον, vel βελέγιον, poſuit. Nam Græca, quæ hodie habemus, ex Latina verſione Valfridi ſumpta eſſe compertum. Vitioſè igitur βελένιον pro βελέγιον editum eſt. Idque depravatum pro ἀλεβέτζιον vel ἀλβέγιον. Hæc ſunt indubitata. Certum quippe eſt de Perſea ibi egiſſe Ariſtotelem, quam Aviſena vocat *albegi*. Ex *albegi* porro ſic *albericum* pomum productum, ut ex *belilegi*, myrobalana *bellirica*. Andreas Alpagus in Lexico Arabico notat ex Ebenbitar *albegi* eſſe radicem, quæ affertur ex India, quæ colore eſt rubro. An & *albegi* hoc genus Perſica, quod rubeant? Hoc quærunt peritiores Arabiſmi. Certè & Ῥοδακινέα Græci videntur vocaſſe quaſi à colore roſeo. Eſt *albacham* Arabibus ligni rubri genus. البقم. Quidam *verzinum* eſſe volunt, quod Hiſpanis *braſillum*. Judæi magiſtri tradunt idem eſſe cum Hebraico אלמוגים *almughgim*. Geographus Arabs in octava parte climatis tertii, lignum *bakam* rubrum eſſe ſcribit, & frondem foliaturamque prorſus habere rhododendro ſive laureandro ſimilem. Ad hoc nomen propius accedit ſcriptura *albách* vel *allebach* pro Perſea. Nec contra facit quod ſcribitur per ـ id eſt, *heth* cum puncto. Quod Judæi magiſtri ſæpe efferunt per כ raphatum. Sic Arabicum خروب *charub* ſcribunt plerumque כרוב, & כבק pro חבק quod Arabicè خبق David tamen Kimchi *Albakam* per *coph* ſcribit Hebraicè, אלבקם. In voce *allebach* videtur prima ſyllaba pro articulo, ut purum ſit *lebach* à rubore compoſitum vocabulum. Sic in pervetuſto Gloſſario Latino-arabico خبق *chabach* colocaſia vel dracontea exponitur, quæ radicem habet ſubrutilam, & fructum cum maturus eſt puniceum. Ut ut ſit ex Plinio colligitur Perſeæ fructum rubeſcere, qui myxis rubentibus eum ſimilem tradit. Inde & ῥοδακινέαν Græci vocare maluerunt Perſeam à roſeo colore. Profecto & alberica noſtra carnem habent rubram & omnium minima ſunt, & ante cetera matureſcunt. Quare haud ſcio an ſint præcoqua Perſica Columellæ:

Quin etiam ejuſdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant miteſcere præcoqua malo.

Quippe ante jam meminit Armeniorum prunorum:

Armeniiſque, & cereolis, pruniſque Damaſci.

Per Armenia enim pruna certum eſt ab eo intelligi τὰ Ἀρμένιακά. Sed diſtinxit Columella Armeniaca & præcocia ut quidam faciebant, præcocia minora, Armeniaca vero majora. Utrumque genus eodem nomine hodie appellamus, à præcocium appellatione deflexo. Quidam ex veteribus diſtinxerunt. Galenus lib. II. de Alimentorum facultate: ἔςι μὲν ἐν ἀμείνω τὰ βερικόκκια καλέμϑα τῶν Ἀρμενιακῶν, ὅσοι δὲ φθέγγονται τὴν τῶν βερικόκκων προσηγορίαν, Ἀρμενιακὰ μῆλα καλῶσιν ἀμφότερα· ἔνιοι δ' Ἀρμένια διὰ ποσάρων συλλαβῶν, ἐ διὰ πέντε. Columellæ Armenia ſunt τὰ Ἀρμενιακὰ & inter pruna recenſet. Præcocia vero vel præcoqua Perſicorum generi accenſet. Immo & præcoqua Perſica appellata clarè dicit: *ejuſdem gentis de nomine dicta*. In genere prunorum, & Perſicorum, ſua fuere præcocia; quæ inde nominata ſunt quod præcocem fructum haberent. In prunis *Armenia* vel *Armeniaca* appellata, quæ priuſquam cætera in eodem genere matura evaderent. Hæc noſtra *abricotia*. Quæ Græcis βερίκοκκα, Latinis *præcocia* vel *præcoqua*, ſubaudiendo pruna. Gloſſæ: βερίκοκκα, *pruna*. Suidas: κοκκύμηλα, εἶδος ὀπωρῶν τὰ παρ' ἡμῖν λεγόμϑα βερίκοκκα. Democritus in Geoponicis lib. x. κοκκύμηλόν ἐςιν ὃ καλῦμεν Δαμασκηνὸν, Ἀρμενιακὸν τὸ βερίκοκκον. Dioſcorides recenſitis Perſicis de Armeniacis ſubjungit: τὰ δ' μικρότερα καλέμενα Ἀρμένια, Ῥωμαϊςὶ δ' πραικόκια & ςομαχώτερα τῶν προειρημένων εἰσίν. Unicum tantum genus agnoſcit Armeniorum, quæ facit eadem cum præcocibus, & minora ea dicit ad diſcrimen Perſicorum, cum quibus comparantur forma & [illegible]: illa minor, hæc melior. At præcoqua Columellæ, non poſſunt eadem eſſe cum Armeniis. Immo apertè ea ſeparat, & Perſica etiam vocata oſtendit. Armenia vero vel Armeniaca, ab Armeniis dicta, non à Perſis. Galenus quoque Ἀρμενιακὰ & πραικόκια diſtinguit, meliora præcocia Armeniis aſſerens: ἔςι μὲν ἐν ἀμείνω τὰ πραικόκκια καλέμϑα τῶν Ἀρμενιακῶν. Adjicit utraque pariter *Armeniaca* quibuſdam vocari vitantibus præcocium nomen, quaſi barbarum apud Græcè ac purè loquentes. Falluntur, qui magnitudine ea diſcernunt; ut magna ſint *præcocia* propriè dicta, minora *Armenia*. Μικρότερα quidem Ἀρμένια dicit Dioſcorides, ſed in comparationem Perſicorum. Columella Armenia pruna vocat, præcoqua autem mala:

Exiguo properant miteſcere præcoqua malo.

Exiguum vocat malum præcocium comparatum Perſicis. Immo & ab eadem gente venire ea ſcribit, & eodem cenſeri nomine. Perſica igitur hæc præcocia, non Armeniaca. Plinius inter Perſica mala ponit *præcocia* ita abſolutè vocata. In prunorum vero generibus, *Armeniaca*. Ita enim de duracinis loquitur: *Poſt autumnum matureſcunt, æſtate præcocia intra triginta annos reperta, & primo denariis ſingula venundata*. Duo ibi Perſicorum genera agnoſcit *duracina*, & *præcocia*. Palmam dat duracinis, quæ poſt autumnum matureſcunt: *Sed Perſicorum palma duracinis*. Hæc in duo genera dividit, Gallica, & Aſiatica, quæ poſt autumnum matureſcere refert. De his enim hoc intelligendum. Columella:

Frigoribus pigro veniunt Aſiatica fœtu.

At Gallica venire tempeſtiva ibidem monet. Non mirum igitur, ſi δωρακινὸν Græci abſolutè pro Perſico uſurparunt. Hæc eſt Perſea noſtra ſive *Preſa*. Alia Perſica præcocia à duracinis diſtincta & minora, quæ ideo exiguo malo properare maturitatem canit Columella. Hæc etiam in duas ſpecies partitur Plinius, in *ſupernatia* & *popularia*. Illa è Sabinis mitti, hæc undique. Capite ſequenti in prunorum differentiis ac generibus explicandis meminit Armeniorum ſive Armeniacorum: *ſunt & nigra, & laudatiora cerina, atque purpurea. Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ ſola & odore commendantur.* Hæc pruna ſunt, illa mala. Hæc ex Armenia, illa ex Perſide. Hæc *Armeniaca* poſtremo, illa *Perſica* dicta. Cum itaque tot graviſſimi auctores Armeniaca à præcociis diſcernant, atque ipſa etiam nomine magis ac patria diſcernantur, quærendum qua in re ſit, & quomodo procedat differentia. Tantum certè non eſt diſcriminis inter minora & majora abricotia, ut altera quidem prunis contribui, altera malis debeant. Non igitur hactenus differunt Armeniaca a præcociis, ut magnitudo faciat id quo differunt. Dicam quod res eſt. Perſica mala præcocia ſunt, quorum præcox maturitas. Sunt & pruna præcocia. Talia Armeniaca. Utraque appellata *præcocia*. Sed in Perſicis alia, alia in prunis. Columellæ & Plinii *præcocia* de Perſicis intelligenda. Armenia eorumdem de prunis. Ea Armenia præcocia etiam Latini vocarunt, quod præcocis eſſent maturitatis. Dioſcorides: καλέμϑα δ' Ἀρμένια, παρὰ Ῥωμαίοις δ' πραικόκια. Diverſa hæc præcocia Armenia pruna à Perſicis malis præcociis. Prævaluit tamen *præcociorum* appellatio in Armeniis prunis. Inde enim βερίκοκκα Græcorum de Armeniis accipienda. Ex eo enim *abricocia* noſtra, non Perſica, ſed Armenia. Quod ex odore & colore conſtat. *Armeniaca*, inquit, Plinius, *quæ ſola & odore commendantur*. Hoc abricociis noſtris convenit. At præcocia Perſica alia ſunt. Vulgo vocantur *ante-perſica*. In eo genere ponenda *alberica*, quæ circa feſtum D. Johannis matureſcunt. Exigua ſunt & rubentia intus; & planè reſpondent Columellæ & Plinii de Perſicis præcocibus narrationi. Hic æſtate ea matureſcere dixit, ille exigua mala appellat:

Exiguo properant miteſcere præcoqua malo.

 At

At Armeniaca, præcipuè quæ grandiora sunt, haud minora visuntur Persicis. Malis autem potius quam p[r]unis adnumeranda videntur, quia duriorem habent carnis callum. Contra Armeniaca prunis meliori jure adscribenda quam malis propter pulpæ mollitiem ac teneritudinem. Veteres *Duracina* præcipuè in Persicis commendarunt, quæ sola nomen generi apud Græcos fecerunt, ut docebamus ante. Hinc Δωρακινὸν & Ῥοδακινὸν pro Persico. Corona pretiosa: Ῥοδακινὸν, *malum Persicum*, μῆλον Περσικόν. Legimus tamen apud Athenæum in verbis Diphili medici: Περσικὰ λεγόμενα μῆλα, ὑπό τινων ἢ Περσικὰ κοκκύμηλα. Quod & alibi notavimus. Sic Persicæ ex veteribus
B
alii in prunorum genere, alii in malorum posuere. Ita & Armeniaca pruna, quæ nostra sunt *abricocca*, quidam mala vocarunt, & Ἀρμενιακὴν μηλέαν dixerunt. Vetus interpres Avisenæ *chrysomela* dixit pro Armeniacis quæ in Arabico مشمش. In antiqua expositione nominum Arabicorum: *Mismis, id est, chrysomela.* At priscis Græcis auctoribus Latinisque χρυσόμηλα sunt in genere cottoneorum, ab aureo colore dicta. Serapionis interpres pariter ut Avisenæ *chrysomela* pro Armeniacis dixit, quæ & ipso coloris aurei. Pro *mismis* apud Serapionem Latinum corruptè scribitur *mermex*, vel *mirmix*, pro *mixmix* (nam & ita legi potest) vel *miscmisc*. Quibusdam in Persicorum
C
genere habita, præcocia pruna appellata, non tamen eadem cum præcocibus Persicis. Nec dubium porro, quin Theophrastus horum arborem cum Perseæ sive Persicæ arbore miscuerit, & ex utriusque descriptione unam concinnarit plantam. De Persea vero hanc litem tandem decidimus, eamdem esse cum Persica. Quod enim cordi similem fructum producere dicitur, nihil est quod æque adpositè cadat in Persica cujusdam generis, quæ oblonga sunt, & cordis figuram referentia. Os quod intus est, tenerius esse quam prunorum idem Theophrastus asserit. Quædam quoque
D
Persica adeo tenerum habent illud os, ut in dividundo pomo simul frangatur, & nuclem exhibeat. Perseæ Ægyptiæ fructus, quia tunc erat Ægyptia tantum, ab eodem Theophrasto herbacei coloris traditur, qui communis est color nostrorum Persicorum. Plinius au-

A
tem Perseæ illius, quam extra Orientem nasci posse negavit, fructum similem rubentibus myxis tradit: *id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, myxis rubentibus similis.* Profecto & quædam Persica rubent. Sed heîc contrarius Theophrasto cernitur in colore Perseæ assignando. Observamus alibi & duos fructus diversos μύξων nomine veteribus venisse. Μύξα & μυξάρια pruna quædam Damascenis minora, illis cognita, quæ vulgo *sebastena* dicta ex Arabico. Apud eosdem Arabes fructus *nabac* fertur minor *sebesten*. *Nabac* vocant loti fructum quem exiguo malo similem tradunt, magnitudine ut plurimum
B
cerasi. Myxa pruna majuscula sunt. Si his myxis Perseæ pomum simile & pariter rubens, haud dubium est, quin Persea Plinii sit *alberica*, quæ Avisenæ dicitur *albegi*. Et sanè sanè ipse Avisena ex quorumdam sententia *albegi*, id est, Perseam dicit esse السدر *alsadar*; quæ arbor est fructum ferens vocatum *nabac*. A similitudine igitur fructus quibusdam existimata *sadar*. Hæc optimè conveniunt. Sed rursus hac in parte Plinii Persea diversa à Theophrasti qui fructum eam ferre dicit, πρόμακρον; Galenus æqualem piro vel malo magnitudine. Tale vulgare Persicum. Sed & paviæ vulgo vocantur oblongiores ac rubentes,
C
cordis figuræ non absimiles, carnis duriore callo & adhærescente ossi. Alia μύξα vel μυξάρια antiquis nota, quæ *musa* hodie dicuntur, Arabicè موز. Fructus est oblongus, colore, dum maturus est, subflavo. Βαζὼ μυξάρια vocat Diodorus. Ut Theophrastum cum Plinio conciliarem, putavi aliquando Plinium de his myxis accipiendum, ubi dicit Perseæ pomum rubentibus myxis esse similem. Sed nunc minimè incertum habeo, quin de prunis myxis sit intelligendus. In tot Persicorum generibus tantisque dif-
D
ferentiis, mirum quam negligenter hæc veteres explicarint: qui ne explicare quidem quicquam existimandi sunt, quatenus nomina permutant, & genera multa sub una appellatione exponunt, & omnia confundunt. Quod in cucumeribus, citreis malis, & aliis quamplurimis eos fecisse animadvertimus.

CAPUT LXIX.

Zizyphus arbor.

Zizyphus quæ nunc vocatur, non esse quæ olim vocabatur, facile est ostendere. Plinius lib. XII. cap. XXIV. *Cypros in Oriente est arbor zizyphi foliis, semine coriandri, flore candido, odorato.* Hæc est cypros quam eamdem cum Italico ligustro quidam voluere. Plinius dubitat. *Quidam* inquit, *hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia ligustrum vocetur.* Item lib. XXIV. cap. X. *Ligustrum si eadem est arbor, quæ in oriente cypros, suos in Europa usus habet.* Ita ille locus legendus. Hodie quoque variæ super eo sunt sententiæ, aliis eamdem contendentibus, aliis aliam. Placerent mihi, qui medium sequerentur. Non est dissimilis ligustro occidentali orientalis cypros. Eamdem tamen esse aut prorsus similem nemo dicere ausit. Differentia fortasse inter utramque non alia, nec alius generis præter eam quam solet afferre cœli solique natalis diversitas. Ut brevius dicam, ligustrum ψευδόκυπρος nuncupari merito queat. Atque ita nisi fallor Plinius, si locus qui apud eum mendo laborat, sanetur lib. XVII. cap. XIII. *ocissima omnium cyprus & pseudocyprus frutex: protinus enim floret, semenque profert.* Malè in vulgatis censeo scribi: *cypirus & pseudocypirus.* Pseudocyprum ibi ligustrum esse opinor. Quod non videtur tamen intellexisse Plinius, qui ab alio hæc hausit, nec sensit eamdem esse hîc cyprum de qua alibi tractavit, aut pseudocyprum eamdem cum ligustro. Hebraicè dicitur כפר, *copher*. Unde Græcum Κύπρος, & βότρυς Κύπρου in Cantico canticorum. Nam fru-
E
ctus hujus fruticis, ut & flos, βοτρυώδης. Dioscorides de cypro: ἄνθη λευκὰ, εὐώδη, βρυώδη. Apud Oribasium, βοτρυώδη. Quod idem est. Nam βρύα & βότρυες in hujusmodi floribus racemosis Græci indifferenter usurpant, ut alibi declaravimus. Nonnulli etiam ex antiquioribus Judæorum interpretibus, illud *copher* in Canticis, partim de camphora, partim de cypero exposuerunt. Sed neutri convenit canticorum אֶשְׁכֹּל כֹּפֶר. Quod βότρυς Κύπρου Græcè redditur. Melius illi, qui *alhanna* Arabum esse pronuntiant, quod alii dicunt *alchanna*. Græcis recentioribus χηναία, ut
F
apud Neophytum: Κύπρη εἶδός ἐστι δένδρου ἐν Κύπρῳ ἢ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐστι τὸ λεγόμενον χηναία· ἕτεροι δὲ φασὶ τὴν σιζυφαίαν. In Lexico Græco-arabico: χάλκανα, τὰ φύλλα τῆς Κύπρου. Neophytus zizyphæam aliquibus dictam docet, quia nimirum folia zizypho similia haberet, ut disertè apud Plinium legitur. Nunc videndum an zizyphus, quæ nunc gaudet hac appellatione, foliis sit cypro sive ligustro similibus. Nihil sanè minus. Per ambitum serrata sunt ei arbori quam habent pro zizypho, ut alia mittam discrimina. Nam & latiora sunt, & tribus nervis distincta & magis firma & in totum dissimilia. Ligustrum sive cipros Dioscoridi oleæ
G
habet folium simile. Φύλλα ἔχει ἐλαίᾳ παραπλήσια. Plinius zizypho similia dicit. Ergo zizyphus Pliniana non discedit similitudine ab oleæ folio. Eadem est & zizyphæa Neophyti, quam & quidam pro alhenna vel cypro acceperunt ex folii vicinitate. Hæc est omnino

omninò zizyphus, quam Matthiolus sub oleæ Bohemicæ nomine proposuit & videri vellet esse ἐλαίαγνον Theophrasti, nisi fructus obstaret, quem nullum fert elæagnus. Rauwolfius in itinerario hanc zizyphum circa Halepum & in Libano sponte nasci prodit, & ab incolis *Scisefun* vocari. Sane & in optimis quibusdam exemplaribus σίσυφον legere memini pro ζίσυφον. Aliquando & διζυφον. Ut in Epigrammate Græco vetustissimæ membranæ præferunt: Διζύφων μοι δεῖ. Ex Syria venisse in Italiam novissimis Augusti temporibus narrat Plinius lib. xv. cap. XIII. *Æque peregrina sunt zizypha & tubures; quæ & ipsa non pridem venere in Italiam, hæc ex Africa, illa ex Syria.* Nempe tubures ex Africa, zizypha ex Syria. Per Sextum Papinium utraque primum allata mox dicit, Divi Augusti novissimis temporibus, quem Papinium consulem se vidisse refert. Non alia sunt ea zizypha, quæ ex Syria Romam tum attulit ille Papinius, præter ea quæ hodieque in Syria sponte veniunt & hoc eodem nomine ab incolis vocantur. Atqui hæc zizyphus est, cujus folia oleæ similia, cuique adeo comparavit folia cypri Orientalis. Non alia videtur novisse zizypha Plinius. Et cum loco supra citato tubures in duo genera dividat, zizypha relinquit singularia: *Tuburum duo genera, candidum, & à colore sericum dictum.* Non duo ergo genera zizyphorum. Nec enim omisisset. Illo saltem loco id dicendum fuisset. Quin immo divisionem illam zizyphorum, non tuburum plerisque esse placet. Nam & quæ *serica* dicuntur à colore, Plinio de genere tuburum, ab aliis zizypha sic appellantur. Verum autem nomen Σύελκα pro quo perperam *serica* apud Plinium. *Syricum* genus pigmenti rubrum. Unde & *Syrica carpenta* Propertio miniata: *Syrica nam taceo volsi carpenta nepotis.* Inde ergo & *syrica* genus tuburum Plinio à colore, ut & candidum. Quod alii zizyphorum proprium contendunt. Et sanè Glossæ omnes Græcorum veterum & recentium τὰ Σύελκα interpretantur σίζυφα. Neophytus: Σύελκα, τὰ σίζυφα. ita in aliis omnibus reperitur, Frustra igitur sunt qui dubitant an Galeni Σήελκα sint σίζυφα. Sed corruptè etiam apud eum Σήελκα pro Σύελκα. Præterea mentio apud Columellam rutilæ atque albæ zizyphi. Quod convenit ei divisioni, quæ fit in Syricum & candidum genus, quam Plinius tamen tuburibus, non zizyphis attribuit. Quid igitur dicemus ad hæc? Nonnulli suspicantur mendosos esse Plinii codices, & ad eum modum debere sanari affirmant, ut quod de tuburibus dixit, restituatur zizyphis. Mihi non placet. Plinius non heîc tantum, sed ubique unum tantum zizyphi genus agnoscit, & ejus quidem zizyphi quam hodieque in Syria cum hoc nomine sponte provenire constat. Ea est alba zizyphus. Nec alia arbor in Syria, & reliqua Asia cognita fuit hac appellatione. Sepes agrorum his constare in Asia Bellonius testatur, & fructum ejus à Græcis appellari ζίζυφα cum vænalem clamitant. Similem porro esse rutilis zizyphis excepto colore. Non dubito hæc esse Cappadocia zizypha Plinii, quorum meminit lib. XXI. cap. IX. *Florem esse dixerim genistas. Namque & his decerpitur luteus: item rhododendron: item zizypha, quæ Cappadocia vocantur. His odoratus similisque olearum floribus.* Ita hæc legenda. Cum dicat hæc zizypha, quibus flos oleis similis, vocari Cappadocia, ad discrimen sic videntur appellata aliorum zizyphorum. Atqui Plinius unam tantum genus novit, cui folium cypri vel oleæ. Hæc sanè sunt Cappadocia sive Asiana zizypha quæ ex Syria Romam docuit allata extremo Augusti imperio. Oportet & altera fuisse. Non alia sint quam rutila hæc hodie nota & sola in possessione nominis zizyphorum, vel ut loquuntur vulgo, *jujubarum.* Verior itaque illa fuerit distinctio Columellæ, quæ zizyphum arborem in albam & rutilam partitur, quam Plinii qui tubures sic dividit: præsertim cum *Syrica* quæ pro altero genere tuburum Plinius posuit, zizypha ab aliis vocentur, & alterum zizyphorum genus, puta rutilum constituant. Non absit A igitur à vero, quin Plinii errori sit imputandum, quod legimus hodie apud illum duo genera tuburum candidum & Syricum. Hoc utique ad zizyp[illegible] pertinebat. Ut varios noster compilavit auctores, vetustiores recentioresque simul, ita necesse fuit illum varias de una re pronuntiare sententias. Nullo quippe judicio usus est in discernendis aut conciliandis eorum scriptorum, quos allegabat, opinionibus. Auctor ille, ex cujus sententia scripsit cypron arborem similia folia zizyphi habere, unam duntaxat agnovit zizyphum, quæ vulgaris est Asiæ zizyphus oleæ foliis, quam & ζιζυφαίαν Græci hodierni vocant. Item cum B libro quintodecimo zizypha ex Syria in Italiam primum allata scripsit, de his ipsis albis zizyphis Syriæ peculiaribus intellexit, & auctorem sequutus est, qui de his tantum erat loquutus. Nec opinor sine teste misisse in litteras eam tuburum divisionem quæ candidos & Syricos statuit. Cæterum fuisse putem, qui Syricos tubures, id est, rutilos, zizyphorum etiam nomine appellaverint, propterea quod fructum haberent veris, zizyphis similem. Hi sunt qui zizyphum in albam & rutilam diviserunt. Hi sunt etiam, qui *Cappadociam zizyphum* vocarunt quæ alba est, ad alterius rutilæ distinctionem, quæ ex Africa fuerat allata. Vera itaque zizyphus fuit Cappadocia sive Syriana alba. C Huic fructu similis, colore dissimilis Africana, quam alii *zizyphum*, alii tuburem appellarunt. Hinc auctorum dividia nata, qui zizypho adscripserint quod erat proprium tuburis, & qui contra. Appellatio zizyphorum de utroque genere obtinuit præcipuè apud Græcos, quibus visum est nomen tuburum barbarum, & mox etiam apud Latinos ipsos, qui verebantur *tubures* vel *tuberes* cum iis confundere quæ pæne nomen idem habent. Tubera quæque ipsa quoque ex Africa afferri solebant. Σύελκα Galeni sunt zizypha Africana, vel Latinorum *tuberes.* Ea Syrica Avisena non duûm generum facit, D ut adstruunt viri docti, ut alia sint rutila, alia alba: sed in majora tantum & minora distinguit. *Hanab* vocantur Arabicè. Majora dicit esse meliora. Tubures porro illi sive zizypha Libyca, sive Syrica non habent, quo melius referri possent, quam ad lotophagicam loton Theophrasti. Immo tuburum arbor sive zizyphus rutila, non alia est quam lotos lotophagica. Ex Africa Romam invecta sunt, & primum sata sub extremum Augusti imperium. In his & apyrinum genus, quod sine nucleo. Martialis:

Non tibi de Libycis tubures & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Dicit non amplius in Africam petenda esse apyrina & tubures, utpote quæ jam in Italia proveniant. E Item sequenti disticho:

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tubures. Quid tibi cum Libycis?

Non meminit ille zizyphorum qui tubures illi sunt zizypha, ex rutilæ nempe zizyphi genere & Africano. Plinius autem zizypha & tubures separavit, quia per *zizypha* intellexit Cappadocia vel alba, quæ ex Syria mittebantur: at per *tubures*, Libyca zizypha. Quod ex eo clarissimè patet, dum speciem eorum alteram *Syrica* dicit à colore appellari. Quo nomine certum est zizypha rutila fuisse ab aliis vocata. F Plinius zizypha & tubures junxit, quia similia erant quantum ad fructum. Unde & *tubures* quidam dixere zizypha. In genere tuburum apyrina fuere, hoc est, tubures ἀπύρηνοι. Inter species quoque lotophagicæ loti τὸ ἀπύρηνον fuit. Theophrastus: ἡδίων δ' ἀπύρηνος· ἔστι γὰρ καὶ τοιοῦτον γένος. Hæc sunt apyrina Martialis, id est, tuburum genus Ἀπύρηνον. Lotos lotophagica est Theophrasto sui generis arbor, & multum diversa à loto communi. Hanc igitur esse zizyphum rutilam po- G steriorum alibi docuimus. Nunc primum docemus & tubures esse. Nec miræ videri debent istæ nominum novationes ac permutationes. Ut loton hanc arborem veteres Græci nominarunt, ab aliqua similitudine cum loto communi; ita & sequuta ætas *zizyphum* dixit, quod haberet fructum non multum dissimilem ei zizypho, quam norant.

Tubu-

Tuburem porrò Latini nescio qua de causa. Quæ olim propriè dicta zizyphos à Græcis, ea vix hodie ... cum nomenque obtinet apud nos. *Oleastrum* sunt qui appellent alii *oleam Bohemicam*. Quidam etiam ex Græcis Κύπρην, quod folia similia habeat cypro sive ligustro. Nunc autem vice inversa zi- A zyphi nomen ea sola possidet, cui mutatio inditum fuit, ex similitudine fructus veræ ac germanæ Zizyphi. Χρυσελαίαν invenio etiam Græcis dictam zizyphum rutilam, quod fructum ferat olivæ magnitudine & figura. Neophytus: Χρυσελαία ἡ ζιζυφαία.

CAPUT LXX.

De Cocco tinctorio.

Fruticem qui granum fert infectorium, ex ilicum genere esse hodie in confesso est. Nec diffitentur plerique veterum. Acuifoliæ ilicis genus esse Plinius dicit. Acuifolia ilex ἡ ἀκανθόφυλλος. Quidquid enim foliis pungit, Latini vocant, *acuifolium*. Ut *acuipes*, ὁ ὀξύπους. Hunc ipsum fruticem qui est ilex, quidam tamen quercum viridem vulgo nominant. Cum aliud sit quercus, aliud ilex. Alii etiam *fagum* vocitant, ut Narbonenses teste Quinquerano. Sic species pro specie. Melius ac magis propriè Græci recentiores qui πρινόκοκκον dixere, id est, ilicis coccum. Unde πρινοκοκκωτὸν, quod cocco tinctum est. Glossarium Græco-arabicum: κόκκος βαφικὸς, τὸ πρινοκόκκιον. Apud Myrepsum πρινοκοκκατὸν μέταξιν, vel πρινοκοκκατὸν, quod cocco infectum est. Græci quoque antiquissimi hanc ilicem cocciferam, & tingendis vestibus claram cognoverunt. Simonides teste Plutarcho velum, quod Theseus ab Ægeo acceperat, ut rediens in salutis signum id protenderet, non candidum fuisse dixerat, sed puniceum, ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνου ἄνθει ἐριθαλέος, id est, liquido colore infectum ilicis, largiter florentis. Ἄνθος hoc loco color est, non flos. Non propterea tamen Latinus Poëta *nigram ilicem* dixisse censendus pro rubra, ut vir eruditus putat, quomodo Græcus poëta αἴθοπα οἶνον, vinum nigrum quod est rubens. Ilex poëtæ nigra dicitur à foliorum colore, ut *myrtus nigra*, *rhamnus nigra* & similia, quibus folia viridia quidem, sedobscura, & viridis atri. Nigrum enim Latini ut Græci μέλαν, de omnibus coloribus saturatioribus, & obscuris usurpant. Sic nigra viola, ἴον μέλαν, hyacinthi nigri, qui in cæruleo austeri sunt. Et Ἰνδικὸν μέλαν quod cæruleo colore inficit. Μέλαν etiam appellant, quidquid obscurius rubet. Item quod viride est, sed nubilo infucatum saturatiore. Præterea ilicem illam nigram sub qua ruminare juvencam poëta canit, de communi ilice intelligendam clarum est, non de coccifera quæ parvus est frutex. At vulgaris ilex coccum quidem profert puniceum, sed tingendo inutilem. Cum vetustissimi Græci juxta ac recentissimi πρῖνον vocent fruticem illum, qui vestes cocco tingit, quique revera ex ilicum genere est. Mirum in hujus fruticis descriptione id præteriisse Dioscoridem. Qui diligentiam ejus in re Herbaria ac Medica tantopere prædicant, saltem fateri cogentur tantam heîc eam non esse, quantam volunt videri. Coccum baphicum describens, quali facie sit aut ex quo arborum vel fruticum genere non meminit, sed simpliciter dicit, κόκκον βαφικὴν θάμνον εἶναι μικρὸν, φρυγανώδη, ᾧ προσήρτηνται κόκκοι ὡς φακοί. Lenti simile granum cocci facit. Cæteri omnes piso communi, interim rotundum, interim oblongum. Pausanias strychni sive solani baccis granum illud adsimilat: Ὁ δὲ αὐτῆς κόκκος ὅμοιος τῷ καρπῷ τῆς στρύχνου. Baccæ solani juniperinis facie ac magnitudine fere pares. Καρπὸν in cocco infectorio improprie vocat Pausanias. Nec enim fructus est, sed veluti scabies fruticis, ut verè Plinius loquutus est. Vesicularum quippe instar sunt ramis innascentium & cortici adfixarum & inhærentium, quæ vermiculos intus pariunt, ex quibus illa preciosa sanies. Non ineptè tamen καρπὸς ea mente vocari posset, quod fructus arboris in his consistat. Non minus impropriè Hippocrates καρπὸν λιβανωτοῦ dixerit

B grana thuris, ut quidem interpretatur Galenus in Lexico. Sed illi fidem non habeo. Nec crediderim unquam Græco cuiquam usu venisse in scribendo, ut καρπὸν arboris nominaverit, gummi quod ex ea resudat. Falsum itaque putem Galenum, & Hippocratem per καρπὸν λιβανωτοῦ non aliud intellexisse quam verum fructum arboris thuris baccasque ipsas, quas lentisci baccis similes tradit Theophrastus lib. IX. cap. V. ἄλλοι δέ τινες τὸ μὲν τοῦ λιβανωτοῦ δένδρον ὅμοιον εἶναί φασι σχίνῳ, καὶ τὸν καρπὸν τῆς σχίνου. Hic omnino fructus arboris thuriferæ, quem intelligit Hippocrates, baccæ nempe
C ipsæ: quas miror vetustissimis Græcis in notitia ac usu fuisse, cum posterioribus Græcis penitus incognitæ fuerint. Hæ sunt baccæ thuris quos & πυρῆνας λιβανωτοῦ vocavit idem Hippocrates, quas tamen idem Galenus de thuris granis æquè malè exponit: πυρῆνας τοὺς χόνδρους εἴρηκεν ἐπὶ λιβανωτοῦ. Immo πυρῆνας de thure non alios heic accipiendos censeam quam de thuris arboris baccis, quem καρπὸν λιβανωτοῦ alibi dixit. Sed ad rem. Coccum in tinctoria ilice non est fructus, sed excrementum arboris. Fungos arboribus innascentes nemo καρπὸν propriè loquuturus vocaret. In communi ilice, quæ grandem interdum arborem facit, κόκκος fructus est, & hic puniceus, verum tincturæ inep-
D tus. Theophrastus de ilice arbore: φέρει δὲ καὶ παρὰ τὴν βάλανον κόκκον τινὰ φοινικοῦν. At κόκκος in ilice frutice cinerei coloris. Nimium itaque indefinitè pronuntiat Plinius, ilicem solo cocco omnes dotes roboris provocare. Debuit dicere ac distinguere, de qua ilice, & de quo genere cocci. Nam & arboris illius, quæ proprie ilex dicitur, duo sunt genera, unum folio spinoso, alterum aculeis carente. Ilex frutex quæ coccum gignit tinctoribus, ex genere est acuifoliarum ilicum. Immo & nonnulli Græcorum fruticem sui generis malunt, cui folia ilici acuifoliæ
E similia. Pausanias nomen fruticis τὴν κόκκον esse vult, cujus folium excepto quod nigrius sit & mollius, cætera simile ilici: Φύλλα δὲ μελάντερα μὲν καὶ μαλακώτερα ἢ ἡ πρῖνος· τὰ μέντοι ἄλλα ἐοικότα ἔχει πρίνῳ. Sic enim locus ille legendus. Ubi etiam habes, quare ilex nigra Poëtæ appelletur, à foliorum scilicet atro-nubila viriditate. At nigriora etiamnum ilici, quæ coccum dat tinctorium. Cujus appellatio ἡ κόκκος juxta Dioscoridem & Pausaniam, ut ἡ μέσπιλος, ἡ πρῖνος. Latinè similiter liceat dixisse, *hæc coccus*, ut hæc prunus. Cujus granum, hoc *coccum*. Hinc Plinio *cocci gra-*
F *num*, ut coccus sit nomen fruticis. Idem Pausanias ὗσγην à Galatis hanc coccum vocari perhibet, locali appellatione. Optimum inter cætera habitum coccum Galaticum consentiunt auctores, ut deterrimum Hispanicum. Nescio tamen an verum de ὕσγη dicat. Græci distinguunt τὸ ὑσγινον χρῶμα & τὸ κόκκινον, ut patet isto versu antiquissimi Epigrammatarii:

Τὰ κ κόκκοιο βαφέντα καὶ ὑσγίνοιο πέπλος.

Latini quoque coccinum & hysginum discernunt. Plinius lib. IX. cap. XLI. coccum Tyria purpura tinctum coloris hysgini fieri asserit: *Quin & terrena*
G *miscere coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum.* Ergo hysginum magis ad purpuram accedit, & medius inter cocinum, & purpureum. Idem Plinius in Gallia vaccinium hysgino vestes servorum inficere dixit. At vaccinium purpureum & color hyacinthinus. Vitruvius lib. VII. purpureum colorem fieri testatur infecta creta rubiæ radice & hysgino. Ergo hysginum purpu-

purpureum. Et Plinius lib. XXXV. cap. VI. ait Puteolanum purpurissum laudari potius quam Tyrium aut Gætulicum aut Laconicum: *Causam esse, quod hysgino maxime inficeretur, rubiamque cogeretur sorbere.* Sic hysginum purpura inficit. Græcus tamen Scholiastes Nicandri τὰ ὑσγινοβαφῆ interpretatur ξανθά, id est, rubentia. Et ὕσγην herbam esse quæ ξανθῷ χρώματι tingit, id est, rubro. Quod non est alienum nimis ab eo, quod Plinius refert coccum Tyrio tinctum efficere hysginum. Tyria purpura ex omni genere maximè rubet. Φοινισσαν eam Græci vocant. Quin immo & Φοίνικας populos ab illo colore denominarunt, cujus primi inventores. Sic Γαλάτας à lacteo candore Gallos appellarunt, Μαύρους & Λίβυας & Αἰθίοπας ab atro. Rosæ poëtis aliquando coccineæ, interim purpureæ vocantur. Πορφύρεον ῥόδον & ῥόδου πορφυρέας κάλυκας passim decantant Græci vates. Alii contra coccineas & coccum commendant à rosæ colore. Utrumque verum est. Tyria purpura coccinea, & rosarum maximè æmula. Plinius lib. XXI. de principalibus vestium tribus coloribus: *Ut rubentem in cocco, qui à rosis, migrante gratia, hic trahitur suspectu & in purpuras Tyrias, dibaphasque ac Laconicas.* Sic nunc eum locum constituo auctoritate optimi codicis Thuanæi. Tyriæ igitur purpuræ suspectu coccineum colorem præferunt, ἐκφοινισσόμεναι ὑπὸ τοῦ ἄνω πυρός, ut Græci loquuntur. Hic proprius rosæ color. Si hysginus color est coccinum Tyrio tinctum, eximius is rubor fuerit, qui nonnihil traheret de purpura Tyria, quæ & ipsa suavissimè rubebat, præcipuè cum suspiceretur. Talem colorem potuit efficere Galatiæ coccum, quod erat in maxima laude. Et videtur ideo cæteris præstitisse, quod mixtus Tyrio cocci rubor in eo emicaret. Credamus igitur interim Pausaniæ Galatas ὕσγην appellasse indigena voce, qui cæteris Græcis κόκκος, Græci Grammatici hoc tantum de ὕσγη exponunt esse εἶδος βοτάνης tingendo aptæ. In antiquo Lexico manuscripto vocatur, ὕσχη. Atqui κόκκος frutex. Sed hæc sæpe confundunt. Plinius quoque si veteribus libris credimus, *gramen* vocat Galatiæ coccum. Ita enim scribunt: *Coccum Galatiæ rubens gramen, ut dicemus in terrestribus. At circa Emeritam in maxima laude est. Verum ut simul peragantur nobilia pigmenta, anniculo gramini languidus succus: idem à quadrimo evanidus. Ita nec recenti vires nec senescenti.* Ita omnes quotquot extant Pliniani libri, scriptum præferunt. Et sanè videtur non de grano ipso, sed de frutice vel herba ipsa intelligere, cum dicit anniculo languidum esse succum, à quadrimo evanescentem. Nam quotannis granum colligitur. Sed cum planta est annicula, vires grani languidas esse innuit. Cum quadrimatum excessit, evanescere. Huic traditioni consentaneum quod hodie tradunt, in Hispania hujusmodi frutices quadrimis majores succidi & uri solere, ut proximo anno tenelli regerminent, & coccum idoneum gignant. *Gramen* vertit Plinius, quod in Græco aliquo auctore βοτάνην reperit appellari. Nam & ὕσγη βοτάνη passim exponitur, quæ est κόκκος auctore Pausania. Granum ipsum quo succus ille nobilis exprimitur, vermiculorum multitudine scatet, quorum sanguis

A tincturam illam molitur. Inde *vermiculus* pro ipso cocco. Vulgaris versio Bibliorum *vermiculum cocci* semper indigetat. Quasi in singulis granis [illegible]li sint vermiculi. Quod affirmat Pausanias: γίνεται δέ τοι ἐν τῷ καρπῷ τῆς κόκκου βραχὺ ζῷον. Et paulo post: νῦν δὲ πρὶν ἢ τὸ ζῷον ἐκκινηθῆναι συλλέγουσι τῆς κόκκου τὸν καρπόν· καί ἐστι τοῖς ἐρίοις ἡ βαφῆ, τὸ αἷμα τοῦ ζῴου. Græci σκωλήκιον dixere, quasi & unus esset in singulis vesicis vermiculus, cum vermiculos potius deberent dicere. De isto scolecio capiendus Plinius lib. XXIV. cap. IV. *Coccum ilicis vulneribus ex aceto recentibus imponitur. Est*

B *autem genus ex eo in Attica fere & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant improbantque.* Nesciebat Plinius quod scriberet. Granum Galatiæ videtur facere diversum à cocco ilicis, quia ilicis quoddam coccum aliud quam tinctorium, ut κόκκος φοινικοῦς πρίνου Theophrasti. At coccum Galatiæ tinctorum gignitur ex ilicis genere; quod & ilicis *coccum* heic vocat Plinius, ut Græci recentiores πρινοκοῦκιν. Omne autem coccum βαφικὸν in vermiculum se mutat, & σκωλήκιον etiam dicitur. Sed tum de-

C terius est, cum evolavere vermiculi. Ideoque prius id colligunt, quam vermiculus exierit. Pausanias de eo vermiculo: τοῦτο εἰ ἀφίκοιτο εἰς τὸν ἀέρα πεπανθέντος τοῦ καρποῦ, πέπεται αὐτίκα καὶ κώνωπι φαίνοιτο ἄν. Legerat noster in Græco scriptore σκωλήκιον improbari, ubi ex eo vermiculus evolasset. Inde ille arripuit certum genus propriè ita vocari, quod celerrimè in vermiculum se mutaret. Atqui omne coccum in vermiculum se mutat, & σκωλήκιον nuncupatur, ut Latinè *vermiculus.* Glossæ: κόκκος, *grani*

D *vermiculus.* Hinc *vermiculatum*, cocco tinctum. Democritus Pseudonymus de purpuræ tinctura in Physicis & Mysticis: φυλλάντιον τὸ δυτικὸν, σκώληξ ὁ πορφύρεος, ῥόδιον τὸ Ἰταλικὸν· ταῦτα τὰ ἄνθη περιτελίμηνται. Et paulo post: ἔστι δὲ ὁ τῆς Γαλατίας σκώληξ, καὶ τὸ τῆς Ἀχαίας ἄνθος ὃ καλοῦσι λάκχαν. Vermis Galatiæ idem quod Galatiæ granum, & ilicis coccum, & σκώληξ vel σκωλήκιον. Quod ignoravit Plinius. Inde Arabicum *chermes* ex *vermis* corruptum. Cæterum non unum vermiculum singula grana continent, sed legionem. Ut mirer, unde hic processit usus lo-

E quendi, vermem aut vermiculum pro cocco ipso vel grano dicere. Ut πρινοκοκκωτὰ Græci dicunt, quæ cocco ilicis infecta sunt, ita & σκωληκωτὰ quæ vermiculo tincta, & vermiculata. Atque inde fluxit appellatio vulgaris *Scalatta.* Grana autem similiter ex America adferuntur tingendis sericeis, colore *kermesino*, quæ cimicum quibus demptum caput est, referunt figuram. Et in arbore reperiri ajunt, haud absimili ficui Indicæ nuncupatæ, pari modo atque in cocco baphica circa foliorum aut ramorum exordia inhærentia. *Cochinillam* nominant nostri

F vulgo. Antea ad eumdem colorem efficiendum utebantur quædam tubercula ex pipinellæ radicibus, quæ Kermesino inficiebant. Cætera ad hanc rem pertinentia variis locis posuimus in Exercitationibus. Hæc nota eo tantum pertinet, ut pervulgatam nominum mutationem indicet, qua quercum pro ilice dicimus, alii fagum.

CAPUT LXXI.

Betulla.

Betulla arbos nomine Gallico antiquo, ut ex Plinio colligere licet his verbis: *Gaudet frigidis sorbus, & magis etiam betulla. Gallica hæc arbor, mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis. Eadem circulis flexilis, item corbium costis.* Nomen hoc adhuc servat Gallia, sed in alio genere arboris. Quod ne mirabile sit, superius notata præstant. *Bouleau* vocatur, quod & ipsum virgis faciendis aptum. Non tamen candorem illum habet, quam in betulla prædicat Plinius. Immo magis sanguinei

G coloris est. Et fortasse *sanguinus* sit potius cui vetus hoc & suum nomen restituimus apud Macrobium in Fragmento Tarquitii Prisci de Arboribus infelicibus. Alaternum, *Sanguinum*, *Filicem*, *Ficum atram.* Nomen retinet in Italia, ubi *Sanguino* vocatur. Mentio ejus in legibus Longobardicis. Inde *sanguinei fruticis*, Plinio, quos etiam cum betulla jungit lib. XVI. cap. XXXVII. *Si quidem & genistæ & populi & ulmi & sanguinei frutices & betullæ, & harundo fissa, recisisque aculeis rubi alligant.* Ubi sanguinei frutices sunt ex

ex sanguino, à colore sic dictus hic frutex sanguineo. Nam *sanguinus* idem quod sanguineus. A [illegible]ntur itaque nomine isto qui *sanguinos albos* faciunt. Ita ajunt vocari in Gallia, quos *alaternos* vetus vocavit Latium. Betullæ etiam cortex albus, & proinde non potest idem esse cum nostro *betullo*. Longissimè vero aberrant, qui putant σημύδαν esse Theophrasti. Videamus descriptionem: Σημύδα δὲ τὸ μὲν φύλλον ἔχει ὅμοιον τῇ λεγομένῃ καρύᾳ, πλὴν μικρῷ στενώτερον, τὸν φλοιὸν δὲ ποικίλον, ξύλον δὲ ἐλαφρόν. Gaza *betullam* vertit. Cæteri id sequuti sunt. Quam rectè, judicium esto vel imperitiorum. Satis sanum fuerit. Semyda folium habet simile nuci juglandi, nisi quod angustius paulo. Betulla folio est nigra

A populo haud absimili. Semyda corticem habet varium, betulla candidum. Semydæ ligno quod levissimum esset, utebantur ad bacula, εἰς βακτηρίας. Betulla quod lentis ac flexilibus esset virgultis, virgas præbebat magistratibus, & vimina vitoribus corbium. ἡ λεγομένη καρύα, cujus folia sed angustiora habere dicitur. Σημύδα est nux juglans. Hoc addo, quia ignorare se professi sunt viri doctissimi, quid esset καρύα hoc loco. Ad distinctionem sic absolutè vocatur aliarum nucum. Nam aliqua καρύα Ἡρακλεωτικὴ vel Ποντικὴ, alia Περσικὴ vel Βασιλικὴ; quam B tamen alii eamdem volunt cum καρύᾳ simpliciter appellata. In eo genere speciem esse præstantissimam alibi docuimus.

CAPUT LXXII.

De cotino.

COtinus, inquit Plinius lib. XVI. cap. XVIII. *in Apennino frutex vocatur ad lineamenta modo, conchylii colore insignis.* Ὁμώνυμος hic frutex cum Græcorum cotino. Græcis enim & κότινος dicitur olea silvestris. Ad vitandum ex homonymia errorem viri in plantis contemplandis ac describendis sollertissimi, fruticem illum Apennini cognominarunt cotinum coriariam. Frustra. Nihil metuendum tale in vocibus apud varias gentes ac diversa lingua usurpatis. Quis Latinorum cotinum pro silvestri olea dicit? Hoc Græcorum proprium. Nam Theophrastus ἐλαίαν & κότινον duo genera nominat, silvestre ac mitius, hoc est, oleam & oleastrum. At *cotinus* Latinum vocabulum de illo frutice Apennini, cujus loco suprascripto meminit Plinius. *Scotano* hodie ab Italis vocari ferunt. Unde idem esse cum Græcorum Σκυθικῷ ξύλῳ quidam nimis temere sibi persuaserunt, quod & Σκυθάρελον Græci recentiores appellant. De quo nos alibi. Sed uno argumento eoque maximo refelluntur, quod Scythicum illud lignum croceo vel luteo colore tingit: unde & χρυσόξυλον iidem Græci hoc genus ligni nuncupant. Cotinus vero, teste Plinio conchylii colore inficit. Scotanum autem, ut Anguillara auctor est, radice usum habet lanis pannisque colore rubro tingendis. Ex quo & dubitari possit, an idem cum scotano cotinus, siquidem conchylii color non parum à rubente distat. Scio & purpuram aliquam rubere, ut Tyriam quæ ad coccinum vergit, & *suaverubentia* aliquando Poëtis dici quæ sunt purpurea: sed Plinius semper conchylium à purpura distinguit, qui pro coloribus hæc nomina usurpat, ut alibi in Exercitationibus docuimus. Ut cum dicit lib. XXII. de coloribus ex herbis loquens: *Transalpinam Galliam herbis Tyrium pingere atque conchylium, omnesque alios colores.* Ubi *Tyrium* vocat quam alibi propriè purpuram. In hoc autem conchylii colore definiendo parum ipse sibi constare videtur. Nam alibi vocat *laudatum pallorem saturitate fraudata.* Ut per conchylium videatur dilutam ac pallidam purpuram intelligere. Alio loco, *austerum in glauco & irascenti similem mari colorem* esse vult. Sic venetum colorem saturum, quem viride marinum vulgo vocamus, conchylium esse innuit. At lib. XXI. cap. VIII. tres gradus conchyliaci coloris facit: primum & maximè dilutum, qui in heliotropopii flore cernitur. De quo heliotropo intelligat, obscurum. Nam plures plantæ hoc nomine. Plinius ipse cichorium sic appellat, cui florem cæruleum dat. An hic istud genus accipiendum est? Verum heliotropium Dioscoridi florem habet candidum, ὑπόπυῤῥον, id est, subrubrum. Dodonæus heliotropii minoris, quæ *verrucaria* vocatur, succo purpureo quo lintea tinguntur, & *tornisolium* Gallis meis appellatur, hunc conchylii coloris gradum à Plinio comparari putat, sed fallitur. Secundum conchyliatæ tincturæ modum in malva conspici ait, ad purpuram inclinantem. Malvæ flos dilutè purpureus est, aut subrubri coloris ad purpuram vergentis. Tertium in viola serotina considerari dicit qui conchyliorum C vegetissimus est, ac summus gradus. Eam violam intelligit quæ in genere λευκοΐων purpurea dicitur, & Matronalibus à quibusdam appellatur, quam serotinam Plinius nuncupat respectu Martiæ. Nam ista mense Junio potissimum floret ac toto etiam anno flores edit. *Caryophyllatam rubram* vulgo dicimus. Ea ex rubro dilutè purpurascit. Hic est igitur color conchylii, quem in cotino insignem esse Plinius idem asserit. Hæc si eadem est arbor cum scotano Italorum, eam Matthiolus ramis subrubere tradit: Dodonæus, obscurè purpurei sive punicei coloris. Nam quod Plinius cotinum colore conchylii insignem D perhibet, de corticis colore id accipiendum, qui ex rubro pallet, hoc est, subrubet, ut loquitur Matthiolus, qui color est conchylii. Verba enim illa Plinii perperam viri docti ad tincturam referunt, qua lanæ panníque ex eo ligno imbuuntur. *Radix*, inquit Dodonæus, *ad tincturam, ut refert Anguillara, utilis, rubente colore lanas pannosque inficiens. Quod Plinius haud ignoravit, ad lineamenta modo conchylii colore insignem fruticem hunc, radice nempe, referens.* Haud vidi unquam pejus alicujus auctoris verba accepta, aut in alieniorem sensum detorta. *Cotinus*, inquit Plinius, *frutex est ad lineamenta modo, conchylii colore insignis.* Ergo radice utilis est ad tincturam rubram pannorum ac lanarum. Quis unquam sanus hunc sensum ex E illis verbis Plinii eliceret. Radicis nulla in eo mentio. Sed nec lineamenta lanæ sunt aut panni. Quin ne illud quidem dicit auctor, tingendo hunc esse fruticem. Colore conchylii insignem esse prodit. Ergo ita ipsum coloratum esse indicat, non colorare. Non dubito tamen, quin cotinus sit scotanus Italorum: nec opus est scribere scotinus, ut quibusdam placet. Nam hoc sollemne est Italis, multis vocabulis Latinis *sigma* in principio reddere. Sic *scongiglio* dicunt pro veterum conchylio, *sphalangio* pro phalangio: & alia sexcenta. Ita ergo & scotinum vel scotanum dixere, F qui Plinio ac veteribus cotinus: *Roso* etiam ab Insubribus appellari ait Matthiolus, hoc est, *rubrum*, qui materiam ligni adeo flavam esse memorat, ut infectoribus maximè expetatur, ad lanificia luteo nimirum colore inficienda. Quod si ita est, cortex ligni subruber, & conchyliati coloris; at materia lutea. Possit itaque esse is frutex, quem θάψον Græci vocarunt, cujus lignum tingendis flavo lanis & capillis idoneum esse passim scribunt. Hesychius: θαψικὸν τὸ ξανθὸν, ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς θάψου ὃ βάπτει, ᾧ ξανθίζουσι τὰ ἔρια καὶ τὰς κεφαλάς. Hoc lignum vocarunt etiam Σκυθικὸν, ut ibidem subjicit: τοῦτο, inquit, τινὲς Σκυθικὸν G καλοῦσι. Potuerunt dicere & Σκυθινόν. Atque inde etiam alii Κυθινὸν. Sic enim Græci solent ex multis vocabulis sigma initiale detrahere. Μίλακα quippe dicunt & μίλον quidam, qui aliis σμίλαξ & σμίλος. Sed & μάραγδος etiam scribitur à nonnullis pro σμάραγδος. Quin & κύθιον legi

ſcriptum in antiquiſſimo codice Dioſcoridis uncialibus litteris exarato, inter ſynonyma glycyrrizæ, quam alii σκύθιον nuncupant, & σκυθικὴν ῥίζαν. Interpres Theophraſti vetus: θαψός ἐστι ξύλον τὸ ὃ καλεῖται σκυθάελον ἤγουν σκυθικὸν ξύλον ὥς φησι καὶ Σαπφώ· τούτῳ δὲ τὰ ἔρια βάπτουσι καὶ ποιοῦσι μήλινα καὶ τὰς τρίχας ξανθίζουσιν· ἔστι δὲ τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον χρυσόξυλον. Vetus igitur illius fruticis nomen σκυθάελον, aut σκυθικὸς vel σκυθινὸς θάμνος. Unde aliis κυθινὸς nuncupatus, & Apennini montis incolis *cotinus* pro *cutinus* vel *ſcuthinus*. Hæc probabilia fortaſſe, non tamen vera opinor. Nam & alia multa in Græcia ligna eſſe potuerunt tingendo apta, quæ lutea eſſent efficienda. De thapſo etiam nos alibi plura in hoc ipſo opere. Non bene autem Anguillaræ cum Matthiolo convenit: cum iſte dicat ligno ipſo luteo colorari lanas, ille perhibeat radice rubrum colorem parari. Sic tamen conciliari poterunt, ut verum ambo dixiſſe videri queant, & frutex iſte tam radice utilis ſit rubræ tincturæ quam ligno flavæ. Quod alii examinent. Nunc reſtant verba Plinii excutienda, an id dicant, quod eum volunt dixiſſe docti Herbarii. Uſum cotini ad tincturam inde elicere & adſtruere ſatagunt, quem nullum in ejus verbis deprehendo. *Cotinus frutex ad lineamenta, modo conchylii colore inſignis.* Quæ ſunt iſta lineamenta? An ad picturam colorem ex eo ſumi intelligit? Certè lineamenta & lineæ etiam in pictura, colores etiam locum habent. Immo omnem penicilli colore imbuti ductum per tabulam lineam & lineamenta dixerunt. Dioſcorides cinnabari vix pictoribus ſufficere ſcribit εἰς τὴν ἐν ταῖς γραμμαῖς ποικιλίαν, *ad varias in pictura lineas ducendas.* E lignis tamen aut herbis tinctoriis non uſurpari colores tinctoribus, ſed fere tantum ex metallicis. Aliud itaque quærendum. Lineamenta heîc eſſe lineas, quibus fabri ſignant ligna exæquanda & læviganda, vel etiam ſerra ſecanda poſſit aliquis putare. Lineam Latini vocarunt quam Græci σταθμὴν vel σπάρτην. Unde proverbium *alba linea ſignare* de his qui diſcrimen non faciunt. Nam linea niſi ſit colore imbuta, nihil ſignat, neque diſcrimen facit: aut ſi ceruſſata ſit vel cretata ſit, ſed ſignandæ albæ quoque materiæ adpoſita. Quod Græci dicunt λευκὴν σταθμὴν ἐν λευκῷ. Locus ex Satyris Lucillii quem viri docti citant, ita legendus eſt: *Et amabat omnes: nam ut diſcrimen non facit, qui ſignat linea alba, ſic Socrates in amore & in adoleſcentulis meliore paulo facie ſignat nihil, quod amaret.* Ita rectè convinxerunt hæc duo loca quæ diſperſa leguntur apud Nonium. Sed male vulgo editur ac citatur: *Nam ut diſcrimen non facit, neque ſignat linea alba.* Immo: *diſcrimen non facit qui ſignat linea alba.* Agellius: *Alba ut dicitur linea, ſine cura diſcriminis.* Funiculus erat, quem rubrica ſive minio illinebant. Μιλτοφυρῆ σχοῖνον vocat Epigramma fabrorum in Anthologiæ ſexto:

------ μιλτοφυρῆτε

Σχοῖνον ἀπ' ἀκρονύχῳ ψαλλομένην κάνονι.

Extenſa linea per longitudinem trabis, ita ut utrimque hæreat firmiter, in medio duobus ſummis digitis attracta ac repente dimiſſa, colorem quo imbuta eſt, ligno imprimit. Perſius:

------ *Scit tendere verſum,*

Haud ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.

Σταθμὴν διατείνειν dixit Ariſtenætus. In lignis ſerra ſecandis aut aſcia lævigandis etiam hujuſmodi linea ex rubrica ducebatur ad dirigendam ſerram aut aſciam, ne exorbitaret. Unde in Epigrammate Græco fabrorum:

------ ἰθυπόρον τε

Πέλονα μιλτείῳ βάμματι πειθόμενον.

Serram rectè incedentem quæ ſequitur ductus lineæ miniatos. Nonio *amuſſis eſt regula fabrorum, quam architecti cum opus probant, rubrica illinunt.* Hodie atramento utuntur fabri noſtri lineis ſuis illinendis. Sed & aliquando rubrica. Numquid igitur pro rubrica conchylii colore, qui ex cotino frutice conficiebatur, uſos eſſe fabros ad lineamenta ſua notanda ſignificat Plinius? Hæc omnium videtur optima ſententia, quæ tamen haud mihi magis probatur quam cæteræ. Primum *lineamenta* abſolute dici pro lineis quæ ex colore ducuntur à fabris ſignando ligno vel lapidi qui ſecatur aut lævigatur, non placet. Deinde tinctura ex cotino illitis funiculis id fieri haud ſcio quam bene poſſit. Fila quidem aut lanas cotino tingi poſſe concedam, ſed an filum ea tinctura illitum poſſit eumdem fucum ligno imprimere qui permaneat, valde dubito. Minio aut atramento vulgo ad hoc utuntur, qui ſunt colores pictorii, non tinctorii. Illi vel ſtatim illiti manent plerumque lapidi vel ligno. Igne opus eſt ac diutina mora, ut hi poſſint imbibi à lana aut lino. Ligna etiam tinguntur, ſed diu in cortina debent coqui, ut penitus imbuantur. Nulla jam reſtat quam demus, Pliniani illius loci interpretatio, cum nulla non ſit improbanda. Nec enim aliud ſuccurrit quo lineamenta illa, quibus idoneus eſt cotini frutex, explicemus. Et ſanè correctorum manu lineamenta illa inducta fuere quæ nunc lectionem eam occupant, cum omnis vetus ſcriptura librorum conſtanter habeat, *lignamenta*. Quæ veriſſima eſt lectio. *Eſt in Apennino frutex, qui vocatur cotinus, ad lignamenta modo conchylii colore inſignis.* Ad lignamenta tantum utilem eſſe dicit, id eſt, ut Græci dicerent, πρὸς τὰ ξυλώματα. Lignari Latini dicunt pro ligna conficere ex arbore, ut Græci ξυλίζεσθαι, in illo ſenario:

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλίζεται.

Quercu ex prolapſa cuivis lignari licet.

Solis igitur lignamentis utilem eſſe cotinum oſtendit Plinius, qui nihil præterea habeat commendabile, niſi quod colore conchylii ſit inſignis. Ideo in tranſcurſu tantum ejus meminit, cui latius commemorando eſſet immoratus, ſi tincturæ accommodum tum eſſe ſciviſſet. In talibus enim deſcribendis, aut uſu eorum ſaltem notando accuratiſſimus ſemper auctor ille. Si cotinus idem cum ſcotano, nondum ſanè Plinii temporibus inventa ſunt quæ olim latebant. Docti etiam volunt coccygriam eſſe Plinii cotinum illum Apennini fruticem. Coccygria illa tam in mendo apud Plinium quam apud Theophraſtum ex quo Plinius habet. In vetuſtiſſimo codice *coccy* vocatur in ipſo textu: *ſimilis & coccy folio, magnitudine minor.* At in indice manu exarato ſcribitur *coccycia*. Omnino pro *coccygia*. Græcum cujus nomen eſt κοκκυγία, non κοκκυγέα. Et ſic reponendum apud Theophraſtum lib. III. cap. XVII. ὅμοιον δὲ ἐστὶ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυγίας. Vulgo eſt: κοκκυμηλέας. Quod illi mutare debuerunt, qui tam multa in nova editione emendaſſe, partim ex libris, partim ab ingenio gloriantur. Coccygiam folio ſimilem eſſe arbuto & andrachnæ arbori ſcribit. Si ita eſt quemadmodum velle videntur, coccygiam eſſe eamdem cum cotino; certè quod iidem tantopere urgent, non videbitur verum, ut cotinus ſit cum ſcotano Italorum. Nam coccygia, teſte Theophraſto, ſimilia arbuto folia habet; at ſcotanus ulmo. Nihil tam diſſimile. Ea re adducti ſunt ut crederent eamdem eſſe arborem ſcotanum & coccygiam. Plinius poſt Theophraſtum tradit proprietatem hanc eſſe coccygiæ, fructum amittendi lanugine quam pappum vocant. ἐκπαππροῦσθαι dicit Græcus auctor. Id nulli alii arbori evenire idem affirmat. Atqui ſcotanus ſive cotinus eamdem habet proprietatem. Ergo ſcotanus eſt coccygia. De ſcotano quidem memorant pro flore producere in ſummis frondibus criſpam, tenuem, mollemque lanuginem, racematim conglobatam: poſt quam ſequuntur ſemina exigua, lente minora. Ita Dodonæus deſcribit. Matthiolus vero plumoſam eam congeriem vocat, umbellæ ſpecie, in qua ſiliquæ proveniunt oblongæ, hyperici non abſimiles, quibus ſemen continetur. Fructum eum lanugine amittere non dicunt, quod proprium coccygiæ: ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαπποῦσθαι τὸν καρπόν. Verba ſunt Theophraſti, quæ ſignificant una cum lanugine fructum diffluere ac deperdi. Quod non facit ſcotanus. Addit Theophraſtus: τοῦτο γὰρ οὐδ' ἀφ' ἑνὸς ἀκηκόαμεν ἄλλου δένδρου. Hoc de nulla alia arbore fando audivimus, ut fructum nimirum una cum lanugine evolantem perdat. Atqui ſalici, quæ ὠλεσίκαρπος poëtæ dicitur, hoc eſt *frugiperda* ſimiliter etiam fructum amittit. Quod in

in illis salicibus observare non licet, quæ quotannis aut singulis trienniis cæduæ sunt ad palos & pedamenta vinearum, sed in illis quæ suapte indole crescere sinuntur. Folliculum illæ producunt, parvum, oblongum, qui maturus in quatuor partes in summo finditur ut nux Erioxyli arboris. Plenus est intus lana candidissima ac mollissima, cui semen minutum adnexum est, eodem modo quo in Erioxyli sive gossypii nuce, quæ A per mensem Augustum & Septembrem minutis flocculis evolat. Hæc est spuma albicans salicis quam Matthiolus nemini adnotatam dicit, quæ delapsis statim floribus è ramis uvæ modo dependet, donec ventis arrepta huc & illuc plumæ modo impellatur. Sanè folliculi illi racematim compacti dependent. Sed quare spumam salicis vocet, quæ lana est mollissima & candidissima, ignoro.

CAPUT LXXIII.

De salice.

Mentio salicis, quam in fine superioris capitis fecimus cum de ejus lanugine ageremus, revocat nobis in memoriam ὁμωνυμίαν, quam in Græca hujus arboris voce observavimus. Ἰτέαν quidam non tantum salicem, sed etiam pinum sive piceam vocaverunt. Non quidem in communi sermone usurpata hæc notio, sed circumforanei medici & agyrtæ, dum verborum involucris remediorum suorum compositiones obtegere studerent, ab usu vulgari remota vocabula & ænigmatica plerumque ad fucum faciendum & idiotas in admirationem rapiendos conquirebant. Hi sunt, qui ἰτέαν pinum appellarunt. C Sic in compositione quadam ad Calvitium apud Galenum lib. I. de medicamentorum compositione secundum loca, ab ejusmodi Empiricis prodita, λαδωνὶς est laurus, ἄμορφον βρέφος ursus, ἀποτραγοπώγων ladanum, περικαλαμίτης adarce, quia circa harundines concreta adhæret. Compositio κωλικὴ Philonis apud eumdem tota ænigmatica est. Hunc morem postea sumpsere chymici, qui in arte sua tradenda ac præscribendis remediis, totaque silva medica exprimenda, his vocabulis usi sunt, quæ soli mystæ tantorum arcanorum intelligerent, ut ab eorum mente ac luce populum tanquam profanum penitus arcerent & excluderent. D In collectione rei veterinariæ Græca, quæ ex diversis antiquissimis auctoribus compilata est, quamque Vegetius in Latinum ex parte convertit, compositio aliquot locis repetita legitur, quæ inscripta est κατάπλασμος τριμερὴς συναπτική. Ea in optimo ac vetustissimo libro scripto habetur numero sive capite, CCXV. Et sic conscripta est: Ἰτέας τὸν φλοιὸν ἥτις ἐστὶν ἡ πίτυς κόψας καὶ σήσας, καὶ δρομάδος ὅ ἐστιν ἐλάφου κέρας καύσας καὶ τρίψας, καὶ ἀβρόχου ἄλευρον, ὅ ἐστι βρῶμος, ἀλήσας καὶ σήσας. Expositio adposita est ab auctore collectionis, ut ne quis in eo posset errare. E Alio loco eadem repetita est prorsus iisdem verbis, nisi quod ἄβροχον non interpretatur βρῶμον, id est, avenam, sed ὄροβον. Sic vocavit ervum vel etiam bromum, quia ad esum non coquitur, nec madet. Virgilius:

Et quamvis igni exiguo properata maderent.

De leguminibus. Et *madida* pro coctis apud Plautum. Ergo ἄβροχα, quæ non coquuntur ad edendum. Tale fuit inter legumina ervum apud veteres, quod solis jumentis dabatur. Βρόμον quoque sive avenam in cibis apud veteres usurpatam minimè fuisse constat. Cervus δρομὰς a cursus velocitate ibidem vocatur. F In quo est ὁμωνυμία. Nam camelorum generi velocissimo hoc nomen à Græcis impositum, quæ δρομάδες inde dictæ absolutè. *Dromadarii* nunc appellantur. Ἰτέαν vero cur pinum auctor compositionis appellaverit, magis obscurum. Ita tamen appellasse certum est παρὰ τὸ ἄνω ἰέναι, quod sursum assurgat. Nam & ἰτέαν Grammatici sic dictam à Græcis interpretantur διὰ τὸ αὐξητικὸν, quod citò crescat, & in altum eat. Nam ab ἰτὸν, ἰτέα. Latini quoque Etymologi salicem suis nuncupatum autumant, à saliendo. G Sed illi errant. Hoc vocabulum Evander Arcas Latio intulit. Arcades enim, quam reliqui Græci ἰτέαν, ipsi vocarunt ἑλίκην. Inde Latinis selix vel salix. Hesychius: ἑλίκη, ἰτέα. Quod ex ea nempe viacula fierent. Theophrastus lib. III. cap. XIII. B de salice: καλοῦσι δ' οἱ περὶ Ἀρκαδίαν οὐκ ἰτέαν, ἀλλ' ἑλίκην τὸ δένδρον. Ab ἑλίκη *salix*. Sic *mastix* recentioribus Latinis quæ μαστίχη Græcis, & his Δέλφιξ, quæ delphica illis. Ἑλίκη *salix*, ut ὁλκὸς *sulcus*, ὕλη *sylva*. Plinius eum Theophrasti locum male assequutus est, qui putavit auctorem dicere, tertiam salicis speciem quæ omnium brevissima est, helicen à Græcis nominari. Sic enim scribit lib. XVI. cap. XXXVII: *In Asia tria genera observant. Nigram, utiliorem viminibus: candidam, agricolarum usibus: tertiam, quæ brevissima est. Helicen vocant.* Falsum est ab universis Asianis certum genus salicis sic vocari. C Arcades soli ita vocabant. Deinde non speciem quandam salicis eo nomine nuncuparunt, sed universum genus, cui ἰτέαν cæteri Græci nomen fecerant. Loco quem supra citavimus, Theophrastus duo genera salicis facit nigræ & candidæ. In utroque genere & pumilas dari scribit, quæ in altum non assurgant, ut in plerisque aliis arboribus, cedro nempe & palma: ἔστι δὲ καὶ τῆς μελαίνης καὶ τῆς λευκῆς ἴδιον γένος μικρὸν οὐκ ἔχον αὔξησιν εἰς ὕψος: *Est & genus proprium nigræ, & candidæ, pumilum, & quod in altum non assurgit, ut & in aliis arboribus videre est, cedro nimirum & palma.* D Addit deinde statim: καλοῦσι δ' οἱ περὶ Ἀρκαδίαν οὐκ ἰτέαν ἀλλ' ἑλίκην τὸ δένδρον. *Arcadiæ vero populi non itean, sed helicen nominant hanc arborem.* Plinius hæc verba retulit ad ea, quæ proximè præcesserunt de genere salicis humili. At Theophrastus quam cætera Græcia ἰτέαν vocaret, eam ab Arcadibus in universum ἑλίκην appellari intellexit. Et clarum id ex eo quod δένδρον appellat. Nam pumila salix non attollitur in arborem. Deinde etiam ex eo quod sequitur: οἴονται δ' ὥσπερ ἐλέχθη καὶ καρπὸν ἔχειν αὐτὴν γόνιμον. Idem nimirum Arcades qui ἑλίκην pro ἰτέα nominabant, salicis semen fæcundum esse E putarunt, non sterile, ut jam monuit Theophrastus cap. I. ejusdem libri, ubi de salice arbore locutus est, non de frutice: ἐπεὶ καὶ τὰ δοκοῦντα, inquit, ἄκαρπα εἶναι γεννᾶν φασιν, οἷον πτελέαν, ἰτέαν. Exemplum deinde affert id quod accidit in urbe Arcadiæ Pheneo, ubi cum locus quidam salicibus & ulmis consitus inundatione absorptus fuisset, arboribus inde deletis, postquam exsiccatus est, quo loci salices steterant, iterum ibi succreverunt; similiter & ulmi aliæque arbores, piceæ & abietes. Ex eo igitur Arcades edocti sunt salices non esse steriles, ut vulgo existimatum est, sed ex semine suo provenire. F Quod de arbore salice accipiendum esse liquet, non de fruticoso genere. Eam igitur ἑλίκην Arcades vocarunt, quæ Græcis ἰτέα. Mirum est, Gazam in eo loco vertendo etiam de humili salice eum intellexisse. Sic enim reddidit: *Est tam nigræ quam candidæ genus quoddam parvum, & incremento in excelsum orbatum. Hoc Arcades non salicem, sed helicen vocant.* Nihil potest magis contrarium fingi auctoris menti. Quasi nimirum Arcades inter procerum & humile genus salicis hoc discrimen ponerent, ut alteram ἰτέαν, alteram ἑλίκην appellitarent. G Non ea mens auctoris, nec Arcadum sententia fuit, à quibus Latini accipientes, salicem dixerunt de terrestri & in altum assurgente genere. Agnoscenda igitur & heîc ὁμωνυμία. Humilis enim ac terrestris salix eodem nomine censetur cum arborescente. Atqui vel Theophrasto

phrasto teste diversum genus. Poterant tamen & nominibus distingui ut in plerisque aliis. Nam cur χαμαιτέα dicta est parva salix, ut χαμαιάκτη parva & in arborem nunquam sese attollens sabucus? Galli idiomate suo ea genera salicum appellationibus discernunt. Quæ ex his arbores sunt, nomine nuncupant ex Latina origine salicis paululum deflexo. At humiles & quæ nunquam arborescunt, *Hosaria* vocant; forte ex Græco οἰσύελον, quod est parvum οἰσον. De quo paulò post. Sic *sabinariam* vocamus, Latinorum herbam sabinam. Sic λυπινάρια Græci recentiores, Latinos lupinos. Plinius in salice consideranda, quam in plures species dividit, sciendum eas species referri debere ad pumilum genus, non ad eam quæ in arborem crescit, quæ unius tantum generis videtur. Ea si non cædua fiat, in tantum evadit incrementum, ut maximis & amplissimis arboribus non cedat. Vidi talem tantamque, cujus truncum vix tres homines poterant amplexu cingere, & quæ in altissimam surgeret proceritatem, ramis quoque proportione latissimè diffusis ac patulis. Est & altera homonymia in hoc salicis vocabulo. Sic enim vocarunt & *viticem*, hoc est, Græcorum ἄγνον: epitheto tamen à patria sumpto, cognominarunt Græcam salicem. De ea Cato intellexit, quam & nominatim expresserat, cum tamen Plinius locum ejus citans, salicem simpliciter dixerit. Caput ejus de salice sic vulgo incipit, quod est libri XVI. trigesimum septimum: *Salicem vero circa qua nulla aquaticarum utilior.* Non plena heic videtur sententia. Ideo vir talium doctus emendabat: *Salicem vero circa amnes, qua nulla aquaticaram utilior.* Et conjecturam hanc suam firmat loco Catonis de R. R. cap. IX. *Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis propter amnes, ibi seri oportet.* Sed viro erudito fraudi fuit imperitorum hominum negligentia, qui Plinium in capita secuerunt. Hi plerumque tam male & nullo judicio hoc egerunt, ut sæpe unius sensus continentiam interruperint. Quod hoc loco fecerunt. Prioris capitis fine Catonis locum citabat Plinius, qui hodie habetur apud Catonem cap. VI. Eum locum medium diviserunt belli illi homines, & partem in fine capitis XXXVI. reliquerunt, partem in principio sequentis conspici voluerunt. Atqui sic continenter illa connecti debuerunt, ut ea reliquit scripta Plinius: *Harundinis Italæ usus ad vineas maximè. Cato seri eam jubet in humidis agris, bipalio subacto prius solo, oculis dispositis intervallo ternorum pedum. Simul & corrudam, unde & asparagi fiant: concordari enim amicitia. Salicem vero circa, qua nulla aquaticarum utilior.* Cato eo loco, quem hic Plinius allegat, harundinetum loco humecto aut ubi ripæ: circa arundinetum vero salicem Græcam. Verba Catonis integra heic ponenda sunt: *Sic ubi in his locis ripa, ut locus humectus erit, ibi cacumina populorum serito, & arundinetum. Id hoc modo serito: bipalio vertito, ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant. Nam convenit arundinetum cum corruda, eo quia foditur & inceditur, & umbram per tempus habet. Salicem Gracam circa arundinetum serito, uti siet qui vineam alliges.* Patet igitur ex his verbis Catonis quod Plinius dixit, salicem circa serendam esse, de arundineto id accipi debere; circa quod salicem seri vult Cato sed Græcam. At male fecit, quod cognomen illud *Gracam* omisit Plinius. De certo enim genere salicis intellexit Cato, Plinius de omni; qui & inde occasionem captavit de variis generibus salicum differendi & primo quidem de ea quæ arbor est, cum salix Græca Catonis ex fruticoso sit atque humili genere, unde vineæ alligantur. Optimæ Glossæ Græcam salicem interpretantur, ἄγνον. *Graca salix*, ἄγνος. Et sane ἄγνον inter genera salicum reposuerunt. Nam ut scribit Plinius lib. XXIV. cap. IX. *Non multum à salice vitilium usu distat vitex, foliorum quoque aspectu nisi odore gratior esset. Graci lygon vocant, alii agnon.* Non puto tamen Græcorum ἄγνον Latinis venisse nomine Græcæ salicis. Aliud hæc genus fuit minoris, & minimè alta capescentis salicis. Plinius

A eodem capite duo genera facit viticis sive agni. *Major, inquit, in arborem salicis modo assurgit, minor ramosa, foliis candidioribus lanuginosis.* Hæc ille scribit, quasi unica sit tantum salicis species, quæ in arborem assurgit. Alias æque minori salici & ramosæ comparari potuit, minor & ramosa viticis species, quam major & arborea, majori & arborescenti. An salicem eam proprio dictam intellexit, quæ in altum surgit? Nos sanè sic eam proprie vocamus. Reliquas minores species, *hosarii* nomine appellamus. Latini tamen salices eas etiam vocarunt, B ut & Græci ἰτέας. Quamvis Theophrastus ἴδιόν τι γένος statuit pumilæ salicis quæ in arborem non attollitur: ἔστι δὲ ἡ τῆς μελαίνης ἡ τῆς λευκῆς ἴδιον γένος μικρὸν καὶ οὐκ ἔχον αὔξησιν εἰς ὕψος. Arcades quoque, unde Latini nomen salicis, mutuati sunt, ἑλίκην de universo genere dixerunt. Ridiculi itaque nostri Herbarii, qui Plinii & Gazæ errorem sequuti genus quoddam speciale *salicis helices* cognominatæ faciunt. Ita enim salix helice vocatur Dalecampio in Herbario Lugdunensi, quæ baccas fert rubentes, C & caput squamis compactum. Nugæ. Plinius in constituendis salicum generibus, unicum tantum genus ponit, quod in proceritatem magnam surgat; reliqua omnia inter minores & humiles species recenset: *Salicis statim plura genera. Namque & in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas, pariuntque baltheo corticis vincula: & alia virgas, sequacis ad vincturas lentitia. Alia pratenues viminibus texendis pratenui subtilitate.* Priora verba non satis sana videntur: pro *pariuntque* veteres omnes codices habent, *partemque*, vel *parteque*. Totum locum sic lego & constituo: *Salicis statim plura genera. Nam qua in proceritatem magnam se mit-* D *tunt, jugis vinearum perticas parant, eque baltheo corticis vincula.* Eleganter latam fasciam, quæ demitur ex perticis salicis decorticatis, baltheum corticis vocat. Ex eo vincula fiebant. Reliqua, quæ sequuntur minorum sunt generum: *Et alia virgas, sequacis ad vincturas lentitia. Alia pratenues viminibus texendis, pratenui subtilitate. Rursus alia firmiores corbibus, ac plurima agricolarum suppellectili, candidiores ablato cortice, levique tractatu viliori-bus vasis quam ut è corio fiant, atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissima.* Hæc omnia genui- E na sunt Pliniana: nec enim ab alio mutuatus est, sed ex genio suo prompsit. Diversas igitur facit salices, quæ perticas jugis vinearum præbebant. Hæ sunt, quæ in magnam proceritatem se mittunt. Rursus alias statuit, ex quibus virgæ parabantur ad vinciendum. Item alias, quibus vimina texebantur, insigni tenuitate. Alias postremo firmiores, ex quibus corbes fiebant, & agricolarum cætera suppellex. Ab usu genera hæc distinxit. Atqui ex uno genere possunt omnia ista utensilia fieri, & vulgo fiunt. Quod autem aliæ tenuiores, aliæ firmiores & crassiores, annorum multitudine id evenit. A primo anno quo cæsæ sunt, virgas præbent te- F nuiores: si ad alterum annum incæduas quis servet, crassiores & fortiores, & aliis usibus aptas, quam quæ sequente anno à prima cæsura sumuntur. Singulis trienniis vulgo cædi solent, ut & majores salices quæ perticas vineis suppeditant. Tum satis crassæ ac firmæ sunt, adeo ut findi opus habeant. Tripertito finduntur, & serviunt circulis doliorum vinciendis, & corbibus etiam texendis, aliique rusticæ suppellectili. Ex decorticatis & magis tenuibus delicatiora opera fiunt. In duo genera distinguimus, in vulgarem quæ magis rubet, & eam quam francam vocamus: quasi mitiorem hanc velimus esse G ac meliorem, alteram agrestem & ad usum difficiliorem. Quod françum dicitur hosarium, folia habet latiora paulo, & corticem ex viridi pallidiorem. Theophrastus totidem genera agnoscere videtur. Nam puniceam eamdem cum nigra facit. De quo paulo post. Locus Plinii, quem supra adduximus, ita distinguendus ac legendus: *Rursus alia firmiores corbibus, ac plurima agricolarum suppellectili. Candidiores ablato cortice, levique tractatu, ut melioribus vasis qua sine corio*

A *corio fiant, atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimæ.* Nihil hic conjecturæ nostræ permisimus præter auctoritatem veteris scripturæ, nisi quod *quæ sine* posuimus pro *quæ ut ne*, ut habent libri. Corium vocat corticem salicis. Sine eo lautiora ac meliora operum fieri. Cum eo viliora, ut est agricolarum suppellex in corbibus, quales & cæteris. Virgilius :

Virgea præterea Celei vilisque supellex.

Sequitur apud eumdem Plinium : *Cadua salici fertilitas, densior tonsura ex brevi pugno verius quam ramo, non ut remur in novissimis curanda arbore.* Constructio non cohæret : legendum enim esset, *non ut remur in* B *novissimis curandæ arbori.* Nam præcessit, *salici* cum quo postrema hæc casu debent concordare. Dalecampius non hanc litem movit, sed in illo pugno non sibi satisfecit, ideo de extundendo pugnavit, & sic legit : *Caduæ salici fertilitas densior tonsura, & brevi ligno verius quam ramo.* Quæ ego nullus capio. Nulla in scriptis varietas, excepto quod habent *eccedua* pro *cadua*, & *densiorque.* Totum sic lego : *Ex caduæ salice fertilitas, densiorque tonsura, ex brevi pugno verius quam ramo, non ut remur in novissimis curanda arbore.* Nunc omnia congruunt. Pugnum vocat, caput cæduæ salicis ex quo virgæ cæduntur, quod non sit majus pugno : omnes enim virgæ quasi ex quodam C pugno pullulant. Et notandum de minori salice hæc omnia dici. Nam majoris ex qua perticæ cæduntur, capita longe solent esse majora, quia & truncum habent longe crassiorem. Hæc sanè Plinii mens, cujus verba hæc mox sequuntur : *Salici tamen præcipua dos. Finditur Græca rubens, candidiorque Amerina, sed paulo fragilior, ideo solido ligat nexu.* Jam hîc habemus Græcam salicem, quæ non est vitex ut auctor Glossarum volebat, sed ex duobus minoris salicis generibus, alterum rubens quod ita Latini vocarunt, ut alterum Amerinum ab Ameria Italiæ in Sabinis D oppido, quod erat candidius. Hæc duo sint igitur genera minoris salicis, Græca & Amerina; illa rubra, hæc candida. Nec plura genera Theophrasto cognita, qui rubram & nigram eamdem vult his verbis : πάρυδρον ἢ καὶ ἡ ἰτέα καὶ πολυειδὲς, ἡ μέλαινα καλουμένη, τῷ τὸν φλοιὸν ἔχειν μέλανα καὶ φοινικοῦν, ἡ δὲ λευκὴ τῷ λευκόν. Ecce tamen qui Amerinam contra rubentem salicem interpretentur. Servius ad I. Georgicῶn, in illis poëtæ verbis :

Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.

Alii genus salicis dicunt, dispari colore à cætera salice : nam est rubra & ad connectendum aptior, quia præter morem E *lenta est, quæ nunc quoque Amerina à rusticis dicitur.* Sanè etiam nunc in quibusdam Burgundiæ locis rustici *Amarinas* appellant minores hujusmodi salices, quæ sub *hosarii* nomine cæteris Gallis vocentur. Utrum rubram an candidam sic appellent, non memini, & parum refert. Plinio magis credemus quam Grammatico, Amerinam candidam potius esse salicis exiguæ speciem quam rubram. Utramque porro findi ait, tam rubentem Græcam, quam candidam Amerinam, sed *hanc paulo fragiliorem, ideoque quo solido ligare nexu.* Contrarium ego putarem. Nam si fra- F gilior, minus lenta. Si minus lenta, non tam solido ligare potest nexu. Dalecampius audacior haud scio an infelicior conjector, sic constituebat hæc verba, parum curans an vetus illis scriptura suffragaretur : *Finditur Græca rubens Amerina, ut & candida haud paulo flexilior, ideo solido ligans nexu.* Persuasit illi ut video Servius Amerinam rubere, & eamdem esse cum Græca rubente. Hanc quidem emendationem adscripsit ad oram editionis suæ. In notis vero ita scribit ad hunc locum, de Amerina hæc esse intelligenda, quæ sola finditur : Amerinarum autem quandam rubere, quæ Græca vocatur. Hæc non G intelligo, nisi videatur Amerinam facere generale vocabulum omnium salicum, cum dicit Amerinarum quandam rubere, cui Græcæ cognomen additum, & quamdam esse candidam. Rursus quod ait Amerinam solam findi, manifestò speciei esse non generis nomen planum facit. Verba Plinii in veteri codice Regiæ Bibliothecæ sic scripta memini : *Finditur Græca rubens : candidior Amerina, sed paulo fragilior, ideo solido ligat nexu.* Candidam nimirum Amerinam esse vult, & certæ speciei nomen, non totius generis, ut placet Dalecampio; qui Lugdunenses suos secutus omnem viminalem salicem vocari putavit Latinis Amerinam, quia vulgus hodiernum in Lugdunensi agro sic appellat. An solam porro Græcam rubentem findi intelligat Plinius, videndum. Utut sit, non dicit solam Amerinam findi, ut notavit Dalecampius. Candidiorem esse Amerinam, sed paulo fragiliorem quo sensu Plinio dictum sit nescio, præcipuè cum rationem addat, ideo solido eam ligare nexu. Atqui quæ fragilia sunt, minus tenaci nexu ligare existimanda quam quæ lenta & flexibilia. Quid si legeretur : *Sed paulo facilior, ideo solido ligat nexu.* Latinis *facile* pro lento & flexili poni tralaticium est. Si retinemus, *fragilior*, hic fortasse erit sensus, findi quidem Græcam rubentem, candidioremque esse Amerinam, sed fragiliorem, id est, findi faciliorem. Nam quæ facile finduntur, ut lentiores ita aptiores ligando habent Rustici nostri, eæque sunt quas *Francas* propriè cognominant, quasi veras & germanas. Nihil horum tamen arridet. *Fragile* propriè τὸ εὔθρυστον. Quod tale est, nec lentum est, nec in lentitia quam non habet, εὔτονον. Qualia omnia ferè sunt τὰ λυγώδη, quæ & δύσθραυστα solent esse. Hæc solidum habent nexum : non fragilia, sed fractû contumacia. Negativa igitur addenda esset, & contraria facienda sententia, vocem *fragilior* heic conservare volenti, ad hunc modum : *Candidior Amerina, sed paulo fragilior : ideo haud solido ligat nexu.* Vel certè legendum foret : *ideo soluto ligat nexu.* Non tenaci nec stricto; nam si validius adstringeretur, facile rumperetur. Et sanè non in laude, sed in vitio id à Plinio poni particula *sed* ostendit. Nihilne aliud restat, quod dicamus ? Immo restat. Videtur illius loci hæc optima nobis & facillima emendatio, ut legamus : *Candidior Amerina, sed paullo gracilior; ideo solido ligat nexu.* Quo graciliora sunt vimina, eò solidius stringunt. Talis Amerina inter viminales salices, vel teste Columella lib. IV. cap. XXX. *Putant tamen tria esse genera præcipua salicis, Græca, Gallica, Sabina, quam plurimi vocant Amerinam. Græca flavi coloris, Gallica obsoleti purpurei, & tenuissimi viminis. Amerina salix gracilem virgam & rutilam gerit.* Ubi vides & Amerinam rutilam dici; quo confirmatur Servii Grammatici sententia, qui rubram tradit. At Plinius hoc loco candidam vult. Alibi porro meminit & *nigræ Amerinæ*, lib. XXIV. cap. IX. *Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere à balneo illitum psilothrum est.* Si & nigræ, & candidæ & rubræ Amerinæ sunt, tum profectò Amerinæ nomen erit generis. Nam præter illas tres species, nulla est. Et sanè Plinius illo capite Amerinam pro nomine generali pumilæ & viminalis salicis usurpare videtur, & à salice distinguere, quasi sic propriè dicenda sit quæ arbor est. Ibi enim primo de salicis medicinis loquitur, ex fructu & cinere, deinde & succo. Hanc arborem dicit, ubi de succo ejus loquitur : *Est autem trium hic generum : unum arbor ipsa exudat.* Postea ubi medicinas omnes ex arbore salice exposuit, subjicit : *Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere à balneo illitum psilothrum est.* In indice quoque ubi recenset medicinas ex his duobus, nomine etiam ea distinguit hoc modo : *Salice* XIV. *Amerina* I. *vitice* XXXIII. Atqui Amerina est salix, vel salicis species, ut ipse libro XVI. latè persecutus est. Eodem porro capite IX. lib. XXIV. mentionem habet Amerinarum scoparum, quæ ex Amerina hac nimirum fiebat. De qua quam variæ veterum fuerint sententiæ, vel hinc liquet, cum alii rubram, alii candidam, alii nigram speciem esse volue-

voluerint; quidam etiam nomen generis, quod hæc tria complecteretur. Alia etiam hujus nominis notio Gazæ usurpata in versione Theophrasti, qui quod Græci ἄγνον appellant, Latini *viticem*, barbari *agnum castum*, ipse perpetuo Amerinam reddit. Cujus interpretationis rationem reddi posse non puto. Et tamen in eadem quoque sententia est Georgius Alexandrinus in expositione verborum Columellæ, qui Amerinam sic interpretatus est. Persequamur Pliniana in generibus salicum exponendis: *In Asia tria genera observant, nigram utiliorem viminibus, candidam agricolarum usibus, tertiam, quæ brevissima est, helicen vocant.* Hæc ex Theophrasteis expressa, sed more Pliniano, id est, infelicissimè. Theophrastus salicem in nigram & candidam distinguit, quod hæc candido, illa nigro sit cortice. Nigram virgas habere elegantiores, & ad vitilia utiliores dicit. Καλλίους γὰρ ἔχει τὰς ῥάβδους καὶ χρησιμωτέρους εἰς τὸ πλέκειν ἡ μέλαινα. Rectè Plinius utiliorem esse viminibus vertit, quod nos interpretamur utiliora habere vimina. Alias dicendum fuisset utiliorem esse vitilibus vel vimineis. Sed videtur subintelligendum, *viminibus texendis*. Sic enim supra loquutus est: *Aliæ pratenues viminibus texendis, spectabili subtilitate.* Latini passim *vimen textum* appellant, & præcipuè poëtæ, quod ex vimine textum est. Exempla passim obvia. Sequitur in Theophrasto: ἡ δὲ λευκὴ καὶ πυκνοτέρας. *Candida vero densiores habet virgas.* Plinius hanc interpretatus est candidam, agricolarum usibus utiliorem: quia nempe firmiores esse oporteat & crassiores, ex quibus instrumenta agriculturæ texantur ut corbes, quasi, vanni & cætera eorum virgea supellex. Ita enim supra dixit, cum ab usu eas species distingueret. *Aliæ pratenues viminibus texendis, spectabili subtilitate: Aliæ firmiores corbibus ac plurimæ agricolarum supellectili.* Videtur ergo Plinius in illis verbis Theophrasti πυκνοτέρας ῥάβδους candidæ salicis pro crassioribus & firmioribus accepisse. Certè & πυκνὸν Grammatici etiam ἰσχυρὸν exponunt, & hanc significationem interdum habet. Densiores tamen & spissiores virgas in candido salicto provenire Theophrastus intellexit, rariores in nigro: sed & innuit non obscurè minus utiles esse viminibus texendis candidas salices, & consequenter virgas habere minus tenues. Quod addit de tertio genere brevissimo, quod helicen Græci vocitent, ex male intellectis Theophrasti verbis id expiscatus est: cum ille velit omnem omnino salicem, quæ Græcis cæteris ἰτέα dicatur, ab Arcadibus appellari ἑλίκην. Quod jam supra animadvertimus. Cum tribus porro illis Asiaticis & Græcis salicis generibus totidem componit ac pariat Latinorum nomina ac species: *Apud nos quoque multi totidem generibus nomina imponunt, vimineam vocant, eamdem purpuream. Alteram nitelinam à colore, quæ sit tenuior. Tertiam Gallicam, quæ tenuissima.* Sed vide quam bellè hæc respondeant Græcis illis Theophrasteis: *vimineam*, inquit, *vocant eamdem purpuream.* Correximus olim ex libris *viminalem.* Nam aliud sanè *viminale*, aliud *vimineum.* Quod ex vimine textum vimineum. Quod ad vimina utile est, viminale. Ita *viminalis* salix Plinio dicitur de specie certa salicis, quam componit & comparat cum illo genere Theophrasti, quod ille dicit habere, χρησιμωτέρας ῥάβδους εἰς τὸ πλέκειν, aptiores ad viendum virgas. Illa Theophrasto salix nigra est, quam & puniceam esse memorat: Ἡ μέλαινα καλουμένη τῷ τὸν φλοιὸν ἔχειν μέλανα καὶ φοινικοῦν, *ab eo quod corticem nigrum habent & puniceum.* Ab altera nimirum parte nigricat, ab altera rutilat. Plinius quoque hoc genus purpureum esse refert, quod viminale propriè vocat, ut sit idem cum nigro Theophrasti quod viminibus texendis idoneum est. Atqui viminalis salix non de una specie dicitur Latinis scriptoribus; sed de toto genere brevi, & fruticoso, quod ad viminum usum texendorum virgas præbet, ut distinguatur à perticali vel arbore, unde perticæ jugandis vineis parabantur. Columella sanè lib. IV. Salicem omnem in viminalem & perticalem distinguit cap. XXXI. *Perticalis fere salix*, inquit, *eumdem agrum, quem viminalis desiderat, melior tamen riguo provenit.* Et profectò hoc verum esse scium nostri Rustici, perticalem salicem riguis magis gaudere, & meliorem prope rivos & amnes provenire; nam in humecto fere eam semper habent. Viminalem omni loco serunt, in extremis præcipuè vinearum antibus. Idem Columella cap. XXX. ejusdem libri viminalis tria genera tradit, Græcam, Gallicam & Amerinam. Viminalis igitur non certa species salicis, nisi quatenus distinguitur à perticali sive arborescente. Plinius ut eam cum illa Theophrasti, quæ viminibus nectendis servit, conferret, uni ex tribus viminalis generibus hoc nomen quasi proprium dedit, quod & purpureum esse voluit. Ea videtur Amerina Columellæ, quam virgam rutilam gracilemque dicit. Atqui ne hoc quidem sensit Theophrastus, nigram illam puniceamque salicem viminibus tantum texendis aptam esse, sed virgas tantum ad hunc usum præbere utiliores, id est, tenuiores. Non hinc sequitur quin & candida quoque non eumdem præbere usum debeat, nisi virgas gerat minus ad hoc utiles. Reliqua persequamur. *Alteram*, inquit, Plinius, *nitelinam à colore, quæ sit tenuior.* Profectò si tenuior ista priore, quæ viminalis ipsi propriè dicitur, id nomen magis ex merito vindicet, quatenus utilior viminibus, quia tenuior. Nitelinam autem in Exercitationibus notavimus appellatam à colore nitelæ, quod est muris rubei nomen vel sciuri: & sic explicavimus illum Martialis versiculum de crine rufo, quem ait vincere,

Rhenique nodos, aureamque nitelam.

Ea est salicis species, quę flavi coloris Columellę esse dicitur, & quam Gręcam appellat, cum tamen Plinius Gręcam salicem rubentem paulo ante vocaverit. Hæc nitelina sive flava salix hoc loco conferenda ac parianda Plinio videtur cum secundo genere Theophrasti, quod ille λευκὸν esse dicit. Prima Theophrasti quippe nigra est ac punicea, secunda candida. Plinius sic eam interpretatus est, quæ flava sit, & colore nitelam referat. Non habuit enim ex tribus generibus Latinorum aliam quæ melius de colore responderet. Columellæ enim Græca flavi coloris est, Amerina rutili, Gallica purpurei & obsoleti. Ex his tribus coloribus nullus magis ad candidum vergit quam flavus, qui cæteris dilutior est, ac plus albo temperatus. Tertiam jam videamus. Ea Plinio *Gallica, quæ & tenuissima.* Mirum, non potius viminalem appellatam quam primam illam, cui hoc nominis veluti proprium attribuit. Id enim magis merebatur, quam vel prima vel secunda. Sanè hanc Gallicam etiam tenuissimi viminis esse memorat Columella: quam si Theophrastus novisset, haud dubium, quin de ea dicturus fuerit, καλλίστας πασῶν ἔχειν καὶ χρησιμωτάτας ῥάβδους εἰς τὸ πλέκειν. At noster eam respondere facit tertio generi Theophrasteo, quam brevissimam ille omnium perhibeat, & ἑλίκην vocet. Sic enim quasi ex Theophrasto retulit in recensione trium illorum Asiaticorum generum: *Tertiam quæ brevissima est, helicen vocant.* Atqui nullum genus tertium minoris salicis Theophrasto, nec ἑλίκη ab eo vocatur, quæ sit brevissima. Nomen id est Arcadum, quo omnem salicem sic nominarunt. Et jocularis fortasse ratio Plinium movit, ut ἑλίκην cum Gallica componeret, nominis nempe παρονομασία. Nam quid aliud eum inducere potuit? An quia Gallica tenuissimi viminis Columellæ, & ἑλίκη brevissima salicum Theophrasto? Si brevissima, non inde sequeretur necessario etiam esse tenuissimam. Ut hanc comparationem exæquaret traditorum à Græcis Latinisque salicis generum, omnia turbavit Plinius ac mirè hallucinatus est, & pugnantia sibi ipsi scripsit. Certum est, non tria, sed duo tantum à Theophrasto describi salicis genera, nigram & candidam, nigramque ab eo nuncupari, quæ etiam ex parte rutila sit, sive ut loquitur, punicea. Hæc duo genera possunt cum duo-

bus Columellæ velut paria componi, cum Amerina,
inquam, & Græca. Etenim Græca Columellæ, quæ
flavi est coloris, eadem planè cum Theophrasti can-
dida. Nullum quippe genus dari potest salicis, quæ
corticem planè habeat candidum. Viridem vel fla-
vum colorem dilutiorem ita nominarunt. Ex viridi
primo pallescit: mox ubi incipit maturescere, ad fla-
vum colorem vergit. Hæc omnino est quam no-
strates Rustici *Hosariam Francam* nuncupant. Nigra
autem & punicea Theophrasti, Amerina sive sabina
erit Columellæ, quæ & rutila est, & tenuem graci-
lemque virgam gerit. Nam & Theophrastus utiliores
ad viendum eam habere virgas, id est, graciliores ac
tenuiores candida scribit. Possit & aliquis pertendere
Gallicam quæ purpurei coloris est obsoleti & tenuissi-
mi viminis melius convenire cum nigra auctoris Græci.
Si quis hoc valde velit, non pugnabo, dum illud
tenere me sinant, duo tantum genera salicis à Theo-
phrasto statui. Sed nec illud video cuiquam obser-
vatum, quæ de duobus illis salicum generibus tradit
Theophrastus, in nigrum & candidum divisis, non
de minori ac viminali genere ab illo dici, sed de
majore quod in arborem attollitur; quæ & ipsa ta-
men differentia locum etiam habeat in minore. Ubi
enim salicis differentias in nigram & candidam perse-
quutus est, subjicit statim: ἔστι δὲ καὶ τῆς μελαίνης καὶ
τῆς λευκῆς ἴδιον γένος, μικρὸν, καὶ οὐκ ἔχον αὔξησιν εἰς
ὕψος. Quod igitur antea dixit de nigra salice, quæ
virgas gerat ad vitilia magis idoneas & pulcriores, de
salice arbore id intelligendum, notandumque simul
ad usum etiam viminum majores salices habitas Græ-
cis, ut & minores, quæ *viminales* inde propriè La-
tinis dictæ sunt. Ad vimina igitur, tantum non etiam
ad perticas, salicem majorem cæduam habuere Græci.
Et profectò si quis velit quotannis eam detondere,
virgas illa dabit, non perticas, quæ ut ex ea parari
possint, triennium expectandum est. Sanè cum
Theophrastus virgarum tantum meminerit quæ ex
salice arbore sumantur, indicium est, non solitos
Græcos perticas ex illa conficere; nec perticalem fe-
cisse, sed tantum viminalem. Jam quod hujus operis
proprium, considerandum est, ὁμωνυμίαν in hoc
vocabulo ἰτέα non solum eam esse, quam initio hu-
jus capitis attigimus, cum & pinum & salicem signi-
ficat, sed etiam in eo videri quod & arborem & te-
nue virgultum simul signaverit. Hujus ὁμωνυμίας
nobis auctor est Theophrastus, qui peculiare genus
esse vult minoris salicis. Ergo ὁμώνυμος major mi-
nori, quoniam genere dispar. Ἔστι δὲ inquit, καὶ
τῆς μελαίνης καὶ τῆς λευκῆς ἴδιόν τι γένος, μικρὸν καὶ
οὐκ ἔχον αὔξησιν εἰς ὕψος, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων τούτο
δένδρων, οἷον κέδρου, φοίνικος. Humilem certè ille
palmam cognominem facit majori, non congenerem.
οἱ δὲ χαμαιριφεῖς καλούμενοι τῶν φοινίκων, ἕτερόν τι γέ-
νος ἐστὶν ὥσπερ ὁμώνυμον. De quo in sequentibus.
Idem & de magna parvaque cedro ex ejus senten-
tia pronuntiandum. Similiter & de parva salice idem
statuit hoc loco, ἴδιον esse γένος. Ergo ὁμώνυμον.
Utrumque genus ἰτέας nomine vocarunt Græci, ut
& Latini salicis. Sed cur non χαμαιϊτέας Græci pu-
milas appellarunt, ut χαμαιδάφνας, & alia multa ad
hunc modum? Atqui ne sic quidem vitassent ὁμω-
νυμίαν, quæ minor tamen fuisset. De quo infra.
Nos idiomate nostro non tantum generibus, sed etiam
nominibus eas discernimus, & humilem vocamus
hosarium. Id à Græcis Neotericis mutuati sumus, qui
οἰσάριον appellarunt, quod veteres οἰσὸν. Brevem sa-
licem aut salicis genus hoc nomine Græcis olim vo-
cari docendum est. Theophrastus οἰσοῦ meminerat
si per corruptores licuisset, qui οἰσὸν apud eum in
ἴσον mutarunt, quod Gaza infelicissimè ut alia multa
æquum Latinè reddidit. lib. III. cap. XVII. ἡ δὲ ἐν
αὐτοῖς τοῖς ὁμογενέσιν ἡ διαφορὰ, καθάπερ ἐστὶ καὶ τῶν δένδρων καὶ
τῶν θάμνων ὁμοίως ἐστὶ, καὶ τῶν ἄλλων ὥσπερ εἴρηται τῶν πλεί-
στων, ὥσπερ καὶ ῥάμνου καὶ παλιούρου καὶ ἴσου καὶ ῥοῦ καὶ
κιττοῦ καὶ βάτου καὶ ἑτέρων πολλῶν. Legendum in istis:
καὶ οἰσοῦ. Et paulo post: τοῦ δὲ ἴσου τὸ μὲν λευκὸν, τὸ
δὲ μέλαν, καὶ τὸ ἄνθος ἑκατέρου καὶ ὁ καρπὸς κατὰ λόγον
ὁ μὲν λευκὸς, ὁ δὲ μέλας. Doctissimi quidam in hac
literatura viri uvam crispam vulgarem vel grossu-
lariam nostram illud ἴσον Theophrasti, quod in οἰσὸν
debet refingi una addita littera, sibi esse persuadent.
Sed errant vehementer, & omnia refragantur.
Quod οἰσοῦ genera in λευκὸν & μέλαν dividit Theo-
phrastus, id ad colorem corticis referendum est, ut
in salicum generibus; vel ad foliorum colorem, ut
in rhamno. De flore autem quod ait, similiter in
B uno genere album, in altero nigrum, non propriè
hic niger accipiendus pro atro, sed pro rubro valde
saturo quod οἰνωπὸν Græci appellant. Et ipse paulo
post ita explicat, cum & in quodam genere οἰσοῦ flo-
res reperiri ait quodammodo medii coloris inter ni-
grum & candidum, quasi purpurascentes, non dilutè
rubros nec saturè, ἐνίων δὲ, inquit, καὶ ὥσπερ ἀνὰ μέ-
σον ὂν τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζει, καὶ οὔτε οἰνωπὸν οὔτε ἐκλευ-
κόν ἐστιν ὥσπερ λινῶν. Quorum flos purpurascit, is neque
vinum colore refert, neque ex pallido rubet. Aut igi-
tur saturatè ruber est flos œsi, aut dilutè, aut inter
utrumque medius purpureus. Hæc non quadrant in
flores grossulariæ nostræ. Præterea οἰσὸν Theophrastus
inter spinosas non recenset frutices. Viminalem fruti-
C cem esse ex eo colligitur, quod addit idem generis can-
didioris virgas esse tenuiores ac leviores. Subjungit
enim: ἔχει δὲ καὶ τὰ φύλλα λεπτότερα καὶ λειότερα καὶ τὰς ῥάβδους
τὸ λευκόν. Sed magis ex Grammaticorum Græco-
rum observationibus id patet, qui multa vitilia ex œso
facta quæ auctores οἰσύϊνα vocant, interpretati sunt.
Hesychius: οἰσυΐνῃσι, πλέγμασι τοῖς ἀπὸ οἴσου γεγενη-
μένοις ἢ λύγου· ἔστι δὲ εἶδος σχοινίου. Idem Gramma-
ticus: οἶσον, κόμισον, φέρε ἢ σχοινίον. Cum pro vi-
mine accipitur οἰσὸν, cum accentu in ultima gravi
scriptum reperio. Vinculi genus aut viminis, multi
interpretantur. Nonnulli ἰτέαν exponunt, alii ἰτέας
D γένος, quod etiam οἰσύη dicitur. Suidas. οἰσύα, ἰτέα.
Deinde citat locum Thucydidis ubi mentio οἰσυΐνων
ἀσπίδων. Item Eunapii: οἱ δὲ τῶν Πάρθων οἰσυΐνας
ἀσπίδας ἔχοντες, καὶ κράνη οἰσύϊνα πλοκὴν τινὰ πάτριον
πεπλεγμένα. Et paulo post idem οἰσύϊνον σχοινίον ἰτέας
interpretatur, œsyinum vinculum ex salice. Ety-
mologicum magnum: οἰσύϊνα γέρρα οἰσύα, γένος τι
ἰτέας ἀφ' ἧς ἔπλεκον τὰ κανᾶ· ἐκ τούτου δὲ καὶ τὰ γέρρα.
Scuta hæc erant non rotunda sed quadrata. Fre-
quens autem apud auctores Græcos, poëtas ac pe-
destres, οἰσυΐνων ἀσπίδων, scutorum sive clypeorum
ex œso. Frequentissimè porro ex salicis vimine scu-
E ta fiebant. Theophrastus: ἰτέα δὲ πρός τε τὰς ἀσπί-
δας, καὶ τὰς κίστας καὶ τὰ κανᾶ. Quin & ἰτέας pro-
priè ἀσπίδας dictas, quod ex hac materia primæ fa-
ctæ sint, adnotat Hesychius: ἰτέαι, αἱ ἀσπίδες, διὰ
τὸ πρώτας ἐκ ταύτης τῆς ὕλης κατασκευασθῆναι. Plinius
quoque lib. XVI. cap. XI. Salicem inter eas nominat
quæ scutis faciendis aptissimæ sunt: salignas umbo-
num crates apud poëtam legere est. Vetera Scholia
apud poëtam Odyss. E. ad illud ------ ῥίπεσσι διαμπερὲς
οἰσυΐνῃσι, exponunt, ταῖς τῆς ἰτέας ῥάβδοις. Simile sa-
lici quiddam esse aliis magis placet. Eustathius ad
cum Odysseæ locum quem supra adduximus, ma-
teriam ῥιπῶν οἰσυΐνων Homeri materia dicitur οἰσύα,
F quod οἶσον vocetur Dyonisio apud quem ἄρριχοι κόφι-
νοι commemorantur ἀπὸ οἴσου facti. Notat idem
se reperisse in Lexico Rhetorico οἰσύαν esse spinosam
herbam, ex qua vincula ac restes texantur: sed pau-
lo post observat ex Græcis Scholiis antiquis ad eum
locum, ῥίπας οἰσυΐνους dici poëtæ, τοὺς ἀπὸ κλάδων ἰτέας,
καὶ ὅτι φυτὸν ἱμαντῶδες ἡ οἰσύα. Idem Eustathius ad
iliad. λ. ex auctoritate Apionis & Herodori οἶσον de
vitice sive agno casto interpretatur, & ejus hæc ver-
ba sunt: οἱ δ' αὐτοὶ καὶ λύγον φασὶν οὐχ ἁπλῶς τὸν τοῦ
G τυχόντος δένδρου ἁπαλὸν κλάδον, ἀλλὰ φυτὸν ἱμαντῶδες καὶ
ἁπαλὸν, ὃ καὶ οἶσον καλοῦσιν· ἐξ οὗ καὶ οἰσόκαρπον τὸ κατὰ
τινὰς ἀγνόκοκκον, ἐπεὶ ὁ λύγος καὶ ἄγνος καλεῖται,
ὡσανεὶ ἄγονος, ὁ γοῦν αὐτοῦ καρπὸς φασιν ἐσθιόμενος ἀφα-
νιστικός ἐστι τῆς γονῆς. Ergo secundum Apionem & He-
rodorum celeberrimos Grammaticos οἶσον est vitex
sive ἄγνος, quem salicis genus esse quidam etiam
opinati sunt. Pollux quoque οἰσύαν λύγον esse dicit. No-
tum est vel ex Dioscoride λύγον & ἄγνον eamdem esse.
Atqui οἶσον diversum esse ab ἄγνῳ constat ex Theophra-
sto,

sto, qui separatim de utraque tractat: nisi quis dicat, sub diversis nominibus rem eamdem persequutum. Quod non puto; nisi errore hoc ab ipso factum dicamus. Certè οἶσον inter frutices recenset qui aliquando arborescunt, ut hederam & paliurum. Idem de agno dicit lib. I. cap. v. & pariter κίστε cum eo meminit & παλιέρε, qui simili modo aliquando in arbores evadant, cum sint fruticosi generis. Quod ad florem attinet, certè Dioscorides eumdem planè agno sive vitici tribuit, & eundem colorem quem Theophrastus οἴσῳ. Dioscorides de Agno: τὸ δ' ἄνθος ἢ μὲν τις λευκὸν σὺν ὑποπορφυρίζοντι, ἢ δὲ πορφυροῦν φέρει. *Florem vero alia ex his candidum cum purpurascente, alia prorsus*

A *purpureum profert.* Hoc est, quod de οἴσῳ dicit Theophrastus, duo genera esse οἴσε, quorum alterum flore albo sit, alterum nigro. Græci μέλαν plerumque vocant, πορφυροῦν saturatè purpureum vel οἰνωπόν. Unde & Grammatici πορφύρεον πορφυροῦν, μέλαν exponunt. Quin & μέλαν ἴον non solum Theocritus, sed etiam Theophrastus vocat, quod est purpureum, & μέλανα ὑάκινθον. Quod autem genus alterum λευκὸν sive albo flore esse ait, id postea explicat de purpureo ἐκλευκῷ, qui ex pallido purpurascit, idque omnino est quod Dioscoridi dicitur λευκὸν σὺν ὑποπορφυρίζοντι. Præterea Theophrastus οἶσον dividit in duo genera, candidum & nigrum.

CAPUT LXXIV.

De colytea & colutea.

PRope abest, quin *colytea* & *colutea* sint homonyma; sed quia littera discernuntur, ea differentia præstat, ut non cadant in ὁμωνυμίαν. Vocabula tamen hæc corrupta apud Theophrastum qui solus ex antiquis eorum habet mentionem, κολυτέα & κολουτέα. Eas plantas describit lib. III. Hist. cap. XVII. & prior quidem κολυτέα vocatur in editis, quæ debet esse κολοιτέα quinque constans syllabis. Hæc arbor magna & fructum habet in siliqua. Altera quæ frutex est κολύτεα nominatur in vulgatis, cujus verum nomen κοιλωτέα. Hoc me docuit Hesychius qui ex Theophrasto ea hausit nomina, nec aliter legit: κολοίτεα, δένδρον τι. legendum κολοιτέα, quod est pentesyllabum. Cujus scripturæ vestigia apud eumdem Theophrastum lib. I. cap. XVIII. ubi differentias persequitur seminum ac fructuum, & κολοιτέαν περὶ Λιπάρην vocat quæ fructum habet siliquaceum: καὶ ἡ κολοιτέα περὶ Λιπάρην. Quod esse depravatum liquet pro κολοιτέα. Vitiosius etiam scribitur lib. III. loco supra citato: ἴδιον δὲ καὶ ἡ κολυτέα περὶ Λιπάρην. Græce nomen habet κολοιτέα, quasi curtam salicem dicas. Sic κολόσαυρα brevis lacerta. Glossæ Græco-arabicæ: Ἀσκαλαβώτης, ἡ κολόσαυρα. Sic κολοκάσιον, breve mantum, vel curta lacerna. Unde appellatio ari Ægyptii ab amplitudine foliorum. Et κολόσταθμος & κολοίστιον, exiguum cænaculum, & exiguum velum. Folia salicis habere similia κολοιτέαν scribit idem Theophrastus lib. III. cap. XIIII. ubi etiam corruptè legitur κολυτέα, & corrigendum: ἡδὲ κολοιτέα ἔχει τὸ μὲν φύλλον ἐγγύθεν τῷ τῆς ἰτέας, καὶ τὸ δένδρον ὅλως μέγα, τὸν δὲ καρπὸν ἐν λοβῷ καθάπερ τὰ χεδροπὰ λοβοῖς πλατέσι καὶ οὐ στενοῖς. Quod igitur folio sit salici proximè simili, sed breviori, dicta est κολοιτέα. Cum enim ex magnis arboribus eam esse dicat, non posset videri appellata κολοιτέα quasi brevis salix. Eadem autem hæc coloïtea cum illa quam capite XVII. ejusdem libri peculiarem Liparæ facit, quam & δένδρον εὐμέγεθες vocat & καρπὸν φέρειν ἐν λοβοῖς refert. Folium tamen eam habere ibi dicit non salici simile, sed τύλῃ. Ita in libris vetustis atque in editionibus legitur: φύλλον δὲ ἔχει παρόμοιον τύλῃ. Gaza vertit: *Folium habet haud absimile fœno Græco.* Nimirum legit, vel potius correxit, παρόμοιον τήλει. Quod non respondet alteri descriptioni, quæ salici simile tradit. Non enim inter se congruunt, nec eamdem habent formam folium salicis, & folium fæni Græci. Nec eo confugiendum, quod non nemo asserit, diversas has esse coloïteas. Hoc enim ipse refutat Theophrastus lib. I. qui enumerans arbores quæ fructum gerunt in siliquis, paucas eas admodum rarasque esse testatur, & unicam tantum κολοιτέαν inter eas recenset, τὴν κολοιτέαν περὶ Λιπάρην. Non igitur duæ sunt coloïteæ, sed una eademque quam capite decimo quarto commemoravit, & quam capite decimo octavo ejusdem libri. Utraque fructu

C siliquato, utraque in magnis arboribus, sed alterius folium ἐγγύθεν τῆς ἰτέας, alterius παρόμοιον τύλῃ. Non sibi constat auctor. Præterea τύλη inter plantas nulla invenitur hoc nomine. An emendandum, παρόμοιον τῇ ἰτέᾳ? Res quidem id exigit, sed longius abit vocabulum. Fortasse τύλην appellavit Theophrastus eam herbam, quam reliqui auctores γνάφαλλον vel γναφάλλιον. Idem enim τύλη quod γνάφαλλος. Glossæ Græcorum: τύλη, γνάφαλον. Latinæ: *culcita*, τύλη. Unde proverbium Græcum apud Ammianum: σὺ δὲ νόει καὶ στρέφε τὴν τύλην. De quo nos alibi. Videant Herbarii, an folium γναφαλίε sive centunculi aliquam habeat si-
D militudinem cum folio salicis. Non multum absimile mihi videtur in quodam genere gnaphalii, excepto quod tomentosum est. Ut ut sit, certe illud constat τῆλιν, id est, fænum Græcum locum ibi non habere. Hîc etiam errant nostri Herbarii omnes, quibus persuasum video, *coloïteam*, Theophrasti quam perperam *coluteam* appellant, esse quæ Gallis dicitur *baguenaudier*. Nihil omnino convenit. Folium in primis dissimile, quod salici de figura proximat coloïtea. Siliqua ipsa longè in utroque diversa. Theophrastus κολοιτέας siliquam πλατεῖαν dicit καὶ οὐ στενὴν, la-
E tam non angustam. Baguenaudarum arbor folliculo prædita est prætumido & pellucente. Hinc res futiles & inanes vocamus *baguenaudas*. Et homines leves ac nugatorios *baguenaudarios*. Præterea frutex est, planta baguenaudaria: Coloïtea ingens arbor. Alia sunt quæ repugnent, videri eamdem cum baguenaudarum frutice. Longius à scopo aberrant, qui opinantur esse *arborem Judæ* vulgo dictam, cui siliquæ oblongæ, folia veluti circino rotunda, qualia asari ferè. Nec illi rectè sentiunt, qui putant esse Ara-
F bum *senam*. *Actuario* vocatur Σένε & ex Arabia afferri prodit cap. CXLIIII. Καὶ τὸ σένε καλούμενον καὶ αὐτὸ καρπός ἐστιν ἐκεῖθεν ἥκων. Mirum quod ait de semine, cum hodie tantum folia in usu sint. In antiquo Lexico Græco-arabico reperi πέταλιον exponi senam. Πέταλιον, τὸ Σένε. Quod falsum est. Nec verius quod Herbarius vetus Arabs Dioscoridis thymelæam interpretatur سنا *sene*. *Coloïtea* Liparæ propria, auctore Theophrasto; *baguenaudaria* ubique nascitur. Post coloïteam meminit *cœlotea* idem Theo-
G phrastus tanquam diversæ à coloïtea. Sed perperam κολυτέα vocatur in vulgatis pro κοιλωτέα. Ita enim scribit Hesychius: κοιλωτέα, δένδρον τι. Scriptum etiam apud eum reperitur, κολωτέα. Sed illud verius ut ex serie litterarum apparet, & sic dicta à concavitate alarum. Nam πολυμάσχαλις hic frutex. Nihil aliud heic agere decrevi quam negotium facessere Herbariis iterum quæsituris, quod jam invenisse se putarunt.

CAPUT LXXV.

De cytiso.

PAuci sunt, qui sciant ab hac turba se liberare similium nominum, ex aliis in alias species perpetua mutatione transeuntium, & indiscreta imagine fallentium. Viam hanc per exempla sternimus etsi longam & laciniosam, tutiorem tamen & majoris erationis compendium facientem. Quam qui tenuerint, præstare ausim, plana omnia & facilia nisi invenerint facturos ipsos, quæ alii ardua & inexplicabilia experti sunt. Hęreas necesse est in Dioscoride ac Theophrasti circa cytisum conciliandis, nisi id explices per hanc monstratam methodum, qua comperies duos fuisse κυτίσους nomine affines, genere sejunctos. Dioscorides κύτισον suum fruticem esse docet ὅλον λευκὸν ὡς ῥάμνον. Tam intus quam extra candidum ejus lignum esse innuit. *Canum aspectu* Plinius vocat. Et proinde nulla gratia ligno, ut ex Hygino idem refert ibidem: *Non frigorum, non æstuum, non gradinum, aut nivis injuriam expavescit. Adjicit Hyginus, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni.* Mirum quare dixerit Hyginus non expavescere injuriam hostium cytisum; sed quos hostes intelligat, incertum. Immo & ineptum. Certissima conjectura lego: *Adjicit Hyginus ne nostram quidem, propter nullam gratiam ligni.* Ligna omnia, quibus aliqua gratia, ad lautissima operum exquirebantur. Cum dixisset itaque Hyginus cytisum sativum non expavescere æstuum, frigorum, nec grandinum aut nivium injuriam, addidit nec nostram quidem, quia materies ligni ejus indecora & inutilis lautis operibus tutum eum præstat ab injuria hominum. Huic cytiso comparemus ex adverso Theophrasti cytisum, cui ossea ac durissima medulla, nigricansque adeo, ut ebenum proximè accedat, & ideo operibus lautioribus expetita, fateamur oportet nihil esse tam diversum. Verba Theophrasti: πυκνὸν δὲ καὶ ἡ τῆς δρυὸς μήτρα, ἣν καλοῦσι μέλαν δρυός· καὶ ἔτι μᾶλλον ἡ τοῦ κυτίσου· παρομοία γὰρ αὐτὴ δοκεῖ τῇ ἐβένῳ εἶναι. Idem alio loco inter ligna firmæ duritiæ, & elegantiæ, & nigritiæ commendata recenset cytisum cum ilice, loto, ebeno, roboris medulla, moro & aliis. Satus cytisi frutex teste Plinio, *triennio perficitur, demetitur verno æquinoctio cum florere desiit, vel pueri vel anûs vilissima opera.* Quæstione dignum putaverim, an puer unus vel anicula demetere facili opera potuerit prædurum fruticem, qualis à Theophrasto traditur, cujus medulla vel duritia vincit roboris medullam, quod μέλαν δρυὸς appellant Græci? Nemo ex his non perspicit non posse idem esse cytisi genus, quod olim sere- A batur pabulo ovium, nulla ligni elegantia laudatum, subalbidumque totum, cum eo cytiso Theophrasti nigritia & duritia materiei inter præcipua ligna commendato. Duo itaque cytisi cognomines, sed genere diversi. Sativus alter, & pecoribus jumentisque gratissimum pabulum: silvestris alter & sponte nascens majusculi generis frutex & in arborem assurgens. Priorem Dioscorides & Plinius descripsere. Hic lib. XIII. cap. XXIV. Posterioris meminit Theophrastus & ex eo etiam Plinius aliquot locis, quibus nigritiam ejus & firmitudinem ebeno proximam lau- B dat. De ea cytiso capiendus est hic versus. Ovidius:

Silva nemus non alta facit, nec candida myrtus,
Nec tenuis cytisus, curtave tinus abest.

Utrumque genus agnovit Columella lib. IX. cap. IV. *Et utraque cytisus: Est enim sativa, & altera suæ spontis; itemque semper virens tinus.* Sed inferet nec sine causa heic aliquis verisimile non videri, adeo invicem discrepare sativam & spontis suæ cytisum, ut altera materiem nigricantem & firmam, altera candidam C & illaudatam habeat. Immo responderim nihil obstare, quo minus ita sit. Eodem prorsus modo & violas omne genus in duo genera principalia diduxisse supra notabam, in sativas & sponte nascentes. Ex sponte nascentibus unicam faciunt violæ speciem, quæ propriè Græcis ἴον dicitur, nobis viola Martia. Ea in totum differt à violis sativis, quæ tamen idem gessere nomen. *Garyophyllatas* hodie nuncupamus. Sic duo frutices olim eodem nomine, genere non eodem, nec simili facie. Unus, qui seri ac demeti solebat ad ovium pabulum, ea specie quam tradunt Dioscorides D & Plinius; alter sponte veniens, qui Theophrasti est. Quod si quis pertendat ejusdem generis, ut formæ esse sativum & agrestem, tum & illud concedat oportet, non jam duo, sed tria cytisi facienda genera. Nam cytisum Theophrasti non esse cytisum Dioscoridis luce est clarius. Accedo illis, quibus persuasum est, legitimum esse cytisum quem Marantha posuit, cui similis Rhodiensis cytisus Honorii Belli; dum sciatur hunc credi debere cytisum Theophrasti, longe alium à cytiso Dioscoridis & Hygini, qui ὅλος λευκὸς, E & cujus lignum nulla dote gratum est. Ex eo cytiso Rhodiensi Turcæ hodie manubria, ensibus deblaterandis facere dicuntur, & Calogeri Græci globulosis ad numerum precibus. Grana precaria licebit nomines.

CAPUT LXXVI.

De atractyllide & fusano.

ATractyllis Græcorum & recentiorum fusanum significatione sunt ὁμώνυμα. Nam ἀτρακτυλὶς dicta, quod ex ea fusi fierent. Inde etiam dictus ille frutex qui vulgo vocatur *fusanus*, quem ex Gallis quidam *fusinum*, nonnulli *fusilum* appellant. Si veterem quæris appellationem, nostri Herbarii tibi respondebunt esse Theophrasti εὐώνυμον Sed ne ita sit, multa obstare videntur. In primis fructus forma, qualis à Theophrasto describitur his verbis: ὁ δὲ καρπὸς ἐμφερὴς τὴν μορφὴν μετὰ τοῦ κελύφους τῷ τῆς σησάμης λοβῷ· ἔνδοθεν δὲ στερεὸν, πλὴν διῃρημένον κατὰ τὴν τετραστοιχίαν. Ubi notandum est, cum dixerit καρπὸς, statim retulisse ἔνδοθεν δὲ στερεὸν. Quæ figura Grammaticis dicitur πρὸς τὸ σημαινόμενον, & frequenter usurpatur optimis auctoribus, præsertim Græcis. Sic igitur loquutus est quasi præmisisset καρπίον non καρπὸς. Sæpe autem καρπίον dicit F pro semine. Sed ad rem. Fructum euonymi cum putamine suo similem esse vult Theophrastus sesami folliculo. Ubi hoc in fusino vel fusano nostro? Sesami siliculo, quæ longæ sunt, in acumen desinentes & quadricostes, vel quadrina costa divisæ. At fusani fructus quadrangularis quidem, sed brevis, in quatuor angulos sive cornua obtusa protuberans, similis plane presbyterorum pileis. Unde & hoc nomen etiam habet vulgo, ut *pileus presbyteri* vocetur. Præterea semen intus divisis loculis quaternis inclusum, & intersepimento proprio invicem separatum. Et cum quatuor grana sint, totidem sunt lo- G culi, qui juncti sunt priusquam maturuit: per maturitatem dehiscunt, & granum ostendunt. Quod & ex loculo suo sponte excutitur tandem & cadit. Non ita vero describit fructum euonymi Græcus auctor. Totum fructum cum putamine suo similem facit folliculo sesami, quod quadripartitam habet siliquam, oblongam. Ἔνδοθεν

Ἔνδοθεν δὲ, inquit, στερεὸν πλὴν διῃρημένον κατὰ τὴν τετραστιχίαν. Hæc non conveniunt fusani semini, quod quaternis vasculis quidem continetur, per quattuor angulos divisis: sed dici non potest κατὰ τετραστιχίαν διῃρημένον, per quaternam seriem divisum. Aliud est τετράστιχον, aliud τετράγωνον. Semen fusani tetragonum, & singula grana in singulis angulis reposita, & invicem intersepiente membranâ separata. At semen euonymi τετράστιχον sive κατὰ τετραστιχίαν divisum, hoc est, quaternis ordinibus. Plura ergo oportet in unoquoque ordine esse semina, sed & invicem conjuncta nullo intersepimento disparata. Hic enim sensus est horum verborum: ἔνδοθεν δὲ στερεὸν, πλὴν κατὰ τετραστιχίαν διῃρημένον, intus quidem solidum, nisi quod per quaternos ordines divisum est. Ne Plinius quidem mentem Theophrasti assequutus est in horum verborum interpretatione. Sic enim reddit: *Fert siliquas sesamæ similes, intus granum quadrangula figura, spissum.* Immo non hoc dicit Theophrastus, granum euonymi esse quadrangula figura; sed κατὰ τετραστιχίαν διῃρημένον. Nam ut dixi, aliud est τετράστιχον, aliud τετράγωνον. Græci τετράστιχον interpretantur, quod τέτταρας habet τάξεις, quaternos ordines. Ut in choro qui κατὰ στοῖχον compositus est, plures in unoquoque ordine personæ, ita in τετραστιχίᾳ folliculi euonymi plura necesse est singulos ordines habere grana. Ac hic quidem juxta Plinii interpretationem fusanus idem fuerit cum euonymo. Nam grana fusani non sunt forma quadrangulari. In quadrangula quidem siliqua includuntur, sed ipsa sunt rotunda, oblonga, ab una tamen parte magis acuminata. Illud etiam prohibet, ne fusanus idem sit cum euonymo, quod euonymi folia cum fructu letalia sunt ovibus & præcipuè capris, teste Theophrasto. Constat autem fusanum nostrum capras etiam appetere, & sine noxa edere: τοῦτο ἐσθιόμενον, inquit Theophrastus, ὑπὸ τῶν προβάτων ἀποκτιννύει καὶ τὸ φύλλον καὶ ὁ καρπὸς, καὶ μάλιστα τὰς αἶγας, ἐὰν μὴ καθάρσεως τύχῃ· καθαιρεῖται δὲ ἀνόχῳ. Quæ verba male cum legit, tum reddidit Gaza: *Et potissimum capras, nisi purgentur, interimit; purgantur autem anocho.* Sed quid est illud *anochum?* Præterea non καθαίρεται legitur in Græcis, quod esset purgantur, sed καθαιρεῖται. Ait igitur auctor capras, quæ euonymum arroserint nisi purgentur, interimi. Strictam quoque alvum exitio illis esse. Solvenda igitur est purgatione. Hoc est, quod dicit ἀνόχῳ καθαιρεῖσθαι retentione alvi interfici. Nam ἀνέχειν est κωλύειν, impedire, retinere. Verba illa Theophrasti, doctissimi Herbarii quidam sic verterunt: *Similiter & folium & fructus capras maxime interimit, nisi infra supraque purgentur.* Per superiora purgationis nulla in Græcis mentio. Forte legebant, ἐὰν μὴ καθάρσεως τύχῃ· καθαίρεται δὲ ἄνω. Quod non potest obtineri ut verum videatur. Stringit ergo alvum ovibus & capris folium & fructus euonymi, & præ nimia constrictione occidit, nisi subveniatur illis purgatione. Vel hac ratione euonymus non erit idem cum fusano. Nam terna aut quaterna grana fusani sumpta hominem purgant, & per superna & per inferna. Sed dicit aliquis alvum capris eadem re adstringi, hominibus cieri. Fieri quidem potest, sed hic non puto. Plinius quidem sic etiam accipit, quasi spontanea alvi exinanitio aliquando succurrat capris, quæ euonymum comederint. Ita enim sonant hæc ejus verba: *granum letale animantibus. In folio eadem vis. Succurrit aliquando præceps alvi exinanitio.* At qui non ea mens Theophrasti. Dedita opera purgari debere significat, ut noxa liberentur ab esu euonymi contracta, quæ adstringit, non ciet alvum. Sed nec illa Græca rectè reddidit, nisi aliter legerit: καὶ τὸ φύλλον ἔχει ῥοῶδες, μεῖζον δὲ ἢ χαμαιδάφνη, καὶ μαλακὸν ὥσπερ ἡ ῥόα. Ita Plinius de Euonymo: *Non absimilis Punicæ arbori, inter eam & laurum folii magnitudine.* Primum non δάφνην, sed χαμαιδάφνην habent Græca. Præterea formam foliorum punicæ referre dicit Græcus folium euonymi, & majus quidem esse chamædaphnes folio, æque autem molle ut molle. Fusanus noster ut folia ab hac figura non abludentia gerit, ita non valde mollia. Sed nec malè olet fusani flos ut euonymi, quem tabum olere vel sanguinem corruptum dicit Theophrastus: τὸ δ' ὅμοιον τὴν χρόαν τῷ λευκοΐῳ· ὄζει δὲ δεινὸν ὥσπερ φόνου. Nec bene Gaza: *odore infestus, tanquam cruorem inferens.* Quid velit nescio. Nec enim scio, quid sit cruorem inferre. At quia φόνος cædem significat, æque ingratum hunc odorem atque infestum intellexit, ac si quis jugularetur. Sic malus odor, nasorum pestis Catullo dicitur. Sed & de re valdè odiosa atque infesta dicimus æque ac mortem nobis esse odio. Non tamen hic sensus Theophrasti. Φόνος non tantum cædem ac jugulationem designat Græcis, sed etiam sanguinem, qui cæde effunditur. Sanguineum quid olere ac tabo proximum euonymi flores auctor vult. Alibi φονώδη ὀσμὴν dixit de genere quodam atractyllidis, quæ & φόνος vocabatur: ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν καὶ φονώδη. Habet odorem gravem & sanguineum. Postremo fusanum ubique locorum nascitur. Euonymos arbor Græciæ peculiaris & Lesbi insulæ præcipuè; ideo nec nomen in Latio habet. Plinius: *Nec auspicatior in Lesbo insula arbor, quæ vocatur euonymos.* Montanum eum fruticem facit Theophrastus, & monti Lesbi Ordyno adjudicat. At fusanum in campis passim provenit, ut in fruticetis, in collibus etiam terreis non raro. Εὐώνυμον Græcis dictum liquet per antiphrasin quasi δυσώνυμον, quia inauspicata sit arbos & malè ominata. Ita multa Græci nuncuparunt. Ut Εὐμενίδες, quæ δυσμενίδες potius vocandæ, & acetum ἡδὺ, & alia sexcenta. Corrigendus & Plinius de flore ejus. *Flore*, inquit, *candidiore.* Immo: *candidæ violæ.* Ita enim Theophrastus. Desinant porro Herbarii nostri fusanum pro euonymo habere. Ad homonymiam redeamus. Si ἀτρακτυλὶς Latine redderetur, non aliter melius posset quam *Fuscaria* aut *Fusanea.* Ex ea enim olim fusi fiebant, non colus, ut vulgo interpretantur docti cum Plinio, qui πηνία Theophrasti sic perperam reddidit. Atqui πηνία sunt fusi filo involuti. Græcum Epigramma: καὶ τὰ τροχαῖα πηνία, *& volubiles fusi.* Sic apud Poëtam: *Currite ducentes subtegmina, currite fusi:* τὰ τροχαῖα πηνία expressit. Theophrastus de atractyllidis silvestris altero genere: τὸ μὲν περιφερὲς σφόδρα τῷ ἡμέρῳ, πλὴν εὐθυκαυλότερον· διὸ καὶ πηνίοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. Plinius sic vertit hæc verba: *una mitior est simili caule, tamen rigido: itaque & colu antiquæ mulieres utebantur ex illis. Quare quidam atractyllida vocant.* Ἀτρακτύλιον, parvus fusus. Unde ἀτρακτυλίς. Nec movere quemquam debet auctoritas Plinii, ut πηνία pro colu accipiat. Nam video & heîc dubitare præclaros doctrinæ viros. Πηνίον id est, circa quod involutum filum, quod Græcè πῆνος dicitur à πήνη. Unde χρυσόπηνον aureo subtemine textum, & χρυσοπήνητον vestimentum. Hesychius: πηνίον πανίκλιον, ἢ ἄτρακτος εἰς ὃν εἰλεῖται ἡ κρόκη. Latinis *panucula.* De quo nos alibi plura diximus. Ergo idem ἄτρακτος quod πηνίον. Fusus, non colus, quæ Græcis ἠλακάτη. Unde ἄτρακτον ἐπιστρέφειν fusum torquere, quod fila deducentes faciunt, apud Pollucem, & νῆμα ἀτράκτου apud Aristotelem de mundo, & ἀτράκτου νῆσις eidem Polluci. Hæc sunt notissima Græce peritis. Dioscorides de Atractyllide: Ἀτρακτυλὶς, οἱ δὲ κνῆκον ἄγριον καλοῦσιν, ἄκανθά ἐστιν ἐοικυῖα κνήκῳ, μακρότερα δὲ πολλῷ φύλλα ἔχουσα ἐπ' ἄκρῳ τοῦ καυλίου· τὸ δὲ πλεῖον γυμνὸν, ᾧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀτράκτου. Ita legendus ille locus ex optimo codice; *Spina est similis cneco, sed multo longiora folia habet in summo scapo, qui maxima ex parte hic nudus, est unde & pro fuso utuntur mulieres.* Ἄτρακτον vocat quod Theophrastus πηνίον. Arabes interpretes eo loco verterunt ويستعملها النسا مكان المغزل, hoc est: *Et utuntur eo mulieres loco fusi.* Ubi المغزل est fusus vel mendi instrumentum à verbo غزل quod est nere. Ex asserta hac Dioscoridi fusi pro colu expositione hoc consequimur, ut inde ruat conjectura diligentissimi Columnæ, qui atractyllidem non inde dictam opinatus est, quod pro fuso aut colu uterentur vulgo mulieres, sed quod non secus ac colus vellere involuta, capitata est ac villosa. Sed & in ipsa planta non minus

minus ipse quam reliqui omnes falsus est, dum eam nobis pro aractyllide proponunt, quæ nihil minus sit quam atractyllis, quæ ex verbis ac mente Theo[illegible] maximè similis esse cneco debeat, σφόδρα προσεμφερής. At quam pro ea obtrudunt, maximè dissimilis. Non alio videtur differre secundum Theophrastum agrestis cnecus à sativa quam satu, & caule rectiore. Dioscorides proceriorem eam facit sativa, si ita distinguamus: ἐοικυῖα δὲ κνήκῳ, μακροτέρα δὲ πολλῷ. *Similis quidem cneco, sed multo procerior.* Sic enim fortasse legendum, non ut vulgo est: μακρότερα δὲ πολλῷ φύλλα ἔχουσα. Similia enim debet habere folia agrestis cum sativa: Sed de his infra. Non plures præterea virgas, sed unum scapum atractyllidi lectio Dioscoridis tribuit, sicut à nobis auctoritate veteris codicis correcta est, & in ejus summitate folia: φύλλα ἔχουσα ἐπ' ἄκρῳ τῷ ῥαβδίῳ. Atque ita Arabum habet versio, sicut refertur ab Ebenbitar: في طرف القضيب, id est, *in summitate virgæ.* Sequentia quoque sic constitui possent: τὸ δὲ λεῖον, γυμνὸν, ᾧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀτράκτου. Hoc vero ῥάβδιον nempe, leve, & sine foliis. Arabes eo loco vertunt. *At reliquum scapi, foliis nudum*, excepto scilicet summo, in quo folia. Hæc an conveniant atractyllidi suæ, viderint Herbarii nostri. Levem esse ac foliis nudum atractyllidis scapum non magis ex verbis Dioscoridis patet, ut ea emendavimus, quam Theophrasti; qui dixit contrarium accidere in hoc spinæ genere quam in aliis carduis ac spinis, in quibus agrestia solent esse spinosiora, cum atractyllis silvestris sit mollior ac levior urbana: ἴδιον δὲ ἔχει πρὸς τὰ ἄλλα ἄγρια· τὰ μὲν γὰρ σκληρότερα καὶ ἀκανθωδέστερα τῶν ἡμέρων· αὕτη δὲ μαλακωτέρα καὶ λειοτέρα. Hæc de prima silvestri cneco, non de secunda, quæ est hirsutior. Rectè itaque fortassean correximus in Dioscoridis verbis: τὸ δὲ λεῖον, γυμνὸν. De atractyllidis thyrso. Quod autem legitur in vulgariis editionibus, γυμνὸν, τραχὺ, contra auctoris mentem est, & naturam rei, atque adeo veteris scripturæ auctoritatem. Quod etiam confirmatur Arabica versione, illud τραχὺ in qua non comparet. Legendum etiam apud eumdem Dioscoridem de atractyllide ex eodem codice: ἔχει δὲ καὶ κόμην ἐπ' ἄκρου ἀκανθώδη, pro eo quod habent vulgati codices, κεφάλια ἀκανθώδη. Nec aliter legerunt Arabes eo loco: وعلى طرف القضيب جمة مشوكة *& in summitate scapi, coma spinosa.* Ita Scripsisse se Dioscorides ipse testatur in sequentibus, ubi & κόμην nominat: ταύτης τὰ φύλλα καὶ ἡ κόμη καὶ ὁ καρπός. Ubi Arabica versio similiter habet: وجمتها, *& coma ejus.* Certè جمة Arabice coma est. Supra pro eo scriptum est جمرة. His notis instructi veram quærant atractyllidem, quibus herbarum notitia cordi est. Nam quam docti circumferunt, prorsus falsa est. Qui etiam in eo magnopere falsi, quod primam illam speciem cneci agrestis Theophrasteæ, quæ est atractyllis Dioscoridis, confundunt cum ea atractyllide quam idem Theophrastus φόνον appellatam scribit, quod carni admota sanguineum succum remittat, & aliquid sanguinolentum ac grave redoleat. Mirum, hactenus omnes in hac opinione fuisse doctissimos Herbarios, cum verba Theophrasti tam clarè eam refutent. Quod patebit vel mediocriter attendenti. Is lib. v. de plantis cap. IV. duo genera cneci statuit, mite & agreste. Agreste rursus in duas dividit species, quarum primam simillimam facit minori cneco, nisi quod rectiore surgat caule, qua & mulieres antiquas usas fuisse ait fusi loco. Alteram hirsutam esse scribit, & caules habere, ογκώδεις. Plinius legit ὀγκώδεις. Vertit enim, *torosiores*: vel cum aliter legisset, sic illi emendari placuit, cum vocem ογκώδεις non intelligeret. Protinus subjicit idem Theophrastus post descriptam hanc secundam cneci silvestris speciem: ἡ δὲ ἄκορνα προσεμφερὴς ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν κατὰ τὴν πρόσοψιν τῇ κνήκῳ τῇ ἡμέρᾳ, χρῶμα δ' ἐπίξανθον ἔχει καὶ λιπαρόν. Non hanc numerat acornam inter species cneci, similem tamen toto aspectu dicit cneco sativæ. Sit igitur ea quasi tertia species cneci. Subdit statim: Ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται καὶ λευκοτέρα τούτων· ἴδιον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, ὅτι ἀφαιρούμενον καὶ τῇ σαρκὶ προσφερόμενον αἱματώδη ποιεῖ τὸν χυλόν· διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. Quis putare queat, ut verba hæc sonant, eamdem hanc spinam atractyllidem & φόνον ex re ab aliis cognominatam, eamdem esse cum proximè ab eo descripta prima specie cneci agrestis? Quæ verba sic perperam Latinè reddidit doctissimus in re herbaria Fabius Columna: *Quæ vero atractyllis dicitur & his candidior.* Sic enim reddi debent: *vocatur vero & quædam atractyllis, & his ea candidior, cujus folium peculiare hoc habet, quod avulsum & carni admotum sanguineum succum adfricet.* Pronomen illud τὶς in his, ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται luce clarius ostendit, diversam hanc atractyllidem esse à superius nominatis omnibus, quibus & candidiorem esse dicit, acorna nimirum & duabus agrestibus speciebus cneci. Duas igitur jam tenemus atractyllides homonymas: unam, quæ est species altera cneci agrestis; alteram quæ non est, cui hoc proprium, quod sanguineum succum fundat. Hæc erit atractyllis, cujus descriptionem & iconem exhibuit Columna in libro minus cognitarum stirpium, quæ longissime distat à prima specie cneci agrestis, quæ etiam atractyllis dicta; cum illa cneco simillima sit, caule tantum rectiore, glabra, sine foliis ab imo ad summum, ubi folia sunt. Plinius quoque utrumque genus distinguit ex Theophrasti mente. Nam cap. XV. lib. XXI. de atractyllide, quæ est cneci silvestris altera species, tractat his verbis: *Silvestrium duæ species. Una mitior est, simili caule, tamen rigido: Itaque & colu antiquæ mulieres utebantur ex illis: quare quidam atractyllida vocant.* Omnia ex Theophrasto, exceptis his postremis: *quare quidam atractyllida vocant.* Et fortasse in exemplaribus Theophrasti tunc temporis erat scriptum: ὅθεν καί τινες ἀτρακτυλίδα ὀνομάζουσι. Nam certum est hanc speciem sic vocatam fuisse, vel teste Dioscoride; & Theophrastus ibidem auctor est πηνίου ex ea usas esse priscas mulieres. At πηνίον & ἄτρακτος idem. De altera atractyllide agit Plinius capite sequenti cum acorna, & scolymo, cujus hæc verba sunt: *Scolymus quoque floret sero & diu. Acorna colore tantum rufo distinguitur, & pinguiore succo. Idem erat atractyllis quoque, nisi candidior esset, & nisi sanguineum succum funderet.* Hæc atractyllis diversa ab ea, quam cneci agrestis alteram & mitiorem speciem statuit capite præcedenti. At atractyllidem de qua hic sermo est, à scolymo ea tantum re discerni ait, quod sit candidior, & sanguineum succum fundat. Nam hæc ejus sententia est illorum verborum acornam à scolymo colore tantum rufo distingui & pinguiore succo: idem quoque futuram atractyllidem, hoc est, eadem forma cum scolymo, nisi esset candidior, & sanguineum succum funderet. Unde hæc hauserit nescio. Nam nihil horum apud Theophrastum, quem tamen totum hic compilavit & vertit. Acornam ille non scolymo tradit similem, sed cneco mitiori, nisi quod colore sit flavescente, vel ut Plinius vertit rufo, & succo pinguiore: ἡ δὲ ἄκορνα προσεμφερὴς ὡς εἶπος εἰπεῖν κατὰ τὴν πρόσοψιν τῇ κνήκῳ τῇ ἡμέρῳ, χρῶμα δὲ ὑπόξανθον ἔχει καὶ λιπαρόν. At Plinius videtur legisse in illis Theophrasteis, ἡ δ' ἄκορνα προσεμφερὴς κατὰ τὴν πρόσοψιν τῷ σκολύμῳ. Aut certè ita scripsit, quasi omnimodo sic legerit. De scolymo mox Theophrastus post acornam: & mirificè hæc turbat Plinius. Theophrastus capite III. quod proximè præcedit capitulum illud, quo persequitur cneci genera, inter ἀκανθώδη numerat κνῆκον & πολυάκανθον & ἀτρακτυλίδα. Ubi ἀτρακτυλὶς non est accipienda de altero genere cneci silvestris, sed de altera quam statim ab acorna describit, quam & φόνον dicit nominatam ab

ab sanguinolento succo & odore. Quam & alibi ἀτρακτυλίδα ἀκάνθην vocat, cui & sanguineum succum tribuit, lib. IX. cap. I. ubi de succis plantarum loquitur: τοῖς δ' αἱματώδεις οἷον τῇ κνήκῳ κτλ. καὶ τῇ ἀτρακτυλίδι ἀκάνθῃ. Hæc spina atractyllis omnino ea est, quam commemoravit post descripta cneci genera & acornam ipsam, quibus omnibus spinam eam atractyllidem candidiorem esse dicit. At sub κνήκου nomine in commemorandis aculeatis, utrumque genus cneci comprehendit, sativum & ferum, & utramque silvestris generis speciem. Nam & statim sequentis capitis initio cneci genera persequitur, & post eorum descriptionem & acornæ, subjicit mentionem atractyllidis, quæ diversa est ab utravis specie cneci silvestris. Nunc videndum, quam atractyllida vocavit Dioscorides, de quo genere sit accipienda. Atractyllis illa, quæ prima est cneci species silvestris, adeo similis est cneco sativæ, ut nihil sit similius. Unam tantum agnoscit differentiam Theophrastus, quod sit ὀρθοκαυλοτέρα, caulem habeat rectiorem. Cum agreste genus & sativum tam exiguo discrimine distinguantur, debuit Dioscorides post cneci descriptionem statim subjungere speciem ejus silvestrem, ut in aliis solet, ut cannabem sativam & agrestem, isatin sativam; & alia infinita, ubi tanta utriusque generis similitudo est, ut satu tantum distingui debere videantur. Atqui de cneco ille tractat lib. IV. cap. CXC. cum atractyllidis descriptionem ante præmisisset lib. III. cap. CVII. Non videtur ejusmodi atractyllis, quam tam longo intervallo dissitam à cneci mentione locavit, cneci species ab ipso credita. Solet enim talia, quæ sub unum genus reducuntur nec differunt nisi cultu, semper junctim reddere. Nec obstat, quod & similem cneco hanc atractyllidem perhibet, & à quibusdam etiam cnecon silvestrem appellari ait. Quam multæ enim plantæ similitudinem præ se ferunt cum aliis plantis, & nomina etiam ex similitudine habent, quæ tamen congeneres non sunt. Acornam Theophrastus aspectu similem narrat cneco sativæ, nec tamen eam speciem cneci facit. Huic subjungit & atractyllidem etiam, ut videtur, acornæ & cneco non dissimilem, candidiorem tamen: cui & hoc proprium ac peculiare tribuit, quod sanguineum succum emittat, & odorem sanguinis referat; unde & φόνον appellatam dicit. Nec hanc statuit ex generibus cneci. Ephemerum non lethale, quod à Colchico ephemero diversum, quidam ἶριν ἀγρίαν vocarunt, quæ & caulem & folia habet liliacea, nec propterea tamen iridibus congenera censenda est. Ita de aliis infinitis. Conferamus nunc atractyllidis & cneci differentias, quæ non sinunt unius generis esse. Atractyllis Dioscoridi dicitur habere folia in summo caule, qui cætera parte ut plurimum nudus est. Comam quoque ei dat in summitate caulis. Cneco tribuit καυλοὺς διπήχεις. Ergo cnecus πολύκαυλος, cum unicum tantum ῥάβδιον atractyllidi assignet, & in eo summo tum folia tum κόμην spinosam. Theophrastus in signandis aculeatarum differentiis, alias multis caulibus dicit constare, & ramos plures fundere: in his cnecum numerat. alias supernè vel in summo cacumine ἀποφύσεις habere. In illis esset ponenda Dioscoridis atractyllis. At Theophrastus ῥύτρον ad exemplum ponit. Sed nomen est corruptum. Quid si reponeretur; ἀτρακτυλίς? Utut sit, de atractyllide constat ita esse ex relatione. Hic quidem nimis longè abest à vestigiis. Plinius videtur legisse ἠρύγγιον. Quod verum arbitror. Nam ἠρυγγιον & ἠρύγγιον idem. In veteribus autem libris τ & γ sæpius confunduntur. *Quædam autem tantum cacumine spinosa sunt, ut eryngium.* Sic reddidit illa Theophrasti: ἔνια δ' ἄνωθεν ἔχει ἐξ ἄκρου καθάπερ ἠρύγγιον. At Plinius eodem loco cnecum, quasi ex verbis Theophrasti, unicaulem facit nec ramosum. Sic enim habet: *Est & illa differentia, quod quædam in iis multicaulia ramosaque sunt ut carduus. Uno autem caule nec ramosum, cnecos.* Contrarium hodie habetur in verbis auctoris Græci ut edita sunt, quæ tamen ita Latinè reddidit Plinius. Theophrastus enim inter illa, quæ multicaulia sunt & ramosa, cnecon refert; Plinius carduum. De unicaulibus & minimè

A ramosis nihil ibi Theophrastus. Quod tamen videtur opponere debuisse multicaulibus. Quid si igitur Theophrasti locus integrior Plinio lectus? Nam sanè totum eum locum Theophrasti ad verbum Plinius Latinum fecit, & κατὰ πόδα auctorem suum sequutus est. Si hæc ita sunt, sic interponendum in Theophrasto fuerit: τὰ δὲ μονόκαυλα καὶ ἀποφύσεις μὴ ἔχειν ὥσπερ ὁ κνῆκος. Sed rursus hic de cneco pugnantia tradent Theophrastus & Dioscorides, cum iste cnecum multicaulem esse velit ac ramosum. Certè cnecos Theophrasti vel potius, ut nunc res est, Plinii, quæ unum habet caulem nec
B ramosum, eadem fuerit cum atractyllide Dioscoridis. Certè unicaulem eam facit, non multicaulem. Hic erit *cnecus singularis* Alpini, quem in multis Cretæ locis nasci scribit, unicum caulem ab radice producentem, rectum, rotundum, foliis longis in acutum desinentibus, undique incisis & spinosis, in cujus summitate caput extat inter folia spinosa conseptum atractyllidis magnitudine, è quo exeunt capillamenta densa, croceo colore. Hæc est quam κόμην vocat Dioscorides, in quo & retinenda interpunctio vulgaris, qua longiora atractyllidi folia tribuuntur quam cneco, eaque in summo scapo. Nam & cneci folia incisa esse dicit idem
C Dioscorides, cum cnecus à viris doctis prolatus sine incisuris ea præferat. Una res tantum videtur obstare, quod caulis illius cneci non careat foliis, quem magna ex parte nudum dicit Dioscorides. Retinenda autem vulgata lectio in textu Dioscoridis: τὸ δὲ πλεῖον γυμνόν. Certè non tantum est foliorum in medio caule, quantum in summo. Reliqua omnia ad amussim quadrant. Iconem illius cneci singularis ex libro Alpini secundo de plantis exoticis lectorem rogamus, ut comparare velit cum descriptione Dioscoridis. Ineptè tamen *singularem cnecum* appellat, qui unicum habet caulem. Cur non
D dixit unicaulem? Feruntur apud veteres historicos in ultimo oriente gentes quædam singulis cruribus, qui non singulares, aut μονήρεις aut μονιοὶ aut μοναχοὶ dicti sunt, sed μονόκωλοι. Sic planta unico caule nixa non dicetur singularis, sed μονόκαυλος, vel unicaulis. Sed ad rem. Jam tres habebimus atractyllides homonymas. Atractyllis Dioscoridis, quæ est cnecus Cretica Alpini, diversa ab Theophrasti atractyllide quæ φόνος dicitur. Et fortasse etiam non eamdem utraque habet nominis rationem. Ἀτρακτυλὶς Dioscoridis sic dicta, quod fusis ex ea factis uterentur mulieres.
E Ἀτρακτυλὶς Theophrasti, quod quasi telum admota ejus folia carni sanguineum succum facerent, unde & φόνος illi nomen. Ἄτρακτος autem Græcis non solum fusum, sed etiam telum significat. Hesychius: ἄτρακτος, βέλος μεταφορικῶς, καὶ ὁ ἀδρακτος. Præter has duas atractyllidas tertia est vera cnecus agrestis, non alia re differens à sativa nisi satu. Priscas mulierum fusis quoque, hoc est, πηνίοις ex ea sumptis usas fuisse memorat. De secunda cneci silvestris specie dubitari etiam potest, an vera sit opinio doctorum, qui carduum nostrum benedictum esse sibi persuadent. De ea Plinius ex Theophrasto: *altera hirsutior, torosiore caule, &*
F *qui pæne humi serpat, minuto semine.* Legisse in Theophrasto videtur: καὶ τοὺς καυλοὺς ἔχει ὀγκώδεις. At σογκώδεις dixit Theophrastus, inanes & intus cavos, ut habet σόγκος. Sic vocatur Theophrasto, quæ aliis σόγχος, cujus & meminit eo ipso capite, sed latet sub vitio: ubi dicit carnosam & edulem quoque esse radicem sonchi haud secus ac scolymi: σαρκώδης δὲ καὶ ἐδώδιμος ἡ τοῦ σόγκου. vulgo legitur: ἡ τοῦ ὄγκου. Sed de hoc sonchο alio loco. Μικρὸν etiam pro πικρὸν legit Plinius in illis Theophrasti ver-
G bis: καρπὸν δὲ ἔχει πικρὸν καὶ πωγωνώδη. Vertit enim: semine minuto. Sed nec πωγωνώδη expressit. Verum hæc alibi. Ad homonyma nostra redeamus. Ἀτρακτυλίδα Gaza apud Theophrastum ubique reddit *fusum agrestem.* Ineptissimè. Nec enim fusus ἀτρακτυλίς, sed *fusaria* vel *fusularia.* Nam ab ἄτρακτος ὑποκοριστικὸν est ἀτρακτύλιον parvus fusus, ut βρεφύλλιον, ἀνθύλ-

ἀνθύλλιον, εἰδύλλιον & similia. Inde ἀτρακτυλὶς, *fusularia*. Cui homonymum, ut dixi, *fusanum nostrum* ab eadem ratione dictum, quod fusos ex eo faciant mulieres rusticæ. Instrumenta etiam ex eo fiunt quadrifida, quibus laridi taneæ insertæ transfiguntur carnibus assandis. *Lardatoria* vulgo vocantur. Unde & ipsa arbor nomen invenit, quam *arborem Lardatoriorum* plerique appellant. Aliam esse ab euonymo Græcorum supra docuimus. Posset esse eadem cum Theophrasti πτεχυωνία. Quod melius sciremus, si pluribus eam descripsisset, quam nomine tantum tenus adscripsit. Nec enim fusani fructus tantum πεντάγωνος, sed etiam lignum. Nam in quatuor corticis lateribus eminentiæ quædam per totum, qua longus est, extant, quæ quadrangulum faciunt videri. Nihil tamen affirmo in re incerta.

A

CAPUT LXXVII.

De rha Pontico.

NEc in communibus porro tantum ac Romani cæli plantis, sed etiam in exoticis & ab alio venientibus orbe, ὁμωνυμίαι locum habuere. Ecce Ῥᾶον vel ῥᾶ ποντικὸν ῥίζιον, quod & absolute ῥᾶ dictum à flumine Ponti, juxta quod nascebatur. Hoc est rha Ponticum. Huic ὁμώνυμον aliud ῥᾶ sive ῥῆον, quod Barbaricum cognominatum, contrariæ plane virtutis. Idem hoc quod Indicum. Nam multæ Indicæ species, *Barbaricæ* nuncupatæ ab emporio Indiæ Barbarico. Vetustissimis Græcis unum duntaxat cognitum ῥᾶ, idque ex Ponto. Unde absolutè absque cognomine adjecto passim ῥᾶ & ῥᾶιον vel ῥῆον illis dicitur. Ubi aliud eodem nomine venire in notitiam cœpit, cognominibus distincta sunt, & alterum *Ponticum*, alterum vocatum *Barbaricum*. Arabes vocant ريوند *raivand*. Avisena Dioscoridis ῥᾶ hoc nomine exequutus est, quod esse rheum Ponticum constat. Herbarius Arabs in antiquo Dioscoridis codice nominat الراوند *alravend*. Persas *ravam* appellare notat Garcias. Quæ non adeo vitiosa scriptura est, ut Viro docto videtur. Certè *ravand* non *raivand* nominat Glossa Arabica Dioscoridis. Glossarium Arabico-Græcum ῥαβάντ appellat, & ῥαβάντ τζίνη, τὸ ῥέον. Rheum Barbaricum sive Indicum ita vocant Arabes & Persæ. راوند صيني. Apud Sinas tantum invenitur hoc genus rhei. A Sinensibus in Indiam olim deferebatur, sicut hodie defertur. Inde Barbaricum & Indicum appellatum, diversum utique a Pontico, idem tamen existimatum plerisque veterum. *Ravend* Arabice dici magis probarim: *raved* scripsere interpretes Serapionis & Averrois pro *ravend*. Puto olim scriptum fuisse راهند *rahend* Quod est Rha Indum. Postea mutato *he* in *vau* factum راوند *ravend*. Sic *haud Hend* agallochum Indum, de quo supra. Græci recentiores ῥέον Ἰνδὸν & ἰνδικὸν passim vocant, idemque prorsus cum Barbarico. Arabes vocem illam *rhabend*, quæ reum Indicum propriè denotat, etiam Pontico rheo aptarunt quia ut dixi utrumque confuderunt. Isidorus rheum Barbaricum & Ponticum idem facit.

B

C

D

CAPUT LXXVIII.

De bunco.

BUnkon Arabicè apud Avisenam pro myrtidano Dioscoridis ذبنك, capite de myrto, ubi *buncon myrti* vocat, quod Dioscorides μυρτίδανον. Alio capite de bunco seorsim tractat, quod pariter vocat ذبنك *bunk*, sed aliter interpretatur. Rem quippe dicit esse, quæ adfertur ex India & ex Arabia; quam ait tradere nonnullos, esse aliquid de radicibus *amgailam*, cum vetustate corruptæ cadunt. Optimum verò ex eo genere esse vult luteum, leve, & odoratum. Ut contra improbandum album & grave. *Amgailam* Arabibus spina est Arabica, امغيلان. Avisena ita vocat, quæ Dioscoridi ἄκανθα Ἀραβική. De ea enim tradit Avisena, quæ Dioscorides de spina Arabica. *Amgailem* tamen ille dicit arborem esse in locis agrestibus nascentem, & vulgo notam. Serapio. cap. cxxx. *Sucaba, id est, spina Arabica. Rasis: est megailem.* Legendum: *est amgailem.* Avisena separatum caput habet de *sucaba*, quam Interpres exponit spinam Arabicam. Eo tamen capite non meminit Avisena se jam de ea alibi loquutum, quod semper rem eamdem diversis capitibus ac nominibus prosequitur. Vetus nomenclator Arabs in antiquo Dioscoridis exemplari ἄκανθαν Ἀραβικὴν exponit شكاع *xucaba*. Avisenam legitur شكاعي *xucaabi*. Dicit esse plantam, cui radix cypero similis, السعد *alsahad*, vehementer amara, ac frequentibus nodis prædita. Hæc non habentur in Latinis. Et sanè non spinam Arabicam eo capite describit Avisena, ut placet interpretibus; sed λευκάκανθαν Dioscoridis, cujus radix ab eo traditur, ὁμοία κυπείρῳ, πικρὰ ἰσχυρῶς. Sic enim legendum apud Dioscoridem ex antiquissimo codice: λευκάκανθα, οἱ δὲ πολυγόνατον, οἱ δὲ ἰσχιάδα, οἱ δὲ ἰχυφυλλον, οἱ δὲ λάδανον, ῥίζαν ἔχει ὁμοίαν κυπείρῳ, πικρὰν ἰσχυρῶς. Multis nodis geniculatam dicit Avisena, unde πολυγόνατον quibusdam appellata. Nomenclator Arabs λευκάκανθαν illam exponit نوع من الشكاع, id est, speciem alteram *xucaba*: nam supra spinam Arabicam interpretatus fuerat *xuchaa*. Et profectò Dioscorides aliique veterum scribunt, spinam Arabicam ejusdem fere esse naturæ cum λευκῇ ἀκάνθῃ. Sed quod simile est, non est idem: & omnino constat, Avisenam eo capite de *xucaabi*, non spinam Arabicam, sed λευκάκανθαν describere, quæ diversa est à spina Arabica. Lexicon vetus Græco-arabicum: σχκχάς, ἄκανθα λευκή. κάκανθα, ἡ ἄκανθα λευκή. Item: σκκχάς, ἄκανθα λευκή, & λευκάκανθαν, ut jam alibi docuimus. Arabes quoque ipsi eas distinguunt nominibus. Nam λευκάκανθαν Dioscoridis, cui radices geniculatæ ac cypero similes, vocant *xucaabi*, ut ante vidimus. Spinam autem albam, id est, ἄκανθαν λευκὴν بادآورد *bedeuard*, ut apud Avisenam legere est & nomenclatorem Arabem τῆς ὕλης ἰατρικῆς. Ad *amgailem* quod attinet, certum est Avisenam ita vocasse ἄκανθαν Ἀραβικὴν Dioscoridis. Quæ

E

F

G

Quæ herba eſt, non arbor, quamvis Aviſena شجرة *xegiar* appellet. Quod nomen etiam herbis ac minoris incrementi fruticibus plerumque tribuit. Hoc tamen in errorem impulit Alpagum, qui *amgailem* pro eo genere ſpinæ Arabicæ vel Ægyptiæ accepit, ex qua gummi vulgo dictum Arabicum colligitur; quæ arbor eſt, non herba. Ita ergo ſcribit in expoſitione vocabulorum Arabicorum Aviſenæ, de arbore acaciæ loquens: *Et licet ex hac arbore colligatur gummi ſimile gummi Arabico, tamen gummi Arabicum eſt illud, quod colligitur ex arbore dicta amgailam. Et acacia fit ex fructu arboris ſetan, qui alcharad appellatur.* Tota regione deerrat. Arbor, unde gummi Arabicum colligitur, ex qua etiam fit acaciæ ſuccus, vocatur Græce ἄκανθα Αἰγυπτία; quæ & dici quoque poteſt, immo & dicta quibuſdam Ἀραβική, quatenus & in Arabia naſcitur; ut gummi etiam quod ex ea ſudatur, appellatum Arabicum. Hæc arbor dicta *ſetan* Arabicè, ut ſupra oſtendimus. Alia porro eſt ἄκανθα Ἀραβική ſimilis leucacanthæ, quæ herba eſt ſpinoſa; non herba, quam Arabes dixere *amgailam*. Hæc eadem & ἄκανθα Αἰγυπτία vocata. Paulus: Ἄκανθα Αἰγυπτία, οἱ ἢ Ἀραβική· συπτικῆς ἢ καὶ ξηραντικῆς ἐστι δυνάμεως. De arbore acacia hæc accepit Aëtius: Ἄκανθα Αἰγυπτία, ἐκ ταύτης ἡ ἀκακία σκευάζεται, συπτική τε καὶ ξηραντική τὴν δύναμιν. Atqui de herba, non de arbore Galenus hæc eadem expoſuit, quam & Ἀραβικὴν & Αἰγυπτίαν ἄκανθαν appellari dixit, quam & ſimilem facit τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ. Aviſena Græcos ſequutus huic ſpinæ nomen fecit, شوكة المصرية *xucat Almiſriat*, id eſt, ſpina Ægyptia, de qua & peculiare caput condidit. Atqui hæc ſpina Ægyptia, ſi herba eſt apud Græcos ex quibus accepit, eadem omnino fuerit cum *amgailam*; ſi arbor, non alia ſit ab arbore alcharath, ex qua acacia fiebat. Quocunque modo acceperit, pariter erraverit Aviſena, qui ſpinam Ægyptiam aliam ſtatuit tam ab herba amgaïlam, quam ab arbore alcharad, cum neceſſe ſit eandem haberi cum alterutra. Profectò non tantum Arabes, ſed etiam nonnulli veterum, ac plerique recentiorum ex hoc nominum errore utramque ſpinam confuderunt. Ut in viam redeamus, *bunkon* Arabum duas res ſignificat, myrtidanum, & radices amgaïlam juxta quorumdam ſententiam. Cimbri hodie Danique *bunc* appellant marſyppium vel loculum. Hebræis quoque תיק, id eſt, theca. Græci recentiores ab ea voce ſuum πούγκιον deduxere & πούγγιον, quod ipſis ſacculum deſignat vel peram. Hæc obiter de voce *bunco*. Meminit & *bunc* Raſes cap. XXII. cui locum dat inter ſpecies odoratas, quarum perſequitur virtutes illo capite. Calidum & ſiccum eſſe dicit, & ſtomacho conveniens. Idem porro eſſe oportet hoc buncum cum Aviſenæ bunco, qui ſpeciem Indicam & Arabicam odoratam memorat tantum, nec quale ſit explicat; niſi quod refert ex quorumdam opinione, eſſe radices amgaïlam, ubi vetuſtate vitiatæ ceciderunt. Non bene itaque Rauwolfius in Hodoeperico, qui fructum quemdam nomine *bunna* vel *buna*, appellatione, forma, & facultatibus ſimillimum tradit. De facultatibus non abnuo, quin verum videri queat. De forma & appellatione, res eſt in totum alia. *Bunam* ita deſcribunt: grana eſſe oblonga, alterâ parte plana, ſubfulvo colore, ſaporis acidi, quæ bina incluſa ſunt folliculo corticeo, ad inſtar fagaræ magno, coloris ex cinereo nigricantis, quodam veluti ſulco in longitudinem dividente ac duas partes faciente, quibus ſingula continentur grana. Omnino puto eſſe id granum, quod ab Alpino de plantis Ægypti cap. XVI. vocatur *bon*. Quæ ſemina ex fælici Arabia in Ægyptum invehi dicit, & ex his parari apud Ægyptios & Arabes decoctum vulgaris uſûs, quod vini loco venditur publicè ac bibitur, adjuvandæ concoctioni & ſtomacho roborando. *Caoua* ab ipſis nominari ait. Alii etiam ſcribunt granum *buna* aliter nomen habere *elkave*. Quæ eadem appella-

A tione cum *caoua*, articulo addito. Fortè القهوة. Sic ſcribitur & بون vel بونة *bun* vel *buna*. At *bunc* omnino aliud nomen eſt, & alia res, quod Arabicè بنك *benc* vel *bunc*. Notat Alpinus, eodem capite Aviſenam ſupraſcripti ſeminis meminiſſe, & calidum in tertio & ſiccum in ſecundo gradu ab eo conſtitui. Sed vereor, ut falſus ſit. Et ſanè ita eſt. Nulla *buna* vel grani *bon* apud Aviſenam mentio. Sed *ban*

B pro *bon* accepit Alpinus. Nam & initio capitis grana illa *bon* vel *ban* appellata memorat. Sed de *ban* falſum. Quod apud Aviſenam de glande unguentaria intelligendum. Pro *ben*, quod legitur in verſione Gerardi Carmonenſis, Alpagus ad oram repoſuit *ban*. Arabicè eſt بان. Hoc igitur *ban* pro *bon*, quod eſt بون, Alpinus interpretatus eſt, non ferendo errore. Calidum in tertia & ſiccum in ſecunda claſſe ſtatuit granum *ban* Aviſena, quæ eſt veterum μυροβάλανος vel βάλανος μυρεψική. Ad eos gradus calidi & ſicci non ad-

C ſpirat *buna*. Aliud etiam ſemen eſt *mungo*, quod commemoratur Garciæ ab Orta lib. II. cap. XXI. Id aliquam habet nominis affinitatem cum *bungo*, quatenus B & M omnibus fere linguis crebro mutantur invicem, ſed longè aliud eſt. Ipſe idem vult eſſe cum *mes* Aviſenæ, quod interpreti dicitur *meiſce*. Arabicè eſt ماش *mex* vel *meſce*. Haud ſcio tamen quam bene. Nomine certè multum diverſa *mex* & *mungo*. De forma videamus. Mungo dicit eſſe ſemen viride, quod per maturitatem fit nigrum, coriandri ſicci magnitudine. Ex Arabum ſcriptis *mex* genus leguminis eſſe conſtat

D in ſiliquis, quales ſunt faſeolorum. Quin & pro faſeolis edi à quibuſdam tradit Serapio, qui granum eſſe ait inſtar ervi magni, ſed viride ac ſplendens, cui tamen niger velut oculus. Sapore eſſe inter lentes atque ervum medio ait Aviſena capite de ervo. Hæc non ſatis conveniunt cum Garciæ *mungo*, qui ſanè videtur tacere non debuiſſe, an ex leguminum genere ſit. Aviſena proximam fabis ſubſtantiam *mes* habere ſcribit, minore tamen inflandi facultate, & per æſtatem melius mandi. Hoc ſimile, quod de *mes* produnt, in Perſia & Syria vulgò ſolere febricitantibus exhiberi. Quod idem de ſuo mungo narrat Garcias in Guzarate ac Decan fieri

E ſolitum; qui etiam dicit ferri in Palæſtina naſci hic mungo. Sed *mes* dicitur, quod in Syria naſcitur, diverſum ab illo mungo Indico. Alpagus in Lexico ex Arabibus notat, *mes* leguminis genus eſſe cinerei coloris ad viridem inclinantis. At *mungo* Garciæ, immaturum quidem viride; poſtquam adeptum eſt maturitatem, nigrum exiſtit. Carmonenſis piſa interpretatur: *De meiſce, id eſt, de piſis.* Gloſſator Arabs ὕλης ἰατρικῆς, apud Dioſcoridem τὸν βρόμον exponit الماش *almex*. Non eſt. Sed ut ita crederet, quædam eum fortaſſe moverunt. Febricitanti βρόμον χυλὸν ſolere dari legimus apud Alexandrum Trallianum, & alios priſcos medicos. Βρόμος τῶν

F ἀνθρώπων ἢ τετραπόδων βρῶμα dicitur in antiquis ſcriptis Græcorum, quod jumentis ut pabulum, ita etiam hominibus cibum præberet. Garcias *mungo*, quod idem cum *mex* putat, pabulum eſſe equorum perhibet, & interdum ab hominibus edi. Hoc etiam me movet, ut minimè aſſentiar Garciæ tradenti, idem eſſe *mungo* cum *mex* Aviſenæ. *Mungo* proprium ipſi equorum pabulum, quod interdum tamen homines mandunt & in febre magis quam in ſanitate; adeo ut medicinæ potius quam cibi loco apud Indos ſit. At *mex* legumen hominibus in eſu paſſivitus haud ſecus ac faſeoli, quibus ſimile eſt. Nec audiendus etiam Scaliger ſenior Exercitatione

G CLXXXI. cap. XXIII. ubi de milio Senegæ agit. *In regno*, inquit, *Senegæ milii tradunt magnitudinem quantam ciceris. Verum neſcio, ſit ne illud milium an maiz.* Si ita vocat, quod *mes* vel *mex* potius dicendum eſt, malè dubitat, an quod milium traditur, ſit *mes*. Quæ ſimilitudo? *mes* eſt legumen. Idem eodem capite: *Milium ab Æthiopibus dicitur zabur, ab Arabibus dora.* Immo Arabes milium vocant جاورس *giaures*. De quo & caput eſt apud Aviſenam, quo

Græcorum κέγχρον exponit, ſimulque de panico agit, quod appellat الدخن *aldachan.* Sic enim ibi legendum. Ita interpretatur ἔλυμον Dioſcoridis Gloſſator Arabs antiquus. Interpres apud Aviſenam hæc permutavit nomina; & *giaures* quidem pro panico, dachan vero pro milio accepit. Non igitur dora milium eſt Arabibus. Ad finem capitis addit Scaliger: *Accuratius etiam perſpici poteſt, ſitne zadur milium an maiz.* Immo nihil opus accuratiori diſpectione. Nam ſi zabur eſt dora, non poteſt eſſe mes. Geographus Nubienſis dora apud Nigros naſci, & hunc eſſe eorum cibum ſcribit in prima parte climatis primi. ذرة. Mes aliud eſt, cujus & meminit auctor idem parte octava ſecundi climatis cum cicere & fabis, lentibus atque faſeolis in India naſcentibus. Mes igitur Indiæ etiam familiare. Certè mentio eſt & mes Indici apud Aviſenam capite de *culb* vel *cult* كلب vel كلت. Hoc λιθόσπερμον Græcorum. Ipſe vero interpretatur *almes Indum* الماش الهندي. Sed omnino mes illud Indum diverſum ab illo *mes*, quod in India provenire cum lentibus & phaſeolis dicit Geographus Arabs. *Milium ſolis* appellant illud mes Indum Pharmacopæi, quod Græcis λιθόσπερμον. Myrepſus *grana ſolis*, χάνα σόλις. In montibus ſolet naſci, dicit auctor Arabs apud Serapionem. Ex India autem adferri alius auctor apud eumdem. Unde & *mes Indum* quidam appellarunt, & *milium ſolis*, & *granum ſolis*. De quo nos alibi, ut & de *dora*, quod in Aſia frequens. Sed videtur Scaliger non de *mes* vel *mex* Arabum intelligere, ſed de *maizio* tritici genere in novo orbe ſic vocato. *Maiz* illi vocant. Hodie *triticum Indicum* dicitur. Quidam Turcicum appellant perperam, quippe quod invectum conſtat ex Indiis Occidentalibus. Sic duo diverſiſſima genera, *mes* & *maiz*, non multum differenti appellatione. His adde & tertium *meiſem* vel *miſem*, ميسم. Tria ejus genera facit Aviſena, domeſticum, ſilveſtre, & Ægyptium. Granum eſſe dicit triangulare, & ſimimile terebinthino, ad luteum colore tendente, ex quo & panem confici ait. Interpres arborem vocat, quia in Arabico eſt شجر. Quâ voce ſæpe abutitur Aviſena ad herbas exprimendas. Frumentum id genus, quod vulgo appellatur Saracenicum, eſſe dicerem, niſi obſtarent nonnulla. Semen illud luteo colore eſſe refert Aviſena, cum hoc ſit nigro. Deinde odoratum tradit. Poſtremo & tria folia ei tribuit, præcipue domeſtico ac ſativo generi. Nihil horum convenit Saracenico. Addit po-

A ſtremo Aviſena ſibi videri eſſe الحربة *alharba.* Caput habet de alharba in littera *Ha*, ubi *harbaton* vocat Interpres, quod in Arabico eſt حربة *harba*: Et *lonchitidem* interpretatur. Sanè quæ de harba ibi dicit Aviſena, lonchitidi Dioſcoridis adamuſſim competunt, de grano triangulari & medicinis ex ea. Interpres ita vertit: *Harbatum quid eſt? Et dicitur Auguſtus. Semen ejus triangulatum eſt ſicut lancea, & ejus folia ſunt triangulata, ſimilia foliis ſcolopendriæ.* Corruptè legit in Arabicis, quomodo etiam hodie legitur

B in editione Romana اوغسطس. Quod ipſe vertit *Auguſtus*, pro quo perperam ſcriptum in editione *Anguſtus*. Atqui ſcribendum fuit in Arabico parva mutatione اوذغيطس, id eſt, *longuitis*. Quod eſt Græcum λογχῖτις. Dicit igitur, quæ Arabice vocatur *harba* etiam nominari *longuitis*, quæ Græca ejus eſt appellatio. Huic ſemen tribuit triangulare ſicut lanceæ, unde nomen. Dioſcorides: τὸ σπέρμα ἢ ὅμοιον λόγχῃ, τρίγωνον ἐν περικαρπίοις: ἔνθεν ᾗ τῆς ἐπωνυμίας ἠξιώθη. In

C Arabico Aviſenæ legitur, folia habere triangula كالحربة. id eſt, *tanquam alharba.* Interpres vertit: *ſicut lancea.* Sane in antiquo Gloſſario حربة, *harba*, exponitur *enſis*, *gladius*, & *telum*. Eſt propriè, quod Græcis λόγχη dicitur, ferrum nempe triangulare lanceæ, à cujus forma & ſemen herbæ nomen ei fecit λογχῖτις, quæ melius Arabice propterea diceretur حربي *harbi*, id eſt, lancearis quam حربة *harba*, quod eſt lancea. Notabis autem Aviſenam, temere utrumque genus λογχίτιδος confundere, cum dicit harbam ſemine eſſe triangulari ſicut lancea, &

D foliis ſcolopendriæ ſimilibus. Atqui diverſa ſunt genera lonchitidum, quarum altera ſemen habet τρίγωνον, altera folium ſcolopendriæ ſimile. Notandum etiam, quod ait Aviſena folium lonchitidis trianguli quoque formam habere, id magis convenire cum primæ lonchitidis aſperæ Matthioli effigie, quæ figuram triangularem in folio exhibet, quam cum cæteris. Non video etiam, quomodo illud ſemen *miſem* ab eodem Aviſena deſcriptum, poſſit idem eſſe cum harba ſive lonchitide, quod ipſe tamen adſerit. Ex eo ſemine panem confici dicit, & in ſativum & agreſte genus dividit. Quod nuſquam veteres de lonchitide memorarunt. Quin etiam capite de lonchitide

E ſive harba, agreſtis & ſativæ meminit. Cujus differentiæ nullam apud Græcos veſtigium. Sed nec puto unquam panem ex ejus ſemine factitatum. Aliud igitur eſſe oportet.

CAPUT LXXIX.

De canteo.

Eadem ratione & Græci κάντιον vel κάνδιον appellarunt vocem Arabicam exprimere volentes. Nam καντὸν illis idem quod acutum. Hæc veriſſima. Iidem Arabes mel tabarzed vocant, عسل الطبرزد *haſſel altabarzed*, ſaccharum tabarzed liquidum & nondum coactum, quod remanſit in vaſe, in quo fit ſaccharum candium. Sic عسل اللبني *haſſel allebni*, mel ſtoracis, pro liquido ſtorace. Item *haſſel altrungibin* عسل الترنجبين, mel tereniabin, mannam diſſolutam, & redactam ad ſimilitudinem mellis. Mentio eodem capite apud Aviſenam

F ſacchari ſulimeni; quod ſaccharum rubrum eſſe Interpretes volunt. Apud interpretem Serapionis vocatur *ſalaimeni.* In Arabico eſt: السليماني *Alſulaimani.* A loco ſic appellatum eſt. Fertè pro السلقمانانى *Alſulaimanani.* Quod & *Alſulimeneni* ſcribi poteſt. Apud Geographum Arabem in ſexta parte climatis tertii *Sulaimanan* urbs Perſarum ditionis, Tigri flumini

G adpoſita, سليمانان. Quæ fortaſſe & سليمان *Sulaiman* vel *Suliman* dicta tempore Aviſenæ. Ut ut ſit, ſaccharum Sulaimeni inde nomen invenit. Commemorat ibidem inter genera ſacchari & *alfenid*, الفانيذ. Græcis

A Græcis infimi ævi πενίδια dicuntur. Et fallitur doctiſſimus Medicus in definitionibus ſuis, qui negat extare mentionem apud Græcos ſacchari penidii. Sanè ſaccharum penidium non nominant Græci, ſed πενίδια vocant, quæ Aviſenæ فانيذ *fenid.* De quo ſeparatum caput habet idem Aviſena in littera *Fe*; nec ſaccharum fenidium vocat, ſed ſimpliciter *fenid* vel *fanid.* Interpres *penidios* vertit; & ſic ubique vocant Latini barbari, ut Græci πενίδια. Cum ſaccharo ea comparat de facultate, ut & Raſes atque Serapio. Calidos tamen eſſe penidios omnes affirmant; ſaccharum verò parum calefacere. Penidiis

B præterea ſubtilius eſſe ſaccharum. Serapio de penidiis & ſaccharo diverſa habet capitula. Rhaſes quoque cap. xx. penidiorum & ſacchari facultates ſeorſim exponit. Myrepſus pariter omnibus locis πενίδια & σάχαρ diſtinguit. Ut in Antidotis cap. xx. πενίδια καὶ σάχαρ μετὰ ῥοδοσάγματος τὸ ἀρκοῦν. Item cap. LXVI. in Antidoto bechica & dyſenterico: Σάχαρ καὶ πενίδια τὸ ἀρκοῦν. Alibi cum melle jungit, eodem capite: Πενιδίων καὶ μέλιτος τὸ ἀρκοῦν. Et ſic alibi paſſim. Errat igitur largiter Medicus, qui *ſaccharum penidium* indigetat, & confici docet ex pyramidali aut Thomæo, quod ex inſula ſancti Thomæ adfertur.

C Tradit Aviſena, ſaccharum facere ſitim, minorem tamen quam mel. Hoc de ſaccharo hodierno accipiendum, quod eſſe διψῶδες conſtat. At veterum ſaccharum, quod eſt tabaxir nullo modo ſiticuloſum. Immo ſitim potius ſedat. De eo dixit Galenus: οὔτε ὡς τὸ παρ' ἡμῖν διψῶδες. De melle calamino ſive ſaccharo tum temporis cognito loquitur, quod negat eſſe διψῶδες, ut eſt mel commune. Simplex & abſoluta hæc oratio. Mel vulgare διψῶδες. Mel calaminum & Indicum, minimè διψῶδες. Verba Galeni ad ſaccharum ſuæ ætatis tranſtulit Aviſena, & malè interpretatus eſt: *in ipſo eſt virtus faciens ſitim, minorem tamen ſiti, quam facit mel.* At Ga-

D lenus ita ſcripſit de ſaccharo ſui ævi: οὔτε κακοστόμαχόν ἐστιν ὡς τὸ παρ' ἡμῖν, οὔτε διψῶδες. Mel calaminum εὐστόμαχον, commune verò κακοστόμαχον ac διψῶδες. Mel in calamis Indicis proveniens ſitim non facit, immo tollit. Hic ſenſus Galeni. Apparet itaque, Aviſenam utrumque ſaccharum confudiſſe, veteris ac recentis ſæculi. Quod enim ſaccharum tanquam gummi è cannis reſudare dicit, hoc de antiquorum ſaccharo intelligendum, quod ætate Aviſenæ dicebatur tabaxir. Quod eodem illo capite narrat, *ſuper arundinibus inveniri ſaccharum tanquam ſal.* De hoc ipſo priſcorum ſaccharo ſive tabaxir accipi debet, cui nomen etiam propterea ἅλος Ἰνδικοῦ veteres impoſue-

E runt. Hæc ex diverſis collegit, ac temerè miſcuit. Sequens apud eum caput legitur de ſaccharo *albuſar* vel *alhoſſer.* In Arabico eſt: سكر العشر, *ſachar alhoxar*, vel *alhoſcer.* Id eſſe explicat mannam cadentem ſuper plantam alhoxar adinſtar micarum ſalis. De hujus ſacchari facultatibus eadem omnia memorat, quæ veteres de ſuo ſaccharo tradunt. Viſum acuere dicit. Saccharum Dioſcoridis claritati oculorum conferre dicitur. Saccharum *alhoſcer* ſtomacho & epati conducit; æque ſaccharum ſuum veteres εὐστόμαχον eſſe perhibent. Saccharum

F alhaſſer renibus & veſicæ, Aviſena teſte, accommodum eſt. Saccharum quoque antiquum, ut Dioſcorides auctor eſt, ὠφελεῖ κύστιν κεκακωμένην καὶ νεφρούς: veſicam exulceratam & renes adjuvat. Aviſena ſaccharum alhoxer ſitim non facere prædicat, ſicut alia genera ſacchari. Galenus pariter ſaccharum minimè eſſe διψῶδες aſſerit. Longè tamen aliud ſaccharum *alhoſcer* à ſaccharo antiquo. Nec mirum propterea de utroque paria memorari, quod ad fa-

G cultates attinet. Opinionum parilitas circa utrumque hoc facit. Plerique veterum ſaccharum illud ſuum, quod in arundine Indica colligebatur gummium modo, cæli eſſe rorem, hoc eſt, mannam ſuper folia ejus cadentem crediderunt. Idcirco & eaſdem ei, quas mannæ, virtutes aſſignarunt. Aviſena ſimiliter arbitratus eſt ſacchari illud genus, quod in planta

hoſcer vel hoſſar colligitur, eſſe mannam, quæ de cælo demittitur in illum ſtirpem. Hæc cauſa eſt, cur iiſdem virtutibus præditum prædicet hoc ſaccharum atque mannam. E contra *tabaxir*, quod idem eſt cum ſaccharo antiquitatis ſic propriè dicto, quod gigni putarunt ex cinere cannarum fortuito incendio combuſtarum, ea re & paribus pollere virtutibus cum ſpodio vel antiſpodis ſcripſerunt. Aliter alii ſentiunt de ſaccharo alhoſſer, quod vulgò *albuſar* dicitur. Erumpere quippe ex ipſa planta volunt; & eſſe lac concretum, quod ex ſedibus foliorum manat. Calidum & amarum produnt. Quin immo & totum fruticem lacte turgere referunt calidiſſimo, quo utuntur vulgo ad depilanda coria, & haberi pro pſilothro præſtantiſſimo. Sanè & ipſe Aviſena ſaccharum alhaſſer parum eſſe dulce affirmat. Non mediocriter eſſe amarum aliis placet. Neſciſſe videtur Aviſena, quid eſſet ſaccharum alhoſcer. In eadem verſatur inſcitia Serapio. Is enim capite de ſaccharo plures ſpecies recenſuit, & inter eas non prætermiſit ſaccharum alhaſſer. Poſtquam de proprietatibus hujus ſacchari ſatis dixit ex Arabum ſententia, & plantam ipſam deſcripſit, addit aliam eſſe ſtirpem eodem nomine ex genere tithymallorum: *Alius*, inquit, *eſt hoſcer ſpecies tithymalli.* Atqui ille ipſe eſt frutex hoſcer tithymallorum generis, ex quo colligebatur ſaccharum dictum alhoſcer. De cujus generatione diverſæ fuerunt ſententiæ Arabum ipſorum. Alii rorem eſſe cæli, qui ſuper folia ejus decideret, voluerunt: in quibus Aviſena & Abenbitar. Nonnulli ſuccum eſſe ipſius plantæ, qui ex oculis ac ſedibus foliorum emicat & calore concreſcit. Sic opinatur apud Serapionem auctor Arabs Abuanifa. Ebenbitar autem de ſimplicibus diſertè haſſar عشر eſſe fruticem tithymallaceum, altum, foliis latis, ſuper quæ defluit manna, quæ vocatur, سكر العشر *ſathar alhoſcer.* Aviſena in generibus tithymallorum recenſendis primo loco nominat العشر *alhoſcer.* Vetus interpres ſcribit *alhaſcir.* Is erit fortaſſe, quem χαρακίαν vocat Dioſcorides, qui primo loco eum recenſet. Deſcriptio tamen non convenit. Vetus lexicon Græco-arabicum characiam tithymallum interpretatur ὀξύπρον: unde Arabicum شبرم *xebram*, quod ſecundo loco nominatur ab Aviſena inter tithymalli genera. Lexicum vetus: τιθύμαλλος χαρακίας τὸ ὀξύπρον. Utut ſit, omnino idem ille alhaſcer, à quo genus ſacchari cognominatum eſt. tithymallum vel herbam omnem lactariam Arabes vocant يتوع *jethuha*, vel *jethug.* Nam alii cum puncto ſcribunt ultimam litteram. Species una dicta عشر *haſcer*, quæ in Arabia & Ægypto naſcebatur. Unde & ſaccharum colligi ſolebat amarum potius quam dulce. Hic frutex mala producit, teſticulis camelorum ſimilia, lanugine quadam referta, quibus Arabes tomenti vice implent pulvinaria, & fomitis loco utuntur ad accendendum ignem. Unde عشر *hoſcer* in Exodi verſione Arabica pro שש. Quod genus lini ſubtiliſſimi & candidiſſimi ſignificat. Sunt qui byſſum interpretantur. Saadias de lana *hoſcer* accepit Exodi xxv. Linum autem & lanam indifferenter appellant auctores id genus omne, quod ex arboribus ac fruticibus legitur, ut ex goſſypio, & aliis exoticis plantis. Rectius *hoſcer* vel *hoxar* vel *haoſcer*, vel *hoſciar*, aut etiam *hoſſar* ſcribitur quam *haſſer*, ut eſt apud Alpagum. Quidem *oſſar* ſcribunt ac pronuntiant. Fructus, in quo ejuſmodi lana reperitur, ſimilis eſt ovo. Unde بيض العشر, *beid alhoſſar* ab Ægyptiis & Arabibus appellatur, id eſt, *ovum hoſar.* Teſticulis camelorum ſimilem refert Abuanifa apud Serapionem. Profecto teſticulus ab

ab ovali figura vocatur بيضة *beida.* Sacculo pendenti assimilat Albenbitar, id est, folliculo testiculi pendenti. Inde & *pensilia* Latinis testiculi. Avisena duo genera facit sacchari alhossar; alterum يماني *Jameni:* alterum حجازي *Hagiazi.* Hoc ex regione *Hagiaz*, quæ est Arabia deserta; illud ex *Iaman*, quæ est Arabia fœlix. *Mare Hagiaz* est mare Arabicum. At
A *Iaman* est cherronesus sive peninsula, quæ inter duo sinus Persicum & Arabicum jacet. Hæc nempe Arabia fælix veterum, quam & Geographi Græci χερρόνησον, Plinius *peninsulam* appellavit. Saccharum *albussar* Avisenæ perperam diversum statuit à Serapionis saccharo *haoscer* Julius Scaliger Exercitatione CLXIII. Hoc saccharum *tigala* vulgo vocari in officinis Constantinopolis docuimus in Exercitationibus ex Bellonio, ubi & multa de hoc genere sacchari; sed heic
B saniora & certiora omnia recoximus.

CAPUT LXXX.

De fuco marino argivan.

Φῦκος alga est marina. Quæ rubet, eâ utebantur veteres ad tingendum rubro colore. Purpuram elegantissimam facere tradit Theophrastus, sed fluxam fugacemque. Nam colorem remittit, nec diu servat. Aliud φῦκος, quo utebantur mulieres purpurissandis genis. Hæc radicula Syriaca, quod ῥίζιον Græcis absolutè dicitur. *Radicula* Latinis. Plinius perperam confudit cum radice lanaria, quæ στρούθιον Græcis. Alii cum rubia radice. Lexica Iatrica: ἐρυθρόδανον, τὸ ῥιζάριον. Aliud porro φῦκος μεταλλικὸν Galeno, quod fit ex cerussa usta. Glossæ Servii & Philoxeni: *purpurissum*, φῦκος. Quod de radicula Syriaca intelligo. Inde Latinum *fucus.* Quod & pro colore quolibet sumitur: propriè tamen rutilum significat. Nam omnia illa φύκους genera rubro colore tingunt. Aliud tamen purpurissum quam φῦκος; etsi *purpurissatas genas* apud idoneos auctores pro fucatis legere est. Purpurissum facticium erat ex creta argentaria cum purpuris tincta. Glossarium vetus Latino-arabicum purpurissum interpretatur عكري. ita enim legendum: *purpurissus* عكري. Id sonat, quod ex fæce est, vel fœculentum. Nam عكر,
E *hachar* Arabice fæcem significat, ὑπόσταθμην. Sed expositio illa laccæ potius facticiæ convenit quam purpurisso. Nam lacca tinctorum ex fæce Brasilli & cocci sumitur. Tale planè purpurissum Auctor veteris Glossarii intelligit. *Fucus* autem sic propriè dictus, herba Syriaca, cujus radiculæ succo mulieres antiquæ genas rutilabant. Hoc φῦκος Græcis. Theophrastus χρῶμα vocat hanc radiculam. Fuit & fucus marinus, sive alga, φῦκος θαλάσσιον. Arabicè *argivan* vel *alargivan*, ارجوان. Idem Glossarium Latino-arabicum
F vetus *vermiculum coccineum* interpretatur: ارجوان. *vermiculus, coccineus.* Legendum: *vermiculus coccineus.* Versio Bibliorum *vermiculum cocci* vocat, τὸν κόκκον βαφικόν. Atqui *argivan* non est vermiculus. Ebenbitar herbam esse tradit, cujus flos & folia admodum rubra sunt, & quę colore rubro tincta sunt, ea dici infecta esse colore الارجواني *alargivani.* Alii Arabes tradunt auctore Andrea, eam herbam nasci in mari & vocari *argivan marinum* ارجوان البحري *argivan albahari.* Nullum
G itaque dubium, quin sit φῦκος θαλάσσιον Græcorum; quamvis plerique omnes de purpura marina interpretentur, quæ & ipsa πορφύρα θαλασσία dicitur. Quin
C & corallium nonnulli, qui frutex est marinus ac ruber, cum purpura marina & fuco marino confundunt. Hinc in Lexico Arabico vulgari مرجان *margian*, malè exponitur purpura, ac dicitur esse idem cum ارجوان *argivan*, qui est fucus marinus. Atqui *margian* corallium est, idemque quod بسد *besd.* Alii ea sic distinguunt, ut *besd* pro radice corallii capiatur: *margian* autem pro ramulis. Aliis placet contrarium.
D Græci recentiores Arabum *Gi* per z aut τζ efferunt. Ideo dixerunt μαρτζιὰν pro *margian.* Glossarium Græco-arabicum: Μαρτζιὰν, κουράλλιον τὸ κόκκινον. Apud Serapionem legitur *mergen.* Et sic legi etiam potest illud مرجان. *Besd* & *margen* idem facit. *Bassad*, id est, *mergen.* Sic vocat interpres, quod aliis *besd* vel *besed.* In antiquo Glossario Græco-latino *margena* pro corallio invenitur: Κουράλλιον, *margena.* Arabicum plane *margen.* Quam vocem hodieque retinet in plerisque locis Idiotismus Gallicus. Risi Virum doctum, qui μάργελλα in scriptis Græcorum recentiorum de corallio vel corallinis ornamentis interpretatus
E est. Dictione Latina sic vocarunt vestium limbos & margines extremos. Nam & *margum* & *margellum* pro margine dixit non sequior ætas, sed etiam vetustior. Æquè etiam falsi, qui margian *purpuram* interpretantur, & qui margaritam. Purpura marina Arabice vocatur صدف *sadaf.* Dicunt etiam iidem Arabes برفير pro purpura, quod ex Græco est πορφύρα. Nam P in B mutant, ut بلاكند *blacend* apud Avisenam, placenta. Argivan igitur est fucus
F marinus, quod & φοινίκεον φῦκος Nicandro. *Alga rubens* Plinio. Inde *algivum*, ex quo Arabicum *argivan.* Sic *junciva* & *res palustres* apud Innocentium Agrimensorem. Quod vermiculum cocci veteres Glossæ exponunt. Id sollemne Græcis recentioribus atque Arabibus, quæcunque eumdem usum præstant, indifferenter ponere, & aliud pro alio usurpare. Idem vetus Glossarum *kermez* exponit coccum, quod rectum est: قرمز *coccus, coccineus vermiculus.* Isaac apud Serapionem laccam exponit kermes; cum latissime differant *lacca*, & *kermez* sive vermiculus cocci. In
G Glossis Græcorum ἐρυθρόδανον etiam exponitur κοχύλη, quæ purpuram illis significat sive muricem. Unde κογχυλεύτης murilegus.

CAPUT

CAPUT LXXXI.

De carpaſo & carpeſia.

A COmpellenda in hunc gregem exoticorum ὁμωνύμων & κάρπασ☉. Hæc inter venena ſimplicia veteribus memorata, incompertæ hodie inventionis. Succum fuiſſe ſive lacrimam arboris Indicæ vel ex eo apparet, quod ὀποκάρπασον hoc idem venenum appellant. Dioſcorides inter δηλητήρια ſimplicia, quo ex genere quæque ſunt: ὀπισμάτων ἢ μηκώνιον, ὀποκάρπασον, θαψίας χυλός. Ita vocat & Galenus. Mentio eſt apud veteres & ξυλοκαρπάσυ, quod eſt lignum arboris carpaſi, ex qua fluit lacrima κάρπασον vel ὀποκάρπασον. Ut βάλσαμον & ὀποβάλσαμον idem, cujus & lignum dicebatur ξυλοβάλσαμον. B Incognitum vulgo eſſe medicis noſtris illud carpaſum non mirum eſt, quandoquidem nec de myrrha ſatis hodie conſtat, quali facie ſit arbor, quæ eam ſudat, aut qua ratione eliciatur. Sed nec vera & ſincera myrrha hodierno tempore uſquam conſpicitur. Atqui carpaſum illud priſcis notum adeo ſimilitudinis indiſcretæ cum myrrha fuit, ut pro myrrha præſtantiſſima plerique neſcientes id uſurparint, & perniciem inde certam contraxerint, ut teſtatur Galenus: τὸ ἢ ὀποκάρπασον, inquit, ἀναιρετικόν ἐςι καὶ πολλὰς κἂ τινὰ τύχην ἐν τοῖς τῆς ἡμετέρας C ζωῆς χρόνοις ἀποθανόντας οἶδα, διὰ τὴν ἄγνοιαν τῆς ὀποκάρπασον ἐχέσης σμύρνης. Sciviſſe ait, qui mortui eſſent illo in tempore ex myrrha, quæ opocarpaſum admixtum habuiſſet. Apparet ex iiſdem locis tum afferri ſolitum carpaſum, ex quibus myrrha advehebatur; immo & in iiſdem locis colligi, adeo ut interdum myrrhæ commixtum neſcientes falleret. Idem: ἔτω ἢ καὶ κἂ τὴν ἀρίςην σμύρναν ὀποκάρπασον εὑρίσκεται διαφέρον σμύρνης, *in præſtantiſſima myrrha, & opocarpaſum invenitur, quod à myrrha differt.* Odoratum etiam fuiſſe colligere eſt. D Qui enim pro myrrha id accipiebant, falli in eo non potuiſſent, niſi & odorem myrrhæ pariter ac faciem præ ſe tuliſſet. Neſcio an ſit κέρπαθον vel κάρπαθον Uranii de Abaſſenis Arabiæ populis: ἡ χώρη τῶν Ἀβασηνῶν σμύρνην φέρει καὶ ὄσον καὶ θυμίαμα καὶ κάρπαθον. Idem porro κάρπασον & κάρπαθον variâ dialecto, ut κιθὸς & κισσὸς; ἀθάνα ἀσάνα. Sic Κάρπασ☉ ſive Καρπασία quæ Cypri inſulæ urbs eſt, Xenagoræ dicta eſt κάρπαθ☉, teſte Stephano. Carpaſo illi Indico lethali cognominis eſt & κάρπασ☉, quæ pro lini genere vel lintei ſumitur. Inde *carbaſus* Latinis pro velo, & *carbaſa.* E Grammatici carbaſum genus lini eſſe interpretantur, quod abuſivè plerumque pro velo ponitur. Plinius *carbaſa* primum reperta teſtatur in Hiſpania citeriore, lini ibi ſplendore præcipuo & mira tenuitate. Inde carbaſum pro lino tenuiſſimo. Græci dicunt κάρπασον, ſed recentiores. Hinc καρπάσινοι κορτῖναι apud Suidam. Apud vetuſtiores Græcos καρπάσυ in hac ſignificatione nulla mentio. Sic dici invenio apud auctorem peripli maris Erythræi, qui æqualis Plinii fuit. Κάρπασον enim vocat linum, ex quo Indica lin-F tea vulgaria fiebant: πολύφορ☉ ἢ ἡ χώρα σίτυ καὶ ὀρύζης καὶ ἐλαίυ σεσαμίνυ καὶ βυτύρυ καὶ καρπάσυ καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς Ἰνδικῶν ὀθονίων τῶν χυδαίων. Sed non nimium idoneus auctor ille aſſerendæ antiquitati ac puritati Græcarum vocum, quem certum eſt dictiones merè Latinas & ſæpe uſurpaſſe, quæ inter mercatores erant receptæ & uſitatæ. Καρπάσιον λίνον aliud eſt Pauſaniæ in Atticis, de lino quod igne non conſumitur: καὶ λίνυ καρπασίυ θρυαλλὶς ἔνεςιν, ὃ δὴ πυρὶ λίνον μόνον οὐκ ἐςιν ἁλώσιμον. Solinus Caryſton inſulam habere dicit *carbaſa, quæ inter ignes valent.* Hieronymus Mercurialis carbaſa G illa putat eadem eſſe cum carpaſio lino Pauſaniæ. Multum fallitur. Quod ad rem attinet, res ipſa eſt. Quod ad nomen, non idem eſt. Solinus more Latinis uſitato *carbaſa* dixit pro quolibet lino. Hinc *carbaſa Caryſtia*, lintea ſunt ex lino Caryſtio texta. At Καρπάσιον λίνον Pauſaniæ, lini illud genus eſt, quod igne nihil deperdebat, in inſula Cypro, urbe Carpaſo æque plurimum naſcens ut in Caryſto. Carpaſium itaque linum metallicum eſt & ignibus contumax, ab urbe inſulæ Cypri ſic dictum, ubi effodiebatur. Hoc idem eſt carbaſum ſive linum Caryſtium Solino. At *carbaſum* pro lino aliam habet originem. Nec Græcis uſitatum hoc vocabulum, ſed Latinis. Nec *carbaſum* Latini abſolutè dixere unquam pro illo lino, quod ex lapide ducitur. Quod enim *carbaſa Caryſtia* nominavit Solinus de illo genere, idem planè eſt ac ſi lintea vel lina Caryſtia poſuiſſet. Aliud eſt porro vocabulum ſignificationis diverſæ, quod plerique recentiorum idem eſſe voluerunt cum lethifero carpaſi ſucco. Κάρπασ☉ Paulo Æginetæ maſculo genere vocatur venenum illud, de quo ſupra ſcripſimus. Vocavit & καρπασίαν, ut ἰξὸς & ἰξία idem, θαψὸς & θαψία. Quodam etiam loco καρπησία corruptè apud eumdem reperitur ſcriptum pro καρπασία, lib. v. cap. XLIV. Καρπησία vero Aëtio, Nicolao Myrepſo, aliiſque Græcorum genus eſt aromatis, quod Galeno καρπήσιον dicitur lib. VII. Simplicium Medicamentorum, & lib. I. Antidotôn. Sed *carpeſia* iſta magnoperè diſtat à *carpaſia* Pauli. Carpaſia ſive carpaſum ſuccus eſt, vel gummi potius venenatum myrrhæ ſimile, ita ut pro myrrha imponat. Carpeſium ſive carpeſia ſurculi ſunt odorati, ſimiles cinamomo, in Pamphylia naſcentes. Κάρφη vocat Galenus & duo genera facit, unum Laërticum, alterum Ποντικὸν cognominatum, utrumque à montibus Pamphyliæ. Sed mendum eſt in voce Ποντικόν. Alibi τὸ πικρὸν appellat, in libro de Antidotis, de Pamphyliæ populis loquens: ὃ καλῦσιν οἱ Πάμφυλοι τὸ μὲν ἕτερον αὐτῶν Λαερτικόν, τὸ ἢ ἕτερον τὸ πικρόν, ὅπερ καὶ βέλτιόν ἐςιν ἑκατέρυ ἢ ἀπὸ ȣ ὄρȣς ἡ ἐπωνυμία καθ᾽ ὃ φύεται. Stephano Λαέρτης mons Ciliciæ. Unde Λαερτικὸν καρπήσιον vel λαέρτιον. Strabo μαςοειδῆ λόφον vocat hunc Laërtem. Sub nomine τὸ πικρὸν vel Ποντικὸν latet montis Pamphylici vel Cilicis appellatio, quam nunc non eruo, etſi multæ ſint ad manum conjecturæ. Συεδρικόν, aut Ἀφρικὸν liceret conjectare. Qui *amarum* vertunt apud Galenum principes in his litteris Viri, ſequuti ſunt vitium codicum, nec intellexerunt debere ibi eſſe loci nomen in Pamphylia. Nec rectius Scaliger Julius, qui in Exercitationibus contra Cardanum verè Ponticum fuiſſe hoc carpeſium ex regione Ponti autumat, cum tam clarè prodiderit Galenus locum eſſe Pamphyliæ. De hoc autem carpeſio variæ ſunt nunc & olim fuere ſententiæ doctorum hominum. Actuarius cubebas & carpeſia eadem dici oſtendit, quem plerique recentiorum ſequuti ſunt, & falſi ſunt. Quid ſint cubebæ alibi docuimus. *Zarnab* Aviſenæ, زرنب, eſſe veterem carpeſium neſcio an liqueat. Arborem eſſe narrat magnam, infrugiferam in monte Syriæ Libano naſcentem, eſſe parvis virgultis, teretibus, odoratis, paulo amplioribus acu, qua ſuuntur ſubſellia. Græci φοιμοεφίδα vocant. Arabes, ut eſt apud Aviſenam, الكلسة. Ea pro cinnamomo ſubſtitui plerumque docet. Galeno καρπήσιον, λεπτῶ κάρφη, quæ & pro cinnamomo ſubſtituebantur. Poſſet ex vero magis adſtrui, *zarnab* ſimile potius eſſe carpeſio quam idem. Paulus Æginera vocavit ἀρναβῶ, quod Aviſenæ eſt *zarnab*, de quo ita ſcribit: ἀρναβῶ τῶν ἀρωματιζόντων ἐςὶν ὅθεν τοῖς μύροις μάλιςα μίγνυται, παραπλήσιοι κασίᾳ πῃ καὶ καρπησίῳ, ὅθεν ὁ Ποσειδώνι☉ μὴ παρόντ☉ κινναμώμυ τέτῳ φησὶ χρῆσθαι. Rurſus tamen heic aliquis non ſine ratione poſſit contendere, ejuſdem aromatis duo eſſe vocabula ſynonyma, καρπήσιον & ἀρναβῶ, Græcum illud, hoc Syriacum vel Pamphylicum. Καρπησία (nam ita in vetuſtis libris legitur) vel καρφεία à ſurculis

surculis qui ex arbore decerpuntur, ἀπὸ τοῦ καρπίζεσθαι vel καρφίζεσθαι. Quominus tamen arnabo idem videatur cum carpesio nonnulla obstant. Carpesium in Pamphyliæ montibus nasci omnes affirmant. Galenus ἀρναβὼ ex India peti ostendit, qui inter species casiæ hoc nomen commemorat, ut infra dicam. At omnia illa genera casiæ, quæ ibi recenset Galenus, ex India. Avisena suum *zarnab* Syriæ monti Libano proprium vindicat. Sic videretur aliud Græcorum ἀρναβὼ, aliud *zarnab* Avisenæ. Apud Neophytum reperio libanotidem καρχυφόρον appellatam etiam ψευδοκάρπασον, quasi habeat aliquam similitudinem cum carpaso: Κάχρυ, οἱ δὲ λιβανωτὶς, οἱ δὲ ψευδοκάρπασος, Ῥωμαῖοι μυρελίαν. Apud Charitonem Medicum in Antidoto altera διὰ μαργάρων, species quædam κυμπέτη vocatur, & κάρπασος explicatur: ζεδάρας, κρόκου, κυμπέτης ἤτοι καρπάσου. Hujus κυμπέτης apud Myrepsum multis locis occurrit mentio, quam semper in cubebas mutat Fuchsius. Et sanè nunquam integrè scriptum illud nomen invenitur, sed compendio ad hunc modum

π
κυμπε. Aliquando nescias, utrum π an τ supra scriptum sit. Puto tamen ubique legendum κυμπέπης. Et apud Charitonem corrigendum: κυμπέπης ἤτοι καρπάσου. Sic vocarunt *cubebam*, quam & pro carpesio sumpsisse videntur. Κάρπασον autem pro καρπήσιον dixit Charito magno sanè errore. Similitudo tamen nominum hoc fecit. Nam καρπησίαν recentiores dixerunt, quod vetustioribus fuit καρπήσιον. Alii vero καρπασίαν & καρπησίαν indifferenter usurparunt. Quin & καρπησίαν in antiquis libris Pauli Æginetæ legere est pro καρπασίᾳ, quæ eadem est cum carpaso. Videmus igitur in eadem sententia fuisse Græcos infimæ ætatis medicos cum Latinis barbaris, qui cubebas easdem statuunt cum carpesio veterum. Ita enim vetus interpres Avisenæ *cubabe* exponit carpesium. In eadem opinione & Matthæus Sylvaticus in Pandectis. Nec alia sane sententia ipsius Avisenæ, qui ea de cubebis tradit, quæ Galenus de carpesio, similes esse nempe virtute τῷ φοῦ. Vetus interpretes reddit *rubea*, quia rubea radix Arabicè dicitur apud Avisenam فوة الصباغين, *fua alsabagin*, id est, rubea tinctorum. Dicitur etiam simpliciter فوة, *fue*. Quod quidam interpretantur granum coccineum. Atqui radix est, non granum, quæ tingit in hac herba. Herbarius Arabs apud Dioscoridem τὸ ἐρυθρόδανον, interpretatur الفوة *alfue*. Apud Avisenam capite de cubabe, quod illi est καρπήσιον, traditur virtute esse simile الفوة *alfue*. Quod rubeam similiter vertit interpres. At hoc loco significat φοῦ Græcorum, quod ipse Avisena vocat فو *fu*, capite proprio descriptioni ejus dato. Corruptum est in capite Avisenæ de cubebis, الفوة pro الفو *alfu*. Quod est τὸ φοῦ. At الفوة *alfue* est ἐρυθρόδανον: Illud *fuhe* suspicor ex Hebraïco פוך deductum, mutato *Caph* in *He*: alii stibium, alii carbunculum interpretantur. Certè pro fuco accipitur Regum II. cap. IX. quo oblinuntur oculi. Non insolens autem Arabibus acceptas ab Hebræis aut Græcis voces in alium significationis usum convertere. Ab illo פוך Græcorum φῦκος. Ita propriè vocarunt radiculam Syriam, cujus succo rubente mulieres genas sibi purpurissabant. Algam marinam rubentem, qua purpura elegantissima tingebatur, sic etiam appellarunt. Est & φῦκος μεταλλικὸν, quod fit ex cerussa usta & rubro colore inficit. Certè non aliis temerè rebus hoc nomen φῦκος dederunt, quam quæ tingerent, & rubro præsertim colore. Inde Latinum *fucus*, pro colore quolibet, & *fucare* pro tingere vel pingere. In Paralipomenis lib. I. cap. XXIX. mentio fit lapidum פוך *fuch*. Carbunculos & rubinos quidam accipiunt. Certè & φῦκος Græci antiqui de colore rubro maximè posuerunt, quod inde deductum est. Hieronymus *stibinos* vertit à colore stibii, qui niger est. Vix dubito, quin Hebræi dictione illa vocarint non solum nigrum fucum, quo supercilia sibi mulieres depingebant; sed etiam rubrum, quo genas colorabant. Φύκει πυρσαίνειν Græci dicunt. Rectè igitur & lapis *fuch* de carbunculo vel rubino potest exponi. Nonnulli & *nofech* inde ducunt, lapidem & ipsum pretiosum, נפך. De quo non satis constat inter ipsos magistros, quod genus sit gemmæ. At omnino ex illo *fuch* Arabicum *fuhe* pro fuco tinctorio sive rubea radice, quam & *fuhe alsabagin* dixerunt, id est, rubiam infectorum. Hanc de cocco sive grano coccineo interpretatur. Ut ad carpasum sive carpesium redeamus, videmus Arabes pro eo *cubebas* substituere, quæ toto genere differunt. Longè magis cum carpesio veterum convenit ipsorum zarnab. Cubebam veteres etiam vocant *cumamum* κώμαμον. Unde Arabicum كباية *cubabe*. Idem & κώμακον & μυρτίδανον antiquorum, ut latius docuimus in Exercitationibus. Κάρπασον & καρπήσιον Græcos recentiores confudisse constat. In ἀντεμβαλλομένοις apud Paulum: ἀντὶ καρπάσου κύπειρος. De carpesio intelligendum. Viderint ergo, an ex eadem arbore succus ille lethalis, quem ὀποκάρπασον appellant, & surculi odorati, quæ καρπησία Galeno. Fortasse pro καρπασία. Sanè & ξυλοκάρπασον illius arboris lignum vocitarunt. Sed & libanotida ab odore simili videntur nominasse ψευδοκάρπασον. Pamphyliæ familiarem hanc arborem tradunt, & frequentem inde haberi in Syria carpasum. Interdum & pro succo ipso κάρπασον usurpant, ut βάλσαμον pro opobalsamo. Nihil heîc pronuntio, sed ὁμωνυμίας explico. Magis tamen inclinat sententia, ut κάρπασος & καρπήσιον differant, quæ passim Græci posteriores confundunt. Hic accedit & καρπασος pro lino longe aliud. Vetustiores κάρπασον, cujus succus venenum, semper distinguunt à carpesio, quod καρπήσιον vocatur in antiquissimo codice Pauli Æginetæ, alicubi etiam καρπήσιον. Inter remedia quæ calculos frangunt recenset καὶ φοῦ καὶ μῆον καὶ ἄσαρον καὶ καρπησία καὶ σαρξιφαγές. Ita ille quem dixi vetustissimus liber, pro καρπησία. Nam alibi καρπήσιον vocat cum Galeno & separat ab arnabo, quod est zarnab Avisenæ; simile tamen facit: Ἀρναβὼ τὸ ἀρωματιζόντων, παραπλήσιον κασίᾳ τε καὶ καρπησίῳ. At venenum appellat κάρπασον & καρπασίαν, quæ hodie non minus incompertæ cognitionis quam carpesium. De arnabo dicam infra.

CAPUT LXXXII.

De charuba.

JEmbut Arabibus duas res in totum genere differentes significat. ينبوت. Avisena sub hoc titulo siliquæ genus exposuit, quam vocat *alcharnub Alnabathi* الخرنوب النبطي. id est, siliquam Nabathæam. Arabes *charub* & *charnub* appellant, quam Latini *siliquam*, Græci κεράτιον. Qui fructus est arboris, quam alio nomine Græci recentiores ξυλόκοκκον & ξυλοκέρατον appellarunt. Unde Barbari suum *xylocaractæ* fecerunt. Non siliquam ipsam arboris, sed grana quæ in siliqua sunt, sic vocarunt; & hæc certi ponderis vicem usumque præbuerunt antiquis medicis, quod κεράτιον appellant posteriores

res ξυλόκερας. De quibus nos alibi. Hæc κεράτια in Evangelio accipienda, non de leguminum siliquis, ut plerique exponunt. Arabs interpres vertit خرنوب charnub. Quod non de alia potest intelligi siliqua. Nec enim Arabes aliam siliquam hoc nomine nuncupant præter arboream, de qua egit Avisena capite de *charnub*. Qui duo genera recenset, الشامي *Alscemi*, & النبطي *Alnabati*, Syriacam & Nabathæam. *Syriacarum siliquarum* mentio apud Plinium & Columellam aliosque veterum; quam siliquam Syriacam eam esse constat, quæ Avisenæ dicitur خرنوب شامي *charnub Scemi* vel *Xami*. Meminerunt & *Græcæ siliquæ*. Quæ siliqua est communis. Columella libro de arboribus, cap. XXV. *Siliquam Græcam, quam quidam κεράτιον vocant*. Avisena eodem capite meminit etiam *aliembut*, quam distinguere videtur à siliqua Nabathæa his verbis, ut interpres reddidit: *Et Nabathia confert fluxui sanguinis, & menstruorum superfluo comesta & supposita. Et aljembut est bona dolori ventris pungitivo & solutioni.* Prorsus aliam hic facit siliquam ab ea, quæ dicitur *aljembut* الينبوت. Atqui capite de *jembut* eam vocem interpretatur siliquam Nabathæam, *charnub Alnabathi*. Quo loco apud interpretem hæc verba leguntur, quæ non comparent in Arabico: *Gembut est rosabram, sicut quidam sapientes dixerunt. Verum major pars ex summa medicorum asserit, quod est alcharnub Nabathium.* Pro his in Arabica editione habetur tantum: *jembut est alcharnub Alnabathi*, siliqua Nabathæa. Quid illud sit *rosabram* nescio, nec apud Arabes invenio. In veteri indice Avisenæ sic lego: *Gambut rosa vineæ, & dicitur algarum, & secundum Almansorem est spina alba habens florem.* Certum est *gambut* ibi scribi pro *jambut*. Nam & *gembut* apud Carmonensem legitur pro *jembut*. Pro *algarum* fortè scripsit *alcharub*. Non video, quî convenire possit in hanc arborem, quod dicit esse rosam vineæ. Forte etiam in ipsa versione corruptum rosabram pro rosa vineæ. Vetus Herbarius Arabs in antiquo Dioscoridis exemplari κόνυζαν interpretatur ينبوت. Raphelengius in Lexico suo explicat viticis semen, & ericæ fructum. Quod alibi tamen non reperio. Quo loco subjicit verba Arabica, quæ significant arborem aliembut esse pabulum vel farraginem, quæ equis præbetur: شجرة الينبوت وهو قصيم فرس. Quod nescio unde sumpserit. Ex Almansore notavit veteris ad Avisenam indicis auctor, esse spinam albam. De hac Nabathæa siliqua intellexit, quam & Græci recentiores in suis lexicis medicinalibus λευκὴν absolutè nominant: λευκὴ ἡ κεράτια. Item: λευκῆς καρπὸς, ξυλοκέρατον. Videtur & Alpagus in expositione vocabulorum Arabicorum Avisenæ, *leucen* eam vocare his verbis: *Xylocaracte spinæ, id est, xylocaracte silvestre, quæ Arabicè dicitur carnub leuce, & reperitur Damasci.* Puto tamen scribendum: *quæ Arabicè dicitur carnub seuche*, خرنوب سوكي, id est, siliqua spinosa, vel ut barbarè vertit Alpagus, *xylocaracte spinæ*. Silvestris siliqua intelligenda, quæ spinas habet. Ex eo genere κεράτια sunt in Evangelio, quæ porci comedunt: ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. Mites autem ac dulces siliquæ ab hominibus comeduntur. Tales quæ Sy-

A riacæ propriè dictæ. Alpagus: *Siliqua de Syria est siliqua, quæ comeditur.* Arabicè خرنوب شامي *charnub Semi.* Hæc siliqua domestica. Silvestris vocatur, *charnub Nabathi* vel *charnub seuchi*, siliqua Nabathæa & spinosa. Ita eam describunt Arabes. Cubiti altitudine à terra surgere, spinosam esse, fructu oblongo & siliquato, siliquis falcatis, colore & seminibus, quæ intus sunt, domesticæ prorsus consimilibus. Quod λευκὴν & κερατίαν Græci Neoterici vocant, vereor ut de alio genere accipiendum sit. Ξυλοκέρατον interpretantur
B λευκῆς καρπόν. Neophytus in Lexico: τῆς ἀκακίας ὁ καρπὸς, ἀκάνθης κεράτια λέγεται. Spina est Ægyptia sive arbor spinosa, quæ fructum in siliquis quoque habet, ex qua acacia fiebat. Arabes eam vocant, القرظ, *alcarath* vel *alcarad*. Quod manifesto ex Græco κεράτιον depravatum esse liquet. Avisena acaciam, hoc est, اقاقيا succum interpretatur alcarath, id est, κερατίων, siliquarum nempe spinæ Ægyptiæ: Nam acaciæ
C succus exprimebatur ex fructu spinæ illius Ægyptiæ, quem & κεράτια vocari notat Neophytus. Quo nomine & siliquæ edulis fructus dicebatur Græcis. Eam acaciæ spinam Græci auctores in albam & nigram dividunt. Plinius scribit acaciam fieri in Ægypto alba nigraque arbore. Arborem ipsam vocat acaciæ spinam. Hæc alba est, quam Græci λευκὴν vocant & κερατίαν, quam & videntur confudisse veterum plerique cum silvestri siliqua, quam Arabes appellant *charnub seuchi*, & *char-*
D *nub Nabathi*. Quin & siliquam Syriacam edulem cum acaciæ spina eamdem fecerunt quidam ex veteribus magno errore. Isidorus: *Sililicon, quam Latini corruptè siliquam vocant. Hujus arboris pomo succus expressus acacia Græcis dicitur.* Vocem *sililicon* ætas illa corrupit ex Græco ξυλόγλυκον. Sic appellarunt siliquam Græci, quia quod in ea manditur, lignum est, ut disertè Plinius tradit. Et ridiculus Isidorus, qui *siliquam* ex illo *silicon* depravatum putat. Immo siliquam Latini vocarunt hujus ar-
E boris fructum, quia in siliquis est, ἔλοβος ὁ καρπός. Græci autem κεράτιον, quia corniculorum modo curvatæ aut etiam falcis illæ sunt siliquæ. Sed quod ait succum ex illis siliquis expressum ἀκακίαν Græcis dici, in eo manifestus est mendacii. In qua tamen etiam sententia deprehenditur vetus auctor Glossarii Latino-arabici. Is *sililicon* pariter cum Isidoro interpretatur Arabicè *charub*. Nec enim mendum est, ut putant viri doctissimi. *Sililicon*, خروب. ubi *sililicon* est ξυλόγλυκον Græcorum, &
F siliqua Latinorum. In eodem Glossario legitur eodem loco: *Acacia*, رب الخروب, *rob alcharub*, id est, succus siliquæ. Ubi vides acaciam exponi siliquæ ejus succum, quam Arabes vocant *charub* aut *charnub*. Quod omnino falsum est. Utriusque sanè arboris fructum κεράτια vocant Græci. Unde & Arabes acaciæ spinæ siliquam appellant قرظ *carath*, ex Græco κεράτιον. Utriusque etiam siliquæ succus stypticus ac præcipuè silvestris cha-
G rubæ, quæ & spinas etiam habet, haud secus atque acaciæ arbor. Spinam illam Arabes alio nomine vocarunt *jembut* vel *aliembut*, in hujus etiam nominis consortium admissâ pini sive piceæ arbore, ut supra ostendimus. Vide, quæ ibi notavimus.

CAPUT LXXXIII.

De ligno colubrino.

Ligni colubrini meminit Garcias, quod in insula Zeilan nascitur miræ adversus serpentes ac potentis efficaciæ. Genus illic viverræ reperiri scribit Basilisco inimicissimæ. *Quil* aut *Quirpele* vocari. Hæc cum Basilisco congressura, ligni colubrini radice præmorsa, & pedibus anterioribus saliva sua conspersis totum corpus sibi perfricat, & sic munita ad pugnam accedit. Odium mustelæ & Basilisci notum etiam veteribus fuit: ac traditum Plinio, & post eum Solino, huic tali monstro mustelarum virus exitio esse. Ideo inferciri cavernis, in quibus delitescit. Necare illas simul odore, ac mori. Duo ligni colubrini genera ibi describit Garcias; unum Persicæ mali foliis, alterum Punicæ. Duas etiam alias stirpes eodem nomine recenset Christophorus à Costa diversas ab his, quas prodidit Garcias, quas in Malalavar nasci dicit. At Geographus Nubiensis hac eadem appellatione ligni colubrini commemorat stirpem quamdam in Æthiopia nascentem, pari adversus serpentes potestate excellentem. Eam appellat Arabice عود الحية, *haud alhaïe*, id est, lignum colubrinum. Pyrethro similem tradit ligno contorto. In Arabico est,

A العاقرقرحا *albacararha*. Quo nomine Dioscoridis πύρεθρον interpretatur Herbarius Arabs, item Avisena. Vetus Glossarium Latino-arabicum pyrethrum Arabicè exponit تاغندست *tahendasath*. Dicæarchus in fragmento ἀνεκδότῳ de monte Pelio, radicem arboris ibi nascentem prædicat, quæ non solum medeatur serpentium morsibus, sed etiam odore solo abigit, & si qui adpropinquarint sopore alligat; qui vero eam attigerint, occidit. Eam ita describit: γίνεται δὲ ἐν αὐτῷ

B καὶ βοτάνη ἐν τοῖς χερσώδεσι μάλιστα χωρίοις, καὶ ῥίζα δένδρου ἥλις τῶν ὄφεων δήγματα ἰᾶται δοκεῖν ἔχειν δύναμιν· τοὺς μὲν ἐκ τῆς χώρας ἐν ᾗ πέφυκε τῇ ὀσμῇ μακρὰν ἀπελαύνει, τοὺς δὲ ἐγγίσαντας ἀγχεῖον κάρον καταχέασα, τοὺς δ' ἀψαμένους αὐτῆς ἀναιρεῖ τῇ ὀσμῇ, τοιαύτην τὴν δύναμιν τοῖς δ' ἀνθρώποις ἡδεῖα καταφαίνεται, τῇ δὲ φύσει μὲν γὰρ ἀνθοῦντος ὀσμῇ παραπλησία, τοὺς δὲ δηχθέντας ὑφ' ὁποτοῦν ὄφεως ἐν οἴνῳ δοθεῖσα ὑγιάζει. Nomen tam salutaris radicis non edit. Nec dubium, quin venire etiam possit ligni colubrini nuncupatione: ut proinde mirum non sit, si tam multis plantis idem nomen

C positum inveniamus ab effectu pari, quæ facie sunt adeo dispari.

CAPUT LXXXIV.

De aspalatho.

Ἀσπάλαθος Græcis genus spinæ vel spinosi fruticis, cujus duo genera, alterum sine odore, alterum odoratum. Heîc ergo & ὁμωνυμία locum habere videtur. Nisi quis censeat eamdem arbusculam alibi odore carere, alibi autem ligno suave flagranti esse. Quod dixisse quosdam, & nonnullos credidisse scio. De communi aspalatho Theocritus:

Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

Ubique igitur hic aspalathus nascitur inodorus: at qui odoratus est, certis tantum locis, quæ commemorat Dioscorides. Plinius lib. XXIV. cap. XIII. scribit aspalathum *nasci pluribus locis, sed non ubique odoratum.* Per hæc intelligit idem genus esse aspalathi, qui alibi odorem non habet, alibi præstat odoris suavitate. Confirmat hanc opinionem quod traditur à quibusdam Neotericis, qui acceptum id se referre dicunt Cypriis hominibus rei Herbariæ peritis, ex centum aspalathi plantis vix duas aut tres conspici, in quibus ille desideratus odor inveniatur. Sic eadem erit planta non nimium distantibus locis nascens, alia odorata, alia prorsus odore privata. Nonnihil & hanc sententiam adjuvat, quod Græci ajunt aspalathum vocari ἐρυσίσκηπτρον, idque interpretantur, cui arcus cælestis incubuerit. Addunt & fabulam, in quocunque frutice vel herba iris, qui cælestis est arcus, desuper curvetur, parem atque aspalathum referre inde odoris flagrantiam. In eodem itaque genere, quæ curvatum desuper habuerit & innixum cælestem arcum, eam aspalathi plantam miro halitu suaveolentiæ donari: cui non id contigerit nihil habere simile. His tamen opponimus Dioscoridis auctoritatem, qui non solum odore, sed etiam effigie discernit eas arbusculas. Odoratum aspalathum cortice dempto purpureum apparere aut subrutilum dicit: genus autem, è quo nihil spirat, album esse: Καὶ μετὰ τὸ ἀποφλοιῶσαι ὑπέρυθρος ἢ πορφυρίζων, πυκνός, εὐώδης, πικρίζων ἐν τῇ γεύσει. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος αὐτοῦ λευκόν, ξυλῶδες, ἄνοσμον. Proinde alia species, quæ nullum odorem exhibet, censenda. Videmus heîc candidam à Dioscoride tradi eam aspalathi plantam, quæ est inodora; subrubram autem aut purpuream sub cortice, speciem alteram odoriferam. At Plinius contra hæc lib. XII. inter exotica & odorata in oriente nascentia germina recenset aspalathi spinam candidam. Sic enim scri-

D bit cap. XXIIII. libro quo supra: *In eodem tractu aspalathos nascitur spina candida, magnitudini arboris modicæ, flore rosæ. Radix unguentis expetitur.* Et paulo post eodem capite de eodem aspalatho loquens, erysisceptrum etiam ait appellari, & probationem ejus esse in colore rufo vel igneo. Sic legenda ejus verba: *Quidam eum erysisceptrum vocant, alii sceptrum: probatio in colore rufo vel igneo, tactuque spisso & odore castorii.* Atqui hoc aspalathum, quod probatur colore rufo vel igneo, non idem cum candido. Nam candidum odoris expers; si adtestante Dioscoride: rufum vel igneum & tactu spissum

E cum primis flagrans. Sic duo diversa genera aspalathi confundit hoc loco Plinius, cujus hæc verba, *colore rufo vel igneo, tactuque spisso*, ex Græcis istis planè expressa sunt: ὑπέρυθρος ἢ πορφυρίζων, πυκνός. *Rufum* vertit ὑπέρυθρον: *igneum*, πορφυρίζοντα. Color purpuræ, præcipuè Tyriæ, igneus & acutus. Πυκνὸς Dioscoridis, *tactu spissus* est Plinio. Non ille quidem hæc à Dioscoride accepit; sed ab aliquo, unde & sua Dioscorides. De odore castorii nescio, à quo sumpserit. Nihil enim tale apud Dioscoridem. Sed & ipse pugnantia sibi de odore habet aspalathi. *Tradunt*, inquit,

F *in quocunque frutice curvetur arquus cælestis, eamdem, quæ sit aspalathi, suavitatem odoris existere; sed si in aspalatho, inenarrabilem quandam.* Ecce in aspalatho agnoscit inenarrabilem odoris suavitatem. Tribus post versibus eum probari demum asserit, qui odore sit castorei. Cæterum omnes tenent, quam non bonus sit nec suavis odor castorei. Quominus necesse habuero probare ingratissimum & vitiosum esse. Ipse Dioscorides βαρύοσμον, καὶ βρομῶδες affirmat castoreum, gravis odoris & virosi. Forte in Græco auctore, quem transtulit Plinius, fuerat ὀσμῇ κασσίζων. Quod ille καστορίζων audi-

G rit vel legerit. Sed nihil ausim affirmare. Non desunt hodie Viri doctissimi, qui sibi ostensum referunt verum aspalathum ex Cypro allatum, qui non obscure resipere castoreum. Fides sit penes auctorem. Tametsi hoc verum esset, non tamen Plinium excusatum præstaret, quin contraria scripserit eodem capite ac de eadem re, dum in aspalatho inenarrabilem quandam odoris suavitatem prædicat, & odorem castorei simul commendat. Nunquam hæc conciliabit, nisi qui virosum & suavem odorem eumdem esse probaverit.

Non

Non facilior erit conciliatio, qua ostendetur idem genus esse candidum & rufum aspalathum; quod ibidem Plinius vult. Miror & eam lectionem ibi constanter à libris retineri, quæ significationem eam habere non potest, quam ei tribuit Plinius. *Erysisceptron* vocatum aspalathum innuit, in quem incubuerit arcus cælestis, hoc est, iris. Dicendum esset ἰρισκηπτον εἰς ὃν ἡ ἶρις σκήψῃ. Omnes tamen libri *erysisceptron* habent hoc loco. Et in indice manu scripto libri primi, qui ad hunc locum referendus, ita scribitur: *Aspalathos sive erysisceptron.* In Græcis quoque Theophrasti, quæ in libro sunt de odoribus, mentio habetur ἐρυσισκήπτρȣ. Atque ita planè expressum hoc nomen: τὸ δ' ὅλως ȣ̓ μιγνύȣσιν ὥσπερ τὸ ἐρυσίσκηπτρον, ὑπὲρ ȣ̔ καὶ αἴτιως ἐλέχθη. De aspalatho Viri docti hanc vocem intelligunt, cujus supra meminit; sed ibi semper ἀσπάλαθον nominavit & quidem εὐώδη ad distinctionem ejus, quæ nullius est odoris. Τȣ́των δὲ συντηκώτερον τὸ Κύπειρον· σύφει δὲ καὶ ὁ ἀσπάλαθος ὁ εὐώδης. Et ita aliquot aliis locis ἀσπάλαθον vocat. Si hæc eadem arbor dicta ἐρυσίσκηπτρον, id nomen aliud est ab ἰρισκήπτῳ, nec idem significat. Scripsit quidem Theophrastus alibi ea odoratiora existere tam in herbis quam in arboribus, quibus desuper incubuerit iris, id est, arcus cælestis: καὶ γὰρ τὸ περὶ τὴν ἶριν λεγόμενον ὡς ὅπȣ ἂν κατέχῃ, περὶ τὰ δένδρα καὶ τὸν τόπον εὐώδη ποιȣ̃σιν ἐστίν. Hæc sunt quæ Græci vocant ἰρισκηπτα, εἰς ἃ ἐπισκήψῃ ἶρις. At ἐρυσίσκηπτρον aliud est. Nec obscurè auctor ille hoc indicat, à quo sua Plinius de aspalatho accepit: *Quidam eum erysisceptron vocant, alii sceptron.* Legebam quidem olim: *alii irisceptron.* Sed aliter omnes libri, qui vulgatam tuentur. Quidam aspalathum vocarunt σκῆπτρον nulla, ut apparet, iridis incumbentis notione. Unde autem σκῆπτρον cognominatum hoc genus fruticis, nisi quod ex eo baculi elegantes fierent? Nec spinæ, quibus abundat, ad eam rem obstant; immo magis juvant. Hodieque ex spina nigra facere amant, quos commendatiores habent ob nodorum frequentiam. Nec aliter olim mos fuit. Ex spina quippe factitatos baculos Theophrastus Historiæ lib. IV. cap. V. ἐν ἑτέροις δὲ τόποις ἐστὶν ἄκανθα λευκὴ τεῖοζ@, ἐξ ἧς καὶ σκυτάλια καὶ βακτηρίας ποιȣ̃σι. Apparet ergo & ex spina aspalathi fieri solitos, quam & propterea σκῆπτρον, & ἐρυσίσκηπτρον vocarunt, quod ex ea servarentur & in pretio haberentur baculi. Ἐρυσίσκηπτρον quoque apud Dioscoridem legitur: Ἀσπάλαθος, οἱ δὲ ἐρυσίσκηπτρον. Cyperum etiam sic cognominarunt haud secus atque aspalathum, ut idem asserit: Κύπερον, οἱ δὲ ἐρυσίσκηπτρον καλȣ̃σιν ὡς τὴν ἀσπάλαθον. Veteres omnes Grammatici κύπειρον Græcorum *siler* Latinè esse dicunt. Ex silere baculum gerebant rustici, teste Plinio, quia serpentes hunc fruticem aversantur & refugiunt. Utut sit, sanè non idem ἐρυσίσκηπτρον & ἰρίσκηπτον, quæ Plinius in aspalatho confudit, & nonnulli fortassean cum eo antiquorum. Ille quidem libro illo duodecimo aspalathum *sceptrum* & *erysisceptrum* vocatum contendit. At libro XXIV. ubi mentionem aspalathi reponit cum aliis generibus spinarum, quas ibi commemorat cap. XIII. *Sed & frutex humilior æquè spinosus, in Nisyriorum & Rhodiorum insulis, quem alii irisceptron, alii adipsatheon, Syri diaxyron vocant.* Ita enim libri eo loco legunt, *irisceptron* pro *irisceptøn* ἰρισκηπτον. Sed & ἰρισκηπτρον potest retineri, in quod iris icumbit. Index manuscriptus illius loci similiter habet *irisceptron.* Sic enim in eo legitur: *Aspalatho, sive irisceptro, sive adipyatheo, sive diaxyro.* Ita exhibet scriptum vetustissimus codex tria illa cognomina aspalathi. De irisceptro & diaxyro res certa est. Illud vero *adipyatheon* in incerto. Pro eo in textu exaratum est, *atipsiphoes.* In alio libro: *Adipsatheum.* Aliquid olim divinabam, de quo nunc ambigo. Διάθσον esse volebam, quod idem est cum διάξυρον. Dioscorides de hoc ipso aspalatho: Σύροι διάξυρον. Tertia appellatio aspalathi apud eumdem est φασγάνιον, & σφαγνόν. Alterutrum in Plinio reponendum arbitror: *alii irisceptron, alii phasganion, Syri diaxyron vocant.* Vel certè: *alii sphagnon.* Inde illa mendosorum nominum seges. Avisena quoque idem hoc cognomen agnoscit, ut paulò post ostendam. Διάξυρον autem vox Syra non est, sed Græca, ab acutis ac scindentibus novaculæ modo spinis. Melius itaque videretur legi: *Nisyrii diaxyron vocant.* Incolæ sunt insulæ Nisyri, apud quos [illegible] rimum aspalathum. In Syria etiam nasci tradit Dioscorides; quod tamen non agnoscit Avisena in verbis Dioscoridis, qui simpliciter ex eo refert aspalathum crescere in regione Nisyriorum & Rhodiorum. De quo infra. Plinius etiam hoc loco Rhodios & Nisyrios tantum nominat, apud quos nascitur hic spinosus frutex: *Sed & frutex humilior æquè spinosus in Nisyriorum & Rhodiorum insulis.* Cæterum quod mireris, Nisyriorum & Rhodiorum aspalathum distinguit ab orientali, quem in oriente provenire asserit. Sic enim scribit, ut nuper emendavimus in Exercitationibus: *Inter odores, & ad unguenta utuntur alia, aspalathum vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina silvestris in oriente, ut diximus, candida, magnitudine arboris justæ. Sed & frutex humilior æquè spinosus in Nisyriorum & Rhodiorum insulis.* Vides spinam aspalathum nomine in oriente nasci ad unguenta & odores usurpari tum solitum, magnitudine arboris justæ. Hanc facit candidam: Humilorem eâ fruticem & æque spinosum in Nisyro & Rhodo insulis nasci ait, rubentem & in purpuram vergentem cortice detracto. Sic duo omnino sunt Plinio aspalathi genera odorata, orientale & Rhodium, quod & Nisyriacum. Orientale candidum & instar habens arboris justæ. Nisyrium sive Rhodium humilius, rubens, aut in purpuram vergens cortice detracto. Contra verò apud Dioscoridem solus aspalathus Rhodiorum & Nisyriorum odoratus, idemque ὑπέρυθρ@ ἢ πορφυρίζων, hoc est, ut Plinius vertit ad verbum: *rubens & in purpuram vergens.* Idem tamen Plinius libro XII. cap. XXIV. Quem locum heic tangit, quo se dixisse meminit de spina hac orientali, postquam de cypro frutice memoravit, nascente in Ægypto & Judæa, itemque insula Cypro, statim subjicit: *in eodem tractu aspalathos nascitur spina candida.* Hæc ergo erit aspalathos Orientalis in Ægypto, Syria ac Cypro insula nascens, qui tractus orientis nomine intelliguntur veteribus. Radicem illius aspalathi unguentis experti ibidem dicit. Sanè & radicis aspalathi usum fuisse in medicina & ad unguenta, passim ex antiquis colligere est. Quia & ῥίζαν μέλαιναν apud Hippocratem de aspalathi radice exponit Galenus. In Theriaca Andromachi apud eumdem ῥίζης ἀσπαλάθȣ φλοιὸς capitur. Atqui ipsum illum candidum aspalathum Plinius ait probari colore rufo vel igneo. *Probatio,* inquit, *in colore rufo vel igneo, tactuque spisso.* Quæ conveniunt in alterum genus aspalathi Nisyriorum & Rhodiorum, cujus color rubens vel in purpuram vergens. Nam ut supra dicebam, color rufus & igneus, quem tribuit orientali & candido aspalatho libro duodecimo, planè respondet colori rubenti & in purpuram vergenti, quem proprium facit aspalathi Rhodiorum libro vigesimo quarto. Ex his statuendum est, Plinium alio quidem loco utrumque aspalathum confudisse candidum & rubentem, alibi autem discrevisse; sed utrumque tamen odoratum constituisse. Quod enim eo loco dicit, nasci pluribus locis, sed non ubique odoratum, sic accipiendum est, quasi voluerit unum idemque genus aspalathi alibi odoratum, alibi odoris expers inveniri: odoratum autem eum solum existere, super quem arcus cælestis incubuerit. Unde illi nomen ἰρισκηπτον, quasi *baculum iridis*; vel ἰρισκηπτον, in quem iris incubuerit. Cui opinioni consentaneum est, quod hodie Cyprii prædicant, apud quos nascitur aspalathus, ex ducentis plantis vix duas aut tres reperiri, quæ odore censeantur. Ad Plinium quod attinet, certum est ex pluribus eum auctoribus aspalathi historiam comparasse, & ea re factum, ut incertam admodum ac confusam tradiderit, dum quod auctores dixere, non distinguit; & modo de uno, modò de altero id genere dictum putat. Candidus aspalathus libro duodecimo apud eum probatur colore rufo & igneo, ὑπερύθρῳ καὶ φλογίνῳ, vel ξανθῷ καὶ φλογίνῳ. At libro vigesimo quarto alius est aspalathus candidus ab eo, qui rubet vel in purpuram vergit dempto cortice. Atqui omnino idem ille aspalathus, qui colore rufo & igneo censetur, & cui color est rubens & in purpuram vergens.

Candidus præterea aſpalathus Plinio, idemque in Oriente naſcens & odoratus. At Dioſcoridi hic aſpalathus communis & odore carens, ubique proveniens: ἔστι ἕτερον εἶδος αὐτῆς λευκὸν, ξυλῶδες, ἄνοσμον. Plinius Orientalem hunc facit aſpalathum, & odoris inenarrabilis. Qui rubet & in purpuram vergit, Dioſcoridi naſci traditur, ἐν Ἴστρῳ καὶ Νισύρῳ καὶ Συρίᾳ, καὶ Ῥόδῳ. Si vera illa ſcriptura, quæ & Συρίᾳ præfert, unus idemque fuerit Orientalis aſpalathus & Niſyriorum Rhodiorumque, quod affirmat Plinius libro quarto & vigeſimo: ubi perperam id genus aſpalathi, quod in Oriente naſcitur, candidum facit, cum ſit rubrum, nec differat à Rhodio vel Niſyrio. Nunc reſtat, ut traditiones recentium de aſpalatho excutiamus & cum antiquis comparemus. Hodie per Græciam nota eſt ſilveſtris ſpina hoc eodem aſpalathi nomine, ex quo ſæpes conficiuntur. Quinimmo & integræ ſilvæ hoc conſtare frutice dicuntur. Materies candida, dura, & gravis. Mediale nigreſcit. Flores habet luteos, geniſtæ ſimiles, ex quibus ſiliquæ oriuntur parvæ, tria aut quatuor ſemina continentes. Totus frutex ſpinis inhorreſcit. Lignum prorſus inodorum. Ita deſcribit Bellus Honorius. Nec dubium, quin ſit ipſiſſimum genus aſpalathi Dioſcoridis alterum, quod & vulgare, ac ſine odore, ubique naſcens. De quo Theocritus: Ἀσπάλαθοι ἐάμνοι τε. Matthiolus hanc ſpeciem aſpalathi in Græcia frequentem pro acacia altera Dioſcoridis accepit. Falſus itaque Plinius, cui aſpalathus odoratus idem & candidus. Ἀσπάλαθον, ut dixi, hodieque Græcorum vulgus appellat eam ſpinam candidam paſſim naſcentem, & texendis ſæpibus idoneam. *Silveſtrem ſpinam* Plinius vocat, quia ubique ac ſponte naſcitur. Tenemus inodoram aſpalathi ſpinam. Jam quærendum de odorata. Dioſcorides detracto cortice rubere eam dicit, aut in purpuram vergere. Hac coloris nota diſcernit ab ea, quæ nullius eſt odoris, quod candida ſit. Super hac aſpalatho aromatica non parva eſt inter herbarios dividia. Plerique lignum Rhodium eſſe putant, ex quo hodie detornantur ſphærulæ dicendis ad numerum precibus. Ex hoc numero Ruellius, qui Rhodienſem arbuſculam aſpalathum eſſe veterum exiſtimarunt. Eum Scaliger Julius rectè reprehendit; qui tamen ipſe non caret errore, dum ex nomine, quo illum fruticem vocant hoc tempore Rhodii, verum eſſe agallochum argumentatur. Sane verum eſt hodie à Rhodiis ξυλάλαν vocari lignum illud, ex quo gobuli preculares fiunt. Etiam conſtat Græciæ vulgus hac ætate ξυλάλαν appellare, quæ antiquioribus Græcis ξυλαλόη fuit; antiquiſſimis vero ἀγάλλοχον. Longe tamen abeſt ab agallochi notione ac cenſu arbuſcula illa, quam Rhodii xylalam nuncupant. Verba Scaligeri hæc ſunt Exercitatione CXLII. cap. VI. *Rhodii lignum illud, ex quo ſphærulas faciunt, etiam nunc xylala vocant. Arabes haod. Ejus ſpecies multas agnovit Aboali.* Vides hoc velle, ut xylala Rhodiorum ſit unum ex generibus ejus ligni, quod Arabes appellant *haod* vel *haud*. عود. Atqui agallochum Arabes ſic nominant, à quo palam eſt toto genere diſtare lignum Rhodiacum. Sed nec aſpalathus, omnibus notis, quas aſpalatho priſci aſſignarunt, id reſpuentibus. Lignum Rhodienſe odoris expers, aliud nigrum ſub cortice, partim vero ex nigro & flavo venas habet temperatas. Spinis arbor aut paucis, aut omnino nullis aſperatur. Mirum porro, quanta ſit inter doctos herbariæ rei ſuper hoc ipſo frutice Rhodienſi controverſia. Anguillara quaſi pro certo refert ex teſtimonio Conſtantini cujuſdam Rhodii in Creta inſula pigmentariam exercentis, fruticem in Rhodiorum inſula naſci, ſpinoſum, foliis oleæ ſimilibus, ſed minoribus, flore candido, & flagrantiſſimo, ligni cortice albo aut rubente. Reperiri hujuſmodi arbuſculas, quæ lignum habeant dempto cortice rufum; & quo magis ſeneſcat arbor, eo magis colore illo imbui ac veluti ſaturari. Non aliud porro in tota ea inſula lignum extare, quod odoris ſit boni, præter hoc, de quo & Sultani Turciæ odoramenta ſuaviſſima conficienda curare ſoliti ſint. Si ve-

A rum ille diceret, nullum jam amplius dubium reſtaret, quin aſpalathum antiquorum ex Rhodo deberemus habere. Alii fabulam eſſe contendunt, quidquid Anguillaræ retulit de ligno ille Rhodiaco ille Pigmentarius Cretenſis. Nullum quippe in ea inſula lignum oſtendi præter illud, ex quo ſolent torno fieri baccæ precum ſupputatoriæ, ad unguenta nullius uſûs aut ſuffimenta. De forma etiam non conſentiunt. Matthiolus *olivaſtellum* à Rhodiis vocari tradit, & ex olearum genere eſſe; quin immo & olivas ferre. Alii contra ſiliquas falcatas edere pertendunt, in quibus B Honorius Bellus, qui legitimum veterum cytiſum eſſe vult Rhodienſem illum fruticem; cui & plane accedo. Flores croceos eum ferre perhibet in extremis frondibus, è quibus emergunt ſiliquæ falcatæ, ſicut Maranthæ cytiſo, ſemine eodem quo & cytiſi, foliis ternis ſimul conjunctis. Hic Theophraſti cytiſus, cui medulla ligni nigra, & proximè ad ebenum accedens. Spinas habere negat idem Honorius, alii paucas admodum habere ferunt. Cum veteres tam conſtanter adteſtentur, aſpalathum in Rhodo inſu- C la naſci: nulla autem hodie arbor ibi reperiatur, quæ aſpalathum ullo argumento referat præter hunc fruticem, qui tamen non ſatis convenit; non alienum fortaſſe fuerit ſtatuere hoc lignum, quod Rhodii etiamnunc *xylaloën* appellant exotici & odorati ligni nomine, cognitum fuiſſe veteribus, & pro aſpalathi genere acceptum. Vulgaris ſpina, quæ aſpalathos hodieque per Græciam univerſam nomen habet, ſiliquas fert, & folia terna ſimul juncta. Videntur & hac eadem appellatione donaſſe illam Rhodi peculiarem arbuſculam, quæ & ipſa ſiliquas edit, & folia terna, licet aſpalatho vulgari diſſimilia. Nam aſpalathos vulgaris habet rutæ ſimilia: xylaloë Rhodienſis D oleæ, ut multi confirmant. Sed ne veterum diſcordiam circa aſpalathum mireris, non minorem Neotericorum diſſenſum circa Rhodiam arborem ſpectare licet. Matthiolus in Apologia adverſus Amatum Luſitanum oleaſtri Rhodienſis (ſic enim vocat) hiſtoriam ad ſe perſcriptam à Rhodiis ex Melita inſula refert, quæ folia ei tribuit oleaſtri æmula, flores candidos, baccas nigras. At Honorius Bellus ramos & truncos hujus arbuſculæ è Rhodo ipſa ſe accepiſſe teſtatur, qui flores croceos, & ſiliquas falcatas eam edere dicit, & nihil habere oleæ ſimile. Quis credat, de una eademque arbore utrumque dicere, aut non alterum E deceptum fuiſſe? Alterutrum neceſſe eſt. In cæteris conſentiunt, brachiali eſſe truncum craſſitudine, arborem ipſam ſuperare hominis proceritatem. E ligno fieri enſium manubria Turcis, & Calogeris calculos precum, torno exactos. Vidimus ſæpe ex illa materia precatorias ſphærulas ab una parte nigras, ab altera luteas. Non ſolum in Rhodo naſci ajunt, ſed in inſulis Rhodo vicinis. Dioſcorides duas tantum inſulas nominat, in quibus provenit Niſyron & Rhodon: θάμνος ἐστὶ ξυλώδης ἀκάνθαις πολλαῖς κεχρημένος, γεννώμενος ἐν Νισύρῳ καὶ Ῥόδῳ. Quod enim vulgò legitur apud eum, ἐν Ἴστρῳ καὶ Νισύρῳ καὶ Συρίᾳ καὶ Ῥόδῳ, ſatis mihi conſtat, F verba illa ἐν Ἴστρῳ & ἐν Συρίᾳ variantes eſſe lectiones, vitio natas ex germana ſcriptura ἐν Νισύρῳ. Plinius quippe Niſyriorum & Rhodiorum meminit tantum, apud quos naſcatur hic humilior frutex; quem ſeparat ab Orientis aſpalatho, cui formam dat juſtæ arboris. Aviſena quoque, qui ex Dioſcoride id habet, has duas regiones ſolas recenſet. *Et naſcitur*, inquit, *in regionibus appellatis Niſuron & Rhodia.* Hæc deſunt in vulgatis. Corruptè apud eum ſcribitur اجعورن pro ناصورن *Naſuron*, vel نصورن. Notabis interim, G illum aſpalathum Niſyrium & Rhodium à Dioſcoride θάμνον vocari. Et hæc cauſa eſt, cur fruticem humiliorem indigetet Plinius, & diverſum faciat ab Orientis aſpalatho, quem in juſtam arborem aſſurgere ſcribit. Rhodia xylaloë hominis altitudinem excedit, & truncum habet brachiali craſſitudine; cortice quoque tenus candicat. Plinii ſimiliter Orientalis aſpalathus candida eſt. Fatendum tamen eſt, nec cum Plinii aſpalatho, nec cum Dioſcoridis, convenire Rhodiam xylaloën.

xylaloën. Immo nec ipsi inter se conveniunt, nec Plinius sibi constat; & difficile est statuere, utri magis sit credendum. Nam & Dioscoridem sæpe falli scio, & Plinium ferè semper: quem tamen non dubito heîc suos auctores habuisse de orientali aspalatho, quem non novit Dioscorides; quippe qui Rhodium duntaxat & Nisyrium agnoscat. Quod ante dicebamus, heîc etiam confirmamus, non videri mihi alium esse quærendum nunc in Rhodo insula aspalathum præter eum, quem vocant Rhodii xylaloën. Aut enim dicendum mentitos esse veteres de Rhodio aspalatho, aut interisse hanc speciem, aut nomine aspalathi nuncupasse antiquos eam ipsam arbusculam, quæ etiamnunc apud Rhodios *xylaloës* appellatione frequentatur. In promptu quidem est, non respondere notas aspalathi Dioscoridei hodiernæ Rhodiorum xylalæ; sed nullus hodie in Rhodo aspalathus, si xylala non est. *Xylaloë* nomen ligni odorati. Cum hoc nomine Rhodii nunc appellant lignum illud apud se nascens, ex quo fiunt grana precibus computandis; non alienum est existimare, & eosdem olim Rhodios hoc idem lignum vocasse *aspalathum* propter eam similitudinem, quam habet cum vulgari spina aspalatho vocata. Profecto non magis impropriè loquatur, qui lignum id genus *aspalathum* dixerit, quam qui *xylaloën*, ut hodie nominant. Dioscorides, qui noverat ita à Rhodiis appellari arbusculam insulæ suæ peculiarem, non quæsivit, an responderet descriptioni quam instituebat. Hoc illi in aliis solemne est, ut cum cyprum & ligustrum eadem descriptione involvit; & alia pleraque, quæ in his libris passim notavimus.

Scaliger Julius postquam ex nominis vi, quod nunc habet apud Rhodios, asseruit lignum illud Rhodiense esse agallochi vel xylaloës speciem, cujus plura genera persequutus est Avisena, addit videndum esse, an idem sit apud eumdem *melguah*. Immo jam visum est non esse. Avisenæ interpreti *melguah* dicitur, quod in Arabico est ملواح *meluah*, & ita describit: *Meluah est medicamentum Syriacum illic notum hoc nomine. Est autem lignum maculis variatum, nodosum, colore ad nigredinem quadamtenus vergente.* In Syria nullum agallochum. Decepit fortasse Scaligerum Interpretis error, aut potius librarii vitium scribentis: *Et medicina de Sceni.* Quod ille de Sinis accepit ac de agallocho Indico, vel Sinensi est interpretatus. Scripsisse manifestum est aut scribere voluisse *de Scemi*, id est, de Syria. Nam in Arabico legitur دوا شامي, *medicamentum Sciami*, id est, Syriacum. Idem, ut videtur, error imposuit auctori Pandectarum, qui ita habet: *Meluguat est quoddam lignum in India inventum, punctatum nodis, declive ad nigredinem parumper.* Avisenæ *meluah* intelligit, sed Indicum fecit, quia *Semi* pro *Sini* accepit.

Alia est Cardani de aspalatho sententia censentis esse santalum Arabum. *Aspalathus*, inquit, *arbor odorata, quam nostri, ut reor, santalum appellant.* Sed jam explosa hæc opinio, quæ nonnullos habuit præter Cardanum auctores. De santalo docuimus in Exercitationibus errare, qui incognitum putarunt veteribus. Σαντάλινα ξύλα Auctoris Peripli, qui æqualis Plinio fuit, sunt σάνταλα. Sed ibi scribitur σαγαλίνων ξύλων, quod est σαταλίνων pro σανταλίνων. Nihil verius. Aspalathum non miror fuisse, qui santalum exstimarint; quandoquidem non defuerunt, qui agallochum & aspalathum idem habuerint. Ecce enim rursus, qui agallochum cum sandalo confuderunt. Rabbi David in libro Radicum & Rabbi Himmanuel אהלות *ahaloth* Bibliorum, quod *xylaloën* vel *agallochum* apud alios interpretes significat, ipsi de sandalo interpretati sunt. Arabicè vocatur صندل *sandal*. Dicebatur & *sandan*, ut dici ex Lexico Græco-arabico: Σαντὰν ἢ σανδάλ. *Lam* & *nun* non solum apud Arabes, sed etiam apud

A Chaldæos sæpenumero invicem permutantur. Iidem Arabes castal dixere قصطل Græcorum Κάστανον. Garcias ab Orta in insula Timor, ubi plurimum provenit candidum ac citrinum: item in Maluca & omnibus provinciis vicinis, *chandama* dicit appellari; hoc est, *sandama*; ut *Chinas* iidem Lusitani vocant, qui *Sinæ* sunt. Ex illo *sandama*, ut *mem* & *nun* etiam permutantur, Arabicum *sandan* & *sandal*. Vetustior tamen pronuntiatio *sandal*, ut argumento sunt Σαντάλινα ξύλα antiqui scriptoris. Mutatio hæc tamen frequens litterarum L & N. Nam & ἔβελον quidam dixere pro ἐβένω. Suidas: Ἔβενος, τὸ μέλαν

B ξύλον, καὶ ἔβελος ὁμοίως. Certè & ἐβελίνας φάλαγγας legi in antiquo scripto Græco de vita Alexandri. Arabicum est ابنوس. Sed ex Græco ἔβενος, ut terminatio ostendit. Illud ab Hebraico הבן, cujus plurale הובנים apud Ezechielem. Sed hæc alibi. Ut ad santala revertamur, tria ejus genera celebrantur, album, citrinum, & rubrum. Hæc τρία σάνταλα Græcorum recentiorum. Non audio nostros, qui pallidum pro citrino substituunt. Mallem dicerent flavum aut luteum. Græci quoque κιτρινον vocant,

C quod Arabibus اصفر ἀσφαρ. Rubrum interdum ὀξὺ appellant, ut quod Constantinum Asyncritum in Viatico σάνταλον ὀξὺ καὶ λευκὸν: interdum & ἐρυθρὸν, id est, russeum. Pallidi autem & albi distinctio, quomodo vocant nostri medici, dum Latinitatis videri volunt observantiores, non parum turbare potest. *Album* & *pallidum* nominant, quod Græcis λευκὸν καὶ κίτρινον. Atqui *pallidum* verius dici debeat, quod ipsi *album* indigetant; alterum verò luteum vel citrinum, quod pallidum esse volunt. Nul-

D lum verò candidum santalum, sed ex duobus generibus citrinis alterum pallidius, & vergens ad albedinem. Hoc propriè pallidum in quocunque colore, quod nempe dilutius est. Alterum igitur santali genus citrinum est vel luteum, alterum ex luteo pallidum. Istud est, quod vulgò album vocatur. Avisena de tribus generibus santali ita scribit, quæ verba desunt vulgò in Latina versione: *Sandalum, lignum est crassum, quod adfertur ex finibus regionis Sinarum. Est autem trium generum, citrinum, & rubrum, & citrinum alterum ad albedinem declinans. Nominant istud quidam macassari. Huic odor præstantior, quam*

E *aliis duobus generibus memoratis.* Genus hoc santali citrini albo temperati *pallidum* Latini propriè loquendo dicerent. Non tamen hoc pallidum appellant medici nostri; sed alterum, quod meracè citrinum est. Clusius in versione Garciæ: *Tria sunt sandali genera, rubrum, album, pallidum, quod citrinum officinæ vocant.* Et ita semper toto capite. Rectè quidem officinæ, non rectè Clusius. In verbis Garciæ hæc notanda apud eumdem Clusium: *Antiquiores Græci santalorum non meminerunt, sed Arabes duntaxat. Quid verò sibi velint machazari & mahazari*

F *vocabula, quibus pallidum santalum nuncupari quidam volunt; prorsus ignoro.* Revera pallidum santalum, hoc est, ex luteo pallescens Avisena tradit vocari *macassari*; sed non eo sensu, quo pallidum apud Garciam intellexit Clusius, qui pro croceo vel luteo colore id nomen usurpavit. Idem Clusius ex Garcia primum locum inter santala obtinere dicit, quod pallidum est; idque odoratius esse, sed rarius inveniri. *Pallidum* ille pro croceo vel luteo posuit. Avisena è contra, quod verè pallidum est & albo dilutum, odoris vehementioris esse asserit, & macassari tradit

G appellatum. Matthiolus quoque sic loquitur commentariis in Dioscoridem, de santali generibus loquens: *præfertur pallidum, secundum locum habet album, postremo rubrum, quod nullo commendatur odore.* De prælatione non constat inter Arabes ipsos. Hoc unum affirmat Avisena pallidius santalum, quod vulgò album vocitatur, odoratius esse cæteris generibus. De præstantia in medio relinquit, quia alii aliud præferunt. *Galenus*, inquit, *& Aben Mesuia dicunt, rubrum fortius est. Nonnulli perhibent citrinum vehe-*

vehementius esse. Alii contra affirmant, quod santalum macassari dictum præstantius sit ac validius. Hæc verba Avisenæ, qui auctoritate Galeni nititur & filii Mesuæ, ut primatum adstruat. Quod mirum. Nam in scriptis Galeni, quæ hodie extant, nulla occurrit santali mentio. Sed ita mos Arabibus Galeno plerumque tribuere, quæ sunt recentiorum Græcorum. Eadem porro varietas sententiarum apud Serapionem, ex generibus santalorum utrum antistet, aliis aliud magis probantibus. Citrinum pingue quidam præferunt, & deinde citrinum siccum, tertio loco rubrum, ultimo album, quod ab aliis creditur cæteris præstare. Rubrum frigidius esse albo ibidem traditur. Ex Galeni & Aben Mesuiæ opinione id etiam interpretari possumus majorum esse virium. Cum enim santalum in tertio frigidum statuunt, quod frigidius, hoc etiam validius. اقوي. Hoc verbo utitur Avisena, quod majorem virtutem & vim habere denotat. At de albo sive citrino pallido dicit, ex quorumdam judicio non solum esse اقوي, sed etiam اجود, melius & præstantius. Odore certè cæteris anteire idem asseverat. Hoc *macassari* vocari ait: المقاصري. Monachi commentatores in Mesue explicant *odoriferum*. Ex re hauserunt hanc expositionem, quæ non est in verbo. Santalum machassari odoratius cæteris, ergo macassari idem quod odoratum. Hoc illi sequuti sunt, quod non procedit. Garcias vellet dici *machasari*, quasi ex Malaca petitum. Nimis hoc longè petitum, nec scopum petit. Nec propius accedit, quod legendum autumat *mazafrani*, ut sit colore croceo infectum. Ridiculus homo est. Non ita appellarunt Arabes santalum croceum vel luteum, sed album. Verisimilior est Scaligeri sententia, qui à loco denominatum censet, non tamen verior. Nullum sic locum memini dictum. Deinde apertè colligas ex Avisena, non à loco nomen habere. Santalum omne ex regione Sinarum adferri prodit: In tria genera coloribus distincta id dividit, luteum, rubrum, & aliud luteum, quod pallidius est, in album inclinans. Hoc tertium genus est, quod *macassari* penes quosdam nomen invenisse ait. Non à patria sic nominatum omnino innuit. In his quæ à solo natali appellationes nanciscuntur, solet dicere frequentius, ita esse, quam ita vocari. Nempe sic dixisset santalum aliud esse *Sini*, hoc est, ex Sinarum regione, aliud esse *Macassari*, ex loco cui tale nomen. Sic de agallocho, cujus plura genera enumerat, aliud esse *Alsini* memorat, aliud *Alhendi*, aliud *Almundeli*, aliud *Alcumeri*, & adhunc modum in aliis. Eo tamen capite de Indico agallocho dicit, id vocari *Alhendi*, id est, Indicum. Sed heîc vix locum id habeat. Præterea eodem loco nascitur citrinum & album sandalum. Frustra igitur alterum discrevisset è patria petito cognomine. Scriptum etiam reliquit Garcias, tantam esse inter albi ac citrini santali arbores affinitatem, ut soli incolæ distinguere queant, qui cæsas eas institoribus vendunt. Si *macassari* dictum est album Santalum nomine regionis, ubi nascitur; ex æquo competit hæc appellatio & citrino, quod in eadem silva, nedum regione, crescit. Rubrum sandalum India intra Gangem fert, album & citrinum insula Timot edit & regiones Indiæ ultra Gangen sitæ. Alia igitur quærenda nominis *macassari* sandalo albo tributi significatio. قصر deficere significat, minorari, minus fieri. Unde قاصر minor, deficiens, defectus. Dicitur & قاصري pro eodem, & قسري violentus, à قسر quod est vim inferre. Ex duobus itaque santali generibus citrinis alterum, quod dilutioris erat coloris, dixerunt *asphar macassari*, hoc est, citrinum deficiens & pallescens, & absolute *macassari*. Talis color est morientium ac deficientium. Sic mulierculæ nostrates cæ-

A ruleum dilutum vocant *blavum moriens*. Græci μήλινον ἔκλυτον, & μήλινον ἀχρέστερον vocarunt colorem illum citrinum pallidiorem. De santalo albo, hoc est, citrino pallidiore, & citrino meraco haud scio, an ea nunc habeamus. Immo nos non habere facile indicium est. Scribit Garcias, vix deferri in Lusitaniam legitimum citrinum, quia pluris apud ipsos Indos æstimatur, quam quanti dari possit in Lusitania. Hinc colligas licet, vero citrino sandalo nostros Medicos carere. Nec album puto haberi, quod esse citrinum pallescens Avisena definit. Odoratissimum hoc genus esse idem perhibet. At sandalum album, quod ad nos in-
B vehitur planè inodorum; sed nec rubrum putem in hunc orbem inferri. Garcias santalum rubrum, & Brasilium lignum, quod Arabes vocant *albacam*, hôc inter se differre dicit, quod santalum rubrum nec dulce sit, nec inficiat; qua gemina dote censeatur Brasilium. Nostrum porro santalum rubrum utrumque habet, & dulce est, & rubro colore inficit. Brasilium igitur potius quam santalum. Haud mirum proinde videri debet, si facultates, quas tribus santali generibus Arabes donant, non eas in santalis huic orbi cognitis deprehendunt medici nostrates. Exotici ligni genera sunt, quæ pro santalo nobis hodie obtruduntur. Geographus Nubiensis santalum etiam in Comari insula nasci
C scribit, in qua & agallochum provenit appellatum *Cumericum*, *Alcumeri*. القمري. Quo nomine etiam posset vocari santalum ibi crescens. Timot insula, ubi santalum album & citrinum abundat, puto eam esse quæ *Saimot* vocatur Geographo Nubiensi. Sed hæc alibi. Ex his quæ de santalo exequuti sumus, cuivis non penitus liquere ac lucere arbitror, aspalathum non esse santalum. Arabes non majorem ejus habent notitiam quam nostri. *Darsisaan* vocant, sed hoc ipsum quærunt quid sit, & alii aliud esse volunt. Avisena sub nomine *darsisaan*, Dioscoridis ἀσπάλαθον describit, ut &
D & Serapio. In Arabicis Avisenæ scribitur hæc vox دارشيغان, hoc est, *darxixgan* cum *gain*: sed apud omnes interpretes Græcos Latinosque *darsisaan* vel *darsisahan* reperio, & Græce Δαρσισαὰν, quasi legerint in Arabico دارشيشعان. Garcias lib. 1. de aromatis capite de Canella, *darsisahan* recenset inter cognomina cinnamomi, & more suo solens nugatur. Decepit eum Pandectarius, qui *darsanum* ex Stephano refert pro *Darsini*. Ita enim ille: *Darsanum scribit Stephanus pro Darseni; & idem sunt.* Apud eumdem tamen *darsisahan* vel *mahat* arbor grana-
E ti silvestris, quam Dioscorides aspalathum vocavit. Sic omnes scribunt *darsisahan*. Scaliger Josephus vocem Arabicam in Notis ad Garciam interpretatur, *lignum ex Sisgan*, ut regio sit sic appellata. Quod ratione non careret, si quidem scriberetur دارشيشعاني *Darsisahani*, lignum *Sisahanicum* aut *Sisganicum*, ut *Darsini* دارصيني lignum Sinicum. Hic enim est typus Arabicus πατρικῶν. Præterea nullam regionem hoc nomine novi vo-
F catam. Postremo non magis necesse est *darsisahan* ex regione nomen ducere, quam *darfulful*, qnod lignum piperis sonat. Piper longum sic vocarunt. Puto ex tribus compositum vocabulum, ex دار quod lignum significat, & شي quod rem aliquam notat, & شعن quod est copiose producere, fertilem esse. Unde participium شعان fertilis, copiosus, abundans. Fortasse à multitudi-
G ne virgultorum & frondium sic appellata hæc arbos. Dioscorides de aspalatho: θάμνος ξυλώδης. Sed hoc pro vero non vendito. Undeunde nomen invenerit, Arabes Græcorum ἀσπάλαθον ita nuncuparunt. Nihil tamen certi de eo afferunt. Ubi à Græcis discessere, somnia sua narrant. Avisena initio capitis Dioscoridem nominatim citat, quo teste refert vocari à qui

quibusdam فاشاطن *phasaten*. Sed manifestò corruptum est pro فاشغنون *phasganon*. Dioscorides: οἱ δὲ φάσγανον καλοῦσι. Addit Avisena vocari etiam nonnullis: السمر كاسيون. Et hoc nomen inquinatissimum esse patet, quod potest reformari in اسفالاثون *asphalathon*, vel اسفاليون, *asphalion*. Sic enim hoc vocabulum corruptè enuntiarunt Arabes, extritâ unâ de medio litterâ, ut *petroselion* pro *petroselinon*, *tunia* pro *tunica*, & alia sexcenta. *Asphalium* quoque pro aspalathum legit apud Arabes Pandectarius. Sequens nomen etiam ex Græco detortum, sed aquè contaminatum, باكسبين *bacasbin*. Quod nihil est. Tria illa cognomina, quibus vocatum dicit *darsisahan*, Græca esse apparet & ex Dioscoride sumpta, quem ad hoc auctorem laudat. Διάξυρον aut ἐρυσίσκηπτρον sub illo vitio latere oportet. Sed illud potius. Legendum igitur paucis mutatis, دياكسيرون, *diaxiron*. Postquam commemoravit Græca cognomina aspalathi è Dioscoride accepta, adjicit Persas id lignum appellare *darsisahan*. Vox igitur hæc Persica, & frustra in Arabismo origo ejus ac significatio quæratur. Inde etiam constat, nomen hoc aliunde esse quam à patria ductum, sed proprium hujus ligni esse vocabulum, quo eum Persæ nuncupabant. Ut magis etiam me incessat admiratio, Avisenam, qui Persa fuit oriundus, nescisse quid esset, aut non aperuisse, quod super eo sciret. Ignorantiam dubitatio ejus fatetur, ubi dicit, tradi à quibusdam radicem esse spicæ Indicæ, id est, nardi, sed non affirmari. Profectò si darsisahan radix est spinæ Indicæ, certè non potest esse Græcorum aspalathus. De illo tamen tradit, quæcumque Græci de aspalatho tradiderunt. Sed & de ejus facultatibus, etsi cum Græcis paria dicit, ea per partes magis explicat. Nam corticem δριμὺ esse ait, florem calidum, lignum στυπτικὸν & αὐστηρόν. Græci nihil de floris aut corticis facultatibus prodidere. Nam quidquid de eo dicunt, de ligno dictum accipiendum. Ex dissimilibus virtutibus compositum asserunt, δριμέων τε καὶ στυπτικῶν. Et partibus quidem his, quæ acutæ sunt, calefacere; austeris adstringere. Utrisque deficcare. In uno ligno hæc partium dissimilitudo. Certè de ligno solo hæc accepit Avisena, qui easdem illi assignat facultates τῆς δριμύτητος καὶ στύψεως. Postquam enim dixit corticem esse acutum, florem calidum; de ligno tradit, esse dissimilium facultatum, compositum nempe ex acutis & adstringentibus. Quod de aspalatho in genere Græci pronuntiarunt. Dioscorides: δύναμιν ἔχει θερμαντικὴν μετὰ στύψεως. Paulus cum Aëtio: Ἀσπάλαθος ἀνομοιομερὴς ἐστι τὴν δύναμιν, δριμὺς τε καὶ στυπτικὸς ὑπάρχων. Quod de ligno memorat Avisena, cui hanc utramque dat facultatem. De cortice autem ait esse duntaxat acutum, حريف. Græci δριμὺ appellant. Quæ talia sunt, etiam calida censentur. Florem verò propriè calidum adstruit. حار. Lignum partim acutum facit, id est, calidum; partim adstringens, & proinde frigiditatis etiam particeps, ut disertè tradit idem Avisena. Atqui apud antiquos corticis tantum usus fuit, & quidem radicis, tam ad unguenta quam ad medelas. Ῥίζης φλοιὸς ingreditur in compositionem Theriacæ Andromachi. Plinius: *Radix unguentis expetitur*. Spissandis unguentis. Ita enim explicat Dioscorides: εἰς μύρων στύψεις. Non calidus igitur propriè cortex, ut vult Avisena, sed etiam quadamtenus frigidus, quandoquidem & adstringit. Verba illa Dioscoridis, ᾧ χρῶνται οἱ μυρεψοὶ εἰς μύρων στύψεις, ita reddidit Avisena: *Et usurpant eum aromatarii in quibusdam oleis*. العطارون sunt pigmentarii, my-

A repsi, qui suffitus faciunt. Interpres vertit: *cum qua Medicinarum venditores inducunt ponticitatem in suis oleis*. Apud Barbaros ponticitas est στύψις. Sed nulla ponticitatis mentio in Arabicis Avisenæ, [illegible] habet simpliciter, ut posuimus: *Quo pigmentarii utuntur in certis oleis*. الادهان في بعض. Impropriè usus est verbo دهن, quod ἔλαιον significat, non μύρον. Et capite, quo oleorum diversa genera persequutus est, hanc eamdem vocem usurpavit. Aliud
B ἔλαιον, aliud μύρον. Aspalathus unguentis additur ad ea spissanda, στύψεως χάριν. Oleum στύψιν non requirit. Scio quidem unguenta etiam appellari, hoc est, μύρα, quæ ἐλαιώδη σύστασιν habent meram. Sed propriè loquendo unguentum ab oleo differt hoc præcipuè nomine, quod in unguento spissamenta sint, id est, σύμματα, quæ in oleo nulla. Spissatum oleum dicitur μύρον, quod etiam ἔλαιον μυρῶδες dici potest. Alia erant μυρεψικὰ unguenta facta in morem acoporum, quæ resinâ aut cerâ inditâ crassiorem acci-
C piebant naturam, & qualis est acopis. Verum de his alibi. Quod si Avisena dixisset, aspalatho uti unguentarios spissandis oleis suis, nihil peccasset. Darsisahan idem probari ait ponderosum, & cujus sub cortice color apparet rubeus, ad purpuram inclinans. احمر الي الفرفيرية. Verba sunt Dioscoridis, quæ ille conjunxit, separatim enuntiata ab auctore: ὑπέρυθρος ἢ πορφυρίζων. Si dixisset Græcus auctor ὑπέρυθρος πορφυρίζων, sensum eum expressisset, quem Avisena exposuit. Sed hæc duo distinxit, & reperiri ait in aspalathi odorati arbore
D lignum, aut subrubrum, aut ad purpuram vergens. Plinius tamen interpretatus est, ut Avisena, *rubens & in purpuram vergens*; qui dicere debuit, *rubens aut in purpuram vergens*, ὑπέρυθρος ἢ πορφυρίζων. Dicit Avisena lignum darsisahan boni esse odoris & saporis. طيب الرايحة والطعم. Boni quidem odoris aspalathus, sed non boni saporis, qui amarus est: πικρίζων ἐν τῇ γεύσει. Notandum etiam, Avisenæ interpretem darsisahan facere magnam arborem. Sic enim loquitur in sua barbarie: *Et arbor grossa*. Quod de magna & crassa intelligendum. Aliter sonant Arabica Avisenæ è Dioscoridis Græcis expressa,
E qui Dioscorides θάμνον, id est, fruticem pronuntiat esse aspalathum: quod longè est à magna & crassa arbore. Sed Avisena dixit darsisahan esse arborem duræ & spissæ substantiæ: وهو شجرة ذات غلظ. Est autem arbor duræ substantiæ. Hoc est, quod Dioscorides πυκνὸν dixit; Plinius de eodem aspalatho loquens, *spissum tactu*. Radicem esse spicæ Indicæ aspalathum quibusdam credi, Avisenam vidimus dicere: quamvis id pro comperto & explorato non habeat, quia nec refutat, ideoque in ambiguo reliquisse existimandum. Serapio sub nomine *darsisahan* verba
F Dioscoridis de aspalatho ad literam retulit. Ex Arabibus autem auctoribus adfert illud, darsisahan esse arborem granati silvestris, & habere lignum odoratum, citrinum, hoc est, ὠχρὸς اصفر. Qui color non respondet. Nam citrinus & rubens diversi. Aspalathus enim lignum habet rubens, aut in purpuram vergens: Sic aliud erit darsisahan Arabum quam aspalathus Græcorum. Pandectarius: *Darsisahan vel mahat vel michad*. Intelligit *mugath*. مغاث. Quod juxta quosdam est radix granati sil-
G vestris. Serapio libro Aggregationum: *Mugath, sunt radices arboris granati silvestris, quod nascitur in Sini ultra mare, & in Corasan, & sunt radices crassæ, albæ. Colliguntur in Jamen. Ejus autem mala granata similia sunt domesticis primum prodeuntibus, colore inter rubentem ac viridem medio, intra quæ granum est rubrum, magnitudine seminis lentisci*. Hæc igitur Serapionis sententia, *mugath* esse radices granati silvestris, *Darsisahan* autem ipsissimam esse arborem silvestris punicæ.

punicæ. Sic ista conciliavit Matthæus Sylvaticus in Pandectis, ut voluerit mugath esse aspalathum. Avisena capite de mugath, scribit quidem ita sentire nonnullos, [illegible] mugath sit radix mali punicæ silvestris, عرق الرمان البري. Quod tamen ipse non probat hoc maximè argumento, quia semen ejus Venerem exstimulat, & coitum valenter incitat; cum contraria sit, ut apparet, virtus in seminibus punici mali silvestris. Sic omnia incerta tam de mugath quam de darsilahan apud Arabes. Addit Serapio fructum ejus esse, qui vocatur *bel.* Alius auctor Arabs apud eumdem Serapionem darsisahan plantam exponit spinosam, quæ unguentis adhibetur, & florem habet croceum. Plinii aspalathus odorata flore rosæ est. Cortex darsisahan Serapioni ad rubedinem tendit. Non cortex aspalathi talis, sed lignum, quod sub cortice. Ex eo ligno tradit idem Serapio fieri pugillares, & capsulas reponendis lancibus. Non tam magna videtur arbor aspalathus Græcorum, ut hæc ex eo compingi queant. Dioscorides θάμνον vocat. Plinio tamen assurgit in magnitudinem justæ arboris. *Nominant eam aspani in Barbaria*, inquit Serapio. Apud Pandectarium secundum Almansorem: *habet florem citrinum, in Barbaria vocatur alpani.* Ergo & in Africa nascitur, ubi hoc nominis habet. At veteres aspalathi aromatici in Africa nascentis nusquam meminere. Idem Serapio initio capitis, *darsisahan* interpretatur *ayrach.* Quasi alio modo etiam sic diceretur. Nam *darsisahan* vox Persica, teste Avisena: *Darsisahan*, id est, *ayrach.* Matthæus Sylvaticus in Pandectis legit *atrac*, capite de darsisahan: *Et secundum quosdam vocatur atrac, & est arbor granati silvestris, & fructus ejus vocatur bel. Et est arbor spinosa, cujus lignum est rubeum vel purpureum.* In Lexico Græco-arabico ἀράκ reperio de costi radice: Ἀράκ, ἡ κόσε ῥίζα. Idem omnino nomen. Darsisahan radicem esse spinæ Indicæ ex quorumdam opinione narrat Avisena. Sanè & costum pro casia lignea nonnulli exposuerunt. Saadias קְדָה, quod casiam cæteri interpretantur, ipse قسط reddidit, id est, costum. Alius interpres eamdem vocem *costum* pro arboribus aloës, quas ipse Dominus dicitur plantasse Num. XXIV. posuit, nempe قسط. Xylaloën porro hodie vocant Rhodii genus aspalathi apud se nascentis: ut non mirum sit & ἀράκ pro costi radice, & pro aspalathi dixisse quosdam, quandoquidem hæc arborum aromaticorum nomina invicem permutantur penes Græcos & Arabes. In eodem capite de darsisahan apud Serapionem *ayrach* videtur esse nomen loci: *darsisahan*, inquit, *apud Apothecarios de Ayrach est arbor granati silvestris.* Nulla mihi regio nota hoc nomine. Fortè scribendum: *apud apothecarios de Arac.* Parthia hodie vocatur Arac. Sed *airach* vel *arach* est aspalathus. Ut fortasse & heic scripserit: *darsisahan, apud Apothecarios arac, est arbor granati silvestris.* Dicit vocari ab apothecariis *arac* vel *airac*, quæ Persis nominatur darsisahan. Qui Arabicos Serapionis habent penes se codices, poterunt nos facere certiores de veritate lectionis. Quod ad *mugath* attinet, & juxta quosdam granati silvestris est arbor idemque cum aspalatho, typum habet fœminei pluralis in Arabico مغات. Et videndum an idem sit cum Hebraico אלמוגים *almuggim*, ut *al* sit articulus Arabicus. Pro eo etiam legitur transpositis litteris אַלְגֻּמִּים *algummim.* Quidam *corallia* interpretantur, alii *bresilium* quod Arabicè *albucam.* Hieronymus, *ligna thyina.* Certè eadem videtur vox cum *mugath*, cujus singulare مغ *mug*: unde Hebraico more in plurali מוגים *muggim*, Arabicò مغات; quod secundum nonnullos est aspalathum, juxta aliorum sententiam granatum silvestre, alii omnino quid sit nescire fatentur. Illud constat genus esse ligni exotici & pretiosi, quod apud Sinas & in Corasana regione nasci tradit Serapio. Sed hæc in medio relinquo. De aspalatho tandem concludamus oportet, quid detur certi statuere ex tanta tot auctorum veterum juxta ac neotericorum concertatione. Ex duobus generibus aspalathi quæ veteres agnoscunt, odorati & quod odoris est expers, alterum cui odor abest, tota hodie novit Græcia hoc ipso nomine, & candidam habet ligni materiem. De Rhodiorum & Nisyriorum aspalatho hoc etiam tenendum, illud esse ipsum lignum, quod Rhodii hodierni vocant *xylalam*, id est, agallochum; quod tamen non respondet notis à Dioscoride descriptis. Sed palam est eum confudisse Rhodiorum aspalathum cum Cyprio vel Orientali, & easdem notas utrique attribuisse. E contra Plinius Cyprium vel orientale alibi idem facit cum Rhodio vel Nisyrio, alibi distinguit, utrobique autem candidum & inodorum cum orientali odorato confundit. Odoratum, cui notæ Dioscoridi memoratæ conveniunt, in Cypro insula nascitur & inde ad nos hodie invehitur. Plinius postquam de Cypro frutice dixit in Cypro insula nascente, addit protinus de aspalatho, quæ in eodem tractu provenit, id est, in Cypro: *Tertia in Cypro insulâ odoris suavitas. Quidam hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia ligustrum vocetur. In eodem tractu aspalathos nascitur, spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ. Radix unguentis expetitur.* Ita legendus ille locus. Vulgò enim pessimè excuditur: *Tertium Cypro odoris suavitate.* ubi libri habent *odoris suavitas.* Correximus: *Tertia in Cypro odoris suavitas.* Ex tribus Cypri unguenti generibus, tertiam odoris suavitatem in Cypro esse dicit, hoc est, tertio loco esse Cyprium odoris suavitate, cum optimum sit è Canopica Cypro, secundum Ascalone Judææ, tertia suavitas in Cypro. Immo sic totus ille locus concinnandus de semine Cypri, ex quo unguentum fiebat eodem nomine: *Coquitur hoc in oleo premiturque postea, quod Cyprus vocatur. Pretium ei in libras* XV. *Optimum è Canopica in ripis Nili nata. Secundum Ascalone Judææ. Tertia in Cypro insula suavitas.* Addit statim in eodem tractu nasci aspalathon candidam spinam, unguentis expetitam. Confundit, ut dixi, rubram & odoratam cum candida & inodora. Cyprius igitur aspalathus odoratus, cujus mirum nec meminisse Dioscoridem. Lignum illud vocamus hodie *lignum roseum.* Odore, colore, & gustu, qui subamarus est, verum ac genuinum aspalathum repræsentat. Cur à rosa nomen illi fecerint nostri Aromatarii nescio. Florem rosæ habere narrat Plinius. Dentiscalpia vulgò ex eo ligno fiunt, & dentiscalpiorum aut acicularum muliebrium thecula & alia multa. Pulveres ex eo terunt Aromatarii ad diapasmata, quos cum aliis odoriferis miscent.

CAPUT LXXXVI.

De junco odorato.

Calamo odorato affinis est juncus, & utrumque sæpe jungunt scriptores veteres cum de re unguentaria sermo est. Ambigi etiam super eo potest non minus quam de calamo, an sit idem cum antiquo noster, & rem habeat cum nomine. Ubi dubitandi rationes edidero, tum liberam cuique statuendi quod voluerit facultatem relinquam. *Squinanthum* vocant officinæ, qui vox sonat junci florem,

florem, id est, σχοίνου ἄνθος. Græci quoque barbari σχινάνθην & σχοινάνθιον appellant, quod vetustioribus dicitur disjunctis vocibus σχοίνου ἄνθος & ἄνθος σχοίνου. Sic κνηκάνθιον apud Chimicos auctores flos cneci sive cartami. Apud Græcos antiquos medicos ac veterinarios per σχοίνου ἄνθος semper juncus iste odoratus intelligitur. Cum florem junci hæc dictio significet, mirum tam rarum extitisse olim hujusmodi florem è junco, ut vix sit usurpatus in medicina. Quod enim vulgus σχοίνου ἄνθος appellavit antiquitus, non de flore, sed de junco ipso accipi voluit. Nec secius quod hodierno tempore vocatur *squinanthum*, non floris habet intellectum, sed herbæ, adeo ut *squinanthi florem* dicere non dubitent, quod istiusmodi est omnino ac si quis Græcè dicat σχοίνου ἄνθους ἄνθος. Quod attinet ad Neotericos, Garcias fatetur, cum multos junci odorati fasciculos in India vili emerit, quos in Lusitaniam mitteret, nunquam sibi contigisse, ut florem videret. Idem testatur unus ex antiquis auctor locupletissimus Galenus, mirarique se non dissimulat, cur ἄνθος σχοίνου vulgariter hic juncus appellaretur, cum floris copia tum ferè nulla esset, nec soleret afferri. Rationem addit satis frivolam, quia cameli depascerentur herbæ summitatem & florem semper unà deroderent. Verba ejus hæc sunt ad Theriacam Andromachi: σχοῖνον δὲ ἐπὶ τούτοις τὴν ἐξ Ἀραβίας ἐμβάλλειν κελεύει, καλουμένην ὑπὸ τῶν πολλῶν οὐκ οἶδα ὅπως ἄνθος σχοίνου καίτοιγε ἡμῶν οὐ πάνυ τι τὸ ἄνθος εὑρισκόντων ὅλης τῆς κομιζομένης πόας ἐπιβεβρωμένης πολλάκις ἄνωθεν ὑπὸ τῶν καμήλων, ἥδιστα γὰρ αὐτὴν ἔμονται. Miratur Galenus σχοίνου ἄνθος vulgo vocari, cum floris copia non suppeteret nec afferretur. Scisse id oportuit Galenum celeberrimum medicum in urbe Roma, ac domo Augusta medicinam facientem, an flos junci aromatici tunc locorum in usu esse soleret. Negat hoc ille & perperam appellari σχοίνου ἄνθος affirmat, cum nihil floris haberet. Quis putet in tam multis fasciculis junci odorati, quos cum aliis aromatis ex Arabia Romam allatos constat ætate Galeni, nusquam ullum conspectum junci florem, aut si fuit ullus, fugisse id Galenum. Nunc alia admiratio subit, repercutiendæ Galeni rationi, quare flos non viseretur ex illo junco; an verisimile sit ex tanta copia junci, quæ quotannis demetebatur in Arabia Romam mittenda, aliquot saltem stirpes non effugisse pastum camelorum nec florem integrum pertulisse. Jam vero illud ex Galeni testimonio elucescit, ubicunque in scriptis Græcorum Medicorum σχοίνου ἄνθος in aliqua medicamenti aut unguenti compositione præcipitur immittendum, non de flore, quia nullus esset, sed de plantæ vel herbæ duntaxat foliis capi debere. Apud auctores veterinarios cap. DCXXI. ad condiendum vinum, jubetur præparari σχοίνου ἄνθος μέδιμνοι τέσσαρες, κασίας σύριγγος μέδιμνοι τέσσαρες, σμύρνης τρωγλίτιδος μέδιμνοι τέσσαρες. Nunquam aliter in aliis compositionibus, quæ in eo libro occurrunt, junci odorati fit mentio quam sub nomine σχοίνου ἄνθους. Florem junci accipere vetat Galenus, sed ipsum juncum. Nec enim probabile est Apsyrti ætate abundasse junci florem, qui Galeni temporibus rarus aut nullus inveniretur. Postremo vel ex illa Galeni notatione patet vulgus appellasse σχοίνου ἄνθος, non florem sed herbam ipsam. Ratio Galeni non est probabilis. Flos non afferebatur, quia derodebant eum cameli; & tamen vulgus florem junci appellat, quem non videt, & cujus usum non habet. Hæc mihi non probantur. Illud fortasse verius Græcos juncum illum, ut à cæteris juncis discerneretur, per excellentiam vocasse ἄνθος σχοίνου vel ἄνθος σχοίνων. Notum enim est ἄνθος excellentiam designare, ut ἄνθος ἀρετῆς, ἄνθος ἀοιδῶν. Sic aurum eximium ac purissimum vocabatur ἀνθέμιον. Ita igitur eximius jun-

A cus, quia odoratus, appellatus sit σχοίνου ἄνθος κατ' ἐξοχήν. Fortasse & alia ratio potest hujus nominis à vulgo facti adferri. Ex junci communis generibus unum est, quod fructum ex veluti florem fert. Hic κάρπιμος σχοῖνος. Vulgus σχοίνου ἄνθος de hoc dixere. Quod postea ad juncum odoratum videtur translatum. Nam & σχοῖνον absolute dixerunt pro junco aromatico. Atque ita Dioscorides nuncupat. Vulgus sanè nomina rebus imponere solet, ex eo quod sæpe videt, cujusque frequentem habet usum. B Flos junci odorati adeo rarus etiam veteribus & infrequens, ut nihil ab usu communi fuerit remotius. Quis igitur credat ex rariore ejus parte toti plantæ factum nomen à vulgo? Certè antiquissimi Græciæ ac probatissimi auctores nullam σχοίνου ἄνθους habent mentionem; σχοῖνον ἀρωματικὸν vocant aut εὐώδη, aut etiam σχοῖνον κατ' ἐξοχήν. Hippocrati ἡδύοσμος σχοῖνος dicitur. Meleagro in Pancarpa corona poëtarum εὐώδης σχοῖνος:

C ---- εὐώδη σχοῖνον ἀμησάμενοι.

Atqui locus erat maximè idoneus flori in corona. Quin & Theophrastus cum alibi tum in commentario de odoribus, nec floris hujus junci usquam meminit, usumve commendat in unguentis. Quin immo clarè distinguit hunc juncum ab illis speciebus, quarum flores ad unguenta expetebantur: σχοῖνος δὲ καὶ κάλαμος παρακμάζει ταχύ: τῶν δὲ ἀνθῶν τὰ μὲν εὐθὺς χλωρὰ ὄντα τὰς δυνάμεις ἔχει, καθάπερ ῥόδον. An non magnum hoc argumentum, florem junci odorati, si ullus fuit, D nullo fuisse usui in unguentis, nec in medicina. Profecto Plinius in tradendis ex junco isto medicinis & historia exponenda, cum pleraque similia habeat Dioscoridi, ut videatur ex aliquo sumpsisse auctore veteri quem etiam viderit Dioscorides, nullam facit floris mentionem. Ita autem scribit de eo lib. XXI. cap. XVIII. *Laudatissimus ex Nabatæa cognomine Teuchitis, proximus Babylonius, pessimus ex Africa ac sine odore. Est autem rotundus vinosæ mordacitatis ad linguam. Sincerus in confricando odorem rosæ emittit, rubentibus fragmentis.* Paria fermè sunt, quæ tradit Dioscori- E des, excepto quod addit inter optimi notas, floribus multis refertum esse debere: ἡ ἐν τῇ Ναβαταίᾳ λεγομένη· ἥτις ἐστὶ κρατίστη· δευτερεύει δὲ ἡ Ἀραβική, ἣν ἔνιοι Βαβυλώνιον καλοῦσιν, οἱ δὲ τευχίτην: ἡ δὲ Λιβυκὴ ἄχρηστος. ἔκλεγον δὲ τὴν πρόσφατον, πολυανθῆ, σχιζομένην δὲ ἐμπόρφυρον καὶ ῥοδίζουσαν τῇ εὐωδίᾳ, ἐπειδὰν διατρίβηται ταῖς χερσὶ καὶ δάκνουσαν τὴν γλῶσσαν μετὰ πολλῆς πυρώσεως. Auctor, unde accepit Plinius, nihil de flore meminerat. Sed nec in remediis de flore quicquam dicit. Miror etiam Dioscoridem Arabicum juncum alium facere ab eo, qui nascitur in Nabatæa. Nam quis ignorat Nabatæos esse Arabes, & Nabatæam Arabiæ F regionem? Babylonium vero eumdem cum Arabico statuit. Nescio causam. *Teuchiten* eundem appellatum ait. Plinius vero id cognomen tribuit Nabatæo. Gentile esse nomen loci patet, in quo nascebatur. Puto scribi verius, *Teuochitis*. Τεύωχις urbs Ægypti Arabiæ contermina, in qua & lacus, ad quem fortasse juncus ille nascebatur. Stephanus: Τεύωχις πόλις Αἰγύπτου ἐστὶ καὶ λίμνη ὁμώνυμος· ὁ πολίτης Τευωχίτης. Quidquid sit, Τευωχίτης σχοῖνος inde dicta. Quod igitur flores vindicat schœno aromatico Dioscorides, id videtur sumpsisse ex vulgari ejus nomine σχοίνου ἄν- G θος; quod tamen vocabulum nihil aliud vulgo significasse testatur Galenus præter juncum ipsum. Nec aliter hac voce usi reperiuntur antiqui medici quam pro junco. Quandocunque enim præcipiunt σχοίνου ἄνθος adhibendum alicui medicamento, non de flore, sed de junco intelligi debent. Eodem, ut apparet, errore Damocrates cum in versu circumloqui vellet τὸ σχοίνου ἄνθος,

ἄνθος, qui non flos est junci sed juncus ipse, ita præcipit:

Σχοίνυ δὲ μὴ τῶν καρφέων, ἀλλ᾽ ἄνθος.

Planè exprimere voluit, τὸ σχοίνυ ἄνθος, sed de vero flore accepit, cum juncum ea voce vulgus designarit tantum, ut apertè ostendit Galenus, qui florem non haberi testificatur. Non disputo, an florem ferat ille juncus; sed tueor auctoritatem veterum, qui asserunt florem non inde afferri, ubi juncus nascitur, sed solum juncum. Nec enim ea fortasse nominis ratio, ut flos sit junci intelligendus, sed juncus ante omnes excellens, & velut flos juncorum, ut in illo versu *flos delibatus populi.* Hodie florem passim vænalem Venetiis prostare ajunt ex Alexandria allatum. Quæstio est, an hic flos junci videri debeat, & sincerus haberi, qui nunc pro odorato usurpatur juncus. Florem scilicet ostendunt, ne quid nomini desit. Alias non putarent verum juncum esse, nisi & florem ex eo producerent, quem vetustas non vidit, quem nec hodie se vidisse fatentur, qui multos fasciculos ex Arabia in Indiam advectos viderunt, ut de Garcia paulò ante dicebam. Nec video profectò cur hodie magis habere debeamus florem junci odorati, quo tempora sua caruisse Galenus idoneus testis est. Atqui si unquam, certè illo ævo merces Indicæ Arabicæque maximè in orbe Romano fervebant. Juncus odoratus, quem novit præsens ætas, folia habet, & foliorum præcipuus usus, qui nullus omnino veteribus memoratur. Dioscorides: χρῆσις δὲ τοῦ ἄνθους καὶ τῶν καλάμων καὶ τῆς ῥίζης. Non folia puto præteriisset, si ullam tunc in ungentis aut medicamentis utilitatem præbuissent, cum & florem nominet, quem minimè usurpatum, quia non importaretur, Galenus vult. Majus est, quod adstruam, juncum illum folia non habuisse. Σχοῖνον absolutè vocant Græci. Unde rogo te, nisi quia veri junci facie fuit? Parum est, quod ex nomine id colligimus, ecce qui in plenum asserat luculentus Auctor, juncum odoratum non alia fuisse forma à vulgari junco. Theophrastus lib. IX. cap. VII. de junco odorato: τῇ προσόψει δὲ οὐδὲν διαφέρουσι τῶν ἄλλων. Quod Græci σχοῖνον appellant, tria ejus sunt genera, quæ omnia sine foliis sunt. Tenues calamos & leves erigunt, atque enodes. Ἑλεία σχοῖνος universum genus Dioscoridi dicitur, quod dividitur in ὀξύσχοινον & ὁλόσχοινον. Acuti junci, sive oxyschœni duæ sunt species, mas & fœmina, quæ semen fert, & quæ sterilis est. Tertia species ὁλόσχοινος. Dioscoridis verba sic omnino ex antiquo libro corrigenda sunt: σχοίνυ ἑλείας ὁ μὲν τι ὀξύσχοινος ἄποξυς ἐπ᾽ ἄκρῳ· δισσὸν δὲ καὶ ταύτης εἶδος. Mox addit de tertio genere, quod ὁλόσχοινος dicebatur: ἔστι δὲ καὶ τρίτη πολλῷ σαρκωδεστέρα καὶ παχυτέρα τοῖν δυοῖν, ὁλόσχοινος λεγομένη. Subjungit deinde medicinas ex duobus generibus, quæ semen ferunt. Sub finem adjicit de tertia hac specie, semen eam habere soporiferum: ἡ δὲ τρίτη σχοῖνος ὑπνωτικὸν ἔχει τὸν καρπὸν; φυλάττεσθαι δὲ αὐτῇ ἐν ταῖς πόσεσι τὸ πλῆθος· καροῖ γὰρ λίαν. Ita ibi legit optimus codex, quod de holoschœno intelligendum. Vulgò excuditur: ἡ δὲ Αἰθιοπικὴ σχοῖνος. Quod absurdum est, cum de ea nihil præcesserit, nec veteres ejus meminerint. Plinius cum hunc locum in Averiaria sua regessisset, separatum ab reliquo corpore, τρίτην accepit quasi proprium esset nomen junci. Lib. XXI. cap. XVIII. ubi historiam juncorum exequitur: *Invenio etiamnum unum junci genus, quod triten vocant. Hujus semine somnum allici, sed modum servandum ne sopor fiat.* Vulgò legitur, *quod euripicem vocant.* Quo nomine juncus nullus noscitur. Libri omnes habent, quod *tropocen* aut *trepicen*. Ex Dioscoride constat reponendum *triten*. Nam ad verbum Latinè reddidisse locum apparet, & τρίτην de quodam genere junci exposuisse, cum verba illa sejuncta ab reliquo contextu in suis commentariis posuisset; quibus sic seorsim positis lectisque haud

A potuit videre quo referendum esset illud τρίτη. Historiam quippe juncorum ac differentias verbis Theophrasti explicavit, cujus sententia non longè abit à Dioscoride. Remedia verò hausit ex scriptore aliquo, qui paria scripserat cum Dioscoride, cujus, & illa sunt de *trite* junci genere, ut quidem Plinius interpretatus est, quæ insignis hallucinatio, sed non advena Plinio. Cæterum cum σχοῖνος odoratus ex genere σχοίνων sit, nec facie differat, solos calamos habuerit in re medica & unguentaria considerandos, non etiam folia quorum nullam apud veteres mentionem reperire est.
B Immo si folia habuisset, eorum utique meminissent & fuisset usus in medicina & unguentis. Quis enim dubitet, quin una cum calamis afferri folia sint? Quod καλάμυς tantum nominent, non etiam folia magnum id signum est, nulla illi plantæ folia fuisse, haud sanè magis quàm juncis, quorum naturam ac speciem retinent. Dioscorides tertio generi, quod cæteris majus est, mollia folia circa radicem dat: τὰ δὲ πρὸς τῇ ῥίζῃ ἁπαλὰ φύλλα καταπλαττόμενα φαλαγγιοδήκτοις ἁρμόζει. Plinius simpliciter, quæ proxima sunt radicis: *Holoschœnos vocatur. Quæ proxima sunt radici, commanducantur adversus araneorum morsus.* Καταπλαττόμενα in Græ-
C cis valet illita, non commanducata, ut oscitanter vertit Plinius. Ex his omnibus prorsus subdubitare cogor, an veterum σχοῖνον odoratum habeamus. *Squinanthum*, quod vocant officinæ, gramen est potius & herba quàm juncus. Multis culmis assurgit geniculatis tritici vel hordei instar, foliis est tenerioribus quàm gramen, cujus figuram pulchrè refert. At juncus veterum odoratus à junco communi non differebat auctore Theophrasto. In palustribus æstate siccatis nascebatur, junceos culmos proferebat absque foliis. Quod enim καλάμυς junco odorifero tribuit Dioscorides non de culmis accipiendum, quales triticum habet aut hordeum,
D sed de calamis enodibus, quales junci sunt. Sic καλάμυς vocat idem in junco acuto: παχύτεροι δὲ ταύτης οἱ κάλαμοι καὶ σαρκωδέστεροι. Rotundum hunc juncum esse tradit Plinius. Damocrates κάρφεα vocat calamos hujus junci. Κάρφεα propriè sunt surculi teretes. In summa, squinanthum hodiernum fœni potius aut graminis instar habet quàm junci. Describunt eam folia caricis vel speltæ habentem, robustiora sursum spectantia, & confertim sese stipantia, è quibus culmi exeunt tritici modo geniculati, in quorum summitate flores extant odorati. Plurimum divertit ab hac imagine juncus ille
E odoratus, quem sibi natum refert Clusius è semine ab Italia misso, cui teneriora folia fuisse ait quàm gramini. Neutra harum plantarum σχοῖνον antiquorum repræsentat, cui nulla folia assignant, sed junceam naturam ac faciem, ut disertè asseverat Theophrastus, nullo flore, nullo semine sicut & in juncorum quodam genere. Unde & σχοῖνον absolutè vocarunt: quod non fecissent, si gramini aut tritico similior fuisset quàm junco. Odor etiam non conspirat nec gustus. Junco odorato vinosa mordacitas ad linguam, & cum fricatur rosæ odorem emittit. Hodiernum juncum, si teratur, jucun-
F dum quidem odorem spirare, sed qui rosam non redoleat, tradunt. Avisena eodem capite exposuit juncum odoratum quem absolutè σχοῖνον quoque Græci vocant, & juncum palustrem, qui eodem nomine ipsis vocatur. Duo genera ejus constituit: Arabicum, quod est præstantis odoris, & aliud Agiami carens odore; cujus item duas species facit, alteram minutam & subtilem, alteram crassiorem & molliorem. Planum est per juncum Agiami velle dicere juncum palustrem sive ἑλείαν σχοῖ-
G νον Dioscoridis, cujus duo genera sunt, ὀξύσχοινον quod est in summo acutum & sterile; cum altera ejus species crassiores habeat calamos & molliores. Garcias per juncum Agiami intelligit in Damasco nascens, & Avisenam reprehendit, quod quasi Dioscoridis testimonio affirmet juncum odoratum nigrum fructum ferre. Non de junco odorato hoc tradit Avisena,

sena; sed de junco communi paluſtri, quem vocat *juncum agiami*, ut ex toto capite colligitur. Sed in eo error Aviſenæ non parvus, quod non diſtinxerit juncum odoratum à communi, ſed ſub uno genere utrumque comprehenderit. Sanè utrumque Græci σχοῖνον dicunt. Virtus etiam in utroque non diſpar, juncus odoratus inter alia caput gravat, urinam ciet & mediocriter adſtringit. Juncus quoque communis etiam ſoporem creat ac dolorem capitis & urinas ciet. Arabes juncum odoratum vocant اذخر *adcher*. Ita eſt apud Aviſenam. Garcias tamen à medicis Arabicis & Perſicis *adher* hodie appellari teſtatur. Tum ſcribendum eſſet dempto apice, ادخر. Sed Græci medici, qui Arabicas voces Græcè enuntiarunt, ſcribere ſolent ἀδχὲρ, vel ἐδχὲρ & ἐδχέρ. Lexicon Saracenicum ex Ἐφοδίῳ ſic habet: Ἐλετχὲρ, τὸ ἄνθος ἢ σχοίνου. Hoc eſt, الاذخر *aladcher*. Apud Aviſenam cum puncto legitur. Etiamſi ſine puncto legeretur, Græci tamen nihiloſecius pronuntiarent ἀδχὲρ. Nam lenem aſpirationem in Arabicis nominibus etiam per χ ſolent efferre, ut Ἀλχαννα, & χάμαμα, & χαλέβ. In Lexico Raphelengii reperio: ازحر *azher*, ſquinanthum. Quod neſcio, unde ſumptum; nec alibi occurrere puto. Fortaſſe tamen *azher* pro *adcher*, *ze* pro *dhal*. Nam in antiquo codice ſcriptum reperio اذحر per *dhal*, quæ littera aliquando mutatur in *ze*, & contra. Sic apud Aviſenam capite de ocimo caryophyllato: مرزنجوش, *mardangius*, ſampſuchum, quod alibi apud eumdem مرزنجوس, *marzangius*. Aviſena nomine *adcher*, quod propriè Arabibus pro junco odorato ponitur, communis etiam junci hiſtoriam exequutus eſt. *Adcher*, inquit, *duorum eſt generum*. Unum eorum eſt, quod non habet fructum; & alterum quod habet fructum nigrum. Hæc diviſio non ad ſquinanthum pertinet, ſed ad vulgarem juncum, cujus duplex genus ſtatuitur Dioſcoridi; ἡ μὲν γὰρ ἄκαρπος, ἡ δὲ καρπὸν μέλανα ἔχει. Quin & illius diviſionis auctorem nominatim citat Dioſcoridem. Addit mox idem eligendum Arabicum, quod rubet & optimè fragrat. Jam hoc pertinet ad σχοίνου ἄνθος ſive ſquinanthum. Non tam longè eundem initio capitis dividit *adcher* in Arabicum, quod vocat عرابي, *harabi*: & alterum, quod appellat اجامي, *agiami*. Quam vocem ſine verſione reliquit interpres. Garcias pro ea peritia, qua in Arabiſmo fuit, interpretatur *in agiami natum*, & hoc vocabulo Damaſcum intelligi vult. Quod eſt falſiſſimum. Vir illuſtris famæ in notis ad Garciam, juncum agiami dictum eſſe à loco ſuſpicatur & Perſicum deſignari, quia Arabes عجم *hagiam* vocant omnem nationem præter ſuam. Nam excepta Arabum gente reliquas habent pro barbaris. Perſarum vero regionem κατ᾽ ἐξοχὴν ab ipſis Agiam appellari. Inde ergo اذخر عجمي *adcher Hagiami* pro Perſico junco vellet accipi. Verum non عجمي in Aviſena legitur, ſed اجامي, cujus vocis longe diverſa ſcriptura, quamvis pronuntiatio eadem ſit. Nabatæam regionem diſignari illâ voce tandem pronunciat. Quod

A caret ratione. Nabatæa regio pars Arabicæ. Juncum adcher dividit in Arabicum & Agiami. Cauſæ nihil illi fuit, cur excluderet Nabatæam ab Arabia, & Nabatæum juncum diſtingueret ab Arabico. Non viderunt illi Viri doctiſſimi, quod de hoc altero magis miror, Aviſenam non ſolius junci odorati genera ac differentias illo capite explicare, ſed communem cum odorato confundere & ſub unum genus redigere. اجم *agiam* Arabicè eſt palus, ſtagnum. Unde أجمي *agiami*, paluſtris.

B Sic igitur vocat σχοῖνον ἐλείαν Dioſcoridis. Nam *agiami* propriè eſt ἕλειος. Eam lectionem aſſeruimus Dioſcoridi ex antiquis libris, ubi vulgati habent σχοῖνος λεία; Apparet itaque, Aviſenam legiſſe σχοῖνος ἐλεία. Quomodo & apud Paulum in antiquiſſimo legitur libro. Gloſſator tamen Arabs in vetuſto Dioſcoridis exemplari ſecutus eſt vulgarem lectionem, quam interpretatione ſua expreſſit in his vocibus adpoſitis ad σχοῖνον ἐλείαν Dioſcoridis: اذخر لين, *adcher lein*, quod eſt, σχοῖνος λεία.

C Ita & σμίλακα λείαν ejuſdem Dioſcoridis interpretatus eſt, اخر لين *acher lein*, id eſt, aliam ſpeciem ſmilacis levem; aliam ſmilacem levem. Videmus & illum auctorem Arabem *adcher* appellaſſe juncum communem Dioſcoridis. Ita fecit & Aviſena, qui juncum in genere ſic appellavit, & in duo ſumma genera partitus eſt: in paluſtrem, quæ σχοῖνος ἐλεία Dioſcoridis, & Arabicum ſive odoratum: At Serapio nomen *adcher* velut proprium aſſignavit odorato junco. Communem vero juncum, quem σχοῖνον ἐλείαν vocat Dio-

D ſcorides, vocavit ديس *dis* vel *deis*. In hujus differentiis ac generibus exponendis Dioſcoridem laudat, & tranſcribit. In antiquo Gloſſario *deiſſon* exponitur, *juncus*, *ſcirpus*, *biblos*. Quod ex Hebraico דשא venire puto, quo germen vel herba ſignificatur, cum è terra exire incipit. Lotoriam autem herbam ideo vocat fortaſſe Garcias, quia multis locis ancillæ fœni vel paleæ manuali faſciculo contorto eluunt vaſa. Idem Serapio aliud caput ſeparatum habet de *adcher*, quo juncum odo-

E ratum ſive ſquinanthum ſolum deſcripſit. Quod autem Aviſena utrumque juncum vulgarem & exoticum hoc eodem nomine ſub uno genere complexus eſt, id confirmat antiquorum ſententiam, qui juncum odoratum facie & genere non faciunt differre à communi: τῇ θεωρίᾳ δὲ οὐδὲν διαφέρουσι τῶν ἄλλων, *aſpectu nihil differunt ab aliis.* Solum quoque natale idem illi tribuit Theophraſtus cum vulgari, paludes nempe ſiccatas. At herba illa, quæ hodie ex Arabia venit, & pro ſchœno odorato ven-

F ditur, longiſſimè diſtat ab hac facie. Nihil quippe habet, quod ad junceam ſimilitudinem accedere poſſis dicere. Minimè omnium ad hoc inſtar proximant culmi ejus geniculati, cum nihil adæque contrarium ſit levi & enodi juncorum proceritati. Præterea hodiernum ſquinanthum in campis & pratis Arabiæ paſſim naſci ipſi Arabes aſſerunt. De quo videndus Serapio, qui etiam auctore Iſaac palearem eſſe herbam, atque ex ea ad medicinæ uſum, radicem, folia, & florem adminiſtrari. Alius auctor Arabs apud eundem, radicem hujus junci ſimilem tradit radici *chulen*, niſi quod

G ſit latior & minus tuberoſa. Quærunt quænam illa ſit radix *chulen*. Garcias allatis Serapionis verbis confirmat ſquinanthi radicem adeo ſimilem eſſe *chulen*, ut eodem nomine à nonnullis appelletur, quemadmodum initio capitis ſe docuiſſe ait. Atqui non *chulen* ibi meminit, ſed *cachule*; dicitque hoc gramen, quod vulgo ſquinanthum vocant, ab Arabibus, apud quos naſcitur, *lachbat* vocari, ab aliis vero *haxis cachule*. Quod ipſe interpretatur herbam lotoriam. Ergo *chulen* & *cachule* Garciæ res eadem,

eadem, & mirificè nugatur. Pro *cachule* nescio an *cachile* somniaverit, quæ herba est abstersivæ virtutis apud Avisenam. Non puto sane eum غسلي *gnesale* scribere voluisse, ut sit fullonia & lotoria herba. *Cassar* etiam fullo est قصار, & قصرية *casria*, labrum, in quo lavantur infantes. Sed omnino mihi persuadeo *casile* vel *casili* intellexisse. قصيل *caçil* est fœnum vel herba sicca: قصيلي حشيش, *haxis casili* herba fœnilis vel palearis & siccata. Enimvero *haxis* Arabibus quamlibet herbam sive gramen, etiam viridè, significat. At *casil* fœnum vel herba sicca. Puto omnino ita fuisse in verbis Aben Amram apud Serapionem, cum adcher sive squinanthum dixit esse herbam palearem. Hoc si enim Arabicè velles enuntiare, non aliter posses melius quam per illa duo vocabula, *haxis casile* vel *caçile*; pro quo perperam scripsit Garcias *cachule*, ut conveniret cum illo Serapionis *chulen*. Quod longè aliud est. Putat Scaliger idem esse cum eo, quod apud Avisenam vocatur كلن. Alpagus legit *kallen*. Vetus interpres *karon*. Quasi legisset كرن vel كار, id est, *car*: & cum terminatione Latina vel Græca, ut in aliis solitus est, *caron*. Sic legisse etiam videtur auctor Hebraïcæ versionis, qui habet כיאר chiar, ut Vir doctus asserit. Lignum Indum interpretatur ipse Avisena, nec abesse quin sit, المغات الهندي *almugath alhendi*, id est, mugat Indicum. Hoc *mugat* quidam radices esse silvestris granati affirmant, quibus alii non consentiunt. Sic non constat, quid sit. Radicem esse celebri usu frequentatam ad dolores dorsi totâ Syriâ & Ægypto, notavit Alpagus. Ex India utique adferebatur, & eandem cum *kallen* fecit Avisena. Puto aliud esse chulen, cui similem junci odorati radicem Serapio memorat. Reperio in Lexico Saracenico: χαυλὲν, τὸ λύκιον, τὸ αὐτὸ λέγεται καὶ λωτός. Idem nomen est cum *chulen*, sed interpretatio incerta. Lycium Avisenæ vocatur *hadad* حضض. Lotos etiam alio nomine χαυλὲν, non potest esse Avisenæ كلن. Puto etiam scribendum apud Serapionis interpretem *chsile* pro *chulem*; vel *chsilen*, hoc est, قصيل, gramen nimirum. Et cum graminis instar habeat hoc squinanthum, verisimile est & radicem habere similem radici *chasili*, excepto tantum quod est latior & minus tuberosa vel minoribus nodis geniculata. Florem ab Arabum & Persarum medicis *foca* vocari, notat idem Garcias. Non proprium hoc nomen, ut velle videtur, junci odorati, sed commune cujuscunque floris apud Arabes فقاح *foca*. De omni flore usurpat id vocis Avisena. Sic فقاح الكرم *focâ alkarm*, flos vitis; & sic de aliis. De flore igitur squinanthi constat. Summitatem cauliculorum capillaceas habere spicas & id florem ejus cannarum lanugini similem tradunt Arabes apud Serapionem. Superius squinanthi vocat Alpagus, & interpretatur florem squinanthi. Arabes appellant sua lingua صومعة الاذخر, id est, summitatem squinanthi, in qua nempe nascitur flos: *Summa aladcher*. Et videtur ex Latino expressum. Nam & *summam* pro summitate dixerunt a montis apice

A quæ Græcis ἄκρα. Glossæ: *summa* ἄκρα. Quæstio nunc huc omnis conversa, an hodiernum hoc squinanthum, quod florem habet capillaturæ cannarum similem, quod in mediis campis & pratis nascitur, cujus folia & radices ad usum medicinæ expetuntur, quod herbæ denique potius & graminis quam junci speciem præfert, idem sit cum junco odorato veterum, quem nobis facie veri ac germani junci dant, nihil aspectu prorsus a communi diffidentem, & in paludibus siccatis juxta cum hoc nascentem, cujus denique nec flores nec folia commemorant? De anti-
B quissimis loquor. Nam Dioscorides meminit ἄνθους σχοίνου. Non ambiguum facio, an florem habeat vulgaris herba, quæ pro junco nunc datur odorato: sed omnino pertendo non eam esse σχοῖνον antiquorum, cum tam multa reclament; immo omnia. *Herbam* vulgo vòcitant, *gramen*, *paleam de Mecca*, *fœnum*, *palearem herbam*, quæ nomina cum junci natura non conveniunt. Nec abnuo, quin hoc graminis vel fœni Arabici genus notum etiam veteribus fuerit; sed fieri etiam potuit ut cum junco confuderint, &
C nomine mixto utrumque tradiderint. Πόαν sanè vocat Galenus & à camelis carpi dicit, mirum in modum hujus graminis appetentibus: ἥδιστά τε γὰρ αὐτὴν γέμονται, καὶ πλεῖστον ἔχουσιν ἐν ταῖς Ἀραβίας ὁδοῖς γινομένην. Qua iter faciunt cameli, passim in campis Arabiæ nasci vult. Arabes hodieque hoc fœnum *pabulum camelorum* vocare Garcias narrat. Hoc Arabicè dicitur رعي الابل. Quod & cognomen est alterius herbæ, quam *pabulum columbarum* etiam vocarunt. De qua supra. Andromachus senior in Theriacæ Synthesi: Καὶ σχοῖνον δρομάδων βρῶ-
D μα φέροις Ἀράβων, & juncum pabulum Arabicarum camelorum, quæ *dromades* appellantur. Vulgo legitur in editis:

Καὶ σχοῖνον νομάδων θῦμα φέροις Ἀράβων.

Unde sensus idoneus extricari non potest. Hic σχοῖνος sive σχοίνου ἄνθος temporibus Galeni & anterioribus usitatus in medicina, longè, ut apparet, diversus ab eo σχοίνῳ, quem vetus Græcia novit circiter ætatem nimirum Hippocratis, atque etiam Theophrasti; qui verum esse juncum nihil à communi differentem, & in certa convalle Syriæ loco palustri
E nasci tantum dicit. Hic juncus sine foliis & floribus, quorum nec meminere veteres. Sequens ætas fœni genus Arabici, odoratum gramen ex Arabia adferri solitum hoc eodem nomine donavit, & quod florem haberet, σχοίνου ἄνθος herbam ipsam appellavit. Inde auctores descriptione utriusque, quod illis in aliis plusquam solemne, miscellas dederunt confusis hujus novitii & illius antiqui notis, quas ex libris hauserant. Hoc non mirabitur, qui scierit Theophrasti Oenanthen Cypriam odoratam herbam, quæque unguento, cui addebatur, Oenanthino nomen olim dederat posterioribus ignoratam fuisse & in ejus locum ad unguenta substitutam labruscæ οἰνάνθην.
F Nec id mirum putabit, cui gnarum fuerit omnem infimam Græciam ὀπὸν Κυρηναϊκὸν dixisse, quæ hodie dicitur ab officinis *asa fœtida*, & rem gravissimi & ingratissimi odoris pro suaviter olenti & aromatica usurpasse, eodem nomine diversissimum genus appellantes. Nulla sanè ratio possit efficere, ut juncus verus nulla in re discrepans à junco communi nisi odore, videatur idem cum gramine, vel herba simili graminis. Plinius de junco aromatico & calamo: *Sanè enim dicamus & de junco, quamvis alio herbis dicato volumine, quoniam tamen heîc unguentorum materia tractatur. Nihil ergo à cæteris sui generis differunt aspe-*
G *ctu, sed calamus præstantior aspectu.* Quantum gramen à junco differt, tantum squinanthum ab antiquorum junco. Nec obstat nomen, quod idem in utroque. Scribit idem Plinius, tradere quosdam & in Campania inveniri juncum illum. Non herbam sanè istam sive paleam Meccensem & Arabicam, sed juncum genuinum ex juncorum genere. Quod enim hoc tempore habetur, nihil habet σχοινῶδες, utpote multis geniculis nodisque distinctos præferens

præferens cauliculos, & foliosum. Cyperum Romanos *juncum* etiam vocasse scio, sed quod magis hoc nominis mereat, cùm natalibus, tum junceâ caulis naturâ, quam hæc Arabica herba. Si quis autem sit, cui non credibile videatur σχοῖνον illum antiquorum ἀρωματικὸν, ut hodie desideratur, ita olim quoque desiisse haberi; is cogitet quam multas species priscis cognitas jam pridem amiserimus, transcriptis earum nominibus ad alia genera, quæ nihil cum illis cognatum habent. Calamus junco affinis eumdem cum illo exitum fecit. Sexcenti plus sunt anni, cum Græcia vero calamo aromatico caret, & pro eo utitur acoro. Unde & passim in eorum Lexicis medicinalibus, κάλαμος ἀρωματικὸς, τὸ ἄκορον; & vicissim, ἄκορον, κάλαμος ἀρωματικὸς, alterum altero expositum invenitur. Ut scias autem, quanta hominum prisco ævo licentia fuerit in permutandis nominibus, ecce tibi ex Græcis, qui sio aquatico, quod & *laver* & *iberulam* dixere quidam ex Latio, nomen junci odorati imposuerint. Glossæ Græcorum: Σίον τὸ ἐν ὕδασι σχοῖνος ἀρωματική. Neophytus monachus in Herbario, quod ex Dioscoride & aliis concinnavit: Σίον τὸ ἐν ὕδασιν, οἱ δὲ ἀναγαλλὶς ἔνυδρος, οἱ δὲ σχοῖνος ἀρωματική, οἱ δὲ λαάνερ. Nihil magis distat à sio aquatico juncus odoratus antiquus, quam ab illo Arabico gramine, quod hodie & olim nomen ejus vicemque sustinet. Profecto nemo potest contendere eumdem esse σχοῖνον Theophrasti cum σχοίνῳ ἄνθει vel squinantho posteriorum, quin stupendæ supinitatis arguat, tum Theophrastum ipsum tum alios veterum, qui σχοῖνον illum suum odoratum nobis tradunt ex juncorum genere; prorsus illis consimilem, sine foliis, sine flore. Sed quod protinus subjiciam exemplum de duobus Indici folii generibus, sub uno malabathri nomine ab omni antiquo Græciæ Latiique ævo comprehensis; minus mirum faciet videri, quod hesc tradimus de junci quodam genere odorati, & graminis æque odorati altero genere sub eamdem appellationem inclusis & confusis.

CAPUT LXXXVII.

De calamo aromatico.

Calamum aromaticum vocant officinæ, quod est legitimum antiquorum acorum. Nec id diffitentur Græci recentiores, qui ἄκορον passim interpretantur κάλαμον ἀρωματικὸν, ut in Exercitationibus docemus. Arabes ea voce nuncupant, quæ Græcam significationem exprimit: vocant enim, قصب الذريرة *casab aldharira.* Quod sonat calamum odoratum vel aromaticum. Avisena absolutè etiam appellat ذريرة *dharira*, id est, aromaticum vel aroma absque substantivo قصب *casab*, quod calamum significat. Separatum de eo habet capitulum in littera *dhal* sub nomine *dharira.* Auctor Anonymus de vita Alexandri Græcus τὸ ἀρωματικὸν eodem sensu videtur usurpasse κατ' ἐξοχὴν pro calamo aromatico: τὸ ἀρωματικὸν τὸ λεπτὸν τὸ Ἰνδικόν. Illud Arabicum دريرة *darira* videtur deductum ex Hebraico דְּרוֹר *deror.* Speciebus aromaticis interdum adplicatur, ut מוֹר דְּרוֹר *mor deror*, myrrha deror. Aromaticam interpretantur. Sed דְּרוֹר propriè libertatem significat. Unde *mor deror* quasi myrrham libertatis sonat. Quod de sincera ac pura myrrha accipendum. Francam myrrham vulgo diceremus. Nam *francum* pro libero vocamus. Hinc eam vocem omnibus ferè rebus accommodamus, quæ in suo genere optimæ sunt. Fructus qui satu proveniunt hoc nomine discernimus ab agrestibus. Sativi quippe meliores. In generibus quoque arborum & herbarum distinguendis *franca* appellamus optima quæque ac mitiora. Græci ἀληθινὰ vocant. Ut κιννάμωμον ἀληθινὸν, ῥόδον ἀληθινὸν, πορφύραι ἀληθιναὶ Xenophonti & similia. Liberi homines sunt ac vocantur minimè ficti fucatique, simplices & aperti, veríque, qui quod sentiunt liberè loquuntur. Inde & liberum pro vero, quod Græcis ἀληθινὸν & πιστικόν. Sic *myrrha deror* est ἀληθινὴ μύῤῥα, ἡ πιστική. Ex Hebraico *deror*, quod libertatem denotat παραγωγικῶς Arabicum *darira* τὸ ἀληθινόν. Unde *casab darira* κάλαμος ἀληθινός. Quod κατ' ἐξοχὴν de aromatico intelligendum. Nam κάλαμον interdum absolutè vocant, Græci pariter Latinique calamum odoratum. Sic κινάμωμον ἀληθινὸν pro optimo de quo infra. Planta est, quæ in Ægypti palustribus nascitur, descripta Prospero Alpino in Exoticis: quam Ægyptii *casab aldarira* appellant eodem nomine quo calamum aromaticum, quæ & calami aromatici vice usurpatur inde loci medicis. Qui tamen non est verus ac legitimus calamus aromaticus, quem extra Indiam nasci non tradunt auctores, etsi *Alexandrinum calamum* nominet Celsus. Theophrastus etiam in Syria crescere affirmat. Quod falsum est. De variis ejus appellationibus vide Garciam ab Horto, apud quem legitur Arabibus dici *cassab* & *aldirira.* Item *cassab* & *derira.* Quod mendum typographi non est, aut error auctoris, ut censet Vir eruditissimus, sed certum est *darira* simpliciter ab Avisena vocari hunc calamum. Nec alienum est *cassab* etiam ab iisdem Arabibus nuncupari absque epitheto, cum Latini sæpe *calamum* & Græci κάλαμον similiter appellant absque adjectione odorati vel aromatici, ut & σχοῖνον de junco odorato. Inde error Avisenæ, qui utrumque juncum, communem & odoratum, eodem capite ac tractatu comprehendit. De quo infra. Quia autem in generibus aromatum, quæ maximè sincera sunt, ea optimè flagrantia & maximè odorata, hinc Arabes vocem ذريرة ad alia si fortè aromatica & suaveolontia transtulerunt, si modo de alio aromate quam de calamo odorato hoc vocabulum usurparunt. Non omittam hunc ipsum calamum nomine Arabico apud Charitonem scriptum repperiri, κασὲβ ἐλδέριρε. Quod melius, atque ita ommino scribendum, non *caseb elderire* aut *alderire.* Nam τὸ lam in articulo ال cum sequitur littera solaris mutatur in eam: ut الدين *eddin* vel *addin* judicium non *eldin* vel *aldin.* Sic *casab adderire* pronuntiandum: pro illo autem *casebedderire*, quasi una sit dictio. Græci βεβαρβαρωμένοι & Turcæ in officinis Aromatariorum Constantinopolis dicunt κασαβεδδέριμε, quia τὸ ε in ο mutant. Sic ζεβαρζὲδ pro τεβαρζὲδ, & τερπὲτ pro περβὲδ, & ζυλενάρ pro Gielenar.

CAPUT LXXXVII.

De Malabathro.

Malabathrum ex Græcis Latinisque scriptoribus satis notum. Latini *folium* absolutè nominant. Unde *foliatum unguentum*. Græcis quoque φύλλον ex quo φύλλινον μύρον idem ac μαλαβάθρινον. Arabes pariter سادج *sadhegi*. Quæ vox folium illis propriè significat. Alia herba est quæ φύλλον Dioscoridi nuncupatur. Hanc Herbarius Arabs apud Dioscoridem سادج vocitat absque ullo puncto, id est *sadeg*. At malabathrum non modo *folium* καϑ' ἐξοχὴν, sed etiam *folium Indicum & Barbaricum* quidam dixerunt, Græci φύλλον Ἰνδὸν & Ἰνδικὸν. Ita passim apud Myrepsum, in Dynamero parvo & aliorum Græcorum præcipue recentium scriptis indigitatur. Arabes quoque interdum شانج الهندي *Sadhegi Alhendi* vocant, id est folium Indicum. In hoc autem pæne omnis antiquitas Græciæ ac Latii conspiravit auctorum, ut *malabathrum* & *folium Indicum* una eademque res esset. Atqui certius vel eo quod est certissimum hæc duo folia differre, & malabathrum quidem esse Arabum *tembul*, تنبول & vulgatum *betel*. Folium vero Indum vel absolute folium ab Arabibus dici *sadhegi*. Hæc duo clare distinguunt Arabes folium betre vel folium betel, quod *tembul* appellant & folium Indum quod apud eos nomen habet *sadhegi* id est folium. Sic enim καϑ' ἐξοχὴν à Græcis pariter Latinisque dici meruit. Non defuere tamen hac ætate qui pertenderint folium betel & folium Indum esse idem, quos satis superque alii refutarunt. Hoc eo dico ne quis miretur antiquos ista minime discrevisse. Malabathrum veterum folio betre potius respondet quam folio Indo. Immo nihil verius quàm malabathrum esse folium betre sive tembul. Indi tamen *tamalapatra* hodie nominant, si fides Garciæ, non folium betre sed folium Indum à quo videtur deducta vox Græca Μαλάβαϑρον, nisi Indi hanc ex antiquo appellationem retinuerunt, quam didicerant per commercium Græcorum & Alexandrinorum institorum. Auctor Peripli maris Erythræi calamos folii malabathrini πέτϱυς appellatos dicit ab ipsis barbaris: καὶ ἐξινιάσαντες τοὺς καλάμους τοὺς λεγομένους Πέτρους ἐπὶ λεπτὸν ἐπιδιπλώσαντες τὰ φύλλα καὶ σφαιροειδῆ ποιοῦντες διείρουσι ταῖς ἀπὸ τῶν καλάμων ἴνεσι. Usque hodie servant hoc vocabulum & *betre* vocant ipsum folium. Custodiunt & morem eumdem duplicandi & complicandi hujus folii priusquam mandant. Quin & sic complicatum præparatumque donant abeuntibus amicis. Folium betre costas sive fibras habet duriores per longitudinem excurrentes quas ungue pollicis acuto eximunt. Hi sunt κάλαμοι apud auctorem Peripli & ἶνες καλάμων quas eximebant etiam olim barbari, & quibus convolutum & complicatum ipsum folium perforabant. Hac forma pilulæ conglobatum in externas regiones ferebatur. Hinc μαλαβάϑρον σφαιϱίον Græci passim nominant. Marcellus Empiricus cap. XXVI. *Folii sertulam & coronam, & spharam appellat*, qui ex aliorum more Folium absolute dictum cum malabathro confundit. Hinc *Folium Catasphæron* dicitur in notissima lege de Publicanis, qua aromaticæ & externæ species quæ in Romanum orbem ex India & Arabia importabantur, enumerantur. In qua *Folium Barbaricum* seorsim nominatur quod idem est cum Indico, ac diversum à malabathro sive folio Catasphæro quod in pilulam convolvi solitum erat. Ut hinc tibi constet fuisse & inter ve-

A teres qui distinxerint inter malabathrum & folium Indicum, cum utrumque passim ab auctoribus priscis unum idemque perhibeatur. Ab illa folii Malabathrini σφαιϱοειδεῖ ac globali forma tum quod *Syrium* ut reliqua omnia aromata sæpenumero diceretur, fuere qui prodiderint malabathrum arborem in Syria nasci, folio convoluto. Horum sententiam refert Plinius lib. XII. Quod folium sic convolutum adferretur, putarunt nonnulli ita nasci. *Folium* proprie dictum à malabathro distinguit Plinius, quia folium illud Nardi Indicæ fo-
B lium esse sibi persuasum habuit. Hoc etiam multi credidere tam ex Græcis quam ex Latinis omnis ævi. Quæ ideo recepta plerisque persuasio, quia nardi odorem præferret. Hoc de folio Indo quod *sadegi* Arabibus dicitur, non de folio betre hodie produnt, odoris esse suavissimi & nardi spicam referentis non tamen æque vehementis ut est nardus. At Dioscorides hoc idem de Malabathro tradit: Μαλάβαϑρον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τῆς Ἰνδικῆς νάρδου φύλλον, πλανώμενοι ὑπὸ τῆς κατὰ τὴν ὀσμὴν ἐμφερείας. Hæc omnia quæ de malabathro habet
C Dioscorides rettulit Avisena sub titulo *Sadegi* quod est folium Indum diversum omnino à malabathro, quando ex his quæ hoc loco & alibi in exercitationibus diximus satis claret malabathrum esse folium Betre sive tembul. Plinius de malabathro quod rectè à folio absolutè dicto separat, scabrum esse scribit & quodam salis gustu. Id convenit folio Tembul sive Betre, quod amarum gustu tradunt, & cum calce & Arecca præparari, folium ab ipsis Indis & convolvi. Addit mox idem saporem nardi sub lingua dare cum editur. Quod
D Folio Indo magis congruit, cui nardi odorem saporemque omnes tribuunt. Idem Plinius Folium describens, quod vult esse Nardi Indicæ folium, de ejus generibus ac differentiis ea explicat, quæ non possunt adpositè dici nisi de malabathro σφαιϱοειδεῖ cujus folia in pilulas convolvi moris erat. Ἁδϱόσφαιϱον & μεσόσφαιϱον, & μικϱόσφαιϱον, hæc tria genera recenset. Quæ totidem malabathri discrimina ex pilularum diversis modis recensentur ab auctore Peripli. Diversum tamen esse malabathrum à Folio per ἀντονομασίαν sic appellato
E annonæ amborum differentia eidem Plinio notata ex institorum atque officinarum relatione ostendit cap. XXVI. lib. XII. refert libram malabathri usque ad trecentos denarios pretio pervenisse. Hoc malabathrum de Folio Indico intelligendum cui sapor & odor Nardi. Hoc Indis hodieque *Tamalabatra* dici ajunt. At cap. XII. ejusdem libri laudatissimo folio è minimis pilulis quod inde μικϱόσφαιϱον appellatum, pretium in libram fuisse dicit denarios septuaginta quinque. Hic folium de
F communis Græcorum malabathri folio debes accipere, quod in pilulas complicabatur. Unde μαλαβάϑρον σφαιϱίον in Græcorum medicis scriptis sæpe occurrit. Sic permutatæ appellationes invicem, & altera in alterius locum sæpe transiit penes auctores. Per hæc tamen facile colligas duo ista folii genera veteribus fuisse cognita, sub uno nomine vel sub gemino potius, quod unius vicem modo ad hoc modo ad illud genus exprimendum obtinuit, incerta vagatione. Cæterum eò facilius ignoscendum veteribus qui confuderunt, quod hodie quoque reperiantur in hac luce rerum, pate-
G facto navigationibus ac calcato externo orbe, idem utrumque esse statuunt Folium Tembul & Folium Indum. Julius Scaliger in ea sententia libri contra Cardanum Exercit. CXLVI. qui Tembul & Folium Indum asserit idem & citrei mali folio simile tradit. Quod de Folio Indo verum, de Tembul

Tembul falsum. Amatus Lusitanus in eodem errore, & alii plures. Quin etiam Garcias de se fatetur hujus etiam fuisse sententiæ, priusquam in Indiam appelleret, qui tamen non cavit ab errore de quo admonet, sed in alio genere. Nomine quippe ea distinguit, re ipsa facit eadem. Nam folium Betre sive Tembul simile mali medicæ folio dicit. Quod de Folio propriè dicto, sive folio Indo non de Tembul affirmatur. Folium vero Tembul adeo indiscretæ similitudinis esse cum folio piperis omnes confirmant, ut nisi admotum propiùs utrumque & inter se ex proximo comparatum vix dignosci queat. Plantæ quoque utriusque multum de facie cognatæ & pari modo arbores adsitas scandunt. Auctor Peripli malabathri folia vitigineis similia videtur tradere ἀμαμπελίνων παραπλήσια. Quod instar etsi ex toto non congruat, non longe tamen abscedit. Saltem propiùs accedit ad hanc imaginem quam folium Indum, quod effigie traditur mali medicæ per extremitatem tantum angustius. At folium Tembul à recentioribus describitur convolvuli modo sese implicans arboribus à quibus sustinetur, cum compari pæne folio. Quod adminiculo eget ad sustinendum se, ex eo videtur nata opinio quorumdam veterum prodentium folium ejus innatare aquis stantibus more lentis palustris. Ut folium betre convolvuli folio simile narratur, ita & piperis folium eidem convolvuli folio comparat Geographus Nubiensis in septima parte secundi climatis. Longiora tamen piperis folia facit quam convolvuli. Vocat اللبلاب *alleblab*. De convolvulo majore qui *volubilis major* dicitur barbaris, intelligendum. Faseolum vertit Scaliger. Sed Faseolos Arabes nominant لوبيا *lubia*; ex Græca voce λόβια. De quibus supra. Nec tamen nego Faseolorum plantam vocari posse *leblab*, quandoquidem Arabes plantam omnem quæcumque circa aliam convolvitur hoc nomine appellant. De quo infra. Scribit Avisena folii Indi folia & calamos esse sicut *Sanesefram*, in Arabico est, الصاهفرم *alsahefram*. Sed omnino legendum: الشاهسفرم *alschesefram* vel *alxahesefram*. Hæc eadem est planta cui stipites dictamni idem assimilat. *Alschesefram* apud Alpagum scribitur. Garcias *saisifram* legit, & malè quasi ex verbis Avisenæ refert. Folium Indum iisdem cum nardo facultatibus præditum esse, ac folia habere *saisifram*. Non tantum folia sed stipites sive Thyrsos habere similes dicit Avisena, & in Arabico est قضبان id est, calami vel thyrsi. Falso etiam Garcias ibi asserit nihil Arabes de hoc folio in litteras misisse quod non è Græcis sumpserint. Istud quidem de calamis *xahesefram* quibus folii thyrsos comparavit, non opinor à Græcis habuit, qui nihil de eo dixerunt. Perperam apud Serapionem cap. LXXIII. puto legi *scexabram* pro *schesefram*, & eamdem herbam debere intelligi. Ocimum è Carmania interpretatur, & ocimum caryophyllatum ab odore caryophyllorum. Aliam herbam sic etiamnum vulgo exponunt quæ Avisenæ dicitur in vulgata versione *falamamischi*. Quod erratum Typographorum arbitror, cum scripsisset auctor *falaniamiski*. Jota cum Nun facile coaluit in litteram *M*. Arabice est فلنجمشك *falangiemusch* quasi dicas falangie muscatum ab odore musci. Cæterum apud Avisenam in Arabicis non legitur hoc *falangiemusch* esse ocimum caryophyllatum aut odorem habere caryophylli, sed tantum magis esse temperatum & minus siccum quam sampsuchum aut serpyllum. Apud Serapionem scribitur Felengemisch, & interpretatur ocimum caryophyllatum ac distinguit à vulgari & communi ocimo quod Arabicè dicitur باذروج *bedarugi*. Idem ergo erit *xahesefram* cum *falangiemusch* siquidem illud est quoque caryophyllatum ocimum ut volunt interpre-

A tes. Sane per vocem xahesefram τὸ βασιλικὸν Græcorum videntur exprimere voluisse Arabes. Nam composita illa dictio ex شاه *xahe* quod Persice regem significat & سفرم, vel سبرم *sefram* vel *sebram*. Utroque quippe modo scriptum reperitur. Quod quærendum quid sit. Notavit Alpagus scribi in libro Alchuin Arabico vocabulum illud odoris regalis habere significationem. At illud sefram pro odore ex Græco ὄσφρη quod est ὄσφρησις. Sed & صفر spira-

B re, flare, unde صفارة fistula quæ inspiratur. Scribitur tamen per Sad non per Sim. An ex Hebraico צפירה corona vel sertum vel cidaris, quasi regiam coronam dixeris quæ ex hoc genere ocimi fieret plerumque ob egregium ejus odorem. Unde & βασιλικὸν Græci dixerunt. Cidares autem & coronæ regiæ ex pretiosis aromatis fiebant: Hesychius: κίδαρις πῖλος βασιλικὸς, ὃν καὶ τιάραν καλοῦσιν, ἔστι δὲ ἐκ σμύρνης καὶ λαβύζης· ἡ δὲ λάβυζος ἐστὶ πολυτιμοτέρα αὐτῆς τῆς σμύρνης καὶ ὀξεῖα ἥδιστον, καὶ θυμίαμα ἐστὶ κάλλιστον παρὰ βασιλεῖ· ἐκ τούτων ἡ κίδαρις πέπλασται. Quod κίδαριν etiam dici adnotat

C ibidem Hesychius originem melius vocis indicat ex Hebraico כֶּתֶר. Pari porro exemplo Melitotos Græcorum Arabice dicitur, اكليل الملك *achlil almelech*, id est, corona regis. Ita μελίλωτον Dioscoridis Avisena vocat & Herbarius Arabs in antiquo codice. Vitiose apud Prosperum Alpinum legitur *alchimelech* pro aclil melech ubi de Ægyptio meliloto tractat. Ita ergo & xahefram ocimum caryophyllatum quasi corona regis. Sed *tsephirah* pro corona per Tzade scribitur quod respondet Arabico Sad. Verius fortasse ex Græco mutuatos illud *Scebram* vel *Sebram*. Illud indicio est quod mo-

D do per Fe modo per Be hanc vocem scribant. *Sebram* inquam aut *sefram*. Solemne autem illis est Græcorum Π interdum in Fe mutare ut πράσιον, فراسيون *frasiun*, interdum in Be ut παῦλος باولوس *baulus*, & similia sexcenta. Genus est Tithymalli quod Græcis ὀξύπορον dictum, Latinis barbaris *esula* ab esu. Hoc Arabes dixerunt شبرم *scebram* ab illa voce Græca ὀξύπορον quæ significat quidquid ex aceto editur. Unde ὀξύποροι δυνάμεις medicis antiquis,

E & *oxyporum moretum* Columellæ. Ocimum quoque inter condimentarias herbas apud veteres ut hodieque in usu. Quod & ὀξύπορα propriam appellationem ea de causa sibi magis ex merito vindicavit quod aceto inspergeretur in ipso satu ut citius veniret. Palladius in Octobri: *Ocimum quoque etiam nunc seremus quod citius fertur nasci hoc tempore si aceti imbre spargatur infuso.* Inde Arabibus quoque appellatum شبرم aut شفرم *xebram* aut *xefram* ex ὀξύπορα voce deflexa. Inde

F شاهشبرم *xahesebram* τὸ βασιλικὸν ὀξύπορον. Interpres Serapionis ita legisse videtur qui habet *scexebram*. Apud Avisenam capite de Dictamno legitur الساهسبرم *alxahesebram*. Sic enim scribendum. Ubi tamen vetus interpres scripsit *alsahesefram* & sic habetur scriptum capite de folio Indo, ubi folium Indum ramis ac thyrsis similem facit *alxahesefram*. De quo viderint Herbarii. Tale oportet fuerit Ocimum Carmanicum quod sic propriè appellabatur teste Serapione. Quod autem liber Alchuin *odorem regalem* interpretatur, id etiam convenit nomini βάλσαμον Græcorum

G sonatque odorem regium, quasi בעל-סם *baal sam*, id Arabice etiam diceretur بعلشم *baalxam* id est unguentum vel aroma dominantis. Ipsi Balsamum dicunt بلسان *balsan* ex Græco βάλσαμον. Balensan vocari ab Ægyptiis tradit Alpinus. Vox vetus Phrygum

gum qua & Græci veteres Tragici usi βαλλὴν pro rege quam ex illo Hebraico בעל deductam liquet. Linguam priscorum Phrygum & Armeniorum eamdem fuisse prodit Strabo. Sed hæc obiter. Persequamur de Folio. Scribit Garcias veluti ex Avisena, nonnullos existimasse, foliis *golfan* esse simile. Nescio unde extricaverit illud *golfan*. Nihil tale in Avisena Arabico, quo quosdam putasse folia esse النارد‍ين *alnardin*, id est, nardi. Verba Dioscoridis transtulit ad litteram eo loco Avisena, μα-

A λάβαθρον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τῆς ἰνδικῆς νάρδου. Eam *nardin*, id est, nardum absolutè vocavit Avisena duobis locis eo capite. Clusius pro *golfan* in sua versione Garciæ reddidit nymphæam nescio quid sequutus. Arabes ὅρμινον Græcorum vocant *giolban* vel *guilben* جلبان quod accedit ad illud *golfan*. Quod quid sit prorsus ignoro. Sed hoc scio quidquid sit nihil ad historiam Folii pertinere. Miror esse quibus idoneus auctor videtur ille Garcias, quem ego comperi fallacissimum

B ac vanissimum in plerisque.

CAPUT LXXXVIII.

De costo.

Cum folio costum junxit Plinius. Ea propter & illi hoc subjungere visum est. Non possum autem mihi persuadere *Costum* id genus quod sic vocatur hodie in officinis, & quo uno quasi legitimo sunt usæ ab aliquot centum annis retro, eodem genere contineri cum veterum costo. Nimis multa diffident quam ut queant invicem conciliari. Græci Latinique auctores qui ante quingentos annos & infra de re medica aliquid composuere, duo genera costi passim commemorant, dulce & amarum. Κοστὸ γλυκέ & πικρὸ ubique obvia mentio in scriptis medicinalibus & Glossis Græcorum. Macer Pseudonymus tractatu de speciebus exoticis:

> *Costi sunt geminæ species, gravis una rubensque*
> *Est & amara nimis: hæc Indica dicitur esse.*
> *Altera vero levis nec amara, colore sed albo.*

Glossæ Græcorum medicæ κοστὸν γλυκὺν interpretantur Arabicum: Κοστὸς γλυκὺς ὁ ἐξ Ἀραβίας. Macro Indicum costum amarum est in primis. Sic dulce costum esset Arabicum, amarum Indicum. Sed ecce costum etiam Indicum esse dulce apud Geographum Nubiensem in decima parte climatis tertii. Ad ripas cujusdam fluminis Indici *menhar* dicti prope fines Sinensium arbores agallochi nasci tradit & *costum dulce*. القسط الحلو *alcost alholu*. Quod sonat costum dulce. Ut mirer potuisse quosdam de stacte interpretari quæ nihil habet cum costo commune. Certum est autem Arabes costum vocare قسط *cost*. At *costum dulce* non eo sensu dicitur quo barbaris *assâ dulcis* pro odorata. Hîc dulcis ad olfactum refertur, ibi in costo, ad gustum, ut vocabula Arabica in utroque demonstrant. Ab illo cognomine costi حلو, dulciariæ confectiones quæ γλυκύσματα Græcis vocantur, ut sunt placentæ & omnia mellita pemmata, حلاوات. Miror etiam in Lexico Raphelengii *cost* exprimi stacten. Quidam Hebraicum קדה quod est casia de costo interpretati sunt ut Saadias. In Malaca ubi plurimus est usus *puchi* vocari tradit Garcias, & inde in Sinarum regionem deferri. Gustu esse nec amaro nec dulci idem scribit. Atqui Auctor Nubiensis genus costi fuisse indicat quod cognominaretur dulce à gustu quem exhibet talem. Sic Græci recentiores passim in suis scriptis κοστὸ πικρὸ καὶ γλυκέ meminerunt. Ut apud Charitonem καὶ κάκουλαν, καὶ κόστον γλυκὺ καὶ μακροπέπερι. Et alibi: κόστον πικρὸν κόστον γλυκύ. Et sic apud alios. Indici costi & Arabici mentio apud Dioscoridem, item Syriaci, sed nulla amaritudinis aut dulcedinis in quolibet eorum genere distinctione. Quin immo levem admodum amaritiem costo inesse traditum Galeno, nec ullum genus dulce facit. Luce itaque liquida clarius, non esse costum veterum quod costum vocant officinæ, quorum alterum dulce, amarum alterum. Garcias costum quod hodieque Arabibus hoc nomen servat, *cost* vocan-

C tibus, sambuci effigie esse tradit & arbuti aut juniperi magnitudine, florem odoratum proferre; præstare autem qui intus candidus est, cortice cinereo, gustu nec dulci nec amaro. Non docet Garcias utrum ligni an radicis usus sit. Immo innuere videtur lignum adsumi. De radice nihil etiam Dioscorides, sed cum dicat adulterari solitum radicibus helenii commageni, radicem esse costum non obscurè significat. Præterea cum in piperis historia tradit piperis radicem similem esse costo, planè innuit costum esse radicem. ἔοικε μὲν τοι κόστῳ ἡ τοῦ πεπέρεως ῥίζα. Plinius solius radicis utilitatem in costo asseri, reliquo frutice inutili. *Radix & folium Indis & maximo pretio.* Radix *costi gustu fervens, odore*

D *eximio, frutice alias inutili.* Duo genera facit, nigrum & candicans, utrumque Indicum. Dioscoridi, Arabicum candicans, nigrum Indicum. Auctor Peripli inter alias merces Indicas quæ ex emporio Indiæ Barbarico advehebantur & κόστον nominat: ἀνθφορτίζεται δὲ κόστος, βδέλλα, λύκιον, νάρδος. Costum illud Indicum nigrum est Plinio ac Dioscoridi, quod non potest esse idem cum costo descripto à Garcia, cujus cortex cinerei coloris cum intus sit candidum. Sed nec candidum Dioscoridis aut Plinii costum idem videri queat cum illo Garciæ. Candidum simpliciter esse dicunt, in exteriori nempe parte. At co-

E stum Garciæ intus candidum, extra cinereum. Præterea costum veterum radix fuit. Theophrastus de odoribus: τὸ ἀμαράκινον ἐκ τοῦ κόστου, τούτου γὰρ ὀνομάζουσι ῥίζαν. Costum Garciæ arboris ramus & lignum cum suo cortice. Nihil simile. Multo minus fuerit costum officinarum dulci & amaro discretum, quorum alterum rubrum, alterum candidum. Costo suo veteres usi ad aromata & thymiamata, idque in ara incendebant haud secus ac tura. Propertius:

> *Costum molle date, & blandi mihi turis honores.*

Plinius lib. XXII. cap. XXIV. *Odorum causa unguentorumque, & deliciarum si placet, etiam superstitionis gratia emantur, quoniam ture supplicamus & costo.* Ex his constare opinor costum nunc vocari ὁμωνύμως eam

F speciem quæ prorsus alia sit ab antiquorum costo. Garcias ab Horto refert costi arborem ab his qui viderunt describi sambuci effigie & arbuti aut azimbri magnitudine, flore odorato. Scaliger in castigationibus ad Garcian notat ad hunc locum nescire se an *azimbro* sit azimiar, hoc est buxo. Nam ita omnino esse apud Avisenam ex Dioscoride, *similis est buxo.* Immo tota res diversa, vocabula non eadem, nihil prorsus simile. Garcias tradit costi arborem, de costo autem hodierno loquitur quod omnino diversum ab antiquo, esse sambuci effigie, magnitudine autem arbuti aut azimbri. Dioscorides vero scribit ex tribus costi generibus quæ radices sunt, Syriacum buxi colore esse. Hoc transtulit ad verbum

G Avisena. Nulla igitur cognatio *azimbri* Garciæ cum *azimiar* Avisenæ. Sed nec *azimiar* pro buxo apud Avisenam legitur, ut asserit Scaliger, qui suis oculis non videtur hic usus. Vetus interpres Carmonensis habet, *est similis alsemsar, id est buxo.* In editione

editione Arabica scribitur الشمیار *alsemiar.* Pro quo legisse videtur Gerardus الشمسار. Alicubi etiam legi الشمشاذ *alsemxad* pro buxo. Quod nescio an sincerum sit. In antiquo Lexico Latino-Arabico invenitur بقس *buxus.* Quæ vox ex Græco πύξ☉. Nam Пı Græcorum sæpe mutant in Be, dum *Betrus* & *Baulus* dicunt. Judæi magistri voce illa Arabica exponunt Hebraicam תְּאַשּׁוּר quam & similiter Hyeronimus buxum reddidit. At Garciæ *azimbro* est juniperus, qui & *zimbro* dicitur Lusitanis. Mirum porro antiquos Arabes ut Serapionem & Avisenam distinctionis illius qua costum in dulce & amarum dividitur non meminisse, sed omnia quæ de costo præscripserunt è Dioscoride sumpsisse quasi idem esset costum quo tum utebantur cum Græcorum veteri. Serapio præcipuè nihil habet quod non ex Græco auctore transcripserit. Avisena quædam interpolat. Dioscorides tria genera costi recenset, Arabicum, Indicum & Syriacum, quæ & coloribus discrevit. Nam Arabicum album facit, Indicum nigrum, Syriacum buxei coloris. Avisena de Arabico quidem dicit album esse, sed ad rubedinem sive citrinum colorem vergere. Quod interpres omisit. Macer ex duobus costi generibus Indicum rubens statuit quod & amarum facit. Avisenæ Arabicum rubet, Indicum nigrum est ut etiam habet Dioscorides, κῦφ☉ καὶ μέλας, ὡς νάρθηξ. Pro quo apud Avisenam est, صلب القثا. Ergo ibi القثا *alcheta* est ferula sive νάρθηξ. Et ita hæc vox Græca in antiquo Dioscoride per Arabicam قثا *chetha* exponitur ab Herbario Arabe. Alii cucumerem interpretantur ut habes in Lexico. Addit etiam Avisena præter Dioscoridis sententiam de tertia specie eam habere odorem aloes. Nihil in Græcis tale: τρίτ☉ ἐστὶν ὁ Συριακὸς βαρὺς, τὴν χρόαν πυξώδης. Forte illud βαρὺς ad odorem gravem & ingratum retulit qualis est in aloë. Dioscorides de pondere intellexit. Duo priora genera Arabicum & Indicum κῦφα esse dixit, hoc tertium grave dicit, & ponderosum. Addit & πληκτικὴν τῇ ὀσμῇ hanc tertiam speciem esse costi. Quod non de malo ac gravi odore accipiendum, sed de vehementi ac sensum feriente. Vide nunc differentiam veterum ac recentium costi. Arabicum Dioscoridi præcipuum bonitate; album ac leve. Indicum notæ secundæ; nigrum ac minime quoque ponderosum. Macro Pseudonymo Indicum rubens & grave, alterum genus leve & album. Hæc duo Neotericis costi genera tantum recensentur, quæ alii in dulce & amarum disparant. Tertia antiquis agnoscitur species Syriaca quam & Romanam indigitat Avisena, الرومي *Alrumi* quia Syria pars Romani olim imperii à quo alienæ Arabia & India. Jam illa maxime notabilis differentia hodierni costi & veteris, quod radix hoc erat, illud non radix. Nec puto heîc lapsos antiquos ut nescierint discernere visu radicem à ligno, præsertim cum tradat Dioscorides piperis radicem similem esse costo. Sunt quibus persuasum est zedoariam communem esse ex costi antiqui generibus, quin. immo & primum genus Arabicum Dioscoridi memoratum idem cum zedoaria velint. Multas quippe similes habere notas; & zedoariam antiquis incognitam, nec nomine proditam quam forte sub costi appellatione noverint. Sed his non assentior. Nam κόστος veteribus semper pro aromate insigni habitus & odoris eximii quod non habet zedoaria. Unde cum thure adolebatur in aris, ut supra ostendimus. Hesychius: κόσ☉ ἄρωμα τι. At zedoaria medicamentum potius quam aroma, sed de zedoaria & zerumber infra. Considerandum porro de costo an eadem possit videri arbor ex qua suum veteres sumpserint, & ex qua hodiernum sumitur. Radice sola videntur usi veteres. Hodie magis lignum est in usu. Quid prohibet ex eadem arbore utrumque ductum? Sambuci effigiem habere costum scribit Garcias. Quod κῦφον tradit Dioscorides, & similitudinem νάρθηκ☉ in eo agnoscit, non nimium longe recedit à natura costi illius de quo tractat Garcias. Et hoc fecerit differentiam quæ in colore cernitur antiqui costi & nostri. Etenim non ejusdem coloris est lignum cum radice vel in eadem arbore; verum hæc in medio relinquo. Hoc mihi sufficit heîc ostendisse diversum esse costum quo utitur hæc ætas ab eo quo usa est antiqua.

CAPUT LXXXIX.

De nardo.

Quis ignorat nardum Indicam non ejusdem posse generis constitui cum nardo Celtica, vel Cilissa & montana? Quid enim tam facie dispar? De effectu nihil dico. Nempe non hic facit congeneres plantas. Montana nardus in Cilicia & Syria plurima, sine caule, sine flore, sine spica. *Hæc Syriaca nardus* veteribus cognominata. Indica quoque nardus Syriaca appellata quod ex India in Syriam deferretur, è Syria porro in reliquas Europæ Asiæque regiones. Sic *Syriacus calamus*, *Syriacum malabathrum*, *Syriacus juncus*, *Syria myrrha*, *Syrium thus*, quas tamen omnes species in Syria non nasci compertum erat. Σύρια λίβαν☉ Euripidi dicitur in bacchis. Σύρια σμύρνη. Philodemo in epigrammate. Hinc Archestratus apud Athenæum thus & myrrham fructus Syriæ vocat.

> Καὶ σμύρνην λίβανόν τε πυρὸς μαλακὴν ἐπὶ τέφρην
> Βάλλε πανημέριον Συρίης ἄδεα καρπόν.

Vera nardus Syriaca spicam non habuit: altera Syriaca eademque Indica, habuit. Ex eo veteres auctores passim spicam tribuunt spicæ Syriacæ etiam cum de nativa Syriæ nardo intelligunt. Pluribus locis apud Scribonium Largum occurrit mentio *spicæ nardi Syriacæ.* Meleager in Pancarpa poëtarum corona spicatam facit nardum Syriacam:

> Ναὶ μὴν καὶ Συρίην σταχυότριχα θήκατο νάρδον.

Hæc cum videret Dioscorides vel alius fortasse eo antiquior quem sequitur, commentus est joculari cogitatione nardum Indicam, Syriacam quoque appellatam fuisse quod in quodam Indiæ monte nasceretur eo latere quo Syria prospectatur. Quod ridiculum sanè est commentum, & tanto auctore indignum. Sic duplex Syriaca nardus, nativa altera Syriæ sine spica: altera Indica in Syriam deferri solita, spicata. Hinc quod alterius erat proprium, utriusque promiscuè commune esse voluerunt. Alia est vulgaris nardus quam quidam ex veteribus nominarunt pseudonardum. Ea *spica* ab omnibus fere hodie gentibus Europæis absolutè appellatur. Græci quoque recentiores στάχ☉ nuncuparunt. Atqui veteres solam Indicam nardum sic vocant tam Græci quam Latini. Νάρδε στάχυν & *nardi spicam.* Interdum etiam κατ' ἐξοχὴν στάχυν & *spicam.* Macer vulgaris caput habet inter species exoticas *de spica:*

Esse gradu primo calidam siccamque periti
Testantur spicam, quæ dicitur Indica nardus.

Spica igitur absolutè de Indica. Cognomento addito aliæ nardi vocantur, ut *Celtica spica* apud eumdem de Nardo Celtica:

Est nardi species, quæ Celtica spica vocatur.

Hodie vero *spica* ut diximus, sola ea nardi species nominatur quem veteres pseudonardum indigitarunt. Eam Apicius *nardi spicam* disertè vocat, quo nomine solam Indicam nardum antiquis cognitam scimus. At nardum Indicam ipse vocat *spicam Indicam.* Nec enim aliter accipienda hæc ejus verba in Laterculo pigmentorum: *costum, caryophyllum, spica Indica, Addena cardamomum, spica Nardi.* Neophytus in Ἀντεμβαλλομένοις στάχος ponere videtur pro vulgari spica ita absolutè dicta, & νάρδου στάχυν pro nardo Indica: ἀντὶ νάρδου στάχυος, στάχος. Arabes nardum cujuscumque ferme generis *spicam* vocant السنبل *alsimbel.* Spicam sic nominant ex Hebraïco שִׁבֹּלֶת vel סִבֹּלֶת. Inde & virginem in astris ob spicas quas manibus tenet vocarunt سنبلة *simbalath* id est spicariam, vel spicigeram. Hoc de nardo generale nomen in plures species dividit Avisena. Ex his una est quam appellat الناردين *alnardin.* Nardum vel nardi spicam sive nardum Indicam putes designasse. Hoc nomine vocatam docet nardum Romani orbis sive Celticam. Quam & absolutè nuncupat ناردين *nardin*, in littera Nun, & explicat السنبل الرومي *alsimbel Alrumi.* De qua plura se dixisse admonet in littera Sin, capite de *sembel*, id est de spica. Vetus interpres Carmonensis semper pro *nardin* reddit *nereiden.* Videtur transposita una littera legisse in Arabico ناريدين. Unde ipse fecit *nereiden.* Male in Lexico vulgari ناردين *nardin* exponunt unguentum nardinum cum nardi sit species Avisenæ eademque cum nardo Romani orbis, quam vocat *sembel Rumi* id est spicam Romanensem, & *sembel Alkeliti* الاقليطي. id est spicam Celticam. Legitur paulo infra الغليط corruptè pro اقليط *Alkelit.* Quod positum pro *Alkelt.* Sed Arabes sæpe vocales interserunt vocibus quas ex Græcia aut Latio mutuantur, ubi duæ concurrunt consonantes. Unde & *neriden* potuerunt dicere pro νάρδον. Ubique tamen scribitur *nardin.* Quod ex Græco est νάρδιον. Sic سين *Sin* pro Σίον & lein pro λεῖον Græco لين. Hoc ipsum etiam ex idiomate recentioris Græciæ quæ νάρδιν pro νάρδιον, & μέλανιν pro μελάνιον. Non igitur unguentum nardinum significat sed nardum, Arabicum illud *nardin*, post paulo nardum montanam idem Avisena vocat الناردين جبلي *alnardin Gebali.* Et in voce sadego nardum Indicam nominat الناردين الهندي *alnardin alhendi.* At *nardin* absolute dictum pro nardo Romana vel Celtica ponit. Interpretes apud Avisenam duo tantum genera nardi faciunt, sic enim vertunt: *Spicæ duæ species quarum una spica est Aromatica, & est spica avium; & altera est Nereiden & est spica Romana.* Sic quoque interpres Serapionis qui omnia sumpsit ab Avisena: *Sumbel est spica. Sunt ejus duæ species. Nam est quædam bona, & est Indica & est alia Romana, & est Celtica & est montana.* Ridiculum cum tot species enumerentur duas esse duntaxat pronuntiare. Ex Dioscoride hoc sumpserunt apud quem legitur, νάρδου ἐςὶ δύο γένη. Sed ille

A eo capite nardum Indicam solam describit quam & in duo genera partitur. Postea diversis ac divisis capitibus de Celtica nardo & montana tractat. Avisena vero & post eum Serapio capite de spica omnia simul genera nardi complexi sunt. Non igitur duas solas species posuisse censendi cum longe plures recenseant. Nec sanè hoc dicit Arabica lectio quam non videntur assequuti interpretes. Ideo interpretationis loco inseruerunt quod Dioscorides de sola Indica nardo tradidit, ad explicandas omnes nardi species. Avisena *spicæ* nomine id est *sembul* nardum omne prosequitur. Exponit igitur quid sit

B spica & dicit esse ut in Arabico textu habetur, السنبل سنبلان سنبل الطيب, *alsembel sembelen, sembel althib.* Ad verbum id est, *spica spicarum, spica odorata.* Nullum heîc de duabus spicæ speciebus vestigium. Verbis illis definitionem spicæ, cum pro nardo absolute usurpatur, explicavit. Sembel Arabibus proprie spicam frumenti & quamlibet spicam notat: κατ' ἐξοχὴν vero nardi spicam significat. Hoc igitur expositurus Avisena spicam sic absolutè sumptam, definit esse spicam spicarum, & spicam odoratam vel aromaticam. Notanda por-

C ro illa locutio السنبل سنبلان, *alsembel sembelin*, spica spicarum, de excellentissima spica & per excellentiam sic vocata. Ita in sacris Mithræ πατὴρ πατρῶν dicebatur, primus inter patres id est sacerdotes Mithriacos. Nam *patres* vocabantur. Sic ἐπίσκοπος ἐπισκόπων non aliud vult quam primum inter Episcopos, in numero parium eximium egregiumque. Eodem sensu & in veteri inscriptione *consul consulum* dicitur pro præstantissimo consule, & prædecessores suos successoresque dignitate antistans. In Idiotismo nostro vulgo *bonum bono-*

D *rum* dicimus pro eximie bono. Nihil denique tritius isto loquendi modo. Ita ergo *spica spicarum* pro egregia spica & κατ' ἐξοχὴν hoc nomen spicæ promerita. Ea est spica aromatica sive nardus, quam *sembel althib* vocat Avisena. Interpres Serapionis vertit *spicam bonam*, quia طيب *thib* bonum significat; Unde طيبان, bona divitiæ. Pro aromate etiam sumitur totidem litteris, طيب. In-

E de *sembel* الطيب, spica aromatica. Ita etiam vocat assam odoratam quæ vulgo *assa dulcis* & opponitur assæ fœtidæ. خلتيث طيب *halthith thib.* Certe & *bonum odorem* Latini dicunt pro suavi & aromatico. De qua infra. Ubi exposuit Avisena nomen *sembel*, pro nardi spica quam & spicam odoratam, & spicam propriè & absolutè dictam indicat, quasi spicarum omnium excellentissimam, species spicæ varias & ap-

F pellationes differentes protinus subjicit, ut eam quam interpres reddit, spicam avium, & nardum, & spicam Rumi, & spicam Celticam. Deinde meminit spicæ Syriacæ & Indicæ. Quam primo loco memoravit, ea est spica avium interpreti. In Arabico est سنبل العصافير *sembul alhasafir.* Ad verbum est spica avium vel spica passerum. Sic *usnan* herbam vulgo appellatam perhibent خرو العصافير *charu alhasafir* id est stercus avium. Non video tamen quæ ratio sit hujus appellationis in nardi spica, ut avium

G dicatur spica aut passerum. Bellunensis in Lexico *usnen asafir album* appellat, & interpretatur usnen fullonum album. *Asafir* non sunt fullones, sed passeres. Fullo Arabibus dicitur قصار *casar.* Fullonibus quidem usui herba illa quæ vulgariter stercus *hasafir* id est avium dicebatur, non *usnen asafir.* Hoc nomen in singulari numero habet عصفور *hasafor*, vel *hasafur.* Quod

Quod & pro herbæ genere sumitur quam interpres Avisenæ barbare reddit *crocum hortulanum.* Hujus mentio apud Avisenam eo ipso capite de spica nardi, ubi nardum montanam foliis ac cauliculis similem esse tradit. العصفر *alhasafar.* Dioscorides pro eo habet ἠρυγγίῳ. De nardo montana: φύλλα δὲ καὶ καυλὸν ὅμοιον ἔχουσα ἠρυγγίῳ. Ergo eryngium Græcorum Avisenæ dicitur hasafar. Peculiare caput extat apud eundem de hasafar in littera Ain serie VI. عصفر. Vetus interpres reddidit *de croco hortulano sive cartamo.* Certè Hispani cartamum vocant *alaçor*, quod videtur corruptum ex *alhasfor.* Nam Bellunensis legit apud Avisenam *hasfor*, quasi in Arabico fuerit عصفور. Quod avem significat cum ita scribitur. Hic est κνῆκος Græcorum, quem Arabes etiam vocant قرطم *kartam* De quo speciale habetur capitulum apud Avisenam. *Crocum hortense* vulgo vocitant quia teste Dioscoride florem habet similem croco. At diversum eryngium ab hoc croco hortensi sive cartamo. Si eryngium est hasafar ut heîc voluit Avisena, aliud erit hasafar quam cartamum, & male interpres Avisenæ qui crocum hortulanum transtulit, & hasafar cum cartamo confudit. Sanè distinctis capitibus utrumque tradidit Avisena, cui tamen alioquin sollemne res easdem quæ diversas habent appellationes diversis locis reddere. Serapio eryngium vocat *karsahane* aut *darsahane*, quæ corrupta sunt vocabula. *Tharikaan* apud Avisenam legitur, طرجقان. Quod similem habere florem scribit croco hortulano. Ita etiam interpres reddit quod in Arabico est العصفر *tarifilon* etiam legit eo loco pro *tarikan*, & trifolium interpretatur. Profectò si Arabicum asafar idem est cum cartamo sive croco hortensi erravit Avisena qui ἠρύγγιον Dioscoridis sic convertit. Vereor ne deceptus sit aliqua similitudine foliorum eryngii & cneci. Utraque spinosa, foliis asperis. Eryngio etiam *florem galbineum* tribuit Vegetius de re veterinaria id est luteum. lib. III. cap. II. *Eryngion herba dicitur quæ in littore nascitur prope undam maris. Florem habet quasi aureum vel galbineum. Folia ejus sunt quasi cardui silvestris.* Avisenæ *hasafar* sive eryngium lutei quoque coloris florem fert. Nam inde illi nomen à صفر quod luteum vel croceum notat. Ex eo عصفر *hasafar*, eryngium Avisenæ quod

A crocum hortulanum veteri interpreti à flore luteo. Sic autem semper apud eum hæc vox scribitur quoties pro herba sumitur, non عصفور, *hasafur.* Ita scribi debere opinor duntaxat cum pro ave accipitur. Hujus plurale عصافير *hasafir*, quod generaliter de omnibus avibus ponunt Arabes. Id ex Hebraico צפור, quæ appellatio communis est omnium minutarum avium. Interdum tamen & specialis est pro passere. Hæc igitur duo vocabula differunt origine *halasafor* pro ave, & *halasafar* pro herba cujus flos

B croceus. Hoc sine Vau scribitur عصفر illud cum Vau ut in Hebræo. De eryngio porro viderint Herbarii nostri quale illud sit cui nardus montana similis, & an rectè ab Avisena eryngium Dioscoridis Arabicè *hasafar* redditum sit quæ herba est flore luteo, cui & similem tradit nardum montanam. De nardo quæ ab eodem dicitur *sembul alhasafir* id est spica avium inquirendum. Vix ego dubito corruptam hanc dictionem in Avisenæ codicibus. Interpres Serapionis eodem ordine enumerans varia nardi genera sicut habentur apud Avisenam *spicam Indicam*, pro spica avium recenset. Nu-

C gæ sanè sunt æves illæ à quibus denominatur hæc spica. Sed nec locum heîc habere potest herba *hasafar.* Puto Sapharitticam Dioscoridis nardum voluisse exprimere Avisenam. In descriptione Indicæ nardi meminit Dioscorides τῆς Σαφαριτικῆς quam à loco ubi nascitur, sic dictam docet. Indiæ aut Arabiæ oportet esse eam regionem. Σάφαρα in Arabia ponit Ptolomæus. Saphar Plinio vocatur. Nardum etiam in Arabia nasci prodit Strabo. Cum omnes è Dioscoride nardi species referret Avisena τὴν Σαφαριτικὴν non omisit quam الضافير vel

D سنبل الصافار, *Sembul alsafar*, vel *alsafir* nominavit. Eam vocem cum ignorarent librarii in notius vocabulum corruperunt cujus mentio occurit illo ipso capite. Hæc indubitata sunt. Cum ceteras nardi species spicæ appellatione donarit Avisena solam montanam quæ spica caret, vocavit *nardin gebali.* Commemorat etiam ibidem spicam الهندي, & السوري *Albendi* & *Alsuri*, Syriacæ & Indicæ. Ex Dioscoride omnia. Nihil enim habet quod ab illo non habeat, ut minus mireris de *saphar-*

E *ritica.* Nardum Hebræi vocant נרד *nerd.* In Canticis. Quidam rosam interpretantur. Apud Serapionem *nard* est rosa, sed corruptum est pro *Vard*, ورد. Nardus hodiè vocatur ab indigenis *cazçara.*

CAPUT XC.

De cardamomo.

Cardamomum Græci Latinique auctores infimi ævi id vocant, quod omnino diversum videtur à veterum cardamomo. Genus illud, quod Arabes appellant قاقلة *cacule*, interpretes vulgo reddunt *cardamomum.* Reprehenduntur à doctis medicis, qui negant *caculam* Arabum esse καρδάμωμον Græcorum. Possumus in hoc illis assentiri. Sed quod iidem asserunt eos interpretes pro arbitrio voci illi Arabicæ nomen, quo eam exprimerent apud Græcos quæsisse, non est illis hac parte accedendum. Græci omnes recentiores καρδάμωμον vocant, quod Arabibus *kakela* vel *kakula* dicitur. Avisena caculam dividit in majus & minus. Illud *cacule kebir* قاقلة الكبير. Alterum قاقلة الصغير *cacule alseguir.* Nicolaus My-

F repsus similiter καρδαμώμου μεγάλου καὶ μικροῦ omnibus fere locis meminit. In Antidoto Diaphiledoni: πύρεθρον, καρδάμωμον μέγα. Item in Antidoto Diacydonion: καρδάμωμον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν κινάμωμον, & alibi passim. Cardamomum igitur est Arabum *cacula.* Quidam ex Græcis Arabicam vocem retinuere ut Charito qui κάκουλαν ubique vocat. Et in Serabii cujusdam compositione: κασίας τὸ διπλοῦν ἢ καρεόφυλλον ἢ κάκουλαν, ἢ κόστον γλυκύ, ἢ μακροπέπερι, & alibi. Eo igitur quæstio redit an καρδάμωμον recentium Græcorum idem sit cum cardamomo

G veterum. Non esse multa probant quæ exposuimus in Exercitationibus. Quod si idem utrumque contenditur sane fatendum erit scriptores vetustos negligenter admodum versatos fuisse in tradendo cardamomo; quando ea quæ dicunt adeo parum pariant cum his quæ in cardamomo hodie videmus ac sentimus. Frangenti con-

contumax prædicant, gustu acre, subamarum, & odore caput feriens. Nihil horum in cardamomo hodierno percipitur. Argumentum negligentiæ veterum ex eo magnum in cardamomi exequenda historia animadvertere licet, quod aliquam videntur affinitatem inter κάρδαμον & καρδάμωμον agnoscere, inter cardamomum & nasturcium. Nominis Græci vicinitas hanc illis objecit imaginationem. Galenus: Καρδάμωμον ἐστὶ μὲν ἀμέλει καὶ τοῦτο θερμῆς ἱκανῶς δυνάμεως οὐ μὴν οὕτως ἰσχυρῶς ὡς τὸ κάρδαμον. Quæ similitudo alia καρδάμου id est nasturcii cum καρδαμώμῳ possit afferri præterquam nominis non video. Innuunt tamen verba illa Galeni aliquam esse cognationem facultatis inter cardamum & cardamomum. Idem adstruas ex Pauli Æginetæ verbis: Καρδάμωμον θερμὸν μὲν καὶ αὐτὸ, τοῦδε καρδάμου ἀσθενέστερον. Hoc parum esset, nisi etiam posterius ævum in Græcia ac Latio pariter, cardamomum pro nasturcio id est cardamo usurpasset. Isidorus: *cardamomum herba, quod vulgus nasturcium vocat:* Glossarium vetus Latino-Arabicum ante octingentos annos scriptum: cardamomum, nasturcium, جيزران *giaizaran.* Si punctum superne positum esset in prima littera, fieret *chaizaran.* Quod in India nascens junctim cum canna Indica posuit Geographus Arabs. Neophytus: τὸ καρδάμωμον φύεται ἐν ἀνύδροις τόποις, φύλλα ἔχον ὅμοια σελίνῳ, καρπὸν δὲ ὅμοιον ἀγρίῳ κυμίνῳ πλὴν μακρότερον καὶ μεσότερον. Quod de cardamomo accipi non quit. Non rarò etiam in aliis Græcorum recentium scriptis καρδάμωμον positum offendi pro κάρδαμον. Ab eadem causa venit quod Arabes καρδαμίνην quæ herbam cardamo similem designat ἀντὶ τοῦ καρδαμώμου Græcorum acceperunt. Vehementer enim errant viri eruditione præstantes, qui putant *cordumeni* Arabum esse legitimum antiquorum cardamomum. Scribitur Arabice قردمانا id est *cardumena*, Græcorum nempe καρδαμίνη. De qua diximus supra. Ipsi Arabes illam cardaminam sive *cordumeni* carvi agreste interpretantur. كرويا البري *carvia albarri.* Quæ expositio interpretum non est Latinorum, ut censent viri docti, sed ipsorum Arabum. Et hoc est Neophyti καρδάμωμον quod semen cumino agresti habet simile. Nam & cuminum Arabes vocant, *carvi nigrum*, كرويا اسود. Carvi vero commune, carvi album كرويا ابيض. *carvia abiad.* Ceterum ut καρδάμωμον pro κάρδαμον Græci posteriores dicunt, ita videntur antiqui & κάρδαμον pro καρδάμωμον usurpasse. Idem quippe nomen κάρδαμον & καρδάμωμον, ut κίναμον & κινάμωμον: Nicander in Theriacis:

---- ἠδ' ἀπὸ Μήδων
Κάρδαμον.

Posset videri cardamomum designare quod etiam ex Media veniebat. Plinius de cardamomo: *Hoc & apud Medos nascitur.* Theophrastus cardamomum etiam à Medis peti prodidit lib. IX. cap. VII. Τὸ δὲ καρδάμωμον καὶ ἄμωμον οἱ μὲν ἐκ Μηδίας, οἱ δὲ ἐξ Ἰνδῶν. Cardamum illud Mediæ Nicander ut efficax antidotum recenset adversus venena ac venenatorum morsus. Quo nomine & cardamomum commendant veteres tanquam potentis efficaciæ contra scorpionum & reliquarum serpentium ictus. Verius tamen κάρδαμον ἀπὸ Μήδων apud Nicandrum de vero cardamo id est nasturcio intelligi debere. Babylonium in eo genere maximè laudatum, quod Μῆδον vocat Nicander. Dioscorides: κάλλιστον δὲ εἶναι δοκεῖ τὸ ἐν Βαβυλῶνι κάρδαμον. Ita capiendum esse illum Nicandri locum, locus alter ejusdem auctoris indicat, nec veteri interpreti rectè acceptus nec novo. In Alexipharmacis sic habet:

---- ποτὲ φύλλον ἐναλδόμενον πρασιῇσι.
Καρδαμίδος, Μῆδον τε.

Ubi ineptè Scholiastes vetus τὸ Μῆδον de Medico malo interpretatur, quod vulgus Græciæ tum vocabat Νερίντζιον. Idem admonet alias scribi μῆλον τε. Sed vitiosa hæc lectio. Duo genera nasturcii poëta proposuit, commune & medicum quod alibi κάρδαμον ἀπὸ Μήδων vocavit. Commune ἐναλδόμενον πρασιῇσι appellat quod in hortis vulgo seri solebat, non ex longinquis adferri. Sic amaracum & sampsuchum alio loco discrevit. Sampsuchum proprie dicebatur genus amaraci quod ex Ægypto adferebatur. Amaracum in Græcia nascebatur. Ideo de amaraco dixit: πρασιῆς τε καὶ ἀνδήροισι χλοάζων. Idem καρδαμίδα vocavit pro κάρδαμον. Alias καρδαμὶς herba nasturcio similis. Thlaspi sic appellarunt. Galenus in Lexico Hippocratis: Σαυρίδιον, ἡ καρδαμὶς βοτάνη ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ σχῆμα ὁμοιότητος, ἡ αὐτὴ καὶ κάρδαμον ὀνομάζεται. Erotianus: Σαυρίδιον, ἣν ἔνιοι καρδαμίδα καλοῦσι, καρδάμῳ ἐοικυῖαν. Hæc est quæ aliis dicta θλάσπι. Hesychius: Σαύριον, πόα ἣν ἔνιοι Σαύριον. De hac fortasse locutus est Nicander & μῆδον κάρδαμον vocitavit quia Περσικὸν σίνηπι quidam nominarunt. Dioscorides: ἱστορεῖ δὲ Κρατεύας καὶ ἕτερον Θλάσπι ὃ τινὲς Περσικὸν σίνηπι καλοῦσι. Plinius vulgari sinapi nomen saurii attribuit, cum solum Persicum sinapi quod & thlaspi, sic vocaretur. Sic enim scribit lib. XIX. cap. VIII. de sinapi: *Athenienses napii appellaverunt, alii thlaspi, alii saurion.* Hoc falsum. Non sinapi dictum saurium aut thlaspi. Sed genus alterum thlaspi, quod *Persicum sinapi* vocabatur, appellatum σαύριον. Immo utrumque thlaspi sic dictum. Nicander καρδαμίδα & νάπυν Περσεῖον distinxit in Alexipharmacis, ita enim scribendum:

Κίχορα καρδαμίδας τε καὶ ἣν Περσεῖον ἔπουσι
Ἐν δέ τε Νάπυν.

Ubi Περσεῖος Νάπυ est Persicum napii sive genus alterum thlaspi. Et καρδαμίδα fortasse pro communi thlaspi sive saurio usurpavit, quod & κάρδαμον Galeno teste dicebatur. Semen habebat simile nasturcio. Dioscorides de thlaspi; ἐν ᾧ σπερμάτιον ἐμφερὲς καρδάμῳ. Avisena eodem capite complectitur nasturcium & thlaspi Dioscoridis quod vocat حرف *harf.* Interpres: *de Nasturcio id est Thlaspi.* Differunt tamen non parum. Babylonici nasturcii meminit sub finem capitis quod vocat البابلي *albabeli.* Sic enim scribendum. Et rectè interpres vetus *Babylonicum* reddidit. Quod de nasturcio intelligendum. Alpagus ad oram correxit *thlaspi* pro Babylonico, nec rationem scio. Thlaspi quidem Persicum sinapi cognominatum, sed differt à Babylonico nasturcio. Vereor autem ne hoc Babylonicum nasturcium, & Persicum thlaspi quod & κάρδαμον vocabatur, patriam cardamomo Mediam dederint apud veteres ex nominum vicinitate. De cardamomo hoc tenendum, si non sit Arabum cacula, quemadmodum sumpsere Græci infimæ ætatis, frustra hodie veterum cardamomum quæri, cujus nec apud Arabes ulla mentio extat. Etenim non esse *cordumeni* iberidem, jam docuimus. Avisena lepidium sive iberidem sapore & odore parem *cordumeni* tradit. Ea est καρδαμίνη non καρδάμωμον. Differentiæ cardamomi antiqui cum nostro quod est Arabum cacule non parvæ nec paucæ notantur. Sunt tamen & nonnullæ notæ in quibus conveniant, λοβοὺς cardamomo suo tribuunt antiqui. Siliquas etiam suas habet hodiernum, quibus grana continentur. Ea angulosa esse scribit Serapio, piuguia & odoris boni. Plinius quoque genus quoddam cardamomi pingue tradit & acutis angulis. Nostrum fragile est. Hoc Plinio genus pejoris notæ, quod facile tritu, & odoris parvi. Reliqua alibi excussimus. Nunc explicemus Arabum descriptionem. Avisena ut dixi, *cacule* vocat quod Græci & Latini interpretes *cardamomum* appellant. Idem nomen apud Serapionem & alios Arabes, qui omnes duum generum id faciunt, magnum & parvum. Avisena majus cardamomum, magnitudine esse memorat ciceris nigri. Ita enim interpres vetus: *Aliud est magnum sicut cicer nigrum.* Sed longe aliud tinniunt Arabica, in quibus legitur, magnum cacule habere

habere instar, الجوزة الصغيرة, id est, nucis juglandis minuſculæ, vel nucum juglandium minuſcularum. Paulo minus nuce juglande eſſe indicat. Addit eſſe nigrum, سود, *aſud*. Interpres tria hæc vocabula in unum compoſuit, *algiauſa alſeguira aſud*, & cicer nigrum interpretatus eſt, quaſi nux parva nigra pro cicere nigro ab Aviſena poſita foret. Hoc veriſimilius quam quod ſibi perſuaſit vir magnus, legiſſe interpretem in Arabico textu حمص pro جوزة, *hamos* quod cicer ſignificat pro giauza. Mens igitur Aviſenæ cardamomum magnum formam habere nucis juglandis parvæ. Per nucem parvam non intelligit τὸ λεπτοκάρυον Græcorum, quæ eſt avellana, ſed nucem juglandem quæ non adeo magna ſit. Avellanam Arabes vocant بندق *bendoc*. De magnitudine majoris cardamomi conſentit cum Aviſena Serapio qui grana ejus adæque magna eſſe ait ut eſt *nabac*, & paulo etiam majuſcula. Nabac fructus eſt arboris ſadar ſive loti, quem nucem juglandem interdum æquare produnt auctores. Idem Serapio dicit cardamomum majus appellari *heil*. Minus autem *hilbane*. Hoc corruptum pro *hilbave*. Quod alii pronuntiant & ſcribunt *hilbua* هيلبوا. Quod ſi illud Wau velis eſſe conſonantem, erit *hilbave*. Nugatur igitur Garcias qui tradit Serapioni cardamomum alterum appellari *cacolaa*, alterum *hilbane*. Immo generis nomen ille facit cacola, quod cardamonum interpres reddit. Hoc dividit in majus & minus, & majori quidem nomen eſſe *heil*; minori *hilbave* vel *hilbua*, pro *hilbane* vellet idem Garcias ſcribi potius *bara*, quod lingua Canarina magnum ſignificare refert. Immo non magnum cardamomum ſed parvum ſic tradit Serapio. Præterea vox *hilbave* legitur apud Aviſenam. Imperitiſſimus omnino fuit Arabiſmi ille Garcias qui præter uſitata medicis Arabibus vulgaria medicinæ vocabula nihil ſcivit, quæ nec ex libris hauſit ſed ex uſu & converſatione Arabum didicit. Hic ſenſus Serapionis, *cacola* nomen eſſe generale de cardamomo. Speciem alteram vocari *hil* quæ major eſſet, minorem vero *hilbua*. Garcias narrat cardamomum in Bengala, Guzarate & Decan interdum *hil* appellari, interdum *elachi*. De elachi ipſe viderit. Hoc genus cardamomi quidam *hil* quidam *bel* vocabant alii cum adjuncto *bilbua*, alii *helbua*. Hoc notavit Aviſena in littera He ubi utramque ſcripturam exhibet in lemmate, هيلبوا, *hilbua* aut هالبوا *helbua*. Sed in hoc diſſentit à Serapione quod hic *hilbua* genus alterum caculæ ſtatuit, id eſt, cardamomi, nempe minuſculum. Aviſena videtur à cacula diſtinguere. Diverſis quippe capitibus de utroque ſcripſit. Quod non ſatis eſſet ad conſignandam differentiam, cum duo aut plura interdum capita eidem rei quæ plures habet appellationes deſcribendæ dedicet, ſed quia diſertis verbis diſcrimen adſtruit. In littera Kaf de *cacula* tractat & duo genera conſtituit majus ac minus. In littera He de *helbua* vel *hilbua*, quod idem facit cum *chairbua*. Hoc enim nomen exponens explicat per خيربوا, *chairbua*, vel *chairbave*. Hoc ſubtilius eſſe memorat utroque cacula. In Arabico eſt: القاقلة, ubi القاقلة plurale eſſe palam eſt, cujus ſingulare القاقلة *alcacule*. Separat igitur *hilbua* ſive chairbua ab utroque cacula ſive cardamomo. Clarius hoc idem affirmat in littera Cha; capite de *chairbua*, ubi docet ita vocari granum exiguum, ſimile caculæ minori quod affertur ex Sofala regione Indiæ. Atqui chairbua idem cum hilbua eidem Aviſenæ, cujus aperta eſt ſententia utrumque diſcernentis à calcula ſive cardamomo,

A ſimile quidem illud facit caculæ minori; ſed non idem. Alpagus notat ex Ebenbitar *hilbua* eſſe cardamomum minus & idem cum grano melegetæ. Atqui quam vocant Itali *melegetam* diverſa prorſus à cardamomo, & clarè Græci recentioris ævi ea diſtinguunt, ut Myrepſus Antidoto XXII. Latinæ Editionis. Καρδαμώμε Μενεγέτης. Et fallitur vir doctus qui per *menegetam* id cardamomi genus intelligit, quod majus vulgo vocatur & *granum paradiſi*. Cardamomi autem nomine accipit ſic propriè dicti, id quod *minus cardamomum* vocant officinæ. Καρδάμωμον apud Myrepſum nihil aliud eſt quam Arabum *cacule*. Nam καρδάμωμον μέγα καὶ μικρὸν frequenter laudat, ut Arabes *cacule quebir & ſequir*; majus & minus cardamomum. Sic igitur μενεγέτην ἀπὸ ἡ καρδαμώμε ſeparat, ut Aviſena *heilbua* ſive *chairbua* à *cacule*. Proinde perquam veriſimile eſt *hilbua* Aviſenæ quod & *chairbua* vocat eſſe μενεγέτην, vel ut vulgo dicunt *melegetam*. Multi pro cardamomo ea utuntur, & cardamomum nominant, quomodo & Arabes nonnulli *hilbua* pro minori cardamomo poſuerunt, ut Serapio. Alii è contra *heilbua* pro majore cardamomo dederunt, cacule pro minore. Antiqua expoſitio Arabicorum nominum; *Heil, ſpecies cardamomi*. In Alpagi Lexico eſt minus cardamomum. Garcias in ea opinione eſt, ut malaguetam cenſeat ab Aviſena appellari *combazbague*. Oſtendere non poterat rectius quam Arabicè fuerit imperitus, qui nec legere ſciret, tantum abeſt ut Arabicè loquentem Aviſenam potuerit intelligere. Apud veterem interpretem Aviſenæ *cobzbague* legitur cap. CCIII. Et *cardamomum* interpretatur. In Arabico eſt, خيربوا, id eſt, *chairbua* vel *chirbua*. Totidem litteris totidemque punctis *cobzbave* vel *cobzbague* extudi poteſt ſi aliter locatis apicibus ſcribas. خبز, id eſt, *cobz*. Quomodo legiſſe apparet illum interpretem. Sed quod cardamomum exponit, id contra mentem eſt ipſius Aviſenæ. Nam ſi cacule cardamomum, non erit utique chairbua, cum clarè dicat auctor eo capite chairbua ſive *cobzbague* eſſe granum inſtar habens minuſculi cardamomi, القاقلة الصغار *alcacule alſeguer*. Simile igitur cardamomo non idem. Videtur itaque eſſe malageta. Quod attinet adjectivum *bua* vel *bave* vel *bague* quo iſtæ voces *chairbua* & *hilbua* inſigniuntur, aliis etiam ſpeciebus ex India venientibus adpoſitum invenitur, ut جوز بوا *giauzbua*. Nux muſcata quæ Græcis μοσχοκάρυον vel κάρυον μυρεψικόν. Herba etiam eſt ex India advecta contra napelli venenum faciens, quæ dicitur بش موش بوا *biſmus bua*, fortaſſe locum aliquem Indiæ ſignificat ex quo ſpecies illæ advehi ſolebant. Hoc niſi ſit non putarim abſonum ab Hebraico verbo בוא derivare, quod idem eſt ac venire. Adventitias itaque merces denotat, & ab alio petitas orbe; Græci περατικὰς ſimiliter vocant. Unde λιβανὸς περατικὸς apud auctorem Peripli, thus advecticium, quod opponitur indigenæ. *Peraticum* etiam Latinè dixit Plinius lib. XII. cap. IX. de Bdellio: *Aliqui peraticum vocant ex Media advectum*. Ab illo Hebraico בוא nomen תְּבוּאָה proventus & reditus annuus fructuum. Ab eadem origine & verbum Arabicum بوا quod eſt hoſpitium præbere & manſionem parare. Id non niſi peregrè advenientibus fieri ſolet. Inde & تبوا habitare, manere, & مباة manſio. Quod igitur multas manſiones conficere habet neceſſe priuſquam ad nos perveniat, hoc adjecto nomine Arabibus vocatur, ut *giauzbave*, *chairbave*, *heilbave biſmusbave*. Quod & *bua* alii legunt. Pro *giauzbua* legitur in Aviſena Latino ad marginem *giauziban*, unde Garcias ſomniabat nucem illam ſic dici

dici quasi nucem Bandensem. Hæc arguunt imperitiam ejus in Arabismo. Corruptè *giauziban*, pro *giauzibua*, vel *giauzibave*. Et vitium est Typographi. *Jeuzbave* vocatur interpreti Serapioni. Ut ad cardamomum revertamur, vidimus ante, quam non bene antiquum respondeat novo, ut pronuntiandum sit aliud esse veterum Græcorum καρδάμωμον, aliud recentioris Græciæ. Nunc videndum an quod hodie hoc nomen habet apud medicos & officinas consentiat cum illo ipso Arabum & Græcorum infimi temporis cardamomo. Si ea compares inter se, reperies parum congruere. Garcias ab Horto aroma illud quod ab omnibus Arabibus *cacolaa* dicit hodie nuncupari, siliquam candicantem habere scribit, grana intus nigra. Avisena è contrario suum *cacule* quod majus est, nigrum esse prodit, & grana intus continere candida, حب ابيض *hab abiad.* Ergo in hoc cardamomo siliqua nigra est, grana intus alba, sed nec magnitudo respondet. Avisena illud cacule nucis juglandis minusculæ formam æquare memorat. Garcias *siliquulas* appellat in illo suo cacule quod per Indias usitatum, quibus grana includuntur aliquando usque ad viginti. Siliquula non rectè dicatur quæ ad nucis amplitudinem accedit. Jam ex his constat cacule majus Avisenæ non posse idem videri cum cacule Garciæ. Attendamus an minusculum genus magis conveniat. Parvum cacule Avisenæ interpres dicit esse forma lentis: *Et aliud est parvum sicut lens.* In Arabico textu nulla ad lentem comparatio fit, nulla mentio lentis. Sed parvum cardamomum ibi dicitur habere similitudinem القرنقل *alcarumkel.* Quid sit nescio, sed illud scio non esse lentem. Ea vocatur Arabicè عدس, *hades.* Atque ita vocat ipse Avisena. Præterea magnitudinem cardamomi utriusque non in grano nudo & extra siliquam posito æstimat, sed quale esse solet cum suo folliculo considerat. Nam majus cacule nigrum esse ait, nucis parvæ figura, grana intus habens candida. Ergo & de minore idem senserit. Hoc cum sua siliqua non potest dici tam exiguum quam est lenticula. Plerique consentiunt minus cardamomum non multo inferius esse parva avellana. Corruptus sine dubio Avisenæ textus. Uno apice dempto veram fortasse lectionem restituas legendo, القرنفل *alcarumfel.* Siliquam minoris cacule sive cardamomi adsimilat caryophyllo. Quod de majore tamen acceperim genere, qualia sunt quæ annotina leguntur, crassiora ac tumidiora. Oblonga enim sunt & nucleum olivæ forma referunt teste ipso Avisena qui in voce *carumfel*, quod ex his masculum est, nuclei olivæ instar exhibere tradit nisi quod longius sit & nigrius. Hoc planè caryophyllum est cujus figuram habet minusculum cardamomum. Et hoc cardamomum sive cacule quod describitur à Garcia, qui & majusculum genus se tandem aliquando vidisse sub finem capitis narrat delatum ex Zeilan, non facie dispar à minori specie sed magnitudine tantum. Multo majus in ea insula inveniri tradit quam vulgare sit ab eo descriptum, ceterum minus odoratum. *Cacola quebir* appellari, id est, cardamomum majus. Et profectò illud est cacule majus Avisenæ, quod parvæ juglandis effigie ab eo traditur. Non ad hanc magnitudinem accedit quod vulgo pro majore cardamomo venditant officinæ. Sed nec quod minus vocant quidquam habet simile cum minore cardamomo Avisenæ cujus formam comparavit cum caryophyllo majore. Interpres vetus qui majus cardamomum ciceri nigro, minus autem lenti simile quoad formam perhibet non se verbis accommodasse auctoris sui, sed res fortasse quibus hoc nomen sua ætas dabat spectasse videtur. Meminit idem Avisena & grani cujusdam ex Sofala Indiæ adferri soliti, quod *fagare* vocat فاغره. Hoc simile ciceri arietino facit, calidum & siccum in tertio statuit sicut cacule vel

A chairbua. Easdem prope illi facultates attribuit ad stomachi & hepatis frigiditatem depellendam, & concoctionem adjuvandam. Ex eadem porro regione veniebat unde & chairbua, quod quidam pro minore cardamomo accipiunt. Semen item habere nigrum scribit sicut الشاهدانج *alschedenegi*, id est, granum cannabis. Integrum hoc granum cum suo cortice forma magnitudine & colore simillimum tradunt ei grano quod Itali *coccole orientale* appellant. Quidam vocant *cuculum Indum.* Quam vocem non du-
B bito ex Arabico *cacule* acceptam qua cardamomum illi vocant, Græci recentiores κάκκλαι. Differt tamen illud à cardamomo. Geographus Arabs in octava parte secundi climatis de urbe Indiæ Fandarina loquens caculæ plantam simillimam asserit plantæ الشهرانج *alxherenegi*, id est, cannabis. Sed ibi positum est Re pro Dal. Nam alias scribitur السهدانج *alxhedenegi.* Ut est apud Avisenam qui semen cannabis ita
C vocat, plantam autem ipsam قنب *cannab.* Ut & Herbarius Arabs apud Dioscoridem. Addit Geographus caculæ fruticem habere conditorium sive receptaculum quo grana ejus conduntur. مراود vocat. Quod propriè significat locum unde aliquid petitur ac promitur, à forma راود *ravada.* Quod est petiit, quæsivit, & perscrutatus est. Quo sensu sæpe in Alcoranô occurrit, inde مراود *miravadon*
D locus conditorius ex quo aliquid promitur. Folliculum & siliquam caculæ sic vocavit auctor ille & dixit habere مراود فيها بزرها. Id est, *conditorium vel loculum in quo semen ejus.* Hæc ideo explicavi quia Scaliger cum illum Geographi locum Latinè redderet, ita vertit in notis ad Garciam de aromatis: *Et semen ejus reponitur in victum.* Quasi cardamomum vulgo ad victum reponeretur. Quod falsum est, nec ea mens auctoris. Siliquas caculam habere refert Garcias in quibus semina multa continentur, interim vi-
E ginti aut plura. Serapio majus & minus cacule ita discriminat, ut dicat majus corticem habere quo careret minus. Per corticem intelligit involucrum vel vaginam qua includuntur grana. Hunc corticem magnum esse affirmat instar *nabac.* Avisena instar nucis juglandis parvæ. Intra eum corticem sive siliquam dixeris, grana multa parva habentur inclusa. Minus cacule Avisenæ pari est facie sed magnitudine majoris caryophylli, majus & minus cacule non differre inter se nisi magnitudine affirmat Garcias. Ergo utrique suus cortex sive siliqua qua plura grana teguntur. Certè cum de minori cacula tradat Garcias siliquam habere candicantem, granis intus nigris, inde constat
F minus cardamomum non carere cortice. Atqui hoc discrimine majus cardamomum à minori distare facit Serapio, quod minus corticem non habeat. Diximus supra minus cardamomum Serapionis non esse idem cum cardamomo minori Avisenæ. Quod cacule minus Serapioni dicitur, hoc Avisenæ est *hilbua* diversum à cacule minore licet non sit dissimile. Et disertè Serapio cacule minusculum suum *heilbua* vocatum scribit. Cardamomum majus Avisenæ non differt à minori nisi eo quod majus est. At *heilbua* quod pro minori cardamomo sumitur à Serapione, in hoc etiam differt à majori quod corticem non habeat, quod habet ma-
G jus. Hoc intelligendum de siliqua vel corticeo involucro quo plura grana integuntur. Nec enim putandum, minus illud Serapionis cardamomum, quod habere corticem negat, prorsus sine integumento ac nudum fuisse. Quin ipse apertè declarat grana minoris cardamomi non esse sine cortice. Verba interpretis veteris sic habent: *Minus vero nominatur heilbave, & non habet capita nec corticem, & habet grana habentia corticem.* Distinguendum de cortice. Grana minoris carda-

cardamomi ſive *heilbua*, ſingula ſuis involucris tecta ſunt, non plura uno corticeo folliculo condita, ut in majori genere. Hoc voluit dicere Serapio, certè intellexit, minus cardamomum quod vocat *heilbua*, non habere ſiliquam qua grana plura incluſa ſint, ſed grana ſingula ſeorſum haberi cum ſuis corticibus, quibus velata ſunt. Nihil verius quam quod jam adſtruximus, nempe Serapionis cardamomum minus omnino aliud eſſe à cardamomo minore Aviſenæ, qui tamen in capitulo de cacule videtur etiam agnoſcere aliquod cardamomum ſine cortice. Scribit in cacule ſtypticam vim ineſſe cum calefaciendi facultate, & propriè quidem his virtutibus pollere quod habet corticem, quin & ipſum corticem tali poteſtate propriè præditum. Vetus interpres retinuit vocem Arabicam: *& propriè in illo quod habet achma, & propriè in achma ipſo.* Sed legendum fuit, *cama.* Nam ita in Arabico: قمع & القمع, *cama* & *alcama.* Id corticem eo loco valere certum eſt. Non tamen hic ſenſus Aviſenæ alterum cardamomi genus corticem habere, alterum carere, ſed adſtringendi vi magis præſtare quod cum ſuo cortice uſurpatur. Hanc enim & propriam eſſe corticis facultatem. Cardamomum igitur corticem non habens eſt quod ſuo cortice ſpoliatum eſt. Sic Græci de ſuo cardamomo dicunt quod cortice nudatum, *καρδαμώμου κεκαθαρμένου καὶ ἀφῃρημένου τῶν λοβῶν.* Ita habetur in Theriaca Zenonis Laodicenſis apud Galenum lib. I. de Antidotis. Et medici veteres cum nudum præſcribunt cardamomum abſque ſiliqua *σπέρμα καρδαμώμου* vocant. Damocrates

Καὶ καρδαμώμου σπέρματος, καὶ κόμμεως.

Cama apud Aviſenam ſignificat corticem vel ſiliquam cardamomi. Ea voce propriè notatur ſubucula vel interior tunica, quæ preſſius hæret ad corpus, à verbo ut videtur, قمع *cam*, quod eſt premere & conſtringere. Eodem ſenſu Græci recentiores *σφιγκτέρια* appellarunt hujuſmodi veſtimenta conſtrictiora, & arctè corpus prementia. Ab illo Arabico *cama* fluxit vocabulum inferioris Latinitatis *camiſia* de interula. Arabicè quoque dicitur قميص *camis.* Sed & *cama* lectus veteri nomine Hiſpanico à quo *camiſiam* deducit Iſidorus. In vetuſto Gloſſario Latino-Arabico *camis* de lecto intelligendum non de camo, ut perperam accipiunt viri docti in Lexico: *camis*, سرير. Arabicum quoque قماش *camax* vel *camas*, ſuppellex, & ſyntheſis veſtiaria. Unde Græcum infimæ ætatis *κάμασος.* Nam س & ش ſæpe invicem mutantur. Hodie tria cardamomi genera faciunt, majus, medium, & minimum. Quod majus attinet, & ficus amplitudine eſt, Matthiolus & alii plerique pro meleguetta habent. Sed videtur cardamomum majus ſive majus cacule Aviſenæ. Medium ſimile eſt magnitudine tantum cedens. Utrumque plura grana continet. Tertium genus quod omnium minimum, duo tantum continens grana ſepimento diviſa quodam. Hoc erit fortaſſe hilbua Serapionis & cardamomum minus ejuſdem. Alii *meleguetam* eſſe malunt. Quidam *nigellam citrinam* vocant. Atque hæc de cardamomo quæ potui ſcire hactenus . . . .

CAPUT XCI.

De amomo.

Huic ſubjiciam amomum ob ſimilem nominis terminationem, non quod frutice ſimile ſit ut temere Plinius aſſeruit. De hoc quoque magna quæſtio. Ambigitur enim non tantum quid ſit, ſed an omnino nunc ſit. Amomum quippe illud vetus, quod olim fuiſſe non dubitamus, certatim hodie eruditi plantarum quærunt nec inveniunt. In tam incerta re, ſaltem illud certum non eſſe verum amomum, quod hoc nomen in officinis gerit. Adeo celebre olim notumque aroma nunc ignorari mirarer, niſi plures æquè frequentatos antiquitus atque uſitatos odores eundem feciſſe exitum viderem. Facilius multo eſt quid non ſit dicere quam quid ſit. Hoc vero poteſtatis noſtræ non eſt, cum nihil uſpiam hac ætate compareat, quod poſſis dicere eſſe amomum, nullis contra facientibus argumentis. Scaliger Julius in Notis ad Theophraſtum roſam eſſe Hierichuntiam vulgo dictam non dubitat affirmare. Quod enim odorata non ſit, id evenire pro loci, in quo naſcitur, qualitate. Multi ante illum & poſt, qui in eadem fuere ſententia ab aliis exploſi ſunt. Præter alias renuentes notas hæc roſa Hierichuntia frangi lenta, tenaxque. Amomum teſte Plinio, dum carpitur, protinus fragile. Hinc duplex fuit genus penes aromatarios, integri quod in uva erat, & friati quod in pulvere. Utrique diverſum pretium. Idem Plinius: *pretium uvæ in libras denarii* LX. *friato vero amomo denarii* XLIX. Andromachus ſenior in theriacæ compoſitione *βοτρυόεν ἄμωμον* vocat hoc verſu ſic legendo:

Καὶ στέρακος, Μήονί τ' ἰδὲ βοτρυόεντος ἀμώμου.

Et apud Damocratem paſſim in jambis apud Galenum: *Βότρυος τ' ἀμώμου*, id eſt, *uvæ amomi.* Ut apud auctorem carminis de phœnice: *-- uvamque procul ſpirantis amomi.* Plinii verba ſic legenda alibi docuimus: *Amomi uva in uſu, ex Indica vite labruſca, ut alii exiſtimavere frutice botruoſo.* Atqui nemo dixit amomum uvam eſſe ex labruſca, aut vitis Indicæ genere. Dioſcorides quidem ait folia habere bryoniæ ſimilia, id eſt, viti albæ. Non propterea tamen traditum cuiquam uvam eſſe ex vite. Quod uva dicitur in amomo, fruticis ramuli ſunt invicem implicati ad uvæ inſtar, atque ut ſcribit Dioſcorides, *βότρυς ἐκ ξύλου, ἀντεμπεπλεγμένος ἑαυτῷ.* Talis omnimo frutex roſæ Hierichuntiæ, revera botryoſus, convolutis & contra ſe implexis in uvæ modum ramulis. Non tamen eſt amomum. Verius eſſet amomis, *ἡ ἀμωμίς* quæ amomo durior & inodora. Ea adulterabatur amomum. Dioſcorides: *δολιοῦσι δὲ τινὲς τὸ ἄμωμον, τῇ λεγομένῃ ἀμωμίδι, ἐμφερεῖ οὔσῃ ἀμώμῳ, ἀνόσμῳ μέν τοι καὶ ἀκάρπῳ.* Addit Plinius *& minus venoſam eſſe dunioremque.* Sed florem ei origano ſimilem tribuit Dioſcorides. Nec magnopere ſanè abhorret ab hac facie flos Hierichuntiæ roſæ. Ceterum ſemen habet roſa Hierichuntia quod adeſſe negat amomidi Dioſcorides. Plinius amomo folium dat Punici mali. *Quam maxime*, inquit, *laudatur Punici mali foliis ſimile.* Cur inter laudes optimi amomi hoc reponit, ſi natura illi tale folium dedit? Græci omnes amomum folio bryoniæ eſſe dicunt. Iſidorus ex Græcis: *Flore albo veluti violæ, foliis ſimilibus bryoniæ.* Deceperunt aures ſuæ Plinium, qui Anagnoſte fortè legente, *κάλλιστον ἐστὶν Ἀρμένιον χρυσίζον τῇ χρόᾳ*, ipſe perverſe audivit, *ὅμοιον* aut *παραπλήσιον τῇ ῥόᾳ.* Hinc reddidit, *laudatur quammaxime Punici mali foliis ſimile.* Nihil autem de aureo folii colore dixit, quod argumentum eſt *ἴσαζον* aut *ἴσιζον τῇ ῥόᾳ.* audiſſe, pro *χρυσίζον τῇ χρόᾳ.* Et de hoc quidem nullus dubito. Diu vero eſt cum deſiderari cœptum genuinum amomum. Arabes nihil de eo habent ſcriptum quod non è Græcis ad verbum

bum sumpserint. Vocant حماما *hamama*, voce manifesto deflexa ex ἀμώμῳ. Serapio in descriptione amomi nullos citat Arabes auctores, sed solum Dioscoridem cujus verba transcripsit. Avisena pariter nihil de eo dicit quod non sit in Dioscoride. Sed quod apud hunc legitur amomo florem esse parvum & albæ violæ similem, ὡς λευκόϊῳ, videntur Arabes aliam secuti lectionem vel non intellexisse quid esset λευκόϊον. Serapionis interpres monstrum habet scripturæ quam non explicavit: *habet florem parvum, similem flori plantæ dictæ locadan.* Interpres Avisenæ Carmonensis aliud ut videtur sequutus est qui verterit: *& habet florem similem folio Indo.* Correxit quidem ad marginem Bellunensis, *similem candidæ violæ*, sed ex Græcis potius Dioscoridis quam ex Arabicis hausit. Nam Arabica Avisenæ verba nihil tale sonant, quæ sic habent in editione Romana: وله ورق كبار عراض. id est, *& ei folium magnum hared.* vox autem ورق non florem, sed folium, & paulo post ea utitur hoc sensu ubi foliis vitis albæ comparat amomi folium. Nihil de flore amomi eo loco habet Avisena, nec عراض ullius floris aut herbæ nomen est quod sciam. Sed عرض est dilatare & extendere. Inde عراض latum & extensum. Dicere igitur opinor Avisenam amomi folium magnum esse ac latum & simile foliis vitis albæ. Id enim tantum palam est his ejus verbis significari quæ subjiciam وله ورق كبار عراض وشبه اورق الفاشرا. ad verbum: *& ei folium magnum, latum, & in similitudinem foliorum vitis albæ.* Nulla ibi floris mentio quam omisit Avisena. Ut mirer unde expiscatus sit interpres folium suum Indum cui comparat florem amomi. Sed nec ullum in Arabicis violæ albæ vestigium quam Arabes vocant خيري *cheiri*, ut ostendimus in superioribus. Vocem hamama de amomo pedem etiam columbinum exponit interpres Serapionis. Quod adeo placuit nonnullis, ut affirmare non dubitarint amomum veterum idem esse cum ea herba quam vulgo vocant *pedem columbinum.* Hæc sententia inter alios Garciæ, qui Arabicè fuit imperitissimus, vir tamen toto suo ævo inter Arabes versatus. Didicisse se refert à quodam Pharmacopoeo Judæo amomum vocari Arabica lingua *hamama.* Hoc sanè vero id interpretatum *pedem columbinum* significare. Nihil falsius. Certè columba Arabicè dicitur حمام *hamam.* Sed nihil commune amomo cum columba vel pede columbino. Addit & Garcias argumentum quo illam interpretationem confirmet, donatum se nimirum amomi ramulo à medicis Persis & Turcis qui circa regem Nizamoxam erant, qui pedem columbinum graphicè referebat, & præterea concinnè admodum quadrabat cum descriptione amomi quæ est apud Dioscoridem. Fabulæ. Sed & de illo pede columbino nugæ. Nescio profectò unde hanc vocem Herbarii vulgares extuderint. Speciem geranii ita illos vocare audio quæ malvæ folium habet. Longe alia est herba quam hoc nomine nuncupant Arabes. περιστέρεον quippe Græcorum sic vocant quæ & περιστερεών. Hæc illis dicitur رجل الحمام *rigel alhamam*, id est, pes columbarum causa nominis Græci peristerion: ἐκ τοῦ τὰς περιστερὰς ἡδέως ἐνδιατρίβειν ἐν αὐτῇ. Quod columbæ circa eam herbam consistere ac versari ament. Inde & *pes columbinus* Arabibus. Apulejus Pseudonymus *columbinam* etiam vocat, & escam esse columbis jucundam ait. Certè herbarius Arabs Dioscoridis veteris τὸ περιστέρεον Arabicè interpretatur, رعي الحمام. *rhai alhamam*, id est, pabulum

A columbarum. Mentio hujus herbæ apud Avisenam lib. II. quam & رعي الابل *rhai alabil* dictam autumat, id est, pabulum camelorum. Interpres vetus *paleam* interpretatur. Nescio quare. Sane ipse Avisena dicit esse herbam cui semen myrti granis simile. Arabico nomine utitur, حشيس *haxis.* Quod paleam, stipulam & fœnum exponunt. Non propterea tamen hæc herba absolutè vocanda *palea.* Nam Arabicum illud vocabulum quamlibet herbam significat. An eadem sit cum peristerio
B Græcorum nescio. Virtus in eo per quod ulcera herpestica mitiget cum aceto imposita. Verius tamen non esse eandem. Alia est herba, quæ apud eosdem Arabes vocatur *pabulum cameli*, vel *pastus cameli.* Garcias scribit juncum odoratum ab Arabibus sic vocari. Scaliger ad eum locum notat dici Arabicè علف الجملي *halaf algemali*, sed puto ex verbis Garciæ ita divinasse potius quam legisse in scriptis Arabum. Dicendum potius foret علف
C الجمل. Paleam vel herbam iisdem Arabibus simpliciter appellari hunc juncum testatur idem Garcias, & Arabicè *halaf.* De hoc supra. Ad peristerion quod attinet eam perperam Herbarius Arabs eandem cum herba ea facit, quam Avisena *escam columbarum* indigitat, vel camelorum. Ea est Latinorum *verbenaca.* Columbaria illa & *columbina* etiam dicta posterioribus Latinis. Arabes quoque dixerunt حمامة *hamama.* Glossarium Græco-Arabicum optimum, χάμαμα, περιστερεών. Hanc formam parago-
D gicam in multis aliis vocabulis deprehendi ut كركم *curcum*, crocus كركمة curcuma, crocea radix, سلخ *selach* cortex سليخة *selicha*, corticea cassia, ἡ συριγξ κασία. Myrtus اس *as*, myrtinum اسية. Sic حمامة *hamama* est columbaria herba non columba ut vulgo placet viris doctissimis. Hoc nomen pronuntiatione non differt ab *hamama* quod pro amomo sumitur, sed modo scribendi plu-
E rimum. Hoc enim dicitur حماما cum Elif in ultima, at illud cum He duobus punctis insignito quod valet ut Th. Hinc igitur eorum manavit error qui amomum, pedem columbinum interpretati sunt. In eodem illo Lexico Græco-Arabico varias ἀμώμου expositiones legere est quæ fidem faciunt plenissimam, jam tum fuisse ignoratum. Ἄμωμον ἡ ῥίζα τοῦ πενταφύλλου. Item: Ἄμωμον, ἕτερον Ἰνδικόν, οἱ κλάδοι
F τοῦ κινάμωμου. Quæ vetus est interpretatio. Nam & Avienus Festus τὸ κινάμωμον apud Dionysium Periegeten de amomo accepit.

Ales amica deo largum congessit amomum.

ubi in Græcis est:

Ἦλθον φῦλα φέροντες ἀκηρασίων κινναμώμων.

Hesychius in Lexico ἄμωμον thus significasse etiam notat: Ἄμωμον ἐν ταῖς ὀνομασίαις ὁ λιβανωτὸς. Idem κινάμωμον hoc modo explicat, τὸν λιβανωτὸν, τὸ λιβάνιον. Officinarum amomum esse semen herbæ quibusdam placet, quæ perperam Σίσων in Dioscoridis editionibus vocatur, cum debeat dici Σίνων, sicut omnia habent vetera exemplaria. Σίνων σπέρματον
G ἐστὶν ἐν Συρίᾳ γινόμενον. Glossæ Iatricæ: Σίνων, εἶδος ἀρωματικόν, ἐοικὸς ἀνίσῳ. Sed de hoc alibi. Lucanus cinamomum cum amomo jungit lib. X. quo eos arguit, qui faciunt idem amomum cum cinamomo:

Cinnamon infundunt, quod nondum evanuit aura,
Advectumque recens vicina messis amomum.

Tantane

Tantane copia colligebatur, ut messem ex eo fieri dicat? An alludit ad etymum amomi quasi ἀπὸ ἔ ἀμᾶν dictum velit? Neutrum arridet. Ita poetæ passim loquuntur de aromatibus. *Quidquid metunt Arabes beneolentibus arvis*, & apud Propertium, *odorata cultor Arabs segetis.* Hæc enim illis messis, odores. Pro messe habent aromata. Hinc Plinius fructum Arabibus in his constare dixit. Quin & turis collectionem vocavit messem lib. XII. cap. XIV. de Ture: *Meti semel anno solebat minore occasione vendendi.* Paulo post dixit, & *vindemiam.* Idem de cardamomo: *Metitur & eodem modo in Arabia.* Meleager de schœno odorato:

------ δώδη σχοῖνον ἀμησάμενος.

Atque hæc obiter. Virgilius videtur amomum accepisse pro uva & vero vitis fructu in hoc versu:

------ *ferat & rubus asper amomum.*

Rubus fructum fert racematim digestum. Vult pro fructu suo ut amomum in rubo nascatur. Clarum est voluisse intelligi amomum veram esse uvam & fructum. Atqui frutex est, qui ex implexu & convolutione ramusculorum uvæ imaginem refert, & carpitur cum radice. *Assyrium amomum* alibi vocat. Servius alibi florem, alibi herbam suavissimi odoris exponit. Per Assyrium poeta intelligit Medum. Plinius nasci ait & in Armeniæ parte quæ vocatur Otene, & in Media & in Ponto. Ὠτηνὴ illa pars Armeniæ circa Cyrum amnem. Tot locis olim nascens nunc nusquam est nisi nomine. Theophrastus ex India amomum afferri etiam dicit, ex quorum opinione: τὸ δὲ καρδάμωμον καὶ ἄμωμον, οἱ μὲν ἐκ Μηδίας, οἱ δὲ ἐξ Ἰνδῶν καὶ ταῦτα καὶ τὴν νάρδον. Amomo sicco phœnicem avem vivere canit Ovidius: Ergo & in Arabia vel India. Indici tamen amomi non meminit Dioscorides, nec alius præterea veterum. Dioscorides Ponticum inter alias notas quibus separatur à ceteris οὐ δύσθραυστον esse scribit, non contumax frangenti. Ergo cetera genera amomi δύσθραυστα, & difficulter franguntur. Hoc adversa fronte pugnat cum Plinio, qui protinus fragile esse dicit, eoque manu paulatim ac leviter componi ne frangatur. Ita enim apud illum legendum: *Carpiturque cum radice, manu paulatim, leviter componitur, protinus fragile.* Quin & friati amomi ibidem mentio, cui & suum pretium. Tam scilicet fragile est ut etiam frietur. At Dioscorides de Pontico amomo tradit: τὸ δὲ Ποντικὸν ὑπόκιῤῥον, οὐ μακρὸν, οὐδὲ δύσθραυστον, βοτρυῶδες, πλῆρες καρποῦ. Ergo priora duo genera Medum & Armenia δύσθραυστα. Amomi pulverem apud Ovidium habemus:

------ *Et amomi pulvere conde.*

Sed quæstionis est utrum ex trito an friato amomo hic pulvis. Casia & cinnamomum etiam in pulverem rediguntur sed trita tantum non friata. Non solum uva amomi vænalis apud pigmentarios prostabat, sed etiam ut apparet, pulvis. Ex friato amomo eum fieri Plinius fortasse interpretatus est, atque inde etiam conjectavit fragile admodum esse, vel potius friabile. Ne de Pontico quidem hoc traditur Dioscoridi. Non esse δύσθραυστον dicit. At non sequitur etiam facile friari quia frangenti contumax non sit. Multa fragilia sunt quæ non sunt friabilia. Aliud Græcis εὔθραυστον, aliud εὔθρυπτον. Quod facile frangitur, & quod facile friatur. Nihil omnino Plinio credo, certus ex aliis infinitis non posse quidquam tuto ab illo recipi dignum fide. Ex præconcepta falsa opinione de amomi foliis Pu-

A nicæ malo similibus, perhibet ibidem adulterari solitum Punici foliis, & gummi liquido, ut cohæreat convolvatque se in uvæ modum. Juxta hanc sententiam nihil aliud fuerit amomum quam folia conglobata & convoluta. Nihil tamen de foliis Dioscorides, & frutex ipse racemosus non folia, βότρυς ἐκ ξύλων. Atque ut dicit Avisena de hoc ipso amomo loquens, عنقود من خشب *hunkud min chixeb*, botrus vel racemus ex ligno. Surculis itaque lignosis & in se convolutis consta-

B bat illa uva, non foliis. De eadem officina Pliniana est quod ibi legitur, nomine & frutice cardamomum amomo esse simile. Eadem ratione poterat & cinnamomum simile amomo dicere. Quod enim ad nomen attinet, non dissimilius amomo cinnamomum quam cardamomum. Sed nec frutex cardamomi, amomi ulla in re similis. Profecto si odor responderet, & accederet foliorum facies, omnia constarent in hac rosa Hierosolymitana, ut verum amomum videretur. Frutex palmi longitudine, plures ab radice ramulos spargens, qui in se reflexi & conglobati uvæ figuram reddunt, multo intus semine referti veluti in spica, sed & race-

C matim ramulis cohærente. Isidorus: *Amomum frutex est in Syria & Armenia nascens, botrosum semen reddens sibi connexum.* Ramuli ipsi lenti ac frangi non faciles. Duas hujuscemodi rosas penes me habeo quæ cum amomi descriptione comparatæ eximiè illud mihi referre visæ sunt. Ex omnibus sanè quæ pro amomo obtruduntur, nihil est quod melius conveniat. De odore responderi posset, ex loco natali eum aut abesse, aut adesse. Sic œnanthe vulgaris, etiam Attica sine odore. Sola Cypria odorata, ex qua unguentum œnanthinum. Pontica tamen regio frigidior Judæa quæ Ponticum dat amomum odoratissimum, καὶ τῇ ὀσμῇ πλη-

D κτικόν. Hoc nihil fortasse facit. Nam & Medum quia in campis & humidis nascitur, quamvis regio sit calidior, minus efficax & odoratum Dioscoride teste. De folio quod non quadret, culpa fuerit fortasse tradentium. Quam multa produntur à priscis auctoribus quæ hodie deprehenduntur falsa? Malabathrum Dioscoridi folium esse innatans stagnis lentis palustris modo. Plura alibi animadvertimus. Amomum esse Hiericuntiam rosam affirmare dementis esset, præcipuè tot rebus aliorsum ducentibus. Quod enim hodie omnes peregrini ex Judæa secum reportant non illi patriam in Armenia, Media, & Ponto quæsissent. Saltem di-

E xissent in Judæa etiam nasci sed inodorum. Ex India arcessit Theophrastus. In Syria quidem etiam reperiri scribit Isidorus, non consentientibus antiquis. Avisena pro Pontico amomo Ægyptiacum habet, errore interpretis. Nam ubi habet *& est species Ægyptiaca*, in Arabico tantum est: وصنف اخر *& species alia est.* Visam hanc rosam priscis, & pro amomo descriptam non alienum à vero sit. Amomis esset nisi semen haberet quo carere ἀμωμίδα Dioscorides ait. In tanto dissensu quid statuas nescias, & quibus adhæreas. Plinius statim fragile esse & friabile amomum tradit. Dioscorides fran-

F genti rebelle. Ille folia Punici mali, hic bryoniæ ei tribuit. Quæ diximus eo tendunt, ut maximè videantur decipi qui semen quoddam ab officinis emunt, idque amomum putant, ac nominant.

CAPUT XCII.

De macer.

AMomum sequetur *macer* vel *macir*, non aliam ob causam, quam quia hoc loco se obtulit, & à mente ad calamum cucurrit. Hoc degeneravit in *macis*, longe alia significatione apud sæculum deterius. Hinc magna animorum contentione inter eruditissimos

G medicos vidimus hactenus disputatum, de *maci & macir*, utrum hodiernum *macis* idem sit cum veterum *macir*, cum interea reperti sint qui asseverare non dubitarint esse idem, sola nominis ratione ducti. Sanè nec ego dubitem nomen esse idem μάκις & μάκειρ. Nam recentiores

macis dixerunt pro *macir*, sed eo nomine involucrum nucis muscatæ nuncuparunt cum aliud veteribus significaret. In viatico Constantini veteres libri nunc *macir* nunc *macis* scriptum exhibent, & indifferenter utrumque ponunt. Quinimmo & *macin* apertè positum ibi legere est pro antiquo *macir*. lib. III. *medicandus confortativis parum habentibus caloris, sicut galia, mace, spica, reubarbaro, lacca, garyophylli ligno.* In Græco Ἐφοδίῳ fuit μάκειρ. Quod autem macis inter ea recenset quæ parum caloris habent, non potest id convenire vulgari macis, quod adeo calefacit ut pauca ei comparentur ex odoratis, sed unicè convenit maceri antiquo, cui eam tribuunt caliditatem quæ non magnopere curanda sit. Avisena appellatione *besbase*, بسباسه utrumque complexus est, macir & macis. Nam ex sententia Aben Mesvie definit esse corticem nucis muscatæ, قشور جوز بوا. Eodem capite Paulum citat, qui tradit temperatum esse quantum ad calorem & stypticum, eoque dysentericis conferre. Hoc antiquum & Græcum μάκειρ planè diversum ab eo *macis* qui est cortex nucis muscatæ. In optimo & antiquo Lexico Græco-Arabico *besbase* exponitur macer. Πάσπαση τὸ μάκειρ. Serapio quoque tractans de *macis* quod involucrum nucis est muscatæ apertè confundit cum macir. Nam & illo ipso capite Dioscoridem & Galenum nominatim laudat, qui non meminere macis. Si besbase est *macir* Dioscoridis non erit posteriorum macis, nec operimentum nucis muscatæ. Commemorat & eo capitulo *talisfar*, quod esse Græcorum μάκειρ volunt. Sic idem videtur facere *besbase* cum *talisfar*. Avisena separatis capitibus de besbase ac talisfar egit. Hoc طاليسفر, & corticem Indum interpretatur. قشور هندى, Eodem usus nomine quo in besbase explicando nisi quod heic simpliciter corticem Indum esse dixit, at *besbase* corticem nucis muscatæ ex opinione Aben Mesvie. Alios Arabes ita sentientes producit Serapio. Sanè & Græci nihil amplius de suo *macer* prædicant quam esse φλοιὸν ἰνδικόν. Et certum est Avisenam sub nomine *talisfar* voluisse illud μάκειρ describere. Et facultates quas ei tribuit planè respondent. Galenum quoque citat, in illis verbis quibus μάκειρ recensuit. Quidam tamen illud *talisfar* folium olivæ Indicæ interpretati sunt, ut notatum Alpago. Ad *besbase* quod attinet incertum etiam habuerunt Arabes ipsi quid propriè esset. Alii μάκειρ Græcorum putarunt, alii interius involucrum nucis myristicæ, quod Barbari dixerunt *macis*. Christophorus à Costa in libro de aromatis macis ab Arabibus *bisbele* & *besbaca* vocari memorat, idque vocabulum propriè nucis corticem significare. Corrupta illa nomina sunt, & interpretatio falsa, & auctor ipse parum apud me spectatæ fidei, ut ex multis comperi. Fallit etiam ibidem cum nucem ipsam Arabes appellare dicit *jausiband* & *seygar*. Quæ nihili sunt nomina. Illud pro *jausibua*, hoc pro *segiar* quod quamlibet arborem Arabicè significat. In Decan nux ipsa *japatri* membrana qua tegitur, *jaifol* dicitur, si vera prodit Garcias. *Besbase* illud in ea significatione nusquam hodie Arabibus in usu. Nam & quidam ex antiquis Arabibus pro macere

A Græcorum id acceperunt. Disertè Averroes capite XLII. sub nomine *besbase* omnia scribit quæ Græci de suo macir tradiderunt, & Galeni testimonio ea confirmat, & tamen dicit corticem esse fructus qui ex India affertur. Quod propriè pertinet ad *macis* vulgare non ad macir. Nam Græci simpliciter dixere μάκειρ esse corticem arboris. Sic *macir* & *macis* auctor ille confundit. Mesiha auctor Arabs apud Avisenam capite de *besbase* eamdem illi virtutem assignat quam habet *nermisch*. Species hæc aromatica, cujus florem & corticem & folia idem Avi-

B sena capite de narmisch assimilat البسباسة *albesbasa*. Quin & adstringendi facultate eam donat, & proximam vim habere nardo dicit. Hæc non conveniunt nostro maci. Alpagus *alneremisch* interpretatur capita granatorum Indicorum. Serapioni flos est veluti parvi mali Punici quod defertur ex regione Corasan. Stypticum esse ait. Florem hujus arboris appellari *narfesira* ex Rhase docet. Hoc esset نار الفاشرا *nar alfesire*, flos vitis albæ. Interpres Rhase *neremisch* rosam asininam interpretatur. Haud scio qua ratione nisi somniarit ita dici

C quasi نور حمار *naor hemer*, id est, flos asini. Immo verius ita vocari quasi florem musci vel muscatum, نار مسك *nar musch*. Ita enim potius pronunciandum quam *narmisch*. Sic Græcis μοσχοκάρυον, nux muscata & odorata μοσχέλαιον, oleum odoratum. Arabicè autem نار *nar* non tantum ignem & lumen significat, sed florem ignei & vegeti coloris. Apud Serapionis interpretem veterem *narmusch* mustum malorum granatorum dicitur. An *muscum* voluit dicere. Narmusch igitur flos muscatus mali Punici

D Indici vel Coraseni cui virtute par *besbase*. De quo non satis constat inter ipsos Arabes quid sit, dum alii macer, alii membranam nucis muscatæ accipiunt. Nec videntur Arabes vocem in sua lingua habuisse qua illum corticem myrepsicæ nucis exprimerent, qui hodie *macis* appellatur. Pluribus verbis id enuntiarunt corticem nucis muscatæ dicentes, قشور جوز بوا *kixur giaur bua*. Barbari *macis* una dictione nuncuparunt quæ corrupta est pro *macir*. Plinio dicitur *macir* quia Græcè μάκειρ, & lignum arboris unde cortex ille, ξυλομάκειρ. Alii ex Latinis pronuntiarunt *ma-*

E *cer*, ut κύπειρον *cyperum*. Verba Plinii: *Et macir ex India advehitur cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris suæ. Qualis sit ea incompertum habeo. Corticis melle decocti usus in medicina ad dysentericos præcipuus habetur.* Hoc eodem nomine *macis* pro *macir* dicentes, nucis aromaticæ involucrum appellarunt recentiores, quia ignorato antiquo *macir*, non aliud ex tum usitatis aromatibus invenerunt cui melius quadraret ea appellatio. Et falluntur qui existimant *macis* pro integumento nucis odoratæ vocem esse Arabicam. *Besbase* vocant illi. *Macir* vel *macer* veterum hodie nomen retinet & *macre* vocatur apud Indos cujus corti-

F cis usus etiamnunc præcipuus ad dysentericos. De quo videndus Christophorus à Costa cap. XII. Auctori Peripli maris Erythræi: καὶ δάκαρ καὶ κάγκαμον καὶ μάκειρ.

CAPUT XCIII.

De cancamo.

CAncamum cujus mentio in loco supra citato Græci auctoris, non habet minus apud Arabes incertitudinis. Plerique volunt esse laccam quæ Arabicè dicitur لك *loch*. Græcis λάγχα & λαχα. De qua satis in Exercitationibus. Serapio sub nomine laccæ κάγκαμον Dioscoridis descripsit. Avisena scribit

G quosdam putasse laccam esse karabe, id est, succinum. Et fatetur facultates succini & laccæ pares esse. Idem in voce *keikem* quæ ex κάγκαμον facta est, tradit creditum quibusdam esse sandaracam. Ea est sandaraca quæ Arabibus vocatur سندروس *sandarus*. Barbari dixere *sandarax* & *sandaraca*. Hæc succino similis colore

colore ac virtute. Vernicem quidam vocant. Hic mos Arabum quæcunque in facultate aut usu quoquo modo conspirant, ea passim invicem permutare, & explicationibus miscere. Cancamum inter alias proprietates veteribus celebratas corpus subtrahere idonea traditur, & in maciem redigere, ἰσχναίνειν τὰς καταπιμέλους. Hac eadem facultate sandaracam suam impertit Avisena, eamque virtutem parem habere succino tradit id est karabe. Multi etiam karabe cum illa sandaraca Arabica eamdem statuunt. Græci quippe βερνίκην vocant Arabum karabe. Latini vero Barbari vernicem appellant quod Arabibus dicitur *sandarus*, quæ est sandaraca. Avisena qui cancamum idem cum lacca facit, in capitulo de cancamo scribit à quibusdam existimari lacca, in capite vero de lacca pro sandarus nominat karabe. Laccam autem vim habere ἰσχναντικὴν asserit. Quod & de cancamo & de sandaraca quoque dixit. Sic multi hæc miscuerunt. Pro *keikem* autem legendum apud Avisenam *kenkem* قنقام pro قيقام. Hoc est κάγκαμον. Caput tamen illud de cancamo in Arabico non repperi. Idem de lacca narrat, juxta Paulum esse gummi herbæ similis myrrhæ. Apparet vocem laccæ vel *loch* posuisse pro eo quod est apud Paulum Æginetam κάγκαμον, quo teste nititur. *Herbam* autem perperam vocat quæ arbor est. Nam vocabulum Arabicum quo utitur Avisena non plus quam herbam denotat حشيش, *haxis.* Dioscorides à quo reliqui sumpserunt, dixit, Κάγκαμον δάκρυόν ἐστιν Ἀραβικοῦ ξύλου, σμύρνῃ προσεοικός. More Hebræorum locutus qui eodem vocabulo lignum & arborem nominant. Quod non est Græcæ consuetudinis. עץ Hebræis & δένδρον & ξύλον. Arabibus vox شجر, *xegiar* tam de arbore quam de herba solet usurpari. Nunquam tamen haxis de arbore apud eos sumitur. Scaliger corrigebat apud Avisenam خشب quod lignum significat pro حشيش. Sed nihil opus tali mutatione. Græca Pauli Æginetæ transcripsit auctor ille Arabs apud quem scribitur, κάγκαμον δάκρυον ἐστὶ πόας Ἀραβικῆς. Locutio qua usus est Dioscorides minimè usitata Græcis in hunc errorem Paulum deduxit. Ξύλον Ἀραβικὸν non de arbore sicut par fuit interpretatus est dictum, sed de herbis ejusmodi quibus cauliculi lignosi, Græci φρυγανικὰ vocant & ξυλώδη. Sic appellat Theophrastus helenium, sisymbrium, serpyllum, & similia quæ thyrsos habent ξυλώδεις. Ita ξύλον accepit apud Dioscoridem Paulus de herba ligneo cauliculo, pro ξυλώδει πόᾳ. Dioscorides quæ de cancamo habet, ubi ξύλον pro arbore usurpavit, ab aliquo auctore Syriæ vernaculo mutuatus est. Hesychius à Dioscoride sumpsit: Κάγκαμον παρ' Ἰνδοῖς ξύλου δάκρυον θυμίαμα. A

A visena igitur πόαν Pauli Arabicè reddidit حشيش. Per hanc vocem sæpe pleraque herbarum nomina explanat & definit. Ut supra herbam quæ *pabulum columbarum* dicitur dicit esse *haxis.* Nempe herbæ genus, χόρτον male interpretatur vir magnus. Quod herba sicca est, & stipula vel palea. Non ergo دمع حشيش est δάκρυον χόρτου, sed δάκρυον πόας ut est apud Paulum. Palea sane vel fœnum nullam lacrymam emittere potest; sed ex multis herbis lacryma gummium modo emanat, ut ex chamæleonte ixia. B hipposelino, laserpicio & aliis. Falsum etiam quod vult Garcias *laccam* Arabibus ignotam fuisse. Cum eo nomine prisci vocent quo hodieque vocatur, nempe *loc*, non credibile est aliud præter laccam ea appellatione novisse. Serapio prodit ex Isaac sententia, loc rem esse rubram quæ circa tenues ramorum surculos adhæret. Non potest melius definiri. Quod autem è cœlo cadere illam quidam ex illis existimarunt, certum est errasse. Quod cum Græcorum cancamo eamdem putarunt, etiam in hoc lapsi. Æque etiam falsi qui ob parem tingendi usum *kermez* esse exposuerunt. Kermez quoque id est granum tinctorium C circa ramos arborum inhæret, sed non eodem modo, nec eadem est materia. Ceraginem esse laccam quam grandes formicæ circa arborum ramos aggerunt compertum hodie. Quod ignoratum Arabibus licet rem ipsam noverint, non caret odore lacca cum incenditur, non tamen est cancamum. Nullus enim virosus sapor in gustu sentitur cum manditur, quod de cancamo scribunt veteres. Miratur Garcias cum ab ipsis incolis apud quos plurima nascitur, *trec* vocetur, cur nomen *lac*, *loc* aut *luc* apud Arabes invenerit. Rationem hanc esse conjicit, ex quo non valde eum Arabicæ linguæ peritum fuisse conjicio. Quod hoc medicamentum in *loc* sive mellis crassitiem dissolveretur, cum ad tingendum tum ad medicinæ D usum, laccæ ex eo nomen *loc* factum hariolatur. Aliter scribitur *lohoc* quod in medicina usum habet, estque ἔκλειγμα Græcorum, aliter *loc* vel *luc* pro lacca. Illud est لعوق *lohoc* vel *loc*, cum Ain & Vau, & Kaf, hoc est لك *loc* vel *luc* vel etiam lac per Kef tantum. Verbum est Arabicum لعق, quod lingendi habet significationem, idque ab Hebræa origine לחך eadem notione sumi soliti verbi. In eo sensu & לקק repperitur. Inde & Græcum λείχω, unde ἔκλειγμα vel ἐκλεικτὸν quod proprie Arabibus dicitur lohoc. At iidem Arabes nomen *lac* vel *loc* pro lacca E ex Græco infimæ ætatis sumpserunt, λάκχα quo rubram omnem tincturam vocarunt transpositis litteris ex antiquo κάλχα vel κάλχη quæ purpuram designat. De quo satis in Exercitationibus, quæ peti inde debent.

CAPUT XCIV.

De cinnamomo.

NUllum mutatorum ex antiqua notione nominum illustrius exemplum patere ajo, quam in cinnamo, vel cinnamomo. Omne si quidem Græciæ & Latii ævum postremum, sic vocavit *cannellam* nostram quæ est κασία σύριγξ sive casia fistula antiquorum. Macer subditivus titulo *de cinnamo id est canella*, ita scribit:

Cinnama tres species dicuntur habere, sed harum
Est pretiosa magis quæ plus subtilis habetur.

Hodie quoque inter omnes convenit qui de canella scripsere, corticem ramorum meliorem esse quam trunci, quia subtilior ac tenuior. Hinc præclaram induxere Barbari inter cinnamum & cinnamomum dif- F ferentiam, qui *cinnamum* dici volunt corticem canellæ crassiorem, & minus aromaticum, *cinnamomum* autem de subtiliori ac odoratiori canella intelligendum. Qua distinctione utuntur omnes fere Arabum interpretes in explicandis his tribus vocibus, *selicha*, *darsini*, & *karfe*. Ex his *karfe* cinnamomum interpretantur. *Darsini* cinnamum, & *selicha* cassiam ligneam. Contra mentem auctorum sunt hæ expositiones ut infra ostendimus. Nam tria illa ge- G nera canellæ esse vulgaris volunt corticis tantum diversitate discreta. Hoc cinnamo sive cinnamomo veterum nullo modo congruit, quod non erat cortex merus sed surculus plenus ac solidus cum suo cortice. Κάρφη Græci vocant, unde Arabes suum fecerunt قرفة.

كرفة *kerfe.* De quo infra, ac de cæteris Arabicis appellationibus. *Canella* nostra, non omnis veterum casia, sed certa species, ac ne optima quidem, sed omnium vilissima quæ tota cortice constabat in fistulam complicato. Unde & κασίαν σύριγγα vel συριγγίδα eam dixere Græci, Latini *casiam fistulam*, & simpliciter *fistulam*, cui respondet synonymum *cannella.* Auctores Græci veterinarii κασίαν αὐλὸν eandem vocitant. At præstantissima casia ea veteribus habita est quæ cinnamomo similis esset. Non cortice mero constabat, sed surculi ipsi recisi eam constituebant, ut cinnamomum. ξυλικὴν κασίαν & ξυλοκασίαν Græci vocarunt, ad discrimen casiæ fistularis, quæ tota ex cortice est convoluto fistulatim, nihil autem habet ligni. Aliud cortex in arbore, aliud lignum. Quantumvis crassus densusque cortex, non abit à corticis definitione. Lignum in arbore vocatur id quod cortici subest. *Xylocasia* igitur non ea dicatur quæ crassiori cortice constet, sed quæ lignum simul cum cortice habeat. Vulgaris casia sive canella quæ συριγγὶς κασία veterum caret ligno, solum præfert corticem in tubos convolutum. Ξυλοκασία vero lignum est cum cortice. Sic ξυλοβάλσαμον, ξυλομάκειρ, ξυλοκαρυόφυλλον, ξυλοκιννάμωμον, non cortices sunt sed surculi earum arborum à quibus denominantur. Tale fuit cinnamomum veterum quod erat ἐν κάρφεσι. Talis & casia optima, similis cinnamomo, quam & ξυλοκασίαν appellarunt. Omnem itaque casiam sibi cognitam veteres in duo genera diviserunt, in ξυλοκασίαν, id est, casiam ligneam, surculis constantem; & κασίαν σύριγγα ex cortice solo compositam in tubulos sive fistulas convoluto. Etsi confusè satis historiam casiæ tradat Dioscorides, casiæ tamen συριγγίδος, & casiæ κινναμωμιζούσης quam βλαστὸν Μοσυλίτην vocat, id est, *surculum Mosyliticum*, non obscura apud eum differentia colligitur. Sed apertissimè eam Galenus explanavit commentariis in Theriacam Andromachi senioris. Κασίαν simpliciter eo carmine nominarat quæ in Theriacam illam ingrederetur. Quæsitum à posteris de quo genere casiæ ille intellexisset. Junior Andromachus fistularem quasi ex præcepto & intellectu senioris Andromachi debere indi censuit, quæ casia ut vilissima omnium, ita omnibus nota. Verba Galeni: ἀλλὰ τῆς γε συριγγίδος ὑπό τινων ὀνομαζομένης ὁ νεώτερος Ἀνδρόμαχος ἐμβάλλειν ἀξιοῖ· πᾶσι δὲ αὐτὴ γινώσκεται καὶ γὰρ καὶ εὐωνοτάτη πάντων ἐστὶ· τὸν μὲν ἔξωθεν φλοιὸν, ὅνπερ καὶ σύριγγα καλοῦσιν, ἰσχυρὸν ἔχουσα κατ᾽ ὀσμήν τε καὶ γεῦσιν, τὸ δὲ ἔνδον ἀσθενέστατον, ὡς μηδεμίαν αὐτοῦ χρείαν γίνεσθαι. Notanda heic singula. Κασία σύριγξ vulgaris erat tum usus, ac notitiæ, & vilis emptu. Cortice solo constabat, ut apparet in fistulam complicato. Nam inde nomen. *Canellam* esse nostram nemo est cui non perspicuum sit. Alia genera casiæ quæ ibidem recensentur à Galeno adpositis nominibus suis, ut à *syringide casia* diversa, ita & præstantissima habita, & cinnamomo ut similitudine, sic pretio & honore proxima. ἐπειδὴ, inquit, τὴν μὲν γίζειρ μάλιστα ἐπαινοῦσιν, ἐφεξῆς δὲ τὴν μωτὼ καλουμένην, εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τὴν ἀρναβὼ καὶ τὴν δαφνῖτιν. Ita hæc legenda. Quatuor hæc genera casiæ nominatim refert veluti excellentissima & ex quibus alia alii in Theriacam addi debere opinabantur. Cum Andromachus Junior syringida sive fistularem censeret injiciendam utpote quod κασίαν simpliciter dixisset Senior Andromachus, de communi ac maximè vulgari id esse intelligendum qualis erat fistularis. Nam reliqua illa genera ab usu communi remotiora, rariora, & suis singula nominibus propriis nota, appellationem casiæ relinquebant isti vulgari συριγγίδι. Hæc mens Andromachi cui omnino concinit quod apud auctorem Peripli legimus γίζειρ & μωτὼ quæ casiæ sunt eximiæ nomina Galeno, distingui planè à casia his verbis: Γίνεται δὲ τὰ ἐν αὐλῷ κασία καὶ γίζειρ καὶ ἀσύφη καὶ ἄρωμα καὶ μάγλα καὶ μωτὼ καὶ λίβανος. Per κασίαν palam est ab Arriano seu quisquis alius auctor est, designari vulgarem casiam fistulam quæ propriè hoc habuit nomen. Vides enim nec μωτὼ nec γίζειρ nec ἀσύφη sub appellationem κασίας ab illo scriptore compelli. Ἀσύφη vero etiam inter casiæ genera à Dioscoride reponitur. *Gizir* autem & *moto* à Galeno celebrantur etiam inter genera ceteris casiæ generibus præstantia. Et de *gizir* quidem dicit, cinnamomo esse simillimam. ὅτι μὲν οὖν γίζειρ παραπλήσιον κινναμώμῳ κατὰ πάντα ἐστὶν, εἴρηται μοι καὶ πρόσθεν. Si cinnamomo per omnia similis hæc casiæ species, in surculis fuerit oportet non in cortice. Nam cinnamomum, surculi. Multum itaque distabat à casia fistulari. De hoc genere casiæ Dioscorides ait, τοῖς συριγγίοις πλήρη. Plenam & solidam non inanem & concavam intus fuisse significat. Sic harundinem quæ solida intus est ναστὸν καὶ μεστὸν & πλήρη dixerunt. Democritus μεστοκαλάμους eas harundines appellavit quæ concavæ non essent. Non rectè tamen loquutus videtur Dioscorides, etsi ex veterum opinione ita scripserit, quibus persuasum erat casiam fistularem fieri erodentibus intus lignum vermibus & solum corticem relinquentibus, tutum amaritudine. Quæ sic igitur excavata esset & exinanita à vermiculis, eam casiam σύριγγα vocabant. Aliam quam vermes non vacuassent erodendo, integram adhuc & plenam, συριγγίοις πλήρη vocat Dioscorides, nondum scilicet excavatam. Hæc fuit inscitia veterum circa casiam, ignorantium nimirum quomodo detraheretur illi arbori cortex, qua arte præpararetur, & in tubulos sive fistulas convolveretur. Cæterum casia solida & plenis constans surculis similior cinnamomo quam casiæ fistulæ. Talis & *moto*, quæ & pro cinnamomo venum ibat, teste Galeno: ἡ γοῦν συνεχεστάτη παρὰ τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα δεινῶν ὡς κινάμωμον πιπρασκομένη τοῦ ταυτοῦ γένους ἐστίν. Non poterat vendi pro cinnamomo casia fistula vulgaris, quæ nihil nisi cortex erat inanis, cum cinnamomi surculi essent solidi plenique cum suo cortice. Sequuntur duo alia genera casiæ apud Galenum cinnamomum simulantia: εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τὴν ἀρναβὼ καὶ τὴν δαφνῖτιν. Sic legendum pro ἀρηβώ. Notandum heic in primis ἀρναβὼ à Galeno inter casiæ genera poni quæ à Græcis posterioribus ab hoc genere abdicatur ut & *moto* & *gizir* & alia. Ἀρναβὼ vel zarnab ut ab Avisena describitur, virgulta sunt odorata tenuia, paulo ampliora majore acu qua suuntur subsellia, & paulo minora canna qua scribitur. Paulus *arnabo* simile esse virtute dicit κασίᾳ τε καὶ καρπησίῳ. Galenus vero carpesium tradit esse festucas sive surculos planè similes cinnamomo. Κάρφεα Herodoto. Daphnitis item casia ex illis generibus quæ cinnamomum facie referunt. Plinius ἰσοκίνναμον dictam scribit, adulterarique solitam tenuissimis lauri surculis propter similitudinem corticum. Hinc Græci veteres cinnamomum vocarunt ἡδύερβδον quasi suavem virgulam, sive suavis odoris surculum. Quod de casia syringe non dixeris quæ cortex est merus & inanis intus: Hesychius: ἡδύερβδον, κιννάμωμον. Omnes supra dictæ casiæ species ad cinnamomum propius accedebant, & surculi potius erant odorati quam cortices, eoque longo discrimine distabant à casia fistula, quæ & propriè à quibusdam κασία appellata est. Cetera illa genera surculis & ligno tantum constantia, ξυλοκασίας nomine quidam ex antiquis donaverunt. Alii ne κασίας quidem appellatione hæc dignati sunt, sed ut peculiaria aromata suis tantum nominibus delegarunt, ut paulo ante vidimus fecisse auctorem Peripli maris Erythræi. Nullum hodie ex illis generibus in usu aut notitia prostat. Sed nec cinnamomum amplius noscitur nisi de nomine, quo falso vocamus casiam fistulam veterum nostramque canellam. Longe igitur aliud fuit antiquorum cinnamomum, aliud hodiernum, quod nihil aliud est quam κασία σύριγξ veterum. Nec alio sensu uspiam accipitur in scriptis recentiorum *cinnamomum* quam pro casia fistula sive canella. Quin etiam inepto discrimine cinnamomum vocant delicatiorem ac subtiliorem canellam, crassiorem vero cinnami nomine donant. Quasi diversæ sint significationis

cationis hæc nomina. Græci κινάμωμον, Latini *cinnamum* frequentius dicunt, ut alibi docuimus. Latini barbari & Arabum interpretes *ligneam casiam* passim nominant quæ Arabibus dicitur, سليخة *selicha* vel *salicha*. Quod de ea utique casia quæ in usu est, & vulgo *canella* vocatur, debere intelligi fatentur. Hoc me movit aliquando ut putarem vocem illam Arabicam ex Græca ξυλική detortam qua κασία ξυλική vel ξυλοκασία antiquorum enuntiaretur. Postea animadverti non veterem hanc esse sed recentem expositionem, nec Arabum ipsorum sed interpretum appellationem, qui casiæ vulgari aromaticæ sive canellæ hoc nomen antiquum accommodarunt, ut eam distinguerent ab altera casia veteribus ignota cujus medulla ad cathartica expetitur. Hæc *casia* etiam proprie sequiori sæculo *casia fistula* quo nomine κασία σύριγξ Græcorum id est canella vulgaris Latinis veteribus nota fuit. Ut igitur eam distinguerent à casia aromatica, hanc quidem *ligneam casiam* nominarunt, quia cortex est, & ob corticem solum petitur, alteram vero *casiam fistulam* quod ejus siliquæ longis fistulis adsimilantur. At longè alio sensu hæc *casia lignea*, à Latinis barbaris dicitur quam ξυλοκασία veteribus Græcis. Casiam quippe ligneam vocant quæ proprie dici debet κασία σύριγξ sive *casia fistula*. E contrario *casiam fistulam* appellant quæ in totum alia est à casia fistula antiquorum. Hæc enim casia fistula siliqua est Ægyptiacæ arboris, & medicamentum catharticum. Hæc alibi pluribus confirmabimus, & vulgo etiam eruditorum nota sunt. Scribit Garcias lib. I. de Aromatis medicos omnes Arabes, Turcas, Persas, quæ canella crassior est, eam vocare *casiam ligneam*. Nomen Arabicum quo hæc casia lignea exprimitur non aliud est, quam supradictum *salicha*. Atqui non casiam ligneam hoc sonat sed corticeam. Ab Arabico سلخ *selach* quo significatur cortex. Unde & سلخ الحية *selach alhaie*, exuviæ serpentis, superficies, cortex, Et verbum سلخ decorticare, deglabrare ab illo *selach* περιγωνικόν سليخة *selicha* corticea. Ut ab اس *as* myrtus, اسية *asita* myrtina. A خشب *chaxab* quod est lignum, خشبة *chaxaba* trabs lignea vel palus è ligno, ut est in veteri Lexico Latino-Arabico Raphelengiorum. Sic ab حمام *hamam*, columba حمامة *hamama*, columbaria, sive περιστέριον herba. Certum igitur est Arabes nomine illo selicha non aliud casiæ genus intellexisse præter eam quæ συριγγὶς Græcis & σύριγξ dicitur. Ea ex cortice paratur, & in fistulæ formam convolvitur. Corticeam & fistularem casiam liceat dicere quæ omnino alia est à casia lignea antiquorum quam ξυλοκασίαν dixerunt. Crassiorem canellam eo nomine intelligi apud Arabes & Persas traditum Garciæ. Sane in eodem genere & crassior & delicatior sive subtilior reperitur. Si crassior dicta illis *selicha* addere debuit quod nomen apud illos habuerit quæ subtilior est. Æque enim subtilis è cortice conficitur, ut crassa. Hoc solum discrimen est quod crassior è cortice crassiore est, tenuior è magis tenui ac subtili. Præstantissimam casiam ab Ægyptiis *selicham* vocari memorat Prosper Alpinus qui diu in Ægypto moram ac medicinam fecit. Quæ præstantior ea etiam subtilior. Nam melior habetur quæ magis tenuis. Ut contra quo crassior eo deterior ac vilior. Macer de cinnamo, quæ canella est hodierna, ut ipse interpretatur.

Est pretiosa magis quæ plus subtilis habetur.

τὴν λεπτόφλοιον designat. Veteres in sua fistulari casia commendant non quidem crassitiem sed firmitatem. Plinius: *brevi tunicarum fistula atque non fragi-*

A *li*. Galenus: τὸν ἰσχυρὸν φλοιὸν probat in casia syringide: τὸν μὲν ἔξωθεν φλοιὸν ὅνπερ καὶ σύριγγα καλοῦσιν ἰσχυρὸν ἔχουσα κατ' ὀσμήν τε καὶ γεῦσιν, τὸ δ' ἔνδον ἀσθενέστατον. Ubi tamen advertes τὸ ἰσχυρὸν pr[illegible]ari in cortice [illegible] odore & gustu firmum sit non rumpi difficile. Dioscorides repudiat & inter rejiculas censet τὴν λεπτόφλοιον ἢ καὶ φλοιοῤῥαγῆ quæ tenuis sit corticis & fragilis. Sed φλοιαῤῥαγῆ accipimus quæ in arbore ipsa rumpitur. Hodie præstantior habetur ἡ λεπτόφλοιος. Auctori Peripli σκληροτέρα κασία ea dicitur quæ crassiorem habet corticem. Per κασίαν, non aliam ille casiæ speciem intelligit præter fistularem. In eo genere casiæ
B corticem dici fistulam Galenus asserit: τὸν μὲν ἔξωθεν φλοιὸν, ὅνπερ καὶ σύριγγα καλοῦσι. Quia nimirum in fistulam erat conformatus. Hinc Damocrates in Iambis σύριγγα κασίας & φλοιὸν κασίας pro eodem usurpat:

Κασίας μελαίνης τοῦ φλοιοῦ, τούτων πάλιν
Δὶς τρεῖς ἑκάστου μίγματος δραχμὰς σταθμῷ.

Item in alia Antidoto:

Κασίας τε κιῤῥᾶς τοῦ φλοιοῦ τὰς ἐννέα.

In Antidoto Panacia δι' αἱμάτων, κασίας σύριγγος μελαίνης. *Casiam fistularem*, vel fistularum hanc vocat Scribonius Largus. Aliæ casiæ in surculis consistebant,
C ut & cinnamomum ipsum. Tam crassa quam tenuis casia, modo ex fistulari ac corticeo genere sit, *selicha* Arabibus nomen habet quod corticeam sonat. Hæc non est lignea casia. Immo longe diversa ab ea quam Græci ξυλοκασίαν dicunt. Κασίαν eam proprie appellarunt quæ communior erat ac vilior nempe συριγγίδα. Hinc sæpe legimus in compositionibus medicorum κασίαν & ξυλοκασίαν simul indi quod de casia syringide Græcorum sive Arabum selicha, & casia lignea accipiendum. Nicolaus Myrepsus in Antidoto alia Ægyptia cap. XCVII. Ναρδοστάχυος, κασίας ἀνὰ δραχμὰς δὲ κυμίνε, ξυλοκασίας. Et ita passim in
D aliis. Ubi κασία est σελίχα Arabum. Nam sic in omnibus Lexicis Græco-Arabicis invenio exponi, σελίχα ἡ κασία. At ξυλοκασία proprie casia lignea, diversa à selicha sive canella vulgari quam *ligneam casiam* non aliam ob rem indigitavit barbaries Latinorum interpretum sequioris sæculi, quam ut à casia medullari & medicamentaria eam discernerent. Casia igitur σύριγξ Græcorum quæ cortice constat in tubulum complicato Arabice dicitur *selicha* id est corticea, sive crassior sit sive subtilior. Non eadem hæc cum cinnamo vel cinnamomo ut vulgi imperita consuetudo loquitur. Arabibus etiam suam habet appellationem cinnamomum, quo à casia sive à canella distingui-
E tur, vocant دار صيني *dar Sini*. Quod lignum Sinense significat. Nam دار *dar* Persice lignum est. Sic دار شيشغان *dar xixgan* vocatur illis aspalathum, lignum nempe ex xisgan. Avisena κασίαν Dioscoridis appellat *selicha*, κινάμωμον autem *darsini*. Si Græcorum κασία diversa est à κινάμωμῳ, certè & *darsini* diversum erit a *selicha*. Ut lignum differt a cortice, ita casia quæ ex cortice est distat a cinna-
F momo quod vere lignum est. Differentiam ipsam produnt vocabula Arabica ex sua significatione. Nugatur igitur Garcias qui Avisenam & Rhasem reliquosque Arabes veteres contendit vocabulo Persico usos esse *darsini* ad canellam significandam, quasi nihil intersit inter *selicha* quo vocabulo ipsis canella sive casia signatur, & *darsini* quo cinnamomum proprie appellarunt. Sub nomine *darsini* Avisena quidquid de cinnamomo tradidit Dioscorides, in suam linguam ad verbum convertit & exposuit. Rursus quæcun-
G que de casia Dioscoridi scripta sunt, eadem ferme sub titulo *selicha* leguntur apud Avisenam. Inter illa tamen casiæ genera quæ Dioscoridi recensentur, nonnulla sunt quibus non convenit nomen *selicha*, ut omnes xylocasiæ species quæ ad cinnamomum magis accedunt quam ad casiam fistularem. Verumenimvero ut κασία Græcis absolute dicta ἡ συριγγὶς κασία

κασία, ita & Arabes vocabulum σελίχα quod respondet Græcæ συριγγὶς, generale fecerunt ad omnes casiæ species ac differentias enuntiandas. *Selicha* tamen apud eos ut dixi proprie corticem casiæ vel corticeam casiam significat. Alias & قصيعة *casia* ipsis dicitur, ut Hebræis קציעה. Unde Græcum κασία. Æque falsum quod asserit idem Garcias, canellam cujuscunque generis Arabicè dici *querfaa* aut *querfe*. Hoc est قرفة *kerfe*. Non pugnabo an ita hodie hoc nominis usurpent Arabes de quacunque casia. Sed ad veteres provocabo qui longe diversa significatione sumpserunt. Apud Avisenam in voce *darsini* eo capite quo omnes cinnamomi differentias verbis Dioscoridis pertexuit, quod ξυλοκιννάμωμον Græco auctori vocatur, ipse Arabicè *kerfa* vocatum affirmat, & interpretatur, دار صيني خشبي *dar sini chaxabi*, id est, cinnamomum ligneum vel lignosum, κιννάμωμον ξυλῶδες. Verba ea quia in Arabica editione reperiuntur & in Latina desiderantur rudi minerva verbo ad verbum translata heic subjiciam: *illud autem quod dicitur karfa simile est cinnamomo, radice & nodorum crebritate. Atque id est cinnamomum lignosum, cui virgæ longæ ac validæ, & odor ei longe minor adest quam est odor cinnamomi, sunt & nonnulli qui putant kerfa genus esse diversum à cinnamomo, & naturam aliam quam cinnamomum habere.* Eadem omnino leguntur apud Serapionem qui & *kerfe* propriè vocatum dicit genus illud cinnamomi quod ξυλοκιννάμωμον Dioscoridi dicitur, & est cinnamomum crassioris generis. Non igitur cortex sed lignum, quod alio nomine vocabatur قرفة الدارصيني *karfe aldarsini*, id est, lignum cinnamomi, ξυλοκιννάμωμον. Sic iidem Arabes vocant lignum caryophylli quod Aëtio & aliis Græcis ξυλοκαρυόφυλλον appellatur, vocant قرفة القرنفل, *kerfe alcarumfel.* Hoc est lignum ex arbore caryophylli. Perperam Alpagus de cortice garyophyllato & caryophylli odorem habente id accipit. Multas sanè res ævum Latinitatis posterius *garyophyllatas* dixit ab odore caryophyllorum, ut *ocimum garyophyllatum*, *violas garyophyllatas*, τὰ λευκόϊα Græcorum, quas omnes hodie absolutè nominant *garyophyllatas.* At *kerfe karumfel* nihil aliud est quam lignum caryophylli, ut ξυλοβάλσαμον est lignum balsami, sarmenta nempe ex frutice balsami amputata. In editione Latina Avisenæ duo capita habentur, alterum de *kerfe aromatico*, alterum de *kerfe cinnamomi.* Et apud Alpagum de *kerfe alcarumfel*, & de *kerfe darsini.* In editione Arabica Romæ excusa duo illa capita videntur in unum coaluisse sub titulo قرفة الطيب *kerfe althaib*, id est, lignum odoratum, vel aromaticum. Quod ipse Avisena cinnamomi genus esse in textu docet, & de eo se dixisse in capite de darsini, id est, de cinnamomo. Apparet interpretes illos integriorem nactos codicem quam fuit ille ad cujus exemplar curata est editio Romana. Illud certè constat *kerfe darsini* Avisenæ vocari quod Dioscoridi dicitur ξυλοκιννάμωμον, & idem esse cum *kerfa* cujus meminit in capitulo de cinnamomo, quod per ة fœmineum scriptum est. Alpagus *kerfe* exponit exteriorem corticem cinnamomi. Quod prorsus pugnat cum sententia Avisenæ, qui ξυλοκιννάμωμον sic vocat, & cinnamomo simile esse dicit, radice & nodorum frequentia. De ligno igitur loquitur non de cortice. Nunquam aliter apud Avisenam sumitur vox *karfe*. Ligni genus odorati quod vocatur *armech*, ارماك colore simili esse dicit القرفة. Ergo *karfa* lignum est, non cortex. Et rectè ibi vetus interpres reddidit *cinnamomo crasso*, qui tamen omisit de colore quod in Arabico est, في اللون. Et sane vocem illam Arabicam *karfe* ex Græco κάρφη factam liquet. Κιννάμωμον Herodotus sic definit, & κάρφεα esse dicit, id est, surculos, & festucas è ligno. Ut in balsamo τὸ ξυλοβάλσαμον dicebatur de sarmentis summis balsami fruticis amputatis, ita & ξυλοκασία & ξυλοκιννάμωμον eodem sensu in cinnamomi & casiæ arbore dicta esse certum est. Plerumque & stolones integri, & tenellæ arbusculæ ab radice sua evulsæ pro cinnamomo & xylocasia adferebantur ut ex Galeno constat, cujus verba alibi rettulimus. Hinc Dioscorides id eligendum pro optimo cinnamomum suadet, quod ab una radice termites multos habet, quia facilior adulterandi ratio in surculis ac fragmentis foret. Ergo non solum sarmenta & summa virgulta pro cinnamomo & xylocasia advehi solebant, sed etiam stolones viviradices vel integræ sed novellæ cinnamomi plantæ. Cum tales viderent antiqui, putabant non majores esse cinnamomi aut casiæ arbores quam quas inde allatas videbant. Nihil autem prohibet quin ex eadem arbore, & xylocasiam & casiam fistularem sumi solitam credamus. Immo ita credendum. Xylocasiam constituebant surculi ipsi vel summitates virgultorum putatæ. Casiam vero syringa cortex demptus, & in fistulæ tubulum convolutus. Hodie nulla uspiam visitur, quia nulla adfertur xylocasia. Et fortasse nulla etiam fit propterea quod arbores ipsas amputare abstinent, solo cortice contenti, ex quo paratur canella quæ hodie in usu, quæ fuit κασία σύριγξ veterum. Cinnamomum simile xylocasiæ, quod hodierno quoque tempore nullum est. Optima xylocasia cinnamomo proxima bonitate & facie traditur ab antiquis. Quin & casiæ arbores in cinnamomum tranfire ab iisdem proditum. Sic cinnamomum nihil aliud fuerit quam præstantissima xylocasiæ species. Tenuia utrumque virgulta fuere ex arbore recisa, & surculi. Græci κάρφη vocant, Arabes قرفة *karfe.* Vox Persica qua cinnamomum appellatur Avisenæ, in eadem censetur significatione. Nam *dar Sini* idem quod surculus vel virgultum Sinense. Sic *dar fulfel* appellant longum piper, quod simile sit festucæ vel surculo, quasi surculum piperis dicas, دار فلفل. Nam فلفل *filfil* vel *fulfal* est piper. Lexicon vetus Græco-Arabicum, Δαρφέλφερ, τὸ μακρὸν πέπερι. Sic caryophylla καρφοειδῆ esse dicit Paulus quod surculorum speciem præferant. Ab illa voce κάρφος, Græcis recentioribus κάρφιον pro clavo. Ex his liquet quid propriè κάρφος Græci vocarint. Et quid fuerit cinnamomum quod hoc nomine censebatur. Abolitis autem hac ætate, & cinnamomi & xylocasiæ generibus, non mirum si appellationes illæ quibus antiqui Græci & Arabes eas species vocabant, ab intellectu suo vero ac vetere recesserunt, translatæque sunt ad eas signandas, quæ nunc usitatæ ac notæ habentur. Sic promiscua hæc nominum permutatio facta, & abusio nata quæ animos eruditorum ita variè affecit ut quidam ex his dubitarint, alii etiam confidenter pronuntiarint, nos hodierno die non carere legitimo ac vero antiquorum cinnamomo, quod idem cum canella nostra esse affirmant. In quibus Julius Scaliger, & Garcias, aliique quamplures. Idem Garcias notat putasse nonnullos in Alep nasci canellam quod apud aliquot auctores legerint præscriptum *cinnamomum Alipinum.* Qui notas ad eum confecit vir illustris famæ, observat sæpe numero veteres cognominasse merces & aromata non à solo natali sed à propiore loco, unde ad Græcos advehebantur. Hoc quidem verum esse non inficior, sed heic locum habere non potest. Quis enim vetustior paulo auctor potuit præscribere *Alipinum cinnamomum?* Arabes

Arabes si forte hoc potuerint. Qui tamen extant, nusquam ita nominant. Apud Græcos quos quidem legerim non invenitur. Latinos barbaros qui Antidotaria & Medicinalia conscripserunt, partim ex Græco, partim ex Arabico translata nullam Alipini cinnamomi mentionem faciunt. Paucis vero medendi professoribus concesserim qui plures in eo genere pervolutarint, cum editos codices tum manu exaratos. Præterea *Halepinum* non *Alipinum* dicendum foret hoc cinnamomum ab urbe *Halep* quam Arabes vocant حلب *Haleb.* Græci Χαλὲβ. Non disputo hic utrum Βέροια sit an Ἱερὰπολις. De quo alibi. Vereor ne nobis hic fucum faciat Garcias, aut ipse sibi qui putaverit aut id affirmantibus crediderit, reperiri *Alipinum* cinnamomum ab urbe Halepina dictum. *Alitinum* vel *alithinum* ibi debuit legi. Apud Avisenæ interpretem de medicinis cordialibus tract. II. mentio cinnamomi Alitini his verbis: *Cinnamomum alitinum calidum est in fine secundi, siccum in tertio.* Constantinus in viatico lib. II. item cinnamomi Alitini, garyophylli cardamomi, nucis muscatæ. Et paulo post: *liquiritiæ, amidi, spicæ, cyperi, nucis muscatæ, cinnamomi alitini.* Cujus & alibi passim mentio occurrit in Antidotario, & aliis libris medicinalibus ante annos quingentos scriptis. Quis non videt Græcum esse ἀληθινὸν κινάμωμον? Omnibus fere paginis prostat apud Myrepsum. Loca producam aliquot quæ ad manum sunt. In Antidoto διὰ ῥόδων cap. XXVI. ξυλοκασίας, κιναμώμε ἀληθινȣ̃, ναρδοστάχυ☉ ῥέȣ βαρβάρȣ &c. Item paulo post in alia Antidoto διὰ ῥόδων: σπερμάτων, μαράθρȣ ἢ ὠκίμȣ κιναμώμȣ ἀληθινȣ̃. In Antidoto Diacumini: πεπέρεως κοινȣ̃ καὶ λόκȣ, κιναμώμȣ ἀληθινȣ̃. Nemo non intelligit Græcè sciens ita vocari verum ac genuinum cinnamomum, quod opponitur ψδυδοκιναμώμῳ, cujus meminit Dioscorides inter cinnamomi genera. Et idem facit cum xylocinnamo: ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ὅμοιον τὸ καλȣ́μενον ψδυδοκινάμωμον, ἀτελὲς ὂν ἀδύνατον τῇ ὀσμῇ, ἐκλελυμένον δὲ τῇ δυνάμει, καλεῖται δὲ καὶ ζίγγιβερ ξυλοκινάμωμον ὄν. Corrigendum ex Avisenæ Arabicis: καλεῖται δὲ καὶ ἴσγι, vel ἄσγι. اذجي. Male reddunt: *quod zingiber etiam vocant, cum cinnamomi lignum non cortex sit.* Quasi hoc falsum cinnamomum quod & xylocinnamomum dicitur, lignum sit, verum autem nihil amplius sit quam cortex. Quod est

A falsissimum. Ξυλοκινάμωμον est crassius ac lignosius cinnamomum. Ipse Dioscorides ξυλῶδες κινάμωμον interpretatur, cui longæ ac robustæ virgæ. At verum cinnamomum subtilioribus sarmentis ac surculis consistebat, λεπτὸν δὲ τοῖς ῥαβδίοις καὶ λεῖον. Hoc est cinnamomum quod λεπτὸν κινάμωμον passim apud Myrepsum vocatur, idemque cum ἀληθινῷ cui opponitur ψδυδοκινάμωμον & ξυλοκινάμωμον. Ex Græcis tamen verbis Dioscoridis ut concepta sunt, colligi potest, diversum ab eo statui pseudocinnamomum à xylocinnamomo. B Dicit aliud genus reperiri simile cinnamomo quod vocatur ψδυδοκινάμωμον, sed ignobile esse, odore ac viribus æque imbecillum. Καλεῖται δὲ, inquit, καὶ ἴσγι ξυλοκινάμωμον ὄν, ἔχον δὲ τινὰ ἐμφέρειαν κιναμώμῳ. Manifesto hesc aliud constituitur genus ab illo pseudocinnamomo quod vocari tradit *ingi* cum sit xylocinnamomum, cinnamomo & ipsum quadamtenus simile. Arabes hæc quoque distinxerunt sed non ea parte qua debuerunt. Nam hæc verba, καλεῖται δὲ καὶ ἴσγι ξυλοκινάμωμον ὂν cum præcedentibus junxerunt ac rettulerunt ad pseudocinnamomum. C Quod si sic esse deberet non dubitarem pronuntiare idem xylocinnamomum & pseudocinnamomum. Etenim sequentia ab hac periodo divelli non possunt. Serapio ait hoc pseudocinnamomum esse cannam ex cinnamomo, per quæ explicat illud ξυλοκινάμωμον ὄν. Deinde subjicit de *kerfe* quod esse ξυλῶδες κινάμωμον exponit. Atqui hæc Dioscoridis interpretatio est qua illud ξυλοκινάμωμον explicat. Eadem habet Avisena. Græci autem recentiores λεπτὸν κινάμωμον videntur dixisse id quod opponitur crassiori cinnamomo. Apud Charitonem λεπτοκινάμωμον unica voce dicitur. In Synthesi magnæ Trypheræ. D Μάννα Ἰνδικὸν ἢ λεπτοκινάμωμον. Alii de cinnamomo trito & in minutiem pulveris redacto interpretantur, ut λεπτὸς λιβανωτὸς vocatur, & λεπτὰς ἅλες. Glossæ medicæ Græcorum: ἄνθ☉ κιναμώμȣ, τὸ λεπτὸν κινάμωμον. *Florem cinnamomi* vocat minutissimum pulverem, ut *flos* pro polline etiam Latinis, ita & Græcis ἄνθ☉ hac eadem notione. Cinnamomum tritum in vino servari scribit Dioscorides. Non deerit qui existimaturus est ἀληθινὸν κινάμωμον, de rubro dici quod ὑπόκιῤῥον Dioscoridi, quia ἀληθινὸν E sic frequenter usurpat Græcia inferior pro coccino & rubro colore. Sed prior expositio verior.

CAPUT XCV.

De garyophyllo.

Garyophyllon cinnamomo non ineptè subjungitur, de quo & similis dubitatio inter doctos existit. Scio quippe esse qui non nimium certi sint an ea species quæ hoc nomen hodie habet, respondeat antiquæ appellationi. Quod ad Plinium attinet fatendum est alia novisse garyophylla, quam quæ huic ætati comperta sunt sub hoc nomine. *Est etiamnum*, inquit, *in India piperis granis simile, quod vocatur garyophyllon, grandius fragiliusque. Tradunt in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratia.* Libri habent, *gariofillon.* In Indice scriptum est, *charoephyllon* pro caryophyllon id est καρυόφυλλον. Nam ita Græci nuncupant. Recentiores etiam καροιόφυλλον. Suspecta mihi etiam verba illa, *Tradunt in Indico luco id gigni*, & manifesto mendosa sunt, ut arguunt libri veteres qui habent, *in Indicato id gigni.* Latet nomen Indici loci. Forte *in Indica Tynde gigni.* Tindis Emporium celeberrimum Indiæ, & fere ultimum quo usque penetrarent mercatores Romani ut ex tabula Peutingeri patet. Quidam cochinum esse volunt. Auctori Peripli *Tyndis* & *Muziris* celeberrima Emporia Indiæ quæ petebant mercatores & ex quibus merces Indicas advehebant, utrumque regni ejusdem. In Moluccis insulis hodie nascitur caryophyllum, sed & in Zeilan quæ est Taprobane veterum, & aliis in locis. F Καρυόφυλλον autem Plinii granis piperis simile, sed majus non potest esse caryophyllum nostrum. Paulus autem Ægineta tale describit, quale est nostrum: Καρυόφυλλον ὡς πρὸς τὔνομα ἢ τὴν ȣ̓σίαν ἔχει, ἀλλ' ἐκ τῆς Ἰνδίας οἷον ἄνθη τινὰ δένδρον καρφοειδῆ. Legendum, καρφοειδῆ, *flores specie clavorum.* Hinc hodieque *clavos caryophyllorum* vocamus. Κάρφια sunt clavi. Hesychius: ἧλοι, κάρφια σιδηρᾶ. Glossæ *clavus*, κάρφιον. Potest tamen retineri καρφοειδῆ. Nam surculis ac festucis non dissimiles sunt hujusmodi aromatici clavi. Et κάρφιον pro clavo dictum à similitudine τȣ̃ κάρφȣς, quod est surculus. Non ex re nomen habere καρυόφυλλον dicit Paulus. G Sanè flos ipse qui hoc nomine notus est, nihil habet quare merito sic debuerit à Græcis appellari. De arbore ipsa videndum an folia nuci habeat similia quod nomen indicat. Arbori caryophyllorum folia esse laurina inter omnes fere hodie convenit. Hæc forma non multum abstisit à nucino folio. Certe Theophrastus apud Athenæum folium mali Medicæ comparat folio lauri, andrachnes & nucis: σχεδὸν ἴσον ἐστὶ τῷ τῆς δάφνης ἀνδράχνης καὶ καρύας. Andrachne folia habet laurinis adeo convenientia ut solo discernantur odore. Ergo &

& nux ex sententia Theophrasti non dissimile lauro folium gerit. Angustiora tantum quam lauro folia caryophyllum habere omnes neoterici asserunt. Nec dubium Græcos καρυόφυλλον appellasse ab aliqua similitudine foliorum nucis. Dicerem eos more suo ex barbaro & indigena vocabulo id nomen deflexisse. Si notum mihi esset quo nomine hoc aromatis genus olim Indi vocaverint. Hodie in Java nominatur *sianke*. In *Maslaya synken*. Garcias tradit à Moluccarum incolis apud quos tantum nascitur, vocari *chanque*. Quod idem nomen est. Quod attinet ad Arabicam appellationem *carumfel*, قرنفل, ex Græca omnino depravatum constat καρυόφυλλον, inserta littera Nun ut in plerisque aliis solent. Lexicon Græco-Arabicum: Καρομφὶλ, τὸ καρυόφυλλον. In alio legi γαρομφὶλ. Ab omnibus Arabibus, Persis, ac Turcis *calafur* hodie appellari scribit Garcias, quod transpositum videtur pro *caraful*. Legimus apud interpretem Avisenæ, *garyophyllum esse sicut sambacum sed nigrius*. Ita vocavit jasminum vel τὴν ἰάσμην Græcorum. Sane in Arabico & simile esse carumfel الياسمين *aljasmin* id est jesmini quem barbari vocant *sambacum*, ex Arabico *zambac* زنبق. De quo supra. Caryophyllum igitur quem fructum facit arboris Sinensis, flori jasmini de facie comparat. Sed videndum an non potius arborem caryophylli adsimilet arbori jasmini. Folium hujus ab illo non dissimile. Tradit Prosper Alpinus jasminum Ægyptium sive Arabicum quod &, *zambac*, folia habere malis aurantiis similia. Tale habet & caryophylli arbor. Profecto talis est forma folii Indici quod ob similitudinem folium esse caryophyllorum multis placuit. Interpres Avisenæ scribit caryophyllum fructum esse arboris ex insula Indiæ. Avisena autem in sua hoc est Arabica lingua tradit esse plantam in regione Sinarum, في حد الصين. In Moluccis tantum nasci hac tempestate volunt. Quo cum olim adiissent navibus Sinenses inde magnam copiam caryophyllorum in suam regionem transportarunt, quæ postea divisa sunt per Indiam, Persiam & Arabiam. Negant ante hoc factum ullo in pretio fuisse apud suos Moluccanos. Quod igitur Sinensium opera aliis Orientis regionibus hæc primum innotuerunt, apud Sinas nasci dixit Avisena. Duo hujus genera invenio apud recentiores cum Græcos, tum Latinos. *Anthophylla* vocant & *caryophylla*. Majora illa sunt, hæc minora. Quæ caryophylla vocantur, viridia adhuc & in flore leguntur. Postea excrescunt in fructum tumidum, intus osseum bipertitum, nigro corio tectum. Hæc anthophylla sunt. Liber vetus Medicinæ Latinus *garyophalum* & *anthophalum* nominat in curatione de tumore vesicæ. Ad quem locum vetus Glossa, *majores & minores garyophyllos* interpretatur. Ratio tamen magis posceret ut minores dicerentur ἀνθόφυλλοι, qui colliguntur dum adhuc in flore sunt, & majores καρυόφυλλα quasi à nucis aliqua similitudine. Crassum enim & oblongum & olivæ nuclei figuram refert, ut est apud Avisenam, qui & masculum vocat hoc garyophyllum. Et capite sequenti minus cardamomum huic generi caryophylli adsimilat. Myrepsus tamen ἀνθόφαλον ab Italis appellari ait, majus caryophyllum. In Antidoto διὰ καμαρῶν XV. Γαρεόφαλον τὸ μέγα τὸ λεγόμενον παρ' Ἰταλοῖς ἀνθόφαλον, ζιγγίβερι, κινάμωμον, γαρεόφαλον τὸ μικρόν. Quod & alibi apud eumdem reperias. Quod ad Plinianum caryophyllum attinet, non inficias iverim posse aliud putare. Ego vero puto idem. Vidit Plinius caryophyllum quale apud nos frequens visitur, cujus in summo clavi capite rotundum extat tuberculum piperis grano simile sed grandius & fragile multis veluti fibris intus refertum. Calicem floris esse volunt adhuc conniventem & nondum apertum. Videtur existimasse Plinius esse fructum ipsum pediculo suo insidentem & inhærentem. Nam clavus ipse planè ligneus & surculi instar habere ei visus est. Ita solet multa Plinius de suo judicio proferre, vel potius hariolari præter auctorum receptas sententias. Ut cum corallium baccas rubras ferre dixit, cum vidisset grana rotunda ex corallio tornata. Sic & alia sexcenta. Caryophyllum odoris gratia advehi, dicit, & fanè nihil odoratius caryophyllo. Inde & caryophylli nomen ad designandam odoris optimi fragrantiam in multis usurparunt, quomodo & muschi. Ut enim *nux muschata* quæ myristica vel myrepsica aliis dicitur, & *pyrum muschatum*, & *rosa muschata* & quæcunque alio in suo genere præstant odore etiamsi muschum non redoleant, ita & *garyophyllata* pleraque dixere; ut *violas caryophyllatas*, *ocimum caryophyllatum* & alia. Sane herba quædam odorata quæ *folengiemusch* ab odore muschi dicta est Arabibus, eam Latini interpretes vocarunt *ocimum* caryophyllatum, lignum caryophyllorum quod Græcè ξυλοκαρυόφυλλον vocatur, Arabes dixere *kerfe althaib*, id est lignum odoratum vel aromaticum. Inde sunt & caryophylli flores sic vulgo dicti quos *ocellatos* in idiomate nostro nuncupamus. Caryophyllum ad condimenta olim usurpatum ut piper & costum aliasque exoticas species ostendunt Apicii Excerpta. Vinidario qui inter pigmenta condimentaria etiam caryophyllum numerat: *crocum, piper, zingiber, lasar, folium, costum, caryophyllum, spica Indica*. Quod dixit Plinius de odore caryophllorum fidem faciunt non alia fuisse ejus ætate cognita quam quæ hodie habentur, sed eum partem pro toto accepisse arguit, quod de figura piperis granis similis prodidit.

CAPUT XCVI.

De silphio.

Locus Apicii superius allatus in quo mentio est lasaris heic me submonet ut nonnulla ex his repetam quæ in exercitationibus fusius diximus partim confirmanda, partim aliter exponenda. Lasar enim ex illis est quæ nomen habent antiquum in re nova & alia. Superflua itaque disputatio omnis quæ conatur efficere, ut habeamus hodie laserpicium veterum quod nomine solo nunc viget, re ipsa jam pridem nullum est. Quod brevissime explicari sic potest. Infima Latinitatis ætas *asa* corrupit ex antiqua appellatione *lasar*. Id vocabulum usurpavit de nescio quo gummis genere quod longe abest a prisci laseris idea. Quia fœtidum id gummi, saltem epitheto discreverunt & *asam fœtidam* vocarunt, quo distingui posset ab asa antiqua quam constat odoratam fuisse. Inde Arabes duo genera fecerunt asæ, fœtidam & aromaticam. Græci quoque recentiores eam speciem quam Latini *asam* appellant, vocarunt λάσαρον sed cum adjuncto quo virus odoris ejus indicaretur, σκορδολάσαρον. Hinc apud Myrepsum explicatum invenies σκορδολάσαρον esse *asam fœtidam* Latinorum. In eorumdem Græcorum Glossis medicis passim invenies σκορδολάσαρον exponi ὀπὸν κυρηναϊκόν. Glossæ quoque Latinorum medicæ asam fœtidam interpretantur *lasar & opium quirinacium*. Quibus utique consentanea sunt quæ scribit Avisena cap. XXXI. lib. II. Asam fœtidam longe vehementiorem esse odorata, & magis ignea vi præditam, plurimam autem venire ex regione *Kirvan*. Cyrenaïcam ita vocare certum est. Ergo juxta sententiam Avisenæ, Græcorum omnium Latinorumque recentium asa fœtida eadem cum lasere Cyrenaïco veterum. Atqui contrarium plane comperies si Cyrenaïci laseris descriptionem cum hac asa fœtida compares. Ut alia omittam, odor ipse in utroque dissimillimus. Suo laseri Cyrenaïco veteres tribuunt ὀσμὴν προσηνεστάτην suavissimum odorem, ut Dioscorides

odorem, ut Dioscorides; qui & σμυρνίζειν τῇ ὀσμῇ dicit καὶ μὴ πρασίζειν, smyrnæ odorem resipere, & nihil porraceum olere. Theophrastus ex antiquis εὔοσμον tradit silphium Cyrenaïcum. Interpres vetus Aristophanis ἡδύοσμον. An convenire hæc odoris suavitas possit asæ fœtidæ nostræ, quærendum relinquerem, si ratio ulla id permitteret. Alio argumento contendere aliquis posset atque adeo pertendere hanc asam non esse Cyrenaïcum laser, quandoquidem Plinius sua ætate prodit multis jam annis in ea terra non inveniri, quia qui pascua conducebant, id depopularentur pabulo pecorum, majus compendium ex ea re percipientes. *Unus*, inquit, *omnino caulis nostra memoria repertus, Neroni principi missus est.* Additque statim, diu jam non aliud tum Romanis invectum laser, quam quod in Perside, aut Armenia aut Media nasceretur, largè quidem ibi proveniens, sed multo infra Cyrenaïcum. Hoc igitur saltem videndum, an commode dici queat ac vere, asam fœtidam non esse Cyrenaïcum laser, sed esse Persicum aut Medicum sive Armeniacum. Ne id quidem procedit & refutatur auctorum testimonio, qui fatentur omnes Medicum & Persicum laser atque etiam Syriacum viribus imbecillius esse Cyrenaïco, adeo ut duplum Syriacum pensetur simplici Cyrenaïco. Atqui ex gravitate odoris, quam præ se fert asa illa quæ fœtida cognominatur, vehementiorem vim habere necesse est Cyrenaïco, cujus odor levis ac suavis. Quod & disertè testatur Avisena tradens calidiorem esse fœtidam magisque ignea vi valere. Sed male censet talem fuisse Cyrenaïcum laser quod suavioris erat ac lenioris flagrantiæ; adeo ut in os sumptum non diu sensibilem halitum redderet. Syriacum contra & Medicum odore graviore, viribus tamen infirmioribus. Ὁ δὲ Συριακὸς καὶ Μηδικὸς τῇ δυνάμει εἰσὶν ἀσθενέστεροι καὶ βρομωδεστέραν ἔχουσι τὴν ὀσμήν. Verba hæc sunt Dioscoridis: ex quibus non colligas Syriacum & Medicum laser odoris ingrati ac fœtentis fuisse, sed gravioris flagrantiæ quam Cyrenaïcum. Ne id quidem inde colligi datur Syriacum aut Medicum laser fortius flagrasse, & vehementiorem odorem spirasse Cyrenaïco. Nam si hoc esset, etiam illud sequeretur, vim validiorem inesse illi laseri, cujus odor esset validior. Cyrenaïcum laser teste Dioscoride, σμυρνίζει καὶ εὔτονόν ἐστιν ἐν τῇ ὀσμῇ, odorem myrrhæ spirat ac vehementis est flagrantiæ. Sed in illa odoris vehementia ac firmitate blandius ac jucundius spirat quam Syriacum aut Medicum quæ βρομωδέστερα sunt, id est, virus quoddam redolent, ingratius & gravius. Τὸ βρομῶδες non simpliciter & absolutè id significat, quidquid male olet & fœtidum est, sed affectus est qui bonos etiam odores sequitur, cum exeunt in aliquam gravitatem virosam & male gratam, quæ in fine sentitur, & aliquantum permanet. Sic phu quem & agrestem nardum vocarunt quidam, nardum quidem resipit sed cum gravitate quadam virosa. Ναρδίζει τῇ ὀσμῇ μετά τινος βάρους βρομώδους. Item de salviæ foliis: σφοδρῶς εὐώδη, ἔμβρομα, id est, *maxime odorata, sed gravia.* Nam in odoribus idem ἔμβρομον & βρομῶδες quod βαρύ. Hesychius: Ἄβαρυ, ὀρίγανον. Ita dictum quod minimè gravem odorem det. Idem ea de causa ἄβρομον appellatum est. Idem Hesychius: ἄβρομον, ὀρίγανον. Cyrenaïcum lasar myrrham acri odore redolet nihil porraceum spirans. Medicum & Syriacum utique myrrhæ similiter spiritum olentem reddunt, sed cum graveolentia quadam, quæ non percipitur ex Cyrenaïco. Ita omnino intelligenda liquet Dioscoridis verba. Non simpliciter βρομώδη ὀσμὴν habere dixit Syriacum, & Medicum laser, sed βρομωδεστέραν Cyrenaïco. Si Cyrenaïcum odoratum, utique & Syriacum Medicumque, sed cum gravitate virosa, qua caret Cyrenaïcum. Quin & Medicum lasar non multo deterius esse Cyrenaïco Stephanus ex Strabone affirmat, de Mediæ regione: φέρει δὲ σίλφιον ἡ χώρα, ἀφ' οὗ ὁ Μηδικὸς καλούμενος ὀπὸς οὐ πολὺ λειπόμενος τοῦ Κυρηναϊκοῦ. Tam diversum igitur à Cy-

A renaïco non potuit esse Medicum, ut hoc male oleret illo suaviter spirante. At asa fœtida quid oleat, ipsa suo cognomine indicium facit. Mihi nihil est, quod detestabilius spiret. Quin immo odoris est tam mali, ut hystericarum naribus admota monstrum illud matricis suffocantis repellat ac retro cogat cedere. Quam virtutem suo laseri inesse nusquam veteres meminerunt, non prætermissuri si fuisset. Totam laseris historiam nobis hodie ignotam constat. Sed nec ejusdem generis aut speciei asa cum lasere, & alia in totum natura est. Nec movere quemquam debet, quod hanc speciem Græ-
B ci recentiores σίλφιον & λάσαρον nuncuparunt. Sic alias res hoc nomine donaverunt, quæ laserpicium veterum nulla gentilitate nec cognatione attinent. Fœnum Græcum teste Tzetze nonnulli & σίλφιον dixerunt, sed & σίγχλον sive nardum Celticam. Non simpliciter λάσαρον, sed σκορδολάσαρον hoc genus nominarunt Græci ab allii fœtore. Sic nec Latini simpliciter *asam*, sed *asam fœtidam.* Hoc σίλφιον κάκοσμον Glossarum Aristophanis. Laseris antiquitus plurimus usus non solum in medicina, sed etiam in mensa fuit cibis condiendis. Pestem illam fœtoris quæ ex asa oritur, nunquam pu-
C to in condimenta recepissent, quæ cibos omnes teterrimo odore inficeret, & quantumlibet excitatam orexim prosterneret. Nec moveor eo quod scribunt hodie Indis asam illam in cibis & condimentis commendari. Hoc illi viderint & fruantur gustu suo: nunquam tamen in persuasionem meam ego receperim laserpicium, quale antiquis temporibus cognitum fuit, aliquid habere consortii cum asa fœtida. Avisena ipse capite de *angiuden* vel *angiedan* (sic enim vocat plantam, ex qua succus lasaris elicitur) in duo genera dividit nigrum & album. Nigrum fortius esse nec in cibos recipi disertè
D tradit. Hoc nigrum est *angiedan* ex quo asa fœtida manat, quam & vehementiorem odorata facit. Non igitur hæc unquam cibis admista. Jam primum illud convenit plantam illam, ex qua succus asæ fœtidæ colligitur, Arabibus dici أنجدان *Angiuden.* Laserpicium esse inter omnes ferme constat, & interpretes sic passim reddunt. Quod σίλφιον Dioscoridi, hoc Avisenæ *Angiuden* dici nemo est, quin assentiatur. Atqui differentia illa co-
E loris, qua ille genus duplex discernit, albi nigrique, parum Silphio convenit, nec ullum scio ex veteribus qui laserpicium sic distinxerit. Succus vocatur Arabicè حلتيت *halthith.* Hic est ὀπὸς σιλφίου Græcorum sive *laser* Latinorum. Avisena certe sub hoc nomine quidquid de Silphii generibus ac differentiis Cyrenaïci, Medici, ac Syriaci Dioscoridi traditum est, transcriptis verbis ejus exequutus est, etiam laudato nominatim Dioscoride. Quæ verba quare prætermiserit interpres Latinus
F in sua Editione, ego nescio. Post explicata hæc generum Silphii discrimina auctoritate Græci scriptoris, ea subjicit, à quibus incipit capitulum in Latina versione, duorum nempe esse generum *halthith*, fœtidum & odoratum. Quæ prorsus veteribus indicta & inaudita lasaris distinctio. Ut nec illa notior iisdem de planta in nigram & candidam bipertita ab eodem Avisena capite de Angiuden, quod esse silphium volunt. Apparet igitur, quæcunque habentur apud Avisenam ex Dioscoride ad verbum descripta, iis omnino designari antiquorum Silphium: quæ vero de suo subne-
G xuit, Arabum *halthith* sive *asam* Barbarorum denotare, quam in odoratam sive aromaticam & fœtidam diviserunt. Ex quibus planè colligas hunc succum longe esse alium ab antiquo laserpicio, quamvis omnes Arabes τὸ σίλφιον illa voce *halthith* intellexerunt ac tradiderunt. Misere autem Latinus interpres textum Avisenæ interpolavit, qui in illa divisione halthith, quæ ab Arabibus introducta est, speciemque alteram odoratam, alteram fœtidam statuit, genus illud admiscuit quod ex regione

T

regione Cyrenarum adferebatur. Quod est Κυρηναϊκὸν σίλφιον, cujus meminit duntaxat Avisena in illa relatione quam ex Dioscoride transtulit. Eo denique rem deduxit interpres ille ut Cyrenaïcum lasar quod fuisse odoratum constat pro asæ genere fœtentissimo habeamus. Sic enim posuit: *sed calidior est fœtida & est vehementior duarum specierum & est ignea, & plurimum quidem hujus speciei est Chirvani id est ex regione Chirvan, & est gummi almharut.* At postrema hac de regione Chirvan ac specie Chirvani non comparent hoc loco apud Avisenam, ubi divisionem asæ in fœtidam & odoratam persequitur, sed inter verba è Dioscoride citata ac translata quæ interpres omisit, perpaucis his exinde in hunc locum traductis ubi minimè possunt consistere. Rationes tamen cur ita faceret, ne putes illi defuisse, cum historiam illam lasaris interpolare vellet, habuit istas. Inter silphii genera veteribus cognita & usitata nullum ab his validius ac potentius agnoscitur Cyrenaïco. Apud recentiores Arabes qui lasar in odoratum & olidum distinguunt, id quod mali est odoris majorum ab his virium esse traditur quam quod bene olet. Ex eo ergo Cyrenaïcum laser quod potentius est aliis omnibus generibus juxta priscorum sententiam, substituit in locum fœtentioris quia secundum opinionem recentiorum ea validior asa quæ virosior odore. Præterea usum temporum suorum respexit, & Græcorum interpretationem communem quibus ὀπὸς Κυρηναϊκὸς veterum idem est cum σκορδολασάρῳ quam Latinorum asam fœtidam esse liquet. Atqui ex omnium auctorum veterum concinente relatione constat Cyrenaïcum laser fuisse jucundi odoris. Εὔοσμον vocat Theophrastus, ἡδύοσμον Aristophanis Scholiastes vetus. *Radices silphii odoratæ* Solino. Ceterum interpolatione illa veteris interpretis deceptus Garcias qui Arabica nunquam legit nec intelligere potuit regionem Chirvan ab Occidente in Orientem ac Septentrionem transtulit ad confinia usque Corasonum & Parthorum ubi hodie gigni fertur planta quæ lasar sive asam fœtidam dat. Et quod magis mirandum id se facere auctoritate ac testimonio Avisenæ jactat. *Volunt*, inquit, *nonnulli halthith ex Corasone ad Ormuz & inde in Indiam deferri, alii ex Guzarate, tametsi istic ex regno Deli adferri vulgo asserant, regione admodum frigida quæ ad Corasones usque, & regionem Chirvan ex Avisenæ testimonio extenditur.* Hoc putidissimum mendacium. Nusquam enim Avisena dixit regnum Deli usque ad Corasones & regionem Chirvan extendi. Vel ex hoc uno potest colligi quid illi homini credi debeat in quo tam parum fidei. Regnum Deli Indicum ad oram maritimam Meridiem versus. Corasones Parthis ac Medis vicini, ad Septentrionem supra dicti regni. Ab his longe dissita regio *Chirvan* in Africa quæ est Cyrenaïca provincia. Urbis *Kiroan* meminit Geographus Arabs in secunda parte climatis tertii quam vocat القيروان *Alkiroan.* Aliter tamen scribitur hujus urbis nomen apud Avisenam in capite de lasare. Duobus quippe locis quibus ejus mentio fit scriptum habetur قوربدا & القوربدا. Si penultimæ litteræ punctum addas superne quo caret, & proximè sequenti alterum subter adjicias ut fiat Jota pro Beta legetur *kurine* & *alkurine.* Quod est ἡ Κυρήνη. Nihil verius. Solent Arabes in vocabulis Græcis pro ἦτα scribere Jota juxta vulgarem pronuntiationem. Sic خالينوس *Galinus* pro *Galenus* semper legas apud eundem Avisenam, ὁ Γαληνός. Apud Serapionem capite de lasare & assa corruptissimè excusum est *aßa quæ dicitur kurbancas* pro *Kurinaïca.* Item assa: *quæ est ex Corienatos*, ubi scribi debet *ex curina* من القورينا Cyrenaïcum laserpicium odoratum ac pollentioris virtutis ceteris generibus tum cognitis Syriaco & Persico consentiunt veteres scriptores. Inter Ara-

A bes vero auctores convenit asam fœtidam quod lasaris illis est genus alterum odoris horrendi, longo intervallo facultates odorati superare calida & ignea vi. Quo argumento & quidem validissimo concludas oportet hoc lasar alliaceum non fuisse antiquitati cognitum, quod valentius traditur odorato. Et sanè non simpliciter virosi odoris esse suum Persicum aut Medicum laser prisci memorant. Sed in comparationem Cyrenaïci nescio quid lene ac jucundum halantis, graviorem istius sentiri odorem quasi virus redolentis. Ut fœtidum lasar veteribus ignoratum videtur ita odoratum hodie non cognoscitur. B Quod enim Arabes utrumque genus scriptis suis celebrant, scire licet quæ de odorato scripserunt, ea hausisse ab antiquis auctoribus. Cum viderent veterum silphium ex testimonio scriptorum suavis esse fragrantiæ, suum autem cujus usus tunc erat tætri odoris, duo genera laseris fecerunt, fœtidum & odoratum, κάκοσμον καὶ ἡδύοσμον. Barbaris *asa fœtida* & *asa dulcis.* Quæstionem Garcias proponit quam & lepide solvit. *Si althith*, inquit, *non est asa dulcis, quid est asa dulcis.* Deinde pro gravi testimonio asseverat, asam dulcem apud nullum probatum auctorem sive Arabem sive Græcum C sive Latinum legere meminisse. Immo & omnes Græci & omnes Arabes Latinique auctores asam illam dulcem agnoscunt. Nomen quidem ipsum non habent sed rem alio nomine explicatam. Si asa Barbarorum est *haltith* Arabum cum duûm hoc sit generum malo & bono odore discretum æque & *asa* totidem fuerit specierum. Sed de nomine argutatur, & nescit planè quid velit. Altith inquit nihil aliud est quam planta laserifera veluti plerumque sumitur gummi pro ipsa planta. Immò *halthib* nihil aliud est quam ipsum lac quod ex planta elicitur D quæ propterea Arabibus dicitur, شجر الحلتيت *segiar alhaltith* id est arbor halthith. Ita vocat Averroes, ita Serapio apud quem *angiuden* non est ipsa laseris planta sed folium. Sic جاوشير *giauxir* est ὀποπάναξ succus panacis, arbor ipsa Arabice vocatur, شجر الجاوشير *segiar algiauxir.* Et ita in aliis sexcentis. Quin & ipse Avisena disserte testatur *balthith* esse succum sive gummi an- E giuden. صمغ الانجدان *samag alangiuden* quod est gummi plantæ angiuden. Sic enim vocat stirpem ipsam silphii. Ergo qui Græce ὀπὸς σιλφίε, hoc Arabibus *halthith.* Latinis *lasar* pro quo Barbari corruptè dixerunt *asam.* Hæc duûm ut dixi generum penes Arabes odorata & fœtida. Quæ odorata est eam vocarunt iidem Barbari *dulcem* non satis Latino vocabulo, cum ad gustum magis quam ad olfactum referatur ab antiquis saporemque potius quam odorem bonum indicet. Non caret tamen F exemplis etiam in media Latinitate. Priscianus quippe in versione Dionysii Afri *cannam dulcem* dixit pro odorato calamo.

---- & canna dulcis honore.

Inde igitur & *asa dulcis*, odoratum lasar, quod Avisenæ حلتيت الطيب *balthith althaib.* Qua vocé semper ad aromata & odores utitur. Ut *kerfe althaib*, lignum aromaticum. Adfar althaib, اظفار, الطيب onyx odoratus. Geographus Nubiensis am- G barum sic appellat. Atqui hanc dictionem in antiquo Latino-Arabico Lexico, Latino vocabulo *dulcis* explicatam legere est. طيب, *bonus, suavis, dulcis.* Hinc igitur asa dulcis, quam Avisena vocat طيبة id est odoratam & aromaticam. Eam frustra apud auctores se quæsisse frustra quiritatur Garcias qui falso &

A & absurdo commento *asam dulcem* de glycyrrhizæ succo interpretatur, nomenque hoc deducit ab Arabico *Rôb alsus* رب السوس quod sonat succum liquiritiæ, ut vocatur Barbaris. Nam *sus* Arabibus ἡ γλυκύῤῥιζα; *rob*, succus. Imperitè vero Garcias *sus* dicit esse succum, *rob* densatum & coactum. Ab illo autem vocabulo promit etymum & significantiam asæ dulcis. Quo nihil imperitius fingi potest. Quid faciet *asa fœtidæ* aut unde veriloquium ejus expiscabitur? Non hoc inventum Gerardi, ut falso B opinatur Garcias, sed quomodo suo tempore appellatum reperit Græcorum silphium sive lasar, ita ea voce usus est. Ἀσαφἰλιδα dicitur Nicolao Myrepso, monetque ab Italis ita vocari τὸ σκορδολάσαρον Græcorum tunc temporis, qui rursus sic vocabant τὸν ὀπὸν Κυρηναϊκὸν antiquorum. Sed quantum distat res execrandi odoris à suavissima & aromatica, tantum distare putandum Cyrenaïcum lasar ab isto genere asæ non allium duntaxat redolente, ut de nomine indicium est, sed virus omne, & C quidquid est in malis odoribus gravissimum longe superante, ut pestem nasorum non injuria possis vocare. Ut diligentem atque assiduum se nobis probet Garcias in scriptis Arabum, non dubitat affirmare neminem ex legitimis Arabibus (sic enim appellat) *halthith* meminisse, qualis est Rasis & Averrois. Ita quippe se explicat. Nempe illi Avisena & Serapio legitimi non sunt Arabes. Atqui illi ipsi quos habet pro legitimis, quosque adeo negat mentionem fecisse *halthith*, negant verum dixisse Garciam. Averrois disertè in libro de simplicibus cap. XLII. *Lac arborum halthith* nomi- D nat, & *asa fœtida* ab interprete rectè exponitur: *Lac arborum halthith, id est, asa fœtida calidius est omni alio lacte arborum.* Addit hanc ejus proprietatem, ut collo suspensum vulvæ conferat. Ad hystericas nimirum suffocationes. Ad quem usum remediumque hodie quoque solet usurpari plurimum medicamenti hujus pestilens fœtor. At nusquam veteres silphio suo sive lasari hanc facultatem in medicina attribuerunt, qui diligentissimè tamen omnia, quæ sperari possent ex eo remedia persequuti sunt. Hoc unum etiam argumentum satis firmum ad efficiendum, ut aliud sit hoc laser ab illo, fœtidum ab odorato. Rasis non me- E minit quidem halthith: cum *angiuden* nominet hoc ipso & illius arguitur meminisse: quandoquidem *halthith* succus est ex planta *angiuden* & plerumque plantæ ipsius nomen pro succo ponitur, ut σίλφιον Græcis sæpe pro ipso ὀπῷ usurpatur, cum propriè radicem significet, ex qua succus elicitur. Inde σιλφιωτὰ vocant, quæ lasere inspersa sunt, ut Latini *laserata*. Rasis capite quo recenset semina & alia pigmenta culinæ necessaria ad condimenta ciborum, *aniuden* inter illa reponit. Quo nomine antiquorum lasar eum existimo intellexisse non F hanc asam fœtidam. Nam certum est Arabes ita vocare Græcorum σίλφιον, & succum ejus *halthith.* Qua appellatione etiam donaverunt aliam plantam, cujus caule & radice incisis asa fœtida manat. Quam & ipsam eodem quo lasar nominarunt vocabulo ob non dissimiles fortasse in medicina effectus, cum odoris tam boni ac mali distinctione, qua nota alterum ab altero proprie discerni debet. Hinc *asa dulcis* de antiquo silphio, asa fœtida de hodierno, quam & Græci σκορδολάσαρον dixerunt, cum antiquum simpliciter λάσαρον vocarent ex Latino *laser.* Arabes pariter *halthith althaib*, id est, laser odoratum, sive *asam aromaticam* de silphio priscorum dixisse reperiuntur: al- G terum vero, quæ est asa fœtida vulgaris, حلتيت المنتن id est, halthith tætri & improbi odoris, à verbo نتن, quod est putrescere & in tabem solvi. Inde منتن virus redolens qualis est odor corporum putredine tabefactorum. Ab illa dictione Arabica *angiuden* non abit longè Græca σίγυδον quam inter silphii genera recenset Tzetzes in Chiliadibus:

Τέλοσα δ' εἰσὶ τὰ σίλφια, σίγυδον τε καὶ τῆλις
Καὶ τὸ χλωνὸν τὸ σεβαστὸν, τὸ θρυλλητὸν τοῖς πᾶσι.

Ubi forte pro σίγυδον scribendum fuerit ἀίγυδον, ut sit idem planè nomen cum Arabum *angiudan*, sic σοῦσον fecerunt ex *susan*. Sunt qui nardum Celticam illud σίγυδον interpretentur. Vetus Herbarius Arabs in antiquo Dioscoridis exemplari τὸ σίλφιον Arabicè exponit محروث, *maharuth*: Radicem silphii ita propriè vocari tradit Avisena in his, quæ non transtulit ex Arabico Latinus interpres. Hæc μαγύδαρις Græcis, pro quo apud Avisenam legitur ماعيطارث *mahidarit*: legendum puto ماغيطارن *maguidarin*. Ipse dicit esse المحروث *almaharut*. De quo & speciale caput extat apud eundem Avisenam, scribitque radicem esse aniuden, id est, silphii. Rhasis eodem capite quo species tractat ad culinam & condimenta pertinentes, *aniuden* & *maharoth* seorsum meminit. Per *aniuden* laser sive ὀπὸν σιλφίου intellexit. Per maharoth radicem, quæ & ipsa in condimentis locum habuit. Apicius in Excerptis in Laterculo pigmentorum condimentis servientium *lasar*, & *lasaris radices* separatim recensuit. Garcias proinde nugatur, qui *halthith* & *almaharut* ejusdem rei diversa esse nomina vult apud varias gentes, cum diversarum ex eadem re partium sint appellationes. Ex Arabico autem *maharut* Græcorum μαγύδαριν potius defluxisse censeo quam è converso. Non solent Arabes tantam mutationem sibi permittere in nominibus, quæ mutuantur ab exteris. Antiquum illud vocabulum eorum locorum, ubi nesciebatur silphium sive Libycum sit, sive Persicum. Plures Afrum malint. Est etiam alia planta eodem nomine minus vehemens quam silphium & succo carens. Mirum est Avisenam eam vocare *machudalsaph* ماخود السعف. Videntur duo esse vocabula *machud alsaph* vel *alsac*. Nam utroque modo potest legi, cum ultima careat puncto. Verba sunt Dioscoridis ab Avisena in patrium sermonem conversa. Utrobique apud Dioscoridem tam de radice silphii quam de planta congenere & cognomine μαγύδαρις legitur. Radicem Avisena ماغيطارين, *maguidarin* vocavit. Cur hanc alteram μαγύδαριν, quæ planta est cognominis *machud alsaph* appellare maluerit nihil video causæ. Fortasse mendum est & scribendum ماخودارجس *machudaris*. De quo non est dubitandi ratio. Paulo aliter scripsit alterius magydaris vocabulum, sed litteris idem exprimentibus. Apud Herbarium Arabem silphii nomen etiam Arabice enuntiatum ponitur سلفين *silfin* pro silfion, ut *nardin* pro nardion, *sin* pro sion. Apud Avisenam integre scribitur, سلفيون *silfion*. Narrat Garcias sibi narratum à quodam fuisse, in India succum hunc lasaris hodie noti ex planta quadam manare caule inciso, cui folia coryli. Silphii sibi cogniti folium omnis fere antiquitas apii folio simile perhibet. Hoc etiam notetur dissimile, & reliquis addatur rationibus, quæ prorsus evincere videntur antiquorum lasar non esse idem cum asa fœtida. Hæc cum ita sint nondum tamen omnis emota dubitandi causa, quin plura queant adferri argumenta, nec minus fortia, quæ ad contrariam valent sententiam adstruendam. De Cyrenaïco quidem nulla ambigendi materia, quod & odoratum fuisse constat, jam ante Plinii ætatem ab usu notitiaque recesserat, nec amplius reperiebatur veluti deperditum ut

ut disertè Plinius ipse testatum reliquit. Solum Persicum sive Medicum & Syriacum in usu cum fuit. De Syriaco nullum fuisse arbitror quod in Syria nasceretur, sed innumeras species quæ ab India & Arabia in Syriam primum inveherentur, *Syriacas* vocarunt. Quod sæpe auctores veteres fefellit, qui costum Syriacum, malabathrum, juncum, calamum, inde fecerunt quasi in Syria nascentia contra fidem veri quam hodierna experientia ostendit. Ita ergo & *silphium Syriacum* non alio sensu dictum fuit licet aliter plerique veterum acceperint quam Syriaca myrrha aut Syriacum thus. Silphium itaque quo usi veteres post Cyrenaïci abolitum usum ac profligatam notitiam ex Perside aut Media & Armenia adferebatur. Plinius *Diuque jam non aliud ad nos invehitur laser quam quod in Perside aut Media & Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum.* Laser quoque illud quo hodie utuntur Indi ad condimenta ex Ormuz ad illos advehi dicitur sinus Persici nobilissimo emporio. Ad Ormuz autem ex Corasone defertur regione Parthis & Armenis Medisque contermina. Quidam teste Garcia & ex regno Deli in Indiam deferri asserunt quod regnum usque ad Corasones protenditur. Geographus Nubiensis in septima parte climatis tertii asam id est الحلتيت *alhalthih* plurimam ac præstantissimam in circumjacentibus urbis Sorra regionibus provenire tradit quæ urbs finitima desertis Indiæ ab eodem proditur, sub Persarum utique antiquo imperio haud longè ab illis locis ubi silphium Persicum veteres nasci memorant. Quin & Arrianus in vita Alexandri scribit Macedones cum montem Caucasum superarent, qui mons Bactrianam & regiones cis Indum Persici imperii disterminat, multam ibi laseris copiam invenisse. Apud Isidorum legimus, *laser herbam nasci in monte Oscobagi ubi & Ganges fluvius oritur.* Ab aliquo hæc habet antiquo scriptore. De loco fere convenit Persici laseris natali. Usus hodie idem apud Indos asæ hujus qui apud veteres laseris fuit. Adeo bene illis sapit ut deorum cibum vocare non dubitent. Nec exigenda hæc res ad gustum nostrum. Multa qua odore qua sapore placuisse antiquo ævo liquet, quæ hodie ingrata sunt ac fœtent. Mali citrei odorem plerosque veterum execratos esse scimus. Melones apud illos non fuere in deliciis. Hæc gustuum morosa diversitas hodie quoque regnat. Multi ab allio in tantum abhorrent ut halitum eorum pati nequeant qui id esitaverint, tantum abest ut ipsi gustare sustineant. Aliis tamen sapidum condimentum est ut carnibus quibus vescuntur passim inferciant. Sunt qui cepicia cruda pomorum vice comedere in amoribus habent. Nonnullis vero nec cocta recipiuntur in cibos. Quod pessimè olet in asa fœtida allii odor est unde & σκορδολάσαρον vulgo dicitur Græcis. Non absuisse hunc odorem ab antiquorum lasere testimonium reddet Dioscorides qui in Cyrenaïco eligendo illud probari præcipit quod non πρασίζει τῇ ὀσμῇ nihil resipit porraceum. Nec desunt qui porri esum sic aversentur, ut nihil magis quos ab aliis cupidissimè appeti videmus. Non nimium boni odoris fuisse laser quod in usu promiscuo veteribus extitit, credamus licebit id ipsum testantibus idoneis auctoribus. Dioscorides sagapenum odorem spirare dicit inter galbanum & laser, ὄζειν μεταξὺ ὀποῦ σιλφίου καὶ χαλβάνης. Inde & sagapeno adulterari solebat laser. Galbaneum odorem teterrimum esse nemo nescit. Sagapeni autem duo genera, quorum alterum σαγάπηνον χαλβάνης vocat Galenus. Adeo scilicet parvum est quo differt sagapenum à galbano quantum ad odorem attinet. Speciem esse galbani quæ mutatur in sagapenum post Græcos tradit Avisena, quo loco ex Dioscoride scribit odorem sagapeni esse inter galbanum & laser, الحلتيت & القنة *alcane* & *alhaltith*. Sic vertit ὀπὸν σιλφίου, Dioscoridis. Quæ non leguntur in Latina versione. Cyrenaïcum laser hoc titulo commendat idem Dioscorides quod

A animam non inficeret nec diu odorem in ore superstitem relinqueret, & quod lenissimum halitum daret. Contraria omnia in Persico & Syriaco quæ βρωμωδεστέραν ὀσμὴν habere dicit, virosiorem odorem. Scholiastes quoque vetus Aristophanis in comœdiam equites notavit, σίλφιον esse κάκοσμον φυτάριον. Tale Persicum laser quo tum utebantur, quo & semper videntur usi Græci. Ex duobus silphii descriptionibus quæ apud Theophrastum habentur, alterum Persico laserpicio convenire Plinius affirmat. Alius porro vetus Scholiastes ad eundem locum Aristophanis pro nota adscripsit, σίλφιον esse ῥίζαν κατά τινας

B ἡδύοσμον ἐν Λιβύῃ γινομένην ἀρτυτικὴν καὶ θεραπευτικήν. Quæ verba ita possumus interpretari, nec aliter fortasse debemus ut radicem silphii dicat quibusdam videri odoratam, quæ aliis fœteret. Ita narrant de Indis qui asæ fœtidæ esum habent familiarem odoratam eam judicare, & pro re lautissimi saporis habere. Ceterum Scholiastes ille dum respicit ad silphium suæ ætatis hoc est Persicum quod revera κάκοσμον erat ex quorumdam sententia exponit esse ῥίζαν ἡδύοσμον, quia id traditum ab antiquis scriptoribus de silphio Cyrenaïco, cujus nulla tum notitia nec memoria nisi ex libris petenda. Cyrenaïcum igitur laser erit *asa dulcis* Barbarorum, Arabum vero *halthith althaib*. At Persicum laser, eorumdem fœtidum halthith, asa fœtida vulgaris, &

C σκορδολάζαρον Græcorum recentium. Quod autem iidem Arabes vehementiorem esse volunt fœtidam odorata, quam rectè ita pronuntiarint nescio, cum odorata quæ Cyrenaïca est, ipsis planè fuerit incomperta hodieque sit. Ex communi quadam intelligentia sic judicarunt qua res quæ sunt blando & leni odore, graveolentibus ac virosioribus cedunt. Secundum quam regulam Galenus pronuntiat τὸ καρδάμωμον imbecillius esse τοῦ καρδάμου, quia blandioris sit ac lenioris fragrantiæ. At Cyrenaïcum laser non remissi ac levis

D odoris fuit sed vehementis, σμυρνίζων ὄντως τῇ ὀσμῇ. Lenitatis ejus effectus in hoc tantum spectatus quod non diu maneret in ore halitus nec responderet gustui ut solent allium, cæpe, asa communis & alia ejusmodi. Præterea cum asa in Perside hac ætate eodem prorsus modo præparetur quo succum silphii, Theophrastus præparari solitum dixit ut inveterari posset, nemo est tam pertinax cui non extorqueri debeat hæc tandem confessio, asam fœtidam esse Persicum laser. Scribit Garcias succum qui ex caule inciso fluxit, in bubula coria conjici, sanguine ante perfusum admixta tritici farina, idque fieri conservationis gratia, quod nisi fieret putresceret. Similiter curari Theophrastus

E ait, nisi quod de sanguine nihil. In vasa conjici dicit cum farina, & diu concuti donec colorem acceperit, & humorem omnem exsudaverit: βάλλοντες εἰς ἀγγεῖα καὶ ἄλευρα μίξαντες σείουσι πολὺν χρόνον ὅθεν καὶ χρῶμα λαμβάνει καὶ ἐξυγραθὲν ἄσηπτον ἤδη διαμένει. Alibi hoc de succo eo tradit qui excipiebatur è caule inciso, qui καυλίας dicebatur quia humidior esset: ὁ δὲ καυλίας ὑγρότερος καὶ διὰ τοῦτο ἄλευρον αὐτῷ ἐμπάττουσι πρὸς τὴν πῆξιν. Quæ nos alibi latius exposuimus. Postremo cum pares omnino effectus in medicaminibus Indi hodierno tempore tribuant quos vetustas laseri suo assignavit,

F tot rerum evidentiis victus jam mihi persuadere incipio, & aliis ut idem sentiant suadere, laser hoc veterum esse sive Persici silphii succum quod *asam fœtidam* vocant vulgo. Quod etiam heîc notandum, Plinius aliquot locis laser cum melle jungit. & lib. XXII. cap. XXIIII. ad verbum ita scribit: *Non esset mellis auctoritas in pretio minore, quam laseris, ubique nascetur.* Vetus sane Græcia, uni homini conficiendi mellis & laseris inventionem assignavit, nempe Aristæo.

G Ἀρισταῖῳ ὃ ὁ Ἀπόλλων καὶ Κυρήνης πρῶτος τὴν ἐργασίαν τοῦ σιλφίου ἐξεῦρεν ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος. In viatico quod ex Græco transtulit Constantinus ὀπὸν Κυρηναϊκὸν & *asam fœtidam* clare distingui reperio. Item in alio libro ex variis medicis compilato: *Opinm Quirinatium, blanca fœtida, asa fœtida.*

CAPUT

CAPUT XCVII.

De styrace.

DE styrace non minor dubitandi locus. Profectò si quis styracem ex ea appellatione æstimat quæ nunc est quæque olim fuit, non poterit pati quin eamdem rem putet. Nomina quippe eadem. At res multum diversa, saltem diversè tradita ab antiquis Græcis & Arabibus Neotericis. Exercitationem jam super hoc dedimus & non uno loco id exagitavimus. Quæ restant animadvertenda heic reddam, & meliori ordine cetera jam dicta disponam. Tres hodie in officinis appellationes ac differentiæ styracis inveniuntur, liquidus, calamita, & ruber. Totidem apud veteres Græcos reperio, στακτὸν στύρακα, καλαμίτην & ξανθὸν vel ὦχρον. Falluntur autem qui existimant στακτοῦ στύρακος in libris Græcorum nullam fieri mentionem. Immo habetur apud Paulum hujus mentio in compositione masusæ. Nam ubi editiones habent στακτῆς στύρακος libri omnes habent scriptum, στακτοῦ στύρακος. Atque ita etiam legitur apud Nicolaum Myrepsum in Antidoto CCCLX. Editionum, λευκοῦ πεπέρεως, στακτοῦ στύρακος. Et sanè ita dicitur στακτὸς στύραξ, ut στακτὴ σμύρνη, στακτὸν μύρον, στακτὴ κονία. Adjectivum enim στακτὴ non substantivum. Alibi docemus myrrhæ aliam esse στακτήν, aliam πλαστήν. Qui στακτὸς στύραξ quibusdam dictus est, aliis appellatur λιπαρὸς στύραξ ut apud Aëtium & alios medicos Græciæ passim occurrit. ὑγροῦ στύρακος etiam mentio apud Myrepsum & alios. Profecto στακτὸς στύραξ nihil aliud est quam τὸ λιπαρὸν τοῦ στύρακος ut στακτὴ σμύρνη nihil aliud quam τὸ λιπαρὸν τῆς σμύρνης. Multis hactenus doctissimis viris persuasum esse video, liquidum styracem esse ipsissimam stacten veterum quos errare docuimus. Nunc tempus videre an traditio Arabum de styrace respondeat Græcorum antiquorum opinioni, circa illas tres differentias styracis supra memoratas. Serapio styracem liquidum pingue esse scribit myrrhæ recentis, & à myrrha extrahi. Quibus apparet eum στακτὸν στύρακα confudisse cum στακτῇ σμύρνῃ. Quem plerique sequuntur, pravo errore. Idem capite eodem ex sententia Isaac scribit styracis arboris fructum magnitudine esse avellanæ, & ex eo oleum exprimi qui styrax est liquidus. Cortices vero unde expressus est styracis liquor pro styrace sicco haberi.

Avisena capite DCXXIII. sub nomine ميعة *miha*

satis obscurè de styrace tradit. Duo genera facit liquidi & sicci. Item duo alia genera, quod sponte manat sicut gummi, & quod decoctione extrahitur ex cortice. Quæ per se manat raram ac pretiosam esse ac coloris citrini. Hic est ξανθὸς στύραξ Græcorum. Quæ ex cortice per decoctionem extrahitur, nigri coloris esse & longe deteriorem duci. Fæcem verò unde expressus & extractus sit liquidus styrax pro styrace sicco vendi. Hic erit igitur secundum Arabes styrax calamita, cortices nempe qui sicci remanserunt, & exsucci, expresso inde omni liquore. Hæc sententia Avisenæ quæ nec cum Serapione, nec cum Græcis paria facit. Ex nucleis exprimi liquidum styracem vult Serapio. Quod remansit ab expressione fæcis instar, hoc esse siccum styracem. Nucleorum non meminit Avisena, & ex corticibus arborum exprimi cum decoctione scilicet intellexit. Meminit etiam hujus opinionis Serapio auctore Abix qui tradidit, id quod manaret ex arbore Rumia regionum Christianorum è cortice arboris exire cum humore quodam qui emungeretur, & coqueretur igne, & postea exprimeretur, id esse styracem liquidum. Cortices qui ab expressione remanerent vinaciis similes styracem siccum constituere. Nunc videamus Græcos, & ex eorum monumentis colligamus aut ignorasse Arabes quid esset styrax, aut Græcos ipsos hoc ipsum ne-

A scisse. Mentio est στύρακος ξανθοῦ & μέλανος apud Dioscoridem, sed neuter expressione fit. Uterque manat sponte ex arbore. Niger deterior, friabilis & furfurosus. Flavus præstantior, qui pinguis & resinosus. Hic pressus melleum liquorem ex se reddit, qui liquidus est styrax. Eodem prope modo ex myrrha subacta educebatur liquida myrrha quam στακτὴν Græci vocant, ut στακτὸν στύρακα. At siccus styrax Græcorum idemque καλαμίτης longe omnium præstantissimus habebatur, & toto genere ac ratione differt à sicco styrace Arabum, quem fæcem
B esse dicunt, & reliquias corticum unde expressus fuerit liquor styracis. Lacryma quæ instar gummis concrescebat circa arboris calamos pellucida & candida, myrrhæ similitudine eam vocarunt καλαμίτην στύρακα quem Galenus appellat στύρακα τὸν ἐν καλάμοις. Non quod in calamis adferretur ut opinantur viri docti, sed quod circa calamos arboris adhæresceret concreta. Sic ἀδάρκη καλαμῖτις eodem sensu appellata quo στύραξ καλαμίτης. De quo in exercitationibus. Plinium audire hic debuerunt eruditi homines, qui rectè ex antiquis posuit hanc arborem intus habere similitudinem arundinis, id est, καλά-
C μου. Exponere tamen debuit non talem esse arborem natura, sed talem casu existere, vermibus intus eam erodentibus usque ad summam superficiem. Sic cavata & exinanita speciem planè intus habet calami sive arundinis. Strabo lib. XII. De styracis arbore: ἐγγίνεται δὲ ἐν τοῖς στελέχεσι ξυλοφάγου τι σκώληκος εἶδος, ὃ μέχρι τῆς ἐπιφανείας διαφαγὸν τὸ ξύλον, τὸ μὲν πρῶτον πιτύροις ἢ πρίσμασιν ἐοικὸς τὸ ψῆγμα προχεῖ καὶ σωρὸς συνίσταται πρὸς τῇ ῥίζῃ. Erosa intus arbore & cavata à vermibus primo inde effundi ait ramenta furfuribus aut scobi similia, quæ
D circa radicem arboris accumulata considunt. Postea ex caudice humorem lentum effluere qui facile cogitur instar gummi, & partim in furfures arboris radicibus aggestos decidit illisque miscetur, partim in superficie trunci ex quo emanat, concretus manet & nullis furfuribus admixtus purior evadit. μετὰ δὲ ταῦτα ἀπολείβεταί τις ὑγρασία δεχομένη πῆξιν ῥᾳδίαν παραπλησίαν τῇ κόμμει· ταύτης δὲ τὸ μὲν ἐπὶ τὸ ψῆγμα πρὸς τῇ ῥίζῃ κατενεχθὲν ἀναμίγνυται τούτῳ τε καὶ τῇ γῇ, πλὴν ὅσον τὸ μὲν ἐν ἐπιπολῇ συστὰν διαμένει καθαρόν. Ita hæc legenda Strabonis verba. Dicit id quod ex
E arbore effluit instar gummi facile concrescere, & partem quidem ejus deferri in ramenta illa furfurosa quæ ex vermium erosione circa radicem coacervata sunt, & cum hac scobe terraque ipsa permisceri nisi si quid in summo furfurum acervo concrevit hoc enim purum remanere. τὸ ἐν ἐπιπολῇ συστάν. Quod in superficie constitit. Nam pars ima quæ terram contigit, furfuribus inquinatur. Hic est στύραξ χυματίας Græcorum, interim terra, interim furfuribus & scobe ligni permixtus, quem præcipuè incendebant ad thymiamata. Idem Strabo: ποιοῦσι δὲ
F καὶ ἐκ τοῦ μὴ καθαροῦ μῖγμα ξυλομιγὲς τι καὶ γεωμιγὲς εὐωδέστερον τοῦ καθαροῦ, τῇ δ' ἄλλῃ δυνάμει λειπόμενον, λανθάνει δὲ τοὺς πολλοὺς, ᾧ πλείστῳ χρῶνται θυμιάματι οἱ δεισιδαίμονες. Odoratior ille impurus styrax & scobe sordescens sed viribus infirmior, idque imperitos latere ait. Ad odores autem eo styrace plurimum utebantur. Ad quod in superficie ipsa corticis sicut exierat, concretus manebat, nec in terram decidebat, hic longe purissimus, & rarior pretiosiorque habitus. Strabo: τὸ δ' ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ τοῦ στελέχους καθ' ἣν ῥέον πήγνυται, καὶ τοῦτο καθαρόν. Hic καλαμίτης dictus est quod adhæ-
G resceret concretus circa caudicem arboris egesta scobe cavatum, & in speciem arundinis redactum opera vermium. Dioscorides: εὑρίσκεται δὲ καὶ δάκρυον κόμμει ἐοικὸς, διαυγὲς, σμυρνίζον ὀλίγον δὲ που γίνεται. Hic καλαμίτης στύραξ in ipsis calamis concretus, quem

A τὸν ἐν καλάμοις vocat Galenus & præstantissimum dicit, & in parva copia nasci, adferrique solitum ex Pamphylia. Damocrates σταγόνα σύρακος appellat: nec enim de liquido styrace accipiendum, sed de gutta hac, quæ circa stipitem concreta adhæresit:

Στύρακος ἑκάστου τέτλαρας δραχμὰς σταθμῷ

Στύρακος σταγόνος τε πέντε ἢ τριώβολον.

Sic enim ibi scribendum, non σύρακος σταγόνας τε. Apud auctores veterinarios Latino vocabulo γύττα σύρακος dicitur cap. XCLII. σύρακος γύττα, ε β. βδελλίς. Sic gutta ammoniaci dicebatur, quam & ipsam σταγόνα ἀμμωνιακοῦ vocarunt. Iidem auctores cap.
B XCXLVII. σταγόνος ἀμμωνιακοῦ. Alibi apud eosdem scriptores σάγμα ἀμμωνιακοῦ vocatur, quod non de liquido ammoniaco, sed de concreto accipiendum, quod θυμίαμα ἀμμωνιακὸν alias nomen habet. Latinis *gutta*, *gutta ammoniaca*. Neophytus: Ἀμμωνιακὸν, οἱ δὲ ἀγασυλλὶς, οἱ δὲ κελόθεος, οἱ δὲ ἡλιόσροφος· Ῥωμαῖοι γύττα ἀμμωνιακά. Ita ergo *gutta styracis* de concreto & in gummis duritiem coacto, non de liquido. Hic & σταγὼν σύρακος Græcis. At σακτὸς σύραξ, liquidus. Qui non decoctione fiebat, ut perperam hariolantur Arabes, nisi forte intellexerint de styracino oleo vel
C unguento, quod χρίσμα συρακινον vocat Dioscorides. Apparet ex his non novisse Arabes, quid esset *styrax calamites*, quid liquidus, cum adeo dissidentibus sententiis inter se certant. Tria capita de styrace habet Avisena, primum sub nomine *astarac* vel *astorac* اصطرك: Quod nomen ex Græco σύραξ factum addito elif, ut in aliis solent. Sic σκίλλαν vocant اسقيل *asʃil*: τὸν σκίγκον vel τὸ σκιγκάελον اسقنقور, *ascancur*: τὴν σοιχάδα, اسطوخودوس *astuchudus* quod ex genitivo σοιχάδος corruptum. Sub titulo
D *astarac* Dioscoridem citat, & dicit esse speciem الميعة *almiha*. Ergo *miha* generale nomen, ad omnem styracem significandum. Addit ibidem juxta quorumdam sententiam ita appellari gummi olivæ صمغ الزيتون, *samag alzaithun*. Per gummi olivæ nescio an intelligere velit oleum. Non puto tamen. Fortasse id intelligit, quod δάκρυον ἐλαίας Græci dicunt. In capite de oleo & olivis clarè distinguit inter oleum, quod ex olivis exprimitur & vocat
E الزيت *alzeith*: & gummi oleæ quod appellat صمغ. Quod est δάκρυον ἐλαίας & ex arbore fluit, non ex fructu premitur, ut & storax. Colligimus igitur ex eo quosdam *astarac* appellasse gummi oleæ. Capite vero de *lebni* quo nomine & storacem appellavit, per vocem *almiha* hoc vocabulum interpretatur. *Lebni*, inquit, *quid est? est almiha*. Adjungit protinus eam, quæ liquida est, vocari *mel lebni*, & *astarac*, عسل اللبني والاصطرك, *hassel allebni vaalastarac*. Ergo *astarac* apud Avisenam de liquido sto-
F race. Lebni autem de sicco, quandoquidem *mel lebni* dicitur de liquido. Sic enim *mel tabarzed* liquidum tabarzed, cum per se tabarzed saccharum sit concretum ac siccum. Ita & *trungibin* manna est durior ac siccior. Inde *mel trungibin* manna resoluta, عسل الترنجبين *hassel altrungibin*. Capite illo de *lebni* nihil fermè tradit quod non habeatur apud Dioscoridem de storace, lacrimam esse nempe arboris malo cydoniæ similis & reliqua. Meminit ibidem Avisena se jam mentionem ejus fecisse capitulo
G de *astarac*. His duabus vocibus veterum σύρακα exhibuit. Nam quæ de storace scribit istis appellationibus bellè congruunt naturæ antiqui storacis, cujus duo genera fuere siccum & liquidum, nativum utrumque, & ex arbore fluens instar gummi. Aut si aliquid in alterutro facticium, non alio modo est quam quo liquida myrrha, quæ σακτὴ dicitur, ex altera extrahitur. Ita enim & σακτὸς σύραξ liquor mellis lentore, quem pressus alter remittit. *Astarac* autem de liquido usurpavit Avisena, quia Græci Latinique auctores non raro vocem *storacis* absolutè ponunt pro liquido. Virgilius in Ceiri:

Et storace Idæo vinctos perfusa capillos.

Ubi storax est σακτὸς σύραξ. Et Græci sæpe σύρακα usurpant pro oleo styracino. Sic & myrrham pro stacte frequenter accipiunt: --- *myrrhaque madentes.* & apud alium: ----- *Orontea crines perfundere myrrha.* Quod de σακτῇ intelligendum. At *lebni* vel *lebeni* propriè siccus storax à Græco vulgari λίβανι pro λιβάνιον, quod vice thuris incenderetur. De quo paulo post. Fallitur itaque Alpagus, qui lebeni de liquido storace interpretatus est. Tertium genus addunt Græci longe purissimum, sed rarissimum, quod circa corticem arboris adhæsit concretum. Hic σύραξ καλαμίτης. De quo supra diximus. Cæterum quæ de storace tradit Avisena sub nomine Arabico *miha*, parum consonant cum antiquorum storace, sicut ex descriptione patet. Duo genera facit *miha*, utrumque liquidum. Quod ex arbore ipsa per se colligitur more gummis manans: & quod cum decoctione corticis extrahitur. Quæ sponte fluit *miha*, eam esse coloris flavi sive citrini ad aureum inclinantis, odore grato, quæ in pretio est. Hæc *miha* utcunque respondet τῷ ξανθῷ σύρακι veterum, qui & ἄχρος σύραξ dictus. Alteram, quæ cortice decocto conficitur, nigram esse dicit. Hoc genus liquidi storacis veteribus prorsus incognitum. Cortices, qui post decoctionem & expressionem remanserunt, & fæcis instar obtinent, vocant الثفل *althafel* vel *althaflon*, pro miha sicca vel storace sicco haberi. Atque hic est σύραξ καλαμίτης Arabum qui toto genere distat à Græcorum καλαμίτῃ. Quod genus fuit styracis præstantissimum & rarissimum, hoc vero vilissimum, & maximè illaudatum. Serapio quoque sub titulo *miha* storacem describit, & tam Græcos auctores citat, qui de storace scripsere quam Arabes. Non concordant tamen quæ de *miha* dicuntur ab Arabicis scriptoribus, cum his quæ Græci de styrace produnt. Duo genera *miha* constituit ex Isaac sententia, liquidum & siccum. Liquidum exprimi dicit ex fructu arboris qui avellanæ magnitudinem habet, cum duplici cortice, quorum exterior comeditur, & interiore nucleo pinguis succi sicut nucis, ex quo liquida *miha*, sive liquidus storax exprimitur; pro sicco vero storace id haberi, quod reliquum est ex corticibus pressis. Vides quam latè hæc dissideant ab antiqui sæculi styrace. Addit Serapio, quod ex eadem arbore sponte fluit gummi modo, vocari *lebni* & haberi hanc ex tribus speciem laudatissimam. Hoc utique fuerit veterum styrax, sed videamus, an arbor eadem sit. Arbori illi, unde fluit nativus styrax, quem *lebni* dicunt Arabes, folia lolii tribuit Serapio. Notat interpres in Arabico fuisse *xeilem*, & lolium rectè reddit, nam شيلم est lolium. Vetus Herbarius Arabs Dioscoridis aiegu exponit الشيلم *alxeilem*. Quod & *alsceilem* legi potest. Mirum, quod in Alpagi Lexico invenitur: *Miha secile*, *id est*, *storax liquida*. Quasi tu dicas storacem lolii. At apud veteres arbor, quæ styracem sudat, folia habet malo cydoniæ similia. Diversa igitur arbor, quæ *miham* dat Arabicam & Græcum styracem. Invenio hanc arborem styracis Græcorum ab Arabibus vocari *segjar mariem*, شجر مريم, id est, arborem mariæ. De qua ita Alpagus in Lexico: *Et segjar mariem dicitur etiam de arbore*, *cujus folia similantur foliis arboris citoniorum & ex ea colliguntur grana algul in Ægypto, & in Græcia colligitur storax sicca, gummosa, aromatica & odorifera, quæ ab Avisena dicitur astarac, & apud vulgares Arabes dicitur bachur mariem, hoc est, suffumigium mariæ.* Arabicè est, بخور مريم *buchur mariem*, τὸ θυμίαμα μαρίας. Hæc styracem veterum sic bene delineant ut nihil melius, quem etiam *lebni* vel

vel *lubni* vocarunt Arabes, diversum omnino ab illa *miha* quæ facticia est utpote expressa è nucleo pingui, vel cortice arboris decocto. Arbor autem illa quæ *segiar mariem* vocatur, στύραξ est arbor ex qua colligebatur styracis thymiama in Pamphilia, Pisidia, Side, Cypro, Cilicia & Creta. Strabo Σελγικὸν στύρακα commendat quæ urbs erat Pisidiæ. Mentio Κρητικοῦ στύρακος apud veterinarios auctores cap. CIƆXXI. ubi male in libris est Κρυπτικὸν στύρακα. *Idæum styracem* laudat Virgilius in Ceiri. Pessimum omnium facit Plinius. Exire & in Pamphilia tradit, sed aridiorem minusque succosum. Hunc vult fuisse omnium optimum Galenus, & τὸν ἐν καλάμοις vocat, φερόμενον ἐκ Παμφυλίας, ὀλίγιστον φλυώμενον. Gummi ejus apud vulgares Arabes idem nuncupari ait, *bachur mariem*, id est, thymiama, vel suffimentum Mariæ. Quidquid contra adferant vix potest mihi persuaderi ut hoc astarach quod styrax est Græcorum idem sit cum *miha* Arabum quod expressione & decoctione fieri Avisena admonet. Styrax liquidus vel σταχτὸς στύραξ Græcorum nihil aliud quam melleus liquor remissus ex pinguiore ac succosiore styracis gummi. Nihil in eo facticium. Peculiaris arbor illa Græciæ, & bene Alpagus storacem siccum & gummosum in Græcia colligi dicit. Unde & styracis arborem شجر رومي *segiar Rumi*, Romani orbis arborem vulgo vocant Arabes. Liquidus autem storax ex ea manans arbore nihil plus est quam ὑγρασία μελιτώδης ut Græci vocant, humor succosus & pinguiter lentus qui sponte exit, mellis similitudine. Qui concretior est atque aridior, is styrax siccus. Utrumque genus externum Indis & Arabibus. Et frustra sunt qui reducunt ad hoc genus *liquidambar* quod ex America arbore fluit. Frustra etiam alii conantur efficere, ut liquidus styrax sit Dioscoridis ἐλαιόμελι quod Avisenæ dicitur اومالي *aumeli* pro quo scribendum puto الومالي *eleomeli.* Sed nec *miha* Arabum propriè liquidus styrax, ut ex his quæ diximus constat. Garcias ab Horto liquidum storacem à Sinensibus vocari perhibet *rosa malha* quem cum bengeüino miscent. Ad quem locum notat vir magnus id corruptum esse pro *ros almaiba* روس المعية. Quod ipse interpretatur liquorem styracis. Haud scio quam bene Arabicè non scribitur المعية *almaihia* pro storace sed الميعة *almiha.* Sed nec روس *rus* pro liquore Arabicum. Quidquid sit horum pronuntiare non dubitem Græcorum σταχτὸν στύρακα Arabibus esse incognitum nedum Sinensibus. Quam enim vocant *miham* non est styrax legitimus antiquorum, sed liquor expressus ex nucleis, oleum verius quam gummi arboris. Narrat Plinius Arabes ex Syria revehere styracem cujus suffitu odorum suorum abigant fastidium. Non ergo styrax in Arabia nascebatur. Sed nec in India. Nam auctor Peripli maris Erythræi inter merces quas ab Ægypto in Indiam mercatores vehebant styracem numerat. Importatitio itaque utebantur styrace Indi ut & Arabes. Hodie sincerum & purum styracem ex Zana Indiæ insula, & ex Cambaia advehi memorant. Sed aliud esse quam styracem quod habetur pro storace patet ex his quæ diximus. Avisena cap. CCCCXXXI. sub titulo & appellatione *lebni* styracem Dioscoridis verbis ita describit, ut parvam ejus videatur habuisse notitiam. Dicit mentionem se jam ejus fecisse in capite de storace. Intelligit capitulum de *astarach.* Ait ibidem etiam ferri, *quod sit oleum alterius arboris Rumiæ.* Nemo dixit styracem oleum esse. Styrax arbor Græciæ propria. Quidquid in orbe Romano nasceretur *Rumi* vocant Arabes. Quo nomine Europam Asiam cum Græcia atque etiam Syria comprehendunt. Nullum autem videtur styracem agnoscere nisi liquidum, quod ejus verba hæc arguunt ut ab interprete sunt

A reddita: *Et dicitur illa quæ liquida est mel lebni & storacis vel astarach, & in lacrima arboris quæ est sicut cydoniorum.* Apud Dioscoridem simpliciter habetur: στύραξ δάκρυόν ἐστι δένδρου τινὸς ὁμοίου κυδωνέᾳ. Capite de *miha* qua generali appellatione omnem *storacem* appellat, duas ejus species constituit liquidam utramque. Et sanè vox *miha* Arabicè id quod liquidum est propriè significat, ut infra dicam. Unde *miha almumiai*, momia liquida ac resoluta. Tertiam eodem capite speciem recenset ex corticum ligneis reliquiis ac reduviis unde expressus fuit liquor, qui vera est *almiha* Arabum. Adeo au-
B tem nullum styracem præter liquidum novisse videtur Avisena, ut storacem optimum qui gummi instar concretus & aridus erat, minimeque succosus pro liquido acceperit apud Dioscoridem his verbis quæ ab illo ad hunc modum expressit: *Et quandoque invenitur de ea similis myrrhæ, & quandoque adulteratur cum oleis & melle.* Dioscorides; εὑρίσκεται δὲ καὶ δάκρυον κόμμει ἐοικὸς διαυγὲς σμυρνίζον ὀλίγον δὲ τοῦτο φύεται. Non liquidum hoc storacis genus sed instar gummi concretum, exsuccum, & aridum. Cum ita esset non poterat adulterari oleis & melle. Quid enim tam dissimile quam gummi oleo & melli? Male etiam cepit Dioscoridis mentem apud quem
C protinus sequitur: δολίζεται δὲ αὐτὸ τοῖς ἐκ δένδρου πρίσμασιν ἅπερ ἀπὸ τῶν σκωλήκων ἀναπίπτει, καὶ μέλιτι καὶ ῥέας ἀποστάθμῃ ἢ ἄλλοις τισίν. Hæc rettulit Avisena ad proximè præcedens styracis genus quod gummi instar habet & smyrnam resipit, idque contra mentem auctoris oleis & melle adulterari tradit. Olei non meminit Dioscorides. Nec de illo genere intelligit de quo proximè facta illi mentio. Purissimum illud genus, utpote circa caudicem ipsum concrescens, nec in terram decidens, sed ibi adhærescens unde effluit. Quomodo igitur poterat adulterari scobe arboris quam vermiculi extuderunt,
D ut non adulterinum sciretur, cum verum & sincerum quod erat, nihil furfuris vermiculati aut scobis arboreæ admixtum habere deberet? Præterea cum esset siccissimum, & ad gummis faciem congelatum, quam idonea forent ei adulterando mel & oleum nullus perspicio. Quod igitur dicit Dioscorides, δολίζεται δὲ αὐτὸ τοῖς ἐκ δένδρου πρίσμασιν, non est referendum ad id genus quod in proximo habetur, sed ad illud δάκρυον styracis de quo statim ab initio loquutus est: στύραξ δάκρυόν ἐστι δένδρου, hic pinguiter lentus, resinosus, & melleum humorem eliquans dum premeretur. Ideo & mel addebatur ad
E eum adulterandum. Scobe etiam lignea ex vermium erosione refertus erat. Ea gratia & scobs ligni admiscebatur adulteriis, ut imitaretur sincerum. Plinius de styrace in genere: *adulteratur cedri resina vel gummi alia, melle & amygdalis amaris, omniaque ea deprehenduntur gustu.* Ex his speciebus quæ adhibentur corrumpendo sincero styraci facile vides non ad hoc exemplum fuisse liquidum ut est storax Arabum cui infucando solum mel & oleum adsumi dicunt. Styrax Arabum oleum est expressum & decoctione factum. Styrax eorum siccus, στυρακόμαγμα est fæx corti-
F cum nucleorum expresso inde liquore. Quidvis denique potius quam styrax Græcorum germanus qui hactenus tantum liquidus, ut commalaxatus melleum lentumque humorem remittat. Unde & σταχτὸν στύρακα Græci dicunt. Dioscorides: ξανθὸς καὶ λιπαρὸς ῥητινώδης θρόμβους ἔχων ὑπολεύκους καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη. Hæc ὑγρασία μελιτώδης quæ remittitur ex styracis gummi subacto, liquidus est veterum styrax. Ceterum verus styrax, gummi verum est, congelatum concretumque. Et optimum quidem maximè aridum & sine succo quem καλαμίτην Græci vocabant, longissimè distantem ab
G illo sicco styrace Arabum. Strabo in commemorando selgico styrace, nusquam liquidi aut sicci differentiæ meminit. Sed generatim definit styracem esse liquorem lentum ex arbore profluentem qui facile congelatur ad gummis imaginem: ὑγρασίαν ἀπολειβομένην, δεχομένην πῆξιν ῥᾳδίαν, παραπλησίαν τῷ κόμμει & paulo post: τοῦ δ' ἐν ἐπιφανείᾳ τοῦ στελέχους καθ' ἣν ῥέον

ἢν ῥέον πήγνυται, καὶ τοῦτο καθαρόν. Talis ut plurimum Piſidicus vel Pamphylicus, quem aridiorem & minimè ſuccoſum tradit Plinius. Thymiama eſſe ſcribit Strabo. Omnia autem θυμιάματα ſicciora. Hunc ſtyracem Arabes appellarunt *lebni* vel *lebeni* لبني quod perperam cum *miha* confundunt. Ita vocarunt ex Græco vulgari, λίβανι pro λίβανιν vel λιβάνιον quo thymiama ex thure dicebant. Ut enim abſolutè θυμίαμα pro thure uſurparunt, & Latini incenſum, quia thuris erat uſus vulgatiſſimus ad thymiamata, ita & λιβάνιον dixerunt omne incenſum ſive thymiama, etiamſi non eſſet ex thure. Græciæ vulgus λίβανιν & λίβανι pro eo appellavit. Inde *lebeni* Arabicum de ſtorace ſicco & gummoſo, quo thuris uſum ſuppleret in odoribus vaporandis. Quin & δενδρολίβανον Græci recentiores pro arbore ſtoracis videntur poſuiſſe, ut ex locis quæ paulo poſt adducentur conſtabit; in quibus libanotidis ſignificatio parum convenit, quam & δενδρολίβανον iiſdem Græcis dictam hodie quidam volunt. Arbor ſtoracis in hortis & viridariis etiam communiter in Italia habetur, ſed gummi non ſudat. Titulus extat in Excerptis Geoponicis lib. XI. περὶ φυτεύσεως δενδρολιβάνου. Quod non capiendum de thuris arbore, nec de libanotide, ſed de ſtyrace. Nec enim thuris arborem in Græcia plantari ſolitam, aut ſatam provenire memini legiſſe. Caput illud in Geoponicis, nullum præfert auctorem veterem, & ſuſpicio eſt adjectum fuiſſe à compilatore qui vixit Conſtantini Porphyrogenetæ imperio, cui & opus dicatum eſt. Quod in ipſo capite Democriti fit mentio, non poteſt eſſe antiquus Democritus, ſed ſubdititius, cujus & Phyſica extant in Bibliothecis. Præterea vetus liber Palatinæ Bibliothecæ non agnoſcit illa verba: ἡδεῖαν ἢ καὶ βαρεῖαν τὴν ὀσμὴν ἔχει, ὡς ὁ Δημόκριτός φησι. Vetus onirocriticon nondum editum inter arbores Græciæ familiares cum myrto & lauro ponit δενδρολίβανον, quæ eſt ſtyracis arbor thuris. Titulus ſic habet capitis CLXXXVI. Περὶ μυρσίνης φύλλων καὶ δενδρολιβάνου καὶ δάφνης. In fragmento veteris Grammatici quod alibi citavi, reperio hujus δενδρολιβάνου tres eſſe gummi ſpecies, χαλκολίβανον ſive χρυσολίβανον, & ἀργυρολίβανον qui & λευκολίβανος, & λίβανον propriè dictum. Hoc in ſtyracis lacrimam etiam optimè convenit, non tantum thuris. χαλκολίβανον interpretatur ἡλιοειδὴ ἢ πυῤῥὸν ἤγουν ξανθόν. Hic eſt ξανθὸς στύραξ Græcis, qui & πυῤῥὸς dicitur apud veterinarios veteres cap. CCCCXCIX. στύρακος πυῤῥοῦ. Aliis ὠχρὸς στύραξ ut in Gloſſis Neophyti: καλαμίτης, ὁ ὠχρὸς στύραξ. At ἀργυρολίβανος ſive λευκολίβανος eſt candidus ſtyrax, quem λευκὸν στύρακα vocat Aëtius, id eſt, album, ut alibi indicavimus. Hic facile omnium laudatiſſimus. Iſidorus: *Diſtillatio ſtoracis quæ virgis & calamis inhæſerit, munda eſt & albida.* Inde nomen καλαμίτου στύρακος. Tertium genus abſolutè λίβανος dicitur, nomen commune thuris & ſtyracis. Ideo confuderunt. Quamvis & *lovan* etiam lobanque pro eo nominent. Aviſena capite de aſtarach clarè teſtatur ſtyracis ſuffitum in omni re pro ſuffitu thuris uſurpari. Et Strabo de ſtyrace loquens, ᾧ χρῶνται θυμιάματι οἱ δεισιδαίμονες. Inde & nomen ejus invaſit. Quod Syriæ montem Libanum recentiores dictum autumant ex eo quod turis arbor ibi proveniat, certum eſt eos falli. De ſtyrace poſſet eſſe verum, quem ut dixi δενδρολίβανον dixere. Plinius: *Proxima Judææ Syria ſupra Phœnicem ſtyracem gignit circa Gabala & Marathunta, & Caſium Seleuciæ montem.* Inde & στύραξ Γαβαλίτης

A Dioſcoridi. Sic δενδρολίβανον Græci poſteriores non tantum λιβανωτίδα, ſed etiam arborem ſtoracis vocarunt. Arabes quoque eodem nomine λιβανωτίδα Græcorum & ſtyracis arborem nominarunt. Utramque enim plantam *ſegiar mariem & buchur mariem* dixerunt. Inde ergo & *lebeni* pro ſtyrace Græcanico poſuerunt. Serapio *lebni muſcatum* vocat, quo vulgo utebantur in Eccleſiis chriſtianorum ad ſuffitus: Τὸ καπνιζόμενον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν χριστιανῶν. لبني مكي *lebni muſchi.* Dictum enim ait lebni
B Eremitarum, لبني المربض *lebni almurabid.* Muſcatum videtur appellatum à muſcho, qui addebatur. *Thymiamata & muſchata* vocat Ruffinus de vitis Patrum lib. III. Arabes thus vocant لبان. Quod aliqui *lovan* pronuntiant, alii *loban.* In pervetuſto Lexico Latino-Arabico ita cum vocalibus ſcribitur hæc vox, ut *libanon* apertè exhibeat; quod purum putum Græcum λίβανον. Inde cum articulo
C اللبان *allibanon*, ex quo *olibanum* ſuum fecit Carmonenſis & reliqui Arabum interpretes. Notum eſt Hebraïcè dici לְבוֹנָה. Garcias lib. I. de aromatis cap. de *benivi* ſcribit Arabicè appellari *lovaniaoy*, quod ipſe interpretatur *thus de Java.* Sed fallitur ille aut mentitur ut in pleriſque, non enim لبان جوي vocatur Arabibus benzuinum, ſed بانجوين *bengiouin*, & cum articulo البانجوين *albengiouin*,
D Nos Galli ſine ulla mutatione ita pronuntiamus ut pleraque alia Arabica, *jaſmin*, *babouin*, *meſquin*, *magazin*, *cotton*, *cafar* & ſimilia ſexcenta, de quibus alibi. Ridiculum eſt autem *benivinum* putare dictum quod tamen viris doctiſſimis placet, quaſi *Ben Java*, cum minime reperiatur in Java niſi vile & nigrum. Optimum quippe in Sian provenit & ejus contermina Martaban. Sed de hoc alibi. Quod attinet ad vocabulum *miha* quo Arabes propriè ſtoracem liquidum, qui tamen alius ab antiquo, vocarunt, guttam propriè denotat & fluidum ſuccum, à verbo ميع quod liqueſcere ſignificat. Et
E puto derivatum ex Hebraico מִיק cui notio eſt liquefaciendi & ſolvendi. Rebus omnibus liquidioribus ac fluidis nomen illud aptant Arabes. Unde ميعة المومياي *miha almumiai*; mumia liquefacta & ſoluta. Quam interpretes ſatis ineptè ſtoracem almumiai indigetant, & metallicum bitumen liquidum ſive picem interpretantur, quam Græci πισάσφαλτον vocant. Abſolute vero nuncuparunt hoc nomine liquorem illum, quem pro ſtorace li-
F quido habent. Licet enim interpretes adnotent vocem *miha* uſurpaſſe Arabes tam de ſicco quam de liquido ſtorace, propriè tantum convenit liquido. Et diſertè Aviſena capite de *miha* duas ejus ſpecies agnoſcit nativam & facticiam, utramque liquidam. Tertiam vero quam pro ſicca recenſet, non propriè *miha*, ſed fæcis inſtar ex corticum reliquiis, unde expreſſa fuit facticia *miha*. In Conſtantini viatico aliiſque recentiorum ſcriptis medicinalibus paſſim & ſigia nomen occurrit pro ſtorace liquido. In tran-
G ſlatione ἐφοδίου: *Sigia, id eſt, ſtorax liquida jejuno data valet frigidæ tuſſi & coryzis.* Hoc ipſum & Arabicum ﺳﻴﻌﺔ.

CAPUT

CAPUT XCVIII.

De blattis Byzantiis.

Blattas Byzantias vulgus Pharmacopæorum vocat & usurpat pro onyche odorato vel Indico veterum, qui ὄνυξ Ἰνδικὸς Dioscoridi: Myrepso aliquot locis ὄνυχος Ἰνδικὸς, ut in Antidoto ex quinquaginta speciebus: ἀμμωνιακοῦ, ὀνύχου Ἰνδικοῦ, βήσασα. Meminit etiam multis locis βλαττίων Βυζαντίων, monetque ab Italis ita vocari τὸ ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας, os nasi purpuræ. Corrupte etiam apud eum legitur μπλαντὲ πενζάσια, cum hac eadem interpretatione in trochisco πρὸς καρδιακοὺς his verbis: τὸ ὀστοῦν τῆς πορφύρας, τὸ καλούμενον παρ' Ἰταλοῖς μπλαντὲ πενζάσια. Quod est, *blatta Byzantia*. Sed rectum est βλάττιον Βυζάντιον; quod etiam Actuarius interpretatur ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας. Latinis *blatta Byzantia*. Interpretes Arabum ita verterunt, quod Arabice dicitur اظفار الطيب *adfar althaib*. Quod Latine sonat ungues odoratos vel aromaticos. Ad verbum expresserunt denominationem Græcam, ὄνυξ ἀρωματίζων. Nam ظفر *dafer* in numero unitatis ungulam vel unguem significat. Latini, ut dixi, interpretes *blattas Byzantias* pro illis unguibus odoratis Arabum reddiderunt. Nunc videamus quam rectè. De nomine ipso primum quærendum. Blattam prisco Latinitatis ævo *bullam luti* fuisse dictam & blatteam notavit ex Festo Paulus. Pro grumis sanguinis concreti postea id nomen positum, ut observat veterum Glossarum auctor: *Blattea*, θρόμβος αἵματος. Postremo denique pro sanie concreta purpuræ vindicavit usus hoc sibi vocabulum, quod etiam illæ veteres Glossæ notarunt: *Blattea*, θρόμβος αἵματος τῶν κογχυλίων. Atque inde *blatteum*, quidquid purpura tinctum esset, sub mediis imperatoribus, & *blatta infectum* pro purpura. Laudatæ porro veteribus purpuræ Byzantinæ, quæ *blatta Byzantia* dictæ & Græcis Constantinopolitani imperii βλάττια Βυζάντια. Unde apud Anastasium Bibliothecarium in vitis Pontificum sæpe occurrunt pallia è *blattio Byzantio*. Sic de nomine ipso *blattæ Byzantiæ* nihil aliud possunt significare quam conchylia Byzantia sive purpuras Byzantias. Ut κογχύλιον tam Græcis quam Latinis interdum pro carne ostreæ, interdum pro testa ipsa sumitur, ita blattæ Byzantiæ nomen consuetudo usurpavit pro tegmine silicco purpuræ. Hoc titulo diversæ planè blattæ istæ sunt Byzantiæ ab ungue aromatico veterum, qui ex Indiæ paludibus colligebatur, unde & ὄνυξ Ἰνδικὸς appellatus Græcis. Similem tamen hunc Indicum onychem purpuræ tegmini fuisse indicat Dioscorides: ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου, ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας. Demus igitur ob similitudinem, quod purpuræ jure debetur nomen, etiam per usurpationem tribui posse Indico illi conchylio. Non in hoc omnis difficultas sita, sed in eo quid proprie vocetur Dioscoridi πῶμα κογχύλιον, cum dicit ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου. De testa ipsa conchylii omnes hodie accipiunt interpretes, quod conchylium est vacuum. Brassavolus conchyliorum crustas & conchas interpretatur. Quod longe abesse à rei veritate scio, & germana vocis πῶμα significatione. Ὄστρακον Græci dicunt cujuscunque ostreæ testam. Ut ipse Dioscorides de calce: τῶν θαλαττίων κηρύκων τὰ ὄστρακα. Præterea de parte quadam, non de tota testa eam dictionem ὄνυχα, quæ conchylii πῶμα est, accepisse Dioscoridem ipse fatetur his verbis sub finem capitis, ubi dicit conchylium ipsum ustum idem efficere quod purpurarum & buccinorum cinis: αὐτὸ δὲ τὸ κογχύλιον καὲν ποιεῖ ὅσα καὶ ἡ πορφύρα καὶ ὁ κήρυξ. Ergo ὄνυξ pars conchylii, non integrum ejus tegmen sive testa, Arabes rectè acceperunt.

A Avisena *adfer althaib*, quo expressit ὄνυχας ἀρωματίζοντας Dioscoridis, interpretatur frusta vel fragmenta similia unguibus. Id enim valet apud eum vox قطاع, quæ pluralis est numeri à singulari قطع *katha*, quæ in pervetusto Glossario exponitur *concisio*, *incisio*, *decisio*, *comma*, *morsum*. Ita enim scribendum, non *mors*. δάγμα Græci vocant. Hinc *morsellum* pro parvo frusto dicimus vulgo. In
B eodem Glossario مقطع *mukatha* decerptum explicatur, quod ex corpore scilicet solido decerptum est & excisum. Verbum est قطع incidere, decerpere, & exsecare. Sic ὄνυξ pro resegmine conchylii, & parte ejus aliqua, non pro tota testa heic sumendus. Hoc πῶμα κογχυλίου Dioscoridi. Quod exponendum est. In vasculis angusti oris & longo collo id, quo summum ejus os occluditur, qua infusioni aditus & effusioni exitus datur, *operculum* Latinè vocatur, Græcè πῶμα. Severus Sulpicius *umbonem* vocat, quia formam habet
C umbonis. In quocunque etiam vase oris patuli id, quo hiatus ejus tegitur, πῶμα nomen habet, ut πῶμα χύτρας, πῶμα φρέατος, operculum putei & ollæ. Purpuræ & buccini & cætera hujusmodi conchylia, quæ στρομβώδη Græci appellant, assimilari quodammodo possunt vasculis angusti oris. Quippe his unum foramen, quo linguam exerunt, & cibum capiunt. Habent & veluti operculum ea parte qua collum, sub quo linguam ad pastum exertant ac retrahunt, quando libet. Hoc πῶμα Dioscoridi dicitur, Aristoteli ἐπικάλυμμα, cujus hæc
D verba sunt de purpura: Ἔχει δὲ καὶ αὐτὴ καὶ ὁ κήρυξ τὸ ἐπικαλύμματα κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ τὰ ἄλλα τὰ στρομβώδη ἐκ γενετῆς πάντα· νέμον) δὲ ἐξείροντα τὴν καλουμένην γλῶτταν ὑπὸ τὸ κάλυμμα. Nihil istis apertius: κάλυμμα idem quod πῶμα in purpuris buccinis aliisque turbinatis; ex quo genere est & conchylium Indicum illud odoratum, simile purpuræ. Cujus operculum ὄνυξ dictum à similitudine & candore unguis humani. In purpura id operculum proprie nomen habuit *blattæ Byzantiæ*, quia ex ea etiam parte sumitur *blatta*, id est, flos ille tingendo
E idoneus. In mediis faucibus purpuræ esse scribit Plinius. Aristoteles: ἀνὰ μέσον τραχήλου καὶ μήκωνος. Hinc *blattam* pro ipso operculo usurparunt. Hoc denique purpuræ πῶμα est, quod ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας Græci recentiores vocant, aliquando etiam ὀστοῦν τῆς πορφύρας; quod de hoc osse intelligendum, vicem operculi præbente purpuræ testæ. Serapio cap. CCCCXXXIII. ubi de partibus purpurarum tractat, *adfer* etiam vocat, id est, ungues, partes illas in purpuris, & opercula esse dicit, quibus teguntur in foramine suo. Blattas Byzantias illi capiti titulum fecit interpres. Et rectè quidem. Nam istæ
F proprie blattæ Byzantiæ, purpurarum nempe opercula, quæ Byzantii colligebantur. Aliud caput habet idem Serapio de unguibus odoratis, quæ opercula sunt conchylii Indici similis purpuris. Quod caput est CLI. ubi perperam interpres de blatta Byzantia similiter exponit: *Adfar althaib, id est, ungula aromatica, & est blatta Byzantia.* Immo blatta Byzantia unguis est purpuræ, quæ nihil olet aromatici. Unguis vero odoratus, operculum est conchylii Indici, quod in thymiamatis cum reliquis
G odoribus plerumque incendebatur. Myrepsus in tractatu θυμιαμάτων sæpe horum meminit & ὄνυχας μεγάλους καὶ μικροὺς vocat, quia duorum erant generum

generum. Majores ex Arabia afferebantur à mari rubro, minores ex Babylonia. Dioscorides: διαφέρει δ' ὁ ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς κομιζόμενος, ὑπόλευκος ὢν καὶ μείζων. μέλας δ' ὁ Βαβυλώνιος καὶ μικρότερος, ἀμφότεροι δ' εὐώδεις θυμιώμενοι. Sæpe etiam absolutè ὄνυχας vocat, ac de istis unguibus intelligit, interdum ὄνυχας Ἰνδικούς. At cum ὀσμὴν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας idem appellat, scias de operculo purpuræ communis hoc tibi capiendum, quæ *blatta Byzantia* dicitur, & Græcè βλάττιον Βυζάντιον, quæ nihil habet odorati. Immo fœtet potius incensa quam bonum odorem reddit. Vulgus tamen indifferenter utrumque genus nomine *blattæ Byzantiæ* nuncupavit. Alpagus scribit in lexico blattas Byzantias coopertorium esse cujusdam conchylii reperti in mari rubro, & id coopertorium in orificio esse ipsorum conchyliorum, quod clauditur & aperitur prout libitum est animali incluso, & appellari blattas byzantias, quales sæpe se vidisse testatur adhærentes suis conchyliis, allatis ex mari rubro Damascum. Nihil poterat melius adferri ad explicandum τὸ πῶμα & ἐπικάλυμμα conchylii tam in purpuris ac buccinis, quam in illis conchis odoratis & Indicis. Ὄνυχα etiam Græci vocarunt genus ostrei, quem aliter nominant σωλῆνα & αὐλόν. Athenæus: οἱ σωλῆνες μὲν ὑπό τινων καλούμενοι, ὑπὸ τινῶν δ' αὐλοὶ καὶ ὄνυχες. Plinio sunt *ungues* lib. IX. cap. XXXI. Isidorus de ostreis: *ungues à similitudine humanorum unguium dictæ.* Sunt & ungues in purpuris & buccinis opercula in anteriori parte, sub quibus linguam exerunt ad cibum capiendum, quos odoratos & aromaticos habent conchylia Indica. Miror Dioscoridem dicere conchylium illud Indicum colligi in paludibus Indiæ siccatis quæ nardum ferunt, & hanc esse causam odoris quam præferunt, quia nardo pascitur illud conchylium; & tamen in explicandis generibus hujus conchylii, Babylonium & Arabicum ex mari rubro tantum commemorat. Si in India invenitur & paludibus quidem ejus ναρδοφόροις, cur genus unum è mari rubro venire, alterum è Babylonia tradit. Profectò nardum nec in Babylonia nascitur nec in mari rubro, sed in India ad Gangem. Unde & Γαγγιτικὴ νάρδος. Sed & ridiculum illud de paludibus nardum ferentibus: εὑρίσκεται ἐν τῇ Ἰνδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις· διὸ καὶ ἀρωματίζει νεμομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον. Ergo nardus in ipsa aqua nascitur paludis, quam depascunt viventes conchulæ. Adjicit enim eas colligi, ubi siccatæ sunt æstu paludes: συλλέγεται δ' ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν αὐχμῶν ἀναξηρανθῶσιν αἱ λίμναι. At quis unquam ex antiquis prodidit, nardum Indicam in aqua & paludibus gigni? Ipse Dioscorides in monte Indiæ nasci tradit. Meminit quidem & alterius generis, quod in aquosis nascitur, ἐφ' ὑδατωδῶν τόπων. Sed aliud est in locis humidis & irriguis nasci, aliud in mediis paludibus & aquis stagnantibus. Non temere in India reperiri nardum, quæ sponte proveniat, sed omnem satu gigni tradit Garcias. Caput illud de ungue odorato ex duobus compilavit auctoribus Dioscorides, nec discernere potuit, an pugnantia scripsissent. Atqui ista conciliari & in concentum unum redigi non possunt, unguem odorati conchylii ex Indiæ paludibus colligi, duo genera ejus haberi, alterum ex mari rubro veniens, alterum ex Babylonia, colore & magnitudine discreta. Nec audio qui possent heîc dicere, Indicum quidem venire navigatione per mare rubrum, Babylonium vero pedestri itinere. Hoc non procedit. Nam unius tantum generis initio meminit, quod in India inveniretur, & hanc causam odoris in eo assignavit nardi pastum. Certum autem est nardum illam non gigni nisi in India. Præterea ubique species Indicas ab Arabicis distinguit. Animadvertisse videtur Avisena absurditatem illam Dioscoridis de paludibus nardiferis. Nam cum ejus verba redderet nominatim citati pro paludibus substituit insulam, dixitque conchylia illa colligi ex insula, quæ est in mari Indiæ, in loco ubi nascitur spica. Ut propius veritatem accedit, ita longius recedit à mente auctoris, quem allegat, & cujus verba transtulit in suam linguam. Ut partem absurdi vitat, qua paludem nardiferam amovit; sic quod præcipuum est, non amolitur. Semper enim intelligendum conchas illas in aqua vivere & ibi spicam nasci, quam depascuntur. In Arabico est جزيرة *giezira.* Quod insulam significat, & locum mari cinctum. Videndum an & λιμνοθάλατταν significare queat, paludem nempe ad mare apertam, quo fluxus accedat ac recedat. Nam جزر *giezer* est ἄμπωτις, cum æstus recedit, quam *recessam* dixit posterior Latinitas. Vertit ibidem interpres vetus in verbis Dioscoridis ὄνυχα esse, *de genere extremitatum ostracorum.* Certè ὄνυξ in extremitate est ostraci & operculum foraminis, quo sese exerit ostrea. Sed in Arabico est, genus esse integumentorum sive operculorum purpuræ احزاف الصدف. *Alsadaf* cochlea est, sed semper apud Avisenam sumitur pro purpuræ concha quam & cochleam Latini vocarunt. Græci κόχλον & κοχλίαν. Harpocration in Lexico περὶ δυνάμεων: Πορφύρα θαλασσία, ἣν καὶ κηρύκιον λέγεται, ὁμοία κοχλίᾳ. At حزف tegula est vel operculum fictile. Cujus plurale احزاف. Ita vocavit Avisena τὸ πῶμα Dioscoridis. Allatis Græci auctoris verbis addit Avisena existimare se, qui de mari rubro afferuntur ungues, eos esse, qui *curascie* dicuntur, adhærentque carni & testæ ostreæ. القرشية *alcuraxia*, non est hoc nomen gentile, nec etiam typum habet ἐθνικόν. Alpagus tamen in lexico exponit *curascie*, id est, ex mari rubro. Veniebant quidem ex mari rubro, sed non ea nominis causa. قرش *curex* est corrugatio. Inde قرشية ungues conchylii rugati. Reperiri aliquando tales versus *Abadam* ibidem scribit. عبادان, urbs est apud Geographum Arabem in occidentali latere Tigridis sita non longe à mari Persico. Item plurimos haberi *Meccæ* & afferri ex *Gied.* الجد *algied* portus est maris rubri celeberrimus, qui Geographo Arabi dicitur جدة *Giedda* in parte quinta secundi climatis. Constat igitur ungues odoratos Arabum eosdem esse cum ὄνυχι Ἰνδικῷ veterum, qui tamen ex India non adferebatur, sed ex mari rubro & Babylonia. Nugæ autem sunt, quæ de paludibus nardiferis, & ibi colligi solitis conchyliis aromaticis narrat Dioscorides. Hinc etiam discas *blattas Byzantias* proprie alias esse ab unguibus odoratis, quamvis vulgo appellatione confundantur. Istas quippe esse opercula conchylii Byzantii, quo purpura olim tingebatur, ungues vero odoratos conchylii Arabici purpuræ similis.

CAPUT XCIX.

De myrobalano vel glande myrepsica.

A Nullum in his sequitur ordinem, sed quoniam in externis & odoratis adhuc sumus, huic generi adtexi jure suo debet & *myrobolanum.* Glans est unguentaria veteribus. Quod hodie vocant hoc nomine, multum diversa notione accipi liquet ab antiquorum myrobalano unguentariis olim notissimo, hodie nescio an satis cognito. At ignorata antiquitus plane constat hodierna myrobalana, saltem ista appellatione. In genere prunorum sunt. Græci recentiores etiam in genere palmularum posuerunt. Unde apud Zosimum Panopolitanum chi- B micum auctorem antiquum Phœnicobalanum *elileg* Arabibus nominatum legere est, quod est genus myrobalani, in tractatu quomodo faciendum æs rubrum: καὶ λαβὼν φλοιὸν φοινικοβαλάνου τοῦ λεγομένου ἐλιλὲγ ἐν Ἀραβίᾳ. Sane Arabes myrobalana hæc vocant هليلج, *helilegi.* Zosimus φοινικοβάλανα appellat. Vice versa vetus interpres Latinus Alexandri Tralliani pro φοινικοβαλάνοις Græcis *myrobalana* reddidit. Quod non est adeo alienum. Nam palmulam Ægyptiam, dum in cursu est maturitatis C medio, similem esse myrobalano, id est, glandi unguentariæ tradit Dioscorides, & tum colligi solitam: τρυγᾶται ἡ μεσοπορούσης τῆς χροιᾶς τὴν ὀπώραν ἀκμῆς, παρεμφέρων τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ. Inde Plinii halucinatio ex eo loco prodentis palmam esse in Ægypto, quæ myrobalanum ferat. Nulla est palma, quæ myrobalanum edat, sed palmæ fructus adhuc virides myrobalano, id est, Arabicæ glandi similes. Unde non malè myrobalana quidam vocarunt palmulas, à similitudine quam habent cum myrobalanis. At myrobalanum pro glande unguentaria reperire est apud Theodorum Priscianum, qui unus est ex recentiori- D bus lib. II. cap. XV. de spleneticis: *Guttam Ammoniacam, nitrum, myrobalanum, myrrham.* Ibi *myrobalanum* glans est unguentaria, quæ spleni minuendo efficacem habet vim. Et paulo post: *gutta Ammoniaca unciam unam, quod myrobalanum appellamus.* Versio illa est antiqua auctoris Græci. Scripsisse illum Græcè ex multis colligo tum ex eo præcipuè, quod habetur lib. II. cap. XI. ubi præcipit lectionem fabularum amatoriarum ad exstimulandos desides ac languentes in Venerem animos, solosque nominat Græcos scriptores: *Uti sanè lectionibus animum* E *ad delicias pertrahentibus, ut sunt Amphipolitæ Philippi, & Herodiani, aut certe Syri Jamblichi, vel cæteris suaviter amatorias fabulas describentibus.* Ita legendus ille locus vulgo corruptissimus. De quo alibi. Sicut autem *myrobalana* pro palmulis à similitudine dixere quidam, ita rursus alii eodem hoc nomine donarunt fructum Indicum è silvestris pruni genere, quem Græci etiam φοινικοβάλανον nuncupant. Et profecto citrinum myrobalanum officinarum non multum absistit à facie palmularum. Quidquid sit, certum est Græcis recentioribus hos fructus & φοινικοβαλάνων & μυροβαλάνων F nominibus appellatos fuisse. Quare constat falli viros in his litteris præcipuos, quibus persuasum est Arabum interpretes primos hoc nomen myrobalani commentos esse de fructu illo, quod Arabes vocant halileg. Immo Græci passim μυροβάλανα hoc sensu usurpant, Neophytus, Charito, Nicomedes Iatrosophista, & Actuarius, quos eam vocem non esse mutuatos liquet ab Arabum interpretibus. Quodcunque de myrobalanorum istorum generibus, differentiis ac proprietatibus hodie scitur, ab Arabibus acceptum con- G stat, qui & Græcos recentiores ea docuerunt. Nomina ipsa eorum Arabica sunt. Quo magis mirum ab Arabum traditione Græcos descivisse, & aliter quædam de his tradere, quam ab ipsis auctoribus sunt prodita. Arabes *bellirica* & *emblica* à myrobalanorum censu ac genere excludunt. Et sanè hæc duo ut sui sunt generis, ita & proprio nomine appellantur. *Bellirica* Arabicè sunt بليلج *belilegi.* De quibus speciale extat caput apud Avisenam, & cognatos esse dicit ac congeneres *emblicis*, الاملج *alemlegi.* De quibus & proprium scripsit caput sub titulo املج *amlegi* vel *emlegi* in littera elif. Inde enim *emblici* Latini Barbari fecerunt, & quos sequitur Myrepsus, qui ἔμπλικι scribit & πελύελκι, id est, *bellirici.* Avisena capite de emblicis, imbecilliores esse tradit myrobalanis conditis, id est, الهليلج *alhelilegi.* Non sunt igitur ex genere myrobalanorum. Ne soli credas Avisenæ, Serapio eodem capite de belliricis & emblicis tractavit; alio autem capite seorsum de myrobalanis, quæ apud interpretem dicuntur *balilig.* Idem quod ἐλιλὲγ Zosimi. At Garcias scripturam eam mendosam arguit, & *delegi* scribendum autumat. Nimirum quia sic vitiosè reperit scriptum ad marginem in editione Avisenæ Latina, quam correxit Bellunensis. Putidum vero mendacium est, quod omnes sibi medicos affirmasse dictitat, omnia myrobalonorum genera *delegi* vocari. Immo *helilegi.* Ejusdem monetæ est, quod ibidem asserit, belliricorum non meminisse Avisenam. Atqui bellirica sunt in editione Latina, ut *belilegi* in Arabica. Quod miror ignorare potuisse hominem adeo versatum & exercitatum in medicina Arabum. Æquè falsum, quod eo loco adstruit, emblica eadem esse cum Sinicis myrobalanis & Avisenam Sinici myrobalani nomine intelligere emblicum. Abix apud Serapionem, bellirica parem effectum habere in usu medico cum myrobalanis, citrinis, emblica autem cum Kebulis tradit. *Helilegi* igitur Arabicè est fructus Indicus, quem Græci μυροβάλανον & φοινικοβάλανον similitudine palmulæ dixerunt. Bellirica & emblica ab hac forma satis longè recedunt nec quidquam simile glandi præferunt, & proinde indigna hac appellatione videntur. Helilegi sive myrobalani quatuor genera statuuntur ab Avisena & Serapione, distincta cognominibus coloris & patriæ. Flava sunt sive citrina, & nigra. Hæc unius generis, sed maturitas differentiam facit. Immatura flava, nigra matura, quæ dicta etiam Indica à colore potius quam à patria, ut alibi ostendimus. Nam quæ flava sunt, æque etiam Indica dici suo jure postularent, utpote ex eadem lecta arbore, nedum loco. Nigrum myrobalanum Arabicè vocatur هليلج الاسود *helilegi alasuad*, & هليلج الهندي *helilegi Alhendi.* Citrinum vero myrobalanum هليلج الاصفر *helilegi alasafar.* Utrumque genus oblongioris formæ, & palmulam referentis. Duo alia genera à loco cognominata, *Kebuli* & *Sini.* Hoc à Sinensibus, illud ab Indiæ monte *Kabel* vel *Kabal*, à quo urbs etiam celeberrima monti adposita. Mons autem fert non solum myrobalana, quæ inde nomen traxerunt, sed etiam palmas cocciferas, & alia pleraque aromatica ligna. Geographo Nubiensi in octava parte secundi climatis tam mons quam urbs dicitur كابل *Kebel.* Unde myrobalanum كابلي Kebeli,

Kebeli, quæ forma est gentilium nominum apud Arabes, sed vulgus pronuntiat *Kebuli*. Unde Græcis μυροβάλανα Κήπυλι. Sic sech *such*: Mesch *musch*: Tabarzed, *tabarzud*, & alia quæ notamus alibi. Ab eodem loco genus seminis appellatum برنك الكابلي *brench alkebuli*. Quod ipse Avisena interpretatur semen esse Indicum & Sindicum. حب هندي وسندي *hab Hendi va Sindi*. Regio سند *Sind* nota ex Geographo Nubiensi, quam ab India separat. Ita hoc loco Avisena Indicum à Sindico distinguit. Est plane veterum Sinda, Σίνδα à qua Σινδικὸς κόλπος, qui & μέγαλος κόλπος Geographis antiquis, qui extra eam Indiam statuitur, quæ ultra Gangem. Indiam quippe extra Gangem ab oriente terminant Sinarum regione usque ad magnum sinum, qui & Sindicus. Sindi igitur populi vicini sunt Sinis, & ab India separati. Stephanus: Σίνδα, πόλις πρὸς τῷ μεγάλῳ κόλπῳ τῆς Σινδικῆς. ita legendum. Falsi itaque qui *Kebul* putant esse Arachosiorum. *Breng Kebuli* ex India & Sindia deferri tradit Avisena. Myrobalana autem Kebulica dicta in Bisnagar & Decan, atque etiam Bengala inveniri scribit Garcias. Quæ omnes sunt regiones ac regna Indiæ intra Gangem. *Breng* Alpagus notat à Persis oryzam dici, & *breng Kebuli* esse oryzam Kebulicam. Sed descriptio Avisenæ non convenit oryzæ, qui duo hujus seminis genera facit, unum exiguum sine rugis, alterum magnum rugosum. Neutrum potest esse oryza. Serapionis interpres hoc granum vocat *abrugi* vel *abrong*, quod idem est cum Avisenæ *brench*. Semen esse dicit parvum, rotundum sicut granum Mes, albo ac nigro variatum, quod affertur ex regione *Seni*. Forte scripsit *Sendi*. Granum mes vel mex Avisenæ ماش, & Geographo Nubiensi in octava parte secundi climatis, semen Indiæ familiare. Græci βόσμορον appellant & cum oryza jungunt in describendis seminibus ac frugibus Indiæ peculiaribus. Tritico minus tradunt. *Mungo* vulgo ab Indis appellari ait Garcias. Cum *buna* & *buncho* male viri docti confundunt. Sed de his alibi. Casiam catharticam idem Avisena in Kabul etiam nasci docet, & dividit in Kebulicam & Basaricam, كابلي & بصري *Kebuli* & *Basari*.

بصرة *Basara* urbs & regio Imperii Persici olim nobilissima, in qua & florentissima fuit academia. Alpagus regionem Basaram non multum distare ait ab insula Hormuz, quæ in mari Persico. Immo longius ab ea distat. Hæc quippe in Carmania, quæ Arabice *Karman*, post quam ad occidentem est Persia. At *Basara* in Susiana adhuc, quæ occidentalior Perside. In Arac eam collocat Geographus Nubiensis. Per Arac Παρθίαν intelligi volunt: sed τὴν ἐπικρατειαν Πάρθων palam est accipi debere, non specialem provinciam, quæ hoc nomen habuit, quam Παρθυηνὴν Græci dicunt. Basara in Babylonia vel non longe à Babylonia, regioni Abadan contermina, quæ Persico mari adjacet. Ipsa urbs Basara duabus mansionibus ab illo mari distat. Sed de hac adhuc infra. Pro *Basri* vetus interpres Latinus legit *Misri*. Sic enim in sua versione scribit: *Casia fistula, alia est Kebulia, alia Ægyptia*. Nimirum pro بصري *Basri* vel legit vel legendum putavit مصري *Misri*, id est, Ægyptia. Unius tantum litteræ discrimen est, sed non parvi momenti differentia. Certè hodie casia fistula Ægyptia laudatissima. Quod fortasse respiciens ille interpres, ita corrigendum judicaverit. Sed vulgatam scripturam *Basari* in Arabica editione tuetur Serapio, qui hanc casiam ab India dicit afferri ac Babylonia. Ita vertit interpres, quod in Arabico reperit *Basari*. Sic alio loco Acaciam Babylonicam esse spinam dicit, quam Arabes vocant البصري *albasari*. Certe non longe à Babylonica Basara, ut colligi potest ex Geographo Nubiensi in

A sexta parte climatis quarti. Avisenæ igitur & Serapionis temporibus nondum casiæ catharticæ arbor in Ægypto proveniebat. De quo infra. Basaricam autem Avisenæ dici non crediderim casiam, quæ deferretur ex India Basaram, ut vir magnus existimat, sed quæ in regione Basara nasceretur. Separat quippe ab Indica, quod non faceret nisi ridicule, siquidem eadem esset Indica cum Basarica, ab India eò delata. Kebul quippe, ut dixi, Indiæ mons & oppidum. Quartum genus Myrobalani restat, quod Avisena vocat *Sini* صيني. Hoc

B ex Sinarum regione adferebatur. Incognitum hoc genus officinis. Olivæ instar habere hoc genus & ex genere esse olivarum & similiter condiri solitum scribunt Arabes auctores apud Serapionem. Male igitur eadem cum Emblicis hæc facit Garcia. Kebulica omnium maxima esse dicit Avisena, Sinensia vero minima, & ea præcipue laudat ex Sinensibus, quæ rostrum habent. المنقار *alminkar*. Quod ab Hebræo venit נקר quod est perfodere & perforare, sicut rostro faciunt aves. Hinc *minchar* instrumentum fodiendi. Pro rostro avis usurpant

C Arabes. Unde منقار الغرب *minchar algorab*, rostrum cornicis. Sinica hujusmodi Myrobalana rostrata nulla hodie visuntur; nec sane ulla Sinica myrobalana novit superior ætas, quæ Belliricis & Emblicis adjunctis quinque tantum genera Myrobalani agnoscit. Hinc sæpe apud Myrepsum, μυροβάλανα τῶν πέντε γενῶν. Atqui ex illis quinque generibus eximenda Bellirica & Emblica, quæ Myrobalana non sunt, nec isto nomine vetustis Arabibus aut Græcis, qui eodem tempore vixerunt, nuncupata fuere. Tria igitur ex illis vera Myrobalana, citrina, nigra, & Kebulica. Quartum

D genus addit Avisena Sinica hodie incognita. Hæc quatuor nomina sive cognomina potius adjectiva sunt & subaudienda semper vox *helilegi*, quæ Myrobalanum proprie significat. Ut *helilegi asfar*, *helilegi asuad*, *helilegi Kebuli*, *helilegi Sini*. Hoc erit Latine: Myrobalanum flavum, Myrobalanum nigrum quod & Indum dicitur, Myrobalanum Kebulicum, Myrobalanum Sinicum. At *Belilegi* & *Emlegi* nomina sui generis sunt, nec dicunt Arabes *Helilegi Belilegi*, aut *Helilegi Emblegi*. Nec dicenda igitur *Myrobalana Bellirica* aut *Myrobalana Emblica*. Charito: λαβὼν χελίλιζι κέβυλι, καὶ βελιλὲζ καὶ ἐμβλέζ.

E Ubi χελιλιζὶ κέβυλι sunt Myrobalana Kebulica pro *helilegi Kebuli*. Nam Græci, ut supra notavimus, He Arabum per χ solent efferre ταμαρχένδι pro *tamarhendi*. Et Gim per Zeta, ut ζεδόαρ, ζυλυνὰρ pro *geddar*, *giulunar*. Lexicon Græco-Arabicum, χιλιλὲγ τὰ ξανθὰ μυροβάλανα. Græcia posterior, ut jam docui, quæ huic pomo sive pruno μυροβαλάνυ & φοινικοβαλάνυ nomen imposuit, non alia sic vocare voluit quam quæ ad formam accederent palmulæ. Quam cætera quidem genera repræsentant, quibus nomen fecit *helilegi* Arabica gens: Emblica

F vero & Bellirica nullo modo exhibent, ideoque ab hac appellatione merito submovenda. Ex his porro quæ supra diximus, colligi posse arbitror, qualis figura fuerit Balani Myrepsicæ, ut hinc discas nullam earum, quas pro glande unguentaria venditant auctores, esse germanam. Fructus Myrepsicæ glandis dicitur βάλανος. Æque palmulæ βάλανοι sunt iisdem Græcis, ut proinde mirum non sit, si μυροβάλανα & φοινικοβάλανα invicem suas appellationes permutarint. Formam utique glandis quod referant, ideo dicta sunt tam hæc quam illa. Similis igitur palmulæ

G immaturæ glans myrepsica, quandoquidem & eodem nomine vocata est palmula myrobalanum, ob hanc similitudinem, & pruna myrobalana. Non audiendus itaque Matthiolus, qui putat arborem vulgo dictam *lilac* ferre glandem unguentariam. Nihil tam male conveniens. Arbor illa in Africa dicitur *seringa* ubi plurima nascitur. Syringam hodie corrupte vocant, & inepte sic appellatam hariolantur doctissimi

doctiſſimi medici, quod rectas & longas habeat virgas, & fungoſa intus medulla plenas. Sed nec ad glandem veterum referri poteſt granum illud ſiliquatum, quod ex Alexandria Venetias affertur, & pro balano exhibetur. Forma longe alia eſt. *Ben* fuerit Aviſenæ, quod cicere majus eſſe dicit. Alii Arabes ciceri ſimile faciunt. Hoc erit ben parvum. Nam duo genera ponunt, majus & minus. Hoc velut cicer. Illud avellanæ magnitudine eſt, ſed anguloſum. Videndum, an ſit balanus Dioſcoridis. Certè herbarius, qui in antiquiſſimo codice pingendas curavit plantarum facies, pro balano myrepſica exprimi voluit arborem tamarici ſimilem fructumque avellanæ inſtar, ſed triangularem. At Dioſcorides ſimpliciter ſcripſit balanum myrepſicam ſimilem eſſe nuci Ponticæ, id eſt, avellanæ: Βάλανος μυρεψικὴ, καρπός ἐστι δένδρου μυρίκῃ ἐοικότος, ὅμοιος τῷ λεγομένῳ Ποντικῷ καρύῳ. Non de magnitudine, ſed de forma ſimilem ſignificat. Diligenter hæc diſtinguunt auctores τὸ μέγεθος καὶ τὸ εἶδος. Quod ſi glans unguentaria eadem eſſet cum ben majuſculo anguloſo, dicere debuiſſet Dioſcorides, τῷ μεγέθει ἡλίκον τὸ λεγόμενον Ποντικὸν κάρυον. Ita ſemper Theophraſtus, τῷ μεγέθει ἡλίκον κύαμος de fructu, qui fabæ magnitudinem æquat, cujus faciem non habet. Pontica nux non eſt anguloſa. Carebit igitur angulis & glans myrepſorum, ut etiam caret viridis & immatura palmula, cui glandem hanc aſſimilat idem Dioſcorides. Theophraſtus eam capparis fructui de aſpectu & magnitudine comparat: ὁ δὲ καρπὸς αὐτοῦ ἀχρεῖος· ἔστι δὲ τῷ μεγέθει καὶ τῇ ὄψει παραπλήσιος τῷ τῆς καππάρεως, ξύλον δὲ ἰσχυρόν. Fructum capparis intellige, qui à flore producitur. Hic inſtar habet glandis oblongioris, οἷον βάλανος ἐπιμήκης. Hæc figura capparis fructus, & glandis myrepſicæ Theophraſti multum diſtat à grano anguloſo majoris ben. Fruſtra autem viri docti laborant, ut Theophraſtum cum Dioſcoride concilient circa hanc glandem, quæ myrobalanos appellata eſt. Non magis diviſum diverſumque ſolo cœlum. Arbor eſt tamarici ſimilis, quæ glandem hanc edit, Dioſcoridi. Ita enim abſque varietate antiquiſſimi libri legunt: δένδρου μυρίκῃ ἐοικότος. Et antiquarius arborem tamarici ſimilem expreſſit. Apud Theophraſtum arbor, quæ in Ægypto glandis hujus ferax eſt, folia myrto ſimilia habet, excepto quod longiora ſint: φύλλον δὲ αὐτῇ παραπλήσιον τῷ τῆς μυῤῥίνης, πλὴν προμηκέστερον: Mutant in Theophraſto μυρίκης aut in Dioſcoride μυῤῥίνης, qui nituntur eos facere, ut concordent. Operam ludunt, nunquam id efficient. Æque magna inter utrumque diſſenſio de uſu ipſius glandis. Dioſcorides nucleum premi vult ut amygdala, oleumque inde fieri pretioſiſſimis unguentis conficiendis ſerviens: οὗ τὸ ἐντὸς θλιβόμενον ὥσπερ τὰ πικρὰ ἀμύγδαλα ἐξίησιν ὑγρὸν ᾧ εἰς τὰ πολυτελῆ μύρα ἀντὶ ἐλαίου χρῶνται. Sane & oleum ex amygdalis amaris ad unguenta olim ſolitum exprimi norunt mediocriter docti. At è contra Theophraſtus ſolum glandis aromaticæ corticem fuiſſe uſui docet unguentariis, quod hæc verba ejus clamant, quæ ſatis clara ſunt: οὐ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες· εὐώδες γάρ τι ἔχει· ὁ δὲ καρπὸς αὐτοῦ ἀχρεῖος. Quid his manifeſtius? Fructum inutilem dicit, ſed fructus cortices ſolos adhiberi unguentis propter odorem, eoſque tuſos. Non placent mihi, qui in hac diſſenſione ſuſpecta mendæ habent Dioſcoridis verba vel Theophraſti. Multò minus adlubeſcit eorum ſententia, qui opinantur idem ab utroque dici. Quid enim tam oppoſitum? Ille ex fructu unguentum elicit, quod unguentis ſerviat. Hic cortices tundi ait, quia odorati ſunt, ut unguentis admiſceantur. Nugas etiam agunt viri doctiſſimi, qui ex teſtimonio Theophraſti anſam dubitandi arripuerunt, an ex putamine glandis unguentariæ oleum unguentis uſitatum exprimi deberet; non ex nucleorum carne. Stulta hæc dubitatio, & male interpretatis Theophraſti verbis innixa. Nec enim ille oleum fieri ex contuſis putaminibus glandis aſſerit; ſed tundi eos ſimpliciter ſolitos à myrepſis ſignificat, & unguentis addi odoris conciliandi gratia. Aliud

A eſt tundi, aliud premi. κόπτεσθαι illud, hoc ἰποῦσθαι & ἐξιποῦσθαι. Sic aſpalathi lignum tundebatur, & alii hujuſmodi odores, ut unguentis inderentur. Dioſcorides in narciſſini paratura: Ἀσπαλάθου λίτρας ἐξ κόψας καὶ βρέξας ὕδατι. Cortex plamæ, quæ σπάθη vel ἐλάτη dicebatur, ſimiliter tundi ſolebat ad unguenta. Θλᾶσαι & κόψαι id vocat Dioſcorides. Ergo & cortices glandis Myrepſicæ pariter tundi moris erat; & ſic addi unguentis, ad odorem faciendum, non ut oleum inde exprimeretur. Diverſa igitur glans Theophraſti myrepſica, quæ unguentariis odoratos cortices præbet tundendos & unguentis miſcendos, &
B glans Arabica Dioſcoridis quæ oleum ex nucleis preſſum ad unguenta profert. Plinius qui diverſas hiſtorias miſcere moris habet, ex utraque glande unam faciens uſus olei & odoris diſparavit, hunc unguentariis, illum medicis aſſignando: *Unguentarii autem tantum cortices premunt, medici nucleos tundentes affuſa paulatim calida aqua.* Nihil tuſum premitur, niſi ut liquor inde & oleum exprimatur. Putavit Theophraſtum dicere glandis myrepſicæ cortices ab unguentariis tundi premique oleo eliciendo, quod ejus menti maximè contrarium, quam ſupra expoſuimus. Rurſus cum apud alios legiſſet ex glande un-
C guentaria oleum fieri, nucleis ejus tuſis preſſiſque, ut iſtos auctores cum Theophraſto conciliaret, medicos quidem ex nucleis, unguentarios verò ex putaminibus oleum conficere credidit. Quod eſt falſiſſimum. Dioſcorides claris ac planis verbis oleum quod ex nucleis glandis conficitur, ad unguenta expeti & quidem pretioſiſſima tradidit. Ergo unguentarii nucleos etiam tundebant, oleumque ex his exprimebant ad unguentorum uſum, non tantum cortices, ſicut adſtruit Plinius. Galenus quoque βαλάνινον oleum unguentariis uſitatum, ex nucleis exprimi apertè aſſeverat. Et paſſim in unguentorum con-
D fectionibus βαλανίνου ἐλαίου apud Dioſcoridem & alios veterum fit mentio, quod non aliter exprimebatur quam ex nucleis. Non igitur ſolis medicis uſui fuit oleum ſic expreſſum, ut videtur affirmare Plinius, ſed etiam unguentariis. Quid faciemus, ut auctores hi videri queant non penitus diſſenſiſſe? Nihil ſane poteſt fieri, niſi ut teneamus quaſi compertum, de alia glande intellexiſſe Theophraſtum, de alia Dioſcoridem ac cæteros Græcos. Glans Theophraſti propriè μυρεψικῆς cognomen & μυροβαλάνου meruit appellationem. Odorata quippe cortices ſaltem odoratos dedit, tundendos indendoſque unguentis inter
E alios odores. Nihil enim μυρεψικὸν jure ſuo dictum videatur, niſi odore aliquo præſtanti inſigne ſit. Sic μυρεψικὴ ἀλόη ad diſtinctionem τῆς καθαρτικῆς. Nux myrepſica ſive myriſtica pariter ab odore inſigni appellata. Et ſic de aliis. Oleum balaninum prorſus inodorum. Ergo & nuclei, ex quibus exprimitur, ſine odore. Oleum quoque *ben* hodiernum, quod eſſe veterum βαλάνινον aſſerentibus credo, caret in totum odore. Unde igitur μυρεψικὴ ea glans, quæ nihil odoris confert unguentis? Pari jure meritoque & amygdalæ myrepſicæ appellari debuerint, quia oleum amygdalinum ſummi uſus in re unguentaria
F fuit apud veteres, ut & omphacinum ex uvis immaturis expreſſum. Quod & ipſum tamen abſque odore nec eo ſecius magni pretii, & honoris, ob eam quam unguentis præſtabat utilitatem. Hæc cum ita ſint, nemo unquam ὄμφακας appellavit μυρεψικάς, quia oleum darent unguentariis accommodum ac neceſſarium. In unguenti compoſitione duæ fere res antiquitus conſideratæ vel Plinio docente, ſuccus & corpus. Succus olei generibus conſtabat. Ea ut plurimum quæſita ad hoc ſcio, quæ minimum
G odoris haberent, ut amygdalinum, omphacinum, & balaninum. Hæc præcipua vel ſola componendis pretioſis unguentis nominata reperies. Ergo nec odoratæ, nec μυρεψικαὶ eæ ſpecies propriè dicendæ, è quibus illa olei genera inodora facta. Corpus odorum dicebatur. Horum alii στύμματα, alii ἡδύσματα, ut alibi docuimus. Ἡδύσματα ad odorem præcipuè ſolita addi. Ex eo genere & uſu cortices glandis unguentariæ fuiſſe ex Theophraſto conſtat, quia

quia bonum odorem præferrent. Jure itaque hæc glans myrepsica vocata & μυρεβάλανος. Quod nomen vix competat alteri glandi, cujus meminit Dioscorides, quæ oleum tantum ministrabat unguentis, idque inodorum. Hæc est, quam Arabes & officinæ vulgo *ben* dixere. Nec glandem, sed arborem hoc nomine appellant Arabes, quibus glans dicitur حب البان *hab alben*, granum ben. Avisenæ arbor vocatur بان *ben*, cujus granum esse dicit majus cicere. Oleum ejus vocant دهن البان *dehen alben*, oleum de ben. In veteribus Lexicis Iatricis reperio βαλάνινον ἔλαιον antiquorum, quod ex hac glande myrepsica exprimebatur, posterioribus dictum esse μοσχέλαιον, quod sonat odoratum oleum; sed odoratum fortasse fit addito muscho. Muscellinum Barbari appellant. Vetus index Avisenæ: *Oleum de ben, id est, muscellinum*. Id nomen corruptum ex Μοσχέλαιον. Sic dictum, quod in ejus compositionem muschus ingrediatur. De musino oleo nos alibi, quod pro Susino accipit aut muscellino apud Myrepsum Fuchsius. In antiquo Glossario Latino-Arabico بان exponitur *narcissus*. Quod fortasse corruptum pro *nardi succus*. Certe nardinum unguentum apud Marcum ita vocat interpres Arabs τὴν νάρδον. Hoc sensu aliud à ben, quod glandis myrepsicæ arborem significat. Nec enim absolutè apud Arabes legere est pro oleo ex glande unguentaria facto. In Lexico Saracenico viatici invenio: Πένζ, Σαρραχηνιστὶ ὅ ἐστιν ἰέλαιον ȣ ὀπίȣ. Quid velit, nescio. Ἰέλαιον est oleum ex violis. Πένζ scriptum pro *beng*, ut Gim Arabum Græci mutant in ζ. Intellexisse igitur opinor id, quod Arabicè vocatur بنج *bengi*. D Hyoscyamum sic illi vocant, & opium pro succo hyoscyami dixit auctor hujus Glossarii. In quo scribendum est: Πένζι Σαῤῥακηνιστὶ, ὅ ἐστιν ἔλαιον ȣ ὀπίȣ. Perperam

A legit: Πὲνζ, ἰέλαιον ȣ ὀπίȣ, pro Πένζι, ἔλαιον ȣ ὀπίȣ. Purum putum est Arabicum *bengi*, pro quo Græci βένζι & πένζι dicunt, ut Βελίλεζι pro Βελίλεγι. Glans Myrepsica communis & Arabica duorum generum, altera ciceri similis, altera avellanæ magnitudine, sed angulis tripertitis veluti triquetra. At Theophrasti βάλανος revera glandi similis oblongæ, qualis est capparis fructus, quam Arabes vocant *cucumerem capparis* à forma quam ostendit, خيار الكبر *chaiar alcabar*. Alpagus ex Arabicis expositoribus tradit granum ben simile esse B pistacio parvo. Id genus est, quod Avisena paulo majus cicere facit. Hæc unguentaria glans distat ab illa non minus facie quam usu. Siquidem hæc odoris gratia unguentis admiscebatur, cortice tantum fructus ad hoc tuso. Altera genus alterum oleo duntaxat eoque inodoro, & ex nucleis expresso commendabatur. Nec dubitem utrumque genus cognitum veteribus, sed confusum inter species plures patriæ nominibus discretas. Glans illa myrepsica Theophrasti Ægyptia est. Nec alterius meminit. Hæc erit Thebaïca Plinii, qui tamen & Ægyptiam nominavit seorsim, pinguiorem & C crassiori cortice rubentem, & quamvis in palustribus nascatur, breviorem sicciorremque. Idem & Æthiopicam cæteris præferri memorat, glande nigra ac pingui, sed liquore, qui exprimitur, odoratiore. Ergo cæteræ inodoræ. Hæc confudisse auctores certum est. Non alia propriè myrepsica quam quæ descripta Theophrasto. Aliis postea etiam id nomen communicatum, quibus odor abest, quod faciendis unguentis utile oleum pressæ præberent. Theophrasti autem glans myrepsica, prorsum videtur incognita Græcis posterioribus, ejusque usus plane incompertus. Quod non magis mirum quam de œnanthe, à qua unguentum œnan- D thinum. Hæc herba Theophrasto in Cypro nascens odorata. Cæteris Græcis unguentum hoc nomine ex flore labruscæ fit, quæ οἰνάνθη dicitur, œnanthen illam Theophrasteam in unguentorum usu penitus nescientibus.

CAPUT C.

De zingibere.

Species zingiberis ab Avisena ponitur, quod ait vocari *zingibil caninum* زنجبيل الكلاب *zingibil alkeleb*. Sub hoc nomine descripsit verbis Dioscoridis τὸ ὑδροπίπερι ejusdem, capite de zingiberi. Nam initio statim capitis Dioscoridem laudat, & verba ejus de zingiberi & hydropiperi ad litteram transtulit, quæ omnia interpres omisit. Hæc quia jam Latina fecit Vir magnus in notis ad librum Garciæ de aromatis, ideo parcam heic denuo convertere. In cujus tamen versione quædam sunt animadvertenda. Ut eo loco, quo dicit gingiber caninum, esse *fructu exiguo in vasculis*. Hoc contra rei veritatem & Arabicam locutionem, quæ habet: ثمر صغار دانية, *tamar segher beania*, id est, fructus exiguus in substantia. Nam انية *ania* est ὑσία. Dioscorides habet: καρπὸν δὲ ἔχει ἐπὶ κλωναρίων μικρῶν ἐκφυομένων παρὰ τὰ φύλλα, συνεχῆ καὶ βοτρυώδη. Per κλωνάρια intelligit surculos parvos sive pediculos potius, quibus fructus racemosus adnexus est. Hi surculi juxta folia. Avisena perperam συνεχῆ & βοτρυώδη retulit ad vocem φύλλα, quæ debent referri ad καρπόν. Sic enim totum eum locum vertit: *Et ei fructus*

E *forma exiguus in surculis parvis prodeuntibus de radice. Folia junctim atque continentur alia super aliis posita, in modum racemorum.* Prorsus contra mentem Græci auctoris, qui non folia racemosa dicit, sed fructum. Et profecto illud absurdum falsumque. Uno capite conclusit Avisena duo capita Dioscoridis, alterum de zingibere, & alterum de hydropipere, quæ & junctim exposita habentur apud Dioscoridem. Nam statim post zingiberis descriptionem sequitur ὑδροπίπερι. Quod hydropi- F per sub nomine zingiberis canini posuit Avisena, ideoque & cum zingibere commemoravit. Maximè autem miror, fugere potuisse virum magnum hæc omnia à Dioscoride sumpta quod & diserte testatur illo loco Avisena. Productis autem his verbis ille Vir, quem dixi, subjicit statim: *quamvis hæc omnia ex Dioscoride citantur, pauca tamen initio sunt à Dioscoride, reliqua ab aliis Græcis.* Vellem nobis indicasset illos alios Græcos. Immo omnia sunt à Dioscoride, & ὑδροπίπερι ejus graphicè descri- G bunt, ut Græcorum lectione patebit cum ejus versione & Arabicis Avisena comparata. Scribit autem eo loco Avisena, quod in verbis Dioscoridis non habetur, zingiber illud caninum vocari ab incolis Taberstan, id est, Caspiis populis *fulfulk* فلفلك. Quod opinor significare πιπέριν. Certe فلفل *fulful*

A *fulful* eſt piper. Idem caput alterum habet in eadem littera ſub titulo zingiberis canum زنجبيل الكلاب *zingibil alcaleb*, ubi dicit olus eſſe notum & eſſe piper aquæ فلفل الما *fulful alma*. Quod eſt Græcum ὑδροπέπερι. Folia illi tribuit ſimilia foliis kalef, magis tamen flava, & cauliculis rubentes & ſaporem zingiberis. Canes autem interficere ait. Unde illi nomen canini zingiberis factum. Placuit B igitur Aviſenæ Dioſcoridis ὑδροπέπερι ſub appellatione zingiberis canini deſcribere. Videamus, an ſibi conveniant. Hydropiper ſive aquaticum piper folia menthæ habet, niſi quod majora ſunt, molliora & candidiora. Ita Dioſcorides, cujus & verba Aviſena eodem ſenſu expreſſit capite de zingibere. At capite de zingibere canino, quod & piper aquæ vocatum oſtendit, folia prodit habere qualia arbor *chalef*, excepto quod ſint magis citrina & flava. Arabicis interpretibus chalef arbor ex ſalicum genere, cui folia magna, latiora quam ſalicis. Alii arbori chalef folia qualia ceraſo tribuunt. Hæc non conveniunt cum C foliis menthæ, quæ ſuo donat hydropiperi Dioſcorides. Antiqua expoſitio Arabicorum nominum: *Zingiber caninum eſt herba, cujus folia aſſimilantur foliis ſalicis aliquantulum citrina, rubeum habens ſtipitem, acuti ſaporis ſicut zingiber, & credo quod ſit perſicaria.* Hæc nullo modo poſſunt quadrare in Dioſcoridis ὑδροπέπερι. De Zingibere canino Aviſenæ haud abnuerim, quin eſſe queat perſicaria, præſertim cum & olus vulgari notitiæ obvium perhibeat. Deinde perſicaria dicta à Perſicæ foliis, quorum ſimilitudinem gerit: quæ forma non longe abit à ſalicis latifoliæ, qualis eſt chalef, foliis. Denique ſemen ſpicaceum perſi- D cariæ non diſſimile ſemini racemoſo hydropiperis. Folii tamen figura non parum obſtat, & ſola facit ut male videatur Aviſena zingiber illud ſuum caninum idem cum hydropiperi Dioſcoridis conſtituere. Nec rectius Ruellius & Matthiolus, quorum hic Dioſcoridis hydropiper vult eſſe perſicariam, alter eupatorium. Hoc ſoli ſibi perſuaſum habeant, non etiam aliis velint, aut fruſtra volent. Sunt rurſus quibus placet *zingiber caninum* Aviſenæ, quod hydropiper Dioſcoridis eſſe ille tradit, *ſiliquaſtrum* E Plinio dici, & καψικὸν Actuario. Sed iſti longiore erratione à veritate devii. Siliquaſtrum Plinianum à ſiliquis dicitur, quas, ut nomen indicat, habet. Nullæ ſiliquæ ſunt in hydropipere, ſed ſemen racematim congeſtum in parvis ſurculis, ſecundum folia: καρπὸν δὲ ἔχει ἐπὶ κλωνδρίων μικρῶν ἐκφυομένων παρὰ τὰ φύλλα, συνεχῆ καὶ βοτρυώδη. Præterea hydropiperi in aquis ſtantibus ac paludibus tantum naſcitur, ſiliquaſtrum minime. De capſico etiam nugæ. Nihil minus poteſt eſſe quam hydropiper. Hoc nomine appellant vulgo piperis Indici genus ſive Ame- F rici potius cum ſiliquis oblongis. At fructus hydropiperis συνεχὴς καὶ βοτρυώδης. Si illud eſt καψικὸν Actuarii, non à guſtu mordente ſic dictum eſt, ſed quod ſemen incluſum ſiliquis veluti capſis habeat. Nam & Græci recentiores καψοὺς vocarunt loculamenta & capſas. Charito καψικὸν Ἰνδικὸν ſæpe nominat & κόκκους καψικοῦ ut hoc loco: κόκκοι δὲ καψικοῦ ὠφελοῦσι πρὸς ἡμιπληξίαν καὶ πρὸς τὰς τῆς ὄψεως στρεβλότητας καὶ κωλικοὺς καὶ ποδάγρας, καὶ πᾶσαν νόσον ψυχράν. Item in Eclegmate ad ſplenicos: λαβὼν ζιγγίβερι καὶ τὸν φλοιὸν τῆς ῥίζης τοῦ καππάρεως, καὶ καψικὸν Ἰνδικὸν καὶ πύρεθρον καὶ πολυπόδιον. G Forte etiam ita vocarunt, quod in capſis ſererent vulgo, ut hodieque fit. In fictilibus aut capſis ſeri ſolet & in feneſtris haberi. Dioſcorides hydropiperis meminit non tanquam Indicæ aut exoticæ plantæ, ſed ut in Græcia vel Aſia vulgaris. Sed nec ſiliquaſtrum Plinii erit capſicum, ut video velle miro conſenſu viros doctiſſimos in re Herbaria. Unde enim ætate Plinii capſicum Indicum in media Italia? Unde illi nomen Latinum, cum omnia exotica ſuis & indigenis vocabulis cenſerentur, parum ſaltem deflexis? In Italia *ſiliquaſtrum* paſſim ſeri ſolitum oſtendit. *Piperitin* Græce appellari à piperis ſapore teſtatur. Aliam vero *piperitin* à Caſtore demonſtrari ibidem docet, foliis laurinis; quam lepidium eſſe vel iberida alteram quæ folia lauri habet, certum eſt. Siliquaſtrum itaque Italiæ familiare etiam Plinii temporibus, non Indicum iſtud ſive capſicum ſive piper, ſed indigena herba. Siliquaſtro eandem ſationem quam ſmyrnio idem aſſerit. *Capſicum*, Indicum piper αὐτόχρημα dictum, non piperis ut ſiliquaſtrum. *Piper Indum* vulgus appellat. Olim Ἰνδικὸν πέπερι dicebatur myrtidanum quod *cubebam* hodie dicunt. Omne piper ab India, ſpecialiter tamen hoc cognomento penes vulgum gaudet id piperis genus, quod eſſe ſiliquaſtrum eruditi plantarum naturæ contendunt. Quidam *piper Calecutienſe* appellant. Male iſto nomine vapulat Cardanus Scaligero. Ut ut ſit, ſiliquaſtrum Plinii ſive piperitis non eſt hoc Indicum piper ſiliquatum. Fortaſſe id erit καψικόν: Quamvis non deſint qui cardamomum ita malint appellari. Quibus non aſſentior. Legi etiam κοψικὸν pro καψικόν. Forte & κόψαι dixere pro κάψα. Inde & *coſſam* dicimus, quæ ſiliqua eſt. Ut *caſſam* pro capſa. Quod καψικὸν Ἰνδικὸν auctores ſemper nominant, id fuerit ad diſtinctionem alterius capſici vulgaris. Καψικὸν ad verbum *ſiliquaſtrum*. Scaliger Julius obſervat in Exercitationibus ſiliquaſtrum in Provincia vocari fruticem, oleæ pæne folio, longiore, ſiliquis compreſſis & curvis. Hoc eſſe ſiliquaſtrum Plinii illi placet. Viderit. Nos ſcimus, non eſſe capſicum aut piper Indum. Ad hydropiper quod attinet, quod & zingiber caninum vocatur Aviſenæ, perſicariam eſſe plane conſtare debet. Nam folia illi qualia arbori chalef tribuit, quod genus eſt ſalicis latifoliæ in Meſopotamia, & Ægypto naſcentis. De qua tradit etiam Proſper Alpinus in libro de plantis Ægyptiacis, & *calaf* vocat, ubi & iconem ejus exhibet. Videri etiam poſſet eſſe ὑδροπέπερι Dioſcoridis, niſi vetarent folia menthæ adſimilata, cæteris ad amuſſim congruentibus. Sed fortaſſe lapſus Dioſcorides in deſignanda foliorum imagine. Quæ cum mentha majora eſſe ait, longiora ac latiora intelligenda. Duo etiam perſicariæ ſpecies traduntur Neotericis. Quam perſicariam proprie appellant, ea Perſici folia habet, & florem ſpicatum; quæ magis accedere videtur ad formam zingiberis canini Aviſenæ, cui folium chalef, quæ ſalicis latifoliæ ſpecies. Hæc maculam in medio foliorum fuſcam oſtentat. Locis humidis gaudet. Alia eſt ſpecies, cui magis convenit hydropiperis deſcriptio, quæ ſemen gerit juxta folia enaſcens, & continuata ſerie congeſtum ad inſtar racemorum. In paluſtribus naſcitur, & notas fere omnes præfert hydropiperis Dioſcoridei. Statuamus igitur ex duobus Perſicariæ generibus, alterum eſſe Zingiber caninum Aviſenæ, alterum Dioſcoridis ὑδροπέπερι: quæ duo genera ipſe Aviſena perperam confudit, cum tradit zingiber caninum ab aliis vocari فلفل الما *fulful alma*, id eſt, piper aquæ. Quin & Dioſcoridis hydropiper verbis ejus deſcripſit ſub titulo zingiberis canini. Atqui certo certius zingiber illud caninum cui folia chalef, eſſe perſicariam illam, quæ maculas in foliis habet; diverſam tamen ab illa, quæ maculis caret atque eadem omnino eſt cum hydropipere.

CAPUT

CAPUT CI.

De ambra seu succino.

AMbram vulgò vocitant Itali Gallique succinum vel electrum. *Ambra* etiam est apud eumdem vulgum, quod Arabes dicunt عمبر, *ambar*. Hæc res longè à succino diversa. Quasi una sit appellatio, ad distinctionem succini, hoc genus ambari hodie vocamus *ambram griseam*. Unde illud nostrum *ambra* fluxerit pro succino, nescio. Nam Arabes nominant *karabe*. Glossarium vetus Latino-Arabicum: قهربا, *succinum*. Lexicon Saracenicum ex viatico: Κάραβε, τὸ ἤλεκτρον. Sed ibi scriptum κέραμε. In alio κάραμε. Vocem esse Persicam asserit Avisena, quæ paleas rapientem significat. Ita quidem in Latina versione; sed Arabicè loquens Avisena Persicam esse dictionem non dicit. Et كهربا quidem apud eum scribitur per kef, non قهربا per kaf, ut in antiquo Glossario legitur. Paleas & cassa lignorum ad se trahere, atque inde nomen factum refert كاهربا, quasi raptor palearum سالب التبين. Certè قهر est vim inferre, violenter atque impotenter se gerere. Unde nomen قاهر pro victore & impotente ac violento. Quod raptori prædonique convenit. Inde ergo *karabe* quasi قاهربا. Nam & per kaf scribi solet, ut testatur vetus Lexicon. Hoc modo illud ربا deberet paleam Arabicè significare. Quod nondum inveni. Sic sanè ἅρπαγα Græci vocarunt succinum. Plinius lib. XXXVII. cap. II. de succino: *In Syria quoque fœminas verticillos inde facere & vocare harpaga, quia folia & paleas vestiumque fimbrias ad se rapias.* Non tamen Syriacum *harpaga* eo sensu, sed purum putum ἅρπαξ: eadem significatio Arabici *karabe*. Bituminis genus esse inter omnes ferè convenit. Inter bituminis genera *car* etiam apud Arabes ponitur. *Alchar* sive *alchir* apud Alpagum materia est venæ naturalis, fluida ac similis pici, è terra scaturiens ut aqua è fonte in regione Bagaded; quæ ubi supra terram erupit, crassior pice liquida existit ac condensatur ab aëre frigido, vulgoque ab Arabibus appellatur *char*. Bitumen liquidum vel napthan planè designat. Idem in voce *kir* seu *kar* simile quid pici esse docet, quod scaturit è fontibus in regionibus Bagaded, & idem esse cum *chur* vel *kur*, ad quam vocem nos remittit. Car vel adkar naphtha est, quæ circa Babyloniam ex fontibus profluere bituminis liquidi modo ab antiquis traditur. Arabicè dicitur قار *kar* vel القار *alkar*. Atque omnino idem est cum νάφθα, quod iisdem Arabibus vocatur quoque نفط *nafth*. Quod autem Alpagus illud kar idem esse vult cum *chur*, non dubito, quin vulgus ita pronuntiarit. Nam & *ussach* pro *assach* dicunt, & *usnen* pro *asnan* & similia infinita. Cæterum in vocabulo *chur*, quo nos remisit, ut pleniorem haberemus explicationem vocabuli *kar*, ex sententia interpretum Arabum *chur* vel *kur* exponit sordes adhærentes parietibus alveorum apum. Hoc *kur* longè aliud à *kar*, quod est bituminis liquidi genus, & aliter scribitur, nimirum قعر *kaar*, & mediam habet syllabam ain, non elif. Πρόπολιν Græcorum ita vocant vel etiam ceram. Et videri potest ex κηρὸς vel καρὸς dictum. Addit ibidem

A Bellunensis tradere alios, *kur* accipi pro bdellio in secundo canone Avisenæ, capite de *dadi*: ubi dicit loco ejus poni *duas tertias ponderis de kur*. At in Arabico non *kur* legitur, sed لوز *luz* vel *lauz*, id est, amygdala, prō quo videtur legisse interpres كور *kur*. Quod illo loco nihil potest idonei significare. كور est fornax vel focus. Quidam & pro alveari

B accipiunt. Sed alveare dicitur كوارة *kowarah*, cujus plurale كاوارت *konvarath*. Unde fortasse κυβέρτη & κύβεϱτον recentiores Græci pro alveari apum. Hesychius: κύψελον, κύβεϱτον μελισσῶν. Cæterum quod sordium adhæret parietibus alveariorum, non *kur* dicitur, sed قعر *kar*; quod pronuntiatur sicut قار *kar* bitumen. Alii pro cera illud

C exponunt. At πρόπολιν sive sordes alveariorum Avisena vocat الموم *almum*. Cujus duo genera facit, purum & nigrum. Mum purum dicitur de ceceis cellis, in quibus mel stipant apes. Hæc vera est cera. Hinc vetus auctor Arabs Dioscoridis κηρὸν interpretatur الموم *almum*. Aliis cera vocatur *xemha* شمع. Quo nomine Græcorum πρόπολιν nonnulli vocitarunt, quæ Avisenæ est الموم الاسود,

D *almum alasuad*, mum nigrum; quasi nigram ceram dicas. Hæc circa oras alveariorum invenitur materia potius κηροειδὴς quam κηρός. Ut ad karabe sive succinum redeamus, magnam habet cum bitumine cognationem. Sanè & Serapio ex quorumdam sententia bitumen Judaïcum *karabe Sodoma* vocatum dicit & funerum esse gummi. Hoc asphaltum vel pissasphaltum, quo corpora defunctorum medicabantur. *Mumiam* iidem vocant. الموميا *almumiai* vel

E الموميا *almumia*: πισσάσφαλτον sic nominant. Quod enim bitumine condiebantur cadavera præsertim viliora, ex eo tam bitumen ipsum quam funera bitumine condita hoc nomine appellarunt. Strabo lib. XVI. χρῶνται δ' Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν. Avisenæ *mumia* est πισσάσφαλτον. Fuit, cum putarem vocabulum *mumia* pro medicato funere ex Græco ἀμωμία depravatum. Nam ut plurimum veteres amomo condiebant cadavera. Unde *triste amomum* Statio & *crassis lutatus amomis* apud Persium de collocato. Item apud Ovidium, *ossa pulvere amomi condita*. Vetus quoque scholion in antiquissimo

F Pauli Æginetæ libro ad vocem ἄμωμον notat, id esse quod vulgo *momia* ab Arabibus dicitur: Ἄμωμον ὃ λέγεται μόμις. Apud Myrepsum μυμία pro tabo hominis mortui, in Antidoto Athanasia: αἷμα ἀνθρώπου τεθνεῶτος ἐν ᾧ κέκληται παρ' Ἰταλοῖς μυμία. Nunc in alia sum sententia de etymo *mumiæ*. موم *mum*, idem quod cera. vocabulum Persicum. Avisena distinguit inter *mum purum* & *mum nigrum*: الموم الصافي *almum*

G *alsafi* & الموم الاسود *almum alasuad*. Mum illud, purum ac nitidum. Hoc, nigrum ac fordidum. Sic vocat Græcorum πρόπολιν. Vetus ejus interpres sordes exponit, quæ alveis apum adhærescunt. Immo prima sunt fundamenta operis & rudimenta ceræ. Quod pænè cera est, vocatur πρόπολις, quam *mum nigrum*

grum vocat Aviſena. Rudius opus *κόμμωσις* & *πισσόκηρος*. Hæc veluti dilutior cera, quam veluti picantes ponunt apes. *Κόμμωσις* primum fundamentum & cruſta, quæ ante omnia illinitur. Plinii verba ſic legenda ſunt partim ex libris: *Commoſis cruſta eſt prima ſaporis amari. Piſſoceros ſuper eam venit picantium modo ceu dilutior cera, è vitium populorumque mitiore commi.* Κόμμωσις quoque ἀπὸ τῆς κόμμεως appellata. Διάχελσιν τῆς σμήνους interpretatur Heſychius. Aliter vocatur Ariſtoteli κώνησις, quod idem eſt ac picatio. Nam κῶνος vel κώνη picem liquidam ſignificat. Dioſcorides: Πίσσα ὑγρὰ, ἣν ἔνιοι κῶνον καλοῦσι. Aliis κώνη. Ut apud veterinarios Græcos cap. CLXXVI. ἀσφάλτου, κώνης, ἀμμωνιακοῦ. & cap. DCCCXLIII. ὄξους φυσήματος, κώνης πιτυΐνης, ἀμφότερα ὁμοίως συμβαλὼν χρῶ. Et alibi paſſim. Inde κωνίας οἶνος Hippocrati, quem Galenus exponit πισσίτην. Inde κωνῆσαι πίθον picare dolium & ἀκώνητον ἀγγεῖον minime picatum, de quibus alibi. Cæterum quod *mum nigrum* Aviſenæ, hoc aliis Arabibus dicitur *car*, quod alii tamen piſſaſphaltum & bitumen exponunt, ut notavit Alpagus. Aliter tamen ſcribitur, cum bitumen ſignificat, nempe قار *kar*. At pro cera vel propoli قعر *kaar*. Iiſdem Arabibus قفر *kefer* eſt bitumen; prima vero ſyllaba in charabe per قهر. *Elif* ſæpe mutatur in *He*, etiam apud Hebræos. Quod ipſum genus eſſe bituminis, & eodem quo bitumen modo fontibus exundare plerique opinantur. Cæterum ab illo *mum* non dubito, quin *mumia* vocabulum deductum ſit. Nam pleræque nationes cera utebantur in condiendis ac medicandis funeribus; præcipuè Babylonii, quibus in pleriſque iidem mores cum Perſis. Strabo: θάπτουσι δ' ἐν μέλιτι, κηρῷ περιπλάσαντες: *In melle condunt cadavera cera prius circumlita.* Hoc etiam in Græcia, ſaltem Græci hominis cadavere uſurpatum aliquando legere eſt. Apud Cornelium Nepotem de Ageſilao rege: *ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre poſſent, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.* Solemne porro Arabibus rerum omnium nomina, quæ eumdem uſum præſtant, indifferenter uſurpare, & aliud pro alio ponere. Sic *kitran*, quod propriè picem cedri deſignat, pro bitumine quidam interpretantur. Sic fucum marinum, vermiculum cocci, & rubiam indiſcreta notione ſumpſerunt. Ita ergo & bitumen, quia conditure cadaverum utrumque ſerviebat, apud diverſos populos *mumiæ* appellatione donarunt, quod à *mum*, id eſt, cera derivatum eſt. Sic *karabe*, quod propriè eſt ſuccinum, etiam pro bitumine ſumpſerunt. *Karabe Sodomæ* apud Serapionem, eſt bitumen, vel *gummi funeris*, ut ipſe vocat. *Almumiai.* Succinum è fontibus ſcaturire ſicut bitumen, nonnullis ex antiquitate traditum. Quod eſſe verum hodie comprobatur, ſcribentibus pleriſque è mari Germanico erui, quod è fontibus in ipſo mari manat bituminis modo. Atqui ex omnibus antiquitatis opinionibus de ſuccino eam ſolam probaſſe videntur Arabes, quæ nigræ populi lacrimam eſſe ex fabula Phaëtontis ſanxit. Hoc paſſim pro vero in ſuis ſcriptis aſſerunt. Certum eſt, eſſe quamdam populi nigræ lacrimam gummoſam. Plinius dicit apes piſſoceron ſuam conficere, quæ quaſi dilutior cera eſt, è viticum populorumque mitiore gummi. Αἰγείρου ῥητίνην vocat Dioſcorides, mitiorem illam populi commim. Eam lacrimam populi nigræ in Eridanum delapſam concreſcere, & ſuccinum exiſtere pleriſque antiquorum creditum. Dioſcorides de populo nigra: ἱστορεῖται δὲ τὸ ἐξ αὐτῶν δάκρυον κατὰ τὸν Ἠρίδανον ποταμὸν καταχεόμενον πήγνυσθαι καὶ γίνεσθαι τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. Populi gummi non omne ſuccinum evadit, ſed id ſolum quod in flumen deciderit, atque ibi in aqua concreverit, duritiemque lapidis frigore adquiſiverit. Sive ita fieri ſuccinum crediderint Arabes, ſive omne gummi populi cum ſuccino

A confuderint; non aliter pronuntiant quam ſuccinum, quod vocant κάραβε, lacrimam, eſſe populi. Inde etiam vulgatum *ambri* nomen pro ſuccino. Arabes populum vocant *haur* حور vel etiam حور رومي *haur Rumi*, id eſt, populum Romanam. Aviſena Latinus cap. CCCXLIX. *Haurum* interpretatur populi lacrimam: *de hauro, id eſt, populi lacrima.* Arboris nomen pro lacrima vertit: ut contra cap. CCCLXXV. *karabe*, quod eſt ſuccinum ſive lacrima populi, de populo ipſa interpretatur:
B *De karabe, id eſt, populo.* Ita & Serapionis interpres: *Haur Rumi, id eſt, karabe.* Sic χαλβάνη tam gummi quam fruticem ipſum, unde gummi, ſignificat. Quod & in aliis obſervare eſt. Hinc vix dubium habuerim, quin ex illo *hauro* Barbari fecerint *habrum*, ac deinde *hambrum* pro ſuccino. Ita ex antiquo *abiga*, quo nomine Latini Græcorum chamæpityn vocarunt à partibus abigendis, iidem Barbari fecerunt *ajugam*; cum poſteriores dixerint *avigam* pro abiga. Vetus expoſitio Arabicorum nominum: *Aurum Romanum, id eſt, arthiroſa, cujus gummi dicitur karaba.* Lege: *id eſt, achiros* vel *achi-*
C *ros*, αἴγειρος. Certè nomen *ambri* pro ſuccino, nec ex Arabico, nec ex Græco deſcendit. Arabes enim vocant *karabe*. Græci veteres ἤλεκτρον. Recentiores βερενίκην. Ex quo βερενίκης vocabulo iidem Barbari *vernicem* ſuum depravarunt, quod & pro alio genere gummi uſurparunt. Ita enim vocarunt gummi juniperi ob ſimilitudinem, quam habet cum ſuccino. Aviſena cap. CCLXXIII. karabe dicit eſſe ſimile ſandarachæ. Sic *vernicem* vocarunt. Immo quidam etiam idem fecerunt karabe cum ſandaraca, ut Serapio teſtatur cap. CCCLXVI. de karabe. Hinc Barbari vernicem, ut dixi, appellarunt ſandaracham
D eodem nomine, quo Græci recentiores electrum dicunt. Neophytus: Βηρύλλιος λίθος, ὅπερ ἐστι δένδρου· ἔστι δὲ τὸ λεγόμενον βερονίκη. Idem in voce Ἤλεκτρον: ἄλλοι δέ φασιν ὅτι τῶν αἰγείρων ἐστὶ κολλῶδες. ἔστι δὲ ἡ βερενίκη. Fortaſſe & præter ſimilitudinem utriuſque commis, etiam nominum vicinitate in Arabico adducti ſunt ad ea confundenda. Nam populus arbor dicitur *haur* حور, cujus gummi ἤλεκτρον vel βερονίκη. Juniperus vero *harar* عرعر, cujus gummi *ſandarac*. Mirum tamen, ubique apud Aviſenam in Arabico جوز, id eſt, *giauz* legi pro populo, non حور
E *haur*. Nam *giauz* quidem abſolutè vocat nucem juglandem: at *giauz alrumi*, id eſt, nucem Romanam pro arbore populo ſemper ponit, cujus & capitulum extat in littera *Gim*, non in littera *Ha*. Quod etiam ſupra obſervavimus. Gummi autem illud, quod vulgo *vernicem* vocant, Arabicè ſcribitur سندروس *ſandarus*, apud Aviſenam in littera *Sin*. In capite vero de karabe appellatur السندروق *alſandaruc*.
F Quod etiam pronuntiatur *ſandarac*. Nam *Elif* & *Vau* ſæpe invicem mutantur apud Arabes & Hebræos. Inde *ſandaraca* interpretes ubique vertunt. Adeo ſimilia inter ſe *karabe*, id eſt, ſuccinum & hæc ſandaraca, ut alterius nomen pro altero ſæpe uſurpetur. Aviſena capite de Cancamo, de ſandaraca ea ſcripſit, quæ verbis pæne iiſdem repetit ſub nomine *karabe* in hiſtoria laccæ. Hæc eſt, ut ſæpe monui, quam *vernicem* Barbari vocarunt deducto vocabulo ex βερονίκη, quod Græcis recentioribus electrum eſt. Cæterum ſandaracha illa pro gummi arboris, nihil habet commune niſi nomen cum ſandaracha metallica, quæ Arabibus di-
G citur عرقي. vel etiam زرنيخ *zarnig*, de qua alibi. Nec autem cenſendum eſt, ex nomine metallicæ ſandarachæ, vocabulum iſtud Arabes feciſſe, quod ipſis arboris gummi denotat. Fuit & alia ſandaracha veteribus, apium cibus, quam ex arborum ſucco colligunt gummium modo. De ea Plinius lib. XI. cap. VII. verbis, quæ ſic legenda ſunt: *præter hac convehitur erithace, quam alii ſanda-*

A *sandaracam*, *alii cerinthum vocant. Hic erit apium dum operantur cibus, qui sæpe invenitur in favorum inanitatibus sepositus, & ipse amari saporis. Gignitur autem rore verno, & arborum succo, gummium modo, capite fici minor, austri flatu nigrior, aquilonibus melior, & rubens, plurimus in Græcis nucibus. Menecrates florem esse dicit, sed nemo præter eum.* Hæc sandaraca ex gummi & veluti gluten est. Certè *erithacen* vocari Varro notat, *quo favos extremos conglutinant inter se apes*, & esse aliud à propoli, vimque illiciendi apes habere. Græci τροφὴν μελιτῶν exponunt. Eadem σανδαράχη, B & κήρινθ@ quasi ceraginem dicas. Hesychius: κήρινθ@, ἡ λεγομένη ἐριθάκη· ἔστι δὲ τροφὴ ἣν ἀποτίθενται ἑαυταῖς αἱ μέλισσαι. Menecrates florem esse maluit. Hunc sequutus est Virgilius, qui *cerinthen* pro flore vel herba apibus grata & earumdem illicio posuit:

Trita melisphylla & cerinthæ ignobile gramen.

Ipse quoque Plinius, qui Menecratem heîc reprehendit hoc nomine, *cerintham* alibi numeravit inter herbas ac flores apibus gratos, quam & describit lib. XXI. cap. XII. Κήρινθον similiter recenset Theophrastus in-C ter coronarias herbas lib. VI. cap. VII. Nihil est quod vetet eodem nomine & herbam esse & ceraginem illam, quæ aliis ἐριθάκη. Hoc glutinis genus commis quo extremas favorum oras conglutinant apes. De hoc ita Virgilius:

----- tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque & floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten
Et visco, & Phrygiæ servant pice lentius Idæ.

De erithace accipiendum Varro docet lib. III. his verbis de apibus: *Extra ostium alvei obturant omnia, qua venit inter favos spiritus, quam ἐριθάκην appellant* D *Græci.* Hac erithace linunt & obturant spiramenta, id est, qua venit inter favos spiritus. Locum illum poëtæ de propoli Philargyrus accipit, qui *fucum* genus esse interpretatur ceræ, quo pro glutine apes abutuntur, & propolim vocari. At de propoli idem poëta ibidem:

------ & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras.

Servius: *Græci πρόπολιν vocant, duriorem cera, quæ vix potest ferro frangi, quam colligunt de gummi arborum.* Gluten etiam sandaracha sive erithace, & ipse de gummi arborum, & rubens quæ melior. Inde sanè E *sandaruc* Arabum. Nam ex Σανδαράχη fecerunt سندروق mutato A in U, ut in aliis solent. Sic ex στοιχάδ@ اسطوخودوس *astuchudos*. Ex Græco τύμπανον طنبور *tambur* pro *tambar*. Nam & N plerumque in R mutant, & P in B. ita & φιστὰκ pronuntiant pro φιστὰκ ex Græco πιστάκιον. Quidam sandaracam illam apum vernicem esse volunt, & à verno rore dici. Sed falsum etymum. Græcorum est βερονίκη quo nomine & succinum appellant sive F gummi populi. Certè & pissoceron apes è populorum gummi colligere dixit Plinius. Erithacen autem sive sandaracam ex nucis Græcæ. Sandaracham non aliunde puto vocatam quam ex colore sandarachino. Nigriorem fieri austri flatu Plinius ait. Et hoc fortasse *mum nigrum* Avisenæ, quo nomine πρόπολιν Dioscoridis expressit. Verum hæc confundunt. Nec mira in his permutatio nominum. *Karabe*, ut dixi, succinum vel gummi populi nigræ Arabibus, cui similem tradunt sandaracam sive vernicem, quæ propriè gummi juniperi. Sandaraca apum ex gummi nucis Græcæ. In veteri expositione nominum Arabicorum notatur *karabe* esse gummi arboris dictæ nucis Romanæ. Sequutus est illam scripturam, quæ apud Avisenam in libris ejus passim obtinet جوز *giauz* G pro حوز, *haux*. Distinguit tamen eam arborem Avisena à nuce juglande cognomine adjecto *Rumi*. Nam جور الرومي vocat populum, non nucem. Verbum tamen verbo reddentibus erit nux Romana, cujus nomen pro populo arbore ille usurpavit. Alii vocant حور *haur* & adjecta nunnatione *hauron.* Quæ est populus. Unde *avrum* & *abrum*, mox *ambram* pro populi lacrima sive succino Barbaris. Quod ad hambar vel ambar attinet, ut aliud nomen est, ita rem aliam sonat. Ἄμπαρ Græci recentiores scribunt, ut Nicetas Choniates, Simeon Sethi & alii. Aëtius etiam meminit & vocat ἄμπαρ in veteribus libris, non ἄμπερ ut editum est. Utrumque genus *ambram* vocamus, sed hoc, quod non est succinum, cognomine adjecto è colore distinguimus vulgo. *Ambram* pro succino non memini legere apud recentiores Græcos. Nec Arabes isto nomine vocant. Qua re cogor habere suspectum, quod Fuchsius apud Myrepsum notavit in compositione emplastri LXXIV. de differentia *ambaris* & *ambræ*, in his verbis: *ambaris exag.* II. *Moschi scrup.* II. *Ambræ exag.* III. Eam synthesin in Græco codice non reperi. Et videtur Fuchsius vitioso usus exemplari, aut libri sui scripturam non satis assequutus. Quod illi in propè infinitis contigit. Leo Africanus balænam *hambara* dici scribit ab incolis Marochi & Fez. Quod fortasse receptæ inter Græcos plerosque & Arabas persuasioni locum dedit, ambar esse stercus aut sperma balænæ. Hinc passim in Glossis Iatricis Græcorum recentiorum invenitur expositum, ἄμπαρ μυρεψικὸν, κόπρος ἰχθύος & φώκης ἀφόδευμα. Eadem prope ratio fecit, ut à multis crederetur, id quod etiam plerisque traditum est, in monte Libano thus nasci, quia λίβανον quoque thus Græci vocant eodem cum monte Syriæ nomine. Quod hodieque quidam nobis persuadere satagunt montem illum Syris hodie *Lebnon* vocitari à vocabulo Syriaco *Lbunto*, quod thus significat. Atqui vox illa Syriaca *Lbunto* pro thure, manifestò ex Græco λιβανωτὸς depravata est. Si thus in Syria vulgò provenisset, non adeo sententiis dissidissent veteres de arboris illius facie, quam vix habuere cognitam. Certum est hodie in Arabia tantum nasci, ac ne Indiam quidem id ferre, quamvis veteres Indici thuris meminerint. Συρίας λιβάνου καπνὸς, *thuris Syriaci fumus* apud Euripidem dicitur in Bacchis, sed eo modo Συρία λίβαν@, ut *malabathrum Syrium*, *myrrha Syria* & alia quæ compertum satis est in Syria non provenisse. De ambaris autem generibus, coloribus, differentiis & excellentiæ notis non conveniunt inter se auctores veteres ac neoterici. Lusitani scriptores tria ejus genera faciunt: *porabar*, quod est candidum: *puabar*, quod est album nigro mixtum sive fuscum: & *minabar*, nigrum, quod ajunt devorari à balæna. Primum præstantissimum, secundum deterius, tertium pessimum. Simeon Sethi omnium optimum definit, quod est rutilum ac pingue, deinde fuscum, deterrimæ notæ nigrum, idque ex balænis colligi, quæ fontes ambaris libaverint. Καὶ τὸ μὲν κρεῖττον, inquit, ἐστὶ ξανθὸν καὶ κιῤῥὸν καὶ λιπαρὸν· ἀναδίδοται δὲ ἐν ἰνδικῇ πόλει Σιλαχὴτ ὀνομαζομένῃ, τὸ δὲ ὑπόλοιπον ἐν τινὶ αἰγιαλῷ πολυχνίῳ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας Σίχνη ὀνομαζομένῳ, τὸ δὲ ὑποτεταγμένον τῶν δ' δεύτερον ἢ μέλαν συνάγεται ἐξ ἰχθύων ἀποπινόντων τῶν ἄμπαρ πηγῶν. Optimum deferri dicit ex urbe Indiæ Silachit, ubi manat ex fontibus. Avisena quoque primæ notæ ambar vocat *Alseleheti*, id est, ex urbe vel regione Selehet. In Arabico est السلاهطي. Ea omnino est quam Geographus Nubiensis in nona parte climatis primi appellat سلاهط *Selehet* & insulam Indiæ facit. Hæc Simeoni Σιλαχὴτ vel Σελαχὴτ, quia Græci per X plerumque exprimunt Arabicum He. Ut Ταμαρχένδι passim in lexicis Græco-Arabicis pro *tamar Hendi*, تمرهندي. Quod minoris est pretii ac secundi post optimum, in urbe felicis Arabiæ Σίχνη vocata manare scribit Simeo. In aliis libris reperio scriptum, Σύχερ λεγομένη. Citant quidam: *è Senchri felicis Arabiæ.* Nescio an idem locus sit, qui Serapioni *Zing* dicitur, sed in occidente ab eo collocatur, quod longè est ab Arabia felice: *In terris Zing in occidente.* Quod tamen de Africa aut Mauritania non est intelligendum, sed de illo Æthiopiæ tractu maritimo, ubi est Mosambica, qui ambaro abundat, & ad occidentem est Indiæ. Arabes autem vocant

vocant Æthiopas *Zing*, زنج. Σίγχη Simeoni urbs maritima Arabiæ felicis. *Zengi* apud Alpagum sunt Æthiopes occidentales. Dissentit etiam ab aliis Serapio in probatione optimi ambari; quippe qui præstare cæteris dicat id, quod est coloris cælini, & in ultimo ponit pretio candidum, quod alii præferunt reliquis generibus. Nullum vero ambar coloris cælini vel aërini. Et videtur falsus interpres. In Arabico est ازرق *azarac*. Glaucum & cæsium cæruleumque exponunt. Qui color est cælinus. Alpagus: *Zarach*, *color cælestis*. Hoc tamen sensu non potest heic locum habere, ubi de colore ambari agitur. Varium etiam significare adnotant, & pallidum: hinc *zaracha*, *pallor* زرقة. Hunc significatum habet ea vox hoc loco. ὑπόλευκον vocat Simeo. *Griseum* nuncupamus vulgò. Avisena nominat *alazarac* الازرق. Interpres rectè vertit *cinerei coloris*. Avisena primatum dat Selehetico ambaro, quod ab Indiæ insula ita appellatum est. Garcias putat esse Zeilan: perperam. Secundas ferre dicit ambarum *alazarac*, id est, cinerei coloris. De Selehetico quod primæ notæ est, non indicat, quo fuerit colore, saltem in editione Latina. Et notatum Alpago in expositione Arabicorum nominum interpretes Arabicos ignorare, cujus sit generis ambar Alseleheti, & qualis ejus color. Quod profectò miror. Si nihil esset amplius in Arabica quam in Latina versione, divinari tamen facile posset ex aliorum relatu, Seleheticum ambar quod optimum ab Avisena constituitur, candidum fuisse, quandoquidem plerique candido palmam deferunt, cujus non meminit Avisena. Possemus & rutilum cum Simeone augurari, qui τὸ κιῤῥὸν laudatissimum tradit. Nec obstat Avisena, qui tertiam tantum auctoritatem citrino tribuit, quod Arabicè appellat الاصفر *alasfar*, id est, χαλκόχρουν. Citrinus color dilutissimus. At κιῤῥὸς rutilus sive rubeus. Avisena inter eximii & electilis ambari notas non tantum Seleheticum nominat, quod solum posuit interpres; sed alia duo præposuit vocabula, quibus insigniri oportet, quod pro optimo probandum الاشهب القوي *alascibeb*, *alkavi*: quibus tertium addit, *Alseleheti*. Hoc ultimum à regione dictum, reliqua duo priora alias proprietates indicant. *Alkavi* firmum & robustum significat. Nam قوة firmitas & robur. De eo id interpretor ambaro, quod minimè friabile est & frangenti contumax; qualia sunt pinguiter lenta. Hoc λιπῶδες Simeonis, quod argumentum præstantissimi ambari ab eo ponitur. Garcias ut optimum commendat, quod acu perfossum multum refudat liquoris oleacei. Hoc est λιπῶδες. Quod facile frangitur, tale non est. *Alasciheb* pro rutilo accipio juxta eundem Simeonem, qui κιῤῥὸν vocat: & derivatur ab شهاب *sciheb*, quod flammam vel lampadem significat. Pro stella etiam in Alcorano sumitur. Posset & pro candido illa vox accipi, ut sit τὸ λαμπρὸν. Quod & pro candido Græci ponunt. Sed duo illa optimi ambaris epitheta Avisenæ bellè expressit istis aliis duobus Simeo, κιῤῥὸν καὶ λιπῶδες. Si ab Arabibus accepit, apparet eum *alasciheb* pro rutilo cepisse. Manardus ex Neotericis tradit optimi ambari delectum esse, ut non nihil ad rubedinem tendat; album non æque probandum. Sed puto illum id à Simeone habere. Et album non rectè reddit, quod ille appellat ὑπόλευκον, hoc est, subalbidum sive grisum, λευκόφαιον. Hoc Arabum azarac, quod varium propriè denotat, & nigro alboque sparsum, ab Hebræo זרק *zarac*, spargere. Sic Græci ῥαντὸν appellant τὸ ποικίλον, ἀπὸ τοῦ ῥαίνειν. Latini *sparsum*; unde apud Comicum, *sparso ore*. Et in Glossis: *aspersus*, εἶδος ἰχθύος κατάστικτε. Et *sparsa tempora*, *sparsum caput* τὸν μιξοπόλιον designant, cui canis caput aspersum, Quo sensu & verbum *zarac*

A positum legere est apud Osean. Falluntur ergo, qui cæruleum aut viridem interpretantur. Serapio duo tantum agnoscit ambari genera, quod cælinum vocatur interpreti, & album: optimum illud, hoc deterius. Forte pro cælino in Arabico fuit الاشهب *alaxiheb* ut apud Avisenam, idque à colore stellarum *stellinum* vel etiam *cælinum* reddidit vetus interpres. Album verò ejusdem non dubito esse, quod Simeoni est ὑπόλευκον, Avisenæ *azarac*; cinereum nempe subalbidum. Mentitur enim Garcias, qui scribit candidissimum à Serapione improbari. Album

B simpliciter dicit pro subalbido. Ut autem *alasciheb* pro candido exponamus, pæne videtur postulare traditio recentior de tribus ambari differentiis totidem diversis nominibus, *porambar*, *puambar* & *pinambar*: quorum primum candidum ac cæteris præstantius; secundum proximæ bonitatis ac pretii, cinereum; tertium nigrum, vilissimum omnium. *Candida sidera*, *candida flamma* passim apud poëtas & revera talis. Sed candens pro candido, & *candela* inde nomen habet, ἡ λαμπάς. Et Græcè λαμπρὸν, pro candido, ut λαμπρὰ ἐσθής, & λαμπρείμονες candidati. Vox autem Arabica

C lampadem & stellam designat: inde اشهب color candidus. Qui de rutilo intellexerunt ut Simeon, ambarum nobis ex eo dederunt rubro colore insignitum, quale hodie nullum visitur, ex falsa natum interpretatione. Luteum ambarum pro succino accipit Brassavolus, ex quo manubria fiunt. Doctus alius medicus in definitionibus suis, quasi nihil intersit inter hoc ambar & electrum quod officinæ *ambram* vocant, in voce ἤλεκτρον citat Serapionem, quo loco tractat de ambaro. Scaliger quoque in notis ad Garciam, ambarum non veretur appellare succinum. Fœdissimè errant omnes. Utriusque ambræ ut natura

D diversa, ita & nominum origo. Hoc habent simile, quod ex fontibus utrumque exundare dicitur bituminis modo. Succinum quoque odoratum. Immo & candidum odoratissimum teste Plinio. Nam & candidum & fulvum & cereum. Nihilosecius longè diversum *ambarum* à succino, quod ambra vocatur. Nec putandum Avisenam & Simeonem Sethi, cum citrei aut flavi ambari meminere, id confundere cum vulgari ambra. Jam supra docuimus apud nullum paulò vetustiorem auctorem sive Arabem sive Græcum extare ambari nomen in significatione succini vel electri. Cæterum Neoterici omnes, qui novi orbis navigationes litteris mandarunt, tres tantum colores ambari ac totidem genera referunt, album, cinericium

E & nigrum. Ut maximi pretii album, ita nigrum minimi asserunt. Simeon Sethi pro albo ambaro, κιῤῥὸν, id est, rutilum vel aureum laudatissimum tradit. In cæteris consentit, secundo loco haberi ὑπόλευκον, tertio & ultimo μέλαν. Ferdinandus Lopezius tria utique genera ambari cum reliquis recenset, sed paulò aliter nominat, nominaque eorum explicat: *Ponahambar*, *coambar*, & *maniambar*. Et ponahambar quidem album esse ambarum omnium probatissimum, eaque voce significari *aureum ambarum*, majoris quam

F reliqua pretii, quia rarum admodum sit, & magna cum difficultate colligatur. Hoc planè est κιῤῥὸν ἄμπαρ Simeonis. Quod aureum dictum puto non à colore, sed à pretio, ut clarè Lopezius innuit, idque exprimi dictione indigena *ponambar*. Id fortasse Simeonem fefellit, qui aureum de colore acceperit. Alii *porambar* vocant & album ambarum tradunt intelligi. Sic quod aliis *puambar* nuncupatur, Lopezio est *coambar*, & aquæ ambarum interpretatur, quod fluctibus multum diuque agitatum multum de sua bonitate perdidit. Hoc cinericei coloris esse. Tertium *maniambar*, quod sonat pis-

G cis ambarum: à balænis enim devorari, & post aliquod tempus ab iisdem egeri non concoctum, nigritie inde contracta. Quod & cum sententia Simeonis convenit, qui pisces ait libatis fontibus ambari nigrum ex alvo rejicere: τὸ δὲ ὑποδεέστερον καὶ μέλαν συνάγεται ἐξ ἰχθύων ἀπογευσαμένων τῶν τοῦ ἄμπαρ πηγῶν. Mentio est κακάμπαρος apud Myrepsum in empla-

emplastris, compositione III. καλάμȣ ἀρωματικȣ̃ ἀνὰ δραχμὰς β c. ξυλαλόης, κάκαμπαρ, ξυλοβαλσάμȣ, ξυλοκασίας. Quam vocem quare in Betonicam mutarit Fuchsius juxta scio cum ignaro. Ita enim vertit: Calamum odoratum, lignum aloës, betonicam, xylobalsamum, casiam ligneam. Cui fiet verisimile inter aromata externa betonicam ab auctore positam? Sed hanc libertatem ubique usurpare Fuchsium comperi, ut ea mutaret, quæ non intelligebat. Quod ut in litterato vix ferendum foret, ita in medico intolerandum facinus, & in perniciem ægrotantium plerumque casurum. Ambaris genus accipi debere suspicarer: & forte id erit, quod *coambar* ab indigenis vocatum prodit Lopezius. Κάκαμπαρ Græci videntur pronuntiasse pro κάαμβαρ vel κϑάμπαρ. Non tamen dissimulandum κακάμπαρεȣς vocem apud Myrepsum sæpe occurrere cum ea interpretatione, quæ vix conveniat in ullum genus Ambari. Δροσιοβότανον ubique explicat in Antidoto διὰ κυδωνίων cap. XXXVII. κάκαμπαρ ἤτοι δροσιοβότανον: & cap. LIX. in Antidoto ad dysentericos, & cæliacos: γαρεόφυλλον, κάκαμπαρ ἤτοι δροσιοβότανον. In Antidoto διὰ καςορίȣ quod vigesimum est in Editione Fuchsii, idemque cum eo, quod supra adduximus, numero XXXVII. ita scribitur in versione ejusdem: *Lauriola campi, id est, bettonicæ.* Quod est nihili. In Græcis legitur: λαυρέολε ἤτοι κάκαμπαρ ἤτοι δροσιοβότανον. Deest expositio vocis *Laureolæ* in Græcis, quæ nonnullis pro mizercon Arabum accipitur, longè utique à bettonica diversa. Δροσιοβότανον propriè est herba roris. Nam δροσίαν Græcia vulgaris appellat rorem. Bettonicam certè sic invenio dictam & explicatam in antiquis Lexicis Iatricis, quam ῥȣσμαρῖναν Dioscorides in antiquissimo exemplari à Romanis appellatam docet, id est, *rorem marinum.* Quod in locis frigidis nasci amat, Græci ψυχρότροφον antiqui nominarunt. Recentiores δροσιοβότανον à rore. Unde & Latini rorem marinum. Quare κάκαμπαρ Græci iidem posteriores huic nomen fecerint, nescio. Et videtur nomen Arabicum. Non videtur tamen jure locum habere inter aromaticas & externas species in emplastro III. Et quidem sine expositione posita. Quod nunquam facit Myrepsus. Nam ubicunque κάκαμπαρ apud eum legitur, semper explicationem adjicit, ἤτοι δροσιοβότανον. Aliud est apud eumdem κίκεμπαρ & κικέμπαρειν. Cujus mentio semper inter odores, ut in Antidoto διὰ καςορίȣ priore: Στύρακος, καλαμίτȣ, κικέμπαρος, κιναμώμȣ. Item in Antidoto pleno Archontico: κιναμώμȣ, γαρεόφαλλȣ, ξυλαλόης, γαλάγγαν, ςάχυος, μοσχοκαρύδιον, κικέμπαρειν. Idem sæpe vocat ἄμπαρειν pro Ambaro. Quæratur ergo de illo *kikemparin* quid sit. Quæ non intelligebat, omisit magna semper cum fiducia Fuchsius. De Ampari autem origine ita Simeo: τὸ ἄμπαρ ἐν διαφόροις βλύζει τόποις, καθάπερ πηγαὶ ἐλαίȣ τε καὶ ἀσφάλτȣ. Citant vulgò: καθάπερ πηγελβίȣ καὶ ἀσφάλτȣ. Hinc vir eruditus Lexicon suum dictione Græco-Barbara auxit, Πηγέλβιον, cujus interpretationem nullam attulit, nec mirum. In aliis libris inveni scriptum: καθάπερ πίτης, ἐλαίȣ τε καὶ ἀσφάλτȣ. Bitumen liquidum Græci ἔλαιον sæpe vocant. Non dubito tamen melius legi πετρελαίȣ τε καὶ ἀσφάλτȣ. Græci recentiores naphtham ita vocarunt, cujus fontes sunt, ut asphalti quasi liquidi bituminis. Eadem sententia de Ambaro Geographus Nubiensis in septima parte climatis primi, ambarum venam esse nativam tradit, quam fontes, qui sunt in profundo maris, eructant quomodo Naphtha exundat Babyloniæ. Et reperiri fragmenta interdum centum fontes exundant naphtha, quod est bituminis liquidi genus. Et reperiri ait interdum fragmenta centenarii ponderis, hoc enim significat vox Arabica قنطار *kinthar.* Ex Latino *centarium* pro centenario. Garcias refert repertum esse aliquando fragmentum trium millium pondo. Fontes *hic* vocat ille Geographus, in quibus exæstuat naphtha. Locus Babyloniæ est apud eumdem. Notandus in transcursu Avisenæ error de naphtha in vertendis ejus verbis. Dioscorides νάφθα definit Βαβυλωνίȣ ἀσφάλτȣ ϖερίηθημα τῷ χρώματι λευκόν: addit reperiri & nigrum. Mirè hæc interpolat Avisena, dum sensum Græci auctoris non percipit. De naphtha dicit, albi quidem speciem vulgaris esse notitiæ, nigrum vero picem esse Babylonicam aut aliam quamlibet sacco colatam. Mens verò Græci auctoris hæc est, naphtha esse Babylonium bitumen liquidum per meatus terræ veluti saccatum & eliquatum, fontibus & puteis sive cavernis scaturiens. Hoc idem ita expressit Avisena, qui dicit naphtha nigrum esse صفوة البار البابلي وغيره, *Safua alber albabeli vagaïrohe.* Quæ interpres sic rectè reddidit: *Colamentum est picis Babylonicæ & aliarum.* Sed non potest hic sensus esse Dioscoridis, qui per ϖερίηθημα ἀσφάλτȣ simpliciter intellexit liquidum bitumen; ut res, quæ sacco transmissæ sunt & colatæ, liquidiores existunt. Nihil enim transmittitur nisi quod liquidius est, remanente quod crassum ac fœculentum. Hoc tam de nigro quam de albo pronuntiavit Græcus auctor. Notandum præterea non dixisse διηθημα Dioscoridem, sed ϖερίηθημα. Quæ sacco simpliciter transmittuntur & colantur, διηθεῖσθαι dicuntur. Aliud est ϖεριηθεῖσθαι. Totum illud territorium bituminosum. Bitumen igitur illud per venas terræ undiquaque discursu vago veluti colari indicat, & certis locis eliquatum ebullire & exæstuare. Quod naphtha est. Ita ergo veluti ϖερίηθημα censendum Babylonici bituminis. At putavit Avisena album quidem naphtha ex naturali vena profluere: nigrum vero esse picem Babylonicam & quamcunque aliam colo defæcatam. Atqui Dioscorides de albo genere hoc propriè dixit ϖερίηθημα esse ἀσφάλτȣ, & quidem Babylonici. Græci ἔλαιον Μηδείας vocarunt hoc bituminis genus. Socion de fontibus ὕδωρ Μηδείας, aquam Medeæ quam multis pharmacis causticis & ignem proritantibus olim infecisse dicit, atque inde vim facientem ignes & illicientem aquæ adhæsisse: τὸ ἢ καὶ τὴν Σκιανὴν ὕδωρ φασὶν εἶναι Μηδείας καὶ πεφαρμάχθαι καυςικοῖς φαρμάκοις, ὃ ῥεῖ μὲν ἐκ πηγῆς τινός. Vocari ἄφθα dicit: καλεῖται ἢ ἄφθα. Et sic etiam legitur in epitome Strabonis, apud Constantinum de imperio πηγαὶ ἄφθαι. His fontibus, quæ naphtham emittunt, similes existere in fundo maris plerisque antiquorum placet, qui ambarum ejiciunt. Quæ ut communior ita & sanior opinio. Ideo & plerumque conchylia, & ostreorum reduviæ in eo permixtæ reperiuntur, quæ adhæserunt humori nondum condensato, eodem prorsus modo quo formicas & alia reptilia succino videre est, quæ humor comprehenderit nondum congelatus, & alligaverit. Hoc enim simpliciter ex fontibus manare compertum ut naphtham & bitumen & Ambarum. Atque hæc hactenus de *ambari* & *ambræ* differentia, quæ nulla est quantum ad nomen (nam utrumque *ambram* vocamus) sed in re est magna, & diversam etiam habet nominis originem.

CAPUT

CAPUT CII.

De agarico.

AGaricum tam varie traditur ab antiquis, & ab illis traditum tam multis notis dissidet ab hodierno, ut inde cogar credere non idem hoc & illud esse. Quid esset agaricum, unde veniret, illi ipsi veteres incertum habuere. Ex nomine patriam discas. Nam Ἀγαρικὸν quod ἐν τῇ Ἀγαρίᾳ nascatur, vult Dioscorides: apud quem tamen legitur, γεννᾶται δὲ ἐν τῇ Ἀγρίᾳ τῆς Σαρματίας. At ab ἀγρίᾳ non Ἀγαρικὸν, sed Ἀγρικὸν vel Ἀγριακὸν diceretur. Ineptè quidam interpretes vertunt, *in incultis & agrestibus Sarmatiæ*. Ἀγρίαι Stephano populi Pannoniæ inter Hœmum & Rhodopen. Straboni Ἄγροι gens Mæotica, qui magis heic convenirent. Nam eorum regio Ἀγρία. Sed Ἀγρικὸν, non Ἀγαρικὸν inde nomen esset κτητικόν. Appellatio Ἀγαρικοῦ postulat, ut regio, unde nomen invenit, dicta sit Ἀγαρία. Sed ubi illa Agaria? Ptolemæus fluvii Agari & promontorii Agarici meminit in Sarmatia Europæa. Ab eodem, ut apparet, loco oves Ἀγαρικὰς dictas in epigrammate quodam Crinagoræ invenio; quod sic habet:

> Τῆς οἶος γενεὴ μὲν Ἀγαρρική, ἔνθεν Ἀράξεω
> Ὕδωρ πιλοφόροις πίνεται Ἀρμενίοις.
> Χαῖται δ' οὐ μήλων, ἅτε που μαλακοῖς ἐπὶ μαλλοῖς,
> Ψεδναὶ δ' ἀγροτέρων τρηχύτεραι χιμάρων.
> Νηδὺς δὲ τριτοκεῖ ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐκ δὲ γάλακτος
> Θηλὴ ἀεὶ μαστοῦ πλήθεται οὐθατίου.
> Βληχὴ δ' ἀσσοτάτω τερένης μυκήματι μόσχου.
> Ἄλλα γὰρ ἀλλοῖαι πάντα φέρουσι γέαι.

Epigramma nondum editum. Ovium genus invisitatum describit ex Agarria, quam circa Araxem collocare videtur, & Armeniæ regionem facere. Sed desunt fortasse quædam initio epigrammatis; nec enim constructio cohæret. Dicebat ovium istarum sobolem ex Agarrica Sarmatiæ regione in Armeniam translatam. Vetus sanè scholion ad illud epigramma notat, hujusmodi oves non solum in Armenia, sed etiam in Scythia reperiri: καὶ νῦν εἰσὶ τοιαῦται πρόβατα οὐκ ἐν Ἀρμενίᾳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν Σκυθίᾳ. Apud Strabonem qui Ἄγροι dicuntur inter Mæoticas gentes recensiti, non dubito, quin debeant esse Ἄγαροι lib. XI. Τῶν δὲ Μαιωτῶν εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σίνδοι καὶ Δανδάριοι καὶ Τορέαται, καὶ Ἄγροι. Ita apud Dioscoridem perperam editum est, ἐν τῇ Ἀγρίᾳ τῆς Σαρματικῆς pro ἐν τῇ Ἀγαρίᾳ. Nam inde Ἀγαρικὸν, & Crinagoræ οἶες Ἀγαρικαί. Sed ille ῥῶ geminavit versûs gratiâ. Sic Ἀῤῥαβίαν, & Ἀῤῥαβικὸν solent dicere. Hæc omnino mens fuit Crinagoræ, hujusmodi ovium γενεὴν μὲν Ἀγαρικήν, genus quidem ex Agaria venisse, & in Armeniam propagatam inde esse. Deesse omnino oportet distichum in principio epigrammatis. Armenia ad Septentrionem Caspiis gentibus collimitat & ipse Araxes in Caspium mare exonerat. Non tamen ibi Sarmatæ. Epigramma sic Latinè vertimus:

> *Ex Agaris genus hoc ovium, quaque amnis Araxes*
> *Piligeris potu ducitur Armeniis.*
> *His coma non ovium, molli aut canentia lanâ*
> *Vellera, sed villis horridiora capræ.*
> *Ter gravis, & trinum fœtum parit alvus in anno,*
> *Et semper niveo lacte papilla tumet.*
> *At vocem vituli similem mugitibus edunt.*
> *Ferre aliis aliud terra benigna solet.*

Ἀγαρικὸν igitur ab Agaris Sarmatiæ populis. Tam longè peti solitum non miror parum fuisse cognitum veteribus; & mirarer, si hodie notius esset. Immo vel hinc colligas, quod vulgo pro Agarico venditant, non esse Agaricum; si quidem non longius petunt, quam ex Tridentinis montibus, & Rhætorum Vindelicorumque regione, ubi laricum magna copia est. Nec enim in alio genere arboris præterquam in larice nasci asserunt. Si ex tam propin-

A quis locis, aut in arbore adeo notâ natum Agaricum habuissent prisci, non tam incomperti illis natales ejus cum natura fuissent. Dioscorides dubitat, an radix sit, sed ait ita ferri: Ἀγαρικὸν ῥίζα φέρεται σιλφίῳ ἐμφερής. Silphii radix auctore Theophrasto cubitum longa est, & in medio tuber habet sive caput, quod supra terram eminet. Ad hanc formam si exigatur hodiernum Agaricum, vix videatur esse legitimum. Nihil aliud quippe est quam larignus fundus, ex eo fungorum genere, quos circa caudices quercuum vulgo nasci videmus, quibus ad ex-
B cipiendum ignem attritu lapidis excussum utebantur veteres fomitis vicem: ὕσκας Græci recentiores vocant quasi *escas*. Si Agaricum tale illis fuisset, vix potuissent ambigere, an radix esset, & quidem laserpitio similis. Fungum tamen esse Agaricum clarè Plinius significat his verbis, & in glandiferis maxime arboribus Galliarum nasci. lib XVI. cap. VIII. *Galliarum glandiferæ maxime arbores Agaricum ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens. Signum*
C *hoc ejus, quod in tenebris decerpitur.* De hoc genere Agarici nullum verbum Dioscorides. Plinii Agaricum in Galliis nascitur, in summis arboribus glandiferis. Nocte relucet, eoque in tenebris tantum decerpitur. Pro Agarico monstratum esse Plinio non dubitem lignum certa putrefactione eo deductum, ut luceat de nocte. In Burgundia sæpe vidi ac tenui. Lignum est quernum, putridum, candidum, odoratum. Boletos quippe olet, quos *potirones* vulgo vocitant. Adeo vero in tenebris relucet, ut ignaris admodum ac dormientibus, ubi evigilaverint,
D mirifica luce eos perterreat. *Lignum lucens* nostrates rustici vulgo vocitant. Fungosæ quidem naturæ est ac rarioris contexturæ, quale suum narrat Agaricum Dioscorides. Et fungum esse hinc suspicatus est Plinius, vel ille, unde sumpsit. Hæc tamen ἀραιότης non naturalis, sed adventitia. Lignum quippe est, quod putredine rarum fungosumque factum est. Præterea venas intus habet rectas, quales inesse Agarico fœminæ scribit Dioscorides: διαφέρει τὸ θῆλυ ἔχον κτηδόνας εὐθείας ἐντός. Postremo ex aliorum opinione refert, Agaricum putrefactione fieri, & certis arboribus innasci. Nostrum quoque
E lignum lucens, putrefactione tale existit. Verba Dioscoridis, quibus varias opiniones de Agarici natalibus & generatione recenset, in vetustissimo libro sic concepta sunt, longè aliter quam in vulgatis: λέγουσι δὲ οἱ μὲν φυτοῦ ῥίζαν, τινὲς δὲ ἐν σηπίνοις δένδρεσι κατὰ σῆψιν γίνεσθαι, καθάπερ καὶ οἱ μύκητες ἐπιφύονται. Hæc non parum meliora quam in editis. Quidam radicem esse arboris ferebant; aliis placebat in certis arboribus gigni ad eum modum, quo fungi solent nasci. Notanda verba. Non dicit esse fungum, sed eo modo nasci, ut fungus solet in arbore, in quercu nimirum
F vel alia. At vulgare Agaricum larignus plane fungus. Et sanè si Agaricum fungus esset, nulli unquam ex veteribus in mentem venire potuisset, esse arboris radicem; præsertim cum feratur similis radici laserpitii, quam crassiorem ac longiorem cubito tradunt. Nunc quærendum, quæ sint illa σηπίνα δένδρα, in quibus Agaricum ex putrefactione gigni scribit Dioscorides. Ita enim planè scriptum exhibet optimus codex grandiusculis litteris exaratus: τινὲς δὲ ἐν σηπίνοις δένδρεσι κατὰ σῆψιν γίνεσθαι. Pro quibus in editionibus vulgatur: τινὲς δὲ ἐν τοῖς στελέχεσι τῶν δένδρων. Ut
G Agaricum tabes in arboribus gignit, ita hanc lectionem peperit corruptio potius quam correctio. Σηπίνα δένδρα apud Dioscoridem legisse Avisenam ex ipsius versione cognoscimus. Nam totum illum de agarico locum ex Dioscoride transtulit, & σηπίνα interpretatus est corrosas, quasi σηπόβρωτα. Quin & initio

tio capitis Dioſcoridem nominatim citat in Arabica editione, non Filium Meſue, ut habet Latina verſio. Et ſanè Dioſcoridem eo loco Arabicè loquentem omnino induxit. Verba autem illa Græci auctoris ἐν σηπτοῖς δένδρεσι, reddidit في الاشجار المتاكلة, id eſt, *arbore corroſa* vel *comeſa*. Nam متاكلة participium eſt paſſivum à تاكل, quod eſt corrodi, comedi. اكل *achala*, eſt comedit, roſit. Serapio quoque ſic legit apud Dioſcoridem capite de Agarico. Dioſcoride quippe laudato, verba ejus omnia retulit, & hunc locum ſic reddidit, ut interpres Latinus expreſſit: *Et quidam dicunt, quod generatur ex putrefactione arborum, quando corroduntur, ſicut generantur fungi.* Prorſus clarum eſt σήλινα δένδρα accepiſſe ἀντὶ τῶν σητοβρώτων. Quis enim non videt, illa ad verbum ex his Græcis expreſſa: τινὲς δέ φασιν ἐν σηπτοῖς δένδρεσι κατὰ σῆψιν γίνεσθαι. Aviſenæ interpres: *Et dixerunt quidam, quod generatur in arbore corroſa ſecundum ſemitam putrefactionis & corruptionis.* In Arabico eſt: علي سبيل العفوذة, id eſt, *per putrefactionem*, κατὰ σῆψιν. Ad verbum: *per modum putrefactionis.* سبيل *ſebil* non viam tantum aut ſemitam ſignificat, ex Hebraico שְׁבִיל, ſed etiam modum ac τρόπον. Particula autem علي hoc loco idem ſignificat quod *per* vel κατά. Eum autem modum putrefactionis intelligit, qui alterius generationem adjuvat, & veluti viam munit generationi. Gallicè ad verbum diceremus, *qui s'engendre par le moyen de la corruption.* Hoc eſt plane ſenſus illius Arabicæ loquutionis, quæ etiam nomine *viæ* ſervato poteſt exprimi: *per viam corruptionis.* Nam & viam idiomate noſtro dicimus quemcunque modum rationemque, quæ præparat ad aliquid, aut ad ſummam rei confert eamque facilem præſtat. *Medium* Barbari vocant vel *medianum*. Adeo autem vetus illud mendum in Dioſcoridis libris, ut excepto antiquiſſimo, reliqui omnes, quos vidi, ſcripti codices, in vulgatam conſentiant, ἐν τοῖς στελέχεσι τῶν δένδρων. At antiqua illa ac ſincera nondum mutata fuerat ætate Aviſenæ & Serapionis. Sed illi rectam lectionem non recte interpretati ſunt. Neminem quippe Græce peritum novi, qui velit ei expoſitioni acquieſcere, ut σήπτινα δένδρα ſint corroſa. Primum σῆτας Græci non dicunt vermes, quibus lignum eroditur, ſed θρῖπας & σκώληκας. Hinc σκωληκόβρωτα δένδρα, & θριπήδεστα vocant. At σὴς vermiculum proprie ſignificat, vel tineam, quæ inter veſtes verſatur. Unde σητόβρωτα ἱμάτια, quæ à tineis deroſa ſunt & pertuſa. Deinde σήλινον pro σητόβρωτον, aut σητόβρωτον Græce nulla ratione dici puto. Et mecum ſentient omnes Græce docti. Quis enim σκωλήκινον legit pro eo quod vermes corroſerint? Eadem ratione liceret & δρακόντινον dicere, quem draco momordiſſet; & *viperinum*, quem pupugiſſet vipera; & *ſerpentinum* à ſerpente comeſtum. Poſtremo ex tabe quidem putredinis Agaricum in arboribus naſcitur, ſed non corroſis. Nam & fungi, qui parem habent naſcendi ſortem, cum gignantur ex putrefactione, in arboribus tamen integris naſci amant. Paulo poſt addit Dioſcorides Agaricum in Galatia & Cilicia ſuper cedris naſci: non dicit cedros illas eroſas eſſe à vermibus: γεννᾶται δὲ καὶ ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἀσίαν Γαλατίᾳ καὶ Κιλικίᾳ ἐπὶ τῶν κέδρων. Certum itaque genus arboris oportet eſſe, cui σήπινον nomen fuerit, in quo Agaricum gigni prodiderint illi, quorum ibi ſententiam exponit Dioſcorides. Non alia niſi falſa dari queat hujus vocis hoc quidem in loco interpretatio. Diligenter autem omnia rimanti nulla occurrit arbor apud Græcos, quæ poſſit in hoc nomen adoptari, & huic loco convenire, præter nobilem illam, cujus in Bibliis ſacris tam frequens mentio, ubi ex lignis *ſetim* aliquid ſtructum aut fabricatum memoratur: ex eo enim ligno arca fœderis & tabernaculum, & pleraque ejus vaſa facta leguntur. שִׁטִּים

A *Sittim* vocant. Alii ſcripſere σιττίμ; ut vulgaris verſio, *Ligna ſetim.* Genus cedri lautiſſimum lectiſſimumque vulgo interpretantur. Ab illo σιττίμ vix dubito, quin σήπτινα δένδρα Helleniſtæ quidam ſcriptores dixerint, pro cedrinis arboribus. Sic à Φιλισιείμ Παλαιστινοί, & à χερουβίμ *cherubini.* Arabes quoque dicunt كروبين *cherubin* pro Hebraïco *cherubim.* Σήπτινα autem δένδρα, ut κέδρινα δένδρα, λεύκινα, δρύινα apud eumdem Dioſcoridem de Bryo odorato: εὑρισκόμενον ἐπὶ δένδρων κεδρίνων, ἢ λευκίνων, ἢ δρυίνων. Ita ergo & σήπινον δένδρον Helleniſtæ ſcriptori pro *ſetah* vel *ſittah* שִׁטָּה, quod

B ſingularis eſt numeri, & facit in plurali *ſetim.* Pro arboris ſpecie ponitur in Eſaia cap. XLI. XIX. ubi quidam perperam eam vocem adjectivi modo jungunt cum הֲדַס, quæ myrtum ſignificat. Alii rurſus cum præcedenti arboris nomine jungunt, quam de cedro interpretantur, *erez ſittah* אֶרֶז שִׁטָּה, & optimam cedrum eſſe volunt. Sed omnino tria ibi genera arborum diverſa recenſentur: *Dabo illis in ſolitudine erez, ſittah, & hadas.* Quod ſi *erez* ibi eſt cedrus, ut quibuſdam placet, *ſittah* aliud erit genus arboris. Et

C ſane Arabes quoque ارز & ارزة *erz* & *erza* de cedro dicunt. Plerique tamen *ſittah* accipiunt de cedri ſpecie cæteris præcellente. Quod confirmare videtur & hic locus, ubi σήλινα δένδρα ſunt κέδρινα. Septuaginta pro lignis ſetim ſemper vertunt ἄσηπτα ξύλα. Qua proprietate cenſetur cedrus, ut cariem vetuſtatemque non ſentiat. *Materiæ ipſi*, inquit Plinius de cedro, *æternitas. Itaque & ſimulacra deorum ex ea factitaverunt.* Τὸ ἄσηπτον τῆς κέδρου ſæpe etiam commendat Theophraſtus. Quæ de Agarico ſcripſit Dioſcorides, ea ex variis auctoribus excerpſit. Cum igitur apud aliquem reperiſſet Agaricum naſci in σηπτοῖς δένδροις,

D apud alium ἐπὶ κέδρων, diverſas arbores eſſe putavit. Atqui idem dixerunt, qui Ἀγαρικὸν ἐπὶ κέδρων γεννᾶσθαι, & qui in σηλίνοις δένδροις γίνεσθαι tradiderunt. Nam σήπινον δένδρον eſt κέδρος. Sexcenta talia in illo auctore animadverti. Sed ſi Agaricum in cedris naſcitur, haud perſpicio, quomodo in Scythia & Sarmatia naſci potuerit. Nam cedri ibi nullæ. Atqui nomen inde ſumpſit ex Agaria Sarmatica. Hæc alii diſquirant. Theodotio ſetim verterat ſpinam, ἄκανθον. Certè & genus cedri ſpinoſum eſt, quam &

E ὀξύκεδρον Græci vocarunt, quæ in Lycia & Cilicia plurima provenit. Ibi etiam Agaricum frequens gigni ex quorumdam ſententia ſcribit Dioſcorides: ἐν τῇ κατὰ Ἀσίαν Γαλατίᾳ καὶ Κιλικίᾳ ἐπὶ κέδρων. Sed omnino aliud per ἄκανθαν intellexit Theodotio, quam oxycedrum vel ſpinoſam cedrum. Hieronymus exponit arborem eſſe in eremo naſcentem, ſpinæ albæ ſimilem, cujus lignum imputribile, & omnium lignorum læviſſimum eſt (λειότατον) robore, ſoliditate, nitore & pulcritudine cætera facile ſuperans. Hæc egregie conveniunt in ἄκανθον Αἰγυπτίαν, quam & ἄκανθον vel ἄκανθαν abſolute Græci nuncupant. In deſer-

F to naſcitur, incorrupta ejus materies ac æterna durat, robore ac nitore præſtat. Quod ſimilem ſpinæ albæ tradit Hieronymus, per *ſpinam albam* intelligit τὴν ὀξυάκανθον Græcorum, quam & nos hodie *albam ſpinam* vocamus. Columellæ quoque *alba ſpina* dicitur, ut in Exercitationibus oſtendimus. Et non male comparatur ſpina illa Ægyptia huic albæ ſpinæ. Nam ἄκανθος Αἰγυπτία οὐκ ἄγαν ὀρθοφυής. Profecto nec albæ ſpinæ arbor non nimium rectâ proceritate attollitur. Duo genera ſpinæ Ægyptiæ facit Theophraſtus, nigrum & candidum. Quæ candida dicitur, ea ma-

G terie eſt infirma, & putredini obnoxia: nigra vero robuſta & imputribilis: ἡ δὲ μέλαινα ἰσχυροτέρα τε καὶ ἄσηπτος. διὸ καὶ ἐν ταῖς ναυπηγίαις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ. Plinius de arboribus Ægypti peculiaribus: *nec minus ſpina celebratur in eadem gente, duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat. Ob id utiliſſima navium coſtis.* De hac ſpina capiendus Theodotion, cum *ſetah* & *ligna ſetim* ἄκανθον & ἀκάνθινα vertit. Nomen etiam unice quadrat. Nam Arabes hanc arborem vocant *ſeitan* vel *ſeten* شيطان.

شيطان. Quod & *sitan* poteſt legi. Spina iſta eſt, ex qua gummi Arabicum colligitur & acacia conficitur. Alpagus in Aviſenæ indice: *Alcharad vel alchard, vel alchrath eſt fructus arboris magnæ ſpinoſæ, quæ oritur in Ægypto, & in regione dicta Baſſera, & ab Ægyptiis appellatur ſetan.* Proſper Alpinus *ſant* vocari dicit: *Acacia, quam ſant Ægypti appellant, in Ægypti locis à mari remotis naſcitur.* Quia شنط ſcribunt, & quaſi *ſatn* pronuntiant ut *ebn*, quaſi ſuppreſſa poſtrema vocali; ideo noſtri *ſant* pro illo efferunt. Sic Leonardus Rauwolfius in Hodœporico terebinthum ab Arabibus appellari dicit *bont*, quod illi بطم *botim* appellant, ſed ſcribitur *botm.* Nam *ta* littera habet *giezman*, quæ cum præcedente vocali eam ſociat. Fructus autem ſpinæ Ægyptiæ dicitur Arabice قرظ *karath* ex Græco κεράτιον, quod eſt ſiliqua. Et cum articulo القرظ *alkarath.* Fructus quippe ejus ſiliqua eſt: ὁ δὲ καρπὸς λοβώδης apud Theophraſtum. Nullum mihi ſane dubium eſt, quin *ſittah* vel *ſetah* Hebræorum idem ſit cum *ſeiten* Arabum, quæ ſpina eſt Ægyptia in deſerto naſcens: & rectè ἄκανθαν vertit Theodotion. Etenim in loco Eſaiæ, quam ſupra attulimus, *ſittah* manifeſto diſtinguitur à cedro, quæ Hebræis vocatur *erez*, ut etiam Arabibus. Præter nomen omnes notæ conveniunt. Helleniſta tamen ille auctor, à quo ſumpſit Dioſcorides Agaricum ἐν σηπινοῖς δένδροις naſci, pro cedri arboribus ea videtur σήπινα δένδρα accepiſſe, ut plerique eam vocem interpretabantur. Nam Agaricum in cedro gigni conſtantior erat opinio. Multa alia mutuatus eſt Dioſcorides è ſcriptoribus Helleniſtis, qui loquutiones vernaculas in Græcum idioma transferebant. Ut de cancamo dixiſſe eum ſupra notabamus, eſſe lacrimam Ἀραβικοῦ ξύλου pro Ἀραβικοῦ δένδρου; quod eſt idiomatis Syriaci, & Græce loquentibus alienum. Sic in hiſtoria palmæ immaturum dactylum, qui adhuc involucro ſuo tectus eſt, ἐλάτην appellari, & ab aliis βόρασσον tradit: ὑπ' ἐνίων δὲ βόρασσος. Quod purum putum Hebraïcum, ſed tranſpoſitum pro βόσαρος. בֹּסֶר *boſer* uva eſt acerba. Arabes palmulam immaturam ſic quoque vocant, بسر *beſer*: quod Græcis Arabica uſurpantibus vocatur βεσὲρ. Vetus interpres Aviſenæ *buſurum.* Sed de his alibi. Plinius lib. XVI. cap. VIII. Agaricum Galliarum tantum peculiare eſſe vult, & arborum glandiferarum fungum. At lib. XXV. cap. IX. in arboribus naſci circa Boſphorum dicit, ut fungum. Hæc multum diverſa ſunt. Meminit tamen ibidem & Gallici Agarici, quod infirmius haberi ait, deceptus fortaſſe vocabuli homonymiâ in nomine Γαλατίας, quæ Galliam & Galatiam ſignificat Græcis. Dioſcorides ſemper Γαλατίαν τὴν κατ' Ἀσίαν vocat diſcriminis gratiâ, ut ab illa Galaria diſtinguat, quæ Gallia eſt. Eam alibi Γαλατίαν τῶν Ἄλπεων appellat. In abſinthio Santonico: ἔστι δὲ καὶ τρίτον εἶδος γεννώμενον ἐν τῇ τῶν Ἄλπεων Γαλατίᾳ πλεῖστον, ὃ ἐπιχωρίως Σανδονικὸν καλοῦσιν ἐπωνύμως τῇ γεννώσῃ Σανδονίδι χώρᾳ. Ita ſcribendus ille locus auctoritate vetuſti codicis. Σανδονικὸν Græci dixerunt pro Σαντονικὸν, & Σάνδονες pro Σάντονες. Vetuſtiſſimus liber ἱππιατρικῶν cap. LV. Σανδονικοῦ ἀγκίας β. Inde vitioſa lectio in pleriſque editionibus Σαρδόνιον & Σαρδονίδι χώρᾳ. Quod tamen Lobelius tuetur, eo argumento quod Santonum regio non ſit circa Alpes. Nec ſanè hoc dicit Dioſcorides, ſed Santonicam regionem eſſe Galatiæ illius, in qua Alpes ſunt, id eſt, Galliæ. Sic alibi loquutus eſt. Hac nota diſcernit Galliam à Galatia Aſiæ. Iſta enim dicitur Γαλατία τῆς Ἀσίας, illa Γαλατία τῶν Ἄλπεων. Σανδονικὸν etiam ſcribitur apud Neophytum, & in veteribus Gloſſis: *Sandonicum*, θηλόκτονον. Cæterum Gallicum illud Agaricum Plinii longe aliud videtur à Galatico Agarico Dioſcoridis. Hoc in cedris naſcitur tanquam fungus. Illud Plinianum fungus eſt & arborum glandiferarum proprius, & noctu relucet; quæ omnia, ut dixi, χαρακτηρίζουσι putrefacti ligni genus ut plurimum è quercu, quod noctu lucere diximus. Agaricum Dioſcorides in deſcriptione ei dicata in marem dividit ac fœminam. Nec meminit differentiæ nigri & candidi. Alibi tamen Ἀγαρικοῦ μέλανος inter venena mentionem facit, lib. V. & inter radices venenatas ac mortiferas recenſet: ἐλλέβορος, ἰξία, Ἀγαρικὸν τὸ μέλαν, ἐφήμερον, ὃ ἔνιοι Κολχικὸν καλοῦσι. In Agarici hiſtoria mirum nihil de eo dicere. Suſpicor maſculum Agaricum fuiſſe nigrum, & venenum; etſi hoc ibi non dicat. Aviſena: *illud vero, quod eſt maſculum, non eſt bonum, ſed durum & nigrum.* De forma plurimum differre maſculum & fœminam, de guſtu nihil ſcribit idem Dioſcorides. Laudant hodie Agaricum, quod maxime ſit friabile. Dioſcorides Cilicium & Galaticum eo nomine vituperat, quod ſit εὔθρυπτον καὶ ἀσθενές. His omnibus fere perſuadeor non eſſe priſcum Agaricum, quod hodierno tempore ſub hac appellatione jactatur. Apud Iſidorum lego, Agaricum eſſe radicem vitis albæ. Heſychio: Ἀγαρικὸν, βοτάνη τις οὕτω καλουμένη παρὰ τοῖς ἰατροῖς. Vocat βοτάνην, quia radicem eſſe alii tradunt. Galenus lib. VII. περὶ δυνάμεων, ubi ἀγαρικὸν nominavit, & facultates ejus expoſuit, mox ab alio initio Ἀγαρικοῦ ῥίζαν recenſet his verbis, quæ corrupta ſunt: Ἀγαρικοῦ ῥίζα τοῦτ' ἔστιν ἐπιφυομένη πρέμνῳ. Et videntur adſciticia. Niſi legas: τοῦτο ἐστιν ἐπιφυόμενον πρέμνῳ. Ut dicat radicem id haberi Agarici, qua parte adhæret ſtipiti ac trunco arboris. Arabes nihil de Agarico habent, quod non hauſerint è Græcorum libris. Nomen ipſum, quo utuntur abſque ulla mutatione Græcum eſt: غاريقون *Garicon.* Integrum eſt in antiquo exemplari Dioſcoridis, اغاريقون *Agaricon.*

CAPUT CIII.

De cedria.

ARabes *ketran* vocant oleum cedri, قطران vel القطران *alketran.* Nos deflexo inde vocabulo *Codranum* vulgo dicimus picem, qua naves induci ſolitæ. Græci ζώπισσαν & ἀπόχυμα hanc dicebant, cujus paſſim mentio occurrit apud veterinarios Græcos, & alios medicinæ ſcriptores. Pix erat cum cera mixta, qua naves inducebantur; & multum à cedria diſtabat, quod eſt *kitran* Arabum. Græcis κέδριον vel κεδρία & κεδρέλαιον. Erotianus: κεδρίνῳ ἐλαίῳ, τῇ κεδρίᾳ. Herodoto κέδρου ἄλειφαρ, & κεδρίη. Magno errore Plinius κεδρέλατον in Græco ſcriptore, quem exſcribebat, pro κεδρέλαιον vel legit vel audivit legi. Atque inde nomen arboris finxit, & pro cedro majore accepit, lib. XIII. cap. V. de cedro majore: *Semen eſt cupreſſo ſimile. Quidam cedrelaton vocant.* Ita libri. Nam vulgo legunt *cedrelaten.* At neſcio quod monſtrum arboris ex cedro & abiete compoſitum ſibi fingunt eruditi, qui non animadverterunt Plinii hallucinationem κεδρέλατον pro κεδρέλαιον vitioſe legentis. Quod etiam alibi repetiit, quaſi parum eſſet ſemel erraſſe. lib. XXIV. cap. V. *Cedros magna, quam cedroelaton vocant, dat picem, quæ cedria vocatur.* Immo: cedros magna dat picem, quæ κεδροέλαιον vocatur & cedria. Cum κεδροέλατον, perperam,

perperam oculis suis aut auribus usus, accepisset, non potuit eam vocem de oleo vel pice intelligere; ideo in arborem ipsam convertit. Dioscorides: Κέδρος δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. Nemo auctor unquam meminit, cedrum illam magnam dictam esse κεδρέλατον aut κεδρελάτην. Multi ex Græcis confundunt κεδρέλαιον & κεδρίαν, ut Erotianum supra vidimus. Differunt tamen juxta aliorum sententiam. Κεδρία est pix cedri: κεδρέλαιον oleum, quod ex illa pice sumitur, id nempe quod supernatat, dum coquitur & lanâ colligitur. Dioscorides aperte distinguit in descriptione cedri. Quod in cedri pice dicebatur κεδρέλαιον, hoc in aliis picis generibus nomen habuit πισσέλαιον. Id quasi serum picis, quod inter coquendum supernatans excipiebatur expansâ supra eam mundâ lanâ. Ὀῤῥὸν πίσσης hoc etiam vocarunt. Dioscorides de Elleboro nigro: θεραπεύει δὲ ψώρας μετὰ λιβανωτοῦ καὶ κηροῦ, καὶ ὀῤῥοῦ πίσσης ἢ κεδρίνου ἐλαίου καταχριόμενος. Ita legendum ex optimo codice. In vulgatis desideratur ὀῤῥοῦ. Quod etiam Plinius agnoscit, cum verba illa Latinè redderet, in ellebori tradendis remediis. Sed locus etiam ille apud eum corruptus in Editionibus hoc modo: *Sanat scabiem quadrupedum cum thure aut cera, aut pice, vel cum pisselao.* In libris scribitur: *cum thure, cerâ, haro pice, velut cum pisselao.* Unde patet emendandum: *cum thure, cera, sero picis, vel cum pisselao.* Ex Græcis hæc ad verbum expressa, sed *pisselæum* Plinius vertit pro cedrino oleo. Quod & alibi observavi, apud illum *pisselæum* poni pro cedrelæo. lib. XV. cap. VII. de oleis facticiis: *Fit ex citro, cupresso, nucibus juglandibus, quod caryinon vocant: malis cedri, quod cedrelæon.* Ita quidem habent excusi codices, sed habetur in omnibus antiquis: *quod bisseleon.* Sic enim vetustissimus omnium Thuanæus cum Rigaltiano. *Bisseleon* pro *pisselæon* videri possit scriptum. Aliud tamen πισσέλαιον quam κεδρέλαιον: illud ex pice communi, hoc ex cedrina capiebatur. Pisselæon tamen suum heîc Plinius ex cedri malis fieri; non ex cedri pice, dum coquitur, colligi dixit. Atqui alibi scripsit *pisselæon* ex cedri succo, hoc est, κεδρία fieri. lib. XXIV. cap. V. *Fit ex eo & oleum, quod pisselæon vocant, vehementioris ad omnia eadem usûs.* Vides ubique apud Plinium πισσέλαιον usurpari pro eo oleo, quod ex cedro vel cedria fit. Quod κεδρέλαιον vel κέδρινον ἔλαιον Dioscoridi aliisque dicitur. Nullum autem in Plinio κεδρέλαιον pro oleo. Sed cum κεδρέλατον occupasset legere perversè pro κεδρέλαιον, non mirum est, si alibi mentionem non fecit *cedrelæi.* Fortasse & cum plerisque cedrelæum & cedriam eadem fecit; eoque *pisselæum* vocavit id, quod ex cedria exciperetur, oleum. Πισσέλαιον sane potest etiam dici de cedrelæo, quatenus & cedria pix est, ex qua fit cedrinum oleum. Sed in eo peccavit, quod ex generali appellatione peculiarem & propriam condidit. Contrario plane vitio, ex peculiari appellatione cedri, generale nomen fecit ad omnem picem pertinens, lib. XVI. cap. XI. de picis coquendæ ratione: *primus sudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum perfusa eo serventur. Sequens liquor crassior jam picem fundit. Hæc rursus in cortinas æreas conjecta aceto spissatur, ut coagulo, & Brutiæ cognomen accepit.* Ita hæc postrema legenda. De pice coquenda tractat in genere. Qui primus ex ea fluit sudor aquæ modo, eam in Syria *cedrium* vocari. Quasi in Syria pix liquida ex cedro tantum cogeretur. Atqui & ex terebintho pix ibi parabatur. Nec enim pinum aut piceam regio fert. Theophrastus de Syria: πιττοκοποῦσι δ' ὥσπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, τὰς τερμίνθους· πεύκην γὰρ οὐ φέρουσιν οἱ τόποι. Nemo autem appellarit *cedrium* picem, quam terebinthi fundunt. Proprium id nomen cedri picis. Vitruvius: *Sed quemadmodum ex cupresso & pinu resina; sic ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur: quo reliquæ res cum sunt unctæ, uti etiam libri, à tineis non læduntur.* Vides eum dicere, cedri picem proprie oleum vocari ut picem cupressi, & pinûs esse resinam. Confundit nempe κεδρέλαιον cum κεδρίᾳ. Et sanè iisdem virtutibus utrum-

A que prædictum; nec differunt, nisi quod oleum cedrinum veluti serum est, & ὑδατῶδες cedriæ, ut πισσέλαιον picis. Plinius quoque suprà *cedrium* pro cedrino oleo posuit, cum primum picis sudorem esse dicit, qui aquæ modo canali fluit. Idem lib. IV. cap. XX. ex cedro crassiorem picem manare memorat: *liquidam omnes, & tantum resinam; crassiorem vero & ad pices faciendas, cedrum.* Recenset arbores, quæ in Oriente ortæ, pici faciendæ idoneæ habentur. Cupressos, lentiscos ac terebinthos liquidam omnes sudare, & tantum resinam; cedrum vero, crassiorem & ad pices faciendas aptam. Ita loquitur Plinius, quasi nul- B la alia pix in Syria fieret nisi ex cedro. Atqui Theophrastus terebinthos præcipuè in Syria πιττοκαυπεῖσθαι dicit, id est, ad pices faciendas cædi, concisasque in furnis uri: πιττοκαυτοῦσι δ', ὥσπερ πρότερον ἐλέχθη, τὰς τερμίνθους. De cedro rarum esse ait, ut pix ex ea coquatur: ἔνιοι δέ φασι καὶ πιττωθῆναι τὴν κέδρον καὶ τὴν φοινικὴν, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὡς ἐνδεχόμενα λεπτὸν διὰ τὸ σπάνιον. Sic corrigendus locus in vulgatis depravatissimus. Πιττωθῆναι dicit & πιττοκαυτεῖσθαι, quæ uruntur pici conficiendæ. Nam resina sponte fluit. Pix est, quæ paratur ex tædis ustis. Κεδρίαν cum Græci dicunt, subaudiunt ῥητίνην, & liquorem sive suc- C cum cedri intelligunt. Qui quia oleosus est, κέδρινον ἔλαιον & κεδρέλαιον vocarunt quidam. De naturali cedri liquore loquutus est Vitruvius quem sponte sudat, cum dicit cedrium esse oleum, qui nascitur ex cedro. Alias quando decoquebatur, ut cæteræ resinæ solebant, separabatur & eximebatur quod in ea aquosum serosumque, ut in coquenda pice. In cedro hoc etiam κεδρέλαιον dicebatur, in pice πισσέλαιον Plinius vero pisselæum vocavit, quod alii proprie κεδρέλαιον. Quinimmo & pisselæum ex baccis cedri fieri tradit. Πισσέλαιον est oleum picis. Quod liquidius in pice coquendo supernatat. Alio loco idem Plinius *pissinon oleum* id appellavit ac distinxit à pisselæo lib. D XXIII. cap. V. *pissino oleo usus & passim ad quadrupedum scabiem.* τὸ πίσσινον ἔλαιον designat, quod omnino idem cum πισσελαίῳ Dioscoridis, ut ipse Plinius fidem facit lib. XV. cap. VII. *E pice fit, quod pissinum appellant, cum coquitur velleribus supra halitum ejus expansis atque ita expressis, probatum maxime è Bruttia.* Malè hodie legitur: *quod picinum appellant.* In libris est *piscinum*, idque corruptè pro pissinum πίσσινον. Idem autem πίσσινον ἔλαιον & πισσέλαιον, ut κέδρινον ἔλαιον & κεδρέλαιον. De *pissino oleo* idem Plinius omnino tradit, quod Dioscorides de *pisselæo*: γίνεται δὲ καὶ πισσέλαιον ἐκ τῆς πίσσης E χωριζομένου τοῦ ὑδατώδους αὐτῆς, καὶ ἐκλαμβάνεται ἐν τῇ ἑψήσει ὑπερκειμένου ἐρίῳ καθαρῷ. Expanso supra mundis velleribus colligi pissinum oleum scribit, dum coquitur pix. Similiter etiam fiebat, ac pari modo colligebatur cedrelæum, dum cedria coqueretur. Plinius illo ipso capite pisselæum à pissino oleo discrevit, & *pisselæum* pro oleo posuit, quod ex baccis cedri colligeretur. Et alibi τὸ κεδρέλαιον Dioscoridis ita vertit. Pissini autem olei nomine τὸ πισσέλαιον ejusdem Dioscoridis intellexit. Κεδρία propriè Græcis est cedri resina, liquor, quem cedrus exsudat. Quod concrescit in arbore, id cedri gummi. Ea nativa est, ut omnes F resinæ. Nonnulli eam & κέδρινον ἔλαιον & κέδρινον ἀλειφαρ dixerunt. Ut omnis resina coquitur, ita etiam cedrea. Inter coquendum serosus liquor à crassiore separabatur eo modo, quo diximus. Hoc κέδρινον ἔλαιον, & κεδρέλαιον proprie quibusdam placuit appellari. Pix aliter fiebat. Tædæ concisæ, id est, assulæ ex arbore resinifera pinguissimæ, & in cumulum conjectæ, terraque undique coopertæ relicto in medio canali, in quem pix flueret, urebantur. Modum picis faciendæ fusè exponit Theophrastus lib. VIII. Quod πιττοκαυτεῖν appellat. Plinius mentem ejus, ut assolet, non est consequutus. De picis faciendæ ratione sic G loquitur lib. XVI. cap. XI. *Pix liquida in Europa è tæda coquitur navalibus muniendis, multosque alios ad usus. Lignum ejus concisum furnis, undique igni extra circumdato, fervet. Primus sudor aquæ modo fluit canali. Sequens liquor crassior jam picem fundit.* Hæc ex alio auctore habet. Non coquitur hoc modo pix, sed uritur, quod πιττῶν καίεσθαι Theophrasto. Hoc, inquam, modo

modo fit pix liquida, quam Græci ὑγρὰν πίσσαν dicunt, ex lignis ſive tædis pinguibus pinûs & piceæ combuſtis. Duo ejus genera, quod primo ſudore aquæ modo fluit, & quod craſſius funditur. Plinius ad primum genus retulit τὸ κέδριον ſive cedrinum oleum. Quod prorſus caret ratione. Nam aliud erat & aliter fiebat, ut ſupra oſtendimus. Hæc liquida pix, quæ ex tædis combuſtis manabat, poſtea coquebatur in cortinis æreis, ut pix ſicca inde fieret quæ ξηρὰ πίσσα dicitur. Hæc ἕψησις, non καῦσις. Dioſcorides: ἡ δὲ ξηρὰ πίσσα ἑψομένης τῆς ὑγρᾶς γίνεται. Eadem παλίμπισσα vocabatur. Plinius: *Hæc rurſus in cortinas æreas conjecta aceto ſpiſſatur, ut coagulo, & bruttiæ cognomen accepit.* Cum hoc modo coquebatur, piſſelæum ex ſero ſupernatante in cortina velleribus expanſis colligi ſolebat. Reſina etiam liquida eſt, ut pix liquida: ſed pix è combuſtis lignis funditur, reſina ex arbore naturaliter abſque igne ſudatur. Ut pix coquebatur, ita etiam reſina, cujus modum coquendæ Dioſcorides itemque Plinius tradunt. Sed malè hîc confudit rationem reſinæ coquendæ & picis urendæ, his verbis: *è picea reſina ferventibus cocta lapidibus in alveis validi roboris: aut ſi alvei non ſunt, ſtruis congerie veluti in carbonis uſum.* Certè & pix & reſina non aliter coquebantur quam in alveis, aut *æreis* vaſis, carbonibus impoſitis. Ἀγγεῖον vocat Dioſcorides, in quo reſina coqui ſolebat. Aliquando cum aqua decoqui eam mos erat, aliquando ſine aqua. Dioſcorides: καίεται δὲ καὶ δίχα ὕδατος ἐπ' ἀνθράκων κούφως τὸ πρῶτον. Quæ non ita accipienda, quaſi carbonibus imponeretur reſina abſque vaſe. Plinius tamen ſic accepit: *aut ſi,* inquit, *alvei non ſunt, ſtruis congerie veluti in carbonis uſum.* Hanc ſententiam de Theophraſto expreſſit, quam ille de pice urenda dixit: τὴν δὲ πίτταν καίουσι τὸν δὲ τὸν τρόπον· κατασχίσαντες τοὺς κορμοὺς συντιθέασι παραπλησίαν σύνθεσιν τῆς τῶν ἀνθρακευόντων. Hæc eſt ſtruis congeries, qua coqui reſinam Plinius aſſerit veluti in carbonis uſum. Atqui ſic fiebat pix; non autem ſic reſina decoquebatur vel urebatur. Ea decoctione fiebat ex liquida ſpiſſior & friabilis. Cedria autem ex reſinarum generibus, non ex picium. At Plinius pro pice accepit, & pices in oriente non ex alia arbore quam ex cedro fieri dixit, ſed falſus eſt. Cum cedria coquebatur, *cedrelæum* ex eâ eodem prorſus modo, quo πισσέλαιον ex pice, ſumi ſolebat, ſero ſupernatante & velleribus expanſis ſupra adhæreſcente, atque ita collecto. Nicander κεδρινέης πίσσης meminit:

------ κεδρελαίην περικάββαλε πίσσην.

Ubi veram picem ex cedria reſina factam intelligit. vel certe πίσσης nomine poëticè abuſus eſt pro reſina. Hodiè cedriam vocant *oleum de cada.* Oxycedrum Narbonenſes *cadam* appellant, & oleum ex ea confectum, *oleum cadæ.* Verum illud oleum, quod conficitur ex oxycedro, non idem poteſt eſſe cum cedria, quæ cedri majoris eſt ſuccus ſive reſina. At oleum oxycedri, ex baccis ejus fit. Idem igitur erit cum piſſelæo Plinii, quod ex malis cedri fieri dixit inter alia genera oleorum facticiorum. Et notandum libros omnes eo loco non *piſſelæon* habere, ſed *biſſelæon.* Id eſſet oleum cadæ: τῆς βίσσους ἔλαιον. Nam cada ampulla olearia, quæ Græcis βίσσα. Heſychius: ξυστρολήκυθον, βίσσα καὶ κάδη ἐλαίου λουτρικά. Quod in balnea deferebant vas oleo plenum, quo ſeſe ungerent, id ξυστρολήκυθον appellarunt. Idem κάδη & βίσσα. Inde quoque Arabicum قادس *cadis,* de vaſe oleario ſimili lecytho, ut interpretes exponunt. Idem Heſychius: λήκυθος, βήσιον ὑάλινον: Et rectius videtur βῆσα quam βίσσα, & βήσιον. Gloſſæ: λήκυθος, τὸ βήσιον, *ampulla olearia.* Heſychius: βήσιον, ποτήριον. In fragmento Athenæi lib. XI. βῆσσα dicitur: βῆσσα ποτήριον παρ' Ἀλεξανδρεῦσι πλατύτερον ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ἐστενωμένον ἄνωθεν. In Epigrammate Cteſibii apud eumdem Athenæum vocatur βῆσσα Αἰγύπτιος, & idem cum ῥυτῷ ſtatuitur.

Ὀρχηστὴν βῆσσαν Αἰγύπτιον.

Poſterior ætas βῆσσαν & βίσσαν dixit, ac pro lecytho oleario uſurpavit, cujus etiam anguſtum os; quo

A ſignificatu & κάδην poſuit. Hinc igitur βισσέλαιον idem quod *oleum de cada.* Vetus Lexicon Arabicolatinum: *oleum de cada, oleum oxycedri.* Ex baccis oxycedri oleum illud ſolitum fieri olim palam eſt, ut cypreſſinum ex cypreſſi baccis, lentiſcinum & laurinum ex lauri & lentiſci. Hodie ſimiliter fit ex baccis juniperi, cui adeo ſimilis eſt oxycedrus, ut Hiſpani eam appellent juniperi nomine. Hujus oleum etiam ſimile cedriæ fertur. Appellatum autem *oleum cadæ,* quod in cadam mitteretur κατ' ἐξοχήν, vel quod in balneis eo ungerentur. Nam *cada* ξυστρολήκυθον, vas olearium, quod in balnea ferebant. Strigil quip- B pe cum lecytho ibat. Unde compoſitum nomen ξυστρολήκυθος. Etenim deſtringebant ſe atque ungebant. Inde *olearius puer,* qui oleum vel vas olearium euntibus ad balnea dominis geſtabat, cui etiam veſtes lavantium ſervandæ dabantur. Ὀλεάριον vocat Epiphanius in Hæreſi Ebionitarum N. XXIV. ἤρετο τίς ἔνδον ἐστὶν ἐν τῷ βαλανείῳ; ὁ δὲ ὀλεάριος ὁ ἐπὶ τῷ φυλάττειν ἱμάτια προσκαρτερῶν, ἔφη τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ, ὅτι Ἐβίων ἔνδον ἐστίν. Pro quo perperam Marrucinus απολιάριον legendum putat. Cœlius Aurelianus *reſinam cadialem* vel *cadalem* vocat, quæ liquidior eſſet, quæque in cadam, id eſt, vas angu- C ſti oris mitti poſſet. Ut contra γαστρικὴ ῥητίνη, ſpiſſior, quæ reponebatur in gaſtris, patentioris nempe oris alveis, quas Græci γάστρας vocant. Fortaſſe tamen & ampullas fictiles ita vocarint, à ventre turgido. Sic γαστρικὴ ῥητίνη eadem foret cum *cadali,* vel cadiali. Hujus mentio apud veterinarios cap. DCCCCLV. ῥητίνης γαστρικῆς. Et abſolutè γαστρικὴ dicitur cap. DCCCLXXII. μάννης λιβάνου, γαστρικῆς. Mentio γάστρης apud Dioſcoridem, ſed nunc locus non ſuccurrit. *Gaſtrarum eminentium fragmenta* leguntur in Petronio, quæ perperam mutant. An cedriam *oleum de cada* ob hoc appellaverint, quod D eſſet cæteris reſinis liquidior, diſquirendum. Serapio longè aliter de hoc oleo cadæ ſentit. Herbam quippe eſſe tradit in Arabia naſcentem, quæ *kadi* appellatur, ex qua odor aromaticus conciliatur oleo, quod inde nomen accepit ac dicitur *oleum kadi.* Eum vide cap. XL. Puto eſſe eam plantam quam Ebeneſis vocat *alchedar,* in Arabia naſcentem, cujus flos optimi odoris. Inveniri etiam tradunt in regione Meccæ & appellari ibi *alchedi.* Oleum, quod hodie vocatur de cada, diverſum ab illo oleo de cadi. Noſtrum hoc oxycedri oleum eſſe conſtat; quam & *cadam* etiam vulgò vocant, Arabes شربين, E ab oxycedro detorta voce. Nam ὀξυκέδριον Græcis: unde *xerbin* Arabibus, ut *nardin* dicunt pro νάρδιον, *aſſinthin* pro ἀψίνθιον, & ſimilia ſexcenta. Serapio quatuor facit ſpecies juniperi, & *xerbin* inter eas recenſet. Ex deſcriptione autem xerbin, quæ apud eum extat, prorſus planum eſt, eſſe ὀξύκεδρον. Nam de illa dicit, quæ Dioſcorides de oxycedro. Corruptè tamen apud ejus interpretem legitur: *ſed xerbin eſt illa, quæ nominatur padras, & habet fructum ſimilem fructui cupreſſi.* Hoc de majore cedro intelligendum, ac legendum quæ nominatur *cedros:* F قدروس. Dioſcorides: Κέδρος δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. Locus Dioſcoridis mutilus eſt, ut jam viris doctis obſervatum. Nam ſtatim apud eum ſequitur: καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ ἄρκευθος φέρουσα, μέγεθος μύρτου. Minor eſt cedrus quam & ὀξύκεδρον Græci dicunt, quæ fructum fert ſimilem junipero. Major enim, cypreſſo ſimile ſemen habet. Plinius de majore cedro: *ſemen ejus cupreſſo ſimile.* Sequitur apud Serapionem: *Eſt & xerbin arbor parva, ſpinoſa, habens fructum ſimilem junipero.* Hæc eſt ὀξύκεδρος. Utramque igitur ce- G drum Arabes æquè nominant xerbin. Quod & confirmat Aviſena, qui *ketran,* quæ eſt κεδρία, dicit eſſe id, quod exprimitur ex arbore nominata alxerbin, الشربين. Perperam interpres vertit: *Chitran eſt arbor, quæ nominatur alſcerbin.* Immo ut eſt in Arabico, *Ketran ſuccus eſt arboris, quæ vocatur alſcerbin.*

عصاره

عصارة legitur in Arabico; quod succum significat expressum, à verbo عصر *hasara*, quod exprimere est. *Ketran* autem vel *kethren* ex Græco κέδρινον. *Codranum* vulgò dicimus, sed alio sensu. Cedria colligebatur ex majore cedro, qualis in Phœnice Syria nascitur, Libano monte. Et resina est hujus arboris, ex qua & oleum fieri eo modo, quo dixit Dioscorides, tradit ibidem Avisena. Quod κέδρινον ἔλαιον vel κεδρέλαιον dicebatur, diversum à cedria resina. Quin & ipse Avisena in voce *scerbin* ea prorsus commemorat de generibus ac differentiis ejus, quæ Dioscorides de cedro; majorem nempe esse, quæ fructum fert similem cypresso, & cætera. Hoc tamen capitulum in Arabico non invenio. Notabamus superiori Exercitatione, Arabes juxta cum Hebræis cedrum vocare *erz* vel *erzi*, vel *arzi*, & cum articulo الارز *alarz* vel *alarzi*. Pinum tamen etiam vel piceam hoc nomine vocarunt. Certè Serapio in denominandis variis resinæ generibus eodem ordine, quo recensentur à Dioscoride capite de terebintho, *gummi arz* vocavit صمغ الارز, *samag alarz*, quæ Dioscoridi πευκίνη ῥητίνη καὶ στροβιλίνη. Tanta profectò est generum affinitas inter istas arbores, cedros, inquam, & pinos, piceasque, ut sæpe nomina invicem permutent apud Hebræos, Græcos, Arabas, Latinosque auctores. Hinc & *retinegi* in Lexico Alpagi *gummi pini* explicatur, quæ secundum Glossam Arabicam nominatur etiam calfonia, & ejus arbor in Syria dicitur *alarzi*. راتينج *retinegi* Arabicè idem est, quod Græcorum ῥητίνη; & nomen inde factum, quod ad omnes resinas pertinet, pini, piceæ, terebinthi, & alias. Perperam in Lexico exponitur aroma quoddam aut storax juxta quosdam. Certè & storax resinaceus est liquor ex arbore fluens, verum non hac voce propriè notatur. Græci recentiores Κολοφωνίαν appellarunt omnem resinam, quia Colophonia olim optima habita. Inde Arabes suum قلفونيا *Kalphonia* pro omni resina. *Alarazi* vero vel *alarzi* non pinum propriè denotat, sed cedrum, ex voce Hebraica אֶרֶז. Alia sunt Arabibus nomina, quibus pinum & piceam significent, de quibus infra. Interpres Avisenæ de cupresso ita habet: *Cupreßus nominatar in Syria arbor alarzi, & Romanè cupreßus.* Quæ verba in Arabico non habentur. De cupresso tamen citius crediderim, cedri nomen ei attributum à quibusdam fuisse, quandoquidem hæc omnia genera nonnulli Arabum sub unum genus reducunt. Juniperum quidam ἀγρίαν κυπάρισσον dixere. Ita est apud Neophytum. Serapio quoque juniperum dicit ex generibus cupressi masculi. Idem herbam sabinam, quæ cupressus est pumila, inter genera juniperi refert. *Abel* vocat. Arabicè est ابهل *abhel*. Interpres Rasis *abhel* dixit esse granum juniperi. Ita planè interpretatur Avisena in voce *abhel*, ثمرة العرعر *thamara alharar*, fructum juniperi. Male apud interpretem legitur: *est fructus alhar.* Cæterum *harar* est juniperus, quem idem Avisena alio capite de junipero, cupressum masculam exponit. Ita quidem interpres. Sed in Arabica editione habetur: السرو الجبلي, *alseru algebali*, id est, cupressus montana. Ἀγρίαν κυπάρισσον designat Græcorum. Nec puto aliter repperisse in Arabicis Serapionis interpretem, qui similiter juniperum ex generibus cupressi masculi facit. Debuit dicere cupressi agrestis. Idem *brachos* malè legit pro *brathos*, id est, βράθυς, quo nomine dicebatur Græcis herba sabina. برطوس. Avisena eo ipso capite, quo *abhel* fructum juniperi exponit, differentias herbæ sabinæ verbis Dioscoridis explicat, id est, βράθυ. Hæc θύον Græcis veteribus dicta, quod vice thuris incenderetur antiquitus in sacris. Θύον etiam dixerunt à similitudine arborem Libycam similem cupresso, quæ Romanis citrus. *Cedrum Atlanticam* hodie appellant. Hæc cupressi & juniperi affinitas, adeo ut alterum genus per alterum definiatur. Eadem est & cedri. Ut juniperum Græci quidam & Arabes cupressum esse agrestem volunt, ita alii cedrum agrestem interpretati sunt. Nicolaus Myrepsus multis locis juniperum de cedro agresti interpretatur. In Antidoto διὰ καμαρῶν vocata: Τζενίπεερ ἤτοι κέδρου ἀγρίου καρποῦ, & alibi passim. Hodie quoque Hispani eodem nomine juniperum & minorem cedrum appellant, *enebro*. Non hæc recens, sed vetus permutatio nominum inter cedrum & juniperum. Ætate Theophrasti Græci non distinguebant juniperi & cedri nomina, sed alterum alterius appellatione invicem impertiebant, & qui erat juniperus, cedrum eum vocitabant. Id clarè colligitur ex lib. III. Hist. cap. XII. ibi dicit quosdam tradere duplicem esse cedrum, Lyciam & Phœniciam. Alios contra contendere unius esse generis, similem junipero. Idæ montis incolæ ita ferebant. Et sanè cum unum tantum genus apud eos cedri nasceretur, non plures species statuere potuerunt. Differentiam cedri illius & juniperi in folio maximè consistere dicit Theophrastus. Nam cedri folium durum, acutum, & spinosum esse; juniperi mollius. Excelsiorem quoque juniperum nasci. His ita explicatis, adjicit protinus: οὐ μὴν ἀλλ' ἔνιοίγε οὐ διαιροῦσι τοῖς ὀνόμασιν, ἀλλ' ἄμφω καλοῦσι κέδρους, πλὴν παρασήμως κέδρον ὀξύκεδρον. Tam juniperum quam cedrum vocabant illi κέδρους. Distinctionis tamen gratiâ nonnulli cedrum nominabant ὀξυκέδρον. Inde & fructum cedri Nicander κέδροιο ἀρκευθίδα vocat:

Μηδέ σέ γε χραίσμη πολὺ λάθοι ἠὲ κέδροιο
Ἀρκευθίς.

Non alia cedrus in Græcia & Asia majore nota præter hanc minusculam junipero similem, quam & ὀξύκεδρον appellarunt, Λυκίαν κέδρον. Ex hac non colligebatur cedria, sed ex altera majore in Syria nascente & conifera, cujus fructus cyparissinis conis non dissimilis; ut proinde non mirum sit, si eodem nomine cedrum hanc & cupressum quidam indigetarunt. At ex minoris cedri sive oxycedri baccis, quæ juniperi similes sunt, oleum conficitur, quod vulgo dicitur, *oleum de cada*. Narbonenses quippe hanc speciem cedri *cadam* vulgo nuncupant. Quæ satis vetus appellatio, ut confirmat Glossarium Latino-Arabicum, in quo oleum oxycedri, *oleum de cada* exponitur. In eodem Glossario legimus: *cada, arvina.* Item: *cadalis institura, negotiatio pinguedinis, unguinaria, axungiaria.* Ita distinguendum ac legendum. *Cadalem instituram* vocat negotiationem oleariam vel axungiariam. In eodem *cadula* legitur cum interpretamento Arabicæ vocis, qua adeps vel pulpa adiposa significatur: *Cadula*, شحم بضعة. Nam *sechum* est adeps ex Latino *sevum* vel *sebum* depravatum, vel ex Græco ὀξύγγιον, ut *scebram* ex ὀξύπορον. *Bidaa* autem est pulpa vel caro sine ossibus, ut idem Lexicon alibi interpretatur: *pulpa*, بضع. Ita scribendum pro *pulma*. Græci recentiores καδάλιον dixere, qui Latinis *cadalis*; ut ἰλλούστριος, qui *illustris*. Quod ego puer admodum vidi, cum Harmenopulum cum scriptis codicibus conferrem. lib. II. Tit. IV. ἡ τῶν Ἀμμυδαρειῶν καὶ καδαλίων τέχνη οὐ μόνον τὴν ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἔχει λύμην, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐξ ἐλαίου ἅλμης βλάβην ἐπάγει τοῖς σώμασι. Nec enim vox καπηλείων ibi potest hærere. Cada lecythus vel ampulla olearia. Unde *cadalis* & καδάλιος. Quod de quocunque oleario factore aut institore accipi potest. Inde κατ' ἐξοχὴν ob utilitatis præstantiam, & in scabie sananda efficaciam oleum oxycedri id nomen meruit, quo in balneis præcipuè utebantur. Profectò vix aliò possis referre & *bißelæon* Plinii de illo genere olei, quod ex baccis cedri confici solitum dicit. Longè quippe diversum à pisselæo, quod est oleum ex pice, dum coquitur, coactum.

coactum. At oleum ex baccis cedri expressum non magis πισσέλαιον appellari jure possit quam terebinthinum, juniperinum, & alia ejusmodi genera, quæ nihil habent ex pice. Κάδη pro vase oleario ab antiqua κάδυ significatione non multum recessit. Pollux notat veteribus Græcis κάδδον idem propriè fuisse, quod ἀμφορέα. Tam vini quam olei ἀμφορεῖς passim legas in Græcorum scriptis. Simonides:

Ἐξήκοντ' ἀμφορεῖς ἐλαίου.

Africanus scribit apud vulgum κάδδυς vocari τὰ ἡμιαμφόρεια: ἀμφορεὺς ἡμιαμφόρεια ἔχει δύο, ἃ καλοῦσι κάδδυς ὀνόματι κοινῷ, Ῥωμαῖοι δὲ οὔρνας καλοῦσι. Ita Epicharmus ex vetustioribus κάδδον ab amphora distinxit:

Οὔτ' ἐν κάδδῳ δηλοίμην, οὔτ' ἐν ἀμφορεῖ.

Nam cadus semiamphora. Posterior ætas κάδην dixit & pro lecytho sumpsit, ut & βῆσσαν & βίσσαν. Unde βισσέλαιον, & oleum de cada idem. De ammydariis, περὶ ἀμμυδαρίων, quos cum cadaliis junxit Harmenopulus, nos alibi. Quod voluimus heic efficere, factum est: aliud esse *kitran* Arabum, quæ cedria est sive cedri resina; aliud, quod hoc nomine hodie appellamus. Impropriè etiam loquuntur, qui picem cedri vocant τὴν κεδρίαν, cum sit resina. Rarò admodum fiebat ex cedro pix, ut Theophrastus disertè testatur.

A Plinius vero non alia pice usos orientales & præcipuè Syrios scribit, quos ait Theophrastus picem ex terebintho facere solitos, non ex cedro. Nam terebinthos ad picem uri dicit. Ineptius est, quod hodie *picem resinam* appellant picem liquidiorem. Arabes picem vocant زفت *zefth* ex Hebræo זפת. Dicunt etiam قار *ker* pro pice iidem Arabes. Fossilem & metallicam sic etiam appellant. Nam *zeft* Avisenæ, quæ ex variis arboribus elicitur & coquitur. Resinam iidem

B nominant علك *halk*. Impropriè *gluten* reddunt Avisenæ interpretes. Nam etiam si hæc vox gluten etiam ac viscum denotet, ibi tamen pro resina accipiendum ac dicendum, qui humor est pinguis ac lentus ex arboribus defluens. Trium generum resinæ eo capite meminit, resinæ *alembat*, id est, abietinæ; resinæ *alseru*, id est, cupressinæ; & ejus, quam absolutè vocat *retinegi*, de qua supra. Hæc ῥητίνη Græcorum, quod de communiori genere intelligendum venit, quæ est πιτυίνη. Meminit alibi *halk albotm*, id est, resinæ terebinthinæ, de qua in sequenti Exercita-

C tione.

CAPUT CIV.

De terebinthina.

Terebinthinam hodie resinam ab omnibus vocari falso nomine, apud omnes in confesso est. Utpote quæ ex larice, non ex terebintho, cui id nominis in Europa datur. Arabibus vera terebinthina dicitur علك البطم, *halc abotm*: vel صمغ البطم *samag albotm*. Avisena capite de grano viridi, qui fructus est terebinthi, hanc resinam terebinthinam vocat, cæteris præstare dicit, & post eam primas tenere mastichen, quæ est lentisci resina. Vocat المصطكي *almastichi*. Post mastichen tertio loco ponit bonitatis صمغة الجنبوتا, *samaga alembuta*. Quæ ex istis Dioscoridis expressa sunt: προάγει δὲ πασῶν τῶν ῥητινῶν ἡ τερμινθίνη καὶ μετὰ ταύτην ἡ σχινίνη, εἶτα ἡ πιτυίνη καὶ ἡ ἐλατίνη. Ergo *samag alembat* debet omnino esse resina pinea aut abietina. Ut mirer, doctissimos interpretes tradere gummi *albotm* & gummi *alimbat* idem esse. Idem Alpagus alio loco scribit, *alchalambat* secundum Ebenbitar esse gummi fisticorum. Pistacia hæc sunt. At secundum alios Arabes accipi pro gummi *albotm*. Neutrum potest verum videri. Constat quippe ex Avisenæ loco, quem superius produximus, *alembat* esse pinum aut abietem. Inde علك الانباط, *halc alembath*, resina pini vel abietis. Mastichen exponit Vir doctus in suo Lexico. Sed mastiche propriè lentiscina resina, sive simplex est انباط, *embat*. Quod videri posset ductum ab *abietis* nomine. Fatendum tamen est, aliter scribi eo loco Avisenæ hanc vocem, ubi pinum aut abietem significat. Scribitur enim ibi النبوتا, & legendum puto الجنبوتا *aljembuta*. Ita enim vocat alibi capite de pice, *arborem aljembut*, quam inter eas enumerat, ex quibus pix conficitur, شجرة الجنبوت: ubi *jembut* non est arboris nomen, sed seminis vel grani. Nam *arbor jembut* est arbor, quæ fert fructum nominatum *jembut*; atque ita semper in his loquutionibus accipiendum شجرة حبة الخضرا *segjar haba chadara*, arbor granorum viridium, de terebintho. Eodem loco meminit arboris dictæ,

شجرة قضيم قريس *segjar cadem caris*. Hoc cadem caris granum esse pini minusculum notant interpretes. Avisena arborem, cujus hoc granum est,

D *tenub* vocat تنوب. Et est silvestris pinus. *Jembut* igitur erit granum majoris pinûs. Et *samag jembut*, ἡ στροβιλίνη ῥητίνη. Alpagus in indice scribit, *aljembut* nomen esse commune ad arborem, ex qua fit pix, & ad plantam, quæ producit *carnub seuchi*, id est, siliquam spinosam. Verum, ut dixi, *jembut* non est arbor, sed semen arboris. De *jembut* extat caput speciale apud Avisenam, ubi ex plurimorum sententia exponit esse *alcarnub Alnabathi* الخرنوب النبطي, id est, siliquam Nabathæam.

E De qua nos supra. In Lexico vulgari *jembut* exponitur ericæ fructus vel viticis semen. At Glossator Arabs medicinalis silvæ in antiquo Dioscoride κώνυζαν interpretatur جنبوت. Apud eumdem Avisenam *jembut* etiam accipitur pro nuce pinea, quem στρόβιλον Græci vocant. Inde & quæ πιτυίνη ῥητίνη Dioscoridi vocatur, ipse appellat *samag aljembut*. Aliud ergo *ambat* vel *embat*. Ebenbitar pistacia hoc nomine intellexit, alii terebinthum. Non tanta sanè dissimilitudo inter utrumque, ut hanc appellationis communionem indignari debeant. Placet plerisque

F doctis, quibus & nos accedimus, terebinthum Indicam Theophrasti esse pistaciorum arborem. Fructum ejus amygdalis similem facit, sed minorem. Nicander quoque ad Indos relegat eam arborem, & fructum tradit amygdalis similem:

Ὅσσα δ' ὑπ' Ἰνδὸν χεῦμα πολυφλοίσβοιο Χοάσπε
Πιστάκι' ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεντα πέφανται.

Non bellè tamen confirmatum volunt testimonio Quintiliorum apud Athenæum lib. XIV. καὶ τὴν μελίαν καὶ τὴν τέρμινθον, ἃ δὴ νῦν πιστάκια οἱ Σύροι καλοῦσιν. Legendum enim, καὶ ἃ δὴ νῦν πιστάκια. Ætas illa pistacia & terebinthum distinxit, ut colligitur ex Geoponicis Excerptis, in quibus non uno loco traditur pistacia inseri in terebinthum, ut lib. X. ex Damo-

G geronte: ἐγὼ δὲ εἰς τέρμινθον, ἣν οἱ ἐπιχώριοι τερέβινθον καλοῦσιν μάλιστα ῥητίνην ἔχουσαν, πιστάκια πολλάκις ἐγκεντρίσας καὶ ἐμφυλλίσας ἔσχον μεγάλα δένδρα. Ubi notabis πιστάκια non pro fructu, sicut ratio nominis suadet, sed pro ipsa arbore poni, ut apud Quintilios, τέρμινθον καὶ πιστάκια. Quod in alio genere arboris usitatum vix reperias apud Græcos. Arabes

more suo mutantes π Græcum in φ, quia litterâ illâ carent, dixerunt, فستق *fistac*. Certe Judæorum magistri vocem illam Arabicam ita scribunt פסתק, *fastac*. Pronuntiant tamen ipsi *fistuc* & *fustuc*. Unde in Glossariis Iatricis Græco-Arabicis: φυστὴκ, τὰ φυστήκια. Latini Barbari *fisticos* dicunt, ut in Antidotario veteri & apud Constantinum passim legitur. Alia igitur terebinthus, alia pistaciorum arbor. Nec putandum, Quintilios absolutè terebinthum posuisse pro pistaciis. Theophrastus terebinthum saltem Indicam vocat, quam volunt esse pistaciorum arborem, non absolute terebinthum. Sed nec pronuntiat quidem arborem illam Indicam esse terebinthum, sed videri quibusdam. Alios vero tradere similem esse terebintho: φασὶ δὲ εἶναι καὶ τέρμινθον, οἱ δὲ ὅμοιον τῇ τερμίνθῳ. Et sanè pistaciorum arbor similis terebintho, non terebinthus: si terebinthus vocata nonnullis, cognomine adjecto eam distinxerunt, ut sui generis esse intelligeretur. Terebinthum Persæ vocant *terbaik*. Quod non abludit à Græcorum τέρμινθος. Arabes nominant *botm*. Sic *karin* pro *karm*, quæ vitis est. Arabice: كرم. بطم. pro quo *botin* & *albotin* in Avisena Latino, & ubique apud Alpagum scribitur. Alii pronuntiant *bont*, ut est apud Rauwolfium in Hodœporico. Ab Hebraïca origine venire hoc nomen dubium non est. Nam בטנים *batnim* sunt terebinthi, Geneseos XLIII. II. ut rectè habet vulgaris versio, quæ terebinthos dixit pro fructu terebinthi. Alii pineas nuces vertunt, alii pistacia, alii avellanas. Nihil video, cur non melior existimari possit Hieronymi sententia, quam & Arabica vox inde derivata adstruit idem significans, & natura ipsius rei, etymique ratio. Junguntur ibidem *batnin* cum amygdalis. Certum est, terebinthi grana æque olim ad esum usitata fuisse orientalibus, hodieque esse, ut pineos nucleos & amygdala aut pistacia. Dioscorides de terebintho: καρπὸς δέ ἐστιν ἐδώδιμος. Præterea etymo vocis hæc significatio confirmatur. Sic enim appellantur Hebraïcè à בטן, id est, ventre. Arabicè quoque بطن *beten* est venter vel uterus. Terebinthi grana eâ planè formâ sunt, in rotundo quadamtenus concava, ad ventriculi effigiem. Hinc *batnin* grana terebinthina, quasi ventriculos dicas vel utriculos. Folliculos etiam habet terebinthi arbor, ramis & foliis adhærentes, ex quibus exeunt alata animalia. Hi folliculi diligenter colligi dicuntur ab indigenis ad tingenda sericea stamina variis coloribus. Plinius de terebintho: *fert folliculos mittentes quædam animalia ceu culices.* Habet à Theophrasto, qui κωρυκώδη vocat in descriptione terebinthi lib. III. cap. XV. φέρει δὲ καὶ κωρυκώδη ἄττα κοῖλα, καθάπερ ἡ πτελέα, ἐν οἷς θηρίδια ἐγγίνεται κωνωποειδῆ. Ita legendum pro vulgato κωρυώδη. Nec placet Gazæ correctio καρυώδη, qui vertit: *fert & ad nucis similitudinem quædam concava.* Atqui non nucis habent similitudinem illa concava, sed exeunt tandem in corniculorum imaginem. Unde & *cornicabram* hanc arborem vulgo vocitant Hispani. Fortasse & à concavitate illa ventricosa folliculorum nomen arbori inditum penes Hebræos & Arabes. De grano tamen magis placet, quandoquidem traditur esse forma, ut ventrem exiguum repræsentat, præcipue quod minusculum habetur. Duo quippe genera faciunt Arabes terebinthi, ac dividunt in majus & minus. Quam differentiam fructus potissimum facit, minor & major. Theophrastus quoque eamdem in fructu agnoscit differentiam. In marem primum & fœminam dividit hanc arborem. Marem esse, qui nihil ferat. Fœminam rursus in duo alia genera partitur; alteram fructum ferre dicit statim rubentem lentis magnitudine καὶ ἄπεπτον, qui ad maturitatem non potest perduci. Male vertunt: *qui concoqui nequit.* Immo ἄπεπτος, qui non quit πεπαίνεσθαι, maturescere. Sic coqui ficus & uvæ dicuntur, quæ maturescunt: & *coctæ ficus*, pro maturis. Hic igitur fructus minor terebinthi. Altera majorem producit, ad fabæ instar; qui primo viridis, deinde ruber, po-

A stremo μέλας. *Nigrum* reddunt, & hoc malè. Verba Theophrasti: ἡ δὲ χλοερὸν ἐνέγκασα τὸν καρπὸν, μετὰ ταῦτα ἐρυθραίνει, καὶ ἅμα τῇ ἀμπέλῳ πεπαίνουσα τὸ ἔσχατον ποιεῖ μέλανα. Pessimè omnium hæc Plinius transtulit: *alteri fructus ruber lentis magnitudine, alteri pallidus cum vite maturescit, non grandior fabâ.* Pro tribus illis coloribus, quos in processu maturitatis mutat granum majus terebinthi, unum tantum posuit, eumque nihil prorsus convenientem: *alteri pallidus.* Nempe χλοερὸν pro pallido accepit, qui est viridis. Pallidum de omni colore dicitur, qui decolor est. De luteo B tamen & morboso sæpe sic usurpatur. At fructus terebinthi primo viridis. Χλοερὸν dixit Theophrastus, non χλωρόν. Etsi certum sit ab eadem origine utrumque venire, & χλωρὸν ex χλοερὸν contractum esse; usus tamen hæc discrevit. Χλοερὸν proprie dicunt, cui color χλόης, herbaceus nempe ac viridis: χλωρὸν frequentius pro luteo & pallido sumunt. Unde avis χλωρίων, quæ non est viridis, sed lutea. Granum terebinthi viride est atque herbacei coloris. Hinc Ara-C bes vocant حبة الخضرا, *grana viridia.* Sic apud Avisenam terebinthina grana nominantur; qui & terebinthum vocat *segiar haba alchadara*, arborem granorum viridium, à verbo خضر, quod est virescere. Signum mediæ maturitatis in hoc fructu rubor est. Ubi plenam adeptus est, μέλας evadit: pro nigro perperam accipiunt omnes interpretes, & falsum in hoc fructu, quem cæruleum esse tradunt, qui viderunt. Hoc μέλαν Græci vocant. Unde κυάνεον, μέλαν Grammatici passim interpretantur. Et μέλαν Ἰνδικὸν non est atramentum D Indicum, ut malè Plinius interpretatus est, sed Indici hic proprie color, quem cæruleum esse constat. Sic ἴον μέλαν, μέλας ὑάκινθος: qui flores non sunt nigri, sed purpurei aut cærulei. Unde cærulei hyacinthi Latinis poëtis, qui & *nigrum* plerumque eo sensu usurpant, ut *nigras violas* Virgilius & *nigra vaccinia.* Scribit Bellonius in observationibus lib. II. cap. XCVI. terebinthi fructum colore esse medio inter viridem & cæruleum. Alibi Neoterici similiter tradunt, ubi maturuit ex cæruleo virescere. Inde *granum viride* Arabes appellant حب الخضر, *hab alchadar.* Idem E sane color est & terebinthinæ resinæ, quam Dioscorides dicit ὑαλίζειν τῷ χρώματι καὶ κυανίζειν. Color vitreus est viridis, qui cum cæruleo junctus efficit colorem grani viridis, id est, terebinthini fructûs. Verba illa Dioscoridis de resina terebinthi transtulit Avisena ad arborem ipsam vel arboris fructum, in capitulo de grano viridi. Totum illum locum quia interpres omisit, hic soloci filo expressum Latine referam. Titulus capitis est, *Grana viridia.* Deinde ita incipit: *Hæc arbor nota invenitur in regionibus multis frigidis, & insuper etiam existit in insulis quæ nominantur Cyclades, & quæ adfertur ex his insulis est optima, & co-*F *lor ejus similis colori vitri, cum vicinitate coloris cælestis, odorata suavi odore. Eminet in ea odor granorum viridium, & optima resinarum est resina arboris granorum viridium, & post eam mastiche, & post mastichen resina pini, & quod magnum ex eo genere est in Aldaru, & arbor vocatur Albotm.* Hæc omnia omissa interpreti exceptis his pauculis, quæ sic male reddidit: *& gummi ejus est melior gummis post mastichen.* Immo contrarium dicit Avisena, ut supra docuimus. Ad arborem autem sive fructum arboris perperam retulit, quæ de resina dicta sunt ab auctore, unde hæc accepit. Dioscorides: ἡ δὲ ἐξ αὐτῆς ῥητίνη κομίζεται μὲν ἐξ Ἀραβίας τῆς ἐν Πέτρᾳ· γεννᾶται δὲ καὶ ἐν Ἰουδαίᾳ καὶ Συρίᾳ καὶ ἐν Κύπρῳ καὶ ἐν Λιβύῃ καὶ ἐν ταῖς Κυκλάσι νήσοις· ἡ δὴ καὶ διαφέρει διαυγεστέρα οὖσα, λευκή, ὑαλίζουσα τῷ χρώματι καὶ κυανίζουσα, εὐώδης, τερμίν-G θου πνέουσα. Non resinam ex illis locis adferri dixit Avisena, sed quod in lemmate capitis produxit, grana nempe viridia sive fructum terebinthi. Sic enim omnino intelligendum. Cætera quidem eo loco memorata Dioscoridi, per compendium regionum frigidarum nomine comprehendit, cum tamen in his nec Arabia Petræa frigida sit nec Libya. Solas insulas Cycladas nomina-

nominavit, ex quibus optima terebinthina adferebatur. In Arabico eſt فوفلادس *Fuſladis*, corruptè pro قوقلادس *Cucladis*. Idem eo loco Græca illa τερεβίνθε πνέκοα de fructu intellexit, & *haba chadara* reddidit, id eſt, grana viridia. Sic *terebinthi* Hieronymo ſunt terebinthina grana. Præcedentia autem omnia de fructu accepiſſe teſtatur id, quod fine periodi poſuit: *& quod magnum vel majus ex eo eſt, in Aldaru*, ſcilicet naſcitur. Quod omnino ad granum viride ſive fructum terebinthi debet referri. Nec enim alio poteſt. Et rectè vetus interpres: *& qui ex eo eſt magnus, dicitur aldaru*, & ad fructum refert. Senſus autem Aviſenæ eſt, aldaru vocari id genus terebinthi, in quo naſcitur granum majuſculum. Legitur eo loco in Arabicis الضرر. Sed omnino corrigendum, الضرو. Atqui *aldaru* eſt lentiſcus. Proſus tamen extra ſententiam Aviſenæ terebinthus Serapioni duorum eſt generum domeſticus ac ſilveſtris. Silveſtrem dicit eſſe lentiſcum. Ita vertit interpres. In Arabico eſt ضرو *daru*. Notat Alpagus ex Ebenbitar *aldaru* arbuſtum eſſe, cui fructus & folia ſimilia ſunt foliis ac granis terebinthi. Hoc alterum genus terebinthi Aviſenæ ac Serapioni. Hic verò etiam refert ex ſententia Abuanifa, lentiſcum eſſe arborem in montibus naſcentem, glandiferarum inſtar grandem. Quis non videt, id genus terebinthi eſſe, quod ſilveſtre dicitur Serapioni? Theophraſtus tradit cæteris quidem in locis terebinthum fruticare, in Syria verò in maximam arborem evadere: ἔςι δὲ τὸ δένδρον περὶ μὲν τὴν Ἴδην καὶ Μακεδονίαν βραχὺ, θαμνῶδες, ἐςραμμένον· περὶ δὲ Δάμασκον τῆς Συρίας μέγα, καὶ πολὺ καὶ καλόν· ὄρος γάρ τι φασιν εἶναι παμμέγιςον τερεβίνθων, ἄλλο δὲ ἐδὲν πεφυκέναι. Hæc terebinthus magna procera, pulcra, montana, eadem omnino cum lentiſco Serapionis, quæ *daru* ab eo vocatur & ſpecies terebinthi ſtatuitur agreſtis. *Et dixit*, inquit, *mihi Arabs, quod arbor lentiſci eſt ſicut arbor glandium magnarum, niſi quia eſt pulchrior.* Addit ibidem idem Abuanifa, folia ejus rubeſcere. Hoc de terebintho verum, cujus folia, cum extremis ramis pullulare incipiunt, prorſus rubentia apparent. De fructu etiam adjicit, rubrum eſſe, ubi maturuit. De altero terebinthi genere id memorat Theophraſtus: ἡ δὲ ἐρυθρὸν εὐθὺς φέρει τὸν καρπόν. At lentiſci germanæ fructus, qualis in Chio & in Italia reperitur, maturitatis tempore niger eſſe traditur. Et notandum, quod ait Aviſena majorem terebinthi fructum in *aldaru* naſci. Lentiſcus iſta Serapionis. Vulgaris autem lentiſcus fructum quidem cætera ſimilem terebinthino fert, ſed minorem & rotundiorem. Rauwolfius in Itinerario præter vulgarem terebinthum, quæ fructicis magnitudinem non excedit, duo alia genera ab Arabibus agnoſci dicit: unum quod ait vocari *bont quibir*, id eſt, terebinthi granum majus, كبير بطم, quod piſtaciis ſimile facit, brevius tamen & rotundius. Hoc erit *aldara* Aviſenæ. Aliud minus vocatum ab iiſdem: *bont ſougier*, صغير بطم *botm ſeguir*. Piſo æquale eſſe dicit. Fallitur autem, cum putat eſſe Aviſenæ *bel*, & *fael* aut *fel*, de quibus infra. Lentiſcum porro folio, cortice, fructu in medicina parem cum terebintho facultatem habere tradit Dioſcorides. In vetuſto Gloſſario Latino-Arabico ضرو abſque puncto legitur, *ſuru*, & exponitur lentiſcus. Idem ſanè nomen eſt *ſuru* & *ſaru* vel *daru*. Inter *ſhad* & *dſhad* unius tantum apicis differentia eſt, & plerumque alterum pro altero ponitur. *Daru* in vulgari Lexico eſt terebinthus. Ita ſanè vocatur genus terebinthi Aviſenæ in capitulo de grano & viridi, & Serapioni. Idem Aviſena caput habet ſpeciale de *daru*. Lentiſcum reddit interpres. Reſinam ejus, quæ Meccam fertur, eodem nomine cenſeri traditur. Sed in Arabico eſt: بكة *Becca* pro مكة, ut legit interpres. Reſina igitur lentiſci etiam *dſoaru* Arabicè dicitur, quod ex Hebraico deſcendit צרי *Tzori* vel *Tzeri*. Nam etiam per ſeva ſcribitur. Sic probatiſſima reſina appellatur. Talis terebinthina vel lentiſcina. Hanc in ſecundis conſiſtere facit Dioſcorides, palmâ datâ terebinthinæ. Galenus etiam lentiſcinam præfert. Hieronymus *reſinam* ſimpliciter vertit. Quod de omnium optimâ intelligendum, qualis eſt terebinthina vel lentiſcina. Vetus Gloſſarium *ſuru* lentiſcum interpretatur. In aromatibus etiam locum habuit utravis harum. Σαρώαν Græci recentiores dixerunt, cujus meminit Myrepſus in compoſitionibus thymiamatum. Σαρὲα etiam aliquando invenitur ſcriptum. Σαρὲα Heſychio eſt παλίερος. Aliud eſt *ſeru* per ſin سرو cupreſſus. Gummi autem ſive reſina lentiſci proprio nomine Græcis vocatur μαςίχη. Dioſcorides: ῥητίνη σχινίνη, ὑπὸ ἐνίων δὲ μαςίχη. De ea proprium caput extat apud Aviſenam ſub titulo مصطكي *maſtichi*. Nam Arabes, ut ſupra nobis obſervatum Ἦτα Græcorum per *je* exprimunt, qui mos eſt vulgaris pronuntiationis. Sic Κύρηνα dicunt *curina*, Γαληνὸς, Galinus & ſimilia. Videtur autem eam maſtichen diverſam facere à gummi *aldaru*. Sic daru vel ſaru Aviſenæ non erit proprie lentiſcus, ſed genus terebinthi. Maſtichen idem duorum generum facit: *Rumi*, quæ alba eſt (ita Græcam vocant ex inſula Chio) & *Cupti*, id eſt, Ægyptiam quæ ad nigredinem tendit. Barbaris Latinis dicitur *maſtix* pro μαςίχη. Sic *Sandarax* iiſdem ἡ σανδαράχη ſive *Sandarac* Arabum, & *vernix* ἡ βερονίκη. Ita Græcis Barbaris δέλφιξ pro Latinorum Delphica menſa, αἱ δέλφικες. & ἄβαξ, qui iiſdem *abacus*. Iidem Arabes *Chie* vel *Kie* uſurpant pro maſtiche ex inſula Chio. ἡ Χίη. Index Aviſenæ: *Chie, id eſt, maſticis*. Item: *Kie, maſtix*. Iiſdem è converſo maſtichi pro gentili Chio ſumitur. Ut *lutum terræ maſticis* apud interpretem Aviſenæ pro terra Chia, quæ Χία γῆ Græcis. Sed in Arabico legitur: طين بلد المصطكي *thin beled almaſtichi*, id eſt, lutum regionis maſtiches. Quod propriè eſt lutum ex ea regione, unde affertur maſtiche.

CAPUT CV.

De cinnabari.

GUmmi etiam eſt arboris peregrinæ *cinnabari*. Quod hodie vocatur hoc nomine, facticius color eſt ex ſulphure uſto, & argento vivo. *Cinabrium* vulgo nuncupant. Aliud erat, ut dixi, veterum *cinnabari*, quod & ipſum nomen etiam circa res varias fluctuavit. Quidam minium ita vocarunt. Unde & paſſim in Gloſſis veterum, minium κιννάβαρι exponi videmus. Theophraſti κιννάβαρι ſil eſt Atticum. Aliud etiam propriè κιννάβαρι. Dioſcorides cinnabari ex Africa afferri dicit, eoſque reprehendit, qui minium eſſe putarent. Pictoribus maximo uſui fuit, & magno pretio emptum. Refert

fert idem Dioscorides, existimasse quosdam sanguinem draconis esse: ἔστι δὲ βαθύχρουν, ὅθεν ἐνόμισάν τινες αὐτὸ εἶναι αἷμα δράκοντος. Hoc Plinius credidit, qui insuper addit, saniem draconis elisi in pugna elephanti pondere, permixto elephanti ipsius sanguine, cinnabarin conficere. Non meminit Dioscorides, unde & quomodo caperetur cinnabari, & quid proprie esset; contentus arguisse falsi, qui non vere sentirent, ipse veritatem super eo non aperuit. Atqui auctor æqualis Dioscoridi & Plinio, jam tum noverat gummi esse arboris. Ita enim in Periplo Maris Erythræi scribit de insula Dioscuriade: γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον Ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. Fuit Indicum cinnabari, fuit & Libycum. Unius generis utrumque, ex lacrima arboris colligi solitum. In Sotoræ insulæ Indicæ montibus eam arborem plurimam nasci memorant. Item in Africa; præcipuè in Insula Portus sancti, quæ prima est ab Hispania Indiam petentibus. Sanguinem draconis esse multi veterum crediderunt. Mansit & nomen ex falsa opinione. Nam hodieque etiam scientibus non esse sanguinem, sed arboris lacrimam, ita vocatur. Arbor ceraso similem fructum fert, nisi quod cæruleum. Plinius Indici cinnabaris meminit lib. XXIX. quo loco medicorum imperitiam exagitat, qui nominis inscitia pro cinnabari Indica minium in medicamenta adderent, quod est venenum, cum cinnabaris non sit. Sic tria habemus eodem nomine dicta, olim minium & sanguinem draconis, nunc aliud genus coloris rubei ex sulphure & argento vivo temperati. Aliud etiam porro quam cinnabari, Græci recentiores *sanguinis draconis* appellatione donaverunt. Ita quippe vocarunt succum dracontii, qui croceus est. Sic enim in eorum Lexicis Iatricis invenio: ὀφιοβότανον, ἡ δρακοντέα, ὃ καὶ δρακόντιον, ἐξ οὗ καὶ τῶν βοτρύων αὐτῆς χλωρὸς, αἷμα δρακόντειον. Neophytus in describenda dracontea majore: καρπὸν δὲ ποιεῖ ἐπ᾽ ἄκρῳ τοῦ καυλοῦ, βοτρυοειδῆ, πράσινον τῷ χρώματι τὸ πρῶτον, ἐν δὲ τῷ πεπανθῆναι κροκίζοντα ἢ φοινικοῦν, ὃν χυλίζοντες καὶ ἐν ἡλίῳ συστρέφοντες, ὡσανεὶ αἷμα γίνεται πεπηγὸς, ὃ καὶ δρακόντειον αἷμα λέγουσιν, ἀφελῶν δυσεντερικοῖς πινόμενον μετὰ Λημνίας σφραγῖδος καὶ Ἀρμενίας βώλου. Hæc verba de modo colligendi succi & in sole versandi & de nomine sanguinis draconis, desiderantur in vulgaribus Dioscoridis codicibus. Quin immo & totum illud caput περὶ Δρακοντέας μεγάλης, quod apud Dioscoridem legitur, Dioscoridis non esse, sed Neophyti, præter alia nomen etiam δρακοντέας Viros doctos advertere debuit, quod admodum recens est. Sic enim posteriores Græculi vocarunt, quod veteribus dictum est δρακόντειον adjectivè, cum subintelligeretur ἄρον. At recenentiores δρακοντέαν dicendo, subaudiunt βοτάνην. Apulejus in Herbario, draconteam sanguine draconis enatam ferri dicit. Certè succus ex semine expressus δρακόντειον αἷμα dicitur Græcis posterioribus, cujus apud veteres nullum vestigium. Theophrastus seminis dracontii nullum usum esse scribit: σπέρματι δὲ οὐ χρῶνται. Apud Plinium tamen narrantem medicinas ari mentio fit seminis ejus intriti, quod cum oleo aut rosaceo infunderetur aurium dolori. Quod Dioscorides ita expressit: δύναμιν δὲ ἔχει ὁ καρπὸς ἐγχυλισθεὶς καὶ ἐγχυματισθεὶς μετ᾽ ἐλαίου εἰς τὸ οὖς ὠταλγίαν παύειν. Sed succum ex semine ejus parari & ad solem exponi siccarique nusquam illi meminere. Nec ullum αἷμα δρακόντειον novere præter Indicæ vel Libycæ arboris lacrimam, quam saniem draconis esse multi veterum sunt opinati. Plinius Indiam conferre picturæ alicubi dixit harundinum suarum limum, & draconum saniem, cinnabari hoc intelligens. Præter hæc genera, quæ sanguinis draconis nominibus nota sunt, alius etiam succus apud Arabas id nomen habet, qui ex Achillea herba sive quarta sideritide. Ita enim apud Avisenam cap. DCIX. legitur: *de sanguine draconis, id est, Achillea.* Succum esse rubeum notitiæ pervulgatæ refert ibi Avisena. Nullus succus rubens elicitur

A ex Achillea, cujus quidem meminerint veteres. Folia tamen ejus subrutila & viscoso lentore mollia esse tradit Dioscorides. Sic enim apud eum vetus liber legit: φυλλάρια λεπτὰ, παρεμφερῆ κορίῳ, ὑπόκιῤῥα, γλίσχρα. Intrita ea & imposita cruentis vulneribus, sanguinem sistere & glutinare idem dicit. Hic ergo succus est, quem ex foliis subrubris Achilleæ sideritidos expressum sanguinem draconis quoque nuncuparunt. Ad marginem Latinæ editionis pro Arabica dictione, *quæ sanguinem draconis* designet, adscriptum *alhachun.* Quod corruptum est, atque non integrum. Scribendum enim, *dem alachuin.*
B Apud Serapionis interpretem dicitur *dem alachoen*, pro *dem alachuin*, دم الاخوين. Citat Dioscoridem, qui plantam hanc nominari dicit *sidrichis* & *Egilos*, quæ corrupta sunt nomina pro *sideritis* & *Achillios*, σιδηρῖτις καὶ Ἀχίλλειος. Hæc enim sola ex sideritidum genere, quæ Achillea cognominatur, cujus succum vocarunt sanguinem draconis. Vetus tamen Herbarius Arabs apud Dioscoridem omnes sideritidos species ita vocat. Nam primam sideritin Dioscoridis, quæ Ἡράκλεια cognomen habet,
C Arabice interpretatur, شجرة دم الاخوين, *segjara dem alachuin*, id est, arborem sanguinis draconis. Cætera quæ sequuntur genera, totidem species esse dicit arboris sanguinis draconis. Et hoc nomine eas exponit, نوع اخر شجر دم الاخوين, quod sonat: *Species alia arboris sanguinem draconis ferentis.* Atqui nulla sideritis sanguineum hunc succum expressa fundit præter Achilleam, quæ
D Arabibus etiam dicitur اخيلس *Achillis* vel *Achillus*, corruptum ex Ἀχίλλειος, pro quo *Egilos* perperam apud Serapionis interpretem. In nomine autem *dem alachuin*, hoc *alachuin* est serpens vel draco; & sine articulo *achuin* vel *echuin* اخوين, ex Græco ἔχιον. In tabulis Arabicis astricis Ophiuchus vocatur الحوي. Quod *alangue* vulgo vocitant. Sed scribendum putarim الاخوي *ala-*
E *chui*, quod serpentem significat. Nam ut derivat Scaliger, ut serpentarium inde efficiat, Arabicè non procedit. In mappa autem astrica Arabum nullus pictus est serpentarius, sed tantum serpens cum ciconia. *Alachui* autem pro *alachuin* abjecto *nun* ultimo, ut sæpè. Ridiculum, quod *alangue* interpretantur *effœminatum*, ex vitioso nominis sono quasi languentem ac mollem. Aliud est porro δρακόντειον αἷμα apud auctores chimicos, quod inter eas res numeratur, quæ tingendo aptæ sunt. Ut apud Zosimum ad rubrum colorem lychnitis
F conficiendum nominantur, ἡ ἄγχουσα καὶ τὸ δρακόντειον αἷμα. Item paulo post: περὶ λυχνιτῶν ποιήσεως καὶ ἄνω κατέλεξεν. Ὀστάνης δὲ τὴν ἄγχουσαν καὶ τὸ δρακόντειον αἷμα καὶ ἄλλας ἑτέρων λίθων καταβαφάς. Verum cinnabari intelligit. In indice Alpagi legimus: *Duaden secundum aliquos expositores Arabes est sanguis draconis.* Arabicè دوادم *ducadem* significat medicinam sanguinis. Addit ibidem Alpagus: *Duaden alderdar, fructus seu flos alderdar, quod est arbor cimicum. Duaden* etiam A-
G rabice potest exponi, *habens auriculas*, دوادن. Fructus ille vel flos fortasse ita dictus ab aliqua aurium similitudine. Cujus & succum quidam vocaverunt sanguinem draconis. Avisenæ دردار *derder* arbor est, Græcis πτελέα, Latine ulmus. Avisena initio capitis citat Dioscoridem, & *derder* dicit esse arborem similem arbori chalef,

chalef, الشجرة الخلاف *segiar alchalef*, & ab indigenis Syriæ vocari *alderder*; ab incolis autem provinciæ Harac, id est, Parthiæ nominari arborem cimicum, شجرة البوق *segiar albuch*. Hæc omnia omisit interpres, & alia nonnulla eo capite. Glossarium pervetustum Latino-Arabicum *dirdar* interpretatur *fraxinum*. Alpagus ad oram Avisenæ codicis eo capite annotavit esse arborem, quæ producit linguam avis. Lingua avis fructus est, quam producit arbor similis dirdar; non autem ipsa dirdar. Arabicè fructus ille dicitur لسان العصافير *lesen alasafir*, id est, lingua avis, à similitudine. Arborem ipsam similem esse arbori Dirdar, nisi quod folia habet oblonga ad instar foliorum amygdalæ, tradit Serapio. Hæc forma longe abscedit ab effigie foliorum ulmi. Fructum autem, qui dicitur lingua avis, esse palmites, qui dividuntur in cheranub similes foliis olivarum. Ita ille interpres. Sed puto in Arabico esse خرنوب *charnub*, quod significat siliquas. Intra illas siliquas medullam esse dicit, referentem linguæ avis effigiem. Fraxini fortasse genus arbor illa linguæ avium. Nam fraxinus, Theophrasto teste, fructum fert in siliqua minutum, & nucalem ut amygdalarum, gustu subamarum: ἔχει δ᾽ ἐν λοβῷ καρπὸν λεπτὸν, καρυηρὸν ὡς τῶν ἀμυγδαλῶν, ὑπόπικρον τῇ γεύσει. Inde est, quod auctor veteris Glossarii Dirdar interpretatus est fraxinum; quam alii ulmum esse volunt. Serapio vero linguæ avis arborem comparat arbori Dirdar. Nec prohibet, quod Avisena fraxinum videtur appellare *miran*, ميران. Nam unius arboris non una plerumque sunt nomina apud Arabes. Ut hæc ipsa ulmus alio nomine ipsis vocatur *bukida*, بوقيدا. Sed & *arbor cimicum* vulgo appellabatur. *Chalef* arbor, cui eam adsimilat Avisena, nonnullis est salix. Sed salix neutiquam similis ulmo. Præterea salix Arabibus vocatur *safsaf* صفصاف. Alii tradunt similem esse salici, sed folia habere latiora. De qua vide Alpagum in indice. Avisena scribit, arbori Dirdar capita esse tumentia ad instar mali granati, in quibus humor residet, ex quo ubi siccatus est, exeunt culices cimicibus similes. Dioscorides φύσεις vocat hujusmodi folliculos ulmi. Theophrastus, κωρύκους. Avicena, اقماع *acamah*. De qua voce

A nos supra. Cujus singulare قمع. Quod tunicam proprie significat. Corticem cardamomi ita vocavit Avisena. Hoc loco addit epithetum huic voci, quod tumentes vel inflatos designat, & per hoc expressit vesicas vel folliculos. Humor, qui in his ulmi vesiculis invenitur, ὑγρὸν simpliciter dicitur Dioscoridi: τὸ δὲ ἐν ταῖς φύσεσι κατὰ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν δι᾽ εὑρισκόμενον ὑγρόν. Theophrastus κόμμι vocat, de ulmo: ἀλλ᾽ ἐν ταῖς κωρύκοις τὸ κόμμι καὶ θηρία ἄττα κωνοπειδῆ φέρει. Ita etiam appellat hæc animalia Dioscorides. Avisenæ بوق cimices interpretantur.

B Inde hæc arbor dicta arbor cimicum, شجرة البوق. Gummi illud videntur etiam appellasse sanguinem draconis à colore, & à simili adstringendi facultate. Nam & succum chamæcisthi sic etiam appellatum Græcis invenio. Nicomedes Iatrosophista: αἷμα δρακόντειον, ὁ χυλὸς τοῦ χαμαικισσάρου. Certum est porro χαμαικίσσαρον eos dixisse pro chamæcistho, ut κίσσαρον pro cistho, de quo nos alibi. Neophytus: Λάδων ὁ κίσσαρος. Item: ὑπόκιστις εἶδος ἄνθους ὃ φύεται μέσον τῶν κισσάρων. Et apud alium: ὑπόκιστις, χυλὶς χαμαικισσάρων. Quare sanguinem draconis vocaverint

C succum, qui elicitur ex hypocisthide, nescio, nisi ab astringendi vi & colore pari. Nam & hypocistidis succus rufus ex rufa hypocisthide. Κιῤῥὸν vocat Dioscorides. Cæterum quod hodie vocamus *cinnabari* vel *cinabrium* est veterum Syricum sive sandyx. Arabes dicunt سرنج *serengi*, vel اسرنج *aserengi*, ex Græco Συρικὸν. Addito *elif* ad initium dictionis, ut in plerisque faciunt, quæ ex Græco mutuantur; sic στατὴρ اصطاتير *astatir*, σπόγγος اسفنج, *asphungi* & similia sexcenta. Interpres Avisenæ *serengi* vertit cinnabari. Ex cerussa usta fieri tradunt

D auctores, & σάνδυκα sive συρικὸν proprie vocant. Alpagus in Indice: *Serengi est minium, quod est rubeum valde & ex adustione plumbi.* Idem: *Aserengi, minium.* Item: *Alaserangi, minium.* Avisena hoc ipsum Surengi sive Syricum, quod fit ex cerussa usta, confudit cum vero cinnabari, de quo Dioscorides: δυνάμιν δὲ ἔχει τὴν αὐτὴν τῷ αἱματίτῃ. De vero cinnabari, qui & sanguis draconis dicitur, & arboris lacrima est, auctor ille dicit. Avisena de *Serengi*, quod est Syricum, tradit ipsum. *Est proximum*, inquit, *virtuti Alxednegi.* Sic vocat lapidem hæmatiten, الشاذنج.

E Rubia radix etiam κιννάβαρι dicebatur, teste Neophyto.

CAPUT CVI.

De sarcocolla.

SArcocolla quoque arboris gummi Persicæ: δάκρυον δένδρου γεννωμένου ἐν Περσίδι. Alii dixerunt, δένδρου Περσικοῦ. Unde error quorumdam etiam veterum, qui Persicam arborem sic proprie dictam id genus gummi fundere dixerunt. Sed aliud est, quod heîc notare voluimus. Græci recentiores hoc nomine herbam vocarunt, toto genere diversam à sarcocolla antiquorum. Plinius arborem ipsam etiam sarcocollam vocari observat lib. XIII. cap. XI. *Fit & è sarcocolla; Ita vocatur arbor; & cummis utilissima pictoribus ac medicis, similis pollini thuris, & ideo candida quam rufa melior.* Ita legendus ac distinguendus ille locus. Plinio semper *commis* in genere sequiore, ἡ κόμμις. Tam gummi quam arborem *sarcocollam* dictam docet. Quod & in aliis obtinuit, ut in styrace, galbano, sagapeno, & similibus. At *sarcocolla* apud inferius Græciæ ævum, *argemonia*. Apulejus in Herbario cap. XXXI. *A Græcis dicitur arsella, item sarcocolla;*

F *Italicis argemonia, agrimoniave.* Strabo Gallus in Hortulo:

> *Hic quoque sarcocolam, campos qua plurima passim*
> *Vestit, & effœtis silvarum inventa sub umbris*
> *Nascitur, ordinibus facile est discernere pulcris.*

In lemmate scriptum est: *De agrimonia.* Si istis non credis quasi parum idoneis auctoribus, en tibi alium receptioris & commendatioris fidei. Is est Marcellus Empiricus. *Herba*, inquit, *quam Græci sarcocollam, nos argemoniam appellamus.* Ad suggillationes & livores oculorum illitam efficaciter prodesse dicit Neophytus: Ἀργεμώνη ἑτέρα, οἱ δὲ ἀγριμώνην, οἱ δὲ ἀρσέλλαν,

G οἱ δὲ σαρκοκόλλαν, Ῥωμαῖοι ἀργεμωνίαμ, Φράγγοι πιπινέλλας, οἱ δὲ πεντάφυλλον μακρὰ καὶ πολύκλωνος, τοῖς μὲν φύλλοις ὁμοία πενταφύλλῳ, δενδροφυὴς δὲ καὶ μακρόκλωνος, καὶ ἐπικλινεῖς οἱ κλῶνες πρὸς γῆν. Hanc alterius argemones descriptionem ex Neophyto heîc adscribere libuit; quia diversa est ab argemone Dioscoridis; cui perperam

ram adtextum est hoc caput de argemone altera, cum unius tantum meminerit. Hoc in aliis sexcentis notavimus factum. Hoc igitur argemone est, quam vulgo vocant *agrimoniam* Herbarii, quæque *sarcocolla* Græcis dicta est: non illa ἀργεμώνη Dioscoridis. At quam eupatorium vocavit Dioscorides, haud dubium quidem est, quin ista sit altera argemone Neophyti, quam quinquefolio similem asseverat. Ideo Dioscorides eupatorium & quinquefolium junctim describit. Item illud eupatorium à quibusdam ἀργεμώνιον appellari testatur, sed errare eos arguit: ἔνιοι ταύτην ἀργεμώνιον ἐκάλεσαν πλανηθέντες· ἑτέρα γάρ ἐστιν, ὡς ἀπεδείξαμεν. Ita habet vetustissimus liber: ἀργεμώνιον, inquam, non ἀργεμώνη. Hæc appellatio apud vulgum invaluit, qui *argemoniam* dixit pro argemonio, atque inde transpositis litteris *agrimoniam*. Nec ambigi ergo amplius debet, quin agrimonia nostra, sit eupatorium Dioscoridis & ἀργεμώνιον quorumdam Græcorum; aliud omnino ab ἀργεμώνη illa, quæ folium habet agrestis papaveris. Sarcocolla autem à Græcis appellata agrimonia vulgaris à glutinandis vulneribus, & quod διάκοπτις teste Neophyto solidet. Argemonia itaque Marcel- A li & Apuleji est ἀργεμώνιον vulgi Græcorum & ἑπτάφυλλον, eademque agrimonia vulgaris, in totum alia ab ἀργεμώνη illa Dioscoridis ac veterum Græcorum. Legendum autem in supra citatis Dioscoridis verbis: ὡς ἀπεδείξαμεν. Nam de illa argemone jam tradidit lib. II. ubi interpres Arabs speciem alteram anemones intepretatur: نوع اخر الشقايق, id est, species altera anemones. Eupatorium vero, quod est ἀργεμώνιον sive argemonia vel agri- B monia recentiorum, idem vocat الغافث *algafet*. Avisenæ غافث *gafet*. Hæc Græcorum σαρκόκολλα, sed recentium. Veteres id vocarunt σαρκόκολλαν, quod supra diximus; & apud Arabes appellant انزروت *anzarut*. Lexicon Saracenicum: Ἀντζαρὔτ ἡ σαρκόκολλα. Interpres Avisenæ: *Sarcocolla est gummi arboris spinosæ.* Habet amplius Arabica lectio: *arboris spinosæ de regione Persidis.* Spinam in hac arbore C non agnoscunt Græci.

CAPUT CVII.

De grano nil.

Sunt autem & sua Arabibus ὁμώνυμα, quæ & eorum magistros plerumque in errorem impellunt, haud secus ac Græca Græcos. Seminis genus est ex genere quodam convolvuli, quem vocant نيل *nil.* Unde & semen ipsum vocatur Arabice حب النيل *hab alnil*, granum nil. Avisena interpretatur cartamum Indicum sive cnecum Indiæ, القرطم الهندي *alcartam alhendi.* Speciem esse convolvuli, vel ut Barbari loquuntur, volubilis, quæ hoc granum fert, interpretes tradunt, cui flos colore cæruleo, campanulæ facie. Aliud est *nil* apud eosdem Arabes pro isatide vel potius pro isatidis pigmento, quod Indicum vulgo, appellant. Hinc vetus Glossa Arabica apud Dioscoridem in antiquo codice ἰσάτιν interpretatur, شجرة النيل *segjara alnil*, arborem *nil*, vel ex quo fit *nil.* Avisena sic etiam vocat isatin Dioscoridis, quam & in domesticam pariter & agrestem dividit. Inde utrumque nil plerique auctores confundunt. In expositione antiqua Arabicorum nominum Avisenæ, granum nil exponitur Indicum: *Indicum, id est, granum nil.* Item ad caput de grano nil notant interpretes, id repeti capitulis CCXCVII. & DXII. Quibus locis certum est ab auctore agi de altero nil, quæ est isatis. Nam capite CCXCVII. scribit *usme* esse folium nil. وسمة. Quod omnino de isatide est intelligendum. At capite DXII. ex professo de isatide tractat sub titulo Nil. Quæ in totum diversa ab illo convolvuli genere, qui fert granum nil. Arabes cæruleum colorem vocant نير *nir* vel نيل *nil*, *quod* idem est. Sic & *tincar* dicunt ac *tincal* de chrysocolla. Illud *nir* corruptum videtur ex Latino *nigrum*, ex quo & Italicum *nero* & nostrum *noir.* Ut ex *verum* antiquum *voir.* Quidam *ner* pronuntiant ut Normanni, ut & *ver.* Quomodo & nostrates antiqui Romanenses scribebant. Saraceni porro ut multa nobis vocabula sua reliquerunt, ita nonnulla à nobis ac Latinis mutuo sumpserunt. Ut تونية *tunia* ex Latino tunica, منديل D *mandil* ex mantile, بلكند *blakend* ex placenta. Fortasse & قرمز *kermez* ex vermis, de vermiculo tinctorum. Ita & ex *simila* سميد *semid* pro *semil.* Voluimus aliquando & *gjoar* ex jocario derivatum esse pro margarita. Sed nunc malim originem habere Arabicam. Vocant illi جوهر *gjoar*, quod Græcis est οὐσία, substantia. Avisena antimonium sive stibium sic appellat, & arsenicum, & alia metallica. Inde καΤ' ἐξοχὴν margarita sic appellata, qui- E bus pretium supra res ac substantias omnes, Ita *haud* عود omne lignum, & καΤ' ἐξοχὴν agallochum sic appellatum. Ita & ريحان *rahiam* bonus odor, & per excellentiam basilicum sive ocimum. Ex Latino *nigrum* factum ab his *nir*, quod pro cæruleo usurparunt. Ab eadem illa origine Itali suum *nero*, nos nostrum *noir* deduximus. Cæruleum autem colorem propriè dixerunt *nir*, id est, nigrum, quia & Græci μέλαν de cæruleo saturatiore dicunt. Hesychius: κυάνεον, μέλαν, φαιὸν· Κυανέα, μέλαινα, F φαιά. Κυάνεος, μέλας, σκοτεινός. Κυανέων, Μαύρων, Αἰθιόπων. Purpura quoque nigrior absolutè hoc nomine nuncupata, ut ἴον μέλαν, μέλος ὑάκινθος. Inde ergo & *nil* Arabibus isatis herba sive vitrum sive guastum, quæ cærulo fusciore inficit. Britanni vitro corpora infecti Æthiopum colorem imitabantur. Eodem nomine vocarunt veterum Indicum, quod quidam ex Græcis dixere Ἰνδικὸν μέλαν, alii absolutè Ἰνδικόν. Inde error Plinii, qui *Indicum atramentum* ex illo Ἰνδικῷ μέλανι imaginatus est diversum ab *Indico* sic propriè dicto. Et illud atramentum quidem Indicum inexploratæ sibi inventionis fatetur. Atqui idem est, ut supra jam diximus, cum eo Indico, cujus paulo post meminit & quod limum esse ha- G rundinum Indicarum memorat. Plinium fefellit, quod apud alios quidem Ἰνδικὸν simpliciter, apud alios Ἰνδικὸν μέλαν scriptum repperit. Peripli maris Erithræi Auctor Ἰνδικὸν μέλαν appellat, & commemorat inter merces, quæ ex Barbarico Indiæ emporio invehi solebant. Arabes etiam *nil* vocant hoc Indicum, id est, μέλαν. Hispani *anil.* Glossa Arabica vetus: *Indicum, id est, nil.* Lexicon Græcoarabi-

arabicum : Ἰνδικὸν, τὸ Νίλ. Leo Africanus lib. VI. cap. de Dara, Indicum multa copia in ea urbe Africæ nasci ait, & efficere colorem similem glasto. Herba sanè est Indica, ex qua paratur ille color ad eumdem ferme modum, ut guastum ex isatide. Quidam rori marino eam herbam similem faciunt, ut Linscotius vel Paludanus, qui anil sive Indicum herbam esse tradit roris marini facie, quæ seritur, plantatur, evellitur, siccatur & præparatur, ex qua Indicum conficitur. In Gusaratte dicitur *gali*. Quod etiam testatur Garcias, qui *mangiriqua* similem dicit. Clusius *ocimum* vertit. Sed ocimum facie magnopere differt à rore marino. Odoardus Barbosa species & merces omnes Indicas enumerans, & quo quæque pretio illis locis ematur, commemorans, *anil* distinguit ab *Indico*: perperam, cum idem sit. Utriusque idem pretium in India esse docet. Nec mirum, utpote quæ non diversæ sint species. Veteres Indicum suum, limum esse ebullantem ex harundinibus Indicis, tradiderunt. Quod tamen non aliud est ab hodierno, quod dicitur *Nil*; sed ignorabant, quomodo fieret, & unde, ut sericum & alia. At granum Nil ab Indico sive Nil tinctorio diversum. Eadem tamen significatio est, & ab eadem origine. *Granum nil*, semen esse nigrum Bellunensis asserit ex convolvulo, cujus flos cæruleus, similis campanulæ vulgo dictæ. Avisena Kartamum Indum esse scribit. Ergo à flore cæruleo hæc herba *nil* appellata, cujus semen dictum est granum Nil. *Nilaa*, sapphirus cærulea Indis teste Garcia, ab eadem origine: & *nilacundi* gemma ex sapphiro & rubino composita. Quæ fortè vox corrupta pro *nilajacundi*, idque pro *nijacunti* vel *niljacuti*, id est, sapphiro-rubinus. Nam rubinum vocant *jacut* ياقوت. Latii quoque posterius ævum jacinthum dixit τελουπάδως, pro hyacintho. Arabes interdum Græcorum ὑψιλὸν per *vau* exprimunt, id est, per *ou*, ut in hac voce *jacut* vel *jacuta*, & in *Kurine* pro Κυρήνη. قورينا: interdum per *jota* efferunt; ut πορφύρα برفير *borfir*. Unde برفيري *borfiri* pro purpureo apud Avisenam. Rubinum itaque nostrum propriè dixerunt *jacut*. Unde apud Avisenam aliquot locis color rutilus aut subrutilus vocatur لون الياقوت, *color hyacinthi*. Ut de amomo, quod in Græcis Dioscoridis legitur ξύλον ὑπόκιῤῥον, illo modo reddidit. Veteres Græci *hyacinthinum colorem* de cæruleo saturo & nigro dixerunt. Unde crines Indorum apud Dionysium comparantur hyacinthis, & apud poëtam crines nigri ὑακινθίνῳ ἄνθει ὅμοιοι. Talis color floris hyacinthi, sed fabularis, quem poëtæ μέλανα ὑάκινθον dicunt. Lapis quoque hyacinthus veteribus violacei coloris, sed diluti. Cæruleum facit isidorus. Hinc chimici Græci ad tingendos hyacinthos, succum floris cognominis, & isatidem cum Indico adhiberi ajunt. Zosimus de variis lapidibus tingendis : ὅτι ἡ ὑακίνθων, ὑακίνθε πόα, ἢ ἰσάτιδ@ ῥίζα συνεψομένη. Item paulo post : ὅτι ὑακίνθε ἡ πίαν ὑακίνθον, καὶ μέλαν Ἰνδικὸν, ἢ ἰσάτιδ@ ῥίζαν. Sic ejusdem coloris illis sunt isatis, Indicum, & hyacinthus lapis. Arabes vero, ut dixi, pro rubino propriè ponunt colorem hyacinthinum ياقوتي *jacuti* pro rubro. Hic est ὑάκινθ@ ῥοδινὸς Epiphanii, qui plura genera tradit, de quibus nos alibi. Primum genus ab eo dicitur θαλασσίτης ὑάκινθ@. Hic veterum cæruleus hyacinthus. Arabes hoc nomen etiam ad alios lapides abusivè transtulerunt. Nam & flavos faciunt hyacinthos sive citrinos. Serapio vocat حجر الياقوت *hagjar aljacut*, & tres ejus differentias per colores statuit, rubrum, citrinum, & tertium, qui dicitur *cabali* كحلي. *Antimonialem colorem* reddunt, qui niger est; unde pulvis mulierum niger collinendis

A oculis ex stibio. Id à verbo كحل, nigrescere: & كحالة *cahala*, nigredo. Hebraïcum quoque est כחל *cochal* pro stibio; unde verbum כחל pro fucare & stibio oculos circumlinire. Inde Arabicum الكحل *alcahol* pro stibio. Saadias كحلي *caholi* vertit, quod in Hebræo est נפך *nofech*. Lapidem nigrum pretiosum Judæi magistri exponunt. *Carbunculum* ubique vertit Hieronymus. Alii rubi-

B num esse volunt. Alii smaragdum. Targum vocem illam Hebraïcam interpretatur אזמרגד, id est, smaragdum. Persica Paraphrasis فيروزة *firusa*. Quod de smaragdo quidam accipiunt. Sed Persæ hodie Arabesque omnes Turchesiam nostram sic vocitant, quæ cærulea est, & est jaspis veterum ἀεῤίζοσα vel ἀεροειδής. Dionysius: ἠεροέσσαν ἴασπιν. Unde illud fortasse nomen depravatum. Vetus Lexicum Latino-arabi-

C cum sapphirum interpretatur Arabice الزمرد الفيروزي *azzemard alfiruzi*, id est, smaragdum, qui colorem habet *firuza*. Nam الفيروزي *alfuruzi* idem quod *firuzinum* vel coloris *firuzini*, idemque cum aëririno vel cæruleo. Interpretes Arabici *sapphirum* quoque pro hyacintho Cahali, qui colore est stibino vel nigro ponunt. Alpagus in Lexico notat, *jacut* apud Arabes nomen esse commune ad rubinum, sapphirum & hyacinthum citrinum: *jacut* tamen absolute positum significare rubinum. Hoc nimirum vult, nomen

D *jacut* solum per se enuntiatum Arabibus denotare rubinum sive rubrum hyacinthum: adjecto vero coloris cognomine opus esse, ut alios hyacinthos intelligamus; ut dicatur hyacinthus luteus, hyacinthus cæruleus vel niger, qui tales sunt. Hyacinthus autem sine additione sit rubinus. Inde color hyacinthi pro rubro apud Avisenam. Glossarium Latino-Arabicum vetus topazion gemmam interpretatur *jacut jatabala* ياقوت يتبالا, & esse dicit الياقوت الاصفر *aljacut alasfar*, id est; jacinthum citrinum. Alio loco idem auctor *jacut* exponit margaritam, gem-

E mam, & lapidem pretiosum. Malè vir magnus in Notis ad Garciam dicit ياقوتي καλλάινον, id est; flavum colorem significare. Καλλάιν@ non est flavus, sed venetus; qui est color hyacinthi cærulei. Præterea non flavum absolutè colorem ea voce exprimunt Arabes, sed rubrum vel subrutilum, ut ex Avisenæ multis locis constat. Cum hyacinthum cæruleum volunt dicere iidem Arabes, non *jacut* simpliciter dicunt, sed cum adjuncto ياقوت كحلي, *jacut*

F *cabali*, id est, hyacinthus niger. Alpagus ex interpretibus Arabum sapphirum dixit positum significare rubinum. Ubi sapphirum dixit pro eo genere hyacinthi, quem Serapio vocat *cabali*, id est, stibinum vel nigrum. Garcias scribit sapphirum ab Indis vocari *nilaa* نيلة à colore scilicet *nil*, qui est fuscus ex cærulo. Vetus auctor: Σάπφειρ@, λίθος φαιὸς λαζουρόχρο@. Hoc autem apud Garciam observavi, semper duplex *aa* in fine poni pro *he* punctato ة. Sic *ferusaa* à Persis ait dici Turkesiam, quæ ab illis فيروزة *firuza* dicitur. Et *caculaa* pro cardamomo

G quod Arabice est قاقلة *cacula*. Illa sapphirus *nila* à colore *nil*, quod est Indicum. Σάπφειρ@ μέλαινα Theophrasti, ut Ἰνδικὸν dicitur μέλαν. Ejusdem coloris est & hyacinthus cæruleus, quem *cabali*, id est, stibinum appellat Serapio. Eum hyacinthum isatide & Indico infici tradit Zosimus. Utrumque colorem isatidis & Indici Arabes vocant *nil*.

Glossa Arabica in antiquissimo Dioscorides codice τὸ σῖβι interpretatur كحل. Item أثمد *atamed*. Quo-[...]o & Avisenæ appellatur. Saadias hanc vocem etiam pro Hebraïca *nofech*. Sic Hebraicam vocem פוך alii pro stibio, alii pro gemma nigri coloris accipiunt. Et stibinos lapides dixit Hieronymus. *Antimonium* hodie vocant. Græci quoque recentiores ἀνϑιμόνιον. Nicolaus Myrepsus ita vocat in Antidoto διὰ κασσίας, ubi perperam Fuchsius legit *artimonii*, *id est*, *Pyrethri*. Pro quo habetur in Græcis ἀντιμονίε ἤτοι πυρέθρε. Deest explicatio vocis ἀντιμονίε, quæ supplenda hoc modo, ἀντιμονίε ἤτοι σιβίε, πυρέθρε. Forte ex Arabico *antimend* pro *atimed*. Inde *antimendium* & *antimondium*, atque *antimonnium* insertis, ut plerumque alias solent in medio nominum, duobus *nun*. Plumbeum colorem refert stibium. Quo colore nigrum hyacinthum esse tradunt, & Indicum; item cæruleum. Certe Glossa Arabica Dioscoridis tam Ἰνδικὸν quam κυανὸν interpretatur مصخر. Eadem Glossa λίθον μολυβδοειδῆ Dioscoridis, qui à colore plumbi sic dictus est, explicat اجر مصخر. *Nigra moneta* pro plumbea apud Martialem. Stannum quoque ac plumbum eodem appellarunt nomine, quo stibium, quia illi concolor. Index Alpagi: *Alcahali è stanno*, id est, الكحلي. Veteres Indicum appellarunt, quod ex India afferebatur, idque putabant Indicarum arundinum linum esse. Indicum tamen etiam appellabant spumam supernatantem cortinis tinctorum purpurariis. Hodie *Indicum* vocant id quod ex isatide conficitur. Hinc Arabum interpretes apud Serapionem cap. XLVI. *Nil*, *id est*, *Indicum*. Ubi agit de isatide utraque ex verbis Dioscoridis. Arabes quoque isatidem vocant eo nomine, quod ex voce illa Indicum fecerunt, ليلنج *Lilengi* pro *Inlengi*, idque pro *Indengi*. Sic ex Sericum *Serengi*. *de* autem in *lam* mutarunt in illa dictione, ut ex cadmia finxerunt *calimia* pro *cadimia* قليميا. Dicere ergo hac ratione debuerunt *Inlengi* pro *Indengi*; sed quia *nun* & *lam* in Arabico sermone jungi refugiunt, & ex illis litteris sunt, quæ vulgo incompatibiles vocantur, pro *Inlengi* transpositis elementis dixere *Nilengi* & *Lilengi*. Nam pro *nun* sæpe ponunt *lam* in his, quæ è Græco transferunt. Ut pro κάστανον dicunt قسطل *castal* & *castalon*. Sic in antiquis codicibus *Linufar* pro *Nilufar* لينوفر pro نيلوفر. Glossa Arabica vetus apud Dioscoridem ἰσάτιν ἥμερον ita interpretatur شجرة النيل وهو الليلنج, id est, *segiar alnil*, *& est Allilengi*. Plantam *nil* dicit esse *Lilengi*, hoc est, Indicum. Ad vocem autem

A ἰσάτις ἀγρία sic adscriptum habetur in illo codice antiquissimo regio: ليلنج وهو النيل, *Lilengi*, *& est Alnil*. Ita isatin communem, quia similem Indico colorem efficeret, Indicum quoque appellarunt. Constat autem verum Indicum ex herba isatidi simili confici, quæ & isatis Indica dici potest. Mentio est apud Avisenam lib. IV. quo loco tractat de medicamentis nigro colore capillos inficientibus, *Indici Indi*. Quod est verum Indicum, quod ex India affertur. Sed ridiculum est Indicum Indum dicere, hoc est, Ἰνδικὸν Ἰνδικόν. Pro Indico Indo interpretis Arabica le-

B ctio habet, الوسمة الهندية *alusma Albendia*, id est, isatis Indica. Nam وسمة *usma* est folium *nil* sive isatis, eodem Avisena interprete secundo canone. Pavonaceo colore illam isatidem Indicam dicit. طاووسي vocat, à voce طوس *thaos*, quæ pavonem significat ex Græco ταώς. Color pavonaceus cærulo & purpurâ temperatus. Talem colorem Indicum suum facere veteres tradunt, quod Plinius ait dilutum mirabilem purpuræ ac cæruli mixturam reddere. Nullum itaque dubium, quin Indicum antiquum sit idem cum hodierno. Meminit & eodem

C capite Avisena & isatis è Carmania. *Indicum Carmanum* appellat interpres. Avisena vero nominat الوسمة الكرمانية *alusma Carmania*, id est, isatidem Carmanicam, vel usme Carmanicum. Nigriorem efficere colorem & minimum habere pavonacei ibidem testatur Avisena. Hodie quoque in Gusaratte, quæ Gedrosia & Carmaniæ vicina, multa Indici copia conficitur ex herba ibi nascente. *Gali* ab incolis vocari asserit Garcias: forte pro *cahali* vel *cali*, id est, nigrum. Græci similiter μέλαν vocarunt & Ἰνδικὸν μέλαν; qui tamen ignorarunt, quomodo fieret. Nescivit quoque Avisena Ἰνδικὸν Græ-

D corum, quod & μέλαν Ἰνδικὸν, idem esse cum *nil* vel *usme* Indico. Quippe qui capite de atramento librario de illo Indico veterum ex Paulo tractet, quasi genus atramenti fuerit. Vulgarem isatidem Græci ἰσάτιν Ἰταλικὴν appellant. Sane & Paulus post mentionem μέλανος Ἰνδικοῦ, statim subjicit de atramento librario, quia medicamenta simplicia ordine alphabetico pertractat. Qui ordo sæpe conjungit, quæ genere sunt disparia. *Vitrum* antiqui Latini dixerunt. Unde vitreus color pro cæruleo, τὸ ἰσατῶδες χρῶμα. Unde vitreolum chalcanthum, τὸ κυάνεον. Tres hi colores distinguntur in Historia Augusta, prasinum, Venetum, & vitreum. Ubi *pra-*

E *sinum* est viride: *Venetum* ex viridi ac cærulo mixtum, quod Græcis καλάϊνον: *vitreum* τὸ κυάνεον, qui color est isatidis. Aliud est *vitreum* τὸ ὑέλιζον χρῶμα, quod & pro viridi sumitur. De *glasto* & *guasto*, quo nomine isatin Barbari nuncupant, nos alibi.

CAPUT CVIII.

De usnan.

IN Lexicis Græco-arabicis reperio: ὕσναν, ὕσσωπον κίτρινον, ᾧ τὰ ἱμάτια πλύνουσι. Apud Serapionem nomina Arabica corrupta sunt: *Usnen est*, *quo dealbant pannos*, *& est alumen asfor*. Forte fuit in Arabico: جرو العصافير, *charu asafir*, stercus passerum. Sic vulgo vocabant usnen album. Sed potius scriptum in Arabico putarim الاشنان اصفر *alusnen asafar*, *id est*, ulnen citrinum. Idem Lexicon Græco-arabicum: τζωάννη κέρμαχ ὕσσωπον κυα-

F νὸν, ᾧ τὰ ἱμάτια πλύνουσι. Genus & hoc *usnen*. Puto esse, qui corrupte dicitur apud interpretem Serapionis *johal chansarim*. Legendum autem censeo in illo Lexico: ὕσσωπον κυανὸν, ᾧ τὰ ἱμάτια πλύνουσι. Illud est, quod achadar Avisenæ vocatur. Sic ὕσσωπον κίτρινον de citrino usnen interpretatur. Vocabulum ὕσσωπον de omni re, quæ lavandi & abstergendi facultate prædita est, usurparunt. Sic in antiquo

G Lexico Latino-arabico dictio Arabica غاسول *gasulon* exponitur, *nitrum*, hyssopus. Id à verbo venit غسل quod

quod est lavare. Unde & غسال *gasalon*, fullo, cujus proprium munus est lavare pannos. Hyssopum abstersivum esse, notum. Græci recentiores ab ea re σαπωνίδα appellant, id est, saponariam. Neophytus: ὕσσωπον βοτάνιον, ὅπερ παρὰ τοῖς σάπωνις λέγεται ὡς καθαρτική. Alias etiam herbas ita vocarunt, quæ ad sapones & lomenta usui sunt. Dictio autem Arabica suprascripta *lomentum* proprie significat, quæ per voces *nitrum* & hyssopum explicatur. Nitri in balneis plurimum olim fuisse usum cum lomentis, notius est quam ut debeat pluribus confirmari. Alia porro herba est lotoriâ facultate pollens, quam tradunt similem usnen. *Cakile* vocatur Serapioni. Garcias *chacule* appellat, & herbam lotoriam interpretatur; qui & juncum aromaticum ab Arabibus ita dictum notavit. Sed hallucinatum eum ostendimus, & herbam *cachule* pro *herba chasili* perperam hariolatum esse docuimus. Nam juncus odoratus *herba chasili*, dicebatur, id est, herba palearis. Arabicè حشيش قصيلي *haxis casili*. At *cachale* vel *cachali* herba lotoria similis usnen. Apud Avisenæ interpretem legitur: *Culcas, id est, kakile*, quæ herba ibi traditur similis usnen. In Arabicis scriptum planè extat قلقاس, pro quo Alpagus notat ad marginem Arabice legi *chachab* seu *chachal*, & *soldanellam* interpretatur. In Indice vocat *alkakali* & *alchachali*. Profecto corruptum illud Culcas in Arabico, & fortasse legendum قلقلي *kalcali*, pro قلقاس. Fortasse etiam duo capita in unum coaluerunt sub eodem titulo, cum altero de *Culcas*, altero de *Cacali* dixisset. Quæ de *Culcas* scripserat, desiderantur; solus titulus remansit: ut contra titulus *Kakali* deest, res adest sub alieno lemmate. Hoc idem in aliis etiam contigisse apud Avisenam in textu Arabico observavimus. *Culcas* non aliud potest esse quam Græcorum κολοκάσιον, radix hodieque in Ægypto notissima hoc nomine. *Culcas* etiam Serapioni vocatur capite CCCIII. id est, قلقاس. Quæ de culcas produntur ab Avisena, nullo modo conveniunt huic nomini. Illud præcipuè, quod salsi saporis esse dicit. *Cacali* herbæ sive *Kakile* hoc potius congruit. *Soldanellam* vulgo dictam esse volunt, eamdemque cum olere marino veterum, quæ θαλασσίᾳ κράμβῃ Dioscoridi. Olus tamen marinum folium habet longum aristolochiæ rotundæ figurâ, si eidem Dioscoridi credimus; à qua non parum abire diversam oportet faciem foliorum herbæ cachali, siquidem usnam similis est.

A Index vetus Avisenæ: *Culcasia, id est, alusnen.* Gulcasiam dixit pro cachali ex vitio codicum Avisenæ, qui culcas tradit similitudinem habere الاسنان *Alasnan.* Idem tamen alio loco repetit: *Alusnen, id est, culcasia.* Brassicam marinam quidam ex recentioribus describunt foliis tenuissimis, & in longitudinem porrectis, qualia sunt salicis. Non erit igitur hæc brassica marina eadem cum θαλασσίᾳ κράμβῃ Dioscoridis, cui folia aristolochiæ rotundæ. Avisena
B kakille, quam volunt esse soldanellam, folia tribuit olivæ similia, sed longiora & majora. Plinius olus marinum simile sativo tradit. Dioscorides contra toto genere à sativo distare dicit: ἡ δὲ θαλασσία λεγομένη κράμβη ἐξήλλακται τῷ παντὶ τῆς ἡμέρου. Credam illis, qui nihil credendum Plinio credunt. Kakille ad citrinum colorem vergere scribit Avisena. Hoc erit fortasse κονιὰν κίτρινον vel ὕσσωπον κίτρινον Lexicorum. Quod tamen non affirmo. Folia nasturcii suo cachille dat Serapio, quod instar habere memorat herbæ usnan. Prosper Alpinus tria
C genera *chali* commemorat in libro de plantis Ægyptiacis. *Kella* ab Ægyptiis ait vocari. *Kelu* & *keli* vel *kali* idem. Sic *fulful* & *filfil*, granum *culcul* & *cilkil*. Herbam ipsam vocat *kali*, cum cineres ex combusta herbâ sic proprie dicantur Arabibus. Herba autem usnen. Inepte itaque Brassavolus in Examine simplicium, qui kali formam usnæ habere narrat, sed folia in kali longiora esse. Nihil absurdius. Immo usnen herba est, ex qua fit kali. Fefellit eos loquutio Arabibus familiaris in plerisque herbis atque arboribus denominandis. Cum quid memorabile ad usum medicum ex aliqua planta adsu-
D mitur, sive succus sit, sive gummi, aut flos, aut fructus, aut aliud quodcunque; solent plantam ipsam ab illa re, quæ in usu communi vel medicina celebratur, nuncupare. Opoponacem vocant *giauxir*. Ergo & ipsam herbam appellant *segiar algiauxir*. Tragaganthæ gummi nominant *cathira*. Inde & stirpem ipsam vocitant *segiar alcathira* arborem, ex qua sumitur alcathira. Proprium & suum aliud huic plantæ nomen *cathed*. Fructus terebinthi granum viride appellant, atque ex eo terebinthum *segiar haba achadara*, id est, arborem granorum viridium indigetant. Ita igitur & *cali* cineres ex her-
E ba quadam cremata, quorum usus ad sapones & vitra facienda. Hæc herba dicitur *usnan* Arabibus; qui nihilosecius eam quoque nominant *haxis Alcali*, id est, herbam, ex qua fit *kali*. *Soldam* vulgo appellitant. Inde *soldana*, quæ & *soldanella*, alia herba similis illi, ex qua fit *solda*. Eadem ferme nominis similitudo in *kali* & *kakali*. *Solda* illa, hæc *soldanella*. *Usne* aliud est, quam *usnen*. Nam *usne* est bryon aromaticum اشنة: herba vero dicitur
F اشنان. Herbam tamen vulgo vocant *usne*.

CAPUT CIX.

De bdellio.

MOkel Arabes vocant bdellium مقل. Non *molechil*, ut apud Serapionis interpretem legitur, quem sequuntur omnes. Gummi esse odoratum arboris Arabicæ vel Indicæ nemo ignorat. Hinc ὁμώνυμον apud Arabes alterum *mochel*, quod est fructus arboris ex palmarum genere. De utroque *mochel*, distinctis ac separatis capitibus tractavit Serapio. Avisena utrumque uno capite complexus est, cum ni-
G hil tamen habent cognationis inter se præter nomen. Sed distinctionis gratiâ alterum vocarunt *mokel Meccense*, alterum *mochel Judaicum*. مقل اليهود مكي *mochel aljecheud* & *Mecchi*. Interpres Avisenæ utrumque ex eadem arbore colligi tradit his verbis, contra manifestam auctoris mentem: *Bdellium Judaicum aliud est Scalebi; & aliud Arabicum, quod est aliud à bdellio arboris Aldum, & ambo sunt ex arboribus Aldum.*

Aldum. Mechium autem est fructus arboris Aldum. Videtur existimasse bdellium Mecchicum esse fructum ejusdem arboris, ex qua bdellium Judaïcum, quod est gummi, colligebatur. Sed verba Avisenæ aliud sonant, ut in Arabico scripta sunt: *Bdellium Judaïcum. De eo aliud est Sclabicum, aliud Arabicum præter Judaïcum, & utrumque horum in medicina. Bdellium autem Mecchense fructus est arboris Romanensis.* In Arabico est ثمرة شجرة الروم, *Thamara segiar Alrum*, id est, fructus arboris ex Romania. Pro quo legisse videtur interpres الدوم *Aldum.* Sed & paulo ante, ubi in Arabicis scriptum habetur utrumque genus bdellii Judaici, Sclabicum nempe & Arabicum, esse من الدوا, *min Addua*, significatque in medicina locum habere, pro الدوا legit الدوم *Aldum.* Quod tamen ferri non potest. Ex eo quippe sequeretur unam eamdemque arborem id genus gummi odorati sudare, cui Græci veteres nomen βδέλλην & βδέλλιον fecerunt, & fructum illum ferre, quem Arabes cognominem huic gummi faciunt. Serapio in Hispania nasci arborem illam ex palmarum genere, sed fructum ibi non perferre dicit, qui in Mecchensi territorio maturatur. Fortasse arborem *Alrum* ideo vocavit auctor. Ita enim vocant, quidquid in orbe Romano nascitur. Puto tamen ibi scriptum fuisse الزوم *Alzum* pro *Aldum.* Nam frequenter apud Arabes *dal* & *ze* invicem mutantur. Facile autem pro *ze* subrepsit *re.* Inde *Alrum* pro *Alzum*, idque pro *Aldum.* Nescio igitur, unde illud *Aldum* expiscatus Avisenæ interpres. Qui Serapionem in Latinum sermonem convertit, arborem junci interpretatur. Id esset Arabicè شجر الديس, *segiar Aldis.* Alpagus tamen in indice notat *aldum* genus esse arboris apud Meccam notum ac silvestri palmæ simile, fructus producens haud absimiles nuci Indicæ, sed minores. *Cifilionem* habere hanc arborem tradit Serapionis interpres ut palmam, & *cephalionem* intelligit sive ἐγκέφαλον arboris palmæ, de quo in Exercitationibus plura. Falsus autem Brassavolus, quem plerique omnes sequuntur, qui scribit antiquorum bdellium ab Avisena in Judaïcum & Arabicum distingui. Immo Avisena Judaïcum bdellium, quod est gummi, distinguit à Mecchensi, qui fructus est arboris. Judaïci autem bdellii duo genera facit, Sclavicum & Arabicum. Ergo Judaïcum generale cognomen utriusque generis gummosi ad discrimen fructûs cognominis. Sic multæ species Indicæ atque Arabicæ veteribus dictæ Syriacæ, quod in Syriam ex Arabia & India deferrentur. Marcellus Empiricus de exoticis speciebus & aromaticis medicinæ servientibus:

Adde & aromaticas species, quas mittit Eous,
Vel quæ Judaïcis flagrant bene condita capsis.

Id est, Syriacis. Nam & Græcis Geophraphis Συρία Παλαιστίνη pro Judæa. Eædem species Indicæ à loco natali, & Syriacæ sive Judaïcæ ab emporiis vel officinis institorum. Sic Judaïcum bdellium idem cum Syriaco, cujus duæ species Indica & Arabica. Avisena tamen videtur sentire, speciem esse quamdam bdellii Judaïcam aliam ab Arabica & Sclavica. Quippe scribit aliud esse Sclavicum bdellium, aliud Arabicum præter Judaïcum, غير مقل اليهود. Eodem errore Dioscorides Syriacam nardum, quæ eadem est cum Indica, diversam fecit. Idem Dioscorides tria genera bdellii videtur agnoscere, & satis confusè historiam ejus explicat. Lacrimam esse dicit arboris Saracenicæ, id est, Arabicæ, tralucidam & taurino glutini colore similem. Deinde addit, alterum genus esse sordidum ac nigrum in offas convolutum, quod ex India ad-

A fertur. Subjicit ultimo, adferri etiam ex Petra, siccum, resinosum, subnigrum, hoc est, ὑποπέλιον. Jam hæc tria genera sunt. Fortè per Judaïcum Avisena Petræum voluit designare, quatenus & Πετραῖον interdum de Judæo Plinius interpretatur, & *Petræa* Judæa eidem dicitur: ac Stephanus Πέτραν urbem, quæ Arabiæ Petrææ nomen dedit, tertiæ Palæstinæ adjudicat, quam Judæam esse constat. De quo in Exercitationibus. Meminit alicubi Avisena bdellii cinereo colore. Vocat مقل زرق *mochel zarac*, B quod idem videri posset esse cum Petræo Dioscoridis, quod ὑποπέλιον vocat. Nam Indicum nigrum est; Arabicum autem unguis humani colore, vel tralucidæ ceræ simile. Posteriores omnes Dioscoride Græci auctores duo tantum agnovere bdellii genera: Σκυθικὸν vocant & Ἀραβικόν. Ita Galenus, Aëtius, Paulus Ægineta, & alii. De Scythico ea planè scribunt, quæ Dioscorides de Indico, ut planè inde constet Σκυθικὸν ab his vocari, quod Dioscoridi dicitur Ἰνδικόν. Per Σκυθικὸν docuimus alibi C debere intelligi, quod ex Indo-scythia adfertur sive meridiali Scythia, quæ ad Indi fluminis ostia. Bdellium inde afferri tradit auctor Peripli. Avisena pro Scythico Græcorum bdellio, quod idem est cum Indico, dixit *Sclabi*, صقلبي. Interpres scribit *Scalabi.* Sed Græcorum recentium Σκλαβίαν intelligit, quæ hodie Sclavonia. Nam *Sclavi* & *Sclavones* iidem. *Teuti* & *Teutones.* Constantino de imperio Σκλάβοι dicuntur, & Σκλαβικὰ ἔθνη; & Ἀράβες vel Ἀράβεις etiam dictos prodit, qui Græcis etiam inter Σκυθικὰ ἔθνη. Apparet igitur Avisenam Σκυθικὸν βδέλλιον apud Græcos accepisse de vero Scy- D thico, ex Scythia septentrionali & Europæa allato. Quod absurdissimum. Nullum enim in illa Scythia bdellium. Apud Serapionis interpretem in verbis Galeni *Siculum bdellium* pro Scythico dicit. In Arabicis legit صقلبي *Sclati*, quod Siculum interpretatus est, pro Sclabico. Idem igitur Serapionis error & Avisenæ, qui Scythicum bdellium, quod est ab Indo-scythia vel Scythia australi, de Scythia septentrionali acceperunt perperam. Frustra sanè hodie apud Sclavos quæratur bdellium. E Quod autem bdellium Judaïcum, cujus species altera Arabica est, à Meccensi separant, quem fructum arboris esse volunt; quis negare possit, quin & Meccense Arabicum sit? Sic duo fuerint Arabici bdellii genera: alterum, quod est gummi; alterum, qui fructus est arboris. Et ipse sanè Avisena eodem capite bdellium etiam Mecchense novit, quod idem cum Judaïco, nec est fructus arboris. Ita enim interpres: *Et Mechium, quod non est ex fructu palmarum silvestrium, & est bdellium* F *Judaïcum, aufert scrophulas.* Nihil de fructu palmarum silvestrium in Arabico textu habetur, sed simpliciter scribitur in hanc sententiam: *& Almechi, quod non est fructus Alram, & est bdellium Judaïcum, aufert scrofulas.* In Arabicis est ثمرة الروم *thamara Alrum*, quod sonat fructus Alrum. Ubi habes eamdem scripturam initio capitis, pro quo legit interpres *Aldum.* ثمرة simpliciter significat fructum arboris cujuslibet. At ثمر *thamar* etiam pro dactylo sive fructu palmæ. Hinc videtur interpres illud thamara Alrum de fructu palmarum silvestrium exposuisse. Et non bene Matthiolus, qui arborem illam Mecchensem, ex quo bdellium Me- G chi Arabum putat esse eamdem cum illa palma, quæ Græcis χαμαιρρέπης dicitur. *Cafaglioni* hodie à Siculis vocatur. Arbor illa Mecchica fructum fert, teste Alpago, nucibus Indicis similem, sed minorem. Baccæ vero cephalionis vulgaris longè ab illa forma ac magnitudine distant, quæ admodum minutæ sunt & racematim ex ramis dependent. At fructu bdellii Mec-

Mecchici fabros lignarios uti in capite terebrarum suarum, quæ cum arcu commoventur, tradit Alpagus; adeo nempe durus est. Ridiculus etiam Matthiolus, cum dicit, putare se vulgarem *cefaglioni* appellationem à Mauritanis acceptam ferri debere, quia apud Serapionem legitur, *Cefilio est cor istius plantæ, & natura ejus est sicut natura palmerii.* Verba isthæc sunt interpretis. In Arabico fuit دماغ *dimah*, quod cerebrum vel medullam denotat. Vetus interpres *cefilionem* vertit, quod est corruptum ex *cephalio.* Ita usus hac voce Palladius ad designandam plantam palmæ, cujus vis in cerebro præcipua, quod Græcis ἐγκέφαλον vocant. Sed & κεφαλὴν dixere in palma. Unde κεφάλιον Latinis veteribus *cephalio, cephalionis*; ut *damalio, damalionis* ex δαμάλιον. Sed hæc obiter. Duplex igitur Avisenæ bdellium: Mecchense unum, idem cum Arabico genere gummis: alterum arboris fructus. Vocat fructum *Alrum* الروم. Jam diximus supra, posse ita vocari, quod etiam in orbe Romano nasceretur hæc arbor. Nam in Hispania etiam nasci tradit Serapio. Sed fortasse الزوم *Alzum* scribi debeat pro *Aldum.* Ut *Zufa* & *Dufa* idem, & similia. Bdellium Mecchense Avisenæ, quod aliud est ab arboris fructu idemque cum Judaïco, id fortasse genus, quod à Petra dixit advehi Dioscorides. Hodiernam Meccam eamdem esse cum veterum Petra plerisque placere video. Emporium olim fuit celeberrimum mercium Indicarum atque Arabicarum, in quod merces advehi solebant ex Albo vico, qui portus erat Arabici sinus. Et fortasse unum idemque bdellium Indicum & quod ex Petra invehi tradit Dioscorides: ἔστι δὲ καὶ ἕτερον ῥυπαρὸν καὶ μέλαν ἁδρόβωλον, παλαθῶδες, κομιζόμενον ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς· φέρεται δὲ ἀπὸ τῆς Πέτρας ξηρὸν, ῥητινῶδες, ὑπόπελιον. Ita sanè acceperunt Græci, qui Dioscoridem sequuti sunt, ac duo tantum genera bdellii constituunt, Arabicum & Indicum quod vocant Scythicum. Aëtius: τὸ μὲν Σκυθινὸν ὀνομαζόμενον, ὃ δὴ καὶ μελάντερον καὶ ῥητινωδέστερον. Addit ibidem Dioscorides de illo Petræo, quod resinosum ait esse, ἀδρανέστερον τῇ δυνάμει. Primum igitur atque optimum Arabicum, secundarium Indicum, quod à Petra Arabiæ emporio adferri memorat. Non nego tamen, aliter accipi posse verba Dioscoridis; de tribus nempe generibus bdellii. Plura recenset Plinius, qui & Babylonium nominavit, ac Medicum; item Bactrianum. Avisena optimum esse bdellium dicit, quod est varium, clarum. Sic interpretes. In Arabico est: الازروب الصافي. Forte legendum الازرق, id est, *alazarac*, varii coloris vel cinerei. Nam & alibi commemorat bdellium زرق *zarac*, quod idem est. Dioscorides commendat, διαυγὲς ταυροκολλῶδες: Plinius *tralucidæ ceræ simile.* Tale Arabicum. Idem tamen Avisenæ sub finem capitis Arabicum bdellium laudat eo nomine, quod sit الصافي الاحمر, hoc est, ut vertit interpres, *clarum, rubeum.* Malim dicere, tralucidum, rubrum, διαυγές. Vox Arabica صافي *saphi*, liquidum ac defæcatum designat. Unde مصفاة, colatorium, saccus. Τὸ διαυγὲς Græcorum ita expressit Avisena. Addit Dioscorides de optimi bdellii notis, quale fuit Arabicum: εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἐοικὸς ὄνυχι. Unguis humani similitudinem in eo notat sive ex candore sive ex lævore. De Bactriano bdellio narrat Plinius, multos candidos in eo esse ungues. Hinc Damocrates apud Galenum βδέλλην ὄνυχα vel βδέλλης ὄνυχα vocat de præstantissimo ac tralucido:

Βδέλλης ὄνυχός τε τῆς διαυγοῦς ὡς δραχμήν.
Item: Σχοίνου δυόδεκα, κρόκου μίαν, καὶ βδέλλης.
Ὄνυχος δραχμὰς τρεῖς.

A Non igitur potest ita exponi apud Dioscoridem, ut accensum unguis odorem referat, quemadmodum Arabes interpretati sunt; qui sic hæc junxerunt, ἐν τῇ θυμιάσει ἐοικὸς ὄνυχι, cum incenditur odorem habens unguis. Qui & de ungue odorato intellexerunt. Sanè & Græci interdum ὄνυχας absolutè vocant ungues aromaticos, ut apud Myrepsum in Thymiamatis ὄνυχες μικροὶ ἢ μεγάλοι, de unguibus odoratis. Sed heîc non potest in eum sensum sumi. Nec ὄνυχας βδέλλης censendus appellasse Damocrates, quod incensum bdellium præferret odorem unguis odorati. Quod est summopere absurdum. Serapionis interpres
B de bdellio: *proferens odorem bonum similem odori blattæ Byzantiæ*, id est, unguis odorati. Apud Avisenam legitur رايحة الغار *raihat algar*, id est, odore lauri. Vix putem tamen aliter legisse Avisenam apud Dioscoridem, quam legit Serapio. Crediderim itaque, eum scripsisse, الظفر, pro الغار. Unguem ea vox significat, quam & de ungue odorato usurparunt, cum adjectivo الطيب *althaib*.
C Æque falsi sunt auctores Arabes in Græcis illis interpretandis de Bdellio Indico: ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος ῥυπαρὸν, μέλαν, ἁδρόβωλον, παλαθῶδες. Pro παλαθῶδες in his Dioscoridis verbis legit Serapio ἀσπαλαθῶδες, qui tradit odorem hujus esse, sicut est odor *darsisaham*, دارسيسعان. Quam lectionem ἀσπαλαθῶδες sola auctoritate Serapionis inducti Viri doctissimi apud Dioscoridem reponunt contra librorum omnium fidem, qui habent παλαθῶδες. Nec aliter sane potest scribi, ut facilè intelligunt Græcè periti; qui sciunt Græcum auctorem, ut illam sententiam efficeret,
D dicturum fuisse, ὀσμῇ ἀσπαλαθῶδες. Nunquam enim dicunt πυξῶδες de ea re, quæ odorem buxi habeat; sed ὀσμῇ πυξῶδες, vel ὀσμὴν ἔχον πυξώδη, atque ita de cæteris. Παλαθῶδες illud de bdellio ita expressit Latine Plinius: *Nigrum vero & in offas convolutum hadrobolon.* Ἁδρόβωλον propriè in glebas grandiores formatum sed παλαθῶδες in offas convolutum. Idem de pruno Ægyptiæ fructu: *purgatum enim tundunt, servantque ejus offas.* Theophrastus: κόπτουσι ἢ ποιοῦσι παλάθας. De qua voce nos late in Exercitationibus. Παλάθη proprie est cujuscunque rei congesta & coacervata compositio, ἐπάλληλος σύνθεσις. Grandes glebæ aliæ super alias congestæ & convolutæ τὴν παλαθώδη θέσιν efficiunt. Ad vocem βδέλλιον quod attinet, verum est, quod alibi adstruximus, ex He-
E braïco *bedolach* בדלח ortam. Nam βδέλλιον ὑποκοριστικὸν, primitivum βδέλλα apud auctorem Peripli Damocrates βδέλλην vocat. Marcellus:

—— *crocon atque bedellam.*

Non nescio, plerosque interpretes Judæorum illud Arabicum *bedolach* de margarito exponere; sed de aromate etiam nonnulli veterum acceperunt, & vox ipsa id planè suadet. Nam & μάδελκον Græci vel μάδαλχον pro bdellio fecerunt ex illo *bedolach*, ut *m* & *b* sæpe invicem mutantur. Nec mirum, ex eadem origine duas fluxisse sono dissimiles dictiones, idem
F significantes: βδέλλα nempe & μάδαλχον ex *bedolach*. Sic ex uno Hebraïco vocabulo אהלות *ahaloth* alii ἀγάλλοχον fecerunt, alii ἀλόην ex contracto ἀλώθ. Regio *Havilach* חוילה vel *Chavila* Geneseos II. XI. ubi nascitur *bedolach*, tam de India quam de Arabia potest capi. Notæ omnes, quæ ibi designantur, etiam Indiæ conveniunt. Aurum quippe & India mittit, & lapidem onychinum. Ὀνυχίνης λιθίας apud auctorem Peripli frequens mentio, quæ ex India adfertur. Vocem Hebraïcam, שהם plerique de onyche interpre-
G tantur. Populi Indiæ Εὐιλαῖοι non longe abeunt ab illa regione Havila. Ita vocantur Epiphanio. Antiqua Periegesis orbis Εὐιλίτας indigetat. Bdellium quoque India fert, hoc est, *bedolach.* Alia mitto, quæ dici possent. Sed magis est, ut de Arabia debeat sumi. Ibi Χαυλόται populi sive Χαυλοταῖοι Eratostheni: ibi etiam aurum purissimum. Præstantissimum

ſſimum autem bdellium Arabicum, tralucidum colore ceræ. Iſidorus: *Bedella India & Arabia arbor, cujus lacrima melior Arabica, levis, pinguis, æqualiter ceree. Ex India ſordida eſt ac nigra & majori gleba.* Color mannæ, qua victitarunt in deſerto Iſraëlitæ, comparatur colori *bedolach* Num. XI. VII. Quod & de bdella, ſed Arabica verum eſt; cujus color candicans ad cereum inclinat. De manna illa Iſraëlitarum, qualis fuerit, & quo colore, non diſputo. Quæ ab Arabibus ſic vocatur, partim candida eſt ut calabra, partim in citrinum colorem vergit. *Citrinam mannam* appellat vetus auctor Gloſſarii Latino-arabici, quæ Arabicè vocatur *trungibin.* Ita enim apud eum legendum eſt: *Manna citrina* ترنجبان *turungieban.* Aviſena nominat ترنجبين *trungibin.* De quo alibi. Arabicum bdellium idem Aviſena rubeum eſſe perhibet, de quo nihil veteres. Sed cereum fortaſſe colorem intellexerit. Aëtius lib. III. Βδέλλιον τὸ Ἀραβικὸν, διαυγὲς τε καὶ ξανθόν. Ex his ſatis conſtat antiquorum bdellium id eſſe gummis genus, quod hodie à Luſitanis vocatur, *anime.* Lacrima eſt arboris, ſubalbida, reſinoſa, tranſlucida, ad thuris colorem vergens, quæ fracta cerei apparet coloris; granis thuris, ſed craſſioribus. Orientale ἀδρόβωλον eſt, magnis glebis. Hoc alibi pluribus confirmavimus. Huic ſimile tradunt, & aliud gummi quod vocitant *copal.* Id nomen haud ſcio, an ex antiquo *gabalium*, cujus mentio apud Plinium inter aromata inexploratæ cognitionis. Gloſſarium antiquum Latino-arabicum videtur appellare *gavali*, & *piſtis* Latinè interpretatur. Quod mendoſum puto. *Piſtis genus aromatis*, غوالي. Fortaſſe *piſtis* pro *piſtix*, idque pro πιστική, ut nardum πιστικὴν Evangelii intellexerit. Sic *maſtix* apud eumdem auctorem, quæ Græcis μαστίχη. Sic *delphix*, ἡ δελφική. Occurrit & hoc loco inter aromata & thymiamata veteribus ipſis haud ſatis explorata νάκαφθον, vel ναόκαφθον. Ita ſcribitur in antiquiſſimis exemplaribus, non ut habetur vulgo apud Dioſcoridem, νάρκαφθον vel νάσκαφθον. Id omnino eſſe putarim, quod Hebræis nominatur, נכאת *necoth.* Alii ceram, alii ἄρωμα interpretantur & θυμίαμα. Viri docti veterum *nacaphtum* volunt eſſe, quod hodie appellatur ab Italis *tegname* voce depravata ex thymiama. De nacaphto hoc ſolum dicit Paulus, eſſe Ἰνδικὸν ἄρωμα. Dioſcorides φλοιώδες quid eſſe prodit & cortici mori ſimile. Vix putem nacaphtum eſſe vulgare *tegnama.* Sed hæc obiter.

CAPUT CX.

De camphora.

Camphora quoque non unius generis nomen apud Arabes. Vocant كافور *caphur.* Græci καφουρὰν & καμφουρὰν extulerunt, ut & Latini *camphoram.* Navigationum Indicarum ſcriptores tria genera faciunt, quibus & diverſum pretium conſtitutum apud Indos tradunt, ut diverſus etiam eſt uſus. Genus unum eſt, quod *craſſæ camphoræ* nomine donant, quæ in panibus. Altero uti Indos ſcribunt ad ungendos deos ſuos. Tertium vocant *edulem camphoram*, quæ in cibis uſurpatur. Hæc omnium præſtantiſſima habetur, & vocatur *camphora de Burnei*, ab inſulæ nomine, in qua colligitur. Pretii autem diverſitas tanta, ut una libra *camphoræ de Burnei* contra centenas libras alterius camphoræ, quæ ex Sinis invehitur, cara ſit. Hæc eſt camphora, quæ ad nos defertur, in panes rotundos compacta; quam compoſitum eſſe medicamentum non ſimplex quidam volunt. Quis non dicat, qui hæc noverit, camphoram Burneenſem & Sinenſem eſſe res ὁμωνύμους. Sed ponamus, bonitate tantum, non genere differre. Omnino alia eſt illa camphora, cujus meminit Averroës in quinto his verbis: *Camphora Indica, quæ in Arabico cofor Algent appellatur, calefacit & exſiccat in ſecundo gradu.* Omnes Arabes uno conſenſu camphoram frigidam tradunt & ſiccam in ordine tertio. Nonnulli doctiſſimi medici ex illo Averroïs loco contendunt, hanc ejus eſſe de camphora ſententiam, ut calefaciat in ſecundo. Sed graviſſimè errant. Nam ipſo illo capite de camphora ſcribit Averroës: *Camphora frigida eſt & ſicca in tertio gradu, & eſt ſubtilis ſubſtantiæ.* Oportet igitur alius generis eſſe illam camphoram Indicam, quam ſtatuit calefacientis facultatis in ſecundo. Et niſi fallor, mendum eſt in ejus verbis, & error pariter interpretis. Pro *camphora Indica* ſcribendum *camphora Judaïca*; & in Arabico pro *cofor Algeud*, *kofer Aliheud*, hoc eſt, قفر اليهود, bitumen Judaïcum. Male igitur interpres *kafer*, quod eſt bitumen, pro camphora accepit, quod Arabicè dicitur *cafur* & ſcribitur كافور. Hebræi quoque bitumen כפר appellant, & verbum כפר bitumine oblinere. At vocem Arabicam, quæ bitumen notat, Judæi magiſtri ſcribunt per *coph* קֹפֶר *cofer* & genus luti ſive cæmenti exponunt, quia bitumine vice luti ferruminantur muri in Ægypto & Judæa. Eſt & כֹּפֶר in Canticis totidem litteris pro genere aromatis, quod quidam *camphoram* interpretati ſunt; cum tamen conſtet eſſe κύπρον Græcorum & alchanna Arabum. De quo ſupra. Ergo & Arabicum *kopher*, quod eſt bitumen, interpretes de camphora expoſuerunt: quæ res in maximas difficultates viros eruditiſſimos impulit, dum ex horum nominum errore diverſiſſima genera confundunt. De bitumine, non de camphora voluiſſe loqui Averroëm, verba ejus integra allata oſtendent: *De rebus naſcentibus in mari, quarum juvamenta ſunt manifeſta, ſcilicet camphora Indica, quæ in Arabico dicitur cofor Algent, calefacit & ſiccat in ſecundo gradu.* Camphora non naſcitur in mari, ſed bitumen, quod plurimum exundat in mari Judææ Aſphaltite appellato. Lacus quidem, ſed maris nomine cenſetur antiquis Græcis Latiniſque, & maris quidem mortui: nam & Græcis dicitur νεκρὰ θάλαττα. Addit Averroës *conſolidare vulnera ignita.* Et hæc propria virtus bituminis, teſte Dioſcoride, ἀφλέγμαντος κολλητική. Aviſena ſub nomine ac titulo bituminis Judaïci Dioſcoridis ἄσφαλτον deſcribit, quem & in principio capitis ſtatim citat, quæ verba vulgo deſiderantur in Latina editione. Pro eo quod habet Dioſcorides γίνεται ἐν Φοινίκῃ, habetur in Arabico ببلاد فرنجي, *In regione Pherichi*: ſed corrigendum فنيقي, id eſt, *Phinichi.* Et ſtatim, ubi in Græco legitur καὶ ἐν Σιδῶνι, corruptè Arabicus textus legit صيلون *Silun*, pro *Sidun.* Item pro ἐν Βαβυλῶνι καὶ Ζακυνθῷ in Arabico eſt tantum, ومدينة اوردبش *va medinat Abharpis* vel *Aphartis* vel *Afarbis.* Tot enim modis poteſt legi. Quænam illa ſit civitas neſcio. Babylonem ipſi Arabes vocant *Babel* بابل. De Zacyntho alia res eſt. Sed non dubito ſcripſiſſe Aviſenam زاقونتش Hoc

Hoc eſt *Zacunthos*. Subjicit gigni etiam in regione صقلية *Siceliæ*. Pro quo eſt apud Dioſcoridem: καὶ κατὰ τὴν Ἀκραγαντίνων χώραν τῆς Σικελίας. Notandum autem Aviſenam nomine bituminis Judaïci *cafer Alieud*, duo capita Dioſcoridis comprehendiſſe de diverſis generibus bituminis, quæ apud Græcos diverſis quoque ſignantur nominibus, ἄσφαλτον & πιττάσφαλτον. Scribit enim eo capite, eſſe genus bituminis, quod è montibus defertur; & alterum quod in fontibus ſupernatat. Genus illud, quod è montibus impetu fluminis decurrit, eſt πιττάσφαλτος Dioſcoridis, quæ naſcitur in Apollonia ad Epidauron: ἥτις ἐκ τῶν Κεραυνίων ὀρῶν καταφέρεται τῇ τοῦ ποταμοῦ ῥύμῃ. Sic duo illa capita Dioſcoridis περὶ ἀσφάλτου καὶ πιττασφάλτου miſcuit in unum, cui titulum fecit de bitumine Judaïco; cum tamen bituminis plura ſint genera, nec in Judæa naſcentia omnia. Idem etiam alio capite de piſſaſphalto tractat ſub titulo Mumiæ. Bitumen Aviſenæ & ſiccum in tertio. Averroï tamen in ſecundo calefacit & deſiccat tantum. Quæ & Græcorum eſt de bitumine opinio. Paulus: Ἄσφαλτος ξηραίνει καὶ θερμαίνει κατὰ τὴν δευτέραν τάξιν· διὸ κολλᾷ τὰ ἔναιμα ἕλκη. Hoc eſt, quod dixit Averroës, *conſolidare ignita vulnera*. Melius dixiſſet ſanguinolenta aut cruenta. Atqui ut ſcias illam camphoram Indicam Averroïs debere eſſe copher Judaïcum, hoc eſt, bitumen, verba illa Averroïs ad verbum expreſſa ſunt ex loco Aëtii de bitumine, qui ſic habet: ἔτι καὶ τοῦτό ἐστι τῶν ἐν ὕδατι γινομένων θαλαττίων ἢ ἄλλων τινὶ τῶν ὁμοίων θαλάττῃ. Καλλίστη δὲ ἄσφαλτος ἡ ἐν τῇ νεκρᾷ θαλάττῃ κατὰ τὴν Ἱεριχὼ γινομένη· δύναμις δὲ ἁπάσης ἀσφάλτου ξηραντική τε ἐστὶ καὶ θερμαντικὴ κατὰ τὴν δευτέραν που τάξιν· εἰκότως οὖν πρὸς τὰς κολλήσεις τῶν ἐναίμων τραυμάτων αὐτῇ χρῶνται. Compone hæc cum ſuperius allatis ex Averroë, & videbis indidem verbum verbo ſumpta. Cæterum non uno hoc tantum loco, ſed etiam altero ex eodem capite LVI. Averroïs interpretes *cofer*, quod eſt bitumen, *camphoram* Latinè reddiderunt, ubi de Ambaro loquitur: *Ambra eſt una ex ſpeciebus camphoræ, quæ oritur in fontibus maris & natat ſuper aquam maris, & melior omnium eſt illa, quæ in Arabico dicitur aſcap*. Non dubito, quin fuerit in Arabico, *ex ſpeciebus cofer* من اصناف القفر. Ambarum ſanè ſpeciem eſſe bituminis ab omnibus fermè traditur. Nec camphora eſſe poteſt, quæ gummi eſt arboris. Ex eo tamen Averroïs loco Viri eruditione præſtantes plerique in eam ſunt inducti ſententiam, ut crederent camphoram eſſe bitumen, quia reponatur ambra apud Averroëm inter genera camphoræ; quam ambram utique conſtat bituminis modo in maris fundo ſcaturire, ita quamplurimis conſentientibus. Species autem illa ambari, quam Averroës optimam perhibet, quamque adeo interpres in Arabico *aſcap* dici notat, ea debet ſcribi *azrac* ازرق. De qua ſupra. Sic *copher* & *caphur* cum minimè ſint ὁμώνυμα, alterum tamen pro altero impoſuit Viris doctiſſimis. Ajunt arborem, ex qua genus hoc gummi extrahitur, ab Indis ipſis vocari *capar*; quod Arabes qui π non habent, ſcribunt & pronuntiant *caphur*. Inde καφουρά. Simeo Sethi ex Græcis recentioribus de ea ita ſcribit: ἔστι δὲ δένδρου κόμμι, ἤτοι δάκρυον φυόμενον ἐν Ἰνδίᾳ· λέγεται δὲ τὸ δένδρον, ἐν ᾧ γίνεται, ὑπερμέγεθες, δυνάμενον σκιασθῆναι ὑπ' αὐτοῦ ἀνδρῶν ἑκατόν· φύεται δὲ ἐν ὄρεσι τοῖς ἐκεῖσε θαλάττης· ἔστι δὲ ξύλον τοῦ τοιούτου δένδρου κοῦφον καὶ ναρθηκοειδές. De levitate ligni non conſentit Garcias, qui vidiſſe ait, & eſſe aliquantum ſolidum aſſerit. Aviſena cum Simeone facit, qui materiem hujus arboris ſibi viſam ſæpius affirmat, & eſſe albam, frangi vel friari facilem & admodum levem: nec enim ſimpliciter levem dicit, ut eſt apud veterem interpretem; ſed addit جدا, quod *vehementer* & *admodum* ſignificat. Spongioſam etiam

A ipſam arborem eſſe tradit, اسفنجية. Simeon reddidit ναρθηκοειδές. Aviſenæ & Simeoni ſubſcribit Geophraphus Arabs, qui camphoræ lignum album & leve eſſe confirmat, in parte nona climatis primi. Marinam quoque arborem eſſe idem Aviſena ſcribit, بحرية, hoc eſt, in maritimis naſcentem, ut idem Simeo magiſter interpretatus eſt: φύεται δὲ ἐν ὄρεσι τοῖς ἐκεῖσε θαλάττης. *Et eſt arbor ſpongioſa, marina, prout quidam opinantur*. Hic ſenſus Arabicorum Aviſenæ. Scaliger tamen in notis

B ad Garciam vertit: *Et eſt ſpongioſum quiddam marinum ſecundum quorumdam opinionem*. Minus bene. Diffuſam & ramis opacam eſſe arborem inter omnes convenit, utpote quæ vel centenis hominibus umbram præbere ſufficiat ſub ſe degentibus. Fabulam eſſe vult Garcias, quod à quibuſdam ait tradi, ad ejus umbram perfugium habere cætera animalia, quo feras evitent ferociores. Unde id expiſcatus ſit, neſcio. Tantum quippe abeſt, ut latebram quærant ſub ejus umbra cætera animalia, qua ſe à ferociorum ſuperventu & impetu ſubducant, ut ſolas feras & quidem ferociſſimas, quales ſunt pardi

C vel leopardi umbras ejus captare dicat Aviſena; & propterea non niſi certâ tantum anni tempeſtate accedi ad eam poſſe, quo tempore nimirum feras inde abeſſe contingit. Fabulæ occaſionem fortaſſe præbuit vetus interpres, qui apud Aviſenam ſic vertit: *quidam autem dixerunt, quod eſt arbor magna faciens umbram multitudini animalium valde numeroſæ; ſub qua quidem umbra conſueverunt habitare alnemur & alnemer*. Rectè quidem ille, & juxta mentem Aviſenæ. Non tamen ex eo ſequi neceſſe eſt, ſub ea arbore ſtabulari pecudum multitudinem ad effugiendam ferarum ferocitatem. Immo contra eſt.

D Sub ea aſſueſcere dicit feræ id genus, quam Arabes vocant *alnemer*, quæ prohibent acceſſum & aditum arboris præterquam noto anni tempore, quo abeſſe ſolent. Arabica Aviſenæ eo loco hoc ſimpliciter ſonant, arborem camphoræ eſſe ampliſſimam, adeo ut umbram ſufficere queat quamvis numeroſæ turbæ. Vocat خلقا. Quod non tantum de animalium multitudine accipere poſſis, ſed etiam hominum. Nam خلق multitudo, turba. Ex He-

E bræo חלק. Simeo & Geographus Arabs multitudinem illam de hominibus acceperunt, & numerum finitum pro indefinito poſuerunt. Aviſena dicit multitudinem hominum vel homines multos ſub arboris camphoræ umbra tegi poſſe: illi dixerunt centum homines pro multis. Simeo in ſcriptis codicibus: λέγεται δὲ τὸ δένδρον, ἐν ᾧ γίνεται, ὑπερμεγέθητον, δυνάμενον ὑπ' αὐτοῦ σκιασθῆναι ἀνδρῶν ἑκατόν. Idem omnino tradit & Geographus Nubienſis de camphoræ arbore: *Et eſt arbor magna, ſimilis ſalici; ſed arbor una ex his tegit umbrâ ſuâ homines centum & plu-*

F *res*. Arabicum igitur خلق turbam propriè ſignificat & multitudinem hominum centum, aut plurium quam centum. Poſtquam dixit Aviſena, arborem camphuræ obumbrare poſſe ſub ſe recubantes hominum turbam, addit ſtatim: وتالفة النمورة *& ſtabulantur ſive congregantur Alnemura* ſub ea ſcilicet arbore. Thema eſt الف: quod

G copulare, conjungere & conſueſcere ſignificat: Dicit igitur ſub arbore camphoræ congregari, & habitare conſueſſe feras *Alnemuraton*. Pardos aut pantheras intelligere licet. Hebraïcum eſt נמר *namer*, quæ panthera eſt vel pardalis aut aliud animal maculis aſperſum. Originem repetunt à verbo מור, quod eſt mutare, ob cutis varietatem & maculas. Eadem fera Arabicè dicitur نمر *namir* cum *keſre*, & *namiron* çum ſolemni *nunniſmo*. Verbum eſt نمر *namara*,

namara, quod est variare & maculis notare. Glossæ veteres Latino-arabicæ *namiron* interpretantur pardum. Alii leopardum. Non videtur hæc vox origine Hebraïca, nec habere natales in ea lingua, nec bene hos repeti à verbo מיר. Chaldaica igitur potius & inde Arabum propria, apud quos verbum *namara* est maculis ac notis distinguere. Hinc versio Arabica Genes. xxx. agnos maculis variegatos vocat حروف منمر *harauf Munmar*. Inde *namir* vel *namiron* varius. Absolutè sic vocarunt pantheram vel pardalim, ut Latini *variam*. Nam *variæ* Plinio sunt Africanæ feræ sive pantheræ, Arabicè *alnemura* vel *alnemuraton*. Alpagus in Lexico notat, *alnemir* vel *alnemur* esse bestiam leopardo similem figurâ & colore, sed aliquantum majorem, ferociorem & audaciorem, utpote quæ homines aggrediatur. Pardum planè sive pantheram designat. Leopardum autem ab Arabibus *alfhed* vocari dicit. الفهد. Arabica versio pardum ita vocat in Apocalypsi, quæ in Græco est πάρδαλις. Veteri Glossario Latino-arabico فهد *fhed* est *strix*. Sic ille dicitur, qui est *hystrix*, ut *striculus* Arnobio pro *hystriculo*. Strix quoque Isidoro & Glossis pro hystrice, non pro strige, ut quidam somniant. Fallitur tamen ille auctor Glossarum. Nam *fhed* est leopardus; *nemir* verò pardus, hoc est, varia, ποικίλον θηρίον. Citant ex versione Arabica Geneseôs, النمورة والفهود *Alnemurat & alpheudaton*, pardi & leopardi. Plinius: *Nunc varias & pardos, quæ mares sunt, appellant in eo omni genere.* Latinum illud *varia* planè exprimit Arabicum *namir*. Nemir Arabibus esse Græcorum πάρδαλιν adeo certum est, ut Avisena τὸ παρδαλιαγχὲς Dioscoridis Arabicè reddiderit خانق النمر *chanac Alnemir*, id est, strangulator pardi. Non rectè interpretes vertunt, *leopardi*. Diversus enim pardus à leopardo. Sic τὸ λυκόκτονον, quod est alterum aconiti genus Dioscoridi, idem Avisena reddidit خانق الديب, *chanac Aldeib*, strangulatorem lupi. At vetus Glossator Arabs apud Dioscoridem τὸ παρδαλιαγχὲς interpretatur قاتل الفهود *Katal alphued*, id est, necator leopardi. Per *alphed* tamen intellexit pardum τὴν πάρδαλιν, ut etiam Apocalypsis interpres. Vetus interpres Avisenæ capite de Pardalianche sic habet: *suffocat Alphed & Alnemer & reliqua.* Nulla tamen *Alphed* mentio in codice Arabico. Sed dicit, in cibo objectum necare, lupos, canes, & vulpes cum pardis. Ad verbum enim Dioscoridem eo loco vertit. Atque hæc hactenus. Sub arbore igitur camphoræ, ut ex quorundam sententi arefert Avisena, pardi & pantheræ congregari amant ac degere: tantum abest, ut reliqua animalia eo confugiant ad declinandum ferarum noxiarum impetum. Quod nescio unde expiscatum attulerit Garcias. Sed ille talium plenus. Nunc dicendum de variis camphoræ generibus. Avisena quinque enumerat, his Arabicis nominibus distincta, quæ valde corrupta leguntur apud interpretem; *Alcansuri*, *Arriagi*, *alazad*, *alaspharac*, *alazrac*. Male Scaliger hoc ultimum nominat *elazraki*. Nam in Arabico est الازرق, *Alazrac*. De quo paulo post. Jam illa omnia exponenda sunt ordine. Camphora *Alcansuri* sic videtur dicta à loco القنصوري. Camphora nempe de *Kansur*. Puto eam esse, quæ Serapioni dicitur *camphora de Pançor*. Quod palam est depravatè scribi pro *de Kançor*. Ibi tradit, terras *Pançor* propinquas esse regioni *Sarandin*. Legendum, *Sarandib*, سرنديب. Insula est, cujus meminit Geographus Arabs, octava parte climatis primi. Paulus Venetus satis idoneus auctor appellat regnum *Fan-*

A *fur*, in quo camphora optima. Sed corruptum illud nomen pro *Kansur* vel *Fansur*. Et malè opinatur Vir doctissimus, qui corrigi vellet *Cansur*, ut sit quasi camphoræ terra. Veram lectionem suggerit Avisena, qui vocat *Alcansuri*, id est, ex regione *Kansur*. Serapionis interpretes, qui habent *Pansur*, omnino legerunt فنصوري pro قنصوري *Phanzuri* pro *Kanzuri*. In Arabico unius tantum apicis differentia est. *Panzur* autem pro *Phanzur* dixerunt, quia Arabes *p* non habent, sed ejus loco utuntur τῷ φῖ. Apud Paulum Venetum est *Fanfur* pro *Fansur*, id est, فنصور.

B Loci nomen est, à quo dicta illa camphora. Scaliger vult vocatam fuisse camphoram *Canzuri* à quodam genere gummi, quo adulterari solitam memorat Garcias. *Canderros* ab Indis nominari dicit. *Quæ ex Burneo*, inquit, *adfertur, plerumque admista habet minutissima lapidum fragmenta, aut gummi quoddam chanderros illis vocatum, succino crudo persimile.* Non tamen video, quomodo *Kanzuri* ex *Chanderros* formari possit. Verum quidem est, si punctum superponatur litteræ *sad*, futurum *Alcanduri* pro *Alcansuri*; sed reliqua non sequuntur. Dicendum quippe foret *alcanderrosi*, ut denotaretur camphora adulterata gummi

C sic vocato. Præterea cum omnes Arabes cæteris præstare affirmant illam camphoram, quæ dicitur de *Cansur*, non potest ab ea re, qua adulteratur, nomen nancisci. Certum quippe est, non posse inter optima genera locum habere, quæ sit adulterata. Sequitur apud Avisenam altera species camphoræ nominata *Arriagi*. Ita vulgo scribitur in Arabico. الرياجي, *Alriagi*. Vir tamen doctus citat ex versione Hebraïca *Kiachi* pro *Riachi*. Est enim typographicum σφάλμα. Serapionis quoque interpretes vocant camphoram

D *Riach*. Sic legendum esset apud Avisenam puncti mutatione mutata الرياخي *Alriachi*. Dictam autumat à quodam rege, qui ibi regnavit, & primus invenit rationem dealbandæ camphoræ. Regionem, in qua reperitur, *Pansur* vocari ibidem asserit, de qua paulo ante. Ergo camphora *Riachi* & *Cansuri* eadem, nisi quod illa dealbata est arte. Sanè Avisena duo hæc camphoræ genera simul ponit, Alcansuri & Arriachi, & eas à cæteris distinguit. *Camphora*, inquit, *Species Alcansuri & Arriachi, deinde Alazed & Alaspharac & Alazrac.* Præstantissima duo illa priora genera Al-

E cansuri & Alriachi, quibus priorem classem veluti assignat. Camphoram de Cansur vel Fansur, quæ alias natura sua omnibus bonitate antistat, Rex quidam locorum illorum Riach nomine ad perfectionem perduxit excogitata arte, qua candidior & clarior redderetur ignis vel solis vi. Inde Riachi camphora, hoc est, Riachina appellata. Reliqua genera deteriora. Unum ex his Avisenæ appellatur *alazed*, الازاد. Crassiorem & majorem interpretor camphoram. Hodie quoque sic vocant Navigationum Indicarum auctores, cum camphoram quæ in panes cogitur, quæ

F longe bonitate inferior, crassam, inquam, nominant, id est, Arabicè ازاد *azad*. Quod venit a verbo زاد & est augere, crescere, amplificare. Inde & lilium majus appellant سوسن الازاد *Susen azed*, quod est lilium majus album & hortense, de quo supra. Nec enim eam vocem intellexere interpretes. Serapio quoque camphoram *azed* de crassiore camphora exponit; sed corruptum id nomen apud interpretem, sic corrigendum: *Et post ipsam in bonitate est camphora, quæ dicitur Azed, & est grossa, habens ob-*

G *scurum colorem, nec est clara, sicut Riach.* Malè in editionibus scribitur, *Camphora quæ dicitur Fauzen.* Sequitur de camphora *Alaspharac*, vel *Aspharac* الاسفرك. Quid significet, nescio. Sed illud scio, de ea Serapionem intelligere; quam & similiter commemora-

memorat post camphoram *alazad*, sub nomine corrupto *carsab* pro *sfarak* vel *asfarak*. Fuscam interpretatur. Post eam subjungit camphoram dictam *Balonich*. Depravatum & hoc vocabulum. Avisena pro eo habet *Alazrac* الازرق. Cinerei coloris camphoram designat. de qua voce satis supra. Sic ambarum *alazrac*, quod griseum vulgo vocamus. Interpretatio Serapionis de *Balonic* respondet expositioni Avisenæ de camphora *alazrac*. Eam quippe esse ait, in qua admixta sunt fragmenta ligni camphoræ. Avisena etiam camphoram *alazrac* interpretatur de illo genere, quod est permixtum ligno suo, cui & concolor est. Nam lignum camphoræ, teste Serapione, album quidem, sed ad nigredinem vergens. Quem colorem Arabes vocant *Azrac*. Videndum, an illa sit camphoræ species, quam Geographus Nubiensis vocat Arabicè قطع الكافور *keta Alcaphur*, id est, frustum vel fragmentum de arbore caphur. Camphoram ex arbore ita extrahi memorat verbis his, quæ soloci filo ad litteram sic reddidimus: *Et camphora elicitur ex ista arbore. Pertunditur in superiore ejus parte, & multus inde erumpit liquor. Ubi desiit fluxus, pertunditur inferius in medio arboris, & educitur ex ea frustum camphoræ, quod est gummi ipsius arboris, nisi quod concrescit intra ipsam.* Multa heic animadvertenda & explicanda. Pro frusto camphoræ in Arabico est, ut supra posuimus: قطع الكافور. Locum illum ita verterat Scaliger: *Pertunditur infra illud foramen in medio arboris. Ex quo cognominatur Keta elkaphur, quod est gummi hujus arboris.* Non hic est, auctoris sensus. Nec enim cognominari dicit illud gummi *keta alkaphur*, id est, frangmentum camphoræ; sed ex arbore ipsa, ubi in medio vulnerata est, generari frusta camphoræ, quod ille gummi esse hujus arboris interpretatur, excepto quod gummi in aliis arboribus extra ipsas concrescit: camphora autem intra ipsam arborem. In Arabico est: تنساب منه, id est, *descendit, ducitur, generatur ex ea*: non ut Scaliger vertit, *cognominatur*. Fragmenta sive frusta camphoræ vocat auctor ille grana ipsa sive micas camphoræ, ut sunt grana thuris. Interpres Serapionis de camphora: *Est majus frustum, quod ex ea invenitur, est sicut drachma una.* In Arabicis est قطع. Frusta sive grana camphoræ non esse dicit ampliora, quam ut drachmæ pondus æquent. Idem Serapio de camphora *Azrac*, id est, cinerei coloris: *Et ista reperitur in frustis ad quantitatem unius amygdalæ.* Frusta vocat, quæ Arabicè *keta*. Ea frusta plerumque ait inveniri ligno suo permixta. Atque hæc est camphora, quam Avisena vocavit *Alazrac*. Scribit idem Avisena, in ligni camphoræ concavitatibus plerumque inveniri aliquid de camphora. Quod non intelligendum de ipsius arboris concavitate, quod mediale vel cor arboris vocatur. Certum quidem est Geographum Arabem sic esse accipiendum, ubi dicit intra ipsam arborem, hoc est, in mediali arboris camphoræ, quæ concava est ad instar ferulæ, gummi illud concrescere. Vocat Arabicè داخل *dachil*, quæ est pars interior. Serapio quoque tradit, camphoram reperiri in corde ligni arboris in frustis ligni internis. Sed aliud heic vult Avisena. Arbor ipsa camphoræ concava est & inanis, atque ut Græci dicerent, ναρθηκοειδής. Intra illam concavitatem concrescit camphoræ gummi, ut testantur Serapio, & Geographus Nubiensis. De ligno vero ipso, non de arbore loquitur Avisena, ubi ait in ipsius concavitatibus interdum aliquod vestigium camphoræ reperiri. Melius vertisset interpres in ipsis venis arboris. In Arabico habetur: في خلله, hoc est, *in venis & interveniis ejus.*

A خلل & خلال Arabicè cavitates sunt & rivi; sed & venarum ramosi discursus. Nunc Geographus Arabs explicandus venit longè aliter quam fit vulgo. Ex superiore parte arboris camphoræ perruptæ ac pertusæ liquorem multum emanare dicit; ex mediana autem, frusta camphoræ, quod ipse gummi interpretatur, & ait, intra ipsam arborem concrescere. Ergo gummi non est, quod profluit ex summo arboris cacumine perfosso. Liquor merus est.

B In Arabico legitur: عدة جرار فيسيل منه

Ad verbum: *& fluit ex ea numerus hydriarum.* Tanta copia afluere dicit, ut aliquot hydrias sive urnas impleat. Hoc de liquore mero capiendum; non de ipso gummi, quod in minutis frustis concrescit drachmæ pondus non excedentibus. Hæc intra ipsam arborem ait concrescere, ubi in medio fuerit perfossa, & *keta alcafur* appellat, id est, fragmenta camphoræ. Quod igitur ex summo manat, aqua est camphoræ Arabibus celebrata, quam

C appellant ما الكافور *ma alcaphur*, & profluere tradunt ex arbore ferente camphoram. De qua tamen nihil se accepisse affirmat Garcias, & Bellunensem autumat hariolari, qui ejus meminerit ex Arabum scriptis. Immo ipse Garcias fallus. Nec enim aliter potest Geophraphus ille Arabs loco citato accipi quam de ista aqua: ubi clarè distinguit liquorem, qui ex summitate manat arboris ab eo gummi, quod in medio arboris & intra ipsam concrescit. Liquorem illum aliquot urnas implere dicit ex singulis arboribus exceptum. Gummi autem

D ipsum in parvis frustis concrescens *keta alcaphur* appellat, frusta camphoræ. Ipse ille Garcias fatetur caphuram esse gummi, quod in meditullium ligni cadens, deinde extrahitur, aut per rimas exsudat. Ergo verum est, quod prodidit Geographus Nubiensis intra arborem, hoc est, in ipso arboris meditullio concrescere illud gummi. Nullus tamen capio hæc verba Garciæ, ut à Clusio Latinè reddita sunt: *Est autem caphura gummi, non medulla, aut cor, ut Avisena loco supra citato, & alii quidam putarunt, quod in meditullium ligni cadens deinde extrahitur aut per rimas exsudat.* Nusquam meminit Avi-

E sena caphuram esse medullam aut cor; sed nec alius quisquam, quod sciam. Dixit quidem Serapio camphoram reperiri in corde ligni arboris. Quod & Geographus Arabs confirmat & ipse Garcias verbis supra allatis suo testimonio adstruit; qui paulo post adjicit, non tamen se negare, quin interdum in arboris concavum decidat. Atqui illud ipsum est, quod paulo ante ajebat, & pro vero asseverabat in meditullium arboris cadere, & per rimas extrahi, aut sponte exsudare, sed ille non tantum in historia camphoræ, sed etiam in aliorum aromatum parum sibi constat, & falsa multa memorat. De aqua camphoræ hoc etiam notandum, ab Alpago tradi calidam esse

F in tertio, cum camphoram ipsam, hoc est, gummi omnium Arabum consensus frigidam statuat; idque ipsum fateatur Alpagus. Cogitandum igitur, an ea sit *camphura viva* appellata, quam sub hoc nomine emisse à mercatore quodam Persa Busbekium olim Constantinopoli cum oratoris munere fungeretur, Gulielmus Quacelbenus in Epistola scribit. Venerem ea stimulari asserit, cum altera extinguat. Mirum, tam diversi effectûs succos ex eadem arbore prodire. Sed nostri camphoram vulgarem calidam constituunt. Contra tamen omnes veteres, qui modo eam noverunt. De quo infra. Sed camphora illa viva ὁμώνυμος alteri camphoræ videtur. Nec

G dubito, quin aqua sit camphoræ calida in tertio, cujus meminisse Benagi Albian ait Alpagus. Hæc liquida camphora. Dubitari potest, an sit καφουρέλαιον Simeonis. Quod ille naphtæ comparat, & liquidi bituminis genus est: similiter ignem concipere dicit, ut caphuræ oleum & similia. Fortasse sic vocavit oleum ex camphora factum. Quod tamen fieri posse per alembi-

alembicum negant. Liquidam igitur camphoram ita dixerit. Illud & quæri poteſt, an utramque eadem arbor emittat. Hoc illi volunt. Et profecto Geographus Arabs camphoram in liquidam dividit & ſiccam. Hæc illi gummi eſt & fruſtum camphoræ. Alteram liquidam facit & urnis excipi dicit. Fruſtra igitur Vir magnus, cujus hæc obſervatio ad illa Geographi verba: *Hactenus ille, qui docet, quod ex ſuperiori parte manat, eſſe gummi caphuræ; quod ex inferiori, id vocari fragmentum, aut portionem caphur.* Nihil poterat dici magis contrarium auctoris ſententiæ, quæ manifeſta eſt, diſertè prodentis, quod ex inferiori foramine colligitur, eſſe gummi; idemque fruſtum camphoræ in ipſo arboris mediali concreſcens. Quod ex ſuperiori parte manat, liquorem eſſe lagenis excipiendum. Non bene etiam reddi puto *in ſummitate* arboris, quod in Arabico dicitur, في اعلاها. Mallem vertere *in ſuperficie ejus.* Sequentia hanc ſententiam adſtruunt, ubi etiam non ſatis appoſite redditur *in medio arboris*, vel *circa medium*, quod in Arabico ſcribitur, في وسط الشجرة: quod eſt in mediali ſive medulla arboris. Vetus Gloſſarium وسط interpretatur *gremium.* Hic igitur ſenſus eſt auctoris. Ad eliciendam liquidam camphoram foramen in ſuperficie arboris fiebat, unde multus liquor effluebat: ubi fluere deſierat, infra illud foramen aliud ſolebat fieri, ſed in ipſo arboris mediali ac ſinu intimo, ad extrahendam nimirum ſiccam camphoram, quæ inſtar gummi concreta in corde ipſo arboris hæret, ut diſertè ibidem teſtatur auctor. Prius foramen pertunditur in ipſa ſuperficie ac ſumma cute arboris ad eliciendum liquorem ſive liquidam camphoram, quæ inde foras prorumpit, & urnas implet. At infra illud foramen iterum pertunditur arbor uſque ad intimam medullam, ut hærens in eo gummi extraheretur. Non igitur foras erumpebat & decurrebat gummi foramine illo facto; ſed ideo fiebat, ut intus adhæreſcens concretum extraheretur. Quam ſententiam non efficit vulgaris verſio Viri doctiſſimi ſic concepta: *Ubi fluxus conſtiterit, alio inferiore foramine arbor in medio confoditur; è quo particulæ camphoræ, gummi ſcilicet ejus arboris, decurrunt; ita tamen ut intra ipſam arborem concreſcant.* Immo ſic vertendum: *Ubi fluxus conſtitit, alio inferiore foramine arbor pertunditur in ipſo mediali, è quo fruſtum camphoræ educitur. Hoc eſt gummi illius arboris, niſi quod id concreſcit in interaneis ejus.* Non obſcurè notat differentiam hujus gummi ad alia gummium genera. Quod illa nimium foras prodeant ex arbore & concreſcant in ipſo cortice: caphuræ autem gummi in ipſo arboris ſinu atque intra medullam coaguletur. Hinc fit, ut aliæ gummium ſpecies, quæ corticem & ſummam cutem occupant, deradendæ ſint tantum & avellendæ, ubi camphora extrahenda eſt ex partibus interioribus, foramine ac caverna ad hoc facta uſque ad penitiora arboris pervadente. Quo facto arborem interire neceſſe eſt. Ita enim ſcribit idem Geographus: *Tum deficit arbor iſta ac relinquitur, & quæritur alia.* De interitu autem arboris accipio verbum تبطل, à themate بطل. Quod exinanire & deſtruere ſignificat. Vetus Gloſſarium etiam *detruncare* exponit. Non igitur de ſimplici ceſſatione arboris, qua inutilis redditur intelligendum, ſed de pernicie, qua interit tota; quod pleriſque ſolet accidere arboribus, quibus medulla vulnerata, quam καρδίαν Græci dicunt. Narrationi Geographi conſentanea eſt Neotericorum ferme omnium de caphura, & ejus extrahendæ ratione traditio. Nicolaus Comes Venetus in Itinerario Indico camphoram dicit intra arborem gigni, & fabulam addit, credi ab indigenis non prius poſſe inde elici niſi ſacrificio facto. Quod ſi non res divina fiat & cædatur arbor ad educendam camphoram, non apparere, ſed evaneſcere. Teixera de rebus Perſicis l. I. cap.

A xxxiii. camphoram ſimiliter intra arborem creari
ac concreſcere affirmat, ut reſinam in pino. Et ſanè
certum eſt pini medullam maxime reſinoſam eſſe ac
δᾳδώδη, ut Græci dicunt. Atque ex ea præcipuè tædæ ad lucendum fiebant. Quin & ex interaneis ipſis
arboris extrahi camphoram inſtrumentis ferreis ibidem ait. Nec prohibet, quod Serapio innuit meliorem haberi camphoram, quæ per ſe manat ex arbore.
Nam interdum ſuapte vi erumpit per rimas arboris,
ut & ipſe Garcias aſſerit. Idem tamen Serapio in corde ligni reperiri eam ſcribit: atque hæc eſt, de qua
loquitur Geographus Arabs aliique tradunt Neote-
B rici, quæ arbore perfoſſa ac pertuſa eripienda eſt atque ex interiore medulla evellenda. Alia porro eſt
camphoræ diviſio in rudem & facticiam. Ἀργὴν καὶ πλαστὴν Græci dicerent. Rudis eſt, qualis ex arbore manat, aut extrahitur. Hæc in fruſtis parvis aut grumulis drachmæ pondere. Et talis optima. Caphuram
de Burneo, quæ magnitudine eſt milii, maxima ex
parte viliorem eſſe ſcribit. Ergo multo major eſſe
debet milii ſemine. Serapio tamen de caphura *aſpharac* & *aſrac*, quæ genera ſunt deterioris notæ, fruſta dicit reperiri amygdalæ magnitudine aut ciceris
C aut fabæ aut lentis. De optima idem refert majus
fruſtum, quod ex ea inveniatur, non excedere pondus drachmæ. Narrat etiam Garcias inſtrumenta haberi cuprea inæqualibus pertuſa foraminibus, per quæ
tranſmitti moris eſt grana camphoræ: quibus diverſum ponitur pretium ex amplitudine, quam habent,
prout per hæc aut illa tranſeunt foramina. Quatuor gradus magnitudinis fieri perhibet; quibus ſingulis ſuum pretium. Non dicit, an majus ſit majoribus. Ita tamen accipiendum. Sic etiam margaritas
diverſam invenire æſtimationem autumat, & eodem
modo methodoque diſtingui perinde, ut per majora
aut minora foramina tranſmittuntur. Et ſic hodie
D probari vendique ſolent apud inſtitores gemmarum.
Grumis ſalis adſimilari camphoram ex ea liquet hiſtoria, quam memorat Georgius Almacinus in Omare
de Muſulmannis, qui in direptione urbis Medinæ inventos camphoræ acervos ſalem eſſe arbitrati, vice
ſalis pani conficiendo addiderunt. Sed ex amaro guſtu panis demum compererunt, aliud eſſe à ſale. Hæc
igitur naturalis & ſimplex ſive rudis camphora, quæ
in gummis ac minutis fruſtis & granis conſiſtit. Facticia vero ea cenſenda, quæ ignis vi dealbatur & in
panes conformatur. Talis ad nos hodie invehitur.
Sublimatam vocant Arabes, hoc eſt, eorum linguâ,
المصاعد. Nam صعد eſt aſcendere: & مصاعد
E aſcenſio, ſublimatio. Hæc fit per alembicum, aut
ut Græci chemici loquuntur, ἀμβυκισμὸν, quo camphora vi ignis elevata aſcendit ad ſummum vaſis, &
ibi adhæreſcens candidior, purior, & pellucidior evadit. Sic etiam arſenicum dealbatur, quod propterea
ſublimatum abſolutè vocatur vulgo. Nota hæc ſublimandi ars antiquis Arabibus, Aviſenæ, & Serapioni,
aliiſque; immo & Græcis chemiæ auctoribus, qui
ante octingentos annos vixerunt, qui vas illud ſuum
F diſtillatorium ἄμβυκα appellant. Unde Arabicum
انبيق *ambik*, & cum articulo الانبيق,
alambik. Heſychio ἄμβιξ ſcribitur cum *jota*, non
ut apud chemicos per litteram Pythagoræ: Ἄμβιξ,
χύτρα, κάδος. Habent & τρίβικον iidem Græci chemici quaſi triplicem bicum, quod vaſis genus eſt
etiam antiquioribus. Præter ἀμβυκισμὸν norunt &
βαλανεῖον, & ὀρνιθίαν, & κηροτακίδα, de quibus nos
alibi. Ad ſublimationem revertamur, quæ fit in
alambico, qua camphoræ candor conciliatur & in maſ-
G ſam corporatur ex multis granis. Serapio: *Et omnes
iſtæ ſpecies camphoræ clarificantur per ſublimationem &
egreditur ex his camphora alba in lamis albis, ſimilibus
in figura ſua parapſidibus, & vocatur iſta camphora
ſic ſublimata, camphora operata.* Arabicè vocatur
الكافور مصنوعة, id eſt, artificialis camphora. Græci πλαστὴν, εἰργασμένην appellant. Hæc fit
ſubli-

ſublimatione, hoc eſt, تصعد, ut vocat Aviſena. Nulla non camphora ſic ſublimari queat. Formam tum accepit parapſidum. Sic in panes orbiculares ferruminatur. Serapio ibidem optimum etiam genus camphoræ ſublimari tradit his verbis, ut ea reddit vetus interpres: *Sed melior camphora eſt ribach, & eſt illa, quæ naſcitur & egreditur ex ligno per ſe in ſua arbore, & color ejus eſt rubeus maculatus: quæ poſtea ſublimatur ibi, & fit camphora alba & dicitur Riachi, quod primus Rex, qui regnavit ibi, nominatus eſt Riach.* Nihil ille de ratione inventa ab eo rege, qua camphoræ candor arte pararetur, unde illi nomen Riachinæ quæſitum. Quod tamen è Serapione Ruellius adfert, & poſt eum Matthiolus. Simpliciter refert ille, nomen habere camphoram *Riachi* à rege quodam *Riacho*, qui primus ibi locorum regnavit. Sic vocabatur præſtantiſſima camphora. Sed nec Aviſena ex quinque generibus camphoræ ab eo relatis, ullius meminit ſublimari ſolitæ præter eam, quam ultimo loco poſuit, quæ ligni fragmenta habet admixta. Ita enim dè camphora cinerea ſcribit: *& eſt permixta cum ligno ſuo, & ſublimata è ligno ſuo.* Utitur voce المتصاعد, quam & de Tutia & aliis uſurpat, quæ pariter igne ſublimantur. Indicat igitur camphoram illam, quæ ligni particulas habet commixtas, ſeparari à ligno ſuo per ignis operam & ſublimationis artem. Quod in aliis, quæ puræ ſunt & ſine ulla alia admixtione, locum non habet. Et ſanè ſublimatio de pondere multum imminuit. Quod cavendum in re pretioſa, qualis optima camphora. Præterea artem aliam norunt Baneanes dealbandæ camphoræ, quam per ſublimandi methodum. In lineo panno colligatam demittunt in aquam calentem, & cum limonum ſucco addito ſapone probè eluunt, & in umbra poſtea ſiccant. Quæ res parum de pondere mutat, & non parum confert candori. Ita narrat Garcias. Teixera vero de rebus Perſicis, eam in aqua frigida ſæpius elui dicit, donec penitus mundata & ſordibus purgata exiſtat. Ex his conſtat, non ſolitam ſublimari optimam & rariorem camphoram, quæ in granis eſt & minutis grumulis ſali adſimilibus. Talis camphora de Burneo. Alius igitur generis camphora illa, quæ ad nos adfertur in panes formata. Sinenſem ejuſmodi eſſe perhibent. Duo genera camphoræ Garcias tantum recenſet, quæ ex Sinis adfertur, & caphuram de Burneo. Hæc in fruſtis & grumis; illa in panibus orbicularibus. Nulla itaque hoc tempore Burneana in Europam invehitur. Soli panes adferuntur, quos conſtat eſſe Sinenſis camphoræ. Compoſitam eam eſſe multis placet; atque ita Baneanibus quoque videri refert Garcias. Si non compoſita eſt, certè facticia putari debet. Non enim talis ab arbore. Arborem camphoræ naſci in Sinarum finibus ſcribit Aviſena, qui tamen inter differentias camphoræ nullam facit Sinenſis mentionem. Ut res eſt, planè mihi perſuadeo, quæ hodie Sinenſis vocatur & ex illis locis adfertur, eam eſſe quam *azrac*, id eſt, cineream indigetat idem Aviſena; quam & ſublimari ſolitam ait, ut à ligno ſuo ſeparetur. Hæc omnium utiliſſima, quam & in panes cogi ex ſublimatione veriſimile eſt. Serapio quoque deteriora genera *aſpharac* & *azrac* ſublimatione præcipuè proficere oſtendit, eoque ſublimari ſolere, fuſcum nempe quod eſt ac cinereum. Falſum autem, quod imputat Aviſenæ Garcias, quaſi de omni camphora prodiderit, eam decoqui ad candorem contrahendum. Hoc enim ab illo de unico genere eoque viliſſimo ſcriptum eſt; cui ligni admixta fragmenta. Sinenſem eſſe, conſtare opinor debere. Camphora de *Kanſur* vel *Phanſur* illi laudatiſſima, ut & Serapioni, cui reſpondet hodie camphora de Burneo. At Geographus Arabs ſupra omnes commendat camphoram, quæ colligitur in inſula *Soborma* in mari *Samſico* vel Sinico. صبرمه. Neſcio an vanè, ſed omnino auguror eam eſſe inſulam, quæ hodie dicitur *Bornei.* Non longè

A abit nomen, frequenti apud omnes fere populos mutatione *m* & *n*. Inſulam eam magnam facit, & multas juxta parvas inſulas habere ait: Quod & de Burneo loquuntur. In Sobormæ montibus camphoram reperiri ait, cæteris omnibus longe præſtantiorem. Nominat & alia loca Serapio, in quibus camphora colligitur, ſed apud interpretem corruptiſſimè enunciata: *Camphora defertur ex regione Faſſella, & ex regione Calca, & Dhabebach & Harigi.* Ubi pro *Faſſella* ſcribi debet *Safala.* سفالة. De qua videndus Geographus Climate primo.
B Pro *Calca* Garcias vellet intelligi ac reponi *Malaca.* Sed clarum eſt emendari oportere *Cala* vel *Calla.* Inſula eſt apud Geographum nona parte Climatis primi, in qua abundat arbor camphoræ كله ſcribitur apud eum. Pro *Dhabebach* ſcribendum puto vel *Vacuac*, vel *Balabac*, quorum mentio apud eundem Geographum. *Harigi* nuſquam reperio. *Alrami* inſula eſt eorum locorum. Sinenſis autem camphoræ tanta vilitas, ut centenæ ejus libræ dentur venum pro una Burneana. Nunc de pretio Burneanæ dicendum, quæ apud nos non viſitur.
C Nec dedignabimur hanc curam, quam ſe dignam Plinius judicavit, ubique locorum pretia aromatum & ſpecierum exoticarum ſedulo indicans. Camphoram argento rependi in inſula Bornei, ubi optima colligitur, ſcribit Odoardus Barboſa. Sic libra camphoræ libra tum fuit argenti gentibus ipſis, apud quas naſcitur. Idem tamen, ubi pretia aromatum omnia explicat, camphoræ edulis, quæ præſtat cæteris, *mitigal* unum tribus *fanoes* æſtimari dicit. *Fanoes* autem valere ait regalem argenteum Caſtellanum. At *mitigal* unum paulo minus pendit quam
D ſextam unciæ partem. Nam ſex *mitigales* cum dimidio pendunt unciam. *Mitigal* verbum Arabicum Italis uſitatum. In pervetuſto Gloſſario Latinoarabico مثقال, *mitecal*, exponitur ſtater, drachma. Idem ſane eſt, quod Græcorum ὁλκή; quam illi vocem de drachma uſurparunt, cum proprie pondus ſignificat. Idem ergo valet & dictio *mitecal*, à verbo ثقل, gravis fuit. Unde & ثقل *ticlon*,
E pondus & onus. Idem auctor Gloſſarii etiam libram interpretatur. Falluntur qui *mithcal* pro libra accipiunt. Staterem vel drachmam tantum ſignificat, ut rectè expoſuit auctor Gloſſarii. Georgius tamen Almacinus in Omaris vita, *almithcal* decem drachmis valuiſſe dicit. Sed decem drachmæ libram non efficiunt. Præterea *dirhemon* non eſt drachma, ſed eam vocem Arabes pro quolibet nummo uſurpant. Atque ita ſumitur in Alcorano. Non mirum, itaque ſi *mithcalon* decem nummis valeat, qui non ſunt drachmæ. Quidam tra-
F dunt, درهم *dirhemon* pondus eſſe quadraginta duûm granorum. At drachma pendebat ſeptuaginta duo grana. Drachmam Arabes vocant درخمي, quod eſt ex Græco δραχμή. Nam ut dixi alibi, Græcorum ἦτα ſemper exprimunt per ſuum *jota.* Verum de his alibi. Hebraïcum eſt autem illud vocabulum *mithcal.* משקל *Miſchecal*, idem quod pondus; & Græcorum ὁλκή à verbo שקל, id eſt, pondere, librare, a quo Arabicum ثقل, eadem ſignificatio-
G ne. Inde & שקל *ſchekel*, ſtateris genus, qui Græcis σίκλος. Proprie, ut dixi, eſt ὁλκή. Et hos Græci imitati, ſunt cum ὁλκὴν pro drachma poſuere. Ita & Arabicè *mithcal* pro ſtatere vel drachma, quarum ut non una forma, ita nec pondus nec pretium. Ab hoc *mitigal* Italicum ejuſdem ferme ponderis cum denario Romano, quales olim ſepteni unciam efficiebant. Ergo ſi *mitigal* unum camphoræ tribus æſtimatur *fanoes*, vel, quod idem eſt, tribus regalibus Caſtellanis, quæ novem ferme unciam argenti conſtituunt. Ita circiter duplex argento rependitur in emporiis Calecutianis camphora Burneana

Burneana, quæ in ipſa Burnei, ubi naſcitur, pari tantum argenti pondere venum ibat. Meminit ibidem Barboſa camphoræ, quâ ungunt idola ſua Indi, cui pretium eſſe ait in ſingulos mitigales fanoes unum cum dimidio. Ἰσάργυρον eſt hoc genus camphoræ, & argento contra carum. Tertium genus recenſet camphoræ, quam craſſam indigetat, & in forma panis eſſe ait. Hæc eſt Sinenſis camphora. Hujus *farazuolam* à ſeptuaginta ad octoginta fanoes tradit emi. Farazuola libras habet duas & viginti cum ſex unciis, ac dimidia uncia, quales libræ ſedecim unciis conſtant. Quinque unciæ hujus camforæ uno fanoes plus minus comparantur, cum Burneanæ camphoræ uncia decem & octo valeat fanoes. Quod accedit ad rationem Garciæ, qua dixit centenas uncias Sinenſis camphoræ non plus valere quam Burneanæ ſingulas. Nam juxta calculum, quem poſuimus, nonaginta unciæ craſſioris camphoræ non pluris æſtimantur quam una Burneanæ. Vide eundem Garciam lib. I. cap. IX. de variis gradibus bonitatis & æſtimatione camphoræ Burneanæ, quam certum eſt in Europam hac ætate non afferri, & fruſtra eſſe medicos noſtrates, qui accommodant ea, quæ de camphora dicuntur ab Arabibus, huic uſitatæ ac ſibi notæ camphoræ. Eſui fuiſſe camphoram apud Indos & Perſas Arabaſque, horum teſtimonio ſcimus. Sed & neoterici navigationum ſcriptores teſtantur, certam camphoræ ſpeciem eſculentam haberi. Ea eſt Burneana, quam & eo nomine diſtinguunt à cæteris generibus, quod in cibum recipiatur, & eſcariam appellant. *Canfora de mangiar*, quæ edendo eſt. Nobis hæc incognita. Simeon magiſter in libro de alimentorum facultatibus, & καφουρὰν recenſet; quo ſatis indicat & locum illi datum inter res eſcarias. Aviſena ſcribit uſum ejus accelerare canitiem. Oſtendit in uſu eſſe ad edendum. Nec alium ad uſum camphoræ ſtrues congeſtas fuiſſe in urbe Medayna Coſroæ liquet, de quo Almacinus in Omare: ubi Narrat, quomodo ea urbs expugnata & direpta à Muſulmanis, & acervi illi camphoræ in domo quadam inventi quam ſalem eſſe credebant: *Invenerunt & domum refertam camfora, & opinati ſunt Muſulmani eſſe ſalem & adhibuerunt in conſperſam & ſubactam farinam pani faciendo, unde amarus extitit panis.* Muhammed in Alcorano paradiſi ſui ſanctis promittit hauſtum poculi camphora temperati & conditi. Azoara LXXXVI. quæ inſcripta eſt Alinſani, id eſt, hominis. Ad delicias hanc potionem camphoratam illis propinat, non ad valetudinem, nec quod facere credatur adverſus putrefactionem & venena. At cum idem beatis ſuis polliceatur indelaſſabilem & indeſinentem in Venere perficienda voluptatem, videretur ei rei maximè refragari camphoræ uſus, idoneus inprimis refrigerandæ atque etiam extinguendæ illi vi, quam Venus poſtulat. Sed paradiſum & beatitudinem cogitare debemus, qualem ille imaginatus eſt; quo in ſtatu poſitis nihil eorum poterit nocere, quæ heîc vim ſuam exerunt humanæ conditionis lege. Cæterum immortales facti, & camphoram haurient ad ſatietatem, & nihilo ſecius in Venerem vires indeficientes obtinebunt. Conſtat certè inter omnes camphoram maximè eſſe *ἀναφρόδιτον*, & de rigido ac tento lorum in aqua efficere; ſed qua virtute id operetur, non convenit noſtris medicis cum antiquis. Arabes, Perſæ, Indi ipſi, apud quod naſcitur, nunc & olim frigidam & ſiccam in tertia claſſe uno ore & animo conſtituerunt. Hodierni medici in Europa contrarium pro definito tenent. Quod enim Veneri obſtrigilletur, non propriè ſuâ ac primariâ cauſâ, quæ frigore feriat, id facere, ſed ex accidenti & ſecundario; quippe quæ ſpiritus reſolvat nimia partium ſui tenuitate. Sic & multa alia abſque controverſia calida inveniri, quæ non minus adverſentur libidini, ut ruta. Præterea cum camphora in primis ſit odorata & amara, & facile accendatur etiam in aqua igne concepto; his omnibus ſignis prodi, calefacientium potius quam refrigerantium ordini adſcribendam eſſe. Meam hanc litem non faciam, quam nec decidam; ſed diſſimulare non poſſum magnopere me moveri tanto conſenſu tot nationum, & ætatum, & magnorum in ſingulis virorum, quos experientia hactenus docuit frigidam potius quam calidam cenſendam. Unde enim niſi ab experimentis didicerunt, oculorum inflammationibus, & ambuſtis, & capitis doloribus ex cauſa calida ortis efficaciter prodeſſe; item apoſtemata calida prohibere. Quæ omnia non præſtaret, ſi calida foret. Quod vehementis eſt odoris, ex partium tenuitate id contingere neceſſe eſt, cujus gratiâ odor facile exhalatur. Multa denique odorata frigida, ut nymphæa. Aviſena libro ſecundo canonis tractatu primo, beneolentia ut plurimum calida aſſerit, ſed excipit camphoram & *nenufar* ſive nymphæam. Odoris boni & validi eſſe nymphæam, præcipuè quæ in calidis locis noſcitur, veteres affirmant. Simeon magiſter capite de Nymphæa: *καὶ τούτῳ τῷ φυτῷ χρῶνται πολλοὶ πρὸς ὄσφρησιν διὰ τὸ εὐῶδες, καὶ μάλιστα ἐν ταῖς θερμαῖς χώραις· ὠφελεῖ γὰρ τὰς θερμὰς καὶ ξηρὰς κεφαλάς.* Eoſdem autem effectus nymphææ & caphuræ tribuit Aviſena ad apoſtemata calida atque ſodam capitis ex calida cauſa: *κεφαλαλγίαν ἐκ θερμότητος.* Sic vocant capitis dolorem. صداع. Nam verbum صدع eſt ſcindere, & findere, atque etiam dolorem capitis efficere. Ergo pari facultate prædita eſſe oportet, quæ pares habent effectus. Simeon de Nymphæa: *καταπλασσόμενον δὲ πάνυ λυσιτελεῖ πρὸς φλεγμόνας.* Aviſena vocat الاورام الحارة, id eſt, apoſtemata calida, ut vertit interpres. Sunt *φλεγμόναι.* His ſanandis facit ex æquo nymphæa & camphora. Hoc quoque habet commune cum nymphæa camphura, quod coitus poteſtatem adimit. Frigida autem & ſicca traditur Nymphæa Græcis medicis, quam virtutem præcipuè obtinet radice & ſemine. Nam flos frigidus & humidus, cujus etiam uſus apud Arabes; qui de flore intelligunt, cum temperaturam Nymphææ aſſignant frigidam humidamque. Conſtantinus in viatico inter frigida & odorifera recenſet ſandalum, roſam & camphoram. Sed melius Aviſena nymphæam cum camphora in his, quæ odorifera ſunt & frigida, comparat. *Horum*, inquit, *amborum corpora non privantur facultate refrigerante ſimul cum odore conjuncta & ad cerebrum penetrante.* Scribit ibidem, ut vertit vetus interpres, tractatu I. lib. II. cap. III. *& beneolentia ſecundum plurimum ſunt calida, niſi illa quibus aſſociatur Tendie & ſedatio ſpiritus & anhelitus ut canfora & nenufar.* Ubi *tendie* purum putum Arabicum vocabulum, quod ille interpres retinuit, تندية *tendia.* Humiditatem ſignificat, à verbo ندي quod eſt humectare. Unde تندية *tendia*, humectatio. *Lentorem* placet reddere cum alio interprete. Ad florem nymphææ hoc referendum, quem humectandi & refrigerandi facultate præditum eſſe liquet. Inter odorifera frigida hæc duo ſimul numerat, nymphææ florem & camphoram. Nec aliud in nymphæa bene olet præter florem. Regula eſt pœne catholica, quæ odorata ſunt, ea & calida eſſe. Ab hoc catholico excipit Aviſena, quibus aſſociatur humectatio & ſedatio ſpiritus, ut in nenufare & camphora. Humectandi vis pertinet ad nymphææ proprie florem: nec enim ad camphoram poteſt, quem ſiccum eſſe volunt in tertio. At *ſedatio ſpiritus* ad camphoram referri debet, ut propria ejus. In Arabico legitur: تسكين من الروح. Kirſthenius abſurdè & obſcurè vertit, *compoſitio à ſpiritu.* تسكين propriè mitigationem & ſedationem donatat, à verbo سكن, quod eſt compeſcere, mitigare, ſedare. Hac virtute pollet comphora. Compeſcit & mitigat ſpiritus, & quietos. Sed quomodo id faciat, quæſtionis eſt An conſtringendo eos & comprimendo, ac veluti condenſando, quod eſt frigiditatis proprium, quam in

A in tertio possidet gradu? Immo extenuando, rarefaciendo ac resolvendo. Quæ τῆς λεπτομερείας ejus proprietas est. Ita veneri inimica deprehenditur, quæ tria hæc ad coitum postulat, calorem, flatum & semen. Flatum quidem illa resolvit, calorem refrigerat, & semen desiccat. Vigilias etiam inducere dicit Avisena. Quod mirum videtur illustri Viro. Idcirco ad conjecturas & emendationes confugit. Ita pro يسهر, quod est *vigilias inducit*, legi vellet, يسهل. Quod ille interpretatur *fa-*
B *cilitat*, idque jungit cum sequentibus hoc modo: *facilitat & roborat sensus æstuantium.* Sed frustra est. Etenim Rasis confirmat illud de vigiliis cap. XXIII. de Camphora: *Calidis confert ægritudinibus, quod etiam in toto operatur corpore. Sed qui ejus odore multum usus fuerit, vigiliarum sentiet detrimentum.* Eadem habes sub nomine Rasis apud Serapionem; nisi quod nihil ille de odore, sed de usu simpliciter: *& qui utitur nimis camphora, incurrit vigilias.* Immodicus igitur ejus usus hoc præstat, non mediocris. Et de usu illo intel-
C ligo, quem in cibis habet. Nam Garcias etiam testatur camphoram plurimi usûs esse in illis regionibus, cum multas ad res, tum etiam ad cibos. Quod supra multis confirmavimus. Non igitur mirum est, camphoram immodice sumptam & nimis in cibis frequentatam vigilias creare & somnum adimere: cum enim spiritus compescat, vapores etiam in cerebrum ascendentes, quibus sopor conciliatur, comprimit, & per hoc utique somnos aufert. Potest etiam, ut immodica siccitate prædita est, cerebrum desiccare. Ea re & canos mature facit. De camphoræ facultati-
D bus & effectibus ea scribit Simeon magister, quæ ab Indis, Persis, & Agarenis se excepisse prædicat: ὠφελεῖ δὲ πρὸς τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων τὰ μέγιστα καὶ πρὸς τὰς ἐκ θερμότητος κεφαλαλγίας καὶ φλεγμονὰς καὶ μάλιστα τὰς τοῦ ἥπατος, πλὴν ψύξιν ἐμποιεῖ τοῖς νεφροῖς καὶ τοῖς σπερματικοῖς ἀγγείοις καὶ αὐτὸ πήγνυσι τὸ αἷμα. Hæc confirmata sunt & comprobata ab omnium gentium, & omnis ævi medicis ac physicis, ex quo nomen camphoræ audiri cœpit. Effectus supra dictos nulla potest producere causa nisi frigida. Quos si veros esse experimentis
E exploratum est, nihil potest esse dubii, quin sit frigida camphora. Nec illud prohibet, quod etiam amaram esse discimus ex Almacini historia, quam supra attigimus. Et lactucæ & intyba amara sunt cum frigefaciendi facultate. Miror autem, medicos nostros aliquid certi de ea re pronuntiare velle, quam ignorant; nec animum inducere posse, ut illis credant, quibus fuit cognitissima & familiarissima. Falluntur autem, si putant veram hodie se nosse camphoram, quæ nulla in Europam invehitur. Quæro ab illis, an viderint unquam eam camphoræ speciem quæ manditur, quæ in granis consistit sali similibus? Negent vidisse oportet, qui solam visu & usu habent cognitam, quæ in panibus affertur; quam ex Sinis afferri constat, & compositam esse ipsi Indi asserunt, quæque adeo vilis apud eos habetur, ut centenæ ejus libræ vix unam alterius camphoræ, qualis est Burneana, pretio æquiparent. Veneris vim & appetitum prorsus extinguere camphoram nemo ex veteribus dubitavit unquam, quia omnes id asseverant. In dubium tamen hanc ejus facultatem conatur adducere Scaliger experimento, quod fecisse ait in vulgari camphora. Cani leporariæ in potu dedisse se dicit, in offa, in nares indidisse; idque quotidie; non tamen ea re prohibitam, ne coiret, conciperet, pareret. Exinde pro certo se habuisse profitetur, Venerem camphora non extingui. De camphora hac Sinensi, quam solam novimus, haud temere hoc ab illo statutum & creditum dixerim. Sed aliud fortasse comperisset, & aliud statuendam judicasset, si in illo genere camphoræ id expertus esset, de qua concorditer universi hoc tradiderunt Arabes. Eadem opinionum varietas ac dividia nunc quoque Neotericos committit cum antiquis medicis circa cicutæ facultates. Plerique hodie volunt esse calidam & ex calido operari, quam summè frigidam tota affirmavit antiquitas. De quo nos alibi. De aceto dubitatum & anquisitum multis antiquorum, utrum in calidis an frigidis esset ponendum. Simeo de ciborum facultate: πολλὴ ἀμφιβολία τοῖς παλαιοῖς γέγονε περὶ τοῦ ὄξους, τῶν μὲν λεγόντων θερμὸν διὰ τὴν λεπτομέρειαν, τῶν δὲ ψυχρὸν διὰ τὸ φανερῶς ψύχειν τὸ σῶμα. Corpus quidam refrigerat manifestè acetum, sed quia etiam resolvendi ac discutiendi facultate valet ob λεπτομέρειαν ejus, quidam calidum pronuntiarunt. Eadem ratione permoti hodierni medici camphoram calidam esse sanciunt, quia λεπτομερεστάτη, & ob eam tenuitatem partium ac extenuandi vim, resolvendi potestate censetur. Quod illi calori tribuunt. Idem de cicuta sentiendum. Resolvit hæc quidem ac discutit, non calore; sed λεπτομερείᾳ sua, cum alias sit frigidissima.

CAPUT CXI.

De gummi Ammoniaco & sale Ammoniaco.

CHrysocollam Arabes vocant الزاق الذهب lezac aldeheb, quod idem sonat ac Græcum χρυσόκολλα, auri nempe ferruminationem. Hoc no-
F men etiam donarunt Ammoniaco gummi, ut testis est Avisena in voce *Assac.* Rationem reddit, quia chartæ & libri eo deaurentur. Nempe quod auri colorem repræsentet, libris & chartis illitum, vel quod auro libris illinendo ac ferruminando conferat. Hic sensus Avisenæ. Gummi ipsum sive guttam Ammoniaci vocat اشق *assac* vel *axac.* Notat Alpagus apud vulgares Arabes vocari *ussac*, hoc est, وشق. Sane vetus Herbarius Arabs in anti-
G quo Dioscoride arborem Ammoniaci exponit شجر الوشق *segjar alussac*, arborem alussac. Corrupte apud Serapionem *raxach* pro *haxach.* Hispani vocant *aguaxaque.* Arborem ipsam Avisena vocat الطرثوب *altarthub* vel الطرثوث *altarthut.* Græci ajunt dici ἀγασυλλίδα. Dioscorides: καλεῖται δὲ αὐτοῦ ὅλος ὁ θάμνος ἀγασυλλίς. Plinius *Metopium* appellari dicit. Sed falso. Alia cognomina sunt apud Neophytum κελόθεος & ἡλίου τρόφος. Quorum illud Jovis Ammonis epithetum, quem κελοκέρατον dixere. Ἡλίου τρόφον vocari refert, quod lacrima ejus in sole versetur. Ita enim scribit de arbore Ammoniaci: αὕτη νάρθηξ μέν φυομένη ἐν τῇ τῆς Κυρήνης Λιβύῃ, ἐξ ἧς τὸ Ἀμμωνιακὸν θυμίαμα· τοῦτο δὲ ὀπὸς αὐτῆς ἐστιν ἐν ἡλίῳ στρεφόμενος. Nos *Armoniacum* pro Ammoniaco vocamus vulgo. Dubitant eruditi Medici, an hodie antiquum illud ac verum Ammoniacum habeamus. Dubitandi ratio non levis. Nec enim notas eas habet, quas suo Ammoniaco tribuunt veteres. Profecto genus illud, quod θραῦσμα vel θραυστὸν appellarunt, hac ætate vix conspicitur. Causa nominis, quod frangeretur eo modo, quo solent sicca gummium genera, quæque glutineo lentore tenacia non sunt. Exigit Dioscorides, ut thuris grumis simile sit, λιβανωτίζον τοῖς χόνδροις. Quod perperam ad odorem rettulit Serapio. Hoc purum ac densum, sordiumque expers erat; & colore rufum. Εὔχρουν dixit Dioscorides. Alterum

Alterum genus dixerunt φύραμα vel φυρατὸν, quod pingue ac resinosum esset, in massam facile compingi, sordium ex terra atque arena plenum. Tale fere est, quod nunc in officinis frequentatur. Non aliud in usu fuit ætate Neophyti apud Græcos, qui verba Dioscoridis ad ævum suum accommodans, duo genera ex uno facit. Ita enim scribit: ἐγκριτέον δὲ τὸ εὔχρουν καὶ ἄξυλον, λιβανίζον τοῖς χόνδροις, καθαρὸν, καὶ πυκνὸν, μηδεμίαν ἔχον ῥυπαρίαν. Hoc θραυστὸν Ἀμμωνιακὸν antiquorum. Sequitur protinus apud eum: καὶ τὸ ἐγλινίζον, τῇ ὀσμῇ σφοδρὸν, πικρὸν δὲ τῇ γεύσει· καλεῖται δὲ τὸ τοιοῦτον ἐρυματῶδες. Putavit suæ ætatis Ammoniacum, quod erat resinosum & tracticio lentore pingue, idem esse cum illo Dioscoridis, quod λιβανίζον τοῖς χόνδροις esse vult. Quod nequaquam verum potest videri. Aliud quippe ἐγλινῶδες, aliud λιβανώδες. Hoc siccum & fragile, illud pingue & succosum. Præterea aliud etiam θραυστὸν, aliud ἐρυματῶδες. Quæ picis more aut visci tractu lentescunt, ἐρυματώδη dici queunt: at θραυστὰ dicuntur proprie, quæ in frusta ac micas confracta dissiliunt, nec filatim trahuntur. Sic res duas diversissimas in unum compegit, & quæ eædem sunt, disparavit. Subjicit enim protinus: λιθῶδες ἢ γεῶδες φύραμα. Dioscoridis Ammoniacum, quod φύραμα vocari ait, idem cum pingui ac resinoso, quod in massam cogi pro suo lentore facile possit. Plinius: *Genera ejus duo, thrauston masculi thuris similitudine, quod maxime probatur: alterum pingue ac resinosum, quod phyrama appellant.* Lacrima illa, quæ pinguiter lenta est resinæ modo, utpote liquidior, in arbore hærere non potest, atque in terram cadens sordes inde colligit, adprehensis lignis & arenis ac in eandem massam conglomeratis. Hoc λιθῶδες ac γεῶδες Dioscoridis Ammoniacum, idemque pingue ac resinosum Plinii, quod appellatum φύραμα. Quæ in arbore concrescit, thuris instar, ut sicca, ita & pura ac sordibus libera evadit. Neophytus, qui aliam Ammoniaci guttam non videret seculo suo usitatam præter eam, quæ nunc quoque visitur, liquidam ac resinosam eandem putavit cum concreta; & rursus lentam illam pinguemque separavit à resinosa. Quod multis modis falsum & absurdum. Ἀμμωνιακὸν θυμίαμα Græci passim appellant, quod eo nimirum ad suffitus uterentur. Hujus tamen odor gravis ac virosus. Καστορίζον τῇ ὀσμῇ Dioscorides dicit. Neophytus τῇ ὀσμῇ σφοδρόν. Galenus ait, κορίου ὀσμὴν habere, id est, coriandri. Sed corrigendum puto καστορίου, pro quo scriptum compendiose fuit κορίου. Plinius inter odores ac aromata recenset Ammoniacum cum junco & calamo aromaticis, & bryo odorato. Non magis autem mirum, huic inter odores bonos locum fuisse ad thymiamata facienda, quam & galbano, quod inter ea genera aromatum numeratur, ex quibus Pontificale thymiama conficiebatur. Exodi XXX. XXXI. ex stacte, onyche aromatico, & galbano, ac thure constabat: Hebraïce dicitur חֶלְבְּנָה, *chelbena.* Unde Græcorum χαλβάνη. In unguentis quoque addebatur & præcipue amygdalino apud Ægyptios, quod & μετώπιον propterea dictum fuit, quia galbanum reciperet μετώπιον appellatum. Græci de amygdalino unguento: Αἰγύπτιοι τοῦτο τὸ ἔλαιον ἐξευρηκότες, μετώπιον αὐτὸ προσηγόρευσαν, ὅτι χαλβάνην λαμβάνει· τὸ δὲ φυτὸν, ἐξ οὗ γίνεται ἡ χαλβάνη, καλεῖται μετώπιον. Odor autem galbani non magnopere diversus ab Ammoniaci; siquidem verum est, quod ait Dioscorides, galbanum adulterari solitum resina ac faba fresa cum Ammoniaco. Hinc & Plinius nomina permutavit, atque Ammoniaci arborem Metopium adpellari dixit, quod ab aliis de galbano proditum. Arborem eam, quæ Ammoniacum sudat, herbam esse volunt quidam. Auctor Actuarii ad Dioscoridem: Πόα ἐστὶν ὅθεν Ἀμμωνιακὸν θυμίαμα. Quod temere insultum est verbis Dioscoridis. Serapio, Dioscoride nominatim citato, quasi ex verbis ejus refert, plantæ hujus radicem vulnerari & lacrimam sic extrahi. Herbam esse plane intellexit. Plinius *arborem* nominat, & ex ea lacrimam stillare resinæ modo. Sponte igitur fluere accipiendum. Dioscorides δένδρον νάρθηκοειδὲς appellat & θάμνον. Sane nec magnæ sunt arbores, ex quibus thus profluit ac myrrha. Radicis nulla mentio in antiquissimo libro, quam sic vulgati præferunt: καλεῖται δὲ ὅλος ὁ θάμνος σὺν τῇ ῥίζῃ ἀγασυλλίς. Nihil heîc opus radice, quam nec optimus liber agnoscit. Et falsum omnino, ex radice herbæ vulneratâ Ammoniacum sudare, ut adstruit Serapio. Sponte manasse, prisci auctores significant. In Lexicis Græcorum Iatricis γομφίτην & γόμφιτον invenio explicari de hoc Ammoniaco thymiamate; eadem fortasse significatione cum Arabico cognomento, quo Ammoniacum appellari tradit Avisena *Lezac aldehab.* Id enim propric est, quo aurum auro adhæret. At γομφῶσαι est compingere, & γόμφοι σύνδεσμοι, quibus lignum ligno adhæret. Clavos ligneos sic etiam vocarunt. Aliam hujus vocis Etymi rationem edidimus, sed quam huic non prætulerim. Glossæ: γομφίτης, λιβυκὸν θυμίαμα. Item: γόμφιτον τὸ θυμίαμα. Fortasse aliud est. Nicander Ἀμμώνιον dixit pro Ammoniaco in Alexipharmacis his versibus:

---- ἐν δὲ ἐπαρκὲς
Θάλπε βαλὼν χύτρῳ Ἀμμώνιον.

Perperam legitur σκαμμώνιον & male de scammonio exponunt, id est, scammoniæ succo. At eum idem Nicander paulo ante δάκρυ κάμωνος appellavit: τὸ τε δάκρυ νεοθδάλτοιο κάμωνος. Pro σκάμωνος. Ut μάραγδος pro σμάραγδος. Succus σκαμώνιον, herba σκαμωνία. De qua supra. Aliud itaque Ἀμμώνιον, aliud σκαμμώνιον. Ab eodem loco nomen habuit sal Ammoniacus, ἅλας Ἀμμωνιακόν. De quo etiam variæ sunt Græcorum sententiæ, præcipue recentiorum in suis Lexicis Iatricis. Glossarium Saracenicum Ἐφοδίε Arabicum μίλχ interpretatur Ammoniacum: Μίλχ, τὸ ἀμμωνιακὸν ἅλας. Vox est Arabica ملح *milh*, quæ salem significat. Græci Arabicam aspirationem ح in fortiorem plerumque mutant, ac per suum χ exprimunt. Sic ἀλχαννα dicunt pro *alhanna* الحنا, & χάμωμα pro [illegible]. Videntur itaque quidam communem salis appellationem propriam Ammoniaci fecisse κατ' ἐξοχήν. Quod etiam innuit vetus interpres Avisenæ, qui titulum ita concepit: *de sale Ammoniaco, id est, sale.* In Arabico est نوشادر, *nuxader* suæ proprietatis vocabulum, & ab omni fassilis significatione remotum. Ex omni salis genere fossile maxime probat Dioscorides tanquam efficacissimum; inter fossilia autem Ammoniacum: ut non mirum sit, si per excellentiam sal proprium nomen habuerit. Alii Græci recentiores ἅλας τζαπελικὸν vocant, id est, fossitium. Nam τζάπα & τζάπιον illis instrumentum fossorium, τὸ ὄρυγιον. Latinis *sapa.* Quod etiam hodieque retinemus. Hinc verbum *sapare.* Nicomedes Iatrosophista in Lexico: ἅλας ὀρυκτὸν τὸ γαγγραινόν. Ἅλας Ἀμμωνιακὸν τὸ τζαπελικόν. Ἅλας Καππαδοκικὸν τὸ Ἀρμένιον. Ἅλας τακχυθὲν, τὸ θαλάσσιον. Vides eum distinguere sal fossitium, τὸ ὀρυκτὸν à saparico, quale facit Ammoniacum; cum tamen Dioscorides τὸ Ἀμμωνιακὸν speciem statuat fossitii salis. Et sanè τζάπα Græcis non proprie instrumentum, quo terra confoditur, sed quo lapides cæduntur in lapidicinis. Sal Ammoniacus, ut testatur Serapio, extrahitur è lapidibus duris ac translucidis. Sapâ igitur opus ad eum extrahendum ac scidendum. Quod instrumentum *upupam* veteres Latini dixerunt, quia rostrum habet upupæ simile. Glossæ: *Upupa*, ὀρύγιον. De qua nos allbi. Sententiam Serapionis eo nomine maxime improbat Medicus celeberrimus & in harum rerum scientia exercitatissimus

tatiſſimus, quod Ammoniacum ab arenis nomen invenerit, ſub quibus effoditur, in cruſtas ac laminas concretus. Quod multis modis abſurdum eſſe convinci poteſt. Primum τὸ Ἀμμωνιακὸν ἀπὸ τῆς ἄμμου nemo ſanus deduxerit, ſed ἀπὸ τοῦ Ἄμμωνος: haud ſecus quam Ἀμμωνιακὸν gummi, quod non quit ab arenis nomen videri nactum, etſi Plinius in ea quoque ſententia. Ipſe quidem Ἄμμων ab arenis appellationem ſortitus eſt, ſed regio Ἀμμωνιακὴ ab ipſo Ammone denominata, cujus oraculum in illo loco celeberrimum. Quidquid igitur in ea provincia reperiebatur, Ἀμμωνιακὸν dicebatur. Specus ingentes fuiſſe, è quibus eruebatur Ammoniacum, Plinius teſtatur. *Leviſſimus*, inquit, *intra ſpecus ſuos in lucem univerſam prolatus, vix credibili pondere ingraveſcit.* Qui tamen & Ammoniacum dictum ſentit: *Nam & Cyrenaïci tractus nobilitantur Ammoniaco, & ipſo, quia ſub arenis inveniatur, appellato.* Ridiculum. Immo quia in regione Ammoniaca inveniretur, ἐν τῇ κατὰ Ἄμμωνα Λιβύῃ, quæ pars erat Cyrenaïcæ. Quin & mediterranea Libya ſub hoc nomen tota aliquando venit. Stephanus: Ἀμμωνία ἡ μεσόγειος Λιβύη· καὶ αὐτὴ δὲ πᾶσα ἡ Λιβύη οὕτως ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος. Ab Ammonia igitur regione ſal Ammoniacus, non ab arenis, qui ἀμμικὸς diceretur vel ἀμμίτης. Plinius ibidem: *Quo exemplo poſtea inter Ægyptum & Arabiam, etiam ſqualentibus locis, cœptus eſt inveniri detractis arenis. Qualiter & per Africæ ſitientia uſque ad Ammonis oraculum.* Certè in Ammoniaca regione, cujus totum ſolum arenoſum, ſub arenis effoſſi ſpecus Ammoniacum ſalem dabant. In aliis vero locis, ubi nullæ arenæ, ſub terra effodi ſolitum aut etiam è collibus, veriſimile eſt. In Cappadocia ſub terra erui tradit Plinius, ſpecularium lapidum modo, glebis magnis & ponderoſis. lib. XXXI. cap. VII. *effoditur & è terra, ut palam eſt, humore denſato in Cappadocia. Ibi quidem cæditur lapidum ſpecularium modo. Pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat.* Dices, non ejuſdem generis Cappadocicum cum Ammoniaco. Immo ſub idem genus utrumque reducitur ὀρυκτῶν ἁλῶν. Atque ita Plinius exiſtimat. Tria genera ſalis recenſet Dioſcorides, τὸ ὀρυκτὸν, τὸ θαλάσσιον, καὶ τὸ λιμναῖον. Sed & paluſtre ſub marini genus poteſt revocari. Ammoniacum ponit in genere foſſilium. Hic ſui quidem generis quodammodo atque ex ſolis ac ſoli diverſitate naturæ peculiaris. Verba Dioſcoridis notanda: τῶν δὲ ἁλῶν ἐνεργέστερον μέν ἐστι τὸ ὀρυκτόν· τούτου δὲ κοινῶς μὲν τὸ ἄλιθον καὶ λευκὸν καὶ διαφανὲς, πυκνόν τε καὶ ὁμαλὸν τῇ συγκρίσει· ἰδίως δὲ τὸ Ἀμμωνιακὸν τῷ γένει, εὔσχιστον δὲ, καὶ εὐθείας τὰς διαφύσεις ἔχον. Super omnia genera ſalem foſſitium commendat, ut efficaciæ ſingularis. Ex eo genere maxime probat in commune, qui candidus eſt ac pellucidus; & ſpecialiter Ammoniacum, qui facilè ſcinditur & recto venarum diſcurſu. Inter notas optimi ſalis foſſilis proprias hæc duo requirit, ut pellucidus ſit ac candidus. Utrumque etiam habuit ſal Ammoniacus. Plinius ſimilem eſſe alumini dicit, quod *ſchiſton* appellant. De Ammoniaco: *ſimilis eſt colore alumini, quod ſchiſton vocant, longis glebis neque perlucidis, ingratus ſapore, ſed medicinæ utilis.* Quod ait *neque pellucidis*, haud ſcio, an ei credendum ſit. Dioſcorides in ſale foſſili τὸ λευκὸν καὶ τὸ διαφανὲς exigit, & utrumque in Ammoniaco videtur agnoſcere. Quin & paulò poſt idem Plinius *perſpicuum* ait probari, hoc eſt, pellucidum: *probatur quam maximè perſpicuus, rectis ſciſſuris.* Ut perſpicuus amnis, & perſpicuum vitrum dicitur, τὸ διαφανὲς intelligitur. Gloſſæ: *Perſpicuum*, διαφανὲς, διαυγές. Quodcunque adſpectum tranſmittit, & per quod ſpeci poteſt, ut antiqui loquebantur, id perſpicuum. Ipſe igitur ſibi contradicit Plinius. Ex variis auctoribus hæc concinnavit. Apud alium reperit, Ammoniacum colore ſimilem eſſe alumini ſciſſili. Hoc album quidem, non tamen pellucidum, & quod in pilos caneſcentes dehiſcat. Inde hariolatus eſt, Ammoniacum longis glebis eſſe neque pellucidis. Apud alium vero legit, maxime probari τὸ διαφανές. Quod perſpicuum heîc reddidit, idemque eſt

A cum pellucido. Aviſena hæc tria in ſale Ammoniaco, ut optimus ſit, deſiderat, τὸ εὔσχιστον, τὸ διαφανὲς, & colorem cryſtalli. Ita quidem hoc ultimum reddidit interpres, quod in Arabico dicitur البلوري *albiluri. Et melior ex eo, qui eſt ut borax, clarus, cryſtallinus.* Nullum borax veſtigium in Arabicis, qua voce Barbari chryſocollam appellant, cum qua nullam habet ſimilitudinem aut cognationem ſal Ammoniacus. Tria epitheta ſunt in editione Arabica, quibus deſignat Aviſena probatiſſimum ſalem Ammoniacum. Primo τὸ εὔσχιστον denotat B البتكافي, à verbo بتك, quod ſcindere ac ſecare ſignificat. Alterum eſt الصافي. Ita ſemper Arabice reddit Aviſena, quod Dioſcoridi eſt διαυγές. Tertium eſt البلوري *albeluri.* Interpres vertit *cryſtallinum.* Melius ſanè quam illi, quibus placet Arabicum بلور *belur* eſſe beryllum. Quos in hanc opinionem ſolus vocis ſonus deduxit, quaſi C *belur* tranſpoſitis litteris factum eſſet ex *beryllus.* Aliter uſus definit. Berylli optimi viriditatem puri maris imitantur. Alii ſunt chryſoberylli, in aureum colorem fulgore exeunte. *Bilur* Arabibus gemmam candidam eſſe oportet. Nam Ammoniacum λευκὸν ac διαφανὲς comparatur colori bilurino. Non poteſt tamen eſſe cryſtallus. Nec enim in India gignitur. At Geographus Nubienſis *bilur* multis locis Indiæ reperiri ſcribit. Ut in octava parte Climatis tertii de inſula Indiæ Sarandib, in ea dicit inveniri optimum & maximum البلور *albilur.* Beryllum ibi D nolim reddere, ut doctus fecit interpres, propter eas quas ſupra expoſui cauſas. Eorum ſententiæ magis accedo, qui Hebraïcum *ſoham* שהם interpretantur *albilur*: & de onyche gemma plerique omnes interpretes accipiunt. A candore unguis humani hoc nomen habet, licet plurium colorum tradatur. Marmor quoque, cui inditum id nominis, ab humani unguis colore ſic appellatum. Paulus Silentiarius:

> Ὅσσα τ' ὄνυξ ἀνέηκε διαυγάζοντι μετάλλῳ,
> Ὠχριόων ἐρίτιμα.

E Pretioſo pallore candicans. Vetus verſio Arabica βήρυλλον in Apocalypſi reddit خشب. Profecto ſi *bilur* eſt beryllus, de illo genere berylli fuerit capiendum, quem in poſtremis numerat, & cryſtallis fere ſimilem dicit. Cryſtallinam ſane ac candidam hoc nomine gemmam Arabibus dictam fuiſſe neceſſe eſt. Nam ſalis illud genus, quod vulgo *ſal gemmæ* vocatur, idem Aviſena ait eſſe كالبلور, F *ſicut Albilur.* Candidum eum ac pellucidum eſſe conſtat, quem propterea *ſalem gemmæ* dixerunt Barbari, qui *ſalem gemmeum* melius appellaſſent. Sic *gemmeus miles* in ludo latrunculorum apud Martialem pro vitreo, qui & gemmæ nomine vitrum ſæpenumero indigetat, à pelluciditate ac nitore gemmæ. Pro ſale gemmæ, ut habet interpres Aviſenæ, in textu Arabico habetur دراني *darani.* In quo vocabulo nihil video, quod reſpondeat ſalis gemmæ notioni. An ab Hebraico דר, quod Parium lapidem ac marmor candidum ſignificat. Marmorei plane candoris ac G nitoris hic ſal foſſilis, quem gemmeum vocant. Nicolao Myrepſo σαλτζέμε dicitur, pro Latino *ſal gemmæ.* In antiquo Gloſſario Arabico legitur, *callaſticus*, درى. Lego: *chalaſticus.* ὁ χαλαστικός. Notum, quæ χαλαστικὰ dicantur medicis. Quæ vim habent emolliendi, laxandi, diſcutiendi, digerendi, reſolvendi, hoc nomine cenſentur. Aviſena eo loco genera ſalium ex varia proprietate facultatum, quas habent

habent, recensere potius videtur, quam ex alia naturæ aut patriæ differentia. Et primo quidem virtutem in eo στυπτικὴν, qualis est in nitro, notat. Deinde alium ex eo dicit esse فهش, alium مكففر. Interpres vertit: *Et alius est rarus, frangibilis, & alius cavatus.* Quæ non intelligo. Sic tamen toto capite deinceps *cavatum salem* pro genere salis nominat. Alpagus in Lexico *imperialem salem* interpretatur. Quid sit, nescio. Forte legendum مختطف, ut rapiendi atque auferendi facultate præditum dicat, à verbo خطف. Quod idem est atque Hebraïcum חטף, quod rapere ac per vim auferre donatat. Τὴν σμηκτικὴν δύναμιν per hoc fortasse intelligit, quæ detergit atque abstergendo subinde aliquid aufert. Antiquus Glossator Arabs Dioscoridis λίθον μολυβδοειδῆ حجر مكففر. Quod idem est nomen. مكففر. An cæruleum salem intelligit? An vero & ipsum Armenium colorem sic vocavit, quod alibi apud Græcos inter genera salis poni legerat? Sanè & Zosimus Panopolitanus ἅλατος κυανοῦ Ἀρμενιακοῦ mentionem videtur facere, pro Armenio pigmento cærulei coloris. Ita & Serapio chrysocollam ex genere salium esse tradit. Sunt & purpurei sales, sunt & crocini. Ergo & cæruleum sic vocaverit Avisena. Non possum tamen adhuc improbare conjecturam meam, qua legi placet مختطف, qua σμηκτικὴ δύναμις designetur. Quod proximè præcessit, hoc confirmat, ubi alium esse فهش prædicat. *Rarum & frangibilem* reddit interpres. Immo *mordentem* exponi velim, à verbo فهش, quod est mordere & erodere. Plinius de sale: *in medendo vero mordens, adurens, repurgans, extenuans, dissolvens.* Sequitur apud Avisenam aliud salis genus, quod vocat دراني *darani* vel *drani.* Glossarum auctor Latino-arabicarum veterum interpretatur χαλαστικόν. Sic ergo salem nuncupat Avisena, qui emolliendi ac dissolvendi virtute pollet: διαχυτικὴ δύναμις dicitur Dioscoridi. Plinius *dissolventem* vocat. Talis præcipuè fossilis, vel sal gemmeus. Nam qui maxime amarus est, is quoque præcipuam vim habet dissolvendi, ut ipse etiam Avisena testatur. Subjicit idem, & alium esse *naphthi* نفطي. Naphticum salem esse volunt & eum intelligunt, qui denominatur à naphta liquidi bituminis genere, & Sodomicum salem Galeno dici adstruunt. Haud scio, an verum dicant: ac videndum, an aliter possit sumi. Fortasse de eo sale loqui voluit Auctor, quem ἐσχαρωτικὸν Dioscorides nominat. Plinius *adurentem.* Arabes vocant etiam نفطة *nafta*, vesiculam, ampullam, tuberculum, ex Græco ἄφθα: τὰ ἐν στόματι ἕλκη & φθοὴν exponunt. Certe & ἄφθαν pro bitumine Græci dixerunt. Unde apud Constantium de Imperio, πηγαὶ ἄφθαν ἀναδιδοῦσαι. Ubi vir doctus perperam fontes interpretatur, qui ulcera faciunt, cum fontes sint bitumine liquido sive naphtha scaturientes. Sic ἄφθα pro νάφθα. Arabes contra νάφθαν pro ἄφθα, quæ vesicam ulceris aut ampullam significat, usurpant. Inde igitur sal نفطي *naphthi*, ὁ ἐσχαρωτικὸς, qui vi sua caustica & adurente ulcera & ἄφθας in cute excitat atque ἐσχάρας inducit. Eundem fere ordinem sequutus est Avisena in differentiis istis salis facultatum assignandis, qui Dioscoridi observatur: δύναμιν δὲ ἔχουσιν οἱ προειρημένοι ἅλες κοινὰς πολύχρηστον, στυπτικήν τε καὶ σμηκτικὴν, καὶ ἀποκαθαρτικὴν, καὶ διαχυτικήν· ἔτι δὲ καταστaλτικὴν καὶ ἰσχναντικήν καὶ ἐσχαρωτικήν, τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον διαφέροντες. Qui igitur ἐσχαρωτικὸς sal Dioscoridi, Avisenæ *naphthi.*

A Ad verbum reddere liceat *vesicatorium.* Si medici hodie vesicatoria vocant medicamenta adurentia, quæ mitiora quidem faciunt ἐσχαρωτικοῖς & καυστικοῖς: sed Græci hæc sæpe confundunt, & in genere καυστικὰ vocant & ἐσχαρωτικά, quæ vesicas in cute excitant & crustam ustis partibus inducunt. Salem ejusmodi facultate præditum inveniri constat, ut adurat cutim ac pruritum faciat, pustulasque excitet. Κνησμώδεις ἅλας Strabo vocat, quos in Atropatena Mediæ regione reperiri ait in quodam lacu, qui & vestes etiam, si quis ignarus ad lavandum eo immerserit, com-
B burant. lib. XI. Λίμνην δ' ἔχει τὴν Σπαῦτα, ἐν ᾗ ἅλες ἐπανθοῦντες πήττονται· εἰσὶ δὲ κνησμώδεις καὶ ἐπαλγεῖς, ἔλαιον δὲ τοῦ πάθους ἄκος, ὕδωρ δὲ γλυκὺ τοῖς καταπυρωθεῖσιν ἱματίοις, εἴ τις κατ' ἄγνοιαν βάψειεν εἰς αὐτὴν πλύσεως χάριν. Valde adurentem & ἐσχαρωτικὸν oportet fuisse illum salem, vel certe, ut medici loquuntur *vesicatorium.* Vesicatoria proprie sunt, quæ non solum cutim in ruborem dant, sed etiam exulcerant vesicis & pustulis excitatis; quæ Arabice vocantur, ut dixi, نفاطات. Unde & نفاطة vesicatio. Arabes *n* plerumque mediis vo-
C cibus inserunt: in hac voce è Græco sumpta principio adjecerunt, *naphtham* pro ἄφθα dicentes. In Lexico Granatensi pulverem tormentarium expositum legere est نفط. Forte ab eadem urendi facultate Epigramma Græcum in veteri codice mihi repertum, κόνιν Αἰθιόπων vocat, à nigro forte colore. Nec enim hoc distichon aliter possum accipere nisi de pulvere tormentario:

Οὐκ ἔτ' ἔρως φορέει φαρέτρην καὶ τόξα καὶ ἰοὺς
Αἰθιόπων δὲ κόνιν ἀντὶ βελῶν προχέει.

D Quo sensu & poëta Rythmicus nostras cecinit alicubi, amorem non amplius esse sagittarium, sed sclopetarium. Verum de his alii viderint. Salem naphthi Avisena nigrum esse dicit, quo colore est & pulvis tormentarius, quem *Æthiopicum pulverem* appellat Græcum epigramma, quique eodem fere nomine cum sale naphthico vocatur. Colorem illum habere tradit Avisena ratione naphthicitatis, quæ in ipso est. Vocat Arabice نفطية *naphthia.* Quod ego interpretor adurendi facultatem & vesiculas excitandi. Sic apud eumdem نطرونية *nitrosia*, nitrositas, & alia
E ad hunc modum. Ait igitur, colorem hunc nigrum in illo contrahi ex ignea & adusta natura, qua est præditus. Facultatem illam amittere eum narrat, si uratur, & redire in naturam salis gemmæ. Sane sales omnes exusti acrimoniam suam perdunt, & διαφορητικὴν virtutem magis acquirunt; qua proprietate maxime censetur sal gemmæ. Paulus de sale: οἱ δὲ κεκαυμένοι διαφοροῦσι μᾶλλον. Addit ibidem Avisena & salem Indum nigrum esse, non ratione naphthicitatis, quæ in illo sit, ut salem naphticum, sed propriâ substantiâ. Dubium est, de quo sale intelligat,
F quem hîc Indum vocitat. Græci veteres salem Indum appellarunt saccharum suum, quod in harundine salis modo concretum reperitur. De quo supra. Idem lib. IIII. capite de asperitate linguæ in febricitantibus, meminit salis, qui ex India adportatur. Quod saccharum esse veterum constat. Nec mirari quisquam debet, Avisenam de hoc genere salis inter salium genera retulisse, cum diversissima ejus natura sit. Sic idem de Indico colore sub titulo de Atramentis dixit, quia Græci μέλαν Ἰνδικὸν id vocarunt. Recentiores plerique videntur de hoc sale locum
G Avisenæ intellexisse, ubi tractat de salis differentiis, & salem Indum appellat. Scribit quippe Brassavolus saccharum veterum, quod esse genus salis tradunt veteres, supra cannas inventum, ad nos hoc tempore non deferri, & vicem ejus usumque præstare saccharum vulgo dictum *Candum*; & pro hoc vulgares pharmacopolas uti nescio quo medicamento, quod extra nigrum est. Quia nempe sal Indus Avisenæ niger ab eo traditur. Atqui vel ex hoc maxime constare potest, salem Indum, de quo agit

agit Avisena eo capite, alium esse à sale Indo, cujus
alibi meminit ex antiquorum auctoritate; quibus hic
sal idem cum saccharo. Nam sal ille Indus colorem
habet salis communis, ut & ipse disertè prodit Avi-
sena capite de asperitate linguę. Atque etiam Græ-
ci: Ἅλς ὁ Ἰνδικὸς χροιᾷ μὲν ϰαὶ συστάσει ὅμοιος τῷ ϰοινῷ ἁλὶ,
γεύσει δὲ μελιτώδης. At sal communis non est niger,
immo candidus magis. Saccharum quoque Plinius,
qui sal est ille priscorum Indicus, gummium modo
concretum & candidum esse dicit. Docuimus ante
esse hodiernum *tabaxir* sive saccharum *mambu*,
quod amyli modo congestum in harundinibus Indicis
inveniri constat, & candore pari. De vero igitur
sale Indico accipiendum apud Avisenam capite illo de
salis generibus, non de saccharo antiquo, quod ge-
nus erat salis Indici. Saccharum quippe candidum,
hic sal Avisenæ Indicus niger. Mesue quoque hu-
jus salis mentionem habet, qui salem naphticum &
Indicum prodit cæteris omnibus salibus præstare.
Strabo lib. v. ex Clitarcho narrat, salis nativi in India
fodinas haberi, ubi sal renascatur, ut lapides multis in
locis. De insulæ Ilvæ memorabilibus: τοῦτο δὲ παράδο-
ξον ἡ νῆσος ἔχει ϰαὶ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ
τὰ μεταλλευθέντα, ϰαθάπερ τοὺς πλαταμῶνάς φασι τοὺς ἐν
Ῥόδῳ, ϰαὶ τὴν ἐν Πάρῳ πέτραν τὴν μάρμαρον, ϰαὶ τοὺς ἐν Ἰν-
δοῖς ἅλας, ὥς φησι Κλείταρχος. In Oromeno Indicæ
monte ejusmodi salem reperiri scribit Plinius, quod
habere videtur ex Clitarcho: *Sunt & montes nativi
salis, ut Indus Oromenus, in quo lapidicinarum modo cæ-
ditur renascens; majusque regum vectigal ex eo est quam ex
auro atque margaritis.* Fortasse tamen Indum salem
dixerunt Arabes non à patria, sed à colore; ut Inda
myrobalana, quæ nigra sunt; & *Indicum colorem*, τὸ
μέλαν. Utut sit duo genera salis Indici ὁμώνυμα na-
turæ diversæ, saccarum antiquorum, hoc est, sal
Indicus Græcorum, & sal Indicus Arabum. Ad
Ammonicum redeamus. Barbari *Armoniacum* pro
eo dixerunt, ut & *Armoniacum gummi* pro Ammo-

A niaco. Inde *Armeniacum* hunc salem Pandectarius
appellat, quasi ex Armenia adferretur. Sanè & in
Armenia salem fodi non dubitem; sed alius hic ab
Ammoniaco. Hodie ignoratur sal Ammoniacus.
Quidam autumant, fieri ex camelorum urinis arte
quadam concretis. Quod verisimile etiam videtur Viro
doctissimo, quia inquit ex orientali plaga, ubi in-
numeri sunt camelorum greges, Venetias defertur.
Quod est ridiculum. Ex occidentali potius quam
orientali orbe venit Ammoniacum legitimum, si-
quidem in Ammonia Africæ Cyrenaïcæ regione ef-
B foditur. Ejusdem quidem generis cum sale fossili
& sale gemmæ, sed sua quadam proprietate censetur
ex loci natura. Sal gemmæ candidus, & traluci-
dus; æque & Ammoniacus. Herodotus montes sive
colles salis esse in Ammoniaca regione dicit, ex qui-
bus ille sal effoditur. lib. IV. μετὰ δὲ Ἀμμωνίους, διὰ
τῆς ὀφρύης τῆς ψάμμου δι' ἄλλων δέϰα ἡμερέων ὁδοῦ, ϰολω-
νός τε ἁλός ἐστι ὅμοιος τῷ Ἀμμωνίῳ. Non igitur ab arena
dictus sal Ammoniacus, sed ab Ammonia regione.
Serapio ex lapidibus duris & claris extrahi dicit, quo
nomine perperam reprehenditur à doctissimo Medico:
C Quod ex Corasan regione invehi ibidem tradit, non hic
verus videri debet sal Ammoniacus, qui ex Ammonia-
ca tantum adferri potest, ubi & nascitur, & unde habet
nomen. Enimvero, ut dixi, non γενιϰὴν differentiam cum
sale fossili vel gemmeo constituit sal Ammoniacus,
sed εἰδιϰὴν duntaxat. Sal Corasenus ex eodem gene-
re est, non idem tamen cum Ammoniaco. Plurium
colorum esse ibidem scribit, nigrum, candidum, va-
rium. At Græci veteres unius tantum coloris Am-
moniacum tradunt, candidum, ac pellucidum cry-
D stalli instar. Quos & sequitur Avisena, qui unum
tantum genus Ammoniaci recenset. Qui niger in
illo genere est, is fortasse & est, quem Arabes
vocarunt ملح هندي, *milch Hendi*, salem In-
dum.

CAPUT CXII.

De Turbith.

IN Arabicis, quæ non tantum ævi tulere, id
etiam usu venisse magis mireris, ut alia pro aliis
nominentur ab auctoribus. Exemplo sit *Tur-
bith.* Qui res Indicas nostro aut avorum tempore
scripserunt, inter species medicinæ utiles in India
nascentes & mercimonio celebres, *Turbit* & *Tur-
bitti* passim commemorant. Describitur a Garcia *Tur-
bith* illud Indicum, caule hederæ modo humi sparso,
crassitudine digitali, bipalmi altitudine, foliis al-
thææ, nec flore dissimili, radice neque magna neque
longa. Caulis partem, quæ proximè abest è terra,
duntaxat in medicum usum recipi, & gummosam
esse. *Turbit* Arabum nullam cum hoc *Turbit* Indico
habere cognationem, placet eruditis hominibus. De
aliis Arabibus nihil dico. Nam certum est, Turbith
Serapionis esse tripolium Græcorum. Quæcunque
enim de tripolio narrat Dioscorides, ea Serapio suo
Turbit attribuit. Mesue Turbit radix est herbæ, folia
ferentis ferulâ minora, & ex genere lactariarum. Lacta-
riæ sunt tithymalli. Pityusa ex genere tithymallorum,
cujus radicem nonnulli Græcorum Turbetum nigrum
esse voluerunt, ut Actuarius: album vero, alypi radi-
cem. Unde in Lexico Saracenico ex libro Viatici repe-
rio: Τερβέθ, ἡ λευϰὴ ἀλυπία. In antiquo Dioscoridis exem-
plari Glossator Arabs τὸ ἄλυπον interpretatur تربد,
Terbid. Apud Avisenam scribitur تربذ *Terbadh*
cum *dsal.* Et frustra est Vir magnus, qui *Turbith* &
Terbedh vel *Terbadh* inter se differre putavit. Vul-

E gus Arabum pronuntiat *Turbedh*, Unde Græcorum
recentium Τουρπὲτ vel Τουρβέθ. Idem igitur nomen
est; variis rebus tributum. Neophytus Τουρπὲτ vo-
cat, & inter genera myrobalanorum recenset:
μυροβάλανα, τὰ λεγόμενα ξανθά, μέλανα, ϰιτρὰ, ἐμ-
πλιτζα, τουρπὲτ. Sed ille nugatur. Tres igitur sunt
plantæ, quas Turpeti nomine donarunt varii aucto-
res Græci Arabesque, pityusa, alypia & tripolium,
omnes à vero Indico Turbitho diversæ. Nunc vi-
deamus de Avisenæ *Turbeto*, an sit germanum. Id
quidem valide negant docti homines. Ego vero non
F video, cur non possit esse; quamvis nolit cum aliis
etiam magnus Scaliger. Frusta ligni gravia esse, &
subtilia, quæ ex India advehuntur, tradit idem Avi-
sena. Quæ verba non leguntur in Latina versione,
sed in Arabica Editione statim initio. Non igitur
idem cum tripolio Græcorum aut alypia aut pityu-
sa, quæ herbæ Græciæ indigenæ, non ex India af-
feruntur. Præterea ligni fragmenta vocat. Turbith
quoque verum & Indicum caulis est lignosus, cum
cætera Turbithi genera reliquis Arabibus memorata,
radices sint. Postremo remedia conveniunt. Scribit
G Garcias Turbit medicamentum esse, quo Indici medici
pituitam detrahunt; cui & gingiber adjiciunt, si febri
careat ęger. Paria planè prodit Avisena de suo Terbedh;
pituitam nempe dejicere & fortius reddi admixto
gingibere. Atqui, inquit Scaliger, lignum Tur-
bit, non gummi ejus, quod non habet, recipitur
in usum medicamentorum. Sanè nemo inter gum-
mium genera recensuit τὸ τουρπὲθ. Aliis caulis est,
aliis radix ad medicamenta expetita. Gummi habere
non

non meminit Avisena. Nec natura sua gummosum esse disertè tradit Garcias; sed quia vident Indi Europæos homines gummosum Turbith petere, & has optimi notas intelligere, solent ejus plantam, priusquam colligant, leviter contorquere ac vulnerare, ut succum exsudet, qui postea in gummi cogitur & concrescit. Paucæ sunt herbæ, quæ hoc modo contortæ non stillent aliquem liquorem. Cæterum gummi per se ex Turbitho non expetitur. Ideo nec gummis mentionem habet Avisena. Hoc tamen argumento, qui verum Turbith ignorabant, inter eas herbas retulere, quæ lacteo succo turgent. Hinc πιτυῦσαν ex Græcis quidam esse statuerunt. Alii aliud. Avisena genuinum & Indicum Turbith videtur novisse, nec de alio intellexisse. At Græcorum τιϑύμαλ aut alypia est, aut pityusa. In maritimis utraque provenit. Turbith quoque Indicum in maritimis nascitur. Hoc sollemne auctoribus fuit, ut desideratis veris speciebus, quæ vicem earum supplebant, aut quæ aliqua similitudine eas vel cognatione contingebant, eadem appellatione impertirent. Hoc Arabes præcipue faciunt in Græcis nominibus rei medicæ, cum rem ipsam ignorant. Quærunt nimirum apud se speciem aliquam, quæ quadamtenus respondeat descriptioni illius, quam ignorant, & dictum factum pro eadem habent. Serapio capite de Turbith, historiam tripolii Dioscoridis primo loco posuit: deinde alias subjecit descriptiones ex Arabibus petitas auctoribus, quæ verum Turbith Indicum delineant, quale ab Avisena refertur. Nam quæ de notis optimi ac pessimi Turbithi ex sententia Abix commemorat, plane conspirant cum his, quæ scribit Avisena. Si quid discordant, id interpretum diversæ ac perversæ faciunt versiones. Album probat Avisena, longum, tritu facile & frangenti non contumax, politum, atque subtile. Hæc omnia in optimo requirit ille alter. Inter alia vero desiderat, ut sit effigie tanquam calami argentei. Pro his habet Avisenæ interpres: *& contritum habens foramina sicut cannæ subtilis foramina.* Coruptus hic Arabicus textus, quod ostendit apicum privatio. Contritum & conquassatum esse dicit, كاذادعب. العصب. Interpres legisse videtur in priori voce كاذاثقب, hoc est, sicut foramina. Nam ثقب *thakaba* est perforavit. Inde اثقب pro foraminibus accepit. Pro العصب autem legit القصب *alkasab*, quod cannam vel calamum significat. Sed omnino retinendum, sicut habetur scriptum, sine punctis & cum *ain* عصب. *Hasab* nervum significat. Non potest etiam heic locum habere lectio, quæ foramina designat. Nec enim inter notas probati poneret, quod paulo post recenset inter deterioris signa. Perforatum quippe & corrosum improbat. Aliter igitur reponendi apices in illa voce ادقب. Nempe hoc modo دقب; à verbo دقب, quod effodere & excidere denotat. Intelligit ergo turbith, ubi conquassatum est ac contritum, similitudinem habere nervorum excisorum. Interpres Serapionis, qui argenteo calamo similem esse debere dicit, quomodo apud Serapionem legerit, nescio. قصب فضي est calamus argenteus. Inter laudati Turbithi notas non solum, ut sit candidum, requirit Avisena, sed etiam

A commendat الغير *alguaier.* Et hæc duo simul jungit: الابيض الغبير *alabiad algaier.* Candidum illud est. Quid hoc significet, nescio. Vetus Lexicon اغير exponit cæruleum. Forte nigrum intellexit noster. Nam & κυάνεον Græci non raro pro nigro usurpant. Garcias scribit, siccatum ad solem esse candidum. In umbra vero arefactum tametsi nigrum evadat, nihilo tamen deterius haberi. Meminit alio loco Avisena Turbith nigri & flavi capite

B de *Gilehenek* جبلا هبك. Pari potestate præditum hoc esse dicit, ut est elleborum. Quosdam autem existimare ait semen esse Turbith nigri, & corticem ejus Turbith citrinum, & nasci in Said. Ita interpres. Sed in Arabico legitur, بالصعغن *in Alsagad.* Said Arabice scibitur صعيد. Sic vocatur Sidon apud Geographum, ut placet eruditis. Alia est

C *Said* Ægyptia ad Nilum, regio, cujus mentio apud Geographum Nubiensem in quarta parte Climatis primi. Forte est veterum Σαΐτις. Quæ *Sagad* Avisenæ dicitur, eam esse puto, quæ apud eumdem Geographum vocatur صعده *Saada*, in sexta parte Climatis primi. Si punctum tollas apud Avisenam erit صعغن, *Saad.* Secundum quosdam igitur *gilehenek* semen Turpeti nigri, vel cortex flavi. Optimum deferri ex India dicit, & esse simile *altuderi*, التودري.

D Tuderi Avisenæ idem quod ἐρμῖνον Dioscoridis. Herbarius alius Arabs *giulben* interpretatur. De quo etiam mentio apud Avisenam. Speciem ciceris volunt esse, vulgo cicerellam vocatam. Cæterum cum Avisena album Turpetum laudat, & *alguier*, non de nigro hanc vocem accipiendam puto, sed de colore cinereo. Sic *azarac* cinereum & cæruleum interpretantur. Et cum cæruleum vetus auctor Glossarius exponit, φαιὸν intelligit. visena autem corticem Turpeti cinerei coloris esse indicat, quem

E fricandum dicit, cum præparatur, donec remaneat albus. Damnandum autem admonet, quod leve est. Ergo grave esse debet, quod eligitur. Sic igitur vertendum apud eum, quo loco definit Turpetum frusta ligni gravia esse ac subtilia, quæ adferuntur ex India. علاظ. Quod grave etiam significat. Vir magnus ita hæc vertit: *crassa & subtilia ligni fragmenta.* Utrumque simul verum esse nequit. De cinereo quidem non dubito, sed eo sensu magis probarem legi,

F الغبر totidem litteris: vel اغبر, quod est cinereum. Nam غبر cinis. Et apud eumdem Avisenam capite de Zurumbed اون اغبر color cinereus. Idem Avisena lib. IV. inter venena plantarum Turbed etiam recenset & nominat التربذ الردي *alturbed alradi*, id est, perniciosum Turbedh. Nigrum & flavum tale esse ibi definit, & eumdem effectum habere dicit cum elleboro nigro & Agarico nigro. Hoc

G contra sententiam Garciæ facit, qui affirmat Turbith nigrum à candido non differre nisi præparationis genere. Quod enim in umbra siccatum est, nigrum colorem contrahere; quod ad solem siccatur, candidum existere.

CAPUT

CAPUT CXIII.

De fructu Bel & Fel.

BEl Arabes seu *Bul* vocant genus fructûs, quem Avisena ex sententia Alchindi cucumerem Indum interpretatur, & instar habere dicit fructûs capparis, quem *cucumerem capparis* iidem Arabes appellant, قثا الكبر *ketha alcabar.* Hic fructus sive cucumer Indus. Avisenæ dicitur بل *Bel*, in littera *be.* Amarum esse præterea dicit, ac similem zingiberi, calidum & siccum in secundo, vel ut alii asserebant, tertio. Dicebatur etiam *Fel*, فل, teste Serapione cap. CCLI. ubi de his tribus simul tractat, *Bel* & *Sel* & *Fel* quasi congeneres sint fructus & eadem virtute præditi, omnes calidi & sicci, ex India pariter adferri soliti. Ex Rase tradit *Fel* esse fructum cum cortice, qui similis est cortici avellanæ; & intra ipsum esse nucleum pinguem instar nuclei pinei. *Bel* quoque ab Avisena traditur similis capparis fructui, cujus forma avellanæ proxima. Nam glandem myrepsicam Theophrastus comparat capparis fructui. Dioscorides avellanæ. Recentiores pistacio, quod *fisticum* appellant Barbari. Rasis etiam apud Serapionem fistico similem magnitudine facit fructum *Fel.* Serapionis *Sel* Avisenæ vocatur شل *Xel* vel *Scel.* Medicamentum esse Indum dicit, & simile zingiberi, quod & de *Bel* tradidit. Calida igitur hæc omnia & sicca. Aliud est *Fel* apud Avisenam in Arabica editione فل; quod pariter perhibet medicamentum esse Indicum, par virtute mandragoræ. Frigidum itaque videri debet. Ita enim scribit ut Arabica sonant: *Fel dicitur medicamentum Indicum, notum, cujus virtus similis virtuti Alsabrua & Allhusa*, id est, mandragoræ, & fructûs ejus. Interpres Avisenæ multa habet, quæ non leguntur in editione Romana Arabica. Sed & cap. CCLXIV. utrumque *Fel* confundit sub nomine *Fael.* Ita enim scribit; nec enim pigebit verba ipsa adscribere, quamvis non ita sint Latina & elegantia: *Fael est fructus, super quem est cortex similis colore corticibus avellanarum, & figura ejus est sicut fistici. Et intra ipsum est granum pingue simile grano pini, quod*

A *vocatur granum regum: cujus color est inter album & nigrum & citrinum: & est illud quod administratur & adportatur ex terra India. Et Albel & Alfel omnes sunt calidi, & conferunt mollificationi nervorum, & ventositatibus hæmorrhoïdarum, & sanat eas.* Hic est *Fel* Serapionis & Rasis. Sequitur protinus apud eumdem interpretem in eodem capite: *Et est medicina Inda nota, cujus virtus est sicut virtus mandragoræ & pomorum ejus.* Hic est *Fel* Avisenæ, cujus sola apud eum mentio in Arabicis, quæ edita sunt. Caput sequens CCLXV. de *Fal* inscribitur, & dicitur esse calidum & siccum in

B secundo. Idem prorsus est nomen cum *Fel*, & de illo *Fel* accipiendum, qui est fructus. Correxit Alpagus *Falangie* pro *Fal.* Certè Falangie est ocimi sive basilici genus. Nam *Falangie musch*, ocimum garyophyllatum interpretantur, quod est Falangie muscatum. *Falangie* tamen apud Avisenam nulla mentio, & *Fal* idem omnino, quod *Fael* vel *Fel*; quæ interpres, partim male distinxit, partim confudit. Notat Alpagus in Lexico, *Fel* secundum Arabes expositores esse radicem Nenufaris Indi. Hic est *Fel* Avisenæ, quod parem habet mandragoræ facultatem. At secundum Ebenbitar esse fructum. Fructus hic est, quem supra vidimus, & qui juxta omnium Arabum senten-

C tiam calidus est ac siccus in secundo gradu, vel etiam secundum alios in tertio. Sic res diversissimæ naturæ, ac facultatis contrariæ, eodem nomine signatæ. Sunt qui putant ex Neotericis, *Fel* Arabum, qui fructus est terebinthi, majus granum; *Bel* autem minus. Sed falluntur. Omnes Arabes uno ore consentiunt tam *Fel* quam *Bel* atque etiam *Sel* ex India adferri. At terebinthi in Syria, Persia, Mesopotamia, Armenia, magnâ copiâ passim nascuntur. Præterea iidem Arabes fructum terebinthi, quem vocant granum viride, ut ante docuimus, alium faciunt à *Bel* & *Fel.* Postremò Arabes non dicunt *Bel* aut *Fel* esse fructum arboris.

D Avisena ex Alchindo tradit esse cucumerem Indicum. Aliud genus *Fel* huic ὁμώνυμον pro radice nymphææ Indicæ quidam interpretabantur. Sanè & radicis Indicæ nymphææ meminit Avisena capite de nymphæa sive nenuphare, quam similes vires habere perhibet mandragoræ, quod & ipsum de *Fel* scripsit.

CAPUT CXIV.

De nymphæa.

HOc nomen *Nenufaris* apud Arabes non unam rem significat, quo tamen Græcorum νυμφαίαν exprimunt. Vocant *Nilufar*, non *Nenufar.* نيلوفر. Pro quo etiam transpositis litteris scriptum reperi aliquot locis in antiquo Dioscoride لينوفر, *Linufar.* Mirum est, Græcos scriptores, qui vocem illam Arabicam usurparunt, non νιλύφαρον dicere, sed νύφαρον. Neophytus: λωτὸς, οἱ ἢ τρίφυλλον, οἱ ἢ τριπόδιον, οἱ ἢ τρίβολον, φύλλα ἔχει ὅμοια δρακοντίᾳ ἢ νυφάρῳ. Confundit nimirum lotum trifolium cum loto Ægyptio, cui folia similia aro aut nymphææ, quam vocat νύφαρον. Quomodo & alibi vocatam ostendi in Græcorum recentiorum scriptis. Lexicon Græco-arabicum: Νυλύφερον, τὸ νύφαρ. Illud *nufar* omnino Arabicum نوفر, ex Græco νυμφαιάριον, quod est ὑποκοριστικὸν à νυμφαία, ut σκιλλάριον apud Aëtium parva σκίλλα. Vulgus Græciæ ejusmodi deminutivæ formæ vocabulis gaudebat, ex quibus pleraque Arabica efficta, ut *secancur* ex σκιγκάριον; & similia, quæ

E alibi observabimus. *Nufar* igitur νύφαρ Arabicum pro nymphæa. Unde Nilnufar compositum نيلنوفر, Nili nymphæa. Sed quia *lam* & *nun* apud Arabes parum conveniunt, nec simul jungi amant, ideo extrita de medio littera *nun* & factum *nilufar*, نيلوفر. Loton

F Ægyptium ita primitus ab his vocatum constat, quæ est nymphæa Nili; postea quamlibet nymphæam sic quoque appellarunt. Ita & Apulejus in Herbario inter varia nymphææ synonyma ponit & *lotometram* cap. LXVIII. *Nymphæa, Græcè caceabon, lotometram, rhopalon.* At lotometra nomen est loti Ægypti sativi, quæ nymphæa est Nili, vel ex genere nymphæarum, ut pluribus docuimus in Exercitationibus. Hunc loton Neophytus folia similia habere dicit δρακοντίᾳ ἢ νυφάρῳ, id est, aro dracontio & nymphææ.

G Dioscorides nymphæam ait folio esse simili fabæ Ægyptiæ, cujus radicem κολοκασίαν Græci appellarunt. Quæ hodie *culcas* vocatur ab Ægyptiis قلقاس, nomine ducto ex illo Græco κολοκασία. Radix est apud

eos vulgatiſſima, foliis ari vel draconteæ ſimilibus, A
vel etiam nymphææ. Ut inde conſtare poſſit, Græcos veteres ex loto Ægypti, colocaſia, & alia exotica neſcio qua planta fabricaſſe fabam illam Ægyptiam, cui folia nymphææ proxima. De quo & nos ſupra, ubi & de loto plura. Arabes σιδηρίτην aquaticum ſic etiam vocarunt, quæ planta Nili quoque propria. Antiqua nomenclatura Arabica ὕλης ἰατρικῆς ad Dioſcoridem τὸν σιδηρίτην exponit لينوفر الما, *linufar alma*, id eſt, nymphæam aquæ. Dioſcorides σιδηρίτην ἐπὶ τῶν ὑδάτων φυόμενον
vocat. Alpinus ab Ægyptiis vocari tradit *Haihalem* B
maoui, id eſt, ſempervivum aquaticum. حي العالم الماوي. Ita melius quam nymphæa aquatica nominetur. Nihil enim habet cum *Nilufar* ſimile, niſi quod in aquis pariter naſcatur. At ſempervivo ſimilia habet folia. Unde rectè dicatur ſempervivum aquaticum. Eadem Gloſſa Arabica τὸ ἀνδρόσαιμον etiam ſpeciem Nilufaris facit atque ita appellat. Aviſena potamogitonem plantam pariter aquis familiarem nymphææ florem habere ſimilem prædicat, & C
eo nomine Arabico vocat, quo Græcum ποταμογείτων prorſus exprimitur, جار النهر *gjar Alnahar*, id eſt, vicinus vel accola fluminis. Perperam legitur in antiqua expoſitione Arabicorum nominum Aviſenæ: *Jar fluminis, id eſt, juncus fluminis, in aqua habens flores ſimiles Nenufar.* Nihil habet herba illa ſimile junco. Legendum igitur: *id eſt, vicinus fluminis.* Quæ expoſitio eſt vocis Arabicæ جار. Aviſena, ut dixi, hunc potamogitonem flores habere ſcribit proximos floribus Nenufaris. Ex qui-
bus colligas non eſſe illum potamogitonem, quem D
Herbarii noſtri deſcribunt flore ſpicato, in quo & ſemen; qui tamen folium habet betæ, quam illi notam tribuit Dioſcorides. Alius igitur Græcorum ποταμογείτων ab Arabico. Quam ſagittam vulgò nuncupant à foliorum ſimilitudine cum ſagittæ cuſpide, magis videtur accedere ad Arabici potamogitonis formam; cui flos nimirum tribus foliis conſtans, qui quamvis non ex toto reſpondeat imagini floris nymphææ, propius tamen eam refert, quam flos ſpicatus vulgaris potamogitonis. Sed viderint peritiores herbariæ rei. Aliam etiam ὁμωνυμίαν in hoc *nilufaris* nomine apud ipſos Arabes comperio. Serapio quippe ex Albaſſaris auctoritate, poſt-
quam nymphææ communis facultatem expoſuit, E
quam frigidam in tertio, humidam in ſecundo dicit; aliam eſſe ſpeciem Nenufaris autumat, quæ calida ſit & acuta & tenuium partium, quæque conducat cauſis frigidis morborum. Non poteſt hæc nymphæa ejuſdem generis videri cum his, quæ cognitæ ſunt, quas refrigerantis virtutis eſſe conſtat. Sed & quod de nymphæa vulgari ibi adſtruit, frigidam eſſe in tertio ordine, humidam in ſecundo; id abit longius à Græcorum ſententia, qui nymphææ cum
refrigerandi vi, non etiam humectandi tribuunt, ſed F
eam quæ deſiccet. Paulus Ægineta: Νυμφαία δυνάμεως ἐστὶ ξηραντικῆς ἀδήκτου· ἐπέχει τοιγαροῦν καὶ τὴν γαστέρα, καὶ τὸ σπέρμα ξηραίνει. Nec ſuccurrit dicere, quod doctiſſimis medicis venit in mentem, quando Arabes frigidum & humidum temperamentum aſſignant nymphææ, de floribus ejus intelligere, qui revera ſic ſunt temperati. Nenufar illi ſimpliciter frigidum in tertio, humidum in ſecundo definiunt, quod etiam de radice, quæ præcipua pars ejus, debet accipi, aut etiam de ſemine. Nam hæc duo tantum ex nymphæa in medicinam Græci recipiunt. Sed
de qua nymphæa intellexerit Albaſſari, ipſe indicat. G
Naſci eam *in terris Mirriæ* dicit. Scripſiſſe certa fides eſt, *in terris Miſriæ.* In Arabico eſſe certum habeo مصري *Miſri*; vel مصرية, *Miſria.* Apparet igitur de nymphæa Ægypti loquutos eſſe illos Arabes, quam & propriè *Nilnufar* vel *Nilufar* appellarunt. Nam & flumen Nilum vocant نيل & *Nufar* eſt nymphæa, ut ſupra docuimus. Lotos veterum Ægyptius hic eſt, cujus caules & capita hodieque ab Ægyptiis per æſtum mandi magna refrigerandi & humectandi opinione tradunt. *Razelnil* in Ægypto vulgò appellari notat Alpinus de plantis Ægypti. In libro autem de plantis exoticis, ubi hiſtoriam ejus diligentius exequutus eſt, caulem cum capite vocari *arais Elnil* ab Ægyptiis memorat. Neſcio, an ſit راس النيل *rhas Alnil*, id eſt, caput Nili, quod caput habeat papaveri ſimile. Sed omnino melius eſt opinari dictum ارز النيل *arz Alnil*, quod ſignificat oryzam Nili. Ex ſemine ejus panes fieri in Ægypto, omnes antiqui ſcriptum reliquerunt. Radicem ab iiſdem Ægyptiis *biarum* dici, idem Alpinus ex Ebenbitar adnotat. Eoque etiam nomine ſic vulgo hodie ab iiſdem vocari. Folium autem cum caule ſive pediculo, *bis Elnil*: id eſſet Arabicè بيش النيل, *bis Alnil*, id eſt, cicuta Nili. *Bis* propriè vocant napellum. Alii cicutam hoc eodem nomine dicunt. Planta alia eſt ex bulborum genere, quam Alpagus in Lexico notat vocari ab Arabibus *arzi Alnil* vel *arz Arnil*, quod idem videtur nomen cum ſuperiore; longe tamen aliter explicat ſecundum expoſitores aliquos Arabes, quos dicere ait bulbum eſſe, cæpitii ſpeciem dulcis ſaporis, naſcentem in montibus & apud Damaſcenos appellari *arzi Alnil* vel *Haſnil*, qui comeditur veris tempore propter dulcedinem. Nomen ipſum *arzi Alnil*, vel *arz Alnal* convenit loto Ægyptio, quandoquidem & ſic eum vocant hodie in Ægypto Arabes auctore Alpino, qui & guſtu dulcem eſſe teſtatur. Radix ipſa ejus bulboſi generis, & cæpæ ſimilis. Neophytus de loto Ægyptio: φύλλα ἔχει ὅμοια δρακοντέᾳ ἢ νουφάρῳ· ῥίζα στρογγύλη, πορφυρᾶ, ὁμοία ἡμέρῳ κρομμύῳ. Non video præterea, quomodo competere poſſint bulbo in montibus naſcenti eæ appellationes, quæ à Nilo flumine ductæ. *Haſnil* eſſet حس نيل, pro خس نيل *Chaſnil*, lactuca Nili. Sic etiam nymphæam Arabes vocarunt *caulem aquæ* كرنب الما *carneb alma*. Addit Alpagus, bulbum illum figurâ eſſe ac magnitudine pyri vulgò muſcatelli dicti, villis multis tenuibus in modum retis convolutum, de quo folia exeunt longa & ſubtilia; naſci in montibus, & apud phyſicos Arabes appellari *bulbus*. Arabicè certè dicitur بلبوس. Atque is eſt bulbus, quem hoc nomine vocavit Aviſena, idemque eſt cum bulbo Græcorum eduli. Magnitudinem ac formam habere bulbi narciſſi ſcribit Aviſena, folia porri, florem violæ. Bulbi edulis faciem non deſcripſerat Dioſcorides, eoque Herbariis noſtris curam injecit quærendi de illo bulbo; qui necdum eum invenerunt. Aviſena pro bulbo Dioſcoridis eum dedit, quem ſupra poſuimus ex verbis ejus ſub nomine *Bulbus*. Qui tamen oſtendit, non minorem ſuper eo apud ipſos Arabes fuiſſe dubitationem. Ait quippe, quoſdam exiſtimaſſe eſſe الزير *Azzir*. Quod eſt cæpe *azzir*, de quo etiam caput ſeorſum apud eum extat ſub titulo بصل الزير *baſal Azzir*. Quam cæpæ ſpeciem dicit ſimilem eſſe virtute alteri cæpæ, cui cognomentum mus dedit بصل الفار *baſſal Alfar*, cæpe muris. Tradit ibidem ab aliis dici eſſe *cæpe Althalchair* vel ejuſdem ſaltem generis. الطاخبياز *Althalbabiaz*. Ita vulgo legitur in Arabicis. Sed Alpagus in Lexico legit *Althalchair*, quaſi in Arabico fuerit الطاخاير

الطلخاين. Et interpretatur de genere cæpæ parvæ, oblongæ, & acuti saporis, quam vulgo Veneti *scalognam* vocant. Ea est *cepa Ascalonica* veterum. Interpres porrum reddit. Sed eodem capite Avisena porrum vocavit الكراث *alkerath*. Notavit autem idem Alpagus, in Glossa Arabica *Azzir* exponi bulbum. Eam quorumdam fuisse sententiam docet ipse Avisena, qui sibi videri ait, esse anagallidem. In Arabicis scribitur اناغيس. Sed interpres legit, اناغليس, Quæ Græcorum est ἀνάγαλλις. Sic eam idem vocat Avisena capite XXXIII. Latinæ editionis, ubi in Arabico est اناغلس, *anagallis*. Sic enim legendum pro اداغلس. Duûm generum esse scribit, quæ flore est cælesti, id est, cæruleo, & quæ citrino. Sic Arabice legitur, مغرا. Hæc est Græcorum ἀναγαλλὶς φοινικῆ & κυανῆ. Sed mirum, φοινικῆν reddidisse مغرا, cum luteum ubique apud eum aut citrinum significet. Hoc genus, quod φοινικῆν habet τὸ ἄνθος, Græci etiam κοράλλιον appellarunt à colore, ut Galli *morgellinam*, quia *morgella* est corallium ex Arabico. Alibi hanc anagallidem eamdem facit cum auricula muris, quam Græci μυὸς ὦτα vocant. De quo supra. Hic vero, quem iidem Græci βολβὸν ἐδώδιμον appellant, absolute دلبوس *Bulbus* ei dicitur, & putat eumdem cum anagallide. Quod quomodo procedere possit, non video; præsertim cum & longis ac subtilibus foliis, qualia sunt porri, hunc bulbum describat, & radice narcissi simili. At anagallis nec habet bulbum pro radice, nec folia aut flores ad hoc instar. Cum tam multa sint bulborum genera, non mirum est nec Arabes ad certum scivisse, quis esset ille bulbus, quem Græci βολβὸν ἐδώδιμον vocitant. Avisena pro bulbo Dioscoridis eum accepit, quem supra verbis ejus exposuimus, quem & *basal macul* appellat, بصل ماكول. *Basal* nomen illi commune omni cæpitio generi. Quod est Hebraicum בָּצָל, & cæpam significat. Hunc bulbum edulem absolute, ut dixi, vocavit Arabica voce, quæ ex Græco sumpto est, *bulbus*. Et varias super eo sententias auctorum adfert. Inter quas eam sibi maximè probari innuit, quæ anagallidem esse scisscit. Aut locum vitiatum esse oportet, aut Avisenam ipsum in errore. Serapio *basal Azzir* dicit esse bulbum, & locum Dioscoridis de bulbo sub illo titulo refert & cæpe sine tunicis interpretatur. Interpretes autem illi Arabes, quorum opinionem adducit Alpagus, bulbum loti Ægyptii sive nymphææ Niloticæ, quæ dicebatur *arz Elnil* vel *Hasnil*, confuderunt cum illo bulbo eduli, qui absolute dictus Arabibus *bulbus*. Dioscorides duo genera facere videtur bulbi edulis: alterum, qui dulcis est: alterum, qui amarus, & squillam resipiens. Ita enim scribit: βολβὸς ἐδώδιμος γνώριμος πᾶσιν, ὃν ἐσθίομεν, εὐστόμαχος, εὐκοίλιος, πυῤῥὸς καὶ ἀπὸ Λιβύης κομιζόμενος· ὁ δὲ πικρὸς καὶ σκιλλώδης εὐστομαχώτερος. Ergo rufus ille bulbus, qui ex Africa afferebatur, dulcis; siquidem ei opponit amarum & squillaceum, quem & εὐστομαχώτερον priore asserit. Avisena capite de bulbo esculento sub finem capitis verba illa Dioscoridis reddidit, & similiter duo genera facit, dulce & amarum. Qui dulcis est ac rufus, bonum stomacho esse dicit; amarum vero meliorem. Vocat الحلو, id est, dulcem. Nam حلو *huluon* est dulcis, suavis; à verbo حلي, quod est dulcescere. De quo supra. Plinius bulborum genera magnitudine, colore, ac suavitate differre ait. Et esse, qui crudi manduntur. Tales esse dulces liquet. In Cherroneso Taurica nasci eos dicit.

A Post quos præcipue commendari, qui in Africa nascuntur, deinde Apulos. Ergo Africani bulbi dulces. Rubros facit Dioscorides Libycos bulbos & dulces. Contra ea Heraclides Tarantinus apud Athenæum lib. II. & albos & amaros asserit: οἱ βασιλικοὶ λεγόμενοι, οἱ καὶ κρείττονες τῶν ἄλλων εἰσί· μεθ' οὓς οἱ πυῤῥοί· οἱ δὲ λευκοὶ σκιλλώδεις. Hæc ex diametro pugnant cum his quæ scripsit Dioscorides, cujus fortasse verba sic reformanda sunt, mutata distinctione: βολβὸς ἐδώδιμος γνώριμος πᾶσιν ὃν ἐσθίομεν· εὐστόμαχος, εὐκοίλιος, πυῤῥός. Καὶ ἀπὸ Λιβύης κομιζόμενος, πικρὸς καὶ σκιλλώδης. Vel legendum:
B ὁ δὲ ἀπὸ Λιβύης κομιζόμενος πικρὸς καὶ σκιλλώδης. Certe meminit & Heraclidis Tarantini inter auctores suos Dioscorides. Megaricos maxime laudant prisci Græci. Theophrastus de bulbis Cherronesi Tauricæ: ἐνιαχοῦ οὕτω γλυκεῖς, ὥστε καὶ ὠμοὺς ἐσθίεσθαι, καθάπερ ἐν Χεῤῥονήσῳ τῇ Ταυρικῇ. Hodie ignorantur bulbi illi veterum escarii tam dulces quam amari. Nec observarunt nostri Herbarii, duo genera eorum à Dioscoride constitui præter vomitorium. Communes & omnibus noti amari erant. Qui ex Africa afferebantur, dulces; quos & rubicundos fuisse autumat. Alii tamen
C amaros eos tradunt & scillini saporis, ut Tarantinus Heraclides, & ex correctione nostra Dioscorides. Bulbine etiam dulcis, quam non inter βολβοὺς, sed inter βολβώδη recenset Theophrastus. Et sane ἡ βολβίνη dicta à similitudine βολβοῦ. Ut καρδαμίνη, ἐλελισφακίνη, & similia, de quibus supra. Idem Heraclides Tarantinus apud Athenæum: αἱ δὲ βολβῖναι καλούμεναι εὐχυλότεραι μέν εἰσι τῶν βολβῶν, οὐ μὴν οὕτω εὐστόμαχοι διὰ τὸ γλυκάζον ἔχειν παχύ τι. Et fortasse bulbinæ istæ sunt, quas pro bulbis dulcibus numerat Dioscorides, quas & minus bonas stomacho adfirmat quam bulbos, qui sunt amariores. Bulbinen rubicundo
D bulbo esse scribit Plinius lib. XX. cap. IX. *Bulbinen Græci vocant herbam porraceis foliis, rubicundo bulbo.* Matron è contrario in parodiis apud Athenæum bulbinas nive candidiores canit:

Λευκοτέρας χιόνος, ἐδέειν ἀμύλοισιν ὁμοίας.

Quin & βολβίνην Theophrastus inter ea bulbacea commemorat, quæ τοῖς χρώμασι λευκὰ καὶ οὐ λεπυρώδη. Quæ candida sunt, nec pluribus tunicis vestita. Tales & qui Cherroneso Taurica nascebantur, teste Theophrasto. Qui cæpam Ascaloniam putant esse bulbum veterum, toto cælo errant. Aperte distinguunt veteres, qui proprie vocabantur βολβοὶ, & omnia cæpi-
E tii genera. Quin & βολβώδη quædam recenset Theophrastus, diversa à βολβοῖς sic proprie dictis. Et βολβώδη quidem vocat à similitudine, quod rotundam habeant radicem sicut bulbi, non etiam squamis ac veluti pluribus tunicis distinctam. Βολβώδη, inquit, ταῦτα, ὅτι στρογγύλα ταῖς ῥίζαις, ἐπεὶ τοῖς τε χρώμασι λευκὰ καὶ οὐ λεπυρώδη. Ergo bulbi pluribus constant tunicis. Idem alio loco de radice narcissi: περιφερὴς καὶ τὸ σχῆμα τῷ βολβῷ, πλὴν οὐ λεπυρώδης. Qui proprie igitur vocabantur βολβοὶ, debent esse λεπυρώδεις, & plures habe-
F re tunicas. Arabes non melius eos videntur novisse quam Neoterici, ut apparet ex illo capite Avisenæ de bulbo esculento. Nomen quoque Græcum retinuerunt βολβός. Quo scias, non suam habuisse appellationem rei, quam ignorabant. Vetus interpres Aristophanis βολβοὺς apud eum in Comœdia Nubium exponit τὰ λεγόμενα ὕδνα, ἅπερ τὴν γῆν σκάπτοντες εὑρίσκουσιν οἱ ἄνθρωποι. Fallitur. Sed de tuberibus paulo post. Abusi sunt bulbi nomine. Quin & vocarunt Græci κολοκάσιον quoque βολβὸν, ut ex Glossis eorum Iatricis alibi notavimus: Κολοκάσιον, βολβὸς, σκιλλοκρόμμυον. Id esse colocasium, quod antiqui Græci fabæ
G Ægyptiæ nomine donarunt, certum est. Eam aliqui etiam λωτὸν appellarunt, ut Athenæus Naucratites testatur lib. III. quæ & in aquis stantibus ac paludosis nascitur haud secus ac alter ille lotos palustris, quem Nymphææ Niloticæ genus esse diximus. Et videndum, an hæc sit Nymphæa, quæ calida est & subtilis, de qua Albasari apud Serapionem. Nenufar frigidum in tertio ordine, & humidum in secundo prædicat, & plurimum nasci in terris *Misria*, id est, Ægypti tradit; quem de loto Ægyptio intelligere

ligere manifestum est. Adjicit ibidem, & aliam haberi speciem Nenufaris, quæ contrariis virtutibus prædita sit. Non potest fortasse de alia planta hoc accipi quam de colocasia, quæ nymphææ Ægyptiæ sive loto facie proxima, & loco natali; potestatis vero in totum diversæ. Nam & utramque pariter λωτὸν ab Ægyptiis appellatam asserit Athenæus. Duo autem genera colocasiæ facit Alpinus, qui diu in Ægypto fuit, μακρόῤῥιζαν & στρογγυλόῤῥιζαν. Neutra fabas illas fert, quas illam ferre dixerunt omnes antiqui. Quos utique certum est, sicut pridem in Exercitationibus probavimus, fabam Ægypticam instituisse supra colocasiæ radicem. Sanè omnes scribunt radicem fabæ Ægyptiæ dici κολοκασίαν. Radix hodie *colocasia* eodem nomine per Ægyptum notissimi usûs, & vulgaris notitiæ, sed quæ nullas fabas gignit, utpote cui nec caulis nec flos ullus. Constare debet, verum id esse, quod olim adstruximus, antiquos ex duabus plantis Ægyptiacis unam constituisse. Faba Ægyptia, vera faba fuit, à communi solâ, si fortè, distans magnitudine: Nam forma eadem, ut & disertè testatur Strabo, qui etiam & gustu differre ait, τῷ μεγέθει μόνον καὶ γεύσει διαλλάττοντα. Faba quippe Ægyptia amara, aut saltem aliquid habuit amarum; rem nempe quamdam viridem, quæ in concava ejus parte fuit. Hinc apud medicos tria fabæ genera in ponderibus usurpata, Ægyptia, Alexandrina, & Græca, ut latius alibi diximus. Colocasiæ autem radix acri gustu & subamaro, præcipuè si cruda edatur; cum idem gustus fuerit fabæ Ægyptiæ, hoc argumento & aliis fortasse nonnullis videntur existimasse colocasiam esse radicem fabę Ægyptię. Ebenbitar auctor vetus Arabs, qui de plantis Ægyptiis scripsit, fabam Ægyptiam nihil differre à communi tradidit, nisi quod in concavitate ejus reperitur res viridis, cujus sapor est amarus, cum reliquæ partes tales non sint. Dioscorides de faba Ægyptia, cujus radicem κολοκασίαν ait vocatam: ἡ περὶ ὠταλγίαν ἢ ποιεῖ τὸ ἐν μέσῳ χλωρὸν αὐτοῦ, πικρὸν ἢ κατὰ τὴν γεῦσιν. Marcellus Empiricus cap. IX. ad aurium dolores inter alia commendat *fabæ Ægyptiacæ interiora, quæ & amara sunt.* Avisena capite de Fabis, quæ Arabicè ipsi dicuntur باقلي *bachali*, duo genera statuit earum, Nabathias & Ægyptiacas. Ita enim interpres: *Fabæ notæ sunt. Et aliæ Ægyptiæ sunt, aliæ Nabathiæ.* Aliud sonant Arabica: *Fabarum aliæ notæ sunt & communes, aliæ Ægyptiæ & Nabathææ.* Distinguit eas in vulgares, quales sunt quæ passim in Europa nascuntur; item Ægyptias & Nabathæas, quas à vulgaribus secernit. At idem capite de Lupino, quem vocat Arabicè ترمس *Tormus*, fabam esse Ægyptiacam interpretatur. Ubi eum distinxit in silvestrem & sativum, paris utrumque potestatis: addit granum compressæ figuræ esse, & in medio concavæ, amari saporis, & esse fabam Ægyptiam: الباقلي المصري, *albacali Almisri.* Si similem fabæ Ægyptiacæ dixisset, aliquid fortasse dixisset. Sed omninò pronuntiat, lupinum esse fabam Ægyptiam. Quid igitur in censum fabarum eam retulit, qui nunc non lupinis tantum accenset, sed reapse lupinum esse vult? Lupini grana amara gustu, pressa, orbiculata, in medio concava. In faba Ægyptiaca hæc omnia. Ideo & putavit eamdem cum lupino. Concavitatem habet in medio

A faba Ægyptiaca, in quo res viridis quædam, quæ amara est, cum reliqua faba eam amaritudinem non præferat. Ideo Aëtius aliique veterum facultate non faciunt differre fabam Ægyptiacam à vulgari. Verba Aëtii: τὸν χλωρὸν καρπὸν τῶν Αἰγυπτίων κυάμων καλοῦσι κιβώριον, ὅθεν ἐκ τοῦ περὶ κυάμων λόγου καὶ περὶ τούτου δεῖ σκοπεῖσθαι. Quæ de facultatibus fabæ communis ab eo dicta sunt, eadem omninò pertinere vult ad hanc fabam Ægyptiacam, quam κιβώριον ait appellari, dum viridis est. Et notandum, quod granum ipsum fabæ Ægyptiacæ dicit vocari κιβώριον. Quod & Dioscorides clarè

B innuit, qui κιβώριον aut κιβώτιον, id est, *arculam* dici hanc fabam significat, quia semen ejus in glebam madidam ac maceratam soleret indi atque includi, & sic in flumen projici, non aliâ ejus serendæ ratione usitatâ: Καλεῖται δὲ κιβώριον ἢ κιβώτιον διὰ τὸ τὴν φύτευσιν τοῦ κυάμου γίνεσθαι αὐτοῦ ἐντιθεμένου ἐν ὑγρῷ βώλῳ, οὕτω δὲ εἰς τὸ ὕδωρ ἀφιεμένου. De singulis fabæ granis loquitur. Ridiculum tamen etymum. Hodieque tradunt colocasiam in Ægypto sic seri nucleis bulborum ejus, qui ad latus enascuntur, luto aut argilla involutis & in flumen juxta ripam abjectis. Quam

C colocasiam radicem esse fabæ Ægyptiæ temerè creditum ab antiquis, cum duæ sint plantæ diversæ. Κιβώριον autem vel κιβώτιον dictum illius fabæ semen videtur ab illa concavitate, quam in medio habere auctores omnes produnt. Sic propter illud concavum arculæ similis vel poculo faba illa. Nam & κιβώριον poculi genus Græcis. Aëtius ex recentioribus Græciæ medicis κολοκάσιον seorsim à faba Ægyptia posuit, eamque tanquam radicem rapis ac cæpis congenerem consideravit in facultate ejus exponenda. Sic enim scribit: Κολοκάσιον· παραπλησία

D ταύτης τῆς ῥίζης ἡ δύναμις τῇ τῶν γογγυλίδων καὶ κρομμύων· γλίσχρον δὲ αὐτῆς τὸ σῶμά ἐστιν, ὅθεν καὶ ἐμπλαστικῆς μετέχει δυνάμεως· ἔστι δὲ καὶ εὐκοίλιον. Hoc tempore quoque apud Ægyptum radicis hujus æquè frequens usus crudæ coctæque, ut in Europa raporum. Nec aliam oportet esse, quæ hoc eodem nomine ab Ægyptiis & Arabibus vocatur. Quod autem veteres caulem colocasiæ mandi, & araneosum lanosumque in mandendo esse narrant, & è Nilo meti ab Ægyptiis ad hunc usum; de loti Ægyptiaci, quæ nymphææ species est, id intelligendum, cujus caules etiam esui sunt hodie Ægyptiis atque

E è Nilo metuntur. Utrumque, ut dixi, vocarunt λωτὸν, similia habent folia, & pariter in aqua nascuntur ambo. Niliacum olus vocat Martialis colocasiam, quod nomen oleris Niliaci loto potius convenit quam colocasiæ, quæ solâ censetur radice.

Loton autem Ægyptii vocarunt خس نيل *has Nil*, id est, lactucam Nili, ut supra vidimus. Nymphæam etiam caulem aquæ. Ita ergo apparet, utramque etiam κολοκασίας nomine venisse apud antiquos. Non dubito sanè, quin *calidum Nenufar*

F Albassari sit colocasia veterum. Hæc enim calida & ad Venerem faciens exstimulandam. Nymphæa autem Ægyptia ejusdem Albassaris eadem cum loto, quæ frigida & humida & Veneri maximè refrigerandæ idonea. Huic similis folio colocasia, & in aquis pariter nascens; quam propemodum affirmare ausim, pro genere illo calidi Nenufaris apud Albassari debere sumi. Ad hunc modum extricanda constat, quæ antiquitas nobis intricatissima tradidit.

CAPUT CXV.

De colocasia & fungis.

IN superiori observatione docuimus κολοκασίαν eam esse, quæ ab Arabibus hodie vocatur culcas قلقاس vel قلقس. Ita vocatur Serapioni, qui Dioscori-

G dem & Galenum citat. Item ex Arabibus Aben Mesvai, qui calidam ac humidam affirmat, & spermati augendo idoneam. In hoc nomine etiam alia ὁμωνυμία deprehenditur, si fides Garciæ ab Orta, qui fructum Malavarensem Avellanæ magnitudine cum suo putami-

putamine ita vocari tradit in quibusdam Malavar locis lib. II. cap. XXII. *Curcas* quidem ille nuncupat, non *culcas*, sed idem nomen est. Nam & in Cairo sic vocari dicit, ubi frequens est, & esse velut exiguum *inhame*. Gustum habere, qualem cocta habent tubera. In Cambaia dici *carpata* idem asserit, & *chiviquilenga* à plerisque Malabarensium. In paucis verbis multi errores. Nam hinc tantum didici, futilem esse illum auctorem, & plurima tradere, quæ fidem non merentur. Primum *curcas* vel *culcas*, quod in Cairo nomen habet, putat esse fructum ex ramis cujusdam plantæ dependentem, quale describit illud *curcas* Indicum. Atqui radix est; non fructus illud Cairense *culcas*. De illo autem colocasio, quod ipse *curcas* nominat, loqui eum velle indicio est expositio, qua vocem Indicam *chiviquilenga* interpretatur exiguum *inhame*. Lusitani hoc nomine vocant non fructum, sed radicem colocasiæ similem, bracchiali magnitudine, & longitudine pedali, qua novi orbis insulani homines elixa ac tosta vescuntur. Quin etiam colocasiam ipsam ab his ita appellari quidam auctores sunt, quæ à Bæticis vocatur *alcolcas*. Per exiguum igitur *inhame* non aliud potuit intelligere Garcias præter radicis genus, eamque ipsam quam supra habuimus colocasiam, quæ quasi parvum est *inhame*. Nam quæ sic propriè nominatur à Lusitanis, multo crassior ac longior. Mirum itaque est, eum hominem radicem cum fructu eamdem facere, atque adeo parum intelligentem harum rerum fuisse, ut ignorarit, quæ omnibus nota sunt de *culcasio* Ægyptio, & *inhame*. Hallucinationes eas etiam mage majores videri facit auctuario illo, quo se conjectura colligere dicit Serapionem hujus culcasii meminisse cap. CCXV. ac vocasse *habelculcul*. Quod *curcas* significare ait. *Nisi nos*, inquit, *corrupto vocabulo sic appellemus*. Quo nihil ineptius, absurdius, falsius, fingi potest. *Habelculcul* hoc est *hab Elculcul*, vel *hab Alculcul* est granum *culcul*, حب القلقل. Quod re non minus quam nomine diversum est à culcasio sive curcasio Garciæ. Meminit quippe culcasii alio loco Serapio, quæ radix est, non semen aut granum plantæ. Ostendit etiam, quam Arabismi imperitus sit, qui hîc affirmat, quod etiam aliquot locis repetit, Arabicum *al* genitivi esse articulum: quasi non & nominativo & accusativo passim apud Arabes tribui soleat, qui & الحب القلقل, *alhab alculcul* possunt dicere & sæpe dicunt. Nunc videndum, an ille fructus Malabarensis Garciæ, qui avellanæ est magnitudine idem esse possit cum grano *culcul* Serapionis. Conjectura, quam de nomine traxit Garcias *culcul* pro *curcas*, planè inepta est. Aliam habet è facultatis parilitate, quia Serapio dicat frequentem grani *culcul* usum spermatis quidem copiam facere, sed cholericam etiam passionem adferre, quæ omnia de suo illo Curcas celebrare soleant Malabarenses. Hoc nihil est. Quam multa enim pari virtute natura donavit, quæ genere disparavi t? Clusius ad eum Garciæ locum Serapionis *culcul* de *secacul* esse intelligendum putat. Sed fallitur. Aliud *secacul* apud Arabes & ipsum Serapionem; aliud *secacul*, de quo infra. Granum *culcul* Serapionis non dubitamus esse *kilkil* Rasis. Utrolibet enim modo efferri potest Arabicum قلقل. Ita enim vocat Avisena cap. CCCIX. Quo loco vetus interpres reddidit *granum Alkilkil* pro Arabico حب القلقل *hab Alculcul*. Alpagus ad oram correxit *Alchalchel*, qui tamen in Lexico notat, *Alkalkal* vel *Alkilkil* semen esse granati silvestris; cujus radix *mugath*. Sed Arabes hodie ac Turcæ pronunciant *culcul* vel *coulcoul*. Sic enim vocat Bellonius lib. I. cap. LXXVI. qui nucem esse dicit gemini pugni magnitudine, exiguis granis intus refertam, edulibus, atque instar avellanæ dulcibus. *Nucem de Coulcoul* ait ab his nominari, hoc est,

A جوز القلقل, *gjauz Alculcul*. Hoc enim deest apud Bellonium in his verbis: *quam coulcoul, id est, nucem coulcoul nominant*. Legendum enim; *Gjam gjauz Alcoulcoul, id est, nucem de coulcoul nominant*. Grana illa parva ac dulcia, quæ intus habet, sunt ea, quæ dicuntur Arabibus grana *culcul* حبة القلقل Non igitur hæc semina parva nucis culcul eadem possunt esse cum fructu illo Malabarensi Garciæ, qui cum cortice suo nucis avellanæ magnitu-
B dinem æquat. Avisena piperis albi instar habere granum Culcul refert, & paulo majus esse cartamo. Ita enim apud interpretem: *Granum Alkilkil est sicut piper, majus cartamo, non purè rotundum*. In Arabicis editionis Romanæ tantum est, *granum esse album, majus cartamo*. Semen autem cartami paulo majus est grano hordei. Addit ibidem Avisena, tradi à quibusdam granum Culcul semen esse mali granati silvestris, cujus radix dicitur *Almugath*. المغاث At capite de hoc ipso *mugath* scribit ex quorundam sententia, radicem esse mali granati silvestris; quam
C tamen refellit isto argumento, quod radix *mugath* Venerem magnopere excitet, & coïtum inprimis adjuvet, à qua virtute alienum est granatum silvestre. Eadem porro facultate etiam prædita grana *culcul* juxta eosdem Arabes. Odorata quoque ea facit Avisena. Ex his omnibus licet colligas, quantum à veritate devius eat Matthiolus, qui staphylodendrum Plinii putat esse arborem, quæ grana ista fert Arabibus *culcul* dicta. Staphylodendron quippe Plinianum teste ipso siliquas gignit, & in his nucleos sapore nucis avellanæ. Sed nec arbor, quam pro staphylodendro Plinii describit ac pingit, videtur ei cognata. Demus ipsissimam esse, non tamen erit
D arbor *culcul*, à qua distat longissimè, ut ex fructu cognoscere datur. Libenter autem opinarer Curcas illud Garciæ, quod avellanæ est magnitudine, idem esse cum *bel* Indico Avisenæ, si facultas suffragaretur aut paria faceret in utroque. Garcias enim Malabarense suum *culcas* cholericum morbum efficere tradit; at *Bel* Avisenæ vomitum reprimit; & vehementius ventrem adstringit. Clusius exiguum Inhame Garciæ, quod ille idem putat cum Malabarensi *chiviquilenga* sive *curcas*, suspicatur esse *trasi*, quam Hispani vocant *junciam Avellanadam*. Quod quomodo illi cadere in mentem potuerit, nescio;
E cum *Trasi* radix sit, *Chiviquilenga* autem Garciæ fructus, ut ipse asserit, dependens ex ramis cujusdam plantæ. Plerisque placet *Trasi* esse, quam Theophrastus inter radices Ægypti peculiares, quæ esui sunt, commemorat, & μαλιναθάλλην appellant. Quæ vox in ejus libris corrupta in hanc usque ætatem mansit, cum habeamus in promptu, quomodo apud eum legerit Plinius. Sic igitur legendum lib. IV. cap. X. ἐν δὲ τοῖς ἀμμώδεσι χωρίοις, ἃ ἐστι πόρρω τοῦ ποταμοῦ, φύεται κατὰ γῆς, ὃ καλεῖται ἀνθάλιον, στρογγύλον τῷ σχήματι, μέγεθος ἡλίκον τὸ μέσπιλον, ἀπύρηνον δὲ, ἄφλοιον· φύλλα
F δὲ ἀφίησι ἀπ᾽ αὐτοῦ ὅμοια κυπείρῳ. Quæ Plinius sic reddidit lib. XXI. cap. XV. *Anthalium longe à flumine nascitur mespili magnitudine & rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folio cyperi: mandunt igni comparatum*. Non rectè autem cepisse mentem Theophrasti videtur Plinius, cum absolutè dicit anthalium sine nucleo esse ac cortice. Quid enim opus in radice discribenda hanc notam discribere, quod nucleo careat; quippe cum ista proprietate minimè censeantur radices? Hoc saltem colligimus ex Plinio, legisse eum in Theophrasti verbis ἡλίκον τὸ μέσπιλον, ἀπύρηνον: non ut vulgo legitur, ἀπύρηνον δὲ. Sed malè istud ἀπύρηνον retulit
G ad radicem, quasi dixerit Philosophus sine nucleo esse anthalium. Quod caret ratione. Anthalium magnitudine ille dixit esse mespili, sed ἀπυρήνου. Nempe ἡλίκον τὸ μέσπιλον ἀπύρηνον. Instar mespili nucleis carentis. Intelligit eam mespili speciem, quæ tria tantum officula intus habet, quam τρίκοκκον vocat Dioscorides, quæ & ἀρωνία ipsi dicitur, cui folia tribuit

πυρῷ.

πυξακάνθης, id est, oxyacanthæ similia. Itali vocant *azarolo* ex voce Arabica *zarur* aut *zarura* زعورة. Interpres Avisenæ vertit sorba. Sed genus mespili esse notant in Syria frequens. Hoc genus plane mespili intelligendum, quod spinosum est, de quo etiam locutus est Theophrastus. Hinc vetus Glossarium Arabicum زعرور, *zarur* exponit *rhamnum*, & *rubum*; spinæ nempe genus pro spinæ genere supponens, ut in aliis rebus passim solet. Græci fructus vocant ἀπυρήνες, non quibus nulli nuclei, sed quibus aut molliores, aut minori copia. Seneca lib. XII. Epist. LXXXVI. *Sic*, inquit, *sapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla in est duritia granorum, sed quibus minor.* Hac ratione ἀπύρηνον μέσπιλον heîc vocaret Theophrastus, quæ σητάνειος alibi eidem vocatur in recensendis mespilorum generibus, quæ nucleos habet ceteris molliores: φέρει δὲ ἡ μὲν σητάνειος τὸν καρπὸν μείζω καὶ λευκότερον καὶ χαυνότερον, καὶ τοὺς πυρῆνας ἔχοντα μαλακωτέρους. Putarim tamen τρικόκκον mespilum ita vocasse, qui minores habet nucleos & minore numero quam vulgare, quod quinque nucleis constat. Sic ἄοζον idem Theophrastus dici testatur, non quod nodis omnino careat, sed quod minus frequentes habeat. Sic ἄφυλλος κόνυζα appellata fœmina conyza, non quæ foliis prorsus nudata sit, sed quod ad comparationem alterius, quæ est εὔφυλλος, hæc breviora habet & angustiora. Si anthalium Ægyptium idem est cum vulgari Trasio, longè similius videri debet huic generi mesphili τρικόκκῳ, cui baccæ oblongæ, & umbilicus minus patulus quam communi. Præterea longè etiam majus commune mesphilum Trasii nucleis, quorum figura ac magnitudo haud longè abest à zizyphi nucleis. Possunt & majores nasci pro soli fœcunditate, ut in Ægypto. Notandum etiam, non dixisse Theophrastum anthalium esse *magnitudine & rotunditate mesphili*, ut Plinius vertit; sed rotundum quidem esse, magnitudinem autem mesphili apyrini habere. Et certe forma trasii plurimum distat ab effigie mesphili. *Anthalium* alio loco vocavit illam Ægypti radicem, ut eodem libro cap. XXIX. *Anthalii, quod Ægyptii edunt, nullum alium reperi usum.* Ut minus dubitandum sit de correctione apud Theophrastum, Trasium omnes idem esse arbitrantur cum Arabum grano *azzelim*, quod ipsis dicitur حب الزلم *hab azzelim.* In ea sententia etiam Alpagus, qui in expositione vocum Arabicarum Avisenæ ita scribit: *Granum alzelem vel allezem est granum, quod apud Venetos appellatur Dolceghini, & nascuntur etiam in Africa & alio nomine Arabico dicuntur hab alzizi.* Hoc est حب الزيز, *hab Azziz & Azzizi.* Quod *dulceghinum* vel *dulcinium* vocatur vulgo à Venetis, idem esse cum trasi Veronensium docti consentiunt. An idem sit cum grano *zelem* Arabum, sic anquirendum. Serapio granum esse dicit pingue, magnitudine ciceris, lauti saporis, in cute luteum, intus candidum, quod adfertur ex terris Barbariæ, id est, Africæ, & *piper Nigrorum* vulgo vocari, id est, فلفل السودان *fulful alsuaden*. Hæc partim in radicem non conveniunt, partim nec in Trasi. Quod enim granum esse tradit, radici non competit. Quod pingue, & ciceris magnitudine, & *piper Nigrorum* vulgo dici asserit; de Trasi non possunt intelligi, nec de radice in genere. Addit aliud esse, quod vere dicatur *piper Nigrorum* & simile haberi phaseolis, colore nigro, sapore acuto, ut piper. Hoc dicitur vulgo *piper Æthiopicum*, quod est in siliquis. Hæc autem verba Serapionis. De vero pipere Nigrorum, quod simile esse ait phaseolis, perperam Guilandinus de grano *zelem* accipit; quæ utique constat referenda ad illud genus, de quo proxime præcessit mentio. Avisena de grano *Alzelem* loquens, granum esse dicit, hoc est, حب *hab*. Quam vocem Arabs non nisi de baccis arborum

A & exiguis pomis aut seminibus usurpant. Nunquam verò radicem sic vocat, etsi grani vel nuclei similitudinem habeat. Non nescio, *nucleos* Catoni dici cæparum bulbos, & Græcis κόκκους. Unde cæpa μονόκοκκος, quæ Latinis rusticis *unio*, unico nimirum constans nucleo. Quo ineptior Plinius, qui anthalium scribit esse sine nucleo, qui nucleo par: immo & nucleus dici potuit, ut nucleus cæpæ vel bulbi. Rases capite, quo virtutes fructuum & pomorum exequitur, granum *zelem* inter ea recenset cum grano *kilkil* & cannabis semine. Regionem, è

B qua adfertur granum *zelem*, Avisena vocat شهرزور *Xerzur* vel *Scherzur*. Locum esse oportet regionis Barbarorum vel Nigrorum. Interpres Serapionis nasci in locis dicit, qui vocantur *Chedensor*, pro *Sceherzur*. Ex his omnibus certo certius est, granum *zelem* non esse Trasi, sed verum esse plantæ fructum; cum Trasi radix sit bulbosa ac fibrosa, ex qua multi dependent bulbi fabarum magnitudine aut nucleis zizyphorum similes, quos nemo inter fructus, ut fecit

C Rhases, retulerit. Qui contrarium defendunt, auctoritatem Alpagi Bellunensis allegant, qui multos annos in Africa moratus sit, ubi hujusmodi radiculæ abundant. Profecto Leo Africanus in Africa gigni plurimas Trasi radices prodit, quas ait appellari *hab Alzizi*. Sic etiam ab Arabibus Dulceguini Veronensium vocari memorat Alpagus. Sed quod illud *hab Alzizi* putat idem esse cum Avisenæ *hab Alzelem*, in eo manifestè fallitur. Grana *Alzelem* vera sunt grana, ciceris magnitudine; unde & *piper Nigrorum* vulgo nomen habuere, quia apud Nigros nascebantur. Leonardus Rouwolfius in Hodœporico lib. I. cap.

D III. hanc radicem venalem exponi in urbe Syriæ Tripoli ex Ægypto invectam, quam incolæ vocant *habel Assis* vel *Altzis*. Quæ prorsus diversa est à grano *Alzelem*. Nescio tamen, an *hab* sit granum in illa voce *habel Assis*, vel *habel Altzis*. Si verum dicit Dasylycus, non *hab Alziz* nomen hujus radicis Arabicum fuerit, sed *habel Alziz*, حبل الزيز. *Habel* funum vel laqueum significat, ut species convolvuli, quæ Arabicè vocatur *habel mesquin*, id est, funis pauperum. Hebraicè quoque חֶבֶל. Forte à fibris radicis, quibus adhærent bulbi, sic appellatum.

E Significat etiam fœtum vel fœturam hæc dictio. Si *hab* ibi pro grano debet accipi, globulum vel pilulam radicis Trasi denotabit, sive etiam nucleum, vel κόκκον. Sic etiam *avellanada* Hispanicè vocatur nucleus Trasi, ab avellanæ similitudine. Leo Africanus lib. V. capite de civitate Capes vocat *habbhaziz*, & ab Arabus sic vocari dicit, fructumque esse sub terra nascentem crassitudine radiculæ, sed fabæ instar, cui sapor amygdalæ. Trasi ille intelligit, quem improprie appellat fructum; qui tamen ostendit Arabibus ita vocari appellatione illa *hab*, quæ fructum designat. Rectius idem de tuberibus loquens lib. IX. capite de de Terfes, radicem potius esse quam fructum asserit.

F Quod & de Trasi similiter dici potest. Sic sanè Theophrastus καρπὸν de radice dixit ejusmodi, quæ pro fructu est. De vingo Ægyptio lib. I. Hist. cap. XI. ὁ βλαστὸς αὐτοῦ αὐτοῦ βραχύς, ἡ δὲ ῥίζα μακρά, καὶ ἐστιν ὥσπερ καρπός· διαφέρει τε καὶ ἐσθίεται. Idem eodem capite arachidnæ tuberosæ radicis nucleos καρπὸν appellavit: καὶ μίαν μὲν ῥίζαν τὸ σαρκῶδες τοῦτο παχεῖαν ἔχει τὴν εἰς βάθος, τὰς δὲ ἄλλας, ἐφ᾽ ὧν ὁ καρπός, λεπτοτέρας καὶ ἐπ᾽ ἄκρῳ ἐσχιζομένας πολλαχῇ. De qua nos infra. Alpagus vocat *Alzizi* hanc radicem, de qua agimus, & *hab Alzizi* vel *Azziz*. In antiqua vocabulorum medicorum Arabica nomenclatura apud Dioscoridem βολβὸν ἐμετικὸν invenio dici الزيز, *Alziz*. Quod

G idem nomen est. Alii tamen bulbum vocant الزير *Alzir*, ut supra ostendimus. *Re* & *ze* sæpe confunduntur in illa lingua, utpote quæ puncto tantum differunt. Viderint eruditiores, an & quatenus differant illa vocabula *ziz* & *zir*, زيز & زير. Sic

Gianz

Giaux & *Giaur* confuderunt, de quibus supra. Ziz fluvius Africæ recensetur Leoni Africano. Quid si *hab Alziz* denominatur ab illo amne? Ita *Rha* Ponticum dictum à flumine Rha. Antiquus codex Dioscoridis descriptionem bulbi vomitorii, quem Glossator Arabs vocat *Alziz*, habet libro quarto statim post mentionem σισύβȣ; cum bulbi edulis commemoratio habeatur libro secundo. In vulgaribus editionibus junctim ambo tractantur. Hæc obiter. Nimis autem argutatur Guillandinus, qui ὀλοκωνῖτιν vel ὀροκωνῖτιν Hippocratis, ut legebat Dioscorides, idem vult esse cum Trasi. Verba Hippocratis: ὀλοκωνῖτιδ☉ τῆς γλυκείας ῥίζα· ἔςι δὲ ὡς βολβὸς μικρὸν ἢ ὡς ἐλαίη. Dioscorides, ut dixi, legebat ὀροκωνῖτιδ☉, quod in monte nasceretur. Galenus in Lexico: Διοσκȣρίδης φησὶ τὴν ἐν ὄρει γινομένην ὀροκωνῖτιδα ὀνομάζεσθαι. Sic ὀροκαρύα nux montana Straboni: ὀροσπίζαι, montanæ spizæ Aristoteli. Κωνῖτις autem dicta à figura conica ac turbinata; & ὀροκωνῖτις, quod in monte nascitur. Quod si ὀλοκωνῖτις retinetur, quæ antiqua lectio est apud Hippocratem, nomen hoc invenerit à perfecta coni effigie, quasi totâ ad turbinis aut metæ instar factâ. Quæ forma non conspicitur in Trasi bulbis. Dulcis itaque Hippocratis holoconitis vel oroconitis, quæ facie est turbinata, magis accedere videtur ad bulbum illum dulcem Syriacum in montibus nascentem, cui pyri musicatuli effigies; quem à forma & loco natali ὀροκωνῖτιν dici posse non dubium est, subaudiendo ῥίζαν. Quam cum dulcem esse perhibeat Hippocrates, & bulbum nuncupet, longe majori cum ratione aliquis senserit ita esse, quam quomodo Guillandinus. Quod tamen non affirmem. Idem etiam temerè digladiatur de suo βολβοκαστάνῳ, quem in rerum natura non esse qui affirmaret, nihil à veritate alienum faceret. In vitio quidem est apud Alexandrum Iatrosophistam lib. VII. περὶ ἐμπυημαλικῶν, ac de his qui sanguinem rejiciunt, quo loco nec βαλανοκαστάνων legi probarim, quæ conjectura est eruditissimorum hominum. Sed ibi legendum alibi ostendimus: τηνικαῦτα καὶ πολφοκαστάνων καὶ ἰτρίȣ ἢ ἄλυκ☉ ἢ σεμιδάλεως. Sic autem πολφοκάστανον dicebatur ut πολφοφακῆ, pro quo & βολβοφακὴ apud Athenæum legitur lib. IV. βολβοφακὴν βαβαὶ βαβαί, Βολβοφακὴ δ' οἷον ἀμβροσίη ψύχȣς κρυόεντ☉. Pollux πολφοφακὴν vocat; qui & πόλφȣς interpretatur tracta farinæ conspersæ ac subactæ, quæ leguminibus, dum coquerentur, injici solebat. Ergo & πολφοκάστανα pulpæ castaneorum una cum farina elixorum, quæ pro cibo dari præcipit purum sanguinem rejicientibus, ut & alicam, siliginem, & liba. Nihil verius. Ab illo autem Græco πόλφ☉ Latinum *pulpa* de carnis ossa absque ossibus, quæ instar habeat massæ farinæ conspersæ & subactæ. Castaneorum saporem habent, ubi cocti sunt sub cineribus, bulbi illi vulgares, quos Burgundiones nostri rustici vocant *arnottas*. Eos colligunt aratores, dum terram proscindunt, exterius nigros, interius candidos, fibris quibusdam quasi filis consertos & invicem connexos, majore semper minorem subsequente. Ornithogalum Dioscoridis esse perperam putavit Ruellius. Nonnulli ἄπιον esse volunt, pariter falsi. Pseudoapion quidam nominarunt, qua de causa nescio. Nullam enim habet notam, propter quam videri possit rite hoc nomen ementiri. *Arnottam* Burgundi nostri vocant Belgico vocabulo, quod videntur tum accepisse, cum sub eodem essent dominio. *Eertnote* illi vocant, quod sonat *nucem terræ*. Nuncupant & *glandem terræ*, item *murem terræ* hanc eamdem radicem. Sic ἄπιον Græci etiam χαμαιβάλανον dixerunt. Sed & δίζωσον. Pro quo perperam in Editionibus legitur λινόζωσιν. Sic enim ex vetustissimo codice scribendum in verbis Dioscoridis: Ἄπι☉, οἱ δὲ ἰσχιάδα, οἱ δὲ χαμαιβάλανον, οἱ δὲ ῥάφανον ἄγριον, οἱ δὲ δίζωσον καλȣ̃σιν. Æque errant, qui omnia synonyma ex textu Dioscoridis exturbarunt, & qui omnia receperunt. Ratio nominis δίζωσον, quod duo aut tres cauliculos habeat junceos, & veluti ad ligandum aptos. Idem Dioscorides: κλώνια δύο ἢ τρία ἀπὸ γῆς σχοινώδη, λεπτά, ἐρυθρά, μικρὸν ὑπὲρ τῆς γῆς αἴροντα. Radicem hanc etiam χαμαιβάλανον vocarunt Græci; id est, terrestram glandem; quo eodem nomine Belgæ vocitant *arnotam* nostram, quæ tamen nimium quantum discrepat ab apio. Sed ea est, quam *pseudoapion* appellant recentiores Herbarii. Non igitur mirum, si & fructus nomen radici bulbosæ dederunt Arabes, qui *hab Alziz* vocant Trasium Veronensium. Non desunt, qui βολβοκάστανον Alexandri de hac radice interpretentur; quibus non adsentior. Nec enim βολβὸν Græci propriè dicunt de hujusmodi radicibus, ut supra notamus. Arabs Glossator vetus apud Dioscoridem τὴν ἄπιον interpretatur, كمخ. *Camech* apud Serapionem nomen est tuberum. Quod esset Arabicè كمج mutato apice. Legendum tamen puto apud Serapionem *camah*, vel *camahe*, hoc est, كماة; *kemah* vel *camha*. Sic ille vocat Dioscoridis tubera sive ὕδνα. Leo Africanus vocat *terfez*. Unde Gallicum *treuses*. Addit à medicis Arabibus appellari *camha* lib. IX. de Africa capite de *Terfez*. Ab illo accepit Scaliger Julius, quæ scripsit Exercitatione CLXXX. contra Cardanum: *Qui Numidiam*, inquit, *peragrarunt, aiunt tam crassa nasci, ut cydonii superent magnitudinem. Camha vocant incolæ. Arabes delicatius Kema.* Quæ inepta sunt ac falsa. Non incolæ Numidæ vocant *camha*, sed *terfez*; à medicis *camha* vocari ait, quod est nomen Arabicum. Nec delicatius est *kema* quam *camha*. Alpagus vocem Arabicam كماة extulit Latinè *kema*; Leo Africanus *kama*. Ita *elif* suum pronunciant Arabes, ut *a* vel *e* obscuro discrimine audiatur. Pleraque vocabula Arabica, quæ per *a* clarum hodie pronuntiantur, apud antiquos Græcos per ψιλὸν efferri sæpe notavi, cum illa Græcis litteris exprimunt. Tubera illa, quæ vocantur *terfez*, à Mauritanis magna copia in desertis Numidiæ nasci tradit idem Johannes Leo, & avidissimè expeti ab Arabibus; qui ea haud minus libenter edunt, quam si esset saccharum, sub cinere tosta aut in aqua vel lacte cocta. Sed videndum, an illa tubera Africana ejusdem sint generis cum nostris, quæ in multis Galliæ locis & præcipuè in Burgundia eruuntur, gulæ proceribus mirandum in modum consectata & cupita. Nostra hæc insipida plane sunt, nec alium ferme saporem habent, nisi quem ex condimento adquirunt. Ideo cum aceto aut vino coquuntur, plurimo addito sale aut pipere. Tubera sua quoque veteres saporis omnis expertia nobis tradunt. At tubera illa Numidica ac Libyca Leo Africanus suavissima testatur esse, nec aliter iis solere Arabes affici quoad gustum, quam saccharo. Idcirco ea ex lacte vel etiam ex aqua sola elixa comedunt. Præterea cortice esse candido dicit. Nostratia ac vulgaria tubera nigram habent cutem. Quædam & rufam. Plinius de tuberibus: *Distinguuntur & colore rufo nigroque, & intus candido. Laudatissima Africæ.* Profecto non puto alia fuisse Romæ nota ex Africa tubera præter illa, quæ describit Leo. Juvenalis:

O Libye disjunge boves, dum tubera mittas.

Ea igitur præcipuæ suavitatis, quâ carent vulgaria, quibus nihil insipidius. Aut valdè fallor, aut tubera illa Libyci generis erunt eadem cum Cyrenaïco *misy* Theophrasti. Res Africæ antiquis Græcis parum cognitæ, nec nisi ex Cyrenaïca regione eas audiebant, in qua urbes habebant Græci ex antiquo conditas, & in his Cyrenas, quæ provinciæ nomen dederant. Sic θύον arborem Atlanticum, quæ est Romanorum citrus, Cyrenaïcæ tribuit idem Theophrastus. De tuberibus igitur loquens, quæ Græcè ὕδνα dicuntur, idem Philosophus simile his narrat Cyrenaïcum *misy*. Verba ejus apud Athenæum lib. II. ἡ τῶν ἐγγλοτόκων τȣ́των γένησις ἅμα καὶ φύσις οἷον τȣ̃τε ὕδνȣ καὶ τȣ̃ φυομένȣ περὶ Κυρήνην, ὃ καλȣ̃σι μίσυ· δοκεῖ δ' ἡδὺ σφόδρα τȣ̃το εἶναι καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν κρεώδη. Inde habet Plinius, quæ scribit lib. XIX. cap. III. Postquam enim de tuberibus tractavit, subjicit statim: *Simile est & quod in Cyrenaïca provincia vocant misy, præcipuum suavitate odoris ac saporis, sed carnosi.*

Sic legendum docuimus vel invitis omnibus libris, qui habent *carnosius*. Hoc est, quod dicit Theophrastus, præcipuæ suavitatis esse *μίσυ* & odorem habere carnosum. Omnino idem illud *misy* Cyrenaïcum cum Africanorum tuberum genere, quod Johannes Leo maximè commendat suavitate. Nec vidit hoc Plinius, Africæ laudatissima tubera non esse alia ab illo misy Theophrasti Cyrenaïco. Quin & ideo tantopere videntur commendata supra cætera genera, quæ in Africa nascebantur tubera, quod suavitatem summam haberent; cum reliqua nullo ferè essent sapore prædita. Ὕδνον vocat Theophrastus tuberum genus, quod in Græcia notum erat. Quale id fuerit, indicat his verbis, quæ apud eumdem Athenæum leguntur: λειόφλοια, καθάπερ ὕδνον, μύκης, πέζιξ, γεράνειον. Inter illa, quæ levi sunt cortice, ponit & tubera. Atqui constat, quæ vulgò cognita sunt lautiorum mensis tubera, ea corticem asperum habere. Sanè traditur & quoddam genus reperiri levi cute, carens sapore, & coloris ruffi. quod in Ananiensi ac Tridentino agro frequens esse ajunt. De hujusmodi aliquo genere tuberum intellexit Theophrastus, nec aliud videtur nosse. Dioscorides in descriptione tuberum, radicem esse ait rotundam sine caule, sine folio, coloris subrufi. Non meminit tuberum, quibus cortex niger; qualia omnia ferè sunt, quæ ad cupedias cænarum quæruntur. Videtur ergo hujus tantum generis notitiam habuisse, quod leve est ac subruffum. Quidam & genus tertium constituunt, cui pulpa intus nigra. Deberent & quartum addere, cui leucophæa. Sed hæc non sunt diversa genera. Optima ac recentia carnem habent candidam. Exoleta aut maturitatis suæ tempus supergressa, aut non tempestivè collecta, eos colores contrahunt vitio. Avisena sub nomine Arabico *kama*, Dioscoridis ὕδνον describit, citato nominatim Dioscoride initio statim capitis. Verba illa Dioscoridis de radicis colore, quibus ὑπόξανθον esse dicit, ipse coloris reddit ad cinereum vergentis, sicut gossypium, quod *bambagium* vulgo. *Dicit Dioscorides, quod sit radix sine caule, sine folio: Color ei ad cinereum vergentis sicut coton.* كالقطن, *calcoton*. Colorem ipsum dicit vergere الي الغبرة, id est, ad cineris vel favillæ colorem. Sic enim ibi legendum. Glossarium antiquum غبرة, *gabraton*, interpretatur *favillam*. Alii cinerem vel pollinem. Cujus color albus quidem, sed obsoletus. Talis & color bombacis sive gossypii. Cur ὑπόξανθον ita accipere libuerit Avisenæ, nescio; qui color longè abest à cinereo. Idem de digitis citrinis dixit, quosdam ex his esse luteos cum غبرة *gabra*, id est, cineris colore. At ὑπόξανθος color est luteus dilutior, qualis cneci flos. Ξανθὸς vero, qualis croci. *Subrufum* vel *subrubrum* Latinè liceat dicere. De hoc genere tuberum locutus est Dioscorides, quæ foris subrufa sunt. Avisena respexisse videtur colorem interioris pulpæ tuberum, qui albicat quidem, sed eo modo, quo favilla vel gossypium. Narrat paulo post in electione meliora esse *arenosa alba*. Ita interpres, qui fortasse legerat apud Plinium aliqua tubera dici arenosa. Sed in Arabico est الرماي; pro quo legendum puto الرمادي *arramadi*, id est, cinerea vel cinerei coloris, à voce رماد *ramad*, quæ cinerem significat. Idem dicit, quod supra, ea optima esse tubera, quæ ex cinereo albicant. Interpres legit الرملي; à رمل *ramul*, quod est arena. Verum, ut dixi, quid sint arenosa tubera, nescio. In arenis ea nasci veteres tradunt. Theophrastus apud Athenæum de tuberibus: γίνεται δὲ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς μάλιστα καὶ ὅπου χώρα ὕφαμμος. Idem memorat de Numidicis tuberibus Leo in desertis & arenosis locis provenire. Nostratia in montibus plurimum nascuntur, quo loco nihil aliud gignitur. Nulla herba certè ibi visitur, ubi sunt tuberariæ, quas *truffarias* vocant. At Græci veteres ὑδνόφυλλον vocarunt eam herbam, cujus indicio cognosceretur ibi subesse tubera. Hesychius: ὑδνόφυλλον, ἡ ἐπὶ τοῖς ὕδνοις φυομένη πόα. Ex Pamphilo habet, quem & nominatim laudavit Athenæus: ὑδνόφυλλον δέ φησι Πάμφιλος ἐν γλώσσαις τὴν φυομένην τῶν ὕδνων ὕπερθε πόαν, ἀφ' ἧς τὸ ὕδνον γινώσκεσθαι. Ergo certe herba fuit, quę supra tubera nasci amabat; quo argumento colligebant ibi subesse tubera, ubi talis herba inveniebatur. Ex terræ genere & soli, ut ita dixerim, nuditate id colligunt nostrates, qui & alia quædam habent indicia. Tota autem intra terram condita reperiuntur, & falsum, quod disticho isto prædicat ille cocus:

Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Boleti & delicati fungi, quos vulgò dicimus *mussefones* aut *potirones*, sic terram cacumine rumpunt, dum exeunt, non tubera. Quin & Plinius disertè negat terram ibi extuberare aut rimas agere, quo loco tubera gignuntur. *Tubera*, inquit, *hæc vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terra cohærent.* Hoc certum de tuberibus vulgaribus. Sed Leo Africanus tubera Numidica eo indicio, quo loco nascantur, intelligi dicit, ex tumore nempe terræ rimas agentis & interruptæ. Sic verum fuerit, quod ait Martialis de Africanis tuberibus. Serapio optimum esse genus eorum dicit, quod in arena reperitur. Hoc erit, quod Avisena vocat الرماي. Quod tamen *arenosum* Latinè reddi nequit. Locus quidem arenosus aut sabulosus, ex quo tubera eruuntur: non autem ipsa tubera arenosa, quæ nascuntur in arena. Alio sanè sensu arenosa tubera dixit Plinius in his verbis: *Duo eorum genera: arenosa, dentibus inimica: in altero sincera.* Palam est, arenosa ab eo dici, quæ callum habent arenosum & minutâ veluti arenâ refertum, propter quod dentibus sunt inimica. At sincera, quæ hujusmodi arenis carent, & pulpam habent meram & carnosam, lapillisque purgatam. Sanè hodieque tubera hujusmodi arenosa in mandendo deprehenduntur. Scribit eodem loco Plinius de tuberibus, *siccis hæc ferè & sabulosis locis frutectosisque nasci*. Hæc contraria sunt. Nam sicca & sabulosa loca rarò frutectosa. Θαμνώδη pro ἀμμώδη legi audivit: ἐν ὑφάμμοις καὶ ἀμμώδεσι. Nihil verius. Sexcenta talia peccata apud eum animadvertimus. Præstare etiam cæteris ea genera tuberum testatur Avisena, quæ cortice detracto & cultello scissa ex aqua & sale primo coquuntur, deinde oleo condiuntur, & lasere, aliisque speciebus condimentariis. At Africana, quæ omnium optima teste Leone Africano, in sola aqua aut etiam lacte cocta comedebantur; quia nimirum per se sunt suavissimi saporis, quo cætera vulgaria tubera cum careant, idcirco condimentis opus habent. Hæc differentia est summa communium tuberum, quæ in Europa inveniuntur & Africanorum, præter alia quæ notavimus. Africana illa tubera peculiare nomen apud Cyrenenses olim habuere *μίσυ*. Hodie ab ipsis Africæ incolis vocantur *terfez*. Unde nostrum Gallicum de vulgaribus, & heîc nascentibus tuberibus. Arabes *kema* dixerunt de utroque genere. Fungos quidam etiam eo nomine Arabicè nuncuparunt. Hinc Avisena capite de *cama* non solum de tuberibus, sed etiam de fungis tractat, adeo ut videatur utrumque genus confudisse. Postquam enim de tuberibus egit, quænam ex eo genere eligenda tanquam optima, notasque quibus essent probanda, ibidem adjecit: statim subjicit deterioris esse notæ inter illa genera fungos; & quidem eos, qui sub arboribus nascuntur. Quasi vero fungi & tubera sub eodem genere debeant constitui. Nomen certè Arabicum tam tuberibus quam fungis aptari potest. Nam & flationem ac tumorem significat. Quidam denique *kemba* interpre-

terpretantur fungorum genus. Tuber quoque Latinè quemlibet tumorem significat, quod & æquè fungis convenit quam tuberibus, quæ Latini propriè *tubera terræ* indigetant. Etenim, ut eleganter Plinius ait, nihil aliud sunt quam terræ callus. Apulejus ex Plinio: *Tubera vocantur undique terrâ circumdata, nullis fibris nexa aut saltem capillamentis, quæ non aliud possis dicere quam terræ callum*, id est, τύλον. Unde *tuberus*, τυλώδης in Glossis: & *callus*, τύλος. Idem Apulejus paulo post dicit, terram in se glomerari, dum gignit tubera: *Quo manifestum erit terræ naturam in se glomerari. Certè ex his erunt, quæ nascantur & seri non possint.* Hæc ad verbum ex Plinio., cujus verba sic emendanda tam ex hoc Apuleji loco quam ex scriptis codicibus, qui sic habent: *Quo manifestum erit, terræ naturam in se globari. Quod certum est, ex his erunt, quæ nascantur & seri non possint.* Ὕδνον quoque Græcis rem turgidam propriè signat, vel bullam in aqua factam. Recentiores Græci οἴδνα vocant ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν. Hesychius ὑδνεῖν, τρέφειν, κρύζειν exponit, & ὕδνας ἐγγόνες. Fungi etiam quasi quædam terræ tubera & veluti fermento excitati tumores. Nicander χθονὸς ζύμωμα vocat fungum, & κακὸν ζύμωμα de malis & perniciosis fungis in Alexipharmacis:

Μὴ μὲν δὴ ζύμωμα κακὸν χθονὸς ἀνέρ' ἐχηδῶ.

Ita enim legendum, non ζύμωνα. Quod Græcum non est. Et paulo post:

Κεῖνο πᾶν ζύμωμα τὸ δὴ ῥ' ὕδεσι μύκητας
Παμπήδην, ἄλλῳ γὰρ ἐπ' ὄνομα κέκλεται ἄλλῳ.

Generali appellatione Græcè μύκητας ait vocari, quorum ut varia genera, ita & nomina diversa. Idem in Georgicis apud Athenæum, ubi noxios ab edulibus distinguit:

Οἰδαλέ, ὃ σύγκολλα, βάρη πνιγόεντα μυκήτων.

Ita scribendum. *Tumidos & minimè compactos fungos.* Græci σύγκολλον vocant, quidquid invicem commissum & examussim coagmentatum est. Fungi vero non tantum propter laxitatem raritatemque corporis, sed propter strias, quibus capita eorum subtus divisa sunt & hiulca, ὃ σύγκολλοι dicuntur Nicandro. Fortasse & Arabes fungum appellant فطر, *cuter* ab illis rimosis striis. Nam فطر rima est & fissura. Significat etiam creationem, fabricationem, & fermentationem. Glossæ veteres فطير interpretantur *azymum*. Atque inde potius fungis Arabicè nomen inditum. Nam & ζύμωμα Nicander appellavit, ab inflatione & tumore fermenti. Hoc præterea habent cum tuberibus simile fungi, quod nullis nitantur in terra radicibus aut fibris, si Theophrasto credimus lib. I. cap. IX. πλὴν ὅλως ἔνια μὴ ἔχει, καθάπερ ὕδνον, μύκης, πέζιξ, γεράνιον. Negat habere radices tubera fungosque. De tuberibus certum est. Tota quippe terrâ circumdata, & aspero cortice tecta in se veluti conglobantur, nec terræ cohærent. De fungis potest dubitari. Nam & pediculum habent, quo videntur terræ cohærere. Etsi enim nullas emittant fibras; extremâ tamen pediculi parte inæquali existente terram apprehendunt. Id alio loco agnovit idem Theophrastus, cujus verba apud Athenæum leguntur, quibus adstruit fungos habere quasi quoddam radicis rudimentum & principium προσφύσεως, qua terræ cohærent: οὐδὲ μύκης ἔχει προσφύσεως ἀρχὴν τὸν καυλὸν εἰς μῆκος καὶ ἀποτείνουσαν ἐπ' αὐτοῦ ἔρεψιν. Ita legenda, quæ corruptissima vulgo sunt in editis: καὶ ἀποτείνουσαν ἀπ' αὐτοῦ ῥίζιν. Nec audio Virum doctissimum ῥίζας eo loco pro fibrillis & capillamentis accipientem, quibus omnino carent fungorum pediculi. Sed fac habere: Græca vox non potest id exprimere, quæ viminea texta propriè, nec aliud significat. Ἔρεψιν eleganter vocat Philosophus caput funginum, quo pediculus ejus tegitur. Idem quippe, quod στέγασις. Unde, ἐρέψιμον, τὸ στεγάσιμον. Ἐρέψις quoque Theophrasto tectum est alio loco, ubi dicit nucis Euboïcæ arborem magnam esse atque utilem tectis faciendis: γίνεται γὰρ μέγα καὶ χρῶνται πρὸς τὴν ἔρεψιν, id est, *& utuntur ad tecta facienda.* Vulgo vertunt ad tectorium opus. Atqui tectorium opus aliud est Latinis; opus nempe, quo tectores dealbant parietem ac tectorio inducunt Pileo vel petaso simile caput funginum. Unde & μύκης Græcis non solum fungus, sed etiam pileus. Apud Plautum, *homines fungino genere, qui totos capite se occulunt*, de petasatis. Grammatici πῖλον interpretantur. Sed & πεζασίτης herba inde nomen invenit, quæ pediculo folium habet impositum ad instar fungi. Clausula capuli in gladio μύκης quoque Græcis ab eadem forma. Græci recentiores μῆλον appellant, nos *pomellum*, ut alibi diximus. Plinius de fungis: *mox candidi velut apice flaminis insignibus pediculis.* Nicander in Georgicis μύκητα propriè vocat caput fungorum. Habent igitur fungi προσφύσεως ἀρχὴν, pediculum nempe quo terræ connectuntur, qui pro radice est, vel radicis instar. In tuberibus nihil tale. Quoddam genus nominatur eidem Theophrasto, cui nec pidiculus, nec radix. Nasci cum fungis memorat, & πεζίας vocat: καθάπερ ἃς καλοῦσί τινες πεζίας ἅμα τοῖς μύκησι γινομένοις· ἄῤῥιζοι γὰρ καὶ αὐτοὶ τυγχάνουσι. Plinius in genere fungorum eos ponit contra Theophrasti sententiam, & *pezicas* vocat. Ita enim in omnibus libris scribitur. *Sunt & in fungorum genere Græcis dicta pezicæ, qui sine radice aut pediculo nascuntur.* Et in Indice manu exarato: *De Tuberibus, pezicæ. De Laserpitio & Lasere.* Veram igitur opinor esse lectionem apud Theophrastum πέζικας, à singulari πέζιξ. Et sic apud eum alio loco legendum: καθάπερ ὕδνον, πέζιξ, μύκης. Ubi vides semper hos pezicas à fungis distinguere. Græcum πέζικες, unde Latinum Plinio *pezicæ*. Sic βῶκες genus piscis, Latinis priscis *bocæ*. Phanias quoque apud Athenæum μύκητα, hoc est, fungum cum tuberibus jungit inter illas plantas, quæ nec florem nec semen edunt. Verba Athenæi vulgo corruptissima sic debent emendari: Καὶ Φανίας ἐν πέμπτῳ περὶ φυτῶν, τὰ μὲν φύειν, τὰ δὲ οὐδὲ φύειν τὴν ἄνθην, οὐδὲ τοὺς σπερματικῆς ἴχνος κοινωνήσεως, οὐδὲ σπερματώσεως· οἷον μύκης, ὕδνον, πτέρις, ἕλιξ. Hodie legitur, οὐδὲ φύειν τὴν ἀνθινήν. Sic erat temporibus Eustathii, qui cum ita legeret, nec intelligeret, omisit. Correximus τὴν ἄνθην, id est, ἄνθησιν. Quod est Atticum, eaque voce usus Nicander: ἡ ἄνθη pro ἄνθησις, ut ἡ ἄνξη pro ἄνξησις & similia sexcenta. Alia etiam cognatio est tuberum cum fungis, quod æquè nullo insigni sapore gustum feriant, & propterea pariter ut tubera res condimentarias requirunt, quibus palati otium admoneant, quod per se non præstant. Hæc tamen inter eos differentia præcipua, quod tubera ὑπόγεια sunt, fungi ἐπίγειοι. Hi ostendunt se & exerunt: tubera semper latent & eruenda sunt, cæterum Avisena, ut dixi, sub nomine *kema* tam tubera quam fungos persequutus est, & eodem genere complexus. Quos & nomine speciali nuncupat Arabice فطر. Quibus & caput proprium dedit hoc titulo. Quo loco Dioscoridem descripsit, quem & laudat nominatim. At capite de Tuberibus, inter deteriora tuberum genera recenset & fungos, quos vocat فطر, *futer*. Et præcipue eos deterrimos censet, qui nascuntur sub arboribus. Atqui non omnes omnino, qui sub arboribus proveniunt, mali ac noxii putandi; sed hi duntaxat, qui ad radices eorum arborum gignuntur, quæ pernicales ferunt ex propria natura, ut alibi dixi ex Dioscoride, cujus verba sic legenda de causis, quæ venenum pestemque generationi fungorum inducunt: παρὰ πολλὰς δὲ αἰτίας γίνονται ποιητὸν ἢ γὰρ ἥλοις κατιωμένοις ἢ ῥάκεσι, ἢ ἑρπετῶν φωλεοῖς παραφύονται, ἢ δένδρεσιν ἰδίως βλαπτικοὺς φέρουσιν. Ita, inquam, hæc scribenda ex vetustissimo codice. Nam vulgò editur: ἢ δένδρεσιν ἰδίως βλαπτικοὺς φέρουσι καρπούς. Quod ineptum est. Quasi vero solæ arbores, quæ noxios ferunt fructus, etiam pestilentes fungos producant? Atqui olea tales maximè dare creditur, cujus fructus adeo salubris atque utilis. Ex variis causis venenatos creari fungos tradit Dioscorides: aut enim ejusmodi existere ait, qui juxta clavos rubigine obsitos creverint, aut juxta pannos marcidos, aut qui ex vicina serpentis caverna atque inde halitu id vitium traxerint, aut etiam qui arboribus adnascantur, quarum natura sit lethales gignere. Ita legisse verba Dioscoridis, ut nunc ea corrigimus, Avisena videtur capite de fungis, qui sic illa reddidit: *aut apud*

aliquam arborum, quæ peculiarem habeant naturam, ut fungos corrumpant, qui prope eas nascantur, ut oleæ. Plinius recte & adposite ad hanc sententiam scribit, discrimen auctores quosdam veteres constituisse internoscendis bonis malisque fungis per arborum genera, quibus adnascantur lib. XXII. cap. XXIII. *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Quidam discrevere arborum generibus fico, ferula, & gummi ferentibus; non item taxo aut robore, aut cupresso, ut diximus.* Ita discretos vult innoxios à noxiis, ex arborum nempe generibus, quibus adnascuntur: ficum, ferulam, & arbores gummi ferentes, esui idoneum fungum dare dicit: taxum autem aut robur aut cupressum mortiferos edere. Nicander in Georgicis apud Athenæum, arboribus quoque eos distinguit; ac lethales quidem oleæ, malo Punicæ, ilici & robori adsignat, edules vero fico. De fico etiam addit Plinius: *His aberit veneni argumentum, quo similior fuerit fici.* Vitio non carent hæc verba. Vetus liber habet: *Hic haberit.* Sic lege totum locum: *Sed ista quis spondet in vanalibus? omnium colos lividus. Huic aberit veneni argumentum, quo similior fuerit arborum ficis.* Ex arborum genere, prope quas gignuntur, sciri posse dixit, utrum usuales an exitiosi sint fungi. Certas quippe esse arbores, quæ inimicos cibo procreent: item quæ amicos. Sed quis, inquit, ista spondet in vænalibus? quis ex his, qui vænales habent fungos, ex illa aut alia eos arbore natos spondet? omnium quidem colos lividus tam bonorum quam malorum. Huic tamen aberit argumentum veneni, quo similior fuerit ficis arborum. Optimi quippe nasci credebantur ex ficu. Tradit Nicander, fici arboris truncum prope radicem fimo coopertum & aqua sepius irrigatum, fungos ad esum producere non pœnitendos:

---- συκέης ὁπότε στέλεχος βαθὺ κόπρῳ,
Κακκρύψας ὑδάτεσσιν ἀενναίοισι ποτίζῃς,
Φύονται πυθμέοσιν ἀκήλοι, ὧν σὺ μύκητας
Θρεπτικὸν ἐκ προτάμοιο χαμαιζήλης ἀπὸ ῥίζης.

Gummi ferentes arbores nominat inter eas, quę fungos edules edunt. Diphilus apud Atheneum, cibis accommodos pino & ulmo innasci dicit: δοκοῦσι δ' οἰκεῖοι εἶναι οἱ ἐπὶ πτελέαις καὶ πεύκαις γινόμενοι. Certum sanè est hodie esculentos fungos passim ad ulmi, quercûs, *cercûs*, cerri, fagi, populi albę & nucis juglandis radices provenire, qui etiam nascuntur in dejectis earum arborum caudicibus. Plinius idem robur inter eas recenset arbores, quibus originem suam debent mortiferi fungi, ut etiam Nicander in Georgicis:

---- ἐχθρὸν δ' ἐλαίης
Ῥοιῆς τε πρίνοιο τε δρυός τ' ἀπὸ πήματα κεῖται
Οἰδαλέ' ὧν σύγκολλα βάρη πνιγόεντα μυκήτων.

Ubi & vides, & qui juxta ilicem crescunt, noxios haberi. Atqui πρινίνας μύκητας, ilignos fungos cibis etiam receptos ostendit veteris Comici Antiphanis apud Atheneum versus:

---- ταχὺ ἢ λαβὼν
Ὄπτα μύκητας πρινίνας τοὺς δὴ δύο.

Quercus quoque non tantum improbatos, sed etiam ad cibum eligendos fungos præbere colligitur ex Plinio, qui boletos & suillos ex quercûs radicibus nasci prodit lib. XVI. cap. VIII. *Tam multifera sunt & tot res præter glandem pariunt robora. Sed & boletos suillosque gulæ novissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur, quercus probatissimos; robur autem & cupressus, & pinus noxios.* Distinguit hic quercum à robore, & quercum quidem probatos boletos suillosque parere dicit; robur vero noxios. Nicander δρυῶ commemorat inter arbores, quæ ad radices suas fungum cibis interdictum producunt. Plinius *robur* verteret, non quercum. Theophrastus eo loco, quem Plinius reddidit, simpliciter dicit, δρυῶ præter alia multa, quæ fert, etiam fungos radicibus suis edere, quod tamen habet cum aliis arboribus commune: ἡ μὲν οὖν δρῦς τοσαῦτα φέρει παρὰ τὸν καρπόν, οἱ γὰρ μύκητες παρὰ τῶν ῥιζῶν, καὶ παρὰ τὰς ῥίζας φυόμενοι κοινοὶ καὶ ἑτέρων εἰσίν. Præterea Plinius eo loco, quem ante adduximus, boletorum nomen quasi generale tam de improbo fungorum genere quam de probato videtur usurpare, ut & suillorum. Eo quippe nomine cum malos tum etiam bonos agnoscit. Atqui cæteri omnes Latinitatis auctores boletos de certo genere usurpant, quod inter ciborum delicias communi antiquitatis consensu receptum fuit, & cæteris omnibus fungis præstare creditum. Quin & ipse libro XXII. cap. XXII. boletos inter ea, quæ manduntur, merito suo se ponere ait; & optimi quidem hos cibi asserit, sed in crimen adductos veneno per hos propinato Claudio principi à conjuge Agrippina. Eo tamen loco & de his ipsis loquens, quorumdam ex his venena nosci memorat, *diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro.* Sic ex boletis alios venenatos, alios innoxios ibidem agnoscit. Quin & verba Dioscoridis superius citata, quæ in genere ille pronuntiavit de causis, quibus fungi creantur succo pestifero præditi, iisdem boletis attribuit. Hæc quia apud Plinium leguntur vulgo inquinatissima, partim conjecturâ, partim scripturâ libri veteris adjuvante, heîc emendatiora proponam. De boletis loquitur: *Origo prima causaque è limo & acescente succo madentis terræ aut radicis fere glandiferæ; initioque spuma lentior, dein corpus membranæ simile, mox partus, ut diximus.* Hæc tantum boletis conveniunt, non reliquis fungorum generibus, ut infra dicam. Sequuntur, quæ longe corruptissima sunt, sic sananda: *Illa perniciales comprobandi via. Si caligaris clavus, ferrive aliqua rubigo aut panni marcor adfuit nascenti, omnem illico succum alienum saporemque in venenum concoquit. Deprehendisse quin etiam dicunt ipsum quidam, si serpentis caverna juxta fuerit, si patescentes primo adhalaverit, capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum.* De universo genere fungorum hoc dixit Dioscorides, quod μύκητας Græci vocant. Similia autem his aliquis antiquorum scripserat, à quo sumpsit Plinius, ut & Dioscorides ipse. Boleti certa species. Quin & boletos Plinius à fungis discernit. Ubi enim de boletis loquutus est, eorumque naturam ac faciem facultatemque descripsit, transit ad fungos. *Cungorum*, inquit, *lentior natura, & numerosa genera, sed origo non nisi ex pituita arborum.* De his fungis scripsit Dioscorides, quæ Plinius verbis supra allatis expressit. Quid igitur movisse Plinium dicemus, ut boletos fungis substitueret, speciem pro genere? Causæ illæ omnes & origines maleficorum fungorum, quas ibi exponit Dioscorides, ex accidenti sunt ac mutant naturam fungorum. In venenum quippe ac vim noxiam ut degenerent, faciunt, qui tales suopte genio ac sapore non existunt. Si clavus rubiginosus adfuerit nascentibus, si pannus tabo infectus, si caverna serpentis prope fuerit, si serpens patescentes primo adhalaverit; qui vesci ac utiles ortu suo ac propriâ naturâ fuerant, per hæc accidentia contrarii evadunt. Plinius igitur inter genera fungorum eos sumpsit, qui maxime cibis expetebantur, ut omnium minime noxæ ac veneno accommodati: quos tamen perverti ac corrumpi vult, & ab origine sua degeniari accedentibus illis causis. Hoc quidem non improbarem, nisi alio loco boletorum duo genera videretur facere, venenatorum & vescorum. Nam lib. XVI. cap. VIII. arboribus quoque eos distinxit, & quercum probatissimos ferre: robur autem & cupressum & pinum, noxios. Hæc sola videtur ratio, quæ mortiferos fungos gignat, qui suapte naturâ tales existant. Non aliam sane attulit Dioscorides. In hoc tamen notandum, non idem genus alias sine noxa esse, alias perniciem adferre pro arboribus, ad quas nascuntur. Diversa quippe genera sunt; exempli gratiâ, quæ juxta cupressum aut pinum, vel juxta ficum aut quercum nascuntur. Etenim diversæ arbores & diversi quoque generis fungos procreant, aliæ epulis accommodatos, aliæ mensis ablegandos. Sic & sui quodammodo generis existimandi veniunt, qui ex rubiginoso ferro oriuntur aut ex panno marcido, ut multæ aliæ res causam ac principium nascendi dant variis fungorum generibus. Nam & urina lupi, canisve,

canisve, & stercus animalis fungos gignit, qui & suæ censentur proprietatis. Lixivius quoque cinis projectus, & alia infinita fungis apta generandis. Et hoc quidem ut plurimum. Sed nec negaverim quosdam ita ancipites esse, ut loci, in quo gignantur, natura multum adjuvet in utramque partem, aut ad noxam illis conciliandam aut eximendum periculum, idque in eodem genere. Inde *ancipites fungi* Satyrico, qui adeò sunt ambiguæ naturæ, ut aliquibus in locis iidem pravi aut innoxii proveniant:

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis;
Boletus domino.

Hinc Plinius de fungis: *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?* Sic sunt *suilli* eidem Plinio nominati, quos & propterea venenis dicit accommodatissimos esse. Eos cum fungis à boletis discernit, quia boleti minimè dubiæ fidei, sed certæ & exploratæ, utpote qui semper noxa careant. Nec hilum facit, quod eos in crimen adduxerit Agrippina. Sic enim nihil non ciborum poterit infamari. Plinius tamen in illo ipso genere bonos malosque agnoscit. Sed fallitur. Ita ille de boletis: *Quorumdam ex his facilè noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosâ striâ, pallido per ambitum labro.* Non dubito, in tot fungorum generibus, ac tam infinita differentia, nonnullos esse adeo ambigui aspectûs inter se, ut discerni nequeant, ac plerumque noxii pro innoxiis fallant. Quod in eodem genere contingere non putandum est, sed in diverso; facie tamen non dispari. Ut multa sunt in aliis plantis genera, quæ similitudine inter se ac formâ valdè sunt cognata; cum effectu ac facultate in totum dissideant. Inter fungos hodie præstare putantur, quos Ungari vocant *Ur gomba*, quasi dicas dominorum fungum, quem boletum esse veterum Viris doctis assentior. Iidem memorant genus esse perniciosi fungi, qui adeo indiscreta facie æmulatur illum alterum, præcipuè ubi è terra primum surgere incipit, ut sæpe pro illo imponat. De hoc fortasse intellexit Plinius, cum de boletis loquens dixit, quorumdam ex his facilè nosci venena. Sic inter alios fungos multi exitiales existunt, qui edules imitantur, cum tamen diversissimi sint generis; quod effectus ac facultas prodit. Non alios videntur novisse fungos antiqui, quam qui ex arborum radicibus, aut juxta eas nascerentur. Inde Plinius originem fungorum ex pituita arborum esse tradit. Boletos quoque è radice arboris glandiferæ originem habere prodidit. In eadem sententia Dioscorides, qui non alios fungos, qui quidem nativam habeant noxam, agnoscit præter eos, qui ex arboribus oriantur tales gignere adsuetis. Quod ex æquo & de noxâ carentibus pronuntiandum juxta illius sententiam. Non igitur antiquis cognitum videtur id genus, quod hodie primatum obtinet. Hi omnium fermè minimi, iidemque odorati, & saporis gratissimi, non inter arbores nec ex arboribus habent earumque pituitâ originem. Etenim sæpe in mediis pratis nascuntur longe ab omni arborum satu, ubi brevissima est herba, & plerumque non nisi muscus. Unde & nomen apud nos invenerunt. *Musserones* quippe vocamus à musco, ubi gignuntur, quam vulgò *mussam* dicimus. Circulum semper in terra faciunt, eumque viridissimâ notabilem herbâ. In eo circulo reperiuntur inter muscum extantes, & interdum sub musco. Nam scalpenda terra, ut eruantur. Et tum quidem optimi, cum incipiunt erumpere, & tellurem capite suo rumpere. Quod faciunt primis imbribus vernis tepidioribus, mense potissimum Aprili. Nam quos Maius mensis in ortu suo occupat, vermiculis jam scaturientes edit. Tunc improbantur. Non ea requirunt condimenta, quæ alii fungi, quos & insipidos ferme esse constat. Isti vero, quia per se saporem eximium præferunt, in solo butyro cocti, nullâ aliâ re externa admixtâ, probantur à gulæ proceribus. Quidam tamen addunt petroselinum vulgò dictum, dum coquuntur; quod est apium veterum sativum. Nonnulli & ex laridi taxeis præparant. Sed ista coquinæ melius vi-

A derint. Fortasse de his intellexit Diphilus apud Athenæum, cum ex fungis maxime probat, ut cibis convenientissimos, τοὺς λεπτοτάτους καὶ ἁπαλοὺς καὶ εὐθρύπτους, *teneros, minutos, & friabiles.* Tales omninò hi nostri sunt. Sed eos gigni ait ἐπὶ πτελέαις καὶ πεύκαις, inter pinos & ulmos. At nostri sæpius gignuntur locis ab omni arbore nudis. Quos tamen & vidi crescere in loco ulmis consito. Sed verba Græca Diphili significant genus illud fungorum in ipsis ulmi & pini arboribus nasci. Ἐπὶ πτελέαις καὶ πεύκαις. Puto esse, quos Itali vocant *prignolos* hodie. Horum miror nullam habere mentionem
B Clusium in accuratissimo de fungis tractatu. Nec sanè ubique proveniunt. Parisiensis hic ager eos nusquam habet. Burgundia nostra talibus abundat, ut & tuberibus, quibus etiam caret Parisiensis agri tractus. Falluntur porro, quibus persuasum est, *boletos* antiquorum eosdem esse cum his nostris *musseronibus*, quos alii *potirones* nominant. Disparia ac diversa omnia in utrisque. Boleti lutei, nostri albi: sed obsoletus ac veluti sordidus in his candor. Plinius de fungis: *tutissimi, qui rubent callo, minus diluto rubore quam boleti.* Ergo & boleti quadamtenus rubent. Præterea musserones statim cum pediculo
C nascuntur, & cacumine terram aperiunt, etiam cum infantes ac minimi sunt. In boleto autem pariendo terra volvam prius gignit, deinde ipsum in volva, ceu in ovo est luteum. Ita Plinius de boleto: *Non sunt hæc in quibusdam, siccique & nitri similes veluti guttas in vertice albas ex tunica sua gerunt. Volvam enim terra ob hoc prius gignit, ipsum postea in volva, ceu in ovo est luteum.* Sed quid vocat volvam? Ita enim omnes libri. An *vulvam*? Non puto. Omnino *volva* hic scriptum, ac positum pro *bolga* vel *bulga*, quæ folliculum significat. Aliis *vulga* dicitur, aliis etiam *volva.* Sic *galbuli, galvuli* & *valvuli* & *valguli.* Tot
D enim modis scripta hæc vox reperitur. *Bulgæ* Festo sunt scortei sacculi Gallorum linguâ. Nescio, an Gallis hæc vox usitata, quam hodieque in hac ipsa significatione usurpamus, sed Græcam ab origine scio. Nam βολγὸς est βόειον ἀσκὸς Grammaticis. Inde *bolga*, quæ Plinianis antiquariis est *volva.* Folliculum boleti sic vocavit. Nonio bulga *folliculus omnis, quam & cruminam veteres appellarunt.* Lucilius apud eumdem: *Ita ut quisque nostrum è bulga est matris in lucem editus.* Ita planè boleto bulga est materna folliculus ille sive χόριον, quo involutus primò nascitur; quem & paulò post aperit ac rumpit, ut in auras
E exeat: *Tunicam* etiam vocavit idem Plinius ibidem: *Nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti. Rumpitur hæc primo nascente, mox in pediculo corpus absumitur.* Ubi miram ἀκυρολογίαν notabis in boleto infante. Non dissimilis apud Martialem, cui onagri pullus lactens dicitur *infans.* Paulò post *membranam* vocat, quam supra *tunicam*, & *bulgam*, de gradibus incrementi in boleto: *Initioque spuma lentior, dein corpus membranæ simile, mox partus, ut diximus.* Falluntur eruditissimi Herbarii, qui putant *volvam* apud Plinium nomen ipsius fungi esse. Ita sentiunt Adrianus Junius & Anguillara. Et hic quidem pessimè
F volvam illam eamdem censet cum *eluellis* Ciceronis, quæ sunt parva olera antiquo vocabulo. Certè *volva* aut pro bulga est aut pro vulva, utrumque pro folliculo vel membrana, quo involvitur infans ac tener boletus. Sic & *bulgam* Lucilius pro vulva materna posuit. Ex omni fungorum genere nullus est, cui magis examussim conveniat illa boleti Pliniana descriptio, quam genus XVII. Clusii inter esculentos fungos ab ipso repositum. Eum ab Ungaris *Ur gomba* per excellentiam dici adnotat, id est, dominicum vel principalem fungum, & à Germanis ob eamdem causam *Keyserling*, quasi Cæsareum. Hunc
G fungum, cum è tellure primulum prodit, ovi figuram referre scribit, candore pari. Hæc ejus veluti tunica est ac membrana, quæ altero aut tertio die rumpitur superna parte, ac veluti ovi luteum aperit. Hoc est, quod Plinius dicit, bulgam prius gigni, postea ipsum è bulga tanquam in ovo luteum. Tunicam ipsam gratam in cibo fuisse scribit idem Plinius, qui & de

& de guttis ejuſdem ea dicit, quæ in vulgatis editionibus corrupta eſſe liquet: *& nitri ſimiles velut guttas in vertice albas ex tunica ſua gerunt.* Libri habent: *veriſimiles.* Scribendum putarim: *& veris ſimiles veluti guttas.* Boletus rumpens vertice rumpit tunicam ſuam, quæ alba eſt, cum ipſe ſit luteus; qui tamen ex tunica ſua veluti guttas albas gerit, ſimiles veris. Addit ibidem, ortum occaſumque omnem boletis intra ſeptem dies eſſe. Noſtris muſceronibus breve quoque tempus inter ortum eſt & occaſum. Ubi autem collecti ſunt, per aliquot dies incorrupti ſervantur, nec ſtatim marceſcunt; quæ nota eſt certiſſima pernicioſorum, protinus à collectione in tabem abeuntium. Dioſcorides: Καταπεθέντες δὲ μετὰ τὸ ἀφαιρεθῆναι ταχέως διαφθείρονται σηπόμενοι. An idem voluit dicere Diphilus apud Athenæum in his verbis: ἀνοίκειοι δὲ οἱ μέλανες καὶ πελιοὶ καὶ σκληροὶ καὶ οἱ μετὰ τὸ ἑψηθῆναι καὶ τεθῆναι πηγνύμενοι. Legebam aliquando tranſpoſitis literis, σηπόμενοι pro πηγνύμενοι. Sed à coctione, non à collectione ſtatim eos putreſcere dicit Diphilus. Verius omnino, retinendam eſſe apud Diphilum lectionem & ex eo corrigendum potius Dioſcoridem. Hæc enim apud illum non videntur ſana nec ſincera, καταθέντες δὲ μετὰ τὸ ἀφαιρεθῆναι. Quid enim hoc ſignificat, depoſitique, cum è terra eruti fuerint, protinus corrumpuntur putrefactione. Omnino ſcribendum autumo: καὶ τεθέντες μετὰ τὸ ἀφεψηθῆναι, ταχέως διαφθείρονται, id eſt, *poſiti in menſa, ubi cocti fuerint.* Eodem quippe ſenſu hoc verbum uſurpavit, quo Diphilus: μετὰ τὸ ἑψηθῆναι καὶ τεθῆναι, de adpoſitione & illatione coctorum fungorum in menſam factâ. Sed & ſi quis verba Dioſcoridis penſiculatius conſideret, eamdem in his verbis ſententiam concipi animadvertit, ac de fungorum coctione eum loqui, non de collectione. Ita enim habet: ἔχουσι δὲ καὶ γλοιώδη ἐπίπαγον, καὶ τεθέντες δὲ μετὰ τὸ ἀφαιρεθῆναι ταχέως διαφθείρονται σηπόμενοι. Poſſumus nihil mutare, & tamen eamdem his mentem adſtruere, quam expreſſit Diphilus verbis ſuperius allatis. Loquitur de fungis maleficis, quos ait habere γλοιώδη ἐπίπαγον. Hac enim nota eos naſci ac diſcerni ab his, qui in cibos admittuntur, aſſerit. Hoc eſt plane, quod dixit Diphilus, ejuſmodi eſſe, qui μετὰ τὸ ἑψηθῆναι πηγνύμενοι. Eos ἐπίπαγον habere dixit Dioſcorides, hoc eſt, in glaciem velut corporari ac coagulari, poſtquam ſcilicet cocti fuerint. Ita enim prorſus intelligendum: jus nempe illorum veluti congelari & in glaciem quandam coire. Quod πήγνυσθαι Diphilo, hoc ἐπίπαγον ἔχειν Dioſcoridi. Ἐπίπαγος proprie in rebus liquidis, dum coquuntur, ſuperficies innatans ad glacialem imaginem concreta. Græci γραῦν vocant in lacte, & in aliis liquoribus: Heſychius: ἐπίπαγος, ἡ ἐπὶ τῶν ἑψομένων ἡ γραῦς. Sed & jura, quæ poſt coctionem coguntur in glaciem, hunc ἐπίπαγον habent, & ſic vocari poſſunt. Sic *glaciali jure tuceta* Arnobio, τὰ πηγνύμενα οἱ ἐπίπαγοι τῶν ζωμῶν. Barbari *gelatinas* vocant vel *gelatas.* Cum igitur dixit Dioſcorides, improbos fungos ἐπίπαγον ἔχειν γλοιώδη, de his intelligit, qui cocti ſunt, ut Diphilus planum facit. Γλοιώδη etiam ἐπίπαγον ſuſpectum ſemper habui in illis Dioſcoridis. Nam hæc contraria ſunt, τὰ γλοιώδη & τὰ ἐπιπαγώδη. Viſcoſa illa ac lenta, hæc verò concreta & in glaciei formam ſtricta. Rectè in optimo ac vetuſtiſſimo codice ſcribitur γλινώδη, pro quo ſcribendum γληνώδη. Ita Græci vocant lucentia ac nitentia. Nam γλῆνος exponunt φάος. Unde & γλήνη in oculis. Quæ in glaciem coacta ſunt, ut & ipſa glacies, lucis quemdam nitorem præferunt. Quod igitur ſequitur apud Dioſcoridem καταπεθέντες δὲ μετὰ τὸ ἀφαιρεθῆναι, ταχέως διαφθείρονται σηπόμενοι, non intelligi debet de fungis, qui è terra exempti fuerint, ſed ex olla extracti, & in menſa poſiti. Etenim quæ præcedunt, de coctis planè accipi debere conſtat. Quod & ſatis illis oſtenditur, quæ item ſequuntur ex adverſo poſita ad declarandam differentiam edulium fungorum: οἱ δὲ μὴ τοιοῦτοι ζωμοποιοὶ, ἡδεῖς. Peſſimi fungi, ubi cocti ſunt, ἐπίπαγον habent, & in formam glaciei congelantur. Qui vero tales non ſunt, jus liquidum reddunt, ac ζωμοποιοὶ ſunt, non glaciem faciunt. Hæc indubitatiſſima. Nec moror, quod Aviſena in verbis Dio-

A ſcoridis reddendis videatur legiſſe γλοιώδη, qui pro ἐπίπαγον γλοιώδη vertit Arabicè رطوبة لزجة, id eſt, *humiditatem viſcoſam*, ut vertit Interpres. Nam لزج eſt viſcoſum, & رطوبة humiditas, à verbo رطب humidum eſſe. Quod prorſus eſt contra mentem Dioſcoridis. Nam ἐπίπαγον reddidit humidatem, cum ſit glacies. Boleti olim admodum rari, carique, ideoque in pretio, honore & gratia. Martialis:

B *Argentum atque aurum facile eſt, lanamque togamque*
Mittere, boletos mittere difficile eſt.

Tuberibus etiam præferebantur eodem teſte:

Tubera boletis poma ſecunda ſumus.

Græci ſcriptores qui ſub Romano imperio vixerunt, βωλίτας appellant Latinè voce Græciſſatâ. Nam *boletus* Latinum, quod boli figuram haberet, & inſtar ovi. *Bolus* autem prima producta, offa eſt oblonga. Quidam Gloſſatores Ἀμανίτας Græcè reddunt. Ἀμανίτης certum genus fungi, cujus mentio apud Nicandrum in Georgicis:

------ μύκητας Ἀμανίτας τότ' ἐφθήσαις.

C Fortè à monte Amano Ciliciæ dicti, cujus τοπικὸν Ἀμανίτης. Sequens Græciæ ætas omnes in univerſum fungos appellavit Ἀμανιτάρια, diminutiva dictione ab Ἀμανίτης. Tarantinus in Eclogis Geoponicis lib. XII. ita habet in veteri libro Palatino: Μυκήτων ποίησις ἤγουν Ἀμανιταρίων. Expoſitio illa videtur adpoſita ab ipſo compilatore, cujus ætate omnis fungus vocabatur Ἀμανιτάριον. Tarantini quippe ævo Ἀμανίτης vel Ἀμανιτάριον non nomen erat generis, ſed certa fungorum ſpecies, cui ſecundam palmam poſt boletos tribuunt Græci medici. Loquitur eo loco Tarantinus de fungis

D populeis, quos αἰγειρίτας Græci vocant. Cæſa populo arbore, & in locum cæſuræ eâ parte caudicis, quæ remanſit recta ſoloque fixa, ſi fermentum aquæ reſolutum infundatur, optimos & eſui gratiſſimos fungos indidem generari tradit, quorum etiam meminit Galenus. Cæterum, ut dixi, Ἀμανιτάριον pro quolibet fungo uſurpavit infima Græcia. Demetrius in Hieracoſophio lib. II. cap. XXIII. καὶ ἀφοδεύει ὡς γράφιν καὶ φαίνεται ὡς Ἀμανιτάριον, fungi formâ eſſe dicit. Quæ vox non intellecta doctiſſimo Gloſſarii auctori Græcobarbari. In genere etiam fungorum ſunt, quas vulgò appellamus *morillas*, à mauro & nigro colore, quem coctæ exhibent. Vel potius, quod mori figuram aliqua-

E tenus referat. Spongioſus hic fungus, unde & *ſpongiolæ* Neopolitanis dicuntur. Uno boleto excepto, quem nihil unquam noxæ aut periculi cuiquam creaſſe veteres affirmant medici, cætera omnia genera ancipitia ac dubia habuerunt: Aviſena capite de fungis genus id, quod neminem unquam necavit, vocat *Alchalabie.* Ita enim interpres: *melior ſpecies eſt nota, quæ nominatur Alchalabie; neminem enim interficit.* Boletum eſſe oportet. In Arabico eſt والقلاعي, Ex regione *Alchalabi.* Nam القلاعي videtur eſſe

F ἐθνικὸν cujuſdam regionis, quæ vocatur القلاعة *Alcalaa.* Puto eſſe, quæ ſic nominatur Geographo Nubienſi in prima parte climatis tertii, quo Africam deſcribit. القلعة appellat. Ea eſt, quæ *Chollo* dicitur Leoni Africano lib. v. de Africa, qui civitatem eſſe antiquam & celeberrimam aſſerit. Veteres eam vocant *Chullu.* De qua in Excercitationibus. Regionem eam ampliſſimam facit Geographus Nubienſis, cujus caput *Calae.* Sic non ſolum optima ab Africa tubera, ſed etiam fungi. Pratenſibus fungis optimam eſſe

G naturam docet ille coquinæ ſophus apud Satyricum; aliis autem non tutò credi. An per pratenſes fungos intellexit boletos? De his enim ſolis hoc traditum antiquis, bene illis credi poſſe. Sunt tamen & alii pratenſes fungi, diverſi à boletis, qui ſine noxa eduntur. Et infinita omnino genera ſunt tam φθαρτικῶν quam ἐδωδίμων fungorum; quæ heîc perſequi non eſt conſilii noſtri, nec ad rem ſanè

atti-

attinet. Ex his, quæ diximus, constare potest, an rectè Avisena fungos malos sub arboribus tantum crescere pronuntiarit, & an rectè idem fungos cum tuberibus confuderit: quod tamen & alio loco videtur adstruere, ubi dicit *guxne* genus esse vel tuberum vel fungorum; quasi scilicet nihil differant fungi à tuberibus. *Gußune*, inquit, *genus est quoddam tuberum fungorum.* Ita enim Interpres in Arabico: *Tuberum aut fungorum.* الكماة او الفطر *Alcama aut alfater.* Sub finem capitis dicit, non esse frigidum illud *gusne* sicut reliqua tubera. Heic vocavit *kama.* Sed nec noxio humore censeri sicut *kama.* Ubi manifesto dictionem *kama* pro fungis potius, quam pro tuberibus usurpavit. Nam fungi ψυχροὶ καὶ ὑγροὶ τὴν κρᾶσιν frigidæ & humidę temperaturæ. Tubera autem, quæ sic proprie Latinis appellantur, terrestrem dominantem continent substantiam cum aliqua modica facultate τῆς λεπτομερῦς. Sic vides, quod supra dicebam, non solum vocem *kema* Arabibus tubera significare, sed etiam fungos. Idem Avisena scribit *gußune* illa كشوث, quæ inter tubera & fungos recenset, instar cartilaginis exsiccari & contrahi: & habere instar vasculi parvi sive scaphæ, in qua lavantur panni, cui os paulo contractius. Non video ex omni genere fungorum, ecquod genus isti Arabico *gußune* melius convenire queat, præter illud quod septimo loco memoratur Clusio, & Ungaris *choporkegomba* vocari dicit, quod sonat tuberosum fungum. Orbiculari pæne figura est, ut ovum exenteratum referat, pediculo exempto. Ideo & videtur dubitasse Avisena, utrum in fungis, an tuberibus numeret. Eâ causâ Ungari tuberosum fungum appellant. Sed & morillæ nostræ per medium scissæ, non male scaphæ formam repræsentant, & veluti cartilaginosæ sunt, & carnosi saporis, ut de *gußune* tradit Avisena. Sed hæc alii viderint. Græci hæc tria sæpe junctim commemorant bulbos, tubera, ac fungos. Diocles Carystius apud Athenæum libro de tuenda valetudine tertio: βολβὸς, ὕδνα, μύκαι. Vetus Scholiastes Aristophanis ad Nebulas βολβὺς interpretatur de tuberibus, quæ ὕδνα Græce vocantur:

—— βολβὺς ἄρα
Ζητῦσι.

Ad quem locum notat: τὰ λεγόμενα ὕδνα, ἅτινα τὴν γῆν σκάπτοντες ἐξέλκουσιν οἱ ἄνθρωποι. Sed alii bulbi à tuberibus, ut supra ostendimus. Tubera Dioscoridis, quæ ὕδνα sunt, de quibus & diximus supra. Matthiolus ab Italis *tartuffi* aut *tartuffole* vocari adnotat. Sed aliud genus est, quod in hortis colitur, tuberibus proprie dictis simile. Leo Africanus ea etiam manifesto distinguit, qui *terfez* similia esse prodit *tartuffolis.* Hæc flores & folia mittunt, radicibusque seruntur ac propagantur. Quorum nihil in tuberibus observatur. Ab Hispanis vel ex America eam plantam habuisse primum creduntur Itali, à quibus eam nos accepimus. Arachidnam Theophrasti esse quidam eruditi Herbarii persuasum habent, sed falso. Arachidna Theophrasti, ut quidem Plinius reddidit, nullum supra terram folium edit. *Arachidna*, inquit, *& aracos, cum habeant radices ramosas ac multiplices, nec folium nec herbam ullam aut quidquam aliud supra terram habent.* Hæc Plinius ex Theophrasteis ad verbum expressit, quæ habentur lib. I. cap. XI. sed more suo mala fide reddidit. Sic enim habent Græca: οἷον αὐτὴ τῆς ἀραχίδνης καὶ ἡ ὁμοία τῷ ἀράκῳ. Non aracon & arachidnam ibi junxit Philosophus, quarum radices nihil foliorum supra terram ferre dixeris. Non, inquam, ἄρακον ibi arachnidæ comitem dedit, sed ὅμοιον τῷ ἀράκῳ. Aliquid simile araco. Idem araci meminit alibi, quem inter lentes ita nasci prodidit securiclaca in aphacis, & in hordeo avena vel ægilops. lib. VIII. cap VIII. ἐν δὲ τοῖς φακοῖς ἄρακος, τραχὺ καὶ σκληρὸν· ἐν δὲ ταῖς ἀφάκαις ὁ πελεκῖνος. Certe aracos leguminis genus, cicerculæ simile, ut Aëtius & alii tradunt. Quidam etiam idem faciunt cum cicercula. Hesychius: ἄρακος ὄσπριόν τι, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ λάθυρον. Pollux inter legumina & semina edulia recenset, quamvis alium censeat à cicerculis

A lib. I. cap. XII. δολιχοὶ, λάθυροι, κνῆκος, ἐρέβινθος, ὄρυς, τράγος, ἄρακοι, κύμινον. Aristophanes in Comœdia Holcadibus apud Galenum, ἄρακον quoque nominat inter illa grana, quæ eduntur.

Ἄρακον, πυρὸν, πτισάνην, χόνδρον, ζειὰν, αἴραν σεμιδαλίν.

Idemque Galenus ibidem scribit, semen esse simile cicerculæ, λαθύρῳ; adeo ut quidam existimarint non aliud esse à cicercula, ut esu & facultate non dispari. Atque ita quidem de araco tradit, cum scribitur per κ, ἄρακος. Sed & aliud esse notat eodem loco agreste semen sponte in frugibus nascens, quod ἄραχον rustici
B nominant, qui & ipsum abjiciunt & exterminant haud secus ac semen securiclacæ. Hic ἄραχος Galeni silvestris idem omnino cum eo ἀράκῳ, cujus meminit Theophrastus loco supra scripto. Sic teste Galeno diversi ἄρακος & ἄραχος. Hodieque in Græcia vocatur ἄρακα, qui est ἄρακος Galeni & antiquorum. Neutrum potest esse eo loco, quem ex Theophrasto reddidit Plinius, ubi ὅμοιόν τι ἀράκῳ dixit: pro quo temere Plinius *aracon* appellavit, quasi, quod simile est, idem sit. In Plini vetustis exemplaribus *arachos* cum adspiratione legitur, hoc est, ἄραχος. An quod Theo-
C phrastus ἀράκῳ ὅμοιον vocavit, ipse simpliciter ἄραχον dicere voluit, quasi ἄραχος aliquid sit simile ἀράκῳ. Haud scio, an hoc voluerit; sed planum est, quoquomodo eum hallucinatum esse. Nec enim ἄρακος aut ἄραχος potest illa esse radix, de qua ibi intellexit Philosophus, quam ullum producere folium, aut quidquam folio par negavit: φύλλον δὲ οὐδέτερον ἔχει τούτων οὐδ' ὅμοια τοῖς φύλλοις. De arachidna loquitur, & illo altero, quod ὅμοιον ἀράκῳ vocavit. Plinius verba illa sic reddidit: *Arachidne quidem & arachos, cum habeant radices ramosas ac multiplices, nec folium nec herbam ullam, aut quidquam aliud supra terram habent.* Ergo nec se-
D men, nec flos, nec caulis, nec quidquam aliud ex his supra terram exit. Pro arachidna scripti Pliniani omnes habent *arachnide*, aut *anachnide.* Quasi apud Theophrastum legerit ἀραχνίδη, non ἀραχίδνη. Certe & ἀράχνης Hesychio ὀσπρίου εἶδος. Sed quocunque dicatur modo, illud certum, arachidnen illam non eamdem videri posse cum *tartufolo*, quæ quidem nec folium ferat extra terram nec aliud quidquam ἀνάλογον. Huic similem aliam jungit quam ἀράκῳ similem constituit. Sed qua in re similis erit araco, quæri potest, siquidem nullum folium, ac nullum germen extra solum edit, sed omnem fructum intra terram
E gignit. Ita enim diserte prodit Theophrastus. Certe nihil habebit, quo comparari possit araco. Mira profecto res illa, quæ de arachidne & planta simili araco ibidem memorat: φύλλον δὲ οὐδέτερον ἔχει τούτων, οὐδ' ὅμοια τοῖς φύλλοις, ἀλλ' ὥσπερ ἀμφίκαρπα μᾶλλον ἐστὶ καὶ φαίνεται θαυμάσιον. Plinius θαυμάσιον illud non expressit. Nihil enim apud eum extat, quod his verbis respondeat: ἀλλ' ὥσπερ ἀμφίκαρπα μᾶλλον ἐστί. In his enim ponit miraculum Philosophus. Negat illas radices folium ullum e terra emittere. Hoc non mirum. Nam & tubera infra terram latent, nec ullo folio aut ger-
F mine se exerunt. Asserit igitur illa quidem foliis carere, sed ἀμφίκαρπα magis esse. Non fuere hæc Plinio omittenda. Omisisse apparet, quia non intelligeret. Qui arachidnem volunt esse plantam vulgo vocatam *taratoufli*, ita ea verba accipiunt, quasi ea in superna parte fructum edat, & in ima, qua radix est. Sed non video, quî possit fructum supra terram ferre, quæ nec folium habeat nec aliud quidquam. Præterea alio loco idem Theophrastus ἀραχίδνην inter ea recenset, quæ fructum intra terram tantum gerant. Postremo vox ἀμφίκαρπον videtur tantum intelligi de ea re, quæ fructum utrimque edat, veluti oppositum &
G contra versum. Quod non de summo & imo capiendum, sed de duobus lateribus in planitie invicem oppositis, vel etiam pluribus in orbem cingentibus. Sic serpens ἀμφίσβαινα, qui utrimque caput habet & graditur. Ἀμφικέφαλος κλίνη, quæ ab utraque parte pulvinar habet. Ita domus ἀμφίθυρος, quæ utrimque fores habet. Ἀμφίκρημνος τόπος, ex utraque parte vel ab omni præceps. Et alia infinita, ut ἀμφίρρυτος, ἀμφίκυρτος, ἀμφιθάλαττος, & similia, de quibus videndum

A dum apud Grammaticos. Theophrastus igitur arachidnen, & illud ἀράκῳ ὅμοιον radices esse dicit fructiferas, quarum fructus intra terram. Φέρουσι γὰρ inquit, ἀμφότεραι καρπὸν οὐκ ἐλάττω ἢ ἄνω. Verba hæc mihi suspecta οὐκ ἐλάττω ἢ ἄνω, quæ ab illis videntur adsuta vel corrupta, quibus persuasum fuit has radices etiam in superna parte, id est, extra terram & in caule ipso fructum ferre more aliarum plantarum, quod omnino est contra mentem Theophrasti. Legendum itaque: φέρουσι γὰρ ἀμφότεραι καρπὸν ἐν τοῖς ἄνω, καὶ μίαν μὲν B ῥίζαν τὸ σαρκῶδες τοῦτο παχεῖαν ἔχει τὴν μεγάλην βάθος· τὰς δὲ ἄλλας, ἐφ' ὧν ὁ καρπὸς, λεπτοτέρας καὶ ἐπ' ἄκρῳ καὶ σχιζομένας πολλαχῇ. Ait igitur, has duas radices fructum ferre in superna parte, nempe radicis ipsius. Quod, quid sit, explicat. Unam quidem in utraque radice crassam & carnosam haberi, quæ deorsum rectâ se demittit: alias vero plures tenues ac multiplices, & ramosas, quæ hinc inde in summo sese expandunt, in quibus fructus. Hoc est, quod dixit, ambas illas radices ἐν τοῖς ἄνω καρπὸν ἔχειν, id est, in summo ipsius radicis. C Sic enim & paulo post loquutus est. Τὰ ἄνω τῆς ῥίζης de ea radicis parte, quæ in summo solo est: αὐξάνεσθαι δὲ πάντων δοκοῦσιν αἱ ῥίζαι πρότερον τῶν ἄνω καὶ φύεσθαι εἰς βάθος δὲ οὐδεμία καθήκει πλέον ἢ ὅσον ὁ ἥλιος ἐφικνεῖται. Radix illa crassa & carnosa, quæ altius in terram descendit, tam in arachnide quam in illa altera simili araco, multas alias in summo emittunt radiculas, quæ fructum habent. Fructus ille non alius est præter exigua quædam tubera, quæ fibris radicum adnexa sunt, qualia cernuntur in *tartuffis* & *arnottis* nostris. Hinc ἀμ-D φίκαρπα ea dixit Philosophus, non quasi καρπὸν ἀμφοτέρωθεν habentia, sed undique & in circuitu. Multiplices enim illæ radiculæ & ramosæ in orbem se spargunt à majore radice: & cum fructum undique sustineant, sic eam radicem ἀμφίκαρπον reddunt. Male Interpretes ἀμφίκαρπα illa sic expresserunt: *Sed quasi binorum fructuum partibus inter se oppositis fœcunda potius extant.* Nihil viderunt in illo loco. Notio quidem vocabuli ἀμφίκαρπος eam sententiam etiam adstruit, sed non mens Philosophi; apud quem eo loco ἀμφίκαρπον aliud nihil est quam κύκλῳ καὶ πανταχόθεν καρποὺς ἔχον, ut sunt tubera cir-E ca majorem illam arachidnæ radicem, quæ profundius agit se in terram, multis aliis in summo solo velut in orbem se spargentibus, quæ fructus habent. Idem quippe ἀμφὶ quod περί. Sed & illud ὥσπερ in illis ὥσπερ ἀμφίκαρπα, non refertur ad ἀμφὶ, sed ad καρπόν. Tanquam fructum esse dicit bulbos illos, qui circum undique adnascuntur majori radici, minoribus radicibus quasi fibris cohærentes. Sic supra eodem capite de œto Ægyptio, quæ radix erat magna atque edulis: ἡ δὲ ῥίζα μα-F κρά, καὶ ἔστιν ὥσπερ καρπός. Utramque radicem pariter jungit eodem libro capite primo, ubi differentias fructuum explicat, quæ positu constant. Alios quippe in arboribus fructus summa occupare arborum, alios media, alios infima in ipso stipite hærentes, ut in Ægyptia moro, quam sycomorum dicunt. Item quosdam fructus sub foliis nasci, nonnullos supra. Quasdam etiam plantas extare ibidem monet, quæ fructum sub terra ferunt, ut arachidnam & Ægyptium œtum: καὶ ὅσα καὶ ὑπὸ γῆς φέρει καρπὸν, οἷον ἥτε ἀραχίδνα καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οἶτον. G Non dicit ibi illa radicum tubera habere instar fructus, sed revera pro fructibus habet, & in eodem ponit parallelo cum arborum fructibus & pomis. Quod profectò miror. Si fructus sunt, multæ aliæ radices reperiuntur, quæ habeant tales. Cyperum olivis similes habet, & arisarum. Trasi quoque, quod esse volunt idem cum anthalio, & alia nonnulla, ut *tartufoli* & *arnotæ*. Sic sane & fructum sub terra nasci de trasio dixit Johannes Leo, quem & propterea Arabes *hab Azizi* appellant, id est, fructum Alziz. Vide, quæ notavimus supra. Sic tubera vocavit *poma* Martialis & Varro *rapa*. Hujusmodi denique radicibus nomina videmus ab antiquis posita fructuum, ut ἄπιος, χαμαιβάλανος, glandes, nuces terrestres, quæ notavimus ante. Quid hæc miramur, cum Hippocrates thuris grana dixerit καρπὸν λιβάνου & πυρῆνας, nucleos & fructum thuris? Alius poëta Græcus apud Athenæum myrrham & thus, καρπὸν Συρίας appellat. De quibus alibi. Qualem describit arachidnen Theophrastus foliis in totum carentem, nec quidquam extra terram emittentem, non potest esse eadem cum *tartuffla*. Sed quis vidit talem unquam plantam aut de ea audivit? Quin immo nec extare usquam puto in natura rerum. Cum multa eum scripsisse constet ex auditu; ita perperam multa ad eum relata fuisse, quæ temerè crediderit, & in litteras retulerit, certum est. De geranio vix dubito, quin & similem errorem erraverit. Alibi cum tuberibus idem facit. Τὸ ὕδνον, ὃ καλοῦσι γεράνιον. Alibi distinguit, & nihilosecius inter eas refert radices, quæ nihil germinis emittant: πλὴν εἰ ὅλως ἔνια μὴ ἔχει, καθάπερ, ὕδνον, πέζιξ, μύκης, γεράνιον. Sequentes rhizotomi nullum tale nobis geranium prodiderunt. Duas proposuit plantas hoc nomine Dioscorides, quarum quæ primo ab eo posita est, non dubito, quin sit geranium Theophrasti, cui radicem rotundam esse ait dulcem ac cibis usurpatam. Ita enim vetus codex: ῥίζαν δὲ ἔχει στρογγύλην, γλυκεῖαν, ἐσθιομένην. Atque ita etiam Oribasius. Quæ descriptio melius convenit geranio primo herbariorum, cujus radix rotunda instar arisari, vel ejus plantæ, quam habent pro arisaro. Est & geranium tuberosum ab ipsis vocatum, quod radicem tuberibus habeat similem. Hoc genus fortasse magis congruat geranio Theophrasti, quod & ab eo ὕδνον nuncupatur. Florem tamen & semen habet, & folia quoque non dissimilia priori generi, qualia Dioscorides ea describit, instar anemones foliorum, sed longioribus incisuris. Viderat tubera geranii tuberosi Theophrastus, quæ paria aliis tuberibus credidit, quibus folium nullum. Ideo & geranium modo cum ὕδνῳ sic propriè dicto idem existimavit, modo diversum quidem fecit; sed pariter ut illud foliis carere, & ἀπαραβλαστικὸν in totum esse affirmavit. Ita sanè & opinari fas est genuino errore radicem illam, quam ἀράκῳ similem statuit, & fructum sub terra ferre asserit, tradere illum sine foliis omnino esse. Etenim si araco similis, ut ille vult, qua in re similitudo sit, non video; nisi in folio esse dicatur, aut in semine, aut flore, aut totâ denique plantâ, vel radice ejus. Atqui si nihil habet præter radicem, nulla res erit, quæ paria facere cum illa poterit præter hanc. Hæc ipsa verò in totum dissimilis. Certè inde statuere posse videor, illud ἀράκῳ ὅμοιον Theophrasti, qui fructus habet sub terra, esse nostram arnotam, quam herbarii pseudoapion indigetant. Nam & hæc non dissimilis viciæ, oblongis foliis & subasperis, floribus puniceis, pisi æmulis; qui siliquulas postea producunt, quibus semen continetur. Ut non dubium sit, esse ex leguminum genere & quidem fortasse araco illi similem, qui Theophrasto notus fuit. Hoc eodem argumento facile patiar vinci, & arachidnam esse tartufoli; si dederis, inquam, habere eam folia & caules, quod perperam negavit Theophrastus, ut fecit etiam de geranio.

CAPUT

CAPUT CXVI.

De radice behem.

BEhem radix ab Arabibus prodita non parvi & ipsa erroris ex ὁμωνυμίᾳ & ob nominis communionem cum Hermodactylo. *Been* & *ben* perperam vocant ὁμωνύμως cum balano myrepsica. Hæc radix Arabicè nomen habet بهم & البهم, *behem* & *albehem*. Græci pronuntiant πεχὲμ, quia Arabicum *he* exprimunt per χῖ, ut ταμαρχένδι pro *tamarhendi*. De quo supra. Hinc apud Charitonem & alios medicos recentioris ævi πεχὲμ λευκὸν & ἐρυθρὸν, quod de hoc *behem* Arabico accipiendum: duorum enim est generum, album & rubrum. Ideo apud Avisenam, ubi de his tractat, per dualem numerum hoc nomen enuntiavit in titulo, بهمين *behemen*. Utrumque behem sic complexus est. Frusta esse lignea tradit ex radicibus siccatis contractis & corrugatis, quæ duûm sunt generum, candidæ ac rubentes. Hermodactyli quoque duplex genus Græcis recentioribus, album ac rubrum. Ἑρμοδάκτυλον λευκὸν καὶ ἐρυθρὸν vocant. Plerumque etiam Hermodactylum pro Arabico behem usurpant; cum tamen aliud sit, quod hoc nomine nuncupatur ab Arabibus, ut Myrepsus & alii. Ille quidem in Antidoto διὰ μαργαριτῶν Galeni, ita habet in Græco codice, ut testatur Fuchsius: μπεὲμ ἄλβε ῥέμπε τὸ ἐπιλεγόμενα εἶμαι Ἑρμοδάκτυλα μακρά. In regio codice eo loco invenimus scriptum Ἀρμοδακτύλε λευκὲ καὶ ἐρυθρε. Ita enim semper scribit vetus liber, Ἀρμοδάκτυλον pro Ἑρμοδάκτυλον. In antiquo Græco-arabico Lexico legitur: Μπεσαΐταν ἢ μάκας τὸ Ἑρμοδάκτυλον. Ubi μπεσαΐταν scribitur pro βεσαΐδαν. Estque Arabicum بوزيدان *buzidan* vel *buzaïdan*. Avisena medicinam esse dicit ligneam Indicam, simili virtute præditam cum utroque behem. Adulterari dicit solitum illud lignum alia specie, quæ vocatur *allhaba Barbarie*. Radix est, quæ ex Africa afferebatur, quæ Barbaria dicitur Arabibus, hodieque sic nomen habet. اللعبة البربرية, *Allaaba Barbarie*. Malè apud eum scribitur capite, quo speciatim de ea tractat, لعبة البري, *lhabe alberi*, quod esset lhabe silvestre, pro لعبة البربري, *laabe Alberberi*, id est, lhabe Barbaricum sive Africanum. Eo capite tradit, lhabe illud Barbaricum rem esse similem Hermodactylis, quæ adfertur ex partibus Africæ, qua adulterantur Hermodactyla. Ergo tam *buzidan* quam *Hermodactyla* adulterari solent illa radice Africana laabe appellata. *Buzidan* autem pari facultate pollent ac behem. Sic non multum distabant Hermodactyli à radicibus behem, quandoquidem una eademque res adulterat Hermodactylos, & buzidan, quæ similis est *behem*. Non mirum proinde, si & Ἑρμοδάκτυλον Græci recentiores pro behem dixerunt. Pro Hermodactylis in Arabico est السورنجان, *alsurengian*. Quo nomine Arabes vocitant Græcorum Ἑρμοδάκτυλον. Dicendum igitur, quid sit. Non idem propriè Ἑρμοδάκτυλον, quod *surengian*, sed quod Græcis Ἑρμοδάκτυλον dicitur, flos est ejus plantæ, quam Arabes *surengian* appellant. Ita quidem auctor est Avisena, qui appellat اصابع هرمس, *asaba Hermes*, id est, digitos Mercurii, quod planè respondit Græcæ voci Ἑρμοδάκτυλον. Dicit esse florem alsurengian, & paris cum surengian facultatis. Ergo Hermodactylum flos est, surengian planta. Hermodactylum pro planta sive radice illius plantæ passim usurpant. Hinc interpres satis ineptè *asaba Hermes*, digitos Mercurii Latinè nominat, & florem esse dicit Hermodactyli, quasi quidquam intersit inter digitos Mercurii & Hermodactylos. *Surengian* porro idem

A Avisena radicem esse plantæ scribit, cui flores albi & citrini. Interpres *Hermodactylum* vertit, cum ut dixi, flos propriè vocetur *Hermodactylus*, vel quod idem valet Arabicè, *asaba Hermis*; planta verò sive radix *surengian*. Græcorum, qui Ἑρμοδακτύλε meminerint, antiquiorem non alium scio Paulo Ægineta. Is de Hermodactylo hoc tantum tradit peculiariter articulorum doloribus conducere, dum humor in cursu est. Per Ἑρμοδάκτυλον intelligit genus illud ephemeri, quod non est venenum. De eo etiam scribit Dioscorides οἰδήματα καὶ φύματα διαφορεῖν. Arabes

B podagræ dolores sedare illitum produnt. Hoc eorum Hermodactylum album, quod & *surengian* vocant. Sed duas herbas hac eadem appellatione donarunt, homonymiâ decepti. Colchicum lethalis herba ex genere bulborum, quod Græci ἐφήμερον appellarunt, quia tam præsentaria sit pestis, ut intra diem interficiat. Alia autem herba est eodem nomine, quæ & iris silvestris cognominata, minimè noxia. Hæc est fortasse, quam Græci etiam Ἑρμοδάκτυλον dixerunt. Radix quippe ejus longa & crassitudine digitali: ῥίζα δ' ὕπεστι δακτύλε πάχος, μία, μακρά. Hinc

C eam vocasse videntur Ἑρμε δάκτυλον. Quod nomen ex merito magis competit radici quam flori. Sic *asaba safra* radix alia apud eosdem Arabes, quæ à colore & digiti similitudine in *flavi digiti* appellationem cooptata est. Sanè de Hermodactyli effectu paria traduntur à Paulo, quæ ab Avisena de altero surengian, quod non est venenum; juncturarum nempe doloribus conferre, cum maximè influit humor. Unicum igitur genus Hermodactyli Græcis notum, ephemerum scilicet innoxium, quæ & ἶρις ἀγρία Græcis. Huic radix longa digiti crassitudine & similitudi-

D ne, & sic quoque nomine digna. Alterius verò ephemeri rotunda & bulbosa nihil prorsus habeat, quo mereatur hanc appellationem. Arabes tamen utrumque ephemerum appellant *surengian*. Vetus Herbarius Arabs τὸ Κολχικὸν Dioscoridis, quod est ephemerum lethale, interpretatur سورنجان. Alterum autem ephemerum, quod continenter sequitur apud Dioscoridem exponit نوع اخر السورنجان, id

E est, speciem alteram surengian. Sic diviserunt hoc genus in duas species, albam & rubram. Rubra est Κολχικὸν sive noxium ephemerum, quia radix ejus corticem habet rubentem. Nigrum & rubrum surengian vocat Avisena, & venenum esse dicit. Hoc ideo, quia fructus illi in nigro rubescit. Dioscorides de Colchico: καρπὸν ἔχοντα πυῤῥὸν ἐν τῷ μέλανι, ῥίζαν φλοιὸν ἔχουσαν ἔγκιῤῥον. Ita optimus atque antiquissimus codex. Quod & confirmat Neophytus. Vulgò de radice hoc habetur, non de fructu, φλοιὸν ἔχουσαν ἔγκιῤῥον ἐν τῷ μέλανι. Hoc

F igitur rubrum Hermodactylum impropriè. Nam id nominis soli ephemero convenit, cui radix longa, & ad instar digiti crassa. Hæc est, quam album Hermodactylum vulgò vocant, cum sola sic dicatur apud Paulum Æginetam. Avisena, qui *digitum Mercurii* florem esse surengian dicit, de utroque genere intelligit. Hinc plantam sive radicem utriusque ephemeri *Hermodactylum* Barbari nuncuparunt. Notandus & alius Avisenæ error, qui surengian tradit radicem esse plantæ, florem ferentis album & luteum. Ita enim in Arabico: *cui rosa alba & lutea*,

G ورد ابيض واصفر. Atqui hoc falsum. Nam utrumque ephemerum florem habet candidum. Malè accepit Dioscoridis verba, qui de Colchico dicit: ἀνίησιν ἄνθος λευκὸν, ὅμοιον κρόκε ἄνθει. Ita nimirum intellexit, quasi legeretur, ἄνθος λευκὸν, καὶ ὅμοιον κρόκε ἄνθει: Florem album & croci flori similem, id est, croceum. Atqui similitudinem tan-

tantum, non colorem de croci colore indicat auctor. Croci floris instar habet flos Colchici, sed est candidus. Plinius alterius ephemeri florem cæruleum facit, qui albus est. Nec putandum, auctorem hujus sententiæ habuisse aliquem. Imposuerunt ei suæ aures, cum κυάνεον ἄνθος audivit pro χιόνεον, anagnoste legente. Sic alibi eum peccasse, in sexcentis supra probavimus. Pentaphyllum herbam etiam Ἑρμοδάκτυλον dixere. Auctor Synonymorum Dioscoridis: Προφῆται ἴβεως ὄνυξ, οἱ δὲ πτερὸν ἴβεως, οἱ δὲ Ἑρμοδάκτυλον. Similia habet Apulejus subditivus in Herbario capite de Pentaphyllo: *Propheta ibeos onyx, hoc est, unguem ibis, alii pteron ibis, id est, pennam ibis, alii Hermodactylon.* Ἀνθρωπόχειρος etiam nominarunt, & Ἑρμοῦ βοτάνην, ut ex Lexico Harpocrationis didici. Articulorum & coxendicum doloribus medendis hæc etiam idonea. Et fortasse de hoc Hermodactylo intellexerit Paulus, quem sic vocavit. De ephemero non accepisse illud indicio est, quod ἐφήμερον seorsum recensuit; item Colchicum. Serapio tamen Ἑρμοδάκτυλον Pauli de altero ephemero, quod non est lethiferum, accepit. Huic propriam virtutem assignant sanandi dolores juncturarum. Quod de innoxio ephemero intelligi debet, non de venenato. Nam Abix apud eum tradit ex duobus Hermodactylis meliorem haberi, qui radicem exterius & interius habet candidam. Nam nigrum & rubrum perniciem afferre. Κολχικὸν designavit, cujus duo genera facere videtur, nigrum & rubrum, cum unum sit in nigro rubescens. Eodem errore Avisena florem croceum & candidum eidem attribuit, cum candidus tantum sit, sed croco de facie similis. Addit apud Serapionem Abix errare, qui putant, esse *lagiam agrestem*, quæ defertur ex Africa: Ita interpres. Sed omnino pro *lagia* debet legi *labia*. Hæc est *laaba* vel *lhabe* Avisenæ, quam similem Hermodactylo tradit; qui & Hermodactylum ea adulterari scribit. Notant interpretes Arabici, illud lhabe parvo raphano esse simile, & ex genere Hermodactylorum à quibusdam statui, & appellari etiam ab Arabibus *buzeiden*. Sed solo differunt natali. Hoc Indicum, illud Africanum, ex Barbaria, id est, Africa. Apparet etiam, interpretem Serapionis legisse in Arabico, ut etiam legitur vitiose apud Avisenam: لعبة البري *laabe alberi*, id est, laabe agrestis, pro eo quod debet legi البربري, *Alberberi*, id est, ex Barbaria, quod ex Africa. Adeo igitur inter se similes facie ac effectu Barbarica illa labia, & Hermodactylus sive ephemerum alterum, ut quidam eamdem putarint plantam; alii autem speciem alteram alterâ adulterarent, Hermodactylum nempe labiâ. Facultatem faciendi corporis laabæ illi tribuunt iidem Arabes, ac mulieres eâ uti ad corpus augendum, quod vulgo dicimus *embonpoinct*. Eadem etiam virtute præditum behem teste Avisena, quod Græci recentiores Ἑρμοδάκτυλον quoque appellant. Apud quos, quoties quidem de Hermodactylo simpliciter occurrit mentio, de pentaphyllo aut de altero ephemero id audiendum. Quoties autem Ἑρμοδάκτυλος λευκὸς καὶ ἐρυθρὸς apud Myrepsum & alios nominatur, de behem rubro & candido scias tibi capiendum. Medicinis eas species adhibet ut plurimum cardiacis, cordi corroborando & corporis imbecillitati confirmandæ, & ad cordis palpitationes, qua præcipuè virtute utrumque behem valere idem auctor est Avisena cum aliis Arabibus. Cum in eodem medicamento pariter ingrediuntur Hermodactylum rubrum & candidum, de Arabum rubro & candido

A Hermodactylo intelligi non posse vel inde colligas, quod diversa censentur proprietate, nec ad idem remedium queant adsumi. Quinimmo rubrum Hermodactylum, quod est Κολχικόν, pro veneno prorsus habetur, tam Græcis quam Latinis auctoribus, nec ullum in medicina locum habet nisi occidendi. Ergo nec illi in medicina locus, quæ adversus noxia remedium parat potius, quam ea pro remediis habet. Aquam, in qua decocta fuerint folia Hermodactyli, potam doloribus articulorum leniendis esse volunt: quod de albo Hermodactylo sive ephemero altero accipi par est, cui abest facultas deleteria.

B Apud Myrepsum Ἀντίδοτος διὰ Ἑρμοδακτύλων habetur ad podagricos & arthriticos, quæ non potest nisi de hoc Hermodactylo longioris radicis intelligi. Fallitur igitur Brassavolus, qui ex Mesue sententiâ perfectiorem esse rotundum Hermodactylum dicentis, ad ea ad quæ valet intelligi vult, nimirum ad articulorum causas. Atqui rotundum Hermodactylum, quod est Colchicum, non convenit articulis, nec ad eam rem bibi potest citra perniciem. Rotundum sanè Hermodactylum de Colchici radice bulbosa & rotunda accipi debet.

C Nam alterum, cui radix longa, Ἑρμοδάκτυλον μακρὸν dici potest. Glossa tamen Myrepsi Ἑρμοδάκτυλα μακρὰ vocat ambo behem. *Achimeron* apud interpretem Serapionis legitur pro *ephimeron*, quia nimirum legit in Arabico اقيمرون uno apice amplius quam par sit, pro افيمرون. Diversa igitur Græcorum *Hermodactyla* ab Arabum *Hermodactylis*. Digitos Mercurii vocant Arabes florem herbæ *surengian*, quo nomine utrumque ἐφήμερον appellant.

D Græci verò, quod Arabibus behem rubrum & candidum vocatur, ipsi vocant Ἑρμοδάκτυλον λευκὸν καὶ ἐρυθρόν. *Buzidan* Arabum etiam nominant Hermodactylum, quod est simile behem albo. Genus esse satyrii volunt, atque ita Serapio interpretatur. *Satyrium basilicum* vulgò appellant, & officinæ *palmam Christi*. Buzidan Arabum cum digitis citrinis Avisenæ idem esse, doctissimi Medici contendunt. Brassavolus, quem sequitur Fuchsius, Avisenam tractasse dicit de buzidan: malè *bucheiden* vocat, sub titulo de digitis citrinis. Atqui duo

E capita sunt apud Avisenam de buzidan & de digitis citrinis, & diversæ omnino res sunt. Solet ille quidem plerumque diversas appellationes ejusdem rei diversis capitibus reddere, sed de eo semper admonet. Digiti citrini sive *asaba safra* formam habent, sicut ipse tradit, volæ manûs. Vocat الكف, *alcaf*: idem hoc quod Hebræis כף. Palmam propriè significat vel manus partem cavam, à verbo כפף, quod est curvare. Unde & cochleare &

F instrumentum convavum, & plantam pedis denotat. Lexicon vetus Latino-arabicum *pugillum* & *alapam* interpretatur, quia plana palma datur. Unde & *depalmare*, κολαφίζειν. *Palma Christi* vulgò vocatur hæc radix ab eadem similitudine. De digitis citrinis tanquam de vulgari radice loquitur Avisena. At buzidan ex India afferri dicit. Digiti citrini & de nomine ipso, quo colore sint, indicium faciunt. *Buzidan* verò album est. Simile behem albo dicit Serapio, & album esse ipsum, ac medicinam Indiæ. Non igitur idem potest videri buzeiden cum digitis

G citrinis. Nec melius sentit Scaliger Julius, qui pronuntiat id esse, quod Gallis pictoribus dicitur *terramerita*. Idem est cum curcuma officinarum, eoque diversa à digitis citrinis.

CAPUT

CAPUT CXVII.

De galanga.

EST & alia radix multæ inter eruditos ambiguitatis. Ea dicitur Arabibus خولنجان *chaulengian*, vel *chaulangen*, atque etiam, ut aliis ſcribitur, *culungen*. Græcis γαλάγγας & γαλάγκας. Sic vocatur Paulo Æginetæ & Aëtio. Ita μαμίρας illis, quæ *mamiran* Arabibus. Qui Arabiſmum de proximo æmulati ſunt ex recentioribus Græcis, χαυλίζεν dixere. Lexicon Græco-arabicum: χαυλίζεν τὸ γαλάγκαν. Item Saracenicum ex libro Viatici: χαυλίζεν, ὁ γαλάγκας. Planè idem eſt, quod *chaulıgen*, more ſcribendi ac pronuntiandi Græco pleriſque orientalibus uſitato. Alii κολυτζίαν ſcripſere pro *culugian*. Aliud Lexicon Arabicum: Κολυτζιά, τὸ γαλάγκαν. *Caluegiam* hodie Arabes eam radicem vocare notat Garcias, qui duo genera ejus facit, majorem alteram Indiæ peculiarem, alteram minorem ex Sinarum regione afferri ſolitam. Hanc minorem volunt quidam eſſe cyperi orientalis genus, & *cyperum Babylonicum* appellant. In Italiam ex Syria & Memphi vulgo transferri. Sed ſi apud Sinas tantum naſcitur, ut auctores ſunt Garcias ab Horto & Chriſtophorus à Coſta, atque inde advehitur in Indiam cum rheo Barbaro (quod & ipſum Sinarum ſoli proprium eſt) non video qui poſſit haberi eadem cum cypero Babylonico rotundo. Aviſena ſub nomine *chaulegian* minorem galangam & Sinenſem exhibere credendus eſt ex notis, quas aſſignavit. Ita enim vetus interpres: *Galanga, fruſtra involuta rubea, & nigra.* Hæc ſatis involuta mihi & obſcura. Quid enim, quæſo te, fruſtra vocat involuta? Radices implexas & convolutas accipere poſſis, & ſic vulgo faciunt. Dioſcorides radices acori διαπεπλεγμένας pari modo vocat. Quo uno argumento Vir magnus Leonicenus galangam vulgarem cenſebat eſſe acorum. Sed alia obſtant. Galangæ radix rubra eſt & nigra. Acori ὑπόλευκος Dioſcoridi, pallida vel ſubalbida. Præterea non advertunt, Dioſcoridem loqui de radice integra acori, & qualis exiſtit intra terram. Plantam enim cum ſuis omnibus partibus vivam virentemque deſcribit. Radices itaque ſuas ait acorum non in rectum mittere, ſed in obliquum, & convolutas implicitaſque eſſe, multis nodis geniculatas. De galanga autem ſermonem facit Aviſena, qualis è Sinarum regione adferebatur: fruſta eſſe dicit, radicum nempe fragmenta, quæ neutiquam involuta dici poſſunt aut implicita. Sane talis forma non eſt galangæ vulgaris, ſive minorem ſumas, ſive majorem. De quo ſupra. In Arabico eſt: قطاع ملتويه. Interpres videtur legiſſe ملفوفه vel ملتفوفه, à verbo التف vel تلفف, quod involvi, implicari & convolvi ſignificat. Unde in antiquo Gloſſario: *convoluta eſt*, التفت. Verum, ut dixi, hæc ſignificatio parum convenit fruſtis illis galangæ, qualia vulgo viſuntur. Melius fortaſſe legerim unico apice addito, ملثوبه, ac deduxerim à لثة, quod non ſolum gingivam, ſed etiam furcillam notat. Inde لثويه gingivales litteræ. Furcillares etiam poteſt. Hinc ergo & ملثوبه, furcillata & furcillæ figuram habentia. Ita eſt galanga minor, quaſdam veluti furcillas & cornicula oſtentat. De ea ſola loquuntur Arabes auctores Serapio & Aviſena, cujus locus ſic ad verbum vertendus: *Galanga quid eſt? fruſta ſunt furcillata, rubentia & nigra, acuti ſaporis cum odoris flagrantia, levia; & adferuntur è regione Sinenſium.* Addit ex ſententia Meſargiune, ipſiſſimum eſſe *chaſerudar*, ſed ibi vocatur خسرودارو. *chaſerudaru.* Hoc repetit & ſub titulo de *chaſerudar*, ubi ſcribitur in lemmate خسروداروا, *chaſerudarua.* De ſolo minori genere verba facere Aviſenam, fidem facit; quod à Sinis afferri dicit. Nec de alia loqui vult Serapio his verbis apud interpretem: *Chulungen, id eſt, galanga, eſt vena craſſitudine caſiæ ligneæ, & cortex ejus eſt rubeus, & & interius ejus eſt pulverulentum. Defertur ex Sini.* Quod craſſitudinem illi tribuit caſiæ ligneæ, id eſt, canellæ, & deferri ex Sini dicit, de minore galanga id accipiendum res ipſa monet. Hæc ſola quippe ſpecies venit ex Sini, & eam craſſitudinem agnoſcit. Fruſtra igitur & Garcias capite de Galanga, qui incertum haberi ſcribit, ſub quo nomine Sinenſem galangam deſcripſerint Arabes, quæ minor eſt ac melior; aut Javenſem, quæ major & ignavior. De Javenſi ac majori genere nuſquam illi Arabes, ſed de ſolo Sinenſi agunt. Nec quod duo capita de galanga habeat Aviſena, alterum ſub nomine *chaulengian*, alterum ſub *chaſerudarua*; propterea intelligendum, ſicut fecit Garcias, de duobus galangæ generibus ſcribere voluiſſe. Immo aperte in capitulo de Galanga, tradit eſſe chaſerudar بعينه, *behaine*, in ipſiſſima ſubſtantia. Nam عين, *ain*, adjectivum Arabibus, quo res eadem ſignificatur. Item capite de Chaſerudarua, plane affirmat eſſe idem cum chaulengian. Quod ad majorem galangam attinet, ſimilem zingiberi eſſe, ut credamus Græcis auctoribus quibuſdam, facile obtinent neoterici, qui pariter zingiberi eam comparant. Gloſſæ medicæ Græcorum: Γαλάγκας ἔοικε ζιγγίβερι. Non diſtinguunt illi tamen inter minorem ac majorem galangam, ut nec Arabes, qui unum tantum genus faciunt ac de Sinenſi ac minori intelligunt. Dubitant autem nonnulli eruditi ac ſcientes herbarum, an galanga major officinarum legitima ſit, quia iridis radicibus ſimilior videatur quam zingiberis, atque inde ſuſpicantur galangam noſtram majorem genus iridis eſſe. Sed fruſtra corripuit illos hæc ſuſpicio. Zingiberis radices etiam quadamtenus referunt iridis radicum effigiem. Galangam cypero ita aſſimilant quidam, ut velint cyperi ſilveſtris genus eſſe. Dioſcorides quoque de zingibere id definit: ἔστι δὲ ῥιζία μικρὰ ὥσπερ κυπείρου ὑπόλευκα, πεπερίζοντα τῇ γεύσει, εὐώδη. Diceres eum loqui voluiſſe de minore galanga. Hoc enim de zingibere dici non quit, radiculas eſſe parvas, cyperi formâ. Immo unice in galangam minorem hæc quadrant. An igitur zingiber Dioſcoridis, galange eſt minor? Audacter id pronuntiarem, niſi vetaret color: ὑπόλευκα eſſe ait. Galanga rubra eſt. Quinimmo & zingiberis radicem rubram eſſe naturâ refert Ludovicus Romanus, ſed cretâ aut aquâ calcis illini adverſus teredines. Sanè & albæ ſunt & rubræ, quas rubricâ vel bolo Armeno exterius infici etiam narrant. Quodcumque ſit, zingiberis non ſunt radiculæ, ſed radices interdum ita craſſæ, ut undecim uncias pendant. Refert hoc idem Ludovicus Romanus. Si de vero zingibere intellexit Dioſcorides, certè lapſus eſt. Et puto hanc illi erroris cauſam extitiſſe. Auctor, unde accepit, de ſpeciebus Indicis tractabat. Dicebat igitur ille, zingiberis radicem ſimilem eſſe cypero. Quod de Indico erat accipiendum. Dioſcorides de communi interpretatus eſt. Hinc de ſuo adfinxit radiculas

ſim plurimis Indiæ locis provenit, ſponte ac ſatu. Hæc zeruba Garciæ & zerumbet. Serapio vero ſub nomine zurumbet utrumque genus videtur complexus, confuſa zedoariæ & zerumbeti deſcriptione. Nihil ſanè certius, quam zedoariam vulgarem eam eſſe, quam Garcias vocat zerumbet, & zerubam à Perſis ac Turcis appellari dicit. Hinc vetus interpres Aviſenæ in expoſitione Arabicorum nominum: *Zerumbet, id eſt, zedoaria.* Garcias in hiſtoria Aromatum ait, zerumbet vocari *cachoraa* in Guzarate, Decan & Canarà. Invenio *caco* vocari in Luſitanorum ſcriptis, ubi meminere *pucho*, *caco ex Cambaia.* Cæterum pucho coſtum eſſe linguâ Malacenſi dicit Garcias. *Caco* igitur ibi zedoaria, ſermone illinc hominum. Quam bene illa duo jungantur, ſciunt illi, qui zedoariam inter coſti genera referunt. Odoardus Barboſa aliquot locis zedoariam à zeruban, quod eſt zerumbet, diſtinguit. Sed & in æſtimatione uſuali mercium Indicarum, qualis viget in emporiis Indicis, duplo majus pretium conſtituit zerumbæ quam zedoariæ. Quod profecto mirandum. Nam contra eſt. Si de vulgari zedoaria accipimus, eadem planè cum zerumbet. Si de altera, quæ à zarumbet diverſa habetur, longe in majore apud Indos pretio quam zeruban. Et ratio eſt raritas, quæ annonam in ſingulis rebus accendit. Zedoar vel geduar, quod aliud eſt à zerumbet, apud Sinas tantum naſcitur & provinciis Sinenſium finitimis. Ideo magno etiam apud Indos ipſos emitur, quibus è Sinenſium regione adfertur. Soli magnates & Reges illud emere dicuntur, à certo hominum genere, quos Indi vocant *Jogues*, qui circumforanei ſunt propolæ. At zerumbet, quæ vulgaris eſt zedoaria, vili venditur, utpote copioſè proveniens in Malavar & Calecut; quibus locis ſponte naſcitur, & aliis quibuſcunque, ſi ſeratur & pangatur. Silveſtre id zingiberis genus. Hæc zedoaria vulgo nuncupata. Exceptâ patriâ cætera, quæ de zerumbeto prodita ſunt ab Arabibus, adpoſitè etiam dicantur de zerumbeto Garciæ & zedoaria vulgari. Zedoariam rurſus Aviſena in remediis venenorum præfert zerumbeto, & nullam eâ efficaciorem theriacam adverſus venena reperiri poſſe tradit. Zerumbetum etiam proximum eſſe zedoariæ in hac facultate, diſertim fatetur. Ergo præſtantius zedoar zerumbeto. Idem tamen zedoariam fruſta eſſe dicit radicum. Quod unice quadrat in zurumbetum Garciæ, quod ſolet ab Indis concidi in varias particulas rotundas & longas. At zarumbet Sinenſe radicem eſſe integram videtur innuere, cum ſcribit radices eſſe plantæ cypero ſimilis. Idque magis congruit zedoariæ Sinicæ Garciæ, nec longè abit à cyperi longioribus radicibus, quæ olivarum inſtar habent. Eam ille diſcribit glandis magnitudine parique formâ, colore ſublucido. Nihil præterea addit. Caram hanc admodum raramque etiam Indis ipſis autumat, ut puta ex Sinarum regione adferri ſolitam. Commune autem zedoar paſſim in India reperitur, radixque eſt craſſa, doroniço ſimilis, ut ex Gloſſis Arabum notat Bellunenſis. Quin immo & Græci in ſuis Lexicis doronicum interpretati ſunt zedoar. Lexicum Græco-arabicum: ζυρυνιζὶ, τὸ ζαδοάρ. Ita vocat doronicum. Charitoni δυρυνὶζ. Alii ariſtolochiæ ſimilem faciunt, ut Serapio & Aviſena. Sed interim notandum, Aviſenæ zedoariam, quam à zerumbet aliam facit videri, tertium genus tam à Sinenſi zedoaria, quam communi diverſum. Quippe qui velit ad napelli radices eam naſci, & cum napello creſcere, vimque illius veneni infringere, adeo ut efficaciſſimum ſit ejus antipathes. Nam canone ſecundo capite de zedoaria, eam optimam zedoariæ ſpeciem eſſe docet, quæ cum napello naſcitur. Item lib. II. de medicinis cordialibus, zedoariam ſcribit plantam eſſe ſimilem ariſtolochiæ, quæ cum napello naſcitur, & vim ejus debilitat. De zarumbeto hoc idem memorat Serapio, ſimilem nempe eſſe ariſtolochiæ rotundæ. Addit ibidem Aviſena, exiſtimare quoſdam eſſe plantam, quæ nominatur *biſbua*, ſcilicet *napellus moyſi.* Ita enim reddit interpres. Zedoaria hæc Aviſenæ, quam cum napello creſcere ait, non poteſt videri eadem cum Indica zedoaria, ſi vera dicit Gar-

A cias, napellum apud Indos non gigni. Zedoaria illa cum napello naſcens erit vulgaris Herbariorum *antora.* Græci recentiores anagallidem, quæ venenis etiam reſiſtit, & adverſus ſerpentium morſus valet, ἀντῦραν vocant, atque à Romanis ita vocari aſſerunt. Neophytus de anagallide punicea: Ῥωμαῖοι μάκια, οἱ δὲ ἀντῦρα. Item de altera cærulea: Ῥωμαῖοι μεκιάτυρα, οἱ δὲ ἀντῦρα. Idem hoc nomen eſt cum *antora* Neotericorum, de qua illi conſulendi. Quod addit Aviſena, quoſdam opinari eam herbam, quæ *biſbua* dicitur, de hoc nomine varia traduntur ab interpretibus & ipſo Aviſena. *Napellum moyſi* vocant Barba-
B ri, quod ex Arabico vocabulo confinxerunt vel depravarunt potius بيش موش *bis mus.* Nam *bis* napellum ſignificat, pro illo *mus* dixerunt *moyſi* & napellum moyſi fecerunt, cum potius deberent dicere *napelli mous* vel *napelli mouſi.* Nec enim napellus eſt moyſi, illa planta ſed eſt *napelli mus*, quo napelli venenum vim amittit ac inefficax redditur. Herbam eſſe ſic appellatam eo loco, quem paulo ante adduximus, teſtatur Aviſena, eadem cum zedoaria quibuſdam habita. Idem vero canone ſecundo cap. CCCCXCIX.
C de napello agens, animal eſſe dicit, quod napello veſcitur, maximum napelli antipathes, & vocat فارة البيش *fara albis.* Quod murem napelli Latinè ſonat. Nam فار Arabicè eſt mus. Idem vero capite ſequenti بيس موش دوا *biſmus bua* appellat eam herbam, quæ cum napello ſurgit, & cui ſi napellus proximus ſit, creſcere prorſus non queat. Addit ſub finem capitis, & *napellum moyſi* animal eſſe circa radices napelli, muris inſtar habens, & napello victi-
D tans, quod etiam efficaciſſimum habetur antidotum adverſus vim napelli. Caput illud in Arabico non invenio. Sed lib. IV. tractatu, quo venena ex plantis perſequitur capite de Napello, meminit hujus animalis, quod بيس موس *biſmus* appellat & eſſe dicit tanquam فارة *fara*, id eſt, mus napello veſcens. Ergo موش *mux* illud Arabicum idem fuerit cum Latino *mus*, quandoquidem ipſe interpretatur *fara.* Herbam tamen etiam hoc nomine appellari planè in-
E dicat. Hinc in veteri expoſitione Arabicorum nominum ſic legitur: *Napellus moyſi eſt herba naſcens cum napello. Napellus vero moyſi eſt animal, quod in radice napelli moratur, & eſt theriaca omni veneno.* Sic tam herba eſt quam animal eodem nomine. Ubicunque autem legis apud interpretem *napellum moyſi*, ſcias in Arabico extare بيس موس *biſmus.* Non igitur *mus* vel *mux* nomen animalis, quandoquidem & herbæ tribuitur. Ex eo capite Aviſenæ colligi poteſt, cum de herba ſumitur, vocari *bix mux bua*, بيس
F موس دوا cum adjuncto illo *bua*, quod pleriſque herbis peregrinis & ab orbe externo petitis legitur adjectum. Ut *giauz bua*, nux muſchata; *hirbua*, *chairbua*, & ſimilia. Herba illa napelli inimica ex India afferebatur, quibus in locis negant reperiri napellum. Alpagus in Indice Aviſenæ: *biſmus bua*, *napellus moyſi.* Hoc de herba intellige, quam ſub nomine *bua* alibi rettulit, & ſecundum gloſſam Arabicam plantam eſſe adnotat, quæ dicitur *gjeduar*, cujus radix ex India adfertur. At *biſmus* ſimpliciter de animali uſurpatur, quod napello veſci-
G tur. In utroque cauſa nominis ab effectu, qua valent adverſus venenum napelli. Quærenda itaque hujus nominis ratio ac ſignificantia in dictione موش. Verbum eſt quod ſignificat inique agere, fraudare. Unde futurum تموش apud interpretem Arabem Pentateuchi pro Hebraico תְּעוֹלֵל Deuter. XXIV. XXI. pro

pro racemabis. A verbo עולל. Quod habet ſignificationem fraudandi, injuria afficiendi, & deturpandi. Vetantur ibi, qui vindemiarunt, racemationem facere; quia relinquenda eſt inopibus, qui hoc pacto fraudantur, ſi quod illis debitum eſt eripitur. Generaliter verbum illud Hebræis conari aliquid, agere, efficere denotat. Inde ad varias notiones accommodatur, pro loci ac rei neceſſitate. Quidam deducunt ab עול, id eſt, iniquus & perverſe agens ac turpiter. Inde & vinea dehoneſtari ac turpari videtur detractis racemis. In eo certe ſignificatu ponitur, ut detrahere, quod reliquum eſt & funditus omnia corradere denotet. Quod faciunt, qui vindemiam ſimul ac racemationem faciunt. Hinc vulgari loquutione *vindemiatum* aliquid eſſe dicimus, quod funditus ſublatum eſt atque everſum. Idem igitur ſignificat eo loco verbum موس, quod poſitum eſt pro Hebraico עולל, corradere ac detrahere, quod reliquum eſt in vinea poſt vindemiam, & ſpoliatam ex toto nudatamque relinquere. Ita ergo tam herba, quam animal, quod napello vim ſuam eripit, ac naturali facultate privat ac ſpoliat بيش موس, *bis mus* appellatur. Conſueta quidem Arabibus ſyntaxis poſtulabat, ut potius diceretur *mus bis*. Sed in compoſitis aut quæ vicem compoſitorum obtinent, hoc non perpetuo ſervant. Quin ſæpe ſolent in talibus ex duobus ſubſtantivis, quod regitur, interim præponere, interim poſtponere. *Xir* lacteum & gummoſum ſuccum ipſis ſignificat. Dicunt ergo *xiremblegi* شيرامبلغ, & *xirkeſt* شير خشت. Sed nihilo ſecius etiam dicere ſolent *tabaxir*, & *giauxir* ὀπὸν πάνακος (de quibus ſupra) & *kemaxir*, كماشير.

De *buha* dubito, an eamdem heic ſignificationem habeat, quam habet adjunctum vocibus *gianzbua* & *hilbua*. Et fortaſſe non idem nomen eſt. Interpres vetus ſemper cum aſpiratione ſcribit. Illud autem *bua*, quod adjectivum eſt, per *bave* vel *bague* exprimit, aut ſine aſpiratione enuntiat. Nondum incidi in locum Aviſenæ, ubi Arabice ſcribatur. Nam caput de *biſmus bua* deſideratur in Arabica Editione. At lib. v. ubi de venenis herbarum tractat, in capite de napello nulla mentio in Arabicis *buha* aut *biſmus buha*, quæ habentur in verſione interpretis. Sic enim ſcribit: *Et buha ſeu bis mus buha.* Apparet ergo, *buham* per ſe nomen illius herbæ eſſe. Et ita Alpagus eam recenſet in indice, & ex gloſſa Arabica interpretatur *geduar*. Quæ herba ſive radix dicta eſt etiam *biſmus* ab effectu, quo pollet adverſus napellum, haud ſecus ac ipſum animal, cui nomen ab eadem virtute factum. Et ſane ſi herba illa juxta napellum creſcit, non ex aliis locis venire poteſt quam illud animal, quod circa napellum moratur. Arabice videtur ſcribi جدوار.

Cæterum de illo animali, quod napello veſcitur & napelli eſt antidotum, quid ſit, neſcire ſe, nec vidiſſe unquam medici noſtri fatentur. Doctiſſimus Lobellius inter cæteros, plures ſe napelli radices eruiſſe jactat, nec unquam iſtum murem inveniſſe. Quod ridiculum eſt. Quaſi mus ille radicibus napelli ſit alligatus. Circa plantam napelli, qua & victitat, ſimpliciter intelligendum, muſcas eſſe, quæ napello ſemper inſidant & alimentum ex eo trahant, convenit inter noſtros. Quæ muſcæ utiliter etiam dari dicuntur adverſus venenorum pocula. فار quidem Arabice mus dicitur, ſed notandum quoties de illo animali napelli loquitur Aviſena, nunquam فار dicere, ſed فارة *fara*. Alias ſemper فار *far* dicit pro mure etiam in numero ſingularitatis, ut videre eſt in capitulo de mure. Sed & herba, quæ Græcis μυὸς ὦτα vocatur, Arabice nomen habet *adan alfar*, اذن الفار, auricula muris. Placebat tamen Viro Arabice eruditiſſimo,

A
فار eſſe plurale à ſingulari فارة. Multis exemplis poſſem contrarium docere. Profecto illud فارة quaſi φαρμακικὸν eſt ab illo فار. Ut μυῖαν Græci muſcam appellant, quaſi ἀπὸ τῆς μυὸς; ita & fortaſſe فارة pro muſca dixerit Aviſena ab illo *far*, quod murem ſignificat. Quod ut pro vero non affirmo, ita res ipſa veriſimile, ut ſit, facit. Muſca quippe eſt

B
napelli, non mus. Deinde natura eſt plerumque muſcarum herbis inſidere, ut contra naturam muris eſt herbis aut radicibus veſci. Tres igitur jam tenemus zedoarias, napelli antoram, zedoariam Indicam, eamdemque cum zerumbet, vel certe ſpeciem zerumbet, & tertiam Sinenſem, glandis formâ & magnitudine. Hoc *zedoar* videntur etiam noviſſe Græci recentiores. Non alio ſanè poſſum referre verba hæc de zedoar, quæ apud Neophytum invenio: Ζαδόαρ τὸ ἀνακάρδιον· ἔοικε τῷ ξηρῷ καὶ μέλανι μικρῷ κασάνῳ· ὡς τῷ τινές φασιν ἐλαῖαί εἰσιν ἐλεφάντων περὶ τὸ ὑπογάστρια γινόμεναι· ἕτεροι τῷ κρότωνας ἐλεφάντων αὐτά φασι. Zadoar illud parvæ

C
& ſiccæ caſtaneæ ſimile, non aliud ſit, quam gedoar Garciæ, formam glandis habens ac magnitudinem, coloris ſublucidi. Nam & caſtaneam veteres Græci βάλανον dixerunt & Σαρδιανὰς βαλάνους appellarunt. Quod ad communem zedoariam attinet, prorſum inter omnes convenit, radicem eſſe. De hoc zedoare Sinenſi non conſtat, quid fuerit. Formam ejus & magnitudinem poſuiſſe contentus doctor Orta, cætera quia neſciebat, ſtrenue tacuit; nempe quid eſſet, planta an lapis, fructus an radix. Antiqua expoſitio Aviſenæ: *Doronegi, radix herbæ ſimilis zedoariæ.* Neophytus duas

D
opiniones refert, utramque futilem, tam eam, quæ olivæ inſtar eſſe ſciſcit circa elephantis abdomina concreſcens, quam quæ ricinos elephantis putat. Quod autem cum anacardio idem facit zedoar, in eo plus vice ſimplici fallitur. Anacardium fructum eſſe arboris in India naſcentis, jam ſciunt omnes. Fabam Malacæ vocant Luſitani. Nucleo palmularum ſimilem tradit Aviſena, non tamarindorum, ut habet vulgaris verſio. Nam التمر *altamar* in Arabico eſt, non تمر هندي. Medullam ejus eſſe

E
ſicut medullam amygdalæ dulcis, dicit interpres. In Arabico eſt, *nucis dulcis.* Videtur itaque legiſſe اللوز pro الجوز. In ea medulla non eſſe nocumentum, id eſt, citra noxam edi, clarè ibi narrat Aviſena. Eodem tamen capite inter deleteria numerat anacardium. Et lib. iv. ubi recenſet venena ex plantis, *anacardium* inter ea ponit, & remedia adverſus venenum præſcribit. Sed hæc concilianda ſunt. Nucleus interior, qui veluti nucis eſt, abſque pernicie editur: in corticis ejus raritate mel viſcoſum inveniri dicit, odoratum, calidum & ſiccum

F
in quarto gradu, quod exitium adfert, & humores adurit, ac plerumque ad inſaniam redigit. Ipſum anacardiorum fructum non eſſe lethalem hodieque comprobatur. Vide Garciam. Arabice dicitur بلادر, *beledur*, non *beledhar*, ut placet Viro doctiſſimo. Ita enim & Græci pronuntiarunt. Lexicon Sarracenicum: βελέδωρ, τὸ ἀνακάρδιον. In antiquo Lexico Latino-arabico ſcribitur بلادور

G
beledur, ſed helleborum exponitur. Idem ſane nomen eſt, niſi quis velit corruptum illud *beledur* ex Latino *veratrum*. Nam & βέλιτζον pro eodem habetur apud Neophytum in ellebero: οἱ δὲ Ῥωμαῖοι βέλιτζον. Helleborum reddit vetus ille auctor, quia mos plerumque veterum & præcipue Arabum, quæcunque ejuſdem ſunt naturæ, aut eumdem uſum præbent nominibus inter ſe permutare, aliud pro alio exponere. Helleborum venenum eſt, anacardium quoque venenum, hinc *beledur* de helleboro interpretatur.

terpretatur. Sic *argivan*, qui fucus eſt marinus tingendo aptus, de coccineo vermiculo accepit. Et alia infinita, quæ paſſim notamus. Vox ἀνακάρδιον mere Græca eſt, & à Græcis hominibus hoc factum nomen. Errare itaque conſtat Antonium Braſſavolum, qui negat apud Græcos inveniſſe mentionem anacardii. Paulus Ægineta in compoſitione Θεοδωρήτῳ δι' ἀνακαρδίων, non alia intelligit ἀνακάρδια præter hæc. Nicolaus Myrepſus aliique recentiores eum ſequuti ſunt. A figura cordis factum hoc vocabulum. Sic ἀνάῤῥινον herba, quod nares vituli repræſentat ſemen ejus, quæ & ἀντίῤῥινον. Alii ἰσοκάρδιον vocarunt hunc fructum, & κάρδιον, ut auctor vitæ Alexandri: καὶ τὸ κάρδιον τὸ μέγιστον τῶν Ἰνδικῶν. Quod de anacardio accipiendum alibi docemus. Liber Cyranicus & Harpocrationis περὶ φυσικῶν δυνάμεων, fructum mori vocat ἀνακάρδιον, de quo & mira prædicat: τῆς μορέας οἱ καρποὶ οἱ μὲν ἄνω βλέπουσιν, οἱ δὲ κάτω καὶ ἔχουσι τὸ ἄκρον ἰσοκάρδιον καὶ διειδές. Paulo poſt κάρδιον appellat: ἐὰν δὲ τὸ κάτω βλέπον κάρδιον ὁμοίως ὡς εἴρηται ϛαθεὶς ἐκτείνας περιάψῃ αἱμοπτοϊκοὺς ὁμοίως θεραπεύει. ἵστησι γὰρ τὴν φορὰν ἐν τρισὶν ἡμέραις. Deinde addit protinus: ταῦτα δέ εἰσι τὰ καλούμενα ἀνακάρδια, ἵνα τοὺς μὲν ἄνω βλέποντας ἐπὶ τὰς κάτω ἔχωμεν αἱμοῤῥαγίας, τοὺς δὲ κάτω ἐπὶ τὰς ἄνω. Sed hæc nugatoria ſunt. Aliquid de anacardiis inaudiverat. Illud conſtat κάρδιον & ἀνακάρδιον idem eſſe & ἰσοκάρδιον, id eſt, quod figuram cordis referat, eâ voce ſignificari. Fortaſſe Neophytus non zedoar, ſed anacardium voluit indicare, quod perperam confudit cum zedoaria. Forma quidem convenit, caſtaneæ exiguæ & ſiccatæ, colori ac figuræ anacardiorum. Ricinos eſſe elephantorum quidam hariolati ſunt. Et verius quidem ea verba Neophyti monachi de anacardio quam de zedoare exponenda. Ut in viam de ſemita redeamus, zedoaria Indica & zerumbet eadem ſunt. Matthiolus adverſus Amatum Luſitanum pertendens zerumbet non eſſe vulgarem zedoariam, Serapioni teſtimonium denuntiat, qui ea diſtinxerit. Serapio quidem diſertè ſcribit capite CLXXII. zedoariam eſſe zerumbet, nec interpretis hoc vitium fuit, quaſi eam de ſuo interpretationem infulſerit. Idem tamen Serapio cap CCLXXI. zerumbet alterum depingit coloribus iiſdem, quibus ſuum arnabo delineaverat Paulus Ægineta, quique graphicè figurant Aviſenæ zarnabo. Aut igitur error eſt ipſius Serapionis, qui *zarumbad* pro *zarnabo* ibi ſomniavit, aut peccatum interpretis, qui pro *zarneb* legit *zarumba*. Non eſt ambigui juris, quia zarumbet hoc ſenſu acceptum pro zarnabo diverſum ſit à zedoaria. Certè *zurumbeth* illud Serapionis eſt *zarnab* Aviſenæ, Pauli ἀρνάβω, quod apud Myrepſum etiam ζαρνάβα ſcribitur. Aviſena tractatu II. de Medicinis cordialibus de zurumbed & zarneb ſimul tractat, & utrumque calidum & ſiccum eſſe in tertio prædicat. De zurumbed nullus dubito, quin eadem ſit, quam Aviſena & Serapio hoc nomine appellant, cum Garciæ zerumbet. Plantam eſſe ſimilem cypero, ſed majorem ſcribit Aviſena, minuſque odoratam. Zerumbethi planta apud Garciam ſimilia habet zingiberi folia, ſed longiora. Et multis Indiæ locis ſilveſtre gingiber appellari teſtatur. Cyperum non diſſimile. Unde & cyperum Indicum veteres zingiberi ſimile tradunt. Quod enim à Sinarum regione advehi illam radicem cum Aviſena Serapio dicit, ſæpe ſolent, quæ ex India importantur, à Sinenſibus repetere. Hoc in multis apud eos obſervavi. Nec ambigendum hoc zerumbeth eſſe vulgarem zedoariam.

CAPUT CXIX.

De pigmento Armenio.

Sed quoniam in Arabicis adhuc verſamur, ea porro proſequamur, & à radicibus ad metallica tranſeamus, quæ & ipſa eruuntur; ut quæ in illis ὁμώνυμα erunt, ſimili modo conquiramus. Aëtius dicit Syrorum linguâ ζαρνάχ vel ζαρναχὰ appellari pigmentum Armenium, quo pictores utuntur. Ἀρμένιον abſolutè dicitur Dioſcoridi in antiquis libris. Alii λίθον Ἀρμένιον vocant. Vocabulum iſtud ζαρνάχ idem prorſus eſt cum Arabico زرنيخ, *zarnich*; quo tamen res ſignificatur apud ipſos ab Armenio illo planè diverſa. Arſenicum ſic vocant. Nec arſenicum tantum, ſed etiam ſandaracham addito coloris diſcrimine ad utrumque nomen. Auctor ille, qui in antiquo libro omnes appellationes materiæ medicæ apud Dioſcoridem Arabicis expreſſit nominibus, τὸ ἀρσενικὸν interpretatur زرنيخ اصفر, *zarnich asfar*, id eſt, zarnich luteum. Et σανδαράχην exponit ibidem, زرنيخ احمر, *zarnich ahmer*, zarnich rubrum. Arſenici tamen genus rubri à Dioſcoride notatur à ſandaracha diverſum, cui æquè vel etiam melius conveniat appellatio zarnich rubri. Sed videntur Arabes arſenicum rubrum cum ſandaracha confundere. Apud Averroën cap. XLIII. *carnid* pro *zarnich* abſolutè vocatur arſenicum, quod de luteo intelligendum, vulgo auripigmento dicto. Eodem capite meminit arſenici rubri, id eſt, *zarnich ahmer*. Quod vel de arſenico rubro Dioſcoridis vel de ſandaracha capi convenit. Serapio ſub titulo *narneth*, qui corruptus eſt pro *zarnich*, Dioſcoridis verba retulit de arſenici rubri ac lutei differentiis. Sandarachæ nuſquam habet mentionem, niſi illius, quam Arabibus ſic vocatam ſupra oſtendimus in totum differentem ab hac metallica. Aviſenæ interpres arſenicum exponit ſandaracham cap. XLIX. de *arſenico, id eſt, ſandaracha*. Quo loco in Arabico eſt *zarnich*. Tria ejus genera facit, album, citrinum, & rubrum. Ita quidem apud interpretem legitur. Hodie ſane totidem genera conſtituunt, & album inter ea ponunt, quod proprie arſenicum vocamus, veteribus incognitum. Quo magis eorum ſententiæ acceſſerim, qui hoc genus factitium contendunt, non foſſitium, ex aurei arſenici fruſtis admixto ſale, vi ignis dealbatum. *Sublimatum* appellatur. Quod ſi vena talis nunc invenitur, ſcias ignoratam antiquis; tantum abeſt, ut arſenicum appellarint, ſicut hoc tempore facimus. *Riſagallum* etiam reponunt in generibus arſenici. Quod aliis placet id, quod eſt, arti totum debere, aliis contra adſtruentibus naturalis venæ opus eſſe. *Realgar* quidam vocant. In indice Aviſenæ *alſcech realgar, id eſt, toxicum muris*. Id Arabicè الشك. Ita vocatur apud Aviſenam lib. IV. Fen. VI. tract. III. ubi narrat remedia fugandis aut necandis muribus idonea. Inter alia nominat & الشك. Interpres exponit *reſegal*, vehementiori coctione ad rubrum colorem id perduci volunt. Theophraſto, ut alibi docuimus, unicum tantum genus arſenici notum, quod eſt ochræ concolor. Dioſcoridi & aliis poſterioribus duo genera commemorantur, unum aurei coloris, quod auripigmentum Latinis dicitur; alterum rubri quod ζανδαραχίζον τῇ χρόᾳ eſſe dicit

dicit Dioscorides, colore ad sandaracinum inclinante. Sandaracha vero longe rubicundior, quam καζακόρως πυῤῥὰν vult sumi, id est, saturati atque intensi coloris. Hic diversam statuit sandaracham ab arsenico rubro, quod rubore cedit sandarachæ, cui color cinnabarinus. Hoc βωλῶδες illi arsenicum dicitur & vilius, quod in glebas coactum extrahitur. Hoc putem esse *risagallum* hodiernum, siquidem fossile inveniatur. Nam & risagallum vilius esse tradunt arsenici genus, & est rubrum. Optima vero illa species habita priscis, quæ in crustas duceretur: πλακώδες vocant. Auri color huic, & ἀρσενικὸν absolute olim vocatum, cum hac ætate, quod album est ac factitium, proprie sic appellemus. Interpres Avisenæ distinctionem generum arsenici suo tempore receptam auctori illi donavit, cum in ejus verbis nulla sit albi arsenici mentio. Arabica enim sic concepta sunt: *Zarnich, id est, arsenicum, materia est metallicæ venæ, vel metallica substantia, cujus alia est viridis, alia lutea, alia rubra.* Pro viridi albam substituit interpres. Nam in Arabicis legitur أخضر, *achadar*, quod non potest album significare. Sic *haba achadara*, grana viridia appellari notabamus supra terebinthi fructus. In electione duo tantum genera reddit, rubrum & luteum sive aureum. Et per rubrum omnino intelligit sandaracham, cui & odorem sulphuris tribuit prorsus juxta Dioscoridem & antiquos, qui sandaracham optimam scribunt habere θειώδη ἀποφορὰν. Sed quid erit viride arsenicum? An risagallum, quod Cardanus ait esse luridum? Quem colorem alibi interpretatur ex viridi pallidum. Verum alius color est, quem Latini sic appellant. Præterea risagallum rubrum est, non viride. Arsenicum esse rubrum veterum, ante probatum est. Nam arsenicum rubrum Arabum est sandaracha. Avisena vocem *zarnich* apud Aëtium aut alium Græcum auctorem de Armenio pigmento expositum invenit. Nam Aëtius diserte τὸ ζωγραφικὸν Ἀρμένιον à Syris ζάρνιχα vocari testatur. Color Armenii viridi ac cærulo temperatus. Hunc colorem Arabes vocant خضرة. Inde حب أخضر *hab achadar*, granum terebinthi, cujus color inter viridem ac cæruleum medius. Cum igitur ζάρνιχ pro Armenio positum reperisset, in censum arsenici retulit, & hæc tria sub unum genus ac caput redegit, *zarnich* Arabum rubrum & luteum, item ζάρνιχ illud Syriacum sive Græcum, quod est viride. Hoc sollemne Avisenæ & aliis perpetuo Arabibus multas res ὁμωνύμως, etsi toto genere dissideant, congeneres facere. *Chamelæa* & *chamæleon*, quamvis non sint ὁμώνυμα, uno tamen eodemque nomine ei vocantur ac tractantur. Utrumque ἐφήμερον sub eodem titulo exponunt. *Loton Ægyptium*, quia cognominis est loto trifolio, quod Arabicè *Hendococca* vocatur, eodem etiam isto nomine nuncupavit. Nihil tamen tam dissimile quam est ille Ægyptius à loto communi Græcorum. Strabo Armenium pictorium scribit habere colorem similem κάλχῃ, purpuram ita sive conchylium potius, cui color austerus in glauco, & irascenti similis mari. Ita nunc malim interpretari, quam quomodo olim. Pigmentum illud σάνδυκα μίξαντον vocat. Alii σάνδυκα pro sandaracha acceperunt. Ut jam mirari non debeamus, si vocabulum σαρνὶχ pro Armenio quidam, alii vero pro arsenico posuerint, ac sandaracha. Color igitur Armenii pigmenti ex viridi ac cærulo mixtus. Vetus auctor Arabs apud Doscoridem τὸ Ἀρμένιον exponit لازورد, *lazuard*; quo nomine & κύανον Græcorum iidem Arabes solent appellare. Λαζούριον

A Græci barbari dicunt, & λάζουλι. Unde lapis *lazuli*. Azulum Latini barbari vocant. Quod mire depravatum ex illo *lazuard* vel *lazivard*. Nam color cæruleus dicitur لون لازوردي, *lacun lazivardi*, & lapis *lazivardi*, pro quo Græci λίθον λάζουλι & λαζούριον dixere. Vetus Lexicon Latino-arabicum اللازورد, *alazuard* interpretatur chrysoberyllum. Avisena caput habet de *lazuard* in littera *lam*. Interpres vertit: *De Azulo, id est,*
B *lapide Armenio.* Quo loco dixit auctor lazuard vires habere chrysocollæ pares, paulo tamen infirmiores. Hoc idem de Armenio tradit Dioscorides, non de cyano, vel cæruleo: ἴσον πάνυ τῇ χρυσοκόλλῃ, περὶ τὴν δύναμιν μόνον λειπόμενον. Quæ totidem verbis transtulit ad suum *lazuard* Avisena, ut hinc concludere liceat *lazuard* proprie esse Armenium, ut vetus auctor apud Dioscoridem recte quoque interpretatus est. Ergo *lazuard* absolute pro pigmento sive Armenio sive etiam cæruleo. Alibi tamen lapidem Armenium
C à lazuardo vel lazuardio sic proprie dicto separat, ut infra ostendo. Non pote aliter nostris persuaderi, quin *lapis lazuli*, vel λίθος λαζούριος Græcorum idem sit cum hoc pigmenti genere, quod Græci κύανον, Latini *cæruleum* vocant. Atqui arena est, non lapis. Quid enim possumus per lapidem intelligere quam lapidem verum. Talis non est cærulum. Lapidis igitur lazuli nomine debemus accipere lapidem sive gemmam, quæ Græcis κύανος vocatur. Simili prorsus errore Plinius κύανον gemmam cum pigmento cyano confudit, ut in Exercitationibus docuimus. Sic λίθος λαζούριος Græcis recentioribus in medicina
D dicitur, ut λίθος πράσεως, λίθος ἴασπις, λίθος ζέφυρος vel ζέμφυρος & alii. Myrepsus in eodem antidoto lapidem lazuli, lapidem zephyrum, smaragdum jaspidem indidit, quod factum pro melancholicis, qui ex morbo recipiuntur: λάπις λάζουλι, τουτέστι λίθος λαζούριος. Ubi vides *lazuli* Latinorum esse, pro quo Græci dicebant λαζούριον. Utrumque ex Arabico illo depravatum, لازورد. In quo vocabulo pronuntiando, ultimum *dal* Græci alii videntur abjecisse, quasi scri-
E ptum esset tantum لازرو, *lazaru*. Unde λαζούριον suum fecerunt, Latini barbari *lazul*, & *azul*. Inde etiam nostrum *azur*. Lapidem litzi & lapidem lazuli sæpe jungit in medicamentis idem Nicolaus. Et *lapidem litzi* interpretatur λίθον πράσιον. Nec audiendus Fuchsius, qui notat interdum lapidem lazuli apud Myrepsum pro lapide prasio poni. Immo semper distinguit, in emendatis quidem exemplaribus. Ut in quibus ubique legitur λάπις λίτζι, λάπις λάζουλι. Quod igitur in Antidoto de lapide radiante. cxi. legit in suo codice Fuchsius
F λάπις λίτζι, τουτέστι λίθου λαζουρίου, scias non integrum illum ea parte fuisse, sed legendum esse: λάπις λίτζι λάπις λάζουλι, τουτέστι λίθου λαζουρίου. Lapidem autem radiantem vocat, qui in Græco ζέμφυρος vocatur, pro quo ipse male legit λέμφυρος, & λαμπυρὸν inepte interpretatur. Ζέφυρος vel ζέμφυρος lapis, cujus sæpe apud Myrepsum recurrit mentio, est sapphirus. Arabes appellant سمفير, *simphir*. Unde Græci recentiores ζέμφυρον faciunt *s* in *z* mutato, ut ζμάραγδον pro
G σμάραγδον iidem scribunt. Unde & Arabicum زمرجد, *zmaragd*. Lapis autem stellatus tam de cyano quam de sapphiro accipi potest. Utérque enim punctis aureis & guttis veluti stellatus. Plinius de cyano: *inest ei aliquando & aureus pulvis, qualis in sapphirinis: Sapphirus enim & aureis punctis collucet.* Quin

Quin & sapphirus æque lapis lazurius dici potest ac cyanus. Mesuës lib. 11. Scribit lapidem lazuli vulgo dici stellam, & eo capite refert antidotum, qualis à Myrepso refertur sub nomine λίθου σεφύρου vel ζεμφύρου, qui est sapphirus. Theophrastus tradit sapphirum gemmam minimum differre colore à cyano: καὶ ἣν καλοῦσι σάπφειρον· αὕτη γὰρ μέλαινα, οὐκ ἄγαν πόῤῥω τοῦ κυάνου τοῦ ἄῤῥενος. Si cœrulum pigmentum lapis non est, non erit etiam Armenium, de quo paulo ante egimus. Et sanè vetustiores omnes Græci simpliciter Ἀρμένιον semper appellant, nunquam λίθον, aut χρῶμα Ἀρμένιον, & absolutè τὸ Ἀρμένιον. Lapidem non esse vel id maximè fidem facit, quod in ejus probatione, ut lapidibus careat exigitur. Ἄλιθον καὶ εὔθρυβές. Quod si lapis esset, utique & chrysocolla, cui similis est, lapis etiam indigetari deberet. Et sanè ita etiam vocarunt Græci recentiores, qui λίθον βοράχιον pro chrysocolla dicunt, quæ borax Latinis Barbaris. De qua infra. Græci medici inter μεταλλικὰ hæc recensent, à quorum censu tam lapides submovent quam terræ genera omnia. Latiore quidem appellatione Græci μεταλλικὸν vocant, quidquid fodiendo eruitur, quod ex ipso terræ corpore fit. Aluminum ac bituminum genera, quæ terra sponte erumpunt, apud illos in eodem censentur genere. Nam & ἔλαιον μεταλλικὸν & πίσσαν μεταλλικὴν non verentur appellare, quæ bituminis liquidi venæ sunt. Ἀλόην μεταλλικὴν vocat Dioscorides, Plinius fossitiam vertit. Notum est, lapides omne genus, arenas, cretam, & alia ejusmodi μετάλλων nomine etiam venire apud Græcos, & Latinis *metallum* sæpe pro lapide usurpari. Græci medici notionem τῶν μεταλλικῶν ad genus certum reduxerunt, quod nec lapis propriè nec terra dici, sed res sui generis. Hinc post lapides ac terras, quæ medicinæ inserviunt explicatas, τὰ μεταλλικὰ ista Galenus persequitur. Dioscorides quoque seorsum λίθους recensuit, ac terrarum genera medicinalium, post metallica exposita. Arabes vocant hoc genus جوهر معدني, *giohar medini*, substantiam metallicam. Arsenicum sic definit Avisena. Nam معدن vocant metallum, ut in veteri Glossario exponitur, *meden* vel *medenum*. Inde nostrum *mina* pro metalli fodina. Perpetuo enim medias consonantes exterimus in his vocabulis, quæ ex Latino mutuamur. Idem fecimus & in hoc Arabico. Hinc & *minare*, fodere, & *mina* pro cuniculis, ut solent fieri in eruendis metallis. Græci pariter ὑπονόμους appellant. Latini quoque Barbari suam mineram & minerale ex eo procuderunt. In his μεταλλικοῖς locum habet Armenium, quod nec inter lapides nec inter terræ genera commemoratum Dioscoridi. Avisena tamen inter lapides ad medicinæ usum facientes numerat ac vocat حجر ارمني, *hagjar Armeni*, lapidem Armenium. Quod profectò miror, cum alio loco *lazuard* pro eodem reposuerit, absque ulla lapidis mentione. In eo lapide dicit quandam esse لازوردية, *lazuardia*, id est, ut barbare id exprimamus, *caruleitatem*; non tamen esse penitus cæruli colore imbutum. Et pictores addit eo uti cæruli vicem, ubi semper nominat absolute لازورد *lazuard*. Non *lapidem lazuli*, ut interpretes Arabum sæpe faciunt, qui κύανον gemmam, & κύανον pigmentum confundunt. Addit etiam ibidem lapidem Armenium fortiorem esse in liberanda melancholia quam *lazuard*, id est, lazulum. At alibi lazuard pro Armenio lapide posuit. Plinius etiam *lapidem Armenium* dixit de hoc pigmento, sed perperam, ut solet omnia. Vitruvius *Armenium* simpliciter vocavit, & Plinius ipse alibi. Alius est la-
A pis Armenius, quo gemmæ sculpebantur & perforabantur; quam nostri quoque medici temere cum pigmento eumdem faciunt. Zosimus Panopolitanus vetus auctor, pigmentum illud Armenium κύανον Ἀρμενικὸν vocat in chimicis. Eodem capite inter eas res, quæ croceo colore tingunt, Ἀρμένιον nominat cum elydrio, & croco, & terra Pontica, & ochra Attica: ἡ γῆ Ποντικὴ καὶ Ἀττικὴ ἡ Ἀρμένιον. Hoc est Armenium, cujus Theophilus meminit in libro de urinis. Idemque omnino cum bolo Armenia sive luto Armenio vulgari. Avisena vocat *thin*
B *Armeni*, طين ارمني. Quod sonat propriè *lutum Armenium*. Nam طين, lutum; unde مطين, *muthin* in Glossario, *lutulentus*. Græci recentiores πηλὸν Ἀρμένιον nuncupant, & βῶλον Ἀρμενίαν. Avisena lutum esse dicit rubrum, sed cinereo temperatum, vel ad cinereum inclinans. Per quæ ostendit, non plene rubrum esse; sed infra rubrum, quod Græci ὑπέρυθρον dicunt. Et sanè Theophilus τὸ ὑπέρυθρον in urinis huic Armenio comparat.
C Actuarius concolorem facit hanc terram Armeniam Lemniæ rubricæ sive terræ sigillatæ, & utrumque ἐν τοῖς ὑπερύθροις collocat: μάθοις δ' ἂν τῇ τε Ἀρμενίᾳ βώλῳ καὶ τῇ Ἀρμενίᾳ σφραγῖδι τὸ ὑπέρυθρον παραβάλλων. Medicinæ auctores veteres hunc colorem φλόγινον à tinctoribus appellari notant, & φοινικοῦν à Galeno. Uno gradu supra croceum ascendit atque infra planè rubentem. Nam croceus est ξανθὸς, post quem ad altiora nitendo sequitur ὑπέρυθρος. Talis color Armenii luti. Deinde perfectè ruber, qui ἐρυθρός. Hinc Serapio ex Galeno & Paulo scribit
D colorem Armenii luti procedere ultra زعفرانية, *zafrania*, id est, croceum colorem, vel ut barbari dicunt, croceitatem, & ad rubrum accedere. ὑπέρυθρον planè designavit. Addit Avisena eo capite, quo tractat de luto Armenio, *exhibere puncturas in satietate auri*, hoc est, aureum colorem quam saturatissimum facere. Hic est auri obrizi & sæpius excocti color. Hæc omisit interpres. Et notandum heîc Avisenam distinguere inter colorem, quo imbuta est hæc terra Armenia, & colorem, qua im-
E buit. Ipsa quidem subrubra est; at aureo colore inficit, qualis est auri perfectè cocti. Πυῤῥὸν Græci vocant, & ὑπόπυῤῥον, qualis est in auro vulgari, quod Celticum sive Gallicum dicunt. Pallidum aurum vulgo dicimus. τὸ δ' ὑπόπυῤῥον Κελτικοῖς χρυσοῖς ἴσον. At obrysum aurum rufum est. Theophilus, Psellus, & alii, qui de urinis scripserunt: εἶτα τὸ πυῤῥὸν, ὅ ἐστι κατ' ἀλήθειαν ὄβρυζος χρυσός. Ita scribunt hanc vocem Neoterici Græci, pro ὄβρυζος. Sic enim in omnibus libris illius ævi reperitur. Arabice
F ابريزي, *ebrizi* vel *ebrizion* addito *nun*. Vetus Glossarium interpretatur *obridium*, quod non est *ex obrizo*, ut Viris doctis placet, sed ita dicebant pro *obrizum*. Sic *oridia* pro oriza in antiquissimo codice Apicii. Isidorus quoque scripsit *obridium* in Originibus, ut libri testantur; & probat etymum, quod subjicit. Nempe ita dictum hariolatur, quod obradiet. Atque hæc obiter. Auri itaque obrizi color saturatissimus. Talis est, quo inficiuntur, quæ ab Armenio luto tincta sunt, cum ipsum subrubeat. Sic alius sandarachæ color, quem habet ipsa, alius quem in alio corpore exhibet. Cinnabarini ipsa coloris est,
G sed luteo tantum colore inficit tincta. Diligentissimè hæc Avisenæ verba consideranda de luto Armenio, quod aureo colore tingit. Zosimus quoque Panopolitanus Ἀρμένιον inter illa numerat, quæ croceo colore tingunt, ut est crocum, chelidonium, ochra Attica, & alia id genus. Cum hæc ita sint, mirum est hoc lutum ὠχρὸν dici Galeno, quod flavum colorem dilutiorem indicat, qui primus fermè gradus est colorum aliquo igne tinctorum. Nam per hos gradus & numeros ἀπὸ τοῦ ὠχροῦ pervenitur ad ὑπέ-

A ὑπέρυθρον. Fit primum ὠχρὸς, deinde ὑπόπυῤῥ@, postea πυῤῥὸς, mox ὑπόξανθ@, deinde ξανθὸς, qui croci color. Ultra quem si procedas, invenies τὸν ὑπέρυθρον, qui est color Armeniæ terræ. Oportet igitur aliam esse terram Armeniam Galeni, aut admodum improprie vocem ὠχρὸν usurpasse. Auripigmentum sive arsenicum citrinum proprie ὠχρὸν, ut & pigmentum ochræ, quæ inde ὦχρα appellata. Alterum arsenicum croceum vocant, quo colore intensiorem adhuc faciunt antiqui Armenii colorem. Qui *pallidum* vertunt, B nugari docuimus, ac nescire, quid sit pallidum. Bolum Armeniam, qua hodie utimur, volunt quidam non esse legitimam, sed pro ea nunc adferri ab institoribus Lemniam rubricam. Ut volunt, ita & credant, dum sciant utriusque eundem colorem à veteribus tradi. Lemniam rubricam minio similem de colore prisci faciunt, æque & bolum Armeniam; qui color est ὑπέρυθρ@, cum minium sit ἐρυθρὸν. Avisena eodem capite scribit luto Ar- C menio effectu proximum esse *alemum*. Ita interpres. Sed in Arabico codice habetur: الالاني, *alalani*. Quod vocabulum exponunt de luto eduli, cujus apud eundem mentio sub nomine *thin macul*, طين ماكول. Puto ea voce designari lutum coloratum. Nam لان, *lan*, etiam pro colore positum reperitur. Unde الالاني, *alani*, colo- D rius vel coloratus. Multa alia nomina habet hæc terra. *Lutum Cyprium* dicitur طين القبروسي, *thin Alcubrosi*. Et lutum odoratum طين الطيب, *thin althaib*, & lutum capitis طين الراس, *thin alras*, quia caput eo in balneis linunt mulieres, ut longiores crines evadant. Boni odoris est ac saporis, ideo mulieres prægnantes & qui prava laborant orexi, sæpe hanc terram comedere dicuntur. Quæ videtur veteribus incognita. Etsi terræ etiam alia genera habuerint, quibus in balneis utebantur vice nitri aut lomenti, ut Chiam terram & Selinusiam; item Meliada, quæ etiam commendabatur ad capillos longiores ac subtiliores efficiendos. Cæterum omnibus terræ illius sive luti appellationibus Arabicis semper adjicitur *thin*. Nam & *thin Corasenum* appellatur, & *thin Alnahagi* & *thin Alnisaburi*. Hoc autem *alani*, cui par in effectu medico traditur bolus Armenia, sic simpliciter vocatur, & cum articulo *alalani*. In Lexico Alpagi, & *alanoi* & *alaunos* legitur pro plumbo nigro. Sed in castigationibus ejusdem ad Avisenam scriptum est *alanoc*. In Arabico الانك, idemque quod الابار, *alabar*.

CAPUT CXX.

De talko.

E TALK τάλκ Græci chimici, qui ante octingentos annos vixerunt, maximis ferunt laudibus, & commendant insigniter ad miros effectus in arte sua producendos. Vocem eam interim Persicam & Ægyptiam, interim Ismaëliticam, id est, Arabicam esse tradunt, quam omnes de aphroselino vel selenite lapide interpretantur. Autores Arabes, qui circiter illa tempora scripsere vocant طلق, *talk*, sed longe aliam ei dant significantiam: terram quippe Samiam, quam & *terram stellæ* vulgo vocitant, quidam ex his *talk* esse volunt. Averroïs interpres: *Terra stellæ, id est, talk*. Avisena capite de Luto Samio, F vel Samia terra, quam appellat طين شاموس, *thin Samos*, dicit quosdam esse in ea sententia, ut sit الطلق, *altalk*; sed qui melius ad veritatem sentiunt, credere aliud esse atque id reperiri in terra Græcia in insula Cypro. Corrupte in Arabico legitur حرزه فرس pro جزرة قبرس, *gezira Cubros*. Hoc illi ibi tantum de talk, nec explicat ulterius, quid sit. Quin & illo capite, quod proprium dicavit talko, remedia ex eo tantum exponit; non ipsum, quale sit aut quid sit, tradit. Hoc etiam G inde colligas ex his, quæ de eo scribit, cum his sentire, qui terram Samiam esse putarunt. Nam proprietates omnes conveniunt terræ Samiæ, & testimonium Pauli pro terra Samia faciat. Idem Avisena capite de Zarnich, id est, arsenicum, genus ejus, quod aurei coloris est atque in tenues crustas educitur, tale dicit esse, tanquam si esset طلق اصفر, *talk asafar*, talk citrinum. Quod non ita accipiendum, quasi ullum sit talk luteum vel coloris citrini: sed arsenicum hujusmodi, quod est πλακῶδες & luteum, videri esse quasi talk luteum. Intelligit & hic asterem Samium talki nomine. Nam ἀςὴρ Σάμι@, quod alterum genus est terræ Samiæ, πλακώδης καὶ πυκνός. Huic si colorem addideris luteum, efficies, ut sit arsenicum sive auripigmentum, quod & πλακῶδες ipsum & coloris lutei. Sic talk ubique apud Avisenam pro astere Samio, quamvis ipse prodat ab aliis aliud tradi; qui tamen hoc ipsum, quid sit, nusquam dicit. Quo magis miror Græcos, qui circa illa tempora de re chimica libros conscripsere, unanimi consensu Arabicum illud talk de afroseleno vel selenite lapide interpretari: cum tamen & vocem esse Arabicam fateantur & Arabicam interpretationem. Lexicon Chimicum: Ἀφροσέληνόν ἐςι κόμαρις καὶ κυφόλιθ@. Eum lapidem κυφόλιθον appellarunt Græci, quia levis est. Dioscorides de selenite: λευκὸς, διαυγὴς, κῦφ@. In Pauli ἀντιμβαλλομένοις de hoc eodem lapide accipiendum: ἀντὶ κυφολίθυ, πίταν@. Hunc lapidem & κόμαριν vel κόμαρον ubique appellant Synesius, Zosimus & alii Chimicorum scriptores. Putem & hoc nomen ex Arabico deductum & σεληνιακὸν vel σεληνίτην significare. Nam قمر, *camar*, est luna. Unde قمري, *camari*, σεληνιακόν. Unde illud κόμαρις vel κόμαρ@ chimicorum veterum pro selenite lapide. Avisena vocat حجر القمر, *hagiar alcamar*, lapidem lunæ. Quo nomine Dioscorides σεληνίτην appellat, quod & ἀφροσέληνον eidem vocatur. Hoc esse talk Arabum Græci volunt. Zosimus: λαβὼν κομάρη ϗ δυσχερῶς εὑρισκομένη, ὃ Πέρσαι καὶ Αἰγύπτιοι πελάκ φασιν, οἱ ϗ τάλκ. Et alio loco: Ζώσιμ@

Σέσιμ⊕ ἢ τὴν φέκλην ἀφροσέληνον εἶπε καὶ ἀφροσέληνον κόμαρον. Causa nominis, quod videatur defluere à spuma lunæ, & gigni ἀπὸ τῆς σεληνιακῆς ἀπορῥοίας, ut ibidem traditur: σύνθετον ἢ καὶ αὐτὸ τὸ ἀφροσέληνον, ὅτι ἢ ἀεὶ αὐτό τινὲς ἐκδεδώκασιν, εἴτε φέκλην εἶναι ἀπὸ κοπτικῆς, εἴτε ἀπὸ σεληνιακῆς ἀπορῥοίας ἄγει ἄργυρον καὶ κόμαρον. Dioscorides σεληνίτην ait etiam dici ἀφροσέληνον quibusdam, διὰ τὸ εὑρίσκεσθ αὐτὸν νυκτὸς μεσὸν ἐν τῇ τῆς σελήνης προσαυξήσει. Hoc inde explicandum. Quia enim creditur originem & incrementum habere ex lunæ spuma ac defluxu, tum maximè id locum habere putandum est, cum plena luna est. Ideò & circa lunæ augmenta præcipuè invenitur. Ita accepit verba Dioscoridis Avisena, qui lapidem selenitem splendorem ac spumam lunæ vocari dicit, & inveniri circa sideris illius incrementa. Dioscorides μεσὸν reperiri tum maxime scribit. Quia cum alias lapis ille sit inanis ac levis, cum lunæ augmentis plenior ac solidior existit. Noctu autem inveniri etiam perhibet, quia lucet. Nam est διαυγής. Ad oram illius loci Avisenæ hæc verba adscripserunt Viri eruditi, quasi ex mente Dioscoridis ad interpretandum Avisenam: *Quoniam noctu invenitur lunæ imaginem reddere, quæ cum ea quidem augetur ac decrescit.* Hæc longissimè absunt à Dioscoridis sententia de aphroselino, quæ de alio dicuntur selenite, qui imaginem lunæ continere creditur, eamque in singulos dies reddere minuentis & augentis numeris. Plinius quoque more suo utrumque seleniten confudit, ut alibi docuimus. De altero illo selenite, qui maculam quandam habet augentem minuentemque ad lunæ cursum ita scribit Psellus de lapidibus: Σεληνίτης καλεῖται ὅτι ὀφθαλμὸν οἷόν ἵνα συναυξόμενον καὶ συμμειούμενον ταῖς τῆς σελήνης αὐξήσεσι καὶ συμμειώσεσι δείκνυται. Sed hic lapis alius à selenite aphroselino. Κόμαρον, ut paulo ante docuimus, cum aphroselino eundem faciunt plerique chimici Græci. Alii distinguunt. Vocabula hæc obscura esse ἀφροσελήνε & κομάρε narrat Zosimus, sed ab Ismaëlitis, id est, Arabibus ea apertiora fieri sub nominibus, *talk* & *calk* sive *chalk*. Verba ejus hæc sunt: τοῦτο τὸ ἀφροσέληνον καὶ τὸ κόμαρον αἰνιγματωδῶς οἱ φιλόσοφοι εἶπον. τὸ γὰρ ἀφροσέληνον καὶ τὸ κόμαρον μιᾶς ἐπιστήμης ὑπάρχουσι, καὶ ἐν τούτοις τοῖς ὀνόμασι δυσεύρετόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ σοφοὶ τῶν Ἰσμαηλιτῶν σαφῶς εἶπον τοῦτο οἱ μὲν ταλκ, καλκ, οἱ ἢ χαλκ' καλεῖται ἢ φόβ⊕ καὶ τρόμ⊕. Innuere his videtur, idem esse *talk* & *calk* sive *chalk*. Sed puto scribendum κάλη & χάλη. Quod Arabicum est قلي, *cali*. Lapidem specularem interpres Avisenæ reddit. Quod autem τρόμον & φόβον voces illas talk & calk interpretatur Zosimus, haud scio, an huc pertineat, quod Avisena de talko scribit in ejus medicina, quæ cum intus sumitur esse timorem. خطرا. Ἰσμαηλιτῶν σοφοὶ sunt Arabum magistri. Nam Ismaëlitica lingua pro Arabica sæpè apud ipsos Judæos magistros. Καλκ' aut χάλκ nusquam apud Arabes invenio. Sed scriptum fuit κάλι vel χάλι. *Alumen catinæ* hoc vocant. Nec enim *cali* est herba, ut vulgò accipiunt, sed cineres her-

A bæ exustæ & in lapidis duritiem solidati. Herba ipsa vocatur Arabicè اشنان, *axnan*. Sed *usnan* vel *usnen* pronuntiant. Græci in Lexicis suis Arabicis scribunt ὀσνάν. Duo sunt diversa apud Avisenam capita de *usnen* & de *cali*. Herba illa est, hoc aluminis genus sive salis, quod ex herba fit exusta. Hinc usnen appellatur *herba alcali*, حشيش القلي. Quod ex ea fiat *alcali*. Vitrum conficitur

B ex hujus cineribus, quod & olim factitatum. Nam de hac herba censendus intelligere vetus scholiastes Aristophanis, cum dicit vitrum fieri ex herba cremata. Sua ætate id repertum aut paulò ante suam ætatem indicat his verbis, ad Comœdiam Nebulas: ὕαλον ἡμεῖς μὲν ἀρτίως τὸ ἐκ βοτάνης τινὸς κεκαυμένης καὶ διὰ πυρὸς τηκόμενον εἰς κατασκευὴν ἀγγείων τινῶν λέγομεν. Hæc herba est *usnen* Arabum. Quod ex cineribus ejus in massam lapideam induratur, vocant alcali, estque *alumen* vulgo dictum *catinæ*, cujus etiam usus plurimus apud chimicos

C antiquos, ut hodiernos. Hinc talk & cali jungunt Græci, quas voces respondere faciunt duobus Græcis ἀφροσέληνον & κόμαρ⊕ vel κόμαρις. Alibi quidem unum idemque adstruunt aphroselenon & comarim, sed alibi etiam distinguunt, ut hoc loco Zosimus, ubi duo illa vocabula explicat per totidem Ismaëlitica ταλκ & κάλι, vel κάλη. Ita enim scribit: διὰ τοῦτο εἶπον ἀφροσέληνον ἑνώσον μετὰ κομάρεως λειῶν καὶ μαλάττων καὶ πηγνύων καὶ βάπτων αὐτόν. Sic *talc* erit aphroselenon, *comaris* autem kali. Et fortasse κόμαρις illis dicitur pro γόμαρις. Ara-

D bicè ita vocatur pulvis abstersivus, quo utebantur in balneis. غمرس. Alpagus: *Gomaris linimenta & pulveres abstergentes cutim faciei & corporis.* In eadem significatione *gamera* etiam refert & *gumera* pro linimento. غمرة. Cineres ejusmodi abstersivi, quorum usus in balneis, ex cineribus usnen præcipue parabantur. Idem Alpagus: *Alasnan, est herba alcali, ex qua fit pulvis abstersivus usitatus in balneis apud Arabes.* Genus halimi esse, nos alibi probare sategimus, &

E docuimus errare, qui anthyllidis speciem alteram putant. Anthyllidem Arabes vocitant الزهرة, *alzhera*. Ita dicitur Avisenæ utrumque genus anthyllidis, & apud auctorem Glossarum Arabicarum Dioscoridis. Cum plura genera usnen recenseant Arabes, nullum ex his sub nomine *zehera* prodiderunt. Avisena multa genera usnen esse dicit. Inter cætera album & viride commemorat. Pro viridi sermo Arabicus habet *achadar*, اخضر. Quod

F cæruleum significare viridi mixtum ante demonstravimus. Lexicum chimicum vetus κόμαρις Σκυθικὴν & ἰοῦ τὴν Ἰταλικὴν cognationem habere significat: ἰός ἐστι ξάνθωσις, καὶ ὕδωρ ἄθικτον, καὶ κόμαρις Σκυθική, καὶ ἰοῦ τις Ἰταλική, καὶ βατράχιον καὶ χρυσόκολλα.

CAPUT CXXI.

De nitro.

LAtinis Barbaris *borax* passim pro chrysocolla usurpatur. Græci quoque recentiores βοράχιον sic appellant, ut apud Myrepsum in unguento διὰ κιτρίων XLII. λίθε βοραχίε. Ubi vides & lapidem dici chrysocollam eodem genio, quo & Armenium pigmentum & cæruleum supra notavimus. Atqui eam chrysocollam probari ait Dioscorides, in qua nihil lapidum. Sic erit optima λίθ⊕ ἄλιθ⊕. Quod est ridiculum. Sæpe autem sum miratus,

G unde illud βοραχ & βοράχιον pro chrysocolla Græci Latinique pariter recentis ævi sumpserint. Non aliunde videntur accepisse, quam ad Arabibus. Non tamen Arabicum hoc nomen. Et falsus Vir magnus in notis ad Garciam cap. XXXV. lib. I. Aromatum, de costo, qui notat *borrax* corrupte dici, cum dicendum sit *baurac*, بورق. Certè hoc baurac Arabicum, sed non pro chrysocolla. Nitrum sive aphro-

aphronitrum ita vocant. Avisenæ est nitrum. Nam aphronitrum appellat زبد البورق, *zebed baurac*, spumam nitri. Alias dicunt etiam نطرون, *nitron* voce Græca. At chrysocollam vocant *tincar*, تنكار. In antiquissimo Dioscoridis codice χρυσόκολλα ab Arabe Glossatore exponitur, تنكار ولزاق الزهب *tincar va lezac alzeheb*, quod est B tincar vel glutinum auri, sive consolidatio. Posteriore explicatione Græcorum χρυσόκολλα exprimitur, quæ nihil aliud est quam id, quo aurum ferruminatur. زهب autem pro دهب, *zeheb* pro *deheb*. Nam ita vocatur Avisenæ chrysocolla. لزاق الذهب, *Lezac aldeheb*. Chaldaïcum hoc nomen de auro, qui similiter דְּהַב, *dahab*, dicunt pro Hebraïco זָהָב, *zahab*. Brassavolus & alii notant chrysocollam C diçi ab Arabibus *capistrum auri*. Quod ineptum est, sed ab interprete veteri habent, qui in voce *tincar* apud Avisenam ita scribit: *& dicitur capistrum auri*, In Arabico est: لحاقم الذهب, id est, consolidatio vel ferruminatio auri. Alibi scribitur pro eodem التحام, totidem ferme litteris. لحم passim apud Avisenam pro conglutinare, & partes dissipatas conjungere, quæ Græci συγκολλᾶν dicunt & κολλᾶν; unde κολλητικὰ φάρμακα. At لجم uno D apice amplius significat frænare; unde verbale لجم frænum, capistrum. Hoc fefellit interpretem, qui hoc pro altero sumpsit. Et sane chrysocolla absurde dicitur capistrum auri, quæ præstat ut aurum auro cohæreat & conglutinetur. Cognationem hujus aliquam cum nitro, id est, baurac, videntur agnoscere Arabes. Scribit enim Serapio capite de chrysocolla CCCCXIII. tincar esse de genere salium, & habere in sapore suo quadantenus gustum nitri, id est, baurach. Item capite de nitro ex sententia Rasis ait, genus quoddam nitri sive aphronitri E haberi, ex quo est tincar, id est, chrysocolla. Utut sit, nullus dubito, quin ex eo vocabulo Arabico *baurac*, vel *borac*, quod est nitrum, Barbari suum istud *borax* de chrysocolla formarint. Sic ex *sandarac* Arabico fecisse constat *sandarax*. Sic ex βερνίκη procuderunt *vernix*, longe tamen alio sensu quam βερνίκη Græcis accipitur. Nitrum autem quidam in totum interesse hodie volunt, alii id esse, quod *sal petra* vocatur. Neutri verum dicunt. Cum plura nitri genera fuerint apud veteres, *sal petra* nostrum potest aliquod ex his esse. Ad aphronitri genus illud, quod Plinius notat, videtur accedere. Sic enim scribit lib. F XXXI. cap. X. *Proxima ætas medicorum aphronitrum tradidit in Asia colligi in speluncis mollibus destillans* (*specus eos colycas vocant*) *dein siccant sole.* Speluncas illas molles, quæ sint, nullus intelligo, nec mobiles. In optimo codice habetur: *in speluncis malibus.* In altero proximæ bonitatis: in *hiemalibus.* Forte legendum *in speluncis hiemalibus.* Frigidas speluncas aut aquiloni & reliquis flatibus frigidis obversas designat: vel illud vult, hiberno præcipue tempore destillare in speluncis illud aphronitrum, quod colligitur & postea sole siccatur. Æquè corrupta Græca vox: *specus eas colycas vocant.* Qui καχλήκας legunt, ineptiunt. Veteres libri habent *colligant.* Nescio, an κρυεράς scripserit, ut G respondeat voci Latinæ *hiemales.* Speluncas eas plane intelligit, in quibus gelu hibernum concrescit. Falsum tamen illud aphronitrum generationem suam debere hiemi, quam potius soli debet. Ideo & sole siccatur. At palam est, velle Plinium aphronitrum stirias esse, quæ in speluncis hiemalibus destillant & congelantur. Ideo *hiemales speluncas* dixit, quia alias

A pleræque speluncæ hieme sunt calidiores, & minime hiemales. Sic chalcanthum hiberno gelu concrescere atque ex stiriis destillantibus fieri in scrobibus fodinarum dixit, cum metalli fodinæ solent esse per hiemem calidiores. Absurdum etiam, quod ait aphronitrum sic concretum in hiemalibus speluncis colligi ac deinde sole siccari. Immo in ipsis rupibus densatur ac sole coquitur. Et multo verisimilius, hiberno tempore destillare & æstivis solibus maturari. Sic fit & sal petræ, cum quo maximam habet affinitatem aphronitrum illud Plinianum. Addit ibidem: *Optimum putatur Lydium. Probatio, ut sit minimè ponderosum, & maximè friabile, colore plenè purpureo.* Ita hæc legenda. De hoc aphronitro Dioscorides: Ἀφρὸς δὲ νίτρου, ἄριστος μὲν εἶναι ὁ κουφότατος, καὶ πλακώδης, εὔθρυπτός τε καὶ ἐμπόρφυρος ἢ ἀφρώδης, οἷός ἐστιν ὁ ἐκ Φιλαδελφίας κομιζόμενος τῆς ἐν Λυδίᾳ. Plinius ἐμπόρφυρον vertit *plenè purpureum*, non ut vulgo legitur, *penè purpureum*. Hoc aphronitrum nihil habet commune cum nitro, nec in iisdem nitrariis fit aut colligitur. Aliud enim genus est, de quo tradit Plinius eodem capite, & spumam nitri appellat, quæ tenuissima nitri pars erat: *In nitro optimum, quod tenuissimum, & ideo spuma melior.* Ex iisdem nitrariis, unde & nitrum, sumebatur. Quomodo fieret, olim dubitatum. Idem Plinius: *Spumam nitri, quæ maximè laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, prægnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. Itaque non fieri incitatis, etiam si caderet. Alii operimentorum fermento gigni existimavere.* Alia igitur hæc spuma nitri, quæ in iisdem nitrariis cum nitro gignitur ac veluti fermentum est operimentorum ejus, in summitate nempe existens, ab illo aphronitro, quod in speluncis destillat & sole siccatur. De eo aphronitro statim sequitur apud eundem. *Proxima ætas medicorum aphronitum tradidit in Asia colligi in speluncis hiemalibus destillans.* Hæc est illa spuma nitri, quam & *florem nitri* Latini dixerunt & Græci ἄνθος νίτρου. Soluta erat ac putris farinæ instar triticeæ: aphronitrum contra illud Asiaticum ac specuarium, concretum & in corpore uno consistens. In pastillis afferebatur. Plinius: *Hoc in pastillis adfertur.* De Lydio illo & Asiatico in speluncis collecto loquitur. *Ægyptium in vasis picatis, ne liquescat.* Immo etiam, quia non poterat aliter afferri, utpote farinæ instar ac cineris solutum. Ægyptium autem aphronitrum diversi generis ab illo Asiatico, quod in pastillis afferebatur. Nam spuma erat vera nitri, quod in Ægyptiacis nitrariis fiebat. Sic Plinius utrumque nomine confundit; ut & Dioscorides, qui ἀφρὸν νίτρου pariter vocat Lydium illud, quod & optimum facit, deinde Ægyptium. At Ægyptium spuma nitri Ægyptiaci; aphronitrum autem Lydium vel Asiaticum sui generis ac proprietatis per se constans, nec cum nitro quidquam participans, in speluncis destillans. Galenus utrumque genus nomine etiam discrevit hoc modo lib. IX. de simplicibus medicamentis: Ἀφρόλιτρον ἀφρονίτρου διαφέρει· Λίτρον μὲν γὰρ ἀφρὸς ξηραντικόν ἐστι φάρμακον ἀλλ' ἑτέρῳ πυρίνῳ παραπλήσιος ὀφθῆναι· καὶ γὰρ λευκός ἐστιν, οὐκ ὥσπερ τὸ τῆς Ἀσίας πέτρας ἄνθος ὑπόφρωδης. Ἀφρόνιτρον δὲ οὐκ ἀλευρῶδες, οὐδὲ διαλελυμένον, ἀλλὰ πεπηγὸς καὶ συνεστὸς, ᾧ πάντες οἱ ῥυπῶντες ἐν τοῖς βαλανείοις ὁσημέραι χρῶνται. Aperta rei differentia. Nominis discrimen non agnosco. Ἀφρόλιτρον alterum vocat, alterum ἀφρόνιτρον. Atqui Attici λίτρον appellant, quod alii Græci νίτρον. Idem ergo ἀφρόλιτρον & ἀφρόνιτρον. Id Galenum ignorasse tantum etiam in Grammatica Virum, minimè putandum est. Puto itaque scripsisse: Ἀφρὸς νίτρου ἀφρονίτρου διαφέρει· Νίτρου μὲν γὰρ ἀφρὸς ξηραντικόν ἐστι φάρμακον. Distinguit inter ἀφρὸν νίτρου, & ἀφρόνιτρον. Plinius pariter *spumam nitri* propriè appellat, quæ revera est nitri spuma. At aphronitrum est veluti nitri genus, ita dictum, quod spumosum sit & ἀφρῶδες. Dioscorides de hoc genere, ἐμπόρφυρος καὶ ἀφρώδης; qui tamen ἀφρὸν νίτρου vocat impropriè, & confundit cum altero genere, quod est ipsissima nitri spuma, quale Ægyptium. Hæc igitur erit cum nominis tum rei distinctio. Ἀφρὸς νίτρου sive nitri spuma,

ma, candida & soluta farinæ triticeæ similis. Aphronitrum vero concretum, spumosum, & purpureum. Quod genus proximè accedit ad naturam ac similitudinem salis petræ vulgaris. Hoc est aphronitrum, quo in balneis utebantur antiqui. Inde *aphronitra & lumenta* apud Cyprianum. Arabes verba ea Galeni ita accepisse, sicut exposuimus & correximus, palam est ex ipsorum libris, quo loco de nitri differentiis agunt: sed mirabili prorsus hallucinatione ἀφρόνιτρον de nitro Africano interpretantur, quasi ἀφρὸν νίτρον legeretur aut *aphronitrum* diceretur pro Aphro nitro sive Africano. Quod profectò joculare est. In ea tamen sententia duo Arabum præstantissimi scriptores Serapio & Avisena. Ille in transferendis illis ipsis Galeni verbis, quæ supra attulimus, nominatim citato Galeno teste sic habet: *Differentia est inter baurach Africæ, quod dicitur spumosum; & inter spumum baurach. Quod spuma baurach est medicina desiccativa, & color ejus est similis farinæ tritici in hoc, quod ipsa est alba, & non est sicut flos lapidis Asii, neque talis coloris. Sed baurach Africæ non est dissolutum sicut farina; immò est coagulatum, adgregatum, & est illud, quo utuntur quotidie homines ad lavandas sordes.* Si cum his conferas ac compares Græca, quæ paulo ante ex Galeno citavimus, interpretationem hanc illorum esse videbis. Sed ἀφρόνιτρον accipit pro nitro Aphro vel Africano. Avisena quoque capite de Baurac, differentiam facit inter spumam nitri, quam vocat زدى البورق, & inter nitrum Africanum, quod appellat بورق الافريقي, *baurac Alafrici*, id est, nitrum ex Africa. Græcorum ἀφρόνιτρον omnino intelligit, eamque hausit differentiam ex loco supra scripto Galeni, ut & Serapio. Martialis hoc ἀφρόνιτρον balnearium, quod est nitri genus spumosum, *nitri spumam* interpretatur hoc disticho perperam:

Rusticus es? nescis, quid Græco nomine dicar?
Spuma vocor nitri. Græcus es? Aphronitrum.

Multum hæc inter se distant nitri spuma, & ἀφρόνιτρον sic propriè vocatum. Nitri generis meminit Serapio, quod vocari dicit nitrum panis, quo populi quidam utuntur in pane, linentes eum, priusquam coquatur. Plinius quoque scribit veteres usos esse *chalastræo* nitro vice salis in pane. Vocavit *chalastricum* initio capitis. Sed χαλαςραῖον verius. Antiphanes inter genera condimentorum recenset & nitrum: Σησάμε, λίτρε, κυμίνε, ἐξ μέλιτος, ὀριγάνε. Nitrum illud, quo ad condiendum panem utebantur, proximum esse sali scribit idem Plinius, & lacum esse in Chytis Macedoniæ nitrosum, exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fieri nitrum circa ortum caniculæ, quod statis diebus lacui innatat. *Quo apparet*, inquit, *soli naturam esse, quæ gignat; nec soles profore quidquam, cum cesset, nec imbres.* Ita legimus ex vetusto & optimo codice, qui habet *proferre*. In Ægypto aliter fiebat. Modum eum Plinius ibidem explanat: *In Ægypto conficitur multò abundantius, sed deterius; nam fuscum lapidosumque est.* Hoc nitrum potest vocari λίθος βορακίς. Atque ita possumus accipere apud Myrepsum, non tantum de chrysocolla. Nam Arabicè بورق, *borac*, est nitrum. Addit protinus: *fit panè eodem modo, quo sal, nisi quod salinis mare infundunt; Nilum autem nitrariis.* Nili aquam ad faciendum nitrum nitrariis infusam idem valere, quod marinam, quæ salinis infunditur, faciendo sali innuere videtur. Sed aliter se habet. Aqua Nili non est materia nitri, ut mare est salis. Minimè quippe nitrosa Nili aqua. Sed eandem habet analogiam ad nitrum conficiendum Nili aqua, quam aqua dulcis ad faciendum salem. Nam aquam dulcem pariter cum marina salinis affundunt. Ita ergo & Nili aquam nitrariis affundebant. Imbres

A in aliis locis idem præstabant, quod Nili aqua in Ægypto, quia ibi minimè pluebat. Quin etiam, si quando ibi plueret, quo tempore nitrum conficiebatur, minus addebant à flumine. Idem Plinius: *Si etiam imbres adfuerint, minus à flumine addunt.* Nitri vero succus, vel aqua nitrosa densando & compingendo nitro ἀνάλογον quid habet cum aqua maris, ex qua fit sal. *Nitrarias* vocat Plinius, quæ Græcis νιτρεῖαι. Perperam vertunt *nitri fodinas.* Inde νιτρειώτης νόμος in Ægypto, ubi erant nitrariæ. Ineptè Isidorus nitrum dictum ait à loco

B Ægypti: *Nitrum à loco sumpsit vocabulum. Nascitur enim in loco vel regione Ægypti Nitria.* Immò *Nitria* à nitro, quod ibi fiebat, & nitrariis, quæ ibi erant, ut ταριχεῖαι & similia loca. Plinius in ea voce corruptus: *Nitrariæ egregiæ Ægyptiis: Nam circa Naucratim & Memphim tantum solebant esse, circa Memphim deteriores.* Ut hæc verba sonant, separare videtur loca circa Memphim & Naucratim ab Ægyptiis. In veteri codice est: *Nitri egri Ægyptiis.* Scribe: *Nitriæ agri Ægyptiaci.* Significat Nitrias locum esse agri Ægyptiaci, ubi optimæ erant nitriæ vel nitrariæ. Stephanus: Νιτρεῖαι, τόπος Αἰγύπτε. Inde Nomos Nitrioticus. Idem Plinius de nitrariis Ægypti: *Excedente Nilo siccantur,*

C *decedente madent succo nitri quadraginta diebus continuis, non ut in Macedonia statis.* Melius legas ex vestigiis scripturæ veteris: *Accedente Nilo siccantur.* An eo modo hodie fiat nitrum in Ægypto ut olim, nescio; nec vidi, qui tradiderint. Passim Alexandriæ & in Cairo venale haberi vili pretio narrant. Quinimmo & planities camporum totas nitro obsitas ibi reperiri memorant, qui loca illa perlustrarunt. Isidorus scribit in Nitria Ægypti regione,

D *ubi æstate pluviæ prolixiores telluri infunduntur, adurere sideris ardorem tantum, qui aquas pluviales per latitudinem arenarum concoquat in petram.* Mentitur tamen de largioribus pluviis æstivis. Nam rarò ibi pluere constat, nec tantus solis æstus in illis locis, quantum dicit. In petram concoqui nitrum, & sali vel glaciei adspectu simillimum tradit. Sic & *sal petra* dici queat, quomodo hodie dicitur diversum genus ab illo. Nullam hoc tempore curam aut artem videntur adhibere Ægyptii conficiendo nitro, sicut antiquitus solebant in nitrariis; sed colligere id, quod sponte nascitur, nihil industriæ debens. Et sanè nullum operæ pretium, cum per universam Europam

E res sit hodie non modo inusitata, sed invisitata, quæ plurimi maximique usûs olim fuit, non medicinæ tantum, sed etiam vitæ in aliis rebus. Hinc μητρωνικὸν νίτρον & παρθένιον apud Medicos, quo matronæ & virgines in balneis utebantur. Frequentia autem balneorum apud veteres immanem vim nitri & aphronitri exhauriebat, nunc nullam. Inter alia & tincturis, quod sordidum erat, serviebat. Plinius: *Ad aliqua tamen sordidum tanquam ad inficiendas purpuras tincturasque omnes.* Plutarchus tamen in libro de oraculorum defectu, nitrum cocco tantum tingendo adhiberi solitum innue-

F re videtur his verbis: ἀλλὰ γὰρ ἄλλοις οἰκεῖα καὶ πρόσφορα, καθάπερ τῆς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος, τῆς δὲ κόκκε τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν μεμιγμένον. Fabulosum falsumque puto, quod scribit Plinius, circa Memphim nitrum *lapidescere in acervis, multosque esse tumulos ea de causa saxeos: facere ex his vasa.* Videri vult frequentes tumulos saxeos, qui circa Memphim sunt, ex nitro esse in lapidem converso. Quod nescio, an apud aliquem auctorem legerit. Sed vasa etiam ex nitro, cui rei nescio; cum certum sit nitrum aqua liquescere

G ac solvi, ut docet Aristoteles in Metereologicis lib. IV. Viderat fortasse vasa inducta nitro & incrustata, quæ tota putavit ex nitro constare. Sic est Plinius. Hodierno quoque tempore Ægyptii vasa solent nitro incrustare, quod & olim factitatum scimus. Νιτρῶσαι dicebant, & περινιτρῶσαι. Addit protinus Plinius: *Nec non frequenter liquatum cum sulphure coquentes carbonibus. Ad ea quoque, quæ inveterari volunt, illo nitro utuntur.* Illo nempe nitro liquato & cum sulphure cocto. Quid tamen velit, non assequor. Inveterari de his semper dicit, quæ servantur in sale ac conduntur

duntur, ut durent. Sic caules cocti inveteratos dixit, qui ad vetustatem servati sunt. Sic de reliquis aliis herbis. Nitratâ aquâ cauliculorum folia adspergi solita, ut essent viridiora legitur apud Martialem:

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,

Nitratâ viridis brassica fiat aquâ.

Sed sulphuris ad eam nullus usus. In coquendo addi nitrum cauliculis, ut virides existant, idem Plinius ostendit lib. XIX. cap. X. *Nitrum in coquendo viriditatem custodit.* De coliculis loquitur. Nitratâ igitur aquâ coqui intelligit Martialis. An nitro sicut sale condita inveterari queant, nescio. Nitrum scio teneriora reddere, quibus aspersum est. Idem Plinius de caulibus: *sunt qui plantam in transferendo alga subdita, pediculo, nitrove trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putent. Sunt, qui semen trifolii, nitrumque simul tritum adspergant foliis.* Nescio, an verum dicat Plinius de semine trifolii. Sed nec ideo nitro aspergitur, ut celerius ad maturitatem perveniat, verum ut facilior ad coquendum ac tenerior evadat. Paxamus in Excerptis Georgicis de brassica: διὸ χρὴ καὶ τριφύλλῳ ταύτῃ γινομένῃ νίτρον λεῖον, ἢ ἁλμυρίδα γῆν διὰ κοσκίνου καταπασθεῖσαν πάσσειν, ὡς δοκεῖν αὐτὴν πεπαχνῶσθαι· τούτῳ γὰρ τρόπῳ καὶ ἑψανωτέρα γίνεται. Quia Latini *coctos fructus* pro maturis plerumque ponunt, & πέττεσθαι Græci, quod est coqui, de maturitate fructuum sæpe usurpant, ideo & Plinius ἑψανωτέραν, hoc loco accepit pro celeriore ad maturitatem. Κράμβῃ τριφύλλῳ id fieri debere Græcus auctor dixit, id est, cum brassica tria habet folia. Plinius trifolii semen inde expiscatus est hariolando scilicet. Ἁλμυρίδα γῆν adspergendam brassicæ, cum ejus est altitudinis, qualis est tribus foliis enatis, ipsamque in loco salso serendam monet Græcus scriptor. Inde & Plinius concepit genus esse brassicæ, quod plantæ magnitudinem non excederet, & vocaretur ἁλμυρὶς ab eo, quod in maritimis nasceretur. *Est etiam sua gratia*, inquit, *nunquam plantæ habitum excellentibus. Halmyridea vocant, quoniam non nisi in maritimis proveniunt.* Brassicæ speciem esse maritimam & in salsis ac maritimis nascentem sciunt herbarii, sed de quo non loquitur heîc Plinius. Locus ille de nitro liquato & sulphure cocto legitur in veteribus libris ad hunc modum interpolatus: *Faciunt ex his vasa, nec non frequenti liquatum cum sulphure coquentes in carbonibus. Nitrariæ in quibus & rufum quoque, quas inveterari volunt illo nitro utuntur. Sunt & ntirariæ in quibus rufum exit à colore terræ.* Ita hæc extricanda ac distinguenda videntur: *Faciunt ex his vasa. Nec non & frequenter liquatum cum sulphure coquentes in carbonibus ad ea, quæ inveterari volunt, illo nitro utuntur. Sunt & nitrariæ quoque, in quibus rufum exit.* Quid voluerit Plinius, alii viderint. Sic recte ejus verba constitui posse reor. Puto etiam illo nitro liquato & cocto cum sulphure usos esse ad incrustanda vasa, ac male Plinium auctoris sui mentem cepisse, nec expressisse rufum nitrum, Græci πυῤῥὸν νίτρον & ἐρυθρὸν vocant, Dioscorides ῥοδωπὸν rosei coloris, recentiores βερονικάριον & βερνικάριον à colore βερνίκης, hoc est, vernicis sive succini. Nitri in Medis nascentis meminit idem: *Exiguum fit apud Medos canescentibus siccitate convallibus, quod vocant halmirhaga.* Libri legunt *almiraga* vel *almyraga.* Omnino scribendum halmyrada, ἁλμυράδα. ἡ ἁλμυρὰς vel ἁλμυρὶς terra salsuginosa, quam & ἁλμυρίδα γῆν vocarunt. Ἁλμυρίδες αἰγιαλοὶ Hesychio. Ex quercu cremata factum olim, idque postea omissum ibidem tradit, quo loco omnes libri constanter scribunt: *Namque aqua cremata nunquam multum factitatum est, & jam pridem in totum omissum.* Pro quo correxerunt. *Nam quercu cremata.* An quercus cremata nitrum faciat, nescio. Facile hujus rei experimentum. De aqua vellem dixisset Plinius, quomodo cremaretur, aut quod genus aquæ sumeretur ad nitrum faciendum. Aquam cremari Græce esset ὕδωρ καίεσθαι. Quod & de aliis liquoribus dicitur. Illud autem notum est, particulam *namque* sæpe à Plinio & aliis Latinis auctoribus initio orationis poni. Meminit Serapio facticii nitri, quod ex materia nitri fit ac plumbo & sale alchali simul mixtis coctisque. *Sal petrosum* vocari ait. Diversum quoque hoc ab illo, cui nomen apud nos *sal petræ.* Quod in fornicibus subterraneis per stirias distillans reperitur, quod minimum videtur abesse ab illo antiquo speluncario, de quo Plinius. Quod autem inter chrysocollam, quæ *borax* vulgo dicitur, & nitrum quod Arabes *baurac* appellant, aliquam esse cognationem iidem Arabes volunt; de genere chrysocollæ facticio fortasse id intelligendum, quæ ex alumine scisso & Ammoniaco sale fieri solet. Ideo & chrysocollam Serapio inter salium genera recenset. *Borax* etiam lapis Alberto Magno, qui in capite bufonum reperitur. Sed illi auctori nulla fides.

CAPUT CXXII.

De climia Arabum sive Cadmia.

Cadmia Arabibus dicitur *climia*. قليميا. Quod quidam pronuntiarunt *calimia*. Unde Græcis recentioribus καλιμία interdum scribitur. Inde nostris Gallis *calamina* vocata & *lapis calaminaris.* Quam vocem quidam præpostere deducunt ab Indico *calaem*, quod metalli genus est stanno simile haud longè à Malaca erui solitum. Cadmia lapis est, ex quo fit æs, quem *calaminarem* nuncupamus à *calamiâ* vel *calimia* Arabum, qui corruptè Καδμίαν sic vocitant. Ab Arabibus autem infinita vocabula mutuatos esse Gallos nihil immutata, docuimus in hoc opere. Multa Cadmiæ genera. Sed præter illa, quæ veteribus Græcis Latinisque sunt prodita, Arabes hoc eodem nomine ad exprimendam auri & argenti lithargyron, quam *climiam auri* & *climiam argenti* appellant. قليميا الذهب ، & قليميا الفضة ، *climia aldheb*, & *climia alfidda.* Græcis λιθάργυρος χρυσῖτις & ἀργυρῖτις. In quibus tamen vocabulis observandum χρυσῖτιν non dici, quod ex auro sumatur, sed quæ aurei sit coloris. Atqui Arabici vocabuli notio ex auro fieri & colligi eam indicat, qui vocant *cadmiam auri.* Quin & ipse Avisena capite de Argenti cadmia, non solum ex auro & argento, sed etiam ex ære & marchasita, qui est pyrites, cadmiam concinnari dicit. Verum, ut dixi, quæ χρυσῖτις λιθάργυρος Græcis vocatur, non ex auro ducit originem. Sic enim appellata, quæ aurei coloris est. Tria omnino lithargyri genera Græcis traduntur, chrysitis, argyritis, & molybditis, sive ut Dioscorides habet, calauritis. Plinius, qui sumpsit à Græcis, ita ea genera recenset: *Genera ejus tria: optima, quam chrysitin vocant: secunda, quam argyritin: tertia, quam molybditin.* Videtur autem intellexisse à colore sic singulas dictas, aureo, argenteo & plumbeo. Ita enim statim subjicit: *Et plerumque omnes hi colores in eisdem tubulis inveniuntur.* De chrysiti verum est. De argyriti & molybditi falsum. Hæc enim plumbi spuma est, illa argenti, & inde nomina. Chrysitis autem ex ipsa vena fit, nempe ex plumbi metallo. Atque ita capienda Plinii verba: *Chrysitis ex vena ipsa fit: argyritis ex argento: molybditis plumbi ipsius fusura, quæ fit Puteolis.* Ex vena ipsa chrysitin fieri dicit, id est, ex ipso metallo. Quidam addiderunt *auri.* Ut intelligatur ex auri vena fieri chrysitin. Sed hoc falsum. Dalecampius legebat: *ex arena ipsa.* Nihil mutandum & de vena plumbi accipiendum. Dioscorides: λιθάργυρος ἡ μὲν πε-

τῆς

A τῆς μολυβδίδος καλουμένης ἄμμου γεννᾶται χωνευομένης ἄχρι τῆς τελείας ἐκπυρώσεως. Argyritin ex argento fieri Plinius ait. Non ita ſentit Dioſcorides, qui ut χρυσῖτιν ab aureo colore dictam innuit, ita ἀργυρῖτιν, quæ colore fuſco ſit, videtur appellare: καλεῖται δὲ ἡ μὲν ξανθὴ καὶ στίλβουσα χρυσῖτις, ἥτις ἐστὶ κρείττων· ἡ δὲ πελιὰ, ἀργυρῖτις. At quæ ex argento fit, Calabritim autumat vocatam: ἡ δὲ ἐκ τοῦ ἀργύρου Καλαυρῖτις. Non ἀπὸ τῆς Καλαβρίας hoc ἐθνικὸν, ſed ἀπὸ τῆς Καλαυρίας, quæ parva eſt inſula haud longe à Creta. Neſcio, an inde nomen invenerit lithargyros calauritis. Perperam in editiobus Dioſcoridis legitur vulgò in verB bis paulo ante allatis: ἡ δὲ ἐν Σικελίᾳ ἀργυρῖτις. Libri habent, ut poſuimus, & in his antiquiſſimus, ἡ δὲ πελιὰ ἀργυρῖτις. Quæ colore eſt flavo, dicitur χρυσῖτις, quæ fuſco ἀργυρῖτις. Hæc mens auctoris. Fortaſſe an tamen ſcripſerit, ἡ δὲ πολιὰ, quæ cana eſt & alba, inſtar argenti. Heſychius πολιὸς, λευκός. Dixerit aliquis argentum à frabri factura ac politura recens, apparere πελιόν. Præterea hæc lithargyros ex plumbo fit, vel plumbi laminis incenſis, & colorem inde trahit plumbeum, id eſt, πελιόν. Profecto ſi χρυσῖτις ex ipſa vena ducitur, id eſt, ex arena, quæ plumbum facit; *Calauritis* autem ea dicitur, C quæ fit ex argento, neceſſe eſt tertiam ex plumbi laminis fieri. Atque hæc eſt ἀργυρῖτις Dioſcoridis, à colore ſic appellata. Profecto & Serapio legit in verbis Dioſcoridis πελιά. Nam interpres ejus vertit *purpuream*. Ita accipit Serapio τὸ πελιὸν pro purpureo, quia purpura quædam atra & livida. Melius tamen dixeris hæc tria genera lithargyri, chryſitin, argyritin, & molybditin à colore appellationes iſtas inveniſſe. Quod Plinius ex aliquo auctore rectè poſuerat his verbis: *Et omnes hi colores in iiſdem tubulis inveniuntur.* Nempe lithargyro aureo, argenteo & plumbeo colore. Nam hodieque in metallorum fornacibus, ubi recoquitur & purgatur argentum ab æris & plumbi D admixtione, interdum aurei, interdum argentei coloris exiſtit lithargyrus, perinde ut in argento plus æris fulvi aut plumbi admixtum continetur. Quæ Plinius ſtatim ſubjunxit, ab alio accepit auctore, nec conveniunt cum ſententia, quam præmiſit de generibus lithargyri per colores diſtinctis, nomine inde facto. Sic ubique ſolet auctor ille: ex diverſis ſcriptoribus res plerumque contrarias in unum colligit cinnum. Vera eſt conjectura noſtra apud Dioſcoridem: ἡ δὲ πολιὰ ἀργυρῖτις. Ut lithargyrus chryſitis à colore flavo E appellationem habet, ita argyritis à candido, quem ille vocat πολιόν. Poeta: πολιόν τε σίδηρον. Grammatici interpretantur λευκὸν καὶ λαμπρόν· ὅταν γὰρ κλασθῇ ὁ σίδηρος, φαίνεται λευκός. Vetus illa menda eſt apud Dioſcoridem πελιὰ pro πολιὰ, quam & Serapio agnoſcit. Hodie quoque duo potiſſimum frequentantur lithargyri genera, album & aureum. Album ex Sicilia afferri aiunt. Auctores antiqui, qui tertium genus accudunt, decepti videntur. Plinio dicitur *molybditis*, quæ ex plumbo fit. Atqui cætera quoque genera ex plumbo habent originem vel ex vena F plumbi, cui argentum aut æs admixtum. Tertia illa ſpecies Καλαυρῖτις Dioſcoridi appellatur, quam ex argento fieri dicit. Nihil illa ſpeciale habet niſi patriæ locum. Quid ſit lithargyrus, Latini nomine ipſo indicant, quo *ſpumam argenti* indigetant. Iſidorus: *Argenti purgamenta lithargyrus, quam nos ſpumam argenti appellamus. Fit autem ex argento & plumbo.* Et rectè quidem ille. Purgamentum certè argenti lithargyrus, ſed quod ſupernatat in fuſura & coctura. Plinius: *Omnis autem fit excocta ſua materia ex ſuperiore catino defluens in inferiorem & ex eo ſublata vericulis atque in ipſa flamma convolutata ei rei, ut ſit modici ponderis.* Sic legen-G dum. Aliud argenti purgamentum ſcoria, quæ fæx eſt: eoque diſcrimine diſtat à lithargyro, quo ſpuma à fæce poteſt differre. Σκωρίαν ἀργύρου Græci dicunt, quæ & ἕλκυσμα. Sic enim ſcribendum, non ἔγκαυμα, ex antiquiſſimi codicis auctoritate apud Dioſcoridem: ἡ δὲ τοῦ ἀργύρου σκωρία καλεῖται ἕλκυσμα. Arabes vocant خبث الفضة, *chabat alfidda*, id eſt, argenti ſcoria. Cum igitur lithargyrus ſpuma ſit & purgantis ſe materiæ vitium, quod & ἄνθος ἀργύρου dixere Græci, quod in ſummo natet & effloreſcat ferveſcentis argenti, plumimum diſtat hoc nomine ab omni cadmiæ genere; ut mirandum ſit Arabas *Cadmiam auri* appellaſſe τὴν χρυσῖτιν λιθάργυρον, & *Cadmiam argenti* τὴν ἀργυρῖτιν. Error jam magnus in hoc, quod *auri Cadmiam* vocarunt, quæ ex auro non fieret, ſed auri tantum colore eſſet. Sic impròprie lithargyrum auri nominant, quibus perſuaſum eſt ex auro venire, ſed diſerte Aviſena tradit ex auro fieri illam Cadmiam, ut quædam fit ex argento, & ære, & pyrite lapide. Videtur molybdænam confudiſſe cum lithargyro, quia ſpeciés eſt lithargyri. Sanè ſcribit Dioſcorides optimam eſſe molybdænam, quæ λιθαργυροφανὴς, ξανθὴ, ὑποστίλβουσα. Pares præterea effectus habet lithargyro. Ex auro & argento fieri amat: ἐξ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ γεννᾶσθαι. Hinc igitur Aviſena τὴν χρυσῖτιν lithargyrum cum molybdæna λιθαργυροφανεῖ, quæ ex auro fit, confudit. Nam & μολύβδαιναν quidam Arabum vocant المرتك الموان.

Ita repperi in vetuſto codice Dioſcoridis, cui ex Arabico nomenclaturæ antiquâ manu adſcriptæ ſunt. Ubi *mulud* debet eſſe corruptum pro μολυβδός. *Martak* autem eſt lithargyros, de quo infra. Erat & Cadmia, quæ in argenti fornacibus fiebat, deterior tamen ærariâ, teſte Plinio, lib. XXXIV. cap. X. de Cadmia: *Fit ſine dubio hac & in argenti fornacibus candidior & minus ponderoſa, ſed nequaquam comparanda arariæ.* Hæc erit & climia argenti Aviſenæ proprie vocanda, quam ex argento fieri dicit, ut ex ære & marchaſita, quæ vera ſunt cadmiæ genera. At illam argenti cadmiam confudit idem cum lithargyro argyriti; ut lithargyron chryſitin, quam vocat auri cadmiam, non ſolum confudiſſe convincitur cum auri molybdæna, ſed etiam cum æris cadmia, dum illi notas aliquot & epitheta attribuit, quæ ſoli æris cadmiæ conveniunt. Sic igitur ſcribit de cadmiæ auri probatione, ſicut ad verbum vertimus. ELECTIO. *Melior eſt aurea, racemoſa, cinerea, coloris viridis & laminoſa, craſſior.* Quod ait meliorem eſſe auream, ad lithargyron referri debeat ex his verbis Dioſcoridis, ἡ μὲν ξανθὴ καὶ στίλβουσα χρυσῖτις κρείττων. In Arabico eſt الذهبي, *aldhebi*, aurea, vel aurei coloris. Cætera, quæ ſequuntur, prorſus pertinent ad Cadmiam æris, quæ vera eſt Cadmia Græcorum. Racemoſa non eſt lithargyros, ſed optima Cadmia. Dioſcorides: Καδμία ἀρίστη μὲν ἡ Κυπρία, ἐπικαλουμένη δὲ βοτρυῖτις. Notas optimæ Cadmiæ cum notis præſtantiſſimæ lithargyri miſcet. العنقودي, *albuncudi*, racemoſa, βοτρυῖτις. Nam عنقود, *buncud*, racemus. Sequitur: *cinerea, coloris viridis.* Et hæc in laudibus Cadmiæ ærariæ optimæ, quæ racemi formam habet. Dioſcordes: ἔχουσα τὴν ἐπιφάνειαν βοτρυώδη, χρώματι σποδοειδὴς, θλασθεῖσα δὲ ἔνδοθεν τεφρὸς καὶ ἰώδης. Colore cinereo & fracta intus cinerea & viridis. الطري, quod in Arabico legitur, viridem potius atque ἰώδη deſignat, quam quomodo interpres reddidit, *recentem.* Quod nihil ad rem facit hoc loco. Profecto verbum طري etiam renovari & recentem eſſe ſignificat, ſed etiam viridem ut frondes, quæ verè de novo prodeunt & vere renovantur. Sic χλωρὸν Græci & de colore uſurpant & de recenti. Ut χλωρὸς τυρὸς, recens caſeus; χλωρὸν σῦκον, recens ficus; & χλωροὶ φοίνικες, recentes palmulæ, quæ ſiccis & conditis opponuntur. Nunc vide, quomodo hæc inter ſe concordare queant. Poſtulat, ut eligenda auri lithargyros aurei ſit coloris, & tamen idem vult cineream eſſe & viridem. Cadmiam ærariam eandem nimirum facit cum chryſiti lithargyro. Addit & laminoſam & craſſiorem debere eſſe. In Arabicis ſcribitur الصفايحي, à nomine صفيحة. Quod laminam & bracteam deſignat. Πλακωτὴν igitur Cadmiam ſignanter expreſſit, quæ & πλακῖτις. Dioſcorides: ἔστι δὲ καὶ πλακωτὴ λεγομένη ὡσπερεὶ ζώνας ἔχουσα τὰς

τῆς διαφύσεως, ὅθεν καὶ ζωνίτην αὐτὴν ἐκάλεσαν. Hæc pluribus veluti cruſtis conſtat ſive laminis. Cæterum duo iſta diverſa genera Cadmiæ πλακωτὴ & βοτρυΐτις, ut diverſa forma eſt racemi, & cruſtæ. At noſter Aviſena de uno eodemque genere, quod vult eſſe probatiſſimum, hæc duo ſimul requirit, ut racemi effigiem habeat, & laminæ ſive cruſtæ inſtar. Quod etiam exigit, ut ſit craſſior hæc lithargyris, Cadmiæ botryitis propriam rem deſiderat, quam & πυκνὴν & βαρεῖαν μέσως vult eſſe Dioſcorides. Non igitur eo capite propoſuit Aviſena de lithargyro tractare, utcumque videatur ea admiſcuiſſe, quæ pertinent ad lithargyrum chryſitin aut molybdænam auri; ſed de Cadmia. Quod etiam magis oſtendit caput ſequens, quo de Cadmia argenti diſſerit. Nec aſſentior Viris doctiſſimis, qui per *Cadmiam argenti* intelligi putant oportere lithargyrum argyritin, quam vulgus *lithargyrum argenti* appellitat. Eo capite Cadmiam ex argento fieri ait, ut ex ære & pyrite lapide, quem vocat *marcaſitam*. Ergo de ea Cadmia exponendus eſt, quę ex argenti metallis gignitur, quę vera Cadmia eſt, non lithargyrus; bonitate tamen poſtponenda ęrarię. De ea Plinius loco, quem ſuperius produximus. Dioſcorides capite de Cadmia: γεννᾶται δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀργυρείων λευκοτέρα καὶ κουφοτέρα, ἥσσω καὶ κατὰ δύναμιν ἧττων. Plinius τὰ ἀργυρεῖα vertit *argenti fornaces*. Immo argenti metalla ſunt. Τὰ χρυσεῖα, in quibus auri vena effoditur. Ita & τὰ ἀργυρεῖα. Differentię ratio in eo ſita, quia ſi de metallis accipimus, de genere quoque Cadmiæ metallico erit accipiendum. Sin de fornacibus, facticiam inde Cadmiam debebimus colligere. At illud verum. Non bene heic igitur Aviſena Cadmiam argenti ei Cadmię comparat, quę ex ęre fit, & lapide pyrite. Facticię enim ſunt & in fornacibus exiſtunt, in quibus uritur pyrites, aut æs funditur. Sed in eodem errore Plinius, qui ſimiliter τὰ ἀργυρεῖα pro argenti fornacibus ſumpſit. Cæterum Aviſenam de vera Cadmia, non de lithargyro loqui voluiſſe illo capite docet definitio, quam adhibet ad explicandam illam Cadmiam. Dicit enim eſſe fæcem, quæ elevatur & intricatur, vel fumum. Ita enim lego in Arabico. الشبكي, non السبكي. Sic vocat eam ſpeciem Cadmiæ, quæ tollitur in cacumen fornacis, & ibi implexa adhæreſcit racematim. Nam شبك eſt implicare, intricare. Unde شبكة, *ſabia*, laqueus, rete, caſſis. Addit ſtatim, eam ſpeciem, quæ deſcendit & inferiora petit, laminæ vel cruſtæ inſtar habere: صفايحي, quod eſt πλακωτή. Hoc habet è Galeno, qui Cadmiam fornacum in duo præcipue genera dividit, in βοτρυΐτην & πλακίτιν. Racemoſam aggregari dicit in ſupremo fornacis tholo, laminoſam in inferioribus partibus ſubſidere. Cadmia itaque argenti, de qua ibi tractat Aviſena, non eſt lithargyrus argenti, ſed vera Cadmia, quæ in argenti metallis reperitur, ut etiam idem Galenus aſſerit. Ex eodem genere debet eſſe & Cadmia auri, quam ſimiliter ex auro fieri docet, quemadmodum fit ex argento & ex ære. Sed neminem ſcio veterum, qui ſcriptum reliquerit Cadmiam ex auro fieri vel in metallis auri reperiri. Aut λιθάργυρον χρυσῖτιν aut molybdænam auri perperam transformavit in auri Cadmiam; præſertim cum illo capite de auri Cadmia notas omnes recenſeat, quæ in Cadmiam legitimam conveniant excepto colore aureo, quem in ea ante omnia deſiderat. Maximum denique argumentum duobus illis capitibus de auri aut argenti lithargyro non habuiſſe in animo dicere Aviſenam, quod aliud caput habet de lithargyro, quam vocat *merdeſengi*, مرداسنج. Sic etiam λιθάργυρον interpretatur vetus Gloſſator Arabs apud Dioſcoridem in antiquo exemplari, qui & aliam adſcripſit nomencla-

A turam Arabicam مرتك, *martac*. Sic vocat Serapio Dioſcoridis lithargyrum, cujus totum caput tranſcripſit ſub illo nomine, ut Aviſena ſub titulo *merdeſengi* deſcripſit lithargyrum Græcorum, nominatim etiam citato Galeno. Ubi dicit eſſe plumbum incenſum. Fieri ex plumbo incenſo ſignificat. Dioſcorides de hoc genere: πλείστη δὲ ἐν τοῖς τόποις γεννᾶται μολύβδων ἐλασμάτων ἐκφλογουμένων. *Ex plumbi laminis ignitis*. Addit Aviſena fieri etiam ſine plumbo. Mirum eſt, eo loco nullam illum facere mentionem lithargyri chryſitis & argyritis. Suſpicari

B inde liceat, eas ſub appellationibus *cadmiæ auri* & *cadmiæ argenti* complexum eſſe, cum tamen germanam cadmiam capitulis illis exequutus ſit. Nunc genera cadmiæ proſequenda. Summa diviſio in foſſilem ſive metallicam & facticiam. Nimis argutantur, qui foſſilem à metallica diſtinguunt, cum idem ſit metallicum & foſſitium, μεταλλικὸν καὶ ὀρυκτόν. Quod alibi oſtendimus. Quæ ex metallo eruitur, hæc eadem metallica & foſſilis. Sed operæ pretium videre diſtinctionem. Metallicam appellari ajunt per excellentiam, quæ multum æris & argenti continet. Foſſilem vero, quæ nihil ex utroque habeat. Ridicula ratio. Metallica illa, quoniam foditur, etiam

C foſſilis eſt. Et quam foſſilem vocant, quandoquidem & ex metallo venit, etiam metallica merito appelletur. Nam & lapides metalla ſunt, non tantum æs & argentum vel aurum. Quidquid denique eruitur, ſub hoc nomen cadit. Unde aloë metallica Plinio, quæ ὀρυκτὴ ἀλόη Dioſcoridi. Stulte fabricatum & illud diſcrimen, quo metallicam quidem cadmiam, quæ æs & argentum habet admixtum, inutilem medicinæ aſſerunt: foſſilem vero, cui nihil ex ære & argento acceſſit, uſui eſſe medicis contendunt. Quid ita hoc putare inducti ſint, nullus perſpicio. Immo videretur verius contrarium.

D Quanto enim veriſimilius naturalem illam Cadmiæ venam, in qua æs & argentum reperitur, utilem medicinæ videri, quam quæ nihil horum contineat? Profecto illa ipſa Cadmia eſt, quam in uſu commendant veteres, ex qua æs conflatur, ex qua fit cinis ſpodii vicem obtinens & pompholyx & ſpodium. Sed fefellit eos Plinius, ipſe prius falſus, cujus hæc verba ſunt: *Ipſe lapis, ex quo fit æs, Cadmia vocatur, fuſuris neceſſarius, medicinæ inutilis*. Inter metallica cadmiæ genera lapideam reperiri, quidam ex veteribus affirmarunt. Unde & lapidem multi vocarunt illam cadmiam, inter quos & Plinius. Hæc porro eſt quam

E hodieque *lapidem calaminarem* nuncupamus, hoc eſt, lapidem Cadmiæ. Arabes dicerent حجر القليميا, *hagjar alclimia*. At Dioſcorides eos reprehendit, qui putarent aliquem ejuſmodi lapidem in metallis inveniri, qui genuina eſſet Cadmia. Nam ſimilitudinem quidem illum habere Cadmiæ, cæterum inutilem eſſe & nullius virtutis. Ea ſimilitudine deceptos quamplures temere lapidem illum pro vera cadmia habuiſſe. Verba ejus adſcribam: ἔνιοι δὲ καὶ ἐν μετάλλοις λιθίνοις φασὶν εὑρίσκεσθαι καδμίαν πλανώμενοι ὑπὸ λίθων πολλὴν ἐμφέρειαν ἐχόντων, ὥσπερεὶ καὶ ὁ ἐν τῇ Κύμῃ λίθος

F εὑρισκόμενος, δύναμιν δὲ οὐδεμίαν ἐνδεικνύμενος. Plurima deinde indicia ſubjicit, quibus deprehendi poſſit lapidem illum diverſum eſſe à cadmia. Primum quod levior ſit cadmia. Deinde quod manducatus palato reſpondet, & dentes inter mandendum veluti indignentur & crepitent; cum cadmia morſum admittat, nec dentes fatiget. Sic Græca, quibus hoc dicit, legenda ſunt: ἐπιγινωσκόμενοι αὐτὸν ἐκ τοῦ κουφοτέρους αὐτοὺς εἶναι τῆς Καδμίας καὶ διαμασηθέντας μὴ ἐπιεικεῖν τῇ γεύσει, ἀγανακτεῖν δὲ τοὺς ὀδόντας, εἰ λίθος εἴη τῇ μασήσει· εἰ δὲ Καδμία εἴη, ἀνέ-

G χεσθαι τῆς διαβρώσεως συνηχήσεως αὐτοῖς. Alia inſuper diſcernicula commemorat. Cadmia ex aceto trita, & in ſole ſiccata ſubſidit & minor fit, quod non facit lapis. Sic etiam Græca debent emendari: ἔτι διαχεῖνεται καὶ τῷ τὴν μὲν Καδμίαν λειοτελεσθεῖσαν σὺν ὄξει, καὶ ξηρανθεῖσαν ἐν ἡλίῳ ἐπιζεῖν, τὸν δὲ λίθον μὴ πάσχειν τοῦτο. Vitioſe legitur ἐκπιέζειν, quod vertunt *coire*.

 Puſilla

Pusilla cætera menda omitto. Est aliud præterea, quo discriminantur. Lapis ille comminutus, & in ignem positus dissilit, & fumum igni concolorem emittit, cum patiens ignium sit cadmia, & fuliginem ejaculatur luteo colore & ahena veluti luce coruscantem, versicoloris zonæ modo. Postremo lapis ille incensus ac refrigeratus, colores mutat, & levior evadit, ubi cadmia nec de pondere tantillum, imminuat, nec de colore variat, nisi per multas horas exuratur. Ex his omnibus apparet Dioscoridem hoc velle, ut cadmia terra sit magis quam lapis; immo nullum lapidem esse contendit, qui pro cadmia metallica debeat accipi, quod quidam faciebant de certo lapidis genere, qui similis erat cadmiæ, cum nulla simili censeretur proprietate ac potestate. Non tamen posteros habuit huic suæ sententiæ per omnia faventes ac propitios Dioscorides. Nam Galenus disertis verbis testatur rectè eos facere, qui lapidem appellant hanc cadmiam metallicam. Quin immo tradit, cum in Cypro insula fuisset, multos inde reportasse cadmiæ metallicæ lapides & amicis donasse; à quibus gratiam se dicit inisse, quasi maximo munere dato. Lapides illos in montibus ac rivis reperiri ibidem affirmat, & hanc esse cadmiam præstantissimam, quæ lapidosa, λιθώδης, jure meritoque suo debeat nominari. Quis inutilem medicinæ hunc lapidem dixerit, quem adeo commendat Galenus? Quid igitur Plinio faciemus, cujus hæc verba sunt: *Ipse lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis.* Duas ut solet miscuit sententias. Dioscorides lapidem quendam cadmiæ similem metallicæ pro cadmia quibusdam haberi dicit, qui nullarum est virium. Negat autem ille ullam lapidosam inveniri cadmiam. Hoc habet ex aliquo antiquo auctore, à quo etiam Plinius accepit. Juxta horum igitur sententiam scribit Plinius, lapidem cadmiæ similem & pro cadmia habitum inutilem esse medicinæ, quia teste Dioscoride οὐδεμίαν δύναμιν ἐνδείκνυται. Atqui non hic est lapis, ex quo fit æs, quique fusuris æris necessarius habetur; sed ipsa cadmia terra, quæ fundendo æri serviebat. Eam cadmiam metallicam quidam terram vocarunt, quidam etiam lapidem. Festus: *Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Alii lapidem dixerunt, ut Posidonius apud Strabonem lib. III. ἐπεί φησιν ὁ Ποσειδώνιος, Κύπριος χαλκὸς μόνος φέρει τὴν καδμίαν λίθον, καὶ τὸ χαλκανθὲς, καὶ τὸ σπόδιον. Galenus quoque hoc arbitrarium facit, utrum terram quis hanc cadmiam appellet, an lapidem. Magis tamen eò inclinat, ut lapidis nomine donanda sit. Dioscorides contra sentit, quem ex eo colligas terram vocandam censere, quod neget lapidem cadmiam extare & falli eos asserat, qui existiment ἐν λιθίνοις μετάλλοις inveniri, deceptos lapidis cujusdam similitudine, quæ cadmiam referat, potestate careat. Terrarum igitur generi, non lapidum cadmiam esse adscribendam judicavit. Rationes aliquot sententiæ suæ stabiliendæ ibi adfert, quas paulò ante exposuimus. Una inter alias lapidem non esse probat, qua docet cadmiam morsui non repugnare, sed facilè dentes intromittere. Quod lapidis veri natura non patitur, ut nec illius lapidis, quem pro cadmia nonnulli recipiebant. Nec vero putandum, aliam novisse cadmiam Dioscoridem, aliam Galenum. Sed Galeno lapis est, Dioscoridi terra. De Cypria cadmia uterque loquitur. Quin immo si Posidonio creditur, vera cadmia in Cypro tantum quærenda fuit. Plinius lib. XXXIV. in præfatione celebritatem hujus in Asia esse dicit, & quondam in Campania, additque, *nunc in Bergomatium agro extrema parte Italiæ. Feruntque nuper etiam Germania repertum.* Lapidem ibi vocat ærosum: *Fit & è lapide æroso, quam vocant cadmiam.* Idem lapis est, quem cap. X. ejusdem libri inutilem medicinæ dicit: *Namque ipse, lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, medicinæ inutilis.* Confundit cum illo lapide, quem cadmiæ similem esse scribit Dioscorides, qui nullius prorsus virtutis. Hic verè lapis. At de germana cadmia dubitatum, an lapis esset. Ad terræ substantiam magis accedebat. Sic de aliis multis metallicis variatum

A sententia & appellatione, utrum lapides dici deberent an terræ. Quidquid esset lapis in veritate, & naturam prorsus lapideam in metallicis præferret, nemo unquam repertus est, qui terræ nomen iis accommodaret. Talia sunt omnia, quæ sub lapidum appellationibus descripsit Dioscorides, ut lapis pyrites, hæmatites, lapis Asius, gagates, magnetes, & alii. Rursus & terræ genera sunt, quæ adeo extra controversiam in terrarum censum ab omnibus dedicantur, ut nunquam lapidis appellationem adsciscant. Tales sunt, quas sub hoc titulo tradunt medici, ut terra Erethrias, terra Chia, B Melias, Silinusia, Cimolia, & infinitæ aliæ. At metallica nonnulla habentur ambiguæ quodammodo naturæ, quæ quamvis ad terræ proprietatem magis pertineant, nihilosecius penes quosdam ex antiquis lapidis nomine notata reperiuntur. Armenia terra, Galeno teste, lapidis Armenii nomen habebat apud eum, qui sibi eam donavit. Sic Armenium pigmentum, quo utebantur pictores, lapidis quoque appellationem apud Plinium & alios quosdam ex antiquitate retinet. Qui propriè loquuntur, Ἀρμένιον simpliciter appellant aut Ἀρμένιον χρῶμα. C Nec enim lapis est, cujus inter notas, ut optimum sit, requirunt τὸ ἄλιθον. Chrysocollam, cærulum, ochram & alia multa similiter ad lapidum titulum censumque relegarunt nonnulli, quæ nec lapides propriè nec terræ sunt. In eadem categoria & cadmia nativa ponenda. Partim terram, alii lapidem vocarunt, ut ipse Galenus asserit. Negat disertè lapidem esse Dioscorides, qui Cadmiam metallicam in lapide nusquam reperiri contendit. Metallorum venæ aliæ terra sunt, aliæ lapis, ac aliæ limus crassescens, vel lutum siccatum, aliæ arena, quædam D partim lapis, partim terra. Sic ferri vena quædam lapidosa, quædam terrea. Cadmiæ venam sunt, qui lapidem appellant, sunt qui terram. Dioscorides non vult eam extare ἐν λιθίνοις μετάλλοις. Negat igitur esse lapidem, quem alii lapidem ærosum pro Cadmia vocant. Lapidem quidem etiam reperiri fatetur Cadmiæ similem, sed qui nullius sit virtutis. Ex eo lapide non fit æs, ut ex Cadmia. Non hac in parte ergo dissensio Dioscoridis & Galeni, quasi velit Galenus eum lapidem, qui Dioscoridi pro cadmia non habetur, cadmiam esse, sed veram ac nativam cadmiam Dioscorides nomine lapidis vocandum non putat, Galenus ita vocari posse E affirmat. De re non est controversia, sed de nomine. Non mirum autem cadmiam venæ naturalis lapidem quibusdam dici, cum ipsam cadmiam facticiam, quæ fornacum parietibus adhærescit crustæ modo vel laminæ, lapidem vocent. Certè Posidonius λίθον καδμίαν apud Strabonem nominat, quæ de cadmia fornacum sive facticia debet accipi. Æs Cyprium inter omnia æris genera cadmiam lapidem, & chalcanthes & spodium dare dicit: ὁ Κύπριος χαλκὸς μόνος φέρει τὴν καδμίαν λίθον, καὶ τὸ χαλκανθὲς καὶ τὸ σπόδιον: Cadmia facticia est, quæ ex ære fit, ut & spodium. F Nam è contrario, æs fit ex cadmia naturali. Unde Isidorus rectè: *Origo æris cadmia & chalcitis. Purgamenta æris cadmia, & ærugo, & æris flos.* Ita legenda hæc ejus verba. Sic & purgamentum est æris cadmia, & origo. Ex nativa cadmia originem ducit æs, ex ære autem cadmia facticia. Hoc est, quod Plinius dixit loco supra allato, *æs fieri ex cadmia, & hanc rursus in fornacibus existere, aliamque sui nominis originem recipere.* Idem alibi *ærosum lapidem* vocat cadmiam, id est, χαλκίτην λίθον, quia æris venam contineat. Sic χρυσῖτις ἄμμος, aurosa arena, quæ auri vena est. *Ærarium lapidem* etiam alibi appellat, qui Græcis χαλκίτης λίθος. Etsi cadmia æris & aliquando G etiam argenti aliquid habeat, atque ex ea fiat æs, propriè tamen alia est ab eo lapide, quem ærarium Plinius nuncupat. *Scolex, inquit, fit per se derasa ab ærario lapide, de quo nunc dicemus. Chalcitin vocant lapidem, ex quo & ipso æs coquitur. Distat à cadmia, quod illa super terram ex subdialibus petris cæditur, hic ex obrutis. Item quod chalcitis friat se statim mollis naturâ, ut videatur lanugo concreta. Est & alia distinctio, quod chal-*

chalcitis tria genera continet; æris & misyos & soreos: de quibus singulis dicemus suis locis. Habet autem æris venas oblongas. Probatur mellei coloris, gracili venarum discursu, friabilis, nec lapidosus. Sic legendus hic locus, in quo multa observanda. Correximus: *Scolex fit per se derasa.* Subintelligitur enim ærugo. Sic enim paulo ante: *Est & alterum genus æruginis, quam vocant scoleca*, id est, σκώληκα. Nam in libris habetur, *scoleaca*. Unde perperam fecerunt *scoleciam*. Græcis dicitur σκώληξ ἰὸς, id est, vermiculus æruginis. Non σκώληξ ἰός, ut perperam Viri docti autumant, nec *scolecia*. Plinio in indice manu exarato vocatur *scolex æris, medicina ex eo* XVII. Quod ait idem Plinius, scolecem æruginis deradi ab ærario lapide, omnino fallitur. Duo genera σκώληκος ἰοῦ Dioscoridi, unum fossile, alterum facticium. In ærugine autem rasili describendâ meminit & cujusdam generis æruginis, quæ in Cypriacis metallis efflorescit circa lapides, qui æs continent: γίνεσθαι δέ φασιν ἰὸν ἐν τοῖς Κυπριακοῖς μετάλλοις, τὸν μὲν λίθοις τισὶν ἐπανθοῦντα τῶν ἐχόντων τὸν χαλκὸν, τὸν δὲ ἔκ τινος σπηλαίου στάζοντα. Duo hæc genera æruginis ex naturali vena accipi solita. Alia etiam præterea species æruginis metallicæ, quam Græci σκώληκα vocant à forma vermiculari. Σκώληξ etiam ὀρυκτὸς dicitur Dioscoridi; qui & duo genera facit, unum ὀρυκτὸν, alterum σκευαστόν. Plinius vero scoleca fossilem confundit cum eo genere æruginis, quam reperiri Dioscorides ait circa lapides quosdam, ex his qui æs habent, floris instar emicantem. Hinc dicit ille scoleca deradi ab ærario lapide, de quo jam dicturum pollicetur. Lapis metallicus, qui venam æris habet, Græcis vocatur χαλκίτης λίθος, hoc est, λίθος ἔχων τὸν χαλκόν, lapis ærarius. Hæc vena est æris, ex qua æs coquitur & funditur. Inter lapides, quibus æs continetur etiam locum habet Cadmia. Nam & ex ea quoque æs conflatur. Pyrites quoque lapis venam æris inclusam habet, de quo non solum æs, sed etiam cadmia facticia paratur. De quo paulò post. Est præterea & *chalcitis*, metallicum genus nihil æris habens, sed sic appellatum ab æris facie. Dioscorides; τὴν χαλκῖτιν προκρίνει τὴν χαλκοειδῆ καὶ εὔθρυπτον καὶ ἄλιθον. Eo modo & χρυσῖτις lithargyros vocata, quæ nihil habet auri, sed ab aureo colore. Alio sensu dicitur χαλκῖτις λίθος de lapide ærario vel æroso, in quo latet æris vena. Ita χρυσῖτις ἄμμος vocatur auraria vel aurosa arena, quæ auri venam habet. Plinius τὸν χαλκίτην λίθον, qui lapis est ærarius, confundit cum χαλκίτιδι absolutè vocata, cui color æris tantum, quæ metallica est species nihil faciens ad æs fundendum, nec ullo modo æs ex se præbens. Præterea lapidosæ non est naturæ, sed terreæ magis. Unde γῆν χαλκῖτιν vocat Hippocrates, quam eandem esse cum chalciti simpliciter dicta in Lexico suo notavit Galenus. Judicium in eo Plinii requiro, qui lapidem χαλκίτην eumdem putat cum chalcitide absolutè sumpta, quam tamen minimè lapidosam esse dicit. *Gracili venarum discursu, friabilis nec lapidosus.* εὔθρυπτος καὶ ἄλιθος. Lapidem vult, non esse lapidosum. Res profectò mira: sic enim libri ejus legunt, non *lapidosa*, quia refertur ad lapidem ærarium, quem initio posuit *lapidem chalcitin* à Græcis vocari. At de chalciti alia, quæ terream habet naturam, hoc proditum à Dioscoride, & jure meritoque vult eam, quæ eligatur, ἄλιθον esse, hoc est, minimè lapidosam. Lapis vero ærarius planè lapis est, & lapidosæ naturæ. Et rectè quidem Plinius lapidem chalcitin à Cadmia distinguit, quia lapides præter Cadmiam etiam ærosi reperiuntur, ex quibus æs perficitur. Hi sunt, in quibus efflorescere æruginis nativæ genus in Cypriacis metallis Dioscorides memorat: Ἐν λίθοις τισὶ τῶν ἐχόντων τὸν χαλκὸν, *in lapidibus quibusdam ex his, qui æs habent.* Lapides isti λίθοι χαλκῖται Græcis, aut mutato genere χαλκίτιδες dicuntur. Nam ut notum Grammaticis, tam ἡ λίθος χαλκῖτις quam ὁ λίθος χαλκίτης dici potest. Et ipsa quidem Cadmia etiam λίθος χαλκίτης vocari meretur, quatenus æs quoque habet, & *lapis ærosus* Latinis nuncupatur. *Distat*,

A inquit, *à Cadmia, quod illa super terram ex subdialibus petris cæditur, hæc ex obrutis. Item quod chalcitis friat se statim, mollis naturâ, ut videatur lanugo concreta.* Accipio hanc differentiam, qua lapidem chalciten à Cadmia hoc nomine discernit, quod Cadmia cædatur ex lapidibus sub dio positis & apertis; lapis autem ærarius ex abditis & obrutis. Sed quod ait chalcitin friare se statim, & mollis esse naturę, ut videatur lanugo concreta, hoc non convenit in lapideam naturam, sed in terream, qualis est chalcitis diversa à lapide chalcite vel ærario. Subjungit:
B *est & alia distinctio, quod chalcitis tria genera continet, æris & misyos & soreos, de quibus singulis dicemus suis locis.* Manifesta hinc elucescit confusio lapidis chalcitis, & terræ chalcitis. Terra chalcitis, quę per se etiam dicitur chalcitis, misyos & soreos genera continet, nihil autem ęris. Nam & Galenus scribit, misy & sori cognata quodammodo esse chalcitidi & ex eadem veluti radice hęc tria producta, quę & genere invicem & virtute paria sunt. Lapis vero chalcitis is est, qui ęs intra se habet, nulla cognatione pertinens ad illam chalcitin, quę misy & sori continet. Addit statim idem Plinius: *Ha-*
C *bet æris venas oblongas.* De chalcitide verum est, venas eam habere oblongas, sed non æris, quod in lapidem ærarium tantum cadit. Dioscorides de chalcitide monet probandam esse, οὐ παλαιὰν, ἔτι δὲ ὡς ἴνας ἐπιμήκεις τε καὶ ἀποστιλβούσας ἐχούσαν. Non dicit venas æris eam habere, sed oblongas tantum ac relucentes. Venas habet æris lapis ærarius, ἡ χαλκῖτις λίθος. Subjicit idem: *probatur mellei coloris.* Hoc verum fortasse sit de lapide chalcite. At chalcitin Dioscorides probat τὴν χαλκοφανῆ, quæ æris est facie, non τὴν μελιχρῶν. Reliqua chalcitidi conveniunt, non lapidi chalciti vel ærario, ut friabilis sit & minimè lapidosus. Notandum interim, quod
D ait ibi Plinius, cadmiam cædi ex petris subdialibus. Id enim adprimè confirmat Galeni & eorum sententiam, qui cadmiam λίθον appellant, & contra Dioscoridem facit negantem in metallis saxeis inveniri Cadmiam. At lapidem chalcitin, qui diversus est à Cadmia, in obrutis & abditis rupibus, non in aperto inveniri idem scribit Plinius; quæ chalcitis, ut diximus, sori & misy cognata res est, nec lapis est, sed terra. Neminem autem præter Plinium memini tradere hanc chalcitin aliquid æris habere, aut æri fundendo ne-
E cessariam esse. Quin si certa est Grammaticorum veterum observatio, nec χαλκῖτις λίθος Græcè dicitur de lapide ærario, ut λίθος χρυσῖτις, & λίθος σιδηρῖτις, vel γῆ σιδηρῖτις. Pollux capite de metallis: οὐ γὰρ χαλκῖτις, οὐδὲ χαλκεῖα μέταλλα, ὥσπερ καὶ σιδήρου μέταλλα καὶ γῆ σιδηρῖτις. Mens ejus est, quam non videre interpretes, χαλκῖτιν non dici de terra aut lapide venam æris continente, ut σιδηρῖτις in usu est. Sed nec χαλκεῖα appellari unica voce æris metalla, ut χρυσεῖα auraria metalla vocantur, & ἀργυρεῖα argentea. Sane χαλκεῖα
F Græcè aliud sunt; nempe æramenta, vel vasa grandia ex ære, ut sunt cortinæ tingentium. Non alia porro Cadmia Dioscoridi nota vel hoc nomine digna habita præter eam, in qua esset vena æris. Hodie ostendunt traduntque lapidem quendam pro Cadmia subluteum, qui incensus luteum fumum emittit, quem nihil æris aut alterius metalli continere testantur. Utilem tantummodo asserunt fabris ærariis ad orichalcum faciendum, sine quo parari non possit. Hic est lapis quem vulgò
G *fossilem* vocant Cadmiam, & à metallica discernunt, quæ æs aut argentum continet. Sed frustra ea distinctio, cum utraque fossilis & metallica nominari queat, ut supra diximus. Cæterum de ea fossili & lutea Cadmia, cui nihil inest æris, dubito an sit lapis ille Dioscoridis, quem habitum pro Cadmia quibusdam dicit ob similitudinem. Nonnullam comperio differentiam. Lapis ille Dioscoridis, quæ falsa est Cadmia, verus lapis est & quidem durioris naturæ, adeo ut vix dentes recipiat. Hic contra mollior. Præterea idem

idem lapis fumum ei edere dicitur igni concolorem. Hic vero luteum dat incensus. At vera cadmia, teste eodem, favillam ejaculatur luteam, & ærei splendoris, αἰθάλην μηλίζουσάν τε καὶ χαλκοφανῆ. Quod magis convenit cum hac lutea cadmia. Αἰθάλη favilla est vel cinis albus ac levis, quam ignis in altum mittit, non *fuligo*, ut vulgò vertunt. Nam *fuligo* propriè ἀσβολὴ vel λιγνύς. Ex Græco Æolico φαιθάλη Latinum favilla, quæ prius *fabilla*. Sic οὖθαρ, uber. Æoles enim dicunt φαιφάλην pro αἰθάλην. Unde favilla. Ex cadmia, quæ nihil æris habet, vulgò fit præstantissimum genus æris lutei, quod *lotonum* vocitatur. *Orichalcum* veterum esse planè mihi persuadeo, quod similiter ex cadmia parabatur. Festi abbreviator: *Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Lexicum antiquum chimicum: Ὀρείχαλκός ἐστιν ὁ Νικαηνὸς ὁ διὰ καδμίας γινόμενος. Æris Nicaeni magna apud veteres celebritas, ut excellentissimi. Alexander Jatrosophista lib. VIII. Λαβὼν χαλκὸν Νικαηνὸν, ἢ Κύπριον, πυρὶ τὸ σύνολον μὴ συνομιλήσαντα. Ita legendum. Meminit & Epiphanius in libello de gemmis χαλκοῦ Νικαηνοῦ; quem locum etiam olim correximus & auximus ex scripto codice, capite de smaragdo: ἐν σκεύεσι χαλκοῖς βαλεῖν Νικαηνοῖς. Videtur flavum sive luteum hoc æs fuisse, ut Cyprium erat rubrum. In Bithynia autem hæc Nicæa, quæ Nicaeno æri nomen dedit & famam. Indidem etiam fuit antiquis memoratum æs Demonesium, Δημονήσιος χαλκός, ex insula Bithynia Chalcedonensibus vicina. Eruebatur ex mari loco duas orgyias profundo vena ejus, Aristotele teste; unde & κολυμβητὸς χαλκὸς dicebatur, quod urinatione esset eruendum. In admirandis cap. LIV. de Demoneso insula Chalcedonensium; ἔστι δὲ αὐτόθι χαλκὸς κολυμβητὸς ἐν δυοῖν ὀργυιαῖν τῆς θαλάσσης, ὅθεν ὁ ἐν Σικυῶνί ἐστιν ἀνδριὰς ἐν τῷ ἀρχαίῳ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ ἐν Φενεῷ οἱ ὀρείχαλκοι καλούμενοι. Ridicula vulgaris lectio χαλκὸς κολυμβητής; & ridiculi magis interpretes, quibus placet esse æs, quod natat. Atqui ne id quidem ex vocis illius notione eruitur. Æs natare propriè dicatur, quod non mergeretur, sed in aqua summa fluitaret, quod de lateribus Pitanensibus olim scriptum. Græci ἐπιπολεῖν vocant de hujusmodi rebus, quæ non merguntur in aquam. At κολυμβηταὶ, hoc est, urinatores mergorum planè faciunt officium. Si aliquod æs tale unquam extitit, manum cedo. Immo æs omne mergitur, sed non redit in summum, quod facit urinator. Vena illius æris Demonesii intra mare porrigebatur, & altitudine duarum orgyiarum, atque inde effodienda ac veluti expiscanda erat per urinatores. Inde κολυμβητὸς ille χαλκὸς potius quam ὀρυκτὸς Philosopho vocatur perquam scitè. Ex eo ære fuisse statuam dicit in antiquo templo Apollinis Sicyone; tum in Pheneo Arcadiæ duæ statuæ, quæ vocabantur ὀρείχαλκοι, id est, ex orichalco factæ. Ita enim & ὀρείχαλκον Græci usurpant pro ὀρειχάλκινον, ut Latini aurichalcum pro aurichalcino, quod ex orichalco factum est. Ὀρείχαλκοι igitur subaudiendum ἀνδριάντες. Sic apud Suidam ὀρείχαλκος στήλη, columna ex orichalco. Item ὀρείχαλκοι κώδωνες in his verbis, quæ ibi affert: φιτρὸν ἐλάτης κοιλάναντες, ἐναρμόζουσιν εἰς αὐτὸ κώδωνας ὀρειχάλκους. Ita Latini vocant *aurichalca vasa* ex orichalco fabricata. Glossæ: *Aurichalca*, κεραμάλινα. Plura notavimus ad Historiam Augustam. Κρᾶμα enim aurichalcum; unde κραμάλινον, quod ex orichalco. Ex eo autem Aristotelis loco apparet Demonesium æs flavum sive luteum fuisse instar orichalci, immo vel ipsissimum orichalcum. Tale & Nicaenum æs, quod ὀρείχαλκον Νικαηνὸν vocat auctor vetus chimici Lexici. Notandum porro Aristotelem in Admirandis mentionem ὀρειχάλκου facere loco supra scripto, cum ille ipse sit Aristoteles, qui apud Apollonii Scholiasten lib. IV. negat in rerum natura esse orichalcum: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν πέλεταις φησι μηδὲ ὑπάρχειν τὸ ὄνομα, μηδὲ τὸ τούτου εἶδος· τὸν γὰρ ὀρείχαλκον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι μὲν, μὴ εἶναι δέ. Verba illa non sine vitio. Mirum enim, si putasset Aristoteles nec extare nomen orichalci, ut nec res extabat,

A omnino legendum: φησὶ μὲν ὑπάρχειν τὸ ὄνομα, μὴ εἶναι δὲ τὸ τούτου εἶδος. Atqui hic ipse Aristoteles, si modo Admiranda ejus sunt, quæ dicuntur & ab omnibus etiam antiquis scriptoribus sub ejus nomine laudantur, ὀρειχάλκους vocat ἀνδριάντας ex Demonesio ære factas statuas. Stesichorus & Bacchylides ὀρειχάλκου nomen habuere. Callimachus in Lavacro Palladis: οὐδ' ἐς ὀρείχαλκον μεγάλη θεός. Apollonius lib. IV. Argonauticôn:

> Λαμπετίη δ' ἐπὶ βουσὶν ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ.

Epigramma vetus: Ταῦτα τ' ὀρειχάλκου λάλα κύμβαλα.

B Virgilius:

> *Ipse dehinc auro squallentem alboque orichalco*
> *Circumdat loricam humeris.*

Atqui non album orichalcum, sed luteum. Auri comparatione id positum notat Servius, quia album non est. Plautus quoque aurichalci meminit. Pausanias in Corinthiacis mentionem habet cordis orichalcini: ἃ δὲ ἤκουσα ἐπὶ τῇ καρδίᾳ γεγράφθαι τῇ πεποιημένῃ τοῦ ὀρειχάλκου. Profectò oportet speciem aliquam fuisse cognitam veteribus, cui hoc nomen fuerit positum.
C Nec eorum rationem capio, qui ferebant, nomen ipsum jactari, cum res ipsa non extaret. Necesse est enim, ut qui ὀρείχαλκον nominarunt, aliquid intellexerint, quod esset in rerum natura, de quo id nominis usurpabant. Et rectè sanè doctissimus ille Scholiastes Apollonii eos reprehendit, qui dicerent rem non haberi, de qua hoc nomen prædicaretur: τὸν γὰρ ὀρείχαλκον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι μὲν μὴ εἶναι δὲ, τῶν δὲ εἰκῇ διαδομένων καὶ τοῦτο· οἱ γὰρ πολυπραγμονέστεροί φασιν αὐτὸν ὑπάρχειν. Sed nec bene intellecta videtur dubitatio illa veterum quorumdam, an esset orichalcum. Qui hoc in dubium vocarunt, non ne-
D gabant aliquid esse, quod diceretur orichalcum; sed extare hujus rei metallum inficias ibant, ut æris, argenti & auri inveniuntur metalla. Pollux lib. VII. τὸ δὲ τοῦ ὀρειχάλκου μέταλλον οὐδέπω καὶ τὴν εἰς πίστιν ἔχει βεβαίαν. Alio tamen loco orichalcum inter metalla recenset, ut aurum & argentum & æs: χρυσὸς, ἄργυρος, ὀρείχαλκος, σίδηρος, κασσίτερος, μόλυβδος. At nonnulli antiquorum negarunt, ut videtur, orichalci metalla reperiri, ut auri & æris atque argenti. Hoc male quidam acceperunt, quasi negaretur ab illis in totum aliquid esse in rerum existentia, quod
E vocaretur orichalcum. Quod profectò absurdissimum. Intelligebant quippe illi nullam extare naturalem venam, quæ daret orichalcum, ut est quæ æs edit, & aurum argentumque. Orichalcum igitur rem esse facticiam & mixtam compositamque voluerunt; æris nempe genus aliquod, cui color ille auri quæreretur arte, cuique nomen impositum esset orichalci. Hinc διαυγῆ χαλκὸν, alii ὕλην ὁμοίαν χαλκῷ. Grammatici antiqui definiunt esse æris speciem, quæ auri splendorem, æris duritiem possidet. Rem non esse simplicem, quæ ex vena exiret nativa ut æs &
F argentum & alia metalla, nomine ipso declarunt antiqui illi Græci, qui κρᾶμα appellarunt. Ut enim vinum aqua temperatum κρᾶμα & κρᾶσιν vocarunt, ita etiam κρᾶμα hoc genus metalli, quod purum putumque non esset, sed ex duabus rebus mixtum & compositum. Strabo lib. XIII. ἔστι δὲ λίθος περὶ τὰ Ἄνδειρα, ὃς καιόμενος σίδηρος γίνεται· εἶτα μετὰ γῆς τινος καμινευθεὶς ἀποστάζει ψευδάργυρον, ἣ προσλαβοῦσα χαλκὸν, τὸ καλούμενον γίνεται κρᾶμα, ὅ τινες ὀρείχαλκον καλοῦσι. Non sollicitanda hæc lectio nec movenda, ut placitum Viris eruditissimis. Dicit pseudargyrum æri mixtum temperaturam illam efficere, quæ vulgo vocatur
G κρᾶμα, quam aliqui appellabant ὀρείχαλκον. Hinc constat ex quorumdam sententia orichalci nullam fuisse ex metallo venam, sed æris quandam temperaturam, cui faciendæ misceretur pseudargyrum. Inde nomen vulgare κρᾶμα de orichalco. Ex eo κραμάλινον in Glossis Græcè exponitur *aurichalcum*; quod ex aurichalco nimirum, ἐκ τοῦ κράματος. Per pseudargyrum Strabonis nihil aliud intelligendum quam *argentea Cadmia*, quæ ex argenti metallis hauriebatur. Ea candidior æraria, sed etiam deterior. Videntur ergo & quidam eam usurpasse ad orichalcum faciendum. *Argenti*

Cadmiam

Cadmiam vocant Arabes, hoc eſt, *climia alfidda.* Apud Conſtantinum *Cadmia argentea* appellantur. Nec enim de lithargyro argenti capienda Arabum illa Cadmia argentea. Hodie quoque ad orichalcum noſtrum ſive letonum perficiendum Cadmiæ genus ſemel uritur, quæ æs luteum reddit. Rectè igitur ſcripſere olim quidam, metallum orichalci non inveniri. Quod alii male interpretati ſunt, quaſi voluerint illi orichalcum nuſquam reperiri. Quod maxime abſurdum fuiſſet, præſertim nomine ubique extante, & ab omnibus auctoribus etiam antiquiſſimis celebrato. Quod non parum confirmatur his verbis Plinii lib. XXXIV. cap. 11. de ære: *Fit & ex alio lapide, quam chalcitin vocant in Cypro, ubi prima fuit æris inventio, mox vilitas, præcipue reperto in aliis terris præſtantiore, maxime aurichalco, quod præcipuam bonitatem admirationemque diu obtinuit. Nec reperitur longo jam tempore effœta tellure.* Planum eſt ex his, putare Plinium venam olim fuiſſe aurichalci tanquam æris omnium facile optimi, quod ad præcipuam bonitatem diu fuerit in admiratione; poſtea interiiſſe, hoc genus effœta tellure. Hoc plane eſt aurichalcum, cui moverunt olim controverſiam quidam, an omnino unquam tale extitiſſet ex naturali vena procedens. Extitiſſe quidem antiquitas ejuſmodi aurichalci metallum, apertè Plinius exiſtimavit, ut ex illis, quæ poſuimus conſtat, ſed defeciſſe extinctâ venâ. At Auguſti temporibus claritatem ejus adhuc uſumque celebrem fuiſſe indicat Horatius hoc verſu: *Tibia non ut nunc orichalco vincta.* Ergo tunc tibiæ orichalco vinciebantur. An dicendum ab illo tempore deſiiſſe, nec uſque ad tempora Plinii perveniſſe? Omnis ætas Græcorum Latinorumque meminit aurichalci, ſed dubitatio ſemper inter doctos & curioſos extitit, quid hoc nomine vocaretur. Partim dixerunt non reperiri; alii repertum olim, poſtea venam exaruiſſe. Melius illi, qui nec unquam venam hujuſcemodi metalli fuiſſe opinati ſunt; ſed ita appellatam æris quondam temperaturam, cui color aureus admixtione alterius metalli compararetur, ut Cadmiæ juxta quoſdam vel pſeudargyri ſecundum Strabonis ſententiam. Idem Plinius paulo poſt de Mariano ære, quod tunc in gloria fuit: *Hoc à Liviano Cadmiam maxime ſorbet & aurichalci bonitatem imitatur in ſeſtertiis dupondiariiſque, Cyprio ſuo aſſibus contentis.* Seſtertia ac dupondia, quæ hodieque reperiuntur, ex antiqua moneta æris flavi ſunt; aſſes autem rubri, hoc eſt, Cyprii. Seſtertii quippe nummi Romanorum putandi, qui teruntur manibus antiquariorum, & unciam fermè pendunt, ex ære ut plurimum luteo ſive flavo, quod aurichalci bonitatem imitari dicit Plinius. Æs illud, quod aurichalco proximum bonitate facit, à quibuſdam vocatum aurichalcum nullus dubito. Ope Cadmiæ, quam maxime ſorbebat, eam quam dicit bonitatem, conſequebatur. Alii fere omnes auctores ſcribunt aurichalcum fieri conjecta Cadmia in æs, dum funditur. Feſtus: *Cadmea terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Græci quoque ſcriptores Chimici teſtantur ὠρείχαλκον fieri διὰ Καδμίας. Zoſimus Panopolitanus excellentem æris tincturam luteam deſcribit à Perſis inventam, quæ fiebat admixta *tutia.* Quæ tutia etiam fit ex Cadmia. Titulus illius tractatus: ποίησις χαλκοῦ ξανθοῦ. Sic autem tractatum incipit: Λαβὼν τουτίας ἴσον βούλει, λειώσον κοσκίνῳ λεπτοτάτῳ. Vocat & βαφὴν χαλκοῦ tincturam vel temperaturam æris: βαφὴ οὖν παρὰ Πέρσαις ἐξευρημένη χαλκοῦ χρυσαφεῖσα ἀπὸ ἀρχῆς Φιλίππου οὖν τῶν Μακεδόνων, οἷος ὁ ἐν ταῖς πύλαις τῆς ἁγίας Σοφίας. Ex iſto ære innuit factitatas valvas templi Sanctæ Sophiæ in Conſtantinopolitana urbe. Certum eſt igitur, aurichalcum veterum artificio conſtitiſſe, nec fuiſſe naturale. Hinc illa doctorum concertatio, non eſſe; & eſſe, aut fuiſſe nec amplius eſſe contendentium, explicanda eſt. Non fuit naturale, ſed fuit artificiale. Æris quippe genus erat, quod flavum & auro concolor ars reddebat, admixta Cadmia. Hæc κρᾶσις ipſius. Unde & κρᾶμα abſolute dictum. Non tantum luteum aurichalco ſive auri colore, ſed etiam album fuiſſe videtur. Ita enim vocat Virgilius: *alboque orichalco.* Et nugatur Servius, qui comparatione auri ſic vocatum à Poëta vult. Genus æris etiam olim celebratum album, quod in ſummo pretio, & honore habitum. Tale æs Moſynœcum tradit Ariſtoteles in Admirandis, quod & ipſum non tale exiit ex metallo, ſed arte parabatur admixto quodam genere terræ: φασὶ τὸν Μοσύνοικον χαλκὸν λαμπρότατον, καὶ λευκότατον εἶναι, οὐ παραμιγνυμένου αὐτῷ κασσιτέρου, ἀλλὰ γῆς τινὸς αὐτοῦ γινομένης καὶ συνεψομένης αὐτῷ· λέγουσι δὲ τὸν εὑρόντα τὴν κρᾶσιν, μεδένα διδάξαι. Non dubitarem, quin Poëta hujuſmodi æs candidiſſimum ac lucidiſſimum vocaverit *album orichalcum.* Admixta terra aliqua ſic exiſtebat, quæ cum ipſo coquebatur. Κρᾶσιν vocat Philoſophus, ut & Strabo de orichalco luteo, quod B ſimiliter addita inter fundendum æs Cadmia terra hunc colorem adquirebat. Stephanus ex Theopompo: εἶτα μετὰ γῆς τινος καμινευθεὶς ἀποστάζει ψευδάργυρον, εἶτα κραθεὶς χαλκῷ ὀρείχαλκος γίνεται. Strabo κρᾶμα vocatum vulgo hoc orichalcum dicit, ut antea notavimus. Forte de albo orichalco hæc accipienda, cui pſeudargyrum mixtum dabat hunc colorem, ut orichalco luteo Cadmea terra, quæ lutea eſt. Falluntur igitur docti Viri, qui putant *aurichalcum* appellatum, quod æs auri colorem haberet. Non hic mos antiquorum mixto genere voces hybridas componere, ut hæc compoſita videtur, ſi aurum in ea ſumimus, ex Græco Latinoque. C Apud Plinium in antiquis libris ſemper *aurichalcum* ſcribitur, quæ vetus fuit pronuntiatio & ſcriptura illius vocis. Nempe ita extulerunt, qui Græcis ὀρείχαλκος, quaſi montanum æs dixeris. Inde fecerunt *aurichalcum*, ut *cautes* pro *cotibus* ſcripſere, & *audes* antiquitus, quæ poſtea *aures* ex Græco ὦτες, & *Faunus*, qui Græcis Æolibus Πόνος, & ſimilia ſexcenta. Nulla igitur auri notio in illa dictione. Non parum etiam errant, qui χαλκολίβανον cum è veteri interprete de orichalco accipiunt in Apocalypſi cap. 1. καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι. Vocis compoſitio Græcanica non admittit D hanc ſignificationem, quæ nihil aliud poteſt denotare quam thus æris colore. Sic χρυσόμηλον malum eſt colore aureo. Arethas de æris genere, quod in monte Libano effoderetur, interpretatur. Sed ærifodinarum in illo monte nulla apud veteres mentio. Deinde Λιβανόχαλκος Græce dici deberet æs Libani montis; ut ὀρείχαλκος, æs montanum. Sic ὀρειασπίζαι, montanæ ſpizæ; & ὀρεοκάρυον, nux montana. Omnino, ut dixi, χαλκολίβανος thus eſt ærei coloris, id eſt, flavi. Ξανθὸν λίβανον vocant Græci, quale thus maſculum. Ut candidum thus dixere ἀργυρολίβανον, ita flavum χαλκολίβανον. Græci, quorum locum jam ſu- E pra adduximus, de thuris differentiis: ἔστι γὰρ τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ· καὶ ὁ μὲν ἄῤῥην ὀνομάζεται χαλκολίβανος, ἡλιοειδὴς καὶ πυῤῥὸς ἤγουν ξανθός· τὸ δὲ θῆλυ καλεῖται λευκολίβανος καὶ ἀργυρολίβανος. Thus in candidum & rufum dividit Plinius, hoc eſt, ut Græculi iſti interpretantur, ἀργυρολίβανον & χαλκολίβανον. Arethas quoque in Apocalypſin fatetur χαλκολίβανον de thure poſſe accipi, cui color æneus. Quæ veriſſima eſt interpretatio. Sed in Orphei Hymnis χαλκολίβανος ita accipitur pro ſuffimine thuris maſculi, Latonæ & Apollini: Λατοῖ καὶ Ἀπόλλωνι θυμίαμα χαλκολίβανος, id eſt, λίβανος χαλκόχρους. Sic χρυσόλιθος, ἀργυρόλιθος lapides argenteo & aureo colore. De voce Græca ὀρείχαλκος fu- F git etiam fortaſſe eos ratio, qui montanum æs exponunt. Quamvis ſic poſſet accipi, cujus vena ex petris ducitur. Sic lapis chalcitis, ex quo æs, Plinio teſte, cæditur ex ſubdialibus petris. In pleriſque metallis, ut jam diximus, duplex vena reperitur, ſaxea vel lapidea, & terrea. Non ſolum γῆν χρυσῖτιν invenire eſt, ſed etiam λίθον χρυσῖτιν lapidem auroſum, qui aurum dat. Ita & γῆ σιδηρῖτις & λίθος σιδηρίτης ad ferrum faciendum materiam præſtant. Λίθινα μέταλλα Græci vocant, ut Dioſcorides, quorum vena lapideam habet naturam. Ita ergo & ὀρείχαλκος diceretur æs G ex montana & lapidea vena factum. Sed hæc compoſitio non ſapit Græcum morem. Ὀρόχαλκον hoc ſenſu dicturi fuiſſe potius videntur, ut ὀροσπίζαι Ariſtoteles, & ὀροκάρυον Strabo. Non neſcio, ὀρειβατεῖν & ὀρειβασίας dici, ſed aliud eſt. Sunt & ὀρότυποι. Forte ὀρείχαλκος nominatus eſt ab ὄρυμι Æolico vocabulo de ære lucentiſſimo ac adeo nitente, ut ſpiculi vicem redderet

redderet imagines. Pallas apud Callimachum in Hymno, quem Lavacro ejus dicavit, non hoc dicitur affectare, quod Veneris proprium est, ut faciem suam in speculo consulat ad ornatum componendum. Ait igitur, nec in orichalco se inspicere tanquam in speculo. Sic orichalcum adeo nitens fuit, ut speculi usum præbere posset haud secus atque argentum. Ὀρείχαλκος igitur id genus esset æris tanto nitore, ut aliquis in eo se videre possit. Grammaticorum expositiones hanc etymi proprietatem adstruunt, qui λαμπρὸν χαλκὸν & διαυγῆ interpretantur. Poëtæ quoque veteres ὀρείχαλκον φαεινὸν passim appellant ἐπιθετικῶς ut Hesiodus & Apollonius. Quidam ex antiquis ab artifice statuario ita dictum voluerunt, sicut refert Scholiastes Apollonii: Ἄλλοι δὲ ἀνδριαντοποιοῦ λέγουσιν ὄνομα, ὡς Σωκράτης καὶ Θεόπομπος ἐν εἰκοστῷ πέμπτῳ. Sic multæ ærifodinæ nomen habuerunt à dominis locorum, ubi erant metalla, ut Sallustianum æs Plinio, Livianum, Marianum. Non tamen placet illa originatio ὀρειχάλκου. Plinius lib. XXXVII. in tractatu de gemmis dicit, chrysolithis subjici solere aurichalcum his verbis, quæ sic olim correximus: *Funda includuntur perspicua, cæteris subjicitur aurichalcum, quondam etiam & per se gemmarum in usu.* Vides aurichalcum etiam in usu fuisse temporibus Plinii, quod utique etiam subjiceretur chrysolithis folii vicem, ut vulgo loquuntur. At idem Plinius alibi scriptum reliquit, aurichalcum sua ætate non amplius reperiri solitum, & jam pridem defecisse. Parum igitur ipse sibi constat & pugnantia invicem scribit. Ratio est, quia de suo non semper loquitur, sed auctorum sermo est, quos compilavit, aliter atque aliter de unaquaque re tradentium. Videtur tamen heîc de suis temporibus verba facere, & morem, qui tum vigebat, tangere, cum dicit, chrysolithis subjici aurichalcum. Certè & posteriores Plinio auctores aurichalcum nominarunt, ac de eo loquuti sunt tanquam de re, quæ etiam extaret, & in usu versaretur suo in ævo. Quod addit ibidem gemmarum in usu fuisse olim aurichalcum, id ostendit, quam carum fuerit rarumque apud antiquos aurichalcum. Quod & Plautus adtestatur de re admodum cara scribens, aurichalco contra caram esse, & majus aurichalco pretium statuens quam talento auri. Ut in milite glorioso: *Ego istos mores aurichalco contra comparem.* Non disputandum heîc nec inquirendum puto, an aliquod olim extiterit aurichalcum, quod postea desierit esse; sed de eo constare dicimus debere, plerisque veterum notum illud fuisse aurichalci sive orichalci genus, quæ fuit æris temperatura, cui luteus sive aureus color quærebatur addita Cadmea terra. Strabo talem novit ὀρείχαλκον, Festus, & cæteri usque ad infimam pæne ætatem, quæ chimicos tulit, qui eidem tradiderunt: ὀρείχαλκον nempe fieri διὰ Καδμίας. Quod hodiernum esse letonum convenit. Notandum porro in antiquis Plinii codicibus *Cadmeam* ubique scribi, non *Cadmiam*, & ita quoque apud Festum *Cadmea terra*, quomodo & in antiquissimo libro scriptum offendi. Hæc scriptura Latina Græcam exprimit, quæ plerumque καδμείαν λίθον & Καδμείαν γῆν nuncupat, præsertim apud antiquiores. Unde *Cadmea* Latinis, ut κωνώπειον *conopeum*, & Ἀλεξάνδρεια *Alexandrea* apud Horatium in antiquissimis exemplaribus, quæ olim vidi. At Καδμία scribitur apud Dioscoridem, & alios fere omnes recentiores. Inde Arabes, ut initio dicebamus, suam *climiam* fecerunt vel *calimiam*, atque ex eo nos nostram *calaminam.* Cæterum naturalis hujus Cadmiæ sive calaminæ duo olim genera fuisse nota, non ambigui juris fecerim. Totidem quippe hodie habentur. Unum est, cui nihil æris inest, colore luteo, molle, ac teneri instar lapidis. Hæc est Cadmia, qua luteum æs fit aut orichalcum, quæ nullas in medicina utilitates habet. Rulandus *crocum metallorum* appellat qui & orichalcum sic vocat, quod ex eo nempe fiat orichalcum. Antiqui Chimici Græci in Lexico suo: χρυσὸς ἐστι πυελίτης, Καδμία θεῖον. Vocant Καδμίαν hanc aurum, quia aureo colore æs tingat.

A Hæc eadem quoque *crocum* ab aliis vocitatur. Item ξανθὸν φάρμακον. Lexicum Græcum vetus Chimicum: ξανθὸν φάρμακόν ἐστι σιδηρίτης δι' οὗ τὸ θεῖον οἰκονομηθὲν καὶ Καδμία. Alterum Cadmiæ genus est, quod æris continet venam, aliquando etiam argenti. Hæc sola Cadmia naturalis Dioscoridi cognita & probata. Plinius utramque confudit more suo, ut hæc ejus verba ostendunt jam superius citata: *Namque ipse lapis, ex quo fit æs, Cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis est.* Cadmia illa, quæ medicinæ inutilis & fusuris æris necessaria, quæque æs ipsum luteum reddit, diversa est B ab ea Cadmia, ex qua fit æs, quæque æris venam continet. De ea supra jam dixerat in præfatione ejusdem libri de æris vena loquens: *vena quo dictum est modo effoditur, ignique perficitur. Fit & è lapide æroso, quam vocant Cadmiam. Fit & ex alio lapide, quam chalcitin vocant in Cypro.* Duos hic agnoscit lapides, qui venam æris contineant & ex quibus æs perficiatur, *Cadmiam*, quæ Græcis Καδμεία λίθος dicitur, & alium lapidem, quam in Cypro χαλκῖτιν vocari dicit. Lapidem omnem ærosum χαλκῖτιν vocari posse ostendimus. Sed quem- C admodum χαλκῖτιν λίθον, qui lapis est ærarius, confundit cum chalciti soreos & misyos cognatâ; ita & Cadmiam illam, quem lapidem vocat ærosum, quod æris materiam habeat, eandem facit cum alia Cadmia, quæ & medicinæ inutilis, & æri fundendo necessaria: colorem ei præterea croceum addit. Hæc est Cadmia, quam indignam hoc nomine videri voluit Dioscorides, qui lapidem Cadmiæ similem nulla virtute præditum pro Cadmia non nemini haberi dicit. Animadvertenda autem in primis & illa dissensio Dioscoridis & Galeni super Cadmia naturali, quam miror nemini adhuc fuisse observatam. Certum est, quod initio adstruximus, Cadmiam divisione generali in na- D turalem & facticiam tribui. Nativam Dioscorides, ut in cæteris fecit, quæ similem patiuntur partitionem, primo loco posuit, & genera ejus exposuit. Quæ genera iis nominibus explicavit, quibus eam Galenus prosequitur, quæ artificio constat, non quæ ex vena profecta est naturali. Βοτρυΐτις, πλακῶτις, ὀστρακῖτις apud Dioscoridem differentiæ sunt genitivæ Cadmiæ, quæ nihil arti debet, sed ex ipso metallo eruitur. Id ex verbis ejus manifesto colligitur, ubi inter illa genera recenset eam Cadmiam, quæ *onychitis* Plinio dicitur, quod intus onychis maculis similis sit. Enarratis enim generibus, quæ diximus botryiti & E onychiti ita subjicit: τοιαύτη δέ εἰσιν αἱ ἐκ τῶν παλαιῶν μετάλλων ὀρυσσομέναι· ἔστι δέ τις καὶ πλακῶτις λεγομένη. Deinde & ὀστρακῖτιν subjungit. Quę omnia illi, ut aperte apparet, genera sunt ac nomina metallicæ ac fossilis Cadmiæ. Postquam omnes differentias hujusmodi cadmiæ exequutus est, quæ natura constant, earumque pariter remedia tradidit, transit ad facticiam, cujus expositionem his verbis auspicatus est: γεννᾶται δὲ ἡ Καδμία ἐκ τοῦ χαλκοῦ καμινευομένου, προσιζανούσης τῆς λιγνύος τοῖς τοίχοις τῶν καμίνων & τῇ κορυφῇ. Priora genera ex metallis eruuntur, hæc autem factitia gignitur ex ære, quod in caminis funditur fuligine adhærescente parie- F tibus fornacum & summo earum culmini. Ἀκεσίδας vocari ait ab artificibus metallariis caminos illos in quibus æs fundebatur & ex quibus cadmia colligebatur. Ex ferro erant fabricati & in culmen fastigiati & contractiores in summo, adhoc ut fuligo ex ære adscendens citius posset corporari & adhærescere ac teneri. Græca Dioscoridis sic legenda sunt: εἰσὶ δ' αὗται σιδηραῖ παμμεγέθεις, ἀκεσίδες δὲ ὑπὸ τῶν μεταλλουργῶν καλούμεναι, κατὰ κορυφὴν συνηγμέναι, πρὸς τὸ κατέχεσθαι καὶ ἐφιζάνειν τὰ ἀναφερόμενα σώματα ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ, ἅπερ ἀεὶ καὶ μᾶλλον προσιζάνοντα ἐπισωματοῦται. Addit in illis caminis ad hunc modum fabricatis, interdum unam tan- G tum speciem, interdum duas, & aliquando etiam omnia genera cadmiæ existere: καὶ ποτὲ μὲν ἓν εἶδος αὐτῆς, ποτὲ δὲ δύο ἢ πάντα ἀποτελεῖται. Significat quod genera sunt cadmiæ naturalis, totidem facticiæ reperiri in illis fornacibus. Non enim possumus aliter verba illa interpretari. Ergo & βοτρυΐτις tam naturalis

ralis quam facticia cadmia, æque & onychitis, & placitis, & sic de reliquis generibus. Certè ut ex cadmia metallica fit æs, ita ex ære fit cadmia artificialis. Et sic purgamentum æris eademque metallum cadmia. At omnia illa supra scripta cadmiæ genera quæ metallica & fossitia facit Dioscorides, facticiis modo & arte constantibus Galenus accenset. Cum Galeno facit Plinius, cujus & heic verba ponam: *Namque ipse lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis. Hic rursus in fornacibus existit, aliamque nominis sui originem recipit. Fit autem egesta flammis atque flatu tenuissima parte materiæ, & cameris lateribusve fornacum pro qualitate levitatis applicata.* Tenuissima est in ipso fornacum ore qua flammæ ructantur, *appellata capnitis, exusta & nimia levitate similis favillæ. Interior optima cameris dependens & ab uvæ argumento botryitis cognominata.* Reliqua deinde genera enumerat. Placitin, onychitin, & ostracitin, quæ omnia illi sunt facticia, unicum tantum agnoscenti naturalis ac metallicæ, quæ lapis est æris habens venam. Galenus pariter unum duntaxat cadmiæ genus metallicum novit, quam alii lapidem, alii terram appellant, quamque adeo ipse lapidem probat appellari. Cætera genera cognominibus his distincta, quæ supra posuimus, facticiis adnumeravit generibus. Serapio in vertendis de cadmia Dioscoridis verbis, ut sententiam ex his efficeret opinioni Galeni consentaneam, tota ea interpolavit. Nam quæ de facticia cadmia dixit Dioscorides, ea ante omnia præposuit, deinde subtexuit ea verba quibus varias cadmiæ differentias explicavit cum illis cognominibus supra memoratis. Plinium, quæ de cadmia scripsit, non accepisse à Dioscoride illud indicio est, quod aliter pleraque commemorat. Deinde nunquam illi fuisse lectum Dioscoridem alibi docuimus. Habet hæc igitur ab illo auctore, unde sua sumpsit ipse Dioscorides, qui multa videtur turbasse in hac historia cadmiæ. Quæ sequuntur non habent adeo facilem intellectum, ut promptum sit discernere quo referenda sint. Proxime præcessit de variis cadmiæ artificialis generibus, quæ in fornacibus quibus æs conflatur, existunt. Subjungit protinus ista: μεταλλευγεῖται δὲ ἐκ τοῦ ὑπερκειμένου Σολέων ὄρους, τοῦ λεγομένου πυρίτου λίθου καιομένου· ἐν δὲ τῷ αὐτῷ ὄρει εὑρίσκεται οἱονεὶ διαζώματα τινα χαλκίτεως, μίσυος, σώρεως, μελαντηρίας, χρυσοκόλλης, χαλκάνθου. Sic legendus hic locus. Soli, Σόλοι urbs Cypri insulæ, cujus civis Σολεὺς Dioscoridi. Ita enim legit hoc loco codex summæ vetustatis. Alii tamen distinguunt, ut Σολεῖς sint ab urbe Ciliciæ dicendi, Σόλιοι à Cypria. Mons qui Solensibus, & Soliis Cypri imminet, in eo varia metalla reperiebantur, chalcitis, misyos, soreos, & alia. Inde etiam μεταλλευγεῖσθαι dicit Dioscorides cadmiam usto pyrite lapide. Possunt etiam de ære accipi hæc verba. Nam paulo ante dixit cadmiam gigni ex ære in fornacibus conflato. Æs autem illud ex fodinis sumi montis cujusdam, qui incumbit Soliorum urbi usto pyrite lapide. Alibi enim scripsit pyriten lapidem esse, ex quo æs conflatur: Πυρίτης εἶδός ἐστι λίθου, ἀφ' οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται. Pyrites genus lapidis, ex quo æs conflatur. Præterea nusquam meminit cadmiam ex pyrite lapide fieri. Aliud genus facticum quod διφρυγὲς dicebatur, exusto pyrite lapide parari scriptum reliquit. Nec moror, quod quidam recentiorum διφρυγὲς inter genera cadmiæ referunt prorsus contra veterum placitum. Diphryges autem illud, quod habent pro cadmiæ specie omnium impurissima & sordidissima veluti fæx est æris, quæ considit in imo, & postquam æs refrigeratum est in fusa aqua, & sublatum inde in fundo invenitur alvei sive moduli, quo exceptum fuit è fornace liquidum profluens. Nihil habet hoc diphryges cum cadmia commune aut cognatum, estque secundum genus διφρυγοῦς Dioscoridis, quod his verbis ab eo describitur: τὸ δὲ ἕτερον τοῦ κατεργαζομένου χαλκοῦ ὥσπερ ὑπόσταθμη τις καὶ τρὺξ ὑπάρχει. Μετὰ γὰρ τὴν τοῦ ψυχροῦ ὕδατος περίχυσιν ὡς ἀνώτερον ἔφαμεν περὶ ἄνθους χαλκοῦ διαλεγόμενοι, μετὰ τὴν ἀναίρεσιν τοῦ χαλκοῦ εὑρίσκεται ἐν τῇ χώνῃ ἐγκείμενον τῷ πυθμένι αὐτῆς. Quæ postrema verba sic vulgo reddunt doctissimi interpretres: *sublato ex fornace ære, in fundo ejus hærens invenitur.* Alii verterunt ut Ruellius: *in ima parte fornacum cohærens.* Ex hac falsa interpretatione nata illa sententia recentiorum, quibus placet hoc diphryges esse speciem cadmiæ in imo fundo fornacis considentem, & sordidissimam omnium, quia fæx sit & infimum sedimentum fornacis; cui comparant & ὀστρακῖτιν cadmiam dictam, quæ & ipsa ima parte fornacis inveniatur, non tamen tam infima. Inepti homines, qui nesciunt distinguere inter χώνην & κάμινον. Caminus est fornax, in quo vena æris in æs eliquatur & conflatur ignibus. In eo fornace existunt varia Cadmiæ genera, quorum partim summo fornacis culmini & cameris adhærescunt, quo propter suam levitatem adscendunt, alia parietibus applicantur, quæ ob gravitatem summa petere non potuerunt & ad cameras pervenire. Nullum autem Cadmiæ genus in fundo fornacis memoratur inveniri. Fundum quippe fornacis occupat materia æris liquescens ex Cadmia metallica & lapide ærario conflata. Quod ex ea materia evolat & cameris fornacis vel parietibus applicatur perinde ut levius aut gravius habetur, diversa Cadmiæ genera efficit. At χώνη vel χοάνη aliud est à fornace. Alveus nempe est vel canalis propre fornacem cavatus, in quem æs liquatum è fornace derivatur ac deducitur, quod ibi formam canalis accipit & refrigeratur aspersa aqua, & refrigeratum inde tollitur. Postquam inde sublatum est, in fundo χώνης invenitur alterum illud genus diphrygis, longe à Cadmia diversum totoque genere distans. Χώνην vel χοάνην Hesychius interpretatur τύπον εἰς ὃ μεταχεῖται τὸ χωνευόμενον. Item χοάνας exponit κοιλώματα εἰς ἃ ἐγχεῖται τὸ χωνευόμενον, formas & tubulos sive modulos cavos, quibus infunditur, quod fusum conflatumque est. Πηλίνους τύπους etiam esse dicit, quales sunt moduli, quibus ollarium ferrum aut æs caldarium infunditur. In illis igitur alveis sive canalibus, in quos liquens æris fusio derivata fuerat, ubi æs refrigeratum & inde sublatum erat, reperiebatur tanquam fæx genus illud diphrygis. Æque longo differunt à Cadmia discrimine reliqua duo διφρυγοῦς genera Dioscoridi recensita, quorum alterum nativum & metallicum est, alterum ex lapide pyrite usto conficitur, donec colorem minii contraxerit. Hinc sane constat locum illum in capitulo περὶ Καδμίας non esse de Cadmia accipiendum, ubi dicit μεταλλευγεῖσθαι πυρίτου λίθου καιομένου, sed de ære ipso. Nihil enim aut parum hoc pacto differret Cadmia & hoc tertium diphrygis genus, siquidem ex pyrite lapide usto fieret. Avisena tamen locum eum de Cadmia videtur accepisse, qui inter Cadmiæ argenteæ genera recensenda, ex pyrite etiam lapide eam fieri memorat. Addit Dioscorides tradere quosdam tertium genus diphrygis ex solo lapide confici, qui æs edit. Τινὲς δὲ, inquit, φασὶν ἐκ μόνης τῆς τὸν χαλκὸν λίθου ἀποπλύσεως γεννᾶσθαι. Ita vel ex sola conjectura legendum vidimus, quam firmavit antiquissimus codex. Vulgo legitur: ἐκ μόνης τῆς τὸν χαλκὸν λίθον ἀποπλύσεως. Quæ Ruellius ita reddidit: *Quidam tradunt ex sola materia, quæ lapidem æris gignit, fieri.* Immo: *ex, lapide, qui æs gignit, generari.* Lapidem metallicum, qui venam æris continet, semper ita circumloquitur Dioscorides, ut appellet λίθον τὸν χαλκὸν ἀποτελοῦντα, aut λίθους τὸν χαλκὸν ἔχοντας. Atqui licebat unica voce λίθον χαλκῖτιν appellare, lapidem ærarium vel ærosum, ut λίθον σιδηρῖτιν, & λίθον χρυσῖτιν. Monuimus supra Græcos, qui optime locuti sunt, non dixisse λίθον χαλκῖτιν aut γῆν χαλκῖτιν de vena æris, ne id nomen ambiguum foret propter ὁμωνυμίαν τῆς μεταλλικῆς χαλκίτιδος, quæ cum misy & sori cognationem habet. Et Pollux rectè notavit nec χαλκῖτιν pro vena æraria nec χαλκεῖα pro metallis ærariis Græcos usurpasse. Nonnulli tamen videntur & λίθον χαλκῖτιν appellasse lapidem ærarium. Ex quo Plinius cum chalciti eum confundit metallica. Dioscoridi diversi sunt lapides, qui pyrites dicitur & ex quo æs coquitur, quamvis certum sit ex pyrite lapide etiam æs coqui. Nam in capite περὶ διφρυγοῦς distinguit planè τὸν πυρίτην λίθον, & τὸν λίθον τὸν ἀποτελοῦντα τὸν χαλκὸν, ex quo æs perficitur. De pyrite etiam hoc scribit esse lapidem, ἀφ' οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται,

μεταλλεύεται, ex quo æs conflatur. De ære igitur intelligendum, non de cadmia, quod dixit, μεταλλευομένης πυρίτε λίθε καιομένε. Pyrites ille lapis vulgo vocatur in officinis *marcasita* Arabica nuncupatione. مارقشيثا, *marcaxita*. Quatuor generum facit Avisena, aureum, argenteum, æreum & ferreum. Unamquamque autem speciem ejus naturæ similitudinem habere dicit, cui colorem habet similem. Aureus igitur pyrites dicitur, qui auro est colore, & auri censetur proprietate, & sic de cæteris. Dioscorides ærei tantum videtur meminisse, cui color est æris. Probari enim vult τὸν χαλκοειδῆ, εὐχερῶς δὲ σπινθῆρας ἀφιέντα, qui æris habet colorem & percussus facilè scintillis emicat. Hoc genus est, quod Avisenæ vocatur capite de Marcasita: مارقشيثا نحاسي, *marcasita nuhasi*, id est, marcasita æris vel æreus. Idem notat Persicè vocari حجر الروشناني, *hagjar alruxenani*; quod ipse Arabicè interpretatur حجر النور, *hagjar annuur*, quod sonat lapidem lucis vel luminis. Rationem hanc ipse adfert, quod oculorum claritati conferat. Et sane Dioscorides ait, lapidem ustum virtutem habere σμηκτικὴν, ἀποκαθαρτικὴν τῶν ἐπισκοτούντων ταῖς ὄψεσι. Græci ὀφθαλμικὸν dicerent eo sensu. Sic enim absolutè vocarunt & lithargyrum, quod oculis medeatur. Neophytus: λίθος ἀργυρὸς, ὅπερ οἱ χρυσοχόοι καλοῦσιν ὀφθαλμικόν. Pace tamen Avisenæ dixerim, magis censeam Persas pyriten nuncupasse *lucis lapidem*, quod ignis scintillas percussus emittat, quam quod oculorum luci prosit. Vocabulum quippe Græcum πυρίτην planè expresserunt illo suo nomine Persæ. Nam πυρίτης dictus, quod lucem emittat, si feriatur, ignis scintillis inde emicantibus. Et hoc indubitatum, aureum & argenteum pyriten Græci Chimici χρυσόλιθον & ἀργυρόλιθον dixere, hoc est, marchaxita aldhebi & alfiddi Avisenæ. Lexicon chimicum: βοτρυΐτης πυρίτης καὶ ἐτήσιος ὁ καὶ χρυσόλιθός ἐστι. Vocarunt & λευκόλιθον, qui argentei est coloris. Idem Lexicon: Λευκόλιθός ἐστι πυρίτης. Idem quoque est ἀργυρόλιθος, hoc est, argenteus lapis. Sic λευκολίβανον & ἀργυρολίβανον vocarunt candidum thus. Ejusdem Lexici auctor magnesiam etiam interpretatur pyriten his verbis: Μαγνησία ἐστὶ μολιβδὸς λευκὴ, καὶ πυρίτης. Ea est magnesia, quam hoc nomine etiam vocat Avisena مغنيسيا, & eadem prorsus virtute pollere cum pyrite lapide sive marcasita asserit, nisi quod etiam præferenda sit. Apud Avisenam scribitur مغنيسا, *magnissa*, ἡ μαγνῆσα. Sanè ita dicitur, quod è Magnesia veniat, lapis magnesius, ἡ λίθος μαγνησία. Alia tamen est à magnete lapide ferrum trahente, qui & ipse magnesius. Apud Avisenam vocatur مغنطيس, *magnitis*. ἡ μαγνῆτις λίθος. Per magnesiam puto intelligi alteram μαγνῆτιν, quæ colore est argenteo & argentum facie sic imitatur, ut pro eo capiatur, & fallat intuentes. De qua nos alibi. Hanc igitur eandem fecere cum argenteo pyrite, qui & ipse argenti colorem exhibet & ἀργυρόλιθος pariter nuncupatur. Utrumque lapidem, qui ferrum trahit, & qui colorem imitatur argenti, μάγνητα & μαγνῆτιν vocant antiqui Græci. At recentiores ita distinxerunt, ut alterum μάγνητα, alterum μαγνησίαν dixerint. Democritus in Physicis capite περὶ ποιήσεως ἀσήμε: τὸν δὲ σίδηρον λύσεις, μαγνησίαν ἐπιβάλλων, ἢ θεῖε τὸ ἥμισυ, ἢ μάγνητος βραχύ· ὁ γὰρ μάγνης ἔχει συγγένειαν πρὸς τὸν σίδηρον. Ita Arabes quoque Græcos secuti eos lapides discreverunt, alterum *magnitis*, alterum *magnissa* vel *magnisia* vocando. Cæterum ob similitudinem virtutis & coloris magnesiam pro pyrite accipiunt chimici antiqui, & contra, quorum est hæc expositio: Πυρίτης ἐστὶ σῶμα καὶ μαγνησία. Plinius argentei & aurei pyritis lapidis meminit, quod non facit Dioscorides: ut vel hinc constare debeat, quæ habet de silva medica, non debere Dioscoridi, sed alteri accepta referre. Verba ejus hæc sunt: *Sed est alius etiamnum pyrites similitudine æris. In Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ sunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, alterum aureo.* Ferrei pyritis apud eum nulla mentio, quem Avisena vocat *ferreum marcasitan*. مارقشيثا حديدي. Ex pyrite autem lapide etiam Cadmia fiebat teste eodem Avisena, quam non agnoscit Dioscorides, nisi de Cadmia accipias hæc illius verba, quibus dicit μεταλλευομένη ex monte, qui Solis urbi imminet, καιομένε δὲ πυρίτε λεγομένε λίθε. In tradendis Cadmiæ facticiæ generibus non per omnia consentit Plinius Dioscoridi. *Capnitis* Cadmiæ ille habet mentionem, de qua nullum apud hunc vestigium. Καπνῖτις autem cadmia illi dicitur, quæ in ipso fornacum ore nascitur, qua flammæ eructantur. Hæc tenuissima. Quæ intra fornacem fiunt, plura genera sunt. *Interior*, inquit, *optima cameris dependens, & ab uva argumento botryitis cognominata.* Sic legendum. Addit: *duo ejus colores, deterior cinereus, puniceus melior.* Nulla est Dioscoridi Cadmia, quæ punicei coloris sit. Botryiti duos colores dat Plinius cinereum, qui deterior est; & puniceum, qui melior. Dioscoridi botryitis χρώματι σποδοειδὴς, θλασθεῖσα δὲ ἔνδοθεν ἔντεφρος καὶ ἰώδης, colore cinerea, si frangatur intus cineris & æruginis colorem habens. Hæc illi optima Cadmia, cui color cinereus; quam deteriorem esse vult Plinius. Habes statim in sequentibus apud Dioscoridem de alio Cadmiæ genere: ἐχομένη δέ ἐστιν ἡ ἔξωθεν κυανίζουσα, ἔνδοθεν δὲ λευκοτέρα. Puniceam hanc fortasse eam duxeris Plinii Cadmiam. Hoc si est, pro κυανίζουσα perperam legerit vel audierit legente anagnoste, φοινίσσουσα. Non melior vero, cui color cæruleus, sed cui cinereus. Notandum præterea Dioscoridem distinguere inter σποδοειδῆ & ἔντεφρον. Nam primum illud βοτρυΐτης genus colore σποδοειδὲς in superficie esse dicit, intus ἔντεφρον. Possumus tamen putare utroque vocabulo idem dici. Non ita accepit Serapio in verbis Dioscoridis vertendis, sed ἔντεφρον quidem de colore cinereo interpretatus est; at σποδοειδῆ, cui tutiæ color est, quam Græci propriè σποδὸν vel σπόδιον vocant. Ita enim reddidit, ut legitur apud interpretem veterem: *Et color ejus est similis colori tuthiæ, quæ dicitur sfudos, & quando frangitur, color ejus interior vergens ad colorem zingjar.* Sic scribendum pro eo, quod est vulgo, *quæ dicitur fidos.* Quæ σποδὸς Græcis pro Arabum tuthia, ea Arabibus nominatur سفودس, *sphodos* vel *sphudos.* Falsum tamen puto Serapionem. Idem quippe σποδὸς & τέφρα; item σποδοειδὴς & ἔντεφρος vel τεφρὸς, ut eo loco legitur in antiquissimo codice. Hesychius: τεφρὸν, σποδὸν, φαιὸν, πελιόν. Cadmia botryitis exterius cinerea, interius si frangatur etiam cinerei coloris, sed ad æruginem tendentis, τεφρὸς καὶ ἰώδης. Aut cinerea, sed æruginis colore temperata. Haud scio, an ἰώδη colorem hic pro puniceo acceperit Plinius à violæ puniceæ colore. Duplicem enim colorem Cadmiæ botryitis facit, cinereum, & puniceum, qui Dioscoridi τεφρὸς καὶ ἰώδης, vel fortasse οἰνώδης audivit pro ἰώδης. Nam οἰνώδης color planè puniceus. Theophrastus: οἰνόχρως καὶ ἐρυθρός. Hesychius: οἴνοπα, οἰνωπὸν, πορφύρεον, μέλαν. Hoc sanè verum. Nam quæ sequitur apud Dioscoridem cadmiæ species extra cærulea καὶ κυανίζουσα, intus candidor, non pertinet ad botryitin, nec speciem ejus alteram constituit solo colore distinctam. Et malè Plinius ex duobus coloribus, qui simul insunt in cadmia botryiti, cinereo, & viridi ad æruginem duas species facit, & ἰώδη pro οἰνώδες accepit. Sequitur igitur alia species Cadmiæ apud Dioscoridem, cujus superficiem cæruleam esse dicit; interiorem autem partem candidiorem cum discursu venarum, ut sunt in lapide onychite: Ἐχομένη δὲ ἐστιν ἡ ἔξωθεν μὲν κυανίζουσα, ἔνδοθεν δὲ λευκοτέρα, διαφύσεις ἔχουσα ἐμφερῶς ὀνυχίτῃ λίθῳ. Hæc Pli-

nio

nio *onychitis* appellatur. Fluunt & ex ea *duo alia genera, onychitis extra pane cærula, intus onychitis maculis similis.* Non plane expressit mentem Græci scriptoris. Non enim dixit extra esse cæruleam, intus maculis onychitis similem; sed intus candidiorem, λευκότερον, discurrentibus venis, quales in onychite lapide cernuntur. Lapis onychites non est candidus, sed λευκότερος; venas autem habet candidas. Aliud est simpliciter λευκόν: aliud λευκότερον, quod *subalbidum* Latine possis vertere. De Cadmia intellexit capite de lapide Phrygio: quo loco scribit lapidem Phrygium habere venas candidas ut Cadmiam: ἔχει δὲ διαφύσεις λευκὰς ὡς Καδμία. Hæc igitur Cadmia intus est λευκοτέρα, colore scilicet ad candorem vergente: venas autem habet prorsus candidas. Legitur apud Serapionis interpretem pro verbis Dioscoridis: *Et post istam in bonitate est species nota, cujus color est cælestinus, & extrahitur à mineris antiquis climiæ & assimilatur caphari.* Scribendum fuit *dhafari* vel *tsafari*, id est, ungui vel onychi. In Arabico scriptum fuit ظفر, *thafar*. Chaldaïce טופרא, *thufra*, quod ungulam vel unguem significat vel onychem, id est, ὄνυχα, qui idem cum lapide ὀνυχίτῃ; cui nomen ex ea re, quod ungui humano de colore similis sit, & maculas habeat candidas, quales in unguibus plerumque apparent. Vetus Glossarium Latino-arabicum *onycha* interpretatur ياقوتة مصفرة, hoc est, hyacinthum pallidum. Participium est مصفرة à verbo جزع, quod est *trepido, paveo, impallesco*, ut illi solent, qui pavore corripiuntur. Pallidus itaque onyx, id est, λευκότερος. Paulus Silentiarius de Onychite marmore Ὠχριόων ἐλίπιμα omnino expressit Arabici participii vim ad colorem onychis indicandum. Frustra manus Scaliger μεμιγμένον & πεφυρμένον exponebat. Sic onychitis Cadmia, quæ similis onychiti lapidi λευκοτέρα ipsa, id est, pallida, maculas habet candidas. Hanc Cadmiam Serapio vocat ظفري, *tsaphari*, id est, ὀνυχίτιν. Et notandum est, Serapionem dicere ex Dioscoridis sententia Cadmiæ genera hujusmodi omnia botryitin, onychitin, & zonitin ex mineris, id est, metallis effodi. Propterea naturales & metallicas esse pronuntiandum, non ab arte proditas & in fornacibus natas.

Plinio dicitur *Cadmia placitis*, πλακῖτις, quæ Dioscoridi πλακωτή: sic enim ex vetustissimis libris lego, non ut vulgo habetur πλακώδης, quæ vox in alium sumitur sensum. Πλακῶδες proprie est, quod speciem habet crustæ, ut arsenicum πλακῶδες eidem Dioscoridi, quod eruitur crustarum modo; ut βωλῶδες, cui glebæ instar est. At πλακωτὴ Cadmia eademque πλακῖτις, quæ multis veluti distinctæ crustis. Nam discursus habet venarum cingulis vel zonis similes, qui crustas dividunt, unde & ζωνῖτις quoque appellata. Dioscorides: ἔστι δὲ τις καὶ πλακωτὴ λεγομένη ζώνας ἔχουσα τὰς διαφύσεις, ὅθεν ἡ ζωνῖτιν αὐτὴν ἐκάλεσαν. Hæc Serapioni vocatur منطقي, *mantheki*, quod ζωνῖτιν sonat. Nam منطقة est balteus & zona vel cingulum, & منطقة, *manthcia*, vel *manthaca*. Frustra sunt, qui ab ea voce deducunt dictionem Latinam *manтica*, quæ peram significat. Dicitur & نطاق, *nithac*, à quo illud *manthea* factum est. Placitin ita exponit Plinius: *Tertia est in lateribus fornacum, quæ propter gravitatem ad cameras pervenire non potuit. Hæc dicitur placitis & ipsa ab argumento, crusta verius quam pumex, intus varia, ad psoras utilior & cicatrices trahendas.* Locus hic aliter scribitur in libris hoc nempe modo: *Et ipso argumento planicie crusta verius quam vim ex intus varas ad psoras utilior.* In aliis hoc rursus exemplo: *& in ipsa argumentum crusta verius squamium intus naxas ac luxura.* Quæ portenta sunt mendarum, quæ sic expiabat Vir doctus: *Placitis & ipsa ab argumento. Plena enim crusta est verius quam squama intus varia.* Quam conjecturam ut minus probem, facit vetus scriptura, à qua nimium recedit. In al-

B tero codice Regio sic scriptum invenio: *Hæc dicitur placitis, & ipso argumento planicie crusta verius quam vim ex intus varas ad psoras utilior.* Nihil inde propius ad veritatem elicio quam si legamus: *Hæc dicitur placitis, & ipsa argumento planitiei, crusta verius quam tumex, intus varia.* Manifesta hujus emendationis vestigia in libris apparent, *crusta verius quam tumex*; pro quo reposuerunt *pumex*. Quod nihil ad rem facit. Placitin ab argumento planitiei dictam vult Plinius, quod nimirum plana sit, & crusta verius quam tumex. Quidquid extumescit, Latini sic vocarunt. *Tumex* à tumeo, ut *struex* vel *struix* à struo.

C Glossæ: *Tumex*, σμῶδιξ, αἱματώδης τύπος. De quacunque re alia tumescente & extuberante posuerunt. Ut hoc loco Plinius rem, quæ plena est crustam potius esse dicit quam tumicem. Hoc verum puto, nec amplius disputo. Camaras eo loco constanter libri retinent, & apparet in Græco auctore, unde illa transcripsit Plinius, fuisse καμάρας, quæ sunt fornices camini & καμαρωτὰ culmina. Sequitur de ostraciti apud eumdem: *Ostracitis tota nigra & è cæteris sordidissi-*

D *ma.* Videtur putasse purgamentum esse fornacis, ideo sordidissimam è cæteris facit. Dioscorides ὀστρακῖτιν nominat atque ita dictam innuit, quod testæ superficiem habeat, quam inter genera nativa Cadmiæ metallicæ numerat: ὀστρακῖτις ἰσχνὴ καὶ ὡς ἐπίπολυ μέλαινα, γεώδει δὲ ἢ ὀστρακώδει κεχρημένη ἐπιφανείᾳ. Serapio hanc speciem vocat *chazafi* خزفي, id est, testaceam. Nam خزف est tegula, testa, ὄστρακον. Interpres Serapionis habet *cacafi*. Ex tot Cadmiæ generibus

E sive facticia sumas & in fornacibus nata, sive metallica & per se fossilia, nullum hodie est, quod in usu sit aut notitia medicis. Quam enim *tutiam* vocant *Alexandrinam* in nullum genus eorum, qualia veteribus fuere cognita & à Dioscoride tradita, quadrare deprehenditur. *Tutia* nomen est Arabicum, quo non Cadmiam proprie appellant, sed Græcorum πομφόλυγα exprimunt. Ita enim Dioscoridis πομφόλυξ, ab antiquo Glossatore Arabe indigetatur, توتيا. Græci recentio-

F res, qui ab illis acceperunt, modo τυτίαν, modo θυθίαν nominant. Neophytus tutiam interpretatur Cadmiam botryitin vel Cadmiam minutam: Καδμία λεπτὴ, ἡ τυτία, & alio loco: Καδμία βοτρυῖτις, ἡ τυτία. Nicomedes Sophista τυτίαν simpliciter Καδμίαν exponit: Καδμία, ἡ τυτία. Sed alia est proprie Cadmia, alia tutia. Quædam tamen tutia, hoc est, pompholyx, è Cadmia paratur, cujus modum parandæ describit Dioscorides capite de Pompholyge. Οὐ μόνον δὲ ἐκ τῆς τοῦ

G χαλκοῦ κατεργασίας τε καὶ ὕλης, inquit, γίνεται πομφόλυξ ἀλλὰ καὶ ἐκ Καδμίας· προηγουμένως ἐκφυσωμένης εἰς γένεσιν αὐτῆς. Narrat deinde, quomodo fiat pompholyx ex Cadmia. Sic tutia, quæ est pompholyx, ex Cadmia fit sola ignibus in fornace imposita & follibus eventilata, donec tota exhaletur; cujus quidem levissima pars efflatur atque evolat in summum tecti, ibique adhæreſcit. Atque hæc est τυτία Arabum sive pompholyx, quam & Καδμίαν λεπτὴν Græci recentiores dixere, & Καδμίαν βοτρυῖτιν, quæ tamen differunt. Alia tutia fit ex

ex materia æris, & conflatura. ἐκ τῆς ȣ̓ χαλκȣ̃ κατεργασίας τε καὶ ὕλης. Non video, qua in re distat hæc tutia sive pompholyx à Cadmia facticia, quæ pariter originem suam debet æris confectioni & materiæ. Dum enim æris vena & cadmia conflantur in fornace, fuligo, quæ inde emanat & tectis adplicatur, Cadmiam gignit. Ita Dioscorides. Non alia est pompholygis natura aut generatio. Avisena de Cadmia argenti & æris dicit fumum esse, qui elevatur è loco, ubi æs funditur & parietibus adplicatur. De tutia sive pompholyge similiter tradit originem ejus fumum esse, qui elevatur, ubi æs purgatur à lapidibus qui ei admiscentur. Ita enim reddit interpres: *Origo tutiæ est fumus, qui elevatur, ubi purificatum æs à lapidibus, qui ei admiscentur.* Tum purificatur æs à lapidibus, qui ei admiscentur, cum lapides ærarii in fornace liquescunt & materia æris, quam continent, à natura lapidea igne separatur, & funditur, & pura puta è fornace exit. In Arabico habetur: *Origo tutiæ est fumus, qui elevatur, quando æs & plumbum commiscentur & conflantur ex lapidibus, qui ei admixti sunt, & stanno quod ei admiscetur.* Sic enim legitur in Arabicis حين يخلط الاسرب والنحاس, id est, *quando commiscentur plumbum & æs.* Quod de conflatura accipiendum est. الاسرب est plumbum. Scaliger malè *sedimentum* vertebat in Notis ad Garciam: *Origo tutiæ est fumus, qui elevatur, donec commisceatur sedimentum & æs ex lapidibus, qui commiscentur cum eo.* Quæ interpretatio multis modis improbanda est. Primum vox حين non significat *donec*, sed *cum*, *ubi*, *quando*; حين يخلط *ubi commiscetur*, vel *quando commiscetur.* Vetus interpres pro يخلط videtur legisse يخلص Nam vertit, *ubi purificatur æs à lapidibus.* خلص autem significat mundare, purificare. Utrolibet modo legeris, ea mens asserenda est, quam diximus, de conflatura ac mixtura æris, quæ fit in fornace per ignem follibus excitatum. Magis tamen probarim, si res mei judicii fiat, lectionem, quam interpres sequutus est. Utut sit, اسرب non est sedimentum, ut voluit Scaliger, sed plumbum. سرب quidem est crypta vel domus subterranea. Inde fortasse, ut pro sedimento acciperet, motus est Scaliger. سراب etiam nebulam designat, à verbo سرب, quod est nebulosum esse. Nescio, an ex eo vocabulum اسرب pro plumbo, quia est nigrum. Vetus auctor Arabs in perantiquo Dioscoridis codice duplicem nomenclaturam Arabicam adscripsit ad vocem μολυϐδὸς, رصاص & سرب. Item σκωρίαν μολύϐδȣ interpretatur Arabice خبث الصرب id est, *scoria plumbi.* Meminit autem Avisena plumbi simul cum ære in eadem fornace conflandi, quia ad æris temperaturam addebatur plumbum interim nigrum, interim argentarium. Plinius lib. XXXIIII. cap. IX. *appellatur etiamnum & formalis temperatura æris tenerrimi, quoniam nigri plumbi decima portio additur & argentarii vicesima.* Ubi igitur mixtis venis æs & plumbum conflantur in fornace, fumus, qui excitatur & corporatus summis tectis adhæreſcit, *tutia* existit sive πομφόλυξ. Sic defendi potest lectio vulgata in Avisena يخلط, quod de commixtione æris & plumbi,

A quorum venæ simul conflantur, intelligendum est. Vix tamen abstinere meam possim credulitatem, quin censeam veriorem eam scripturam, quam interpres agnoscit; quæ significat æs purgari à lapidibus, quibus commixtum est, hoc est, excoqui & perfici ex lapidibus, qui venam æris continent. Eodem verbo ut videtur usus erat Serapio in transferendis verbis Dioscoridis de Cadmia, ut habet quidem ejus interpres: *Et alia generatur in fornacibus, quando purgatur æs.* ويخلص καμινδόμϐȣ χαλκȣ̃. Purgatur enim æs ut & cætera metalla,

B cum liquescunt in fornace & separantur à vena sua lapidea sive terrea. Ovidius:

> *Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli*
> *Excoquit.*

Quod autem ait Avisena tutiam fieri, quando purgatur æs & plumbum & stagnum, separatim hæc intelligenda sunt. Significat quippe non solum ex ære, sed etiam ex plumbo nigro & albo tutiam fieri. Quod Dioscorides etiam testatur pompholygem ex plumbo & argento quoque fieri ut ex ære. De quo infra. Addit Avisena etiam *alanoc* misceri, quod *plumbum*

C quoque interpretantur. Ita enim scribit: *Ubi conflantur æs & plumbum ex lapidibus, qui admiscentur ei & alanoc, qui admiscetur ei.* Hoc alanoc interpres vertit stannum; *& à stanno quod ei admiscetur.* Avisenæ tamen sic plumbum appellatur haud uno loco. Capite de Alanoc, alabar & alanoa has duas voces de plumbo nigro exponit. الرصاص لاسود. Idem *marte sangi*, quæ est lithargyrus, plumbum ustum interpretatur; ubi eadem voce *alanoc* utitur, pro qua in Græcis,

D unde sumpsit, habetur μόλυϐδος. Absque articulo dicitur انك, quod ex Hebræa venit origine. Immo purum putum est Hebraicum אֲנָךְ. Quod de stanno plerique omnes accipiunt, quidam tamen etiam de plumbo. Hinc & perpendiculum significat, quod fit ex plumbo. Unde & μολυϐδὶς Græce dicitur. Sic رصاص & plumbum denotat & perpendiculum. Nos hodieque *plumbum* vocamus perpendiculum, & ad *plumbum fieri* & esse dicimus, quæ perpendiculariter

E fiunt. Sed cum Avisena eodem loco simul meminerit *alanoc* الانك & اسرب, non possunt idem esse. Si *alanoc* plumbum nigrum est, ut ipse exposuit, *serub* aliud erit genus, plumbum utique album. Hebræi plumbum vocant עוֹפֶרֶת, quod à עָפָר deducitur qui pulvis est. Perperam ita dictum autumant, quod in pulvere conservetur, qui alia omnia consumit; immo quod vena ejus arenosa & pulveris instar. Ex arena enim ac pulvere excoquitur. Plinius de vena

F plumbi: *Nunc certum est in Lusitania gigni & Gallæcia summa tellure arenosa & coloris nigri.* Pulvis itaque est & arena, quæ venam ejus continet. Atque inde nomen. Iidem stannum vel stagnum vocant בדיל à verbo בָּדַל, quod est secernere ac dividere. Ratio nominis juxta quosdam, quod alia metalla secernat ac dividat. Nam בדיל est ἀποχωρίζων. Sic interpretanda verba Isidori de stanno, quæ habet ab Hieronymo: *Stanni etymologia ἀποχωρίζων, id est, separans dicitur & secernens. Mixta enim & adulterata inter se per ignem metalla dissociat, & ab auro & argento æs plumbumque secernit.*

G Hinc in Glossis veteribus, quæ Isidoro tribuuntur: *stagnare, metalla mixta secernere.* Nulla in stanni vel stagni vocabulo separationis notio est, ut indicare videntur illa Isidori verba, sed in Hebraico *bedil*, quo stannum illi appellant. Profecto non solum Hebræi & Arabes, sed etiam Græci Latinique stagnum & plumbum designantia vocabula sæpe confundunt & indifferenter usurpant. Glossæ veteres stagnum interpretantur κασσίτερον, & *stagnea vasa* κασσιτέρινα. Plinius tamen κασσίτερον

ρὸν Græcorum de plumbo albo docet accipiendum, quem à ſtagno diverſum facit. Sic enim veteres libri apud eum ubique nominant; *ſtagnum*, inquam, non *ſtannum*, ut vulgo ſcribitur. Stagnum ille dicit adulterari æris candidi tertia portione addita in plumbum album. *Fit*, inquit, *& alio modo mixtis albi plumbi nigri quæ libris.* Sic ſtagnum ei diverſum à plumbo albo. Quin immo ſtagnum genus facit plumbi nigri, his verbis: *plumbi nigri origo duplex, aut enim ſua provenit vena, nec quidquam aliud ex ſe parit: aut cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor, ſtagnum appellatur, qui ſecundus argentum.* Sic ſtagnum Plinio ex argenti vena producitur, eſtque nigri plumbi genus. Ipſe Aviſena, qui hoc loco *ſerub* diſtinguit ab *alanoc* quaſi diverſa, alio loco ea facit eadem. Nam capite de Raſas de eo ſe jam dixiſſe profitetur in capitulo de *Alaſerub.* Atqui intelligit capitulum, quo de alanoc, ubi dixit alabar & alanoc eſſe nigrum alraſas. In eo autem capite de raſas interpretatur eſſe *alcalki*, quod interpres exponit ſtannum. Sed de his alibi. Ad tutiam redeamus è diverticulo. Fumus eſt fornacis teſte Aviſena, in quo æs & plumbum conflatur, qui tutiam dat. Cadmiam quoque gignit, quæ fornacum dicitur idem fumus. Dictionem

دخان de utroque uſurpavit. Chimici quoque

Græci καπνὸν, ut cum dicunt πομφόλυγα eſſe καπνὸν ἀργύρου aut χαλκοῦ, fumum æris aut argenti. Plinius de Cadmia fornacum dicit: *Fit autem egeſta flammis atque flatu tenuiſſima parte materiæ, & cameris lateribus pro qualitate levitatis adplicata.* In illis fornacibus Cadmia & ærarius lapis coquuntur. Idem de pompholyge, quæ eſt tutia Arabum, ita ſcribit ex quorumdam ſententia: *Aliqui id quod ſit candidum leviſſimumque, pompholygem dixere, & eſſe æris & Cadmiæ favillam, ſpodon nigriorem ponderoſioremque deraſam parietibus fornacum.* Cadmia ex æquo dici poteſt favilla æris & Cadmiæ, quandoquidem leviſſimam eſſe ait partem, quæ flatu & flammis egeritur in his fornacibus, ubi Cadmia & æs coquuntur. Præterea quod ait ſpodon deradi ex parietibus fornacum, quibus adhæreſcit, nihil eſt quod prohibeat videri eandem ſpodon cum Cadmia, ſi quidem & hæc parietibus fornacum adplicatur; præſertim ea ſpecies, quæ præ pondere ſuo ad camaras fornacis pervenire non potuit, ut idem alibi tradit. De ſpodo quoque idem Plinius ſic memorat: *Spodos Cypria optima. Fit autem liqueſcentibus Cadmia & ærario lapide. Leviſſimè hæc efflatur & ocius, evolatque è fornacibus & tectis adhæreſcit, à fuligine diſtans candore.* Certè & Cadmia fit liqueſcentibus Cadmia & ærario lapide, quæ efflatur & evolat è fornacibus tectiſque adhæreſcit. De ſpodo præterea ille dicit, quæ conveniunt pompholygi. Spodos non evolat, nec eſt leviſſima, ſed in pavimento fornacum reperitur cum everriis & carbonibus. Idem error eſt, quod paulo ante dixit ſpodon deradi parietibus fornacum, quod proprium pompholygis. Heîc tamen nullum fortaſſe Plinii peccatum, ſed librariorum, qui ſpodo tribuerint, quod erat pompholygis. Sic igitur reſcribendum è libris melioribus: *Spodos Cypria optima. Fit autem liqueſcentibus Cadmia & ærario lapide. Leviſſimum hoc quod efflatur & ocius evolat, quod & fornacibus & tectis adhæreſcit, à fuligine diſtans candore. Quod minus candidum, ex eo immaturæ fornacis argumentum eſt. Hoc quidam pompholygem vocant.* Ita libri. Sed ne ſic quidem liberandus culpa Plinius, qui apertè innuit ſpodon dici, quod eſt leviſſimum & celerrimè efflatur, ſolo candore diſtans à fuligine. Ergo candidiſſima ſpodos. Quod autem minus candidum, ex eo immaturæ fornacis argumentum colligi ait & hoc pompholygem à quibuſdam appellari, contraria omnia vera ſunt. Supra ſcripſerat aliquis id, quod candidum eſſet leviſſimumque, pompholygem dixiſſe. Hæc Dioſcoridis ſententia, qui duo genera pompholygis perſequitur, ut & duo genera ſpodi. Unum quod in fornacibus æris reperitur, in quibus & Cadmia ſimul cum ære, cui fundendo neceſſaria eſt, coquitur; alterum, quod ex Cadmia ſola conficitur. In utroque genere *pompholyx* id dicitur, quod eſt tenuiſſimum & candidiſſimum; *ſpodion* autem quod ponderſius & nigrum. Pompholygem enim à ſpodio diſtare tradit ſpeciei differentia, non generis: Πομφόλυξ σποδίου εἰδικῶς διαφέρει· γενικὴν γὰρ οὐκ ἔχει παραλλαγήν. Spodion gravius & nigrius, ut plurimum feſtucis utpote pilis & aliis fornacis purgamentis & everriis mixtum. Sic legenda verba Dioſcoridis de ſpodio: τὸ μὲν γὰρ ὑπομελανίζει καὶ βαρύτερόν ἐστι· κατὰ τὸ πλεῖστον δὲ ἔμπλεον καρφῶν καὶ τριχῶν καὶ γῆς, ὡς ἂν ὑπόψημα καὶ σύρμα τῶν ἐν τοῖς χαλκουργείοις ἐδάφων καὶ καμίνων. Hæc ille de ſpodio, quod in fornacibus æris invenitur. Addit protinus de pompholyge: ἡ δὲ πομφόλυξ λιπαρὰ ὑπάρχει καὶ λευκή, ἔτι δὲ κουφοτάτη ὡς δύνασθαι ἐπιπωτᾶσθαι τῷ ἀέρι. *Pompholyx autem pinguior exiſtit & candida, itemque leviſſima, adeo ut evolare poſſit in aërem.* Duo ejus genera conſtituit, unum modice pingue, & coloris aërini ſive cærulei, alterum candidiſſimum & ſummæ levitatis. Sic enim apud eum ſcribendum: ταύτης δὲ δύο ἐστὶν εἴδη, τὸ μὲν ἀερίζον καὶ ὑποπίμελον, τὸ δὲ λίαν λευκὸν καὶ ἄκραν ἔχον κουφότητα. Quæ candida eſt pompholyx, eam fieri dicit, cum in perficiendo ære crebriorem infriatam Cadmiam addunt metallici artifices ad hoc, ut melior exiſtat pompholyx. Quin etiam & ex ſola Cadmia nullo faciendi æris propoſito, pompholygem confici ibidem memorat, modumque ejus præparandæ narrat. In Cadmia coquenda eo quo dicit modo, quod leviſſimum ex ea efflatur, in ſuperiorem ædium partem fertur, ibique parietibus & cameris adhæreſcens, primo bullis, quæ in aqua naſcuntur, ſimile evadit: deinde majora demum incrementa accipiens lanarum velleribus & glomis aſſimilatur: ἐκθυμιωμένης δὲ αὐτῆς τὸ μὲν λεπτομερὲς καὶ κοῦφον εἰς τὸν ἄνω φέρεται οἶκον καὶ προσίζει τοῖς τοίχοις αὐτοῦ καὶ τῇ ὀροφῇ· ὃ δὴ σωματοποιούμενον ὑπὸ τῶν ἐπιφερομένων, κατ' ἀρχὰς μὲν ταῖς ἐπανισταμέναις τῶν ὑδάτων πομφολύξιν ἐοικὸς γίνεται, ὕστερον δὲ πλείονος τῆς παραυξήσεως συμβαινούσης ἐρίων τολύπαις ἀφομοιοῦται. Quod vero ex ea graviſſimum eſt, cadere ad inferiora ſcribit & partim per fornacis ſuperficiem circumfuſum reperiri, partim in pavimento conclavis. Τὸ δὲ βαρύτερον εἰς τοὺς ὑπὸ πόδα χωρεῖ τόπους καὶ περιχεῖται τοῦτο μὲν τῇ καμίνῳ, τοῦτο δὲ τῷ ἐδάφει τοῦ οἴκου. Evolat è fornace, quod eſt leviſſimum, & tectis parietibuſque conclavis adhæreſcit. Quod graviſſimum eſt, extra fornacem egeſtum cadit vel in pavimentum, vel in fornacis terga, quibus circumfunditur. Et ſic capiendus Plinius, cum dicit ſpodon deradi parietibus fornacum; exterioribus nempe, non interioribus. Aut certe ipſe Plinius falſus eſt, quod vero propius eſt. Hoc enim volunt ejus verba: *Spodon nigriorem ponderoſioremque eſſe, deraſam parietibus fornacum, mixtis ſcintillis aliquando & carbonibus.* Nimirum intelligit de interioribus fornacum parietibus, quod non poteſt ex mente Dioſcoridis. Et hæc eſt differentia pompholygis & Cadmiæ facticiæ. Cadmia facticia intra fornaces ipſos naſcitur, eorum parietibus adhæreſcens quæ eſt graviſſima; aut ſummis camaris, ſi qua leviſſima. Fuligo enim eſt, quæ adplicatur interioribus fornacum parietibus & camaris. Λιγνὺς Græcè vocatur, nos vulgò appellamus *ſuye.* Dioſcorides de Cadmia: γεννᾶται δὲ ἡ Καδμία ἐκ τοῦ χαλκοῦ καμινευομένου, προσιζανούσης τῆς λιγνύος τοῖς τοίχοις καὶ τῇ κορυφῇ τῶν καμίνων. *Adhæreſcente fuligine fornacum parietibus & cameris.* At pompholyx favilla eſt, ἡ αἰθάλη, quæ extra fornacem exit, & tectis conclavis adhæreſcit, in quo eſt fornax. Hæc leviſſima & candidiſſima, quo candore ut & levitate diſtat præcipuè à fuligine. Plinius de pompholyge: *leviſſimum hoc, quod efflatur, & ocius evolat è fornacibus & tectis adhæreſcit.*

Evolat è fornacibus, id est, extra fornaces, & tectis adhærescit ejus οἴκου, in quo est fornax. Candore distat à fuligine. Fuligo Cadmia est, pompholyx favilla, eoque candida. Poëta:

------ *candente favilla.*

Grammatici favillam esse volunt, quæ igni deserta est. Hæc candida, ut fuligo nigra. Illa Græcè αἰθάλη, hæc λιγνύς. Dioscorides de Cadmia: ἡ ἀπὸ ταύτης ἀναφερομένη αἰθάλη λευκοτάτη οὖσα πομφολυγοῦται. *Favilla, quæ ex ea excitatur, candidissima cum sit, in faciem bullarum redigitur.* Scintillæ extinctæ favillam constituunt. Quæ leviores ex his habentur, evolant & adhærescunt tectis. Graviores delabuntur supra fornacem & in pavimentum ædium, quæ cum aliis everriis & purgamentis pavimenti & fornacis σποδὸν dictam constituunt. Præterea pompholyx aut ex Cadmia sola conficitur, aut præcipue ex ea. Cadmia vero facticia ex vena æris sive lapide ærario simul cum Cadmia in fornacibus excocto fit; item ex lapide pyrite sive marchasita. Multum igitur ex his constat distare pompholygem à Cadmia. Hæc cum ita sint, mirum est Græcos recentiores τουτίαν Arabum confundere cum Cadmia botryiti; immo cadmiam eandem facere cum tutia, quæ est pompholyx. Officinæ quoque in eodem errore, quæ *tutiam* vocant id, quod nihil est minus quam pompholyx. Etenim cum duæ sint notæ præcipuæ pompholygis, levitas & candor, hæc neutram habet. Prædura enim & crustosa, ut species Cadmiæ videatur, etsi ne Cadmiæ quidem. At pompholyx adeò levis, ut aëri involitet. Arabes sub nomine *tutiæ* intellexisse quidem videntur Græcorum πομφόλυγα; quam tamen dubito, an certo cognoverint. Serapio nomine tutiæ descripsit πομφόλυγα Dioscoridis, cujus & verba refert. Sed quod ait tutiam etiam in metallis reperiri, sciendum est nullam talem pompholygem veteribus cognitam fuisse. Metallicæ tutiæ tres species facit, albam, viridem & luteam ad rubrum vergentem. Avisena quoque capite de tutia, quatuor generum meminit coloribus distinctorum. *Et altutia,* inquit, *alia alba est, alia lutea, alia viridis, alia tenuis, alia crassa, & alia ad rubrum colorem inclinans.* Sic enim in Arabico habetur. Non tamen dicit metallicam hujusmodi esse tutiam aut in mineris inveniri, cujus genera his colorum differentiis distinguuntur. At pompholyx Græcorum tenuissima & candidissima, favilla utpote constans è fornacibus emicante, in quibus aut Cadmia sola uritur aut cum æris vena liquescit. Unicam tantum coloris differentiam in ea notavit Dioscorides, qui præter albam, quæ optima est, cæruleam etiam vel ærinam reperiri perhibet. Non igitur eadem tutia Arabum cum Græcorum pompholyge. Adjicit Avisena, postquam eas omnes tutiæ è colore differentias explicavit: *Et hæc omnia tutiæ genera conficiuntur in regionibus Kirman & Indiæ.* Per Kirmam intelligit veterum Carmaniam. Verbis autem illis indicat, facticia esse supra dicta tutiæ genera, non naturalia; nec fossilia ut Serapio auctor est, qui metalla illa tutiæ in Indiæ maritimis inveniri memorat: *Sed illius tutiæ, quæ est in mineris sunt tres species. Nam ex ea est alba & ex ea est viridis, & ex ea est citrina imbuta rubore. Et minera tutiæ sunt in littoribus maris prope regionem Indiæ.* Jam hinc maximum ducitur argumentum, qualiscunque illa sit Indica vel Carmanica tutia, sive naturalis sive facticia, non posse eandem esse cum pompholyge Græcorum, qui in æris fornacibus, ubi & Cadmia crematur, existit. Etenim nulla æris metalla per Indiam, nulla Cadmia. Quod non minus veterum testimonio scimus quam Neotericorum. Plinius ex antiquis id testatur lib. XXXIV. cap. VIII. *India neque æs neque plumbum habet, gemmisque suis ac margaritis hæc permutat.* Auctor Peripli maris rubri inter merces, quæ ex Ægypto & orbe Romano in Arabiam & Indiam ferebantur, ὀρόχαλκον etiam nominat καὶ ὑάλης μοῤῥίνης τῆς γινομένης ἐν Διοσπόλει καὶ ὀρόχαλκος, ᾧ χρῶνται πρὸς κόσμον καὶ εἰς συγκοπὴν ἀντὶ νομίσματος. Hoc est, quod dixit Pli-

A nius, Indos permutare æs gemmis suis ac margaritis. Non audiendus proinde Aristoteles in admirandis, qui Indicum æs commendat tanquam nitidissimum ac lucentissimum, adeò ut colore non posset ab auro discerni. Idem inter Darii suppellectilem reperta vasa commemorat & βατιακὰς vocat, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι, πότερόν εἰσι χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. Quæ præterquam odore alias nullus colore dignoscere potuisset, utrum ex auro essent, an ex ære. Sed non necesse ex ære Indico fuisse illas batiacas. Idem etiam meminit plumbi in India nascentis, quod si li-
B quatum in aquam demittatur, resilire ait & extra aquam emicare. Quæ fabulæ sunt. Metallum certe hodie ex India affertur, quod *calaem* vocatur, stagno simile. De quo nos alibi. Stephanus ex Dionysio auctore Βασσαρικῶν insulam Indiæ καττιτέραν memorat, ex qua stagnum καττίτερος. Nam inde nomen habet. Garcias tamen ab Orta ex recentioribus lib. I. de Aromatis, nullam per Indiam universam inveniri ait Græcorum πομφόλυγα aut σποδὸν, nec æs aut aliud metallum, ex quo fieri tutia possit. Tutiam tamen eo loco dixit, quæ in Lusitaniam & Hispanias & reliquas occidentis regiones exportatur;
C sed eam ex ullo genere metallico conflatam negat, utpotè affinem iis generibus, quæ Græci ἀντίσποδα appellant. Quin immo ibidem asserit se comperisse pro certo, tutiam illam, cujus in India usus est in Quirmon Persidis regione & Ormuzi finitima, fieri è cineribus arboris cujusdam istic nascentis, cui nomen *goan*, fructum ferentis cognominem. Quirmon ille vocat, quæ est Kirman Arabum, كرمان, veterum Carmania. Eam esse porro tutiam addit, quæ vulgo dicitur *Alexandrina*, non quod in Alexandria
D paretur, sed quod ex Ormuzo Carmaniæ in Alexandriam advehatur, & ex Alexandria deinde in Europæ regiones, quibus hoc nomine nota est. Illa ergo tutia, quam in Carmania & India fieri tradit Avisena, non potuit ex ære conflari aut Cadmia, cum id genus metalla in illis regionibus nusquam inveniantur. Scio apud Zozimum Panopolitanum excellentem æris tincturam, quæ tutia addita fit, Persis attribui. Quo argumento colligeret aliquis, tutiam & Cadmiam, qua æs luteum & flavum redditur, apud Persas reperiri. Quod non improbarem, si quid illis auctoribus ad fidem faciendam putarem posse tribui. Aliud genus tutię Serapioni describitur, quam in for-
E nacibus ęris existere dicit, quibus ęs flavum paratur. Sic enim scribit: *Et ex ea est, quæ fit in fornacibus, in quibus citrinatur æs & colligitur & reponitur sicut climia.* Hæc erit Græcorum πομφόλυξ, quæ liquescentibus ærario lapide & Cadmia fit in fornacibus. Cadmiam æri fundendo admisceri interpretantur Arabes ad colorem luteum trahendum. Plinius fusuris tantum necessariam esse pronuntiat, ideoque addi cum æs funditur, ait, alias non fundendum. Sic genus terræ albæ, quam vocant *castiliam*, ferro fundendo mi-
F scent hodie: quod nisi fieret, negant in fornace quantumlibet violentis ignibus conflari posse ac stringi. Quin etiam & ex Cadmia æs fieri antiquiores scriptores asserunt. Sed illa Cadmiæ species est, quæ materiam æris continet. Alia est, cui nihil æris inest: qua inficitur æs colore luteo, & orichalcum conficitur. De ea Cadmia locum Dioscoridis acceperunt Arabes, ubi dicit pompholygem albam fieri, cum artifices metallici in perficiendo ære crebrius ingerunt infriatam Cadmiam: γίνεται δὲ ἡ λευκὴ πομφόλυξ ὅταν ἐν τῇ κατεργασίᾳ καὶ τελειώσει τοῦ χαλκοῦ πυκνότερον οἱ ἐκ ἀπὸ τῶν χαλκουργείων συνεμπάσσουσι λελεασμένην καδμίαν,
G βελτιοῦν αὐτὴν βουλόμενοι. De Cadmia fusuræ æris necessaria, quæque æs ipsa habet, loquitur Græcus auctor; quam idcirco largius ingeri ad hoc tantum solitum innuit, ut melior inde pompholyx existeret. Βελτιοῦν αὐτὴν βουλόμενοι, *meliorare eam volentibus.* Nempe pompholygem. Arabes & in his Serapio videntur legisse βελτιοῦν αὐτὸν βουλόμενοι & ad χαλκὸν retulerunt. Sic saltem intellexere. Tanto præstantius æs, quanto magis luteum & flavum. Ad hoc igitur Cadmiam addi interpretati sunt æri fundendo, ut colorem contrahe-

ret

ret flavum, & orichalcinum. Verba Serapionis, quibus Græca Dioscoridis reddidit: *generatur autem tuthia, quando accipitur climia & pulverizatur super æs in sui citrinatione, & apponitur in ipsum climia, ut fiat clarum & citrinum.* In Arabico صفي واصفر, id est, pellucens & flavum. Nihil tamen ibi de æris tinctura flava Dioscorides, sed de ære Cyprio loquitur, quod erat rubrum. Quæcunque enim de Cadmia exequitur & pompholyge & spodio, de Cypri insulæ metallis & fornacibus audienda sunt, cujus æs erat rubrum. Cadmia igitur illa non æri inficiendo, sed fundendo tantum adhibebatur. Ex ea etiam fiebat æs, quia æris materiam vena sua continebat. Alia est Cadmia, quæ nihil æris admixtum habet, cujus usus duntaxat ad æs tingendum, de qua non meminit Dioscorides. Cadmia illa lutea, quæ æs eodem colore inficit, nullarum est virium in medicina, & proinde nihil ex ea potest nasci, quod cujusquam sit facultatis ad usum medicum idoneæ. Frustra itaque Serapio de Cadmia locum Dioscoridis exposuit, ex qua fieri pompholygem ille dixit. Nam & paulo post, ubi Dioscorides ait non solum ex factura æris & materia pompholygem existere, sed etiam ex mera Cadmia, quæ ad hoc follibus in igne eventilatur, ut fiat pompholyx: ὐ μόνον ἢ ἐκ τῆς ὖ χαλκῦ κατεργασίας τε καὶ ὕλης γίνεται πομφόλυξ. Serapio illam χαλκῦ κατεργασίαν de æris tinctura accipit, hoc est, ξανθῶσι, quæ paratur ope Cadmeæ luteæ. *Et tuthia quidem*, inquit, *non est solum propter tincturam æris; sed est absque hoc, quia potest fieri ex Cadmia absque citrinatione æris.* Citrinatio æris est πόιησις χαλκῦ ξανθῦ, ut Chimici Græci vocant, vel ξάνθωσις χαλκῦ, quæ fit admixtione Cadmiæ luteæ, quæ medicinæ est inutilis. Dioscorides autem de simplici κατεργασίᾳ χαλκῦ intelligit, nimirum æris rubri temperatura, qualis in Cypro fiebat Cadmia metallica admixta quæ æris venam habet, ex qua etiam æs perficiebatur. Plinius, ut supra ostendimus, utrumque genus Cadmiæ confudit, ut & plerique veterum Græcorum Arabumque. Æs luteum Cordubense & Livianum Cadmiam sorbere maxime dixit idem Plinius, qua nimirum flavo colore imbuebantur. Zozimus chimicus capite de æris flavi tinctura, æs Cyprium accipiendum præcipit, quod utique rubrum est; cui pulverem tuthiæ inspergendam monet, ut colorem acquirat. Λαβὲ, inquit, δύο μέρη χαλκῦ Κυπρίυ καλῦ & ἓν ἐκ ὖ προκαθαρισθέντος διὰ τῆς θυθίας ξηρίυ καὶ τίμε τὸν χαλκὸν εἰς ὅσα δυὼ σμικρὰ μέρη, καὶ πρόσμιξον αὐτῷ τὸ ξηρίον, καὶ βαλὼν ἀμφω εἰς χώνην φύσα σφοδρῶς, ἕως ἂν βαφῇ ὁ χαλκὸς μετὰ ὖ ξηρίυ. Vereor, ne illa θυθία ipsissima Cadmia sit, more & usu Græcorum recentioris ævi, qui τυτίας vocabulum passim pro Cadmia usurpant. Quia tamen vera tutia sive pompholyx ex Cadmia fit, nihil prohibet, quominus & eundem præbeat effectum æri tingendo, quem Cadmia ipsa à qua habet originem. Arabes quin etiam ipsi tutiam fornacum pro Cadmia nullo discrimine videntur accepisse. Serapio: *Elevatur ergo ex climia fumus & adhæret parietibus.* De tutia loquitur & verba hæc Dioscoridis convertit: ἡ γὰρ ἀπὸ ταύτης ἀναφερομένη αἰθάλη πομφολυγῦται. Sic fit & Cadmia fornacum. Sed in Cadmia λιγνὺς est, in pompholyge αἰθάλη. Fuligo illa, hæc favilla. Præterea è fornacibus evolare pompholygem diximus, in fornacibus ipsis parietibus & cameris adplicari & adhærescere Cadmiam. Arabes tamen & plerique veterum cum recentioribus ferme omnibus interpretibus tutiam, hoc est, pompholygem in ipsis fornacibus, quibus æs excoquitur addita Cadmia, fieri intelligunt, eodem modo quò cadmiam facticiam. Quod si ita se res habeat, non mihi perspicum fit, quid distet pompholyx à Cadmia fornacum, si quidem in iisdem æris fornacibus comparatur ex eadem materia & eodem modo. Ære & Cadmia liquescentibus in fornace fieri pompholygem dicit Plinius. Æque & Cadmiam. Quod exhalatur ex illa materia, quæ conflatur mixtis Cadmiæ metallicæ ærisque venis subinde adhærescens parietibus & culmini fornacis incorporatur, idque locum habet tam in Cadmia quam in pompholyge. Σωματοποιεῖσθαι & ἀποσωματῦσθαι verbo utitur ad pompholygis & Cadmiæ generationem exprimendam Dioscorides. Avisena de tutia dicit, cum sublimatur Cadmia, id quod sublimatum est existere tutiam. Sublimata intelliguntur, quæ vi ignis in fornace elevantur, & culmen ejus petunt cui & adhærescunt. Quam sublimari dicit Cadmiam, ea est metallica, quæ in fornace cum æris vena conflatur. Quod ex ea sublimatur fumus est, qui summa petendo pro levitatis qualitate aut parietibus fornacis adplicatur aut ad superiora contendit, & in his hæret. Hoc de tutia traditur ab Arabibus; nec minus verum est de Cadmia facticia, quæ originem suam debet Cadmiæ naturali sublimatæ in fornace. Hinc Plinius de Cadmia metallica prodit rursus eam in fornacibus existere, aliamque sui nominis originem recipere. Et Isidorus juxta hanc sententiam scribit purgamentum & originem æris esse Cadmiam. Quia nimirum ex Cadmia nativa, quæ æris venam continet, Cadmia fit in fornacibus artificialis. Hæc minimum differt à tutia sive pompholyge, si & pari modo in fornacibus ærariis formatur, & ex eadem materia, nempe Cadmia metallica & ære simul excoctis constat. Ideo & Cadmiæ similem facit tutiam Avisena his verbis: *Et differentia inter spodon & tutiam, quod tutia sublimata est, & illud remanet in imo alveo in quo fluit æs. Hoc autem sicut cadmia æris. Et hoc cum sublimatum fuerit, sublimatum ex eo tutia est.* Sic vertenda Avisenæ verba Arabica. Ait tutiam esse sicut Cadmiam æris, quæ Cadmia æris ubi fuerit sublimata, reddit tutiam. Sic nullum planè ponit discrimen inter Cadmiam facticiam quæ sublimata est, & tutiam. Verba supra scripta Avisenæ ita Scaliger reddiderat: Differentia autem inter spodon & tutiam, quod tutia quidem sublimatur, hoc autem residet in imo vasi, in quod effluit æs, & hoc est perinde ut climia ad æs. Hæc postrema pessimè. Rectius vetus interpres: Et hoc est sicut Cadmia ęris. Ita enim Arabice كالاقليميا النحاس, id est climia, quæ ex ęre fit. Cadmia ęris. Idem quippe auctor capite de Cadmia argenti, Cadmiam ex ęre etiam fieri docet, quam heic vocat *Cadmiam æris*, quę propria est ęris. Nam illud adfixum *lam* nomini *alnahas* quod est ęs, ęris propriam inducit illam Cadmiam. Hoc igitur vult Avisena Cadmiam ęris sublimatam evadere tutiam. Atqui definierat initio capitis tutię originem fumum esse, qui attollitur cum plumbum aut ęs aut stagnum à lapidibus suis in fornace purgatur & excoquitur. Sic nihil omnino differet tutia à Cadmia ęris. Nisi velis hoc illum velle Cadmiam illam ęris adhuc esse sublimandam, ut existat tutia, quę nihil aliud est quam Cadmia tenuissima. Sed vereor, ne Cadmiam nativam ex qua per se fit pompholyx sive tutia, confuderit cum Cadmia ęris, quę ex ęre excocto conficitur. Et hoc mihi valde verisimile. Constantinus Africanus ea de Cadmię generibus prodit, quę Serapio de tutiæ. Ut ut sit, Cadmia facticia & tutia Arabum eadem propemodum res est. Si quod erit discriminis, in tenuitate tantum ac candore constabat. Et sane idem Avisena inter genera tutię aliam facit tenuem, aliam crassam. Quę crassa est parum abesse potest, quin ipsissima sit Cadmia. Nulla enim πομφόλυξ Græcis cognita, quæ hac nota crassitudinis ac proprietate censeatur. Aliam tenuem ac subtilem statuit, qualem omnem Pompholygem ferme decernunt antiqui Græci. Avisena hanc tutiam vocat دقيق quod tenuem significat ac λεπτόν. Hæc erit λεπτὴ Καδμία recentium Græcorum, quam eamdem cum tutia faciunt & Cadmia botryiti. Neophytus: Καδμία κυπρία ἡ καὶ βοτρυΐτις καὶ τυτία λέγεται. Alio loco Καδμίαν λεπτὴν interpretatur tutiam. Certe & Cadmiæ genus tenuissimum agnoscit Plinius, quam *capnitin* autumat dictam & explicat eam esse, quæ in ipso fornacum ore nascitur qua flammæ eluctantur, tenuissimam & nimia levitate similem favillæ. Profecto si quæ species Cadmiæ similis pompholygi statuenda, hæc jure suo hoc obtinere debet. Pompholyx quippe favilla, cui similis Cadmia hoc genus præ nimia

mia sua levitate, quæ levitas in pompholyge præcipua. Quæ nota cum ejus sit cum primis propria, non poterit eadem esse cum tutia Arabum crassiore. Plinius ubique pompholygem definit esse favillam æris & Cadmiæ. Qui favillam dicit, rem levissimam ac tenuissimam intelligat necesse est. Græcis αἰθάλη. Talis pompholyx. Præterea quod jam in superioribus adstruximus, pompholyx, quæ favilla erat, extra fornaces emicabat, & tectis adhærescebat conclavis, in quo statuebatur fornax. Idque diserte Plinius tradidit his verbis: *Levissimum hoc, quod efflatur & ocius evolat è fornacibus & tectis adhærescit, candore distans à fuligine.* Repetendum itaque, quod jam confirmavimus ad statuendam Cadmiæ fornacum & pompholygis differentiam ignoratam Arabibus & plerisque hodie medicis: Cadmiam fornacum esse fuliginem ex ære & Cadmia in fornace liquescentibus sublatam, & intra ipsum fornacem consistentem, parietibus ejus & cameris adhærescentem: pompholygem vero favillam esse æris & Cadmiæ simul liquescentium, è fornacibus evolantem & tectis ipsis adglutinatam, levissimam & candidam. Hoc non obscure innuit Dioscorides, cum dicit eam præ sui levitate ἐπιπωτᾶσθαι τῷ ἀέρι. Ubi loquitur de ea pompholyge, quæ æris & Cadmiæ favilla est. Extra fornaces quippe exire necesse est, quæ per aërem volitet nec sistat cursum, donec tecta domus adprehenderit, quibus & adhærescit. At de alio genere pompholygis, quod ex mera puraque Cadmia gignitur absque æris vena, hoc disertis verbis testatur. Conclave duûm tabulatorum eligitur, οἶκος δίστεγος. In tabulato inferiore constituitur fornax, cujus nares apertæ sunt ad superius tabulatum. In fornace carbones accenduntur follibus excitandi: infriatur Cadmia. Favilla, quæ inde emicat, è fornace exit & superioris tabulati tecta comprehendit; quod in ea levissimum, ibique adhærescit. Quod ponderosius est, ut è fornace evolavit, pondere suo delabitur & exteriora fornacis occupat, quibus circumfunditur; aut in pavimentum decidit, ubi everritur cum reliquis purgamentis. Hæc est σποδός. Tenuissima pars, quæ tectis adhæsit superioris tabulati, πομφόλυξ dicitur, quia bullarum in morem ibi adglutinatur & incorporatur. Quod igitur dicit Dioscorides gravissimam favillarum partem, quæ de fornace exeunt, recedere & περιέχεσθαι τῇ καμίνῳ; de exteriori ejus superficie id intelligendum, non de parietibus interioribus. Contra erat in Cadmia conficienda. Tota quippe intra fornacem consistebat. Quin & fornax sic extruebatur, ut summum ejus culmen cameræ instar & tholi haberet, quo facilius ascendentia corpora ex metallis æris & Cadmiæ ad cameratum culmen retinerentur, & adplicarentur. Sic enim interpretor & lego verba Dioscoridis περὶ κορυφῆς συνηγμένης, ubi agit de eo fornacum genere, quæ aptæ fabricabantur ad faciendam Cadmiam. Grandes illæ fornaces fuere ex ferro, quas nominabant ἀκεστίδας, quæ in summo clausæ erant, & cameratæ, ut quod ex æris metallo liquescente sursum ferretur, retineri posset. Non bene interpretes Viri docti ἀκεστίδας illas opercula fuisse volunt, quæ summo culmini fornacis, qua patet hiatus, imponerentur. Immo caminos ipsos sive fornaces ita appellatos atque ita structos indicat, ut hæc ejus verba manifesto ostendunt: τοῖς τοίχοις τῶν καμίνων καὶ τῇ κορυφῇ· εἰσὶ δὲ αὗται σιδηραῖ παμμεγέθεις, ἀκεστίδες ὑπὸ τῶν μεταλλουργῶν καλούμεναι, κατὰ κορυφὴν συνηγμέναι πρὸς τὸ κατέχεσθαι καὶ ἐφιζάνειν τὰ ἀναφερόμενα σώματα ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ. *Cadmia*, inquit, *ex fuligine nascitur adhærescente parietibus fornacum & culmini. Sunt autem istæ ferreæ ac prægrandes acestides nominatæ ab opificibus metallicis, in culmine connexæ & conclusæ ad retinenda, quæ inibi adhæserunt ex ære sursum tendentia corpuscula.* Non exibat igitur è fornace fuligo, quæ Cadmiam creabat, sed intra ipsam continebatur camerato culmine & contecto prohibente eam egredi atque adfixam sibi detinente. Galenus tamen contrarium videtur adstruere, qui pompholygem velut & Cadmiam in æris fornacibus fieri testatur. Quin & ex

A Cadmia sola metallica in iisdem fornacibus usta confici pompholygem asserit, camera fornacis non pertusa, sed solida; ut colligeret fuliginem sive favillam ascendentem, non ut transmitteret. Verba Galeni, περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως libro IX. ubi de pompholyge & spodio. Hoc igitur sequuti sunt Arabes, quos necesse est non magnum discrimen inter tutiam & Cadmiam agnoscere, quandoquidem per omnia fere apud eos pariat Cadmia facticia cum tutia sive pompholyge, materia, forma, & faciendi modo. Cæterum certo certius id pronuntiari potest, Arabes
B veram pompholygem Græcorum ignorasse, nec magis scisse, quid esset Cadmia. In Carmania primum & India ea fieri tutiæ genera affirmant, quibus in locis nulla unquam æris metalla aut Cadmiæ fuisse nec esse constat. Posidonius ex antiquis auctor gravissimus, è solo ære Cyprio Cadmiam & spodium fieri, olim scriptum reliquit, cujus verba supra ex Strabone retulimus: καὶ ὁ Κύπριος χαλκὸς μόνος φέρει τὴν Καδμείαν καὶ τὸ χαλκανθὲς καὶ τὸ σπόδιον. Si spodium in Cypro tantum quærendum, non minus
C & pompholyx; siquidem specie duntaxat differunt, non genere. Galenus quoque Cyprum insulam hujus rei gratia adiisse confirmat, ut Cadmiam & pompholygem haberet. Non ergo in Carmaniam aut Indiam res illæ petendæ. Ignotas autem fuisse species illas Arabibus vel hinc liquet, quod Cypriæ tutiæ nusquam mentionem faciunt; quæ non solum optima, sed si credimus Posidonio, unica. Sanè æris Cadmia aut Cadmiæ spodos & pompholyx in Cypro tantum reperiebatur. Quæ fiebat in argenti fornacibus, aut ex plumbo parabatur: poterat & alibi inveniri, ubi scilicet plumbi metal-
D la eruebautur & argenti; ut in agro Attico apud Laurion. inde Λαυρειώτης σποδός. De qua postea. Vocem ipsam Græcam σποδὸς Arabes retinent, *sphudos* aut *sufudos* more suo dicentes. صفدوس. Quod est indicium, nihil in Perside aut Carmania extitisse tale. Nam & nomen inde habuisset. Quod ad tutiæ vocabulum attinet, non inficias quidem iverim, quin usitatum in Perside & Arabia fuerit, indidem etiam natum, de aliqua re facticia, quæ facultate quadamtenus responderet pompholygi Græ-
E corum. Hodie quoque tutiam vocari ajunt in Carmania & Perside, quæ conficitur ex cineribus arboris cujusdam. Græcorum pompholygem ab Arabibus tutiam vocatam etiam confitetur. Sed eandem esse quam describunt tutiam cum Græca pompholyge, id vero nego & pernego. Serapio duo genera facit: metallicam, quæ in littoribus maris apud Indos eruitur: & quæ in fornacibus æris nascitur. Hæc Græcorum est pompholyx, quam ex libris eorum hauserunt. Illa vero metallica & Indica Græcis prorsum incognita. Avisena Car-
F manicam illam & Indicam non fossitiam aut metallicam prodit, sed facticiam, & artificio id quod est debentem. *Tutia*, inquit, *quædam est alba, quædam flava, alia viridis, alia tenuis, alia densa, alia subrubra. Et hæc omnia genera tutiæ conficiuntur in terra Carmania & India.* Densa illa tutia, subrubra, viridis, lutea nihil habent commune aut cognatum cum Græcorum pompholyge aut spodo. Sed nec Carmanica ut Indica affinis Cypriæ, quæ sola veteribus in notitia & usu. Adeo autem incompertum Arabibus, quid illa tutia Carmanica
G foret, aut quibus è rebus fieret, ut tradat ibidem Avisenæ ex quorumdam sententia eam ex pisce quodam fieri in illarum partium mari nascente, rotundo, tergoribus præduris, quem mortuum fluctus in littus ejiciunt, ex quo tutia fit tenuissima. Nihil horum in vulgata Avisena versione, sed in Arabico ejus textu habentur. Quod ex eo animali in littus maris ejecto tutia optima apud Carmanos fieret, inde videtur nata eorum opinio, qui metallicam reperiri tutiam in littoribus maris prodidere, sicut legitur apud Serapionem. Animal porro illud rotundum marinum Avisenæ, aut omnino fallor, aut erit piscis ille rotundus

tundus instar globi, quem *orbem* ideo appellant neoterici Physici, cujus icones plures videre est apud Rondelettium & Clusium. Dura cute preditum ostendunt, crebris & muricatis aculeis obsita. Quod convenit descriptioni Avisenæ. Idem in probatione facienda tutiç sic bonitatis per genera gradus statuit, ut moneat eligendam ut omnium optimam, quę alba est ac levis. Ita enim scribit. *Melior est alba levis, deinde flava, post eam alsistuki, Alkirmani.* Levem vocat nomine Arabico الطيار, quod à verbo طار volare. Ea igitur est, quam Dioscorides vocat κυφοζάτην, ὡς δύνασθαι ἐπιποτᾶσθαι τῷ ἀέρι. Nec dubito, quin ea, quę de tutia sive pompholyge scripsit Avisena, partim ex libris Grecorum hauserit, partim ex usu suorum temporum & Arabum traditione; qui aliam quam Greci noverant pompholygem, quę dicebatur ipsis tutia, quo nomine & πομφόλυγα Grecorum vocitarunt. Albam igitur illam levemque pompholygem, quam & cæteris præfert Avisena, à Græcis auctoribus accepit, ignotam sibi & aliis qui tum vivebant Arabibus. Flavam tutiam secundo loco commendat indictam Grecis, ut & quam tertio in pretio ponit, *alsistuki* & *Alkirmani* الفستقي, الكرماني. Id est, quę colorem habet pistaciorum & Carmanicam. Male apud veterem interpretem scribitur, *deinde quæ habet colorem fisticorum Alcarmeni.* Immo, quę habet colorem fisticorum & ex Carmania venit. Ad verbum: *Deinde quæ colore est pistaciorum, Carmanica.* Notum est, fisticos esse pistacia. Per hęc ostendit Carmanicam tutiam colorem habere pistaciorum, hoc est, viridem esse. Ita enim vocavit in differentiis ejus ac generibus signandis, ubi viridem inter illa genera commemorat, id est, اخضر, quam heic nominat *alsistuki*, colore pistaciorum. Pistacia autem ut notum est viridi sunt cute. Hæc Carmanica tutia sive pompholyx viridis Græcis prorsum incognita fuit. Eam Garcias dicit esse, quæ *Alexandrina tutia* hodie in officinis nomen habet, quæque apud Ormuz emporium Carmaniæ, conficitur ex cinere cujusdem arboris. Fides sit penes auctorem. Illud satis compertum est nullam tutiam aut pompholygem novisse aut nominasse veteres. Sed & illud certum esse debet tutiam eam, quæ in Carmania fit, aut India, non videri posse eandem cum pompholyge Græcanica, quæ æris est aut Cadmiæ favilla. Sciendum est tamen colores illos omnes, quibus varia tutiæ genera distinguit Avisena, non alienos haberi Plinio, qui totidem fermè generum & colorum pompholygem & spodium agnoscere videatur, viridi excepta, quæ Carmanica est. Ita enim ille de pompholyge & spodio: *Quod minus candidum ex ea, immaturæ fornacis argumentum est. Hoc quidem pompholygem dixere. Quod vero rubicundius invenitur, acriorem vim habet.* Habemus in his candidum, & rubicundum pompholygis genus, quod subrubrum Avisenæ الي الحمرة, ad rubedinem tendens. Serapio citrinum sive flavum cum hoc rubescente idem facit; unum quippe genus constituit, quod lutei est coloris ad rubrum inclinantis. Avisena ea discernit, flavum, & subrutilum sive ad ruborem vergens. Mirum tamen est, Dioscoridem, qui unus antiquorum adeò accuratè hæc persequitur, nec rubræ nec flavæ pompholygis meminisse. Addit Plinius: *Est & mellei coloris spodos, in qua plurimum æris intelligitur.* Videri cuipiam posset hæc esse Arabum tutia citrini coloris. Nam spodos & pompholyx, ut docuimus jam toties, non differebant nisi specię sub idem genus reducenda. Sed iterum mirandum prædico, nullum extare vestigium apud Dioscoridem hujus spodi, cui melleus color. Nisi fallor (& certè non fallor) hanc spodon mellei coloris in officina sua conflavit Plinius ex male intel-

A lectis Græci auctoris, quem legebat aut legi potius audiebat, verbis. De spodi optimę colore & odore ita est apud Dioscoridem: ἀρίστη δὲ ἡγητέον τὴν κυπρίαν ἐν τῷ ὄξει φυραθεῖσαν, ὀσφορὰν μὲν ἔχουσαν χαλκοῦ, χρόαν δὲ πισσίζουσαν πισσῶς. Parum attenta aure vel animo aliud agente cum hæc acciperet Plinius, ita hæc junctim intellexit, ἔχουσαν χαλκοῦ χρόαν, habentem æris colorem, quod ille melleo colore interpretatus est, quia sequatur πισσίζουσαν; ut etiam inde videatur πισσίζουσαν intellexisse pro ῥητινίζουσαν. Nam resina quædam est melli similis. Hæc igitur
B sic junxit, ut mellei coloris spodon plurimum æris habere dixerit intelligi. Unde autem nisi ex æris colore, plurimum in ea æris esse colligas? At Dioscorides & Græci illi, unde Plinius accepit, dixere spodon illam, quam pro optima tradunt, debere æris odorem præferre, colorem vero picis. Hoc est, subnigrum. De spodo supra tradidit, eam ὑπομελανίζειν. Hoc loco dicit πισσίζειν πισσῶς, quadamtenus picis colorem habere, quæ nimirum nigra est. Unde proverbium πίσσης μελάντερος. Ovidius: *Sit licet Illyrica nigrior illa pice.* Inde & *piceum* Latini poetæ pro nigro usurpant. Interpres Serapionis in
C verbis Dioscoridis, quæ ille conversa retulit, perperam accipiens locum hunc, ubi de spodi hujus colore loquitur, resinæ similem pro pice posuit: *quæ quando roratur aceto, emittit odorem æris, cujus color est similis colori resinæ.* Atqui resina nigra non est, quæ absque ignis opera sponte ex arbore fluit; cum pix ignis ope eliciatur, unde & colorem nigrum contrahit. In Arabico Serapionis fuit زفت, *zefeth.* Quod resinam perperam ille interpres exposuit pro pice. Adeo autem certum est de colore spodi, nigrum eum esse, ut μέλαν κύπριον propterea Græci antiquissimi id appellarint, quæ posterioribus κυπρία σποδός. Galenus
D in Lexico Hippocratis: Μέλαν τὸ κύπριον, τὴν κυπρίαν σποδὸν, ᾗ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς χρώμεθα. Græci recentiores σπόδιον & κύπριον μέλαν exponunt, id quod fit ἐξ ἐλεφαντίνων ὀστῶν κεκαυμένων. Ex ebore usto, cujus & color niger. Alii spodium parant ex boum ossibus crematis. De alio genere spodii, quod est Arabum *tabaxir* nos supra. Differentiam inter σπόδιον & σποδὸν nullum ponunt quidam. Et Plinio ubique spodos dicitur, quæ à pompholyge non discernitur nisi specie. Dioscorides tamen aliquid discriminis videtur statuere inter spodium & spodum. Σπόδιον vocat, quod specie tantum distat à pompho-
E lyge: Πομφόλυξ σποδίου εἰδικῶς διαφέρει. Item capite de Cadmiæ ustæ cinere, quam σποδὸν vocat: καὶ ἀντὶ σποδίου χρῶνταί αὐτῇ, nempe σποδῷ. Ergo σπόδιον absolutè nominatur, quæ ex ęre fit. Idem porro capite de Pompholyge, ubi explicat modum faciendæ pompholygis ex sola Cadmia, postquam dixit quod ex ea levius est, efflari & evolare in summam tectum ubi adherescit, quod vero ponderosius in terram cadere, subjicit protinus: ἔνιοι δὲ μόνως οὕτως οἴονται γίνεσθαι τὴν προειρημένην σποδόν. *Nonnulli hoc modo duntaxat existimant fieri supra dictam spodon.* Hoc refe-
F rendum non ad σπόδιον de quo dixit initio capitis, quod cinis erat collectus ex fornacibus ęrariis; sed ad id quod precesserat sub finem prioris capitis, quo loco agebat de cinere Cadmię ustę. Cadmiam ibi uri dicebat, donec in cinerem redigeretur: καίουσι μέχρι τελείως εἰς σποδὸν ἀναλυθῇ μηδὲν ἔχουσα τραχύ. Hoc cinere Cadmię crematæ quosdam uti scribit vici spodii: καὶ ἀντὶ σποδίου χρῶνταί αὐτῇ. *Et loco spodii utuntur ea spodo.* Capite porro sequenti, ubi de pompholyge & spodio sic absolutè vocata tractat, quod
G in ęrariis officinis fiebat, commemorat & modum conficiendi pompholygis ex sola Cadmia in fornace ad hoc fabricata. Quod in ea facienda & pręparanda pompholyge residet in imo vel in terram cadit, cinis est ac verè σποδός. Ideo adjungit pręcipere quosdam, non aliter fieri debere ex Cadmia spodon quam hoc modo: τὴν προειρημένην nimirum σποδὸν, de qua locutus est, cum urendæ Cadmiæ rationem demonstravit, & in cinerem redigendæ, cujus cineris usus erat vice spodii. Posidonius quoque apud Strabonem

bonem σπόδιον appellat cinerulam æris, ubi narrat solum æs Cyprium edere σπόδιον. Alii tamen auctores ut cinerem Cadmiæ ustæ, hoc est, σποδὸν pro σποδίῳ usurparunt ita & nomine σποδȣ̃ abusi sunt ἀντὶ τȣ̃ σποδίȣ. Nec magnus in eo abusus. Nam σποδὸς & σπόδιον idem. Sciendum tamen antiquos scripsisse σπόδιον, quod non est diminutivum à σποδὸς, sed derivativum. Σποδὸς propriè cinis est, in quam redigitur usta Cadmia; quæ Κυπρία σποδὸς fortean vocata, quia Cypria optima. At σπόδιον est *cinereum*, non *cinerula*, ut vulgo vertunt, res cineri similis favilla nempe crassior, extinctis scintillis, quæ emicant ex fornacibus ærariis. Neophytus: Σποδὸν Κυπρίαν τινὲς τὸ σπόδιόν φασι. Bene quosdam ait ita vocare. Nam alii distinguebant inter σπόδιον & Κυπρίαν σποδόν. Nam Cypria spodos cinis erat Cadmiæ ustæ. Spodium vero ἀντονομαστικῶς appellatum favilla vel res favillæ similis, quæ in fornacibus ærariis colligebatur. Paulus Ægineta & alii Græci σπόδιον nominant, quod ex ære fit. Plinius spodon vocat, nec meminit spodii. *Etiamnum*, inquit, *in ærariis reperiuntur, quem vocant pompholygem, & spodon. Differentia, quod pompholyx lotura paratur, spodos illota est.* Nihili est hæc differentia, nec puto observatam ab aliquo auctore. Vult, quod illotum remanet, nomen spodi habere; quod lotura paratur, pompholygem dici. Sed quare nomen assumeret πομφόλυγος cinis lotus, non video, nec ulla est ratio appellationis. Spodon lotam non amplius esse spodon, sed existere pompholygem Plinius sentit, qui paulo post à se ipso dissentit, & utrumque lavari asserit, tam spodon quam pompholygem his verbis: *Sed quodcunque genus lavando fit utilius. Purgantur ante pinna, dein crassiore lotura.* Incuratum ulcus hæc verba celant; quod indicat vetus scriptura, quæ habet: *purgatur ante ponna, deinde crassior lotura.* Transpositum est *ponna* pro *panno*. Sic igitur legas licebit: *purgatur ante panno, dein crassior lotura, digitis scrabriciæ excernuntur.* Nihil vidit Plinius, sed prorsum cæcutivit in illis Græcis, quæ sic Latina fecit. Apud Dioscoridem ea sic leguntur: πλυτέον δὲ κοινῶς πομφόλυγα τὸν τρόπον τȣ̃τον· ἐνδήσας αὐτὴν ἐν καθαρῷ ὀθονίῳ μέσως ἔχοντι ἀραιότητος, ἢ ξηρὰν τῷ ὕδατι πεφυραμένην. Quæ lavanda est pompholyx, eam primum in panno alligandam esse præcipit modicæ raritatis, id est, paululum crassiore. Sic ligatam in pelvim demittendam monet aqua pluvia plenam, & in ea ultrò citroque movendum illud linteum, atque in aqua proluendum. Plinius duo heic genera purgationis instituit, quæ panno fit prior, & quæ deinde lotura. Quod est absurdissimum. Nam ad hoc in panno ligatur vel linteo pompholyx, ut lavari possit. Quod ex ea quippe limosum est atque utile, transit per rara foramina lintei; quod inutile est ac sordidum durumque, in panno remanet. Οὕτως γὰρ, inquit, τὸ μὲν ἰλυῶδες καὶ νόσιμον ἀπορρυήσεται, τὸ δὲ σκύβαλον πᾶν ἐν τῷ ὀθονίῳ μένει. Plinius ἰλυῶδες illud & νόσιμον videtur pro crassiore accepisse pompholyge, quæ lotura purgatur: τὸ σκύβαλον autem panno purgari putasse, quia remanet in linteo. Atqui contrarium est. Liquidior pars transmittitur per pannum & effluit in aquam, fæces reliquæ fiunt in ligatura panni. Fortasse scripserat noster: *Purgatur ante panno crassiore, deinde lotura.* Crassiorem pannum vocaverit, crassiusculum, mediocriter rarum, τὸ μέσως ἔχον ἀραιότητος, ut locutus est Dioscorides. Verum nihil mutandum contra librorum auctoritatem. Omnino ita intellexit Plinius. Primam pompholygis purgationem in panno fieri, qui ligatam intus continens pompholygem in aqua identidem movetur, ut quod in ea limosum est perfluat, cujus usus est. Aqua illa rursus, quæ limo eo vel cinere turbata est, considere sinitur, deinde cum ipsa spodo per colum transmittitur. Postea aqua iterum infusa turbidatur, iterumque saccatur, donec nihil subsidat arenosum aut asperum. Sic Plinius distinxit purgationem, quæ panno fit, & quæ lotura. Prorsus ineptè. Nam quæ per pannum fit, lotura peragitur & post loturam iterum iterumque colatur. Addit: *digitis scabritiæ excernuntur.* Ita reposuimus ex libris & veteris scripturæ vestigiis.

A Hoc in alio genere loturæ, quo purgatur pompholyx, dixit Dioscorides, quæ Plinius confundit. Τινὲς δὲ ξηράναντες ἐφ᾽ ὅσον ἐνδέχεται, ταῖς χερσὶ λεαίνȣσι μεθ᾽ ὕδατος καὶ μελιτώδη τὴν σύστασιν ποιήσαντες, διηθȣ̃σι δι᾽ ὀθονίȣ. Cæterum nunc intelligere videor, cur hanc pompholygis & spodi differentiam statuerit Plinius, ut spodos illota sit, pompholyx autem lotura purgata. Pompholygis solius meminit lavandæ Dioscorides, non item spodi vel spodii. Sed hoc nihil est, & aliud nunc animadverto non observatum doctis circa nomina

B spodi ac pompholygis. Dioscorides in describenda ratione lavandæ pompholygis, quod ex ea per pannum eliquatum est, σποδὸν vocat, quæ omnino alia ab ejus spodio. Sic enim de aqua dixit, in quam effluxit, panno transmissa & colata pompholyx: ἀπήθησον τὸ ὕδωρ σὺν τῇ σποδῷ. Nimirum σποδὸν appellat partem illam pompholygis quæ per foramina lintei transiit & in aquam eliquata est. Et paulo post: Λοιπὸν τὸ μὲν ὕδωρ ἐξίπωσον, τὴν δὲ σποδὸν ξηράνας ἀπόθεσο. Sic pompholyx lota & siccata ad reponendum dicitur ei σποδός. Ita cadit observatio Plinii, qua spodon illotam propriè esse dixit, & hac re dif-

C ferre à pompholyge. Contrarium ex Dioscoride colligas, qui σποδὸν in pompholyge id, quod elotum est, vocavit. Et sanè quantum auguror, σποδὸς generale nomen, cujus duæ species, πομφόλυξ & σπόδιον. Levissimum quod evolat è fornace, ac tectis adplicatur, est πομφόλυξ; quia in modum bulbarum vel ampullarum, quæ in aqua excitantur, adhærescit. Quod gravissimum recidit ac converritur ex pavimentis, id propriè σπόδιον dictum quasi cinerulentum. Utrumque tamen σποδός. Nam & pompholyx favilla est æris & Cadmiæ liquescentis, hoc est, σποδός.

D Dioscorides pompholygem αἰθάλην esse definit, quæ αἰθάλη eadem ac σποδός. Grammatici: Ἀιθάλη, τέφρα, σποδός. Alii λιγνὺν interpretantur, αἰθαλώδη σποδόν. Quin immo pompholyx verè σποδὸς, & quidem ubi lotione purgata est. Nam quamdiu tectis aut camaris adhærescit, quia tum formam habet bullæ, dicitur propriè πομφόλυξ: ubi figuram illam perdidit extrita & friata lotaque, revera id quod est, existere incipit, nempe σποδός. Et sic omnino appellat propriè Dioscorides pompholygem lotura paratam. Cæterum σποδὸς, ut dixi, apud eundem de omni hoc genere accipiendum, cujus duæ species ab eo ponuntur, πομφόλυξ, & σπόδιον.

E Quin & sic intelligendum in verbis ejus superius allatis, ubi de pompholyge è Cadmia sola paranda loquitur: τινὲς δὲ μόνως ȣ̃τως γίνεσθαι οἴονται τὴν σποδόν. Sic vocari arbitror id genus, quod in levissimum ac gravissimum ibidem ab eo dividitur. Hoc σπόδιον, illud πομφόλυξ. Idem sub finem capitis non solum ex ære & Cadmia, sed etiam ex auro, argento & plumbo σποδὸν fieri tradit: γνωστέον δὲ ὅτι ἐκ τȣ̃ χρυσȣ̃ καὶ ἀργύρȣ, ἔτι δὲ καὶ μολύβδȣ γίνεται σποδὸς, καὶ ἔστι μετὰ τὴν κυπρίαν ἡ ἐκ τȣ̃ μολύβδȣ ἀρίστη. Ita legendus ille locus. Cypria spodos ea dicebatur, quæ ex ære. Nec prohibet, quod & μέλαν κύπριον

F vocabatur: non, inquam, ex hoc possit aliquis inferre σποδὸν propriè tantum de spodio usurpatam, non etiam de pompholyge; quia pompholyx candida sit, spodium autem subnigrum. Immo & aliqua pompholyx ita potuit vocari, ea nempe quæ cærulea sive ἀερόχρȣς. Alterum autem pompholygis genus teste Dioscoride, ἀερίζον, ἢ ὑπόπιμελον, id est, cæruli coloris. Sic & μέλαν Ἰνδικὸν dixere pigmenti genus prorsus cæruleum. Σποδὸς igitur κυπρία & μέλαν κύπριον de pompholyge cærula. Quæ in argenti fornacibus fiebat, Plinius *Lauriotin* dicit appellatam à metallis nempe argenti, quæ in pago Atticæ Laurio appellato quondam fuere, ἡ Λαυρεῶτις σποδός. Sic vo-

G catur Hippocrati, apud quem vitiosè scriptum est Ἰλυρεῶτις. Ita *spodos* tam de pompholyge quam de spodio. Hanc spodon argenti chimici etiam vocant πομφόλυγα. Lexicon eorum: Πομφόλυξ ἐστὶ καπνὸς ἀσήμȣ, id est, argenti fumus. Quæ Plinio est *spodos* lib. XXXIV. cap. XIII. quam separat à pompholyge, ea est *spodium* eidem in indice manuscripto, qui locus respondet illi titulo: *Pompholyx, spodium medi-*

medicinæ ex his v. *Antispodi genera* xv. In textu libri *spodon* dixit pro spodio. Idem cap. xviii. spodion Cyprium appellat, quam spodon Cypriam ante vocaverat: *Et præferunt sic tritum plumbum spodio Cyprio.* Et paulo post: *Fit & spodium ex plumbo eodem modo, quo ex Cyprio ære diximus.* Dioscorides σποδὸν ex plumbo & auro & argento fieri prodidit, & σποδȣ͂ nomine tam pompholygem quam σπόδιον proprie dictum comprehendit. Quod non intellexit Plinius, qui hæc mirifice confudit. Nam & σποδὸν pro pompholyge clarissimè usurpasse deprehenditur his verbis: *Spodos Cypria optima: Fit autem liquescentibus Cadmia & ærario lapide, levissimum hoc quod efflatur, evolatque è fornacibus & tectis adhærescit, à fuligine distans candore.* Heic spodon vocat, quæ levissima est, & ocissime emicans è fornace, solo candore distans à fuligine. Pompholyx plane est, quam sic designavit; quæ & ipsa σποδὸς quoque dicta, ut revera est σποδός. Nec aliter accipienda verba Dioscoridis, quæ supra attulimus: ubi dicit, ex quorumdam opinione ita fieri τὴν περιῃρημένην σποδὸν, id est, pompholygem & spodium, sive solam pompholygem. Nec enim de Cadmiæ cinere capi potest, de qua priori capite exposuit. At περιῃρημένη σποδὸς intelligenda, cujus mentio facta hoc ipso capite, sed paulo ante. Avisena similiter hoc errore nominum seductus vocem spodos modo pro pompholyge, modo pro spodio ponit, confuso discrimine, quia tam pompholyx quam spodium σποδὸς est. Magis tamen σποδὸς Græcis usurpata de pompholyge, quæ lota fuit, ut σπόδιον de graviore spodo, quæ converritur è pavimentis fornacum. Sic igitur scribit Avisena: *Differentia autem inter spodon & tutiam, quod tutia quidem sublimata est; hoc vero remanet in imo fornacis, ubi æs fluit.* Hæc spodos Avisenæ σπόδιον omnino est Dioscoridis. Idem tamen paulo ante spodi vocem pro pomphologe latè accepit: *Ablutio*, inquit, *tutia colligitur tanquam fæx sub aquis, quibus lavatur; & hæc est spodos.* Hæc spodos pompholyx est lotione purgata, quæ lavatur in linteis raris. Quod per linteum effluxit & transmissum est in aquam, id tanquam fæx subsidit, estque utilissimum pompholygis. Σποδὸν id vocat Dioscorides, quæ magnopere distat à spodio. Utrumque confudit Avisena, qui Græca dictione utitur, quæ apud eum Arabice scribitur اسقودوس, *scodos*; vitiose fortasse pro اسفودوس *sphodos*, unius puncti discrimine. Hoc est *spodos*, Arabum scribendi more, qui quia *pi* non habent, illud exprimunt per *phe*. In aliis tamen multis dictionibus Græcanicis eos comperi suum *kaf* pro *pi* Græco atque etiam *phi* ponere. Ita قيقوس, *kircus*, scribunt pro κηφὸς; اسقندوليون, *scondulion*, pro σφονδύλιον; & alia, quæ supra notavimus. Quæ vitio nihilominus carere non puto. Pro spodo τέφραν dixit Aristoteles in Admirandis, ubi de spodo vel spodio æris intelligendum esse locus indicat: οἱ δὲ τὸν χαλκὸν ὀρύττοντες ὀξυδερκέσατοι γίνονται καὶ οἱ βλεφαρίδας μὴ ἔχοντες φύουσι· διὸ καὶ οἱ ἰατροὶ τῷ ἄνθει τοῦ χαλκοῦ καὶ τῇ τέφρᾳ τῇ Φρυγίᾳ χρῶνται πρὸς ὀφθαλμούς. Hæc tephra Phrygia, qua uti medicos tradit ad oculorum claritatem, debet esse metallicus cinis; & quidem ex ære factus aut Cadmia, lapideve ærario. Qui metalla æris fodiunt, oculorum acie valent. Ideo, inquit, medici ad oculos utuntur æris flore aut cinere Phrygio. Ergo heic Phrygius cinis eandem vim habuit cum spodo Cypria; & eamdem, quod necesse est, ab ære originem. τέφρα vel σποδὸς Φρυγία & Κυπρία. Metalla autem in Phrygia fuisse testatur Strabo. Quin & circa Andera, quæ Phrygiæ urbs est, orichalcum fieri idem scribit, ex ære & terræ quodam genere simul mixtis. Videndum, an cinis ex lapide Phrygio τέφρα Φρυγία nuncupetur Aristoteli. Certè lapis ille uritur pariter ut Cadmia, & ad eosdem fermè usus, abstergendi virtute pollens, & crustas inducendi & adstringendi. Sed omnino ex ærario lapide vel ex ære τέφραν illam Φρυγίαν existere significat. Et quis scit, an ille Phrygius lapis ipsissima sit Cadmia sive lapis sive terra, quæ conjecta in æs fieri orichalcum omnis infima ætas Græciæ cum Chimicis asserit? Eam Cadmiam intelligo, quam ignoratam fuisse liquet, certe indictam Dioscoridi & antiquioribus; qui nullam aliam agnoscunt Cadmiam præter eam, ex qua fit æs, quæque æris aut etiam argenti venam continet. At Cadmia hæc, quæ flavum æs reddit, lutei est coloris. Æque lapis Phrygius teste Dioscoride: ἄριστος δέ ἐστιν ὁ ὠχρὸς καὶ μέσως βαρύς, *probatissimus luteus & modice gravis.* Venas habere candidas ait ut Cadmiam: ἔχει δὲ διαφύσεις λευκὰς ὡς Καδμία. In Cappadocia nascitur, quæ contermina est Phrygiæ. Tinctores præterea in Phrygia eo lapide uti docet, atque inde nomen habere: Λίθος Φρύγιος, ᾧ οἱ βαφεῖς ἐν Φρυγίᾳ χρῶνται· ὅθεν & ὠνόμασται. Usui fuisse dicit tinctoribus. Sed nec minus fuit metallariis ad æs tingendum colore croceo. His adde, quod & orichalcum in Phrygia conflari tradit Strabo admixtione terræ cujusdam. Orichalcum nihil aliud quam æs tinctum luteo. Verum hæc in medio relinquo. Arabes, ut ante docui, de alia Cadmia Dioscoridis & Galeni locos, quos in Arabicum vertunt, accipiendos non putant quam de eo genere, quo æs inficitur. Serapio in verbis Galeni Cadmiam interpretatur, id, quo coloratur æs in fornace, & fit orichalcum. Interpres *torbam* vocat eam Cadmiam, quæ materia est, ex qua conflatur orichalcum, ubi cum ære mixta coquitur. *Torbam* vulgo vocamus genus terræ, qua plerique utuntur populi ad ignem faciendum. Constantinus Africanus tria Cadmiæ genera facit: unam Indiæ quam lapidem esse tenuem ac subtilem dicit, & inveniri in littore maris Indici. Esse & aliam marinam, quæ reperitur in antris maritimis Indiæ, quæ viridis est & aspera ac perforata. Tertiam porro metallicam esse ait Hispaniæ Africæ Scythiæque familiarem, cum qua æs tingitur, ut existat citrinum. Duo priora genera veteribus incognita, de quibus tamen passim Arabes. Et notandum de Cadmia illum id tradere, quod Avisena & Serapio de tutia. Hic sanè & viridem tutiam inter genera ea recenset, quæ fodiuntur in littoribus maris. Tertium porro genus Constantini, quam metallicam vocat, quia in metallis inveniatur, eam esse dicit, cum qua æs luteum efficitur. Hæc vulgaris Cadmia, cujus mentionem disertam non faciunt Dioscorides nec Galenus nec alius Græciæ medicorum: cum tamen etiam veteres nonnulli meminerint ejusmodi Cadmiæ, ex qua fit orichalcum, ut Festus; qui *Cadmeam terram* exponit eam, qua conjecta in æs fit orichalcum. Sed fortasse verba illa fuere addita à Paulo nec ipsius Festi sunt. Quod tamen non puto. Nam & Plinius genera quædam æris, quæ orichalco similia erant, Cadmiam sorbere maxime dixit; nec tamen ad quam rem Cadmia ab illis sorberetur, adposuit. Quod intelligendum, ut aureum colorem contraherent. Hoc ideo illis usu venisse video, ut de altera Cadmia tacuerint, qua æs aurichalco simile perficitur; vel saltem ut nihil de ea expresse scriptum reliquerint, quia Cadmiæ utrumque genus confuderunt, quæ flavum æs perficit & quæ materiam æris habet. In medio autem relinquo, an lapis Phrygius luteus & Cadmiæ similis, quo tinctores utebantur, idem fuerit cum Cadmia lutea, qua æs inficiebatur colore luteo. Quem & *crocum metallorum* propterea vocant Chimici; & χρυσὸν, quia colore tingit aureo; item ξανθὸν φάρμακον, luteam tincturam. Chimici veteres συνθήκην ita etiam interpretantur in suis Lexicis: λιθοφρύγιος ἐστὶ συνθήκη. Item: λίθος Φρύγιός ἐστι συνθήκη αἰγῶν θεῖον.

CAPUT CXXIII.

De cholcotar.

Voce *cholcotar* abutuntur Barbari Latini pro eo genere metallico, quod chalcanthum Latinis veteribus, aut atramentum sutorium dicebatur. Græcis χαλκανθὲς vel etiam χάλκανθον. At *cholcotar* vox Arabica, quæ *chalcitin* significat. Glossa Arabica Dioscoridis antiqui codicis τὴν χαλκῖτιν exponit قلقطار, *colcuthar*. Quod & legi potest *calchitar*. Sed plerumque A in U mutant, & I in U. Facta autem illa vox Arabica ex χαλκιτάριον, quod est diminutivum ex χαλκῖτις. Arabica vocabula pleraque ex Græcis mutuata vulgarem sermonem sequuntur, qui totus diminutivis vocibus fermè constat. Hinc idioma Græcum vulgare hodiernum ex illis diminutivis depravatum. λάδι oleum dicunt ex ἐλάδιον, quod ὑποκοριστικὸν ab ἔλαιον. Sic κριάρι arietem ex κριάριον, à κριός. Et ὀρχίδι testiculos ex ὀρχίδια, & in finita talia. Ita ergo ex χαλκιτάριον illud *chalcitar* vel *cholcotar* Arabicum, ut ex σκιγκάριον *scancur* vel *ascancur*, ex ἀνανθάριον *canchar*. Eadem Glossa χάλκανθον interpretatur Arabicè قلقند, *calcand*, quod corruptum ex illo χάλκανθον. In eadem Glossa μίσυ exponitur زاج *zegi* vel *zagi*. Σῶρι autem زاج احمر, id est, zagi rubrum. Avisena tamen sub hoc nomine *zagi* omnia illa genera comprehendit chalcanthum, chalcitin, & sori & zagiat esse scribit alba, rubra, viridia & lutea. Deinde per partes ac nominatim hæc explicans dicit, *colcotar* esse luteum, *calcadis* album, *calcand* viride, & *suri* vel *sori* rubrum. Interpres الزاجات, *alzagiat* vel *alzagiaton* vertit *atramenta*, valde impropriè atque etiam absurdè. Quasi tot colores in unam atri significationem coire aut convenire queant. Græci μέλαν & Latini *atramentum* non de alio solent usurpare genere quam quod atro pingit. At secundum illam loquutionem habemus μέλαν, quod est, album, luteum ac viride. Cardanus & alii recentiorum etiam atramentum rubrum consuerunt vocare, quod ex verzino sive brasilii succo paratur; item aureum dicunt atramentum, tanquam atramentum debeat esse quodcunque ad scribendum comparatur, cujuscunque tandem coloris sit. Non ita prisci, qui duo tantum genera atramenti cognoscunt, sutorium & scriptorium, utrumque nominis sui, id est, atrum. Nec Græci plura noverunt. Atramentum quo scribitur, μέλαν ἐν ᾧ γράφομεν appellant. Quidam etiam μέλαν γραφικόν. Alterum est μέλαν βυρσοδεψικόν. Græci medici veterinarii μέλαν καλλιγαρικὸν vocant, atramentum caligariorum. Ut apud Pelagonium in scriptis codicibus cap. DCCCCLXX. μέλαν καλλιγαρικόν. Meminit & Plinius atramenti tectorii μέλανος κονιατικοῦ, quo tectores utebantur in parietibus ac tectoriis inducendis nigro. Aliud est, quod iidem Græci Ἰνδικὸν μέλαν appellant, id nempe quod aliis simpliciter Ἰνδικὸν dicitur. Non male Plinius, *atramentum Indicum* indigetat, sed male distinguit ab Indico pigmento, quod inficit cæruleo, quod Græci μέλαν quoque dicunt. Atramentum sutorium est χάλκανθον Græcorum, quod ipsum quidem χάλκανθον, sed dilutum atro colore coria inficit. In hoc genere solo zagi Arabum atramentum commodè & propriè dici queat. Avisena vocat زاج الاساكفي Quod interpres vertit *atramentum ad coria*. Sed alia etiam sunt zagiaton, quæ non sunt atramenta. Vocem ساكفي pro coriis ex Hebraico שלף, quod propriè calceum exuere significat, etsi ad alia transferatur. Hinc شلف corium, exuviæ. Si quæ

A tinctura est alio colore quam nigro ad scribendum idoneo, quovis alio debet nomine quam atramenti nuncupari. Encaustum sacrum, quod rubri coloris erat, nunquam μέλαν Græci vocant. Procopius βαφὴν vocat in Anecdotis: γραφίδα τε βαφῇ βάψαντες, ᾗ βασιλεῖς γράφειν εἰώθασι. Alii κόκκον vocant, alii *cinnabarim*: ex murice & conchylio cocto fiebat, ut ex codice notum, & rubræ eo litteræ pingebantur. Unde in rescriptis Imperatorum, δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βασιλικῆς καὶ θείας χειρὸς; sed de his alibi. Atramentum scribendo Arabes nominant دواة, quod ex

B Hebræo venit דְּיוֹ. Inde & vulturium ajunt dictum דַּיָּה, quia niger sit ut atramentum. In antiquo Glossario دواة, *davaton*, exponitur *atramentarium*, *pugillaris tabula*. Diversa tamen pugillaris tabula ab atramentario, quod est, vasculum in quod reponitur atramentum, τὸ μελανδοχεῖον. Sic *calamarium* pro pugillari tabula, & pro atramentario usurparunt, cum propriè sit calamorum theca, quæ *calamaria theca* Martiali:

C *Sortitus thecam calamis ornare memento;*
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

Græci καλαμάριον pro vasculo atramenti usurparunt. Glossæ: *Atramentarium*, καλαμάριον. Quod in eo tingantur calami. Retinemus hanc vocem eodem sensu. Nam *calemar* dicimus pro atramentario. Non minus tamen & de pugillari dixerunt. Lexicum Cyrilli: πυκτίον καλαμάριον. Sic etiam Nicetas usus est; οἱ δὲ καλαμάρια καὶ δοχεῖα μέλανος φέροντες. Pugillaria & atramentaria. Ita & vocem Hebraicam קֶסֶת alii interpretes pro atramentario, alii pro pugillari tabula exposuerunt. Jonathan Græca dictione red-

D didit פִּנְקָס, πίναξ. Quæ vox non pugillarem tantum tabulam significat, sed etiam lancem, sive concavum vasculum, aut scutellam. Ita etiam *canum*, quod est τρύβλιον, τὸ κανοῦν, atque inde ὑποκοριστικῶς *caniculum*, atramentarium. Anastasius Bibliothecarius ad octavam synodum: *Præpositus caniculi est, qui curam & custodiam gerit caniculi, id est, atramentarii, ex quo Imperator puniceas litteras scribit in chartis.* Τὰ ἐρυθρὰ γράμματα. Græcis ὁ ἐπὶ κανικλείου. Nam κανικλεῖον vocant Latinorum *caniculum*; ut κυβικλεῖον, *cubiculum*. Inde κανίκλωμα in subscriptionibus rescri-

E ptorum Imperatorum. De quo nos alibi. Atramentarium in Epigrammatis, ἄντρον γλυπτὸν, ἄγγος μέλανος, ἐμμελανοβροχὶς, κίστη πλώουσα μελανδόχος, & alia. Atramentum Arabicè etiam dictum invenitur حبر. Avisena cap. de *zagi* meminit etiam atramenti, hoc est, حبر, quod nominari dicit سحيرة. Hoc atramentum à cæteris generibus ibi memoratis sub nomine zagi separat. Qui locus

F manifestò arguit *zagi* malè reddi *atramentum*. Interpres sic habet: *Ex atramento vero, quod in encausto ponitur, quod nominatur sahira, melius est durum habens quasi aureum splendorem, & virtus est ejus similis colcothar.* In Arabico legitur زاج الحبر, *zegi alhibar*, id est, zegi quod est atramentum. Addit nominatum esse سحيرة, *sehira*. Verba illa Avisenæ ad misy Dioscoridis pertinent, de quo hæc ille: Μίσυ προκλητέον χρυσοφανὲς σκληρὸν καὶ ἐν τῷ

G θρύπτεσθαι χρυσίζον, καὶ ἀποστίλβον ἀστεροειδῶς· δύναμιν δὲ ἔχει καὶ καῦσιν τὴν αὐτὴν τῇ χαλκίτιδι. Mirum vero, cur atramenti appellatione hoc propriè insignitum voluerit auctor ille præter alia genera, cum nihil habeat, quod denigret nihilque atri præferat. Lutei quippe sive aurei coloris est. Græci chymici vocant

vocant χάλκανθον χλωρὸν, id eſt, luteum chalcanthum, ut Democritus in Phyſicis de miſy: τῦτο ἢ χλωρὸν χάλκανθον καλῦσι. *Vitriolum Romanum* vulgo dicitur. Gloſſa Arabica antiqua in exemplari Dioſcoridis manuſcripto, τὴν μελαντηρίαν explicat سوداء. Quod verum eſt atramentum. Nam colorem nigerrimum, cum diluitur, efficit. Ipſum ſulphuris colore, θειόχρουν. Græci antiqui μέλαν Κύπριον nuncupant, id eſt, atramentum Cyprium. Quod igitur de miſy dicit Aviſena, magis convenit melanteriæ. Præterea idem Aviſena paulo ante meminit miſy. Nec enim alio referri poſſunt iſta: *& virtus quidem atramenti, in quo ſunt ſplendores aurei, propinqua eſt virtuti alcolcotar.* Heîc intelligendum de miſy. In Arabico eſt زاج. Vetus auctor miſy abſolutè ſic vocat. At paulo infra ſtatim habetur: *ex atramento vero, quod in encauſtro ponitur, quod nominatur ſehira, melius eſt habens quaſi aureum ſplendorem.* Quæ verba de miſy pariter exponenda eſſe docuimus. Interpres videtur de chalcantho accepiſſe. Nam chalcanthum in encauſto, hoc eſt, atramento ſcriptorio inditur. Non poteſt tamen de illo accipi. Nulli quippe in chalcantho ſplendores aurei, ſed in miſy. Rurſus à miſy alienum eſt, quod *habar* eſſe definit, hoc eſt, atramentum. Quod chalcantho aut melanteriæ potius congruit quam miſy. Mirè hæc apud Aviſenam intricata ſunt, nec interpretis culpa eſt, ſed ipſius auctoris. Vox حبر pro atramento haud ſcio an ex Hebraïco ſit חַבּוּרָה, quod livorem ſignificat ex ſanguine concreto, & vibicem maculamque. Inde & fortaſſe avis nomen حباري, *hubari*, quæ in antiquo Gloſſario exponitur *gradipes.* Hæc eſt Græcorum ὠτὶς. *Avis tarda* Hiſpanorum. *Oſtardas* vulgò appellant. Gradipes quoque apud Iſidorum legitur, quod perperam corrigunt. *Alhabari* apud Alpagum, *avis magna ſicut anſer, non multum volans, nota apud venatores Damaſci.* Ὠτίδα intelligit. Lexicon Granatenſe: *hubira, otis avis.* Pro الحبازي, *alhubazi*, legendum apud Aviſenam الحباري, *alhubari.* Nec turdus eſt, ſed tarda. A nigredine pennarum ſic fortaſſe dicta, quia حبر. Ut vultur Hebraïcè, quod niger ſit inſtar atramenti. Nunc cætera *zegi* genera apud Aviſenam exequamur. Interpres in titulo capitis habet: *De atramento, id eſt, atramento ſutorio.* Arabice, ut dixi, eſt *zegi.* Interpres Aviſenæ exponit *vitriolum.* Chalcanthum ſic hodie vocatur ſive atramentum ſutorium. Non tamen eo capite de atramento tantum ſutorio tractatur aut vitriolo, ſed de aliis generibus, quæ atramenti uſum ſutoribus non præſtant. Primo loco apud Aviſenam nominatur *alcalcadis*, quod candidum eſſe dicit. القلقديس Legi poteſt & *calchidis.* Nec dubito corruptum eſſe ex χαλκῖτις, ut colchitar vel colcotar ex χαλκιτάριον. *Calcadis* aut *colcotar* ſeparat Aviſena, quæ tamen alii confundunt. Serapio cap. CCCLXXVI. de vitriolo in Dioſcoridis verbis citandis de miſy, duplicis verſionis Arabicæ meminit, quarum altera habuit: *& virtus ejus eſt ſimilis virtuti colcotar, & comburitur ſicut colcotar.* In altera fuit: *& virtus ejus eſt ſimilis calcadis, & comburitur ſicut calcadis.* In Græco habetur: δύναμιν ἢ ἔχει ἢ καῦσιν τὴν αὐτὴν τῇ χαλκίτιδι. Sic *calcadis* & *colcotar* idem, & Græcorum χαλκῖτις. Aviſenæ autem calcadis, quam diſcernit à colcotar, & candidam facit, videtur eſſe *cuperoſa* noſtra, quæ pars chalcanti aut miſy & quaſi colcotar Aviſenæ ſpuma eruitur, ut recentiores tradunt, nec elaboratur. *Cuperoſa* autem ſi forte appellata pro *Cabruſa* vel *Cabruſia*, id eſt, Cypria Arabice. Nam قبرسي *Cabruſi* eſt Cyprium, &

A inſula Cyprus Arabice قبرس. Idem Aviſena caput ſeparatum habet de chalcantho, quod vocat *chalcand.* Item de *colcotar*, quæ illi eſt chalcitis. Ubi dicit ex auctoritate Galeni, *alcalcadis* quandoque mutari & fieri colcothar. Quo loco *calcadis* poſuit pro chalcantho. Ita enim eſt apud Galenum. Sic modo pro chalcantho, modo pro calchiti ſumitur hæc vox; quæ etiam fortaſſe depravata ex χαλκανθὲς, extrito *nun* de medio, ut plerumque ſolent Arabes, & θ Græco mutato in *dal.* Eſt zegi citrinum.

B Quæ χαλκῖτις Dioſcoridis. Hæc χαλκοειδής. Aviſenæ اصفر, *aſfar.* Quod æneum colorem ſignificare ſupra oſtendimus, χαλκόχρουν. Chalcanthum eidem Aviſenæ قلقند, *calcand.* Viride eſſe ſcribit Ita reddunt interpretes. In Arabico eſt اخضر, *achadar.* Cærulo ac viridi temperatum colorem propriè deſignat. Inde *hab achadar* granum terebinthi quod cæruleum eſt cum aliquo virore. Armenium pigmentum *zarnich achadar* apud eundem Aviſenam,

C quod κυάνεον tradunt veteres. Strabo ſimile χάλκῃ dicit, quæ & χάλκη, id eſt, conchylio. Inde etiam χαλκανθὲς vel χάλκανθον appellatum à colore χάλκης. Aviſena *achadar* vocat hunc colorem, qui non eſt vertendus viridis, ut vulgo faciunt, ſed cæruleus potius. Κυάνεον χάλκανθον Dioſcoridis *vitreum* etiam bene dici poſſet. Nam & *vitreolum* recentes dixerunt à colore vitreo, quem cæruleum veteres Grammatici interpretantur, & à vitro potius iſatide quam ab ὕαλῳ vitro dictus videtur, de quo nos ſupra. Ex his conſtat nihil eſſe dubii, quin زاج الاخضر, *zegi alachadar* Serapionis ſit chalcanthum. *Zeg* viride

D dicitur ejus interpreti. Quod perperam Braſſavolus de miſy, id eſt, vitreolo Romano accipit. Atqui id viride non eſt, ſed luteum. Supereſt de ſori, quod Aviſenæ & aliis Arabibus appellatur السوري, *alſuri.* Rubrum *zagi* eſſe omnes ſtatuunt. Quod ego miror, cum Dioſcoridi & antiquæ univerſæ auctorum Græciæ σῶρυ nigrum ſit. Μελαντηρίας genus eſſe placuit quibuſdam. Non probari hoc ſibi dicit Dioſcorides, qui tamen haud abſimile eſſe melanteriæ tradit. Probationem hanc ejus eſſe vult, ut dum frangitur, nigrius appareat. Democritus in

E Phyſicis, colorem ſoris ſcribit eſſe ſicut cærulum ψωρῶδες, ſcabioſum vel ſcrabrum: τὸ ἢ σῶρυ ἐςιν ὡς κυανὸς ψωρώδης ὀδελοκόμμ@ ἀεὶ ἐν τῷ μέσῳ. Fortè legendum: ὡς κυανὸς ψαρώδης, ut cærulum varium, albo & nigro mixtum. Ψαρὸν & ψαρῶδες grammatici exponunt σποδοειδές. Arabes, qui ſori iſtud metallicum rubrum faciunt, decepti videntur ὁμωνυμίᾳ alterius ſori, quod apud recentiores Græcos idem cum Syrico, & rubrum eſt. Græci, inquam, recentiores nomen σῶρυ etiam uſurparunt pro Syrico vel

F ſandice, quæ res longè diverſa à metallico ſori. Inde Arabes ſori rubrum faciunt, quod nigrum eſt. Neophytus: τὸ παρὰ τοῖς ζωγράφοις συρικὸν, τῦτο παρὰ τοῖς ἰατροῖς σάνδυξ λέγεται· τὸ αὐτὸ καὶ σῶρυ παρ' ἄλλοις. Item alio loco: τὸ κεκαυμένον ψιμμύθιον, οἱ μὲν καλῦσι σάνδυκα, οἱ ἢ σῶρι, οἱ ἢ συρικόν. Hoc ſori, quod idem cum Syrico, rubrum eſt. Sed aliud ab antiquorum ſori, quod genus eſt μελαντηρίας, id eſt, atramenti colore non diſſimili. Apud Alpagum in indice legitur: *Atramentum Suri vel Syrum eſt atramentum ſeu vitriolum rubeum.* Sic omnia Barbari confundunt. Atramentum librarium, quod propriè Græ-

G cis dicitur μέλαν aut μέλαν γραφικὸν, Aviſena vocat *midad*, مداد. Interpres vertit *tincturam.* Eo capite Aviſena μέλαν Ἰνδικὸν ex Paulo ſimul commemorat, & μέλαν γραφικὸν Dioſcoridis, quaſi utrumque ejuſdem ſit generis. Certè Paulus, quem ibi teſtem laudat, μέλαν Ἰνδικὸν vocat, quod Dioſcoridi ſimpliciter Ἰνδικόν. Hoc non eſt Indicum atramentum, ut Aviſena viſus eſt accipere, ſed cærú-

leum Indicum. Demus etiam verti poſſe *atramentum Indicum*, prorſus diverſum eſt ab illo atramenti genere, quo librarii utebantur, quod Dioſcoridi dicitur μέλαν ᾧ γράφομεν. Scribit Aviſena eo capite omne atramentum calidum eſſe atque exſiccativum excepto Indo, *quoniam*, inquit, *Indi & Paulus inter refrigerantia numerant.* Atramentum ſcriptorium calidum eſt, quia conficitur ex rebus calidis, ut fuligine ex tædis coacta, & chalcantho. At toto genere diſtat Ἰνδικὸν μέλαν, quod inter refrigerantia ponit Paulus: μέλαν Ἰνδικὸν, ὡς φησὶ Διοσκουρίδης, τῶν ψυχόντων ἐλαφρῶς ἐστι καὶ ῥησσόντων φλεγμονάς. Apud Dioſcoridem ſcribitur: ἔστι δὲ τῶν στυφόντων ἐλαφρῶς καὶ ῥησσόντων φλεγμονὰς καὶ οἰδήματα. Pro στυφόντων legit Paulus ψυχόντων, & ſic apud Paulum Aviſena. Nam de illo Indico loqui, & illum Pauli locum intelligere palam eſt. مداد الهندي, *midad Alhendi*, ad verbum eſt μέλαν Ἰνδικὸν, *atramentum Indicum*, & ſic vocavit Plinius; qui etiam putavit ex genere eſſe atramentorum inexploratæ inventionis, atque ab Indico ſecernit, ita abſolutè vocato. Illud Ἰνδικὸν adjectivè vocarunt μέλαν, vel à colore cæruleo, vel quia cum cernitur, nigrum: in diluendo enim miſturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit auctore eodem Plinio. Quod autem Aviſena Indos cum Paulo in teſtimonium vocat de Indici virtute tradentes, vereor ut interpres non ſatis recte acceperit mentem Aviſenæ. Nominat quidem الهند, *Alhend*, cum Paulo qui ſimul Indicum inter refrigerantia cenſeant; ſed puto auctorem hoc nomine ſignificari. Hujus meminit capite de *bel*, & ibi vocat الهندي, *Alhendi*, pro quo idem interpres legit *Alcanzi*. Eum auctorem Serapionis interpres alicubi nominat *Alchindi*. Cardano vocatur *Alchindus* auctor Arabs, cujus librum habere ſe dicit de ratione ſex quantitatum. Is eſt Arabice *Alhendi*, pro quo *Alchendi* Græci Latinique dicunt, ut *tamarchendi* pro *tamarhendi*, ταμαρχένδι. Sed de his alibi. Mirum autem, ad illud caput Aviſenæ de atramento librario, notatum in margine legi idem repeti capite XLVIII. quo loco tractat de metallicis ſupra ſcriptis, quæ *atramenta* vocat interpres, cum nullum ex his dignum iſto nomine ſit, præter chalcanthum, quod etiam in atramenti librarii confectionem addebatur.



CLAUDII SALMASII DE MANNA COMMENTARIUS.



MANNAM Arabes vocant من, *man*, mellis genus aërii, quod in certarum arborum folia è cœlo cadit. Notum est & Hebræorum מן, *man*, Quod Interpretes dixerunt μάνναν, *mannam*. Chaldæus מַנָּא, *manna*. Arabum quoque Interpretes illud *man*, quod pro aërio vel roscido melle sumitur, vocaverunt *mannam*. Græcis quoque Medicis recentioribus, qui Arabes utplurimum sequuntur, τὸ μάννα, ut Actuario, Charitoni, Joanni Archiatro, & aliis. Sic etiam vocat Suidas ex antiquo auctore. Græcis tamen paulò vetustioribus, qui tamen sic genus mellis etiam novere, nusquam hæc vox usurpatur in hanc significationem: sed δροσόμελι & ἀερόμελι passim appellant, mel roris & aëris, ut Athenæus (qui Amyntam citat vetustum scriptorem περὶ ἀερομέλιτος differentem in mansionibus Asiaticis) Galenus, Aëtius, Paulus Ægineta, aliique; de quibus in *Exercitationibus*. Habent quidam, & illi antiqui, μάννας vocabulum usitatum, sed longè alia notione. Exiguas thuris micas sic nominant. ἡ λιβανωτοῦ μάννα Dioscoridi & aliis, sunt exiguæ thuris micæ sive grana. Μάνναν etiam simpliciter sine adjuncto vocant, & idem intelligunt: ut apud Trallianum & alios passim legere est. Glossæ veteres: *Thuris pollen*, μάννα. *Thus polline*, μάννα. Ita quidem Latini dixerunt, quæ Græcis μάννα, impropriè ut videtur. Non enim thus in pollinem redactum Græcis vocatur μάννα, sed pusillæ micæ & parva grana. Plinius de Thure: *micas concussu elisas mannam vocamus*. Nemo dixerit, pollinem farinæ micas esse. Micæ salis dicuntur, ut micæ thuris. Χόνδροι λιβανωτοῦ, χόνδροι ἁλός. In farre quoque χόνδροι dicti appellantur. Græcè crassiusculis fragminibus molita grana. Unde χονδρίτης σεμίδαλις, crassiore modulo fracta siligo. ἡ παχυμερεστέρα. Dioscorides etiam τὴν μάνναν probat, quæ est ἔγχονδρος, quæ granis ac micis constat: Μάννα δὲ λιβάνου δόκιμός ἐστιν ἡ λευκὴ καὶ καθαρὰ, ἔγχονδρος. Quæ in polline esset, ille improbaret: quandoquidem monet eligendam τὴν ἔγχονδρον, quæ in micis consistit. Micæ propriè, quæ de pane excutiuntur parva frustula, dum scinditur aut frangitur; Græcè ψίχες. Glossæ: *Mica*, ψίχες. Grammatici interpretantur has, τὰ ἀποπίπτοντα τῶν ἄρτων τεμνομένων. *Mica* ex Græco μικκή, & Doricè μικκά. Diximus alibi. Ita igitur & in thure elisas concussu micas Græci μάνναν appellavere. Quæ dictio hoc significatu vetustissimis Græcis usurpata, non ambigo, quin descenderit ex illo Chaldaïco *manna*, à similitudine granorum. Nam manna illa Hebræorum & coriandri granis traditur similis, ὡσεὶ σπέρμα κορίου. Manna quoque Arabum in specie quadam, cui nomen ترنجبين, *trungibin*, grana præfert coriandro similia; sed paulo majora, quæ ex arbore spinosa decutiuntur, in qua concreta hærent. De qua infra. Sed & communis manna, quæ ex Calabria ad nos invehitur, granis constat minutis, ut sunt

A grana mastiches; & interdum crassioribus. Vocant & vulgo *mastichinam*, mannam ex oriente allatam, nomine indito à similitudine granorum mastiches. Mannam autem thuris, quæ granula sunt ex thuris glebis, dum concutiuntur, elisa, Latini *pollinem thuris* videntur ea re vocasse, quod simul cum polline thuris venderentur. Etenim verisimile est, non solum micas, sed etiam minimas quoque thuris particulas, & farinam ipsam pollinemque, diligenter adservari & colligi solita, ut simul venundarentur. Hinc scri-
B bit Dioscorides in adulteranda thuris manna, cum pinea resina cribrata, pollinem etiam adhibitum, quo farinam thuris æmularentur. Ex minutioribus autem granis resinæ pineæ similitudinem mannæ thuris εἰς χόνδρους ac grumulis constantis, captabant. *Thus minutum* Latinos dixisse pro hac ipsa manna, alibi notavimus: ut & Græcos λεπτὸν λιβανωτόν. Avisena capite de Thure, vocat الرقاق, *alrukak*. Crustulam ac placentulam quidam interpretantur à tenuita-
C te, à verbo رقق, *rakaka*, quod est attenuare & diminuere. Hinc رق, *rakkon*, pellis ac tenuis membrana. Hebræis quoque רקיק, *rakik*, placenta, à tenui crusta. Avicena eo loco dicit ex thure, quod vocat Arabice الكندر, *alconder*, ad medicinas usurpari thus hoc minutum, de quo loquimur, quæ Græcis μάννα: item corticem & fuliginem. Apud
D Interpretem legitur: *Quandoque vero ex olibano administratur in anis minutum & cortex & fumus.* Nescio quid per illa voluerit, *in anis minutum*. Paulò post *minutum*, absolutè usurpat pro thuris manna, vel minuto thure. Hîc in Arabicis non simpliciter habetur الرقاق, *alrukak*, pro thure minuto: sed additur اللبان الرقاق, *alluban alrukak*, quod est thus
E minutum, vel thuris frustulum. Nam اللبان, *luban*, Arabicè est thus. Quo tamen vocabulo ad thus significandam non consuevit uti Avisena, qui semper illud nominat كندر, *konder*. Ut hoc ipso loco ait in medicina administrari ex thure, quod ipsi *konder* vocatur, *allibanon arracac*. Videtur voluisse Græcorum exprimere λιβάνου μάνναν. Atque eodem
F capite paulò infra, thuris mannam absolutè vocat الدقاق, *aldukak*. Quod planè respondet Latinorum *pollini*. Nam دقيق vel دقاق, *dakik* vel *dukak* est minutus pulvis, & in veteri Glossario exponitur polenta & farina, à verbo دقق & دق, *dakak*, & *dak*,
G quod comminuere, & in pulverem conterere significat. Nomen autem *conder* Arabicum pro thure, omnino ex Græco χόνδρος descendit, quod de thure propriè dicitur, etiamsi & de aliis rebus usurpetur. Unde χόνδροι Σαγέες apud Poëtam de thure. Andromachus: καὶ χόνδροις λιβάνοιο. Dioscorides de Ammoniaco:

moniaco: λιβανωθίζον τοῖς χόνδροις. Item de Galbano: ἐστὶ δ' αὐτῆς ἀρίστη λιβανοειδὴς χονδρώδης. Quod ad ipsam mannam thuris attinet, videntur & quidam Arabum, nomine Græco eadem significatione servato, *man* appellasse *man*. Sic enim Græci passim μάνναν appellant, pro thuris polline. Hoc fefellit Serapionem, qui capite de *manna Arabum*, sive *melle cælesti*, varios citans Auctores Arabes, qui de ea tradiderunt, his accenset & Habex, atque ejus sententiam refert, qui tamen Græcorum μάνναν exposuerat sub vocabulo من, *men*, quod est ὁμώνυμον mannæ aëriæ. Colorem ejus esse dicit clarum, vergentem ad album, & aliquantum rubescere absque aliqua ligni admixtione. Hæc mannæ thuris conveniunt, quæ adulterabatur tuso & admixto thuris cortice. Colorem ejus clarum esse vult. Hoc est quod Arabes vocant صفي, *safi*. Sic semper Avisena reddit τὸ διαυγὲς Græcorum, idque Interpretibus dicitur *clarum*. Neutiquam talis est manna roris, sed manna thuris. Ut enim tenuis est, & crusta tantum subtili constat: ita pellucida ac nitens ex majori gleba elisa. Colorem ejus albo & rutilo temperatum dicit. Quod ipsum etsi utrumque in mannam roris quadrare posset, in thuris mannam magis ex merito cadit. Nam thus λευκὸν καὶ ὑποκιρρόν. Nec alio sunt colore parva ejus fragmenta. Facultates omnes porrò, quæ generi illi mannæ tribuuntur, non possunt de altera convenienter dici, quam de thuris manna. Relaxationi stomachi conferre ait, & ventrem stringere. Si de alia hoc idem scripseris, falsum dixeris. Quis ignorat, Medicorum non dicam, sed vel ex trivio hominum, alvum eâ solvi? At manna thuris stringit, ut & ipsum thus. Quod autem & caput purgare asserit, & cerebrum emundare, & ventositates ab eo expellere; item apostemata sanare, hæc omnia in thuris mannam egregiè conveniunt, nec in alteram cadunt. Sic Habex de manna Græcorum intellexerat, quæ thuris est pollen. Serapio verè id accepit de manna Arabibus suis familiari. In eo igitur ὁμωνυμία: etiam penes ipsos Arabes. De ea manna Arabum heic dicendum per occasionem. Nomen ejus, ut diximus, Arabicum من, *man*. Nec putandum aliud esse ab Hebraïco מן, *man*. Non nisi temere fortassean queat adstrui, mannam illam, quâ Israëlitæ divino beneficio in deserto per tot annos pasti sunt, eandem fuisse cum vulgari manna, quæ per totum orientem notissima est: sed illud fidenter asseram, idem esse nomen. Res cum nomine ab omni ævo cognitissima, atque etiam, uti videtur, antiquissimis Hebræis. Quo tempore igitur primum ipsis in deserto morantibus cælestis ille ros cœpit impluere, qui divino munere in alimentum eorum mittebatur, cùm ignorarent, quid esset, ex similitudine, quam videbant habere cum manna sibi nota, dicebant alter ad alterum mannam esse. מן הוא, *man hou*, *man est*. Grana erant rotunda, minuta, alba, coriandri facie & magnitudine, quæ pruinæ more cælo descendebant matutinis temporibus, ac sole demum orto liquescebant, evanescebantque. Hæc cum viderent, nec aliud super his scirent, similitudine adducti, quam habere visa sunt illa grana cum vulgari manna, quam vocabant *man*, ita etiam hunc inusitatum antea & insolitum rorem hoc eodem nomine nuncuparunt. Non igitur quasi quærentes & interrogantes quid esset, dixerunt מן הוא? *man hou? man est?* sed man esse verè pronuntiarunt, quia aliud, quod dicerent, non habebant. Quæ verba non significant *quid est*, ut plerisque opinione receptum est, sed *manna est*. Quo nomine Chaldæis & Arabibus etiam manna dicta est, sive ros cœli pinguior, matutino tempore cœlo defluens, & herbis arboribusque insidens ac concrescens. At illud *man*, pro *quid*, ut multi accipiunt, nec Hebraïcè, nec Chaldaïcè procedere, sciunt illarum linguarum periti. Nam Chaldaïcè quidem מן, *man*, ut & Arabicè من, *man*, non *quid*, sed *quis* denotat. מה aut מא dicendum illius fuerat, si rogare vellent Hebraïcè aut Chaldaïcè, *quid* esset. Sic idem & Arabicè ما. Cum itaque nescirent tum, quid esset, quod ipsis dono Dei ex aëre veniebat, ac dicerent alter alterum aspicientes, mannam esse; respondit illis Moses, panem esse missum ipsis cœlitus, quo vescerentur. Non negavit esse mannam, sed quidquid esset, id pro pane illis futurum pronuntiavit. Vetus Geographus, aliquot gentibus orientis commemoratis, ut Seribus, & Brachmanibus, Eudæis & Nebuzæis, prædictas gentes melle calamino vivere dixit, & panem cælestem quotidianum accipere: *Vivunt pomis & pipere, & melle calamino. Panem enim cælestem quotidianum accipiunt.* Mel autem illud calaminum, quod μέλι καλάμινον, idemque antiquorum saccharum, genus esse mannæ, sive roris cælestis in arundines Indicas delabentis, plerique olim crediderunt, ut docuimus in Exercitationibus. Non poterant ignorare Israëlitæ aërium illum rorem, quem Chaldæi & Arabes *mannam* appellant, utpote qui plurimus cadat in Libano monte vel Galeno teste; qui auctor est ab incolis illius montis coria supra terram extendi, quibus deciduum illum humorem excipiant, & arbores etiam excuti, quibus insederit, quos ait δροσόμελι & ἀερόμελι id appellare. Unde igitur, nisi ex certa notitia hujus roris, cui & nomen ab antiquo tam apud se, quàm apud Chaldæos Arabesque *man*, cum similem in deserto decidere conspicerent, statim dixerunt esse mannam; vulgare nempe rei sibi compertæ nomen, alteri minus usitatæ accommodantes, ob similitudinem. Plurima etiam in monte Sinaï colligitur hodie à Calogeris, quibus mons ille incolitur.

Mirum est, quod initio dicebam, Græcos μάννας vocabulum, ab orientalibus acceptum, non pro illo melle cœlesti in grumulos concreto id usurpasse, sed pro grumulis thuris. Sed id in omnibus ferme linguis ac nationibus solemne, ut vocabula, quæ ab aliis mutuantur, interim proximo, interim sæpius alieno significatu ponant. Hoc norunt satis linguarum periti. Cæterum quæ res in oriente communis ac frequens fuit; eam ab omni etiam ævo ibi nomen habuisse verisimile est. Hæc manna est, Hebraïcè, Chaldaïcè & Arabice sic vocata. Res ipsa Græciæ ignota. Nec enim memini proditum, locum uspiam in Græcia reperiri, ubi colligatur. Roscida folia liquore quodam pinguiore sublucanis temporibus decidente, nobis narrant eorum Auctores. Id æstate apud nos & in omni Europa, plus aut minus, contingere satis compertum. Meminit & hujus mellis Aristoteles, ex quo apes suum sumere tradit. Nihil hoc ad mannam illam, quæ concrescit in ipsis arboribus, & instar gummi cogitur ac densatur. Eadem tamen est materia. Sed aliubi coagulatur, aliubi non hoc facit. In aliis locis copiosior decidit, adeo ut colligi possit & adservari; in aliis folia tantum arborum herbarumque pingui succo veluti polita tantum dimittit.

Plus aliquid de illo melle, quæ manna est, videtur novisse Theophrastus, quàm Aristoteles. Ut enim post illum ac diu vixit, multas quoque species exoticas & herbas, Præceptori suo ignoratas, beneficio ætatis ac victoriarum Alexandri, quibus oriens patefactus est, ipse cognoscere potuit. Præterea & in hanc curam magis incubuit. Quin & mellis calamini, quod est saccharum, notitiam habuit. Multo ergo facilius & hujus habuerit. Utriusque sane meminerat eodem libro, quem de Apibus composuerat, cujus fragmentum apud Photium in Bibliotheca extat. Ibi tria genera mellis facit. Unum, quod ex floribus conficiunt apes. Alterum, quod ex aëre venit, cum humor ille, quem terra exhalavit, à Sole concoctus ac refusus deciderit. Quod præcipue contingit messis tempore. Tertium, τὸ ἐν καλάμοις. Intelligit μέλι καλάμινον Græcorum, idemque cum saccharo, de quo satis suprà. Secundum genus mellis, quod est aërium, notum quidem ex parte Aristoteli,

teli, qui apes hoc legere dicit, & ex eo mel suum facere. Immò ne mel quidem vocat hunc humorem, qui cadit ex aëre, sed mel ex eo apes concinnare. *Lib. v. de hist. Animal. cap.* XXII. μέλι δὲ τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος. Ubi dicit mel apum id esse, quod ex aëre defluit: ore id legunt apes, deinde revomunt in alveis. Negat autem ex floribus mel ab apibus confici, sed ex illo rore parari. Et vides contrariam hic Theophrasti sententiam, qui mel apum ex floribus fieri apertè asserit: αἱ δὲ μέλιτος γενέσεις τριτταί, ἡ ἀπὸ τῶν ἀνθῶν, ἐν οἷς ἄλλοις ἐστὶν ἡ γλυκύτης. Præceptor ejus contrà pertendit: ἐκ δὲ τῶν ἀνθέων τὸ μέλι, οὐκ οὐ ποιεῖ, ἀλλὰ φέρει πίπτον μόνον σημεῖον. Favos ex floribus ait concinnari, mel colligi ac congeri ex rore.

Omnibus porrò locis hic ros visitur, quia mel ubique fit, & ubique apes. Mellis nomine nusquam donasse legitur hunc rorulentum liquorem Aristoteles. Aliquod igitur plus de eo compertum Theophrasto, qui μέλι appellat, & secundum genus constituit. Alteram quippe generationem mellis ex aëre procedere scribit, ὅταν ἀναχυθὲν ὑγρὸν ὑπὸ δὲ ἡλίου συνεψηθὲν πέσῃ. Sic legendum. Videtur porrò intelligere terræ halitum refundi in terram, ubi à sole coctus fuerit; & hanc esse hujus mellis causam & originem. Plinius satis belle, non vere, sudorem cœli esse ait, vel siderum salivam, vel purgantis se aëris succum, qui & mel vocat ejusmodi pinguiorem rorem. Si nihil ultra dixisset Theophrastus, non potuisset videri loquutus de manna. Sed pergit ac dicit mel illud, quod ex aëre habet originem, non solùm in arbores decidere, sed etiam in terram: πίπτει δὲ τὸ ἐκ δὲ ἀέρος μέλι καὶ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐπὶ τὰ περιεχόμενα τῶν φυλῶν.

Idem tradit de manna Avicena, qui definit eam esse rorem omnem, qui de cælo fluit super lapidem, aut arbores; & coit, sicut mel; ac densatur, sicut gummi. Nescio an hoc genus noverit Theophrastus, qui more gummi concrescit. Addit ibidem, id mel aërium in foliis quercûs præsertim inveniri, & tiliæ; quia densiores sunt, atque etiam succosiores, eoque magis aptæ ad hunc retinendum liquorem, qui à siccioribus imbibitur ac sorbetur, citiusque evanescit. In Calabria tamen, ubi magna copia, & præstantissima quidem quotannis colligitur, fraxineis frondibus adhærescit, quas & sitientes esse hujus roris autumant; adeo ut etiam imbibant, & quod superfluit, concretum in grumos exhibeant. Quinimmò & totam arborem occulta virtute, atque etiam nativa proprietate, qua rimosa est, attrahere, & intra se mittere hunc rorem; qui postmodum, quo tempore canicula fervet, inciso cortice inde emanat & exilit. Quæ res multis hanc peperit opinionem, non ex aëre venire mel illud, quod vocatur manna, sed ex arboribus ipsis erumpere.

Addunt postremò Viri docti, quod hujus mellis in fraxineas frondes decidit, ut & ficulnas, concrescere, & candidum videri; quod autem in quercus aut amygdalæ folia, mellis modo lentescens, ab arbore diffluere ac diffundi. Qua re persuaderi pene se fatentur, non ex suapte virtute coïre mannam in modum gummi, sed pro facultate foliorum id illi contingere, quibus inhæserit. Contrarium tamen iidem scribunt in eadem observatione, dum tradunt, qui eam legunt in Calabria, consuesse summo mane ramos ipsos arborum, qui succo illo melleo oppleti sunt, præscindere, & in opaco loco reponere, ut concretam postea commodius colligant.

Frigore igitur concrescit, hoc in ψύξει. Et sane certum est, sole eam liquefieri. Quod si est, & illud utique verum erit, frigore condensari. Non igitur ex virtute foliorum id illi acciderit. Dederim quidem non invitus, folia esse, quæ præ lubricitate sua citius eam effundant in subjectas herbas, nec retineant: alia verò, quæ asperitate quadam magis adglutinent, quibus cum adhæserit, facilius ibidem ex mora concrescat. Quod de foliis quercinis referunt, non iis æquè adhærescere, ut A aliis, contrarium id videtur esse Theophrasti sententiæ quam posuimus.

Idem Theophrastus in *lib.* III. *de Hist. cap.* IX. μελιτώδη χυλὸν appellat, [illegible] frondibus quercinis maxime insidere dicit. Commemorat ibi varias utilitates, fructusque omnigenos, qui ex quercu percipiuntur. Cum enim multifera sit hæc arbor, & præter glandem, infinita alia pariat: inter illa recenset & mel & apes, quas eam ferre canit vetus Poëta Hesiodus. Deinde adjicit & succum melleum, qui foliis ejus adhæret. Postremò & nitrum ex cremata fieri. Φύεται δὲ οὕτω, inquit, καὶ ὁ μελιτώδης χυλὸς ἐκ δὲ ἀέρος ἐπὶ ταύτῃ μάλιστα προσίζων. Ostendit his B verbis & totius loci sententiâ, mel illud eâ copia è quercinis foliis colligi posse, ut alicui sit usui.

Avicena hoc mel aërium in duo genera dividit, quod occultum est, & quod manifestum. Occultum vocat, quod roris more, in omnibus fere regionibus, floribus ac foliis insidit, quod ore libant ac legunt apes. Manifestum verò, quod ita largiter cadit, ut appareat, eoque ab hominibus colligi & iisdem possit esse usui. Hujusmodi mel ex monte C Casseran dicit afferri, quod ibi plurimum colligitur. Liquidam esse hanc mannam infra dicam. Occulti mellis aërii, quod apibus legitur, mentionem habet Aristoteles. At manifesti etiam Theophrastus meminit, qui & in solum id cadere dicit. Quod de occulto non dixisset. Tertium hoc mannæ genus, & deterioris notæ, quod lapidibus ac solo inhærens cogitur. Primas tenet, quæ foliis; secundas, quæ ramis adhærescit. Prorsus autem ex Theophrasti sententia definit Avicena mel illud aërium, quod duorum generum facit, halitum esse terræ, qui in aërem tollitur, atque ibi concoquitur; ac per noD ctem demum spissatum, & in mellis effigiem redactum matutino tempore labitur, & foliis arborum fruticumque adhærescit, aut etiam usque in terram decidit. Hæc ille capite de Melle, cujus, ut dixi, duo genera constituit: occulti, ex quo suum conficiunt apes; & manifesti atque apparentis, quod hominum usui patet, non alio labore aut scientia quam colligendi. Utrumque liquidum. Secundi autem illius generis exemplum affert ex melle, quod ex monte Casseran invehebatur. Nec meminit eo capite mannæ, quæ concreta est in grumulos, & in gummi faciem coacta. Idem tamen capite de E manna, mel illud montis Casserani inter genera mannæ recenset.

Seneca quoque *libro Epistolarum* XII. *Epist.* lxxxv. eamdem ferme differentiam agnoscit occulti ac manifesti mellis ex aëre. Sic enim loquitur, ubi de apibus illi sermo est: *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignit. In nostris quoque herbis vim eamdem, sed minus manifestam & notabilem poni, quam persequatur & contrahat animal huic rei genitum.* Manifestum mel ex aëre apud Indos, ubi in arundinum foliis invenitur. Hoc μέλι F ἐν καλάμοις Theophrasti, qui tamen originem ejus ab aëre non ducit. Sed plerique veterum in ea opinione, sicut alibi fusè probavimus in Exercitationibus. Minus notabilem fuisse testatur eam vim in orbe Romano Seneca; quippe qui illam tantum occultam norunt, quæ apibus proficit. Parum igitur tunc locorum cognitam ac compertam liquet eam substantiam mellis aërii, quam manifestam Avicena nuncupat, quamque Seneca apud Indos duntaxat inveniri ait. Eo tempore perdebat Calabria suam mannam, cujus colligendæ non habuit scientiam, nec usum collectæ quisquam. Quem & sero admoG dum constat receptum, nec nisi per Arabes demum promiscuum factum. Hi Medicinam auxerunt hoc medicamento. Antiquissimi Græcorum per nebulam tantum aliquid de ea audiverant; quam & obscurè satis tradiderunt, utpote rem sibi prorsus ignoratam.

De Theophrasto vidimus, quomodo eam scierit. Aristoteles ne verbum quidem in scriptis suis posuit,

quo

quo intelligas aliquam ejus illum habuisse notitiam. Ab Hippocrate κέδρινον μέλι ajunt vocari quidam. Nescio an audiendi sint. Per κέδρινον μέλι nihil aliud fortasse ille intellexerit præter κέδρινον ἔλαιον, quod mellis habeat σύστασιν. Fallitur, aut fallit ille Medicus, qui in Definitionibus suis Theophrasti affert testimonium ex *lib.* III. *Hist. cap.* IX. quo probet κέδρινον μέλι dici mel aërium, quod cedris insideat. Nihil quippe de cedris eo capite Theophrastus, sed de quercu hoc docet.

Quidquid sit, non puto Hippocratem meminisse mellis aërii, quod manna est; nec enim Galenus omisisset auctoritate ejus id confirmare, ubi de hoc melle agit. Resinarum aliæ oleo similiores, aliæ melli: αἱ μὲν ἐλαιώδεις, αἱ δὲ μελιτώδεις. Talis resina cedri, quam Græci κεδρίαν vocant: ea quippe crassior, παχεῖα, καὶ διαυγής. Ideo κέδρινον μέλι eam appellat Hippocrates. Aliud κέδρινον ἔλαιον, quod ex cedria fiebat eo modo, quo narrat Dioscorides, & suprà diximus. Non recte etiam idem Medicus, ubi affirmat, non ignotam fuisse Plinio ac Dioscoridi Arabum mannam. De Plinio satis dictum ante, qui non aliud mel aërium novit præter id, quod Aristoteli memoratum est. De Dioscoride hoc etiam certum, nullibi fecisse eum mentionem mellis ex aëre, quod manna est. Quod si id habuisset cognitum, mentioni ejus locus fuisset, ubi tractat de melle; quo loco inter genera mellis recenset & saccharum, quod ait esse genus Indici mellis concreti, εἶδος μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος. Non prætermisisset ibi monere & de aërio melle, quod utique magis ad naturam & proprietatem mellis accedit, quam saccharum veterum. Immo αὐτόχρημα mel est, quod & materiam præbet apum melli. At illud Indicum nihil habet ferme, quo mel dici queat, præter dulcedinem. Salem Indicum alii vocarunt aptiore nomine. Qui mel nominarunt, originem ejus videntur spectasse, quam falso sibi persuaserant ab aëre esse, & mel quidem illud ipsum aëris esse, quod aliis in locis super varias plantas ex alto decideret. Ἐλαιόμελι quidem commemorat Dioscorides, quod ex quibusdam arboribus in Syria colligi tradit. Hoc de manna liquida quidam interpretantur. Quibus ipse accedo. Sed apparet Dioscoridem cum Historiam ἐλαιομέλιτος explicaret, nescisse quid esset, atque ex auditu id accepisse quod tradidit, vel ab aliis qui jam id scripserant æque ignaris. Ex arbore quippe ipsa fluere id genus mellis scribit. Quod sane & de omnibus ferme mannæ generibus nonnulli senserunt. Semper enim hoc dubitatum, disputatumque, utrum humor esset ex ipsa planta prosiliens instar gummi, vel succi pinguioris, an ros cœlo delabens. Profecto & ipse Aristoteles in Admirandis videtur de aliquo simili melle scribere, quod omnino mel aerium, & liquidam mannam esse mihi persuadeo. Nec enim aliter potest accipi. At Aristoteles id nescivit. Sic igitur scribit: περὶ Καππαδοκίαν ἐν οἷς τόποις ἄνευ κηροῦ φασὶν ἐργάζεσθαι τὸ μέλι, γίνεσθαι δὲ πάχος ὅμοιον ἐλαίῳ. Quis non putet hoc mel, quod capitur ex favis apum, & crassum est instar olei, idem esse quod ἐλαιόμελι Dioscoridis, cui nomen ab eadem ratione, quia nimirum mel sit, olei crassitudine? Tale omnino fuit Avicenæ, quod ex Casseranio monte refert adportari succo pingui par, qui Arabice رب, *rob*, vocatur.

Legendum itaque apud Interpretem: *& mel adportatum de Casseran in rob.* بالرب, *balrob.* Rob est χύλισμα, ut *rob acacia*, τὸ χύλισμα τῆς ἀκακίας. Inter genera mannæ mel illud de Casseran describit, quod nihil aliud est, quam liquida manna. Montem illum vocat Arabice قصران, *Casseran.* Mentio est apud Geographum Nubiensem insulæ Chasaran in mari occiduo, in qua mons magnus eodem nomine; sed خسران, *Chasaran* scribit per *cha* & *sin*. Aliud itaque nomen videtur esse. Etsi non nesciam hæc nomina locorum aliter atque aliter scribi solita, præsertim cum discrimen majus non est quam affinium litterarum.

De manna concreta loqui etiam voluisse existimandus idem Aristoteles, ibidem in his verbis: φασὶ δὲ καὶ ἐν Λυδίᾳ ἀπὸ τῶν δένδρων τὸ μέλι γίγνεσθαι πολύ, ἐξ οὗ ποιεῖν ἀπ' αὐτοῦ τοὺς ἐνοικοῦντας ἄνευ κηροῦ τροχίσκους. De manna quæ concreta est, hæc accipienda esse nemo non videt; quam tamen ignoravit Aristoteles. Mel istud, quod arbores gignunt in Lydia, & ex quo trochiscos sibi incolæ conficiunt, planè manna est. Sic Amyntas in Asiaticis mansionibus, de aerio melle loquens, dicit ab incolis solere in offas convolvi, & pilulas ex eo fieri; quibus cum vellent uti, defracta exinde frusta in ligneum vas addebant cum aqua, ut dissolverentur, ac liquiscerent, & percolata biberent. Athenæus *lib.* XII. verba hæc Amyntæ, περὶ ἀερομέλιτος citat: οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες, καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι προσφέρεσθαι ἀποκλάσαντες ἐν τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, οὓς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι καὶ διηθήσαντες πίνουσι. Trochisci, quos ex melle illo arboreo faciunt Lydiæ populi, plane similes pilulis illis Amyntæ ex aëromelite, sive manna factis. Geminum est etiam, quod addit Philosophus: καὶ ἀποτεμόντας χρῆσθαι διὰ τρίψεως σφοδροτέρας. Trochiscos illos, quando collibuerit uti, scindebant & conterebant. Ἀποτεμόντας dixit Philosophus, quod Amyntas ἀποκλάσαντες. Hoc tamen diversum apud Aristotelem, quod eos trochiscos adeo indurari vult, ut aliter quidquam ab his abscindi posse neget, nisi validiore attritu, διὰ τῆς σφοδροτέρας τρίψεως. Nec aliunde putandum hanc differentiam ortam, nisi ex falsa relatione, quæ Aristoteli insinuata est. Verius Amyntas frusta aquâ macerari ac dissolvi perhibet.

Quæ protinus subjiciuntur apud Aristotelem, clarè etiam ostendunt de manna esse intelligenda, quæcumque de melle illo tradidit, absque apum opere in arboribus genito: γίγνεται μὲν οὖν καὶ ἐν Θρᾴκῃ, οὐχ οὕτω δὲ στερεόν, ἀλλ' ὡσανεὶ ἀμμῶδες. Similiter & in Thracia mel ex arboribus ait gigni, non adeo durum, ut illud est Lydium, sed veluti arenosum, hoc est, in grumulos, sive grana plura concretum. Quis non videt hoc genere mellis ἀμμώδει, quod in arboribus nascitur, genus illud mannæ velle posse designari, quæ minutis granulis constat? Alia enim est majoribus glebis constans, qualis illa ab Amynta memorata, quam componi dicit εἰς Συριακῆς παλάθης τρόπον, unà cum foliis arboris, unde collecta erat.

Talem etiam memorat Garcias, quam deferri narrat ex Bassora urbe Persica celeberrima. *Tertium*, inquit, *genus magnis glebis advehitur admistis plerumque foliis. Defertur autem ex Bassora urbe Persica adprodum celebri.* Et hoc fortasse genus est, quod Medici Græci recentiores Περσικὸν μάννα appellant; quibus & Σικελὸν μάννα dicitur, quæ Calabrina est. Persica illa manna Bassorensis in glebis erat. At manna ترنجبين, *Tiramjaben*; vel ترنجبين, *Trungibin* ab Arabibus dicta, quæ Persica etiam dici potest, granulis constabat, coriandro paulum majoribus, ut ipse ibidem refert capite de Manna. Hoc ἀμμῶδες μέλι arboreum Aristotelis.

Quod ad duritiem mannæ attinet, non solum mellis instar eam coïre, sed etiam gummium modo inarescere & siccari docet Avisena: qui verbo جفف, *gjafaf* utitur, quod inarescere & siccari significat; & proprium est gummium, quæ sole coguntur, & in duritiem coëunt veluti lapideam. Atqui certum est rorem illum, quo manna gignitur, frigore densari, & calore remitti ac solvi. Quod πήγνυσθαι Græcis dicitur. Aristoteles in Meteorologicis mel inter ἀπήκτα numerat, id est, ea, quæ non possunt πήγνυσθαι. In Admirandis tamen eo loco, quem supra attulimus, ubi de hujusmodi mellis genere, quod ex arboribus colligitur, sermonem habet, mel dicit πήγνυσθαι his verbis: ἅπαν δὲ μέλι πηγνύμενον τὸν ἴσον ὄγκον ἔχειν φασίν. Mel omne, quod congelascit.

Atqui certum est mel non congelascere, ut nec oleum, sed spissari. Παχύνεσθαι de utroque Græci dicunt

dicunt, non πήγνυσθαι. Et rationem reddit Philosophus in Meteorologicorum IV. cur mel, mustum, oleum, argentum vivum, pix, & viscum incongelabilia sint, id est, ἄπηκτα. In Troglodyticæ quodam loco, mel non tantum candidissimum, sed etiam durissimum, ut non vincatur à lapide. In Calicutiensi quoque regione ita solidum reperiri ajunt, ut in vasis conditum sparteis non diffluat.

Saccharum Veteres πεπηγὸς μέλι definiunt, *mel congelatum*. Id quidem verè de suo sacchar prodiderunt: nam si mel est, concretum esse mel dici potest. De manna non tam rectè dixeris congelatam esse, sicut Avisena vult, siccitate in gummium faciem redactam. Ita enim hæc ejus verba sonant, يجفف جفاف الصموغ, *jaghfaf giafaf almasmog*, *exsiccando vel inarescendo in effigiem gummi redigitur.*

Duo genera mannæ ab Arabibus prodita, liquidum, & concretum. Totidem supra habuimus ex Aristotele: liquidum ὡς ἔλαιον, quod esse Dioscoridis ἐλαιόμελι liquet. Neuter tamen putavit de manna liquida se loqui. Nec id Avisena intellexit, cum illum locum Dioscoridis redderet. Quod illi in aliis solemne est. اوماالي, *Aumeli*, vocat Arabicè illud ἐλαιόμελι. Ubi deest fortasse *lam*, ut sit الوماالي, *elaiomeli*. Id interpretatur esse oleum crassitudine mellis ex verbis Dioscoridis; cum potius mel sit, olei facie μέλι πάχος ἐλαίου, ut Aristoteles loquitur de eodem genere. *Oleomella* dicitur Isidoro: *Oleomella nascitur in Palmaria Syriæ civitate, ex eo ita appellata, quod ex trunco oleum defluat in crassitudine mellis, saporis dulcis.* Legendum: *in Palmyra Syriæ*, vel *in Palmyris*, ἐν Παλμύροις. Interpres Avisenæ habet: *in terra Murriæ.* Murria urbs Africæ apud Geographum, quæ nihil ad hunc locum. In Arabicis legitur: تدمرية, *Tadmaria.* Quod vitiosissimum. Omnino scribendum شجرة بدمرية, *segjarat Badmiriat*, arboris Badmyrensis. Arabes sæpe τὸ πι Græcorum mutant in *be*, ut برفير, *borfir* ex πορφύρα, & similia; & *lambda* in *dal.* Sic Badmyra pro Πάλμυρα. Ἐθνικὸν Arabicum بدمري, *Badmyri*, Palmyrense; & femininum بدمرية, *Badmyriat.*

Dubitavit olim Hermolaus, an illud elæomeli Dioscoridis positum esset ab eo pro aëromelite. Quo nomine reprehenditur à Matthiolo, & aliis. Ego verò male fecisse judico, quod dubitavit. Nullus enim ambigo, quin pro liquido aëromeli descripserit illud elæomeli. Ignorasse tamen constat, quod scriberet. Id eos moratur, quod Dioscorides & Plinius tradunt, oleum esse, manans è quodam arboris trunco. Sane Plinius ab eo ipso Auctore antiquo accepit, ex quo & Dioscorides suum hausit. Auctor autem antiquus ille non magis tenebat, quid esset ἐλαιόμελι, quod ita audiverat appellari, quam Aristoteles suum illud mel arboreum Cappadociæ, instar olei crassum; aut alterum genus Lydium concretum ac durum, ex arboribus item decerpi solitum. Quod enim mel illi dixerunt id genus ex caudice arboris sudare, non propterea sequitur non esse mel aërium.

Pari argumento negaretur, mannam notissimam Calabrinam esse mannam, aut ex aëre descendere; quia insignis hac ætate Medicus extitit, qui non veritus est affirmare, nullum mannæ genus reperiri, quin ex ipsa manaret arbore; & fabulam esse, quæ ducat è cœlo.

Nulla hodie manna uspiam legitur, quin eadem quæstio habeat exercitos, tam curiosos quam rudes incolarum, qui eam legunt. Similis agitavit antiquos disputatio super saccharo suo, sive melle arundinum Indicarum. De *terengiabin* & *xirquest*,

A quæ sunt nomina ac genera mannæ orientalis, par quoque existit apud indigenas opinionum fluctuatio, partim censentes esse gummi plantæ, partim esse aëris rorem in eas decidentem. Qui mannæ شير خشت, *xirquest* appellatæ nomen fecerunt, videntur putasse lacrymam ex arbore ipsa stillare. Hoc enim sonat vocabulum *lac*, nempe arboris nomine شير, *chest xir.* Nam خشت, *chest* Persicè est *lac*, ἐπὶ δένδρου.

B Avisena inter genera ea enumerat, quæ cadunt è cælo in arbores, ἐπὶ δένδρου. Avisena hanc mannam esse ait; & inter genera ea numerat, quæ rore cœli gignuntur arboribus influente. Garcias capite de Manna non certum ponit, utrum verius sit; sed de zirquest, quod vulgo *siracos*, ita scribit: *Est autem ros quidam in eas arbores delabens, aut gummi ex eis distillans.* De *terengiabin* similiter ostendit non admodum certam hanc rem haberi, sed circa ejus φύσιν dissentiri. *Vulgus*, inquit, *fructum plantæ esse putat; sed gummi aut resinam esse rescitum est.* Si vel fructus est arboris, ut putat vulgus, vel resina,

C ut doctioribus compertum ait, in errore omnes antiquos esse Arabes oportet, qui mannæ genus faciunt.

Atqui ne hujus quidem sententiæ meminisse Garciam miror, quæ mannam esse scivit, hoc est, cœli rorem desuper lapsum, & concretum. Inter mannas tamen eam recenset, & hoc nomine impertit, quam resinam aut gummi esse exploratum videri vult. Cæterum si manna est, nec fructus dici potest arboris, nec gummi.

Ex definitione quippe Arabum ferme constat *man* ipsorum esse ἀερόμελι Græcorum, quod ita etiam

D Galenus definivit. Adhærescere id arboribus, quod nec succus earum, nec fructus, nec pars haberi queat, sed rorulentum quoddam. Si ros est, adventitium quiddam est, quod aliunde arbori influit, non ex arbore fluit. Hoc Arabicum من, *man*, commune nomen omnibus his generibus roris, sive concreti sint, sive liquentes. *Terenjabin* autem species, quam Avisena in regione Chorasan abundare dicit; & præcipue trans fluvium, qui fluvius est Oxus. In patria autem sua, hoc est, in Perside plurimam etiam cadere prædicat *supra alhaagi.* Ita Interpres Carmonensis. At Alpagus ad marginem exponit *spinas.* In Arabico

E est الحاح, *alhaba.* Videtur Interpres legisse الحاج, *alhagia* cum *gim* in ultima.

Serapio *terenjabin* interpretatur mel roris, & plurimum decidere ait supra arbores spinosas, quæ nascuntur in terra Chorasan, nec fructum ferunt: cadere etiam supra palmarum vertices.

Alpagus in expositione nominum Arabicorum Avisenæ notat *alhaagi* vel *alhagi*, esse arbores, quæ sic appellantur in regione Corasceni, & in patria Avi-

F senæ, super quas cadit manna dicta *terengiabin*, & non multum ab humo attolli, sicut tradere ait Arabes. Tribulos vocat Garcias, & carduos, ex quibus decutitur manna *terenjabin.* Hæ sunt humiles Arabum arbores, quæ Avisenæ dicuntur *alhaagi.* Nec prohibet arbores simul dici, & carduos, quia vox Arabica *segiar*, apud Arabes شجر, tam de fruticibus & herbis, quam de arboribus effertur, ut supra monstravimus. Frustra autem sunt doctissimi Medici, qui mannam *terenjabin* liquidam esse volunt;

G idque probare satagunt testimonio Serapionis, qui mel roris exponit, & melli grumoso eam assimilat.

Brasavolus scribit *terenjabin* Arabum eam esse mannam, quâ utimur. Quæ autem ab his manna dicitur, esse liquidæ speciem. Errat ille vehementer. Nec minus etiam errat, à quo reprehenditur, qui eam sententiam scriptis Arabum refragari affirmat; quandoquidem invenerit apud Serapionem, *terenjabin* esse rorem melli grumoso similem, & quod aliter mel roscidum appelletur. Avisenam verò de manna scribere, eam gummi concrescere. Sic

quo intelligas aliquam ejus illum habuisse notitiam. Ab Hippocrate κέδρινον μέλι ajunt vocari quidam. Nescio an audiendi sint. Per κέδρινον μέλι nihil aliud fortasse ille intellexerit praeter κέδρινον ἔλαιον, quod mellis habeat σύςασιν. Fallitur, aut fallit ille Medicus, qui in Definitionibus suis Theophrasti affert testimonium ex *lib.* III. *Hist. cap.* IX. quo probet κέδρινον μέλι dici mel aërium, quod cedris insideat. Nihil quippe de cedris eo capite Theophrastus, sed de quercu hoc docet.

Quidquid sit, non puto Hippocratem meminisse mellis aërii, quod manna est; nec enim Galenus omisisset auctoritate ejus id confirmare, ubi de hoc melle agit. Resinarum aliæ oleo similiores, aliæ melli: αἱ μὲν ἐλαιώδεις, αἱ δὲ μελιτώδεις. Talis resina cedri, quam Græci κεδρίαν vocant: ea quippe crassior, παχεῖα, καὶ διαυγής. Ideo κέδρινον μέλι eam appellat Hippocrates. Aliud κέδρινον ἔλαιον, quod ex cedria fiebat eo modo, quo narrat Dioscorides, & suprà diximus. Non recte etiam idem Medicus, ubi affirmat, non ignotam fuisse Plinio ac Dioscoridi Arabum mannam. De Plinio satis dictum ante, qui non aliud mel aërium novit præter id, quod Aristoteli memoratum est. De Dioscoride hoc etiam certum, nullibi fecisse eum mentionem mellis ex aëre, quod manna est. Quod si id habuisset cognitum, mentioni ejus locus fuisset, ubi tractat de melle; quo loco inter genera mellis recenset & saccharum, quod ait esse genus Indici mellis concreti, εἶδος μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος. Non prætermisisset ibi monere & de aërio melle, quod utique magis ad naturam & proprietatem mellis accedit, quam saccharum veterum. Immo αὐτόχρημα mel est, quod & materiam præbet apum melli. At illud Indicum nihil habet ferme, quo mel dici queat, præter dulcedinem. Salem Indicum alii vocarunt aptiore nomine. Qui mel nominarunt, originem ejus videntur spectasse, quam falso sibi persuaserant ab aëre esse, & mel quidem illud ipsum aëris esse, quod aliis in locis super varias plantas ex alto decideret. Ἐλαιόμελι quidem commemorat Dioscorides, quod ex quibusdam arboribus in Syria colligi tradit. Hoc de manna liquida quidam interpretantur. Quibus ipse accedo. Sed apparet Dioscoridem cum Historiam ἐλαιομέλιτος explicaret, nescisse quid esset, atque ex auditu id accepisse quod tradidit, vel ab aliis qui jam id scripserant æque ignaris. Ex arbore quippe ipsa fluere id genus mellis scribit. Quod sane & de omnibus ferme mannæ generibus nonnulli senserunt. Semper enim hoc dubitatum, disputatumque, utrum humor esset ex ipsa planta prosiliens instar gummi, vel succi pinguioris, an ros cœlo delabens. Profecto & ipse Aristoteles in Admirandis videtur de aliquo simili melle scribere, quod omnino mel aerium, & liquidam mannam esse mihi persuadeo. Nec enim aliter potest accipi. At Aristoteles id nescivit. Sic igitur scribit: περὶ Καππαδοκίαν ἐν τισὶ τόποις ἄνευ κηρῶ φασὶν ἐργάζεσθαι τὸ μέλι· γίνεσθαι δὲ πάχος ὅμοιον ἐλαίῳ. Quis non putet hoc mel, quod capitur ex favis apum, & crassum est instar olei, idem esse quod ἐλαιόμελι Dioscoridis, cui nomen ab eadem ratione, quia nimirum mel sit, olei crassitudine? Tale omnino fuit Avicenæ, quod ex Casseranio monte refert adportari succo pingui par, qui Arabice رب, *rob*, vocatur.

Legendum itaque apud Interpretem: *Et mel adportatum de Casseran in rob.* بالرب, *balrob.* Rob est χύλισμα, ut *rob acaciæ*, τὸ χύλισμα τῆς ἀκακίας. Inter genera mannæ mel illud de Casseran describit, quod nihil aliud est, quam liquida manna. Montem illum vocat Arabice قصران, *Casseran.* Mentio est apud Geographum Nubiensem insulæ Chasaran in mari occiduo, in qua mons magnus eodem nomine; sed خسران, *Chasaran* scribit per *cha* & *sin.* Aliud itaque nomen videtur esse. Etsi non nesciam hæc nomina locorum aliter atque aliter scribi solita, præsertim

A cum discrimen majus non est quam affinium litterarum.

De manna concreta loqui etiam voluisse existimandus idem Aristoteles, ibidem in his verbis: φασὶ δὲ καὶ ἐν Λυδίᾳ ἀπὸ τῶν δένδρων τὸ μέλι γίγνεσθαι πολύ, ἐξ οὗ ποιεῖν ἀπ' αὐτοῦ τοὺς ἐνοικοῦντας ἄνευ κηρῶ τροχίσκους. De manna quæ concreta est, hæc accipienda esse nemo non videt; quam tamen ignoravit Aristoteles. Mel istud, quod arbores gignunt in Lydia, & ex quo trochiscos sibi incolæ conficiunt, planè manna est. Sic Amyntas in Asiaticis mansionibus, de aerio melle loquens, dicit ab incolis solere in offas convolvi, & pilulas ex eo

B fieri; quibus cum vellent uti, defracta exinde frusta in ligneum vas addebant cum aqua, ut dissolverentur, ac liquiscerent, & percolata biberent. Athenæus *lib.* XII. verba hæc Amyntæ, περὶ ἀερομέλιτος citat: οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες, καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι προσφέρεσθαι ἀποκλάσαντες ἐν τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, ἃς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι καὶ διηθήσαντες πίνουσι. Trochisci, quos ex melle illo arboreo faciunt Lydiæ populi, plane similes pilulis illis Amyntæ ex aëromelite, sive manna factis. Geminum est etiam, quod addit Philosophus: καὶ ἀποτεμόντας χρῆσθαι διὰ τρίψεως σφοδροτέρας. Trochiscos illos, quando collibuerit uti, scindebant

C & conterebant. Ἀποτεμόντας dixit Philosophus, quod Amyntas ἀποκλάσαντες. Hoc tamen diversum apud Aristotelem, quod eos trochiscos adeo indurari vult, ut aliter quidquam ab his abscindi posse neget, nisi validiore attritu, διὰ τῆς σφοδροτέρας τρίψεως. Nec aliunde putandum hanc differentiam ortam, nisi ex falsa relatione, quæ Aristoteli insinuata est. Verius Amyntas frusta aquâ macerari ac dissolvi perhibet.

Quæ protinus subjiciuntur apud Aristotelem, clarè etiam ostendunt de manna esse intelligenda, quæcumque de melle illo tradidit, absque apum opere in

D arboribus genito: γίγνεσθαι μὲν οὖν καὶ ἐν Θρᾴκῃ, οὐχ οὕτω δὲ στερεόν, ἀλλ' ὡσανεὶ ἀμμῶδες. Similiter & in Thracia mel ex arboribus ait gigni, non adeo durum, ut illud est Lydium, sed veluti arenosum, hoc est, in grumulos, sive grana plura concretum. Quis non videt hoc genere mellis ἀμμώδει, quod in arboribus nascitur, genus illud mannæ velle posse designari, quæ minutis granulis constat? Alia enim est majoribus glebis constans, qualis illa ab Amynta memorata, quam componi dicit εἰς Συριακῆς παλάθης τρόπον, una cum foliis arboris, unde collecta erat.

E Talem etiam memorat Garcias, quam deferri narrat ex Bassora urbe Persica celeberrima. *Tertium*, inquit, *genus magnis glebis advehitur admistis plerumque foliis. Defertur autem ex Bassora urbe Persica admodum celebri.* Et hoc fortasse genus est, quod Medici Græci recentiores Περσικὸν μάννα appellant; quibus & Σικελὸν μάννα dicitur, quæ Calabrina est. Persica illa manna Bassorensis in glebis erat. At manna ترنجبين, *Tiramjaben*; vel ترنجبين, *Trungibin* ab Arabibus dicta, quæ Persica etiam dici potest, granulis constabat, coriandro paulum majoribus, ut ipse ibidem refert capite de Manna. Hoc ἀμμῶδες μέλι arboreum Aristotelis.

F Quod ad duritiem mannæ attinet, non solum mellis instar eam coïre, sed etiam gummium modo inarescere & siccari docet Avisena: qui verbo جفف, *gjafaf* utitur, quod inarescere & siccari significat; & proprium est gummium, quæ sole coguntur, & in duritiem coëunt veluti lapideam. Atqui certum est rorem illum, quo manna gignitur, frigore densari, & calore remitti ac solvi. Quod πήγνυσθαι Græcis dicitur. Aristoteles in Meteorologicis mel inter ἀπηκτα

G numerat, id est, ea, quæ non possunt πήγνυσθαι. In Admirandis tamen eo loco, quem supra attulimus, ubi de hujusmodi mellis genere, quod ex arboribus colligitur, sermonem habet, mel dicit πήγνυσθαι his verbis: ἅπαν δὲ μέλι πηγνύμενον τὸν ἴσον ὄγκον ἔχειν φασίν. Mel omne, quod congelascit.

Atqui certum est mel non congelascere, ut nec oleum, sed spissari. Παχύνεσθαι de utroque Græci dicunt

dicunt; non πήγνυσθ. Et rationem reddit Philosophus in Meteorologicorum IV. cur mel, mustum, oleum, argentum vivum, pix, & viscum incongelabilia sint, id est, ἄπηκτα. In Troglodyticæ quodam loco, mel non tantum candidissimum, sed etiam durissimum, ut non vincatur à lapide. In Calicutiensi quoque regione ita solidum reperiri ajunt, ut in vasis conditum sparteis non diffluat.

Saccharum Veteres πεπηγὸς μέλι definiunt, *mel congelatum*. Id quidem verè de suo saccharo prodiderunt: nam si mel est, concretum esse mel dici potest. De manna non tam rectè dixeris congelatam esse, sicut Avisena vult, siccitate in gummium faciem redactam. Ita enim hæc ejus verba sonant, بجفف جفاف الصموغ, *jaghfaf giafaf almasmog*, *exsiccando vel inarescendo in effigiem gummi redigitur.*

Duo genera mannæ ab Arabibus prodita, liquidum, & concretum. Totidem supra habuimus ex Aristotele: liquidum ὡς ἔλαιον, quod esse Dioscoridis ἐλαιόμελι liquet. Neuter tamen putavit de manna liquida se loqui. Nec id Avisena intellexit, cum illum locum Dioscoridis redderet. Quod illi in aliis solemne est. اوماي, *Aumeli*, vocat Arabicè illud ἐλαιόμελι. Ubi deest fortasse *lam*, ut sit الوماي, *elaiomeli*. Id interpretatur esse oleum crassitudine mellis ex verbis Dioscoridis; cum potius mel sit, olei facie μέλι πάχ& ἐλαίε, ut Aristoteles loquitur de eodem genere. *Oleomella* dicitur Isidoro: *Oleomella nascitur in Palmaria Syriæ civitate, ex eo ita appellata, quod ex trunco oleum defluat in crassitudine mellis, saporis dulcis.* Legendum: *in Palmyra Syriæ*, vel *in Palmyris*, ἐν Παλμύροις. Interpres Avisenæ habet: *in terra Murriæ.* Murria urbs Africæ apud Geographum, quæ nihil ad hunc locum. In Arabicis legitur: تدمرية, *Tadmaria.* Quod vitiosissimum. Omnino scribendum شجرة بدمرية, *segjarat Badmiriat*, arboris Badmyrensis. Arabes sæpe τὸ π Græcorum mutant in *be*, ut برفير, *borfir* ex πορφύρα, & similia; & *lambda* in *dal*. Sic Badmyra pro Πάλμυρα. Ἐθνικὸν Arabicum بدمري, *Badmyri*, Palmyrense; & femininum بدمرية, *Badmyriat*.

Dubitavit olim Hermolaus, an illud elæomeli Dioscoridis positum esset ab eo pro aëromelite. Quo nomine reprehenditur à Matthiolo, & aliis. Ego verò male fecisse judico, quod dubitavit. Nullus enim ambigo, quin pro liquido aëromeli descripserit illud elæomeli. Ignorasse tamen constat, quod scriberet. Id eos moratur, quod Dioscorides & Plinius tradunt, oleum esse, manans è quodam arboris trunco. Sane Plinius ab eo ipso Auctore antiquo accepit, ex quo & Dioscorides suum hausit. Auctor autem antiquus ille non magis tenebat, quid esset ἐλαιόμελι, quod ita audiverat appellari, quam Aristoteles suum illud mel arboreum Cappadociæ, instar olei crassum; aut alterum genus Lydium concretum ac durum, ex arboribus item decerpi solitum. Quod enim mel illi dixerunt id genus ex caudice arboris sudare, non propterea sequitur non esse mel aërium.

Pari argumento negaretur, mannam notissimam Calabrinam esse mannam, aut ex aëre descendere; quia insignis hac ætate Medicus extitit, qui non veritus est affirmare, nullum mannæ genus reperiri, quin ex ipsa manaret arbore; & fabulam esse, quæ ducat è cœlo.

Nulla hodie manna uspiam legitur, quin eadem quæstio habeat exercitos, tam curiosos quam rudes incolarum, qui eam legunt. Similis agitavit antiquos disputatio super saccharo suo, sive melle arundinum Indicarum. De *terengiabin* & *xirquest*,

A quæ sunt nomina ac genera mannæ orientalis, par quoque existit apud indigenas opinionum fluctuatio, partim censentes esse gummi plantæ, partim esse aëris rorem in eas decidentem. Qui mannæ شير حشت, *xirquest* appellatæ nomen fecerunt, videntur putasse lacrymam ex arbore ipsa stillare. Hoc enim sonat vocabulum *lac*, nempe arboris nomine شير, *chest xir*. Nam حشت, *chest* Persicè est *lac*, ὀπὸς δένδρυ.

B Avisena inter genera ea enumerat, quæ cadunt è cælo in arbores, ὀπὸς δένδρυ. Avisena hanc mannam esse ait; & inter genera ea numerat, quæ rore cœli gignuntur arboribus influente. Garcias capite de Manna non certum ponit, utrum verius sit; sed de zirquest, quod vulgo *siracos*, ita scribit: *Est autem ros quidam in eas arbores delabens, aut gummi ex eis distillans.* De *terengiabin* similiter ostendit non admodum certam hanc rem haberi, sed circa ejus γένεσιν dissentiri. *Vulgus*, inquit, *fructum plantæ esse putat; sed gummi aut resinam esse rescitum est.* Si vel fructus est arboris, ut putat vulgus, vel resina,

C ut doctioribus compertum ait, in errore omnes antiquos esse Arabes oportet, qui mannæ genus faciunt.

Atqui ne hujus quidem sententiæ meminisse Garciam miror, quæ mannam esse sciscit, hoc est, cœli rorem desuper lapsum, & concretum. Inter mannas tamen eam recenset, & hoc nomine impertit, quam resinam aut gummi esse exploratum videri vult. Cæterum si manna est, nec fructus dici potest arboris, nec gummi.

Ex definitione quippe Arabum ferme constat *man* ipsorum esse ἀερόμελι Græcorum, quod ita etiam

D Galenus definivit. Adhærescere id arboribus, quod nec succus earum, nec fructus, nec pars haberi queat, sed rorulentum quoddam. Si ros est, adventitium quiddam est, quod aliunde arbori influit, non ex arbore fluit. Hoc Arabicum من, *man*, commune nomen omnibus his generibus roris, sive concreti sint, sive liquentes. *Terenjabin* autem species, quam Avisena in regione Chorasan abundare dicit; & præcipue trans fluvium, qui fluvius est Oxus. In patria autem sua, hoc est, in Perside plurimam etiam cadere prædicat *supra alhaagi.* Ita Interpres Carmonensis. At Alpagus ad marginem exponit *spinas.* In Arabico

E est الحاج, *alhaba.* Videtur Interpres legisse الحاج, *alhagia* cum *gim* in ultima.

Serapio *terenjabin* interpretatur mel roris, & plurimum decidere ait supra arbores spinosas, quæ nascuntur in terra Chorasan, nec fructum ferunt: cadere etiam supra palmarum vertices.

Alpagus in expositione nominum Arabicorum Avisenæ notat *alhaagi* vel *alhagi*, esse arbores, quæ sic appellantur in regione Corasceni, & in patria Avi-

F senæ, super quas cadit manna dicta *terengiabin*, & non multum ab humo attolli, sicut tradere ait Arabes. Tribulos vocat Garcias, & carduos, ex quibus decutitur manna *terenjabin.* Hæ sunt humiles Arabum arbores, quæ Avisenæ dicuntur *alhaagi.* Nec prohibet arbores simul dici, & carduos, quia vox Arabica *segiar*, apud Arabes شجر, tam de fruticibus & herbis, quam de arboribus effertur, ut supra monstravimus. Frustra autem sunt doctissimi Medici, qui mannam *terenjabin* liquidam esse volunt;

G idque probare satagunt testimonio Serapionis, qui mel roris exponit, & melli grumoso eam assimilat.

Brasavolus scribit *terenjabin* Arabum eam esse mannam, quâ utimur. Quæ autem ab his manna dicitur, esse liquidæ speciem. Errat ille vehementer. Nec minus etiam errat, à quo reprehenditur, qui eam sententiam scriptis Arabum refragari affirmat; quandoquidem invenerit apud Serapionem, *terenjabin* esse rorem melli grumoso similem, & quod aliter mel roscidum appelletur. Avisenam verò de manna scribere, eam gummi concrescere. Sic ille

ille pronuntiare velle videtur, mannam propriè dictam de duro ac concreto genere accipi; *terenjabin* verò de liquido. Is eſt Matthiolus, ne nominare habeamus neceſſe. Nihil veri in ejus ſententia; omnia falſa.

Aviſena primum capite de Manna, generale hoc nomen facit, ac definit omnem rorem ſic vocitari, qui de cælo venit; & arboribus inſidens, aut ſuper lapides decidens, dulcis exiſtit; & cogitur in craſſitiem mellis, & inareſcendo concreſcit ſicut gummi. Deinde ſubjicit plures hujus roris, qui *man* dicitur, ſpecies; ut *terenjabin*, *zircheſt*, & *mel de Caſſeran.* Alio autem capite de *terenjabin* ſpecialiter tractat, & rorem interpretatur, qui cadit ſupra plantas dictas *alhagi* in Perſide, & in regione Coraſonum. Nihil ex illo diſcas, dicit, utrum liquida ſit, an ſolida, hæc mannæ ſpecies. Quod tamen haud dubiè colligitur ex capite de Manna: ubi cum hoc nomen dicat generaliter de hujuſmodi re uſurpari, quæ & inſtar mellis craſſeſcat, & inſtar gummi concreſcat, ac quidem inareſcendo ex ſupraſcriptis ſpeciebus, quas ibi ſtatim enumerat; nulla eſt, cui pars illa definitionis accommodari poſſit, quæ mannam inſtar gummi ſiccitate denſari adſtruit. Tres ibi, ut diximus, ſpecies recenſuit, uno genere ac nomine mannæ comprehenſas, *mel de Caſſeran*, *zircheſt* & *terenjabin.* Mel de Caſſeran liquidum fuiſſe conſtat, ut liquido conſtat ex eodem Auctore, capite de Melle.

Talis eſt manna illa, quam Garcias ex Ormuz emporio Goam importari dicit in utribus, melli candido ac defæcato perſimilem. *Ziracoſt* porro etiam utribus conſervari idem tradit. Quo judicio liquidiorem colligas, quamvis rorem eſſe perhibeat quendam in eas arbores delabentem, aut gummi ex eis deſtillans.

Reſtat tertium genus mannæ *terenjabin*, quam duriſſimam fuiſſe neceſſe eſt, & inſtar gummi habuiſſe. Nam propter illam credo Aviſenam hoc in mannæ definitione poſuiſſe, quod ad gummis faciem exſiccetur. Aridiorem itaque oportet eſſe, minuſque ſuccoſam, quam quævis alia genera. Quinimmo id etiam non obſcurum ex ea Aviſenæ comprehenſione, ſui quodammodo generis eſſe hanc *terenjabin* mannam; utpote quæ calore ac ſole ſolideſcere videatur, non frigore congelaſcere. Sic enim pleraque genera gummium ſolibus coguntur in gemmeam ſoliditatem. Quin eam de *terenjabin* conceptam habuerit opinionem Aviſena, non dubios nos dimittit verbum Arabicum, quo uſus eſt, جفف, *giaſiſa.* Quod areſcere, & ſiccitate condenſari ſignificat; idque eo ſenſu non poteſt de his uſurpari, quæ frigore coëunt, ac veluti glaciantur.

Plinius *areſcere* dixit de his, quæ calore concreſcunt; ut *glaciari*, quæ frigore congelaſcunt. De lyncurio, quæ urina eſſe lyncum creditur in duritiem lapideam coacta: *Lyncum humor ita redditus glaciatur, areſcitve in gemmas carbunculis ſimiles.* Utrumque poſuit, glaciari, & areſcere; quia dubitavit, utrum frigore an calore id fieret. Omnis alia manna ſole liqueſcit: ergo frigore denſatur. *Terenjabin* areſcit, & concreſcit gummium modo. Ideo ita & ſaccharum veterum in arundinibus collectum ſponte concreſcit, ſed ſolibus, non frigore: & ex ipſa exit arundine, non è cælo cadit, ut mel aërium. Quod tamen pleriſque veteribus creditum, & traditum. Hinc & *terenjabin* nonnullis perſuaſum eſt reſinam, aut gummi arboris eſſe. Vulgus etiam fructum putavit.

Quo argumento & colligas licebit, quam ſolida res fuerit, quæ pro fructu, aut pro gummi habita ſit. Grana eſſe teſtatur Garcias coriandro majora, colore inter rufum & rubentem medio, quæ decutiuntur ex tribulis. Hæc longè à liquido diſcedunt. Quod ait grana illa eſſe ſubrutila, id etiam confirmatur interpretatione vetuſtiſſimi Gloſſarii Latino-Arabici, qui *terenjabin* exponit mannam citriam. Sic enim legendum eſt: *manna citria.* ترنجبان, *turungibuen* appellat, quæ aliis ترنجبين, *turungibin.* Perperam in illis Gloſſis ſcribitur *mentha citria*, pro *menna citria.*

Quod autem ex Serapione ſtabiliunt *terenjabin* eſſe liquidum, revincuntur illo ipſo Serapione. Non enim ille melli grumoſo comparat *terenjabin*, ut adferunt; ſed *melli granuloſo aggregato*, ut habet vetus Interpres, hoc eſt, melli granulis coacto & congelato, ac granulis conſtanti. Græci dicerent μέλιτι πεπηγότι. Sic ſaccharum ſuum, quod eſt *tabaxir*, quodque etiam سلو, *ſalon*, *ſalem* vocant, μέλι πεπηγὸς eſſe dicunt. In Arabico Serapionis fuit مجموع, *maghmohan*, id eſt, *concreto*; à verbo جمع, *giamaha*, quod *congregare* & *copulare* etiam ſignificat, & *cogere in unum*, ut in his, quæ coagulantur, & concreſcunt. Mel illud granuloſum aggregatum, ſive concretum Serapionis, eſt μέλι στερεὸν καὶ ἀμμῶδες Ariſtotelis, quod omnino de ſimili genere mannæ intelligi par eſt. Quod *terenjabin* mel roris exponi ait idem Serapio, non ex eo ſequitur liquidum eſſe debere. Inde etiam ſequeretur & ſaccharum *tabaxir*, quod dentibus fragile eſt, liquidum oportere videri, quia μέλι καλάμινον dicitur veteribus, & mel quoque roris à pleriſque eorum ducitur, utpote quod originem ſuam debeat rori cæli.

Nec miror etiam Scaligerum Julium, qui Exercitatione CLXIV. contra Cardanum, notat in Arabia liquidiorem colligi mannam, quam priſca etiamnunc voce ab his vocari ait *terenjabin.* Profecto, ſi ea dictione utuntur ad deſignandam liquidam mannam, palam eſt abuti, cum priſcos certum ſit Arabes ſpeciem mannæ gummi ſimilem ſic vocaſſe. Abuſivè etiam Calogeri montis Sinai, liquidius mannæ genus, quod in illo monte colligunt, ſic indigetant, ſi fides Bellonio, qui ita nominari ab his eam teſtatur, ad durioris, & concretæ differentiam. Sui, ut dixi, generis ac proprietatis *terenjabin*, quam calore concreſcere non obſcurè indicat Aviſena. Nec enim uno complexu capienda ejus verba exiſtimo, quaſi velit dicere omnem omnino mannam inſtar mellis coïre, & modo gummium eamdem areſcendo denſari.

Disjunctivè hæc intelligi debent, ut dicat ex mannæ generibus eſſe, quæ mellis craſſitudinem acquirant; item quæ ad inſtar gummium ex arboribus manantium ſolidentur atque indurentur ſolibus. Quod ille areſcere, & exſiccari vocat.

De communi quidem manna, qualis eſt, quæ vulgo in uſu eſt, ex Calabria nobis invecta, intellexit eam coïre & concreſcere more mellis concreti. Hoc enim ſonant Arabica ينعقد عسلا, *janhakido aſla.* Verbum انعقد, *inhakada* eſt *congelari*, *coagulari*, πήγνυσθαι. Quod de melle Ariſtoteles etiam uſurpavit in Admirandis, ubi ait μέλι πηγνύμενον eumdem habere modum ſpatiumque corporis, quod prius habuerat, antequam congelaretur, cum res cæterræ gelu ſtrictæ incrementum molis ſuæ accipiant. Sic & κρυσταλλοῦσθαι oleum habes apud Agellium, cum tamen propriè loquendo certum ſit, nec mel nec oleum congelaſcere.

Manna communis congelato melli planè ſimilis eſt. Tale eſſe *ſirchaſt* videtur, quod inter ſpecies mannæ ſtatim ſubjungit. Mel quoque de Caſſeran, quæ manna eſt, mellis habuit ſimilitudinem, & quidem liquentioris.

Quod igitur poſuit idem Aviſena de exſiccatione mannæ ad inſtar gummium, quaſi alterum membrum definitionis ejus, accipiendum de altero genere mannæ, quæ calore coït, & ſiccior evadit, ut gummi. Id enim clarè exprimitur verbo, quo uſus gummi

est ad hanc rem significandam جفف, *giafafa.* Idem vocabulum de vero gummi usurpavit, tractatu primo secundi canonis, ubi præcipit colligenda esse gummi post coagulationem, ante exsiccationem. Congelatio ibi vocatur الانعقاد, *alanhakad.* Ab eodem venit verbo, quod hîc posuit de congelato melle. At exsiccationem appellat الجفاف, *algiafaf.* Et sic quoque hoc loco vocavit, ubi differentias explicat ejus mannæ, quæ arescendo & exsiccatione cogitur & indurescit. Quod omnino de *terenjabin* accipiendum. Cogitur primo gummi, cum coire incipit, & coagulari. Tum monet esse tempus ejus colligendi, priusquam totum inarescat & exsiccetur. Quod nonnisi calore, ac vi solis fieri potest. Dicit enim eam exsiccationem præparare gummi ad pulverizationem.

Concedant hic nobis Ciceroniani barbare interim loqui, dum clarius loquamur. Ἀμαθέστερον, καὶ σαφέστερον. Interpres etiam Avisenæ eo loco corrigendus, in quo legitur: *Gumma vero colligendæ sunt post confractionem, seu coagulationem præparantem pulverizationem.* Immo scribere voluit, *post contractionem.* Rectius hic barbarus Interpres *contractionem*, & *coagulationem* id vocavit, quam quomodo recentiores *congelationem.* Nam congelatio de his tantum dicitur proprie, quæ frigore consistunt; non de his, quæ calore indurantur. Hæc ubi in totum exaruerint, & perfectum in modum fuerint indurata, tum apta sunt in pulverem teri.

Ita quidam Interpretes eo loco reddiderunt, & de pulverizatione acceperunt, quæ in Arabico vocatur الانفراك, *alonfarac.* At partium potius dispersio dicenda fortasse sit, quam pulverizatio. Nec enim adeo facile rediguntur in pulverem gummium genera nonnulla. Quinimmo convenientius in aqua solvi, aut aliquo alio liquore, quam conteri scribit in eodem tractatu Avisena; qui pulverizationem هشاشة, *haschaschaton*, appellare potius solet & الهش, *alhasch*, quod aptum est in pulverem teri, ut de aloë, idem scribit. فرك, *Faraca* autem idem quod *vellere, decerpere, luxare.* A quo انفراك, *infarac*, de gummi plene concreto & exsiccato, quod comminui in partes potest, & in frustra contundi.

Non dubium tamen est, quasdam gummi species in faciem pulveris conteri, ea præcipue significatione, qua Arabes sumunt dictionem صمغ, *samag*, quâ quilibet ὀπὸς δένδρου designatur. Succi arborum, Theophrasto auctore, alii sunt ὀπώδεις, alii δακρυώδεις. Sic juxta illius sententiam ὀπὸς & δάκρυον differunt. Τοῖς ὀπώδεσι πάχος tribuit quasi proprium, hoc est, crassitudinem. Plus igitur aliquid habent οἱ δακρυώδεις, nempe concretionem, & congelationem, ut sic dicam: ἡ ὑγρότης, inquit, τῶν μὲν πάχος ἔχει μόνον, ὥσπερ τῶν ὀπωδῶν· τῶν δὲ καὶ δακρυώδης γίνεται. Humor arborum in aliis quidem habet dumtaxat crassitudinem, ut sunt, qui ὀπώδεις vocantur; in aliis vero δακρυώδεις nominantur, quibus aliquid amplius, nimirum quam crassitudo.

Hoc apertius quidem non explicat, sed colligere est ab exemplis quæ subjicit, quibus intelligi datur, quæ sint δακρυώδη, his verbis: τῶν δὲ καὶ δακρυώδης γίνεται καθάπερ ἐλάτης, πεύκης, τερμίνθου, πίτυος, ἀμυγδάλης, κεράσου, ἀρκεύθου, κέδρου, πτελέας, τῆς ἀκάνθης τῆς Αἰγυπτίας· καὶ γὰρ αὐτὴ φέρει κόμμι. Ex his apparet resinarum omne genus, & gummium sub nomine δακρύου eum comprehendisse. Thus, myrrham, balsamum, mastichen,

A & alia multa, quæ ibidem enumerat, eodem genere complectitur.

Quidam ita distingui volunt, quasi δάκρυον sponte fluat, ὀπὸς magis incisione, unde ὀπίζεσθαι, quæ inciduntur succo eliciendo: sed errant. Etiam in his, quæ ὀπίζονται, agnoscit δακρύου significationem idem Philosophus, ut in laserpitio, scammonea, smyrnio, & aliis nonnullis.

Atqui laserpitium proprie & κατ' ἐξοχὴν Græci appellant ὀπόν. Theophrastus tamen vult esse δάκρυον: ὁ γὰρ ὀπὸς καλούμενος τοῦ σιλφίου δάκρυον. Nihil aliud, quan-
B tum judico, discretionem τοῦ ὀποῦ καὶ τοῦ δακρύου facit præter πῆξιν: Etenim ut proprium τῶν ὀπωδῶν dixit esse τὸ πάχος: ita τοῦ δακρύου, τὴν πῆξιν. *Congelationem* barbari dicerent. Nec quidquam prohibet, quin ea voce cum illis sic utamur, quamvis propria magis sit eorum, quæ gelu stringuntur, ὅσα ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ πέπηγεν. Sic etiam πῆξις Græcorum magis videtur apposita de frigore constrictis; & tamen indifferenter eam ad utrumque exprimendum ponunt. Δάκρυον igitur succus stillatim manans ex arbore, qui etiam in ipsa concrescit ut plurimum, sive sponte destillet, sive incisione. Hoc συνίσταται Græcis. Idem Philosopus: πάν-
C των δὲ τῶν εἰρημένων δακρύων, τὰ μὲν αὐτομάτως συνίσταται, τὰ δ' ἀπ' ἀνατομῆς, τὰ δ' ἀμφοτέρωθεν.

Cæterum qui dicitur ὀπὸς, largius fluit & continenter, nec πῆξιν accipit; sed quadamtenus tantummodo crassus evadit. Hoc voluit Philosophus. Alii tamen confundunt. Κόμμι inter eas res, quibus nomen δακρύου convenit, peculiare quiddam est. Nec enim resina proprie gummi. Succus ex plerisque arboribus lacrymæ modo stillans & concrescens, quod alio nomine caret, vocatur κόμμι. Sic nec myrrha, nec thus, nec succinum κόμμι sunt. Aristoteles in Meteorologicis *lib.* IV. *cap.* X. καὶ ὅσα λέγεται ὡς δάκρυα οἷον σμύρνα, λιβα-
D νωτὸς, κόμμι. Quod ex cerasis, prunis & aliis profluit, quibus aliud nominis non est, κόμμι vocatur.

Nunc videndum, quæ causa huic succo cogendo; frigus, an color, an utrumque. Omnino certe, quæ concrescunt, his densandis aut frigus causam præbet, aut calor, aut utrumque. Quæ frigus induravit, ea calor solvit, ut glacies. Ea dico, quæ ex sola frigida causa indurata fuerint, solo calido dissolvi. Ut contra, quæ sola vis calidi coëgerit, liquescere frigido solo. Si duæ res simul confecerint τὴν πῆξιν, ut frigidum simul & siccum; duabus pariter contrariis opus est ad
E eam dissolvendam, calido & humido. Et sic de aliis, quæ Philosophus accurate disputat in IV. Meteorologicorum. Calor & frigus officium suum agunt in hac corporum facienda συστάσει, exsiccando, spissando & cogendo, ξηραίνοντα, καὶ παχύνοντα, καὶ πηγνύντα: ita Philosophus.

Avicena calorem siccando cogere ait, id est, التجفيف, *baltahfif*, διὰ ξηράνσεως. Frigus autem التكثيف, *altaclif*, διὰ παχύνσεως. Nam كثف, *catafa*, est spissare, παχύνειν: utriusque effe-
F ctus ἡ πῆξις, quam *congelationem* barbari vocant. Arabes verbum جمد, *giamada*, de utraque πήξει ponunt, sive ex calore contigerit, sive ex frigore. Avisena gummi exsiccari ait, hoc est, siccitate cogi, ὑπὸ τοῦ ξηροῦ πήγνυσθαι. Ideo & humido solvitur.

De eo gummi intelligo, quod proprie hoc nomen habet. Cum aqua autem illud solvat, ex eo concludere licet à calido sicco cogi. Nam ut affirmat Philosophus, aqua demum solvuntur, ὅσα ὑπὸ θερμοῦ ξηροῦ λύεται. Privatione igitur humidi in duritiem co-
G guntur, ac concrescunt. Scribit tamen Philosophus sequentibus capitibus, succinum, myrrham, thus, & κόμμι, & quæcunque δάκρυα vocantur, refrigeratione, hoc est, ψύξει concrescere. Quod non idem est ac frigore. Immo talia à calore simul & frigore compingi vult. Privatione quippe non tantum humidi πῆξιν accipiunt, sed etiam calidi, quod una

una exit cum humido. Succinum ex genere gummium esse existimat. Gummi illud, cum ex arbore in flumen decidit, congelatur, & cogitur. Frigus enim ex flumine id excipiens, dum calorem expellit, ut inde etiam humor omnis evaporetur, facit. Credidit Philosophus rem ita se habere de succino, & pro confesso sumpsit. Quo sumpto non alia potuit assignari causa concretionis succini, quam ex frigido simul & calido. Frigus enim calorem foras tradit, calor exiens humorem secum educit.

Hæc plerisque veterum sedit sententia super succino, à gummi esse populorum adsitarum Eridano amni, quod ex arboribus fluens, & in amnem decidens ibi congelatur. Quin & hoc persuasum habuere, non aliud ex eadem arbore gummi concrescere, quam quod in flumen decidisset. Dioscorides: ἱστορεῖται δὲ, ὅτι τὸ ἐξ αὐτῶν δάκρυον κατὰ τὸν Ἠρίδανον ποταμὸν παραχεόμενον πήγνυται, καὶ γίνεται τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. Hoc posito, non longè quærenda fuit causa τῆς πήξεως. Quod in arbore mansit, aut in terram defluxit, non durescit in lapidem, sed minus gummi est. Hinc Plinius vitium populorumque minus gummi vocat, ex quo apes pissoceron suum faciunt, hoc est, minus concretum gummi, minusque siccatum. Ergo frigus fluminis succinum in gemmam cogit. Primaria causa è frigore, quo calor simul, & cum calore humor exigitur. Hoc ad alia etiam gummium genera traxit Philosophus. In succino id operatur aquæ frigus; in aliis æquè eadem causa statuenda, ubi idem cernitur effectus. Καὶ τὸ ἤλεκτρον, inquit, τούτου τοῦ γένους ἔοικε, καὶ πήγνυται. Nempe δάκρυον, ἢ κόμμι. Hoc necessario & in aliis consequitur. Sed falsum τὸ ὅτι in succino. Nec verum τὸ διότι. Bituminis genus esse, compertum.

Bitumen porrò, quâ causâ faciat ex liquido concretum durumque, dubitarunt veteres, & contraria tradiderunt. Quidam frigus, nonnulli calorem in causa adscribunt. De quo in Exercitationibus. Aristotelis succini defixionem, cujus causam à frigore petit, adjuvat exemplo mellis decocti, quod in aquam missum defigitur, exhalato humido. Alio loco scribit, quibusdam aquam in causa esse, ut defigantur, ut melli cocto. Potius tamen videri ait non ab aqua id fieri, sed à frigore, quod in aqua est. Neutrum videtur. Constat enim mel excoctum in aqua liquescere. Ergo contraria causa id compegit. Quod humido solvitur, sicco corporatur. Et sane ignis præcipuè in melle cocto τὴν πῆξιν operatur. Omnem quippe humorem excoquit. Decedente deinde adventitio illo calore, & superveniente frigido congelatur. Sic corpora defunctorum, abeunte nativo calore, rigescunt.

Sal quoque, qui aquâ liquescit, τῷ ξηρῷ suam debet causam. Diversa tamen hoc ratione fit, atque in melle decocto. At de succino constat, non esse gummi. Nec gummi, ut concrescat, ψῦξις facit. Si hoc esset, præcipuam ac primariam causam, quare concresceret, in frigore haberet. Gummi exsiccari vult Avisena. Ea siccitas utrum à frigore, an à calore? Nam & frigus quoque desiccat. Si à frigore esset, contraria facultate solveretur. Quod cum non faciat, utique à calore venit. Et rectè idem Avisena post Galenum: quæ calor compingit ac defigit, in his τὴν ξήρανσιν id efficere contendit. Ita gummi siccari ait, hoc est, ex sicco congelari.

Hoc etiam probat experientia. Videmus gummi in cerasis, prunis, & amygdalis, cum primulum exit veluti mucci simile esse, ac lentescens, paulatim durescere; idque per æstivos soles præcipuè, qui omnem humorem extrahunt. Pluviosa æstate molle ac lentum invenitur id omne gummi. Per hyemem quoque, quamvis sint exsuperantissima frigora. Ex quibus certo certius est, non frigore corporari. Præterea non liquescit igne, sed crepitat, & uritur difficillimè. Et hoc quidem sic se habet in illo genere, quod proprie κόμμι Græci vocitant, ut est cerasi, pruni, amygdali, & similia.

A In resinis an idem usu veniat, quærendum. Ita videtur velle Avisena, qui eodem nomine eas involvit. Nam صمغ, samag vocat omnem resinam, & qualecunque gummi, ut Græcis δάκρυον generalis appellatio ad hæc omnia. Audio etiam acutissimos Philosophos ita tradere, resinam esse gummi liquidum; gummi verò resinam concretam. Longe tamen aliud inter hæc statuendum discrimen, naturæ eorum non suadent, sed cogunt. Gummi aquâ solvitur, resina oleo magis. Hæc etiam accenditur,
B & flammam concipit, quam respuit gummi. Quis dicat tam contrarios effectus ex pari causa ortum ducere? Quod ajunt resinam gummi esse liquidum & gummi resinam concretam, hoc non procedit. Nam & genera gummium reperiuntur æque mollia & liquida, ut sunt resinæ; quæ tamen in totum distant à natura resinarum. Quin & resinæ quoque nonnullæ ad eam concrescunt duritiem, ut nullum sit concretius gummi. Nec propterea discedunt à natura sua, aut propius ad illam accedunt; cui sola duritie, similes evadunt.

Thus genus est resinæ, quod nulli cedit gummi
C de solido. Pinea resina adulteratur, quæ & ipsa concreta ad faciem gummi. Resina cognationem habet cum oleo: ideo facile cum eo coit, ex affinitate. Oleum igitur est veluti congelatum. Oleum quidem non congelascit frigore, sed inspissatur. Resina verò dum exit jam inspissato oleo similis, frigore aëris plane congelatur & in solidum corpus coit. Bitumen pariter, quòd oleosæ est naturæ: ubi ex terra exsudat, de liquido solidum redditur, non calore, sed frigore. In lacu Asphaltite, ubi ex imo exæstuavit, in glaciem solidam convertitur
D frigore aquæ lacus. Ita plerique veterum existimarunt, & in primis gravissimus auctor Strabo, cujus hæc verba sunt: ἔστι δ᾽ ἄσφαλτος γῆς βῶλος ὑγραινομένη, καὶ διαχεομένη· πάλιν δὲ μεταβάλλουσα εἰς πάγον ἰσχυρὸν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, οἷόν ἐστι τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ὥστε τομῆς καὶ κοπῆς δεῖσθαι. Non dissimili sane ratione, quia nec dissimilis est naturæ, bitumen, quod olei genus est liquidum è terra abundans; frigore vel aquæ vel aëris congelatur, ut resina ex arbore manans. Frigore resinam coire vel hoc indicio est, quòd etiam igne quodammodo liquescit: Nam dum igne tæda uritur, liquor pici similis hinc inde fluit. Et sic planè pix fit. Si suc-
E cinum bitumen est, non dubium, quin pari modo concrescat, nempe ψύξει. Sed etsi resina sit arboris, locum nihilosecius habebit Aristotelis sententia, qui ψύξει transire dicit in lapidis duritiem. Ita sane accenditur ut resina, & similem reddit odorem. Sed sive succus sit resinosus sive bituminosus, par causa militabit ad congelationem, frigus nimirum.

In alio genere gummium, quæ resinæ non sunt, quibusque propriè hoc nominis competit, totum aliud est. Inarescendo paulatim durescunt, donec omnis
F humor exhalando consumptus sit. Ita limus durescit humore siccato. Profecto quæcunque ex liquido in solidum glaciantur, gemina ut plurimum de causa id obtinent: aut siccato humore, aut coacto. Coacti humoris causa frigus; siccati calor. Isto modo humor extrahitur, illo contrahitur ac densatur.

Ex arido congelari dicit Fabianus, quæ inarescendo concrescunt, ut de sale. Hoc est, quod Aristoteles dixit ὑπὸ τοῦ ξηροῦ πήγνυσθαι. Quidam tamen sal densatur, ut ille qui sub terra cogitur, magnis glebis congelatis. Sic duplex causa creando sali: coactio hu-
G moris, & siccatio. Subtilius hæc examinabunt alii, & nos etiam alibi. Hæc satis ad rem, qua de agitur.

Æquè male Aristoteles de omni succo arboris pronuntiavit, frigore vel refrigeratione coalescere, resinam & gummi simul comprehendens; ut Avisena de utraque re dixit, siccitatem, vel humorem siccatum, concrescendi esse causam. Quod facit calor.

Manna, ut illûc redeamus, cujus gratia ad hoc digressi sumus, frigore cogitur. Ideo sole liquescit.

cit. Hoc cum sit à gummi alienum, non minus & illud. Avisena capite de Manna, genus quoddam commemorat, quod siccari ait ad instar gummium, id est, siccato humore concrescere. ,ذر قصبين *Terenjabin* id genus ab eo appellari, eodem capite diximus. Nec enim alii generi convenire illam definitionem monstravimus. Hæc est *Terenjabin*, quam Garcias gummi, aut resinam esse arboris, ab exploratiùs rem inquirentibus compertum prædicat. Et facile credo. Quod vel ipso testimonio Avisenæ comprobari potest. Etenim si humore siccato coagulatur, ut ipse asserit; non video, qui esse possit manna, quam certum est liquore densato & coacto habitum hunc sumere.

Gummi siccatur calore, & sic indurescit. Manna omnis, quæ de aëre est, ubi cecidit, densata frigore nocturno cogitur; solis radiis percussa statim liquitur atque effluit. At *Terenjabin*, quæ instar gummis inarescit, & ex arido concrescit, plane gummi est. Non tertii cujusdam generis potest haberi hæc manna. Omnis aut liquida est, aut concreta; & pari ubique ratione. Succorum, qui manant ex arboribus, ut plura genera: ita generationes, ac causæ concrescendi diversæ. Aliter enim gummi fit proprie dictum, aliter resina, si forte congelatur, & induratur: quia diversis qualitatibus, ac naturæ proprietatibus præditæ sunt arbores, quæ succos eos effundunt.

Aëris ubique terrarum eadem qualitas: ergo & eorum, quæ ex aëre, aut in aëre. Frigoris, caloris eadem vis in omni loco, idemque effectus in omni aëre. Non ex æquo quidem ubique intensus, ac remissus calor & algor: sed ubicunque eadem mensura uterque viget, idem etiam pollet atque operatur. Manna ros est certo anni tempore, certis locis cadens, & ex aëre capiens originem: & modò quidem liquidior, modo concretior. Eadem ubique eum causa gignit & congelat. Nec enim possis dicere, alibi quidem ex calore & siccitate concrescendi causam habere: alibi autem ex frigore. Diversas in totum genere res esse oportet, quæ ortum suum referunt acceptum adeo contrariis causis.

Scribit quidem Avisena mannam pro diversitate arborum, super quas cadit, interdum alias atque alias assumere proprietates; dum scilicet semper sibi adsciscit virtutem ejus plantæ, cui ex alto cadens adhærescit, retenta nihilosecius propria, quam secum attulit. Hæc lenitas est, ac dulcedo. Hinc omnis manna dulcis traditur. Interdum & cum dulcedine aliquam amaritudinem sibi conciliat; ex arbore nempe illa sumptam, cui insidit, Ut est ea, quæ in *albussar* cadit, qui frutex est succi amarissimi. Ex ea re manna quoque, quam excipit & colligit, aliquatenus amara evadit. Sed hoc nihil ad rem, quam tractamus.

Scire hîc tantùm refert, an sit manna; aut ex eodem cum manna genere censenda, quæ velut gummi siccato & indurato coagulatur humore per caloris vim; cum cætera omnis manna frigore densetur, & dissolvatur calore. Sed nec multum verisimile est, quod adstruit Avisena, mannam adjungere sibi semper aliquid de natura ejus plantæ, super quam cadit; cum suam nihilominus custodiat proprietatem. Nihil aliud eum hoc adegit sentire ac dicere, quam manna *albusar*; quia gustu amaro sentitur, quod nulla alia habet manna. Hoc igitur eam habere vult ex planta ipsa, quæ cadentem excipit, quam amarissimam esse constat. Quidquid manna distat in facultate ab altera manna, id ex terræ potius aut aquæ qualitate (unde & halitus, quo creatur manna) & ex solis concoctione, quâ perficitur; quam ex arbore, cujus frondibus cadens adhærescit, provenire opinor. Si quæ manna reperitur, multum diversæ facultatis ab altera, non esse mannam audacter pronuntiandum.

Prudentiores denique prodidere succum illum concretum, qui *sacchari albusar*, aut *manna albussar* nomine censetur apud Arabes, ex ipsa planta more lactis erumpere, qui postmodum concrescit; non ex cœlo in eam descendere. Quod est verissimum, ut etiam

A supra ostendimus. Salis frustis similem inveniri prodit idem Avisena. Quæ ad instar salis concrescit, certum esse debet eam quoque pari ratione concrescere; siccitate nempe & [illegible]vi. Saccharum suum veteres simile tradunt sali, ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλσί. Si *tabaxir* id esse, & *Saccharum mamba* ab Indis hodie vocatum, docuimus alibi: succus est, qui ex arundine ipsa manat, & amyli modo concrescit. Quem cœli rorem esse, hoc est, mannam, in eas arundines decidentem, plerique Antiquorum persuasum habuerunt.

B Sic tria omnino pro aëris rore sive manna, temere habita sunt, quæ succum plantarum esse constare debet ad instar gummium concretum, saccharum priscorum, sive mel arundineum, manna *Terenjabin* & manna *albussar*, quod & saccharum *albussar* dictum est. E contrario ἐλαιόμελι Dioscorides pro oleo ex arboris Syriacæ trunco erumpente accepit, quod est manna liquidum in Syria etiamnunc & Ægypto colligi solitum. Et ἐλαιόμελι quidem vocatum, quod mel sit crassitudine olei. Scribit Galenus in Libano monte arbores ab incolis succuti, ut inde defluentem rorem illum cœlestem excipe- C rent, expansis ad hoc, & stratis in solo coriis. Qui viderant ita excipi & colligi pinguem ac lentum illum humorem per arboris truncos fluentem, ex ipso caudice defluere imaginati sunt, atque ita in literas jam olim retulerunt; quos sequutus est, & vertit Plinius, quosque exscripsit Dioscorides.

Liquidam fuisse illam mannam, quam ab incolis Libani montis colligi vidisse se testatus est Galenus, ex verbis ejus colligitur; ubi dicit ollas & fictilia eo implesse illius loci homines, postquam fluentem ex arboribus excepissent. Et fortasse illinc homines nesciebant tum colligendum esse ante solis ortum, eoque liquidum semper habebant, quem utique so- D le demum orto lectum ibant. Qui verum esse oleum, quod ex arboris certæ trunco in Syria olim manaverit mellis instar, crassum ac dulce tanto opere pertendunt, satis egerint si talem hodie arborem in Syria inveniri poterunt ostendere, quæ oleum fundat ex caudice.

Vero verius est antiquos illos, qui parvam habuerunt notitiam hujus aërii mellis, & nullum omnino usum, ex pravis aut falsis relationibus, quibus fidem adjunxerunt, multa perperam literis mandasse; quibus si credulitatem nostram commodaverimus, pejus etiam multo quam illi facinus feceri- E mus. Quid enim in tanta luce rerum nobis ipsis oculos elucificamus, ut credamus nihil veteres scriptum reliquisse, de cujus veritate inquirere non sit piaculum? Et quid porro mirum, si quidam ex antiquitate, quod ex cœlo caderet in arborem, ex arbore ipsa nasci pro certo tenuerunt, cum hodierno tempore eruditissimi in hoc ipso genere viri extiterint, qui persuadere laborant nobis, sic prius & ipsi persuasi, omnia mannæ genera ex arbore & in arbore ipsa gigni, non ex cœlo petita debere credi?

F Quid de Avisena ipso dicemus, qui *terenjabin* in proprio ac natali solo abundantem, ut ipsemet fatetur, adeo tamen ignoravit, ut ex rore cœli nasci non ex planta putaverit? cum tamen certum sit genus esse gummis in frutice ipso concrescentis; quod & ipsius verba declarant Avisenæ, quibus gummis instar siccato liquore cogi eam dixit. Quod cum ita scripserit, prorsus mirum potuisse in eam sententiam adduci, ut existimaret rorem esse cœli, aut mellis aërii speciem; cujus hanc alibi definitionem attulit ex Galeno, quâ dixit vaporem esse è terra exhalatum, qui sole extenuatus & concoctus, mox no- G cturno frigore concretus in speciem mellis cadit.

Juxta hanc mellis aërii definitionem, non potest esse mel aërium id omne, quod sole siccatum in modum gummis concrescit. De saccharo *albasar* similiter variatum opinionibus. Avisena credidit esse manna, hoc est, rorem cœli cadentem super fruticem *hossar*. Alii succum esse è foliorum sedibus erumpentem, ut gummi, & pari modo condensatum. *Mannæ* nomine in his rebus populus abusus est, qui man-

 nam

nam vocat, quidquid dulce est, & aliquam roris illius concreti habet similitudinem.

Sacchari similiter dictionem de re dulci qualibet usurparunt. Nam & *saccharum alhossar* dixerunt, quod alii *mannam alhossar*. Inde & *saccharum mambu* Indis, quod verum est veterum saccharum. *Sacchar* quoque Arabibus usitatissimum, quod ex arundine Indica exprimitur, & coquendo densatur. Hoc idem & in mannæ nomine accidit. Hodieque dicimus mannam, quidquid boni alicunde nobis sine labore nostro provenit. Græci Medici recentiores μάννα etiam vocarunt, ut alibi docuimus, medullam casiæ catharticæ, quod est χύλισμα siliquæ Ægyptiæ, & quadamtenus dulce est.

Ab illo porro vulgi abusiva loquendi consuetudine, qui & *terenjabin*, & saccharo *alhussar*, & aliis quibusdam mannæ nomen à dulcedine imposuit, inductus in errorem Avisena cum plerisque aliis; quibus inde in opinionem incidit esse veram mannam, hoc est, cæli rorem, quem vulgus ita vocaret. Græci quoque vocem μέλι ei rei donarunt, quæ nihil haberet melli simile præter dulcedinem; ut saccharo suo, quod μέλι καλάμινον dixerunt. Sali quippe similius quam melli. Unde & ἅλας Ἰνδικὸν quidam posteriores nominare maluerunt, ut Archigenes apud Galenum.

Mannæ nomen de hoc rore etiam apud Græcos olim usitatum, sed in ore præcipue vulgi. Interpretes veteres τὸ ἄγριον μέλι apud Matthæum, quo victitasse in deserto Joannes traditur, ut & locustis; de melle ejusmodi aërio, quod vulgus μάννα vocabat, acceperunt. Suidas ex antiquo auctore in voce ἀκρίδες hæc verba ponit: ἤσθιε ἢ ἀκρίδας ὁ πρόδρομος, ἢ μέλι ἄγριον, ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων ἐπισυναγόμενον, μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται. Hoc idem mel est, quod Aristoteles in Admirandis scribit in Lydia ἀπὸ τῶν δένδρων γίγνεσθαι. Quodque adeo Dioscorides ait fluere melle crassius de trunco arboris Syriaticæ. Quid aliud quam manna, quod melli simile, sed crassius melle? De manna quoque concreta intellexisse potest videri. Eadem tamen liquida & concreta, quatenus sol eam solvit, & liquidam reddit? frigus concretam.

Mel autem illud agreste, quo in deserto vescebatur Joannes, non miror quibusdam antiquorum de manna, sive melle aërio acceptum; immò nec meliorem adduci posse interpretationem reor. Non me quidem fugit in annosis, & exesis arboribus sæpe in sylvis mel apum opera congestum inveniri. Sed unde illæ sylvæ in deserto Judææ, locis arenosis, in quibus degebat Joannes? At dixerit hîc etiam aliquis, vel propterea de illo melle minus posse intelligi, quia medicamentum potius quàm cibus. Nobis sane medicamenti vicem est, qui raro utimur; idque lene admodum, & viribus imbecillum. Quid si aliquis frequenter uteretur? certus sum, parum aut nihil ab alio melle discriminis, quoad solvendi facultatem, habiturum. Quis super hoc dubitet, cui non sit ignotum etiam venena sæpius sumpta ab ipsa adsuetudine, & usu vim noxiam perdere, atque alimenti loco esse? Scitum illud magni Philosophi: ἁπάντων τῶν φαρμακωδῶν αἱ δυνάμεις ἀσθενέστεραι τοῖς συνηθισμένοις. Reperti sunt, quibus nihil nocere posset helleborum, etiam largius sumptum: immo quibus nec alvum solveret. Mannæ in deserto victitasse Joannem non magis mirandum, quam de Israëlitis. Nec enim tergiversandum. Vera fuit manna, quâ vescebantur, nec à communi quidquam distabat. Ros erat, minutis & rotundis granis, grandinis specie, matutino cadens, ad solem liquescens, sapore mellis.

A Omnes hæ notæ in vulgari manna deprehenduntur. Idcirco viso primum eo rore, qui panis nomine ipsis promissus fuerat, statim pronuntiarunt esse *mannam*, etsi nescirent quid esset. Non novam & antea inusitatam speciem creavit Deus, quam ipsis de cælo mitteret ad vescendum, sed jam creatam ita dispensavit. Miraculum igitur non in rei ipsius nova & extranea substantia, quasi tum primum ad hoc ipsum genita, & postea abolita: sed
B in eo tantum fuit, quod ad præscriptum quotidie caderet; quod affatim, & quantum sufficeret tantæ multitudini nutriendæ; quod omni tempore anni.

Nihil horum tralatitium in manna, quam videmus, & quæ ubicunque terrarum hodie nascitur. Certa anni tempestate decidit non copiose, nec continenter. Cum tot mirandis rebus differret divina illa manna, ab ea quam noverant, nihilominus eodem nomine hanc Israëlitæ nuncuparunt; scilicet *man*, quia similis esset forma & substantia, item sapore. Sic cum iisdem Israëlitis illo ipso tempore carnes
C providere vellet Deus, quibus vescerentur, coturnicum agmina ad eos ex ejus mandato devolabant. Notum hoc volucris genus, & ex earum numero, quæ in rerum natura jam essent, non novum & tum primum, ut huic usui tantum serviret, productum. Manna & coturnices etiam hoc ævo in illis locis frequentantur. Arabes coturnicem vocant سلو, *salvon*. Ex Hebraïco שלו, *slau*. Sed & سمان, *seman*, Arabice dicitur apud Avisenam. Legitur & قبج,
D *kabgjon*, pro eodem quod potius de perdice videtur usurpatum, quam & Græci κακκάβαν dicunt, cujus proprium κακκαβίζειν. Hesychius: κακκάβα, πέρδιξ. Perdix Arabibus, ut in Lexicis antiquis invenitur, appellata حجلة, *hagiala*. Notatur & الطيهوج, *althaihugi*, pro perdice; sed magis est, ut sit *attagas*, vel *attagen* Græcorum, voce inde facta. Hebraïcè perdix vocatur קרא, *kore*. Sed hæc alibi: ut redeamus ad mannam, granosa hodie appellatur mastichina, à similitudine granorum mastichis; quam mastichen etiam *granomastichen* appellarunt quidam. Isidorus: *Mastix, arboris lentisci*
E *gutta est. Hæc granomastix dicta est, quia in modum granorum est.* Inde igitur & Græci parva grana thuris dixerunt μάννα. Germani graminis quoddam genus vocitant *manna gramen* ab ejus semine, quod milio vel panico est simile, instar oryzæ candidum. De hoc gramine intelligunt eruditi Medici locum Plinii, capite de Oleo factitio: *Plurimum autem in Ægypto è raphani semine & gramine herba, quod chortinum appellant.* Sed nugantur, & Plinius ipse falsus. Libri ejus omnes *cortinon* legunt. Ita nimirum audivit pro costinon, id est, κόστινον. Costini olei mentio apud Avisenam. De quo supra.

F De manna hoc etiam addam, anno sexcentesimo decimo sexto supra millesimum, cujus anni æstas admodum serena fuit ac suda, Divione cum essem, memini me per aliquot dies tempore messis liquidam in horto collegisse, quæ extremis foliis guttæ modo pendebat, mellis rutili colore, & gustu. Prunorum folia præcipuè eam habebant in extrema parte congregatam, & pendentem. Cochlear integrum poterat colligi singulis matutinis. Hoc multis ostendi. Hæc & alia, quæ aliis ex propria experientia fuere spectata, satis sunt refutandæ opinioni Donati ab Al-
G tomari.

CLAU-

CLAUDII SALMASII DE SACCHARO COMMENTARIUS.



QUI saccharum hodie nominari audit, & hanc eamdem appellationem in antiquorum scriptis legit, non exquisito an res antiqua eadem sit cum nova, putat protinus idem genus esse sacchari, quod hodie in usu est, & quod olim fuit hoc nomine. Exercitationes nostræ docent illud veterum σάκχαρον esse, quod hoc tempore vocatur apud Indos *sacar Mambu*, quod in arundine Indica arboreæ ac vastæ proceritatis sponte concrescit. Quod saccharo hodierno prorsus disconvenit, quod esse factitium constat, succo expresso ex arundine parva, contusa, & molita; qui succus postea coquitur, ac cogitur in eam, quam videmus, duritiem. Fallitur itaque mirum in modum, si quis μέλι καλάμινον, aut ἅλας Ἰνδικὸν, aut σάκχαρον antiquum idem putat cum nostro saccharo. Non hic repetam, quæ alibi exposuimus.

Garcias *lib.* I. Aromatum notat *sacchar Mambu* Indorum, quod adstruimus esse antiquorum saccharum, ab Arabibus, Persis vulgo appellari *tabaxir*. Quinimmo & Indos ipsos jam consuevisse ita vocare, quoniam eo nomine petant ab his Arabes, Persæ, Turcique. Credamus hoc illi, qui scire potuit ac debuit, dum tamen sciamus longe aliud esse, quod hac signatur appellatione apud Avisenam طباشير, *tabaschir*. Hoc ipse explicat, cinerem esse radicum Alcanna exustarum: vel radices Alcanna adustas, اصول القنا المحرقة, *Ussoul, Alcana Almahracat.* Inde *spodium* vertunt Interpretes, qui melius reddidissent *antispodium*. Nam aliud est, quod proprie Græcis σπόδιον dicitur. Apud Averrois Interpretem legitur *tabasis* pro *tabasir cap.* LVI. qui *spodium* quoque transtulit, quia Averroës tradit *tabasir* esse carbonem nodorum arundinum Indicarum exustarum. Prorsus juxta sententiam Avisenæ. Apud Matthæum Silvaticum corrupte scribitur *abaisir*, *spodium*, pro *tabasir.* Atque vitiose apud Rhasem de Simplicibus *cap.* XXXVI. *Tarathit*, *id est*, *spodium.* Legendum *tabasir.* Serapion quoque spodium, id est, cinerem esse vult *tabaxir*, sed male *Sataesci* apud eum scribunt editiones pro *tabascir*. Nam & sic legi potest.

Mirabilis in hoc consensus ac concentus Arabum auctorum, ut *tabaxir* sit cinis. Ut ita sentirent fortasse illud etiam adjuvit, quod *xir* in ea voce idem valeat, quod Græcorum ξηρὸν vel ξήριον, & inde factum. Sic illi vocant omne medicamentum, quod in pulverem redigi potest: immo & pulverem. Lac etiam arborum concretum, & gummium genera aridiora. Non dubito tamen, quin *tabaxir* illorum ipsissimum sit *saccharum Mambu*, & priscorum saccharum; sed ignoraverunt, quomodo gigneretur. Nec magis Græcis veteribus explorata fuit generatio mellis calamini, sive σακχάρε. Rorem de cælo lapsum & super arundine Indica concretum plerique crediderunt. Ergo & mannæ genus putarunt. Arabes cinerem arundinis ipsius crematæ. Certe sacchari hoc genus cineris instar habet concreti & coagulati, vel amyli

A pari etiam candore inter singula internodia exeuntis. Dentibus fragile esse suum saccharum perhibent antiqui. Ideo & *salem Indicum* multi nuncupant. At saccharum vulgare liquescit sub dentibus.

Animadvertendum autem in primis, *tabaxir* Arabum non arte fieri exustis de industria arundinibus. Avisena scribit summitates arundinum vento compulsante invicem confligere, & ex mutuo collisu ignem creare, quo aduruntur. Ita vulgo tradi narrat. Sed ipse *tabaxir* ait esse radices Alcanna exustas. Non video ego, quomodo radices, quæ totæ intra terram absconditæ latent, ignem potissimum trahere & cremari possint. Cur non potius ipsæ arundines, quas vento impellente agitatas invicem atteri, & ignem concipere dicit? Ultimum est, quod in ea comburitur, radix, si comburi quidem potest. Vidimus sæpe stantes arbores conflagrasse, & totam sylvam magno incendio consumptam; ubi nihil reliqui fecit ignis ex eo, quod supra terram extat, radices tamen illæsæ manent & intactæ.

C Arundo illa Indica, quæ *tabaxir* gignit, grandis arbor est, nec facile exuri queat ejus radix fortuito igne, quamlibet totum scapum vel stipitem devoraverit.

Verisimilius est, quod apud Averroëm habetur, ex nodis arundinis exustis cinerem illum existere. Nomen, quo usus est Avisena, hanc etiam patitur interpretationem. Immo vix aliam hoc quidem loco admittat. Vocat اصول, *ussoul*, cujus singularis numerus اصل, *aslon*. *Radices* reddunt Interpretes. Quod alienum est ab hujus loci sententia. Vox illa non radicem tantum significat, sed principium, originem, & στοιχεῖον. Radicem etiam denotat, quatenus arboris principium ac veluti genitale fundamentum, ex quo emergit, unde alitur, & quo sustentatur. In arundine singuli nodi totidem principia sunt, ex quibus folia exeunt. Hæ sunt foliorum sedes & initia ac veluti radices.

E Hoc igitur voluerunt, arundines Indicas vento agitante inter se commissas attritu mutuo ignem excitare, quo folia vel etiam scapi arundinis exuruntur; cinerem exustarum esse *tabaxir*. Hoc ideo credula persuasione receptum videtur, quia cineri coacto simile est illud saccharum, & circa internodia arundinis invenitur.

Simile est, quod de Lacca tradunt iidem Arabes, de cælo eam decidere, & circa ramos arborum adhærescere. Æque falsi in tradendo modo, quo saccharum *tabaxir* nascitur. Pleni ejusmodi nugarum eorum libri. Quod de Ambra narrant, nihilo verisimilius. Ridicula etiam, quæ de tutia, sive pompholyge Indica memorat idem Avisena; esse in mari animal rotundum squamæ prædurae, ex quo mortuo & in littus ejecto, optima fit tutia apud Indos.

Averroës *tabaxir* cinerem esse arundinis Indicæ prodit. Avisena nominavit simpliciter *Alcana.* القنا, Quod est Latinum *Canna*, vel *arundo*. Frustra igitur doctissimi viri, qui *Alcanna* eo loco Avisenæ de ligustro Orientali accipiunt, sive Cypro; ex cujus radicibus ustis antispodum parant Ægyptii ac Syrii. Cypron Avisena

A Avisena & omnes Arabes appellant الحنا, *alhena*, vel *albana.* Quod alii cum forti aspiratione pronuntiant *alchanna*. Ut Græci, qui Arabica Græce scribunt, ἄλχανα. At القنا, *alcana* pro arundine vel canna, per *kaf* scribitur, non per *hha*, aut *cha*.

Non recte etiam fortasse Andreas Alpagus, qui *alcanna* interpretatur de arboribus subtilibus ac longis, cannarum modo geniculatis; non tamen concavis, ut sunt cannæ, sed solidis, & plenis, quibus Arabes B utuntur ad lanceas faciendas. Magnas vero etiam arbores hujusmodi reperiri dicit, ex quibus fiant vasa magna, & alia utensilia. Ex harum autem radicibus combustis fieri spodium.

Non ambigo quin hæc habeat ab aliquo auctore Arabe, qui non dissentiat à cæteris, *tabaxir* cinerem esse exustæ arundinis putantibus. De arundine *mambu* fere idem tradit Garcias, in quo *tabaxir* gignitur, interdum magnam esse & instar populi proceram; interdum minorem, ramos subtiles & erectos habentem. Quin lanceę, & hastę ex his fieri possint, nullus dubito. Veteres quoque scribunt, ex illis magnis arundinibus C Indicis ἀκόντια fieri solita. Sic enim Theophrastus tradit, & ex eo Plinius. In Exercitationibus tamen corrigebam ἄκαλα. De hac ipsa Indica arundine idem Plinius *lib.* XVI. *cap.* XXXVI. de calamis, & arundinum generibus: *præferuntur Indici, quorum alia quibusdam videtur natura, quando & hastarum vicem præbent additis cuspidibus. Arundini quidem Indicæ arborea amplitudo, quales vulgo in templis videmus.* Hæc est arundo Indica, quæ Arabibus absolute dicitur قنا, *cana*, vel ex Latino *canna*, vel potius ex Hebraico קָנֶה, *kaneh.* Quod est verius.

Geographus Arabs hujus cannæ meminit, in qua D *tabaxir*, sive *sacchar mambu* colligitur, in octava parte secundi Climatis, quo regiones Indiæ maritimas complexus est. In urbe Indiæ Nana *cannam* & *tabaxir* nasci scribit, القنا والطباشير, *alcana & altabaxir.* Mentio eodem capite occurrit hujus cannæ in alio loco Indiæ nascentis, quam junxit cum *chaïzaran*: ut & capite præcedenti, insulam quamdam Indicam commemorat, in qua nascitur *canna* & *chaïzaran.* القنا والخيزران, *Alcana & alchaïzaran.*

Alpagus apud Avisenam notat *chaïzaran* esse virgas E solidas, ex quibus fiunt clypei, & notas esse Damasci. Meminit hujus *chaïzaran* Avisena *lib.* IV. ubi præcipit, quibus aspera est lingua febricitantibus, fricandam esse *cum chaïzaran* aut *virgulis salicis.* Interpres exponit *instrumentum.* Et in Lexico Alpagus *alkeizaran* interpretatur instrumentum, quod administratur circa partes gutturis; & solere fieri ex ligno molli, & similibus. Nihil prohibet accipi virgulas ex arbore *chaïzaran* politas & leves. Idem & alio loco ponit: *Caïzaran, lignum læve seu politum.* Videmus hanc arborem jungi à Geographo Ara-F be cum canna Indica, quæ expetebatur ad hastas faciendas. Ea est canna arboreæ magnitudinis, in qua saccharum suum colligi gummium modo scripserunt antiqui. Hæc ipsa canna, vel arundo, in qua *tabaxir* hodie colligitur ab Indis, quod ipsi vocant *sacchar mambu*: Quia id genus arundinis dicitur eorum linguâ *mambu.*

Hoc denique μέλι καλάμινον Græcorum. Ex cinere id creari combustarum arundinum crediderunt Arabes, quos Græci posteriores sequuti sunt: qui quoties σπόδιον nominant, de hoc *tabaxir* Persico, sive G *sacchāro mambu* intelligendi sunt; ut Charito, Nicolaus, Myrepsus, & alii. Nam σπόδιον omnes in febribus administrant, & refrigerando stomacho, sedandæ siti & aliis remediis, quæ intus sumuntur, adhibent. Spodium autem antiquorum Arabica voce nominant τυτίαν, non σπόδιον.

Invenio & atramentum metallicum sic vocatum in antiquo Lexico Iatrico: Κυπρία σποδὸς, τὸ λεγόμενον σπόδιον· τινὲς γὰρ οὕτω καλοῦσι τὴν τῶν ὀστῶν ἐλεφαντίνων σποδόν. Inde est, quod antispoda parari ex ossibus elephantis crematis quidam prodidere. Cypria autem spodos Græcis Cyprium atramentum, sive Metallicum. Galenus in Lexico: Μέλαν τὸ Κύπριον, ἡ Κυπρία σποδός. Sed hæc σποδὸς, ut & verum spodium, inter ea remedia dumtaxat locum habent, quibus foris utendum. Σπόδιον autem suum Græci recentiores pro interno remedio semper usurpant, quod est spodium Arabum, sive *tabaxir.*

Non igitur hic error peculiaris Latinorum Interpretum, qui *tabaxir* passim spodium verterunt; sed ex sententia Arabum Auctorum sic reddidere, quos & Græci sequuntur. Solidam esse arborem, quæ قنا, *cana* Arabice dicitur, ex qua *tabaxir* capitur, prodit Alpagus, cujus virgis & ramis utuntur Arabes hastarum loco. Concavas tamen esse & inanes illas arundines Indicas *mambu* appellatas, constat. Nam ex singulis internodiis per medium fissis ac divisis lembos Indi conficiunt; ita ut opera ad excavandum non sit opus. Sed rami fortasse solidiores, ex his faciunt lanceas Arabes. Falsum verò illud, quod addit Alpagus, ex earum radicibus exustis fieri spodium *tabaxir.* Hoc illi persuasit Avisena, vel alius auctor Arabs. Cineri simile concreto *tabaxir*, non tamen cinis. Hoc illi crediderunt.

Quæ de facultatibus *tabaxir* recitant illi, plane consona sunt, ac pariant cum effectu vetusti sacchari. *Tabaxir* teste Avisena oculorum epiphoris ex calida causa venientibus medetur. Dioscoridis saccharum καθαίρει τὰς κόρας ἐπισκοτοῦντα ἐγχριόμενον. Claritati oculorum conducere ait. Hodie sunt, qui sacchāro vulgari ad oculorum epiphoras utantur; quo successu, nescio. Sequuntur nimirum consensum erroris publici, nihil differre existimantis hoc saccharum ab antiquo. *Tabaxir* corroborat stomachum. Dioscorides σάκχαρον suum prædicat εὐστόμαχον. Non esse διψῶδες hoc saccharum, Galenus confirmat. *Tabaxir* siti sedandæ idoneum esse jactat familia Arabica. Si differunt in quibusdam hoc ex diversa potius opinione procedere certum est, quam de ejus natura ac generatione utrique habuerunt, quam ex rei diversitate.

Græci veteres saccharum, quod ipsis notum fuit, quia credebant esse mannæ genus, & rorem cæli foliis arundinum illabentem, iisdem propemodum virtutibus donarunt, quibus mannam. Unde & alvum solvendi vim illi attribuunt. Arabes contra, quibus persuasum erat, cinerem esse Indicæ arundinis combustæ, eosdem illi effectus assignant, quibus pollent ἀντίσποδα, & σπόδιον. Notum est, quæ dicantur ἀντίσποδα apud Asclepiadas, nempe quibus utuntur spodii vicem.

Terebinthus combusta, ficus surculi, frondes oleæ agrestis, buxi, aut myrti folia, & alia quamplurima ignibus in cinerem data, usum supplent spodii, & eadem censentur proprietate in Medicina; & juxta hanc proprietatem stringere ventrem magis aptum *tabaxir*, quam solvere. Styptica vi præditum faciunt Arabes. Græci sacchari illius, quod describunt, parvam aut omnino nullam habuerunt notitiam. Quidquid de eo scripserunt ex relatione fere tantum, nihil experientia compertum tenuere. Certiora sunt ac veriora, quæ de *tabaxir* virtutibus Arabes memorant. Nihilo tamen exploratiora esse constat, quæ de natura ejus prodiderunt, qui cinerem esse cannæ exustæ, vel nodorum cannæ combustorum opinati sunt. Unde non mirum est, si Interpretes *tabaxir* spodium verterunt, cum hæc sit Arabum sententia. Melius tantum fecissent, si *antispoda* dixissent.

Eodem tamen sensu & σπόδιον usurpatum est. Etiam σποδὸς pro vero spodio Græcis dicitur. In multis sane *tabaxir* respondet facultati ἀντισπόδων. Ex eo, & prætera quod similis cineri sit candido & concreto, in illam inducti sunt opinionem de cinere. Verum spodium Avisena vocat سفودوس, *sfudus.* Quod plane Græcum est. Scribi etiam potest سفودوس, *sfodos.* Arabes non habent πι. Ideo

ejus

ejus loco semper ponunt φτ. Male apud Avisenam scribitur *scudus*. Hinc fecit Interpres *sucudum* & *descudium* pro *sfudium*. Quia nempe legit *scudium*. In illo tamen toto capite in Arabicis, nominatur tantum *sfodos*. In antiqua expositione Arabicorum nominum, quæ ejusdem est Interpretis, legitur *sucu, id est, climia*. Legendum: *Sucudus*, id est, σποδὸς. Sic *sucutum* pro *symphytum*. De quo suprà. Differunt tamen cadmia & spodium. Avicenam vide in capite de *Tutia*, quæ est Græcorum πομφόλυξ. Chymici antiqui scribunt θυθίαν, ut Zozimus Panopolitanus; cæteri Recentiores, τυτίαν. Hæc est Arabum توتيا, *tutia*. Iidem ex Græco Καδμία fecerunt mira depravatione قلميا, *climia*: unde in Lexico Græco-Arabico legitur ἀχλιμία ἢ Καδμία, pro القلميا, *alclimia*. Et alio loco: Κελεμία ἢ Καδμία. Sed hæc alibi.

Ad saccharum redeamus. Antiquum idem omnino cum *tabaxir* Persico, & *sacchara mambu* Indorum. Admiratione res prorsus digna est, hoc saccharum, quod veteribus notum fuit, sola appellatione *sacchari*, numquam Arabibus sic vocari. Immo cinerem putarunt arundinis crematæ.

Atqui vox *tabaxir* indicat humorem esse pinguem, ac crassum, qui ex ipsa arundine exit ac densatur. Quod & veteres de saccharo suo tradunt. Seneca: *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cali, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat.* Hæc ostendunt, quam parum fuerit cognitum & usitatum antiquis saccharum istud. Tale nunquam viderat Seneca. *Ajunt*, inquit, *inveniri*. Ex auditione hæc acceperant. Arabicæ familiæ auctores, qui plura sacchari genera recensent, hoc saccharum, quod unicum fuit isto nomine apud ævum prius, in hunc censum non referunt. Ratio est, quam dixi. Non pro saccharo hoc habuerunt, sed pro spodio, vel antispodo.

Saccharum autem illud, quod in Græcorum libris legebant, haud secus ac nostris hodie moris est, idem cum saccharo tum usitato habuerunt, gravi certe errore. Hoc enim factitium saccharum, quod ex arundine exprimitur, & coctione densatur, prorsus inauditum fuit veteribus: arundinem tamen Indicam, quæ succum illum dabat, etiam ex auditu norant. At ratio conficiendi ex eo succo sacchari, ne penes quidem ipsos Indos, quibus nascebatur, illo tempore in usu erat. Liquorem ex illa arundine expressum, qui dulcis est, potu tantum usurpabant. Idque etiam scimus ex Historia Antiquorum. Multum autem dispares arundines, quæ utrumque genus edunt. Sacchari hodierni & factitii arundo non magna est. Sacchari veteris & nativi grandis, & arboris instar. Hæc arundo *mambu* Indis vocatur, in cujus internodiis invenitur *tabaxir*, sive saccharum vetus.

Enimvero diserte testatum reliquerunt antiqui scriptores, ex maximis arboribus esse arundinem illam, quæ fert saccharum. Meminerunt & alterius arundinis, ex qua saccharum [illegible]um elicitur, quam non magnam tradunt. Varro Atacinus:

> *Indica non magna nimis arbore crescit arundo;*
> *Illius è lentis premitur radicibus humor,*
> *Dulcia cui nequeant succo contendere mella.*

Succus ille & humor dulcis exprimebatur olim tantum ab ipsis Indis ad potum dumtaxat. Hodie coquitur & densatur in saccharum. Quod non hodie tamen atque heri institutum. Arabes hoc sacchari factitii genus cognoverunt, ante octingentos & plus annos jam confici solitum. Arundinem, ex qua premitur, vocant قصب السكر, *kasab alsacar*, arundinem sacchari. Alteram illam vastæ magnitudinis, ex qua colligitur *tabaxir*, quod est saccharum antiquorum, nominant absolute قنا, *cana*, id est, cannam, vel arundinem, ut diximus antè. Hæc cum ita sint, Arabes sine ullo discrimine utrumque saccharum, quasi nihil differant, in eadem lance componunt. Serapio uno eodemque capite Auctores Græcos veteres & Arabes, tanquam de uno saccharo tradentes commisit. Avisena similiter unum capitulum dicavit saccharo antiquorum & suæ ætatis, & veluti in eadem sartagine simul utrumque condiit. Quod colligitur, inquit, sicut gummi ab ipsa arundine, oculum abstergit. Hoc proprium sacchari antiqui, non illius, quod illa fiebat ætate.

Non aliud saccharum ex ipsa arundine sicut gummi legitur, præter illud veteribus cognitum. Nam in arundine sacchari vulgaris concretum instar gummi saccharum numquam visum est, quidquid contra pertendant multi. Meminit eo capite Avisena, quo genera sacchari persequitur, *mellis arundinis*: عسل القصب, *hassel alcasab*. Hoc est, μέλι καλάμινον veterum, idemque cum saccharo prisco atque etiam *tabaxir*. Nomina ex antiquo recitat, nec quid valeant novit; eademque male rebus novitiis applicat, certe alienis. Verba etiam auctorum veterum citat, rerum ignarus, de quibus illa dicuntur. Ut *lib.* IV. *Fen* I. *Tract.* II. *cap.* XXII. de asperitate linguæ febricitantium, ex Paulo meminit salis Indici, qui adfertur ex India, cui in colore salis dulcedo est mellis. In Græcis est, ἅλς ὁ Ἰνδικὸς χρόᾳ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ.

* * * * * * * * * * * * *

Cætera deerant in Manuscripto.

FRAGMENTA.



Synonymorum ratio in re herbaria multiplex est ac late fusa, nec parva inde auctoribus priscis & nostro præcipue Plinio peccandi occasio, dum diversa plerumque statuunt, diversis signata appellationibus. Contraria erratur via in homonymis, ut abunde patet ex his, quæ superius animadvertimus. Synonyma alibi explicavimus. Heic homonyma duntaxat exponere aggressi sumus. Quid autem mirum, in tot herbis aut facies aut effectus pares habentibus, si pluribus idem nomen impositum? Multæ herbæ nodis frequentibus geniculatæ. Hinc non unum πολύγονον. Plures vero sunt, quæ vulnera conglutinant. Hinc non unum σύμφυτον. Sclaream hodie vocamus chelidonium, quod claritati oculorum conferat. Sclaream Itali vocant equiseti speciem, quæ & *asprella* dicitur, quod ancillæ vulgo ea utantur ad detergenda vasa stagna & ænea, ut nitorem inde accipiant, & clara mundaque fiant. *Sclarea* etiamnum alia est apud infimam Latinitatem, cujus meminit Strabus in Horto:

Heic umbrosa novos inter sclarea virores
Stipite prævalido assurgens, ramosque comasque
Altius attollit.

Hoc idem hodieque nomen habet. Eam siquidem puto esse sclaream, quam vulgus sic vocat. Genus hormini quidam esse volunt. Leonicenus baccharem putabat. Quidam *cristam Galli* nominant. Sæpe una aliqua res vel nota in duabus aut pluribus stirpibus utcunque similis reperta effecit, ut idem nomen gesserint omnes, quamvis cætera dissimiles essent. Tres herbas secundum hæc notavimus facie & genere plurimum diffidentes quibus unum, nomen ἄρκτιον inditum est à villosa lanugine, qualis est in ursis, quamvis non uno modo ac facie hirsutæ forent. Interdum casu quodam invenio factum & συγκυρίᾳ, ut eadem lingua iisdem nominibus vocaverit res duas, quæ nulla omnino similitudine imaginis aut proximitate generis inter se jugerentur, ut ἀνδράχνην herbam Græci & arborem. *Taxum* Latini animal & arborem. In ipsis animalium appellationibus frequentes etiam incurrunt Homonymiæ, & inde exuberans seges errorum in auctoribus, quod jam non miramur, priscis. Alia est ὀλολυγὼν avis Theocriti, quæ in spinis cantillat: alia Theophrasti, quæ sola in summis montium jugis ululat. Alia est avis ἴυγξ Aristotelis, quæ assidua conversione collum torquet: alia ἴυγξ posteriorum Græcorum, quæ assiduo motu caudam quatit. Hæc *moticilla* Latinorum; illa est, quam hodie *torquicolliam* vocamus. Harpocration in Lexico ἀνεκδότῳ de naturalibus potestatibus, utramque ἴυγγα confundit, eam quæ collum circumagit & quæ caudam semper in motu habet. Liber Cyrani: Κιναίδοιος πτηνὸν ὃ καλεῖται σεισόπυξ, τὸ ἴυγγιον Ἀττικὸν στρούθιον ἐδώδιμον. ἔστι δὲ ὡς ὄρτυξ ἀνακλώμενον τὸν τράχηλον, ὥς φησιν Ἀρποκρατίων. Mille talia possem producere, si opus esset. In hoc negotio non raro videmus evenisse, ut eadem lingua duo diversa uno sono finxerit vocabula, quæ in princpali & originali Dialecto, ex qua ducta sunt, non eamdem habuerint vocum similitudinem, ut accidit in ἀλόη myrepsica & ἀλόη medica. Eodem prorsus modo & in Latina lingua *cunilæ* appellatio flexu dictionum vario ab sua, id est, Græca origine, in eamdem exiit nominis conformationem ad res diversas significandas. Κονίλη Græce est origanum, κονύζα alterius herbæ nomen. Tam ex hoc quam ex illo vocabulo Latinus sermo *cunilam* fecit, quæ & conyzam & origanum significat, in quo est ὁμωνυμία. Habet & *cunilam* pro thymbra capitata, quasi *conelam*, à conici capitis similitudine. Pleraque autem herbarum ὁμώνυμα ex varia gentium appellatione orta sunt; cum una gens aliquo nomine aliud appellaret, altera aliud, idque una eademque in ætate. Exemplum præbet vox ῥάφανος supra nobis notata, quæ Atticis per eadem fermè tempora *brassicam* signavit; reliquis Græcis raphanum. Quæ autem apud alios Græcos ῥάφανος dicebatur, ea Atticis ῥαφανίς. Quæ Plinius nusquam distinxit. Longè operosior est & ad distinguendam difficilior ea ὁμωνύμων ratio, quæ temporum mutatione invecta sunt. Ea quippe ὁμώνυμα etiam vocari possunt. Ut tempore omnia mutantur, ita etiam nomina rerum. Quis rectam semper viam queat insistere, qui videat vetustis nominibus res novas appellari; aut alias, quam quibus id nomen à principio positum, & propter quas propriè factum? In errorem proclivis inde lapsus, qui tam sæpe depulsos de recto egit itinere nostros Herbarios, ut nulla in re sæpius aberraverint. * * * * * * * * *

Non in herbis tantum & arboribus, sed in metallicis & aliis quibuscunque rebus hæc nominum invicem permutandorum ratio ex depravato vulgi sermone & abusu promiscuo invaluit. Ut ecce *sandaracham* vocarunt juniperi gummi, quam *vernicem* hodie vocant. *Sandaracham* veterum longe aliam liquet fuisse. Ista ipsa vulgaris *vernix* nomen habet non suum, sed commodatum & improprium. Græci siquidem recentiores succinum sive electrum βερνίκην appellant. Quod succino simile sit illud gummi, quod sandaracha vulgo vocatur, hinc factum, ut etiam *vernicem* per abusum nuncuparint. Avisena: *karabe quid est? est gummi sicut sandaracha.* Ubi karabe est succinum, & *sandaracha* vernix. Vetus medicinale Latinum: *Sandaracha, id est, vernicis.* At βερνίκη, ex quo illud vocabulum *vernix* processit, Græcis significat electrum vel succinum. Plura de hoc genere non addam, etsi ad manum sint, quia exempla affatim suggerent Exercitationes nostræ. Deinde non hoc satagimus heîc ex professo, quibus aliud est propositum. Et postremo omnia ad hanc materiam pertinentia dicere cupienti id occurreret incommodi, ut nimium dicerem, nec totum. Enimvero qui superius nobis animadversa legerit, facile in eam descendet opinionem, ut mirum non putet; quia verum sit, quod alibi observamus, homines Europæos ante aliquot sæcula appellationem casiæ Ægyptiæ duxisse ex arbore alia Ægyptia, quæ nullam habet cum hac affinitatem aut cognationem. Unum habent inter se simile, quod siliquas pro fructu ferunt. Hæc est ἀκακία, quam posteriores Græci κακίαν dixere. Arbor est in Ægypto spinosa, cui fructus in siliqua. Ex eo procusum casiæ nomen à recentioribus Latinis de arbore æque Ægyptia, & fructum pariter in siliquis habente, multum tamen ab illa diversa. Hæc est cathartica casia. Notum est, quam proclivis sit mutatio litterarum inter se C. & S. In vocabulis sexcentis lingua nostra eam usurpat, quæ mutuatur è Latio. *Sarrasenos* dicimus, qui Sarraceni; & *sasire* pro *sacire* Latinorum posteriorum. Quod & ipsis Latinis in usu. Casiam istam adeo nunc frequentem in Ægypto mirari aliquis posset adeo indictam veteribus. Nec enim credibile est, in ea terra tum fuisse nullam, ubi hodie tam multa est; nec aliunde allata, sed indigena. Observavi Theophrastum ex veteribus Αἰγυπτίης ἀκάνθης descriptione una, tam ἀκακίαν arborem quam casiam vulgarem comprehendisse, mixtis & confusis ex utraque notis. Magnitudo arboris, florum pulcritudo & alia quædam casiam denotant: spinæ frequentes, siliquæ usus nonnulla pleraque significant ἀκακίαν. Huc adde, quod duo genera facit Ægyptiæ spinæ. Sub altero ex his generibus latet casia vulgaris, cui tamen notas attribuit ἀκακίας peculiares. Huic casiæ folium aculeatum vel in acumen desinens; unde fortasse meruerit appellationem ἀκάνθης. Sanè & ἄκανθος topiaria Græcis id nominis habet, nullo spina-

ſpinarum merito. Alia eſt acanthos Ægyptia Virgilio, ut ſupra oſtendimus. Hoc enim nomine œnopliam vulgarem ſive *nabach* intellexiſſe docuimus. Obſcura igitur admodum notitia caſiæ vulgaris antiquis fuit, qui eam ad uſum medicum nequaquam noverant, quem primi Arabes prodiderunt. Sic cannam Indicam cum minime ignorarent, quæ ſaccharum hodie dat; ſacchari tamen ex ea conficiendi rationem prorſus incompertam habuere. Magnopere igitur contingeret eum falli, qui priſcorum ævo non fuiſſe in Ægypto caſiam, quæ purgat, contenderet ex eo, quod parvam ejus apud veteres inveniat mentionem. Veriſimilius multo eſſet, multas antiquo tempore ibi ſtirpes fuiſſe, & quidem cognitiſſimas illius ævi hominibus, quæ hac ætate nuſquam in ea regione comparent. Perſea Ægypti in Ægypto hodie quæritur, & fruſtra. Item palma cuciphoros, & colocaſia, qualis ab antiquis deſcribitur. Contra ea hodiernam caſiam Ægyptiam inter plantas Ægypti priſcis auctoribus proditas invenire ſatagimus, nec hilum fortaſſe proficimus. Obſcuris ſane & vix ad verum ducentibus veſtigiis perſequenda eſt. Indiligentia auctorum non ſatis exacte officio ſuo fungentium has turbas plerumque excitat. Hæc cauſa profecto unica ſæpe dari poteſt, cur pleraſque ſtirpium voces, quas tradidere, non ſatis nunc agnoſcamus. Parum plene notas earum deſcribunt; interim & contrarias oſtendunt. Singulari & illuſtri id patefaciendum videtur exemplo. * * * * * * * * * * *

* * * * * * * docemus alibi. In quo vocabulo procudendo plane conſtat etiam migraſſe leges proprietatis loquelam vulgi, & aliud pro alio nomen in uſum dediſſe. *Oluſatricium* dicebant pro oluſatrum, ut *cepicium* pro cepa, & *napicium* & *paſtinacium* & *betacium* & *malvacium*. Inde & *olſtricium* & *olſtricium*. Quo nomine proprie ſignificarunt τὸ ἱπποσέλινον Græcorum veteres Latini. Quod hippoſelinum loca humida & umbroſa paluſtriaque amare certum eſt. Hanc appellationem tranſcripſere poſteri petroſelino Cilicio, quod eſt ſmyrnium. Gloſſæ: *Oluſatrum*, πετροσέλινον. De quo nos plura in Exercitationibus. Petroſelinum autem Macedonicum etiam Ἐσρεαλικὸν nuncupabatur teſte Galeno, qui locus erat Macedoniæ montoſus, in quo optimum naſcebatur, ſed rarum. Πετροσέλινον Μακεδονικὸν Ἐσρεαλικὸν ἀπὸ τοῦ χωρίου καθ' ὃ φύεται τὴν ἐπωνυμίαν αὐτοῦ τιθέμενοι· παντελῶς δὲ ἐστὶν ὀλίγον τὸ γινόμενον ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ. Habetur nunc in hortis Galliæ, & menſis non incognitum hodie; ex quibus ſciri datur longe eſſe aliud à petroſelino vulgari: ut de altero petroſelino Cilicio nihil dicam, quod omnibus rebus diſtare à noſtro ſatis compertum eſt.



 INDEX

INDEX I.

AUCTORUM,

Qui in opere de Homonymis Hyles Iatricæ laudantur; illustrantur, aut emendantur.

Glossa-

Plu-



INDEX II.
RERUM & VERBORUM.

Gly-

καρ-

Lithar-

Ver-

X. & Ξ.

Y.


Z.

FINIS.

ULTRAJECTI,
Apud ERNESTUM VOSKUYL.
MDCLXXXIX.







SALMASIUS
IN
SOLINUM

TOM. II.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm